Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
E
4
NAPOLI

LEGATORIA
Niola Salvatore
Via Giovanni Paladino, 19

Digitized by Google

L-E-21-
LIPPOMANO, LUIGI
De.... Sanctorum historiis
To. III

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PROBATIS SANCTORVM HISTORIIS, PARTIM EX TOMIS ALOYSII LIPOMANI, DOCTISSIMI EPISCOPI, PARTIM ETIAM EX EGREGIIS MANVSCRIPTIS CODICIBVS, QVARVM

permultæ antehàc nunquàm in lucem prodiêre, optima fide collectis, & nunc recens recognitis, atque aliquot Vitarum acceſſione auctis per F. LAVRENTIVM SVRIVM CARTHVSIANVM,

TOMVS TERTIVS,

COMPLECTENS SANCTOS MENSIVM

MAII ET IVNII.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios, Anno M.D.LXXIX.

Cum priuilegio PII V. Pontificis Maximi, & CAESAREAE Maieſtatis in decennium.

NAPOLI

PIVS PAPA V.

DILECTO FILIO F. LAVRENTIO CARTHVSIANO.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Librum, ſanctorum Patrum vitas continentem, à te nupèr editum, atq; ad nos miſſum, libentiſſimè accepimus: qui quidẽ eo etiam gratior nobis fuit, quòd opus in ſe cõtinet à nobis ſemper deſideratum, & ad refellenda hęreticorum in eaſdem ſanctorum Patrum hiſtorias maledicta, aptiſſimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuũ, teque, quòd coram Domino vacuus apparére nolueris, ſed in eius Domum, pro facultate tibi ab eo conceſſa, quicquid potueris, vltrò obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus: cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam inprimìs ei tribuendam eſſe memento, à quo accepiſti & velle & perficere: quod & à nobis, & ab omnibus pijs & Catholicæ religionis ſtudioſis meritò laudaretur. Hortamur autem te, vt huiuſmodi opere proſequendo, & de Eccleſia Dei benè mereri, & tibi apud omnipotentem Deum merita augere nè deſiſtas, ſecurus, te à Redemptore noſtro laborum tuorum centuplum eſſe fructum percepturum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 2. Iunij, M.D.LXX. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

T. Aldobrandinus.

PIVS PAPA V. DILECTO FILIO GERVINO CALENIO, TYPOGRAPHO COLONIEN.

DILECTE Fili Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm tu, ſicut accepimus, nonnullos de probatis Sanctorum hiſtorijs à dilecto filio Laurentio Surio optima fide collectis, necnon alios Tomos ſeu libros dilecti filij Petri Caniſij presbyteri ſeu religioſi Societatis IESV, de doctrina ſiue Inſtitutione Chriſtiana inſcriptos, vnà cum certis Annotationibus, nõdùm impreſſos, tua impenſa imprimi facere deſideres: Nos tibi, quem in excudẽdis huiuſmodi Tomis ſeu libris graues impenſas ſubire neceſſè eſt, nè ex beneficio omnibus Chriſti fidelibus collato detrimẽtum aliquod ſentias, opportunè prouidere, ac te in tuo laudabili & Reipub. Chriſtianæ perutili propoſito confouere volentes, & à quibuſuis Excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijsq́; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibèt innodatus exiſtis, ad effectũ præſentium dũtaxàt conſequendum, harũ ſerie abſoluentes & abſolutũ fore cenſentes: Motu proprio nõ ad tuam vel alicuius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia & mera deliberatione noſtris tibi Tomos ſeu libros præfatos per te vel alium ſeu alios imprimendi, & impreſſos vendendi licentiam & facultatem plenam & liberam Apoſtolica authoritate per præſentes concedimus: Necnon omnibus & ſingulis impreſſoribus, librarijs, & mercatoribus tam in Italia quàm extra Italiã conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub Excõmunicationis ſententiæ, necnon in terris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubiectis, ſub amiſſionis Tomorum ſeu librorum huiuſmodi, ac mille ducatorũ auri de Camera, pro vna Cameræ Apoſtolicæ, & altera medietatibus tibi, tuisq́; hæredibus & ſucceſſoribus irremiſſibiliter loco damnorũ applicandorum pœnis, per alios abſq; tuî & hæredum vel ſucceſſorum tuorũ expreſſo mandato aut licentia habita excudentes, ſeu imprimentes, aut vendentes, totiès quotiès id fecerint, eo ipſo incurrendis, nè eoſdem Tomos ſeu libros infra decennium proximè futurum ab illorum impreſſione computandum, in quibuſuis literarum characteribus, aut parua, mediocri, ſeu magna, vel alia quacunq; forma alicubì imprimere, neq; per alios impreſſos vendere abſq; expreſſa tuî vel hæredum & ſucceſſorum præfatorũ licentia vel conſenſu audeant vel præſumant, & ità per quoſcunq; iudices & commiſſarios quauis authoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, interpretandi facultate & authoritate, iudicari & diffiniri debere: Ac quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus: Mandantes nihilominùs Motu ſimili ſub interdicti Eccleſiaſtici & ingreſſus eccleſiarum Venerabilibus Fratribus noſtris Colonienſ. & quorũuis aliorum ciuitatum & locorum Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs illorum vicarijs ſeu officialibus, legatis, vel Vicelegatis, ac ſub primò dictis pœnis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, & alijs quibuſuis Iudicibus quibuſcũque authoritate & officio fungentibus, quatenùs quotiès pro parte tua, & ſucceſſorũ tuorum, vel alicuius eorum huiuſmodi fuerint requiſiti in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra inhibitionem præfatã inuiolabiliter obſeruari: ac te, tuosq́; hæredes & ſucceſſores præfatos huiuſmodi, illorumq́; ſingulos conceſſione pacificè frui & gaudere: Ac impreſſo-

res, librarios, mercatores, fautores, ſcientes & non reuelantes, quos inhibitioni præfatæ contrauenisſe eis conſtiterit, excommunicationis & alias ſententias, cenſuras & pœnas huiuſmodi incurriſſe declarent, ac pro talibus publicè nunciari mandent, & faciant contradictores quoſlibet & rebelles per eaſdem cenſuras & pœnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: innocato etiam ad hoc, ſi opùs fuerit, auxilio brachij ſecularis: Non obſtantibus Cōſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, Priuilegijs quoquè, Indultis, & literis Apoſtolicis ſuper imprimendorū Tomorum facultate quibuſuis perſonis cuiuſcūque dignitatis & præeminentiæ exiſtentibus etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac ſub quibuſuis tenoribus & formis, necnon clauſulis & decretis conceſſis: Quibus omnibus etiamſi de illis, eorumq́; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua: non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, àc ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxàt ſpecialiter & expreſſè derogamus: Aut ſi impreſſoribus, librarijs, & mercatoribus præfatis vel quibuſuis alijs, communiter vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenā & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem & eadem authoritate decernimus præſentium literarum tranſcripta in ipſis Tomis impreſſa in iudicio & extra ſufficere, & plenam fidem facere, regula contraria non obſtante. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIIII. Septembris, M.D.LXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

REVE-

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. MARCO ANTONIO AMVLIO VENETO,

S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Reatinenſis Epiſcopatus Adminiſtratori perpetuo &c. Domino ſuo multa obſeruantia colendo, S. P. D.

MEMINI ante annos aliquot, Reuerendiſsime & illuſtriſſime Cardinalis, cùm me occuparent Tomi quatuor Conciliorum, Tuam Celſitudinem ſtudio iuuandæ Chriſtianæ Reip. id quibuſdam dediſſe negocij, vt quædam Concilijs adiungenda Romæ deſcriberent, deindè curâſſe etiam, vt ea mihi communicarentur. Etſi autem pro ſingulari illa humanitate & erga me quoquè prompta beneuolentia, nullas hactenùs T. C. gratias egi, non tamen id ea cauſa prætermiſſum eſt, quòd eſſem tanti beneficij immemor, cuius apud me erit memoria ſempiterna, ſed quòd certæ rationes me à ſcribendo diſtinerent. At nunc verſanti mihi in edendis Sanctorum hiſtorijs egregia ſeſe obtulit opportunitas grati animi haud obſcurè declarandi. Cùm enim priores duos Tomos, alterũ Pontifici Maximo, quòd id mihi æquiſſimum videretur, alterum ampliſſimo Cardinali Auguſtano, præcipuo patrono & fautori inſcripſiſſem, tertium ſub T. C. auſpicijs volui in lucem hominumq; conſpectum prodire, vt eo ipſo teſtarer promptam animi mei voluntatem & ſtudium T. C. gratum me exhibendi, quandò reuerà ingratitudinis valdè turpis eſt nota, ità vt non deſint qui ſentiant huic tanto crimini nullam legibus pœnam conſtitutã, quòd ſit deteſtabilius, quàm vt ab homine poſſit vindicari. Continet verò hic tertius Tomus, quemadmodũ & duo ſuperiores, multas Sanctorum vitas inſignes, quarum cognitio tantam habet vtilitatem, his præſertim perditiſſimis temporibus, quibus virtutis & ſanctitatis ſtudium apud Catholicos pleroſq; iacet, aut certè friget plùs ſatis: apud hæreticos verò etiam magno odio & contemptu laborat, vt pro dignitate ſatis explicari non queat. Viua enim ſunt exempla, & ad promouendum longè efficaciora, quàm verba: nec poſſumus timere, nè, dum ad Sanctorum imitationem pro noſtro modulo nos componimus, in errorem inducamur, quandò videmus prępotentem Deum illos pleroſque omnes clariſſimis ornâſſe miraculis in teſtimoniũ eximiæ ſanctitatis, atq; ea re declarâſſe euidentiſſimè illorum vitam gratam ſibi eſſe. Nec tamen hoc ità accipiendum eſt, quaſi illorũ omnia, licèt Deo hauddubiè grata, nos quoquè indiſcriminatim imitanda ſuſcipere debeamus. Id enim non poſſit non eſſe cum ſumma ſtultitia & temeritate coniunctũ, cùm videamus in pleriſq; propè incredibilem vitæ auſteritatem, ieiunia perpetua & in multos dies producta, vigilias naturæ humanæ intolerabiles, corporis caſtigationes & afflictiones reuerà ſtupendas, multaque id genus alia, quæ ſobrius & prudens Lector in illis quidem venerari, ſuſcipere & admirari debet, imitari certè leuiter & inconſultò

non debet,niſi ſentiat eam, qua illi præditi fuêre, adeſſe ſibi ſpiritûs vim & fortitudinem: tum prætereà inſtinctum non dubium Spiritûs ſancti,qui diuidit & elargitur ſingulis ſua dona,prout vult. Sunt tamen permulta in illis, quæ & ſine vllo periculo poſſumus, & tum ex diuinæ voluntatis, tum rectæ rationis præſcripto imitari & colere debemus, cuiuſmodi ſunt,quæ ad Galatas enumerat Apoſtolus,Charitas,gaudium,pax,patientia,longanimitas,bonitas,benignitas,manſuetudo,fides,modeſtia,continentia,caſtitas: quæ ſanè,ſi obſeruentur, non euertunt mentem, nec ſenſus cerebrúmque perturbant,quod ſolent vigiliȩ,inedia,& pleraque alia,vltra modum vireſque continuata. Quanquàm prohdolor horum temporum ea labes & ſocordia eſt,vt hac prȩmonitione non admodùm opùs ſit: ſed neque tamen ſuperuacanea eſt, quandò non deſunt etiam hodieque homines ſpiritu feruentes: qui ſi non vtantur duce aliquo benè perito in conſectādis vitæ ſpiritalis exercitijs, ſed putent quicquid alij potuêre, ſe quoquè & ferre & efficere poſſe, cùm non ſit abbreuiata manus Domini, & illos æquè,atquè nos, homines mortales fuiſſe conſtet, næ illi citra dubium non poſſint non eſſe maximis ſuȩ ſalutis periculis expoſiti. Facilè enim etiam priùs,quàm id ipſi animaduertant, adeò vires eneruabunt ſuas,cerebri præſertim,vt deincèps per omnem vitam & ſibijpſis & alijs oneri ſint. Ij ergò ieiunia,vigilias,lectiones,preces,cȩteraque eiuſmodi exercitia ea moderatione ſuſcipient,qua viderint ferre ſe poſſe, aut certè qua conſulet vir prudens, in rebus diuinis & ſtudijs ſpiritalibus probè exercitatus,aut denique,quod longè optimum & tutiſſimum eſt, qua Superioris ſententia præſcribet. Sed hæc quidem prorsùs nihil attinent ad noſtræ ætatis præcones Euangelicos,(ſic enim per antiphraſim illi appellantur) qui dum docent miſeros mortales, ſola fide omnia confici apud Deum, in eaque ſola omnem ſalutis noſtræ vim & rationem conſtituunt, non obſcurè ad omnem deſidiam, bonorum operum & virtutis neglectū, denique ad flagitia omnia miſeris feneſtrā aperiunt,longè hac in parte,vt in alijs multis,pleriſque ethnicis Philoſophis cæciores, qui ſummoperè hortati ſunt ad conſectandam honeſtatem.quo nomine virtutes omnes illi contineri voluerunt. Quibus ſanè ſi comperta fuiſſet ea futurȩ vitæ vera & ſempiterna beatitudo, à Deo parata omnibus, vt Apoſtolus ait,legitimè certantibus, etiam longè maiora hauddubiò & ipſi prȩſtitiſſent,& ab alijs præſtanda docuiſſent. Quod certè illis turpe inprimis eſt, qui poſt tantam cæleſtium rerum cognitionem,quam ipſi ſibi vendicāt,& ampliſſimas Chriſti promiſſiones audent homines ad ſummam deſidiam & inertiam reuocare, ſola fide prædicanda, quandò ethnici præclarè id,ſolo rationis præeunte lumine,intelligere potuerunt,homines ad ſeueritatem ſtudiaque grauiora atque maiora à natura generatos eſſe. Quæ quidem ſtudia ità elucent in ſanctis Dei hominibus,quorum Vitas euulgamus,vt quemadmodùm iam diximus, pleraque admiranda potiùs in illis ſint,quàm imitanda. Sed docent tamen illi nos ſua illa vitæ ſeueritate, & viuendi ſanctiſſima ratione rectiſſimè dictum ab Apoſtolo: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixêre cum vitijs & concupiſcentijs: vt meritò ediuersò intelligere debeamus, qui vitijs & prauis cupiditatibus laxant habenas, ijs cum Chriſto nihil eſſe commercij. An non verò laxant flagitijs omnibus habenas, qui palàm docent,ſola fide nos iuſtificari, bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa,impia eſſe vota & inſtituta monaſtica, vitæ mo-

1.Cor.12. Gal.5. Eſa.59. 2.Tim.2. Gal.5.

monaſticæ profeſſores rectè facere, ſi etiam poſt nuncupata Deo perpetuæ continentiæ vota ducant vxores, nec quicquam eorum præſtent, quæ palàm ſe facturos ſanctè iurârint? Non opùs eſt, cætera id genus illorum paradoxa hîc commemorare. Magna eſt profectò in nos effuſa ira præpotentis Dei, quòd tolerari à nobis potuêre tam portentoſa mendacia. Nec tamen tolerata duntaxàt ſunt, ſed etiam ab innumeris non alio, quàm puræ doctrinæ & verbi Dei loco habentur. Ea eſt, inquam, certè horrenda Dei ira, ad id cæcitatis deuolui potuiſſe homines è religione Chriſtianos. Longè aliter docent nos, quotquot in Dei Eccleſia vitæ ſanctitate illuſtres vnquàm extitêre: ſed illorum vita, quandò carni & ſanguini moleſta eſt, non multos habet ſectatores: hæreticorum dogmata iucundiſſima & quantunlibet etiam flagitioſis & ſceleratis hominibus plauſibilia, tantos poſt ſe hominum miſerorum greges in innumeras propè, eaſque mirè diſſectas, ſectas abducunt, vt numerari vix poſſint. Eiuſmodi verò fuit etiam perditiſſimi nebulonis Mahometis doctrina, quam videmus in totum ferè orbem mirabiliter propagatam. Sed reſipiſcant tandèm homines malè perſuaſi, mâlintq; eſſe ſanctorum hominum ſimiles, quàm Mahometis & eius conſimilium noſtræ ætatis tenebrionum. Non putent ſibi ad ſalutem ſolam fidem ſufficere, quandò vident Sanctos omnes tantos pro Chriſto & vita æterna obtinenda exantlâſſe labores. Legant libẽter ſacras hiſtorias, quas ea cauſa nos omnibus communicamus, vt earum lectione ad verè pietatis ſtudia excitentur deſides: qui verò iam feruent ſpiritu, magìs magiſque inflammentur. Equidem non paucas rudiuſculo ſtylo, vt ferebant illa tempora, conſcriptas, aut prorsùs deſcripſi meo qualicunque ſtylo, aut locis ſuis nonnihil expoliui, vt etiam eruditi Lectores libentiùs nonnunquàm aliquid temporis iis legendis impertiant, quibus non dubito tædium allaturas eſſe, ſi ſic ederentur, vt conſcriptæ fuêre. Quicquid verò toto hoc tertio Tomo mihi ſudatum eſt, id T.C. ampliſſime Cardinalis, Patrone obſeruandiſſime, dedicatum volui: orans & obſecrans, vt gratum habere velit, quod deditiſſimo animo offertur. Poterit illa pro ſua tum authoritate, tum doctrina facilè tueri hos qualeſcunque labores meos aduersùm maledicos obtrectatores. Virtutes tuas egregiaque decora celebrabunt alij eruditione & eloquentia inſtructiores: ego præterquàm quòd rarò ſoleo in eiuſmodi encomiis verſari, quæ plerunque maximos viros moleſtia potiùs, quàm voluptate aliqua afficiunt, etiam illis celebrandis adeò ſum impar, vt mihiipſi potiùs ignominiam, quàm illis vel tenuem ſim ſplendorem allaturus. Chriſtus Deus & Dominus noſter T.C. in vtroque homine conſeruet in annos multos, illuſtriſſime Cardinalis, Patrone colendiſſime. Ex Carthuſia Agrippinenſi, 9. Calen. Martij, Anno M. D. LXXII.

T. C. obſeruantiſſimus

F. Laurentius Surius
Carthuſianus.

PIO

PIO ET CANDIDO
LECTORI S.

*QVòd plùs moueant, fortiusq́ ad Chriſtianam pietatem exti-
mulent exempla quàm verba, leniusq́ ſit opere docere, vt in-
quit Magnus ille Leo Pontifex, quàm verbo, teſtantur tam
multi ſancti & eruditiſsimi Pares, qui Sanctorum vtriuſque
ſexûs hominum Vitas deſcribendas ſibi ſumpſerunt, & cum
Lib.8.ca.6 ineffabili fructu ad poſteritatis notitiam tranſmiſerunt. No-
uimus ex D. Auguſtini Confeſsionibus, quantum illi adhuc
vacillanti contulerit audita vita beatiſsimi Antonij Eremi-
tæ: nec dubium, quin innumeris alijs idem euenerit. Noſtri
inſtituti primus author & patriarcha Dominicus, Patrum exemplis ſummoperè delecta-
tus, ad ſupremam vitæ ſpiritalis & religioſæ perfectionem peruenit. D. Thomas Aquinas,
ſui patris Dominici veſtigijs inſiſtens, eiuſmodi lectione haud vulgariter afficiebatur:
nec id ſanè abſque ingenti fructu. Quòd ſi verò his ſolidora petimus, non deſunt nobis ne
ipſius quidem ſcripturæ diuinæ teſtimonia. Ieſus Syracidà cap. 44. vſque ad quinquage-
ſimumprimum in ſuo Eccleſiaſtico quid aliud, quàm Sanctorum, qui in hac vita Deo pla-
1.Mach.2. cuerunt, exempla commemorat, eaq́ nobis ob oculos ſpectanda & imitanda proponit?
Matathias ille legis eximius zelator cùm ab hac vita eſſet abiturus, filios ſuos nulla re alia
Heb.11. magis, quàm recitandis Patrum geſtis, ad agendum fortiter pro Deo eiusq́ ſanctiſsimis
legibus exhortatur & confirmat. Sed & in nouo Teſtamento D. Paulus prolixus eſt in
præcedentium ſanctorum Patrum celebranda fide. Poſſent huius generis permulta alia
adduci: ſed res per ſe adeò illuſtris & perſpicua eſt, vt ſuperuacaneum videri poſsit illi
docendæ rationes & argumenta adhibere. Itaque non poſſum non approbare, atque etiam
commendare tam pium ſtudium R. Patris D. Laurentij Surij Carthuſiani, qui non paruo
labore has Sanctorum Vitas ex diuerſis authoribus & egregijs manuſcriptis exemplari-
bus collegit, & tanquàm rarum quendam theſaurum Catholicæ Eccleſiæ hominibus con-
tulit: quàm ſpectabilis viri D. Geruini Licentiati vtriuſque Iuris diligentiam &
ſedulitatem, tum in ponenda ſua in MS. exemplaribus conquirendis opera,
tum in excudendo opere tam pio & Eccleſiæ ſalutari. Tu itaque his
fruere, Lector amice, nihil ambigens, quin eorum lectio non
ſolùm detrimentum nullum aut perniciem, ſed ingen-
tes potiùs & vberrimos tibi ſit fructus
allatura. Vale.*

*F. Theodoricus Buſcoducenſis, fratrum
Dominicanorum intra Coloniam Prior
& Apoſtolicus Inquiſitor.*

INDEX

INDEX GENERALIS VITARVM IN TOMO HOC TERTIO COMPRAEHENSARVM.

MAIVS.

I. De S.Philippo Apoſtolo. 1
De S. Iacobo Apoſtolo Fratre Domini. 4
De S.Marculpho abbate. 8
De S. Amatore epiſcopo Antiſiodorenſi. 14
De S. Sigiſmundo rege Burgũdonum. 14
De S.Euermaro martyre. 15
De S.Vualburga virgine. 17
De SS.eremitis, Zoerardo cõfeſſore, & Benedicto martyre. 21
II. De S. [illegible] Athanaſio epiſcopo Alexandrino. 22
De [illegible] epiſcopo Florentino. 38
III. De S.Crucis inuentione. 61
De SS. martyribus, Alexandro papa, & Euentio atque Theodulo preſbyteris. itẽ Quirino & alijs 70
De SS. martyribus, Alexandro & Antonina virgine. 75
De S.Iuuenali epiſcopo Narniẽſi 77
IIII. De S. martyre & virgine Pelagia Tarſenſi. 78
De S.Syluano Gazæ epiſcopo, & alijs quibuſdam martyribus. 84
De S.Floriano martyre. 85
De S.Monica vidua. 86
De S.Gothardo epiſcopo Hildeſemenſi. 95
VI. De S.Iohanne Damaſceno. 115
VII. De Crucis ſigno. 127
De S.Iohãne Haguſtaldenſi & Eboracenſi epiſcopo. 128
VIII. De S.martyre Acacio cẽturione. 132
De S.Victore Mauro martyre. 138
De S.Vuirone epiſcopo Scotic. 140
De S.Staniſlao epiſc. Cracouiẽ. 143
De S.Petro archiepiſcopo Tarentaſiæ. 156
IX. De trãſlatiõe S.Nicolai epiſcopi. 172
De S. Gregorio Nazianzeno Epiſcopo. 181
X. De S.Gordiano martyre. 198
De SS.martyribus Glyceria & Laodicio. 199
De venerabili Beda preſbytero. 204
XI. De SS.martyribus, Anthimo preſbytero, Siſinnio diacono &c. 206
De S.Mamerto epiſc. Viennẽſi. 211
De S.Gangulpho martyre. 212
De S.Maiolo abbate. 215
XII. De SS. martyribus, Nereo, Achilleo, Domitilla &c. 221
De S.Pancratio martyre. 228
De S.Epiphanio epiſcopo Cõſtantiæ in Cypro. 229
De S. Modoaldo epiſcopo Treuirenſi. 256
De S.Rictrude Martianenſi. 276
XIII. De S. Alexandro martyre quodam altero. 284
De S. Seruatio epiſcopo Tungrenſi. 293
De S. Iohanne epiſcopo Silẽtiario. 295
XIIII. De S.Pontio martyre. 302
De SS.martyribus Victore & Corona. 304
De S.Pachomio abbate. 307
De S. Bonifacio epiſcopo Ferentino. 339
De SS. martyribus, Petro, Andrea, Paulo, & Dionyſia. 342
XV. De S. Dympna virgine & martyre. 341.
XVI. De S. Dõnolo epiſcopo Cenomanenſi. 347
De S. Vbaldo epiſcopo Eugubino. 353
XIX. De S.Potentiana virgine. 358
De S. Dũſtano Archiepiſcopo Cãtuarienſi. 359
De S.Petro Cæleſtino. 384
De S.Iuone preſbytero & confeſſore. 401
XX. De S. Auſtregiſilo archiepiſcopo Bituricenſi. 405
De S.Bernardino Senenſi. 411
XXI. De S.Hoſpitio Recluſo. 436
XXIII. De S.Guiberto confeſſore. 438
XXIIII. De SS. martyribus Donatiano & Rogatiano. 445
XXV. De S.Zenobio epiſcopo Florentino. 447
De S. Althelmo epiſcopo Schireburnenſi. 460
De S.Auguſtino Anglorum epiſcopo. 462
XXVII. De S.Iohanne Papa. 469
XXVIII. De S.Germano epiſcopo Pariſienſi.

ſi. 471
XXIX. De SS.martyribus Siſinnio, Martyrio, & Alexandro. 485
De S. Maximino epiſcopo Treuirenſi. 487
De Andrea à Chio martyre. 492
XXXI. De SS. martyribus, Canto, Cantiano, & Cantianilla. 496

IVNII DIE

I. De SS. martyribus Pamphilo, Valente, Paulo, Seleuco, Porphyrio, Theodulo, Iuliano, &c. 498
De S. Proculo martyre. 505
De S. Capraſio abbate. 506
De Simeone monacho Treuirenſi. 508
II. De SS. martyribus, Photino ſeu Pothino epiſcopo, Sancto diacono, Epagatho, Maturo, Attalo, Blandina &c. 516
De SS. martyribus, Marcellino & Petro. 523.555
De SS. Marcellini & Petri tranſlatione. 525
III. De SS. martyribus Pergentino & Laurentino fratribus. 562
De S. Liphardo preſbytero & abbate. 564
De S. martyre Quirino epiſcopo Sciſciano. 566
V. De S. martyre Bonifacio. 569
De S. Bonifacio archiepiſcopo Moguntino & martyre. 573
VI. De S. Claudio archiepiſcopo Biſuntino. 613
De S. Gudualo archiepiſcopo & confeſſore. 616
De S. Nortberto archiepiſcopo Magdeburgenſi. 622
VII. De confeſſore Paulo archiepiſcopo Conſtantinopolitano. 653
De S. Roberto abbate Anglicano. 656
VIII. De S. Medardo epiſcopo Nouiomenſi. 658
De S. Gildardo Rothomagenſi epiſcopo. 669
IX. De SS. martyribus Primo & Feliciano. 670
De S. martyre Pelagia Antiochena. 674
X. De SS. martyribus, Getulio, Cereali, Amantio, & Primitiuo, &c. 679
De S. Maurino abbate & martyre. 681
De S. Margareta regina Stotiæ. 686
XI. De S. Barnaba apoſtolo. 690
De S. Pariſio Bononienſi. 701
De S. Honofrio eremita & alijs patribus. 701
XII. De SS. mart. Nazario & Celſo. 708
De S. Odulpho preſbytero. 710
De SS. martyribus, Iuſtino Philoſopho, Charitōe, & eorū ſocijs. 713
XIII. De S. martyre Aquilina virgine. 715
De Gerardo monacho Clarauallenſi. 715
De S. Antonio Vlyſbonenſi. 721
XIIII. De S. Eliſeo propheta, & muliere Sunamitide. 737
XV. De S. virgine & mart. Febronia. 739
De S. Dula martyre. 750
De SS. martyribus, Vito, Modeſto & Creſcentia. 754
De S. Viti tranſlatione. 759
De S. Landelino abbate. 760
De S. Abraha abbate. 763
XVI. De SS. mart. Quirico & Iulitta. 764
De S. Lutgarde virgine. 768
XVII. De SS. martyribus Manuel, Sabel, & Iſmael. 786
De S. Auito preſbytero. 792
XVIII. De S. Leontio martyre, eiusque ſocijs. 796
XIX. De S. Soſimo martyre. 800
De SS. martyribus, Nazario, Geruaſio, Protaſio, & Celſio. 803
De S. Romualdo abbate. 812 813
XXII. De S. Albano martyre Anglicano. 843
De S. Paulino epiſcopo Nolēſi. 846
XXIII. De S. Ediltrude ſiue Edildrida regina & virgine. 851
De S. Maria Ocgniacenſi. 853.856
De S. Chriſtina virgine mirabili. 888
XXIIII. De S. Iohanne Baptiſta. 899
De S. Romula virgine. 917
De S. Lupicino Recluſo. 919
De S. Simplicio epiſcopo Auguſtodunenſi. 920
XXV. De S. Proſpero Aquitanico epiſcopo Regienſi. 922
De S. Adalberto confeſſore & Leuita. 925
XXVI. De SS. martyribus, Iohanne & Paulo & Gallicano. 932
De S. Anthelmo epiſc. Bellicēſi. 935
XXVII. De S. Sāſone Hoſpitū exceptore. 950
XXVIII. De SS. martyrib. Plutarcho, Serenō, Heraclide, Heroe ſeu Heronex, Sereno alio, Potamiœna &c. 959
XXIX. De SS. apoſtolis Petro & Paulo. 960
De S. Caſſio Narniēſi epiſcopo. 983
XXX. De S. Theobaldo preſbytero & confeſſore. 986.

INDEX

INDEX COPIOSVS IN TERTIVM HVNC, DE SANCTORVM VITIS, REBVS GESTIS AC MARTYRIIS TOMVM, QVI REcēs ex diuerſis authoribus ac bibliothecis collectus, duos menſes Maium ac Iunium complectitur: in quo A priorem, B alteram paginæ partem deſignat

Aaronis martyrium 845.a
Abbas Vercellenſis 734.a
S. Abdon 450.b
abendonia 376.a
abiron 327.a
S. Abrahæ abbatis vita 763.a
abſalon 324.a
abſtinentia in S. Iacobo prædicanda 4.b
abuſus in ſua Eccleſia diligenter corrigit Petrus Tarentaſius archiepiſcopus 160.a
S. Acacij centurionis martyrium 131.b
acacius in carcerem ducitur 135.a
acacius extra Byzantium capite truncatur 137.b
acacius Arrianus 32.a
S. Achillei martyrium 221.a
achilleus ob fidem Chriſti relegatur in Pontiam inſulam 224.b
Adalbaldus interficitur 279.a
S. Adalberti confeſſoris & Leuitæ vita 925.a
S. Adalbertus cur velit ſua oſſa eleuari 928.b
adalſendis S. Riĉtrudis filia 278.b
adamanaburgum 610.a
adamantinus epiſcopus 26.b
adamarus tertius abbas Cluniacenſis 217.a
adelbero Metenſis epiſcopus 440.b
adelheidis coniunx Ottonis Imperatoris 220.b
adelnius 761.b
adelphius epiſcopus 33.a
S. Adelredus abbas 686.a
adeſcancaſter monaſterium 575.b
ado Treuirenſis epiſcopus 803.a 932.a
adrianopolis ciuitas 291.b
adrianus martyr 504.b
adrianus ſextus Pontifex Rom. 59.a
adrianus tyrannus 796.a
adulatores non rarò etiam ſanctis viris imponunt 167.b
ad adulatorem præclarum Antonini reſponſum 52.a
adulteram vxorem relinquit Gangulghus 214.b
Aedificiorum ſuperfluos ſumptus improbat Petrus Tarentaſius archiepiſcopus 160.b
S. Aegidius 626.a
ægina 183.a
ægyptij martyres 499.b
æmilia aliâs Romandiola 725.a
æneas paralyticus à B. Petro curatur 964.a
æſculapius gentilium deus 289.a
ætherius Lugdunenſis epiſcopus 406.b
ætheria monacha 741.b
Aetius Valentinianorum epiſcopus hæreticus 250.b
aëtius Romæ præfectus 237.a
Afflictionum vtilitas 336.b
Agamphus epiſcopus 33.a
agareni 116.b
agatha Hungarorum regis filia 686.b
agathon Epiſcopus 33.a
agendarum celebratio antiqua 469.a
agenoldus Gorzienſis abbas 441.a
aglais nobilis fœmina monaſticæ ſe dat vitæ 573.b
agnus Veteris legis typicus 67.b
agricola Cabilonenſis epiſcopus 451.a 472.a
agrippa 8.a
S. Agrippinus 471.b
S. Agritius 488.a 490.b
Ahelorus S. Iuonis pater 401.b
Airaldus Maurienenſis epiſcopus 164.b
aiſtulphus Longobardorum rex 260.a
Alamundarus Sicices in Romanos irruptionem facit 298.b
alacritas mira martyris ad patiendum 134.a
S. Albani martyrium 844.a
S. Albani monaſterium Moguntiæ 272.a
albæ Ripæ monaſterium 167.b
albero Primicerius Metenſis, pòſt epiſcopus Treuirenſis 643.b
albianus quidam locus 406.b
albigenſes hæretici 853.b
albigenſium hæreſis 772.b
albinus præceptor Caroli Magni Imperatoris 818.b
a lbitij & Albitia 42.a
albizeſchorum proſapia 411.a
aldeberti hęretici hiſtoria 596.b 597. eiuſdem condemnatio 598.
alemani victi 211.b
aleta Diaconus 31.b
aliſienſis pagus 473.a
aloyſius Veronenſis epiſcopus 673.a
alphonſus rex 724.a
alpium iuga 140.b
alſatia regio 168.a
alſus fluuius 30.a
alta Brueria monaſterium 171.b
altahenſe monaſterium in Bauaria 96.b quando conſtructum 97.a egregiè à S. Gothardo exornatum 100.b
altaris ad miniſterium qui non admittendi 601.b
altaris ſacri hoſtia Deus placatur 984.a
altare conſecrat Petrus archiepiſcopus Tarentaſius 101.b
altaria thurificant veteres 813.b
altaria & calices conſecrat Antoninus 44.a
altaria Philippus in Aſia erigit 2.b
alta tumba cœnobium 169.a
althelmi Schireburnenſis epiſcopi vita 460.
alexander Pontifex 941.b
alexander tertius Papa 166.b
alexander rex 182.b
alexander Conſtantinopolitanus epiſcopus 27.b
alexander præeſt Alexandrinæ Eccleſiæ 23.a
alexandri quinti à B. Petro Papæ martyrium 70.a
S. Alexandri alterius martyrium 75.
S. Alexandri alterius cuiuſdam martyrium 485.
alexandri militis Chriſtiani martyrium 284.
alexandri cuiuſdam Phrygis martyriū & extremum ſupplicium 521.a
S. Alexandri oſtiarij martyrium 485.
alexandriæ Chriſtianorum eccleſia diruitur 35.a
Amalathus presbyter 927.b
amalecitæ 183.a
amanaburgum 578.b
amandus Traiectenſis epiſcopus 258.b
S. Amandus ab exilio reuocatur, & Dagobertus Ve-

niam delicti ab eo petit 278.a
amandus monachus 471.b
amantij martyrium 579.a
amaſea 964.b
S. Amatoris epiſcopi Antiſiodorenſis vita 14.a
amatus epiſcopus Senonenſis exulat 282.a
ambitio dignitatum quantopere fugienda exemplo Antonini demonſtratur 42.a
ambitioſi taxantur 488.a
ambroſius Mediolanenſis epiſcopus 450.b
ambroſiana via Florentiæ 47.b
ambroſiana baſilica 451.b
ambroſiani hymni quidam verſus 94.a
amedei principis liberalitas 159.a
amine capitur 299.a
S. Ammon 455.a
ammonienſis pagus 477.a
ammonius epiſcopus 33.a
ammonius & Marcus diuerſi à citatis epiſcopi 33.a
amnon formoſus 314.a
amor hominum mundanorum fallax 858.a
amphipolis 968.a
Anagnia regio 398.b 486.b
ananus Hæreſiarcha & ſacerdos 7.a
ananus à Iacobo petit negationem fidei 7.b
ananus deponitur à ſacerdotio, & alius ipſi ſubſtituitur 8.a
ananus Pontifex fuit per tres menſes 8.a
anaſtaſius Imperator 296.a
S. Anaſtaſiæ templum 189.b
ab Anathemate quis non ſit abſoluendus 945.b
ancelmus Belicenſis epiſcopus 164.b
ancyra Galatiæ ciuitas 964.b
andaclana villa 491.b
andegauum 351.a
S. Andreæ martyrium 342.a
andreas de Chio martyrio affectus, iuſſu Turcarum regis honorificè ſepelitur 495.b
andreæ de Chio inſigne martyrium, quod Conſtantinopoli obijt anno Domini M.CCCC.LXV. 492.b
andreas Florentinus epiſcopus 456.b
anſleat ſinus maris 467.a
angelus frater S. Bernardini 412.a
angelus Nouatianorum epiſcopus 655.a
angelus ſatanæ transfigurat ſe in angelum lucis 862.a
anianus vrbis Romæ præfectus 228.a
S. Aniani baſilica 482.b
anima vt ſe erga corpus debeat gerere 331.b
aniſolæ monaſterium 350.b
aniſus fluuius 85.b
annunciatæ templum 47.b
anolinus conſiliarius Maximiani Imperatoris 138.b
anſigiſus dux ab alumno ſuo perimitur 259.b
antardus 964.b
antelucanum miniſterium 485.b
S. Anthelmi epiſcopi Bellicenſis vita 935.
anthemius Salaminæ vrbis epiſcopus 698.a Petrum Fulconem confutat 699.a
anthimi presbyteri vita 206.b
antiſthenes 184.a 190.b
antiochia Syriæ ciuitas 964.b 967.b
antipater Boſtrorum epiſcopus 908.a
antiſſiodorum 406.b
antiochia 27.a 511.a
antiochena Synod⁹ cõgregatur cõtra Athanaſiũ 30.a
antoninæ virginis martyrium 75.
S. Antonij Vlyſbonenſis vita 723.
antonini inſignis coram põtifice Romano oratio 52.b
antonini ſcripta 39.b
S. Antonius Vlyſbonenſis lubrico homini tanquam futuro martyri exhibet reuerentiam 727.b
S. Antonij vita ſcripta ab Athanaſio 308.a
S. Antonini archiepiſcopi Florentini vita 38.a
antoninus Imperator eiuſq; ſuperſtitio 199.b 304.a crudele edictum 200.a
antoninus ſcriba 132.a
antuerpiæ B. Mariæ templum ædificatur 641.b
anubion epiſcopus 26.b
Apellem Smyrnæ conſtituit epiſcopum Petrus 965.a
apenninus mons 45.a
apis Alexandrinæ eccleſiæ presbyter 25.b
apollinaris archiepiſcopus Bituricenſis 407.a
apollinarij hæretici diſcipuli epiſcopos in Cappadocia creant 196.a
apollinarius Syrus hæreticus eiuſq; dogma 189.b
apollinis etymon eiuſdemq; ſpurca vita 751.a
apollonia 968.a
apoſtata monachus fit latro, & ignominioſa morte vitam finit 657.b
apoſtata reſipiſcit 779.a
apoſtoli cæteris Sanctis ſuperiores 975.a
apoſtolorum primus martyr Iacobus Zebedæi 8.b
aprio Tentyrorum Eccleſiæ epiſcopus 315.b
apulia 385.a 398.a
Aquæ benedictæ (quam luſtralem vocant) vis & vſus 652.b 130.a 351.a 822.b 465.b 635.b
aquæ benedictę ſeu luſtralis vſum inſtituit S. Alexander papa 75.a
aquæ benedictæ vi & efficacia grauibus languoribus liberatur mulier 130.a
aquam expiat Clino antequàm baptizet 80.a
aquæ Syluiæ pagus 199.a
aquarum inundatio grandis 37.a
aquenſe palatium 547.b 548.
aqueuillare locus Alſatiæ 168.b
aquila S. Medardum à pluuia tuetur 659.a
aquila in ripa fluminis Vuag per integrum annum conſpicitur 21.b
aquila ciuitas 396.a 431.a 433.b
aquila Iudæus Epiphanij diſputationibus victus, fit Chriſtianus 238.b
S. Aquilinæ virginis martyrium 715.
aquilinus præſes 85.a
aquitania 277.b 488.a
aradus inſula 964.b
aras à pueris domi extrui, pium & virtutis incentiuum 412.a
arbeſtion epiſcopus 26.b
arca veteris legis quomodò typ⁹ Crucis Chriſti 67.a
arca, ſancta Eccleſia 67.b
archadius Imperator 146.b
ardaricus Gepidarum rex 295.a
ardeatina via Romæ 226.a
areopagus 968.a
aretium vrbs 448.b 562.a
arianzum 196.a
aribertus frater Dagoberti Francorum regis 277.b
ariminum 729.b
ariſtagoras 951.a
ariſtides 184.a
aritia 961.a
armenia 295.a
arnulphus Metenſis epiſcopus 259.b 277.b
arnulphus Imperator 443.b
arnus fluuius 45.b
arrius Eccleſiam infeſtat 23.b
arrius exilio mulctatur 23.b
arrius Conſtantinum Magnum corrumpit 23.b
arrij horrenda mors 27.b
arriana de filio Dei hæreſis 488.b
arriana hęreſi Alexãdria & Aegypt⁹ labefactãtur 26.b
arriani Athanaſio ſtruunt inſidias 24.a
arriani à Iuſtino Orientis imperio pulſi 505.b
arriani Athanaſio falſò crimina intentant 24.b

arriani & Euſebiani nouas in Athanaſium comminiſcuntur technas 28.a
arriani apertè negant ſcriptis Chriſtū homouſiū 31.a
arriani à Synodo Sardicenſi condemnantur 31.a
arriani in exilium mittūt ex Aegypto epiſcopos plurimos 33.a
arriani pelluntur Alexandria 35.a
arriani ſæuiunt in Catholicos 186.a
arrianorum dolus à probis deprehenditur 26.a
arrianorum impius de S.Trinitate error 189.a
arrianorum inſignis malitia 193.a
arrianorum turbulenta ſeditio 653. 654. 655.
arrogantia quàm periculoſa 310.a
artaba menſura Aegyptiorum 332.b
arthemius credit in Chriſtum 524.a gladio perimitur 525.a
arthemia doctiſſima virgo 932.b
arzon fluuius 290.b
Aſcalo 241.a 299.b
aſceterion interpretatur locus exercitij 316.b
aſculum 54.a
aſia 964.b
aſſelinus Egmundanus fit abbas 931.b
aſſus 968.b
aſſyrij 116.b
aſterius argentarius 245.b
Attalia 967.b
attalus martyr 516.a
athanarici Gotthorum regis perſecutio 293.b
B.Athanaſij epiſcopi Alexandrini vita 22.b
athanaſius & Alexander literis Conſtantinum increpant, quòd Arrium ab exilio reuocaſſet 24.a
athanaſius Arrij hæreſim impugnat 24.a
athanaſius Conſtantinum ad Arrij hortatur vltionem 26.b
athanaſius Conſtantij petitione Arrianis Alexandriæ vnam concedit Eccleſiam 31.b
athanaſius Alexandrinus epiſcopus 190.a
athanaſius archiepiſcopus 308.a
athanaſius patriarcha Alexandrinus 448.b
athanaſio ſynodus Antiochena molitur necem 30.b
athelmus Cantuarieñ epiſcopus 360.b
atheluuoldus Vuentanus epiſcopus 376.a
athenæ 183.b
athenodorus epiſcopus 33.b
atherius archiepiſcopus conuenit angelica adactus admonitione Ioannem Silentiarium 299.b
attica doctiſſima virgo 932.a
attila Hunnorum rex 295.a
Aualenſe territorium 214.b
auallo caſtellum 476.a
auaritiæ idolum 160.b
audoënus Rothomagenſis epiſcopus 13.b 669.a
auernum 140.b
S.Auiti presbyteri vita 792.
augelerius pater Ioannis Cæleſtini 385.a
auguſta Vindelicorum 652.b
S.Auguſtini Angliæ epiſcopi vita 462.
auguſtinus lachrymarum filius 87.a
S.Auguſtinus Manichæorum hæreſim deſerit 88.b
S.Auguſtinus verbum vitæ Anglis enunciat, Miſſas celebrat &c. 464.a
S.Auguſtinus tradit S.Nortberto monaſticam in viſione regulam 652.a
auguſtudunum 471.a 476.a
aunarius epiſcopus Antiſſiodorenſis 406.b
aurelia via Romæ 229.a
aurelianum 626.b
aurelianus malè perit 74.b
auricianus comes 449.b
auſpicius Nerei & Achillei martyrum corpora ſepelit 226.b
auſtodius Nicenſis epiſcopus 437.b
auſtrebatum pagus 278.b
S.Auſtregiſili Archiepiſcopi Bituriceñ vita 405.
auſtregiſilus fit presbyter & abbas Nicetij 406.b
autbertus Cameraceñ epiſcopus 760.b
auximum oppidum 208.a
Axona fluuius 665.a
Azo Iuonis mater 401.b

Bacchanaliorum vituperium 879.b
bacchi ſacrificia 209.a
baioarij populi 478.a
baioaria 583.a
baireium villa, 279.b
bairum ciuitas 167.b
balado villa 351.a
bancor monaſterium. 468.b
baptiſma ab hereticis collatū non reiterandum 595.b
ex baptiſmate ſuſcipiendi ritus peruetuſtus 147.b
baptiſmus ſanguinis & fluminis 446.a
baptiſmus per ludum à puero collatus fit ratus 23.a
baptiſmus ab Ethnico collatus, reiterandus 584.a
baptiſmi cæremoniæ antiquæ 131.b
baptiſmo innouata Pelagia, notabili donatur faciei pulchritudine 81.a
baptizantur tria hominum millia vno die 277.a
baptizati per ludum pueri inunguntur 23.a
baptizati participant corpori & ſanguini Dominico 232.a 680.a
baptizatos candidis veſtibus induebant Maiores 73.a
bardo abbas Hirsfeldenſis, cur Chryſoſtomus appellatus 106.b
Barieū pſeudopropheta 967.b
barnabas ducit Paulum ad Apoſtolos 694.a
S.Barnabæ encomium authore quodam Alexandro monacho 690.
S.Barnabæ reliquiæ inueniuntur 699.a
bartholomæi encomium 416.b
S.Bartholomæus vnà cum Philippo Hierapoli patitur 3.a
bartholomæus è cruce ſoluitur 3.b
S.bartholomæus de Legio 395.a
bartholomæus Lugdunenſis epiſcopus 630.a
baſilica B.Petri apoſtoli ad Vincula 527.b 528.b
baſilica B.Tiburtij martyris via Lauicana 528.a
baſilides martyr 959.b
baſilius Cæſareeñ epiſcopus 187.b
baſilius Magnus 183.b
baſilius Cappadox epiſcopus 450.b
S.Baſilij Archiepiſcopi Seleuciæ laudatio in Eliſeum prophetam & mulierem Sunamitidem 737.
baſſianus Laudenſis epiſcopus 450.b
bathonieñ Eccleſia 366.a
bauariā vt in eccleſias partiatur S.Bonifacius 586.b
S.Beatrix præfocata in carcere, à S.Lucina ſepelitur 209.b
Bedæ venerabilis vita & obitus 205.b 204.a epitaphium 206.b
begga filia Pipini 259.a
beliſarius in Aſſyrios irruptionem facit 954.a
belis idolum 200.b
bellæuallis cœnobium 168.b 171.b
bellegradum ciuitas 511.b
bellicenſis Eccleſia 938.a
S.Benedicti martyris vita 21.
benedictus papa IX. 515.b
benedictus VII.Pontif.Opt.Max. 442.b
benedictus XII.Pontifex Opt.Max. 404.b
S.Benedictus 216.b
beneficiorum eccleſiaſticorum coaceruatores reprehenduntur 877.b
beneuentanum territorium 491.a
berecynthia dea apud Gallos 921.a

berechtun diaconus Ioannis Haguſtaldenſis 128.b
berethuualdus Cantuarieñ archiepiſcopus 576.a
S.Bernardinus epiſcopus 51.b
S.Bernardinus impensè veneratur B.Mariam virginem eiusq́ imaginem 413.b
S.Bernardinus ab æmulis apud Pontificem defertur, ſed alienus à culpa agnoſcitur 423.a
S.Bernardinus canonizatur 435.b
S.Bernardini Senenſis vita 411.
S.Bernardini de monaſtico instituto viſio 417.a
bernardus epiſcopus Maurienneñ 164.b
S.Bernardus Clareualleñ abbas 159.a
bernardi prioris Carthuſiani encomia 940.a
bernelinus orator 376.b
berno abbas in Burgundia 216.b
berœa vrbs 290.a 968.a
bertha regina Angliæ 463.b
bertherus Hæreſiarcha Thuringiæ 582.b
S.Bertoaræ monaſterium 408.b
bertradus abbas 410.a
bertulphus confeſſor 622.a
S.Beruuardi epiſcopi Hildeſemenſis, breuis hiſtoria 101.b
beryteñ ciuitas 499.b 964.b
betbereñ vicus dictus Lipidiaco 919.a
bethania cœnobium 166.a
Bibliothecarius palatij Cæſaris Ludouici 548.b
biblon vrbs 718.b
biblos Palæſtinæ vrbs 715.a 964.b
bindus miles 411.a
biſchofeſhemium 583.a
bithynia 35.b
bitumen cœnobium 164.b
bituricus pagus 478.a
bituricenſis vrbs 405.a
bixtelinus Doroberneñ archiepiſcopus 371.a
bixtelinus Dorſeteñ epiſcopus 371.a
bizyen 37.b
Blandinæ martyris conſtantia in tormẽtis 517.b 520.a capitis ſupplicium 521.b
blandinium 622.a
blaſphemiam in ſanctis vlciſcitur Deus 58.b
blaſphema mulier in virum Dei Romualdũ, à Deo punitur 832.b
blaſphemus quidam epiſcopus in Antoninum, mortе temeritatis luit pœnas 58.b
Boleslaus S.Stanislaum ad altare crudeliſſimè interficit 153.b à Romano Põtifice anathemate plectitur, regno item priuatur 154.b miſerè tandem perit 155.b
boleslai intemperantia & libido 147.a crudelitas 150.b à S.Stanislao reprehenſa 147.b 148.b 151.a
bonalla villa 350.b
bonamaſium caſtrum 289.a
bonæuallis monaſterium 157.b 164.a 171.b
bondelmontus porticus 49.a
bonum quid ſit 5.a
boni ſpecie vt fallat homines dæmon 873.b
boni principium quod 5.a
boni natura 118.a
bona opera poſt baptiſmum neceſſaria eſſe 68.b
S.Bonifacius monaſterium condit, multos in Haſſia conuertit, ac tandem epiſcopus à ſummo pontifice conſecratur 578.b
S.Bonifacius Romanum pontificem inuiſit, iuſiurandum eidem præſtat 578.b forma iuriſiurandi 579.a
S.Bonifacij ad Zachariam pontificem literæ 591.a 596. 605.
S.Bonifacius trucidatur, corpus eius Traiectum deportatur, indè mox Moguntiam defertur, ac tandem in Fuldeñ cœnobio ſepelitur 612. 613.
bonifacij epiſcopi Florentini vita 339.a
S.Bonifacij archiepiſcopi Moguntini vita 573.a
bonifacij martyris reliquias habent Ruſſi 821.b
boniuillus hæreſiarcha conuerſus 727.a
bononia ciuitas 45.a 467.b
bortna flumen 611.a
Bradeford 461.b
brancornaburg cœnobium 468.a
breitenbrunnon 610.a
brienna monialium præfecta 740.a
brioderus vicus 408.a
britanni 182.b
britones contemnunt Auguſtinum 408.a
britonum error 462.a
broylum monaſterium 282.a
Bucciacus vicus 477.b
buchonia ſolitudo 609.b
buda 38.b
burchardus Cameraceñ epiſcopus 626.b
burgundia 166.b 213.a 220.b
burgundiam Clodoueus ſubigit 311.b
burtodexion locus quidam 291.b
buſclauinus rex fit monachus 821.b
buſſeria monaſterium Ciſtertienſis ordinis 168.a
Byzantium 135.a 183.b 195.b
CAElestinorum ordo confirmatur à Gregorio decimo 393.b
cælius mons Romæ 228.b
cæſar procurator Iudææ 8.a
cæſarea 26.b 183.a 187.b 241.a 245.a
cæſareenſis Eccleſia 187.a
cæſareenſium Metropolis 196.a
cæſarius Diaconus 228.a
cæſarius frater Gregorij Nazianzeni moritur 185.b
caieta 39.b
caius epiſcopus 33.a
calabria 248.b
caliſtus præfecti vrbis Romæ filius Epiphanij monachus 237.b
calixtus Vienneñ epiſcopus fit Papa 629.b
calixtus tertius Pontifex Maximus Nicolao Quinto ſufficitur 52.b
callinicus Arrianus 24.b
calne villa 376.b
caluariæ mons 61.a
caluus mons 170.a
cameracum 344.a
camolliæ porta 413.a
campanarum ſonus diuinitùs editus 390.a
campania 166.b 213.b 227.a
campora monaſterium 57.b
candida credit in Chriſtum 524.a gladio vitam finit 425.a
canon monaſticus 614.a
canonici regulares fiunt monachi 645.a
canonicorum & Eccleſiaſticorum incontinentium mulcta 376.a
canonicorum diſſolutam vitam coarguit Northertus 624.b
canonicos regulares pro ſecularibus inſtituit Petrus Tarentaſius Archiepiſcopus 160.a
canonizatio S.Stanislai 156.b
in Canonizatione Sanctorũ quàm non temerè agant Pontifices 435.b
cantabrica herba 226.b
S.Cantianilla 496.b
S.Cantianus 496.b
cantiones laſciuæ quàm pernicioſæ 863.b
S.Cantus 496.b
cantus Eccleſiaſtici qui cælitùs hominibus traditi 374.a b 378.a
canutus rex Angliæ 577.a

capen-

capenberg fit monaſterium 639.a
capenbergenſium monachorum appendix ad vitam S.Norberti 651.b
cappadocia 32.b 195.b 564.b
cappadoces 34.b
S.Capraſij abbatis Lirinenſis vita 506.b
capſa reliquiarũ gemmis & auro ornata 536.a 549.b
caraſura caſtrum 290.a
carbonaria ſylua 443.b
cariacum villa 481.a
carlomannus fit monachus 260.a 609.b
carnis caſtigatio quid conferat 68.b
carnibus abſtinet Antoninus 40.a
à carnium eſu perpetuò Auitus abſtinet 793.b
carnona caſtellum 481.a
carobeias villa 409.b
carolomannus 575.a
carolus Francorum princeps 576.b
carolus Magnus Romæ à Pontifice Leone coronatur 260.a
caroli Magni pietas, potentia & religio, liberalitas in monaſteria 589.a
carolus Martellus cur Tudetes dictus 260.a
carolus octauus Gallorum rex 58.a
carpaſium 246.b
carthagini docuit Auguſtinus 87.a
carthaginenſium Scholaſticorum importunitas 87.a
carthuſiani multi miſerè ruina monaſterij pereunt 938.a
carthuſianorum ſtudium erga verũ Pontificem 941.b
caſiriacum monaſterium 158.a
caſsij Narnienſis epiſcopi vita 983.
caſsinenſe monaſterium 397.b 398.a
caſsinus mons 260.a 609.b
caſtitas Lutgardis virginis poſt ipſius obitum miraculosè declarata 784.a
caſtitas laudata 618.b
caſtitatis votum 224.a
caſtitatis ſeruandæ cauſa fugit mulierum colloquia Antoninus 39.a
caſtitatis ſtudio iuniorum adoleſcentum conſortia fugit Antoninus 39.a
caſtitatem prædicat, animam exhalaturus Antoninus 39.a
caſtitatem ſeruantem in Matrimonio epiſcopum, quomodò Deus tuetur 921.a
caſtrametatio emporium 290.a
caſtriken pagus 930.b
cataphrygum hæreſis 963.a
catenas S.Pauli magni facit B.Chryſoſtomus 979.a
S.Catharina Seneñ 411.b
de S.Catharina virgine & martyre 769.b
catholica fides eſt mater martyrij 708.b
catholica Iacobi epiſtola 4.b
S.Celſij vita & martyrium 803.
S.Cerealis martyrium 679.a
cereris ſacrificia 209.a
cereus diuinitùs accenſus 540.b
cereorum oblationes antiquæ 359.a
cereorum in eccleſia ad ſanctorum memorias vſus antiquiſsimus 491.a
ceruiſia in vinum mutata 540.b
Chæremon à diabolo arreptus expirat 206.b
charinus diaconus repentina morte mulctatur 243.a
charini diaconi vxor omnia ſua offert Epiphanio, Eccleſiæ fit diaconiſſa. & à paralyſi liberatur 243.a
charitas Chriſti erga nos 68.a
charitatis quarta vis in Paulo apoſtolo 977.a
S.Charitonis & ſociorum eius martyrium 713.b
chenoboſcia vici ſuperioris Thebaidis nomen 309.a
chenoboſciorum monaſterium 321.a 328.b
childebertus rex Francorum 8.b 9.b 12.b
childeberti Francorum regis inſignis in pauperes liberalitas 473.b
childeberti Francorum regis in monaſterium Iurenſe liberalitas 615.a
childericus rex Franciæ 859.b
childomerus 473.b
chilpericus Francorum rex 349.a
chinedrita mater Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis 359.a
chriſma renouatur ſemper in feſto Cœnæ Dominicæ 588.a
chriſtus ſummus ſacerdos 870.a
chriſtus cur homo factus 1.a 752.b
chriſtus, medicus naturæ 907.b
chriſti inſignis patientia 29.a
chriſti paſsio dæmonis vires eneruauit 336.a
chriſti corporis veritatem in Euchariſtia doctrina ſua confirmat S.Dunſtanus 379.a
chriſti amore languent virgines 854.b
chriſto multi credunt 747.a
chriſtiani honeſtè incedere, & de rebus bonis inter ſe conferre debent 677.a
chriſtiani multi in mare merguntur 73.b
chriſtiani vt ſe publica pœnitentia aſtrigant 729.b
chriſtianorum priſcorum exercitia 85.a
in Chriſtianos Getulij humanitas 679.a
S.Chriſtinæ mirabilis vita 888.
chrodoſindis regina 474.b
chryſopolitana eccleſia 166.b 171.b
Ciardus perditæ vitæ ſacerdos 49.a
cilicio carnem domant veteres 158.a
cineres benedicere in Quadrageſima, apud veteres vſurpatum 171.a
cinerum dies 879.b
cineres martyrum, ſacratiſsimi 536.b
ciſtertienſe monaſterium 157.b
Clarauallis cœnobium 169.a
clariacus vicus 565.a
clarus Eugenij Florentini pater 453.a
claudius imperator 965.a 967.a
S.Claudij archiepiſcopi Biſuntini vita 613.b
claudiopolis Honoriadis 964.b
ex clauis crucis Chriſti galeã conficit Imperator 62.a
clauorum Chriſti vnum diademati intexuit Helena 60.a ex altero frenos mandat confici. ibid.
cledonius pater Pancratij 225.a
S.Clemens epiſcopus 224.a 491.a
clemens V. Pontifex Opt. Max. 404.b
clemens VI. Pontifex Opt. Max. 400.b 401.b
clementis hæretici hiſtoria 597.a Eiuſdem doctrinæ condemnatio 598.a
clementianus tribunus 199.a
clericus fornicator 214.b
clerici contumaces diuina vltione puniuntur 377.a
clericorum quorundam vita diſſoluta 354.a
clerũ impensè veneratur Chriſtina mirabilis 896.a
clerum reformat Antoninus 44.a
clino epiſcopus peruenit Tarſum, multos in fide confirmat, ipſam ciuitatẽ clam omnibus exit 78.a
S.Clinoni apparet Spiritusſanctus 83.b
cliſura vrbs 289.a
clodomeres vel Clodomirus rex interficitur 16.a
clodoueus Francorum rex, victis Alemanis, fidem ſuſcipit 211.b
clotarius Francorum rex 277.a
clotarius Imperator fit monachus 260.b
clotarius rex Granum filium ſuum cum vxore & filiabus comburit 664.b
clotarij regis mors 567.a
cloſendis S.Rictrudis filia ſuſcipitur ex ſacro fonte ab Amando epiſcopo 278.b
cluniacum 316.b

conci-

concilium Friteslarienſe 625.a
concilium Lugdunenſe 393.b
cõcionatoris veri mutus graphicè depingitur 726.b
coēnburg virgo Veſtalis 129.b
collegium S. Martini Florentię ab Antonino inſtitutum 46.b
colonia Agrippina, altera Roma 681.a
colonia felix ob multas Sanctorum reliquias 633.a
colonia fit Metropolis 602.b
colonia ſanctarũ reliquiarum diuitijs affluens 633.a
columba veteris legis typica 67.b
columbarium cœnobium 417.b 418.a
comes qdã Vueſtphalię cõuerſus fit monachus 638.b
comes Bleſeñ Theobaldus 639.b
commentarienſis 72.b
condita Diablentica 350.a
confeſſio non ſyncera quàm periculoſa 382.a
confeſſionis Sacramentalis vis 382.a vſus peruetuſtus 515.a 732.b
in confeſſione non reuelata peccata, improperat homini dæmon 638.a
in confeſſione quippiam tegere, periculoſum 779.b
confeſſiones audit S. Antonius Vlysbonenſis 728.a
confeſſiones audit Bernardus Maurienneñ, virginũ Bituminis cœnobij 164.b
confirmationis ſacramentum 159.b 611.a
confirmationis ſacramentum ſumit Maria Oegniaceñ 860.b
confraternitas laicorum antiqua 414.a
confraternitas quędam à S. Petro Cæleſtino inſtituta 394.a
coniugia Scotorum illicita 688.a
coniugatorum continentia 857.b
conradus Hungarorum dux 443.b
conradus rex, frater Adalheidis Imperatricis 220.b
conſentinus Archiepiſcopus 399.a
conſortia malorum quantoperè ſint vitanda 874.b
conſtans Imperator Occidentis 488.b 655.a
conſtans Imper. à fratre Conſtantio petit Athanaſium ac Paulum ſuis ſedibus reſtitui 31.b
conſtantia vrbs 246.b
conſtantia Conſtantini Imp. filia 449.a 932.a
conſtantini Magni encomium 466.b
conſtantini pro Eccleſia zelus 23.b
conſtantinus cuidam presbytero ſuum teſtamentum committit 27.a
conſtantinus è viuis excedit 27.a
conſtantini tres filij 27.a
conſtantinus I. filius Conſtantini Imperatoris 27.a
conſtantinus Imp. Arrianæ ſententiæ ſubſcribit 27.b
conſtantinus confirmat exilium Athanaſij 27.b
conſtantinus acerbè literis Athanaſij & Alexandri reſpondet 24.a
conſtãtinopoli incendiũ diuinitùs extinguitur 954.a
de Conſtantinopolitana ſede contentio 195.a
conſtantius Imp. Arrianus 449.a 488.b 653.a
conſtantius Italiæ epiſcopos cogit Heterouſio ſubſcribere 34.a
conſtantius exilio quoſdã mulctat orthodoxos epiſcopos 33.a
conſtantius contra Perſas pugnat 34.b
conſtantius contra Iulianum conſcribit manum 34.b
conſtantij dictum de Athanaſio 32.a
conſuetudinis quanta vis 91.a
continentiam perpetuam cum ſponſa ſua S. Amator vouet 14.a
conuerſari cum bonis quàm vtile 936.b
corbeia noua, monaſterium in Saxonia 738.b
corbolium oppidum Franciæ 170.a
cornelius Centurio à B. Petro conuertitur & Ilij epiſcopus conſtituitur 964.a 965.a
cornicaria viculus 45.a
corona capitis in clericis quid ſignificet 281.b
S. Coronæ martyrium 304.a
corpus S. Claudij archiepiſcopi Biſuntini incorruptum 615.b
corpora Sanctorum, quæ Chriſto paſſo ſurrexerunt, nunquàm poſteà in puluerem reuerſa aſſerit Maria Oegniaceñ 884.b
cortona 39.a b
coſmas monachus doctiſsimus 117.b
S. Coſmas medicus 958.a
coſmus Medices, eiuſq; præclara laus 52.a
cotiliæ Victorini martyrij locus 227.a
cous inſula 968.b
Cracouienſis ſedes, ob non petitum pallium, Archiepiſcopali eminentia priuata 145.a
crates Thebanus 184.a 186.a
creſcens Carthaginieñ à Petro cõſtituitur epiſ. 996.a
creſcentius ſubdiaconus Florentinus 451.a
creſcentij laudes & miracula 454.b
S. Creſcentiæ martyrium 753.b
creta 969.a
critiacum villa 351.b
crodegandus Meteñ epiſcopus 440.b
crux Chriſti veſtigium hominis dicitur 69.a
crux Chriſti mortuum ad vitam reuocat 62.a
crux in die iudicij apparebit in cælo 128.a
crux Hieroſolymis viſa in cęlo 127.b
crux Chriſti quid nobis contulerit 63.a
crux Chriſti ſanat mulierem moribundam 62.a
crux adoranda 63.b 778.a
crux in via publica poſita in S. Marcellini memoriam 344.b
crux qualis nobis ferenda 69.b
crucifixonis Chriſti locus inuenitur 61.b
S. crucis ſigni vis & efficacia 11.b 44.a 46.a 62.b 104.b 129.a 230.b 356.b 403.b 427.b 428.a 429.a 436.b 437.a 450.a 451.b 452.a b 474.a 475.b 476.b 478.b 479.a 480.b 482.a 510.a 635.b 662.a 794.b 932.a 948.b 949.a
S. Crucis inuentio 59.a
de S. Crucis inuentione ſermo B. Petri Damiani 64.a
crucis Chriſti titulus inuenitur 61.b
S. Crucis inuentio ex Sozomenó 61.a
S. Crucis inuentio facta ſub Conſtantino Imp. 127.a
crucis ſignum quid indicet 64.b
crucis oſores Chriſtum non amant 68.b
crucis præconium in ipſum Chriſtum redundat 68.a
crucis imago definitiua ſententia miraculosè incontinentes canonicos arcet ab eccleſia 376.b
crucis ſigno frontem munire Chriſtianum 69.b
S. Crucis ſigno domat leonem S. Vitus 757.b
crucis ſigno cæca illuminatur 171.b
crucis ſigno pugnaturus ſe munit 406.a
crucis ſigno dæmon pellitur 512.b 728.b 775.b 983.b 988.a
crucis Chriſti figura adoranda, non materia 63.b
crucis Chriſti maxima pars Hieroſolymis in argentea capſa cuſtoditur 62.a
crucis Chriſti forma myſtica 63.a
crucis imaginem veneratur Antóninus 38.a
crucis trina ſignatio myſtica 292.a
crucis Baſilica 478.a
crucis typi in veteri teſtamento 64.a 65. 66. & dein.
de S. Cruce oratio diui Ephræm 62.a
de S. Cruce oratio Ioannis Damaſceni 63.a
de cruce Chriſti Sibyllæ carmen 62.a
cruce munire ſe ſuaq; antiquum 62.b 805.b
cruces ſolenni proceſsioni anteferri facit Anthemius epiſcopus 699.a
cruces tres inueniuntur 61.b
S. Cruces antiquitùs erectæ 461.b
cruſillas oppidum 168.b

Cubi-

Cubitũ iturus Crucis ſigno ſe munit Zachæus 337.b
cubrinus vicus 490.a
cunibertus Colonieñ archiepiſcopus 263.a
cunibertus Pipini regis ex ſorore nepos 492.a
cuno Apoſtolicus legatus 625.a
cunradus Romæ à Pontifice coronatus 105.b
cupiditas habendi repræhenſibilis in monacho 33.a
Cynica philoſophia 190.b
S.Cyprianus Carthagineñ 803.a
cyprus 84.a 241.a
cyrillus conſtituitur ab Arrianis Hieroſolymitanus epiſcopus 32.a
cyrus rex 182.b
cytria ciuitas 241.b
DAEmon Chriſtũ crucifixũ fatetur 637.a
dæmon ex poſſeſſa puella vitia carpit, quorum ipſe incentor eſt 542.b
dæmon infeſtus monachis 704.a
dæmon ſimpliciores quomodò illudat, & in prauas opiniones abducat 636.a
dæmonis aſtu, ignari ſubitò erudiuntur 636.a b
dæmonis præſtigiæ 635.b
dæmones fatentur, quod hæretici negant 632.b
dęmones pudefiunt, ſi tentationibus reſiſtatur 879.b
dæmonum imbecillitas 325.b
dæmonũ ludibria & terriculamenta eſſe contemnenda 336.a 643.a
dagobertus Galliarum rex Clotarij regis Francorũ filius 262.b 760.b
dagobertus nimiùm veneri indulgens 277.b
damaſci encomion 116.a
damaſci fidem recipit Paulus 116.a
damaſus pontifex 450.a ſcripſit hiſtoriã SS.Marcellini & Petri 561.b
S.Damianus medicus 958.a
dani monaſteria euertunt 461.a
daniel Vuintoniæ epiſcopus 461.b
dathan 317.a
decij perſecutio 562.a
dedicationis Eccleſiarum vſus antiquiſsimus 130.b 296.b 300.b 453.a
defunctus rediuiuus S. Stanislao coram rege de re controuerſa reddit teſtimonium 150.a
defunctorum in Miſſa memoria 93.a
defunctorum officium peragit Antoninus 43.b
defunctis noſtræ impertiendæ preces 773.a
deirorum ſylua 128.b
demophilus Arrianus, Eudoxio Antiochiæ epiſcopo, ab Arrianis ſufficitur 37.a
deodatus presbyter hiſtoriæ S.Lupicini fide digniſſimus author 920.b
deſiderius diaconus 407.b
detractionis natura 25.a
detractores execratur Petrus Tarentaſius archiepiſcopus 160.a
deuotio populi benedictionẽ ab Antonino expectantis 42.a
deus bonis & moribus & operibus colendus 906.a
deus dator bonorum 5.b
deus immutabilis 5.b
deus quàm inuitè in homines animaduertat 893.b
dei potentia in miraculis faciendis non minùs etiamnum quàm olim efficax 851.b
deo curæ ſunt res humanæ 5.b
diabolus cœnobiorum ædificationi inuidet 833.b
diabolus ſcelerũ noſtrorũ ſedulus explorator 657.b
diabolus in S.Trinitatis ſpecie cuidam apparet 631.a
diabolus per obſeſſam puellã Latini ſermonis ignaram Latinè loquitur 542.b
diaboli inuidia 389.a
diaboli in pios homines inſidiæ 631.a
diaboli aſtutia in fraudando genere humano 875.a
diaconorum primus martyr Stephanus 8.b
dianæ ſacerdos 343.a
dianæ ſacerdotem vult conſtituere Antoninam Feſtus 75.a
dianeuterium 248.b 254.a
didymus Alexandrinus 450.b
dinoth abbas 468.a
diocletiana perſecutio 228.a 715.b
diocletianus Imperator 85.a 445.b
diocletianus æreum bouem Pelagiæ pro tormento adaptat 82.a
diocletiani in Chriſtianos impia lex 229.a
diocletij cędes 208.a
diogenes 184.a
S.Dionyſiæ martyrium 342.a
dionyſius Halicarnaſius 237.a
dionyſius Oeconomus eccleſiæ Tentyrorum 318.b
dionyſius baptizatur 228.b
dionyſius vita defungitur 228.b
dionyſius Corinthiorum epiſcopus 963.a
dionyſius Areopagita 968.a
S.Dionyſij martyris monaſterium 220.b
dionyſij liber de cæleſti Hierarchia 220.b
dionyſij ædes Alexandriæ conflagrat 31.a
dioſcorus presbyter 33.a
diploma Pontificium Antonino confertur 41.b
diuinationes Græcorum per exta 34.b
diuinitatẽ Chriſti negant Photiniani hæretici 60.b
docendi genus efficaciſsimum 423.b
doctrina ſine opere inutilis 923.b
doctrinæ in Eccleſia Romana conſtantia 602.a
dometius epiſcopus 203.b
dominicus Firmanus Cardinalis 51.b
dominicum diem Scoti non colebant 688.a
dominicum diem violantis pœna 477.a 479.b
domitianus 761.b
S.Domitillæ martyrium 221.a
domitillæ virginis in Pontiam inſulam relegatæ exilium 224.a
domnolus occulta aliorum nouit peccata 351.a
domnoli epiſcopi Cenomaneñ vita 347.a
S.Domnoli meritis cæcus, ab aqua, qua ipſe manus abluerat, viſum recipit 350.a
donatianus fratrem ad fidem adducit 446.a
S.Donatiani martyrium 445.b
donatus epiſcopus Aretinus 448.b
dorcadem mortuam excitat Petrus 964.a
dorotheus carnifex baptizatur 525.b
dorotheus Arrianus 251.a
dorouerneñ ciuitas 463.b 469.a
dorſtet 576.b
dorthuuinus hæreſiarcha Thuringiæ 582.b
draco 244.a
dracontinus Epiſcopus 33.a
drauſio Sueſsionis epiſcopus 667.b
drizipera quidam locus 292.a
duelli pugna 406.a
S.dulæ martyrium 750.
dunlinus ſylua 139.b
dunſtanus mirus in ſcribendo, ſculpendo pingendoq́ artifex 360.b
dunſtanus Glaſconiæ monaſteriũ ædificat, ibidemq́ fit abbas 365.b
dunſtanus dentem S.Andreę Apoſtoli auro incluſum geſtat in ſummitate baculi contra inſultus dæmonum 368.a
dunſtanus inceſtas nuptias copulantem excommunicat 372.a
dunſtanus generale concilium conſcripſit in Anglia 372.b
S.Dũſtanus prędicit mortẽ duobus epiſcopis 377.b
dunſtani genus, parentes ac inſigne futurę indolis omen

omen 359.b
dunſtani archiepiſcopi Cantuarieñ vita 358.b
S. Dunſtani mira cum B. Andrea Apoſtolo familiaritas 378.a
S. Dūſtani & Elphegi regis corpora trāsferūtur 381.a
S. Dympna baptizatur 343. b
S. Dympna à patre impiè matrimōio expetitur 344.a
S. Dympnæ martyrium 343.b
SS. Dympnæ & Gereberni corpora à Xantenſibus auferuntur 346.a

EAta epiſcopus Haguſtaldenſis 128.b
eanberbertus Thuringię hæreſiarcha 582.b
earconbertus rex Cantuariorum 852.a
Eboraca ciuitas 465.a
eboracenſis eccleſia 129.a
Ecelinus Romanus Tyrannus conuertitur 732.b
eccleſia cur fulciri floribus, & ſtipari malis appetat 989.a
eccleſia fidei negocium decidit 6.b
eccleſia quibus columnis ſuſtineatur 986.a
eccleſia, thalamus Dei 694.a
eccleſia vt Chriſto deſponſetur 734.a
ob eccleſię res ablatas Clotarius rex punitur 662.a
eccleſię procerum ordo 216.a
eccleſijs Galliarum quantum contulerint Reges & Imperatores 260.b
eccleſias vt ornarit Petrus Tarētaſius archiepiſcopus 160.b
eccleſiaſticorum bonorum abliguritor, & viris Dei vim inferens, à Deo grauiſsimè punitur 668.b
eccleſiaſticorum bonorum direptor, horrenda morte mulctatur 350.b
eccleſiaſticorum diſſolutæ vitæ, egregius caſtigator Nortbertus 630.a
eccleſiaſticorum bonorum direptores, à Deo puniuntur 610.b
eccleſiaſticā libertatē fortiter tuetur Antoninus 48.a
eccleſiaſticarum rerum vſurpatores perſequitur Nortbertus epiſcopus 644.b
eccleſiaſticarum rerum direptor à Deo punitur 652.a
eccleſiaſticarum rerum iniquus poſſeſſor diuinitùs punitur 350.a
eccleſiaſticis quę priſci Chriſtiani elargiti ſint 583.a
edeſa 237.a
edgarus regnum Angliæ obtinet, 369.b ipſiuſq; encomium 370.a
edgarus rex moritur, eiq; filius Eduardus in regno ſufficitur 377.a
edgina regina Angliæ 366. b
edilbertus rex Cātius baptiſmo abluitur 463.a 464.a
edilfridus rex Anglorum 468.a
S. Ediltrudis ſeu Ediltridæ vita 851.
edmundus rex Anglię occiditur 366.a
edouardus Edmundi regis Angliæ filius 686.b
edredus Edmundi regis Angliæ frater 366.a
eduardus Londonieñ eccleſiæ archidiaconus 383.a
S. Eduardus 375.b
eduardus rex nouercæ fraudibus è viuis eximitur, eiq; Ethelredus frater ſuccedit 377.b
eduenſis diœceſis 168.a
eduinus patri Edredo in regno ſufficitur 367.b
eduinus rex diuina vltione regno pellitur, ipſiuſq; ſcortum mala morte perit 369.b
eduini regis diſſolutus & mollis animus 368.b
eduini regni iniqua adminiſtratio 367.b
egbertus abbas 574.a
S. Egbertus multos in Hibernia ad Chriſtum conuertit 925.a
egbertus Treuirorum epiſcopus 929.a
egemonius epiſcopus Auguſtuduneſi 920.b
egfridus rex 851.b
eggo quidam S. Adelberto familiaris 926.b
egmonda locus 929.a
S. Eguuinus 461.b
Einhardus ſeu Eginhardus, Caroli magni Cancellarius 526.a de tranſlatione SS. Petri & Marcellini quatuor libros conſcripſit, & qua de cauſa 526.a b
Eladius Antiſiodorenſis epiſcopus 14.a
eleemoſyna quid conferat 851.a
eleemoſyna charitatis proles 936.b
eleemoſyna ſpiritualis, docere ignorantes 394.b
eleemoſynā angelus in pauperis forma ſumit 657.a
eleemoſynæ peccatores conciliant Deo 892.b
eleemoſynis impiorum veſcens Chriſtina mirabilis grauiter torquetur 893.a
eleemoſynis largioribꝰ quędā inſoleſcūt puellę 47.b
eleutheropolis 229.b 230.b
S. Eleutherius Tornaceñ epiſcopus 659.a
elfinus Vuentanus epiſcopus 366.b
elfleda Candida Edgari Anglorum regis vxor 375.b
elias propheta 184.a
elias archiepiſcopus 297.a
elienſis eccleſia 499.b
eliſei prophetæ laus, & cuius rei ſignandæ typus fuerit 737.a
eliud S. Seruatij auus 295.a
elizabeth mater Ioannis Baptiſtæ 295.a
S. Elizabeth Lantgrauia Thuringiæ 785.a
eloquentiæ ſtudioſus Gregorius Nazianzenus 182.a
elphegus Vuentanus epiſcopus 361.b
elphegus fit epiſcopus Vuintonienſis 378.a
elſgina certa de beatitudine, extremę Vnctionis & Euchariſtiæ petit Sacramenta 363.b
Eminin S. Seruatij pater 295.a
Encænia Hieroſolymis peraguntur 25.a
encænia celebrat Conſtantius templi Conſtantinopolitani Sophia dicti 34.a
encratius Ioannis abbatis Laurę pater 295.a
engelbertus Marchio 639.b
Eobanus Traiectenſis archiepiſcopus 611.a
eorichus Gotthorum rex 763.b
Epagathus martyr in carcerem ducitur 516.b
epheſus 968.b
S. Epimachus 199.b
epiphanij Conſtantiæ epiſcopi vita, patria & parentes 229.b
epiphanius filiam regis Perſarū dæmonio vexatam liberat 234.a
epiphanius oblatum ſibi inſignem loco honorarij theſaurum deſpicit, ac ſententioſè grauiterq; ad regem loquitur 234.b
epiphanius diſcedit è monaſterio Spanydrion dicto ad partes Aegypti 238.a
epiphanius Eudęmonem philoſophum conuertit ad Chriſtum 240.a
epiphanius Salaminę epiſcopus 450.b
epiphanius cęlibes vult eſſe Diaconos 243.b
epiphanius ordinatur Salaminiorum epiſcopus diuina Pappo facta reuelatione 242.a
epiphanius philoſophus ab Hilarione baptizatus, presbyter per epiſcopum Eleutheropolitanū conſtituitur 238.a
epiphanius Aëtio hęretico os obſtruit 250.b
epiphanius cur calceos toto vitę tempore geſtare nolit 232.a
epiphanius Archadium & Honorium Imperatores baptizat, cum ſorore eiuſq; filio 247.b
epiphanio quidam imponens, diuinam vltionē ſubitaneę mortis mulcta experitur 246.a
epiphanij diploide arrepta, mulier ab immundo ſpiritu liberatur 238.b
epiſcopus coniugatus continenter viuit cum vxore virgine 902.b
epiſcopus contemplatione delectari debet 4.b

epiſcopi dignitas regiam antecellit 148.b
epiſcopi veri ſtudia 662.b
in epiſcopo creando quem morẽ Scoti ſeruent 141.b
epiſcopi à S.Petro ordinati 964.b 965.a b
epiſcoporum vitę pręclarũ exemplar 160.161.162.&c.
epiſcoporum munus 261.a
epiſcoporum noſtrorum à prędeceſſoribus degeneratio 192.a
epiſcoporum luxus repręhenditur 42.b
epiſcoporum aliquot nomina 599.b
epiſcopis propter populi ſcandalum non licet habere vxorem 921.a
epiſcopis vt viuendum 146.a
epiſcopatum recuſat S.Bernardinus 424.b S.Gothardus 101.b Gregorius Nazianzenus 196.a S. Stanislaus 145.b S. Vbaldus 354.b
epiſcopatũ ſubterfugere nititur S.Modoaldus 364.a
epiſcopatu relicto, Claudius fit monachus, & inde abbas, licèt inuitus 614.b
epiſtola Catholica Iudę 7.a
epiſtolę à Leone III. ad principem Damaſcenum falsò Ioanni Damaſceno imputatæ, exemplar 120.a
epiſtolę Leonis ad principem Damaſcenum exemplar 120.a
epiſtolæ Ioannis Damaſceni pro venerandis imaginibus 119.b
epiſtola Cyrilli Hieroſolymorum epiſcopi ad Conſtantium Imperatorem de Crucis ſigno quod in cęlo apparuit 127.a
epiſtolę à Firmo ad Bibianum de Acacio miſſę exemplar 132.a
epiſtolę Bibiani Imp. ad Flaccinum Proconſulem ſcriptę exemplar 137.a
epitaphium Lutgardis virginis 785.b
Eraclius Leodienſis epiſcopus 505.a
erckenradus Eyſtetenſis epiſcopus 18.b
eremitarum vita potior cœnobitica 703.b
eremus Montis Pauli 725.b
ergina fluuius 292.a
erinnys 183.b
erluinus abbas 443.a
ermenſendis Namurceñ comitiſſa 633.b
ermuuolfus hæreticus 584.b
ernoldus pater S.Richtrudis 277.b
eubulus martyr 505.a
Euchariſtiæ ſacramentum ſumit, quæ panis abhorret odorem 886.a
euchariſtiæ ſacramentum ſingulis Dominicis diebus ſumit Chriſtina mirabilis 892.b
euchariſtiæ ſacramenti veritas miraculo declarata 730.a
in Euchariſtię ſacramento Chriſtus corporaliter apparet 881.a
euchariſtiæ ſacramentum conſolationis plenũ 882.a 855.b
euchariſtiæ frequẽtem ſumptionem negans Lutgardi abbatiſſa, punitur 775.b
euchariſt. ſacramentum in pueri ſpecie apparet 875.b
euchariſtiæ ſacramentum morituris viaticum 215.a 898.a 918.b
eucherius Lugdunenſis epiſcopus 507.b
eudæmon Arrianus 24.b
eudo Aquitaniæ princeps 409.b
eudoxia 251.b
eudoxius Arrianus occupat Conſtantinopolitanam ſedem 34.a
eudoxij blaſphema in Deum vox 34.a
euentij presbyteri martyrium 70.a
S.Euentius admouetur eculeo 74.a
S.Euermarus martyr 15.b
S.Eugendi monaſterium 162.a
eugenius Pontif. Max. 40.b 48.b 435.a
eugenius archidiaconus Florentinus 451.a
eugenij virtutes 454.a
eugenij vita, patria, parentes, literarum ſtudiũ 453.b
eugenij obitus 455.b
euiouium caſtellum 490.a
eulalius epiſcopus Nazianzenus 196.a
eulogiarum vſus 473.a 478.a
eunuchi Conſtantini 27.a
euphemia Ioannis abbatis Laurę mater 295.a
euphratas hæreticus 489.b
europolis 291.b
euſebia virgo moritur 283.b
euſebię virginis ſanctimonialis encomium 283.a
euſebianis teſtibus Macarij accuſatio examinanda committitur 25.b
euſebius Nicomedienſis 24.a
euſebius Vercellenſis epiſcopus 450.b
euſebius Arrianus ad Iulium Pontificẽ contra Athanaſium ſcribit 30.b
euſebius exilium Athanaſio intentat 24.a
euſebij nominis interpretatio 24.a
euſtorgius 244.b
eutolmius epiſcopus 715.b
eutropia virgo duodennis, martyrium paſſa 743.a
eutychetis epiſtola 226.a
eutychetis cędes, ſepultura, & baſilica in honorem ipſius extructa 227.a
eutychiana hęreſis 697.a
eutychus archidiaconus 251.b
euzoius Arrianus conſtituitur Antiocheñ epiſcopus 34.a
excommunicat comitem Anthelmus 994.b
excommunicationis efficacia demonſtratur ab Antonino miraculo 49.b
excommunicationis ſententiã Florentino magiſtratui minatur Antoninus 48.b
excommunicationis vinculo obſtricti, quomodò ſe publica pœnitentia apud Chriſtianos expiarint 372.b
excõmunicationis anathemate non facilè quenquã, nec in leuibus cauſis feriendum 49.a
excommunicatorum grauis pœna 48.b
exemplorum quanta ſit vis 853.a
exequias celebrare, antiquis non inuiſitatum 382.b 736.a 870.a
exona vicus 473.b
exorciſmis dæmoniacæ illuſiones fugantur 50.a
expiatur eccleſia 647.b
extremę Vnctionis ſacramentum 363.b 399.b
exuperantius epiſcopus 846.b
exuperius martyr 438.a

F

Abij cædes 200.a
fabrianum oppidum 55.b
fæſulana ciuitas 38.b 42.a
fames ingens Babyloniam infeſtat 510.a
fames magna in Aegypto 332.a
fauſtinianus Epiphanij obtrectator 246.b
fauſtinianus malè perit 250.a
in Fauſtinianum vltio diuina 248.b
fauſtinus morte mulctatur 209.b
S.Febroniæ virginis vita & martyrium 639.
S.Feliciani martyrium 670.
felicula virgo 226.a
felix martyr 139.b
felix epiſcopus 481.b
felix tribunus 284.a
felix hęreticus ab Arrianis ſedi Romanę pficitur 34.a
ferdinandus Aragoniæ rex 58.a
ferentis Tuſciæ ciuitas 339.a
feriam ſextam ieiunijs conſecrat Antoninus 42.b
ferraria 424.b
feſulana diœceſis 452.b

feſtum Purificationis B.Marię virginis 359.a
feſtum diem violantis pœna 473.b 477.a
feſti diei violator punitur 796.a
feſto die laborans, à Deo punitur 351.a
feſtis diebus compotationibus indulgere improbat S.Ioannes Chryſoſtomus 676.b
feſtus pręſes 75.a
feſtus à dęmonio cruciatus animam efflat 77.b
feſto mortuo, ceſſat perſecutio 77.b
Fides ſine actione mortua 6.a
fides miraculis confirmatur 168.b
fidei ſuę profeſsionem S.Bonifacius ſcriptam offert Pontifici 579.a
fidei vis 63.a
fidem amplectuntur 550. homines 572.b
fidem veram deſerunt plurimi 186.a
filicarij proſapia nobilium in Florentina vrbe 46.a
firmanus Cardinalis 41.a
firmilianus diuina vltione punitur 505.b
firmus Tribunus Martiorum 132.a
fiſciliacum rus 949.b
Flaccinus Thraciæ proconſul 137.a
flaccini Thraciæ proconſulis; vxor Chriſtiana 137.b
flaccus comes Petronillam petit ſibi coniugem 225.b
flamerus abbas 480.b
flandreñ comes 170.b
florentia 39.b
florentius Craſſus octauus comes Hollandię 930.a
florentij cędes 208.a
florentinus Matiſconeñ epiſcopus 482.a
florentini legatos Romam mittunt 52.b
florentinorum epiſcoporũ ſucceſsio 458. 459.
S.Floriani martyrium 85.a
florianus martyr fuſtibus cęditur, ſcapulæ eius acutis ferris confringuntur, tandem in Aniſo fluuio ſubmergitur 85.b
floribus benedictis ſanitas reſtituta 167.b
floſtat fit monaſterium 639.a
Fœminis non patet aditus in Lauram 301.a
Fornicariorum presbyterorum, monachorum, clericorum aut monialium pœna 588.a
fortunatus S.Germani contemporaneus 478.a
fortunæ ſtatua Alexandriæ 35.a
forum nouum 209.a
forum Liuij 725.b
S.Franciſcus 728.a
franciſcus Patauinus quæſtor Pontificius Florentiæ capitur 48.b
franciſcanorum trecenta monaſteria in Italia ſub S. Bernardino 422.b
francorum quę prima origo & ad fidem conuerſio 177.a
fredericus Colonieñ archiepiſcopus 623.a
fredericus Traiecteñ epiſcopus 711.b
fredericus dux Gallorum 440.b
fridericus Cæſar 53.a
friſiæ Eccleſiæ vaſtantur 576.b
friſones ab Odulpho presbytero ad melioré frugem reuocati 711.b
friſonum hæreſis 711.b
friſonũ erga ſolennitaté S. Adalberti reuerentia 931.a
friſonibus concionatur S.Bonifacius 611.a
from flumen 461.a
fructus concionum S.Bernardini 421.b
Fulco Toloſanus Epiſcopus 853.a 866.b
fuldenſe monaſterium 575.a 605.b
fulda fluuius 609.b
fumonis caſtrum 399.a
funebrem pompam non magnoperè curandam eſſe 95.a
furius Simonis Magi diſcipulus 224.a

GAbriel Palæotus Cardinalis, epiſcopus Bononienſis 505.b 701.a
galatia 964.b
galeriti patres 51.b
galerius dux 568.a
S.Galli ædes 42.a
gallia à Barbaris vaſtatur 663.a
gallias depopulantur barbari 257.b
gallicanus ſe vouet Chriſtianum fore, & vincit, Scythas 933.a
gallicanus 5000. ſeruorum manumittit 933.b
S.Gallicani martyrium 932.
galienus Auguſtus 206.b
gallio præſes Alexandrinus 29.b
galliola fluuius 663.a
gallorum regis deuotio 171.a
gamaliel Pauli magiſter 962.a
gandauum 369.a
gangra Paphlagonum ciuitas 964.b
S.Gangulphi martyris vita 212.
S.Gangulphi baſilica 213.b
gaza 241.a
Gebennenſis Comes 168.b
gebennenſis Eccleſia 936.a
gebennenſe territorium 407.a
geiſa dux Chriſtianiſsimus 22.a
gelaſius Papa 626.a
gelaſius epiſcopus Salaminiorum 241.b
gemmelaus ager 439.b
genetium S.Samſon verberat 956.b
geneua 949.a
gentiles Alexãdrię Chriſtianos multos trucidãt 34.b
gentilium ſacrificulum furẽtem curat Anthimus, & ad Chriſtũ conuertit cum vxore & liberis 208.b
gentiliũ immolandi moré immutat Gregorius Papa in pium ritum conuiuandi Chriſtianorum [illegible]5.b
genuflexione aſsidua Iacobo genua callo obdureſcũt 7.a
genua flectẽda oratiõis tẽpore ex Chriſti traditiõe 7.a
Georgius Arrianus occupat Alexandriam 32.a
Georgius Arrianus à gentilibus camelo alligatus dilaniatur primùm: dein rogo ſuccenſo impoſitus concrematur 34.b
gerardus abbas Blandinienſis 622.a
gerardi monachi, fratris S.Bernardi, vita 719.a
gereberta filia S.Gertrudis 278.a
S.Gerebernus interficitur 345.a
S.Gereonis reliquiæ inuentæ, & cuiuſdam virginis è numero vndecim millium Virginum 633.a
germanus Capuanus epiſcopus, cuius animam S.Benedictus in cælum ferri vidit 470.a
germanus fit abbas ad S.Symphorianum 471.b
germani Pariſienſis epiſcopi vita 471.
S.Germani miracula 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481.
germanũ mater vult extinguere, nec valet 471.a
germanum veneno conatur extinguere auia 471.a
germani priſci ſacrarum reliquiarum ꝗ cupidi 270.a
germanorum priſca erga Sanctos deuotio 532.a
germiniacum villa 407.b
geroldus Moguntinus epiſcopus 589.b
S.Gertrudis filia Pipini miraculis poſt obitũ fulget 259.a
gertrudis moritur 282.a
S.Geruaſij vita & martyrium 803. & 807.
geruaſij corpus integrum ex reuelatione diuina inuentum 90.a
SS.Geruaſij & Protaſij baſilica 482.a
de SS.Geruaſij & Protaſij martyrio libellus 807.b
de eorundem inuentione epiſtola S.Ambroſij ad ſororem ſuam 809.a
de SS.Geruaſij & Protaſij corporum inuentione ſermo

mo D. Ambroſij 810.b
geruiſo Moguntinenſis epiſcopus 589.b
S. Getulij martyrium 679.a
Ghele pagus 334.b
S. Gildardi encomium carmine conſcriptum 669.b
giſcalis ciuitas 962.a
giſortium oppidum Normanniæ 171.a
Glaſconia 359.a 363.a
glauuornenſis ciuitas 369.b
gleſtingaburgenſe monaſterium 576.b
gloria vana in noſtris operibus cauenda 321.a
S. Glyceriæ martyrium 199.b
S. Godrici de S. Roberto abbate viſio 658.a
golgotha 297.b
gordianus cum quinquagintatribus è ſua familia, baptizatur 198.b
S. Gordiani martyrium 198.a
gorzienſe cœnobium à quo extructum 440.b
gosbertus Epiſcopus 491.a
S. Gothardi epiſcopi Hildeſemenſis vita 95.b
gouuiboldus Ratiſponenſis Epiſcopus 586.b
Græcè S. Bernardinus ad Græcos concionatur, cùm Græcè neſciret 425.b
Gratia Dei quomodò dignis tribui dicatur 675.a
gratia Dei vt conſeruanda 68.a
gratiæ diuinæ efficacia 304.a
gratiæ Dei cooperari debemus 675.a
gratianopolitanum territorium 948.b
gratianus monachus 725.b
gregorius duodecimus pontifex Maximus 38.b
gregorius Nazianzenus quid de Iuliano prædixerit 187.a
gregorius Nazianzenus Saſimis conſtituitur Epiſcopus 187.b
gregorius Apollinarem hæreticum oppugnat 189.b
gregorius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præficitur 190.a ſolus poſt Iohãnem dictus Theologus 192.b
gregorius Nazianzenus creatur archiepiſcopus Conſtantinopolitanus 193.b
gregorius Turonenſis 211.a 212.a
gregorius decimus Pontifex Opt. Max. 393.b
gregorius Nyſſenus Epiſcopus 450.b
gregorius ſecundus Pontifex 577.b 583.a
gregorij ſecundi Pontificis pro S. Bonifacio literarum ad diuerſos Auguſtos & principes ſcriptarum exemplaria 580.a 581.582.
gregorius tertius Pontifex 583.b
gregorius nonus Pontifex 736.b 785.a
gregorius Archiepiſcopus 826.b
gregorius quidam Arrianus in ſedem Alexandrinam intruditur 30.a
S. Gregorij Nazianzeni Epiſcopi vita 181.b 197.a
S. Gregorij votum 183.a
gregorij & Baſilij amicitia 183.b
S. Gregorij Nazianzeni oratio inuectiua in Iulianum 186.b
S. Gregorij ad Auguſtinum literæ 465.a
gregorij Põtificis ad S. Auguſtinũ literæ 462.b 464.b
gregorij Papæ ad Edilberthum regem literæ 466.a
grimoaldus Pipini filius duo cõdit monaſteria 259.a
Guarnerius quidam improbè in Auſtregiſili ſumptuoſum tumulum debacchans, miſerè perit 409.b
S. Guduualdi miracula 617.618.619.620.621. viſiones eius 621.617.b obitus 621.b ſepultura 622.a
guerricus Niuellenſis ſacerdos 870.b
guiardus Cameracenſis Epiſcopus 780.b
S. Guiberti vita 438.a
S. Guibertus militiæ (cui operam nauabat) renuncians, ædificat monaſterium & fit monachus 439.a & 440.a
S. Guibertus Hungaros quoſdam conuertit 443.b
S. Guibertus moritur, & apud Gẽmelacenſes in templo Saluatoris & Petri apoſtoli ſepelitur 444.b
guido archiepiſcopus, poſteà ſummus Pontifex factus, Calixtus dictus eſt 157.b
guido Aretinus medicus 459.a
guido Niuellanus ſacerdos 870.a
guilhelmus Aquitanorũ Chriſtianiſſimus princeps 216.b
guilhelmus Aquitanorum & Nortmannorum dux 220.b
guilelmus abbas 220.a
gulæ dæmon maximè inſidiatur iuuenibus 321.b
gulam vt caſtiget Romualdus 831.a
guntrannus rex 405.a
HAdeuuigis mater S. Nortberti 622.b
hadrianus Imperator Chriſtianos perſequitur 679.a
haduinus præſul 347.a
hæreſiarchæ aliquot Thuringiæ 582.b
hæreſis Albigenſium 772.b
hæreſes diuinitùs puniuntur 293.b
hæreſes Iudæorum de carnis reſurrectione & Chriſti aduentu 7.b
hæreticus conuertitur 301.b
hæreticum comburit Antoninus Florentiæ 50.a
hæretici Cypriorum, Ophitæ, Sabelliani, Nicolaitæ, Simoniaci, Carpocratiani 250.b
hæretici expelluntur 251.a
hæretici ſcripta igni comburẽda adiudicantur 598.b
hæretici nouitatum ſeminatores 697.b
hæretici vnam in Chriſto naturam improbè aſſerentes, qui 922.b
hæreticorum quorundam arrogantia 322.b
hæreticorum communio vitanda 338.a 605.b
hæreticorum libri vitandi 316.a
hæreticorum malleus Antonius Vlyſbonenſis 729.b
hæreticis fraus familiaris 697.a
in hæreticos Epiſcoporum & presbyterorum ſententia 598.b
hæreticos, qui martyrum miraculis derogabant, repræhendit Ambroſius 811.b
haguſtaldenſis Eccleſia 128.b
halla caſtrum 649.a
hallen locus quidam 928.b
hamaticum monaſterium 278.a 282.a
hartbertus Traiectenſis Epiſcopus 931.b
hasbania 889.a
hauuidis abbatiſſa Aquiriana 768.a
Hedda Epiſcopus 461.b
hellarius Archidiaconus 492.a
helena crucem Chriſti inuenit 59.b
helenæ Encomium 59.a
helinuuardeshuyſen cœnobium 274.a
heluidis incluſa, inſignis virgo 878.a 889.a
henricus rex Angliæ ſummè Petrum Tarentaſium archiepiſcopum veneratur 165.a
henricus Albanenſis epiſcopus 169.a
henricus Dux Burgundiorum 220.b
henricus primus rex Gallorum 438.b
henricus Imperator 834.a
heracla Alexandriæ Archiepiſcopus 316.a
heraclea vrbs 202.a
heracleon 254.b
S. Heraclidis martyrium 969.
herbertus Chryſopolitanæ Eccleſiæ præſul ſchiſmaticus 166.a
herbertus apoſtata moritur 166.b
hercules Alexicacus 189.a
hereburg abbatiſſa 129.a
heribrandus affinis S. Guiberti, vaſtat Gemblacenſe cœnobium 443.a
hermeas 244.b
hermes Epiſcopus 33.a

hermes vrbis Romanæ præfectus, ab Alexandro pontifice baptizatur, cum vxore, ſorore & filijs, & cum ijs pariter 1250. ſerui, eorumq; vxores & filij 70.a
hermis præfecti filius à morte excitatur 71.b
hermothen ciuitas 332.a
hermogenes dux 654.a
hernione laborat Antoninus 40.a
herodes Agrippa 964.a
herodio decollatur 966.b
S. Herois ſeu Heronex martyrium 959.
heſſorum (quos Cattos vocant) errores 582.b
heſſis verbum Euangelij prædicatur 582.a
Hieracapollon monachus moritur 313.a
hieraces presbyter 33.a
hierapolis ciuitas Phrygiæ 2.b
hierapolitæ colunt viperam 2.b
hieria conuertitur ad Chriſtum 740.b
hieronymus presbyter 450.b
S. Hieronymus contemporaneus S. Maximini 489.a
S. Hieronymus ſtudioſus ſanctorum vitæ indagator 853.a
hieroſolyma capitur à Saracenis 894.b
S. Hilarion 241.a 455.a
hilarionis monachi Epiphanij præceptoris mira abſtinentia 232.b
hilarini martyrium 434.a
hilarius Pontifex Romanus 424.a
hilarius Epiſcopus Pictauenſis 449.a
hildebrandus de Manetis 416.a
hildefonſus Comes 165.a
hildulphus Epiſcopus 491.a
hippolytus martyr 21.a
hiſpanis Chriſtum prædicat Paulus 969.b
hiſtoriæ ſanctorum cur à ſanctis Patribus conſcriptæ 853.a cur mutilatæ nonnunquàm in ſcriptoribus inueniantur 4.a
hiſtoriarum ſacrarum ſcopus 526.a
Hominis ratione præditi officium 789.b
hominum mundanorum luctus 721.b
homouſion è medio conatur tollere Euſebius Arrianus 653.a
homouſion patris & filij damnatur in ſynodo Sardicenſi 655.a
homouſio in Nicena Synodo fictè qui ſubſcribant 26.a
hon fluuius 762.a
honeſtus Rauennæ Epiſcopus 814.a
honor & aura popularis, ſpirituali homini fugienda 163.b
honores ac dignitates non ex affectu conſanguineis aut minùs idoneis tribui vult Coſmus Medices 52.a
honorius Imperator 246.b
honorius Papa 647.a
S. Honofrij Eremitæ vita 701.a
horariarum precum penſum 53.b 484.a b 755.b
horariarum precũ penſũm perſoluit Antoninus 43.b
horæ canonicæ à quo inſtitutæ 617.b
horæ nonæ preces 748.b
hormiſda papa 663.b
hortus appellatum B. Michaelis templum 38.a
hoſpitalitas ſingularis 160.b
hoſpitalis domus de la Scala 414.a
hoſpitia ædificat Dunſtanus 373.a
hoſpitius Longobardorum in Gallias aduentum prædicit 436.a
hoſpitij recluſi vita 436.a
hoſpitij abſtinentia 436.a
hœdus veteris legis typicus 67.b
Huardus Leodienſis Epiſcopus 771.a
hubertus Comes 944.b
huch villa 130.a
hugbertus Dux Baioariorum 584.b
hugo Gallorum rex 221.a
hugo Thuringus donat S. Bonifacio prædium 583.a
hugo Gratianopolitanus Epiſcopus 164.b poſteà Viennenſis Archiepiſcopus 937.a
hugonis Carthuſiani encomium 937.a
humbra fluuius 369.b
humbrus flumen 463.a
humanitatem Chriſti impugnat Apollinarius Syrus 189.b
humedus Thuringiæ hæreſiarcha 582.b
humilitatis vis 327.b
humilitatis mirum exemplum in Iohanne Damaſceno 124.a
hungari Italiam & Germaniam populantur 443.b
hungerus Traiectenſis Epiſcopus 712.b
hunni Metim ciuitatem vaſtant 294.a
hunni Gallias vaſtant 295.a
Hybernia 343.b
hymbertus Comes 165.a
IAcobus Achonenſis Epiſcopus 781.b 888.a
iacobus frater Domini 7.a
iacobus in vtero materno ſanctificatur 7.a
iacobus ſolus ſancta ſanctorum perpetuò ingreditur 7.a
iacobus Apoſtolus, princeps Eccleſiæ Hieroſolymitanæ 7.a
S. Iacobus à pinnaculo templi deijcitur 8.a
iacobus primus Epiſcoporum, martyrio coronatur 8.a
S. Iacobi Apoſtoli & fratris Domini vita 4.a
iacobi honorifica à Paulo facta mentio 6.b
S. Iacobi mortis ex Ioſepho ſeuera citatur vltio 4.b
iacobi laudata Epiſtola 4.b
iacobi mortem Dominus vlciſcitur 8.a
iannottus Pandolfinus eques 51.b
ianuarius Epiſcopus 846.b
S. Ianuarius presbyter in ædibus Gordiani habetur in cuſtodia 198.b
ianuarij presbyteri viſio 408.b
iaſo Theſſalonicæ conſtituitur Epiſcopus à Petro Apoſtolo 965.a
Iconium 967.b
iconomachorum hæreſis 115.b
Idrael pſeudoepiſcopus 59.
Ieiunant Chriſtiani Ale- and ıæ 32.b
ieiunium triduanum 528.b
ieiunij ardui exempla 772.b 774.b 781.b & alibi frequenter.
ieiuniorum ab Antonino accurata obſeruatio 42.b
ieiunijs Deus placatur, & alijs pijs operibus 212.a
ieiunijs & litanijs placandus Deus 601.b
iericho 185.a
ieſuatorum inſtitutum 414.a
iezabel 251.b
illyria 288.b
Imagini B. Mariæ virginis ſupplicat Ioannes Damaſcenus 121.a
imaginē B. virginis veneratur Maria Oegniacē. 884.a
imaginum cultus & veneratio pia 413.b
imaginum adorationem tuetur Ioãnes Damaſc. 119.b
imaginum vſus tempore S. Ambroſij 807.b
imprecationis ſpeciem quæ apud ſanctos plerunque ferunt, non imprecationes, ſed præſagia quædam eſſe malorum 199.b
imprecationum malarum vis 457.b
Inderauuda monaſterium, ſilua Deirorum interpretatum 128.b
indi populi 182.b
indulgentiarum vſus peruetuſtus 53.b 55.a
inedia multa conficitur Paphnutius, ſed diuinitùs con-

confortatur 703.a
infans nouem dierum loquitur 461.a
ingluuies incredibilis mutata in abſtinentiam incredibilem 18.b
iniqui Iudices, talionis iure in aduerſarios non animaduertunt 29.a
iniuriam iniuria non recompenſandam 193.a
in inobedientem monachum quàm ſeuerè animaduertat Romualdus 882.a
inobedientiæ crimen quàm periculoſum ſit 131.a
inobedientiæ pœna 818.a
innocens Cenomanorum Epiſcopus 348.b
innocentius primus Pontifex 456.b
innocentius Papa à rege Lothario in ſuam ſedem reſtituitur 650.a
innocentius tertius Papa 773.b
inuocandi martyres poſt mortem 255.b 710.a
inuocatio martyrum, Dei honor eſt 710.a
inuocatio Sanctorum quid conferat 384.a 411.a
Ioculatorem execratur S.Bonifacius 340.b
iohannes Capiſtranus Vicarius generalis fratrum de Obſeruantia 433.a
F.Iohannes Dominicus, legatus in Pannoniam miſſus, Budæ diem ſuum obit 38.b
F.Iohannes Dominicus in Cardinalium numero cooptatur 38.b
iohannes Turrecremata Cardinalis 51.b
iohannes martyr 84.b
iohãnes Damaſcenus ſua ſcripta caſtigat & recognoſcit 126.a
iohannes Eboracenſis Epiſcopus ſanat ſua benedictione & oratione puerum 130.b
iohannes Eboracenſis Epiſcopus, Herebaldũ ab equo deiectum, ex eoq; lapſu grauiter læſum ſanat 131.a
iohãnes Haguſtaldẽſis & Eboracẽſis Epiſcopus 128.b
iohannes Valentinus Epiſcopus 164.b
iohannes Hieroſolymitanus Epiſcopus 245.a
iohannes Bonçualſenſis abbas fit Pontifex Opt.Max. & Valentinus dicitur 157.b
S.Iohannes Baptiſta 184.a lucerna omnium 909.b
iohannes Conſtantinopolitanus dictus Chryſoſtomus 251.a
iohannes Alexandrinus Imperatricem Eudoxiam ab Eccleſiæ ingreſſu arcet 251.b
S.Iohannes Epiſcopus Silentiarius, Eccleſiam Nicopolis B. Virgini ſacram, ædificat 295.b
iohannes Silentiarius dæmoniacum precibus & vnctione olei ſanctiſſimæ crucis curat 301.a
iohannes Pontifex Opt.Max.376.a
iohannes Spoletanus S.Bernardini præceptor 418.a
iohannes Salisburgenſis Epiſcopus 586.b
iohannes Lyranus vir eximiæ ſanctitatis 771.b
iohannes Niuellanus vir inſignis 871.a
S.Iohannes Archiepiſc.Conſtantinopolitanus 902.b
S.Iohannis Damaſceni vita 115.a
iohannis Damaſceni morum informator qualis fuerit 117.b & quis 118.b
iohannis Damaſceni parentes 116.b educatio & inſtitutio 117.a
iohannis Damaſceni amputata manus, in foro ſuſpenditur 120.b
iohãni Damaſ. leges à Seniore cœnobij pſcriptę 122.b
iohannis Duniacenſis ſanctiſſimi viri obitus 870.a
in laudẽ S. Iohãnis Baptiſtę oratio 902.906.908. 911.
S.Iohannis martyrium 932.a
Ionas propheta 195.b
ionæ monachi abſtinens & rigida vita, mortis itẽ genus & ſepultura 321.b 322.a
ioppe ciuitas 238.b 964.a
ioſephus Iudæus veritatis ſtudioſiſſimus 8.a
iouatus abbas 289.a
iouianus 35.b
iouinianus in Galatia moritur 36.b
iouinianus Chriſtianiſſimus Imperator 935.a
iouiniano confertur poſt Iulianum imperium 36.b
Iram Dei auertendi priſcus mos 684.b
irene ſacræ ædis miniſter ab hydrope curatur 958.a
Iſaac legiſperitus catechizatur ab Epiphanio 246.a
iſmaelis martyrium 786.b
iſmidion Dienſis Epiſcopus 164.b
iſio Arrianus 24.a
iſchyras Mareotæ Epiſcopus 31.a
iſchyras improbiſſimus Arrianus 24.b
iſchyræ contra Athanaſium calumniæ 25.a
iſtiæi calceus 951.a
Italiæ qualis ſtatus tempore S.Bernardini 421.a
itta ſoror Modoaldi Epiſcopi, Pipini vxor 258.a
itta ſecundas recuſat nuptias, & monaſticum induit habitum 258.b
Iudas 190.b
iuliacum antiquum municipium 547.a
iulianus maleficijs ſe ſperat Alexandrinum regnum conſecuturum 36.a
iulianus ſe Macedonem mentitur 36.a
iulianus iaculo ictus perit 36.a
iulianus Cæſar ab Eudoxio creatur 34.a
iulianus Galliarum præfectus 34.a
iulianus miles Chriſtianus 79.a
iulianus apoſtata vetat Chriſtianos diſciplinis politioribus erudiri 186.b
iulianus Imperator 198.a
S.Iulianus Cenomanorum Epiſcopus 349.a
iuliani apoſtatæ perſecutio 186.a 449.a
iuliani apoſtatæ interitus 792.a
iuliani phyſiognomia quid portenderit 187.a
S.Iuliani martyrium 498.a
iuliano Auguſti nomen tribuitur 34.b
iulij martyrium 845.a
iulius Pontifex Opt.Max.30.a 448.b 525.b 653.b
iulius Papa Athanaſium reſtituit 30.b
S.Iulittæ patria ac martyrium 764.a
iupiter impurus 284.b
iurenſes 162.a
iuſſa maiorum negligere periculoſum 334.b
iuſiurandum deuitari vult Iacobus Apoſtolus 6.b
iuſiurandum à S.Bonifacio Pontifici pręſtitum 579.a
iuſtina mater Valentiniani regis 90.a
S.Iuſtini philoſophi martyrium 713.b
iuſtinianus Imperator 296.a
iuſtiniani Imperatoris viſio 952.b
iuſtus arrogantiæ & ſuperbiæ accuſator 5.b
iuſtus rectè factorũ nil ſibi, ſed Deo totum tribuit 5.b
iuſtus S.Nicomedis corpus ſepulturæ mandat 226.a
iuſti memoria iucunda & vtilis 4.a
iua occidentalium Saxonum rex 460.b
iuera incluſa 895.b
iuo iudicis fungitur officio 402.a
iuo pacis quàm ſtudioſiſſimus 403.b
iuo Eccleſiaſticæ immunitatis ſtrenuus tutor 403.b
iuo ob defenſionem pupillorum, orphanorum, viduarum &c. Aduocatus pauperum vocatur 403.b
iuo à Clemente VI. Põtifice Max.canonizatur 403.b
iuo præſcit obitus ſui diem, & ſe ſacra muniens vnctione, ad beatos cælites commigrat 404.b
iuo ſe iudicis functione abdicat, Eccleſiamq; de Lohaneto adminiſtrat 402.a
S.Iuonis presbyteri & Confeſſoris vita 401.a
S.Iuonis abſtinentia 401.b
iuonis quædam miracula 403.a b
S.Iuuenalis Narnienſis epiſcopi vita 77.b

K

Ariulphus 472.a
Kentenus pater S.Aldhelmi 460.b
Kinſinus Epiſcopus 368.b
Killinga 583.a

Lachry-

LAchrymarũ inundantia cõmendata 824.b & pluribus alijs in locis.
S.Lambertus epiſcopus 259.b
Lambertus abbas Caliriaci monaſterij 158.a
Lambertus comes 220.b
lampades cæleſtes ad ſepulcrum S. Stanislai ardere viſæ 154.b
lampſacum 342.a
S.Landelini abbatis Criſpinienſis vita 760.a
lanfrancus Cadomenſis cœnobij abbas, fit Cantuarienſis epiſcopus 381.a
laodicea 964.b
laodicius credit in Chriſtũ, & capite plectitur 203.b
lapo ſacerdos 459.a
lateranenſe Concilium 771.b 773.b
latina via prope Romam 228.a
lælionis mons 161.b
lætiæ territorium 282.a
lauandi cadauera conſuetudo 22.à
laudem fugiunt Dei amici 948.b
laudes hominum qui venatur, ſe Dei priuat remuneratione 983.a
laudunum 840.a
laulas oppidum 881.a
laureacenſium caſtrum 85.b
laurentia 55.a
S.Laurentini martyrium 562.a
S.Laurentius martyr 349.a
laurentius Melphitanus epiſcopus 451.a
laurentius presbyter 464.a
S.Laurianus 410.b
lauſanna ciuitas 162.b
Legionum ciuitas, alijs dicta Legaceſtir & Carlegion 468.b
lemouicenſes 730.b
leo II.Imperator 578.a 696.b
leo III.Iſauricus Imperator Iconoclaſta 115.b 119.b
leo III.Imperator impiè à ſe conficta Epiſtola Iohannem Damaſcenum apud Damaſci principem proditionis inſimulat 120.a
leo primus Romanus Pontifex 922.a
leo decimus 58.b 59.a
leodium 442.b
leodij vaſtatio 871.a
leonis martyr 743.a
S.Leontij martyrium 796.a
leontopolis 239.a
de Lereto monaſterium 416.b
leuſus abbas 349.a
Libanus 84.a
libellus aduerſus Macarium admittitur 25.b
libellum quendam martyres defuncti Ludouico Imperatori offerri iubent 541.b
liberalitatis in pauperes exempla præclara 160.b 161.a b
liberius pontifex Romanus, Iulij ſucceſſor, damnatur exilio 34.a
libia martyr 743.a
libias 300.a
lichia mater S. Richtrudis 277.b
lidda 964.a
lidulphus eremita 625.a
ligeris 271.a
linamones Epiſcopus 33.a
linatus mons 83.a
S.Linus 225.b
linus Romanus Epiſcopus à Petro conſtituitur 966.a
S.Liphardi abbatis patria, miracula, virtutes ac reliqua vita 564.565.
lirinenſe monaſterium 437.b
lirinenſis inſulæ laus 507.b
litaniarum vſus peruetuſtus, & cur inſtitutæ ſint vigiliæ ac Rogationes 211.b
literæ Zachariæ pontificis ad varios Epiſcopos 600.601.602.
literarum Gregorij ſecundi ad Bonifacium exemplar 577.b
literarum Gregorij III.ad Bonifacium miſſarum exemplaria 583.b 585.a 586.b
literarum Conſtantini iunioris ad Alexandrinos exemplar 28.a
Lobienſe cœnobium 762.a
loca ſancta quantum venerentur S. patres 245.a
loca ſacra religionis ergô viſitare & antiquum & pium 228.b
locus Euangelij Matth.17.explicatur 971.b
loën caſtrum 895.b
londonium 370.b
longinus 248.b
longinus miles Chriſtianus 79.b
longiuadum cœnobium 167.a
longobardorum in Gallos expeditio 436.a
loſſum Hasbaniæ oppidum 771.a
loth vxor 280.a
lotharingia 166.b
lotharius rex coronatur Imper.Romanus 650.a
S.Lubentius 490.a
lucianus monachus cælitùs candida veſte contegitur [illegible]
luciæ monaſterium Florentiæ 56.a
lucilla virgo 525.a
lucinæ religioſæ matronæ apparet S.Sebaſtian' 209.b
lucinæ ætas & vitæ integritas 209.b
lucius ab Arrianis Georgio ſubſtituitur 35.a
lucretius à Satana diuexatus animam exhalat 209.b
ludouicus rex Francorum 170.b
ludouicus Loënſis comes 896.a
ludouicus Imperator 710.b
ludouici Imperatoris deuotio erga Sanctorum reliquias 535.a
ludus puerilis Athanaſij 23.a
lugdunenſis Eccleſia 165.a
lugdunum 217.b 406.b 516.a
lugdunum à Comite Forenſi vaſtatur 941.a
luidhardus Epiſcopus 463.b
luitprandus Longobardorum rex 578.a 924.b
lundeuuic locus quidam 576.b
lundonia 465.a
S.Lupicini Recluſi vita 519.
lupus inſolitè gregis fit cuſtos 642.a
luſus illiberales quantoperè execrandi, docet exemplo ſuo Antoninus 49.b
S.Lutgardis virginis patria ac reliqua vita 768.
Lybia 32.a
lycaonia 508.b 967.b
lycurgus legislator 185.b
lydia purpuraria 968.a
lydius lapis 24.b 952.b
lyſias Tribunus 969.b
lyſimachus vt Dei ſponſas deoq; dicatas Virgines reuereatur 743.b
lyſippi hortus 139.b
lyſtra 967.b
MAcarius presbyter 25.b
macarius vinctus ad ſynodum adducitur 25.a
macarius Epiſcopus Hieroſolymorum [illegible].b
macedonia 195.b
macedonianorum de S.ſpiritu hæreſis 189.a
macedonius 32.b
magauelda 373.b
magdunenſis ciuitas 565.a
magdunum mons 564.b

magella-

magellanus ager 45.a
magicis incantationibus refertum librum comburit Antoninus 50.a
maglabium 954.b
magnentius Conſtantem interficit 32.a 655.a
magnentius Arrianus imperium per tyrannidem inuadit 655.a
S.Maioli abbatis Cluniacenſis vita 215.b eadẽ proſa & carmine conſcripta 219.a
S.Maioli ſolennitas 215.b
S.Maiolus omnium ſuffragijs abbas eligitur 218.a
maior domûs 259.b 478.b
malcolini Scotorum regis cædes 689.b
malmundarium monaſterium 259.a
malua fluuius 564.a
S.Mamerti Viennenſis Epiſcopi vita 211.b
manna veteris legis typicum 67.b
manni pagus 871.a
mantola vicus 475.a
mantuæ conuentus à Pio II.celebratur 54.b
manuelis martyrium 786.b
manuum impoſitio ab Apoſtolis originem traxit 2.a
maram edulcat Dominus 183.a
marcella martyr 959.b
S.Marcellianus martyr 796.a
marcellinus presbyter ab Angelo è carcere educitur 524.a
S.Marcellinus capite plectitur 525.a
S.Marcellini martyrium 523.a
SS.Marcellini & Petri martyrum translatio 526.
marcianus abbas 297.a
marcianus Syracuſanus Epiſcopus 964.b
marculphus abbas 407.a
S.Marculphi abbatis vita 8.b
marcus Epiſcopus 33.a
marcus Aurelianenſis Epiſcopus 565.a
S.Marcus Papa 451.a
S.Marcus Romæ ſcribit Euangelium 696.b
S.Marcus martyr 796.a
marcus Euangeliſta, à Petro Alexandrinus ordinatur Epiſcopus 966.a
margareta fluuius 663.a
S.Margaretæ Reginæ Scotiæ vita 686.a
B.Maria in tormentis ab Andrea de Chio inuocata 494.a b quid ei præſtiterit 495.b
B.Maria præſtantior cunctis poteſtatibus 908.b
maria ſoror Moyſi 66.b 316.a
maria mater Iohannis Cæleſtini 385.a
S.Mariæ de Oegnies vita 853.
mariamna Philippi ſoror 3.a
marina ruſticorum ſeruituti addicitur 199.a
B.Marini Eccleſia 640.a
maris Chalcedoniæ Epiſcopus 35.b
mariti plerique quàm ſint duri in coniuges 223.a
maronis epiſtola 227.a
maronis cædes 227.a
apud Marſonem degit Petrus Apoſtolus 964.b
S.Martianus 696.b
martianus Chriſtianus Imperator 295.b
martinus quintus Pontifex Max.38.b
martinus Turonenſis Epiſcopus 217.a 218.b
S.Martinus Treuiros inuiſit 489.b
martinus abbas 792.b
S.Martini Turonenſis feſtum 475.b
martini pagus in Britannia minori 401.b
martini vicus 171.b
martij Romani milites 132.a
S.Martyrius lector pro Chriſti confeſſione trucidatur 485.a 486.a 487.a
martyris Alexandri vincula oſculantur Chriſtiani 289.b
martyres cruciant dæmonẽ, & cogũt deſerere obſeſſum 554.b
martyres mundi interceſſores 709.a
martyres 40.in carcerem mittuntur 85.b
martyres ſuos cur Chriſtus non ſeruet à pœnis 556.b
martyres triginta nouem capitis pœna vno die mulctati 85.a
martyres vbique præſentes opitulatione 985.b
martyrum hiſtoriæ quid conferant 569.a
martyrum mors, martyrum victoria 676.a
martyrium temerè expetens monachus, decertandi data occaſione, negat Chriſtum 323.b
martyriũ mentis ſeu volũtatis & ſanguinis 3.a 190.a
martyrio coronandi à Chriſto deficiunt 517.a
maſſana vrbs 411.a 430.a
maſſilia 437.b
S.Maternus 490.b
mathildis Conradi regis coniunx 220.b 689.b
maticenſis ciuitas 216.b 217.b
matris Dei priuilegia 907.a
matrimonium Comiti volenti religionem ingredi, ſuadet Nortbertus 639.b 643.a
matrimonij finis ac ſcopus 278.b
S.Matthęi Euangeliũ, Barnabę manu deſcriptũ 699.b
maturus martyr immaniter cruciatus, ſecuri cæditur 519.b
matutinæ preces 896.a
mauiuuolt vicus 443.a
S Maurini abbatis & martyris inuentio 681.a
mauritius Florentinus Epiſcopus 457.b
mauricius Imperator 462.a
maurienna 158.b
mauriennenſis Eccleſia 164.b
maurontus abbas & leuita S.Rictrudis filius ſuſcipitur ex ſacro fonte à Richario ſacerdote 278.b
mauronti abbatis hiſtoria 281.b
maurus Epiſcopus 21.a
S.Maurus S.Benedicti diſcipulus 216.b
maxentius Pictauorum Epiſcopus 488.a
maxentius Maximiani filius 134.a
maxianopolis 200.a
maximiana perſecutio 228.a 284.a
maximianus Imperator 85.a 206.b 445.b
maximini immania edicta 131.b
S.Maximinus diuino oraculo Treuirorum fit Archiepiſcopus 488.b
S.Maximini Epiſcopi Treuirenſis vita 487.
S.Maximini reliquiæ à Treuirenſibus ex Aquitania abſportantur 490.b
S.Maximini reliquiarum translatio 491.a
maximus Epiſcopus & confeſſor 32.a
maximus Epiſcopus Hieroſolymitana ſede expellitur 32.a
maximus Tauromenij conſtituitur Epiſcopus 965.a
maximus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſubdolè creatur 190.b
maximus Aegyptius 190.b
maximus baptizatus perfidioſè deficit à S. Gregorio 190.b
S.Maximus 565.b
S.Medardus Viromandenſis Epiſcopus 662.b
S.Medardi Epiſcopi Nouiomenſis, parentes, patria & reliqua vita 658.
S.Medardi encomium carmine conſcriptum 669.b
S.Medardi cadauer Clotarius rex ſuis humeris geſtat 665.a
medelocenſe cœnobium 930.a
mediolanenſis Eccleſia 90.a
mediolanum 729.b 803.b 966.a
meldunenſe monaſterium nunc dictum Malmeſberia 460.b
meletiani hæretici 456.b
meletius hæreticus 24.a 360.a 338.a

meletius Epiſcopus Antiochenus de ſede deponitur & damnatur exilio 34.a 36.b
meletij epiſcopi virtutes 194.b
meletium Valens deponit de ſede Antiochena 36.a
melioracus mons 159.a
melite inſula 969.a
mellitus abbas 465.a
memoria inſignis Iohannis martyris 84.b
memoria pclara Petri Archiepiſcopi Tarentaſij 157.b
memoriæ præclarum exemplum in Antonino 38.b
menandri ſententia allegata 27.a
mendici duo fraudulenti 48.a
mendicorum duorum pecuniæ quandam ſummam pauperis cuiuſdam ciuis filiabus, pro dote diſpenſat Antoninus 48.a
menſæ diuturna nimis accubatio vitio datur 42.b
menſam cruce ſignare, non nouum 309.b
ſub Menſam diuina legere eloquia, pius mos 42.b 253.a 484.a
meritum aliquod eſſe bonorum operum 68.b
merita ſanctorum 22.b
merita noſtra Dei dona 94.b
meritorij operis inficiatores taxat Ambroſius 411.a
meritoria martyrum opera, præmiorumq; differentia 43
methe Eccleſia 478.a
metho vicus 486.a
Miciacum monaſterium 565.b
midas ditiſſimus 118.b
miletum 968.b
minois legislator 185.b
mira (alij Lyſtra) vrbs Lyciæ 969.a
miracula amicorum Dei irridens, diuinam experitur vindictam 949.a
miracula cur plerunq; non perpetrentur 613.a
miraculorum commemoratio moleſta eſſe non debet 476.b
miraculorum proprietas 219.b
miſſa incruentum ſacrificium 297.a
miſſa ſacrificium propitiatorium pro mortuis 878.b
in Miſſa vult pro ſuis parentibus orari Auguſtinus 95.a
in Miſſa filius patri offertur 879.b
miſſæ ſacrificij mentio 95.a 209.b 212.a 225.b 281.b 344.b 359.a 372.b 407.a 461.a 477.a 478.b 514.b 525.a 582.b 624.a 626.a 796.a 816.b 929.a
miſſæ quotidianæ etiam antiquitùs in vſu 18.a
miſſæ quotidianæ apud ſanctorum tumulum celebrantur 74.b
miſſæ ſacrificium, angeli ſua præſentia cohoneſtant 617.a 880.a
miſſæ ſacrificij vis 984.b
miſſæ ſacrificio diuinitùs reuerentia exhibita 461.a
miſſam ante concionem quotidiè S. Bernardinus celebrat 421.b
miſſam de die ſæpiùs audit Margareta regina 689.a
miſſam celebrat Philippus 2.b
miſſam celebrat Petrus Tarentaſius 165.b 168.a b
miſſam celebrat S.Barnabas 696.a
miſſam pro defunctis celebrari minimè nouum 94.a
miſſam ad lectum ſuum celebrari vult Paulinus Epiſcopus 846.b
miſſas pro ſe poſt mortem celebrari vult Margareta regina 689.a
mithras deus gentilium 34.b
mithræ myſteria & ſacrificia 34.b
mitylene 968.b
Mocij martyris templum 954.a
moderatio, inſigne magiſtri 5.a
S.Modeſti martyrium 753.b
S.Modoaldus Treuirorum Epiſcopus 256.b nobilis proſapia laudata 260.b 259.b
modoaldi Treuerenſis Archiepiſcopi Epitaphium 263.b
modoaldi genus quantum Galliarum Eccleſias auxerit 260 b
de S.Modoaldi translatione Epiſtola 274.a
moganus fluuius 583.a
moguntia fit metropolis 608.b 575.a
moguntinæ ciuitatis encomium 272.a
moguntina eccleſia fit metropolis reliquarum Germaniæ Eccleſiarum 590.a
mois Epiſcopus 33.a
monacharum regula 316.b
monachiſmum olim etiam pueri amplexi 318.b
monachus eſſe nõ poteſt, qui non contẽnit opes 231.b
monachus negligens redit ad mundum 325.b
monachi immorigeri pœna 325.a
monachi in eccleſia non ſolent loqui 383.b
monachi quidam diuinitùs puniuntur 819.b
monachi, etiã ipſius Apoſtoli S.Barnabæ tẽpore 696.a
monachorum Hersfeldenſium diſſoluta vita 98.b à S.Gothardo reformata 99.a
monachorum inſtitutum commendatur 216.b
monachorum odio diaboli torquentur 390.b
monachorum vita vnde orta 307.b
de Monachis, mundi huius iudicium 418.b
monaſterium S.Albani Moguntiæ percelebre 555.a
monaſterium B.Martini 21.a
monaſterium Eritum 703.b
monaſterium de Columbria 724.a
monaſterium fœminarum Sibapoli 740.a
monaſterium S.Michaelis 815.a 819.a
monaſterium Laubienſe 762.a
monaſterium S.Vincentij 831.b
monaſterium S.Catharinæ 768.b
monaſterium Martianenſe 280.a
monaſterium Mictianenſe 792.b
monaſterium Claſſenſe 813.a
monaſterium S.Benedicti 818.a
monaſterium Aquiriæ 771.b
monaſterium à Deo punitum, ob negligenter ſolutas preces horarias 783.b
monaſterij euerſores, diuinitùs puniuntur 329.a
monaſteria 48. in Anglia conſtructa 377.a
monaſterijs priſci cur tantum tribuerint 588.b
monaſtica vita vnde orta 307.b
monaſticę vitę deſertor, luit pœnas Purgatorias 885.b
monaſticæ regulæ à Pachomio traditæ 314.b
monaſticæ diſciplinæ olim iugo infantes etiam & iuuenculæ monachæ traditæ 741.a
in Monaſticæ rei vſurpatores diuina vltio 931.b
monaſticam diſciplinam ſtrictè colentes monachi, martyres ſunt 333.a
monaſticus canõ Pachomio ab angelo traditur 310.b
monaſtici canones à Gregorio Nazianzeno & Baſilio editi 105.b
monaſticus habitus 615.a
monetã adulterinam excudentis grauis pœna 373.a
monetariorum ſupplicium 373.a
S.Monica cur S.Ambroſium amârit 88.b
monica defuncta, Euodius pſalmum cantat 94.a
S.Monica vt in matrimonio ſe geſſerit 91.b
S.Monicæ, matris S.Auguſtini, vita 86.a
S.Monicæ virtutes 88.a
S.Monicæ in erudiendis liberis diligens cura 91.a
mons congregationis 83.b
mons Petri 142.b
mons gaudij 879.a
monulphus epiſcopus templum in honorem S. Seruatij ædificat, eoq; corpus eius transfert 294.b
mopſi fontes 33.b
morbi corporis, incrementa ſæpè ſunt virtutum animæ 918.a

morientes ſunt precibus iuuandi 775.b
mortem bonorum non nimiùm lugendam 46.a 93.b
mortui viuorum iuuantur ſuffragijs 713.a
mortuorum cadauera, canibus deuoranda objiciunt Perſæ 235.a
mortuorum corpora abluunt veteres 887.b
mortuis orationes impertiendæ 95.a
moſa fluuius 626.a
moſella flumen 265.b
moſes 190.b
moſomagum caſtellum 490.b
Muchonſe monaſterium 321.a
mugellana vallis 45.a
mulieres tantoperè deuitat Pachomius, vt propriam etiam matrem videre non velit 318.a
mulierum fugienda colloquia S. Bernardini exemplo 413.a
mundanorum hominum vita mortua 87.b
mundi erga ſuum creatorem ingratitudo 895.a
muneribus non corrumpitur Antoninus in Eccleſiaſticis perſonis eligendis aut beneficijs conferendis 44.b
munio flumen 40.a
murmur in monacho execrandum 123.a
muſicis inſtrumentis vt vtendum ſit 361.a
Myſia 267.b

Nabal 190.b
nabor martyr 139.b
nannetum vrbs 445.b 479.a 481.a
Narnia obſidione hoſtium vexata, precibus S. Iuuenalis liberatur 77.b
de Nathanaele inſigne Chriſti præſagium 1.b
naturalium rerum contemplatio hominem ad Dei admirationem & amorem rapit 118.a
S. Nazarij vita & martyrium 803.
nazianzum vrbs Cappadociæ 182.b
Neapolis 39.b 50.b 396.b
S. Nectarius 471.b
nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatur 196.a
nemanſenſe territorium 161.b
nera mater S. Bernardini 411.a
S. Nerei martyrium 221.b
nero Simone mago vtitur familiariter 225.b
nero Petri vitæ inſidiatur 261.a
nero ſuam conficit matrem, patris ſororem, & Octauiam ſuam vxorem 970.a
nerone regnãte docent Petrus & Paulus Romæ 260.a
nerua 226.b
neſtoriana hæreſis 921.a
neſtorius Auguſtalis 32.a
Nicaſius Comes 476.a
nicenum concilium confirmatur, & heterouſium Arrianorum condemnatur 31.a
nicea 436.a 653.b
S. Nicetius Epiſcopus 406.b
S. Nicolaus quàm celebris in Eccleſia 172.b
nicolaus Biliottus, penè exanimis, ab Antonino priſtino vigori reſtituitur 57.a
nicolaus quartus Pontifex 395.a
nicolaus quintus Rom. Pontifex 435.b
nicolaus quintus moritur 52.b
nicomachus in ipſis tormentis à Chriſto deficit, arreptusq; à dæmone miſerè perit 342.b
nicomedia Bithyniæ ciuitas 24.b 964.b
S. Nicomedis presbyteri martyrium 225.b
Nicopolis 295.b
nilus fluuius 510.b
nilus Epiſcopus ob Chriſtiani nominis profeſſionem igni traditur 84.a
nithagouue pagus 542.b 543.b
nitria ciuitas 22.a 339.a
nitriæ mons 308.a
nitrienſe territorium 22.a
niuellenſe monaſterium 930.a
niuella Leodienſe oppidum 856.a
Nocturnæ preces S. Iacobi 4.b
nocturnæ preces Vuironis 141.b
nonna Gregorij Nazianzeni mater 188.b
nonnus præſes Phœniciæ 24.b
noricum Ripenſe 85.b
S. Nortberti Magdeburgẽſis Archiepiſcopi vita 612.
S. Nortberti corpus diù inhumatum iacens, nulli fœtori aut putredini eſt obnoxium 650.b
normannia 170.b
nortmanni in Gallias & Germaniam irrumpũt 269.a 275.a
nouiomus vicus 474.a
Numentana via Romæ 74.b 226.a
numerus duodenarius myſticus 499.a
numeri denarij myſterium 67.a
nutſcelle monaſterium 577.a

OAſis 32.b
obedientia potior alijs bonis òperibus 329.b
obedientia Iohannis Damaſceni erga ſeniorem 123.a
obedientiæ virtutis vis 637.b
obedientiæ & humilitatis ergò ſportulas diuendit Iohannes Damaſcenus 123.a
oblationes in ſanctorũ honorẽ piæ & antiquæ 705.b
oblationes inter Miſſarum ſolennia veteribus conſuetæ 168.a
oblationum in Eccleſijs vſus antiquus 473.a
obliæ nominis interpretatio 4.a 7.a
obtrectantes vehementer execratur Pachomius 316.a
Ochnoſurgum 583.a
occidunt ſeipſas virgines, vt pudicitiam tueantur 854.b
occidere ſeipſum an liceat, & qui id fecerint, quomodò item excuſentur 673.b
ocium literarum ſtudio & orationibus fugat Antoninus 39.b
octauianus ſe in Romanam ſedem ingerit 941.b
octouiri 48.b
Odo Archiepiſcopus Cãtuarienſis moritur, eiq; Belſinus ſubſtitutus mox vita defungitur 371.a
odo Comes Canciæ Epiſcopus Baiocenſis 382.b
odo ſecundus abbas Cluniacenſis 217.a
odor ſuauiſſimus ex reliqnijs S. Mauritij percipitur 683.b
S. Odulphi Presbyteri vita 710.b
Oedipodis inceſtus 517.a
Officij celebrandi mos in Eccleſia 245.a
Oilbaldus abbas 444.b
Olei ſacrati atque exorcizati antiquus ritus & vſus 301.a 351.a 408.a 436.b 437.a 473.b 475.b 476.a 477.b & deinc.
oleum de S. Samſonis ſepulcro ſcaturiens, ſanat infirmum 958.a
oleum ex reliquijs S. Nicolai manat 175.b
oleum ſanctiſſimæ Crucis 301.a
olla Vulcani in Lipara inſula, in quam anima Theodorici regis demergi viſa 470.b
olympa 966.b
olympus Philippis à Petro ordinatur Epiſcop᷑ 965.a
Onuphrius præceptor S. Bernardini 412.a
Opera orationi ſunt auxilio 6.b
opera noſtra quatenùs celanda & prodenda 340.a
opibus quatenùs vtendum ſit 117.a
opſis diſcipulus Pachomij 314.a
Oracula gentilium 208.a
oraham flumen 582.b
orat extenſis manibus Pachomius 323.b

oratio ſereni & tranquilli animi laudata 6.b
oratio in laudem SS.martyrum Cantij, Cantiani, & Cantianillæ 496.b
oratio Gregorij Nazianzeni de amore pauperū 189.a
oratio Gregorij ad Conſtantinopolitanos 191.a
oratio Gregorij Nazianzeni ad Theodoſium Imperatorem 195.b
orationibus ſe mutuis iuuare, pium & Chriſtianum 86.87.88.
ordinatio nulla quæ non ex Eccleſiæ conſuetudine & inſtituto procedit 23.b
ordinatur presbyter Nortbertus 624.a
ordinerus Anglorum dux 375.b
ordo montis Oliueti 414.a
ordorff 582.b
orientem verſus orat S.Zenobius 452.a
origenes taxatur 316.b
origeniſtarum errores 298.b 338.a
originalis peccati labi minimè obnoxius B.Iohannes Baptiſta 912.b
orontes fluuius 37.b
orphici hymni 124.b
orthoſia 964.b
Oſitānę virginis tumulus, diuinitùs reuelatus 779.a
oſtienſis ciuitas 93.b 449.b
oſtienſis via Romę 962.b
S.Oſuualdus Epiſcopus Vuigornienſis & Eboracenſis 377.a
Otgerus Leuita 141.b
otho Nicolinus Iureconſultus 52.b
ottho rex Gemmelacenſe inſtitutum cōfirmat, multiſq; priuilegijs donat 442.b
otilo Dux Bauariæ 604.b
otto Cæſar & eius filius itidèm Otto dictus 220.b
Ouis, grauiſſima premente ſenecta, interdùm tantùm veſcitur Antoninus 42.b
Oximenſis pagus 480.a
PAchomius varijs dæmonis ludibrijs exagitatus, ſigno crucis ſe muniens, maligni inſultationes vincit 312.a
pachomius caſtitatis amator 309.a
pachomius inobedientem monachū corripit 325.a
pachomius monachi inobedientiam punit 329.b
pachomius monachum mortuum vult ſine pſalmodia, vt animæ conſulatur, ſepeliri, non vt Eccleſiæ conſuetudo infringatur 328.a
pachomij de Origene ſententia 330.a
pachomij inſigne facinus erga defunctum negligentem monachum 328.a
S.Pachomij vita 307.a
pachomij ſumma religio 320.b
B.Pachomij monaſterium inuiſit S.Athanaſius 315.b
padua 728.a
palæmon Anachoreta 309.a
paleam flumen Antoninus traijcit 53.a
palæſtina 32.a 183.a
pallij vſus antiquus 467.a 583.b 603.b 605.b
S.Pamphili encomium & patria 499.b 502.a
S.Pamphili eruditio & ſapientia, item genus & functio 498.b
pamphylia 967.b
S.Pancratij martyris vita 228.a
pancratius Tauromenius Epiſcopus 964.b
panis vrbs 310.a
panis benedicti & ſacrari vſus vetuſtus, vis & efficacia 320.a 408.a 833.b
pannonia 21.a 38.b 294.a
panſophia 451.a
S.Pāſophius à S.Ambroſio excitatur à mortuis 451.a
panta 964.b
pannuarius Epiſcopus 327.b
paphnutius monach', Antonij diſcipulus 238.b 767.a
paphus 241.a
pappus Epiſcopus 241.b
parentibus interdùm vt pareat quis, aliquid inuitè ſuſcipiendum 188.a
parentium ciuitas 824.b
pariſiacenſis Diœceſis 170.a
pariſij 401.b
S.Pariſij Bononienſis vita 701.a
parium marmoris genus 271.a
parricidarum pœna 584.a
partheniacum mare 183.a
parthenopolis ciuitas 643.b
paſchadies feſtus omnium Chriſtianorum 309.b
paſchæ ſolemne feſtum 298.b 684.a
paſchalis Papa 626.a
paſtoris boni exemplum in Antonino 47.a
patara 968.b
patauium 50.b
patermythius ob Chriſtiani nominis confeſſionem igni demandatur 84.a
paterna nobilis matrona 407.b
patientiæ laus 5.b
patrioſala prædium 491.b
patritius S.Monicæ opera credit in Chriſtum 92.a
patrophilus Arrianus 32.a
patrum ſcripta inuiſa hæreticis 597.a
paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, à ſede depoſitus, Romam venit 31.a
paulus Epiſcopus relegatur in Cucuſum, & ibi ſtrangulatur 655.a
paulus à Feſto vinctus, Romam ad Neronem mittitur 7.a
paulus vt crebrò mortuus 983.a
paulus Neronis pellicem conuertit 970.a
paul' plus honoris eſt cōſecutus q̄ Imperatores 980.b
paulus prophetis ſuperior 982.a
pauli Conſtantinopolitani Archiepiſcopi vita 653.
S.Pauli Epiſcopi reliquiæ transferuntur 656.a
B.Pauli ſententia allegata 27.a
S.Pauli Apoſtoli vita 960.961.962.963.
B.Pauli martyrium 342.a 498.932.962.
S.Pauli conuerſio deſcribitur 693.a
S.Pauli Apoſtoli ſcripta 962.b
B.Pauli encomium 971.973.
S.Pauli labores 976.a
S.Pauli cœnobium 164.a
pauli cum B.Iohanne baptiſta collatio 982.a
paulina credit in Chriſtū 523.a gladio perimitur 525.a
S.Paulini ædes conflagrat, nec Modoaldi reliquiæ comburuntur 271.a 275.b
S.Paulini Nolani Epiſcopi vita 846.
paulinus Treuirenſis Epiſcopus 490.a
pauper repræhenſibilis monendus, non deſpiciendus 917.b
pauperum ingens numerus paſcitur 643.b
paupertatis votum 646.b
peccatum plerique erroneè à natura eſſe dixerunt 5.b
peccatum veniale quàm grauiter accuſet in ſeipſa Maria Oegniacenſis 859.a
peccati cauſa 5.b
peccati occaſiones non vitare, quàm noxium & periculoſum ſit 872.a
peccata in confeſſione detecta, dæmon improperare non poteſt 638.a
peccatis etiam minimis obuiare quàm fructuoſum 867.b
pella vrbs 182.b
pelagia ſeipſam interficiens laudatur 674.b
S.Pelagiæ virginis laus 674.678.
S.Pelagiæ virginis martyrium 78.b
in Pelagiam amoris vim non ferens, Diocletiani Imperato-

peratoris filius, ſeipſum gladio enecat 82.a
pelopidis humerus 952.b
peregrinatio ad loca ſacra 119.b 410.b
peregrinatio ad S. Iacobum in Gallicia 15.b
peregrinationes ad ſanctorum ſepulcra antiquitùs vſitatæ 812.a
ad perfectionis culmē qua ratione pertingatur 425.a
pergamius S. Iohannis Silentiarij frater 296.a
perge 967.b
pergentina virgo 563.a
S. Pergentini martyrium 562.a
perinthus vrbs 135.a
periurum quendam ob ſacramentum ad tumulum ſuum præſtitum S. Auſtregiſilus punit 411.a
perona monaſterium 282.a
perſæ populi 182.b
perſæ in Syriam irrumpunt 932.a
perſarum rex 233.b
perſecutio Chriſtianorum ſub Taciano Aegypti præfecto 36.b
perſecutio Eccleſiaſticorum 166.a
perſecutio Tyrannorum 307.b
perſecutio Diocletiani & Maximiani 671.b
perſecutio Chriſtianorum ſub Diocletiano 739.b
perſecutor Chriſtianorum Selenus 740.a
perſecutio Maximi 750.b
perſecutio Diocletiani Imperatoris 753.b
perſecutio Iuliani apoſtatæ 786.b
perſecutio ſub Veſpaſiāo Romano Imperatore 796.b
perſecutio Chriſtianorum Traiani Imperatoris tempore 800.b
perſecutio & tyrannis Neronis Imperatoris 803.b
perſecutio Chriſtianorum ſub Maximiano Herculeo & Diocletiano Auguſtis 843.b
perſis 295.a
peſtis ſæuiſſima, eaq́ generalis 414.b
petrus Apoſtolorum primus, religionis negocio præeſt 6.b
S. Petrus Epiſcopus & martyr 32.b
pertus Barbus Cardinalis, qui poſtmodùm Pontifex Opt. Max. factus, Paulus dictus eſt 51.b
petrus Epiſcopus ob Chriſtianæ fidei profeſſionem, ignibus traditur 84.a
petrus ſtamedienſis abbas creatur 158.b
perrus ſtamedienſis, Tarentaſius eligitur Archiepiſcopus 159.b
petrus Archiepiſcopus Tarentaſius mittitur à Papa ad conciliandam pacem inter reges Francorum & Anglorum 169.b
petrus Alexandrinus epiſcopus 190.a
S. Petrus Apoſtolus Plautillam ad fidem conuertit & baptizat 224.a
petrus Alexandriæ Epiſcopus 307.b
S. Petrus Exorciſta capite plectitur 525.a
petrus Alexandrinus Epiſcopus 803.a
petrus Leo vi Romanam occupat ſedem 647.a plurima mala Romæ perpetrat 649.b 650.a
petrus Vrſeolus Dalmatiæ dux, fit monachus 815.a
petrus magiſter Apoſtolorum 917.a
S. Petri monaſterium 142.b
petri Archiepiſcopi Tarentaſij vita 156.
petri Archiepiſcopi Tarentaſij ingenij felicitas, diſcendi celeritas, morum maturitas, parentum vita religioſa 157.b
petri Alexandrini temeritas 190.b
S. Petri cuiuſdam martyrium 342.a
S. Petri Cæleſtini vita, patria, parentes, ſigna futuræ indolis 385.a
petrus Cæleſtinus diuinitùs quid ſentire debeat de inuoluntaria pollutione, edocetur 388.a
petrus Cæleſtinus creatur Pontifex Opt. Max. 395.a
petri Cæleſtini in Papatu inſignis humilitas, & vti ſe in eo geſſerit, itemq́ de eiuſdem coronatione 396.a 397.a
petri abbatis ſanctitas, poſt obitum eius, miraculoſè ignotis (apud quos reconditus erat) innoteſcit 467.b
S. Petri Exorciſtæ martyrium 523.b
petri Fullonis impietas 697.a
S. Petri Apoſtoli vita 960.961.962.963.
B. Petri martyrium 962.b 966.b
B. Petri encomium 971.973.975.
petro (dum Chriſtianorum rogatu cedit Roma) obuius fit Chriſtus Dominus 961.a
B. Petronius de Petronijs 414.a
petronij obitus 338.a
petronilla vxor Florentij Craſſi, octaui Hollandiæ Comitis 931.b
S. Petronillæ hiſtoria 225.b
S. Petronillæ obitus & funeris iuſta 226.a
Pharus 183.a
philippus particeps eſt manifeſtationum Chriſti poſt reſurrectionem 2.a
philippus abbas 21.a 22.a
philippus rex Franciæ 779.a
philippus Archiepiſcopus Colonienſis 845.b
philippi Apoſtoli res geſtæ 1.a
philippi Thraciæ ciuitas 31.a 289.a
philippi Imperatores in Chriſtum credunt 262.b
philippopolis Thraciæ ciuitas 933.a
philiſtæa dogmata 189.b
philo Carpaſij Epiſcopus conſtituitur 246.b
philo 449.b
philocrates presbyter 201.a
philones Epiſcopus 33.a
philoſophi cuiuſdam quæſtiones, ſoluit Theodorus monachus 329.a
philoſophi huius mundi à S. Scriptura reijciuntur 89.b
philoſophia Chriſtiana 117.b
philoſophiæ virtus 118.a
philoſophiæ ſumma arx, mortem contemnere 90.a
philoſophiæ laus nominisq́ etymologia 89.b
philotheus 969.b
phinees 945.a
phœnicia 229.b 233.b 964.b
photice ciuitas 966.a
photini Lugdunenſis Epiſcopi martyrium, & pro Chriſti confeſſione mors 519.a
phrygia 2.b 228.a 449.a
phthiſi laborat Antoninus 39.b
phygellus Epheſinus à Petro conſtituitur Epiſcopus 965.a
Pibi vicus 321.a
picenum 55.b 209.a
pictaui 488.a
pietas eruditioni coniuncta, quantum poſſit 50.a
pinianus in Chriſtum credit 207.b
pipinus Anſigiſi filius 259.b
pipinus Breuis 260.b
pipinus rex Gallorum 213.b 440.b
pipinus dux Francorum 142.b 409.b
pipinus dux vt ſe ſub Dagoberto geſſerit 262.b &c.
pipini ducis obitum tota luget Auſtria 258.b
pipini encomion, 258.a præclara laus 262.b
pipini regis ad Bonifacium literæ 610.a
piſanus ager 39.a
piſæ ciuitas 56.b
piſidia 967.b
piſinuntes 964.b
piſtoria Thuſciæ ciuitas 45.a
piſtorium 39.a
Placentia 803.b
platonia monialis 740.a

plautilla 224.a
plechelmus ſacerdos 142.a
plet inſula 622.a
S.Plutarchi martyrium 959.
pluuialis Sāctus, cur B.Maurinus vulgo dictus 685.b
Podienſis ciuitas 727.b
pœmenia angeli hortatu ad martyrium contendit ſequens filium 286.b
pœnæ ambitioſorum 893.b
pœnitentia poſt confeſſionem à ſacerdote iniuncta, explenda 164.b
pœnitentia publica expiantur publica delicta, à Ludouico Pio & Theodoſio Auguſto 260.b
pœnitentia ſeptenni, Edgarus rex adulterij peccatum expiat 375.b
pœnitentia homicidarum, à veteribus cōſtituta 813.a
pœnitentia inſignis Ottonis Imperatoris 821.a
pœnitentiā grauē monacho iniungit Pachomiꝰ 334.a
ad Pœnitentiam adhortatio 898.b
polemon 184.a
Polonia beneficio Ottonis III. regnum factum 147.a
pollutionis nocturnæ aliquæ cauſæ, & quādò ſacram impediat vel non impediat communionem 388.b
polybij Epiſcopi Epiſtola ad Sabinum Epiſcopum Conſtantienſem 254.b
pontia inſula 224.a
pontici pueri martyrium 521.a
pontifex Rom. Boleslaum Poloniæ regem regno, & regnum regio priuat titulo 154.b
pontificiæ pompæ & ornamenta laudantur, eorumq́ demonſtratur antiquitas 397.a
pontificis Alexandri oſculatur pedes Quirinus 72.a
S.Pontij martyrium 302.b
pontus 185.b 450.b 964.b
poppo Treuirenſis Archiepiſcopus 508.a
S.Porphyrius S.Pamphili famulus 498.b
S.Porphyrij martyrium 498.a
porta Appia Romæ 961.a
portarum Carthuſia 936.b
portuenſis via 309.b
S.Potamiœnæ martyrium 959.
S.Potentianæ virginis hiſtoriola 358.b
Præmonſtraten. ordinis author Nortbertus 630.b de eiuſdēq; ordinis inſtituto diuina reuelatio 634.b
præmonſtrateñ templum ædificant, 635.a
prætorias ciuitas 750.b
preces populo Alexandrino publicæ, in morē Catholicorum (vt vocant) proceſſuum vſitatæ 30.b
preces cur Deus, etiam in re leuiſſima, exaudiat plerunquè 341.b
precum ſanctorum virorum vis 820.a
presbyter vigeſimo ętatis anno, ordinatur Euentius 74.a
presbyterum ordinat Epiphanius 245.a
presbyterorum aliquot nomina 611.a
S.Primi martyrium 670.
S.Primitiui martyrium 679.b
priſcilla 968.a
priſcus conſularis 208.b
priſcus Simonis Magi diſcipulus 224.a
probus 969.b
S.Proculi martyrium 505.b
proceſſionis ſolennis apud priſcos Chriſtianos cum crucibus vſus 405.b 452.a 463.b eiuſdem cū reliquijs ſanctorum 750.a
proconeſiæ tabulæ 190.b
prochorus epiſcopus Nicomediæ à Petro conſtituitur 965.a
proclifia vxor patricij cuiuſdam viri Romę 247.b
proclus hæreticus 963.a
S.Proculus martyr 340.a
promotus præſes 671.a
prophetæ Chriſtum prænunciant
prophetiæ vi puri homines vt plurimùm pollent 187.a
S.Proſperi Aquitanici epiſcopi Regienſis vita 922.
B.Proſperi orationes duæ 923.924.
S.Protaſij vita & martyrium 803.807.
protaſij corpus integrum ex reuelatione diuina inuentum 90.a
protei formæ mutatio 952.b
protina neptis Galieni Auguſti 207.b
prouidentia Dei 86.b 87.
pruliacum monaſterium 169.b
Pſalmos negligenter canentis ad Sancti corpus, pœna 513.b
pſenoſiris epiſcopus 33.a
Pudicitiæ exemplar 296.a
pulchri portus locus 969.a
purgatorius ignis 54.a 781.a
purgatorij pœnis mancipati, iuuandi noſtris orationibus, ſuffragijs, ſacrificiorúmque oblationibus 861.a
purgatorij pœnæ deſcribuntur 889.b
purgatorij ob pœnis afflictas animas, quàm ſe grauiter affligat Chriſtina mirabilis 890. & deinc.
in purgatorio puniuntur animæ pro peccatorū qualitate 869.b
ex purgatorio animam cuiuſdam liberat S.Lutgardis 773.a
puteoli 969.a
Pyrenæi montes 277.b
pythagoras Samius 118.b 122.b
pythonicus ſpiritus 968.a
Quadrageſima ſancta dicta Athanaſio 32.b
quadrageſimæ tempore corpus ſuū ſolito ſeueriùs macerat S.Marculphꝰ 11.b
quadrageſimale ieiunium obſeruat Andreas 21.b
quadrageſimale ieiunium tempore Ambroſij obſeruatum 807.a
quadrageſimale ieiuniū antiquitùs obſeruatū 393.b 630.b 687.a 816.a 830.b
quiriacus 488.a
S.Quirici patria ac martyrium 764.a
quirici infantis laudanda in tyrānum rebellio 766.b
quirini martyrium 70.a
S.Quirini Sciſciani martyrium 566.a 568.a
Radegundis monaſterium 565.b
radunt capita ſua Apoſtolus Paulus & alij quatuor 7.a
rais fœmina martyrio baptiſmum ſupplet 959.a
raptores alienorum, puniuntur diuinitùs 816.b
ratbodus Friſonum rex 576.b 578.a
ratiſpona 639.b
raucianus Comes 934.a
rauenna 341.a
rauſidones 479.a
Recham & Rechabim 8.a
redempta monialis 917.b
reditus eccleſiaſtici vt diſtribuendi 581.a
reliquiæ Sāctorū auro & gemmis precioſiores 274.b 718.b
reliquiæ ſanctorum aſſeruantur 58.a
reliquiæ Sanctorum veneratæ à rege Luſitaniæ 724.b 718.b
reliquiæ Sanctorum cur venerandæ 981.a
reliquiæ S.Febroniæ aromatibus & odoramētis condiuntur 748.a
reliquiæ Lutgardis virginis miraculis claræ 786.a
reliquiarū loco S.Gangulphi arma aſſeruantur 213.b
reliquiarum contemptores vti puniantur 480.b
S.reliquiarum violatores à Deo puniuntur 93‹.a

reliquijs ſanctorum vim ineſſe, homines ſanandi ideoq́ venerandas eſſe, docetur tunica D. Antonini 56.a
reliquijs ſanctorum latens quædam vis ineſt 46.a 90.b 169.a 171.a
reliquijs non tantùm, verùm (quod magis eſt) ipſis etiam rebus, quæ ipſarum contactu fruuntur, miram efficaciam ineſſe 272.a
ex reliquijs S. Modoaldi furtim ſublatis, copioſus manat ſanguis 270.b 275.b
reliquijs martyrum ingentes defert honores Theodoſius Magnus Imperator 806.b
ex reliquijs S. Nicolai apparet lac manare 881.a
reliquias ſacras quâti olim fecerint 174.b 531.a 534.b
reliquias S. Nicolai multi Impp. & principes ad ſe transferre conati 175.a quanta cum exultatione Barenſes auxerint 177.a
reliquias ſanctorum debito honore priuare, quàm periculoſum ſit 255.b
reliquias ſanctorū debito cultu & honore proſequi, & pium & antiquum, & priſcis Chriſtianis viſitatiſsimū 73.a 178.b 179.a 269.b 368.a 480.a 490.b 501.b 525.b 530.b 533.b 535.b 548.b 569.b 570.a 573.a 611.b 708.b 709.a 784.b 785.a 920.a 935.b
reliquias ſanctorum fugit dæmon 382.a
reliquias martyrum transfert Ambroſius 806.b
reliquias ſacroſanctas vocat Ambroſius 809.a
ad reliquias martyrum orat Epiphanius 248.a
ad reliquias S. Nicolai ingens cōcurſus & infinita miracula 180.a
remaclus Tungreñ epiſcopus 259.a 264.b
rembidis ſoror S. Guiberti 443.a
S. Remigius Rhemorum archiepiſcopus 277.a 663.b
de reſurrectione carnis Hieracis errores redarguit Epiphanius, ipſeq́ Hierax linguæ priuatur officio, erroremq́ fatetur 239.a
Rhagulinæ eccleſiæ præficitur F. Ioannes Dñicus 38.b
rhegium 969.a
rhetorica quid à philoſophia differat 192.b
rhinocurura 254.b
rhodanus amnis 949.a
rhodus 968.b
ricorbolus vicus Florentiæ 45.b
richardus Aquitanorū & Normannorum dux 220.b
richardus Comes 510.b
richardus abbas 511.b
S. Rictrudis vita 276.a
rictrudis nubit Adalbaldo 278.b
rictrudis Martianeñ cœnobium ingreditur 280.a
rictrudis filiæ monaſticam vitam ſuſcipiunt 280.b
rictrudis moritur & coruſcat miraculis 283.b
rictrudis proles 278.b
riſus immodicus vituperatur 448.a
Robert^o Salētinus, diſcipulus S. Petri Cęleſtini 400.a
S. Roberti abbatis vita 656.b
roda regularium monachorum cœnobium 625.a
rodeneñ eccleſia 401.b
rodoara fœmina nobilis 491.a
roffenſis eccleſia 371.b
S. Rogatiani martyrium 445.b
de rogationibus ſermo S. Auiti 212.a
roma 39.a 228.b
romana eccleſia mater & magiſtra omnium Eccleſiarum 917.a
romanæ Eccleſiæ à Chriſto dictum, Ego pro te rogaui &c. 917.a
romæ Chriſtum primus prædicat Barnabas 694.a
romæ inſigne ob SS. Petri & Pauli reliquias encomium 951.b
romæ extra portam Appiam ſacellum dictum, Domine quò vadis? 961.a
S. Romulæ virginis vita 917.
S. Romualdi abbatis vita 813.a
roricus Barbarorum rex 928.a
rotegiacus pagus 477.a 480.a 481.b
rothomagum 511.b
Rufeium villa 168.a
ruffinus diaconus 249.a
ruffus, Thebanus à Petro cōſtituitur epiſcopus 966.a
ruoſekinus Comes 929.b
ruſsi in Chrſtum credunt 822.b
ruſticus præſes Romanus 713.b
ruſticorum impetus atque furor 660.a

S

Abas ſanctus moritur, atque poſt obitum Ioanni Silentiario apparet 299.b
ſabaudia 159.a
ſabbati violator punitur à Deo 408.a
S. Sabbæ Laura 119.b
ſabelis martyrium 786.
ſabinus præſes Græciæ, edictum promulgat de ſacrificando dijs 199.b
ſabinus diaconus 249.a
ſabini epiſcopi ad Polybium epiſtola 255.a
ſacerdotij dignitas, officiumq́ quanto cum tremore obeundum 387.b
ſacerdotio qui initiandi 607.a
ſacerdotes in crimine depræhenſi, ad Florentinum epiſcopium deducuntur 48.b
ſacerdotes mali, Iudæ proditoris ſunt aſſeclæ 880.a
ſacerdotes mundi & caſti quantum proſint 600.b
ſacerdotibus coniugium interdictum 593.b
ſacra loca pietatis ergô inuiſere antiquum 61.a 63.b 348.a 508.b 511.b
ſacramēto venerabili altaris fatetur Deum ineſſe dæmon 632.b
ſacramenta immortalia 314.b
ſacrarum veſtium in eccleſia vſus 628.b
ſacrificant gentiles dijs humanis hoſtijs 34.b
ſacrificanti ſacerdoti, aranea in calicem delapſa, nil nocet 625.a
ſacrificium ſuſpſius 982.a
ſacrificium offert quotidiè Antoninus 40.a
ſacrificia pro defunctis Catholicis celebranda 584.a
ſacrificia ethnicorum Germanorum 584.a
ſacrificia veteris legis, fuerunt typi nouæ legis ſacrificiorum 67.b
ſacrilega quædam oculorum caligine punitur, mox reſtitutione facta, viſum plenariè recipit 167.a
ſacrilegus quidam cucullam, quam dum efferre cœnobio conatur, nec poteſt, reſtituit 167.b
ſacrilegus anathemate feritur, nec poteſt diſcedere, niſi reſtitutione facta 167.a
ſacrilegi pœna 928.a
ſal exorcizatur 637.b
ſalis benedicti vis 652.b
ſalem conſecrat S. Alexander 75.a
ſaladinus Aegypti Sulthanus 894.b
ſalamina 243.a 967.b
ſalaria via 208.a 226.b
ſaliſburgeñ oppidum 586.b
ſalomon abbas 410.a
ſalomon Hungarorum rex 686.b
ſalomonis templum 246.a
ſaltans, à Deo morte mulctatur 228.a
ſaluſtius Hieroſolymitanæ eccleſiæ pontifex 296.b
ſamothracia 968.a
ſamſonis Scoti error 604.a
S. Samſonis hoſpitum exceptoris vita 950.
ex Samſonis ſepulcro liquor manat 958.b
ſamus 968.b
ſanctus diaconus varijs tormentis affectus, ſecuri cæditur 517.b & 520.a
ſancti in Palæſtinam in metalla condemnantur 84.a
ſancti Symphoriani caſtrum 165.a

ſancti non ſunt mortui, ſed plantati in vita 721.b
ſancti non deſunt nobis præſentia ſpiritali 379.a
ſancti vrbium ſunt defenſores 605.a
ſancti in cælis noſtri ſunt memores, & pro nobis orãt 126.b 255.b 456.b 487.b 677.b 767.b 847.a 959.b 980.b
ſancti ſunt noſtri patroni & ꝓpugnatores 670.a.818.a
ſancti viuunt, curamq́ noſtrarũ rerum gerunt 382.b
ſancti res mortalium probè norunt 273.a 383.b
ſancti quid etiam poſt mortem poſſint 437.b
ſancti viri ſcipio ac cera, ab igne non læduntur 713.a
ſancti cur plerunq; poſt mortem, ſua alijs reuelent corpora, terræq; mandari cupiant 806.a
ſancti vitam habẽt in patientia, mortem in deſiderio 883.a
ſancti in corpore militãtes, angelis ſunt maiores 971.a
ſanctorum vitæ cõmemoratio, quid commodi præſtet 4.a 22.b 506.b
ſanctorum ad aras & monumẽta munuſcula, precioſas veſtes aut alia ornamenta offerre, peruetuſtum 56.b 384.a
ad ſanctorum loca ſupplices ſanantur 71.b
ſanctorum laus in Deum redundat 140.b
ſanctorum martyrum opera imitanda 211.a
ſanctorum reliquiæ cur coruſcent miraculis 268.b
ſanctorum honor in Chriſtũ redundat 274.b 950.b
SS. corpora quanto honore à maioribus, & quibus proceſsionibus in vrbes introducta 346.a
ſanctorũ acta quàm ſtudioſè veteres conati ſint vindicare ab obliuione 347.b
ſanctorum geſta ad poſteros tranſmittenda 347.b
ſanctorum feſta quàm officioſè pieq; colenda 186.b
ſanctorum ſepulcra ornare, priſcum 409.a
ſanctorum è tumulis pulueres pietatis ergô accipere, antiquum 437.b
ſanctorum ſpernere præcepta, periculoſum 474.a
ſanctorum inuiſere limina, ad eorumq́ cõfugere aras & ſepulcra, antiquum & pium 141.b 374.b 489.b 514.a 515.a 577.b 584.b 761.b
ſanctorum martyrum corpora aromatibus condiuntur 759.a
ſanctorum metuenda pauimenta 794.b
ſanctorum inuocatio quàm efficax 836.a
ſanctorum vita, Euangelicorum panis fragmentorũ nomine, intelligitur 853.a
cur ſanctorum hiſtoriæ tam multos habeant obtrectatores 856.a
ſanctorum honore Deo nihil derogari 912.a
ſanctis vouere pium 384.a
ſanctis dedicare altaria pium & antiquum 881.b
ſanctis non ingratum, ſuas à nobis reliquias venerari 881.a
ſanctis quàm gratum ſit, ſtatos illis feſtos dies celebrare 880.b
ſanctitas vnde naſcatur & confirmetur 764.a
ſanctos inuocare, pium & catholicæ religioni conſentaneum 22.a 55.b 56.a 257.a b 270.a 275.a 289.b 293.b 489.b 935.b
ſanctos honore debito priuare quàm graue ſit 380.b
ſanctos viros conuiciari, periculoſum 461.a
ſanctos in Chriſti laudem honoramus 935.b
ſanguinis Chriſti ſtilla apparet 652.a
ſaracenorum inſignis ſtrages 260.a
ſardica 31.a
ſardinia 40.b 288.b
ſarta flumen 349.a
ſatietas parit contemptum 958.b
ſauara villa 475.b
Scarbus fluuius 280.a
ſchiſma in eccleſia Romana 98.b 165.b 649.b 941.b
in ſchiſmaticum diuina vltio 166.b
ſclaui 260.a
S. Scopilio 471.b
ſcripturas ſacras totas memoria retinuit S. Antonius Vlyſbonenſis 727.a
ſcythæ Thraciam occupant 932.a
ſcythopolis 298.a
Sebaſtia metropolis 295.b
ſebaſtianus dux 304.a
ſebaſtiani Manichæi in orthodoxæ fidei cultores ſæuitia 32.b
S. Sebaſtiani corpus, Lucina matrona ſepelit 209.b
ſecorbiacum villa 478.b
ſeleheim 610.a
ſelenus tyrannus diuina vltione miſerè perit 746.a
S. Seleuci martyrium 498.a
ſeleucia 967.b
ſemiarriani 189.a
ſenæ vrbs 39.b 41.a 435.a
ſenenſis vrbs virginis dicta 411.a
S. Sennes 450.b
ſenonenſis diœceſis 169.b
ſepeliendi veterum Chriſtianorum ritus 910.a
ſeptimianus abbas 54.a
ſequana fluuius 170.a
ſerenus iudex 524.a
S. vtriuſque Sereni martyrium 959.
ſergius pontifex 461.a
ſergius Paulus Cypri Proconſul à Paulo Apoſtolo conuertitur 961.a
ſermius fluuius 290.a
ſermo B. Petri Damiani, in feſto S. Anthimi martyris 210.a
ſermonis quanta moderatio eſſe debeat, præſertim in monacho 323.a
S. Seruatius prope Traiectum moritur 294.a
ſeruatij Tungrorum epiſcopi vita 293.b
S. Seruatij ſepulcrum mira Dei prouidentia nec aquas nec niuis experitur iniurias 294.b
ſeruilianus credit in Chriſtum 228.a
ſeruire Deo cupientes, à mundo irridentur 872.a
ſeua fluuius 45.a
ſeuera ſoror Modoaldi abbatiſſa 257.b 266.a
ſeueræ virginis virtutes 266.a
ſeueriacum villa 482.a
S. Seuerini monaſterium Coloniæ 683.b
ſeuerus Sulpitius ſacram contexuit hiſtoriam 295.a
ſeueri hæreſis 301.a
Siagrius Auguſtudunẽſi epiſcopus 482.a
ſibergẽſi monaſterium 624.a
ſicilia 50.b 396.b
ſidon 964.a
ſidoniæ regina 183.b
ſidonius epiſcopus 763.b
ſigebertus Galliarum rex 262.b
ſigebertus ab Ariberto rege ex ſacro fonte ſuſcipitur 278.a
ſigebertus monachus Chronicorum ſcriptor 295.a
ſigeberti regis cædes 666.b
ſigna non eſſe expetenda 268.b
ſigninum caſtellum 935.b
ſilas Corinthi epiſcopus à Petro conſtituitur 965.a
ſilentium Pythagoricum 122.b
ſilentium in templo laudatum 688.b
ſilentium commendatur 865.a
S. Simeon canonizatur 515.b
S. Simeonis monachi Treuirẽſ vita 568.a
ſimon S. Nicolai abbas 636.a
ſimon abbas Foniacenſis 773.a
ſimon Magus laceratur à cane 225.a
ſimonis Magi vita 224.b
ſimonis Magi impietas 960.a Romæ impiæ ſuæ diuulgatæ ſuperſtitiones 960.a Ibidem dum volare conatur, in terram corruit, ſicq; moritur 961.a

ſimonis Magi præſtigię 965.b
ſimoni Mago erigitur ſtatua 965.a
ſimoniaca hęreſis 826.b
ſimoniacorum quàm difficilis conuerſio, ob obfirmatum in malis animum 826.b
ſimoniacos caſtigat acriter Romualdus 826.b
S.Simplicianus 451.a
S.Simplicij Auguſtudunenſis vita 920.
in Sinæ montis monaſterio frumentum miraculosè augetur 510.a
ſinope Ponti ciuitas 964.b
ſirmium Hiſpanię ciuitas 966.a
ſiſinnij diaconi vita 206.b
S.Siſinnij diaconi martyrium 485.a
S.Sixtus 680.a
Solon legiſlator 185.b
ſomena fluuius 662.a
ſomerſitana prouincia 461.b
S.Sophię templum extruitur 654.b
ſortes ab Antonino exploduntur 49.b
S.Soſimi martyrium 800.
ſoteris virginis martyrium 229.a
Spanydrion locus ſolitarię habitationis Epiphanij 233.b
ſpatharus 954.b
ſpecioſus presbyter 917.b
ſpedotenum villa 474.a
ſpira 643.b
ſpenthaeſes diſcipulus Pachomij 314.a
Stabulaus monaſterium 259.a
ſtadinſe pagus 350.b
S.Stanislai epiſcopi Cracouięſis & martyris vita 143.
ſtamedienſium humanitas laudatur 158.b
ſtamedium 172.a
ſtaurius locus ſepulturę Acacij 138.a
S.Stephana arboribus duabus alligata diſcerpitur 306.b
ſtephanus rex Chriſtianiſs. 21.a
ſtephanus abbas Leodień 256.a
ſtephanus papa 260.a
ſtephanus epiſcopus Meteń 271.b
ſtephanus abbas 274.a
ſtephanus epiſcopus Cameraceń 276.a
ſtephanus alius quidam epiſcopus 443.a
B.Stephani oratoriū Metis manet illæſum ab incendio 294.b
ſtœchioticus Damaſceni liber 119.a
ſtolam Romæ ab Epiſcopis ferri, priſcis non inuſitatum 371.a
ſtrongila 968.b
ſtudia ſimilia hominum conciliant animos 24.b
ſturmis abbas 609.b
Subditi vt regi debeant 192.a
ſulpitius credit in Chriſtum 228.a
ſulpitius diaconus poſteà Bituriceń archiepiſcopus 407.a
ſumma quędam fidei Chriſtianæ 107.a
ſunamitidis mulieris encomium, & quid præfigurârit 737.a
ſirus diſcipulus Pachomij 314.a
Sybaritice Grecorum obſcœnitates 186.b
ſyene 315.b
S.Syluani Gazę epiſcopi vita, & aliorum quorūdam ſanctorum martyrum 84.a
ſyluani monachi mira conuerſio 327.a
ſyluani lucus deſtruitur & vaſtatur 208.b
ſylueſter papa 34.a 448.a
ſyluiniacum 221.a
S.Symphorianus martyr 265.b 471.b
ſyneſius 244.b
ſynodus Tyri vbi accuſatur Athanaſius 25.a
ſynodus Sardiceń plus quàm trecentorum epiſcoporum Occidentalium, Orientalium autem Septuaginta 31.b
ſynodus Conſtantinopolitana 194.b
ſynodus Arimineń 449.a
ſynodus in Anglia 467.b 576.a
ſynodus Colonień contra Euphratam epiſcopū hæreticum 489.b
ſynodus tempore Carolomanni coacta & celebrata 587.b eiuſdem canones 588.
ſynodus Rhemeń 630.a 647.a
ſynodus Antiochena 653.b
ſynodus Sardiceń 654.b
ſynodus Conſtantinop. contra Macedonium 655.b
ſynodus Chalcedoneń 697.a
ſynodus Nicena 922.b
ſynodum Mediolaneń Conſtantius congregat 33.a
ſyria 32.a 964.b
ſyrianus dux 90.b
TAbeniſe vicus 310.b 315.b
tabernaculi Moſaici myſtica interpretatio 317.a
tres tabernę 969.a
tabulæ Decalogi poſteriores, nouæ legis typus erant 67.a
tabularum Decalogi priorum effractio, veteris legis abolendę typus 67.a
tanchelinus hęreticus ſeducit Anturrpień 641.a
tanetos inſula 463.a
tarracina 226.b
tarſus vrbs Cilicię 78.b 196.a 570.b 962.a
tarſi multi Chriſtiani ac baptizati, Diocletiani iuſſu in carcerem conijciuntur 78.b
tartarorum in varias regiones incurſiones 782.a
tatianus in miſera egeſtate vitam finit 36.b
tatiani ſtatua ignominia ab Alexādrinis afficitur 36.b
S.Taurecus epiſcopus 408.b
taurinus mons 50.b
S.Tecla 967.b
templa viſitat Antoninus 44.a
templis ſummum honorem vult deferendum eſſe Antoninus 49.b
tentat neminem Deus 5.b
tentatur homo à propria concupiſcentia 5.b
tentyrorum eccleſia 315.b
terræmotus ingens 37.a
terræmotus in morte Philippi inſolitus 3.a
tetrarchia Herodis 8.a
Thamiſia fluuius 369.b
thammus Theuto conuertitur 821.a
thaſſus 190.b
thebais 32.a
thebæorum corpora 256.b
S.Theobaldi confeſſoris vita 986.a
theodebertus rex 472.b
theodemirus abbas moritur 565.b
theodoricus rex Francorum 259.b 282.a 408.b
theodoricus rex Italiæ, Arrianus, perſequitur Catholicos 505.b
theodoricus nonus Hollandiæ comes 931.b
theodorus archiepiſcopus 129.b
theodorus ſcriba 296.a
theodorus mira arte ſeruat fratrem de fuga cogitantem 324.b
theodorus viginti annos natus, docet monachos, quod ęgrè ferentes fratres à Pachomio corripiuntur 316.a & b
theodorus nobilis puer, fit monachus S.Pachomij 317.a
theodorus Florentinus epiſcopus 448.b
S.Theodorus 455.a
theodori Mopſueſtię hęreſis 302.a
S.Theodori Studiti de S.Ioannne Baptiſt.oratio 899.
theodo-

theodoſius Imperator orthodoxus 191.b 193.a 655.b 806.a
theodoſij Imperatoris erga Gregorium Nazianzenũ beneuolentia 193.a
theodoſij Imperatoris ad Epiphanium literæ 251.a
S.Theoduli martyrium 70.a 498.a
theognis 26.b
theognoſtus 251.b
theologia Græcorum erronea 118.a
theonicus miles Chriſtianus 83.a
theopaſchiani hæretici 697.b
theophilus Alexandrinus epiſcopus 251.a
theſſalonica 191.b
thietmarus abbas Helmuuardiceñ 256.a
thinus flumen 128.b 130.b
thomais monialis 742.b
thomas Aquinas 54.b
thomas dominus de Coſci 635.a
thomas Cardinalis 399.a
thomas abbas S.Trudonis 897.a
thomas Regienſis epiſcopus 924.b
thracia 286.b
thræa inſula 320.b
thuringia 578.a
thuringiæ hæreſiarchæ 582.b
thuris incenſi efficacia 822.b
thyeſtæa cœna 517.a
Tiberina oſtia 90.b
S.Tiburtius martyr. 525.a
tiburtius tyrannus 562.a
ticinus 586.a
tieſſerburgeñ monaſterium 576.a
timor ſanctorum etiam hominum 94.b
timotheus presbyter 29.a
timotheus eremita 703.a
Tobiæ S.Bernardi conſobrinæ virtutes 413.a
tollus Seneñ, pater S.Bernardini 411.a
toloſa 277.b 729.b
tornaceñ barbari mores & ad fidem conuerſio 663.b 664.a
torneamentorum ludus 861.a
totila Gotthorum rex 457.b 983.b
Traditio catholica ſeruanda 609.a
traianopolis 199.b
traianus Imperator 228.a
traiani forum 199.a
traiectum 294.a 577.a
traiectum olim dictum Vuiltenburg 711.a
tranſaliacenſis vicus 910.a
tranſſubſtantiato 379.a
trecorenſis vrbis epiſcopus 402.a
treuiris Galliæ Metropolis 257.a
treuiris Belgicæ Galliæ adſcribitur 488.a
tribunus martyr 291.a
tridens villa 350.a
trina ſignatio myſtica 247.a
trinitatis myſteriũ Bibiano Acacius enodat 134.a
tripolis Phœniciæ vrbs 964.b
troas 342.b 967.b
troiani 277.a
S.Trudonis oppidum 889.a
tryphon moritur 231.a
Tuba ductilis 211.b cornea ibidem.
tube menſis 317.a
tumen ciuitas, aliàs Tunem ſeu Tunetum 50.b
tungrenſis epiſcopatus Traiectum transfertur 295.a
tuſcia 166.b 339.a 450.b
tutela, Iouis templum 248.a
Tyane Cappadociæ ciuitas 187.b 964.b
tyberianus 284.b
tyberianum terret angelus 288.b
tyberis 210.b
typhoëa tela 445.a
typhonicus ventus 969.a
tyrannos cur diù impunè ſæuire in Chriſtianos, Deus permittat 133.a
tyrus 28.b

V

Valencenæ 626.b
valens Arrianus Imperator 450.b 806.a
valens conatur Arrianorum prouehere impietatem 36.b
valens perſequitur Catholicos 36.b
valens Antiochiæ vexat orthodoxos 37.b
S.Valentis diaconi Hieroſolymitani martyriũ 498.a
valentiniana hæreſis 255.a
valentinianus Imperator 35.b 450.b
valentinianus in ſocietatem imperij admittit fratrẽ Valentem 36.b
valerianus præſes Tyrannus 755.a
S.Valeriæ martyrium 808.a
S.Valerius 490.b
vallo caſtrum 471.a
vanæ gloriæ contemptus laudabilis 869.a
vanæ gloriæ cupiditas caſtigata 337.a
vandalica perſecutio 849.a
vantſumu fluuius 463.a
varennæ 213.b 215.a
varlarenſe monaſterium 639.a
vaſconia 277.b
S.Vbaldi epiſcopi Eugubini vita 353.a
velari virgines antiquum 224.a 258.b
velari virgines tempore Antonini conſuetum 45.b
veneficæ cuiuſdam malitia 165.a
veneficos & ariolos neceſsitatis tempore, adire ac ſciſcitari, impium 165.a
venerandæ pleræque res non quatenus tales, ſed quatenus habentis eas, res ſunt 63.b
veneris templum in mõte Caluariæ à gentilibus ædificatur 61.a
venerius eremita 820.b
venetiæ 50.b
verbum Dei, panis angelorum 33.b
vercellina porta 139.b
veromanduorum oppidum 282.a
veronica virgo 232.a
verſa fluuius 663.a
veſtæ virgines Romæ 226.a
veſtia ciuitas 398.b
veſtimentorum faſtus repræhenditur 42.b 864.b
veſtium indecorus cultus ab Antonino vituperatur 49.b
veſtibus ſacris quæ reuerentia competat 373.b
veſtes ſacras benedicit Antoninus 44.b
Vhogo Traiecteñ epiſcopus 442.b
Via virtutis qualis ſit 5.a
via Latina Romæ 199.b
S.Victor ſecuri percutitur, atque ex eius vulneribus lac cum ſanguine promanat 306.b
S.Victoris martyrium 304.a
S.Victoris Mauri martyrium 138.a
victorini epiſtola 226.a
victorini cædes, ſepultura, & baſilica eius in honorem condita 227.a
victorius dux prope Romã vrbem occiditur 140.a
victurium nomaſterium 349.a
vidualis continentiæ fructus 258.b
vienneñ Diœceſis, poſtmodũ Mauritij dicta eſt 157.b
viennenſium vrbs 211.b
viennenſium clades 211.b 212.a
vigiliæ monaſticæ 159.b
vigiliæ obſeruãtur in eccleſijs in ſanctorũ feſtis 140.a
vigiliæ nocturnæ 816.b
vigiliæ natalis Apoſtolorum 985.a
vigiliarum celebratio antiqua 211.b 664.b

villenbroc 857.b
S. Vincentij martyris reliquiæ aſſeruatæ 349.a
vincula Petri oſculatur & Alexandri boias Balbina 73.a
vindocineñ pagus 479.a
vino modico vtendum monet Lucinam matronam S.Sebaſtianus 209.b
virga Aaronis typica 67.b
virgilius epiſcopus 464.b
virginalis continentia laudata 222.b 223.280.a 742.b
virginitas Deo gratiſsima 223.a
virginitas nuptias Chriſti & Eccleſiæ cõdecorat 223.b
virginitatis amiſſę & matrimonij incommoda 222.a
virginitatis ſeruãdæ cauſa quæ ſe puellæ peremerint 674.a 678.b
virgo diuinitùs lac præbet 890.a
virgo quæ manet in coniugio 851.b
virginum gloria in cælis 223.b
virginum priuilegium 280.a
viris Dei quãntus honos debeatur 340.b
viromandeñ eccleſia 660.b
virtutis ardua via & difficilis 5.a
viſitare ſanctorum templa pium & antiquum 861.b
vita beata in cælis 223.a
S. Vitalis martyrium 808.a
S. Vitus totius Saxoniæ patronus 758.b
S. Viti pueri martyrium & miracula 755. a b
vitia induunt virtutum ſpeciem 873.b
vitijs à quibus impugnamur, cur non ſtatim ac ſatis reſiſtamus 322.b
vitulus veteris legis typicus 67.b
viuilus Patauieñ epiſcopus 506.b
Vlranus abbas 282.a
vlysbona ciuitas ab Vlyſſe condita 723.b
Vnctio extrema ſeu oleum ęgrotorum 6.b
vnctionis extremę ſacramentũ ſumit vicinus morti Antoninus 53.b
vnctionis extremæ ſacramento morientes ſe muniũt 384.a
vnctionis extremæ præclarę virtutes 875.b
Voluſianus Palæſtinę præfectus 715.b
votum parentum pro liberis 182.b
votum virginitatis 362.a
vota religioſorum quænam ſint 39.a
vota ſanctis præſtita 57.a
vota explenda 929.b
Vrbanus VI. pontifex 38.a
vrbanus præſes à Deo punitur 505.b
vrbanus Tarſeñ à Petro cõſtituitur epiſcopus 965.a
vrbicius S.Liphardi diſcipulus 564.a
vrion locus quidam 234.a
vrſaria villa 489.b
S. Vrſicini martyrium 807.b
Vſurarij horrenda mors 731.b
Vtilo dux Baioariæ 586.a
Vienna 516.a
Vuag flumen 21.b
vualameris Oſtrogotthorum rex 295.a
S. Vualburgæ virginis, abbatiſſæ Heydenheimenſis, vita 17.a
S.Vualburgę reliquię ſudare videntur 19.b
vuarinbertus Sueſsionis epiſcopus abutitur monaſterij rebus 668.a
vueſterlo pagus 344.b
vuenceslaus Cæſar 38.a
vuigbertus presbyter 925.b
vuilfridus presbyter 131.b
vuilhelmus Angliæ rex 382.b
vuilhelmus epiſcopus Maurianenſis 944.b
vuillibaldus primus Eyſteteñ epiſcopus, diſcipulus S.Bonifacij 17.a 97.a vitam S. Bonifacij ſcripſit 573.b
vuillibrordus Traiecteñ epiſcopus 578.a
S. Vuillibrordus in Friſia Chriſtum prædicat 925.b
vuiltonia 375.b
vuinbertus abbas 576.b
vuinbertus Archimandrita 576.b
S. Vuiniboldi reliquiæ ad Eyſtadienſe cœnobiũ tranſlatę 18.a
S. Vuironis epiſcopi Scotię vita 140.b
vuirone vtitur Pipinus loco confeſſarij 142.b
vuitmaris prędium 140.b
vuolfhardus abbas 575.b
Vxorem fratris defuncti, ducit ſuperſtes frater in Anglia 688.a
X literæ myſterium 67.a
Xantenſes 346.b
xantenſibus concionatur Nortbertus 624.a
xantippe ad Chriſtum cõuertitur 969.b
Xenocrates 184.a
ZAcharias Papa 260.a
zachariæ Romani Pontificis ad Bonifacium literę 593.a 594. 595.599. 601. 602. 603. 604. 606. 608.
zacharię verba citantur 195.b
zachęi mira abſtinentia 337.a
Zeno Imperator 296.a
zenobius ſubdiaconus factus, mox creatur Archidiaconus Florentinus 449.a
S.Zenobius inuiſitur à S.Ambroſio 449.b
S.Zenobius cõtra Iulianum apoſtatam publicè concionatur 449.b
S.Zenobij Florentini archiepiſcopi vita 447.
zenobij obitus, morientis ad ſuos oratio, corporis translatio, ac denique pręclara poſt mortem miracula 452. 453. 455.a 456.a 457.a 458. 459.
zephyritarum vrbs 750.b
zephyrinus pontifex Romanus 963.a
Zioncellus fluuius 291.b
Zobor monaſterium 21.a
zoërardus fit monachus & Andreas nominatur 21.a
zoërardi confeſſoris & eremitę vita 21.a
zozimas abbas 21.a

ALPHABETICVS TOMI ISTIVS TERTII DE SANCTIS, SVB APPELLATIONE MAII ET IVNII, ORDO.

A, B, C, D. A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ii, Kk, Ll, Mm, Nn, Oo, Pp, Qq, Rr, Ss, Tt, Vv, Xx, Yy, Zz. Aaa, Bbb, Ccc, Ddd, Eee, Fff, Ggg, Hhh, Iii, Kkk, Lll, Mmm, Nnn, Ooo, Ppp, Qqq, Rrr, Sss, Ttt, Vvv, Xxx, Yyy, Zzz. Aaaa, Bbbb, Cccc, Dddd, Eeee, Ffff, Gggg, Hhhh, Iiii, Kkkk, Llll, Mmmm, Nnnn, Oooo. Trifolia ſunt aut indicant connexiones ſingulæ, exceptis bifolijs quatuor, videlicet, A, B, C, Oooo.

Effi-



IN IMAGINEM REVERENDI PATRIS
LAVRENTII SVRII CARTHVSIANI,
OPTIME DE CHRISTIANA REP. MERITI.

Effigiem SVRII dum cernis, candide Lector,
Quin capiat tanti fructus amorq́ viri?
Qui lucrum duxit, mundo latuiſſe ſuperbo:
Delicias, caſta mente vacaſſe Deo.
Ecce recedentis ſequitur nunc gloria tutam
Virtutem, nullis ſat celebranda typis.
Clara LVBECA neci genuit, ſed carior illi,
Qua patet ad vitam, ſedula cura fuit.
Huius ob eximium quo conflagrabat amorem,
Saluifico triuit commoda vana iugo.
At licet obſcuro, ſed ſacro tecta receſſu,
Non potuit ſoli lux micuiſſe ſibi.
Nanque domi fratres virtutum lampade luſtrans,
Edocuit ſummo reddere vota patri,
Quando erat in SVRIO ſacri ſpectaſſe laboris
Exemplar, placidam mente referre facem.
Omnibus vt, Pauli iuxta decreta, ſalutis
Anſa foret, cunctos, omnia factus, obit.
Nec generoſa domi Virtus ſe paſſa recludi,
Protulit oppleto munera larga ſinu.
Quot docet atque monet Stygiam vitare paludem?
Quótve pio mollit pectora dura foco?
Quot dedit afflictis rebus patriæq́ ruinæ
Fulcra? quot hæreſiûn monſtra nefanda domat?
Dum ſermone colens Latio monimenta piorum,
Eximias ſanè ſuppeditauit opes.
Sanctorum præclara quid eſt certamina magnis
Sex celebrata Tomis quòd dedit vna manus?
Septimus adiungi dum cœptus, turba beata
Cælicolûm ſtudijs præmia digna parans,
Sat Superis factum, dixit, donetur Olympo,
Emeritũ noſtris inſere CHRISTE choris.
Nec mora, præſiliẽs SVRIO mors prompta ſedenti,
Intrepidum ad Superos cuſpide pandit iter:
Liber abi, dicens, celebratis iungere Diuis,
Et cape nunc meritis ſerta dicata tuis.

IN IMAGINEM ET LIBROS SVRII.

EST aliquid SVRII ſpectare in imagine vultus,
Quos ſpatio exiguo ſcalpta tabella refert.
At SVRII Libros, magna quos texuit arte,
Qui legit, ingenium cum pietate videt.

OBIIT ANNO DOMINI M.D.LXXVIII. DIE XXIII. MAII.

MAIVS.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM SANCTI APOSTOLI PHILIPPI, AVTHORE *Simeone Metatbraſte.*

DEI Verbum, quod cum patre eſt æternum, & caret tempore, voluit aliquando fieri ſicut nos, & venire ſub tempus, propter lapſum noſtræ naturæ. [Maij 1.] Hinc factum eſt, vt virginis carne circunſcriberetur, & id quod aſſumpſerat, Deum redderet communicatione. Cùm autem eius cum corpore aduentu, omnibus acquirente ſalutem, oporteret eum habere ſpectatores diuinæ illius & ineffabilis diſpenſationis, & participes myſteriorum: vt vniuerſo generi per ipſos ſuppeditaret affatim reuocationem: poſtquàm per totam finitimã, & quæ circùm Iordanem ſita erat, regionem peruaſiſſet Iohannis prædicatio, data autem fuiſſet gratia ſpiritûs, & multi ab illo baptiſmum accepiſſent, quo tempore meus quoque Chriſtus fuit baptizatus, [Matt.3.] mittens verſari in ciuitate idem Dei verbum, quod compræhendi non poteſt, (verſabatur enim Hieroſolymis) degit in Galilæa. In ea autem agebat Philippus ille admirabilis, qui erat quidem ex Bethſaida [Iohan.1.] ciuitate Andreæ & Petri, tunc verò aderat in Galilæa: qui ſtatim ab ineunte ætate traditus eſt à parentibus, erudiendus diſciplinis, [S. Philippi patria & inſtitutio.]

Cùm autem rectè fuiſſet educatus, & in omni laudabili diſciplina iam inſtitutus eſſet & eruditus, libros perlegit Moſaicos, & quęcunque fuerant prędicta de Chriſto myſteria, imbuit: quemadmodùm nouiſſimis temporibus ſit venturus, & ſit omnibus cõmuniter ſalutem diſtributurus. Ijs enim, qui tunc erudiebant, non erat permiſſum, diſcipulos in alia erudire doctrina, niſi libros Moſis priùs legiſſent. Cùm ergo veniſſet Ieſus in Galilæam, & hunc magnum inueniſſet Philippum, iuſſit ei, vt ipſum ſequeretur. [Ibidem.] Ille autem cùm audijſſet, ſtatim recordatus eſt eorum, quæ ab ineunte ætate de Chriſto accepit & legit: & eum eſſe illum agnouit, quem Moſis libri eſſe poſteà venturum declarabant. [Philippus adhæret Chriſto.] Exhinc ergo is cum eo, qui vocauerat, magiſtro verſabatur, & habebat virtutem, quæ cum tempore prouehebatur: & connumerabatur cum præcipuis diſcipulis.

Cùm autem ita boni effectus fuiſſet particeps, aſſumit etiam alios ſocios participationis: nec eam celat, ſed cùm in primum incidiſſet Nathanaëlem, qui longo antè tempore [Iohan.1.] ei fuerat amicus & familiaris, veniẽtis aduentũ, non tanquam adhuc futurum, ſed tanquam qui iam eſſet, annunciauit: Non ampliùs, dicens, in ſpe ſita eſt ſalus Iſraëlis: ſed quem linguę ſpiritu pręſignificãtes Seruatorẽ, prędixerunt in vltimis diebus Iſraëli ſurrecturum, is adeſt. Et cùm nos inueniſſemus Ieſum ex Nazareth, & eius admirabilibus & quæ naturã ſuperant miraculis non poſſemus non credere, omnes alios multùm iubentes valere, cum eo degere conſtituimus. His cùm ſummoperè cepiſſet Nathanaëlem, [Ibidem.] etſi rem ægrè ferentem, & non ex Nazareth eſſe boni aliquid contendentem, à tuendis quidem rebus Iſraëlis eum abducit, Chriſto autem adducit obedientem. Cúmque eum primùm adiunxiſſet, liberiùs exclamauit: Rabbi, dicens, tu es Rex Iſraëlis. Quo quidem ipſe quoque Chriſtus delectatus, vt quod profectum eſſet à mente intus rectè affecta, id aperit, quod erat ei conueniens, futurũ eum myſtam maiorũ myſteriorum, & regni Dei ſpectatorem. Quid enim dicit? Amen dico vobis, cælum apertum videbitis, [Ibidem.] & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis. Ab illo ergo tempore ſacratiſſimus Philippus aures præbens ſacris myſteriorum inſtitutionibus, tota mente in illis verſabatur, nulla eum cura attrahente ad alia: & luce diuinioris cognitionis expurgabat cogitationem, priorem depellens ignorationem, & internum hominem renouans.

Cùm itaque ad virilem ætatem perueniſſet, in Chriſtum quidem perfectiorem aſſumpſit charitatem, vt reputaretur perindè atque filius, & locum obtineret hæredis, & aduentu ſpiritûs conſtitueretur princeps ſuper omnem terram. [Pſal.44.] Cùm autem aduenif-

ſet tempus ſalutaris paſſionis, per quam patibili genere ſuperior extitit impatibilitas, is inſeparabiliter verſabatur cum Magiſtro. Oportebat verò illo tempore aliquos ex ijs, qui tenebāt falſam gentium religionem, proficiſci Hieroſolyma ad feſtum contemplandū. Ij ijs, quæ de Ieſu præter opinionē annunciata fuerant, obſtupefacti, (Nam ipſis
Ioā.11.&12. quoque magna de eo nunciabantur, & quę fidem ſuperabant, quòd Lazarum quidem ſuſcitâſſet à mortuis, & vniuerſus populus eum laudibus & bonis verbis eſſet proſecutus, & alia innumerabilia feciſſet miracula) eum conueniendi magno capti ſunt deſi-
Ioan.12. derio. A quo ſuperati, veniunt ad meum Ieſum: & cùm acceſſiſſent ad Philippum, annunciāt cur venerant. Ille autem cùm Andreæ, qui fuerat primus vocatus, de eis communicâſſet, Ieſu ſimul cum ipſo eorum aduentum annunciat. Ieſus verò de ſua paſſio-
Ibidem. ne & gloria ei ſignificat, dicens: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: mortuū autem, affert multum fructum. Atque hæc quidem Chriſtus illis diſſeruit. Quando autem poſt paſſionem & reſurrectionem ſe ſæpè oſtendit diſcipulis, & illos fecit eorum ſpectatores, quæ erant maiora, quàm vt caderent in cogitationem, hic ipſe quoque magnus Philippus, vt qui eſſet condiſcipulus & ſocius arcanorum, aderat ijs, quæ fiebant, & erat vnus ex eorum numero.

Cùm verò Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus, vniuerſam, quæ fiebat per carnem, pro nobis peregiſſet diſpenſationem, & terrena vniſſet cæleſtibus admirabili-
Actor.1. ter & pręter opinionem, & cum gloria fuiſſet aſſumptus in cęlos, & ad maieſtatis Patris conſediſſet dexteram, & ſpiritum paracletum ijs, qui ipſi eum viderant, ſuis myſtis mi-
Actor.2. ſiſſet, vt erat pollicitus, in ſpecie ignearum linguarum, eo quoque repletus Philippus, ſe parabat ad curſum Euangelij. Cùm autē ex ijs alij quidem partes orientales, alij autem occidentales, eas ſortiti obirent, Borealeſque & Auſtrales peruaderent regiones, implentes pręceptū, quod eis datum fuerat, admirabili quoq; huic Apoſtolo ſorte ob-
Philippus prædicat Chriſtum in Aſia. tigit Aſia. Quam quidem in orbem obiens, & in omnibus quidem verſans ciuitatibus & regionibus, innumerabilem multitudinem fecit veræ pietati conſentire. Quos cùm etiam obſignâſſet luce regenerationis, obtulit patri cęleſti. Quinetiam eos quoque, qui affectionibus aliquibus & morbis opprimebantur, & eos quoque, quos inhabitans dæmonium malè afficiebat, verbo ſolo & impoſitione ſacræ manûs curabat: mente quidem & intelligentia eos, qui inſultabant & aduerſabantur, fundens ac fugans: ſenſiliter autem eos, qui ab illis fuerant decepti, conſeruans: quos & prędicationis ſublimi oratione, & quæ opinionem ſuperabant, inſignibus miraculorum effectionibus, tanquam retibus quibuſdam capiens, paulatim deduxit ad agnitionem veritatis.

Cùm autem ſacerdotes & altaria vbique in illis locis ſtatuiſſet & cōſtruxiſſet, pro ſa-
Miſſæ celebratio. crificijs illis, quæ fiebant in dæmonum altaribus, ſacroſanctè fecit in eis peragi ſacram myſterij celebrationem, adeò vt in eis ſeruaretur ritus Euangelij. Atque ſic quidem magna multitudo eorum, qui per ipſum crediderunt, ad Chriſtum fuit adducta. Cùm autem oporteret eum quoque hinc excedere, & ad Dominum migrare, tale quid ei accidit circa finem huius vitæ. Eſt ciuitas in Phrygia inſignis, quæ vocatur Hierapolis. Ea cùm aliarum omnium populo eſſet frequentiſſima, & appellata eſſet mater aliarum ciuitatum, ſanctiſſimum accipit Philippum poſt innumerabiles pro Chriſto ſuſceptos labores. Cùm ergo acceſſiſſet magnus hic Apoſtolus, vt in ea quoque prædicaret Euangelium, vidiſſet autē eam ſimulacris, & venenatis quibuſdam ſerpentibus, vtpote
Hierapolitæ colunt viperam. prodigioſæ cuidam viperæ, proh dolor, cultum diuinum tribuere, zelo diuino eius animus accēditur, & intentiùs ſe dans precibus, Chriſti nomine inuocato, hanc pernicioſam & quæ multis fuit cauſa interitûs, ſtatim oſtendit mortuam. Cùm autem aduerſùs tetram hanc belluam tam pulchrè ei ceſſiſſet Domini interpellatio, omnes deinde valdè admonuit & eis conſuluit, vt eum, qui eſt in cælis, viuum Deum exiſtimarent. is enim eſt verè Deus: nec ſerpentibus in terra animalibus animum adhiberent. Qui cùm ſit ſemper Deus perfectus, & qui nec poſſit compræhendi, poſtquàm produxit hunc mundum, tam qui eſt adſpectabilis, quàm qui non cadit ſub adſpectū, hominem formatum ad imaginem ſuæ maieſtatis, & libero honoratū arbitrio, fecit eſſe partici-
Geneſ.2. pem bonorum, quæ erant in paradiſo, iubens ab hoc ſolo abſtinere, quod erat lignum cognitionis. Cùm verò mandatū tranſgreſſum, & lapſum ab ea, quæ cum ipſo intercedebat, cōiunctione, Dei non eſſet deſpicere, cùm eum priùs per legē, tanquam per pædagogū, & per Prophetas erudiſſet, poſtremis temporibus ei placuit, vt Verbum, quod eſt eiuſdē cum eo naturę, à caſta virgine nobis ſimile naſceretur. Ille autē cùm ad ſimilitudinem hominū apparuiſſet, & cum perpeſſionibus cōcertâſſet, qui erat impatibilis,

& tertio die ſurrexiſſet à mortuis, ſua benignitate & clementia ſe nobis manifeſtum reddidit,& in cælos aſſcendit,vnde deſcenderat. Eum autem rurſus quoque venturum credimus. Qui figmentum quidem ſuum ſuſcitabit: reddet autem vnicuique factis ſuis conuenienter. Hæc verò vos quoque ſcietis, diuina luce dignati regenerationis: & ab omni quidem execrando vitio vobis pura erit cogitatio, & ad ſatietatem, etiamſi his nulla ſit terminata ſatietas,gratijs eius replebimini,& eritis hæredes annorum promiſſorum.

Hæc & his plura & priuatim & communiter verba faciens diuinus Apoſtolus,quos ſciebat magis,quàm alios,verbum ſuſcipere veritatis, eos adduxit ad lucem regenerationis: & in pontificum & ſacerdotum numerum retulit, & templa animata & ſancta Chriſto excitauit. Sic directò procedentem veritatem videns eius inimicus,non ferendum eſſe ducebat,niſi eum labefactaret,& prohiberet ne pergeret vlteriùs. Hinc cùm eos,qui eo tempore gerebant magiſtratus, ſubijſſet, & eis tanquam ignem accendiſſet æmulationem,efficit,vt Philippus quidem ab eis comprætheēderetur,magnam manum in eis repentè commouens: ei autem infert,quicquid eſt moleſtum & exitioſum.Nam qui eum quidem comprætehenderant, acerbè deponunt in carcere: acerbiùs verò flagris cædunt & verberant. Deinde cùm funibus eum à talis vinxiſſent, ſublimè ſuſpendunt præcipitem. Illud autem tacitè ſignificabat directum eius mentis aſſcenſum ad ſuperiora, vt eſt conſentaneum, etiamſi non eum vſque ad vltimum reliquit Deus abſque conſolatione.Sed cùm illo tempore Bartholomæus quoque diuinus Apoſtolus ſimul cum eo verſaretur Hierapoli,& ſimul prędicaret Euangelium,quomodò prędicationis, ita etiam perpeſſionis fit ei ſocius: & illo à talis ſuſpenſo, vt diximus, ipſe cruce condemnatur. Porrò autem ſoror Mariamna, quæ non minùs erat vna mente quàm natura,quæ erat virgo & corpore & animo,patiēti quidem Philippo fratri aderat: perpeſſionem autem, quoàd eius fieri poterat, voluntate & animi propoſito ſimul attrahebat,& cum eo partiebatur.

S. Philippus capitur & dirè excruciatur.

S. Bartholomæus locius perpeſſionum eius.

Interim verò,dum hæc fierent,fit res quædam noua. Mouetur quidem repentè terra,& non ſolitam ſuſcipit agitationem:metus autem inuaſit illorum animos, qui ex ijs, quæ videbantur,capiebant voluptatem. Circumagitur autem vniuerſus ille locus, & in profundum, quod minimè apparebat, demittitur. Simul autem cum ſolo populus quoque attrahebatur, & in maximum veniebat periculum, ne periret miſerabiliter. Erant ergo omnes hoc malo perplexi, & incerti quid agerent, aut quid conſilij caperent. Cùm autem vix tandem ſenſiſſent ſe luere pœnas Philippo illati ſupplicij & contumeliæ, cum circunſiſtentes inuocabant Seruatorem, & petebant, vt eis dexteram porrigeret ad ſalutem: neque proderet animas, quæ propter eum ſolum tantis agitabantur fluctibus.Dicitur autem,cùm ij ſic inſtarent precibus & ad miſericordiam mouendam multa dicerent, & non ceſſarent, IESVS eis deſupèr aures benignas inclinâſſe,& eius quod fiebat miſertus,eis repentè apparuiſſe: & cùm apparuiſſet,mala illa ilicò ceſsâſſe: & ſolum, quod tunc mouebatur,ſtabile & firmum extitiſſe: & ijs, qui miſerabiliter veniebant in mortis periculum,viſam eſſe diuinam virtutem, quæ locum ſcalarum obtinebat & aſſcenſum præbebat facilem. Hoc fuit via fidei ad ſalutem infidelibus: & ſimul quidem magnum eſſe Philippum, maiorem autem illum quoque, quem ipſe annunciabat,Dominum prædicârunt.

Vltio diuina

Flectitur Chriſtus miſericordia.

Exhinc autem,qui ſeruati quidem fuerant, vt Diſcipuli liberarentur à vinculis, magno ſtudio contendebant:feſtinabant autem,vt è ligno citò demitterentur.Et ſoluunt quidem Bartholomęum, Philippus autem eorum repreſſit conatū. Iam enim ad eum, quem deſiderabat,erat mox migraturus. Vnde etiam in ligno ſublimè pendens, cum ijs,qui erant in ciuitate,de ijs,quę erant eis futura vtilia,toto die diſſerebat,& fiducia ad Dominum confirmans eorum animos,& pro eis ſupplicans, ſacroſanctè cum ſacris exceſſit eloquijs,& migrauit ad eum,quem dilexit Dominum,cùm in manu eius ſuam depoſuiſſet animam. Precioſum autem eius corpus à Bartholomęo & Mariamna ſanctè elatum, & quæ in ſepultura de more fiunt, præclarè aſſecutum, cum ſacris hymnis & honoribus in loco inſigni & ſacro eſt depoſitum quartodecimo Nouemb.

S. Bartholomęus abſoluitur.

S. Philippus exit è vita.

Bartholomęus autem & Mariamna, cùm breui tempore in eo loco manſiſſent, & precioſis his reliquijs hymnos & honores tribuiſſent, & rurſus præclariùs & firmiùs eos,qui aderant,in fide confirmâſſent, in ſuam patriam rediêrunt, prædicantes Chriſti Euangelium: Quoniam eum decet omnis gloria, honor & adoratio, cum patre principij experte,& ſanctiſſimo eius ſpiritu,nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum, Amen.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM S. IACOBI APOSTOLI, FRATRIS DOMINI,

Authore Simeone Metaphraſte.

1. Maij. Commemoratio Sanctorum iucundiſſima & vtiliſſima

NIHIL eſt viro bono, & virtutis amatori æquè iucundum, & quod nulla minùs ſatietate offendatur, atque iuſti memoria, & maximè, ſi paſſus ſit propter Chriſtum. Ea enim illum magis excitat ad lętitiam, quàm aurum pecuniæ amatores, & quæcunque ſunt viſu delectabilia eos, qui pulchrarum rerum tenentur amore. Adde quòd ipſa iuſti memoria non ſolùm eſt iucunda, ſed etiam valdè vtilis, cùm aliquem zeli & æmulationis ſtimulum immittat animis, & ad ſimilia aggredienda excitet. Agedùm ergo nos quoque magnum Iacobum in medium adducentes, qui verè eſt Iuſtus, & nominatur, & vt Chriſti frater vocaretur, eximiè eſt aſſecutus, communem ex rebus illius vtilitatem capiamus & voluptatem. Nam licèt multi alij, qui in Eccleſiaſtica ſcribenda hiſtoria ſtudium poſuerunt, de hoc Iuſto narrauerint, & ante omnes Hegeſippus & Clemens: quorum ille quidem in quinto ſuo libro, hic autem in ſexta earum, quæ vocantur hypotypoſes, nonnulla ex ijs, quæ ab ipſo geſta ſunt, aſſumentes, poſteris tradiderint: nemo tamen ſe extendit ad omnia, neque contendit de eo dicere ſingulatim. Cauſa autem eſt, quòd non fuit eorum inſtitutum de ipſo ſcribere: ſed erat quidem eis aliud propoſitum argumentum; in parte autem, cùm ita accidiſſet, illius meminerunt.

S. Iacobi patria. Iacobo ergo diuino patria fuit Iudæa, pater Ioſeph, qui propter inſignem virtutem & morum bonitatem, fuit ſponſus Virgini, quæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum peperit. Erant autem eius actiones nomini conuenientes. Aiunt enim eum fuiſſe vo- Dictus eſt Oblias. catum Obliam: quod quidem vult ſignificare Iuſtum. Oculus eius lenis & placidus, & verè dignus, qui conſequeretur à Deo miſericordiã. Aures diuinis verbis omninò apertæ. Os, in quo, tanquam aliquæ deliciæ, lex erat perpetuò. Manus, quæ ſemper moue- Mira abſtinētia eius. bantur ad benefaciendum. Venter, qui omninò ſuis reſiſtebat appetitionibus. Nam ab animatis & vino tota vita vſqueadeò abſtinuit, vt aquam quidem exiſtimaret potum ſuauiſſimum, quemadmodùm & alimentum panem, lachrymarum guttas abũdantes Preces aſſiduæ. miſcens cum potione. Genua eius precationis aſſiduæ cauſa penitùs obduruerant, & pellis erat in eis veluti mortua. Pannus erat ei gratum indumentum, & ſindon, quando erat ad ſacra aſſcenſurus. Inter noctem & diem nullum erat ei diſcrimen: ſed noctũ quoque lucis exercebat opera: & dies, vitæ tranquillitate & turbarum vacuitate, imi- Eximia virtus. tabatur planè noctis ſilentium. Suis erat iucundus, alienis venerandus. Tantam enim laudem virtutis, non ſolùm apud amicos, ſed etiã apud eos, qui non erãt initiati myſterijs pietatis, is fuit aſſecutus, vt nonnulli quoque eorum eius conſcripſerint martyrium, & dixerint, non eos ſolùm luiſſe pœnas, qui Iuſtum interemerunt: ſed ciuitatem quoque magnam accepiſſe calamitatem, in qua execrandũ illud contigit facinus. Ei quod dico, fert teſtimonium Ioſephus in vigeſimo libro antiquitatum id referens.

Quomodò autem & alia, quæ ad Iuſtum pertinent, vobis virtutis amantibus pro dignitate recenſebimus? Nuper quidem Dominus fuerat nobis particeps magni ſecundum carnem myſterij, & magnus hic Iacobus tenebat clauum Eccleſiæ Hieroſolymi- Contēplatio & actio, perfectionis inſtrumenta. tanæ. Cùm duo autem ſint, quę hominem ducunt ad perfectionem, contemplatio, inquam, & actio, ex quibus vim accipiunt virtutes: examinandum eſt, quàm hic eſſet in vtroque eximius. Sed quoniam maximè per contemplationem ad Deum eſt aſſcenſus, quoàd eius fieri poteſt, priùs narremus de illius cõtemplatione, deinde etiam eius actionem ponderemus pro viribus. Exiſtimo enim oportere Epiſcopi oculũ ante alia delectari vi contēplandi, etiamſi actionem quidã putârunt eſſe aſſcenſum ad contemplationem. Concedatur ergo, quòd contemplatio præcedat actionē, quandoquidē iuſti actioni coniunctum eſt etiam martyrium. Sed quomodò Epiſcopus gregē cum ſcientia paſcere debeat, is apertè poteſt intelligere, qui Catholicam eius legit Epiſtolam. Et primùm quidem id, quod eſt in inſcriptione egregium, non eſt prætermittendũ. Protinùs enim, &, vt dicitur, à carceribus, ſignificatur ſancti modeſtia. Sic aũt habet: Iacobus Iacob. 1. Dei & Domini Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus, quę ſunt in diſperſione, ſalutem.

Nam

Nam cùm ei liceret ſeipſum vocare Apoſtolum, aut Epiſcopum, aut quod malus eſt, Fratrem Domini, quibus nominibus ipſum quoque Paulus ſignificauit ſcribens ad Galatas: videtur delectari humilioribus, ſe eſſe ſeruum Chriſti Dei ſignificat tribubus Iſraelis, vel maximè proprium magiſtri inſigne, habẽs moderationem, & ea ſibi magis placens, quàm Epiſcopatûs dignitate atque fraternitatis. Galat.1.

Sed agè nonnulla, que leguntur in Epiſtola, quantùm conceditur, perſequamur, per quæ erit manifeſta illius mentis puritas, & accurata doctrina. Nam cùm fuiſſet in principio Epiſtolæ, & contẽplante animi oculo conſideràſſet, vt eſt conſequens, quòd quiſquis ad Deum accedit, incidit in tentationes: (Boni enim principium & radix, eſt Deus: bonum autem, eſt virtus. Via autem, quæ fert ad virtutem, eſt aſpera & difficilis, & quæ multa habet aduerſa: & ideò euenit omninò, vt qui ad Deum accedunt, in res incidant inæquales) exhortatur ſanctos ad inuictam patientiam & nunquàm cedentem, bonos imitans puerorum præceptores, & qui conuenienter legibus decertationis ſciunt decertare. Dicit enim: Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, quando in tentationes varias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem perfectum opus habeat, vt in nullo deficiatis. Si cui autem veſtrûm deeſt ſapientia, petat à Deo, qui dat omnibus abſolutè, & non exprobrat. Conſidera autem, cum quanta hortatur ſapientia. Non enim ſolummodò ſuſtinere, ſed etiam gaudere ingruentibus iubet tentationibus: nec ſolùm gaudere, ſed id etiam omne gaudium ducere. Neque verò dicit quaſlibet tentationes: ſed, Quando in varias incideritis tentationes. Cauſa autem eſt: Scientes, inquit, quòd probatio fidei veſtrę patientiam operatur. Deinde ſubiungit, in fide debere eſſe firmitatem, & cõſtantiam, & nullam dubitationem, dicens: Vir animo duplex, eſt inſtabilis in omnibus vijs ſuis. Quod autem poſteà dicit, quantam cum venuſtate habet etiam profunditatem? Glorietur enim, inquit, humilis quidem in ſua altitudine: diues autem in ſua humilitate. Nam cùm diuitiæ quidem alliciant ad ſuperbiam, paupertas autem ad humilitatem & animi deiectionem: ille contrà iubet facere, diuitem quidem ſuam cõſtituere altitudinem in modeſtis actionibus: Pauperem verò hoc ipſum exiſtimare dignitatem non contemnendam, ſi magno & excelſo animo ferat paupertatem. Ita paupertatem & diuitias, quę ſunt ſępè multis materia ad peccandum, vtraque materiam efficit ad Dei cultum. Virtutis ardua via & difficilis. Iacob.1. Ibidem. Ibidem.

Deinde rurſus cùm ſciret, cuius gloriæ, & quàm multorum bonorum ſint tentationes conciliatrices ijs, qui ſe fortiter gerunt, repetens dicit: Beatus homo qui ſuſtinet tentationem: quoniam cùm fuerit probatus, accipiet coronam vitæ: beatitudine & ſpe coronarum efficiens, vt ſint viris bonis acceptæ tentationes, & eas propemodùm tanquam lucrum exiſtiment, & cum voluptate excipiant. Sed neque multorum morbum, qui ſuas defendentes cupiditates, peccatum dicunt eſſe à natura, & neque verentur exiſtimare, Deum eſſe cauſam malorum, reliquit incuratum: ſed tanquam medicus pręſtantiſſimus, auxilijs vtens præſeruantibus, huic morbo reſiſtit, dicens: Nemo qui tentatur, dicat: A Deo tentor. Deus enim non tentatur à malis: ipſe autem tentat neminem. Vnuſquiſque verò tentatur à propria concupiſcentia attractus & ineſcatus. Deinde concupiſcentia cùm concepit, parit peccatum: peccatum autem perfectum, parit mortem. Sic vir iuſtus iuſtè iudicauit inter homines & Deum: illi quidem ſuo teſtimonio tribuens, quòd non eſſet author malorum, & linguis loquacibus perſuadens, vt tacerent: efficiens autem, vt homines ſuam agnoſcerent imbecillitatem & ſua peccata, & vt ſibi, & non Deo, aſſcriberent delicta, quæ ex mala conſuetudine proueniunt & ſocordia: & ſic diſcerent ſe humiliter gerere, & petere veniam. Ibidem. Ibidem. Peccatorũ cauſa.

Prætereà videbis Iuſtum ſapienter perimentem arrogantiam & ſuperbiam, quæ ſequitur bonum rectè geſtum, & perſuadẽtem Deo potiùs quàm ſibijpſis aſſcribere, quod fuerit rectè factum. Ne erretis igitur, inquit, fratres mei dilecti. Omne donum bonum, & omne datum perfectum, deſupèr deſcendit à patre luminum, apud quem non eſt viciſſitudo, nec mutationis obumbratio. Volens enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus nos primitiæ quędam eius creaturarum. Hæc & exinaniunt arrogantiam, & oſtendunt Deum eſſe datorem bonorum, & eſſe immutabilem, nec in eum cadere alterationem: quodque is eſt eximius, ſi conferatur cum rebus creatis, & maximam videtur gerere curam hominis. Iacob.1.

Poſt hæc accedit ad admonitiones, quæ ad mores magis pertinẽt: Sit, dicens, omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Si enim velox ſermo eſt cauendus, quanto magis adhibenda eſt cautio, ne citò iraſcaris? Vide autem, Ibidem.

Ibidem. quomodò figuram veri exprimit Chriſtiani. Religio pura & immaculata patri & Deo hæc eſt: Viſitare orphanos & viduas in afflictione eorum, immaculatum ſeipſum conſeruare à mundo. Ex æquo iubet & à mundo recedere, & ad propinquum accedere. Tunc enim verè ac ſynceré fratrum miſerebimur, quando nos ſeparabimus ab affectione in mundum. Dicendo autem, Ne in perſonarum acceptionibus habeatis, fratres, fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ: tollit id, quod fit ad oſtentationem, docens ne viuamus, vt placeamus hominibus, neque quæramus gloriam ex hominibus, humilia & abiecta cogitantes: ſed Deum ſolum amemus, & eius, quod fit, habeamus ipſum laudatorem, & remunerationem ab eo expectemus. Dicendo verò eum legem implere regiam, qui diligit proximũ ſicut ſeipſum, excitat ad fratrum dilectionem, ex eius, qui legem tulerat, dignitate ſciens huius præcepti magnitudinem & pulchritudinem: & quòd planè legis adimpletio, eſt dilectio in proximũ: & hoc ipſum eſt ſumma bonorũ. Dein mouet ad miſericordiam, terrens immiſericordi & ineuitabili, quod illic eſt, iudicio. Iudicium enim, inquit, ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiã: per hoc concedens, vt miſericordia glorietur plùs, quàm iudiciũ, quatenùs illi dat victoriam. Quin etiam ita dicit fidem opus habere actione, ſicut corpus eget ſpiritu: abſq; ea autem eſſe mortuam & inutilem, vt non confidamus in eo ſolùm quòd credamus, & inaniter gloriemur. Hoc autẽ probat, ſtatim Abraham & Raab adducens in teſtimoniũ: illum quidem, qui cũ fide Iſaac quoq; obtulit: hanc autẽ, quæ ſpeculatores per aliã viã tranſmiſit.

Iacob. 2. — Ibidem. — Rom. 13. — Iacob. 2. — Ibidem. — Gen. 22. Ioſ. 2.

Et quid opùs eſt, vt ſingula enumerem? Vix vllam prætermiſit ex virtutibus moralibus, ad quam non incitauerit virum pium ac religioſum cum multa probabilitate, gratia ac iucunditate. Is linguæ legem dedit, vt qui & in tempore tacendum, & in tempore dicendum accuratè doceret. Is paternè docet ſequi quidem veritatem, à falſo autem abſtinere. Porrò autem linguam quoque maledicam & calumniatricem plurimùm accuſat. Et de propinquo clanculùm detrahere, aut etiam eum iudicare, ab animis hominum procùl propulſat. Tuum opus eſt, ó Iuſte, diuites quoque rurſus & pauperes admonere: illos quidem, ne confidant in diuitijs: hos autem, vt mala ferant patienter, vt qui ſint tolerantiæ accepturi mercedem, quæ non poteſt auferri: & illis quidem infidelitatis argumentum diuitias obijcere, vt qui in eis confidant, & non in Dei ſinu, qui nunquàm exhauritur: his autem, tanquam prophetam annunciare, quod pro foribus ſtat is, qui iudicat. Illud autem, non periuriũ ſolùm, ſed vel ipſum omninò iuſiurandum declinari debere, cuiuſnam alterius, quàm linguæ iuſtæ fuerit admonitio, dicentis: Ante omnia, fratres mei, nolite omninò iurare, neque per cælum, neque per terram, neque vllum aliud iuramentũ? Sit autem veſtrum, Certè certè, &, Non non, ne ſub iudicio decidatis. Eos, qui ſunt ſereno & tranquillo animo, docet, vt ſe muniant oratione: eos, qui ægrotant, vt oleo vtantur cum oratione ſacerdotis ad vnctionem, & id habeãt pro morbi medicina, vtpotè quòd oratio, cui opera ferunt auxilium, maxima poſſit efficere. Quid opùs eſt omnia perſequi, quæ hæc continet Epiſtola, cùm eam poſſit, qui velit, legere & illinc haurire, tanquam ex fonte, & guſtando factis probare, & ita fide dignus eſſe teſtis eorum, quæ pulchrè dicuntur à Iacobo?

Iacob. 3. — Iacob. 4. — Iacob. 5.

Porrò autem hinc quoq; ſciri poteſt, quãta eſſet eius authoritas & dicẽdi facultas. Fuit aliquando quæſtio Antiochiæ, an oporteret eos, qui ex gentibus ad verbum veritatis accedebant, more Moſaico deinceps circuncidere. Fratres ergo, qui erant Antiochiæ, Apoſtolis commorantibus Hieroſolymis permiſerunt iudicium, Paulo & Barnaba vſi miniſtris ad proponendum id, de quo quærebatur. Cùm verò quæ Hieroſolymis erat Eccleſia, ad hoc eſſet cõgregata, & Petrus primus Apoſtolorum præeſſet fidei, & deijceret ſemina pietatis: Viri fratres, inquit Iacobus, Simon expoſuit, quomodò primùm Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum nomine ſuo. Et ei conſentiunt Prophetæ. Deinde cùm ſubiunxiſſet verba vnius Prophetæ, de ijs, quæ quærebantur, hanc tulit ſententiam: Iudico ego, dicens, non eſſe moleſtia afficiendos eos, qui ex gentibus ad Deum conuertuntur: ſed ſcribendum ad eos, vt ſe abſtineant à contaminationibus ſimulacrorum, fornicatione, & ſanguine, & ſuffocato. Sic dixit, & quod dixerat, deductum eſt ad effectum: & quod à Iacobo fuerat decretum, ſcriptum eſt ab Apoſtolis: & Eccleſiæ pro forma fuit traditum. Tanta apud Apoſtolos fuit eius reuerentia.

Act. 15. — Petrus primarius Apoſtolus.

Sed licet etiam audire, quidnam Paulus de eo ſcribat ad Galatas: Aſcendi, inquit, Hieroſolyma ad videndum Petrum. Alium autem Apoſtolum non vidi, niſi Iacobum fratrem Domini: Vtpotè quòd res eſſet magna, & digna quæ mandaretur memoriæ, videre Iacobum. Qualibus autem monitionibus ad Paulum vſus ſit Iacobus, apertè ſciet,

Galat. 1.

ſciet,qui legerit Actus Apoſtolorum. Cùm nos enim (inquit Lucas) veniſſemus Hieroſolyma,exceperunt nos omnes fratres. Sequenti autem die ingreſſus eſt Paulus nobiſcum ad Iacobum,& omnes acceſſerunt presbyteri. Quos cùm ſalutâſſet, expoſuit ſingulatim vnumquodque eorum, quæ Deus fecit gentibus per miniſterium ſuum. Illi autem cùm audiſſent, glorificauerunt Deum, dicentes Paulo: Vides, frater, quàm multa millia ſunt inter Iudæos eorum qui crediderunt: & ſunt omnes legis æmulatores. De te autem audiêrunt,quòd tu doces à Moſe defectionem Iudæos omnes, qui ſunt in gentibus. Sed fac hoc, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor,votum habentes ſuper ſe: his aſſumptis,ſanctifica te cum illis,& impende in illis,vt radant capita: & cognoſcent omnes,quòd quæ de te audiêrunt, nihil ſunt. Oportet autem omninò exiſtimare hæc verba eſſe Iacobi,vt qui eſſet princeps illius Eccleſiæ. Propterea enim hoc egregiè à Luca eſt additum: Paulus nobiſcum ingreſſus eſt ad Iacobum. Tantum inter Apoſtolos tribuebatur Iacobo,& adeò erat clarus,& habebatur in tanto honore,partim quidem hoc habens ex virtute,partim autem hoc nactus ex eo, quòd eſſet frater Domini. Iudas autem,qui Catholicarum ſeptimam ſcripſit Epiſtolam, quanam ex re ſeipſum ſignificat,& quomodò facit inſcriptionē? Iudas Ieſu Chriſti ſeruus,frater autem Iacobi,iis,qui ſunt dilecti in Deo patre. Non ex imperatoriis & inanibus dignitatibus ſibi tantum claritatis tribuunt,qui ſunt in mundo ſplendidi, quantū ille ſciebat gloriari ex eo,quòd eſſet & diceretur frater Iacobi. Si autem eſt Iudę gloria,dici fratrem Iacobi: quanto eſt ipſi Iacobo maior, quòd Chriſti frater nominetur? Ipſe enim ſolus aſſecutus fuit hæc priuilegia: & dignus eſt habitus,qui ſolus vocaretur frater Domini. Act. 21.

Hic ergo magnus & diuinus Iacobus erat ſanctus (vt ſacra dicunt eloquia) ex vtero matris ſuæ. Quamobrem ſtatim poſt Deum primum Pontificem accipit clauum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ,& ſolus in Sancta ſanctorum perpetuò ingreditur. Non enim ſemel,ſicut iis,qui legi & vmbrę cæleſtium ſeruiebant,concedebatur ingreſſus: ſed ſic ingrediebatur, vt qui ſolus poſſet ingredi propter puritatem. Ingrediens autem, ſe inclinabat in genua: & populo meliùs conciliabat remiſſionem peccatorum,quàm quomodò fecit Moſes: adeò vt inſtar camelorum ei genua obdureſcerent, eò quòd is ea flecteret aſſiduè. Sic enim nobis Deus,qui homo factus eſt, orandum tradit. Propter inſignem autem iuſtitiam vocabatur,vt dictum eſt, Oblias, quod lingua noſtra ſignificat comprehenſionem populi,& iuſtitiam. Hæc ex Hegeſippi libro 5.

Cæterùm quomodò Prophetæ priùs ſignificauerunt,quidam ex ſeptem hæreſibus, quorum dux erat Ananus,(Erat autem Ananus tunc ſacerdos,quando Paulus appellato Cæſare, Romam à Feſto vinctus miſſus eſt ad Neronem) cùm eſſent fruſtrati ſpe inſidiarum, quas ſtruxerant aduersùs Paulum, cōuertuntur contra Iacobum fratrem Domini. Hæc autem in illum facere auſi ſunt. Cùm Iuſtum intercepiſſent medium, petebant ab eo negationem fidei in Chriſtum coram toto populo,& ex ipſo ſunt ſciſcitati: Dic nobis, O Iuſte,dicentes,quid tibi videtur de Ieſu? Ille autem eis conuenienter reſpondens,& qualis dicebatur,nempe Iuſtus,talis quoque volens videri,iuſtam ſimiliter vocem emittit: Is eſt,dicens,filius Dei Ieſus Chriſtus. Atque nonnulli quidem credebant iis,quæ dicebantur à Iacobo: alii autem minimè credebant, & contradicebant, conuenienter non rectæ traditioni & errori. Quædam enim hæreſes apud Iudæos (vt diuina dicunt eloquia) neque tenebant reſurrectionem, neq; credebant Deum venturum, vt redderet vnicuique ſecundùm opera ſua. Atque multi quidem propter Iacobum relati ſunt in numerum credentium: magna autem murmuratio exorta eſt inter principes Iudæorum,vtpotè quòd dicerent Phariſæi & Scribæ in periculum venire vniuerſum populum,expectantem Ieſum Chriſtum. Cùm ergo acceſſiſſent ad Iacobum: Te valdè rogamus,ô Iuſte,dicebant,cohibe populum: in errorem enim inductus eſt de Ieſu,quòd ipſe ſit Chriſtus: & fac,vt iis,qui die Paſchæ conuenerint,de Ieſu perſuadeas,ne de ipſo fallantur. Tibi enim nos credimus,& tibi ferimus teſtimonium, & vniuerſus populus, quòd ſis iuſtus, & perſonam non accipias: (hoc teſtimonium, quòd eſſet iuſtus,& perſonam non acciperet,ideò illi tribuentes,vt ex hoc Iuſti nomine eum ad ſe allicerent,& perſuaderent, vt illorum perſonas acciperet, corruptus aſſentatione.) Aſcende ergo templi pinnaculum,vt cernaris à toto populo,& verba tua audiantur. Nam propter Paſchā conuenerunt omnes tribus cum gentibus. Statuerunt ergo Scribæ & Phariſæi Iacobum ſupra templi pinnaculum,& alta voce dixerunt: Iuſte,debemus omnes tibi credere. Quoniam igitur populus errat poſt Ieſum, quem omnes ſcimus paſſum eſſe mortem ſub Pontio Pilato,nobis enūcia, quid tibi videatur de Ieſu.

Act. 27. Matth. 22. Act. 23. Vide fallaciam.

Præclara S. Iacobi cõfeſsio.

Cùm ergo tempus vocaret, vt vir fortis reſiſteret mendacio, non eſt cunctatus, nõque metu prodidit veritatem: ſed & animo & lingua liberrimus, & magnam protinus vocem emittens: Quid me rogatis, inquit, de Ieſu? Ipſe ſedet in cælo ad dexteram virtutis patris ſui, venturus poſthàc in nubibus cæli, vt iudicet orbem terræ in iuſtitia. Cùm multi autem fuiſſent perſuaſi ab hoc Iacobi teſtimonio, clamarentque & dicerent, Oſanna filio Dauid: Scribas & Phariſæos ſubijt magna eius, quod factum fuerat, pœnitentia, & inter ſe dicebant: Malè fecimus, qui tale teſtimonium Ieſu præbuerimus. Agedùm ergo Iacobum deijciamus, vt populus ſic metu retardatus, non credat Ieſu. Cùm ſic dixiſſent, magna voce clamârunt: O ô, Iuſtus quoque errauit. Cùm ergo aſcendiſſent in templi pinnaculum, eum ſtatim deijciunt. Et ne ſic quidem deſiſtentes ab inſania, dicebant: Iuſtum obruamus lapidibus. Et cœperunt in eum iaculari lapides, quoniam deiectus non erat mortuus. Sed conuerſus, (O ſanctam animam) figit humi genua dicens: Domine Deus pater, dimitte eis, neſciunt enim quid faciunt, eandem vocem, quam Stephanus, diuinus quoque emittens Iacobus. Cùm ſic ergo eum apperent lapidibus, vnus ex ſacerdotibus, qui erant filij Recham, filij Rechabim, de quibus fert teſtimonium Ieremias propheta, clamauit, dicens: Ceſſate: quid facitis? Iuſtus pro nobis precatur. Quidam autem ex eis, accepto fuſte ex officina fullonis, quo comprimebat veſtes, validè infligit eius capiti: & ſic Iuſtus tradidit animam. Quem acceperunt & ſepeliêrunt prope templum Dei.

Act. 7.

Ierem. 35.

Cædes S. Iacobi.

Ex Ioſephi lib. 25. Antiquitat.

Quicunque autem erāt in ciuitate moderati & probi, & videbantur leges accuratè ſeruare, hoc tulerunt grauiter, & clàm mittunt ad Agrippam, (erat enim is ſucceſſor tetrarchiæ Herodis) rogantes, vt ſcriberet ad Ananum, ne talia auderet. Neque enim rectè feciſſe dicebant, quod fecerat magno Iacobo. Quidam autem ex eis Albino quoque procedentes obuiàm venienti Alexandria, (Ipſum enim poſt Feſtum elegit Cæſar procuratorem Iudææ) eum docent, non licere Anano abſque eius ſententia ſedere in concilio. Albinus igitur, credens ijs, qui dixerant, iratus ſcribit ad Ananum, minans eum daturum pœnas admiſſi facinoris. Rex verò Agrippa, Anano depoſito à ſacerdotio, cùm fuiſſet pontifex non plures quàm tres menſes, alterum eius loco conſtituit. Mala autem extrema inuaſerunt Iudæos poſt mortem Iacobi. Horum teſtis eſt Ioſephus Iudæus, qui nihil celauit veritatis.

Hæc ita euenerunt, & ſanctus additus eſt ſanctis, martyr martyribus, iuſtis qui Iuſtus erat & nominabatur, quique primus inter epiſcopos fuit martyrica corona redimitus. Nam inter diaconos quidem præceſſit Stephanus, inter apoſtolos Zebedæi Iacobus: nunc autem pontifex Chriſtum primum pontificem eſt ſecutus: martyr eum, qui pro vniuerſo mundo proprium præbuit ſanguinem. Quàm multarum diuinarum dignitatum quàm multæ tibi debitæ ſunt coronæ, diſcipulo, pontifici, iuſto, Dei fratri, martyri? qui quicquid boni dixerit quiſpiam, habet ex abundantia: ad gloriam patris, filij & ſpiritûs ſancti, quæ eſt vna & inſeparabilis diuinitas, & quam decet omnis honor & magnificentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA S. MARCVLPHI ABBATIS, INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED FIDELITER CONSCRIPTA.

Stylum interdum modicè correximus.

Maij 1.

S. Marculphi patria.

Pietas puerilis.

EO tempore, quo glorioſus & Deo amabilis Childebertus rex Francorum ſceptra ſtrenuè honeſteque regebat, beatiſſimus vir Marculphus, magnus & præclarus enituit moribus & actibus. Cùm enim nobiliſſimis, ditiſſimis atque Chriſtianiſſimis Baiocaſſinis ciuibus ortus eſſet, ab ipſis puerilibus annis toto niſu ingentique deſiderio ad ſupernam cœpit patriam anhelare. Præferebatur quidem ætate leuitas puerilis, ſed vigebat in moribus ſenilis maturitas. Nam ludicris omnibus, quibus illa ætas maximè delectatur, reiectis, ea quæ diuinæ religionis erant, & auida aure percipere, & tenaci memoriæ commendare, & accurata perſecutione exequi ſatagebat. Deuitabat bonæ indolis puer coætaneorum ſuorum vaniloquia, laſciuaque conuenticula, atque ſeniorum ſeſe adiungebat congreſſibus & colloquijs,

colloquijs,imitans iam illud Moſaicum,quod tamen necdùm lectione didicerat: Interroga patres tuos,& annunciabunt tibi: maiores tuos, & dicent tibi. itemque illud Pſalmiſtę dicens: Declinate à me maligni,& ſcrutabor mandata Dei mei. Deut. 32. Pſal. 118.

Huiuſcemodi igitur cùm ſe velut prælu dijs futuræ Chriſti militiæ exerceret, à ſuis * pædagogis pia prouiſione (Nam eius vterque parens iampridem mortem obierat) diuinarum eſt admotus ſtudijs literarum: & decebat planè, vt quem adeò ſibi iam diuina vendicabat gratia,non mundanis,ſed diuinis manciparetur negocijs. Porrò cuius conſcientiã dator ſcientiæ ſpiritus ſanctus à totius maleuolentiæ ſordibus emundauerat,ei in diſcendo nulla potuit adeſſe faſtidioſa dilatio. Itaque intra breuis temporis ſpatia omnibus adeò eſt inſtructus diuinis literis,vt nulli ſuorum ſodaliũ reperiretur ſecundus. Poſtquàm autem adoleuit, & virile robur attigit, ceu miles in Chriſti tyrocinijs à primis annis benè exercitatus, cœpit ſtrenuè atque infatigabiliter ad ſupernæ vocationis brauium contendere, præterita cum Apoſtolo obliuiſcens, & in futura ſeſe extendens, vacans orationibus, lectionibus inſiſtens, carnem vigilijs & ieiunijs macerans,omnibus humilitatem & obedientiam exhibens, largus in præſtandis eleemoſynis,profuſus in miſericordiæ & humanitatis exequendis officijs. Suſtentabat pauperes ſuis ſumptibus, pupillorum & viduarum ſubleuabat inopiam, corrigebat vias ſuas ſeruandis Domini mandatis. Corrigebat,inquam,vias ſuas,& Domini ſequebatur. Talibus igitur ornatus moribus & officijs,Chriſto dilectus,& hominibus gratus ac venerabilis habebatur.

for. *tutoribus. Dat operã literis. Philip. 3. Exercitia adoleſcentis.

Gaudebat quippe atque lætabatur tali ciue omnis Baiocaſſina plebs,confidens omnem ſuæ reipublicæ ſtatum per eum firmum ſtabilemque futurum. Nam beatiſſimus vir omnes crebris incitabat adhortationibus,vt fundamẽtum bonorum omnium catholicam fidem firmiter retinerent,ſpemque ſuam in Deo,non in hominibus collocarent, dilectionem integram colerent,Dominum ſuper omnia,& proximos tanquam ſeipſos diligerent,& vt quotidianis virtutum profectibus ad promerendam ſupernæ ciuitatis beatitudinem properarent. Porrò autem cùm rebus temporalibus ex hæreditaria ſucceſſione afflueret,ſolique Deo ſeruire cuperet,in eis tum procurandis, tum diſponendis diù occupari non ſuſtinuit: ſed illius Euangelicæ ſententiæ non ſurdus auditor, Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus: & illius Apoſtolicæ, Nemo militans Deo, ſecularibus ſe implicat negocijs: relicta domo rebuſque paternis,nudus ex mundi naufragio euadens, optatam ſuſcepit peregrinationem,factus pauper,vt Chriſtum pro nobis pauperem factum ſequeretur. Et quia iampridẽ famam ſanctitatis beati Poſſeſſoris,Conſtantiæ ciuitatis Epiſcopi,auditione acceperat,eum recto tramite expetijt,cupiens ipſius doctrinis & exemplis inſtitui. A quo benignè ſuſceptus,apud eum tempus non modicum permanſit,atque ab eo tonſus, cùm eſſet annorum triginta, clerici habitum accepit. Poſtmodùm autem per reliquos eccleſiaſticos ordines digna promotione ſubleuatus, tandem preſbyter factus eſt.

Adhortationes eius ad ciues ſuos. Luc. 14. 2. Tim. 2. Adiungit ſe Poſſeſſori Cõſtãtienſi Epiſcopo. Initiatur ſacerdotio.

Tum verò cœpit,iubente illo pontifice, Conſtantienſes ciues indeſinenter admonere,vt quod ſemel in ſacro fonte profeſſi eſſent,moribus tenerent,& operibus exercerent,viaſque rectè viuendi ſemper ſequerentur,vanam mundi gloriam paruipenderent,& ad cæleſtem tota intentione tenderent. Atque his cæleſtium factorum inſignibus illuſtratus,ab omnibus tanquam parens colebatur, ſummiſque laudibus efferebatur: eiuſque ſanctæ exhortationis dictis cuncti æquali deuotione parebant. Erat vir ſanctus profundus ingenio, diſertus eloquio, conſilio prudens, factis maturus, virtutum cultor,vitiorum extirpator. Eum autem animi decorem non obfuſcabat forma corporis. nam tametſi ſtatura puſillus erat, at tamen formoſus erat, membrorumque eleganti coaptatione compoſitus.

Nocte quadam,cùm poſt longas preces & Dei laudes membris fatigatis modicam daret quietem,ſupernus ei aderat nuncius,habitu ſplendidus,aſpectu iucundus. Excitans autem eum,ſic appellat: Pax tibi beatiſſime Marculphe. Omnipotenti regi tua grata ſunt opera,perplacet illi militia tua. Noueris autem hac re illius præcipuè gratiam te promeruiſſe,quòd non modò tuæ,ſed etiam proximorum tuorum ſaluti ſolicitè inuigilas. Et quia complures è dæmonum faucibus per te euellere, ſibique adiungere & vendicare Chriſtus conſtituit,ocyùs Childebertum Francorum regem adito,& pete vt locum quendam huius vrbis Conſtantienſis,cui Nantus eſt vocabulum, tibi largiatur cum rebus omnibus ad illum pertinentibus. Illic verò tu monaſterium conſtrues,

Angelus ei apparet.

ſtrues,& aliquot fratres,qui ſub tuo regimine Deo ſeruiant, in illud introduces. Cùm autem cor regis in manu illius ſit,cuius eſt iſta iuſſio, nulla ratione dubites te impetraturum id,quod petere moneris. His dictis,Angelus diſparuit: manè autem conſcenſo aſello,cui ſedere conſueuerat, vir beatus cum duobus fratribus Cariulpho & Domardo iter imperatum arripuit: cumque rex Childebertus cum regina Vltrogode,multáque procerum frequentia quodam feſto die diuini celebrationem officij in eccleſia deuotè preſtolaretur,ipſe ſuperuenit,intransque eccleſiam,non ſe continuò regalibus præſentauit obtutibus,ſed cùm omnis ab eo abeſſet mundana leuitas,& humilis atque religioſa ei ineſſet grauitas,in quandam templi abditiſſimam partem ſe recepit, vbi ab omni tumultu ſemotus, Chriſto ſecretas funderet preces, implens illud Euangelij: Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum. Nolebat enim vir ſanctus hypocritarum ſectari iactantiam,qui in ſynagogis & locis publicis, vt ab hominibus viderentur,ſtantes orabant,de quibus Dominus, Amen dico vobis, inquit,receperunt mercedem ſuam.

Prouer.21. *Matth.6.* *Ibidèm.*

Sed cùm non poſſet lucerna Chriſti latere ſub modio,quem virtutum cuſtos humilitas celare cupiebat, dæmonum ſuperata detegebat ſuperbia. Nam ſimulatque in templum ingreſſus fuit,per quoſdam, eò fortè adductos vtriuſque ſexus dæmoniacos magnis & lachrymoſis vocibus clamârunt dæmonia: Parce nobis Chriſti ſerue Marculphe. grauiter enim cruciat nos tua præſentia. At tamen ſi ab his nos ſedibus per te diuina pellere vult potentia,ne nos patiaris detrudi in abyſſum. Hæc cùm audiret rex,valdè attonitus eſt cum omnibus ſuis,iubetque diligenter inquiri,quis ille ſit, cuius nomen ſic appellent obſeſſi à dæmonibus. Inuenitur tandem, moneturque vt ad regem feſtinus accedat. Venientem rex officioſiſſimè ſalutat, aitque, Gratus eſt nobis aduentus tuus,benedicte Domini. Certi enim ſumus noſtram exiguitatem à Chriſto pijſſimo omnium conditore per te viſitari. Eum verò beatiſſimus Marculphus reſalutans, Pax tibi, inquit, & miſericordia ab ipſo Domino IESV Chriſto,virorum illuſtriſſime,è cælis præſtetur: qui licèt dignitate præcellas,atque in ſolio regalis maieſtatis reſideas,vnum tamen mortalium eſſe te conſiderans, non deſpicis ſubditos ſuperbia tumidus,ſed humilitate tranquillus,eis tanquam natura ſimilibus coæquaris. Benè ergo memor es illius dicti Sapientis: Rectorem te poſuerunt, noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. Denique iuſtitia inſignis,non pietate ſegnis,eiſdem ſubditis & cum iuſtitia parcis, & cum humanitate, ſi delinquant, correctionem adhibes. Atque his alijſque virtutum officijs & Deo viuis,& eius ſanctis places.

Proditur, dum latitat à dæmoniacis. *Eccli.32.*

Eiuſmodi laudum præconijs rex non ad elationem ſed ad humilitatem potiùs permotus,blandè ex eo ſciſcitabatur, quibus ab oris eò adueniſſet. Cui beatus Marculphus, Vrbis, inquit, Baiocaſſinæ indigena ſum, parentibus non infimis progenitus. Iuſſione verò diuina admonitus, ab illis partibus occiduis ad tuam amplitudinem & magnificentiam acceſſi, oraturus vtì fiſcum vrbis Conſtantienſis,qui Nantus dicitur, cum omnibus ſuis redditibus non mihi,ſed Chriſto,quo donante amplas obtines poſſeſſiones temporarias,& ampliores expectas in cælis,ſolẽni donatione largiaris.Certò enim ſcias Dei omnipotentis hanc eſſe voluntatem & iuſſionem, vt locus iſte, quem dixi,non humano deinceps,ſed diuino mancipetur dominio, nempe vt ibi monaſterium conſtruatur, & fratres ſeuerioris vitæ, qui pro tua totiuſque reipublicæ ſalute Chriſtum ſedulò orent, in eo collocentur. Hac petitione rex impensè exhilaratus, Gratias,inquit,ago clementiſſimo conditori meo, qui per te dilectum ſuum mihi ſuorum infimo voluntatem ſuam aperire dignatus eſt. Eius enim eſt terra & plenitudo eius,orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. Fiat de omnibus, quæ mihi contulit, voluntas eius. Interim omnes in commune rogamus ſanctitatem tuam, venerande vir,vt his miſeris tua ſubueniat pietas,quos malè torquet nequam ſpirituum impietas. At vir Dei nullo modo ad id idoneum, immò verò indignum ſe aſſerens, tandem multorum victus precibus, curuatis humi genibus, & oculis manibuſque in cælum ſublatis,ſic precatus eſt: Domine IESV Chriſte, rex regum potentiſſime, cuius imperio omnis ſubiacet creatura,qui vita,ſalus & pietas es, qui gratuita gratia homo fieri dignatus es,vt nos à poteſtate dæmonum liberares, qui diſcipulis tuis & eorum ſucceſſoribus poteſtatem dediſti calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones,& ſuper omnẽ virtutem inimici: his famulis tuis opem tuæ pietatis impende, vt profligatis dæmonibus,à quibus crudeliter vexantur,tu qui creator & redemptor eorum es, ſolus eos poſſideas, & ipſi priſtinæ ſanitati redditi,debitas tibi laudes & gratiarumactiones perſoluant.

Proponit regi preces ſuas. *Eas libẽter admittit rex* *Pſal.23.* *Luc.10.*

ſoluant. His precibus vix abſolutis, immundi ſpiritus certa relinquentes veſtigia, in fugam verſi ſunt, ab ore & naribus eorum, quos obſederant, magna vi ſanguinis emanante. Eo viſo inſigni miraculo, rex & alij, qui aderant, immenſas Deo gratias egerunt. Deinde accito notario, iubet rex regale conſcribi teſtamentum de donatione, quam petierat vir Dei. Eoque benè munito, cunctis ſuffragantibus tradidit rex fiſcum ſupradictum cum vniuerſis eius prouentibus Deo & ſancto viro, eiuſque poſteris perpetuò poſſidendum: iuſſit etiam, vt quicquid deinceps vellet, ſine vlla hæſitatione ab ipſo vir Dei peteret. Expellit a obſeſsis dæmones.

His ita geſtis, vir ſanctus abeundi ad ſuos copiam ſibi dari popoſcit. Sed rex diutiſſimè primùm quidem in eius colloquijs, deinde etiam oſculo immoratus, tandem eum à ſe dimiſit, ſeque vxoremque & liberos ſuos illius precibus cõmendans, obnixéque rogans, vt crebrò ſe inuiſeret. Adiunxit autem ei Leontium quendam è ſuis, qui fiſci huius agros certis finibus determinaret. Reuerſus igitur beatus Marculphus, cœpit locum illum excolere, condiditque monaſterium, regulari inſtitutioni aptum & accommodatum. Ac deinde rebus intus & extrà prudenti diſpenſatione apparatis atque diſpoſitis, non paucos, cum quibus vitam monaſticam duceret, ſibi fratres aſciuit: quos non ſolùm piæ adhortationis incitamentis, verumetiam optimæ conuerſationis exemplis admonebat, vt ſemper ardua & ſanctiora ſectarentur, ſicque de virtute in virtutem progredientes, regem regum in Sion contemplari mererentur. Hortabatur eos, vt inter ſe eſſent prorſus vnanimes, & quemadmodùm de primitiuæ Eccleſiæ fidelibus legitur, cor eis vnum eſſet & anima vna, nec quiſquam quicquam ſibi proprium præter peccatum vendicaret, ſed omnia eis eſſent communia. Porrò ocium tanquam vipereum ſugerent virus, certatimque aut laboribus manuum, aut lectioni, vel orationi incumberent. Aiebat crebrò, nihil tam monachorum obeſſe perfectioni, atque ocium. Cõdit monaſterium, & in illud fratres adducit. Act. 4. Ocij pernicies.

Illud quoque commemorare operæprecium fuerit, quemadmodùm vir ſanctus antiqui hoſtis eluſerit inſidias. Aliquando nanque Quadrageſimæ diebus imminentibus, cùm ille quotidianis profectibus ſemper ad altiora conſcenderet, atque in dies per ſalubrem carnalium affectionum decoctionem velut aurum in fornace mundior atque expurgatior fieri niteretur, inſulam, quæ Dinolitionis dicitur, expetijt, vt illic ſacro illo Quadrageſimæ tempore corpus ſolitò ſeueriùs maceraret: quantoque ab hominum remotior eſſet congreſſu, tanto ad vigilias, preces ieiuniaque exercenda aptior & expeditior foret. Cùm autem die quodam ante aditum caſulæ, quam pro tempore illic ſibi extruxerat, hora fermè ſexta reſideret, diuinæque lectioni incumberet, eccè malignus ſpiritus, infatigabilis humani generis hoſtis, confidens ſe illum ſua muſcipula comprehenſurum, in fœminæ transformatus ſpeciem, ad illum accedit, clamitat ſe naufragam, atque illic caſu eiectam, voce lugubri petit ſe ſub tectum recipi & cibo recreari. At vir Domini, vt erat ad omnia cautus & circunſpectus, diabolicæ fraudis confeſtim deprehendit præſtigias. Itaque librum ponit ex manibus, intrat in cellulam, profert panem, conſignatumque cruce offert ei cum his verbis: Si non phantaſtica, ſed vera, vt ais, fœmina es, accipe panem hunc cruce ſignatum. Tum ille crucis hoſtis perpetuus, crucis nomen ferre non ſuſtinens, repentè inſtar fumi euanuit, atque ab alta ſeſe rupe in mare cum fremitu horrifico præcipitem dedit. Et iure quidem præcipitium ille, quod ſemper ei debetur, ſecutus eſt, qui quondam ob ſuam ſuperbiam de cæleſti culmine deiectus, tantam ſanctę Eccleſiæ columnam euertere conatus eſt. Quod enim in capite noſtro Chriſto, ſeruile ſcilicet ei bellum mouens, priùs efficere non potuit, hoc perpetua infeſtatione in eius membris attentare non deſinit. Sed beatus Marculphus ijs fuit circunſeptus munitionibus, quibus teſte Domino, hoſtis ille facilè repellitur: nimirùm ieiunijs & orationibus, cęterisque Chriſtianæ militię exercitijs indefeſſus inſiſtens. Nullis veſcebatur cibis alijs, quàm pane hordeaceo herbiſque crudis. Tunica eius erat ſaccus cilicinus: veſtes aliæ, pelles veruecinæ. Somnum, quem ſola extorquebat laſſitudo, paululùm nuda cubans humo, capiti lapide ſuppoſito capiebat. Atque hunc in modum ſtrenuè militans, omnes à ſe hoſtiles infeſtationes procùl amouebat. Degit per Quadrageſimã in inſula quadã. Inſidiatur ei dæmon. Marc. 9. Victus eius. Veſtes. Somnus.

Paſchali inde appropinquante ſolennitate, reuiſurus fratres monaſterium repetijt: cumque narràſſet fratribus, quid ſibi accidiſſet, omnes immenſo repleti ſunt gaudio, tum quòd diù optato eius fruerentur reditu, tum quòd ſaluum & incolumem illum Dominus conſeruàſſet. Fama autem eius longè lateque diſpergebatur, atque ex locis circuniacentibus plurimi ad eum concurrebant: è quibus multi illius ſancta conuerſatione Multi ad illum confluunt.

ſationē & doctrina accenſi,vana huius mundi penitùs abijciebant, & quicquid habere poterant,ad eum afferebant,atque vt eius regimini ſubeſſe ipſis liceret, humiliter depoſcebant. Ille verò libenter annuens deuotioni eorum,tanquam Christi fidelis œconomus,quæ ipſi offerebantur,partim in recreationem inopum,partim in captiuorum redemptionem,partim in monaſteriorum constructionem distribuebat. Plura enim præter primum condens cœnobia, rebus eorum, qui ad eius confugiebant magisterium,illa ditabat. Porrò etiam venerabilis Christi ſacerdos Romardus, curis & negocijs ſecularibus prorſus valedicens,ad eum ſe contulit. Cum eo autem vir beatus poſt non multum temporis ſpatium,aliquandiù eremiticam vitam agere volens, quandam Britanniæ adiacentem inſulam, quæ Agnus vocabatur,adijt. In ea verò pauciſſimi degebant incolæ, & in ijs vir religioſiſſimus Helibertus,qui corpus ſuum multo abſtinentiæ rigore macerabat. In cuius tugurium vir Domini Marculphus cum beato Romardo ingreſſus eſt,& cum eo vterque diù aſperam viuendi rationem, ſiue corporis afflictionem ſectatus eſt,diuinæque contemplationi vacauit. Nec eſt ſilentio premendum illuſtre miraculum,quod in hac inſula Christus per ſancti Marculphi merita patrauit.

Plura cōdit monaſteria.

Aliquando piratæ ad tria millia ab inexhauſtis gentis Saxonicæ ſcaturiginibus prorumpentes,conſcenſis nauibus,curſum velocem remis & velis accelerarūt, eamipſam inſulam deprædari & prorſus depopulari volētes. Senſerunt id procùl inſulæ habitatores,qui non ampliùs triginta fuiſſe feruntur, valdeque conſternati animis, quid agerent,quóve ſe reciperent, quippe mari vndique vallati,neſciêrunt. Tandem ſalubri vſi conſilio,ad beatum Marculphum properant, eius ſe genibus aduoluunt, orant querulis vocibus,vt ipſis ſubueniat.Tū ille,Forti,inquit, animo eſtote filij: poteſt enim Deus vos ab horum manibus eripere. Quòd ſi meis vultis parere monitis, arma conſtanter capeſſite,& intrepidis animis hoſtibus obuiàm itote. Polliceor ego vobis de illis vos victoriam reportaturos. Ille enim pugnabit pro vobis, qui quondam Pharaonem & eius exercitum ſua virtute contriuit. His illi ſermonibus animati, audacter corripiunt gladios,nec ſua,ſed præpotentis Dei nitentes dexera, virique beati precibus muniti, cum piratis manus conſerturi,foriter illis occurrunt. Fit vtrinque atrox pugna,ſed Dei virtute,beato viro impetrante, inſulares omnes manent illæſi,barbari pauci quidem ferro necati,at plurimi marinis abſorpti vndis,ſic prorſus interiêre,vt nullus ſupereſſet, qui cæterorum caſum in patria renunciaret. Audiens autem eius inſulæ dominus tot hoſtium millia beati Marculphi precibus tam præclarè ſuperata, immenſas Deo gratias egit,ſanctique viri ditione dimidiam inſulam deinceps deuota traditione teneri voluit. Itaque conſtruxit illic ſanctiſſimus ſacerdos monaſterium, adductis in illud quibuſdam fratribus,qui Domino conſtanter famularentur.

Exod. 14.

Pauciſſimi inſulę habitatores plurimos repelſūt piratas.

Non multò pòſt cùm primum ſuum monaſterium reuiſeret, Genaſius quidam filium ſuum rabidi lupi morſibus miſerè dilaceratum, atque iam morti propinquum ei obtulit,valdè obnixè deprecans,ſuis vt obtineret precibus, ne puer è vita decederet. Tum ille pietatis viſceribus totus in Christo affluens, & ad ſubueniendum proximorum miſerijs ſemper promptiſſimus,in terram ſe Dominum oraturus proſternit,tanto cælo vicinior,quanto humo coniunctior. Mox autem vt ſurrexit è puluere, puer ab omni ſanatus eſt vulnere. Magna hinc circunſtantibus oboritur lætitia,patri pro reſtituto filio,cæteris pro miraculo inſperato.

Sanat vir ſanctus puerum morti propinquū.

Cùm autem diſſolutionis ſuæ tempus vir beatus Spiritu ſancto reuelante non longè abeſſe prænoſceret, regem Childebertum priùs quàm de hac vita migraret, adire decreuit,vt prædiorum donationes,cœnobijs ab ipſo constructis à multis fidelibus viris pro ſuarum ſalute animarum præſtitæ,authoritate regali ſemper eſſent ratæ, cœnobijsque ſaluæ & inconuulſæ abſque vlla poſterorum calumnia permanerent. In illo verò itinere quæ per eum Dominus miracula fecerit, reticere non debemus. Priuſquàm ad Compendium caſtrum,vbi tum rex morabatur,perueniret,apud fluuium Iſaram,ab itineris fatigatione ſeſe paululùm recreaturus, ad pratum quoddam diuertit. Eccè autem regij venatores leporem canibus inſectantur: at ille per apertam camporum fugiens planitiem,ſinuoſis flexibus impendentem differt mortem. Nulla autem euadendi relicta opportunitate,ceu iuſſus diuinitùs, ſub hominis Dei ſeſe amictum recipit. Id verò cernens vnus ex miniſtris regis,mente tumidus & ore effrenis,ait ad eum, Qua temeritate auſus es,clerice, regis venationem inuadere? Niſi quamprimùm reddideris,ego te meo gladio interficiam. Tum vir ſanctus, non vt periculum declinaret, ſed vt Dei,qui homines & iumenta ſaluat, pateſceret magnificentia, beſtiolam dimiſit.

Pſal. 35.

Ea

Ea fugiente, canes qui ad capiendum parati aderant, ita ſolo affixi ſunt, vt penitùs locô mouere ſe non poſſent. Is autem, qui ſanctum virum irreuerenter & contumelioſè appellauerat, ab equo, quem calcaribus vrgebat, vt fugientem leporem ſequeretur, tanta vi decidit, vt rupto ventre, inteſtina eius effluerent. Cernentes id ſocij eius, qui ob illatam viro Dei iniuriam id ei accidiſſe non dubitabant, ad pedes illius ſe abijciunt, qui tamen ad miſerendum paratior, quàm ad vlciſcendum erat. Mox ille ſe confert eò, vbi miſer iacebat ſemiuiuus, manibusque proprijs interanea effuſa ſuo loco recondit. Deinde cùm diutiſſimè precatus eſſet, de terra ſurgens, crucis ſigno hominem conſignauit, isque repentè ita incolumis effectus eſt, acſi nihil perpeſſus eſſet mali. Rex autem à venatu rediens, vbi rem geſtam audiuit, tum beatiſſimi Marculphi aduentu, tum miraculo diuinitùs per eum perpetrato impensè gauiſus, properè ſe ad eum contulit: cumque eum procùl intueri primùm potuit, mox ab equo deſiliens, non ſine multa reuerentia pedes ad eum acceſſit, orauitque ſupplex, vt benedictione ſua ipſum impertiretur. Et vir Dei, Benedicat tibi Dominus, inquit, ex Sion, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuę: ſintque omnes tui benedicti à Domino, qui fecit cælum & terram. Inde in mutuos ruunt amplexus & oſcula, & cùm vir ſanctus cauſam itineris ſui regi indicâſſet, pariter in memoratum caſtrum ingreſſi ſunt. Intereà ſole ruente, nox venit. Altera luce iuſſit rex confici literas de prædiorum donationibus, quales vir Domini poſtulârat, idque præſente regina Vltrogode cęterisque optimatibus, annuloque ſuo cunctis illis atteſtantibus eas voluit obſignari. Prætereà verò rex & regina multis eum donantes muneribus, ſupplices rogârunt, vt Chriſtum pro ipſorum ſalute deprecaretur. His ita geſtis, beatus Marculphus domum reuerſus eſt.

Miracula fiunt.

Sanat hominem moribundum.

Pſal. 127.

Cùm autem iam inſtaret ille dies, quo Chriſtus eum ab hac corporeæ corruptionis imbecillitate ad ſempiternæ incorruptionis ſanitatem transferre conſtituerat, modica correptus moleſtia, gaudens & exultans ſuæ vocationis præſtolabatur horam. Inualeſcente verò languore, fratres vndique, multaque ex vicinis locis populorum turba, atque in ijs etiam venerabilis Conſtantienſis vrbis Epiſcopus Laudo, viſitandi ſtudio ad eum accurrerunt. At ille ceu paſtor bonus blandè gregem ſuum conſolans, & vt ſancti propoſiti normam nullo modo dereſeret admonens & exhortans, Chriſtum ſummum paſtorem obſecrabat, vt quos ſacratiſsimi ſanguinis ſui effuſione redemiſſet, eos perpetuo ſuæ protectionis munimine vallaret. Tandem oculis & manibus ſurſum erectis, Domine, inquit, IESV Chriſte, patris æterni fili vnigenite, miſerere meî ſenis iam fatiſcentis, & ſi iam ſatis eſt bonitati tuæ, quòd hucuſque militaui in caſtris tuis, liceat mihi deinceps diù optata libertate donato, ad ciuium ſupernorum tranſire conſortium. His dictis, animam efflauit. Tum verò dolent omnes, turbantur vniuerſi: exiſtit omnium, qui aderant, luctus intolerabilis pro tanti viri abſentia. Calendis Maij abijt è vita, & ſepultus eſt in monaſterio, quod primum ipſe conſtruxit eo loco, qui Nantus appellatur. Humati ſunt cum eo etiam alij duo fratres, qui eodem tempore obiêrunt, Cariulphus & Domardus.

Sub morte adhortatur ſuos ad perſeuerantiā.

Abit in cælum.

Iam multum interceſſerat temporis, & venerandus Rhotomagenſis eccleſiæ pontifex Audoënus, diœceſim ſuam viſitans, Conſtantiam peruenit. Rogatus autem ab ✱ Vernuino, loci ſæpè dicti Abbate, vt eum locum viſeret, & corpus beati viri ad locum, quem ipſe parauerat, transferret, libens aſſenſit. Subleuato autem de tumulo ſancti viri corpore, conſumptis carnibus, viſa eſt ſola cutis virtute præpotentis Dei oſſibus hærere incorrupta: porrò vultus eius adeò viuidus apparuit, acſi vitali ſpiritu foueretur. Quod miraculum vt multis innoteſceret, triduò detectus permanſit. Rogauit autem Abbatem beatiſſimus Audoënus, vt de ſancti viri corpore aliquam ipſi partem attribueret. Illo libentiſſimè annuente, cùm Epiſcopus Audoënus caput auferre deliberaret, chartula cælitùs in eius manus incidit, qua hæc continebantur: Cæterorum membrorum beatiſſimi Marculphi quod voles ſumito: caput autem eius nequaquàm tangere præſumas. His ſcriptis ſanctiſſimus præſul à propoſito reuocatus, in loco præparato ſumma veneratione beatiſſimi Marculphi confeſſoris reliquias condidit. Ibi verò crebrò patrata miracula, virum ſanctum non mortuum, ſed verè viuere teſtantur.

Præclara in eius exanimi corpore miracula.

Per eius merita recipiunt cæci viſum, ſurdi auditum, claudi ingrediendi facultatem, & quouis afflicti morbo corporis ſanitatem: Præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Miracula ad monumentū eius.

VITA S. AMATORIS EPISCOPI ANTISIODOREN. EX QVODAM MS. CODICE MVTATO *ſtylo per F. Laur. Surium deſcripta. Eſt fide digna.*

Maij 1.

S. Amator cum ſponſa vouet perpetuam cõtinentiam.

Fit Epiſcopus.

SANCTVS Amator literis non mediocriter inſtitutus, in iuuentute coactus eſt à parentibus quandam virginẽ ducere in matrimonium. Cùm autem iam tempus adeſſet, quo inter ſe coniungi deberent, mutuis exhortationibus ad nuncupandum virginitatis votum ſe permouerunt. Adfuit autem angelus Domini, & binas illis coronas afferens, laudauit propoſitum, & ad perſeuerandum eos incitauit. Itaque puella virginum ſodalitati ſe adiunxit, Amator autem in clerum allectus, tot fuit virtutum ornamentis illuſtris, vt poſt deceſſum ſancti Eladij ei in Antiſiodorenſi Epiſcopatu ſubſtitutus ſit. Porrò iam factus pontifex multis claruit miraculis: cęcis reſtituit viſum, curauit paralyticos, mortuos ad vitam reuocauit. Cúmque multos ab ethniciſmo conuertiſſet ad Dominum, tum perpetrandis miraculis, tum inſtanter concionando, cerneretque paruam eccleſiam ſuam capere non poſſe tam ingentem Chriſtianorum multitudinem, à Ruptilio ciue Antiſiodorenſi petijt ſibi dari domum quandam, quam is intra vrbis ſepta habebat amplam & excelſam. Ille verò primò quidem aſſentiri petenti noluit: at non diù pòſt grauiſſimo correptus morbo, ceſſit precibus eius. Tum vir Dei condidit illic baſilicam, & conſecrauit, quæ vſque in præſens in honorem S. Stephani protomartyris dedicata, à fidelibus frequentatur.

Reliquam huius hiſtoriæ partem reperiet Lector Tomo 4. in Vita S. Germani Epiſcopi Antiſiodoren. lib. 1. cap. 2. 3. 4. 5. & 6.

DE S. SIGISMVNDO REGE BVRGVNDIONVM, EX HISTORIA FRANCORVM S. GREGORII TVRONENSIS *Epiſcopi, lib. 3. cap. 5. & 6.*

Maij 1.

* Gunebaldo

Sigiſmũdus condit monaſteriũ S. Mauritij.

Malè perſuaſus necat filium ſuum.

Agit pœnitentiam.

MORTVO * Gunebando, regnum eius Sigiſmundus filius eius obtinuit, monaſteriumque Agaunenſe ſolerti cura cum domibus baſilicisque ædificauit. Qui perdita priori coniuge, filia Theodorici regis Italici, de qua filium habebat nomine Sigericum, aliam duxit vxorem, quæ valdè contra filium eius, ſicut nouercarum mos eſt, malignari ac ſcandalizare cœpit. Vnde factum eſt, vt vna ſolennitatum die, cùm puer ſuper eam veſtimenta matris agnoſceret, commotus felle diceret ad eam: Non enim eras digna, vt hæc indumenta tua terga contingerent, quæ dominæ tuæ, id eſt, matris meæ fuiſſe noſcuntur. At illa furore ſuccenſa, inſtigat verbis doloſis virum ſuum, dicens: Hic iniquus regnum tuum poſſidere deſiderat, teque interfecto id vſque in Italiam dilatare diſponit: ſcilicet vt regnum quod auus eius Theodoricus Italiæ tenuit, & iſte poſſideat. Scit enim, quòd te viuente non poteſt adimplere, & niſi tu cadas, ille non ſurgat. His & huiuſcemodi ille incitatus verbis, vxoris iniquæ conſilio vtens, iniquus extitit paricida. Nam ſopitum vino dormire poſt meridiem filium iubet: cui dormienti lorum ſub collo eius poſitum, ac ſub mento ligatum trahentibus ad ſe inuicèm duobus pueris, ſuffocatus eſt. Quo facto, pater ſerò iam pœnitens, ſuper cadauer exanime ruens, flere cœpit amariſſimè. ad quem ſenex quidam ſic dixiſſe fertur: Te, inquit, plange amodò, qui per conſilium nequam factus es paricida ſæuiſſimus. Nam hunc, qui innocens iugulatus eſt, neceſſarium non eſt plangi. Nihilominùs ille ad ſanctos Agaunenſes abiens, per multos dies in fletu & ieiunijs durans, veniam precabatur: pſallentium ibi aſſiduum inſtituens, Lugduno regreſſus eſt, vltione diuina è veſtigio eum proſequente.

Cap. 6.

Huius filiam rex Theodoricus accepit: Crotildis verò regina Clodomerem (alij Clodomirum

Clodomirum) & reliquos filios ſuos alloquitur, dicens: Non me pœniteat, chariſſimi,
vos dulciter enutriſſe. Indignamini quæſo iniuriam meam, & patris matriſque meæ,
mortem ſagaci ſtudio vindicate. Hæc illi audientes, Burgundias petunt, & contra Si-
giſmundum & fratrem eius Godomarum dirigunt: deuictoque exercitu eorum, Go-
domarus terga vertit: Sigiſmundus verò dum ad ſaltus Agaunos fugere nititur, à Clo-
domere captus, cum vxore & filijs captiuus abducitur, atque intra termiuum Au- Capitur, & in cuſtodiã
relianenſis vrbis in cuſtodia poſitus detinetur. Diſcedentibus his regibus, Godo- ducitur.
marus reſumptis viribus Burgundiones collegit, regnumque recepit. Contra quem
Clodomeris iterùm diſponens, Sigiſmundum interficere deſtinat: cui à beato Auito
Abbate decimo Nutiacenſi, magno tunc temporis ſacerdote, dictum eſt: Si, inquit,
reſpiciens Deum emendaueris conſilium tuum, vt hos homines interfici non pa-
tiaris, erit Deus tecum, & proficiſcens victoriam obtinebis. Si verò eos occideris, tu-
ipſe in manu inimicorum traditus, ſimili ſorte peribis: fietque tibi & vxori & filijs tuis,
quod feceris Sigiſmundo & coniugi ac liberis eius. Sed ille auſcultare deſpiciens
conſilium eius, ait: Stultum enim conſilium eſſe puto, vt inimicis domi relictis, con-
tra reliquos eam, eiſque à tergo, hoc à fronte ſurgente, inter duos hoſtium cuneos
ruam. Satiùs enim & faciliùs victoria patrabitur, ſi vnus ab alio ſeparetur: quo inter-
fecto, facilè & alius morti poterit deſtinari. Statimque interfecto Sigiſmundo cum
vxore & filijs, apud Calonniam Aurelianenſis vrbis vicum in puteum iactari præci- Occiditur cũ vxore &
piens, Burgundias petijt, vocans in ſuppetias Theodoricum regem. Ille autem iniu- liberis.
riam ſoceri ſui vindicare volens, ire promiſit. Cumque pariter apud Viroſontiam, lo-
cum vrbis Viennenſis coniuncti fuiſſent, cum Godomaro confligunt. Cumque Go-
domarus cum exercitu terga vertiſſet, & Clodomeris inſequeretur, ac de ſuis non mo-
dico ſpatio elongatus eſſet, aſſimulantes illi ſignum eius, dant ad eum voces, dicentes:
Huc huc conuertere: tui enim ſumus. At ille credens, abijt, irruitque in medium ini- Clodomirꝰ
micorum. Cuius amputatum caput & conto affixum eleuant in ſublime. Quod Franci rex interi-
cernentes, atque cognoſcentes Clodomerem interfectum, reparatis viribus Godo- mitur.
marum fugant, Burgundiones opprimunt, patriamque in ſuam redigunt poteſtatem.
Godamarus iterum regnum recepit.

Ex Chronicis Sigeberti Gemblacenſis monachi, Anno Domini 515. de eodem S. Sigiſmundo.

REX Burgundiæ Sigiſmundus, qui monaſterium Agaunenſium conſtruxerat, fi-
lium ſuum Sigericum perimit, malo nouercæ illius vſus conſilio. Qui competen-
ti pœnitentiæ ſe * adijciens, & martyribus Agaunenſibus ſe totum deuouens, for * addi-
quòd dignus fuerit venia, teſtatur crebra poſt mortem eius per eum multis conceſſa cens
ſanitatum gratia, & per eum febricitantibus indulta curatio. Sigiſmũdus poſt obitũ edit miracula multa.

DE S. EVERMARO MARTYRE, EX QVODAM CODICE MS. STYLVM MVTAVIT *F. Laurentius Surius.*

TEMPORIBVS Pipini principis, quem ex Begga Anſi- Maij 1.
giſus Dux ſuſcepit, beatus Euermarus cumprimis nobili
ſtirpe in Friſia ortus eſt. Quem à prima ætate ſibi conſecra-
tum, omnipotens Deus ſancti ſpiritûs gratia totum perfu-
dit. Creſcentibus autem vnà cum ætate virtutum meritis,
totius ſanctitatis ſpeculum effectus eſt. Eius verò profectui
inuidens hoſtis antiquus, multis tentationibus à ſancta in- S. Euermarum inuidus
tentione eum retrahere & depellere conatus eſt: ſed fortis dæmon fruſtrà oppu-
Chriſti miles obturabat aures ſuas, & prorſus ad nihilum re- gnat.
degit omnes eius machinas. Itaque cùm Deo bene fauente
tentationes omnes ſuperatæ eſſent, & ille vitam duceret
ſanctiſſimam, ad martyrium iam aſpirabat, ſine quo metuebat apud Deum ſe pro im-
perfecto haberi. Suſcepit igitur cauſa Dei peregrinationem, vt poſſet alicubi ceu S. Euerma-
ignotus obire martyrium. Venit autem in Gallæciam ad S. Iacobum, vbi cùm eius rus loca ſa-
ædem ingreſſus fuiſſet, eiuſque ſuffragia expetijſſet, redijt in partes inferiores Galliæ, cra viſit.
vbi ſancti quidem recèns de hoc mundo ſubtracti clarebant miraculis, putà Foillianus

 mar-

martyr, Furſeus & Vltanus fratres, Remaclus Epiſcopus, Trudo venerabilis confeſſor, & virgo Dei Gertrudis. Eorum ille ſuffragia, ſingulorum loca viſens, piè ac deuotè ambiens, cùm Traiecti etiam S. Seruatium adire vellet, cum ſeptem comitibus venit ad primos aditus ſyluæ, quæ Ruttis nominatur: ſed ne impendente iam nocte in tenebris per ignoti loci anfractus erraret, ad proximam villam, quæ Herſtaplia dicebatur, diuertit. Eam villam homo crudelis Hacco nomine ſibi vendicabat, adiunctiſque ſibi ſocijs, hoſtis publicus barbara feritate per ſyluam illam & vias publicas iter agentes aut interficiebat, aut deſpoliabat. Idemipſe aliud apud Moſam ſibi ædificium condiderat, quod à ſuo nomine Haccoletum voluit appellari, vnde contemplabatur tranſeuntes, & nauigantium res diripiebat.

Ad eius ædes beatus Euermarus ſe contulit, neſciens cuius eſſent. Ille verò tum aberat: ſed eius vxor, mulier religioſa, & peregrinorum ſolicitè curam gerens, ſanctum virum & comites eius humaniter excepit, monuitque eos, vt ante ſolis ortum ſe darent itineri, ne ſuperueniens maritus ipſos trucidaret. At illi cùm benè precati eſſent fideli mulieri illi, manè ab eius domo egreſſi ſunt, & reuerſi in ſyluam quam reliquerant. Intereà Hacco domum redit, diſcit ex ſuis de hoſpitibus, qui illic pernoctauerant. Ijs auditis, homo ſæuus penè fit exanimis, aitque: Quonàm aufugerunt illi? Ocyùs inſequamur eos, ne ſi manus effugiant meas, dicant occurrentibus, ſe Hacconis ceu deſidis & ſtertentis vim impunè præteriiſſe. Mox cum ſuis ingreditur ſyluam, per abrupta & inuia perſequitur Euermarum & ſocios eius: atque eccè abimprouiſò incidit in locum, in quo illi quieſcebant, compenſaturi damna ſomni noctis ſuperioris. Viſos illos Hacco duriter obiurgat, quòd auſi fuerint in ſuæ ditionis terram ingredi, quòd non pependerint vectigal impoſitum illac tranſeuntibus, ſed tanquam fures, clàm ſe ſubduxerint. Ea re tantum aiebat illos in ſe admiſiſſe facinus, quod niſi eorum fuſo ſanguine expiari haudquaquàm poſſit.

Hacco crudelis cũ perſequitur.

His dictis, beatum Euermarum, qui cæteris honeſtiori habitu præſtare videbatur, crudelis homo ferro necat: cæduntur etiam comites eius. Mox detrahuntur cæſis veſtimenta, corpora manent inſepulta, ſed angelicis ſeruantur excubijs, donec Pipinus princeps, quem ſuprà nominauimus, in eum locum peruenit. Ruttim enim ſyluam venandi cauſa ingreſſo illo, comites eius partim, dum ſyluæ luſtrant inuia, eò perducti ſunt, vbi corpora cæſorum iacebant. Miſericordia autem permoti ex vulneribus & ſanguine, quo aſperſa erant, ſepulturæ ea mandârunt: beatum Euermarum ob vultûs decorem & corporis formam egregiam, ceu alijs digniorem, poſt exequias accuratiori ſepultura cohoneſtantes, dimidio clypeo corpori eius ſuppoſito, & altera clypei parte, ei impoſita. Poſteà verò quando Leodienſi Eccleſiæ præſedit * Eraclius Epiſcopus, in villa ſeu pago, qui iam de extirpata ſylua Ruttis nomen retinuerat, ſancti Martini eccleſia fuit, cui vir magnæ ſanctitatis Zuſelinus inſeruiebat. Ei verò Dominus per angelum ſuum vitam & nomen beati Euermari indicauit, ſimul etiam de martyrio & loco, vbi humatus erat, certiorem eum efficiens, iubenſque vt Epiſcopum Eraclium ſuo, id eſt, Dei nomine eò adduceret, vt ſanctum Euermarum martyrem è ſinu terræ eleuaret, quippe cuius ſpiritus ab ipſa cædis hora in cælis verſaretur. At tamen ſacerdos de hac viſione hæſitans, illo anno nihil Epiſcopo renunciauit. Altero anno eadem nocte culpatus ab angelo, quòd iuſſis ipſius non paruiſſet, nihilo minùs rem apud ſe tacitam habuit. Inde tertio anno eadem nocte non ſolùm reprehenſus, ſed etiam flagellis cæſus ab angelo, tandem credidit viſioni: abijtque ad Epiſcopum, & ei omnia ordine expoſuit, in veritatis argumentum oſtendens ei corporis plagas & liuores. Præcepit autem ei Epiſcopus, vt ſacrum corpus effoderet. Quod cùm factum eſſet, Epiſcopus illud ex humo eleuauit. Tanta verò inde prodijt odoris ſuauitas, vt qui aderant, in paradiſo ſibi verſari viderentur. Porrò Epiſcopus collecto populo tranſtulit illud in beati Martini ædem ſanè quàm honorificè, plebi & regioni illi patronum comparans. Ab eo autem tempore tanta illic diuinitùs ſunt miracula declarata, vt ſi omnia perſcriberentur, ingens volumen completura ſint.

Ab eodem crucidatur, & comites eius.

Euraclius

Viſio Zuſelini ſacerdotis.

Corpus eius è terra leuatur & mirificè redolet.

Multa fiunt miracula.

HISTO-

HISTORIA S. VVALBVRGÆ VIRGINIS. CODEX EGREGIVS MS. AVTHORIS NOMEN NON HABET:

nos ſtylo noſtro hiſtoriam inde tranſcripſimus, ſed aliquanto contractiùs. Vitam S. Virginis ſcripſit Vuolſhardus monachus Haſſerenſis ante multa ſecula: ſed an hæc ea ſit, ignoro.

Maij 1.

POSTQVAM Anglorum Deo chara gens beatiſſimi Gregorij Pontificis maximi ſtudio & opera ad Chriſtianam religionem traducta fuit, multi eorum ob cæleſtis ſpei remunerationem in Franciæ regnum peruenerunt. In quibus S. Bonifacius Moguntinæ ſedis ob ſua merita præſulatum adeptus eſt. Porrò duo fratres germani, Vuilliboldus & Vuinniboldus cum ſorore ſua Deo & hominibus chariſſima Vualburga cùm in has regiones veniſſent, Vuilliboldus à S. Bonifacio ordinatus eſt Eyſtetenſis Epiſcopus, atque angelicam in ea functione ducens vitam, tandem beatiſſimè abijt, non obijt: Vuinniboldus autem totum ſe Chriſti ſeruitio mancipans, mundanaque omnia prorſus reſpuens, locum, quem vocant Heydenheim, ſibi incolendum ſumpſit: ibique precibus vacans continuis, ſpe robuſtus, fide firmus, monaſticæ vitæ profeſſionem vſque ad ſupremum vitæ diem admodùm ſtrenuè proſecutus eſt, multosque ſuis exemplis ad benè viuendi ſtudium perduxit.

S. Vuilliboldus 1. Eyſtetenſis Epiſcopus.

Vbi verò Vuinniboldus exceſſit è viuis, fœminei ſexûs decus & ornamentum Vualburga, omnibus ſe virtutis præbuit exemplum. Erat enim præfecta virginum monaſterij Heydenheimenſis, & materfamiliâs egregia, quæ poſſet à Deo impetrare quicquid petijſſet. Accidit aliquando, vt reuertenti illi hora veſpertina ab eccleſia ad cubiculum ſuum, Gonmeradus cuſtos eccleſiæ, iam noctis ſeſe intendentibus tenebris, lumen præbere nollet. Ea verò nihil mota hac iniuria, cùm iam cœna Deo ſacratarum virginum abſoluta, & diuinæ laudes perſolutæ eſſent, ad dormitorium ſe recepit: & eccè repentè tanta illic luminis exiſtit claritas, vt pauimentum ipſum penetrare videretur, permanſitque vſque ad nocturnas preces. Stupent ſacræ virgines & exultant, accurrunt ad Vualburgam, indicant immenſum lumen. Illa ſubortis lachrymis, oculos & manus tollit ad cælum, &, Tibi, inquit, Domine IESV Chriſte, cui humilis ancilla tua ab ipſis incunabulis ſeruire conſtitui, pro hoc beneficio gratias ago: vt qui ad excitandas ancillarum tuarum mihi adhærentium mentes, me indignam hac luce conſolari volueris: quod tamen ego non meritis adſcribo meis, ſed fratrum meorum, famulorum tuorum.

S. Vualburga Abbatiſſa Heydenheimenſis monaſterij.

Miraculū.

Cùm ab hac vita migrâſſet beatiſſimus Vuinniboldus, Vualburgæ virginis frater, illa immodico dolore correpta, die quodam veſperi exiuit è monaſterio, nullo penitùs de familia monaſterij id cognoſcente. Venit autem ad ædes cuiuſdam hominis opulenti, & ante fores ceu quædam peregrina & ignota ſola ſubſtitit. Videns autem illam dominus domûs, & neſciens, quænam eſſet, valdè metuebat cum tota familia ſua, ne à canibus ſuis diſcerperetur. Iuſſit igitur, vt quamprimùm ſeſe indicaret. Tum illa, Canes tuos, inquit, ego nihil reformido. Non enim poterunt mordere Vualburgam. Ille enim, qui me huc adduxit incolumem, etiam illæſam poteſt reducere eò, vnde huc adueni: porrò etiam magnum tibi ſolatium adferet, ſi toto pectore credas illum eſſe ſummum medicum. Hæc vt audiuit illuſtris vir, è ſede ſua proſiliens, animo conſternatus ſciſcitabatur, cur virgo nobilis & omnipotentis Dei ancilla præ foribus ſtare voluerit: admodumque reuerenter illam excipiens, officioſiſſimè & humaniſſimè tractauit. Cumque incumbendum eſſet, rogata virgo vbi nocte dormire vellet, reſpondit ſe non niſi in illo velle cubare cubiculo, vbi filia eius grauiſſimè decumbebat, ita vt iam funeri eius neceſſaria à parentibus præpararentur. Tum illis præ nimio dolore eiulantibus, in cubiculum virgo Vualburga ingreſſa eſt, nocteque illa Dominum pro puella deprecans, altera luce eam parentibus ſaniſſimam exhibuit: qui ſanè pro tanto miraculo Deo immenſas egêre gratias, Vualburgæ autem multa obtulêre dona, eius precibus obnixè ſe commendantes. At virgo

Magno animo contemnit periculum.

Puellā moribundam ſuis precibus ſanat.

Chriſti dona accipere noluit, ſoli Chriſto placere deſiderans, eumque ſuper omnia diligens. Inde ad ſuum regreſſa monaſterium, quanto cumulatiorem in ſe ſenſit Dei gratiam, tanto arctiori ſeſe in dies vitæ tradidit. Tandem cùm iam mundum & omnes eius cupiditates planè protriuiſſet, ex hac vita victrix deceſſit, ſepulta honorificentiſſimè in monaſterio ſuo.

Abitē vita.

*Odgero

Epiſcopatum autē Eyſtetenſem obtinente * Otgario venerabili viro, cùm is monaſterium, in quo ſacræ virginis corpuſculum conditum erat, minori quàm par eſſet ſtudio coleret, quadam nocte per viſionem ſic eum fertur ſacra virgo compellâſſe: Cur Otgari Deo digne præſul monaſterium, vbi humata ſum, tam negligenter hactenùs habuiſti? Quotidiè conculcor pedibus vulgi & ſeruorum eò aduentantium. Equidem tale tibi præbebo indicium, vnde poſſis intelligere non rectè te geſſiſſe erga me & domum Dei: & ſi quidem reum te agnoſcas, veniam mereberis. Eam viſionem non fuiſſe vanam, euentus docuit. Nam paulò pòſt cùm primùm erecti eſſent parietes eius fabricæ, & iam imponendæ eſſent trabes, noctu is paries, qui ſpectabat Aquilonem, repentè ad terram vſque collapſus eſt, magno terrore illato tam domeſticis, quàm vicinis. Manè cunctis ad id ſpectaculum non abſque pauore accurrentibus, cuſtos templi, Reginfridus id celerrimè curauit Otgario epiſcopo nunciandum. Is verò ſentiens viſionem completam, eò properè venit, & eccleſiam cum multa feſtinatione inſtaurauit atque dedicauit. Deinde exacto anno, archipreſbyteros ſuos Valtonem & Alungum cum Hubila ſanctimoniali eò miſit, vt corpuſculum ſanctæ virginis ſummo ſtudio è terra tollerent, atque cum hymnis, campanarumque pulſationibus multaque reuerentia ad Eyſtatenſe monaſterium apportarent. Factum id eſt mira populi exultatione vndecimo Calendas Octobris: atque eiuſdem antiſtitis iuſſu triduò pòſt, id eſt, octauo Calendas Octobris etiam beati Vuinniboldi reliquiæ inde ad Eyſtatenſe cœnobium tranſlatæ ſunt.

Apparet Otgario Epiſcopo.

Viſionē cōfirmat euētus.

Trāsfertur eius corpus

Itē S. Vuinniboldi.

Accidit autem poſt hanc S. Vualburgæ tranſlationem, vt propinqui eius, quam diximus, Hubilæ liuore ſtimulati, tum callidis quibuſdam machinationibus, tum etiam vi ab hæreditate materna propemodùm eam excluderent. Illa igitur anxia ab Heyſtatenſi Epiſcopo * Erckenrado petijt ſibi copiam fieri reliquiarum S. Vualburgæ, vt ſi illa maternam ſuam hæreditatem poſſet obtinere, eam Chriſto & ipſi Vualburgæ donaret perpetuò poſſidendam. Ea res ſicut Deo authore cœpta fuit, ita etiam feliciſſimum habuit euentum.

*hunc alij vocant Erckenuualdū.

Anno ſalutis octingenteſimo nonageſimotertio, regnante Arnulpho rege, apertum eſt ſepulchrum beatiſſimæ Vualburgæ in baſilica, in qua repoſita fuerat ſub Otgario Epiſcopo. Contigit verò miraculum admiratione dignum, euidentiſſimis probatum teſtimonijs. Fuit ancilla quædam Friderada nomine, ſedulò inſeruiens hero ſuo Ederāno & coniugi illius. Correpta autem ſubitò morbo quodam, biduò miſerandum in modum vexabatur. Cumque meliuſculè cœpiſſet habere, tanta eam ingluuies inuaſit, vt nulla poſſet ciborum copia fames eius expleri. Initiò quidem multa ei alimonia ſuppeditabatur à propinquis, ſed cùm illa in dies maiori famis rabie infeſtaretur, non videbant qua ratione mederi ei poſſent. Nec ea ſuis potuit ingredi pedibus, ſed humi reptabat. Tandem & ipſi & parentibus eius viſum fuit, vt ab hera peterent facultatem S. Vualburgæ oratorium adeundi. Permiſſum id illi fuit: venit ad ædem, triduanas illic multa inſtantia offert preces, pedibus ſua reſtituitur incolumitas. Audiunt id herus & hera, ocyùs ad eam aduolant, perpetuæ eam beatæ Vualburgæ ſeruituti addicunt. Abbatiſſæ munere tum illic fungebatur ſuprà memorata Hubila, quæ id permittere noluit, ſed poſt dies paucos remiſit eam iam planè ſanam dominis ſuis. Mox autem vt eò redijt, priori morbo vexata eſt. Sentiens ergo non bono conſilio à monaſterio ſe eductam, ilicò reducta eſt, perpetuò in monaſterio ſeruitura. Et eccè confeſtim redit ſanitas, ſed inexhauſta edendi libido manet. Itaque multo ea cauſa affecta pudore, eius monaſterij procuratrici Thieltildæ aperuit morbum ſuum, vt precibus illius liberaretur. At illa dolens vicem eius, fragmen panis benedicti ei obtinuit à venerabili ſacerdote, qui Mundus dicebatur. Quo guſtato, ita ſenſim miro modo cœpit diminui illa ingluuies, vt anteà augmentabatur: & dimidio ferè anno non niſi parum admodum caſei edere, & lactis bibere potuit. Deinde vſqueadeò omnis cibi appetentia in ea extincta eſt, vt ſi quid alimenti ſumere vellet, mox rurſus euomeret. Rogauit igitur Dei ancillam Thieltildam, vt nullas ſibi eſcas ſuppeditaret. Illa verò re incredibili nimiùm obſtupefacta, cùm ſciret humanum corpus

Mira fœminæ ingluuies

Obſerua hoc.

Incredibilis ingluuies mutatur in incredibilē abſtinentiā.

corpus ſine alimentis durare non poſſe, angi animo cœpit, quid ageret. Tandem ad alteram propinquam eius monaſterij eccleſiam eam miſit, commendans eam procuratrici illius: quæ quidem accuratè eam obſeruauit, & ad ſex ferè hebdomadas apud ſe detinuit, quibus illam nihil ediſſe compertiſſimum eſt. Poſteà venit ad eam inuiſendam Thieltilda, didicitq́; quid interim actum eſſet. Cœpit igitur tum minis varijs, tum blandimentis agere cum illa, vt cibum ſumeret: Noli, inquit, chariſſima filia, tam obſtinato animo tibiipſi imponere: redi ad ſanitatem, & cape alimoniam. Quòd ſi aliquo illuderis phantaſmate, quæſo ne id celes nos. planè enim mihi perſuadeo, ſi abiecta mala verecundia id feceris, fore vt dominæ noſtræ precibus adiuueris. Tam acri illa obiurgatione pudefacta, cœpit tentare nũ quid poſſet cibi accipere, ſed fruſtrà id fuit: ne tamen ancillæ Dei adhortationes contẽnere videretur, petijt aliquid vilioris ſiceræ ſibi porrigi. Factum eſt ita, & ipſa licèt inuita perparum inde hauſit, ſed mox per nares & oculos tanta vi reiecit, vt cęca efficeretur. Reducta ergo ad monaſterium, breuì quidem recuperauit viſum, ſed de abſtinentia prorſus nihil remiſit. Abbatiſſa verò & tota virginum ſodalitas ea re valdè obſtupeſcebant, cõmunicatoque inter ſe conſilio, Epiſcopum ſuum adierunt, eique rem totam explicârunt, eius conſilium expetentes. Ille verò fidem adhibere noluit, ſed ſuſpicabatur verſutiſſimi dæmonis fraude deluſam, oculos hominum fallere, porrò clàm aliquid ei ſoli manenti qualicunque arte alimenti ſubminiſtrari. Suis igitur in conſilium adhibitis, è monaſterio S. Vualburgæ valdè religioſum preſbyterum acciuit, eique grauiſſimè non ſemel præcepit, vt illam cuſtodiendam ſuſciperet, diligentiſſimeque exploraret, num fraude aliqua alijs illuderet. Fecit ille, vt erat iuſſus, certiſſimeque comperit rem ita ſe habere, vt ab illa dicebatur. Tum Epiſcopus nihil ampliùs hęſitans, certam ei fidem accommodauit. Atque illa deinceps triennio ſic permanſit, interim nihilo minùs pro modulo ſuo diligẽter exequens, quicquid ei operis demandatum fuiſſet. Quoties autem ſacroſanctam Euchariſtiam percipere conabatur, niſi ſtatim ſomno ſe daret, vomitum paſſura videbatur. Non ergo iam dubitemus facilimum eſſe maieſtati diuinæ, quod humanæ imbecillitati impoſſibile ſit. Vide rem miram.

Poſt hæc *Erckenuualdus antiſtes Eyſtetenſis archipreſbyteros ſuos cum quibuſdam alijs bonis viris iuſſit beatæ Vualburgæ corpus effodere, inuentumque diligenter contrectare. Illi verò cum multa trepidatione, diuinis adhibitis laudibus, fodientes, repererunt gratiſſimas eius reliquias, easque ceu tenui quodam humore madidas: nec tamen vel puluiſculus ex ijs manibus contrectantium potuit adhærere. Sublata autem eſt ſacri corpuſculi portio quædam, iubente id Epiſcopo: qua re grauiſſimè conſternati & afflicti ſunt Eyſtatentes: mirificè autem exhilarati, ad quos ea portio deportabatur. Transferebatur enim in monaſterium Monheymenſe, ſub hoc Epiſcopo conditũ: cumque ſacro pignori puer epilepticus veniſſet obuiàm, & ſub illo ſe curuâſſet, ſanatus eſt: moxque, vt teſtati ſunt, qui huic rei interfuêre, mira illic odoris fragrantia nares omnium & præeuntium & ſubſequentium impleuit, ita vt ferre vix poſſent. Vbi ad locum ventum eſt, ſuper monaſterij altare ſacræ reliquiæ depoſitæ ſunt. Nocte proxima adfuit Hubila Abbatiſſa, triduoque illic manens, podagra eam dirè cruciante, ſopori ſe dedit. Aſtitit autem dormienti quidam venerandus ſenex, Vuillibaldus, vt putatur, Epiſcopus, aitque ei: Hubila cur dormis? Quare non in templum ingrederis? Reſpondit illa: Nondùm pulſatum eſt ad nocturnas preces: mihi verò adeò dolent pedes, vt niſi aliorum allata manibus, eò pertingere non poſſim. Contrà ille: Abi, inquit, ocyùs: venit enim in eccleſiam beatus Vuinniboldus, multis eum comitantibus, vultque ex te cognoſcere, quo pacto conditam habeas ſanctam Vualburgam ſororem ſuam. Confeſtim ſurrexit illa, & in baſilicam ſaniſſima intrauit, gratias agẽs Deo & ſanctæ virgini pro tam inſperata ſalute. *Erckenboldus Reliquiæ S. Vualburgæ ſudare videntur. Puer epilepticus ſanatur. Viſio Hubilę Abbatiſſę

Sanatus eſt etiam ad ſacræ virginis reliquias quidam puer à primo ortu contractus, cùm ei illa apparuiſſet dormienti, & templum adire iuſſiſſet: vbi membris omnibus conſolidatus, erexit ſeſe & ambulauit, atque tota reliqua vita ſua in eadem eccleſia robuſtus & incolumis ſeruiuit. Ibidem curata eſt fœmina Reginſuuinda, membris omnibus adeò debilitata, vt ſe loco mouere non poſſet. Miracula.

Feſto die dedicationis eccleſiæ eius, omnes quotannis in ea regione ferias agebant. At mulier quędam Geila ex pago Stofenheimenſi, petulanti animo in opus textrinum incumbebat: ſed non impunè. Inhæſit enim manui eius glomus & totus lacertus intumuit.

Accidit ſanè nuper ſtupenda res, & propè incredibilis, niſi multorum teſtimonijs fulciretur. Cùm plurimi vndique ad S. Vualburgæ baſilicam cōfluerent, quidam inter eos adfuit habitu peregrino, præ cæteris attentiùs & inſtantiùs orans. Id vbi animaduertit Hubila Abbatiſſa, iuſſit eũ ad ſe adduci, percunctataque eſt ex eo quiſnam eſſet, aut vnde veniſſet. At ille, Gratias, inquit, ago Deo omnipotenti, qui ſanctiſſimæ virginis Vualburgæ meritis de fœdiſſima ignominiæ nota me liberauit: id quod omnes vos, qui hîc adeſtis, ex me potiùs, quàm ab alio diſcere cupio. Teſtor autem Deum, quem nihil latet, & ſanctam Vualburgam, cuius multa neceſſitate adactus ſuffragia expetij, me non niſi vera dicturum. Anno ſuperiori, quo dira fames multos preſſit, duo inopes eius vitandæ cauſa peregrè profecti ſunt. Illis autē obiter quidam ex longinqua regione comitē ſe adiunxit. Interrogatus ab illis, cuias eſſet, aut quò iter intenderet, reſpondit ad S. Vualburgam religionis ergô ſe proficiſci. Tum illi: Et nos, inquiunt, eò cupimus peruenire, erimusque inter nos non iniucundi ſocij, & ſecuriùs itinerum pericula euitabimus: ſed interim nos fame premimur, & præ defectu viriũ ægrè pedes promouemus. At ille: Deo, inquit, fratres mei, itineris prolixitatē cōmendantes, quæramus locum aptum, vbi iam appetente meridie pauliſpèr quieſcamus, & cibo nos refocillemus. Reperto loco, pariter conſederunt, & ille de eſcis ſuis proferens, obtulit illis. Comederunt igitur, & ſumpto cibo, ait ad illos: Iam etiam ſomno laſſa membra recreemus, ſed excubias agat vnus ex nobis, ne quid accidat periculi dormientibus. Probant illi conſilium, ſed mente maligna. Nam altero è duobus his ſe dormire ſimulante, alter vigilabat: tertius, qui ſe illis adiunxerat, nihil ſibi metuens, intrepidus dormiebat. Tum ſurgentes illi ſceleſti, hominem innoxium crudeliſſimè iugulârunt: ſed cùm anxios eos haberet, quid facerent de cadauere, tandem alter id in ſuos ſuſtulit humeros, in aliquem locum auium illud proiecturus. Eccè autem dum illud conatur à ſuis deponere humeris, tam tenaciter ſibi illud ſentit inhærere, vt nulla vi id poſſit à ſe auellere. Mirè igitur & miſerè diſcruciatur infelix homicida, videns ſe ſuum facinus celare non poſſe. Intereà quidam ei amicus fit obuius, qui conſpecto cadauere non ſine multa admiratione ſciſcitabatur, vnde id eſſet. Ille autem tanquam amico fidens, refert quid actum ſit, orat vt ſuæ calamitatis velit miſereri. Non cunctatur ille, diſtrictoque enſe, brachia cadaueris hominem arctiùs complectentia etiam articulatim nititur diſſecare, vt à tanta ignominia amicum liberet. Ibi tum nouum licuit planeque ſtupendum videre miraculum. Nam ſimulatque manu ſua cadaueris lacertos attigit, eos præcidere volens, etiam ipſe tenaciſſimè adiunctus eſt cadaueri atque homini illud ferenti, ita vt ſe ab illis abſtrahere non poſſet. Mox igitur ductus pœnitentia, & lugens ob admiſſa peccata, toto pectore rogauit Dominum, vt ob beatiſſimæ Vualburgæ virginis merita ſuî miſereretur. Cumque ſic oraret, & multa ſanctæ Vualburgæ nuncuparet vota, multasque funderet lachrymas, abſolutus eſt horribili nexu illo, iamque liberè ingrediens, Deum & ſanctam Vualburgam laudabat: nec tamen deſerebat miſerum illum, ſed ad Rheni litus vſque eum comitabatur. Quò cùm ventum eſſet, non ferens alter tum cadaueris pondus, tum intolerabile dedecus, in Rhenum cum cadauere ſe præcipitem dedit. At verò tam immanem homicidam Rhenus ferre non ſuſtinēs, quamprimùm hominem ſceleſtum cum cadauere in litus euomuit. Qua re non mediocriter terrefactus alter, de ſua quidem ereptione gratulans, ob illius verò calamitatem illachrymans, ab eo receſſit, & ad S. Vualburgæ monaſterium celeri curſu adueniens, quid geſtũ eſſet omnibus enarrauit, paratus etiam ſua dicta, ſi id vellent permittere, iureiurando cōfirmare. Porrò infelix ille homicida, vt aiunt, ſæpè quidem voluit beatæ Vualburgæ implorare patrocinia, ſed nunquàm eccleſiæ eius potuit fines attingere, vt vel inde omnes perſpicuè poſſent inteligere, quàm immani ſe ſcelere obſtrinxiſſet, qui tam prócùl à S. Vualburgæ eccleſia arceretur. Viderunt hunc multi tali onuſtum ſarcina exanimis corporis, qui tum fuêre in viuis, vt ambigi non poſſit falſum & commentitium non eſſe, cuius tam multi extitêre teſtes.

Hiſtoria memorabilis.

Immane & planè barbarum facinus.

Cæleſtis vindicta.

Stupendum miraculum.

Aliud.

Item aliud.

Item aliud.

Ea, quæ hactenùs commemorauimus, miracula, diuinitùs perpetrata poſt eleuationem corpuſculi beatæ Vualburgæ virginis, multa ſanè admiratione & præconio digna ſunt: at verò diuerſis locis alijs toto Francorum regno, quæ eius reliquijs illuſtrantur, in dies plura celebrioraque fiunt: præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, qui viuit & regnat in infinita ſecula, Amen.

VITA SANCTORVM EREMITARVM ZOERARDI CONFESSORIS ET BENEDICTI MARTYRIS,

Authore B. Mauro Quinqueccleſienſi Epiſcopo.

TEMPORE illo, quo ſub Chriſtianiſſimi Stephani regis nutu, nomen & religio Deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat, audita fama boni rectoris, multi ex terris alijs canonici & monachi ad ipſum quaſi ad patrem confluebãt, non quidẽ alicuius cauſa neceſſitatis coacti, ſed vt nouum ſanctæ cõuerſationis gaudium ex eorum conuentu adimpleretur. Inter quos quidam ſancti ſpiritûs inſtinctu tactus, ex ruſticitate quaſi roſa ex ſpinis ortus, nomine Zoërardus, hanc in patriam de terra Polonorum aduenit, & à Philippo Abbate, cuius monaſterium, Zobor nominatum, in Nitrienſi territorio ad honorem ſancti Hippolyti martyris ſitum erat, habitu accepto, & Andreas nominatus, eremiticam vitam agere ſtatuit. Ibi verò quanta contritione cordis & corporis maceratione afflixerit ſeſe, ex relatione diſcipuli eius beati Benedicti, cum ipſo conuerſantis, quæ audiui, paucis literis mandare decreui. Ego quidem Maurus, Deo miſerante nunc Epiſcopus, tũc autem puer ſcholaſticus, virum bonum vidi: ſed quæ eſſet eius conuerſatio, non viſu, ſed auditu percepi. Ad noſtrum ergo monaſterium, in honorem beati pontificis Martini conſecratum, cùm iam dictus monachus Benedictus ſæpè veniſſet, mihi hæc, quæ ſequuntur, de eius vita venerabili narrauit.

1. Maij.

Zoërardus fit monachus, & Andreas appellatur.

1 Poſtquàm idem venerabilis vir Andreas eremi ſolitudinem petijt, magna quidem corporis defatigatione, ſpiritualis autẽ vitę corroboratione ieiunium ſemper obſeruauit. Tribus diebus ab omni re, quæ mandi poteſt, abſtinuit pro dilectione gratię ipſius, qui propter homines homo factus, quadraginta diebus ieiunauit. Cùm autẽ Quadrageſimale tempus adueniret, exemplo vitæ regularis, ſub qua Zozimas Abbas degebat, vbi quadragintaquinq; dactylis quiſque Quadrageſimã deduxit, ipſe à patre Philippo, à quo habitũ religionis perceperat, quadraginta nuces accepit, & eo exiſtẽns victu contentus, diem ſanctæ reſurrectionis cum gaudio expectauit. Iiſdem verò & alijs diebus, licèt eſus ad corpus refocillandum non ſolùm non ſufficeret, verumetiam ſpiritum ipſum ad defectũ perduceret, ipſe tamen, excepto tempore orationis, nũquàm à labore ceſſauit: ſed accepta ſecuri, quendam laboraturus ſyluæ locum ſolitarium intrauit. Vbi cùm pre nimio labore & ieiunij diſtrictione corpore & ſpiritu deficiente, quadam die præmortuus iaceret, quidam iuuenis pulcherrimus adſpectu & viſionis angelicæ aduenit, & impoſitum vehiculo, ad cellam eius adduxit. At ecſtaſi, in qua erat, decedente, poſtquàm ad ſe reuerſus, quid erga ipſum miſericordia Dei egiſſet, agnouit, ſupradicto diſcipulo ſuo Benedicto, qui mihi hæc narrauit, id confeſſus eſt, conſtringens eum iuramento, ne ante diem obitûs ſui notum cuiquam faceret.

Eius ieiunia.

Matth. 4.

Poſt laborem autem diurnum corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti & afflictionis, quàm requiei nomen mereatur. Planatum equidem truncum quercinum ſepe circundedit, & per ipſam ſepem arundines acutas ex omni parte infixit. Ipſe verò in trunco ſedens, tali ſeſſorio vſus eſt artuum reiteratione, vt ſi fortè corpus ſopore grauatum qualemcunque in partem ſe flecteret, arundinum acie ſauciatum grauiter, euigilaret. Inſupèr & ex ligno coronam factam capiti ſuo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides ſuſpendebat, vt ſi caput ſopitum quocunq; inclinaret, lapide percuteretur. O beati viri Andreæ merces, quàm beata & æterna vita, corona centies ornata, quæ in cælo recompenſat, quod in terra grauiter emptum fuerat. O inauditum genus confeſſionis, quod precioſius facit regnum promiſſionis. Non cibus, non requies auferre potuit dulcedine vana vitam æternitatis, & nequam ſpiritus aditum inuenire nequiuit deceptionis. Hæc, quæ iam dicta ſunt, diſcipulo eius Benedicto referente cognoui: qui & ipſe, patre ſuo defuncto, locum eundem inhabitare decreuit. Cumque per tres annos exemplo magiſtri diſtrictè vitam ageret, latrones ſuperuenientes, & multam apud ipſum pecuniam eſſe ſperantes, ductum ad ripam fluminis Vuag, iugulauerunt, & in ipſam aquam demerſerunt. Diù verò corpore eius quæſito & non-inuento, per integrum annum viſa eſt aquila in ripa fluminis Vuag, quaſi quædam obſeruatura, ſedere: per quam de corpore certi effecti, quendam in aquas immergi fecerunt, & ſic integrum, quaſi nuper obijſſet, inuenerunt.

Modus quieſcendi moleſtiſſimus.

Benedictus iugulatur à latronibus.

Condi-

Conditus eſt autem Benedictus in Baſilica beati Emmerammi martyris, in eodem ſepulcro, in quo aſſeruabantur oſſa beati Andreæ, eius ſancti patris. Iam quæ ſequuntur, Philippus Abbas mihi Abbati conſtituto narrare conſueuit.

Cùm igitur tempus reſolutionis ſui corporis immineret, indicans eis hoc, qui aderant, ne ab vllo veſtimentorum ſuorum exueretur operimento pręcepit, donec Abbas Philippus quem miſerat accerſitum, adueniret. Qui pater aduenìens, vbi corpus venerabile iam mortuum iacebat lauandum, catenam æream viſcera iam attingentem inuenit. O mira res & inaudita. Catena carnes intus putrefaciens, cute foris eſt obducta. Sed neſciri hoc genus martyrij poſſet, niſi ad vmbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta verò catena dum ex corpore trahitur, ſonus coſtarum eliſarum grauiter auditur. Cuius catenæ partem mediam ab eodem patre impetraui, & nunc vſque cuſtoditam, petitioni Ducis Chriſtianiſſimi Geiſę, cum deſiderio mihi pro ea inſtanti, negare nequiui. Sepulto quoque beati viri corpore, quæ per reuelationem Abbatis Philippi cognoui, & cognitu digna eſſe videbantur, memoria notaui. Tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte ſolitudinem inhabitant, in ſylua congreſſi ſunt. Quibus confligentibus, vnus ex eis multùm ſauciatus eſt. Conflictu dirempto, cùm hūc ſocij vulneratum nequaquàm in ſylua dimittere vellent, conſilio inito, ad cellam ſuperiùs dicti viri Andreæ, cuius fama iam ad omnes circunquaque diffundebatur, eum deferre ſtatuerunt. Sed cùm adhuc locus longè abeſſet, latro in via defunctus eſt. Corpore verò eius ad cellam deportato, & in eadem poſito, media iam nocte cùm oſſa commendare vellent humo, ſubitò ſpiritu reuerſo, mortuus reſurgere cœpit. Illis autē qui aderant, valdè perterritis, & præ pauore fugientibus, reſuſcitatus ille reuocabat eos, dicens: Nolite fratres formidare, neq; fugere. ſanctus enim Zoërardus me à morte ſuſcitauit ad vitam. Illis autē prægaudio plorantibus, & vt diſcederet cum eis, rogantibus, dixit ſe nunquàm ab ea cella diſceſſurum, ſed ibi in perpetuum Deo & ſancto Zoërardo ſeruiturum. Fecit itaque, quod promiſit, & vſque ad obitum ſuum ibi permanſit.

Catena ænea iam carni penitùs impreſſa

Latro defunctus redit ad vitā.

Aliud quoque eius miraculum nequaquàm reticere volui, quod eodē Philippo Abbate narrantę cognoui. In ciuitate Nitria quidam reus damnatus, ſuſpēſus eſt. Qui pòſt ſolutus Dei miſericordia, ad Abbatē venit Philippum, & qualiter per merita beati viri Andreę liberatus eſſet, indicauit. Dixit enim, quòd cùm damnatus eſſet, ſemper nomen ipſius implorâſſet: & cùm ſubleuaretur in patibulū, ſtatim manibus ſuis beatus vir Andreas eum ſuſtentauerit. At illi, cùm eum omnes mortuū putantes, domū reuerterentur, ipſe eum manu ſua ſolutū abire permiſit. O quanti meriti vir ante Deum, qui viſibilis apparens, homines ſoluit, cùm inuiſibilis inter angelorum choros locum poſſideat.

Suſpenſus à patibulo ſoluitur.

VITA S. PATRIS NOSTRI ET CONFESSORIS ATHANASII EPISCOPI ALEXANDRINI, AVTHORE *Simeone Metaphraſte.*

2. Maij. ſecundùm Latina Martyrologia.

ALII quidem alia beatorum virorum monimenta, ad virtutis exemplar demonſtrandum, & ad eius amorē incitandum perſequantur, piorumque ea tradant auribus. Ex eo enim, quòd aſſiduè fiat mentio eorum, qui ex virtute vitam inſtituunt, euenire ſolet naturaliter, vt & virtutem perſequantur, & eius vehementi amore inflāmentur. Ego autem omnium optimam, ac præſtantiſſimam, & quam maximè exiſtimo ex Deo eſſe actam, alioqui autē difficilem, & quam nullus quidem perfectè poſſit imitatione conſequi, ſi eam autem aliquantiſpèr rectè ſequamur, nobis non paruum lucrum afferet: magni, inquam, illius Athanaſij vitam, perindè ac quandam animatam & immortalem virtutis columnā, omnibus manifeſtam & cognitam conabor efficere. Talis enim viri vita, & qui tot propter Deum calamitatibus eſt impetitus, totque tamque crebras ac varias ſuſtinuit mutationes, non ſolùm poteſt, ſi vel tantūmodò audiatur, honeſti amantibus animis ſimul cum voluptate afferre admirationem: ſed ad philoſophiam quoque cum alia virtute docendam, ſpem, magni animi virtutē, & tolerantiam eſt accōmodatiſſima. Atque omnia quidem, quæ ab illo geſta ſunt, nō eſt facile perſequi. Non ſolùm enim ea difficile eſt imitari propter magnitudinem, ſed etiam oratione complecti propter multitudinem. Verumenimuerò quæcunque ſunt ad audiendum vtiliora, ea vulgo quoque ſunt notiora cum alijs.

S. Athanaſij patria.

Athanaſio ergo fuit quidem patria, Aegypti ciuitatum clariſſima Alexādria. Parentes verò, qui alios quidem virtute ſuperabant, ſolo autem filio erant inferiores: adeò

eò vt ex fructu arbor, & radix ex germine magis beata iudicaretur. Cuius generoſum & liberale ingenium, morumque probitas & conſtantia, ad Deumque propenſio, & ad ea, quæ ſunt ſpiritalia, inclinatio, ſtatim ab ineunte ætate apparuit. Cùm ergo iam infantiæ ſuperaret ætatem, quæ ſolet natura delectari luſionibus & æqualium congreſſionibus, propter teneritudinem, venit hic quoque cum æqualibus ad quoddam litus maris. Ac videbatur quidem in litore ludere cum æqualibus: ludus autem fuit reuerà res ſeria: & non ſolùm figura futurorum, ſed etiam occaſio & primitiæ Athanaſio eius, quæ illi fuit cum Deo, coniunctionis. Pueri enim per ludum imitantes ea, quæ aguntur à ſacerdotibus, Athanaſium quidem manibus impoſitis ordinant Epiſcopum: Ipſi autem veluti in Preſbyteros & Diaconos allecti, ad eum adducebant alios pueros, qui diuini baptiſmi ſignaculo nondùm erant obſignati, vt ab ipſo baptizarentur. Ille autem eis de more omnia peragẽs, & aqua marina pueros tingens, viſus eſt velle etiã aliquam tangere adhortationem.

Vide ludũ puerilem.

Qui itaque tunc Alexandrinæ præerat eccleſiæ, diuinus Alexãder, cùm eſſet à negociorum tractatione vacuus, & ſe ad moderatam aliquam dediſſet remiſſionem, & ad maris iucundiſſima oculos conieciſſet ſpectacula, & tali ludo vtentem vidiſſet Athanaſium, & in eo ſpectando diù eſſet immoratus, & apud ſe valdè eſſet admiratus, ſtatim adducit pueros: & quibuſcunque quidem ex ijs puræ manus Athanaſij, quę diuinorum præceptorum erant ab infantia adminiſtræ, veluti quandam in Chriſto ſignaculi figuram impoſuerant, eos prompta & alacri manu ipſe quoque inungit, egregiarum illarum Athanaſij manuum impoſitionem vel ante ætatem reueritus, & non irritam cenſeri oportere arbitratus. Ipſos ergo inungit, & per * baptiſma perficit. eos enim nondùm fuiſſe myſterijs initiatos priùs diximus. Ipſum autem Athanaſium, ſuauem virtutis florem, & iucundam illius plantã iam maturis ſpiritûs ſcatentem fructibus vel ante tempus, tradit parentibus, vt eum interim curent inſtituendum literis. Cùm autem ad ætatem peruenerit, ad eum rurſus filium adducant, vel potiùs ad eccleſiam & Deum, ſicut etiam Anna duxit Samuelem. Sic ergo Athanaſius cùm eſſet in diuinis meditatus diſciplinis, & ſe etiam in aliquibus exercuiſſet liberalibus, eſſet autem iam puber ætate, rurſus ad Pontificem adducitur à parentibus. Ille verò eum libenter acceptum (ſciebat enim, quantum Eccleſiæ bonum futurum eſſet Athanaſius) ſacerdotali eum veſte induit, & in clerum cooptat, in pugna ſocium ijs, qui decertant, & virum fortem in inſtructa acie.

* Chriſma legendũ videtur, Noluit enim in ijs iterari baptiſma, ſed impleri, quę fiunt ab Epiſcopo.

1.Reg.1.

Atque erant quidem in Athanaſio multa & in moribus eximia, in doctrinaque & dicendi facultate multa præclara: ex quibus nihil hominem reddit æquè inſignem, atque quæ pro rectis dogmatibus ſuſcepit certamina, & quæ iuueniliter geſſit aduerſùs impietatem: quæ quidem ordine omnia enumerare, perindè eſſet, atque aquam maris metiri acetabulis. Sed nobis ſunt omninò pauca ex ijs, quæ geſſit, aſſumenda. Quemadmodùm enim fieri non poteſt, vt omnia perſequamur: ita rurſus omnia prætermittere, fuerit planè impium, & inuidorum potiùs, quàm eorum, qui bonis lætantur, proprium. Rabie quidem agitabatur inſaniſſimus Arrius, & vniuerſam labefactabat Eccleſiam. Iam autem & ipſum orbem terrarum & omnia peruaſerat improbitas, eiusque ille nullum nec finem, nec modum ſtatuebat. Quinetiam exilio damnatus, & à Chriſti parte abdicatus cùm eſſet draco ſemimortuus, per ſuos eadem ſentientes caudam mouit diſcipulos. Per eos ergo cùm Magni quoque illius Conſtantini magnos ad ſe ſpiritus attraxiſſet, (nihil enim dolum minùs ſuſpicatur, quàm animus ingenuus.) Cùm ergo Imperatorem iureiurando & literis, quæ multum illecebrarum habebant & probabilitatis, per ſuos diſcipulos vel potùs impietatis magiſtros & legiſlatores corrupiſſet, & ſuum dogma expoſuiſſet, verbis quidem nudis, & quod ipſa quidem auditione ſimiliter ſe habebat atque noſtrum, re autem ipſa &, quæ in profundo latebant, ſententijs multùm differens, ea ratione procurat, vt reuocetur ab exilio. Sic autem ſceleratum illum, qui ad Alexandrinam ciuitatem ad publicum Eccleſiæ redierat exitium, fortis Chriſti miles, rectorumque dogmatum & pietatis defenſor ſtatim magnus inuaſit Athanaſius. Qui etiam crebrò commouebat Pontificem, & ad bellum in eum gerendum incitabat, veluti generoſiſſimus quidam Imperator auxiliaris. iam enim Archidiaconatûs gradu & ordine dignus erat habitus. Quibus de cauſis perturbabatur quidẽ Aegyptus: perturbabatur autem, quicquid erat in religione contentioſum, diuerſæque & à vero diſcrepantis ſententiæ. Scribebant autem ad Imperatorem, & imponebant eius ſimplicitati. Athanaſio verò non licebat

Arrij furor Eccleſiam exagitat.

Arrius imponit Conſtantino.

qui-

quieſcere, ſed & lingua & manu præclarè vtebatur: nec ceſſabat ipſe cum Alexandro ſcribere ad Imperatorem, & literis acrioribus inſectari eius in peruerſos facilitatem: quòd eum, qui rectam Chriſtianorũ fidem infirmârat & nihili duxerat, & ab ipſo Deo & Patribus omnibus fuerat abdicatus, figmentis rurſuſ & fabulis deceptus admittat, & patrum moueat terminos, qui, vt ſcriptum eſt, ſunt immobiles.

Prouer. 22.

Euſebium Nicomedi eoſem dicit

Quo quidem tempore, Imperator non moderatè ferẽs ſe increpari, ſed ab Euſebio accenſus, dat acerba & aſpera reſponſa, minatus ſe eos eſſe depoſiturum, ſi non ijs acquieſcerent, quæ fuerant ab illis decreta. Hæc autem faciebat, non iræ ſeruiens, neque circa fidem aliquid innouans & amplectens Arrianiſmum: ſed zelo potiùs vtens, etſi non ſecundùm ſcientiam, & ſpecie procurans, ne diuelleretur & diſtraheretur Eccleſia. Atque Alexander quidem cùm ſimul cum Athanaſio tales ab Imperatore literas accepiſſet, pauco tempore ſuperſtes, honeſto fine vitam concludit. Athanaſius autem ſtatim & morum & ſedis fit ſucceſſor, totiuſque populi ſuffragio ei mandatur ſacerdotium, declaratus dignum talis vnguenti receptaculũ, hoc non humanæ gratiæ munus, ſed donum ſpiritûs, & virtutis præmium conſecutus. Impietatis autem prȩſides, occulti zizaniæ ſatores, ardentes miniſtri improbitatis, ſe quidẽ aliquandiù continuerunt, nihil omninò mouentes, nec perturbantes: ſed eorum conquieuêre impetus, & Athanaſio apertè bellum indicere diſtulerunt. Deinde verò, tanquam à maligno ad cor eorum loquente, accepto ſigno, in id, quod parturiebat animus, erumpentes, aperta quæ priùs latebat improbitate, vndique in eum grauiſſimas intenderunt inſidias: non ſolùm ſede, ſed ipſa etiã ciuitate expellere eum, qui cæleſtibus tabernaculis verè erat dignus, contendentes. Sed ille manebat immobilis, vnà canens cum Dauid: Si conſiſtant aduersùs me caſtra, non timebit cor meum.

Athanaſius obtinet ſedem Alexandrinam

Infeſtatur ab Arrianis.

Pſal. 26.

Has autem primùm cœpit moliri inſidias, qui nomine tantùm pietatis fuit particeps, mores enim eius nomini apertè repugnabant: impietatis, inquam, inſtrumentum Euſebius. Is enim cum ſuis in Imperatoris ſimplicitatem ſe inſinuans & irrepens, tempus opportunum eſſe ratus, omnia mouebat & conturbabat, vt Athanaſium de ſede exturbaret. Sic enim fore putabat, vt & alios ſuperaret, & opinionem Arrij confirmaret. In eum ergo moliuntur & ſtruunt inſidias, magna, vt eis videbatur, veriſimilitudine & probabilitate. Conducunt autem Meletij quoque hæreſis ſectatorem Iſionem, & in improbitatibus diuitem Eudæmonem, & in ſcelere victorem Callinicum. Crimina autem, quæ intendebatur Athanaſio, vnum quidem erat, quòd coëgiſſet Aegyptios lineam veſtem pendere Eccleſiæ Alexandrinæ. Alterum autem, quòd non benè vellet Imperatori, ſed etiam pararet inſidias literis Imperatorijs. Tertium verò auaritia, quòd & arcam quandam auro plenam miſiſſet ad quendam ex ſuis amicis. His quartum accedebat quidam Iſchyras, qui turpiſſima quidem & grauiſſima perpetrauerat, & non ſolùm dignus erat accuſari, ſed etiam nullo modo merebatur cõſequi miſericordiam: verſutus autem & vafer moribus, & qui crimina quorum accuſabatur, poterat refellere, ac ipſa in eos qui accuſabant, conferre. Is cùm ſibi affinxiſſet ſacerdotiũ, & ſibi Preſbyteri nomen impoſuiſſet, & myſtagogus ex myſterijs nondùm initiato, & eruditus in diuinis ex inſipiente & inerudito repentè apparuiſſet, æquum cenſebat, vt faceret quæcunque facit ſacerdos, idque cùm ne in ſomnis quidem eſſet affectus honore ſacerdotij. Vndenàm enim eſſet ſacerdos, qui ſemper egiſſet vitam ſacerdotio contrariam?

Crimina ei intentata.

Cautè locum lege. Non enim non erat ſacerdos, quia egerat vitã ſacerdotio cõtrariam, ſed quia nõ fuerat more Eccleſiæ ordinatus.

Cùm hæc autem de illo reſciuiſſet Athanaſius, vt qui eſſet accuratus talium hominum examinator, & Lydius quidam lapis, vt dicitur, Preſbyterum Macarium mittit ad Mareoten, (illic enim verſabatur Iſchyras) ei permiſſa rei inquiſitione. Poſtquàm autem deprǽhenſus Iſchyras agnouit, nec habuit quid ageret, illinc aufugiẽs, venit Nicomediam, & accedit ad Euſebiũ, aduersùs Athanaſium impudenter vociferans, & ei in omnibus detrahens, eique acerbè maledicens. Eſt enim vitium eiuſmodi, vt cùm ſpecioſus ei defuerit prætextus, ad falſum iurandum procedat, & apertè armetur aduersùs veritatem. Illi autem eum honorant tanquam ſacerdotem, & perindè ac verum & germanum ſuſcipiunt eum, qui à Deo & ſacris legibus defecerat. Natura enim delectamur ſimilibus, prout vnuſquiſque eſt affectus vel ad virtutem, vel ad vitium. Illi ergo propter ſuum ab Athanaſio diſſidium animis æſtuantes, quanta putas lætitia exceperunt Iſchyram? Illam animam, arrogantia & confidentia plenam, ſpe bonorum propoſita acuerunt, & magno Epiſcopalis dignitatis honore eum ornaturos ſunt polliciti, ſi modò in iuſtum poſſet aliquam ſtruere accuſationem, pro talibus factis eiuſmodi præbentes remunerationes, & tot animarũ prȩfecturam conſtituentes mercedẽ calumniȩ. Is autem

(erat

(erat enim non ſolùm ad crimina ſtruenda ac comparanda, ſed etiam ad confundenda & in aduerſarium conuertenda calliditſſimus, vt iam antè diximus) in ipſum Athanaſium viciſſim crimen intendit, quòd ſcilicet illius voluntate Presbyter Macarius eccleſiam inſtar prædonis inuadens, ipſum magno furore ab altari detraxerit: illam autem ſacram menſam euerterit, & myſticum calicem contriuerit, & ſacros libros igne exuſſerit. Atque huiuſmodi quidem actus ab Iſchyra eſt adornatus. *Iſchyræ calumnia.*

Iam verò per alia quoque perfectè ab eis inſtructis inſidijs, accedunt ad Imperatorem Conſtantinum, hæc dicentes de Athanaſio, & iram Imperatoris in eum accendentes. Hoc autem erat, quod eum maximè iritabat. Id enim inuenit improbitas, ſciens laudis cupiditatem eſſe natura inſitam hominibus. Ne veſtras quidem, inquit, admiſit literas, neque Arrij ſuſtinuit communionem. Quæ cùm audijſſet Conſtantinus, primùm quidem parùm fut conturbatus. Deinde verò rem apud ſe conſiderauit, fuitque adeò perplexus & animi dubius, vt neſciret quò inclinaret, & cui ſe adiungeret, cùm Athanaſij quidem virtus ſuperaret omnem ſuſpicionem, illorum autem rurſus calumnia veriſimilis permultum haberet & probabilis. Cùm ergo ſic ſe haberet, media via ingreſſus eſt, vt neque Athanaſium cõdemnaret, neque rurſus denegaret examinationem. Sed quoniam tunc Hieroſolymis peragebantur Encænia, & omnes ferè ſimul conuenerant Epiſcopi, iubet vt cùm Tyrum veniſſent, de magno quoque Athanaſio obiter inquirerent, nihilo ſeciùs autem Arrium quoque examinarent: vt ſi quidem, vt ipſe dicit, manens intra terminos rectorum dogmatum veritatis, abdicatus fuerit per inuidiam, rurſus admittatur in clerum & ſynodum, & coniungatur membrum reliquo corpori. Si autem nihil ſit in ſumma aliud, quàm verborum perſuaſio, quæ clanculùm pro veritate obrepit, iudicetur ſacris legibus, & meritas luat pœnas, quòd dogmata peruerterit.

Erat hic triceſimus annus imperij Conſtantini. Et aderant quidem ex diuerſis ciuitatibus Epiſcopi. Adducebatur autem Presbyter quoque Macarius vinctus manibus militum. Aderat verò ipſe quoque Præſes, iudicaturus vnà cum Epiſcopis, atque etiam quidã magiſtratus. Aderant autem etiam calumniatores. Et apertũ quidem fuit tribunal iudiciale: vocatus eſt autem Athanaſius. Et primùm quidem lineæ veſtis, deinde etiam auaritiæ illata iſt aliena criminatio. Sed protinùs quoque eſt conſecuta criminis abſolutio, apertum argumentum illorum inhumanitatis. Literæ enim ab Imperatore illo tempore veniunt in iudicium, quæ non leuiter quidem tangebant accuſatores, Athanaſium autem liberabant crimine, comiterque & benignè ad eum accerſebant. Apis enim & Macarius, non is, quem iam priùs diximus, (ille enim erat ab Euſebio relatus inter reos,) ſed alius, qui erat eiuſdem cum eo nominis, ambo Alexandrinæ eccleſiæ presbyteri, cùm Nicomediam non conſultò ſed caſu veniſſent, & Imperatorem conueniſſent, omnia, vt rei ſe habebat veritas, retulêre, & falſum crimen ſancto obiectum, & iniquas in eum ſtructas inſidias, diſſoluêre. Quibus cùm fidem habuiſſet Imperator, vel potiùs argumenta à veritate profecta eſſet reueritus, quoniam nihil probabile, neque quod rei cohæreret conſequentiæ, ſed ſolummodò inuidiæ fœtus re vera eſſet calumnia, tales edidit literas. Quæ cùm in ipſo ingreſſu accuſationis lectæ eſſent in iudicio, Euſebianos protinùs inuaſit metus & angor animi, neque ſciebant, quidnam facerent. *Synodus Tyri, vbi accuſatur Athanaſius.*

Cæterùm ne ſic quidem deſtiterunt ab inſania, neque ſatis duxerunt, quòd eſſent ſemel conuicti, ſed etiam accuſatione conuerſa in contrarium, vt quæ ſtolidos potiùs reddidiſſet obnoxios criminibus in Imperatorem, illi etiam conuerſi ſunt ad alias, & moueri cœpit quæſtio de Macario. Et productus quidem eſt accuſator Iſchyras, teſtes autem Euſebiani: quos primùm quidem Athanaſius reiecit vt inimicos, & ipſis legibus & ijs, quas leges afferunt, neceſſitatibus arcuit à ferẽdo in ſe teſtimonio. Deinde etiam æquum cenſebat, vt oſtenderetur, num re vera eſſet ſacerdos accuſator Iſchyras: & tũc ipſe quoque dicebat ſe redditurum rationem ei obiecti criminis. Hæc ille quidem dicebat, Iudices autem non patiebantur: ſed admiſſus quidem fuit libellus aduersùs Macarium, eiuſque cauſa agitabatur, iamque peruenerat ad contentiones & ad probationes. Quæ cùm eſſent minùs validæ, dilata eſt auditio, vtpotè quòd opùs eſſet, vt res ipſa in loco ipſo quæreretur. Cùm autẽ quos reiecerat Athanaſius, eos videret mitti ad examinationem, tunc non tacendum eſſe cenſuit nec ferendum, ſed vociferatus eſt: Ius extinctum eſt, conculcata eſt veritas, perit illa accurata legum iudicumq; ratio. Quemadmodùm enim, inquit, non fuerit abſurdum, vt reus quidem ſe defenſurus tutò ſeruetur *Iſchyras accuſat Athanaſium.* *Athanaſij proteſtatio*

tur in vinculis, accuſatori autem & inimico ferenda permittatur de cauſa ſententia: quinetiam ij producuntur criminum teſtes, de quibus ipſi ſunt iudicaturi. Hæc cùm Magnus apertè clamaret Athanaſius, publiceque & toti ſynodo hæc proteſtaretur, vbi nec iuſti, nec eorum, quæ dicebat, eos vidit vllam habere rationem, ipſe quidem de receſſu cogitat, & clàm venit ad Imperatorem. Statim autem concilium, vel improbum, vt ita dicam, conciliabulum, eum abſentem condemnat.

Damnatur abſens.

Poſtquàm autem finem quoque ceperunt, quæ acta ſunt Mareotæ, & omnia inimicis ſucceſſerunt ex ſententia, decernunt vt omninò deponatur Athanaſius. Ij, inquam, deponendum decernunt, qui, ſi veritas iudicaret, eſſent potiùs deponendi, eum, in cuius animæ pulchritudine nulla erat macula: in eo deponendo criminationibus contumelijſque & maledictis ſupra modum redundantes, & vehementi impetu in eum inuehentes. His ſic peractis, ita vt ſe habebant, rectà cucurrerunt Hieroſolyma, vbi etiam Arrium, qui in Deum furebat, admiſerunt quicunque lingua ſolùm pietatem colere elegerunt, & in Nicena ſynodo fictè ſubſcripſerũt homouſio. Qui autem rectæ erant fidei, cordeque & labris ſani erant, cùm ſtatuiſſent vt examinaretur Arrius in ſynodo Alexandrina, verbiſque & ſententijs animum adhibuiſſent, eaque diligenter perpendiſſent, depræhendunt dolum, qui latebat ſub multis velamentis verborum & ſententiarum, & eum eſſe conuincunt inimicum veritatis, & vulpem illaqueant. Deinde rurſus veniunt literæ ab Imperatore, quæ iubent, vt Athanaſius quidem ad ipſum veniat, & ipſi quoque quamprimùm adſint. Hæc magnum timorem incuſsêre ſynodo, ne conuincerentur ab Imperatore, partim quidem gratia, partim vero odio adducti iudicâſſe, vt qui apertè fuerãt falſi defenſores, & proditores veræ fidei. Quibus de cauſis complures quidem ad ſua redierunt: Euſebius autem, Theognis & reliqui cauſas fingentes probabiles, vt in eo loco manerent, non paruam attulerunt dilationem temporis: & interim Imperatori reſpondêre literis.

Dum hæc autem agerentur, rurſus Nicomediæ in conſpectum Imperatoris ſe ſiſtens Athanaſius, de auro obiectum crimen iuſtè & apertè diluit. Cùm verò adhuc magis differrent Euſebiani, Imperator Athanaſium cum literis dimittit Alexandriam, & ei tradit Epiſcopatum, ſignificans viſas eſſe omnes accuſationes infirmas & inualidas. Cùm ſic ergo Alexandriæ fuiſſet Athanaſius, conſpirarent autem & confirmarentur Arriani, magna quędam confuſio & perturbatio populum inuaſerat: vtpotè quòd multi ferre non poſſent, videre rurſus ea iudicio retractari, quę iam probata fuerãt à tot Epiſcopis. Aegrè ergo ferens Athanaſius, quòd non ſolam Alexandriam, ſed etiam totam ferè Aegyptum videret labefactari, ſignificat omnia Imperatori, & ad vltionem Arrij adhortatur, volens eum de illo aliquod ſumere ſupplicium: protinuſque literæ veniunt Alexandriam, vt accerſitus duceretur Arrius, intemperantis animi & linguæ pœnas daturus. Cùm ergo ab Alexandria ad Imperatorem deduceretur Arrius, fuit Cæſareæ, & cum Euſebio, Theognique & Mari ei fuit conſuetudo.

Conſtantinus reſtituit Athanaſiũ ſuæ ſedi.

Hîc mihi conſidera difficilimam irruptionẽ, & vndenàm Athanaſio ſit exortus maximus fluctus tentationum. Cum eis quidem cõmunicat ſermones, qui erat morum quoque ſocius: menſam quoque cõmunicant, qui cõmunem aduersùs Deum pugnam cum eo ſuſceperant, ſuaque ei narrant omnia, & inter ſe capiunt conſilium, vt nec Deo (ô inſaniam) parcant, nec Athanaſio. Aduersùs eum ergo alias quoque rurſus ſtruunt illi calumnias, qui ex maximi Eſaiæ ſententia, laborem concipiunt, & pariunt iniquitatem, qui ſpem poſuerunt mendacium, & dixerunt mẽdacio, Tegemur: & omnem rudentem mouent, vt eſt in prouerbio, vt de ſede ſanctum detrahant, & belli in Chriſtianos gerendi tutam ſedem faciant Alexandriam. Iuerunt ergo ad Imperatorem, Arrius quidem ſe defenſurus: Euſebius autẽ & eius aſſeclæ, patroni futuri mendacij: in Athanaſium autẽ & veritatem, apertè laturi teſtimonium. Poſtquàm autem ſe Imperatori ſtitiſſent, & de ijs, quæ geſta fuerant à ſynodo, ea, quæ par eſt, interrogati fuiſſent, ſtatim: De alijs quidẽ, ô Imperator, inquiunt, non adeò cruciamur: ſacra autem menſa & calix myſticus, quòd illam quidẽ euerterit, hunc autẽ confregerit & in partes minutas diuiſerit, & quod frumentũ, quod ex Alexandria ad vrbem pro more emittitur, minatus ſit ſe prohibiturum, hæc malè nos habent, hęc mordent, hæc cuius non tangant animum vel adamãtinum? Horum ſunt teſtes Adamantius & Anubion, Arbeſtionq; & Petrus Epiſcopi: à quibus de his omnibus conuictus, iuſtum quidem effugit ſupplicium, effugere tamen non potuit, quò minùs abdicaretur: ſed communiter ab vniuerſa ſynodo, vt nefariorum & impiorum eiuſmodi facinorum perpetrator, eſt abdicatus.

Eſaiæ 59.

Arriani accuſant Athanaſiũ apud Conſtantinum.

Hæc

Hæc cùm adhuc dicerentur, Imperator primùm tacitè & apud ſe perturbabatur: Iubetur
tandem autem, cùm penderet ab eorum auribus, in iram erumpit, & iuſtū condemnat, exulare Athanasius.
vt in Galliam mitteretur in exilium, hic quidem ſolùm corruptus ſentētia & moribus,
cùm vtraſque aures prębuiſſet Euſebianis, (reuerà enim bonos mores peruertūt & cor- Menander.
rumpunt, vt ait ille ſapiens, colloquia praua) licèt reo ſemper alterā ſeruaret integram: 1. Cor. 5.
quod quidem ei fuit veluti quædam ruga & macula, cùm ſe alioqui ſeruâſſet purum & ab omni labe alienum. Sunt autem qui dicunt, accuratiùs fortaſſe eius ſcopum perpendentes & conſiderantes, quòd non propter condemnationem aliquam hoc exilium ſtatuit in Athanaſium, ſed potiùs ad vnionem & concordiam eccleſiarum, vt earum ſedaret tempeſtatem, & ſopiret tumultum. Quoniam enim non leuis ſeditio totā, quanta erat, Alexandriam, & maximam partem Aegypti inuaſerat, ille hoc moliens & procurans, vt res componerentur, ſtatuit in præſentiā procùl amandare Athanaſium. Sic enim futurū eſt arbitratus, vt curaret mentes aliorum Epiſcoporum, & omnes in vnum conciliaret, ſi virum apertè relegâſſet extra terminos ciuitatis.

Cæterùm ille quidem in his vita excedit, triceſimo quidem anno imperij, ætatis au- Conſtantini obitus.
tem ſexageſimoquinto, filijs relictis ſucceſſoribus imperij, eoq; inter ipſos diuiſo. Nam Conſtantino quidem maiori ex filijs maius quoque relinquit imperium: teſtamentum autem cuidam commēdat presbytero, qui clàm in animi penetralibus laborabat morbo Arrij, quid id quoque ſimul cum morbo celauit. Et cùm à multis rogaretur, factóne teſtamento deceſſiſſet Imperator, diſtulit id dicere, in rei tam arcanæ ſocietatem adhibitis intimis Imperatoris Eunuchis. Cùm autem diutiùs aduentum prorogante Conſtantino, tertius ex filijs Cōſtantinus primus veniſſet Antiochia, ei clàm in manus tradit teſtamentum patris: hancque ſolam ab eo petit gratiam, vt ille quoque accedat Arrianis: Regique immortali dat hāc regni remunerationem, quòd non ſit ipſe Deus, ô amentiam, nec vniuerſi Dominus. Hoc autem * captum vnà cum eis aggreſſus eſt is, qui priùs dictus fuit, Euſebius, & omnes eius Aſſeclæ, tunc eſſe arripiendam arbitrantes occaſionem. Vna autem videbatur ratio conſtituendi ſtabiliendique Arrij, ſi hic quoque Athanaſij confirmaret exilium, tanquam iure optimo in eum conſtitutum. Ad quod eis manus vtiliſſima fuit ille quoque ſceleratus ſacerdos: qui cùm vnà cum alijs
regiæ quoque præpoſitum corrupiſſet, ipſum quoque reddidit partem non minimam De Euſebio
illius improbæ Arrij ſentētiæ. Ab eo enim in reliquos quoque Eunuchos peruaſit mor- Archieunu-
bus Arrij, qui ſunt natura faciles, aptique ad ſumendum vitium, & ad cōmunicandum. cho dicit.
Porrò autem vxor quoque Imperatoris paulatim blaſphemis corrupta colloquijs, ipſa quoque ſimili repleta eſt exitio. Haud ita multò pòſt ipſe quoq; Imperator fecit, quod
Semei nequam, (qui, inquam, aduersùs ſuum dominum inſurrexit, & improbè ſuum 2. Reg. 16.
regem inceſſit maledictis) & Arrij acceſſit ſententiæ, adeò vt in eo impletum ſit illud diuini Hieremiæ: Paſtores quoque in me fuêre impij. Iubet ergo ea, quæ ille ſentit, firma eſſe ac valere, & Epiſcopos tanquam ex mandato malè ſentire, & non perſuaſos, ſed potiùs perterritos, amplecti impietatem.

Gubernatores autem eccleſiarū in tam magna tempeſtate & tantis fluctibus, erant Maximus quidem Hieroſolymorum, Athanaſius autem Alexandriæ: qui etſi eſſet in exilio, clauum tamen non dimittebat, & Alexander ciuitatis Conſtantinopolitanæ. Euſebius verò callidum quid ſpirans & audacia plenum pro impietate, temporaque ac loca, non ſecùs ac prudentes Imperatores, ad veritatem inuadendam obſeruans, tale quid excogitat. Introducit Arrium in Conſtantini ciuitatē cum valdè magna authoritate, vt inquiſitio fieret in aliena regione, cùm in exilio quidem eſſet Athanaſius, nullus autem adeſſet, qui poſſet recta tueri dogmata: ſed & Imperator & Magiſtratus ei eſſent omnes acceſſuri, propterea quòd nullus eſſet, qui reſiſteret. Hæc quidem apud ſe conſiderabat: aliter autem rurſus ſapiens, hęc deſupèr ordinauit & tranſmutauit Oeconomus, dans quandam paruam interruptionem vehementi impetui ſceleris: & quo magis Arrio fluxit lingua aduersùs pietatem, eo magis ei vnà quoque ſua paulopòſt fluxe-
runt inteſtina: & inanis quidem extis, inanis autem viſceribus in locis profanis proie- Arrij horrēda mors.
ctus eſt Arrius. Supplicium iuſtum oris intemperantis, & mali vaſis pleni putredine digna exinanitio.

Cùm ergo corpus & animam tam miſerabiliter abrupiſſet, Euſebius & eius aſſeclæ totum bellum & pugnam vniuerſam ſuſceperunt, & omnia conturbare ſunt aggreſſi, in his tanquam manus habentes Eunuchos aulæ regiæ. Sunt autem hi improbi & verſuti, rerumque ſemper gaudentes mutationibus & cōfuſionibus. Et illi quidem ſuum

 olim

olim ſuſceptum vrgebant inſtitutum, ſtudebantque vt Athanaſius excluderetur ſimul à ſedibus & ſermonibus, doctrinaque & omni loquendi libertate. Alia autem rurſus ſapiens prouidentia Conſtantini animum variauit & commouit, qui ex magni Conſtantini filijs primus erat ætate & imperio. Veteris enim Romæ tunc obtinebat imperium. aggreditur quidem eius ſoluere exilium, ſcribere autem ad Alexandrinos, atque ipſum etiam Athanaſium vnà mittere cum literis, quæ ſic habent: Victor Conſtantinus Alexandrinorum eccleſiæ & populo: Neminem veſtrûm arbitror ignorare, quæ magno veritatis præconi, adorandæque legis interpreti nuper accidêre Athanaſio: & quemadmodùm communiter aduersùs ipſum excitatum eſt bellum ab inimicis veritatis, & quemadmodùm iuſſus ſit mecum degere in Gallijs, vt poſſet vtcunq; ſuo capiti imminens declinare periculum. Non tamen eſt omninò perpetuo damnatus exilio. Quinetiam interim ei eſt à me pulchrè conſultum ac prouiſum, vt nihil ei, quod nollet, accideret, etiamſi alioqui eſt tolerās & laborum patiens pro veritate, vt ſi vllus alius, & qui diuino zelo incitus, poſſit facilè ferre quoduis onus quantunuìs graue. Porrò autem beatus quoq; Conſtātinus pater meus, volebat eum ſedi ſuæ ſtatim reſtituere. Qui cùm ad vitæ finē perueniſſet, & quod ſtatuerat anteà, implere non potuiſſet, mihi per ſucceſſionē reliquit negociū, extrema de hoc viro dans mandata. Vobis ergo iubemus, vt nūc quidē illum omni reuerentia, præclariſque ei obuiàm procedentes honoribus excipiatis, poſteà autē eum rurſus ad nos tranſmittatis. Qui poſtquàm ad noſtrū conſpectum redierit, quantam à nobis curationē & reuerentiā ſit conſecuturus, vos quoque ſcietis.

Literę Conſtantini iunioris ad Alexandrinos.

His literis fretus Athanaſius, venit Alexandriam. Et eum quidem ſuſcipit lubentiſſimè populus Orthodoxorum. Quicunque autem erant partium Arrij, per ſodalitates coëuntes & conſpirantes, rurſus bellum & turbas in eum ſuſcitabant, & Euſebianis alias calumniandi anſas præbebant aduersùs ſanctum, tum quòd ei cùm ſynodus non decreuiſſet reditum ab exilio, eo ex ſe ſibi permiſſo occupâſſet eccleſiam. Deinde etiam cuiuſdam mortuæ manûs ſanctum inſimulabant, dicentes eum illius ope vti ad miracula & præſtigias, cùm illi eſſent reuerà ſcelerati, planeque perditi & corrupti præſtigiatores: manum autem eſſe cuiuſdam Arſenij, vnius ex Alexandrinis, arte quadam amputatam ab Athanaſio. Quibus cùm aures præbuiſſet Imperator, (ſolent enim narrationes, quę habent eiuſmodi nouitates & prodigia, probabiliter compoſitę facilè animos inducere) non primùm perpetuo condemnat exilio Athanaſium, (hoc enim inimici omninò contendebant) ſed vt re permiſſà legibus & iudicibus, ipſe legitimum ſubiret ſupplicium, ſi conuinceretur talium peccatorum. Archelaum ergo quendam ex ſuis familiaribus, ſimul cum Nonno Præſide Phœniciæ emittit ad ea quærenda. Poſtquàm autem hi Tyrum venerūt, (ibi enim manebat Athanaſius, de præſtigijs expectans iudicium) examinatio eſt paululùm dilata, vt videbatur quidem, quòd expectabantur ab Alexandria accuſatores, qui ſcelus ſuis viderant oculis: re vera autē, vt finis indicauit, quòd Deus deſupèr omnia intuebatur, hancq; ſua clementia procurabat dilationem, vt ipſe adeſſet Arſenius, cuius mortua manus, & iniqua amputatio, velutì tragico quodam actu iactabatur. Nam hic Arſenius fuit quidem vnus ex gradu lectorum. Cùm autem propter nefandum aliquod facinus eſſet non leue ſuppliciū daturus, fugam comparat, & euadit fugitiuus ab Athanaſio & eccleſia. Illi ergo in vitio eruditi, mala pars aduerſarij, rati non modò in iudicium non auſurum eſſe venire Arſenium, ſed nec pauliſpèr extra domum egreſſurum, propter nefarium & execrandum facinus, propterea & ei manum adſcribebant, tamque impium & abominandum ſcelus eum admiſiſſe contendebant, & Arſenij nomen continenter proferebant.

Athanaſius redit Alexādriam.

Calumnia amputatæ manus Arſenij.

Cùm ergo iam fama in omnem partem peruaſiſſet, fore vt propter Arſenium maleficij damnaretur Athanaſius: deinde verò etiam ad ipſum iam perueniſſet Arſenium, ille miſertus Athanaſij & veritatis, (nam illa quoque ante generóſum animum erat interitura) malo bono medetur, & latentem illam fugam manifeſta dicendi libertate reparat & reficit. Suaque omnia nihili ducens, breuì Tyrum occupat: & ſolus ad ſolum accedit Athanaſium, & cum eo ſeorſum loquitur. Is autem hoc ſolùm conſulit & ſuggerit Arſenio, ne ſe oſtendat ante iudicium, ne fortè aliquid mali ei faciant improbi, aut certè interim iudicium declinent. Atque ſic quidem fecit Arſenius, & latuit ſecuriſſimè. Non quieſcebat autem inuidia, nec vllam capiebat ſatietatem malorum Athanaſij. Quinetiam ad alias proceſſerūt inſidias, & cùm ſederent Iudices in tribunali, intenderunt crimen adulterij viro impatibili. Fuit autem actus huiuſmodi: Producunt mulierem quandam vultu impudētem, anima ſceleratam & abominandā, in ſycophantijs præ-

Crimen adulterij ipſi

præclarè exercitatam. Hæc ergo calumniatrix empta pecunia, dicebat ſe domi ſuæ excepiſſe Athanaſium pietatis & virtutis gratia. Cùm autem media nox aduentâſſet, ſe omninò contrariũ ab eo & vidiſſe & paſſam eſſe eorũ, quę exiſtimauerat. Hæc cùm referret accuſatrix, aderat etiam audiens Athanaſius: vnà autem cum eo quoque aderat Timotheus preſbyter, foris ſtantes ad portam, qui aduersùs calumniã callidum quid & præclarum excogitat. Nam cùm repentè irruiſſet vnà cum Athanaſio, eiusque perſonam pulchrè egiſſet Timotheus: Mulier, inquit, Egon' tibi noctù vim intuli, vt ipſa dicis, egóne? Illa verò valdè impudenter ad Iudices, ita vt erat, ſtatim conuerſa: Hic, inquit, eſt, qui mihi vitium attulit, hic eſt, qui inſidiatus eſt meæ pudicitiæ. Hic, & non alius, qui eſt apud me diuerſatus, & pro beneficio vi illata me eſt remuneratus. Illa ergo impudica ſic ſuis verbis cõuicta, vt quæ, vt fertur, domo teſtis eſſet producta, cùm nec ipſum quidem nôſſet, qui ab ea accuſabatur, quis eſſet, & figmentum palàm fuiſſet apertum, Iudices neſcientes quid deinceps agerent, quieto ac ſereno vultu ſubrident: quod quidem ſolet fieri à perplexitate & hæſitatione, quæ quærit tegere vultús pudorem. Iidem enim erant omnia Athanaſio, & iudices, & teſtes, & accuſatores. obiectũ mira arte diluit.

Quocircà prætermittentes ferre ſententiam & lege conſtitutũ aduersùs calumniatores, conuertuntur ad crimen maleficij, ſecundis ſtolidi ſtudentes aliquod inuenire remediũ prioris dedecoris. Quòd autem id eſſet falſum, fuit probatio euidẽtior. Producunt itaque manũ, ſcelus, quod miſericordes oculi ne intueri quidẽ ſolùm pati poterant. Hanc illi immaniter & impudẽter ſancto viro conquaſſantes: Hæc, inquiũt, Athanaſi te vel tacens accuſat. Hæc te ineuitabiliter & acriter inſequitur. Hanc non verbis, non arte, non aliqua alia ratione poteris effugere. Sciunt omnes Arſeniũ, cuius tu ô iniuſte & impie, hanc manũ execuiſti. Dicas iam deinceps, ad quid ea vſus ſis, & quanam de cauſa eã execueris. Ille autẽ leni voce, & tali, vt quis dixerit, anima, & Chriſti omnia imitari contendente, qui cùm iniquè à Iudæis condemnaretur, non litigabat, nec clamabat, ſed tanquam ouis ducebatur ad cædem, partim quidẽ omninò tacens, partim verò placidè reſpondens: Quis eſt ergo, inquit, ex vobis, qui nouit Arſeniũ? aut quis hãc eius eſſe dexteram ſcit perfectè? Cùm autẽ non pauci ad hæc è cathedra ſurrexiſſent, & Arſenium ipſum, & manũ, & omnia apertè ſe nôſſe affirmarent, ſoluto protinùs tabernaculo Athanaſius, iubet Arſenium prodire in medium. Poſtquàm verò hic viuus & ſanus eſt introductus, ambas manus protendẽs accuſatoribus & iudicibus, beatus Athanaſius eos acriùs intuens: Non eſt hic, inquit, Arſenius? Non eſt hic, inquit, qui eſt apud vos, & manum, vt vos vultis, amiſit? Non eſt hic, qui eſt notus omnibus Alexandrinis? & ſimul cùm eum attraxiſſet in mediũ iudicij, vt manifeſtus eſſet omnium oculis, extendit primùm dexteram. Deinde iubet ſiniſtram quoque in altum tollere: & magna voce exclamans, vt qui eos reuocaret, qui procùl eſſent à veritate: Hic quidem, inquit, ô viri, & Arſenius. Hę ſunt autem manus illius, quæ minimè nórunt amputationem. eum autem, qui eſt apud ipſos Arſenium, reſpiciẽs ad accuſatores: O egregij, inquit, Iudices, rogo vt oſtẽdatis quis' nam ſit, & cuius nam ſit manus, quæ eſt amputata, quæ vos quoque criminatur, vt qui eam amputaueritis. Tunc ne ipſa quidẽ cathedra potuit ampliùs tolerari à Iudicibus: ſed ea quoque relicta cum lictoribus, admodùm mœſti & triſtes, pudoris ſigna vultu apertè præ ſe ferentes, receſſerunt. Iniqui iudices. Eſa. 53. Arſenius in mediũ producitur, & hoſtes Athanaſij pudefiunt.

Cùm autẽ populus eos ſic vidiſſet perturbatos, & cũ pudore & animi angore iudicio excedẽtes, tanquam pro illis & cõmuni impietate zelo perciti, (iam enim Arriana pernicie ſatis erat refertus) & alioqui gratificãtes Epiſcopis & Imperatori, aggreſſi ſunt lędere Athanaſiũ, & eum vndiq; circunſiſtunt, verbis impetẽtes, manus afferentes, nugatorem, maleficũ & pręſtigiatorẽ, maleque perdendũ, & multa alia peiora eũ vocantes, quę cum illo quidẽ nihil habebant omninò cõmune: aduersùs eos autẽ, qui dicebant, fuiſſent vel longè, quàm par eſſet, benigniora ijs, quę merebãtur audire: ipſosq; Iudices maledictis inſectãtes, quòd non pœnis potiùs & ſupplicijs, quàm legitimis probationibus calculũ permiſiſſent, & mortẽ ipſi rurſus per ſe minãtes iuſto Athanaſio. Tanta tamen excitata ſeditione, cùm ea confuſio verſaretur in populo, nihil omninò curæ fuit Gallioni, qui tũc præerat ciuitati. Quamobrem malũ quoque proceſſiſſet vlteriùs, niſi deſcendens Archelaus, blãdis verbis & ad perſuadendũ accommodatis mitigâſſet populũ, & iam diſcerpendũ Athanaſiũ, ex medijs populi manibus rapuiſſet, & ex ciuitate clãculùm ſubduxiſſet. Erat autẽ hic Archelaus, Pręſes quidem iudicij, alioqui verò temperantiſſimus & moderatiſſimus, & magna dicendi facultate præditus. Quòd ſi etiã oporteret mortẽ contemnere, promptiſſimus. Hic ergo cedẽs furenti populo, perſuadet Iniuriæ in ſanctum virum.

Vide inſignem malitiam.

ſuadet Athanaſio, vt clanculùm excedat è ciuitate. Cùm is autem propter hæc ciuitatem reliquiſſet, iniſtiſſimi conuenientes Iudices, aduersùs ſanctum capiunt conſilium, ferunt ſententiam, reum eſſe pronunciant criminum, quorum fuerat accuſatus: acta conſcribunt, & mittunt in omnem partem, ei interdicunt vniuerſa regione, ciuitate, eccleſia: omnibus modis oſtendunt filij tenebrarum, ſe velle procùl eſſe à tali lumine.

Porrò autẽ Conſtantinum quoq; in ipſum incitant, adeò vt & pecunias & honores offerret ijs, qui vel viuum virũ eſſent indicaturi, vel perempti caput allaturi. Is verò perindè, ac ſi non à finibus Romani imperij, ſed etiã extra ipſum orbẽ terrarũ eſſet damnatus exilio, ſex quidẽ annis in ſicca quadam ciſterna & aqua penitùs vacua delituit. Cùm autẽ ne ſic quidẽ poſſet perpetuò latere, ſed futurũ erat, vt die ſequenti caperetur, (vbique enim accuratè quærebatur & inueſtigabatur) diuina quadã prouidentia veſperi è ciſterna egreſſus, trãſit aliò. Deinde veritus, ne illic rurſus captus, eſſet cauſa periculi ijs, qui eum exceperãt, ab Oriente tranſit ad Occidentẽ. Ei autẽ tunc imperabat Cõſtans frater Conſtantij, qui Conſtantino fratri nuper ſucceſſerat. Is cùm ſic adminiſtrâſſet imperiũ, ſicut dicitur, vitę finẽ accipit iuxta Aquileiam apud fluuiũ Alſum, cæſus ab exercitu. Cùm ergo in Europã veniſſet Athanaſius, conueniens Iuliũ Romanum Epiſcopum, & ipſum etiam Imperatorem Conſtantẽ, eis exponit ea, quę ad ipſum pertinent. Cùm autẽ audiuiſſet, ad ſuum interitũ & ad fidem orthodoxã euertendam, Antiochiæ fuiſſe congregatã, quæ vtinam non fuiſſet congregata, ſynodum, & Georgiũ quendam improbum, aduerſarij agricolam, mox eſſe in illius ſede loco ſuo collocandum, non potuit ferre, ſed vbique ſcripſit ad clerum Aegypti, ad magiſtratus, & ad populum, rogans, minans, admonens, nullam non viam verſans in literis, vt nullo modo ſuſcipiant zizania Arrij, & immixta ab omni blaſphemia conſeruent ſemina fidei orthodoxæ.

Sex annis in ciſterna latitat Athanaſius.

Euſebiani autem, qui ad ſe inſinuandos & homines in ſuas partes pelliciendos miri erant artifices, poſtquàm rei ſe defenſuri magnam viderunt ſolitudinẽ, totam linguam apud Imperatorem exercentes in Athanaſium, cùm facilem illum & ſimplicem Conſtantiũ ad ſuas partes totum attraxiſſent, & vt eorum ſententiæ aſſentiretur, effeciſſent, deponendum eſſe Athanaſium etiam non præſentem decernunt: quendam autẽ Gregorium, rabie Arriana refertum, in Alexandrinam eccleſiam eius loco introducunt. Cùm verò pro eorum arbitratu hæc ſic adminiſtrâſſent, magna iam libertate ſuum dogma inferunt. Gregorius autem cùm nondùm aſcendiſſet Alexandriam, acſi iam pręeſſet eccleſię ſedem ſibi vendicans, & tanquam penès ſe habere expectans id, quod nec in ſomnis quidem ſperabat habere, literis manùs propriæ ipſe quoque confirmabat, quę decreta fuerant. Eiuſmodi enim eſt impudentia ac leuitas. Videntur ſemper habere in manibus ea, quæ expectãtur. Iam verò Euſebius, qui erat ſtrenuus impietatis propugnator, poſtquàm ex ſui animi ſententia res præſentes adminiſtrauit, mittit legatos ad Iulium, vehementer in epiſtolis inuehens in Athanaſium, mittenſque, quas in eum ſtruxit inſidias & calumnias, eius ſimul iudicẽ & punitorẽ Iulium conſtituens. Is autem (non poterat enim facilè illici figmẽtis & dolis, immò verò ad ea depręhendenda & intelligenda erat acutiſſimus) cùm Euſebij literas accepiſſet, & valdè eas diligenter & attentè perlegiſſet, & apertas eſſe nugas animaduertiſſet, ipſe contrariam ſtatuẽs, literiſque Athanaſiũ muniens, emittit Alexandriam, non paucis nec leuiter inſectans eos, qui depoſuerant. Cùm is autẽ ad ſuam deduceretur eccleſiam, eos, qui Antiochiæ congregati fuerant, non paruus cepit tumultus & metus, ne ſi ab Athanaſio præoccupata fuerit eccleſia, ſibi deinceps intercludatur aditus Alexãdriam. His de cauſis illum quidem conabantur intercipere, vel potiùs interimere, Gregoriũ autem in ſedem introducere. Quocircà eum quamceleriimè deduxerunt Alexandriam: Gregorio verò reditũ procurabat etiam dux exercitûs Syrianus cum manu, quæ ei ſubiecta erat, præcedens, ſic iubente Imperatore, vt Athanaſio quidem mortem, illi autẽ procuret epiſcopatum. Quomodò autem ex medio reti potuerit effugere Athanaſius, oſtendet oratio.

Gregorius in ſedẽ Alexandrinam intruditur.

Iulius Papa reſtituit Athanaſiũ.

Cùm ſol iam eſſet in occaſu, feſtum quidẽ diem agebat & celebrabat ciuitas: venit autẽ tanquam ad prœlium dux ille exercitûs, ordinata acie, & eccleſia in orbem circundata. Hæc ergo caſtra videns Athanaſius, & curis plenus, non ne ipſe caperetur, ſed potiùs, ne propter ipſum populus aliquid damni acciperet, iubet quidem Diacono preces ſignificare. Preces autẽ excipiebat quoddam populi canticum. Deinde cùm, vt par eſt, eſſet magnus clamor & concentus, iuſſit magnus Athanaſius omnes exire per eandem portã. Atque duci quidẽ exercitûs & ſuis intercedebat amicitia cum multitudine, neque cuiquam ex ijs manus attulerunt, ſed omnes omniũ oculi ad ſolum reſpiciebãt Atha-

Athanaſium, vt ſi eum vidiſſent, de medio tollerent. Is autem cùm pars populi factus eſſet, & tanquam vnus ex multis, tranſiens per medium tumultum & multitudinem, & ſic militum oculos latens, abijt. Ille ergo Romam, cùm ſic effugiſſet, reuerſus eſt: Gregorius verò iam tenens eccleſiam, etiam aduersùs rectam fidem ſecurè armabatur. Quæ cùm ferre non poſſet Alexandrinus populus, & grauem excitauit ſeditionem, & quæ Dionyſij vocabatur, ædem incendit. Huius autem propter Chriſtum confuſionis fuit particeps magnus quoque inter ſanctos Paulus, qui tunc Conſtantinopolitanæ præerat eccleſiæ, qui ipſe quoque eſt à ſede depoſitus, & Romam veniens, fuit Athanaſij pietatis & periculorum ſocius. Illic ergo Conſtantem & Iulium conuenientes, quę ipſi paſſi eſſent, & quę aduersùs ipſos & veritatem Euſebiani feciſſent, narrant omnia. Certè ipſe quidem Imperator Conſtans de his protinùs ſcribit ad fratrem. Cùm autem nihil proficeret, rogant Athanaſius & Paulus, vt alia fiat communis ſynodus. Non aliam enim ob cauſam aiunt fuiſſe excogitatas eorum depoſitiones, niſi vt recta & ſana fides ſimul cum eis deponeretur. Vtriuſque ergo Imperatoris ſententia, communis ſimul & Oecumenica rurſus Sardicæ congregatur ſynodus: & Occidentalium quidem, vt ipſe quoque ſcribit Athanaſius, conuenerunt plùs quàm trecenti Epiſcopi: Orientales autem, vt ait Sabinus, ſoli ſeptuaginta: inter quos annumeratus eſt etiam Iſchyras Mareotæ Epiſcopus. Et qui ex Aſia quidem confluxerant, ne in Occidentialium quidem conſpectum venire ſuſtinuerunt, affirmantes ſe non aliter cum eis eſſe ſermones collaturos, niſi priùs Paulum & Athanaſium conuentu expellerent.

Præſens mortis diſcrimen euadit Athanaſius.

Synodus Sardicenſ.

Cùm autem Occidentales ne auditione quidem accipere hũc ſermonem ſuſtinuiſſent, illi ita, vt ſe habebant, rurſus reuerſi ſunt, & cùm Philippos Thraciæ ciuitatem perueniſſent, atque vtinam priùs veniſſent ad inferos, illic deinceps priuatum faciunt conciliabulum: & Homouſium quidem, qui erant manifeſtæ impietatis, (O tuam Rex Chriſte patientiam) apertè feriunt anathemate: in epiſtolis autem exponunt ſententiam Heterouſij, id eſt, quòd filius ſit diuerſæ à patre eſſentiæ, & chirographà impietatis ad ſuos in omnes partes tranſmittunt. Hæc cùm reſciuiſſent ij, qui erant Sardicæ, primùm quidem eos abſentes, vt qui ſe non ſtitiſſent, iure condemnant. Deinde etiam Athanaſij accuſatores ſuis exturbant gradibus, & decretum fidei Nicenæ confirmantes, & ἀνόμοιον, id eſt, filij à patre eſſentiæ diſſimilitudinem ferientes anathemate, lingua expreſſiori prædicant homouſion: & ipſi quoque ea mandantes monimentis literarum, totum ferè orbem terræ his occupant. Quæ quidem cùm Conſtans Imperator reſciuiſſet, & Conſtantio fratri ſignificâſſet, rogabat, vt Athanaſius & Paulus ſuis reſtituerentur ſedibus. Cùm is autem hoc recuſaret & differret, ille rurſus vſus eſt literis acrioribus, ſcribens, niſi concederet, ſe eo vel inuito vtrunque ſuæ reſtituturum eccleſiæ. Conſtantius ergo non ampliùs differens & tergiuerſans, ſed fratris minas pertimeſcens, ſuis protinùs literis accerſijt Athanaſium. Cùm ei autem eſſet ſuſpecta vocatio, (neque enim eum confidere ſinebant, quæ præceſſerant) ille eum ſecundis interpellat literis, quæ multum habebant humanitatis & benignitatis. Cùm verò ne propter eas quidem eſſet vacuus à ſuſpicione, ne ſic quidem eius aduentum neglexit Conſtantius, Sed rurſus quoque ad eum ſcribit, in literis prætereà adijciens ſubmiſſionem & manſuetudinem: quinetiam de ijs, quæ priùs fuerant, excuſationem, & quòd volebat quidem tunc aliquem ex ſacerdotibus mittere, vt ei obuiàm procederet, ſed nullus fuit, qui eius ſignificaret aduentum. Nunc autem dicit ſe miſiſſe Diaconum Aletam cum epiſtola, qui & noſtram tibi ſignificabit affectionem, & fideiubebit, vt confidas de reliquis.

Conſtante vrgēte, Cōſtantius reuocat Athanaſium.

Cùm has epiſtolas accepiſſet Athanaſius, ſi quis erat metus, eum animo expellit, & quicquid ei malam ſpem in futurum intentabat. Cùm autem eas oſtendiſſet ipſi Conſtanti & Iulio, ipſos & vniuerſam regionem, quæ Romanis ſuberat, gaudio implet & lętitia, & vnuſquiſque proprium diem feſtum celebrauit de reditu Athanaſij ad ſuam ſedem. Statim autem Imperator Conſtans & ipſe Iulius, ille quidem regijs ſatellitibus, ille autem omnibus ferè, qui erant in Aegypto & Alexandria, Clericis & laicis, Athanaſij reditum honorârunt. Cùm autē veniſſet, eum admodùm lubenter excepit Conſtantius, ciuitatique & Clero & populo Alexandrino eum lubentiſſimè reſtituit: illam tamen fugam ei comiter exprobrat, & quòd clanculùm iudicio aufugerit, & latenter ſeceſſerit, amicè inſimulat: pro his tamen omnibus, ô Athanaſi, vnam à te peto gratiam, inquit, vt vnã eccleſiã Alexandrię cõcedas ſectatoribus Arrij. Is verò ſe prompto & alacri animo pollicitus eſt impleturũ, quod petierat, ſi ipſe quoq; Orthodoxis aliã tribueret Conſtantinopoli, ad aliquod exiguum veræ fidei fermentum. Cùm is aũt poſtulato

facilè annuiſſet, non tolerandus dolor deinceps inuaſit aduerſarios, quòd Conſtantinopoli daretur Athanaſio aditus, & ijs, qui cum eo communicabant. Conſtantio autem magis prudentia quoque admirabili viſus eſt Athanaſius. Fertur verò aliquando admirans Imperator dixiſſe cum ſtupore: Non abs re Arriani omnes mouêre machinas aduerſus virum talem. Sic ergo eius admiratus prudentiam, eum deducit humaniſſimè, ſcribitque ad populum Alexandrinum, Epiſcoposque & Magiſtratus Aegypti: Quinetiam ad Neſtorium Auguſtalem, Ducesque Thebaidis & Libyę, vt eum benigniſſimè excipiant & honorificentiſſimè, & non ſolùm ei ſua ſedes, ſed etiam omnibus, qui cum eo communicârunt, vnicuique ordo proprius & munus reſtituatur.

Conſtantij dictum de Athanaſio.

His ille munitus epiſtolis, & velutì confiſus, venit per Syriam & Palęſtinam, peruenitq; Hieroſolyma, & cum Maximo Epiſcopo & confeſſore colloquitur, auditq; quot & quanta ille paſſus ſit propter Chriſtum: narratque rurſus ipſe, quę & contra ſe priùs, & nūc pro ſe facta ſunt & decreta, & ab ipſa ſynodo confirmata & ab Imperatore. Quæ cùm audiuiſſet Maximus, protinùs nihil cunctatus, accerſit omnes Epiſcopos Orientis, & omnes cōmuniter Athanaſio cōmunionem reddiderunt & dignitatē. Cùm ſic ergo tertiò & cum tanto honore & celebritate ad ſuam redijſſet ciuitatem, & ab illis innumerabilibus velutì fluctibus & laboribus reſpirâſſet, deinceps quidem videri poterat eius vita eſſe quieta & tranquilla: tunc autem re vera maximum mare calamitatum in eum fluctuabat. Nam cùm in Conſtantem Magnentius inſurrexiſſet, & ei vitę finem attuliſſet, graue rurſus ab Arrianis bellum accendebatur, & rurſus Athanaſio parabantur inſidiæ & calumniæ apud Imperatorē, magnumq; & vetus ei malum imminebat Conſtantius. Rurſus ergo edicta, rurſus minæ, exilia, terrores, & per totum mare & terram inquiſitio. Rurſus zizaniorū ſeminator Georgius occupans Alexandriam, Aegyptum dilacerans, Palęſtinam depopulans, tumultu implens totum Orientem, cuiusq; inſania & impietas minimè capi poterat. Rurſus qui erat ſumma improbitate Acacius, & Patrophilus, Arrij impietatis patris amicus, Hieroſolyma venientes, & Maximū extrudentes, & eius loco Cyrillum conſtituentes: qui quantùm pietate magnus erat Maximus, tantùm erat pietati impietatis zelo aduerſarius. Quidnam tragicè recēſuerit quiſpiam omnia, quæ à Georgio deinceps facta ſunt eo tempore in ciuitate Alexandrina? Cæterùm ea, quæ ipſe beatus Athanaſius perſecutus eſt, ſuam fugam excuſans, eorum nobis quoque modò facienda eſt mentio: vel potiùs illi ipſi verè dulci eius linguæ eſt concedendum, ea ſubmiſsè & moderatè, cuiuſmodi erant in omnibus eius mores, narranti.

Tertiò redit ad ſuam eccleſiā Athanaſius.

Iterùm expellitur.

De Cyrillo alij aliter ſentiunt.

Etenim rurſus, inquit, aduentârunt quidam Alexandriam, qui nos quærebant occidere, fueruntque quæ nunc ſunt, deteriora prioribus. Repentè enim milites circundederunt eccleſiam, & quæ ſolent hoſtes facere, fuerunt pro precibus. Deinde ingreſſus ſancta Quadrageſima, qui à Macedonio & Arrianis è Cappadocia miſſus fuerat, Georgius, auxit mala, quæ ab eis didicerat. Nam poſt hebdomadem Paſchæ, coniectæ ſunt & virgines in carcerem, Epiſcopi vincti ducti ſunt à militibus, orphanorum & viduarum domus direptæ fuêre †, panesque viatici facti ſunt in ædibus, & noctū * deferebantur Chriſtiani, obſignatæque ſunt domus, & fratres Clericorum in periculum veniebant pro fratribus. Et ſunt hæc quidem grauia: ſunt autem grauiora, quæ facta ſunt poſteà. Hebdomada enim poſt ſanctam pentecoſten populus, qui ieiunauerat, egreſſus eſt ad orandum circa cœmeterium ſancti Petri Epiſcopi & martyris, propterea quòd omnes auerſarentur communionem cum Georgio. Sed cùm hoc reſciuiſſet hic ſceleratus, concitat Ducem exercitûs Sebaſtianum, qui erat Manichæus. Is autem cum multitudine militum, arma & nudos enſes, arcusque & tela ferentium, in ipſo Dominico irruit in populum: & cùm paucos inueniſſet orantes, (iam pridèm enim cōplures propter horam tardiorem receſſerāt) fecit res omniū grauiſſimas. Rogo enim accēſo, cùm virgines ad ignē adduxiſſet, cogebat eas dicere, ſe eſſe fidei Arrij. Poſtquàm aūt eas vidit vincere, & ignē nihilifacere, eis nudatis ſic earū vultus concidit verberibus, vt longo pòſt tempore vix agnoſcerentur à ſuis. Virosque numero quadraginta detentos, nouo modo conſcidit. Nā cùm ſtatim virgas ſecuiſſet ex palmis, ipſis etiā ſtimulos habentibus terga illorū ſic cecidit, vt nonnullis quidem caro ſæpè ſit excecta propter ſtimulos ſibi infixos: nonnulli autē non ferentes, ſic plagis ſunt mortui. Atq; omnes quidem, qui remansêre, & prætereà eas, quæ dictæ ſunt, virgines, in exilium mittit circa magnam Oaſim. Corpora autem mortuorum ne ſuis quidem fecit reddi in principio: ſed ipſi vt voluerunt ea abſconderunt inſepulta, vt viderentur eis tantam celare crudelitatem. Hæc verò fecerunt animo aberrantes, vt qui eſſent emotæ mentis.

In Apologia de fuga ſua.

† alius vertit: in domos eruptiones factæ ſunt,

* captabantur

Catholicorū dira perſecutio.

Nam

Nam cùm propinqui mortuorum gauderent quidem propter confeſſionem, lugerent autem propter corpora, impietatis & crudelitatis eorum maior ſe effundebat probatio. Etenim protinùs ex Aegypto & Libya in exilium miſerunt quidem Epiſcopos, Ammonium, Moin, Caium, Philonem, Hermen, Paulinum, Pſenoſirim, Linamonem, Agathonem, Agamphum, Marcum, alterum Ammonium & Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum, & presbyteros Hieracem & Dioſcorum: & eos tam acerbè exegerunt, vt nonnulli quidem eorum in itinere, alij verò etiam in ipſo exilio ſint mortui. Perpetuo autem exilio condemnârunt pluſquàm triginta Epiſcopos. Studebant enim, ſicut Achab, ſi poſſent, ex vniuerſa terra auferre veritatem. Hæc magna Eccleſiæ tuba, acer præſes veritatis, ſua voce perſequitur de malis, quæ erant Alexandriæ. Noſtra autem oratio vult ijs, quæ dicta ſunt, reliqua adijcere. Epiſcopi in exiliũ miſſi.

Conſtantius ergo, fratre mortuo, Imperator declaratus, & purè vniuerſam poteſtatem aſſecutus, cùm nullũ haberet, qui eius animo & voluntati reſiſteret, nõ potuit ampliùs pati celare improbitatem, ſed magna ſua authoritate eam produxit in mediũ: & cùm totum Orientem grauiſſima impietate repleuiſſet, non ſtatuit eſſe ſibi quieſcendum: ſed niſi etiam ſimul corrumperet Occidẽtem, paruum eſſe ſuum ducebat imperium, idq; ſuæ gloriæ detrahere. Ea ratione Epiſcopos quoque, qui erant in Occidente, ad dogmatum Arrij cõmunionem magno ſtudio euocabat, ſolamq; illorum ſecuritatẽ ſtatuebat eſſe depoſitionem Athanaſij. Quamobrem cõgregauit ſynodum Mediolani, quæ eſt ciuitas Italię, & multos, hei mihi, ex fortibus & ſtrenuis, alios quidem metu, alios blanditijs, alios verò donis, & alios fraude, & alios aliter inductos, ad ſuam traduxit vel potiùs deduxit voluntatem, per quam ille fodit foſſam animis miſerorum. Hunc inſultum Euſebius & Dionyſius, Rhodanuſq; & Paulinus & Lucifer lubenter declinârunt. Athanaſij enim depoſitionem arbitrati eſſe veluti depoſitionem rectæ fidei, ſimul & fraudem fugerunt, quàm potuerunt longiſſimè & iure condemnârunt eos, qui decreuerant. Sed eos quidem Ariminum relegat Conſtantius. Athanaſius autem cùm reſciuiſſet, quid ſtrueret Imperator, & quemadmodùm corruptum fuerat iudicium, & iam aduenire Pręfectorũ ſatellites, vt eum compręhenderent, rurſus quoque diuina viſione admonitus, media nocte Epiſcopatu egreſſus, ad iuuenem quandam cõfugit virginem, quæ tũc agebat annum ætatis viceſimum. Erat autem virgo valdè ſpecioſa & amabilis, & cum qua non poterant viri habitare abſq; ſuſpicione. Ea verò, rei inopinatę nouitate ſtupefacta, quærebat cauſam. Ille verò reſpondens ei, narrauit: Quoniam, inquit, qui ſunt cõmunionis Arrij, me vbique curioſè perſcrutãtur, timens ego, ne ab eis compræhenſus & interfectus, eis immortale ſuppliciũ conciliem, de fuga cogito, & me ſoli Deo permitto. Hac nocte autem mihi apud te ſolam eſſe me ſalutem inuenturum reuelat. Synodus Mediolanenſis.

Hæc poſtquàm virgo audijt, ex animo ſtatim omnem eijciens ſuſpicionẽ, gaudio repleta, totis domûs vel cordis potiùs oſtijs apertis, ſupinis, vt dicitur, manibus excipit Athanaſium. Quem quidẽ ex illo die ſex annis, quandiù ſ. vita fuit ſuperſtes Conſtantio, in domûs abſcondit penetralibus, cõmunem quotidiè ſalem apponẽs, libroſq; aliunde tollens, & ei ad exercitationẽ præbens & meditationẽ, & ſic pio & religioſo conuiuio corpus eius & animam excipiens: hanc quidem ſermonibus, quos credimus eſſe panem angelorum, illud autem menſa quotidiana, & quibuſcunq; alijs manus illa liberalis hoſpitem potuit excipere, & proprijs manibus pedes lauans, vel potiùs manus ſuas ſanctorũ pedum contactu ſanctificans, magnoq; & vehementi ſtudio quęcunq; erãt ei vſui, ſubminiſtrãs, & ita ſe cõparans, vt quæcunq; habebat, illius eſſent potiùs, quàm ſua. Vir ſanctiſſimus latitat apud virginem ſex annis.

Intereà autem Alexandrina ciuitas & populus quoquouersùs obibant, quærentes Athanaſium adeò diligenter, vt vel ipſa anima lubenter emiſſent viri inuentionem: ſed carebat ciuitate, carebat ædibus, eratque planè incognitus: cognitus autem ſoli Deo & virgini. Quamobrem illo tempore in eccleſia magna erat triſtitia, & filiæ Sion licebat videre pulchritudinẽ repentè eﬄoreſcentem & planè marceſcentem. Nam præter admodùm paucos, alij quidem & re & nomine veluti quandam artem perſequebantur impietatem. Alij autem nomine tantùm honorantes Chriſtianiſmum, re vera autem primos longè ſcelere ſuperantes, præterquàm quòd non apertè, quos oportebat etiam cauere tanquam hoſtes: ſed latenter, ſub ſpecie Chriſtianiſmi, blaſphemum impij dogma ſtudebant confirmare. Talis autem impietatis pars erat non minima Conſtantius, quatenùs habebat etiam imperij poteſtatem ei opem ferentem, omnéſque protinùs cedentes eius vel ſoli nutui. Iuſſit ergo morbum peruadere & ad Epiſcopos, qui erant in Italia, & ad omnes, qui erant vbique terrarum: aut ſi nollent ſubſcribere

bere Heterouſio, quòd filius ſcilicet eſſet alterius à patre eſſentiæ, ipſos quidem expelli ab Eccleſijs, alios autem eorum loco in ſedibus ipſorum conſtitui. Quo tempore celeber in ſanctis & magnus Liberius, qui poſt Iulium, magni Syluestri ſucceſſorem, ſedem Romanam eſt adeptus, condemnatur exilio: Felix autem quidam eius loco electus ab hæreticis, protinùs diuino iudicio luit pœnas: Nunc quidem viſu priuatus miſerabiliter, nunc autem peſtilenti morbo diù corruptus, & malus malè perditus, diuina iuſtitia ſic puniente ſceleratos.

Nota, quã commẽdet Liberium Papam.

Georgius autem Alexandrinorum, vt ita dicam, Erinnys, rurſus ciuitati faciebat ea, quæ conſueuerat, vt qui viſus ſit ipſe ſeipſo vehementior, & maiori ira & impetu ferri aduersùs rectam fidem. Intereà autem Meletius quoq; Epiſcopus Antiochenus, apertè defendens homouſion, de ſede deponitur, & damnatur exilio, quem conſequebatur magna multitudo Orthodoxorum, qui aduerſariorum cõmunionem ſuſtinere nõ poterant. Euzoïus autem, qui re vera vitæ erat improbæ, conſtituitur in ſede Antiochena, (ei enim præfuerat Meletius) & Eudoxius, qui erat peſſimæ ſentẽtiæ, inuadit ſedem Conſtantinopolitanam. Sic improbitas, ſic inuidia, quæ Eccleſiam omni ex parte conturbârat & confuderat, ad reipublicæ quoque adminiſtrationem incipit procedere, & Iulianum creat Cæſarem, Gallijs præfectum ab ipſo Conſtantio. Cùm ergo Conſtantinopolim veniſſet Conſtãtius, & Eudoxium, vt priùs iam diximus, ordinat, & templi, quod cognominatur Sophia, quod ipſe tunc recenter fuerat fabricatus, celebrat encænia, decimo quidem anno ſui imperij, tertio autem Iuliani conſulatûs, quintodecimo verò Februarij. Ille aũt re vera peſſimæ opinionis Eudoxius, cùm ſedem aſcẽdiſſet, dum iam peragerentur encænia, hanc primã vocem emiſit, atq; vtinam cum illa emiſiſſet animã, ὁ πατὴρ ἀσεβὴς, ὁ υἱὸς εὐσεβὴς, id eſt, Pater impius, filius pius. Cùm autẽ tumultus & ſeditio, vt par eſt, propterea orta eſſet in eccleſia, ille rurſus repetens, & veluti volens ſedare tempeſtatem: Ne vos, inquit, conturbet id, quod dictum eſt. Pater enim, inquit, eſt impius, nempe ἀσεβὴς, quòd neminem colat: Filius aũt eſt pius, nempè εὐσεβὴς, eò quòd patrem rectè colat. Ex his exortus eſt riſus inter eos, qui aderant, adeò vt multi eius nugis condemnatis, receſſerint ab eccleſia. Ergo Conſtantio quoque res erat malè ceſſura, & iuſtas pœnas erat daturus ſuæ in Deum contumeliæ. Hinc impius Iulianus rerum omnium potiundi motus deſiderio, cùm in Gallia magnam manum ſibi conciliâſſet, induit ſe purpura, & ab exercitu Auguſtus appellatur. Conſtantium autem Perſicum quidem bellum adhuc detinebat. quæ de Iuliano autem ſparſa erat, famam non moderatè ferebat: alioqui verò etiam à Dei inimico Euzoio ad bellum aduersùs eum gerendum incitatus, mouet exercitum aduersùs conſobrinum, & bellum ciuile ſuſcitat. Cùm autem inter Cappadoces & Cilices eſſet in loco, qui dicitur, Mopſi fontes, excedit vita vnà cum imperio, laborans apoplexia, cùm quadragintaquinq; vixiſſet annos ætatis, vigintiquinque annos autem patri fuiſſet ſuperſtes. Sed eum quidem diuina ſic vlta eſt iuſtitia. Quemadmodùm autem ſceleratum quoque vlta ſit Georgium, & impium, vt ſcriptum eſt, ſimilibus percuſſerit manibus, non eſt æquum prætermittere.

Arriani occupãt primas quaſdã eccleſias.

ἀσεβὴς, non colens: εὐσεβὴς, benè colẽs.

Conſtantij mors.

Erat quidam locus in vrbe Alexandrina, olim quidem Mithræ Deo gentilium, ſacrificijsque illius & myſterijs dedicatus, nunc autem fimo & ſtercore plenus, ciuitati & publico ad nullam rem vtilis. Eum ergo Conſtantius, vt qui eſſet omninò inanis & nulli vſui, attribuit eccleſiæ. Nunc autem volens templum in eo conſtruere, iubet efferri illum fimum & quiſquilias. Cùm autem iam repurgaretur locus, inuenitur quoddam adytum in intimo ſinu terræ, in quo celata fuerant myſteria Gentilium. Ea verò erant crania nuda carnibus, alia quidem virorum, alia verò puerorum, quos fama erat fuiſſe ſacrificatos Mithræ, quando Græci vtebantur illis diuinationibus, quæ fiebant per viſcera, diſſectionibusque & præſtigijs, quæ fiebant per animas. Cùm quidam ergo Chriſtiani in ea incidiſſent, ea apertè riſum mouêre populo, ijque triumphum agebant in oculis omnium. Quod quidem cùm non tuliſſent Gentiles, ſed pro dijs ſuis & ſacris eſſent miſerè zelo perciti, ad ipſos accurrerunt, alij quidem enſe ferientes, alij verò fuſtibus, vt ex Chriſtianis multi ſint interempti, alij autem crucifixi, quoſcunque viuos tenere potuerunt, & alij alio genere mortis, & varijs ſuppliciorum generibus ſint affecti. Impium autem Georgium, ex eccleſia ita vt habebant eductum, & cuidam camelo alligatum, vt camelus eum valdè laniaret & diſcerperet, cùm ſatis materiæ congeſſiſſent, & ignem in communi theatro accendiſſent, vnà cum camelo exuſſerunt. Sic vno quidem modo, ſed diuerſis cauſis, illi quidem beato fine, hic verò miſer, morte vitam commutârunt. Et eorum quidem caſus ita habuit.

Georgius Arrianus epiſc. dirè necatur ab ethnicis.

Iulianus

Iulianus autem cùm vniuerſi dominatum ſic fuiſſet aſſecutus, velletque euertere, quæ acta fuerãt à Conſtantio,ſtatuit eos reuocare,qui erant in exilio. Quod quidẽ cùm reſciuiſſet Athanaſius,timuiſſetque ne qui partes Arrij ſequebantur, Iulianum priùs introducerent, (adhuc enim ignorabatur eius animi impietas infidelitaſque & amor prauitatis)nocte profunda diſcedens domo, in quam confugerat, inuenitur in media eccleſia Alexandrina. Quid verò ea, quæ deinceps ſunt conſecuta, recenſuerit quiſpiam,quàm lubenter eum adſpexerint, quemadmodùm vndique ſunt congregati ad illud ſpectaculum,clerus,ciuitas,populus : alij quidem de reditu magnas agentes gratias,alij autem diuturnæ,quæ interceſſit,abſentiæ inſimulantes, eiq; & damnum & priuationem exprobrantes. Deinde tanquam ſatis argumẽti præbentes ſuæ in eum beneuolentiæ,& alioqui vel ex ſola præclari illius paſtoris præſentia, animis audacia & fidutia repletis, expellũt protinùs Arrianos,ciuitatemq; & ſe tradunt manibus Athanaſij. Illi verò vel iam turpiter expulſi,& in locis deſertis & obſcuris deliteſcentes, nec ſic quidẽ ab illa inſania & rabie deſtiterunt. Sed & cùm Georgius meritas pœnas dediſſet, vt iam diximus,eius loco ſibi Lucium conſtituunt,& totam curam ſtudiumq; hæreſum rurſus ad eum deferunt,talem aſſecuti pręſidem,qui impietate & inhumanitate illo nihil erat inferior. Athanaſius ſe reddit eccleſiæ ſuæ.

Volo autem obiter meminiſſe malorum ſeu impiorum Iuliani facinorum, & ſimul ea,quæ ad magnum Athanaſium pertinent,coniungere,& quemadmodùm nulla erat ei pars vitæ libera à certaminibus & laboribus, qui propter Chriſtum ſuſcipiuntur. Nam cùm nuper hic impius ſuſcepiſſet imperium,& dæmonibus,qualis ille eſt, & deorum nominibus potiùs, quàm dijs ſacrificaret, diruebatur quidem vniuerſa eccleſia Chriſtanorum : omnis autem locus gentilium ſacra ſuſcipiebat,& eorum templa, alia quidem aperiebantur,alia verò rurſus extruebantur : & vbique erat nidor, & fumus,& ſacrificia,animaliumque diſſectio & ſanguis. Quinetiam in ipſa, hei mihi, Conſtantinopoli, erat Fortunæ ſtatua,eique publicè fiebant libamina & ſacra,& quæcunq; alia,accepto ſimul ſtudio & poteſtate ex imperio,moliebatur aduersùs pietatem,quando Maris Chalcedonis,quæ eſt in Bithynia,Epiſcopus, ad eum veniens, apertè eum conuicijs eſt inſectatus,impium & defectorem,& à Dei religione alienum, & quæ ſunt huiuſmodi,appellans. Is autem, (erat enim iam Maris in ipſa ſenectute, & ideò paſſus erat orbitatem oculorũ) probra iure in ſe illata non iuſtis vltus eſt maledictis, nugatorem ipſum & cæcum nominans,& qui nec ab ipſo quidem Deo Galilæorum poſſit vllam conſequi medicinam. Ille verò veluti Deo afflatus, acriore dicendi libertate reſpondens : Deo, inquit,ago gratias,qui vtiliter prouidit,vt ego orbarer oculis, ne ego os tuum viderem impudens,qui tam inuerecundè lapſus ſis in impietatem. Eandem ſunt imitati dicendi libertatem Iouianus ſimul & Valentinianus,qui Tyrãno apertè cingula abiecerunt, dicentes : Nos quoque propter Chriſtum parati ſumus ipſa vita cedere. Iuliani Apoſtatę impietas.

Imperator ergo,& quicunq; erant eiuſdem cum eo ſententiæ, & cum eo conſpirabant in impietate,cùm quotquot erant illo tempore ſapientes, quoſdamq; aruſpices, præſtigiatoreſq; & vates coëgiſſent,quemadmodùm Chriſtianos ſuperarent,volebant eos ſuã dicere ſentẽtiam. Omnibus aũt viſum eſt,procùl eſſe amandandũ Athanaſium. Nam ſi auulſum,inquiebant,fuerit fundamentum, reliquæ quoque illorum fidei partes facilè diruentur. Rurſus ergo conſtituuntur iudicia,& Iudices condemnant, & exercitus emittitur,& populus conturbatur,& Alexandria circundatur, & eccleſia diripitur, & ab ea poſtulatur Athanaſius. Cæterùm tũc quoq; per eos medios proceſſit,nec erat vllus,qui retineret. Quinetiam rurſus illum videntes ignorabant,propter quem,hei mihi,eccleſiã tãta manus circundedit,propter quem armis eius exitus vndiq; obſepſerãt. Poſtquàm ergo ille ſic ſuperna manu munitus, non potuit capi manibus hoſtium, & perindè ac nullo prohibente ita liberè egreſſus eſt è ciuitate,Alexandrinam quidem ciuitatem rurſus inuaſit luctus & eiulatus propter viri abſentiam. Is autem, cùm noctù veniſſet ad Nilum,& conſcendiſſet quandam nauem onerariam,rurſus magna contentione ferebatur Thebaidem. Eum verò à tergo vrgebat quidam ſatrapa,iuſſus à Tyranno eum interimere vbicunq; depræhendiſſet. Cùm autem quidã ex ijs, qui nauigabant vnà cum Athanaſio,procùl nouiſſet perſecutorem, & remiges hortaretur ad celeritatem,paululùm ſubſiſtens Athanaſius,& occultum quid,vt videtur,internis cernẽs oculis,iubet remiges proram obuertere,& rurſus curſum dirigere Alexandriam. Ij autem cùm,vt par eſt,fuiſſent conturbati, & vererentur ne inciderent in ſatrapam, ille eis animum addens,& dicens eſſe aliquid diuinũ,quod gerebatur,perſuaſit. Deinde conuerſa Nouæ in Athanaſium excitantur turbæ.

antenna, nauem agentes in partes anteriores, nauigabant rectà Alexandriam, perſequentes, quod eſt maximè nouum, eos qui perſequebantur. Cùm aũt iam fuiſſent prope ſatrapam, barbari quidem, veluti quadam eorum oculis offuſa caligine, tanquam eorum, qui videbantur, neminem videntes, præternauigabant. Athanaſius autem quemnam quærerent, non ſecùs, ac in Eliſæo vſuuenit, percontatur. Cùm vero reſpondiſſent, Athanaſium: Vos, inquit, nauigans parùm præcedit, veluti fugiens quoſdam qui eum perſequuntur. Sic decepti, qui erant mente cæci, perſequebantur eum, quem non ſentiebant ſe habere in manibus. Is autem celerrimè delatus Alexandriam, & repentè veniens in ciuitatem, eam replet maxima lætitia, is apparens conſpectus, qui tantoperè deſiderabatur. Deinde dans ſeipſum quieti & ſilentio, quandiù fuit acerbum tempus imperij Iuliani, delituit.

Vide mirã Dei prouidentiam.

Poſt hæc autem Iulianus quidem omnium, qui ipſum præceſſerunt, in impietate clariſſimus, & qui omnes ipſos paruos reddidit in ſcelere, poſt bella innumerabilia, quæ geſſit aduerſùs pios, inuenit finem improborum ſtudiorum, non planè quidem qualem merebatur, vt qui infernis reſeruaretur ſupplicijs: ſed neque ſemitam impiorum oſtendens omninò dirigi. Nam cùm ſe quibuſdam præſtigijs, maleficijs & magorum artibus permiſiſſet, & deceptus ſibi perſuaſiſſet fore, vt Alexandri ſibi pararet imperium, vt cuius mores ſemper magno gloriæ tenerentur amore, vel potiùs ſeipſum eſſe perſuaſiſſet Macedonem in alio corpore, & aduersùs Perſas duxiſſet exercitum, primoque ſpes ei luculenta fuiſſet oſtentata, quando ſe magnum aliquid & præclarum geſturum exiſtimabat, tunc etiam, quod habebat, turpiter perdidit imperium, & ſimul cum eo vitam. Fraude enim cuiuſdam transfugæ cùm naues, quæ flumine frumentum conuehebant, & multa, quæ erant exercitui ad vſum neceſſaria, importabant, fluuio amandâſſet, in terramque aridam & aqua carentem ac torridam deueniſſet, fameque ac ſiti ſuos oppreſſiſſet, & maximam partem exercitûs amiſiſſet, & omnibus indignantibus, probriſque ac maledictis eum inſectantibus ipſe eques adeſſet, vt dolorem conſolaretur, & exercitus laborem recrearet, (Quale tuum eſt opus, ô diuina iuſtitia?) iaculum neſcio vnde emiſſum, peruadens medium brachium, cadit in illius dexterum latus. Et ille quidem miſer iacebat, ſiue à transfuga percuſſus, ſiue ab aliquo ex ſuis. (Vtrunque enim de eo dicitur) ſiue etiam diuina plaga ictus, quod quidem dicitur à pluribus, hunc tamen vitæ finem nactus poſt imperij annum vnum & menſes octo.

Iuliani Apoſtatæ dira mors.

Deinde Iouiniano totius exercitûs ſuffragio committitur imperium: qui cùm ſolos ſeptem menſes imperâſſet, & ad octauum veniſſet, in Galatia vita repentè excedit, ſomno morte contemperato. Valentinianus autẽ poſt eum renunciatur, qui fratrem ſuũ Valentem in ſocietatem admittit imperij: & cùm illi habenda tradidiſſet ea, quæ ſita ſunt ad Solem orientem, ipſe triginta pòſt diebus ad Occidentem perrexit & in Gallias. Cùm ergo Valens accepiſſet imperium, non fuit de theſauris ſolicitus, non curauit pecuniam, neque quomodò rectè ordinaretur exercitus: ſed quomodò Arrianorum quidem res amplificaret, Orthodoxorum autem res diminueret, & omninò dirueret, totum ſui imperij ſtudium conferebat: idque ſolum ſibi ducebat ſufficere ad ſplendoren & gloriam. Ea de cauſa omnes ferè Pontifices, Sacerdotes & Diaconos, & quicunque vitam degebant monaſticam, in mala extrema coniecit. Et Meletium quidem virtute incomparabilem, depoſuit de ſede Antiochena, & hunc quoq; magnum inter athletas Athanaſium quærebat capere. Et exilio quidem condemnatus eſt Meletius: vniuerſus autem, qui cum eo erat, clerus, fuit eccleſia expulſus. Multi quoque alij Pontifices & omnes, vt ſemel dicam, qui nolebant exitio Arrij communicare, exturbabantur quidem ab eccleſijs, expellebantur autem à patrijs, à propinquiſque & à conſanguineis.

Valens perſequitur catholicos.

Poſtquàm ergo venit hoc quoque magnum bellum Alexandriam, & Præſidum edicta ſtudio Eudoxij omnem in partem mittebantur, & rurſus in hunc magnum & verè virum fortem Athanaſium exercebatur perſecutio, & iam futurum erat, vt mox caperetur: clàm quidem vrbe egreditur, patrium autem quoddam ſepulcrum ſubiens, & quatuor menſes in eo manens, ſic belluinum impetum & furorem declinauit. Nam cùm Tatianus nunc præeſſet Aegypto, Chriſtiani omnes grauiſſima ſubibant ſupplicia, multique per ipſum, martyrij finem accipiebant. Sed ille quidem ſtatim meritas luit pœnas. Nam facultatibus & dignitate priuatus, & morbo oculos miſerabiliter excæcatus, emendicans publicè, vitam finijt, cùm nec ei mortuo libâſſent Alexandrini, ſed in eius etiã ſtatuam & figuram admodùm inſultâſſent, & fuligine oculos illiuiſſent, qua

Athanaſius latet diù in ſepulcro.

qua ſola erat ille re vera dignus. Sed hæc quidem, cùm iam fraus marceſceret & efflo-reſceret. Quæ autem Conſtantinopoli aduerſus Orthodoxos fecerit Eudoxius, quænam lingua & narrâſſe & meminiſſe ſuſtinuerit? Cùm ergo in primo conſulatu Valentiniani & Valentis tot & alia mala facta ſint, meritò homines ſupernis quoque plagis caſtigabantur. Nam & ingruens terræ motus, qualem nec prius tulit tempus, nec futurum ſperatur laturum, & multas alias euertit vrbes, & Creta ſuarum pluſquàm centum graui vidit caſu dirutas, & mare ſuis relictis terminis, quædam quidem loca ſic inundauit, vt etiam multa ex ijs, quæ priùs erant arabilia, fecerit nauigabilia, rem admodùm nouam. Alibi autem rurſus tantum receſſit, vt etiam in media nauigatione in medio ſolo inuenti ſint nauigantes. Sed ne ſic quidem caſtigabantur improbi communibus terræ flagellis & mutationibus elementorum: ſed etiam in ſcelere erant feruentiores, grauiuſque & vehementius bellum excitabatur aduerſus Chriſtianos. *Immanes terræmotus.*

Quoniam autem propter deſiderium Athanaſij, populus Alexandrinus erat infenſo animo in eos, qui dominatum obtinebant, & iam apertè videbatur res ſpectare ad arma & ſeditionem: id cùm reſciuiſſet Valens, eorumque rebellionem timuiſſet & audaciam, neceſſe habuit ei quoque rurſus permittere eccleſias. Hoc autem fecit, non quòd ei faueret, ſed quòd nullum haberet ex ſubiectis, qui in ijs, quæ oportet, paréret Imperatori. Quod quidem cauſa fuit, vt à continuis illis bellis & perſecutionibus tunc reſpiraret Athanaſius. Inualeſcebat enim per totum Orientem malorum calamitas, & Chriſtiani ſui generis ſanguine polluebantur. Cùm autem contenderet Valens Antiochiam, è vita quidem migrat Eudoxius, Arrianorum dogmatum æmulator, confirmator & præfectus, nonumdecimum agens annum à perſecutione fidei Orthodoxæ. Eius autem loco conſtituunt, qui improbæ quidem Arrij erant communionis, Demophilum. Qui autem ſanæ & Orthodoxæ, Euagrium, virum & vita & doctrina & moribus inſignem. Atque eum quidem ſacris initiârunt ſacræ manus Euſtathij, viri inſignis, & qui olim quidem fuerat promotus ad ſedem Antiochenam, poſteà autem fuerat exilio condemnatus, à Iouiniano autem rurſus fuerat reuocatus, & tunc Conſtantinopoli agebat inter Orthodoxos, quem nec latere potuit magna illa Valentis in Orthodoxos immanitas. Sed eum non exigua manus militum, breui tempore, poſtquàm ordinauit Euagrium, relegat rurſus Bizyen, nec Euagrium ſinens frui ſecuritate, ſed illum quoque aliò abducens, vtrunque propter parem in fide libertatem. Valens autem cùm perueniſſet Antiochiam, homouſij ſectatores impudenter obſidebat & expellebat, non ſolùm ab eccleſijs & à ſynaxi & communione, ſed etiam à gradibus & domibus, & tota ferè ciuitate, atque adeò ab ipſo Oriente. Ad hæc verò ſæua quoque imminebant ſupplicia, & mors acerba eos excipiebat. Scit hæc fluuius Orontes, Antiochiæque vici, fora, viæ & ſuburbia: ille quidem tinctus ſanguine ſacerdotum, hæc verò referta cadaueribus. *Valens Antiochiæ vexat Orthodoxos.*

In tam magna ergo & tam vehementi tempeſtate, hic præclarus, diuinaque reipublicæ adminiſtratione & virtute magnus Athanaſius, poſt longos illos propter Chriſtum ſudores, & pro recta fide certamina, glorioſaſque fugas & exilia & inſignia trophæa, cùm Petro ſedis ſucceſſori multa futura prædixiſſet, quadrageſimoſexto anno ſacerdotij, octauodecimo menſis Ianuarij, Gratiani & Probi ſecundo conſulatu vita excedit: vtpotè quòd iam ſatis functus eſſet laboribus & perpeſſionibus, & ideò agonotheta eum ad ſe è ſuperis euocâſſet, vt ille rurſus cum ſuis ſplendoribus, coronis & ineffabilium bonorum remunerationibus pro meritis remuneraretur. Quæ nobis quoque detur conſequi, in Chriſto Ieſu Domino noſtro: Cui gloria & potentia nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen. *Athanaſius tandem feliciter migrat à corpore.*

Plura ſi quis noſſe velit de hoc beatiſſimo præſule Athanaſio, legat orationem encomiaſticam de illo Gregorij Nazianzeni, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, qui multa habent lectu digna, ſed prolixa nimis.

VITA S. ANTONINI ARCHIEPISCOPI FLORENTINI, AVTHORE F. VINCENTIO MAINARDO *Geminianenſi, Procuratore Ordinis Prædicatorum.*

2. Maij.

Patria & parentes S. Antonini.

Virtutes adhuc pueri.

ANTONIVS ſiue Antoninus (ita enim, quòd ſtatura puſillus eſſet, vocabatur) Florentiæ honeſtis parentibus Nicolao & Thomaſia natus eſt, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo & octogeſimonono, Vrbano VI. Pontifice, Vuenceſlao Cæſare. Nicolaus pater, vir probatis moribus, Tabellionatûs collegio, quod in vrbe Florentina non contemnendo loco habetur, quater præfuit. Vt primùm infantiam exceſſit, viſus eſt longè plùs ſapere, quàm pueriles ætas pateretur. Nam ludos fugere, garrulitates odiſſe, excurſus vitare: contrà, ſerijs incumbere, taciturnitatem amare, ſe ad ſe colligere ſolebat. Inprimis verò templa ac religioſas ædes frequentans, ad ſanctas conciones cor æquè vt aures arrigebat, tãtus adhuc puer in orationibus, vt diuertens quotidiè ad angeli Michaëlis templum, cognomento Ad Hortum, atque ad crucifixi imaginem procumbens, totius penè ciuitatis ora in ſe conuerterit, quòd tam diù ac tam calenter in orationis ſtudio perſiſteret. Si quando ſupplicationes per vrbem haberentur, Prædicatores ponè ſequebatur: quos iam tum videbatur præ cæteris amare. Annos natum quindecim cupido inceſſit Chriſti ſe iugo inter Prædicatores addicendi, ſacris allectum concionibus integerrimi viri ac planè docti

F. Iohannes Dominicus

Ioandominici Florentini ex eodem ordine: cuius laudum præconium longè eſt huberius, quàm vt nunc carptim exprimatur.

Is enim ille eſt, qui primus collapſas vitæ regularis obſeruationes, quæ abſumptis patribus in vaſto illo infandæ luis incendio ac peſtilentiſſima contagione, quæ ſub annum ſalutis milleſimum trecenteſimum & quadrageſimumoctauum contigit, prorſus conciderant, in aliquam ſpem ac lucem dicendo & agendo reuocauit: tanti à Gregorio duodecimo habitus, vt Rhaguſinam illi primùm eccleſiam crediderit: inde etiam in Cardinalium numerum cooptauerit: mox apud Conſtantiam, (vbi de tollendo ſchiſmate, quod tres Pontifices ducere videbantur, totius Eccleſiæ & Chriſtianorum principum conſenſu agebatur) egregiam laudem reportauit, dum ſummoperè contendit, vt Gregorius, cuius ille partes tuebatur, Pontificatui cederet: tandem à Martino quinto, qui depoſitis vel cedentibus cæteris, ſumma orbis conſenſione Pontifex in ea ſynodo declaratus fuerat, ad conuellendam Boëmorum hæreſim, quæ tunc ſerpere incipiebat, legatus in Pannoniam miſſus, Budæ diem obijt. Ad hunc Antoninus (ita enim deinceps appellabitur) ad radices Fæſulanæ ciuitatis, quæ iam funditùs interijt,

Petit admitti Antoninus puer in ſodalitatem Dominicanorum.

cœnobium diui Dominici à fundamentis excitantem profectus eſt, vt in contubernium fratrum, diuinum quiddam iam ſpirans, admitteretur. Sed Ioandominicus quanquàm adoleſcentis indolem, acutumque ac viuax ingenium perſpexiſſet; teneram tamen ætatulam cauſatus, præſertim cùm gracili eſſet corpuſculo, & magis neruis & oſſibus, quàm carne ſuffulto, iubet expectare, dum adoleſceret, & regularibus inſtitutis, quæ ſupra ætatem illam videbantur eſſe, ſufficere valeret.

Fando autem, vt fit, num literarum ſtudijs operam daret, & quænam illa eſſent, cùm ex eo quæreret, audiretq́; Pontificis ſanctionibus, quas in volumen digeſtas, Decretum vocitant, maximè delectari: Heus, inquit, fili, reuertere nunc ad paternos lares, mox inter noſtros admittendus, cùm Decretum totum ita excuſſeris, vt planè videaris imbibiſſe. Putauit enim ſe pater pueri petentis vehementiam tantiſpèr temperâſſe, quòd non tam properè tot canonum poſſet immenſitatem & volumina deuorare. Sed puerilis ardor, Ioandominici cogitatus ſi non eluſit, ſuperauit. Receſſit Antoninus, atque

Nota memoriæ mirã tenacitatẽ.

ita ſe totum ad ſtudia contulit, diurna Decretum ac nocturna manu verſans, vt elapſo ſtatim anno propoſiti ſui tenax, Fæſulas reuerſus, quacunque voluminis parte quæſitus, promptè ac memoriter ad omnia, ſumma facilitate reſponderet. Tum verò iam non excluſus, ſed iniecto regulari habitu attonſus, annum agens ſextumdecimum, intra Prædicatorum ordinem eſt admiſſus. Domi verò iuſſus cùm fuerat adhuc paululùm expectare, quanti eſſet, & an carnibus abſtinere poſſet, (quod Prædicatoribus de more eſt) volens experiri, acceptas de menſa carnes, quibus quòd veſceretur, videri parentibus volebat ſcitus puer, clàm felibus & catulis porrigebat.

Cucul-

Cucullatus tandem Cortonam, regularibus diſciplinis imbuendus, mox mittitur, cùm nouum cœnobium Fęſulanum nōdùm eſſet abſolutum: vbi ſub viro integerrimo Laurentio Ripafracta (id viculi nomen eſt in agro Piſano, vnde oriundus erat) omnium opinione celeriùs ita profecit, vt iam tum radios quoſdam doctrinæ ac ſanctitatis emittere videretur: quibus poſteà, procedentibus annis, quaſi iubar ſplendidiſſimum tenebricoſas hominum mentes illuſtrauit. Laurentius ipſe, de quo nunc loquimur, vel teſtimonio eiuſdem Antonini (nam longa illum vita functum, epiſtola adhuc extante proſequitur) vir longè ſanctiſſimus fuit, Piſtorij ad Prædicatores conditus, vbi poſcentibus opem non denegat ſalutarem. Quòd ſi bona arbor fructus bonos facit, quid aliud ex Antonino ſperandum erat, quàm abſoluta quædam & numeris omnibus doctrinæ ac probitatis forma, cùm, ſi Ioandominicum & Laurentiū ſpectemus, quos ipſe authores & inſtitutores eius vitæ, quæ eſt in Chriſto, habuit, nihil non ſanctum, abſolutum, conſummatiſſimum, ex eiuſmodi formatoribus & initijs prouenire potuerit? Exacto anno, iurauit (quod religioſi ſolent) ac nomen dedit in Prædicatorum inſtituta Fæſulani cœnobij nomine, quanquàm Cortonæ conſtitutus, vnde demùm Fæſulas reuerſus eſt. Quanta verò ſedulitate quod Deo promiſerat, reddere niteretur, vt in obedietiam, caſtitatem, paupertatem incumberet: vt reliqua omnia, quę religioſum decent ordinem, diligenter obiret, non eſt noſtri propoſiti dicere: in virginitatem quidē etiā adhuc puerulus ita exarſit, vt in eo templo, quod D. Michaëlis ad hortum diximus appellari, cùm aſſiduis Deum precibus pulſaret, illud inprimìs propemodùm extorqueret, vt quô ſimilior agno ſponſo virginum redderetur, virgo ſine tabe aliqua corruptionis duraret. Id quod cùm ſe aſſecutum cælitùs intelligeret, ne qua daretur anſa tantum theſaurum prædonibus rapiendi, muliebres congreſſus fugiendos ſibi eſſe penitùs perſuaſit. Itaque nullam omninò fœminarum, aut quàm rariſſimè fieri poterat, ad colloquium admittebat: niſi forſan aut peccatorum confeſſio, aut arcanum aliquod magni ponderis exegiſſet. Nam pueros & comatulos adoleſcentes ita ſibi eſſe cauendos cenſuit, vt ne pontifex quidem, atque adeò ſenex, iuniores diaconos & miniſtros, ſed adulta iam ætate viros & ſacerdotes domi habuerit: vt abundè in ea epiſtola, quam ad Laurentium Ripafractam ſcripſit, quæque adhuc extat, planè perſpicitur. Quòd autem ad ſummam vſque diem in eadem integritate perſtiterit, non vulgare fuerit illud indicium, (præterquàm quod ex cōfeſſoribus etiam eſt idipſum acceptum) quòd quo tempore animam efflabat, crebriter illud (effœta licèt vocula) ſuauiſſimè repetebat: Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio.

Induit hā bitū S. Dominici.

Matth. 7.

Studio caſtitatis fugit mulierū colloquia.

Ocio perpetuū bellum indixerat, ſtudio literarum & orationibus vltrà etiam, quàm valetudo corporis permitteret, deditiſſimus. Somni ac cibi parciſſimus: Primus inter pſallentium choros ita vigilias adamabat, vt perſolutis nocturnis laudibus (quas nunquàm cùm licuit, intermiſit) ne tunc quidem, quod plerique omnes faciunt, defeſſos artus lecto componeret: ſed ſi ſomnus irruiſſet, poſtquàm non iacens, ſed ſic ſedens in parietem paululùm caput inclinâſſet: aut in orationibus pernoctaret, aut certè lectioni, aut conſcribendis, quos nobis tanta omnium ordinum atq; adeò totius orbis vtilitate reliquit, libris incumberet: de quibus quoniam latiùs cogniti ſunt, quàm vt neceſſe ſit à me nunc aliquid dici longiùs, verba non faciam. Illud certè poſſe mihi videor affirmare, ſcripſiſſe multos acutiùs, nullum Antonino vtiliùs ſua ſcripta digeſſiſſe. Quis enim (obſecro) eſt, qui ſe in eius libris velut in ſpeculo non perſpiciat, ad quod ſui vultûs, id eſt, animæ lapſus & vitia non emendet? Quis tam ſublimi ingenio, quis tam obtuſa acie, vt non poſſit vterque pro ſuo captu ſatur abire? Monet vt nemo alius, delectat vt quiuis, docet vt alium non deſideres. Nuſquàm leuis, ſemper tutus, vbique incorruptus, & ne ſuis quidem, ſicubì labuntur, parcens. Ac mirum profectò eſt, vt tantulus homo, & grauiſſimis morbis crebrò ad mortem quoque confectus, hernioſus, in phthiſim ineunte ætate inclinans, potuerit non dicam tot conſcribere, ſed tot omninò pellegere: præſertim cùm præfecturis plerunque fungeretur, quæ ſolum hominem & curarum vacuum videntur exigere. Nam vt primùm viri virtus illuxit, non permiſſus eſt intra cellulam latitare, ſed modò hæc eſt illi, modò illa adminiſtratio domorum concredita.

Vigiliæ, ſtudia, preces eius.

Multa ſcripſit.

Itaq; non in gurguſtio aliquo, ſed in theatris, vt ita dicam, Italiæ regēdis cœnobijs eſt præfectus. Romæ enim, Neapoli, Florentiæ, Senis, Caietæ, Cortonæ, Fęſulis Priorem egit. Mox etiam Romanæ prouinciæ ac Neapolitanæ Vicarium generalem, quod illi munus demandatum fuerat, vt collapſas à regulari obſeruatione domos in priſtinum

Multis cœnobijs præfuit.

vitæ candorē reuocaret: quod multis ille laboribus annixus eſt, pedibus vtplurimùm ſe portans ſuis, dum prouinciam obiret: aut aſello inſidens, ætate iam & mala valetudine confectus: aut certè ſi quando longiora ac ſalebroſa itinera, vel hyemis aſperitas aſelli vſum adimeret, valētiore iumento, ſed tamen quod religioſum virum deceret, vehebatur. Inſtitutorum ſui ordinis erat ſeruantiſſimus, vt ad lineam, ad apicem minima quæq; tum in ſe, tum in ijs, quos regendos ſuſceperat, obiri vellet. Carnium edulio ſemper abſtinuit, niſi ob aduerſas valetudines, quas multas & grauiſſimas paſſus eſt, inter- *Vitæ auſteritas.* dùm à medicis cogeretur. Cilicio ſemper eſt vſus: ſed & zona interdùm ferrea ad viuā cutem incinctus. Humi accubans, aut tabulato illiſus dormiuit. Si quando molliuſculè recubâſſet, eas delicias ſaccus paleis infertus exhibuerat: ſed & frequenter intorto ſemet funiculo verberauit. Vt ſacerdotio initiatus eſt, quotidiè & ipſe ſacrificabat, & ſa- *Inſignis eius humilitas.* crificio etiam alteri deuotus adſtabat. Eò ſe humilitatis abiecit, vt præfectus etiam cœnobijs & prouincijs, culinam adiret, cacabos, ollas, ahena mundaret, verriculo accepto domum purgaret, famulis etiam ſeruiret. Quod ipſum dum pontificem ageret, conſtat etiam feciſſe. Iam verò quo charitatis ardore flagrabat? quo incendio fraternæ ſalutis æſtuabat? Quanto vſui monita illius nō ſolùm ſuis fratribus, ſed paſſim omnibus extitēre? Et conſulendo enim, tum pœnitentes, auditis eorū confeſſionibus, expiando, ſed & conciones ad populū habēdo, in vinea Domini cultor indefeſſus ſupra fidē deſudauit.

Item miſericordia. Miſericordia verò tanta agebatur, vt initium illi virtutum extiterit: quod quo pacto geſtum ſit, breuiſſimè narro, vt iam ad eius pontificatum tranſeamus. Diſtat cœnobium Fæſulanum, quod ad dirutæ vrbis radices, loco tamen edito ſitum eſt, quingentos ſupra mille ampliùs à Florentina vrbe paſſus. Hinc dum in ciuitatem deſcenderet, aut ex Florentia illuc exiret (non enim perſpicuè conſtat) eo itinere, quod ad ripam eſt Munionis fluminis, in torrentis verſus morem pręterlabentis, puellam immanè lachrymantem & querulas voces edentem conſpicatur. Cognita eiulatûs cauſa, quòd ſcilicet à matrē miſſa lotum lintea, capiſterium, quod capiti cum linteis iam lotis impoſitum ceciderat, diffregiſſet, ac propterea maternā iram (bilioſa enim erat & difficilis, & quę ob leuiores culpas de ſe ſupplicia ſumpſiſſet) maximè timeret: affari blandè illam Antoninus cœpit, & vt domum ad matrem reuerteretur, ſuadere. Quod cùm illa in propoſito pertinax non admitteret, ſed potiùs fugam meditari ſe diceret, miſericordia motus, ne quid labis miſella contraheret ac periret, acceptas capiſterij partes, cùm Ieſu nomen inuo- *Eius egregium miraculum.* câſſet, facto ſigno crucis ita coagmentauit, vt diſciſſum fuiſſe nunquàm crediderit. Hæc illi ante initum pontificatū prima virtutum tyrocinia fuēre, magno illi monachorum patri Benedicto nequaquàm diſſimilia: quibus etiam in hoc conuenit, vt quanuis vterque iuſſerit, ne cui proderentur, conſultius tamen, ita Deo prouidente, fuit, vt paſſim res geſta vulgaretur: vt quando vnus ad formandos monachos, alter ad regendos populos deſtinatus erat, authoritate quadā ſupra hominem maiore im publicū prodirēt.

Intereà Bartholomæo Zabarella humanis rebus exempto, complures tum Florentini, tum exteri, qui Romæ verſabantur, vt quiſque pecunijs, fauore, gratia pollebat, in Florentinam eccleſiam inhiabant: vt longè maior eſſet candidatorum numerus, quàm eſſe debuiſſet. Itaque certatim Eugenij quarti aures tundebant, rati ſe poſſe pollicitis ac precibus (vt eſt noſtrorum temporum calamitas) in ſuas partes eius animum inclinare. Poſcebant Florentini vnum aliquem ex ſuis præfici, qui literatura & moribus inſignis eſſet: Pontifex, ne iuſta petentibus videretur reluctari, extero eam ſedem credere non audebat. Cui autem è ciuibus ea prouincia demandari tunc poſſet, non videbat. Quanquàm enim fœcunda ingeniis & culta moribus Florentina ciuitas, vt quæuis alia Italarum, ſit: qui tamen eo cumulo eruditionis & probitatis ſplendeſceret, vt inſtabant, Eugenium latebat. Ita factum eſt, vt nouem totos menſes animi penderet: cùm tādem probatis viris Antonini peritiam, integritatem, vſumque rerum ad memoriam reuocantibus, (nouerat enim probè illū Pontifex) Archiepiſcopum Flo- *Declaratur Archiepiſcopus Florentinus.* rentinum, ſenatu Cardinalium mirante quidem, ſed tamen maximè probante, declarauit. Iter tum fortè Antoninus arripuerat, vt de more cœnobia viſitaturus, Neapolim ſe conferret, cùm in ipſo itinere de pontificatu intellexit: quod grauiter accipiēns, fugam ſtatim cœpit animo volutare. Vir enim, qui tota ſanctum Spiritum mente con- *Meditatur fugam.* ceperat, adduci non poterat, vt ſe huius mundi curis implicaret. Primùm itaque à recto itinere diuertere, in aliquem ſe terræ angulum abdere: mox & ſeſe ad inferum decreuit mare recipere, vt inde in Sardiniam nauigaret, quó intra inſulam tandiù poſſet delitere, quoàd Florentinæ ſedi antiſtes alius daretur. Hæc ex ſororis filio Petro poſt-

eà

eà ſunt accepta, qui auunculum quæritans, ea parantem reperit. Petrus verò cùm euectum illum ad id faſtigij nunciaret, ac moliretur, qua poterat arte, in patriam reuocare: ille contrà reniti, ac nunquàm ſe id oneris ſubiturum affirmare: quin vtì domum rediret, & terrere minis, & precibus adhortari. Quod cùm ille (vt ſunt hominum ingenia, qui in aliena plerunque laude gloriantur) non admitteret, expugnatus tandem, quòd hærentem nepotem & obfirmato animo perſpiceret, Senas deduci ſe paſſus eſt, alias contra delati honoris molem machinas paraturus.

Itaque tanta animi conſtantia ac ferè pertinacia ſeipſum aduersùs oblatam dignitatem comparauit, vt obſtructis ad blandientum ſuaſorumque voces auribus, quauis firmiſſima turri (niſi diuina quædam vis intercederet, cui demùm parere cogimur) conſtantior extitiſſet. Non eſſe eum ſe dicebat, qui tanto poſſet oneri ſuccedere, non poſſe partes pontificis adimplere, validioribus humeris eſſe ſarcinam imponendam, ſe perexiguis viribus & imbecillioribus, quàm vt poſſet tantæ moli ſufficere: doctioribus, ſanctioribus id muneris tribuendum. Cùm ecce Apoſtolicæ literæ, dum adhuc Senìs eſſet, perferuntur: quibus de Pontificis voluntate in accipienda dignitate monebatur, & quòd ad Fæſulanum ſtatim cœnobium ſe reciperet. Quò cùm tandem perueniſſet, quaſi nunquàm repugnâſſet, renaſci ad bellum ac propemodùm reuireſcere vidiſſes. Ciuium, qui ad eum frequentes nouam dignitatem gratulatum venerant, alios rogare, prænſare alios, monere, hortari, vt ſe ea moleſtia liberum eſſe paterentur: denique nihil non dicere, facere, quô eiuſmodi ſe iugum à ceruice excutere permitterent: tum ſcribere ad Eugenium literas acres & vehementes, vtque à primoribus, atque inprimìs à Coſmo Medice, vt ſcriberetur, ſedulò curare: ſe multis rationibus impediri, quô minùs in ſummi antiſtitis ſententiam inclinaret: difficilem eſſe curam animarum: arduum, liberam ciuitatem ac laxam, ad formam benè viuendi redigere: deinde, aſſuetum ſe placido viuendi generi, non poſſe ad fori ſtrepitus atque ad turbulentas actiones, præſertim annis vergentibus, proſilire. Sed fruſtrà fit omne, quod aduerſo diuino numine molimur, & irritos demum neceſſe eſt habeat conatus. Romanus Pontifex, conſcius virum ſe optimum delegiſſe, pertinaciſſimè in ſententia perſtitit. Cumque illum non flecti ſuaſorijs literis, quas complures dederat, perſpexiſſet: iam incaleſcens & commoto propior, iubet quoſdam ex præſulum ordine, & inprimìs grauiſſimum virum Dominicum Cardinalem Firmanum, ad Antoninum ſcribere, vtì ſe tandem, quò diuina vis vellet, trahi ſineret: ita enim ſemel placuiſſe, nullaque ratione futurum, vt quod Pontifex ſtatuiſſet & ſenatus approbâſſet, humanis viribus conuelli poſſet. Quo plùs reniteretur, eo ſe magis ſciret præceptis Apoſtolicis atque anathematis alligandum. Ad hæc miſit diplomata pontificia, vt mos eſt, ad ineundos præſulatus, gratuita, & omni ferè pecuniaria mercede libera.

Valdè recuſat epiſcopatum.

Tum verò Antoninus, nullum eſſe reliquum perfugium ad euadendum videns, præreptumq; fugę ac precibus locum, intelligenſque non poſſe iam ſine piaculo reluctari: quādoquidem id demum placere Deo exiſtimandū eſſet, quod ſummo Pontifici, quod omni ſexui atq; omni ordini probaretur: veritus pretereà, ne Seruatorem Chriſtum parùm diligere videretur, cui vt oues ſuas paſceret iubēti, non pareret: tandem licèt inuitus & fermè eiulans, manus dedit. Ac ne tunc quidem pede libero cucurrit. Nam antequàm omninò in pontificatum cōſentiret, quoſdam verendos ſacerdotes & Abbates, tum ferè omnes totius ciuitatis eccleſiaſticos ac religioſos præſides, nonnullos etiam ciuium, qui authoritate, prudentia & conſilio pollerent, ad ſe Fæſulas vocauit: quos cùm propoſitum & obfirmatum animum Pontificis docuiſſet, ac ſingulos vtì ſententiā dicerent, rogâſſet, viderentq; num ſaluo capite repugnare poſſet, an præſulatum inire: ad vnum omnes, non poſſe abſque piaculo reſpuere demandatam ſibi prouinciam, acclamârunt. Quod vbì ex eis accepit, expenſo iam hominum iudicio, vt exactiùs quoque Dei voluntatem cognoſceret, voluit vt vnà ſecum, quo loco conſederant, procumbentes humi, Dominum precarentur: probè noſcens, vbi duo vel tres fuerint in Dei nomine congregati, ipſum in medio pro euangelico elogio conſtitutum. Exactis precibus cùm aſſurgerent, Deum, cælites, hominesque teſtatus, inuitum ſe ac nihil eiuſmodi cupientem, quin toto pectore ac viribus reluctantem, violenter (ob inconcuſſam Pontificis voluntatem, & ne diutiùs quàm par eſſet, diuinis nutibus reſiſtere videretur) ad præſulatûs molam, velut in piſtrinum trahi: in faciem procidens, ac toto corpore proſtratus, paſſis manibus & collachrymans, paſtoralem demum ſarcinam in humeros reclinauit. Vidiſſes hìc adſtantium lachrymis ora conſperſa. Illuſtre

Tandem nō ſine multa difficultate cedit.

Matth. 18.

enim ac rarum noſtra tempeſtate facinus, ſuaues quaſdam & dulces lachrymas cunctis expreſſerat, animo reputantibus illa olim tempora, quibus Gregorius, Martinus, Ambroſius ac Nicolaus eaſdem pugnas pro fugiendis, tantoperè nunc concupitis cathedris, commouerant: reuixiſſeque in Antonino tam celebria ſanctorum pectora demirantibus: quos profectò noſter hic præſul, vt in dignitate declinanda, ita ne quod charitatis Chriſti diſſidium pareret, in adeunda fuerat æmulatus. Geſta hæc eſſe conſtat ad Calendas Martias.

Ad pontificatú vt acceſſerit.

Interiectis mox diebus aliquot, dum ea, quæ ad ineundum præſulatum comparantur poſt natalitium diui Gregorij ſolennem diem, qui ad ſecundam Quadrageſimæ Dominicam eo anno cecidit, hoc modo, vt ab ijs eſt proditum, qui literis mandârunt, pontificatum adijt. Profectus Fæſulis, ad D. Galli ædem, quæ portæ ciuitatis accubat, benè manè venit: vbi cùm diluculò ſacrificâſſet, prodeunte obuiàm clero in ſolennis pompæ morem, effuſoque populo, cymbalis per turres reſonantibus, non equo inuectus, (quod alij ſolent) ſed pedes & humilis Florentiam ingreſſus, ad diui Petri, cognomento Maioris, eccleſiam proceſſit: vbi peractis, quæ epiſcopali ritu peragenda erant, inde ad primarium ciuitatis phanum, auguſta facie conſpicuum & admirando fornice celebratum, non modò pedibus, ſed nudis pedibus collachrymans identidèm profectus eſt. Quæ res ipſis etiam propemodùm duris cautibus, nedùm hominibus, lachrymas excuſſiſſet. Id autem propterea ab Antonino factum coniectare licet, quòd ea via, quæ ab Albitijs illic habitantibus Albitia nuncupatur, qua tunc iter faciebat, D. Zenobium Florentinum præſulem, filium mulieris Gallicæ ab inferis olim reuocâſſe, ſecum animo reputaret. Ad tranſeuntem magna vis populi egreſſa domibus currebat, vt noui antiſtitis, cuius iam ſanctitatis (quanquàm anteà perſpectæ) maior tunc fama volitauerat, benedictione muniretur: ad quam poſito genu ac iunctis manibus ardentiùs, quàm ſi Romanus Pontifex illàc præteriret, inhiabat. Perſolutis in maximo templo, quæ ritus exigere videbatur, ad veſperam demum à prælatis aliquot & ciuibus, præſertim qui præſulatûs cuſtodes appellantur, adhuc ieiunus & laſſus ad Epiſcopium diſtans aliquantulùm deductus eſt: vbi tandem peracta cœna pro deducentium dignitate, conquieuit.

Nota populi deuotionem.

Virtutes eius in epiſcopatu.

Ad pontificatum euectus, qualem ſe præſtiterit, quantumque ſui temporis prælatos vigilantiæ, prudentiæ, manſuetudinis, iuſtitiæ ac cæterarum ſole virtutum obſcurauerit, non eſt noſtræ facultatis exponere. Ita enim totos tredecim in epiſcopatu exegit annos, vt in cæteris quoque Magnum Gregorium, qui tantundem Romanæ Eccleſiæ præſedit, ſit viſus imitari. Primùm omnium in familia modeſtiam præ ſe tulit. Plures enim, quàm ſex, eoſque frugi ac temperatos, domi non habuit, qui vix obeundis negocijs præpoſiti poſſent ſufficere, omni luxu tam in victu ſuo ſuorumque quàm in amictu reſecato. Supellex aut inſtrumentum aliquod quid eſſet, neſciuit. Lautitias & munditias ignorauit: aurea & argentea vaſa, patinas, calices, & precioſum abacum non poſſedit. Canes & equos non pauit. Monſtrum deniq; aliquod domi nõ aluit: vnum tantùm mulum, eumq; paruulum ac ne coëmptum putes, dono acceptũ, ad extremas neceſſitates ad præſepe habuit: quo nõ intra ciuitatem, ſed cùm aliquò proficiſcendum eſſet, iam ſenex & occulta ægritudine confectus, vehebatur. Dicebat enim, bona pauperum non eſſe ad alendas beſtias aut alios luxus eroganda. Familiam tamen, quam crebrò ad Dei cultum & obſeruantiam hortabatur, ali, etſi non ſplendidè, non parcè tamen imperabat. Ipſe parabili facilique cibo veſcebatur, ganeas & cætera gulæ iritamenta non amans: tum nulla ad menſam voluptate raptus, ſed vt vectigali hoc perſoluto, durum exactorem & inexorabilem placaret. In prandio breuis & parcus: in cœna tenuiſſimus & rarus. Semper quid inferendum eſſet in menſam, ignorauit: contentus ijs, quæ apparâſſent, quaſi nil minùs quàm eſculenta cogitaret. Cùm diſcumberet, lectorem adhibuit: in quem, cùm eſitare crederes, ita vtranq; aurem ſurrigebat, vt vel minimùm labentem, emendationis ſtatim baculo caſtigaret. Quibus diebus ieiunia obſeruantur, ſemper, niſi grauiſſimus morbus intercederet, abſtinuit. Aduentum quoque Saluatoris religioſo cultu ieiuniorum tenuit: ouis tamen interdùm tunc tantum adhibitis, cùm iam ætate ingraueſcente premeretur. Sed & ſexta feria (ita enim diem Veneri dicatam nuncupant) non ipſe modò, ſed familia quoque in necis Chriſti memoriam abſtinebat. Splendidiorem nullum in veſtitu cultum, quàm ſoleret, factus iam pontifex, non ſolùm non admiſit, ſed laneas interulas & caligas vix poſt multos menſes, vti iam ſordidas & ſqualore obſitas exueret, compelli potuit. Vitæ regularis inſtituta, quatenùs præſulatûs cura permitteret, non reiecit. Cùm primùm pontificatum inijt, duos

Anguſta familia & res familiaris.

Lectio ad menſam eius

Ieiunia diligenter obſeruat.

duos ad dicendum ius vicarios ſtatuit: quos cùm aliquando inter ſe diſſidere compeririſſet, ſatiùs duxit vni eam prouinciam demandare, qui & probatis eſſet moribus, & iuris pontificij conſultiſſimus. Gratuito famulatu nullum domi eſſe voluit: pro laboris modo ſingulis mercedem ſtatuit. Nam & vicario nummos centum aureos in annum ſtipendium, œconomo triginta aſſignauit: in quem prouentuum colligẽdorum curam & rei familiaris ſtrepitum, ipſe vacaturus altioribus, reiecerat. Quod conuénerat, ita ad obolum repræſentari ſtatim voluit, vt nullas vllorum querimonias auditas conſtet, quod imminutiùs, aut præfixo iam tempore ſeriùs ſatis vnicuique feciſſet. Sed longum eſt ire per ſingula: illud dixiſſe ſatis eſto, domũ Antonini, domum fuiſſe totius ſanctitatis, inter quam & regulare monaſteriũ nihil propemodùm intereſſet, niſi quòd illa tanto capitis iubare ſplendidiùs radiabat. Et cùm talem domi & erga familiam ſe gereret, Deo ſemper hæſit, & nunquàm non paſtoralis muneris partes adimpleuit. Aula ei⁹ nihil diſcrepat à monaſterio.

Putant complures, cùm ad gradum aliquem dignitatis aſſcenderint, poſſe iam ventri ac plumis partem ſuî aliquam dedicare, atque in opulento ſacerdotio ſecuros, velut in molli lectulo, ſomnos ſtertere: qui quantoperè à recto itinere labãtur, vel noſtri pontificis exemplo poterunt admoneri. Is enim ſe ad ocia intelligens non vocatum, noctu ſemper antè etiam, quàm cymbala principis templi reliquos excitâſſent, ad matutinas laudes vigilauit: quas cùm vnà cum ſuis ſacerdotibus, collectiſſimus in Deum, perſoluiſſet, reliquum, quod ſupererat, temporis ad horam diei tertiam aut lectioni ſacræ, aut cudendis libris impendebat. Hora tertia ſacrificabat: quòd nunquàm, niſi coactiſſimus, intermiſit. Peracto ſacrificio, quod totum diei erat reliquum, in obeundo paſtorali munere atq; audiendis ijs, qui multi alius aliam ob cauſam acceſſiſſent, abſumebat, idque fermè ad crepuſculum: tantùm, quod denegari corporis non dico commodo, ſed neceſſitati non poteſt, ſpatium demebatur. Nemo erat tam vulgaris, cui ad eum non pateret aditus. Si minùs re poterat, vel ipſa in audiendo patientia, vel in reſpondendo comitate, omnibus faciebat ſatis. Ingenio nanque fuit humaniſſimo, vt nullum vnquàm ne domeſticos quidem, qui ob oculos quotidiè verſantur, qu anuis ob culpam acerbiore verbo proſciderit, ſic vt ne paululùm quid commoueri, ne dicam excandeſcere, etiam ſi maximè id vellet, poſſe videretur. Conſtat, cùm adhuc inter Prædicatores viueret, eum cuipiam ex fratribus, quo vtebatur familiariter, dixiſſe, ſi quando in aliquem ob culpam, vtì fit, aliquam commeritum acriùs inuectus eſſet, non aliqua cõmotione animi, ſed ex vi, quam ſibi intulerat, effeciſſe. Denique ſi quibus eum iniurijs affeciſſes, ſi quas contumelias aut conuicia irrogâſſes, addam, & ſi quid ex te iacturæ reportâſſet: faciliùs vidiſſes gelidum marmor, quàm patrem mitiſſimum, incaleſcere. Omnes omnium cauſæ, non ſacerdotum tantùm, ſed prophanorũ quoque, ad eum vertebantur: quas vnanimi conſenſu ad eum ex agro & ciuitate, quaſi ad æquilibrium & iuſtiſſimum cognitorem, afferebant. Aedes aſſiduo religioſorum vſu terebantur: qui frequentiſſimi aut eleemoſynas accepturi, (cuncta enim in pauperes, pater pauperum erogabat) vel de rebus dubijs conſulturi, quaſi ad cæleſte oraculum confluebant. Vndecunque enim erat peritiſſimus, atq; omnifaria ſacrarum literarum copia inſtructiſſimus. Tanta verò prudentia & mentis acumine atque adeò conſilio pollebat, vt paſſim ciues, exteri, priuati, principes de rebus grauiſſimis cõſulentes, eius ſententiã, vt qua nihil eſſet exactius ac tutius, maximè probarent, ita vt nouũ cognomen indiderint: nam quòd conſultor eſſet optimus, etiã ante pontificatum Antoninus Conſiliũ vocabatur. Quotidianæ occupationes. Ingenium placidiſſimum. Antoninus, Conſiliorũ cur ſit dict⁹.

Sicubi verò ab illis negociorum fluctibus eſſet feriatus, mirum quanto ardore ad literarum ſtudia ſacrarum, atque ad orationis ancoram recurrebat. Mitto nunc, quòd præter horarum munus, quo ſepties Deus quotidiè laudatur, eos etiam pſalmos, qui pœnitentiæ dedicantur, tum litanias ac Deiparæ Virginis horas, cùm etiam liceret, nullo vnquàm die deſtitit, quin ſedulò recitaret. Mitto nunc, quòd recurrentibus hebdomadîs, bis ſemper defunctorũ animas vſitato illo pſalmorum, quo paſſim vtimur, officio expiabat: quod integrum pſalterium, ſi qua ſolennis celebritas incurriſſet, ad calcem vſque ac memoriter (quod mirere etiam magis) repetebat. Hæc enim quanquàm maxima in illo nobis & ardua videri poſſent, illi tamẽ exilia & fermè, vt ita dicã, minima fuêre. Illum mentis aſſcenſum, qui nullo labiorũ motu, nulla genuum flexura eget, quis (quæſo) ſatis explicabit? Nulla fuit vnquàm tanta negociorum moles & incurrentium cauſarum implicatio, vt vel tantillùm hominem Deo plenum retinere poſſet, quin in ſublime totus ſpeculatum cæleſtia raperetur, atque ita etiam raperetur, vt corporis moles non modò mentem ſublatam non turbaret, ſed ſimul rapta (quod Eius preces. Eius miræ ecſtaſes.

mirum ſit) in aêre pendula maneret. Quod quidem contigiſſe conſtat, dum noctu ad imaginem crucifixi intra cubiculum abditus oraret. Quin idipſum cubiculum ſplendore quodam ſolari, dum oraret, quidam ex miniſtris intempeſta adhuc & atra nocte non ſine lachrymis referebat illuſtrari.

Ad hæc nocte quadam ad quandam vocem, vt videbatur, quòd putâſſet ſe à præſule vocatum, lecto repentè proſiliſſe: cùm accurriſſet, ſublatum eum longè à terra, ac multo illuſtratum lumine vidiſſe: expectâſſeque dum orare (orare nanque exiſtimauit, qui ſenſibus exceſſerat) deſiſſet. Quærenti mox, quid vellet, & cur ſe aduocâſſet: reſpondit, non modò non vocâſſe: ſed quòd venerat, moleſtè nimiùm tuliſſe: in poſterum cubiculum irrumpere, cùm ſe ad orationis ſecreta cõferret, aut quippiam eorum, quæ vidiſſet, prodere non auderet. Quod ipſum tamen pòſt, cùm humanis rebus exceſſerat, inuulgauit. Tum illud etiam adiecit, inſpectũ fuiſſe interdùm ſublimem ad Crucifixi ſimulacrum raptum: quod dulciter alloquens, amplexibus ſtringeret, & oſcula lateri defoſſo figeret. Hinc illa inter tot rerum fluctus animi tranquillitas: qua vſqueadeò præſtabat, vt nulla vnquàm tanta poſſet perturbatione ac mundi tricis irretiri, vt quoties vellet, ad diuinarum rerum theoremata ſtatim non rediret, & interna quadam mentis dulcedine frueretur. Stomachanti ſemel Franciſco Caſtiliono, qui noſtri præſulis fuit à ſecretis, ad tot rerum moleſtias, quas cura ſecum paſtoralis trahit, & quibus ipſe Antoninus inprimìs premebatur, vt nũquàm in ocio, ſemper in negocio ſit viuendum: nunquàm ſui, ſemper aliorum futuri ſint, qui ad epiſcopales cathedras euecti fuerint: Fieri, inquit, fili non poteſt, vt inter tot huius ſeculi ſolicitudines pacato animo conſiſtamus, niſi recõditum quendam & occultum mentis angulum intactum habeamus, ad quem negociorum ſtrepitus & curarum anxietas non irrepat: vt vbì ab actitandis cauſis deſtiterimus, eò tanquam ad aſylum tutiſſimum, & ab hoc exteriore homine ad eum, quem Paulus interiorem appellat, recurramus.

Rapitur ſublimis ad Crucifixi imaginem.

Rom 7. Ephe. 3.

Antoninus verò cùm tanta cordis ſerenitate frueretur, non commiſit tamen, vt paſtoralis muneris partes vel exiguas minùs adimpleret: tametſi cõuelli ab altiſſimarum rerum ſpeculatione, atque ad mundi huius moleſtias reuocari, longè eſſe duriſſimum intelligeret. Nulla non templorum ac ſacrarum virginum collegia viſitauit, nulla ſacrificij ſolennia, nullas altarium aut calicum conſecrationes prætermiſit. Cùm vſus poſceret, ſacros omnes amictus ac veſtes benedixit. Quæ munia dum obiret, nullam non diligentiam ſemper adhibuit. Quoties initiandi ad eum conueniſſent, quoties ſacerdotia contuliſſet, aut collata ab alijs probaturus eſſet, ne obolum quidem: quid obolum? ne floſculos quidem, vt ita dicam, in domum intulit, aut quòd caperentur à ſuorum quopiam, permiſit. Quam quoque abſtinentiam ita in cæteris rebus præſtitit, vt nullis poſſet machinis ac pollicitis aduersùs integritatem ac iuſtitiam expugnari. Seueritati tamen ſummam humanitatem & miſericordiam copulauit: qua inprimìs in erratis ſacerdotum vtebatur. Ita factum eſt, vt oleo clemẽtiæ ad rigoris vinum adiecto, neque ad delicta prorſus conniueret, neque etiam ad viuum vulnera reſecaret. Quo temperamẽto peritus artifex vſus, Clerum, quem in omne flagitiorum genus ferè prolapſum acceperat, reſumpto quodam probitatis ac modeſtiæ nitore, in meliorem formam reſtituit. Id quod complures quoque ciuium, ad fœnorum voraginem præcipites (Mercatura enim, qui ex Florentinis in literarum ſtudia non incumbunt, inprimìs delectantur) ad ſalubriora & probata commercia reuocauit. Et quando huc venimus, vt diligentiam illius & inuictum in laboribus pectus oſtẽdamus, non ſupprimam, cùm primùm pontificatum inijt, ſolitum Dominicis diebus nunc hoc, nunc illud ciuitatis templum adire, ac ſacras conciones ad populum habere. Quod vbì vileſcere intellexit, quòd egregij concionatores erudiendæ ciuitati non deeſſent: id totum in alios reiecit, priuatis ipſe hortamentis & colloquijs vſurus.

Omnia pontificis munia per ſe obit.

Concionatur ad populum.

Non frigora, non æſtus, non pluuiæ, non turbines, nulla denique pericula præſulem morabantur, quo minùs omnia ſedulò & ſtatim obiret: ita vt robuſtiſſimos iuuenes in perferendis laboribus ſenex ipſe & tenui valitudine ſuperaret. Rurales eccleſias viſitantem, cùm ſub ardentem crebrò ſolem iter arriperet, conſtat in aſſcenſu iumenti ſemiſepultos quoſdam gemitus frequenter edidiſſe, quos tabefactus comprimere non potuerit: cumque ſubſiſtere & tantiſpèr quieſcere rogaretur: Sine modò, aiebat: iter, quod cœpimus, proſequamur. Triennio ferè, antequàm mundo excederet, cùm comperiſſet in maximo templo matutinas laudes implicatiùs, quàm par eſſet, & confuſiùs celebrari: ſtatuit eò ſingulis noctibus, ad modeſtiã exemplo magis, quàm edicto docen-

docendam, ſe conferre. In propoſito perſiſtentem, nullis precibus & hortatibus potuerunt duo ex domeſticis ſacerdotibus auocare, quin nocte quadam, quæ ventorum turbine ac pluuijs ſolito aſperiùs inhorruerat, ad eccleſiam, quæ non parùm ab Epiſcopio diſtat, fidei zelo & charitatis igne feruidus properaret. Omnia ſui epiſcopatûs templa, non per vicarios, ſed ipſe viſitauit. Fæſulanam quoque ac Piſtorienſem diœceſim adiecit, quibus vt Metropolitanus præſidebat. Quas omnes dum obiret, ſignis numero non paucis ac magnitudine præſtantibus illuſtrauit. Feruor ſancti ſenis.

Ad Mugellanam vallem cùm veniſſet, (ea Bononiam verſùs ad radices Apennini iacet) cognito plebanum quendam graui ægritudine conflictari, acceſſit: lectulo innixus, quoddam euangelium legit, ac certas preces fudit, & ſanauit. Traijcientem Seuam fluuium (is ex Apennino incurrentibus riuis iam factus auctior, Arnum influit) Boninſegna Maclanellus Canonicus Florentinus ſequebatur: qui mulæ, cui inſidebat, vitio in flumen lapſus (ea enim in altum ſe gurgitem conieccerat) cùm ſancti præſulis iam ſummergendus præſidium imploráſſet, mox paterna benedictione communitus, mortis periculo eſt exemptus, aridis omninò ac ne minimùm quidem madefactis veſtibus: quæ res ſigno maieſtatem addit. Nondùm agro Mugellano exceſſerat, cùm eccè querulis vocibus pauper occurrit: narrat aquariũ piſtrinum, vitæ ſcilicet præſidium, aquæ impetu fuiſſe diſſipatum: non eſſe, quo pacto reſtituat, niſi vir ſanctus opem tulerit. Miſeratus pauperem Antoninus, Confide, ait: paruo negocio piſtrinum concinnabitur. Reuerſus domum, quaſi nihil vnquàm detrimenti cepiſſet, reperit nulla humana ope reparatum. Eius miracula.

Ad Cornicariam (id viculi nomen eſt) profectum, cùm plebanus torqueretur animo, quòd pro voto ac dignitate tantum non poſſet præſulem accipere, reticulũ ſtatim in proximum fontem iecit: vbi paucos eoſque minimos piſciculos nouerat luſitare. Paulopòſt reuerſus, cùm vidiſſet magna vi piſcium degrauari, gratias Deo egit, quòd tantum hoſpitem iam poſſet commodiùs accipere. Piſtorienſis ciuitas fertiliſſimo & amœno agro gaudet, ſed & lætiſſimis montibus, qui vrbi prominent, quaſi Apennini brachijs ad plagam Borealem cingitur. Huc Antoninus cùm viſitatum aſcendiſſet, (Numeroſis nanque populis, & non contemnendis oppidis habitantur) in officinam ferrariã, vbi liqueſcens ferrum fundebatur, vnà cum ſocijs rei nouitate ductus penetrauit. Quos cùm quidam ex fuſoribus tecto ſuccedentes inſpiceret, (ambiguum caloréne fornacis igneus, an labore diutino affectus, aut certè ſuopte ingenio rabie ſuccenſus) cœpit ſtatim virulento ore in eos blaſphemias iaculari. Vix ea immanium verborum procella in antiſtitem ceſſauerat, cùm repentè ferrum, quod anteà in aquæ morem fluere ſolebat, cœpit congelaſcere, ſic vt nullis ignibus, nullis follibus poſſent per inſequentis noctis ſpatium ad fluxum reuocare, quoaduſque præfectus fabrorum poſtridiè ſanctum præſulem adiret, atque vti ad ferrariam rediens, benedictionis ſignum adhiberet, multis ex eo precibus impetraret. Id vbi factum eſt, illicò ferrum fundi & liqueſcere, quaſi concretam glaciem, vbi ſol incaluerit, vidiſſes. Piſtoria, Tuſciæ ciuitas.

Sed antequàm, relicto rure, in vrbem redeamus, appingam hoc loco, quod de ſua familia, tunc propemodùm effœta, Franciſcus Caſtilionus literis mandauit. Cùm adhuc operam ruralibus eccleſijs Antoninus daret, rogauit Franciſcus, vir & moribus & literis, vt illa erant tempora, cultiſſimus: vt ad villam Caſtilionẽ, quæ genti nomen dederat, diuerteret. Annuit vir mitiſſimus. quid enim probo & erudito viro, & quo familiariter vtebatur, denegáſſet? Itaque Caſtilioni noctẽ vnam egit. vbi poſtridiẽ illuxit, ac iam ſe ad iter appará ſſet, Franciſcus paucis aperuit euaneſcentis iam nobilis familiæ calamitatem, quæ vnum Dantem (is germanus erat) reliquum haberet, vxori ſterili copulatum. Paternam itaque ſufficiendæ proli benedictionẽ daret. Mariettæ (ita enim vxor vocabatur) ad pedes procumbenti, impreſſo in fronte crucis ſigno, benedixit: ex illo fœcunda reddita, fœminã primò, mox ſeptem mares, cõſpicua omnes forma, peperit. Sterilẽ matronam impreſſo ei ſigno Crucis, efficit valdè fœcundam.

Florentiæ Elizabeth, tertium diui Dominici ordinem profeſſa, quæ per ſexennium morbo intercutis laborauerat, ad Antonini pedes prouoluta, eius benedictionem flagitauit. Accepit, ac dubium, vtra prior in eam, ſalus, an benedictio deſcenderit. Quæ nanque tumido corpore procubuerat degrauata, ſurrexit erecta cute leuiſſima. Ea poſteà ſacrarum virginum collegio in diuæ Luciæ æde diù præfuit, cùm nondùm numeroſus cœtus velatarum virginum, vt nunc eſt, intra monaſterium abderetur.

Vicus Florentiæ eſt, præterfluenti Arno prominens, incertũ cur Ricorbolus appellatus. Hac cùm fortè Antoninus præteriret, quoſdã videt lintre conuehi, qui aquarum

impetu ab vltimo periculo longiùs non abeſſent. Eiulantes ac benedictionis præſidio muniri cupientes, iubet, bono eſſent animo & confiderent. Ad ſalutare ſignum fluctus ſtetit: mox linter, ſaluis omnium capitibus, ad ripam placidè annauit.

Efficacia S. Crucis.

Benedicto Tempo Florentino filius erat adhuc è maternis huberibus pendẽs: quo morbo conflictaretur, ne ipſis quidem medicis ſatis compertum: vt complures ſentiebant, quem ſtriges cõpreſſum faſcinauerant. Nunc enim è lectulo, nunc è cunis raptus, interdùm à nutricis complexibus auulſus, nudo in pauimento locabatur: quæ quis faceret, nullus vnquàm potuit explorare. In hunc aduſque ferè medullas areſactum cùm fruſtrà medicorum tentata remedia vidiſſet, Antonini curatoris optimi orationum præſidia mater implorauit. Ea enim cùm dæmonum & magorum artes, ad quas & muliebri leuitate, & pluſquàm materno affectu ducta fugerat, inanes inueniſſet, iam tandem reſipiſcens, ad Antoninum, à quo ſolita erat, dum ſua crimina fateretur, expiari, rubore poſito properauit. Ex eo cùm acceptum linteolum, quo ad emungendas nares vtebatur, oratione fuſa ſuper cubantem filium inieciſſet, ſtatim reſtituta ſalute, omnes illæ demonum præſtigiæ diffugerunt. Infantili ſigno puerile illud adiungatur. Aridum puerum, maternis precibus & genuina pietate victus, benedictione illa, qua plerunque potenter quaſi præſentiſſimo remedio ad curas indigorũ vtebatur, ita tenacibus morbi nexibus ſoluit, vt poſſet & liberè ingredi, & ſtatim. Comprimam tantiſpèr ſtylum à ſignorum numero, ſi vel vnum tantùm enarrauero.

Vide rem miram.

Non contemnenda nobilitate ſunt in Florentina vrbe Filicarij. Ex ijs cuidã (nomen ſcriptores nequaquàm prodidère) filiolus erat vt vnigenitus vnicè dilectus. Is, dubium quo morbi genere correptus, (nam ne hoc quidem conſtat) miſellus tãdem expirauit. Pater, quanquàm paternis affectibus victus, dolori & lachrymis indulgeret, non tamen vſqueadeò inſanijt, vt ſe non mollem fœminam, ſed debere conſtantem eſſe virum, intelligeret. Itaque in cubiculo cadauere relicto, armatus fide, ad Antoninum aduolat: (Is tunc in diui Marci cœnobio nondùm pontifex habitabat) Vbì acceſſit, ac virum Dei vidit, conatus eloqui (quod ſolent maximo dolore perciti) miſer hæſit. Immenſa enim vi doloris tenebatur, quô minùs ſuam patri calamitatem aperiret. Itaque totus in ſuſpiria, totus in lachrymas vertebatur. Iuſſus eloqui, ſtatim ad gemitus recidebat. Rurſum rogatus, quid veniſſet, lachrymas eiulatibus augebat. Denique quo plùs taceret, eo magis, quòd intra pectus dolor ſerperet, torquebatur. Vix tandem ex lachrymis impetrauit, vt interitum filij, & vnigeniti filij pientiſſimo patri detegeret, quem vt ſibi viuum reſtitueret, flagitabat. Quid hìc, quæſo, faceret Antoninus, qui rem tantam, & paucis Deo dilectis datam, ſupra naturæ leges & fœdera peteretur? Num tantum ſibi arrogaret, vt naturæ poſſet iura diſſoluere? Contrà, ferreúsne ac tam ſeuerus eſſet, vt ad paternas lachrymas & eiulatus non molleſceret? tam impius, vt fidem petentis patris eluderet? Itaque miſeratus hominem, obortis lachrymis orauit: mox blandè affatus patrem: Ne te, ait, plangore ampliùs conficias, ne te maceres. I domum, ini cubiculum, filium ad vitam iam reuocatum amplexare. Affuit dicto fides. Redijt, inijt, viuentem eſt filium amplexatus.

Inſigne miraculum.

A teneris vnguiculis, immò à matris aluo cum Antonino creuit miſeratio. Si quis enim voluerit vitæ illius curſum diligentiùs contemplari, per ætatis incrementa maiores ſemper inſpiciet ad miſericordiam cumulos auxiſſe. Id quod etiam cumulatiùs in pontificatûs dignitate fecit. Florentina ciuitas, tametſi multas Italiæ vrbes ingenijs, nobilitate, religioſo cultu, opibus, pecunijs vel æquet, vel ſuperet: fieri tamen non poteſt, vt quanquàm latè dominetur, inter tot Italię principes & populos conſtituta, tum Apennino propemodùm concluſa, ob confertam populi multitudinem agri anguſtia non prematur. Hinc fit, vt qui mercaturæ ſtudio non iuuãtur, (quæ pars eſt populi multò maxima) aut nullis omninò, aut exiguis agrorum prouẽtibus fulti, poſſint pro ſplendore natalium vitam agere: præſertim ſi quæ fuerint (quod ſolet) filiæ iam maturæ viro, maritis collocandæ. Huic vrbis incommodo Antoninus inprimìs eſſe putauit occurrendum. Itaque duodecim viros ſtatuit, quos diui Martini collegium nuncupauit, Ij quod ex collatione ciuium non pauca & exilia in opus pijſſimum erogantium aceruâſſent, totum in pauperes, vt quiſque plùs minùs rerum inopia premeretur, ſine dolo, ſine fraude, nulla carnis & ſanguinis, ſed neceſſitatis habita ratione diuidebãt: in eos præſertim, qui nobili prognati ſanguine, emendicare ſtipem per vrbem erubeſcerent. Hoc inſtitutũ, mirum, quantùm labentibus annis coaluit, vt eo ſexcentis etiam familijs in totum vel ex parte ſuccurratur: in quod & bonã prouentûs ſui partem ipſe cõtulit, & magi-

Collegium S. Martini.

magiſtratum, tum alios, tam ciues, quàm exteros, vtì conferrent, ſuis hortatibus excitauit. Ipſe prætereà ſi quando aliquid Chriſti nomine adiecto peteretur, nunquàm denegebat. Si domi non haberet, à proximis mutuò capiebat: qui ſi recusâſſent, veſtes, caligas, calceos, domeſticam ſupellectilem, ocularia demùm ſua ſpecilla tribuebat. Benignitas mira in pauperes.

Orator gratulatum Pontifici Romano à Florentino populo miſſus, cùm propinquus iam eſſet vrbi, Martinum ſuperauit. neque enim dimidiam chlamydem, ſed totam ependitem (ea noſtris cappa dicitur) petenti pauperi, Chriſti nomine adactus, dedit. Mox priuſquàm ad vrbis portas adueniſſet, incertum quomodò, ſed tamen conſtat aliam, nulla humana arte conquiſitam, præſuli fuiſſe datam. Si quando in ciuitatem peſtilentia graſſaretur, non relicta vrbe, ad ſalubriora loca fugiebat: ſed verè bonus paſtor, animam pro ſuis ouibus poſiturus, affectos morbo, non per alios, ſed ipſe intrepidus, inſtrato aſino & onuſto munuſculis, adibat: ne qua ex ouibus ſibi creditis, deſtituta corporis adminiculis, aut certè ſacris minùs armata, moreretur. Exemplum boni paſtoris. Cùm annonæ caritas deſæuiſſet, tunc omnes liberalitatis ſinus explicabat. Sub tonſore olim erat, (is Petrus vocabatur) cùm ſtatim egentiſſimus ciuis pro foribus adſtare, & vel vnum panem petere nunciatur. refert tum vnus ex miniſtris, tres tantùm eſſe domi, neque tunc eſſe commodum, vt alios pararet. Antoninus vtì petenti ſatis fieret, imperauit: mox duobus quoque, qui mendicatum venerant, ſubindè alios, qui reliqui erant, dari: ſic vt pręfectus panariæ cellæ, mirum in modum bile actus, ſeu tunc non poſſet, aut veriùs iratus nollet, panem in prandium non pararet. Tonſus, cùm recedere vellet, Petrum ad prandium inuitauit. Is, Ecquid me, ait, detines, qui pane cares? Admonitus tunc eſt à præſule, ne diffideret: futurum, vt qui dat eſcam iumentis, homines quoque paſceret. Pſal. 146. Mox cùm menſam apponi iuberet, contrà id futurum fruſtrà, deficiente pane, miniſter affirmaret: Antoninus verò vtì faceret, quod iubebatur, indomitus inſtaret, panariam arcam, accepta tandem claue, adiens, mirum dictu, candido refertam pane reperit, quem angelico miniſterio miſericors & miſerator Dominus, qui dat eſcam ſe timentibus, collocârat. Panes diuinitùs dati. Pſal. 110. Præter quotidianas eleemoſynas, nummos aureos centum in paſchalibus celebritatibus in ſubſidia pauperum & pietatis vſus erogabat, vſqueadeò cauēs, ne quid intra arculas recōditum, ad futuri temporis vſum cuſtodiret, vt vita functo nihil omninò, præter tenuem reculam, ſine qua omninò viui non poteſt, ſuperſſet: quin funeri ſumptus etiam deeſſet. Aedificandi curam omnem ſucceſſuris præſulibus (ita enim dicebat) dereliquit. Concuſſam tamen & hiantem domum, quòd terra ſupra famam mouerat, reſarciuit, & noua quædam habitacula, ſic poſcente vſu, condidit.

Ac ne prodegiſſe fortunas Antoninum, ſed pauperes recreâſſe cognoſcamus, breuibus rem geſtā enarrabo. Ambroſiana fortè via ſolenni die de more iter faciens, in pauperis tecti culmine adeſſe angelos contemplatur. Rei admiratione perculſus, cùm domum introiſſet, viduam ac tres vnà filias reperit, nudis omnes pedibus & laceras: quę vt paupertatis extremā iniuriam propulſarent, lanificio, ſeu textrinę, (non enim habeo exploratum) certè operi, neſcio cui, honeſtæ virgines incumbebant. Antoninus, qui totus miſericordia redundabat, ne celebri die operam lanificio cogerētur dare, ſimul ex proximè cōmorantibus edoctus, eſſe probis moribus & ingenuis, ſtatim iubet quantum ſat eſſet, non modò ad inopiam fugandam, ſed ad cōmodos quoque vſus erogari. Labente tempore cùm illàc rurſus iter faceret, iam non angelos, ſed dæmonem vidit faſtigio domûs inſidere: ac tum ſubeſſe mali aliquid ſuſpicatus, quęrit quid id eſſet, num prolapſæ in ſcelus aliquod, florem virgineum delibâſſent, aut dedecoroſum quippiam admiſiſſent. Cognito, quòd refertę eleemoſynis, iam cum inopia non pugnarent, quòd lanificio non intenderēt, quòd multùm à religioſo illo viuēdi more concidiſſent, quòd delicias demùm in veſtibus, tum reliquos ornatus corporis adamarent: ingratitudinis maximæ coarguit, quòd in muliebres luxus, quæ ad fugandā inopiam dederat, conuertiſſent. Largioribus eleemoſynis eius quædam inſoleſcunt. Tum quòd angelos primùm, mox dęmonem vidiſſet, explicuit: malam eſſe rerum conuerſionē factam: nempe, quòd ſimplici cultu, amico angelis, anteà vixiſſent: nunc inſolentiores factæ, ad luxus & illecebras dæmoni aures præberent. redirent itaque ad ſe, antiqua viuendi inſtituta reſumerent, & nullum ocio, nullum dęmoni locum darent. Ex illo peritus artifex, tametſi nunquàm non inopiam ſubleuauit, non cōmiſit tamen, vt alerentur pinguiùs, & veſtirentur cultiùs, quàm par eſſet.

Florentino ciui pauperi complures erant filiæ iam nubiles & natu grādes. Is Antonini monitis, Annunciatæ templum, in vrbe atque adeò tota in Italia celebratum, petiturus opē filiabus à Deipara Virgine, ante lucē plerunque properabat. Dum quotidianus

nus in officio duraret, duos fortè captos luminibus (in veſtibulo enim templi ac pro foribus de more, adeuntes templum petituri ſtipem, accubant) de quæſtu pluſquàm maximo colloquentes (dum ſe latere putant) audijt, vter maiora lucra reportâſſet. Cùm vero alter in capitio aſſutos ſibi eſſe ducentos nummos aureos, alter in galero trecentos affirmaret: bonus ille vir, vtroque arrepto, ad Antoninum ſtatim cõuolauit. Is ilicò aduocatos cæcos vt mendaces ac fures increpauit, quòd inopes ſe eſſe ſimulantes, eas pecunias egentioribus abſtuliſſent: non poſſe tutò eam ſummam retinere. Ita factum eſt, vt tota, conſentientibus cæcis, ad præſulis arbitrium cauſa verteretur: qui viginti & quinque vni, triginta alteri nummos auros: quod erat reliquum, pauperi ciui ad filiarum dotes fidelis diſpenſator aſſignauit.

Nota de mendicis fraudulẽtis.

Penè fugerat, quòd eius etiam nuda verba, diuina quadam liberalitate redundabãt. Fiſcellam pomis refertam ſancto Antiſtiti vir fortè pauper donauit, ſperans apophoretum ac pingue aliquod ſe munus relaturum. Antoninus hilari vultu & verbis dulcibus gratias agens, cùm poma & donantis animum laudâſſet: Retribuit, inquit, tibi Deus. Ille autem tam anguſtus animo, quàm fortunis tenuis, amiſiſſe ſe & oleum & operam putans, mœrens & querulus abijt, quòd nihil plùs quàm verba reportâſſet. Id vbi præſuli renunciârunt, reuocari ad ſe hominem, tum atramentum, papyrum, calamum, & præter hæc trutinam afferri iuſſit. Mirantibus cunctis, quid ageret: tria illa verba papyro perexigua inſcripſit: tum in altera lancium papyrum, in altera poma omnia compoſuit: ac ſublata trutina, ſtatim papyrus, tanquam ſi ferri maſſam adieciſſes, deſcendens, pomis in ſublime volitantibus pręponderauit. Perculſum rei admiratione hominem blandè Antoninus cõſolatur: Ne me, inquit, ingratitudinis argue. Diſce vel ſerò, diuina tuis munera prægrauare.

Nota rem miram.

Neque verò inter tot miſerantis dulcedines defuit animi magnitudo, vt cùm res poſceret, & ire obuiàm magiſtratibus, & intrepidus iniqua conſilia & conatus euertere non auderet. Nulla enim tanta vi perterrebatur, quam zelo iuſtitiæ non contemneret. Inprimìs verò Eccleſiaſticam libertatem ad vſque dignitatis & vitę pericula tutatus eſt. Octouiri (is magiſtratus Florentiæ, quanquàm non ſupremus, vitæ & necis imperium habet) duos fortè ſacerdotes in crimine depræhenſos, ac noctù à ſatellitibus captos, cùm diluxiſſet, ad epiſcopium, clangentibus tubis, deduci ad præſulem imperârunt: ſatis eſſe pœnarum ſumptum rati, quòd eos publica ignominia affeciſſent: ſi quid acrius eſſent commeriti, eſſe ab antiſtite caſtigandos. Antoninus mirum quàm moleſtè tulerit. Dimiſſis verò ſacerdotibus, quos tunc puniri non eſſe commodum putauit, ſtatim ad publicas ſupremi magiſtratûs ædes proficiſcitur. (eſt nanque, vbi Octouiri quoque ſua iudicia exerceant.) Cùm vbì aſſederant, igne quodam iuſtitiæ percitus, ad eos irrupiſſet, temeritatis grauiſſimè coarguit, tum eſſe illos anathemate illaqueatos, ſeque nexibus, quibus ſe irretîſſent, non expediturum. Irent Romam, ſummum Pontificem adirent: ad eum eſſe rem totam deuolutam. Diſcerent in poſterum aut nullo pacto, aut certè conſideratiùs alienas cauſas tractare. Erant Octouiri, quanquàm lapſi fuerant, non tamen ingenio perdito & complorato. Vbi antiſtitis conſtantiam cognouerunt, conſcientia ducti, ſupplices literas, quibus expediri ſe petebant, ad Pontificem dedêre. Qui cùm ſe totum relaturos ex curia putarent, eccè Pontificijs literis iubentur, vti Antoninum conuenirent, ac vltrò ſupplices faſſi culpam, pro canonum inſtitutis, anathemate ſoluerentur. Antiſtes, quoniam publicè peccauerant, zona collo indita, ad fores templi iuſſit procedere: atque ibi, ſpectante populo, conuerberatos terga, vinculo excommunicationis liberauit. Ea res, vix dici poteſt, quantum omni ſexui, omni ordini terrorem præ ſuî magnitudine incuſſerit.

Fortiter tuetur Eccleſiaſticam libertatem.

Nota.

Nota genus pœnitentię.

Sed neque ſupremum illum magiſtratum, à quo nulla eſt prouocatio, quanquàm puſillus, timuit. Franciſcus Patauinus, quæſtor Pontificius, Florẽtiam ab Eugenio miſſus ad componendas res, quòd ciues quidam Romæ in cuſtodia tenebantur, magiſtratûs imperio veluti obſes capitur. Aberat tum fortè Antoninus: qui vbì captum eſſe legatum Pontificium reſciuit, properè Florentiam reuerſus, Magiſtratum verbis acribus territauit: niſi cœpto abſiſterent, excommunicationis ſe illos gladio percuſſurum. Aliâs etiam, cùm contra ius aliquid tentâſſet, anathematis erat vinculis irretitus. Quod cùm cõtemnerent, vel ita eſſe non putarent, ſolenni die in publicum ad ædem ſacram ſub ipſa ſacrificij primordia proceſsêre. Antoninus cùm primùm eos adſtare ſacrificio intellexit, ſtatim in templum proficiſcens, iubet ſacerdotem ſacris abſtinere: tum clerum omnem choro protinùs abſcedere. Magiſtratus tanta ignominia affectus, ſerò

Zelus ſancti viri.

tandem erratum intelligens, in ædes publicas ſe recepit. Sed neque tunc præſul contentus ſacris excluſiſſe, armatus zelo, ad eos progreditur, oſtendit quantoperè Deum & Pontificem læſerant, vt iura Eccleſiæ violârant: non licere eccleſiaſticis vim inferri: niſi ab incepto deſiſterēt, maiora ſe in eos fulmina perſtricturum. Carpenti acriùs quidam è magiſtratu minitatur: videret, ne ſe doleat quandoque ſummotum præſulatu: ac niſi iam latrare ceſſet, abreptum è prætorij feneſtris præcipitem in forum dandum. Ad ea Antoninus, tanti non eſſe ſe, vt cum martyribus mereatur laurea coronari. Nam ſi dignitate, quam inuitus inierat, amouerent, nihil ſibi gratius effecturos: habere angulum, quò confugiat: ac ſimul clauim cellulæ, quæ ſibi in cœnobio diui Marci pateret, oſtentabat.

Sed hæc verbotenùs præſulem pupugêre. Quod annectam, ad ipſam voluit cutem, atque adeò intimum ſanguinem penetrare. Sacerdos Ciardus, vir fama & moribus perditiſſimus, cùm ad tribunal præſulis citaretur, arreptus furijs, falcato gladio ſe accinxit: Mox in epiſcopium profectus, exerto ferro, Antonini caput, qui ſolus tunc in ſella quieſcebat, petijt, vt diſciſſum bifariàm aduſque dentes aperiret, ſed flexu capitis dum ictum vitat, ſellæ tergo gladius inhæſit. Ciardus furore ebrius, ob id impreſſum capiti vulnus putans, ex epiſcopio in proximam ſe domum proripuit, ex muliercula latibulum ad præſentem caſum rogans, necubì occiſo præſule caperetur. Fœmina ad ſceleratum facinus inardeſcens, furore muliebri accepto ſubſellio perfregit caput ſacerdotis & expulit. Qui ſtatim fuga versùs Fæſulas arrepta, ſeu metu actus, ſeu poſt culpam reſipiſcens, ad Ducciam in D. Michaëlis cœnobiolo, accepto habitu Minorum, vixit innocentiùs. Antoninus tantum abeſt, vt in Ciardum quoquomodò deſæuierit, vt etiam maximè exhilaratus ſit, occaſionem illi præſtitam ad ineundam vitæ melioris formam.

Vir ſanctus parū abeſt à ſummo periculo.

Vt verò anathematis gladium in rebus maximè arduis, & quibus non aliter occurri poterat, diſtrinxit: ſic ad leuiſſimos caſus, cùm ſit excommunicatio pœnarum maxima, condebat. Ad ea enim iam tempora deuenimus, vt ſi quis raſtros, marram vel bidentem amiſerit, putet ſe non poſſe commodiùs, quàm à ſacris excluſione, reperturum. Quibuſdam fortè iacturam, neſcio quam, omninò leuem paſſis, atque in authores damni anathematis arma flagitantibus, conſtanti pectore præſul facturum ſe negauit. Tum inſtantibus ac maximè commotis, quòd deſpici ſe putarent, quantum à recto itinere deuiarent, qui ad minima cenſuris vterentur, huiuſmodi voluit exemplo declarare. Candidus panis in medium allatus, cùm anathematis verba in eum maieſtate illa ſua protuliſſet, ſtatim, ſpectantibus illis, in carbonis atredinem eſt conuerſus. Ecquis eſt, inquit, quantumlibèt famelicus, qui panem hunc non dicam deglutire, ſed vel dentibus audeat teritare? Quis ſtatim vel inſpectum non proijciat? Quanto peiore conditione animas, cenſuræ laqueo detētas, Deus, cęlites atque homines ſtomachantur? Abite iam, ac nolite candorem animarum pro tenui lucello in tantas ſordes ac nigredinem transformare. Mox nondùm profectis, conuerſus ad panem: Heus, ait, iſthoc nexu anathematis te libero. ac ſtatim, quaſi excuſſiſſet atredinem, candore viderunt priſtino renidere.

Non facilè fulminanda excommunicationis ſententia.

Nullus fuit locus, in quo ſe fortem & intrepidum non oſtēderet. E templis, in quibus maximè munditiam & ſanctitatem diligebat, non dico ſemel, ſed ſæpè fœminas impudico ac meretricio habitu, quaſi inſtrumenta dæmonum ad perdendas & in venerem alliciendas animas, effugauit. Iuuenes, qui ſpectatum venerant, quantacunque nobilitate & gratia pollerent, caſtigatos verbis acriter extruſit. Tum vrbem inambulans cruce pręuia, aleatores, vel ſolo adſpectu perterritos, ad fugam compulit. Ad Bondelmontum porticum, quò nobiles, dum feruet æſtas, ad remittendos animos conueniunt, dum maximè incaleſcere aleam vidiſſet, ſpiritu maiore ſupra hominem inſtinctus, non ſplendidos natales, non poteſtatem veritus, alueolos, teſſeras, chartas, nummos, admotis ipſe manibus, euertit, quòd liberis tantundem audendi ſuo exemplo anſam darent, grauiter increpuit. Dardanum Acciaiolum, nobiliſſimo ſanguine ortum, inuectum acriùs & cōtumelijs furentem, patienter ſuſtinuit. Eundem paulò pòſt, dediſſe impudentię pœnas intellexit. Angina nanque ſuffocatus, amiſſo vſu linguę, qua præſulem pupugerat, diem obijt. Nouum ludi genus, ſortes, in vrbe tunc exortū, quod vſqueadeò breuiſſimo tempore coaluit, vt turmatim, occluſis tabernis, ad perdendam pecuniam curreretur, quàm celeriter aduenerat, tam properè exploſit. Mille nummos aureos, qui ex eo ludi genere ſacerdoti cuidam obuenerant, intercepit: quos pauperi-

Egregium facinus & tāto paſtore dignum.

Hæreticum comburit.

bus commodiſſimè (nam tunc quoque fames ſæuiebat) erogauit. His nulla in ſe non vigil illa addidit: Iohannem Caninum medicum, exterum quidem, ſed Florentiæ commorantem, necromanticum, in Deiparam Virginem latrātem, tum hæreticis dogmatis pertinacitèr inquinatum, quanquàm reclamantibus multis ex ciuibus, concremauit. Tonſoris Petri liberi nocte, nemine vidente, è lectulo ad varios domûs angulos non ſine magno diſcrimine ac terrore omnium ferebantur. Cognito hoc Antoninus, preces quaſdam & exorciſmos membranula inſcripſit, atque in cubiculo ante Deiparæ Virginis imagunculam affigi iuſſit. ex illo non ſunt infantuli vexati. Mox cùm rem totam oriri coniectaret, quòd Petrus libro quodam, vbi erant bonis remedijs incantationes & carmina dæmonum permixta, (chirurgus enim erat) quanquàm vt imperitus, nihil ſubeſſe mali putans, vtebatur: eundem librum in diui Marci periſtylio, cùm eò pranſum acceſſiſſet, adſtantibus aliquot ciuibus, edacibus flammis tradidit. Obſeruatum eſt, quo tempore eſt liber igni datus, cçlum, quod anteà ſerenum arridebat, repentè fuiſſe atris nubibus obſcuratum: exuſto, priſtinam ſubitò lætitiam arriſiſſe.

Pręclara eius eruditio & ſcripta.

Iam quanto ſplendore tantam in cæteris viri præſtantiam immenſa illa doctrinarum lux & fulgor illuſtrauit? Egregium quiddam eſt, vitæ innocentiam & morum integritatem in vitæ curſu retinere: ſed ſi ad morum ſanctimoniam fax literarum adiungatur: quid, quæſo, abſolutius, quid conſummatius omni ex parte poteſt cogitari? Præſtitit vtrunque Antoninus tam egregiè, vt omnes æquauerit, multos etiam exceſſerit. Scripta illius quòd à veritate non cadant, fidem faciunt tam frugifera, tam omnibus expetita, vt iam nullo in precio bibliotheca quantumuis nobilis habeatur, quæ Antonini vigilias non habuerit: nullus, quantamcunque congeriem librorum aceruârit, putet ſe aliquid abſque illius lucubrationibus poſſidere. Ea omnia quoniam ita parata ſunt ad manum, ac tantoperè quotidiano vſu trita, vt notiora per me nunc fiant, nequaquàm laborabo. His paulò antè, quàm vita excederet, extremam manum impoſuerat. Nam quanquàm maximam eorum partem ante Pontificatum contexuerat, præſul tamen, ſi quando poſſet ocium ſuffurari, & expungendo quædam, & addendo alia, recoxerat. Quod maximè eſt in homine mirandum, cùm omne genus doctrinarum adyta penetrârit, nullius fuit præceptis inſtitutus: tantùm puer grammatico eſt traditus: mox aliquandiù, interrupto tempore, ſub præceptore dialecticis incubuit: Cætera per ſe, nullo hominum tradente, hauſit. Quæ quidem quanquàm in eius diligentiam & operas ad ſtudia literarum aſſiduas conferamus, nihil tamen abſurdum fuerit, ſi inſtillatam quoque cælitùs bonam eorum partem crediderimus. Superno enim lumine colluſtratus, multa potuit cognoſcere, quæ aut nullo modo, aut certè monſtrante aliquo neceſſe eſt vt capiantur. Nil verò mirum videri in Antonino debet, qui aduſque etiam arcana, quæ ſoli Deo ſunt cognita, & quæ multo pòſt tempore futura erant, penetrauit. quod, ne longum faciam, pauciſſimis expedio, cùm non digna ſint, quæ prorſus omittantur.

Abſque pręceptore euaſit doctiſſimus.

Prædicit mercatori periculum.

Amicum mercaturæ deditum blandè monuit, ne ſe tanta lucri cupiditate trahi pateretur, tanto've animi angore in parandis opibus vexaret: partis, quibus abundabat, diuitijs acquieſceret: ingens enim illi periculum ob eam ſolicitudinem aliquando in aquis imminere. Paulò pòſt cùm inter Venetias & Patauium nauigio veheretur, ſubita procella facto naufragio, iam ſubmergendus pelago ferebatur: cùm ſtatim Antonini monita memoria repetens, eius præſidium implorauit: Vix votum nuncupârat, & ecce Antoninus celer adſtans, capillamento eductum ex aquis liberauit. Cùm Prior diui Marci cœnobio præeſſet, quendam cognominem ſuum (Antoninus enim vocabatur) oriundum ex Ripolis (qui viculus eſt ad Alpium radices vltra Taurinum) ad diui Dominici habitum admiſit: qui mox inconſtantiæ ſpiritu agitatus, traiectum in Siciliam cogitauit. Antoninum tamen ea de re conſulens, ne faceret, ab eo eſt maximè diſſuaſus. Nam ſi in propoſito perſtans transfretaret, futurum, vt graui corporis & animi periculo premeretur. Sed fruſtrà ille conſilium popoſcit, qui contra patris monita in inſulam traiecit. Rem, quoniam literis mandata eſt, longiùs non traho. Cùm mox ex Sicilia (vt is, qui ſemel inconſtantiam pleno poculo biberat) Neapolim nauigaret, à Saracenis captus & * Tumen ductus, exutus regularem habitum, accepta etiam vxore, Chriſti fidem abiurauit. quanquàm paulò pòſt, cùm Antoninum vita eſſe functum non ſine ſanctitatis teſtimonio Itali mercatores nunciarent, memor eorum, quæ ſibi prædixiſſet, collecto animo ac forti pectore, mortem pro Chriſti nomine lapidibus obrutus tolerauit.

Itē monacho inconſtanti.

for. *Tunē, ſeu *Tunetum

Erant Neapoli ſorores duæ, quas Antoninus, D. Petri martyris cœnobio præfectus, calore ſuarum concionum ductas, ad quandam vitæ ſanctioris formam in religioſo habitu, intra domum tamen, excitauerat. Has rogat, vti hoſpitibus, qui Florentia venerant, & quos acceptos menſa, hilariùs volebat recreare, placentam, farina & oleo ſubactam, tum melle illitam pararent. Negantibus, non quòd non cuperent patri gratum facere, ſed quòd nil ferè olei, nil mellis, & quod ad parandam placentam ſufficeret, in vaſis eſſet: mandauit, bono eſſent animo, atque id tantillum ſumerent: ſcirent abundè habituras ſe ad præſentem vſum, & in poſterum manantium liquorum in eiſdem vaſis copiam futuram. Quid plura? Paruerunt ſororculæ. Oleum verò in lecytho, mel in dolio diuina quadam ſcaturigine ſic excreuit, vt integrum ſeptennium ad vſus domeſticos non deeſſet. In earum hortulis cùm rigente cælo mali citreæ ad vnam omnes ſtirpitùs aruiſſent, limonem (ea eſt arbuſcula ex eodem genere) quam ſuis præſul manibus panxerat, proditum eſt, ſolam ab illa vredine atque intemperie ſeruatam. Iniurius eſſem, ſi à ſuis ſororibus tertiam ſeparatem. Huic, cùm iam orbatam viro conſolaturus viſitâſſet, diuino ſpiritu afflatus, prædixit filiarum duas Chriſti iugum in monaſterio ſubituras, tres ante exactũ annum vita exceſſiuras: mares in viros magnos, doctos ac locupletes euaſuros. Quid multis morer? Fœminarum duabus Chriſti ſe famulatui addicentibus, tres ad condictum obiêre: ex maribus vnus Archiepiſcopus, duo reliqui ad confertas opes, iuris quoque peritiam addiderunt. Antoninus igitur, quanquàm ſemper amauit intra humilitatis caueam latitare, non potuit tamen inter tot prodigia virtutum & præclaros doctrinæ ac morum radios non ſplendeſcere. Iam fama ſanctitatis ſe non poterat intra Florentię muros cohibere. Totam eſt latè Italiam peruagata. Ad Principes, Epiſcopos, Cardinales, ad ipſos Pontifices penetrauit. Ea eſt enim natura ſanctitatis, vt quo plùs occulitur, eo latiùs delata ad conſpectum hominum, ipſa ſibi viam aperiens eluceſcat.

Olei & mellis exigui mira incrementa.

Tanta ſanctitatis eius mentes hominum ac tam conſtans opinio peruaſerat, vt quacunque tranſeuntem illum cognouiſſent, paſſim currerent, ac flexo poplite mares, fœminæ, diuites, inopes, ſenes, paruuli, plebeij, nobiles, ad benedictionem præſulis curuarentur. Atque in tam peruulgata ſanctitatis fama dici non poteſt, quàm ſe intra ſe, hoc eſt, intra humanæ conditionis limites coërcuerit. Cùm quidam ſanctum eum appellâſſet: Sancti, ait, in cælo commorantur: nos peccatores terram colimus. A Romanis pontificibus non ſolùm amabatur, ſed etiam ſumma quadam obſeruantia colebatur. Eugenius quidem, qui eum ad præſulatum Florẽtinum, ratione tantùm virtutis habita, euexerat, paulò pòſt Florentia ad ſe Romam conuocauit, vt vberiùs poſſet eius familiaritate recreari. Statuerat enim, vt fama erat, ampliore eum gradu dignitatis honeſtare, niſi obitus conſilium interrupiſſet. In graui illa quidem ægritudine, qua deceſſit, cubanti ſibi eum ſemper aſſidere voluit: mox etiam ad mortem properanti ab Antonino tantùm ſacramenta pœnitentiæ, euchariſtiæ, atque extremæ vnctionis exhiberi. Non minoris eſt à Nicolao quinto, qui Eugenio ſucceſſit, habitus: cui non ſat fuit coluiſſe Antoninum, niſi etiam ſanctitatem eius ceteris amplo laudum cumulo prædicâſſet. Illud enim conſtat eruditum grauemque Pontificem protuliſſe: Non minùs, ait, archiepiſcopum Florentinum in diuorum catalogum adhuc viuentẽ referendum eſſe cenſeo, quàm Bernardinũ mortuum: quem compluribus ac probatis teſtibus, conſenſu totius Eccleſiæ, eiuſmodi honore decorauit. Id quod non ad D. Bernardini taxationem aliquã, ſed totum eſt ad noſtri præſulis celebre præconiũ conferendum. Idem expenſo & acri iudicio Pontifex tantam eſſe Antonini integritatẽ & exactam peritiã conſpicatus, audiendos nullo eſſe pacto ſtatuit, quicunque à iudicijs & cauſis, ab Antonino iam cognitis, ad curiã Romanam prouocâſſent. Immota enim eſſe voluit, quæcunque abſoluendo vel damnando vir integerrimus, & qui nec falli nec fallere poſſet, peregiſſet. Nihil verò vnquàm ex Nicolao ad ſua vel aliorum cõmoda quæſiuit, quod non facilè ac ſtatim reportaret. Cùm annonæ caritate ciuitas laboraret, ac ſæpiùs à ſummo magiſtratu pecunias in pauperes erogandas accepiſſet, & mox, inualeſcente malo, ſuis non poſſet prouentibus, tenuibus admodùm, pauperes, qui loco filiorum erant, recreare, ex eodem Pontifice magnam pecuniæ ſummam impetrauit.

In multa apud oẽs veneratione eſt.

Etiam Romanos Põtifices.

Secundùm Pontifices maxima beneuolentia eum complectebantur Romanæ eccleſiæ Cardinales, Dominicus præcipuè Firmanus, vir virtute præſtans & authoritate magnus, qui celebre ſanctitudinis & integritatis nomen poſteris reliquit. Petrus quoque Barbus, Eugenij nepos, in pontificatu Paulus. Tum Ioannes ille Turrecremata, tot

Item Cardinales.

ingenij & ſcriptorum monimentis clarus: omnes prætereà galeriti patres, tenera ſunt quadam dulcedine ac beneuolentia præſulem proſecuti. Id verò nullis ſibi artibus aut ambitu parabat, cùm nullus eſſet hominum, qui minùs ad gloriã, aut ambiendos dignitatum gradus duceretur. Quacunque enim illum tractâſſes, immotus & inuictus ad omnes ictus perſiſtebat. Non auri ſacra vis hominem expugnauit, non voluptatibus eſt raptus, non contumelijs incenſus, non humanarum laudum illecebris eneruatus. Vt enim habitum ſui ordinis, ita ne vultum quidem, nedùm animũ atque illam in retinenda virtute conſtantiam, factus pontifex immutauit. Tantum verò abeſt, vt aucupandæ maiori dignitati operam daret, vt etiam ad ſuam cellulam, in qua honeſto illo & literario ocio fruebatur, frequenter inhiaret. Cardinalem breuì futurum adulatori cuidam impudenter blandienti: De ſepulcro, reſpondit, nobis eſt ac propinquo interitu, non de ſublimiore gradu, cogitandum. His ille ſibi artibus omnium gratiam conciliabat: miſeratione, iuſtitia, rectitudine ad aucupandos homines vtebatur: quibus ita ſuorum ciuium ſibi animos colligauit, vt beatos ſe, quòd talem accepiſſent præſulem, acclamarent. Coſmum quidem Medicem, vt cætera omnia prudenter, illud etiam ſapientiſſimè dixiſſe conſtat: Magnis ſua tempeſtate Florentiam vrbem calamitatibus, maioribus tumultûs bellici periculis, tum peſtilẽtia, annonæ caritate, terræmotibus, atque inprimis fuiſſe inteſtinis ſeditionibus vexatam, quæ nobilem potuerant euertere ciuitatem: Ea omnia ſanctitate ac precibus Antiſtitem ſummouiſſe. Is ille Coſmus eſt, quo nullus ditior, nullus prudentior, nullus denique in religioſum cultum ſuo tempore propenſior. Is tantum in ciuitate potuit, quantum voluit, ſed ipſe ſibi modeſtiam imperauit. Cuius quoniam dicta factaque, præterquàm quòd paſſim celebrantur, ab illuſtribus authoribus & pluribus ſunt monimentis literarum tradita: tantùm, quod ad præſentem locum ſpectat, delibabo. Mortuo Bartholomæo Zabarella, (quod dixi) complures ad præſulatum adſpirabant. Coſmus verò & quoniam in ciuitate plùs cæteris poterat, & apud Eugenium quanta quiuis gratia pollebat, nulli dubium, quin potuiſſet è ſuis aliquem, deturbatis cæteris, præficere. Noluit ſanguini & carni dare, quod virtuti, quod Chriſto vir prudens & integer deberi iudicauit: ſed magnus ingeniorum & hominum ſpectator, ad Antoninum rem totam deferri apud Eugenium curauit. Quãquàm enim adactus eius precibus literas ad eundem dederit, vt eo faſce leuaretur: clàm tamen, ne quem alterum præficeret, calentiùs & ex iudicio perſcripſit. Quòd ſi ea metimus, quæ ſeminamus: immò ſi vnum dantes, centuplum accipimus: quid impedit, ne dicamus Coſmianam domum pro vno præſulatu, Pontificatus duos maximos rediſſe? Iam tum, cùm tot religioſas ædes ac templa à fundamentis excitabat, videbatur pronepotum tiaras præſagire: qui Leoni X, qui tibi etiam Clemens ſeptime eccleſias, Eccleſiæ principibus parabat.

Præclarum ad adulatorem reſponſum.

Coſmus Medices egregie prędicatur.

Leonem X. & Clementē VII. dicit

Sed Coſmum alij: nunc ad Antoninum redeamus. In quo etiam facundiam, vt illa ferebant tempora, non deſideramus. Tunc enim exeruiſſe caput videntur cultiores literæ, quæ tot ſeculis obrutæ ac ſepultæ propemodùm iacuerant: quod ipſum magna ex parte Coſmo, magno ingeniorum fautori, referre acceptum, ſi grati eſſe volumus, debemus. Itaque Nicolao quinto vita functo, & in demortui locum Calixto tertio ſuffecto, Florentinus populus legatos, qui de more gratulatum Romanum profecturi eſſent, deligit. Ij fuêre Iannottus Pandolfinus eques, Otho Nicolinus iureconſultus, Antonius Ridolfus, & Iohannes Medices Coſmi filius, viri proculdubiò præſtantes. Quô tamen legationi maior authoritas ineſſet, Antoninum primo eſſe loco voluerunt. Admiſſis in conſiſtorium publicum certa die, in conſeſſu illo totius orbis celeberrimo cum ſe Antoninus orando præſtitit, tanto ſententiarum pondere, tanta verborum copia redundauit, adiecta actionis gratia, tum dulci quodam vocis ſono ac totius oris venuſtate: vt ſtupore omnes maximo percellerentur, quòd non theologus aut orator, ſed miſſus è cælo quidam fuiſſe angelus videretur. Quæ res alterum ſubindè illi laborem iam confecto ſenio cõflauit. Cùm enim celebre per ſe ciuitatis nomen, celebrius ſua legatione reddidiſſet, mox ad Pium ſecundum, qui Calixto ſucceſſerat, collegis additis gratulatum miſit. Eos fuiſſe conſtat Angelum Acciaiolum equitem, Aloyſium Guicciardinum, Petrum Pactium, Guilielmum Oricellarium, ac Franciſcum Medicem. Neque verò ſibijpſi nunc etiam orando ceſſit, ſed pari eſt etiam cunctorum plauſu celebratus. Pius verò quanti illum fecerit, vel ex eo licet coniectare, quòd cùm ad Pontificatum euectus, vellet conuulſis quibuſdam, quæ paulatim ad publicã iacturam & morum lapſum irrepſerant, Romanam curiam in antiquum candorem ac formam

Inſignis eius oratio coram Pontifice.

mam reuocare, mandâſſetque eam prouinciam grauibus aliquot Cardinalibus, Antoninum quoque, vt peritum rerum & integrũ, illis eſſe addendum iudicauit: quanquàm ea res, vrgente tunc bellico ſtrepitu, in pacatiora tempora ſit dilata. Ad Fridericum quoque Cæſarem in itinere excipiendum, quem in Italiam rumor erat aduentare, legatus eſt à ſupremo magiſtratu deſignatus. Quod ille munus, fractus ſenio, reijciendum eſſe in alterum dicens, recuſauit.

Et hæc eò pertinent, vt quanta vir prudentia fuerit, & quàm conſtans opinio omnium, poſſe Antoninum dicendo plurimùm, cognoſcamus: Neque profectò in ea ſententia fallebantur. Nam vt cętera nunc ſileamus, cùm defuncto legationis ad Calixtum munere, reuerſus vnà cum collegis, ſupremum vellet magiſtratum (tota enim vis legationis in eum incubuerat) quæ geſta ac dicta eſſent edocere: tam dilucidè omnia narrauit, ſic memoriter minutiſſima quæque extulit, tam ſtrictim, quæ ſparſa erant, adunauit, vt diuinum quoddam, non humanum, eſſe ingenium dixiſſes. Neque verò non altera ex legationibus ſignis fuit honeſtata, vt nuſquàm fuiſſe ocioſum præſulem ſciamus. Nam cùm ventum eſſet ad flumen Paleam, ſolito tumidiorem, rogareturque ab vno ex collegis, vt dimiſſo mulo paruulo, cui inſidebat, generoſo ac ſublimi equo ad traiectũ vteretur: Mulillus meus nuſquàm, ait, veſtigio fallitur. Mox ſigno crucis facto, tutò ac facilè tranſmiſit. Affirmabant collegę aquas, dum tranſiiret, in ſtagni morem quieuiſſe: ſe non citra periculum, altioribus iumentis inſidentes, ad vlteriorem ripam fluminis delatos. *Non ſine miraculo tranſit flumen.*

Iam tempus appetebat, vt quod in hoc vitæ curriculo in lachrymis ſemînârat, in exultatione, ad cæleſtem vitam tralatus, tandem meteret. Itaque cùm annos tredecim ac menſes duos Florentinæ eccleſiæ præfuiſſet, ad quam quinquageſimo & ſeptimo ætatis anno fuerat euectus, in morbum incidit, correptus febricula quadam, quæ phlegmatica à phyſicis vocatur: ita vt non ignea & acri, ſed lenta, ac proptereà longa ægritudine laboraret. Erat in ſuburbano Antoniano, quod epiſcopale hærediolum portæ diui Galli adiacens, à ciuitate non totos mille paſſus abeſt, quò ſolent præſules ſecedere, ſi quando animum remittere, atque vrbanos placeat ſtrepitus vitare. Cùm iam cœperat morbus augeri, ac febris facta viuacior, medullas ſenis & artus tenuis corpuſculi depaſci, fortè Franciſcus Caſtilonus acceſſerat, (quanquàm à patris latere parum aberat.) Is, vti fit, cubantem ſolabatur: benè ſperandum eſſe: nihil ſubeſſe diſcriminis: poſtremò redituram valetudinem bonam & celerem promittebat. Vir verò intrepidus ac Martino ſimilis, vtra ſibi & ouibus tunc vita eſſet commodior, non deliberans: Fiat, inquit, voluntas Dei: ac ſtatim diuino quodam ſpiritu illuſtratus: Dies, ait, annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis: quaſi ſummam vitæ diem præcinens, cùm iam ſeptuageſimum ætatis annum attigiſſet. Sacro itaque Euchariſtiæ, mox etiam, morbo ingraueſcente, Calendis Maijs paulò antè quàm obtenebreſceret, extremę Vnctionis clypeo munitus, integram illam peccatorũ condonationem, quam indulgentiam vocamus, liberalitate Pontificia acceptam, legi ſibi & impendi petijt: adſtantibus ſui ordinis cœnobitis, qui frequẽtes, & quandiù laborauit, certatim omnibus charitatis officijs lateri paterno hæſerant. His ritè ac ſedulò peractis, circunfuſi lecto fratres, matutinum officium decantârunt: iamque ad eum locum venerant, quem, perſoluto triplici nocturno, laudes appellamus, cùm vir ſanctus iam cum morte luctans, feruore quodam actus, quo potuit conatu in ea verba, quæ præcinũtur Laudibus, erupit: Deus, ait, in adiutorium meum intende. Id quod aſſidentes, qui luctui ac gemitibus vacabant, ad nouas ſubinde lachrymas excitauit. Cùm verò modicus iam calor teperet in corpore, atque ad ipſum iam ferè limen vitæ proceſſiſſet, nihilque poſſet niſi fortè truncatum quiddam eloqui, illud tamen moribundus defecta, vt poterat, vocula crebrò repetebat: Seruire Deo, regnare eſt: quaſi iam laborum præmium ob oculos videret. Tum illud quoque (quod mihi eſt initiò dictum) frequenter iterabat: Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: incertum, an ad Deiparam Virginem conuerſus, quę ſe luctantem cum morte viſitâſſet, an hilaratus, quòd inuiolatum ad illum vſque diem corpus virgo ab omni obſcœnitatis putredine ſeruâſſet.

Febri phlegmatica corripitur.

Pſal. 89.

Veriſſima ſancti viri in extremis ſententia.

Inter hæc fratres poſt matutinas Laudes cùm totum pſalterium percurriſſent, eoſdem pſalmos à capite reſumpſerant: iamque ad eum vigeſimi & quarti locum venerant, quo dicitur: Oculi mei ſemper ad Dominum. ipſe tunc, ſublatis in cælum oculis ac manibus, eadem verba repetens: Oculi mei, ait, ſemper ad Dominum, quoniam ipſe

euellet de laqueo pedes meos. Vix deinde percipi aliquid potuit: tantùm ex continuo labiorum motu, tum ex perceptis paucis, intellectum eſt in pſalmodia quadã ſic agentem animam verſari. Inprimìs verò poſtremum pſalmum, Laudate Dominum de cælis, crebrò videbatur iterare: quo in omni vitæ curſu, vt cœnobitæ aſſerebant, erat ſolitus oblectari. Si quid à pſallendo ceſsâſſet, complexus crucifixi effigiem, quam fratres obtulerant, tanto ardore oſculabatur, vt qui aderant, non poſſent à lachrymis temperare.

Obdormit feliciter in Domino.

Sexto itaque Nonas Maij, pridiè quàm tunc Aſcenſio Domini coleretur, annò à natali Chriſtiano Milleſimo quadringenteſimo & quinquageſimonono, ſub auroram fermè, amicus ille Deo ſpiritus, effracto corporis clauſtro, ad vitam perennem euolauit. Qua hora ad cælum emigrauit, Florentiæ in monaſterio Ciſtertienſi religioſus vir Turtius, ex eo monachorum genere, qui ſacris non initiantur, cùm eſſet in periſtylio, quod nunc clauſtrum vocamus, nubeculam vidit ſplendidam pyramidali forma, intraque il-

Viſiones quædam de eius gloria.

lam infantulum liquido in aëre pendere: quæ Antoniano ſuburbano, vbi ſanctus præſul obierat, adſtans, paulatim ad ſidera tollebatur. Intellexit vir Deo plenus, Antoninum humanis rebus exceſſiſſe: ac ſtatim Abbati Septimiano re ſoli ac ſilenter patefacta, vterque cùm iam diluxerat, cognouit in eodem ſuburbano ea ipſa hora præſulem obiîſſe. Aſculi Conſtantius Fabrianẽſis ex Prędicatorum ordine, vir magnæ ſanctitatis, eadem hora, dum orans in templo vigilaret, Antonini animam vidit multo gloriæ lumine veſtitam, cælum ſcandere: quo etiam temporis articulo, alterius cœnobitæ ad ignes purgatorios deſcendere: inſpectæ rei diem & horam annotauit: compertum eſt, eodem momento temporis vtrunque deceſſiſſe. Florentiæ duæ mulierculæ, tertium Diui Dominici ordinem profeſſæ, in eodem ſimul contubernio viuebant. Harum iunior vt e lectulo ſurgeret, quò poſſent parata domo ad eccleſiam procedere, à ſeniore excitatur. Cùm id parat, in latus, vt fit, recidens, à leui ſomno iterum occupatur: dormiens videre viſa eſt apertos cælos, ac Saluatorem ſublimi ſolio conſidere: hincinde angelorum ac diuorum hominum magna copia, in quîs Thomas Aquinas, inſtipatum: tum proximè ad Aquinatem ſellam inanem, adſtantibus tamen angelis, collocatam: Ad hæc miniſtros quoſdam, qui pararent viam, ac dicerent: Heus vos, aperite viam, accedite. Antoninus nanque antiſtes Florentinus, ima deſerens, nunc cælos aſcendit, in ſede hac inſtrata conſeſſurus. Dum hæc muliercula iunior ſpectat, atque ab importuna ſeniore rurſus excitatur, tota illa ſimulacri ſeries euanuit. Paulò pòſt cùm ad eccleſiam proceſſiſſent, qua hora iunior ea viderat, fato eſſe functum cognouêre. Res profectò rationi conſentanea, vt doctori & virgini Thomæ Aquinati, Antoninus quoque doctor & virgo iungeretur.

Quo tempore ſanctus præſul animam efflauit, Pius ſecundus Romanus Pontifex Florentiam appulerat, ad Mantuanum conuentum, quem de communi re aduerſus Turcas indixerat, profecturus. Is maximè Antoninum, vtì diximus, obſeruans, nihil non ſibi de viri integritate ac literis pollicitus, quantoperè viuentem coluiſſet, officijs in defunctum præſtitis declarauit.

Pius II. Ro. Pontifex ſancti viri funus curat magnificè.

Funus itaque diligenter ac magnificè pro viri ac ciuitatis dignitate voluit curari. Neque enim quicquam ea de re ſtatuerat Antoninus. Tántùm dum morbus ingraueſceret, ſi quid domi fuerat, diuidi pauperibus imperauerat: ſic vt quæ elato iam funere in epiſcopio reſederant, nummis quatuor aureis redemiſſes: atque ea quidem, ſi cochlear demas argenteum, quo ad potiunculas æger vtebatur, erant omnia viliſſima. Voluit itaque compiures epiſcopos & aliqua inſignes dignitate, dum deduceretur, funus ſequi. Ad hęc defuncti antiſtitis familiares, longas pullasq; indutos veſtes, intereſſe. Hos ponè magna eſt pars clariſſimorum ciuium, & qui plurimùm authoritate poterant, vt honeſtarent viri ſancti funus, inſecuta. Primùm itaque ad primarium templum ciuitatis cadauer extulêre: vbi in conſpectu Cardinalis ſancti Marci, mox Pauli ſecundi, qui extremo illo officio noluit amiciſſimo præſuli deeſſe, quæ de more ad funerales pompas adhiberi ſolent, perſolutis: inde veſperi ad diui Marci templum, vbi Prædicatores habitant, magna vi populi circunfuſa, deduxerunt. Ita enim teſtamento Antoninus cauerat, vtì non operoſo monumento, ſed humi proximè ſuos fratres conderetur. Iam verò hic vniuerſam vidiſſes cõmotam ciuitatem. Tota enim, veluti in publico luctu, iuſtitio indicto, ad ducendum ſancti funus properabat. Non ſenes, non paruuli, non mares, non fœminæ domi conſtiterunt. Ad vnũ omnes ad diuum Marcum currere: Ibi ſancti viri manus lambere, ac pedes certatim oſculari: Pars gemere, quidã lachrymari, nonnulli ex alto pectore ſuſpiria trahere, multi etiã querulis vocibus eiulari. Neq; verò ciuitas ac ſuburbana tãtùm, concurſu

frequen-

frequentiſſimo ad rei famam conuolârunt: ſed ipſi ſe non potuerunt montes ac remota loca coërcere. Paſſim itaque ruebatur ex vicinis vrbibus, oppidis, vicis, locis campeſtribus & montanis, turmatim confluebant, quó poſſent, antequàm ſepulcro inderetur, oſculari. Condonauit Pius, ad eius ſanctitatis teſtimonium, ſeptem annorum ac totidem quadragenarum pœnam ijs, qui ſanctum cadauer & manus oſculatum acceſſiſſent. Hinc factum eſt, vt alijs ſuper alios aceruatim ad cadauer oſculandum cõfluentibus, non niſi octauo ab interitu die conderetur: quo toto temporis ſpatio non modò graue aliquid ac fœtulentum non oluit, ſed ſuauem quandam fragrantiam ſpirans, populos recreabat. Ore aũt venuſtior & hilarior defunctus, quàm viuus fuerat, videbatur. Quin manus ac pedes adhuc mobiles & tractabiles, quaſi tunc recèns expiráſſet, rigor nullus contraxerat, ſicuti nullus quoque liuor reliquum corpus inquinauerat. Quæ vel ſola magnam poterant oſtendere ſanctitatem: quam tamen maioribus indicijs adhuc inconditum declarauit.

Pius II. quid de eo ſenſerit.

Nam quo die ſunt in diui Marci templo exequiæ celebratæ, fœmina inualido latere & quo non vtebatur, ſancti corpus attigit. Nondùm templi limine pedem extulerat, cùm redeuntibus viribus, vſum quoque lateris integrum rediſſe prædicauit. Matthæus quoque Ciachus, multos iam annos altero brachio impeditus, quod ne mouere quidem poterat, nedùm ſublime tollere, omni medicorum ſubſidio deſperato, ſanctum cadauer adijt. Poſtquàm oſcula manibus impreſſiſſet, timore poſito, earum alteram arenti brachio admouit: ilicò ſalute reddita, ad lanificium, in quod incumbere ſolebat, incolumis remeauit. Laurentiæ quoque, cuius manus & pedes excreſcens tumor deturpauerat, ſaluti fuit ſancti manuum cum ſuis confricatio.

Miracula poſt obitum eius.

Vt autem ardor ille currentium populorum paulùm refrixit, ſepulcro tandem intulerunt. Ne verò vltimam illius voluntatem infringerent, qui teſtamento cauerat, vti eodem conditorio, quo cœnobitæ, clauderetur: (id verò pro chori foribus excauato antro, humili ac depreſſo loco ſitum eſt) aliud choro aſſidens, temporarium ac paulò eminentius, ad læuam extruxerunt: ita factum eſt, vt voluntati eius obuiàm non iretur, & ſanctitatis aliqua ratio ac dignitatis haberetur. Occluſus tumulo, quot ſignis fulſerit, non eſt noſtri conſilij recenſere. Plura enim ſunt, quàm vt eorum nunc numerus iniri poſſit: præſertim cùm in rebus Antonini, quantula ſit iſta laudatio, viri prudentes non ignorent: qui cæteras iuſtitiæ, manſuetudinis, pietatis ac totius ſanctimoniæ virtutes, ac demum cæleſtem illam conuerſationem ſignorum prodigijs anteponunt. Quia tamen curioſis quoque eſt auribus conſulendum, appingam pauca de multis, quæ fuiſſe conſtantiſſima comperero. Nam ingentem illam vim, qua fulſiſſe ſcriptores prodiderunt, quicunque voluerit, ex illis petat. Non enim ſum neſcius, ſi quæcunque referuntur, extremo huic operi velim addere, huius lucubrationis pedes futuros toto corpore longiores. Tunc enim ſcribendorum ſignorum finis eſſet, cùm à patrandis ipſe demum abſtineret: qui quaſi hactenùs non ſplenduerit, nunc toto ſole prodigiorum terras videtur illuſtrare.

Fabrianum oppidum eſt in Piceno, quanquã nouum, non ignobile. Hîc fœminæ cuidam (ambiguũ cur) tota facies & caput intumuerat, vt penè orbes oculorũ, adempto fermè cernendi vſu, viderentur. Quaſi verò hoc morbi genere, quo diù laborauit, non ſatis vexaretur, acceſſit contractio totius corporis, vt eſſet officio membrorũ omnium deſtituta. Non ſtare, non iacere poterat: non vnde ſemel collocata fuerat, moueri. Sedebat tantùm, obtorto toto corpore, & in ſeipſum velut in ſpiram miſero quodam membrorum flexu redeunte. Tota erat in angoribus & ærumnis: non interdiù, non noctù quieſcebat. Habebat hęc germanum Andream, qui ex Prædicatorũ ordine apud beatum præſulem diù adusq; obitum perſtiterat. (is enim ſancto Antiſtiti mos erat, vt vnũ ſaltẽ è ſuo ordine apud ſe morari permiſſu præſidentiũ vellet.) Is paucis menſibus, poſtquàm exceſſerat, viſum matrem ac ſororculã hãc ęgrotantẽ, vtranq; mendiciſſimã, perrexit Fabrianum. Ne verò ſolo adſpectu miſeras, ſed aliquo munuſculo recrearet, Antonini tunica ea, quę non ad cutẽ, ſed in proſpectu geſtatur, ſuperpoſita cęteris veſtibus, donauit. Conuerſus deinde ad ſororẽ, dum blandis verbis ad patientiã hortatur, in Antoninum incidit: atq; vt humanis exceſſerat, vt plures ſaluti reſtituerat, vt quotidiè ſignis emicabat, longa oratione declarauit. Ad eum, quando hominũ auxilia deerant, ſe cõuerteret, illius præſidiũ imploraret: futurum, vt ſancti miſericordiã præſenti remedio experiretur. Miſera muliercula, quę ſe deſtitutam omni humana ope videbat, quid non faceret? incenſa fratris adhortatione, Deum, ſe ſancti meritis iuuaret, maximè precabatur.

Fabrianum oppidum.

cabatur. Cùm aduesperaſceret, fide iam incaleſcens, acceptam ex matre tunicam, materno adminiculo ad carnem induit, ac inſequente nocte tota etiam geſtauit. Vbi diluxit, detumuerat facies, membris ac neruis vigor redierat. Quid plura? Eo ipſo die, ne putes paulatim valetudinem rediſſe, quæ anteà non ſtare, non iacere poterat, ad flumen ad lauanda lintea, integra valetudine atque in totum libera, cucurrit.

Præclarum miraculum ex tunica ſancti viri.

Iam quando à fœmina exorſi ſumus, in eo ſexu adhuc aliquantulùm perſiſtamus. Florentiæ in monaſterio diuæ Luciæ, vbi ſub ſignis diui Dominici nobilis virginum cœtus militat, virgo Charitas (ita enim adhuc viuens appellatur) Guidonis Tholoſini filia, toto erat corpore attonita & contracta: quin ſpina dorſi adeò curuata, vt in arcus morem os ipſum genibus iungeretur. Ad hęc ſtare nullo modo poterat: ac denique monſtrum, aut monſtro ſimilem appellâſſes. In ea, ita toto ſexennio laborante, omnes ſuas medici fruſtrà artes & remedia tentârant: poſtremò abiecto curationis tædio, ſalutem penitùs deſperauerant. Charitas verò, quæ quanquàm tabefacta erat corpore, ſalutis deſiderio ardebat, ad Antonini charitatem conuolauit. Cùm itaque ſub noctem die quodam delaſſata intra cubiculum ſederet, atque ad prçſulis imagunculam, propè affixam, ſolito vehementiùs oraret, ardore quodam ſenſit interiùs & cor & corpus totum commoueri: mox viſa ſibi eſt ſanctum antiſtitem, non ſubiectum tamen oculis, intueri: qui admota vna manu pectori, & tergo altera, blandè contrectans, ita, vti diximus, inflexam & obtortam emendaret. Nec vanum fuit, quod inſpexerat. Nam ſe ilicò reſtitutam intellexit: ac penitùs correcta, nunquàm in poſterum in id genus morbi recidit.

Contracta per viſum ſanatur.

Relicta Florentia, quanquàm Senenſem vrbem adeamus, intra eundem tamen ſexum atque eundem ordinem conſiſtemus. Iohanna Petri Libri filia, abuſque incunabulis morbo comitiali vexabatur. Cùm deinde in monaſterio Paradiſi ad campum regium virgo inter virgines habitaret, bis ferè ſingulis menſibus eiuſdem morbi furijs immaniter agebatur: ſic, vt inſaniens ac benè ſtulta, cogeretur per dies aliquot, quouſque reſipiſceret, compedibus & vinculis coërceri. Cùm reſipuiſſet, & de referendo inter ſanctos Antonino (quæ res tunc agebatur) cognouiſſet: audito etiam, quòd ſignis coruſcaret, confeſſoris hortatu, eius præſidium, pollicita ceream ſtatuam, implorauit. Breuibus rem claudo. Vidit virgo præſulem in Prædicatorum habitu, angelis compluribus ſtipatum, qui ſe non conflictandam in poſterum eo morbo pollicebatur: tum vt Florentiam iret, atque ad ſepulcrum ſtatuam erigeret, admonebat. Saluti reddita, ac mox, cùm licuit, Florentiam profecta, ſtatuam ac tabellam pro ſepulcro, reportatæ valetudinis indicium, appendit.

Itē alia, comitiali morbo laborās.

Placet, vt antequàm Florentiam remigremus, Piſas etiam accedamus. Vbi pręfectus erat arcis veteris, Matthias Fedinus Florentinus. Huic erat filius Raphaël, adhuc puer, qui cùm ad cacumen arcis aſcendiſſet, pede lapſus, ad ſolum ſpatio cubitorum quinquaginta cecidit, & quod magis miſerandum fuit, impegit in aceruum lapidum, ſeu veriùs globorum, qui tormentis æneis ſeu bombardis (tantum potuit furor hominum in homines) emittūtur. Ilicò mater, ilicò ad famam complures aduolârunt: omnes puerum, in quo vitales ſpiritus introrſum receſſerant, aut mortuum, aut moribundo proximum putârunt. Meliorus Creſcius, qui & ipſe, neſcio quam, in ea arce perſonam publicam gerebat, illuc capitio accepto (id birretum Hetruſca lingua dicimus) quod diui Antonini fuerat, accurrit: quod vbi capiti pueri exanguis indiderunt, ſtatim reuiuiſcere, & collecto ſpiritu viſus eſt meliùs habere, integram ſalutem diebus pòſt paucis adeptus. Eodem capitio dyſurian, febres, dolorem capitis, manian, ne longum faciam, curata omnia: tum puerperium facilius fuiſſe, conſtat. Florentiæ Iacobus Hieronymi, quatuordecim annis morbo elephantino correptus, fruſtrà admotis medicorum præſidijs, conualuit poſt octauum ab emiſſo voto diem. Ibidèm Simoni Perozio non paucis annis inteſtina non abſque dolore defluebant. hoc olim familiariter vtebatur Antoninus, qui & ipſe eo morbi genere fuerat affectus. Humana itaque videns adminicula deeſſe, ſpei plenus, ſepulcrum adijt: poſteaquàm flexo poplite, quanto ardore potuit, orâſſet, (mirum) adhuc ſepulcro incubanti inteſtina ſteterunt, quaſi iam certo loco conſuta eſſent ac prorſus deligata. In eadem ciuitate Paulus Operanus ad cætera in hanc lucem prodeuntium incommoda illud etiam adiecit, quòd ſurdus & mutus à matris aluo, nihil omninò eſt vſque in ſeptennium locutus. Cùm ſuos omnes conatus medici ad aperiendum os & aures adhibuiſſent, Laurentius pater ad Antoninum, quem dum viueret, intima amicitia coluerat, nuncupatis votis, filij calamitatem miſerans, confugit. Breuì dicam: ſtatim reſeratæ ſunt aures, & ſoluta lingua. Leonardus

Miraculum ingēs ex ſancti viri capitio.

Item alia.

Curatur hernioſus.

Item ſurdus & mutus.

dus Reatinus gemina eſt liberalitate præſulis donatus, & quòd ipſe in Porrectanis balneis ignea & periculoſa febre leuatus eſſet, & quòd filiolum, è ſublimi loco ad ſolum lapſum, cuius iam medici vitam deſperârant, eius patrocinio incolumem recepiſſet. Aloyſius Florentinus, & ipſe olim præſulis domeſticus, patrem habuit, qui mente lapſus, noctù ſolus vrbem non abſque graui periculo circuibat. Integro biennio, quid in eo curando medici poſſent, voluit experiri. Poſtremò cùm omnia in irritum cedere vidiſſet, emiſſo voto, ad Antoninum iam defunctum fugiẽs, recepit patrem, qui tam ſaperet, quàm qui nunquàm in mentis inopiam incidiſſet. Ioãnes Marigriollus ex ordine Prædicatorum, in diui Marci cœnobio ſarciendis veſtibus præfectus, integrum diem dexteriore oculo laborans, vt quaſi ſubularum cuſpide vellicari ſe putaret, nocte inſequente occluſo oculo (non enim tum dolor ſinebat aperiri) ad matutinas vigilias profectus, ac pro ſepulcro pręſulis in orationem toto ardore animi collectus: Pater, ait, ne (quæſo) obliuiſcere te nunquàm denegâſſe mihi aliquid, cùm viueres, ſeu quid ad matrem meam inopem & ſenio confectam ſubleuandam, ſeu ad meos vſus popoſciſſem. Et nunc obſecro, affecto oculo tuæ clementiæ collyrium adhibe, tantum de tua mihi miſericordia polliceor, vt nunquàm niſi voti compos ſim ab hoc tuo ſepulcro receſſurus. Mox cùm ſe dicturum quotidiè quaſdam eius nomini preculas, voto alligâſſet, ac penè loqui deſiiſſet, omnis, aperto ſtatim oculo, morbus & dolor aufugit. Nicolaus Biliotus, diu formandis nouitijs in D. Marci cœnobio præfectus, quod eſt numero fratrum & vitæ ſanctimonia conſpicuum, è ſublimi ſcala, dum in D. Marci natalitio feſta fronde templum ornat, ad ſolum deturbatur. Territus, quòd ſe videbat in vitæ periculo verſari, adhuc ſui compos, Antonini ſe muniri præſidio rogauit. Accurrunt fratres, & exanimem putantes, volebant ad valetudinarium portare: cùm ſubitò reſumpto ſpiritu, petijt vti ſe ſancto præſuli ad ſepulcrum præſentarent. Ibidèm cùm orâſſet, tam celerem, quàm integram ſalutem reportauit. Marcus Pechius fortè cùm iam annis auctus equitaret, in foueam deuolutus, equi etiam ſuperſtantis pondere premebatur. Antonini præſidio, quem, dum ille in præceps rotaretur, inuocârat, vtroque periculo eſt exemptus.

Item amẽt.

Itẽ ex oculo laborãs.

Item penè exanimis.

Neque verò, quanquàm ad ſuſcepti operis finem properemus, ſilentio inuoluendum eſt, & nubiles fœminas & nuptas, paterna pietate ſanctum præſulem ſubleuâſſe. Feus Belcarus, boni vir nominis, & Hetruſca lingua poëta non vulgaris, cuius hodieque nonnulla monumenta extant, reſperſa pietate Chriſtiana, ex vxore filias complures tulerat: quas, quanquàm rerum inops, ſuis maritis ſingulas honeſtè collocauit. Defuncto Antonino, vna adhuc domi, matura iam viro, ſuperabat: quam miſer, quòd fortunis deſtitutus eſſet, viro non poterat perindè, ac alias, copulare. Seceſſerat fortè ad monaſterium ſuburbanum, cognomento Campora: (Religioſas enim ædes religioſus frequentabat) Cùm abſoluto prandio de rebus ſalutaribus cum monachis ſuaui colloquio tractâſſet, intra cubiculum, vti aliquantulùm conquieſceret, eſt deductus. Hîc cùm obdormiſceret, videbatur ſibi eſſe in eccleſia diui Marci, atque Antoninum quaſi tunc viueret, intueri. Tum verò maximè inſtare, ne filiæ cauſam poſthaberet: poſtremò, an ſe voti compotem faceret, rogâſſe: Antoninum verò inclinato capite, ſe facturum annuiſſe. Reuerſus intra vrbem, & iam agens hilariùs, paucis pòſt diebus filiam deſpondit viro nobili: qui eas vltrò nuptias petens, in exigua dote quieſcebat. De nubili diximus: nunc ad nuptam veniamus. Conſtantia, Lucæ Panzani filia tribus maritis fuit, alio ſuper alium obeunte, coniugata: cum omnibus viginti & duorum annorum ſpatium peregit, è quibus totos decem & octo infœcunda & ſterileſcens, nihil liberorum tulit, quanquàm præcepta medicorum omnia & balnea tentârat. Peracto demùm apud tertium maritum quadriennio, Antonini nomen ijs legibus inuocauit, iniecturam ſe ſcilicet proli toto ſeptennio Prædicatorum habitum: tum ſepulcro ſtatuam ceream erecturam, ſi demùm, ſterilitate poſita, marem peperiſſet. Quis (quæſo) credat, nuncupatis ilicò votis Antoninum affuiſſe? Nam nouem ab emiſſo voto exactis menſibus ſtatim filium peperit, & cùm tota vicinia partum ſuppoſititium putaret, quos ſubindè peperit, eius fœcunditatem declarârunt. Quatuor enim liberos, duos ſcilicet mares, ac totidem fœminas, nono quoque menſe vnum, intra triennium procreauit. Eiuſdem nominis & ſexûs aliud vno ferè verbo perſtringemus. Conſtantia Thomæ Benicaſæ cùm fœminas octo peperiſſet, audito, quòd tantis Antoninus ſignis emicaret, ad ſepulcrum orans, ex eo marem triduo, poſtquàm orauerat, conceptum, mox ſuo tempore editum, impetrauit.

Viſio cuiuſdam.

Sterilis fœmina impetrat fœcunditatem.

Varij depulſi morbi

Iam quis minuta illa & quotidiana, depulſas dico febres, dolores capitis ſedatos, oculorum aciem & vſum reſtitutum, doloris dentium rabiem placatam, phthiſim radicitùs conuulſam, eruptiones ex tuſſi ſanguinis compreſſas, plures à naufragio ſeruatos: ad hæc fœtum mortuum, qui edi non poterat, eductum: tum tres inſanas fœminas (rem profectò paucis tentatam) ſibijpſis redditas, energumenum, cilicio impoſito, occupantis dæmonis tyrannide liberatum: præterea dyſurian, apoplexin, paralyſin curatam, puerperium appoſitu pilorum barbæ leuius effectum: tum libidinis incendia reſtincta, ac deſperatas mentes ad animi tranquillitatem reuocatas: Poſtremò tot quotidiè petentium, qui ſibi ſatisfactum eſſe prædicant, hilaritates: hæc, inquam, & id genus infinita quis narrabit? Si quis hæc vberiùs nôſſe voluerit, ex eis commentarijs petat, quos, dum de aggregando eo Sanctis tractabatur, conſcripſerunt: aut certè ad diui Marci templum Florentiam contendat: vbi quot tabellas ac ſtatuas (quarum numerus eſt multò maximus) inueniet, tot ſe putet ſignis præſulis virtute factis intereſſe. Quòd ſi quis ea animi malignitate fuerit, vt non modò his fidem non adhibeat, ſed voluerit etiam ſancti virtutibus obtrectare: caueat ne duriore aliquo ſupplicij baculo quatiatur, ſicutì contigiſſe cuidam noſtra tempeſtate non ignoro. Nam quo tempore Carolus octauus Gallorum rex tanta felicitate Italiam ad repetendum Neapolitanum peragrauit, totis copijs Florentiam aduenit: (ea enim iam ab Ferdinando Aragone deſciuerat ad Gallum) ruſtica plebs, ne quid in tanto belli ſtrepitu detrimenti pateretur, intra vrbem omnia conuexerat. In ſuburbano Antonigno lecticæ pars, in qua Antoninus & dormierat viuens, & etiam deceſſerat, maximo cultu ad memoriam ſancti Antiſtitis ſeruabatur: quam & ipſam, ob aduentãtem Gallum, cum alijs aliò deportârant. Ac neſcio quî factum ſit, vt in cauponam, quæ eſt ad portam diui Galli, tranſmigraret. Super hanc Laurẽtius caupo crudam carnem quaſi lanius, nulla ſancti ratione habita, in fruſta concidebat. Quod intuitus Marcus Radda, ex eo voluit penſa pecunia redimere, quô reuerentiùs haberetur. Nolentem grauiter contempti præſulis increpuit. Laurentius verò commota bile in furorem actus, infandum morbum canceris non modò eſt in Marcum, ſed in Antiſtitem, pluſquàm bellua factus, contemptim imprecatus: Ecquibus, ait, ſignis tuus iſte Antoninus vnquàm enituit, vt ſit ſanctus? Tum Marcus: Etſi ſigna, inquit, quibus effulſerit, me lateant, publico tamen conſenſu & fama omnium, vir magnus vitæ ſanctimonia celebratur. Vbì hæc dixit, Marcus abijt. Triduo pòſt eo carcinomate, quod ſibi & ſancto fuerat imprecatus, affectum eſſe in ore miſerum, accepit: quo breui etiam afflictus, expirauit.

Pars lecticę eius religioſè aſſeruata

Vltio diuina in blaſphemum.

Recentius adhuc illud, quod, cùm de conſecrando agebatur, Romæ contigiſſe, eſt ad me perlatum. Epiſcopus (& cuius ordinis, & quod nomen illi eſſet, ne cui forſan moleſtias ingeram, non prodo) opera vnius cardinalium, quos trutinandæ Antonini vitæ Leo decimus præfecerat, cuius in contubernio etiam viuebat, tam pio operi liuore, vt puto, ductus ſubdolis rationum nodis repugnabat. Erat enim vir doctrina ſingulari, qui & commentarios in theologiam iam ediderat, & tunc etiam in dialecticen ſcribebat. Miſer oblitus illud Dauidicum, non eſſe tangendos Chriſtos Dei, cùm extremam iam manum vellet dialecticis imponere, feſſus, vt fit, cubitum proceſſit. Ea ipſa nocte, paulùm abfuit, quin repentino, ſed tamen accelerato interitu ſublatus: antequàm tamen extremum ſpiritum efflâſſet, mandauit Cardinali, ne ſuo vellet ſuaſu & conſilio rem interturbare: debitis Antoninum honoribus ne fraudaret: errati ſe nunc, quòd reluctatus eſſet, & ipſum quoq; ad id ſua garrulitate flexiſſet, pœnas dare. Et ille quidem extremum diem clauſit: Cardinalis verò eius obitu terrefactus, quanto anteà ſtudio conſecrationem eius impugnârat, tanto mox ardore impendendis illi honoribus inſudauit. Aiebat enim, etſi nulla conſtarent alia indicia ſanctitatis, vel vno hoc ſibi eſſe magnitudinem eius exploratam.

Pſal. 104.

Itẽ in Epiſcopũ, ſancti viri obtrectatorẽ.

Sed narrandis iam tandem ſignis finem imponamus: quæ qui voluerit, poteſt & debet admirari. Ego illa potiùs admiror, quorum ſibi partem fides mortalium non decerpit, quæ frequenter cum ſanctorũ munificentia in reportanda ſalute & aſſequendis votis vel ex æquo, vel parte ſaltem aliqua concurrit. Scio enim humilitatem, innocentiam, charitatem ac cæteras virtutes Antonini, eſſe Antonini proprias: quas quidem, quanquàm longê maximas, & omni cultu & admiratione dignas, illud mea quidem ſententia videtur longo ſpatio ſuperare, quòd gloriam potuit humanam atque humanos potuit honores conculcare. Quotuſquiſque enim eſt, qui vltrò oblatam dignitatem, inter noſtri temporis ambitus & inexplebilem honoris ſitim, recuſârit? Neq; tam

tant imperitus rerum ſum, vt factum eſſe hoc ab alijs antiquis patribus denegârim: ſed mores noſtrorum temporum intueor, quæ tantoperè ab illo naſcentis Eccleſiæ pudore deciderunt. Eſto, demus Antoninum longè infra illos priſtini temporis patres numerari: ſed natum eſſe hoc tempore, atque hoc tempore eiuſmodi probitatis & contemptæ gloriæ radijs enitere, videtur priſcam illam ſanctimoniæ maieſtatem, omnium benè ſentientum ſuffragijs, æquare. Sed quanta eſt, quæſo, vis de induſtria depreſſæ ſanctitatis? Eccè Antoninus, quanquàm in cælis gloriæ lumine veſtitus radiaret, in terris etiam debito honoris titulo non priuatur. Quod enim ille nunquàm cogitauit, tua diligentia Clemens ſeptime, qui ei longo pòſt tempore in Florentina eccleſia ſucceſſiſti, in diuorum numerum eſt relatus. Id quod cùm patruelis tuus Leo decimus propemodùm, paratis iam omnibus, quæ eiuſmodi conſecrationis ritus exigit, effeciſſet: eo mox altiore quodam conſilio ad Deum euocato, fortè ne datum aliquid patriæ quis putaret: Adrianus ſextus eius nominis, exter, pridiè Calendas Iunias, quo die tunc ſanctæ Trinitatis celebritas colebatur, Anno Pontificatûs ſecundo, & ab exceſſu Antonini ſexageſimo & quarto, conſummauit.

Antoninus ſanctorum catalogo adſcriptus.

DE INVENTIONE S. CRVCIS, EX ORATIONE S. AMBROSII EPISCOPI DE OBITV *Theodoſij Imperatoris.*

3. Maij.

S. Helenæ encomium.

BEATVS (eſt) Conſtantinus tali matre (Helena,) quæ imperanti filio diuini muneris quæſiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus aſſiſteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multo ampliùs inuenit, quod Imperatori conferret, quàm quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani ceſſerat, feſtinauit Hieroſolymam, & ſcrutata eſt locum Dominicæ paſſionis. Stabulariam hanc primò fuiſſe aſſerunt, ſic cognitam Conſtantio ſeniori, qui poſteà regnum adeptus eſt. Bona ſtabularia, quæ tam diligenter præſepe Domini quæſiuiſſet. Bona ſtabularia, quæ ſtabularium non ignorauit illum, qui vulnera curauit à latronibus vulnerati. Bona ſtabularia, quæ mâluit exiſtimari ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret. Ideò illam Chriſtus de ſtercore leuauit ad regnum, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Quia ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem. Venit ergo Helena, cœpit reuiſere loca ſancta: infudit ei ſpiritus, vt lignum Crucis requireret: acceſſit ad Golgotham, & ait: Eccè locus pugnæ, vbi eſt victoria? Quæro vel vexillum ſalutis, & nō inuenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? Ille adhuc latet & palma vitæ æternæ? Quomodò me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Video quid egeris diabole, vt gladius, quo peremptus es, obſtrueretur. Sed Iſaac obſtructos ab alienigenis puteos erùderauit, nec latere aquam paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput eſt amputatum. Aperiatur humus, vt ſalus fulgeat. Quid egiſti diabole, vt abſconderes lignum, niſi vt iterùm vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ ſine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus ſubiugaret. Vincéris & hodiè, vt mulier tuas inſidias deprehendat. Illa quaſi ſancta Dominum geſtauit: ego Crucem eius inueſtigabo. Illa generatum docuit, ego reſuſcitatum. Illa fecit, vt Deus inter homines videretur: ego ad remedium peccatorum, diuinum de ruinis eleuabo vexillum.

Luc. 10.

Pſal. 112.

Gen. 26.

1. Reg. 17.

Aperit itaq; humum, decutit puluerem, tria patibula cōfuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat. Sed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incerta hæret vt mulier, ſed certā indaginem ſanctus ſpiritus inſpirat, eô quòd duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignū. Sed poterat fieri, vt patibula inter ſe ruina confunderet, caſus mutaret, & inuerteret. Redit ad Euāgelij lectionem: inuenit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat, Ieſus Nazarenus rex Iudæorū. Hinc collecta eſt ſeries veritatis: titulo crux patuit Saluatoris. Hoc eſt, quod petentibus Iudæis Pilatus reſpōdit: Quod ſcripſi, ſcripſi: id eſt, Non ea ſcripſi, quæ vobis placerent, ſed quæ ætas futura cognoſceret. Non vobis ſcripſi, ſed poſteritati: propemodùm dicens: Habeat Helena, quæ legat, vnde Crucem Domini recognoſcat. Inuenit ergo titulum, regem

Inuenit S. Helena Crucem Chriſti

Iohan. 19.

regem adorauit, non lignum vtique: quia hic gentilis eſt error & vanitas impiorum, ſed adorauit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo: Illum, inquam, qui ſicut ſcarabeus clamauit, vt perſecutoribus ſuis peccata donaret. Auida mulier feſtinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare ſacramentum ſalutis. Læto corde & trepidanti veſtigio quid faceret, neſciebat. Pertendit tamen ad cubile: veritatis lignum refulſit, & gratia micuit. Et quia iam fœminam viſitauerat Chriſtus in Maria, vt ſpiritus in Helena viſitaret: docuit eam, quod mulier ignorabat: & deduxit in viam, quam mortalis ſcire non poterat. Quæſiuit clauos, quibus crucifixus eſt Dominus, & inuenit. De vno clauo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: vnum ad decorem, alterum ad deuotionem. Viſitata eſt Maria, vt Euam liberaret: viſitata eſt Helena, vt Imperatores redimeret. Miſit itaque filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum, quas precioſior, ferro innexas crucis, redemptionis diuinæ gemma connecteret. Miſit & frænum. Vtroque vſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros reges.

Inuenit etiam clauos.

Vide Conſtātini pietatem.

Aliudis ad caput 14. Zachariæ.

Principium itaque credentium Imperatorum, ſanctum eſt, quod ſuper frænum: ex illo fides, vt perſecutio ceſſaret, deuotio ſuccederet. Sapiens Helena, quæ Crucem in capite regum leuauit, vt Crux Chriſti in regibus adoretur. Non inſolentia iſta, ſed pietas eſt, cùm defertur ſacræ redemptioni. Bonus itaque clauus Romani Imperij, qui totum regit orbem, ac veſtit principum frontem: vt ſint prædicatores, qui perſecutores eſſe conſuêrunt. Rectè in capite clauus, vt vbi ſenſus eſt, ibi præſidium. In vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, vt fides luceat: habena quoque de cruce, vt poteſtas regat: ſitq; iuſta moderatio, nõ iniuſta precatio. Habeant hoc etiam principes Chriſti ſibi liberalitate conceſſum, vt ad imitationem Domini dicatur de Imperatore Romano: Poſuiſti in capite eius coronã de lapide precioſo. Ex illo gratulatur Eccleſia, erubeſcit Iudæus: nec ſolùm erubeſcit, ſed etiam torquetur, quòd ipſe ſibi author confuſionis eſt. Dum inſultat Chriſto, confeſſus eſt eum regem: dum regem Iudæorum appellauit, ſacrilegium ſuum, qui non credidit, confitetur. Eccè, inquiunt, crucifiximus Ieſum, vt Chriſtani & poſt mortem reſurgant, & mortui regnent. Nos crucifiximus, quem reges adorant. Quem non adoramus, ipſi adorant. Eccè & clauus in honore eſt: & quem ad mortem impreſſimus, remedium ſalutis eſt, atque inuiſibili quadam poteſtate dæmones torquet. Putabamus nos viciſſe, ſed nos victos fatemur. Iterùm Chriſtus reſurrexit, & reſurrexiſſe eum principes agnouerunt. Iterùm viuit, qui non videtur. Nunc maior nobis contentio, nunc pugna nobis vehementior aduersùs eum. Cui regna famulantnr, cui ſeruit poteſtas, illum contempſimus: quomodò regibus reſiſtemus? Ferro pedum eius reges inclinantur. Reges adorant, & Photiniani diuinitatem eius negant? Clauum Crucis eius diademati ſuo præferunt Imperatores, & Arriani poteſtatem eius imminuunt? Sed quæro, quare ſanctum ſuper frænum, niſi vt Imperatorum inſolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quaſi equi in libidines adhinnirent, quòd liceret illis adulteria impunè commitere? Quæ Neronum, quæ Caligularum, cæterorumque probra comperimus, quibus non fuit ſanctum ſuper frænum? Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt fræna dirigeret, niſi vt omnibus Imperatoribus ſancto dicere ſpiritu videretur, Nolite fieri ſicut equus & mulus: ſed in fręno & camo maxillas eorum conſtringeret, qui ſe non agnoſcerent reges, vt regerẽt ſibi ſubditos? Prona enim poteſtas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga ſeſe libidine polluebat. Ignorabant Deum: reſtrinxit eos Crux Domini, & reuocauit à lapſu impietatis. Leuauit oculos eorum, vt Chriſtum in cęlo quærerent. Exuerunt ſe camo perfidiæ, ſuſceperunt fræna deuotionis & fidei, ſecuti dicentem: Tollite iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt.

Pſal. 20.

Clauus in honore eſt, & remediũ ſalutis eſt, &c.

Pſal. 31.

Matth. 11.

ITEM

ITEM DE EADEM S. CRVCIS INVENTIONE, EX LIB. II. CAP. I. ECCLESIASTICAE HISTORIAE

Sozomeni: cui planè conſentanea ſcribunt Socrates lib. 1. *cap.* 13. *Theodoritus lib.* 1. *cap.* 18. *& Ruffinus lib.* 10. *cap.* 7. *&* 8. *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Deſcripſimus autem hæc ex verſione doctiſſimi viri Iohannis Chriſtophorſoni.*

CVM iam Cõcilium Nicenum veniſſet ad exitũ, & ſacerdotes omnes domum reuertiſſent, Imperator ſupra modũ ideò lætatus eſt, quòd Eccleſiam vniuerſam de doctrina fidei conſentientem videret. Atq; vbi pro epiſcoporũ cõcordia, pro ſe, pro liberis, pro Imperio deniq; Deo gratias egiſſet, templũ Hieroſolymis circiter locum, qui dicitur Caluariæ, ad honorem Dei illuſtrandum ędificare inſtituit. Per idem ferè tempus Helena Imperatoris mater venit Hieroſolymã, cùm precandi cauſa, tum ſancta illa loca viſendi. Quæ quoniam pio animo erga religionẽ Chriſtianam erat affecta, viſa eſt ſibi operæprecium factura, ſi lignũ Crucis venerãdæ inuenire poſſet. Verùm neq; illa, neq; diuinũ Domini ſepulcrum, tam facile repertu erat. Nam veteres Gentiles, qui Eccleſiam perſecuti fuerant, quoniam Chriſtianam religionem, recèns iam ortam, concidere comprimereque omnibus opibus viribusque laborabant, idcircò eum locum, ingenti aggere ſuprà iniecto obruerunt, inq; maiorem altitudinem, vtì etiamnùm apparet, erexerunt. Quinetiam vniuerſo loco tum ſepulcri, vnde Chriſtus reſurrexit, tum Caluariæ muro vndique circundato, eum pro ſuo abitratu exornare cœperunt. Nam primùm ſternunt lapidibus, deinde fanum Veneris ſuprà extruunt: poſtremò ſimulacrum in eo ſtatuunt, ad eum ſanè finem, vt & qui Chriſtum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere, & temporis diuturnitate vera cauſa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem: quippe cùm Chriſtiani neque eò tutò ipſi accedere poſſent, neq; alijs indicare auderent: ſed contrà, omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud eſſe nihil, præter fanum Gentium & Veneris ſtatuam.

S. Helena inuiſit Hieroſolymam religionis ergo.

Templum Veneris in loco Caluariæ.

At verò tandem locus erutus eſt, & error, in quo ſtabiliendo tantoperè laboratum fuerat, manifeſtò depræhenſus, indicio, vtì quidam memorant, Hebræi cuiuſdam verſùs Orientem habitantis, qui à viro quodam ſcripto admonitus, locum commonſtrauit: ſed quæ verior eſt opinio, monſtratione Dei Opt. Max. qui ſignis quibuſdam & ſomnijs homines ad loci memoriam excitauit. Nam res diuinæ, mea quidẽ ſententia, humano indicio non egent, cùm Deo viſum ſit eas patefacere. Itaque vt primùm locus ille Imperatoris mandato fuit perpurgatus, in profundo quadam in parte illius antrum, vnde Chriſtus reſurrexit, emerſit: in altera autem parte eiuſdem loci tres inuentæ ſunt cruces, & aliud ligniculum ſeparatim, quod tabulę geſſit ſimilitudinem, verbis & literis non Hebraicis ſolùm, verùm etiam Græcis & Latinis inſcriptum: quæ verba ac literæ non aliud complectebantur, quàm Ieſum Nazarenum regem Iudæorum. Hæc ipſa verba, ſicut in ſacro Euangeliorum libro commemoratum eſt, mandato Pilati Præſidis Iudææ, ſupra caput Chriſti ſcripta fuerunt. Cæterùm adhuc erat perdifficile, Crucem Domini à reliquis duabus internoſcere diſcernereque, præſertim cùm non illius modò inſcriptio ab ea diuulſa diſtractaque eſſet, verùm etiam ipſæ tres cruces promiſcuè proiectę, ordine earum, vt eſt veriſimile, eo tempore, quo corpora illis ſuffixa ablata erant, penitùs confuſo & perturbato. Nam cùm milites Ieſum in cruce mortuum reperiſſent, eum inde ſublatum, primùm vtì literis ſacris proditum eſt, ſepeliendum tradiderunt. Deinde quô latronibus vtrinque ſuſpenſis mortem maturarent, eorum crura confregerunt. Poſtremò cruces nullo ordine, aliam alio in loco, proiecerunt. Nam quid curæ putes illis fuiſſe de crucibus ordine, quo priùs erant, reponendis, præſertim cùm ſinguli feſtinarent domum antè redire, quàm aduespraſceret, & non ducerent operæprecium, in crucibus hominum per vim interfectorum, ordine collocandis aliquid temporis conſumere? Quare cùm diuinum Crucis Dominicæ lignum hac de cauſa adhuc etiam ignotum eſſet, & diuiniore quodã, quàm quod ſit in humana ſitum poteſtate, egeret indicio, eiuſmodi quiddam accidiſſe conſtat:

Tres cruces inuentæ.

Iohan. 19.

Matth. 27. Iohan. 19.

Nobilis quædam mulier Hieroſolymis in morbum grauiſſimum, eumque planè inſanabilem fortè inciderat: ad quam in lecto decumbentem Macarius Epiſcopus Hieroſolymorum, ſibi Imperatoris matre & alijs, quos ipſe circùm ſe habebat, aſſumptis

venit: atque vt primùm precatus eſt, dederatque inſpectantibus iſtud ſignum, nimirùm eam eſſe Domini Crucẽ, quæ mulieri adhibita, morbo illam liberaret: ſingulas cruces allatas mulieri admouit. Verùm duabus illarum appoſitis, factum quidem ineptum & planè ridiculum viſum eſt: quippe mors nihilo minùs mulierem erat iamiam occupatura. Sed ſimul vt tertia itidèm fuit ei adhibita, derepentè aperuit oculos, & collectis viribus, extemplò è cubili ſana exilijt. Fertur item, mortuum Crucis virtute ſimili ratione ad vitam reuocatum. Huius autem Crucis ſalutaris, iamtum inuentæ, maxima pars adhuc etiam Hieroſolymis in capſa argentea cuſtoditur: reliqua verò ab Imperatrice ad filium Conſtantinum deportata eſt. Quòd ad clauos attinet, quibus corpus Chriſti confixum erat, memorant Imperatorem ex illis ſibi confeciſſe galeam & frænum equi, vt ſcriptum eſt à Zacharia propheta, & à quo prædictum, quòd in tempore iſto illud, quod ſit in frænum equi, (his enim ferè verbis vtitur propheta) ſanctum eſſet Domino omnipotenti. Iſta quidem vt olim præcognita à ſanctis Prophetis præuiſaque fuêre, ſic poſteà factis planè admirabilibus tum confirmata, cùm Deo tempus viſum eſt eiuſmodi rebus opportunum. Neque certè tantoperè mirandum, præſertim cùm ipſi Gentiles ingenuè fateantur hoc eſſe Sibyllæ carmen:

Crux Domini ſanat fœminam moribundam, itemque mortuum.

Zach. 14.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit.

Carmen Sibyllę de Cruce Chriſti.

Iſtud enim ita eſſe, nemo, etiam ſi acri ſtudio contrà pugnare voluerit, pernegabit. Quare & lignum crucis, & eius veneratio à Sibylla præſignificata eſt. Sunt hæc quidem à nobis, ſicuti accepimus, commemorata: quandoquidem ea ex viris, qui illa accuratè nôrint, & ad quos eorum cognitio à patribus ad liberos ſucceſſione quadam deriuata, peruenerit, & qui eadem ipſa pro facultate literis prodere poſteriſque relinquere ſtuduerint, audiuimus.

DIVI EPHRÆM SERMO DE SANCTA ET VIVIFICA CRVCE.

NOS Chriſtiani à Gentilibus ac Iudæis declinemus, poſteſque noſtros precioſa ac viuifica Cruce coronemus, dicentes cum Apoſtolo Paulo: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pingamus in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus, viuificum ſignum. Armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armatura. Ea enim victrix eſt mortis, fidelium ſpes, lux orbis terræ, paradiſi reſeratrix, profligatrix hæreſeum, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna ſalutariſque cuſtodia, & gloria perpetua Orthodoxorum in æternum. Hanc, ô Chriſtiane, armaturam diebus ſingulis & noctibus, horis atque momentis, in omni loco circunferre non deſinas, nihilque ſine ipſa perficias: ſed ſiue dormias, ſiue iter agas, ſiue euigiles, ſiue operi inſiſtas, ſiue manduces, ſiue bibas, ſiue maria nauiges, ſiue tranſmittas flumina, hac te lorica circuntege, membraque tua omnia ſalutari ſigno exorna, atque circunſepi, & non accedent ad te mala. Hoc enim ſigno conſpecto, aduerſariæ poteſtates conterritæ trementeſque recedunt. Crux ipſa Chriſti veraciter ſanctificauit orbem, fugauit tenebras, lucemque reuexit. Hæc eliminauit errores, viamque monſtrauit. Hæc ab Ortu Solis & Occaſu, à Septentrione & Meridie collegit gentes, atque in vnam Eccleſiam, in vna fide, ſub vno capite in charitate connexuit. Hæc Orthodoxorum inexpugnabilis murus eſt.

Galat. 6.

Nota ritum antiquitatis.

Efficacia ſigni S. Crucis.

Quod os, quæ labia, quæ lingua dignè pro merito laudare poterit victricia arma æterni Imperatoris noſtri Chriſti? Crux Caluariæ in loco defixa, mox vitæ noſtræ feliciſſimum botrum ſine opere humano pullulauit. Hoc denique, precioſiſſimo ligno, Chriſtus Deus noſter inferni voraciſſimum dirupit ventrem, nimiſque patulum diaboli obſtruxit os. Eo conſpecto, contremuit mors, omneſque, quos à primo homine vſque ad id temporis ſub ditione ſua tenuerat vinctos, dimiſit. Crucis armis accincti ſancti Apoſtoli, omnem inimici calcauêre virtutem. Hac ſe thoracis vice munientes milites Chriſti, beatiſſimi martyres, omnes artes & inuentiones, atrocitateſque tyrannorum ſuperârunt. Hanc baiulantes ſancti monachi ſeculo valefacientes, ſummo cum gaudio & alacritate in ſolitudinibus, & montibus, & ſpeluncis, cauerniſque terræ ſibi ſedes elegerunt. O ineffabilem immenſamque bonitatem benigniſſimi Dei, qui tam magna, tamque præclara munera, humano generi Crucis indulſit vexillum. Hæc autem ſancta Crux rurſus in conſummatione ſeculi, cùm ſecundus

dus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, prima, cum gloria ingenti & Angelicorum Matth. 24.
exercituum infinita multitudine, apparebit in cælo, inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem illuminans atque lætificans, aduentumque cæleſtis Imperatoris annuncians.

De precioſiſſima & viuifica, diuinaque Cruce hactenùs diximus, etſi plura his dici poterant, ac fortaſſe debuerant.

IN LAVDEM SANCTÆ ET VIVIFICÆ CRVCIS SERMO BEATI IOHANNIS DAMASCENI: LIB. IIII. *cap.* 12. *de Orthodoxa fide.*

SERMO Crucis, ijs qui pereunt, ſtultitia eſt: nobis autem, qui ſalute reſpiramus, virtus Dei eſt. Nam ſpiritualis omnia dijudicat: Animalis verò homo non ſuſcipit ea, quæ ſpiritûs ſunt. Stultitia enim ijs, qui fidem non ſuſcipiunt, & bonitatem & omnipotentiam Dei non exiſtimant, ſed humanis & naturalibus cogitationibus diuina ſcrutantur. Omnia nanque Dei ſunt ſuper naturam, adhuc & ſuper ſermonem & mentem. Quis enim cogitauerit, quo pacto ex nihilo ad eſſe, & cuius gratia deduxerit Deus vniuerſa? Si naturalibus cogitationibus inuenire voluerit, non appræhendet. Animalis enim eſt hæc indagatio, & dæmoniaca. Si quis verò fide manuductus, bonitatem, omnipotentiam, veritatem, ſapientiam, iuſtitiam & diuinitatem cogitet, inueniet omnia leuia, & plana, & viam rectam. Sine enim fide impoſſibile eſt ſaluari: nam fide omnia, & humana, & ſpiritualia, conſtant. Neque enim agricola ſine fide incidit terræ ſulcum, neque mercator paruo ligno ſuam ipſius animam inſano maris pelago committit: non nuptiæ fiunt, aliud quicquam in vita ſine fide. Fide intelligimus, ex nihilo ad eſſe omnia Dei virtute deducta eſſe. Omnia & diuina, & humana, fide dirigimus. Fides autem eſt inſcrutabilis conſenſus. 1. Cor. 1. 1. Cor. 2.

Omnis igitur actio & miraculifera operatio Chriſti, maxima, diuina & ſummè admiranda: omnium tamen admirabiliſſimum, eſt precioſa ipſius Crux. Per nullum enim aliud mors primi parentis deſtructa eſt, & primi parentis peccatum ſolutum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, virtus nobis contemnendi præſentia, mortemque ipſam elargita, ad antiquam beatitudinem regreſſio reparata, portæ paradiſi patefactæ, natura noſtra in dexteris Dei ſedens, filij Dei & hæredes nos facti, niſi per Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Per ipſam enim hæc omnia mirificè ſunt impleta. Nam quicunque baptizati ſumus in Chriſto, vt inquit Apoſtolus, in morte eius baptizati ſumus: & quicunque in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus. Chriſtus autem eſt Dei virtus & ſapientia. Ecce mors Chriſti, id eſt, Crux, hypoſtatica Dei virtute, & ſapientia circundedit nos. Virtus ſiquidem Dei eſt verbum Crucis, aut quia potentia Dei, id eſt, contra mortem victoria, per ipſam nobis manifeſtata eſt, aut quia, quemadmodùm quatuor extrema Crucis per medium centrum continentur & conſtringuntur, ſic per Dei virtutem altitudo & profunditas, longitudo & latitudo, id eſt, omnis viſibilis & inuiſibilis creatura continetur. Crux Chriſti quid nobis contulerit. Rom. 6. Galat. 3. 1. Cor. 1.

Hæc nobis ſignum data eſt ſuper frontem, quemadmodùm Iſraëli circuncíſio. Per ipſam enim fideles ab infidelibus & diſtamus, & diſcernimur. Ipſa eſt ſcutum, & arma, & trophæum aduersùs diabolum. Ipſa ſignaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit ſcriptura. Ipſa iacentium erectio, ſtantium firmamentum, baculus debilium, paſtorum virga, conuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ ſalus & corporis, omnium malorum auerſio, omnium bonorum cauſa, peccati deſtructio, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ: ipſum nimirùm precioſum lignum, & perquàm verè venerandum, in quo ſemetipſum in hoſtiam pro nobis Chriſtus obtulit, atque vt ſanctificatum tactu ſancti corporis & ſanguinis, decenter adorandum. Claui que, & lancea, & indumenta, & ſacra ipſius tabernacula adoranda, quæ ſunt præſepe, ſpelunca, golgotha, Saluatoris viuificum ſepulcrum, Sion Eccleſiarum propugnaculum, & ſimilia: vt Deiparens ait Dauid: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Quòd autem Crucem dicat, oſtendit quod ſequitur: Reſurge Domine in requiem tuam: ſequitur enim Crucem reſurrectio. Si enim amatorum deſiderabilis domus, & lectus, & amictus: multo magis Domini & Saluatoris noſtri, per quæ ſaluati ſumus. Exod. 12. Crux adoranda. Pſal. 131.

Adoramus etiam figuram precioſæ & viuificæ Crucis, tametſi ex alia materia fa-

cta eſt, non materiam venerantes, (abſit enim) ſed figuram, tanquam Chriſti ſignum.
Matth.24. Dixit enim Diſcipulis ſuis conteſtans: Tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo,
Mar.16. Crucem dicens. Et idcircò mulieribus dixit reſurrectionis Angelus: Ieſum quæritis
1.Cor.1. Nazarenum crucifixum. Et Apoſtolus: Nos autem prædicamus Ieſum Chriſtum, & ipſum crucifixum. Multi enim Chriſti & Saluatores, ſed vnus crucifixus. Non dixit, lancea perfoſſum, ſed crucifixum. Adorandum eſt igitur ſignum Chriſti: vbi enim fuerit ſignum eius, illic & ipſe erit. Materia autem, ex qua figura Crucis exprimitur, ſiue ſit aurum, ſiue lapides precioſi, aut alia quæuis materia, poſt figurationem, ſi contingat diſſolui, non adoranda. Omnia igitur, quæ Deo adiacuerunt, adoramus, ipſi reuerentiam pietatiſque cultum exhibentes.

Geneſ.2. Hanc precioſam Crucem præfigurauit vitæ lignum, quod in paradiſo plantatum eſt à Deo. Nam poſteaquàm per lignum mors allata eſt, oportebat per lignum donari
Gen.48. vitam, & reſurrectionem. Iacob adorans ſummitatem virgæ, alternatis cancellatiſ-
Hebr.11. que manibus filios Ioſeph benedicens, ſignum Crucis manifeſtiſſimè deſcripſit. Virga
Exod.14. Moſaica in ſimilitudine Crucis mare percuſſit, & ſaluauit Iſraël, Pharaonem autem
Exod.17. ſubmerſit. Manus cruciformiter extenſæ, Amalech repulerunt. Ligno amara aqua dul-
Exod 15. cis facta eſt, & petra rupta, & profundens fluenta. Virga Aaron, ſacri Pontificatus
Num.17. inſigne fuit. Serpens in ligno triumphatus, qui mortuus eſt, ligno mortuum viden-
Num 21. tes inimicum ſaluante, & credentes, quòd Chriſtus in carne peccati, peccatum non
Deut.28. ſciente, in Cruce peccata affixit. Magnus Moſes clamat: Videbitis vitam veſtram pen-
Eſa.65. dentem in ligno ante oculos veſtros. Et Eſaias: Tota die expandi manus meas ad populum diſcredentem, & contradicentem. Qui hanc igitur adorant, participes fiunt Chriſti crucifixi, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE INVENTIONE SANCTAE CRVCIS.

HODIE, fratres chariſſimi, quia Crucis inuentionem colimus, quaſi reperto communi totius mundi theſauro, communiter in Chri-
Luc.15. ſto gaudere debemus: & ſicut ille, inuenta perdita oue, vel drachma, conuocatis amicis & vicinis, congratulatus eſt: ita & nos, inuento eo, non quod ipſe perdiderat, ſed quo nos perditos acquiſie-
Galat.6. rat, iuſtum eſt gloriari, præſertim cùm Apoſtolus dicat: Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: tantoque propenſius ſpiritualem lætitiam alacri debemus mente concipere, quanto non ignoramus & ipſum humanæ ſaluris inimicum amariùs ſuſpirare. Gaudebat nanque diabolus ad euadendum ignominioſæ ſuæ confuſionis opprobrium, quòd triumphale vexillum, ſub quo perdiderat, ſub quo proſtratus & captiuatus fuerat, eatenùs maneret occultum, & ruinæ ſuæ dedecus, quod ſuccumbendo pertulerat, ſuppreſſo ſigno victoriæ, compenſabat. At vbi repertum eſt, vbi cum tanta gloria Chriſtianæ deuotioni & pietati perpendit eſſe conſpicuum, erubeſcit ſe vbique iam videre proſtratum,
Signũ Crucis quid indicet. quia vbique titulum diuinæ victoriæ cernit erectum. Vbicunque enim ſignum Crucis erigitur, illic proculdubiò & Chriſti victoria, & diaboli captiuitas denotatur.

Porrò autem veternoſus hoſtis per lignum primum hominem vicerat, omnémque illius progeniem per quinque millia ferè annorum, tanquam ſeruum ſub iugo ſuæ
Pſal.18. tyrannidis opprimebat. Venit autem Dei filius, tanquam gigas ad currendam viam, vt debellaret aëreas poteſtates, & lignum ligno oppoſuit, dum per Crucis amaritudinem expuit venenatam pomi illius vetiti voluptatem. Primus ſcilicet homo cùm manum ad arborem, diabolo ſuadente, porrexit, tanquam ligneæ tabulæ chirographum dedititiæ ſeruitutis inſcripſit. Secundus homo cùm in Cruce manus extendit, cautio-
for. * pactionis nem illam lethiferæ * paſſionis obliterando deleuit. Per lignum ergo ſerui facti, per lignum ſumus libertati priſtinæ reſtituti. Per lignum de Paradiſo fueramus eiecti, per lignum ſumus ad patriam reuocati. Et qui per lignum inimici deputati fuimus, per ſacramentum Crucis in amicitiam Dei, & in Angelorum concordiam reconciliati ſu-
Epheſ.2. mus, teſtante Apoſtolo, qui de Chriſto ad Epheſios loquens: Ipſe eſt, inquit, pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ diſſoluens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per Crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.

Hoc denique ſalutis humanæ vexillum non ſolùm lex per quaſdam typicas intelligentias & ænigmata præfigurat, ſed & omnium Prophetarum oracula, & cuncta veteris inſtrumenti veneratur authoritas. Quæ eſt enim ſacri eloquij pagina, quæ Crucis myſterium non redoleat, & ad hoc, quaſi ad totius humanæ ſalutis caput atque principium non intendat? Ex quibus nimirùm non ocioſum credimus, ſi aliqua hîc teſtimonia, quæ Crucis myſterium innuant, proferamus, vt per ea, quæ hîc breui ſermone perſtringimus, ad illa etiam, quæ tacentur, facilioris intelligentiæ aditum præbeamus. S. Crucis typi. Primus igitur Abraham accedat in medium, qui dum immolare Deo filium voluit, cuncta penè per ordinem paſſionis Dominicæ ſacramenta ſignauit. Geneſ.22. Sicut enim Abraham, qui Pater excelſus dicitur, vnicum & dilectum filium offerre Deo non dubitauit: ita & ſummus Pater vnigenitum dilectumque Filium pro nobis omnibus tradidit. Et ſicut Iſaac ipſe ſibi ligna portauit, quibus erat imponendus: ita quoque Chriſtus Crucis ſuæ geſtauit in humeris lignum, in quo erat pro noſtra ſalute paſſurus. Duo autem ſerui illi procùl dimiſſi, Iudæos ſignificant: qui cùm ſeruiliter viuerent, & carnaliter ſaperent, non intellexerunt altiſſimam paupertatem Chriſti: atque ideò non aſſcenderunt in montem, locum videlicet ſacrificij. Cur autem duo ſerui, niſi quia peccante Salomone, ex vna Iſraëlitica plebe duo facti ſunt populi? Quibus vtriſque ſæpè per Prophetas dicitur: Auerſatrix Iſraël, & præuaricatrix Iuda. Ierem.3. Aſinus autem ille, quo tunc vtebatur Abraham, inſenſata erat ſtultitia Iudæorum. Illa planè bruta ſtultitia omnia ſacramenta portabat, quæ tamen quid ferret, velut irrationale animal, ignorabat. Iam verò quid eſt, quod dictum eſt eis: Expectate hîc cum aſino: poſtquàm autem adorauerimus, reuertemur ad vos? Audi Apoſtolum: Cæcitas, inquit, ex parte Iſraël Rom.11. facta eſt, vt plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Quid eſt enim, quod dicitur: Cæcitas ex parte Iſraël facta eſt? Hoc eſt videlicet: Expectate hîc cum aſino. Vt plenitudo gentium intraret: hoſt eſt: Poſtquàm adorauerimus. Vbi videlicet ſacrificium Dominicæ Crucis impletum, per omnes gentes fuerit prædicatum. Quod autem ſequitur, Et ſic omnis Iſraël ſaluus fieret: hoc eſt: Reuertemur ad vos. Quid eſt autem, quòd aries inter vepres hærens cornibus inuenitur, qui pro Iſaac immolatus offertur? Crux nempe cornua habet: duo ſiquidem ligna inuicèm componuntur, & ſic Crucis ſpeciem reddunt. Hinc eſt enim, quòd de Chriſto ſcriptum eſt: Cornua ſunt in manibus eius. Habac.3. Hærens ergo cornibus aries, Chriſtus eſt crucifixus inter aculeatas & vulnificas Iudæorum iniquitates, ſicut ipſe per Hieremiam conqueritur, dicens: Spinis peccatorum ſuorum circundederunt me populus hic. Peracto ſacrificio, dicitur Abrahæ: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: & poſtquàm Dominus dicit: Foderunt manus meas, & pedes meos: paulopòſt in eodem pſalmo ſubiecit, Pſal.21. Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Oblato itaque Abraham filio, & pro eo ariete immolato, appellauit nomen loci illius, Dominus videt: quia Redemptor noſter, poſtquàm in ara Crucis oblatus mortis noſtræ debitum ſoluit, videndum ſe deinceps fidelium ſuorum obtutibus præbuit: vt nimirùm redempti omnes illum iam per fidem videant, qui eatenùs fidei oculos non habebant.

Verùm nos, dum ſacrificantem Abraham aliquanto longiori ſermone proſequimur, ab alijs, quæ dicenda ſunt, diutiùs præpedimur. Hoc nempe Crucis myſterium & Iacob figuraliter expreſſit, cùm de Chriſto inter reliqua verba benedictionis intulit, dicens: Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. Geneſ.49. Stola Chriſti & pallium, multitudo eſt gentium: quas tunc Dominus induit, quando ſibi eas per gratiam redemptionis adiunxit, ſicut per Prophetam pollicetur, dicens: Viuo ego, Eſa.49. dicit Dominus, niſi hos omnes induam ſicut veſtimentum. Stolam ergo ſuam Dominus in vino, & pallium in ſanguine vuæ lauit, quando ſicut botrus in Crucis ligno pependit. Tunc enim ex latere eius ſanguis & aqua profluxit. Sed aqua nos abluit, ſanguine redemit: Ephes.5. nimirùm vt exhiberet ſibi ſponſam non habentem maculam, neq; rugam. Crucis myſterium idem Iacob tunc etiam patenter exhibuit, quando iuniorem Geneſ.48. Ephraim Manaſſe primogenito præferens, in modum crucis ſuper eos brachia permutauit. Per Crucem nanq; factum eſt, vt populus gentiũ, tanquam primogeniti iure prærepto, populũ præcederet Iudæorum. Illud quoque, quod in Exodo legitur, ad Dominicæ Crucis refertur proculdubiò ſacramentum. Dixit enim Dominus ad Moyſem: Exod.3. Proijce virgam, quam in manu geſtas, in terram: & proiecit, & verſa eſt in colubrum.

Expauit ilicò Moyſes,& fugit. Et ait illi Dominus: Appræhende caudam eius: & appræhendit,factusque eſt iterùm virga. Cuncti liquidò nouimus, quia ſerpens ſuaſit homini mortem. Ergo mors à ſerpente. Quis autem virga, niſi Chriſtus, de quo Propheta dicit: Quia egredietur virga de radice Ieſſe? Virga itaque in ſerpentem, Chriſtus in mortem. Moyſes autem expauit & fugit: quia ſuſpenſo in Cruce, vel moriente Domino, omnis ille Apoſtolorum numerus tremefactus expauit, & à certæ ſpei ac firmæ fidei ſoliditate receſſit. Quia verò cauda, extrema pars corporis eſt, quid niſi finem Dominicæ ſignificat paſſionis? Moyſes igitur caudam appræhendit, & nihil in virga vltrà ſerpentis apparuit: quia completo Dominicæ paſſionis, Crucisque myſterio,& fidelis quiſque tunc ad fidem redijt,& Chriſtus,conſumpta morte,idipſum in ſe, quod fuerat,per reſurrectionis gloriam reparauit.

Geneſ. 3. Eſa. 11.

Exod. 12. Iam verò quid eſt,quòd Iſraëlitica plebs poſtibus domorum de ſanguine agni iubetur imponere,niſi vt nos præfiguret Crucem Chriſti, qui verus eſt agnus, in fronte portare? Ad veſperam ſiquidem immolabatur agnus, & in veſpera mundi paſſus eſt Chriſtus. Liniuntur vtrique poſtes,ne vaſtator Angelus audeat inferre perniciem: & nos Crucis vexillum in corde geſtamus & fronte, ne repentinus hoſtis irruens, valeat auferre ſalutem. Vnde & ſecuri canimus: Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine. Quod tamen ſecuriùs digniusque cantamus,ſi rubro iam mari tranſmiſſo, & hoſte demerſo,tympanum cum Maria Moyſi ſorore deferimus. Quid eſt autem tympanum portare? Audi Dominum dicentem: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam quotidiè,& ſequatur me. Qui enim carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifigit,qui membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, abſtinendo mortificat,ille verè cum Maria tympanum portat, quia ſemetipſum à noxijs terrenæ voluptatis humoribus aridum ſeruat. Iuxta rationis igitur conſequentiam,& hic tympanum Crucis myſterium non obſcurè deſignat. Prętereà & illud non inconuenienter occurrit,quòd videlicet Iſraëliticus populus in Marath aduersùs Moyſem murmurat, vociferans ſcilicet,non ſe poſſe reperire, quod bibat. Tunc oſtendit Moyſi Dominus lignum: quod cùm ille miſiſſet in amariſſimas aquas, in dulcedinem protinùs ſunt conuerſæ. Quid enim amaræ illæ aquæ,niſi occidentis literæ, & duræ atque inſipidæ legis ſpeciem tenent? Scriptum eſt enim: Conſtituit populo ſuo Dominus legem & iudicia,& tentauit eum. Et alibi: Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent. Cui tamen legi ſi confeſſio Crucis & Dominicę paſſionis myſterium copulatur,protinùs quod amarum fuerat,in ſpiritalis intelligentiæ dulcedinem vertitur.

Pſal. 4. Exod. 15. Luc. 8. Exod. 15. Ibidem. Ezech. 13.

Exod. 15. Notandum autem iuxta veritatem hiſtoriæ, quòd aqua in dulcedinem verſa, ſubinde populus venit in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum,& ſeptuaginta palmæ. Quid enim duodecim fontes, niſi duodecim ſunt Apoſtoli, quos Dominus ad hoc conſtituit, vt arida & ſqualentia humani generis pectora, ſuæ prædicationis inundationibus irrigarent? Quid verò ſeptuaginta palmarum arbores, niſi totidem ſunt Diſcipuli, quos ante faciem ſuam idcirco miſit, vt per eos victoriæ ſuæ palmas mundus agnoſceret? Et certè ſatis congruè videtur conſequentium rerum ordo diſpoſitus, vt primò populus duceretur ad literam legis, à qua nimirùm, dum amara fuit,tranſire non potuit. At poſtquàm eſt per lignum vitæ dulcis effecta, & intelligi ſpiritualiter cœpit, ilicò Dei populus de veteri teſtamento ad Apoſtolicos fontes & palmarum arbores,id eſt,ad Euangelij gratiam tranſijt. Et benè poſt acceptum Decalogum ſeptuplus prædicatorum numerus conſtituitur, quia per ſeptiformem ſancti ſpiritûs gratiam omne mandatum diuinæ legis impletur. Nec immeritò planè prædicatores Crucis,palmarum videntur nomine figurari, dum & ipſa Crux iurè dicenda ſit palma: quia in ea ſcilicet facta eſt de proſtrato mundi hoſte victoria,ſicut de ipſa Cruce ſponſus ad ſponſam: Dixi,inquit,aſſcendam in palmam,appræhendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut botri vineæ,& odores tui ſicut malorum, guttur tuum ſicut vinum optimum. Fructus nempe Crucis,omnes electi ſunt.

Luc. 10. Cant. 7.

Aſſcendit igitur Dominus palmam, & appræhendit fructus eius: quia mox vt in Cruce pro noſtra ſalute pependit, omnes electos ad ſemetipſum per amoris deſiderium traxit. Et tunc ſancta Eccleſia per duorum teſtamentorum vbera, ſpiritalis cœpit lætitiæ vina diffundere, atque odorem cæleſtis concupiſcentiæ naribus humanarum mentium inſpirare, vt incitata ad obſequendum mens noſtra, ſibi gratulans dicat: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Quod profectò & petra illa Horeb in Raphidim, ſatis expreſsè denunciat, quam virga Moyſes, Domino

Cant. 1. Exod. 17.

mino iubente, percuſſit, & aquas elicuit. Hanc ſanè petram Chriſti tenuiſſe figuram & Apoſtolus teſtatur, cùm dicit: Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Huic itaque petræ lignum Crucis acceſſit, & mox tanquam aquæ profluentis inundantiam, ſancti Spiritûs larga dona profudit. Ad quas nimirùm hauriendas aquas omnes ſitientes inuitat ipſe, cùm dicit: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem (inquit Euangeliſta) dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. 1. Cor. 10. Iohan. 7.

Sed quid in reliquis diutiùs immoramur, dum conſtet eſſe perſpicuum, quòd & ipſæ tabulæ, quæ Dei digito ſcriptæ ſunt, Crucis Dominicæ prætulerint ſacramentum? Decem nanque præcepta in eis ſcripta ſunt, & denarius numerus per X literam, quæ Crucis exprimit ſpeciem, deſignatur. In hac ſanè litera, quæ denarium in ſe continet numerum, ſic vnus apex à ſummo in imum per obliquum ducitur, vt alter quoque non diſpar per tranſuerſam lineam, productis vtrinque brachijs, compingatur. Et ſic apicis vtriuſque facta complexio, non ſolùm exteriorem Crucis prætendit imaginem, ſed & myſticam eius quandam videtur indicare virtutem. Dicit enim Dominus: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Tabulæ legis, typus Crucis. Matth. 5.

Per Crucis itaque ſacramentum, præcepta veteris inſtrumenti Euangelicæ gratiæ copulauit, & (vt ita loquar) duo teſtamenta velut vnius doctrinæ corpus effecit. Et primò quidem datæ ſunt tabulæ, ſed protinùs ſunt, populo præuaricante, effractæ: ſecundò verò dantur tabulæ, ſed perpetuò permanſuræ. Planè priores tabulæ priſcæ legis tenuêre figuram, quæ à ſui cultûs obſequio erat poſtmodùm defectura. Poſteà verò dantur tabulæ, ſed non franguntur: quia noui teſtamenti gratia, quæ per Crucis eſt ſolidata myſterium, nullum nouit habere defectum. Porrò autem nec arca illa veteris teſtamenti, beatæ Crucis credenda eſt caruiſſe theſauris. Crucis nanque incomparabiles diuitias occultabat, quia & Cruci iam per cuncta figurarum ſuarum atque ænigmatum myſteria militabat. Eius quippe extunc iam erat miniſtra, imago ſcilicet veritatis, & initium plenitudinis. Arca ſcilicet, ſancta erat Eccleſia. Tria verò continebantur in arca, duæ videlicet lapideæ tabulæ, quæ profectò duorum teſtamentorum innuunt perpetuam firmitatem, quas etiam Crucis in ſe myſterium continere ſuprà docuimus. Vrna quoque aurea, habens manna. Hæc profectò puram atque ſynceram carnem Redemptoris exprimit, quæ proculdubiò dulcedinem perpetuæ diuinitatis includit. Quæ dulcedo extunc in palato noſtrarum mentium ſapuit, ex quo miles pendentis in Cruce Domini latus aperuit, cùm botrus videlicet expreſſus eſt, qui dum calcaretur, torcular calcauit ſolus. Tertiò in arca fuit virga Aaron, quæ poſt ariditatem floruit. Quę nimirùm quid aliud ſignificat, niſi ſummi verique Pontificis noſtri illud ſalutare vexillum, immortalis memoriæ ſemper viriditate floridum, & exuberantium fructuum fertilitate fœcundum? Crux enim ſemper viret in ſpe, floret in fide, fructificat in charitate. Et poſtquàm à terreno cæſpite præciſa eſt, frondet: quia quiſquis per amorem Crucis à terrenis deſiderijs ipſam mentis radicem præcidit, ad hæreditatem immarceſcibilem capeſſendam, & ſemper virentia æternæ vitæ paſcua conualeſcit. Exod. 32. Hebr. 9. Arca, ſancta Eccleſia. Iohan. 19. Num. 17.

Verùm quid ampliùs de laude beatæ Crucis ediſſeram, quandoquidem omnia illa ſacrificia, quæ ſub legalium cæremoniarum ritu offerri iubentur, ad hoc vnum ſingulare verumque ſacrificium, quod in ara Crucis oblatum eſt, referantur? Per vitulum nanque, qui de armento offerri præcipitur, Redemptor noſter, qui de Patriarcharum deſcendit progenie, figuratur. Hic nimirùm aratro Crucis ſuæ terram carnis noſtræ perdomuit, & ex Spiritûs ſancti ſemine virtutum nos fruge ditauit. Hic vitulus ſine macula non in tabernaculo, ſed ante oſtium eius à filijs Aaron offerebatur: quia & Dominus, qui ſine peccato eſt, ſub Anna & Caipha extra portam eſt crucifixus. Ipſe agnus, quia mundi peccata deterſit. Ipſe hœdus, quia authorem peccati diabolum Crucis gladio iugulauit. Ipſe columba, in cuius nimirùm ſpecie Spiritus ſanctus ſuper eum ad Iordanis fluenta deſcendit. Ipſe etiam turtur, quia perpetuæ caſtitatis author exiſtit, ſicut ſibi à ſponſa dicitur: Speciosæ genæ tuæ ſicut turris. Eandem porrò viuificæ Crucis hoſtiam deſignabat & vitula illa rufa, quæ ætate quidem integra, ſed iugi eſſe iubetur ignara. Rufa nimirùm vitula, caro eſt Saluatoris, roſea ſcilicet ſanguine paſſionis. Perfectæ quidem ætatis Dominus ad paſſionem venit, ſed eius collum iugum peccati cuiuſlibet non attriuit. Qui vitulam offerunt, immundi ſunt: & qui Chriſtum crucifigunt, vnde mundus abluitur, ipſi damnabiliter inquinantur. Qui verò cinerem colligens extra caſtra proijcit, mundus eſt: quia quicunque Cru- Sacrificia veteris legis quid ſignificârint. Exod. 29. Matth. 3. Cant. 1. Num. 19.

 cis

cis Dominicæ paſſioniſque myſterium per mundi latitudinem prædicant, à peccatorum ſe contagio per ædificationis fraternæ miniſterium purgant.

Sed quibuſdam fortaſſe diſpliceat, quòd nos ad laudem Crucis tot ſacri eloquij exempla congerimus, & velut inſtructam inſtrumenti veteris aciem huic regio vexillo prorſus intentam parére monſtramus. Quibus certè quid aliud dicendum eſt, 1.Cor.1. niſi quod Apoſtolus perhibet, dicens: Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem, qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, virtus Dei eſt? Quicquid enim de Crucis laude diſſerimus, in eius non ambigitur redundare præconium, qui Crucis illuſtrauit propria morte vexillum.

Per hæc itaque, fratres mei, quæ dicta ſunt, liquidò colligere poſſumus, quia hoc cæleſtis victoriæ ſignum, per quod mundus erat de captiuitatis antiquæ vinculis abſoluendus, ab ipſo mundi principio patres adorant, Prophetæ prænunciant, omneſque ſacrarum ſcripturarum paginæ præfigurant. Quippe quod nos adoramus in munere, illi iam venerabantur in fide: Et quod apud illos erat quibuſdam ænigmatibus figuratum, nos per Mediatoris gratiam iam videmus impletum: vt quod illi * præſagabantur per ſpiritum, nos iam per corporalem cernamus & amplectamur obtutum. O admiranda Conditoris noſtri pia clementia, ô prædicanda ſingularis noſtri Redemptoris humilitas. Atrociſſimæ mortis ſubire dignatus eſt pœnam, vt nos proueheret ad coronam. Turpiſſimum Crucis elegit propria voluntate ſupplicium, vt nos de ſeruitutis iugo ſublimaret ad regnum. Maledici non reſpuit, vt nos de maledicto legis abſolueret. Probroſam mortem pertulit, vt nos ab æternæ mortis opprobrio liberaret. Vnde & Apoſtolus: Chriſtus, inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno: vt in gentibus benedictio Abrahę fieret in Chriſto Ieſu, vt pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem.

Charitas Chriſti erga nos. — *Gala. 3.* — *Deut. 21.*

Quia ergo, fratres mei, ſeruitutis iugo ſoluti, benedictionem Abrahæ in Chriſto iam ſumus adepti, quid reſtat, niſi vt ea, quæ gratia præueniente percepimus, etiam per vitæ meritum Redemptoris noſtri dona ſeruemus, ne qui per baptiſmum in Chriſto renaſcimur, ſecundùm veterem rurſus hominem viuentes, ad damnationis eius Pſal. 118. ſententiam reuocemur? Nam & hodiè in Eccleſia illud Dauid canimus: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Conſideranda nempe ſententia, quia non dicitur: Maledicti, qui non renaſcuntur in ſacramentis tuis: ſed, Qui declinant à mandatis tuis, quia videlicet non ſolùm illi maledictionis nexibus ſunt obnoxij, quos in Chriſto aqua baptiſmatis non regenerat: ſed illi etiam, quorum prauitas à rectitudine mandatorum Dei per vitiorum abrupta declinat. Quid ergo prodeſt, quia de vinculis quis vetuſtæ maledictionis abſoluitur, ſi per vitam reprobam eiſdem vinculis denuò 1.Cor. 16. retrudatur? Nam & Apoſtolus ait: Qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, * & maranatha. Vbi æquè notandum, quia non dicit, Qui non renaſcitur in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: ſed, Qui non amat: vt etiamſi baptiſmo probetur quis in Chriſto renatus, ſi non ſit etiam ex conuerſatione com-Rom. 6. mortuus, nequaquàm ſit à maledictionis omninò vinculis abſolutus. Si enim (iuxta Apoſtolum) complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis eri-2.Tim. 2. mus. Et rurſus: Si compatimur, & conregnabimus: ſi commorimur, & conuiuemus. Sed quis ille eſt, qui non amat Chriſtum? Quis enim noſtrûm, ſi de Chriſti dilectione conſulitur, non protinùs conſtanter, immò promptiſſimè ſe Chriſtum diligere fateatur? Verùm ille non amat Chriſtum, qui non amat Crucem Chriſti. Et qui ſunt, qui Chriſti Crucem non amant? Audi Paulum, manifeſta eos voce notantem: Philip. 3. Multi, inquit, ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimici Crucis Chriſti: quorum finis interitus, quorum deus, venter eſt, & gloria in confuſione Iacob. 3. eorum, qui terrena ſapiunt. Loquatur & Iacobus: Qui amicus, ait, eſt huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur.

Gratia Dei vt conſeruanda.

Quiſquis ergo deſiderat ab omni vinculo maledictionis abſolui, & plenam nouæ gratiæ benedictionem conſequi, Crucem diligat, ex qua videlicet omnis plenitudo benedictionis emanat. Per Crucem ſe Dei mandatis adſtringat: Per Crucem effrænis carnis incentiua cohibeat. Sicut enim conſentiendo carni, ſententiam maledictionis incurrimus: ſic refrænando carnem, benedictionis gratiam promeremur. Ex torculari nanque Crucis, largiſſima benedictionis vnda profluxit, quæ maledictionis antiquæ virus omne deterſit. Inde nimirùm ſtillicidia chariſmatum cæleſtium proruperunt, quæ ariditatem humanarum mentium ſalubriter irrigant, omniumque virtutum

Carnis caſtigatio qd conferat.

virtutum felici fruge fœcundant. Hæc eſt enim nubes illa, quæ Eliæ ſub veſtigio hominis in tempore ſiccitatis apparuit, & mox inundantis pluuiæ copia abundanter erupit. Sic enim ſcriptura commemorat: Ecce, inquit, nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſſcendebat de mari. Quia enim non quaſi homo, ſed quaſi veſtigium hominis aſſcendiſſe dicitur, rectè per hoc Crux, quæ membris eſt aptata Dominicis, deſignatur. Et benè Crux veſtigium hominis dicitur, quia per eam Deus homo tranſitum fecit, cùm ad Patrem rediјt, ſicut per Iohannem dicitur: Sciens Ieſus quia venit eius hora, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Paſcha quippe, tranſitus dicitur. Et hic tranſitus per Crucem factus eſt, ſicut dicit Apoſtolus: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Sicut ergo per Virginem deſcendit ad noſtra, ſic per Crucem eſt reuerſus ad propria. Quod congruenter expreſſit illud factum ſub Eliſæo miraculum. Nam cùm iuxta Iordanem ligna cæderentur, repentè ſecuris cuiuſdam, materiam ſuccidentis, in aquam cecidit. Tunc Propheta lignum in aquam miſit, & mox ferrum natauit, atque ad manubrium rediјt. Quid eſt autem ſecuris, niſi ſapientia Dei, operata per corpus? Quid ferrum, niſi diuinitas? Quid lignum, niſi humanitas? Et rectè corpus Chriſti lignum dicitur, quia in ligno pependit. Securis igitur iuxta Iordanem arbores ſuccidebat, quia Dei ſapientia iuxta fluidum mortalitatis noſtræ decurſum, dignata eſt impios Iudæos ſuæ prædicationis auſteritate corripere, & velut infructuoſas arbores à ſtatu rigidæ ſuperbiæ deſecare. Vnde & Ioannes dicit: Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Itaque dum ligna cæduntur, ferrum in aquam de manubrio cecidit: quia dum ſylueſtres Iudæorum mentes Veritas corripit, Diuinitas carnem deferens, ad inferni profunda deſcendit. Sed lignum in aquam mittitur, & ferrum redit: quia corpus Domini, quod in ligno pependerat, in ſepulcro ponitur, deinde ex profundis inferi ſpiritu redeunte ſurrexit.

3.Reg. 18. Iohan. 13. 1.Cor.5. 4.Reg.6. Securis myſticè. Luc.3.

Vnde notandum eſt, fratres mei, & diligentiſſimè perpendendum, quia ipſe Redemptor noſter antè per Crucem tranſiјt, & ſic humanitatem ſuam in paternæ dexteræ gloriam ſublimauit. Exemplum quippe nobis exhibuit, vt vnde caput præceſſiſſe cognoſcitur, per eandem viam & membra ſubſequentia gradiantur. Præferimus igitur Crucem in fronte, ſed eandem Crucem multo ſalubriùs recondamus in corde. In vtroque poſte ſanguinem percuſſor angelus videat, vt excluſus euadat, non peremptu-rus irrumpat. Nec ſibi quiſpiam de ſolo ſigno Crucis applaudat, ſi veritatem Crucis in operibus non exhibeat. Crucem nempe ille in ſuis moribus ſignanter expreſſerat, qui dicebat: Ego enim ſtigmata Ieſu in corpore meo porto.

Exod. 12. Galat.6.

Mundantes igitur noſmetipſos, chariſſimi, ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, accingamur aduerſantium vitiorum impetus frangere, carnalis illecebræ paſſionibus obuiare, piè proximorum neceſſitatibus condeſcendere, illatas etiam contumelias, ſeruata charitate, perferre. Sit mens noſtra ab omni terrenæ cupiditatis pondere libera, vt ſancti deſiderij librata pennis, ima iam deſerat, atque ad authorem ſuum rediens, in eius amore ſuauiter requieſcat. Faſtidio nobis ſint cuncta, quæ cernimus. Ad illa verò, quæ credimus, continui laboris inſtantia feſtinemus. Hæc profectò Crux eſt, quam moribus & actibus noſtris debemus imprimere. Hæc eſt, quam iubemur quotidiè poſt Dominum baiulare. Qui hanc portat, paſſioni Redemptoris ſui verè communicat. Hoc ſignum oues ab hœdis in extremo examine ſegregat, & Iudex, qui reprobos neſcit, hunc in ſuis characterem recognoſcit. Quibus autem impreſſum propriæ mortis ſtigma conſiderat, mox ad æternæ vitæ præmia gratus remunerator inuitat: Venite, inquiens, benedicti Patris mei, percipite regnum: Cum quo ipſe viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Qualis nobis crux ferenda. Luc.9. Matth.25. Ibidem.

MAR-

MARTYRIVM ILLVSTRE ALEXANDRI PAPAE, ET EVENTII ATQVE THEODVLI PRESBYTERORVM.

Item Quirini & aliorum. Habetur autem in vetuſtis MS. codicibus, & adſtipulantur ei antiquiſsima Martyrologia. Stylum paſsim mutauit nonnihil F. Laurentius Surius, ſed modicè tantùm.

3. Maij.

QVINTO loco à B. Petro Apoſtolo Romanæ Vrbis cathedram obtinuit Alexander, ſanctitate incomparabilis, ætate quidem iuuenis, ſed fide canus. Totius autem populi affectum & beneuolentiam illi gratia diuina conciliârat, ita vt & Senatorum maximam partem conuerterit ad Dominum, & Præfectum quoque Vrbis Hermen cum vxore, ſorore & filijs baptizârit, & cum ijs pariter 1250. ſeruos eius, eorumque vxores & filios: quos quidem Hermes in die ſancto Paſchæ priùs libertate donatos, ita demum curauit baptizari, baptizatiſque multa eſt dona largitus. Cùm autem hæc ad Traianum principem perlata fuiſſent, miſit is Aurelianum Comitem vtriuſque militiæ è Seleucia, vt Chriſtianos omnes interficeret. Vnde nutu Dei eodem anno mortuus eſt Traianus. Vbi autem ad Vrbem acceſſit Aurelianus, vniuerſus Senatus non minùs ei obſecutus eſt, atque ipſi principi Traiano. Adiêrunt autem illum templorum pontifices, & ea, quæ geſta erant, inuidioſè criminantes, adeò eius animum iracundia inflammârunt, vt & Hermen Præfectum in vincula conijci, & Alexandrum Papam in carcerem abduci iuſſerit. Inde verò orta eſt grandis in populo Romano ſeditio, quibuſdam clamantibus, Viuus ardeat Alexander: alijs vociferantibus, Hermes debet flammis exuri, qui tot hominum millia à deorum cultu auertit, docuitque templa noſtra vitare, & deos noſtros confringere.

Hermes Præfect⁹ Vrbis credit cum alijs multis.

Cùm autem Hermes Præfectus apud Quirinum tribunum haberetur in vinculis, dixit ei Quirinus: Quæ ratio eſt, vir illuſtris, vt vice ſacra iudicans, non ſolùm ad iſtam iniuriam te redigi velis, verumetiam Præfecturæ honore abdicato, vinculis tanquam priuatum onerari æquanimiter feras? Sanctus Hermes ait: Ego Præfecturam non amiſi, ſed mutaui. Nam terrena dignitas à terrenis hominibus tollitur & mutatur: dignitas verò cæleſtis, æterna ſublimitate ſubſiſtit. Dicit ei Quirinus: Miror te prudentem virum ad tantam ſtultitiam deuolutum, vt credas te extra hanc vitam aliquid habiturum, cùm humana corpora vſqueadeò in puluerem redigantur, vt oſſa ipſa vix perdurent. Hermes ait: Et ego ante hos annos ridebam hæc omnia, & ſolam hanc mortalem atque carnalem vitam eſſe putabam, eamque in precio habendam exiſtimabam. Dixit Quirinus: Certiorem me, quæſo, effice aliam eſſe vitam poſt hanc, vt rectè te credidiſſe cognoſcam. Hermes dixit: Sanctus Alexander epiſcopus, qui habetur in vinculis, hæc me docuit. His auditis, Quirinus cœpit maledicere Alexandro, aitque: Domine mi, vir illuſtris, redi ad ſanitatem, recipe Præfecturam, recipe patrimonium & familiam & ornamenta domûs tuæ. Hac enim cauſa miſit me dominus meus Aurelianus, Comes vtriuſque militiæ, vt ſi ſacrificare dijs velis, maneat tibi Præfectura, poſſiſque te vlciſci de inimicis tuis, qui inſultant caſibus tuis. Hermes dixit: Non me permiſiſti id tibi explicare, quod ex me audire voluiſti. Reſpondit Quirinus: Ego ex te ſcire volebam, num rectè credidiſſes: & tu mihi nominâſti hominem maleficum, quem ego in vinculis habeo in imo carcere: cuius ſcelerati hominis, qui te euertit, cùm ex te nomen audiuiſſem, te ampliùs audire non ſuſtinui. Video enim te inſtar ruſtici cuiuſdam ab illo indutum, qui & te & ſe decepit, homo miſerrimus, in vinculis & tenebris conſtitutus, atque pro ſuis ſceleribus forſitan flammis exurendus. Sed ſi quid tamen poteſt, liberet & te & ſe. Hermes dixit: Domino meo Ieſu Chriſto in cruce pendenti Iudæi inſultantes dicebant: Si poteſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei. Ille autem ſi non abominatus eſſet eorum pectora, perfidiæ ſqualore plena, vidiſſetque ex animo illos velle credere, ſine dubio deſcendiſſet. Et tu igitur ſi vera loqueris, abi ad eum, & dicito illi: Si vis, vt credam te verum eſſe Dei præconem, & verum Deum eſſe quem colis, aut te apud Hermen inueniam, aut Hermen apud te: & omnia quæcunque dixeris mihi, credam. ait Quirinus: Iam quidem ſuper illum & te vincula triplicabo,

Præclara vox eius, & egregius mundi contemptus.

Matth. 27. Luc. 23.

bo, dicamque ei, vt inueniam eum apud te hora cœnandi. Et ſi hoc efficere potuerit vel tota nocte, credam quòd & me poſſit edocere.

Cùm ergo abijſſet Quirinus, & hæc indicâſſet Alexandro, cuſtodesque & ſeras triplicâſſet, S. Alexander in preces incubuit, dicẽs: Domine Ieſu Chriſte, qui me in cathedra Apoſtoli tui Petri ſedere voluiſti, preſta, vt ſalua paſſione, veniat ad me angelus tuus, qui me hodiè veſpertino tempore perducat ad famulum tuum Hermen, & iterùm matutino huc reuocet, nemine ſciente, donec ego huc reuerſus ſim. Primo igitur noctis ſilentio adfuit puer, faculam ardentem ferens in carcerem, dixitque S. Alexandro: Sequere me. At ille reſpondit: Viuit Dominus meus Ieſus Chriſtus: niſi flexeris mecum genua, & orationem Domini Ieſu dixeris, non ſequar te. Puer autem, qui videbatur non ampliùs quàm quinque annorum, flexis genibus orauit dimidia ferè hora, ſurgensque dixit orationem Dominicam. Deinde apprehenſa manu dextera S. Alexandri, duxit eũ ad feneſtram, quę erat clauſa, eamque ceu oſtium aperiens, cum illo exijt ad Hermen, in ædibus Quirini intra clauſum cubiculum manentem. Poſteà autem eò adueniens Quirinus, eosq; inueniens ſimul extenſis manibus orantes, facemq; ardentem conſpiciens, terrore correptus eſt. Cùm verò illi viderent eum propè amentem, dixerunt ei: Quandoquidem ita apud te cõſtitueras, vt ſi nos, qui corporibus quidem ſeparati, animis autem coniuncti eramus, etiam corporibus coniunctos cerneres, fidem amplectereris: iam crede, quia vides nos. Sed ne fortè putes, ea cauſa nos tibi à vinculis abſolutos oſtẽdiſſe, vt poſſimus euadere, manè rurſus nos vinctos inuenies. Tuę enim liberationis cauſa id fecimus, vt credas Chriſtum Dei filium, verum eſſe Deum, qui etiam exaudiuit in ſe credentes, & tibi quoque prȩſtabit, quicquid ab eo precatus eris. Dicit ei Quirinus: Iſthuc verò efficere potuerunt etiam artes magicæ. Reſpondit Hermes: Num voluntate noſtra perrupimus carceres? Tu te crediturum dixiſti, ſi nos pariter videres in eodem loco. Eccè vides nos, quibus cuſtodes triplicâſti. Crede igitur. Nam & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus beneficijs conferendis ſeſe manifeſtauit, cùm illuminaret cæcos, mundaret leproſos, curaret paralyticos, purgaret dæmoniacos, mortuos excitaret. Denique hinc adeò factum eſt, vt ego huic ſancto Papæ Alexandro crederem.

Angelus S. Alexandrũ è carcere educit ad ædes Quirini.

Cùm enim vnicus mihi eſſet filius, isq; nimio languore vexaretur, cùm adhuc literarum ſtudijs incumberet, à me in Capitoliũ ductus eſt & à matre ſua: vbi cùm dijs omnibus ſacrificâſſemus, & pontificibus munera elargiti eſſemus, ille nihilo minùs mortuus eſt. Increpante autem me eius nutrice atque dicente, Tu ſi ad limina S. Petri duxiſſes eum, & Chriſto credidiſſes, hodiè filium tuum haberes incolumem: ego illi reſpondi, Tu ipſa cæca es & minimè curata: quo ergo pacto filium meum mihi ſanum reſtitues? Illa ait: Si ante hos annos quinque, quibus cæca ſum, credidiſſem Chriſto, reſtituti mihi eſſent oculi mei. Cui ego: Vade, inquam, & crede, & ſi tibi oculos aperuerit Alexander, credam quòd & meum mihi poſſit vnicum filium reſtituere. Abijt illa circa horam tertiam, & eccè hora diei ſexta reuerſa eſt ad me ſana, imponensque humeris ſuis mortuum filium meum, ita cœpit currrere, vt eam iuuenes vix aſſequerentur. Et cùm ad Alexandrum hunc veniſſet, iactauit puerum ad pedes eius, dicens: Domine, redeat cęcitas ad me, modò iſte reuiuiſcat. Ait autem Alexander: Sic Chriſtus hunc excitabit, vt tibi ſemel reformatos non auferat oculos. Cùm autem facta oratione ipſe per ſe veniens reddidiſſet mihi filium meum viuum & incolumem, abieci me ad pedes eius, rogans, vt me faceret Chriſtianum. Et ſic ego credidi Chriſto, filioque meo tutorem inſtitui, omneque ei contuli matrimonium illius, quædam etiam de meis bonis addidi: cætera verò ſeruis meis, qui vnà mecum facti ſunt Chriſtiani, ſimul cum libertate donaui: quicquid aũt reliquũ fuit, pauperibus erogaui. Nunc planè expeditus, nec confiſcationem timeo, nec offenſionem hominis perituri reformido, credẽs me partẽ habiturum cũ illis, qui pro Chriſti nomine martyriũ obierunt, & ad martyrij coronã peruenerunt.

Mulier cæca videt.

Filius Præfecti mortuus excitatur

His auditis, Quirinus dixit: Lucretur per vos Chriſtus animam meam, ſed hoc modo: Habeo filiam adultam, quam volo tradere viro: & illa quidem venuſto eſt adſpectu, ſed collum eius ſtruma circundat. Hanc vos curate, & ego ei conferam facultates meas omnes, vobiſcumque Chriſtum confitebor. Dicit ei Alexander: Adducito eam ad me in carcerem, & tolle boias de collo meo, & impone ei, maneantque apud illam boiæ, & manè ſaluam illam inuenies. Ait ad eum Quirinus: Cùm tu ſis hîc in domo mea, quomodò te in carcere inueniam? Reſpondit ei Alexander: Feſtinus abi. nam qui me huc adduxit, priùs quàm venias ad carcerẽ, me eò reducet. His dictis, egreſſus eſt Quirinus, & cùm vellet apertũ relinquere locum, in quo Hermes clauſus tenebatur, dixit

Angelus reducit Alexandrum in carcerem.

xit ei Alexander & Hermes: Claude more ſolito: ſed cùm nollet, coactus tandem clauſit. Cùm autem ſibi inuicèm vale dicerent & precarentur, puer ille cum face adfuit, apertaque feneſtra, dixit Alexandro: Sequere me. ſequentemque intra horæ punctum reuocauit in carcerem, repoſitiſque vinculis abſceſſit. Poſt horam vnam venit Quirinus ad cuſtodes quatuor, quos ad vnam carceris cellam collocârat, & cùm eos inueniſſet vigilantes, & clauſtra omnia integra & obſignata, ſicut ea reliquerat, oſtium aperiens, ſanctum vidit Alexandrum. Itaque procidens ad pedes eius, clamauit, dicens: Quæſo Domine, preceris pro me, ne ira Dei, cuius tu es Epiſcopus, in me concitetur. Reſpondit Alexander: Deus meus neminem vult perire, ſed potiùs conuerti peccatores. Ita cùm in cruce penderet, pro ijs, qui ipſum crucifixerant, deprecatus eſt. Ait verò Quirinus: Eccè ancilla tua, filia mea. Dicit ei Alexander: Quot homines in hoc carcere incluſi habentur? Reſpondit Quirinus: Fermè viginti. Ait Alexander: Perquire, num ſint inter eos aliqui, qui pro Chriſti nomine patiantur. Abijt Quirinus, & mox renunciauit Alexandro teneri illic Euentium preſbyterum, & Theodulum, qui diceretur ab Oriente veniſſe preſbyter. Dicit ei Alexander: Propera, quæſo, & cum honore eos ad me adducito. Interim tolle boias de collo meo, & impone in collum filię tuæ. Fecit ita Quirinus, & oſculatus pedes S. Alexandri, dixit: Tuis manibus illi boias impone. Quod cùm feciſſet Alexander, vrgere cœpit Quirinum, vt iret. Illo abeunte, eccè puer iterùm cum facula ſubitò apparuit, dixitque Balbinæ puellæ: Salua eſto, & permane in virginitate, & ego efficiam, vt videas ſponſum tuum, qui tuî amore fudit ſanguinem ſuum. Quibus dictis, diſparuit.

Luc. 23.

Venit autem pater puellæ Quirinus cum Euentio & Theodulo, & cernens filiam ſuam ſanam, ita exclamauit: Exi ab hac cuſtodia Domine mi Alexander, ne fortè te moras nectente, ignis lapſus è cælo, me conſumat. Dicit ei Alexander: Si vis mihi præſtare beneficium, hortare omnes, qui ſunt in carcere, vt percepto baptiſmo, fiant Chriſtiani. Reſpondit Quirinus: Vos Chriſtiani, ſancti eſtis: horum autem alij ſunt effractores, alij adulteri, alij malefici, & diuerſorum criminum rei. Sanctus Alexander ait: Propter peccatores Dei filius Dominus meus Ieſus Chriſtus è cælis deſcendit, & natus ex virgine, omnes vocat ad veniam. Noli ergo dubitare, ſed cura, vt omnes veniant ad me. Tum verò Quirinus dixit omnibus clara voce: Quiſquis vult, poteſt fieri Chriſtianus, eique baptizato permittitur ire, quocunque libitum erit. Venerunt ergo omnes ad Alexandrum, & ille, Deo aperiente os eius, ſic locutus eſt: Filioli, audite me, & credite. Deus, qui fecit cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui fulgura vibrat & tonat, qui occidit & viuificat, cui ſeruiunt ſol & luna, & ſtellę, ſerenus aër & nubilus, itémque pluuiæ: is Deus filium miſit è ſummo cælo, vt ex virgine naſceretur, qui nullum vnquam habuit naſcendi initium. Hic verò ad fidem ſuam cœpit inuitare omne genus humanum. Sed cùm mortales duri & ferrei eſſent ad credendum, voluit miraculis eos permouere. Itaque cùm in nuptijs vinum defeciſſet, aquam mutauit in vinum. Enunciauit verò etiam occultas hominum cogitationes, cæcis reformauit viſum, mutis eloquium, claudis greſſum, profligauit dæmones, curauit vexatos morbis, excitauit mortuos, ventis imperans ſedauit tempeſtates, ſiccis mare calcauit veſtigijs. Cùm autem his viſis plurimi in eum crederent, zelo perciti Phariſæi & Iudæi, eum fecerunt crucifigi. Nec ille mori recuſauit, cùm id facilè poſſet, vt mortis noſtræ authorem diabolum captiuum abduceret. Mortuus autem, tertia ſurrexit die, & coram multis teſtibus in cælum aſcendit, collata diſcipulis ſuis eadem miracula efficiendi facultate. Supremo verò mundi die venturus eſt ad iudicium, & bonis bona, malis mala redditurus. Vos igitur, ſi credidiſtis, date nomina veſtra, vt poſſitis effici Chriſtiani.

Oratio S. Alexandri ad incluſos in carcere.

Iohan. 2.

Cùm autem omnes ſe credere affirmarent, præcepit Euentio & Theodulo, vt manus eis imponerent, facerentque eos catechumenos. Poſteà verò Quirinus cum Balbina filia & omni domo ſua baptizatus eſt, & pariter alij omnes, qui erant in cuſtodia. Baptizatis autem Quirinus veſtes albas, eaſque nouas donauit, apertuſque carcer, non multùm viſus eſt ab eccleſia diſcrepare. Tum verò commentarienſis abijt ad Aurelianum, narrauitque ei omnia, quæ geſta erant. Iratus Aurelianus, iuſſit ad ſe adduci Quirinum, dixitque ei: Ego te haud aliter atque filium dilexi: tu autem me irriſiſti, deceptus ab Alexandro. Reſpondit Quirinus: Ego Chriſtianus factus ſum. Vis occidere, vis fuſtigare, vis incendere & ignibus concremare? aliud ego non ero. Quinetiam eos omnes, qui in carcere erant, curaui Chriſtianos fieri, fecique eis copiam recedendi, ſed noluerunt vſquam progredi. Sanctum quoque Papam Alexandrum & virum illu-

Captiui oẽs credunt, & baptizãtur cum Quirino &c.

ſtrem

ſtrem Hermen rogaui, vt abſcederent, & noluerunt. itaq́ue omnes ſunt in carcere, dicuntq́ue qui pro ſceleribus ſuis erant in eum coniecti: Si propter crimina noſtra eramus mortem oppetituri, atque perituri: quanto ęquius eſt pro Chriſti nos nomine hac vita priuari? Ego verò rogaui eos omnes, vt baptizarentur, & baptizatos candidis iiſq; nouis indui veſtibus. nam & hoc religio Chriſtiana exigit. Et ecce adſtant omnes parati ad obeundum martyrium, perindè vt famelici ad eſcam inhiant. Tu igitur fac, quod tibi viſum erit. Ira autem inflammatus Aurelianus, iuſſit eius excindi linguam, ita dicens: Linguam tuam aufero, quòd non es veritus tam confidenter tua mihi pandere ſecreta, vt te tacentem iubeam in eculeo torqueri. Quirinus ait: Miſer & infelix, conſule animæ tuæ, ne æterna te tormenta ſuſcipiant. Cùm igitur in eculeo torqueretur Quirinus, & iniurijs Aureliani non cederet, iuſſit tyrannus manus & pedes eius amputari, atque ita demum capite plecti, & corpus eius canibus proijci: quod à Chriſtianis raptum, humatum eſt via Appia in cœmeterio Prætextati. *Mos antiquiſſimus, baptizatos albis indui veſtibus.* *Quirinus capite plectitur.*

Filia autem eius Balbina in ſancta virginitate permanſit: cui ſæpè oſculanti boias S. Alexandri, quibus curata fuerat, dixit Alexander: Deſine has oſculari boias: inquire autem domini mei Petri Apoſtoli vincula, & ea potiùs oſculare. Albina his auditis, cum multo ſtudio ac deſiderio peruenit tandem ad illa vincula, iiſq́ue inuentis, gratias egit Domino noſtro Ieſu Chriſto, proſternensq́ue ſe in orationem, dixit: Benedictum ſit nomen tuum omnipotens Deus, quòd per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ theſaurum ſpiritalem indicâſti: cœpitq́ue ea vincula cum multo tremore oſculari, & gratias agere regi cælorum, deditq́ue ea Theodoræ religioſiſſimæ fœminæ, ſorori S. Hermetis Præfecti vrbis, cuius ab Aureliano decollati corpus illa collegerat, & Salaria vetere ſepelierat non longè ab vrbe Roma V. Calendas Septembris. Porrò beatiſſima virgo Balbina cum fiducia reuertens ad carcerem, B. Alexandri Papæ & ſociorum eius cœpit adhærere veſtigijs, vt pro ipſa Dominum deprecarentur, & ſuis eam colloquijs confirmarent. *Vide antiquitatis pietatē & religionem.*

Eodem tempore ira percitus Aurelianus impijſſimus, miſſis militibus ſuis, iuſſit Chriſtianos omnes in carcere baptizatos duci ad mare, & naui vetuſtæ impoſitos atque in altum perductos, alligatis collo ſaxis, mergi in profundum. Abijt autem cum illis etiam Chriſti virgo Balbina, glorificans Deum. Deinde Aurelianus præcepit exhiberi ſibi Alexandrum, dixitq́ue ei: Ego hoc inprimìs à te requiro, vt mihi omnia ſectæ veſtræ myſteria exponas, vt ſciam, quamobrem pro Chriſto neſcio quo, optetis potiùs occidi, quàm vinci. Sanctus Alexander dixit: Quod quæris, ſanctum eſt. nos autem non permittimur à Chriſto, ſanctum dare canibus. Aurelianus ait: Ita'ne canis ego ſum? Sanctus Alexander reſpondit: Vtinam verò canis eſſes. nam, quod peius eſt, etiam cane deterior es. Canis enim propter malefacta non luit pœnas ignis æterni, ſed ſemel mortuus, nihil vitæ reliquum habet. Homo autem ad Dei ſimilitudinem factus, ſi per flagitia à Dei ſimilitudine deflectat, reus erit æterni ſupplicij: quemadmodùm apud te reus haberetur, ſi quis auſus ſit imaginem tuam ſiue ſculptam, ſiue fuſam, ſiue pictam violare & conſpurcare. Sed hoc intereſt, quòd tu quidem, cùm ſis temporalis, temporarijs homines pœnis afficis: Deus autem, cùm ſit æternus, pœnas æternas in ignibus ſempiternis à peccatoribus repetit. Aurelianus dixit: Si quęſtioni meæ non ſatisfeceris, noueris te verberibus attrectandum. Alexander ait: Quid auſu temerario hæc à me requiris Aureliane tyranne, quando ego pręter regem meum, qui in cælis eſt, nullum alium timeo? Erras, ſi putas te non credendo, ſed diſcutiendo, à Chriſtianis poſſe erudiri. Aurelianus dixit: Ceſſet iam artificioſa loquacitas. Non enim apud iudicem qualemcunque loqueris, ſed apud eum, cuius potentiam totus orbis expertus eſt. *Chriſtiani multi in mare merguntur.* *Matth. 7.*

Alexander ait: Noli iactare potentiam tuam. Propè enim eſt, vt deſinat eſſe potens, qui de ſua potentia gloriatur. Aurelianus dixit: Ideò tibi permittitur adhuc loqui homo miſerrime, quòd vario tormentorum genere citò anima tibi extorquenda eſt. Alexander ait: Nihil nouum facturus es. Quis enim innoxius tuas euaſit manus? Soli illi apud te viuunt, qui ſe negauerunt ſeruos eſſe Domini mei Ieſu Chriſti. Ego autem, quia certus ſum me nunquàm negaturum Dominum meum, neceſſe erit, vt à te interficiar, ſicut & Hermes vir ſanctus, qui modò reuerà illuſtris eſt: & Quirinus, qui iam verè tribunus eſt: denique illi omnes, qui nuper illuminati, migrauerunt ad regna ſiderea. Aurelianus ait: Hoc eſt, quod abs te ſcire volo, quid tandem in cauſa ſit, vt optatius tibi ſit occidi, quàm ſuperari. Alexander reſpondit: Iam dixi tibi, non licere ſanctum dare canibus. Aurelianus ait: Num igitur canis ego ſum? Faceſſant verba tua: iam enim præ-

ſtò ſunt verbera. Alexander dixit: Ego non timeo verbera, quæ cum tempore tranſeunt, & celeriter finem accipiunt: illa autem tormenta æterna ego timeo, quæ tu non formidas. Tunc iratus Aurelianus, iuſſit eum leuari in eculeo & torqueri, attrectarique vngulis, & lampadibus inflammari. Cumq; diù id facerent, & ille nullam ederet vocem, dixit ei Aurelianus: Cur ita taces? Reſpondit Alexander: Quia orationis tempore homo Chriſtianus cum Deo loquitur. Dicit ei Aurelianus: Reſponde ad ea, quæ ex te ſciſcitor, & iubebo ceſſari à verberibus. Alexander reſpondit: Stultiſſime, ego te repræhendo: non enim curo crudelitatem tuam. Aurelianus ait: Vide ætatem tuam, quæ annum trigeſimum non excedit: quare tam pulchram vis perdere iuuentutem? Alexander dixit: Vtinam tu animam non perderes tuam.

S. Alexāder dirè cruciatur.

* Seuera,

Pendente autem in eculeo Alexandro, miſit ad Aurelianum vxor eius * Seuerina, qui ei diceret: Conſule tibi, & miſſum fac virum iuſtum Alexandrum. alioquì & tu mala morte periturus es, & me viduam relinques. Aurelianus ait: Amicus eſt cōiugis meę: idcircò hæc pro eo verba facit. Iuſſit tamen deponi Alexandrum, & applicari Euentiū atq; Theodulum. Rogauit autem Alexandrum, qui'nam illi eſſent. Alexander reſpondit ei: Ambo viri ſancti, ambo presbyteri ſunt. Admoto autem Euentio, dixit Aurelianus: Ecquis vocaris? Euentius reſpondit: Nomine carnali Euentius dicor: ſpiritali autem Chriſtianus ſum. Dixit ei Aurelianus: Quando primùm cœpiſti eſſe Chriſtianus? S. Euentius reſpondit: Ante annos ſeptuaginta. Nam vndecimo ętatis anno baptizatus ſum, viceſimo presbyter ordinatus ſum. At nunc annum ago octogeſimumprimum, & ſecundus iam annus eſt, quòd in carcere dego, & lætor in vinculis. Dicit ei Aurelianus: Conſule ſenectuti tuæ, & nega Chriſtum eſſe Deum tuum, & efficiam te amicū meum & diuitem & comitem. Euentius ait: Vbi eſt ſenſus tuus? vbi eſt mens tua? Putabam ego te ſapere: ſed cæco pectore es, nec potes videre quod Dei eſt. Itaque miſer vel ſerò intellige te hominem eſſe mortalem, & age pœnitētiam, & crede Chriſtum Dei filium, verum eſſe Deum, vt poſſis ad eius miſericordiam peruenire. Tum verò Aurelianus iuſſit, amoto Euentio, deduci ad ſe Theodulum, eique dixit: Tu'ne es ille, qui iuſſa mea ducis pro nihilo? S. Theodulus reſpondit: Ego teipſum quoque ſemper nihili pendo, quòd ſanctos Dei varijs ſupplicijs afficis. Quid enim peccauit Alexander, vt tot eum tormentis ſubijceres? Aurelianus dixit: Quaſi tu immunis ſis. Theodulus ait: Credo, fretus Dei miſericordia, me à conſortio martyrij eius minimè ſeparatum iri.

S. Euentius grandæuus.

Alexāder & Euentius mittuntur in furnum.

Tunc Aurelianus præcepit furnum vehementer accendi, & Alexandrum atq; Euentium ad dorſum pariter colligatos, ſimul in ardentem furnum iactari: Theodulum verò ſiſti ad furnum, vt eorum fractus cruciatu, in dæmonum ſacrificia conſentiret. Porrò S. Alexander clamauit ad eum: Frater Theodule, feſtina: veni huc, & eſto nobiſcum. Nam quartus ille, qui inter tres Hebræos pueros apparuit, etiam nobis adeſt. Exiliens ergo in furnum Theodulus, gratias egit Deo, ita dicens: Igne nos examinâſti, & non eſt inuenta in nobis iniquitas. Id cùm nunciatum eſſet Aureliano, iratus ingemuit, & præ furore angi cœpit. Iuſſit autem Euentium & Theodulum decollari: Alexandrum autem per tota membra punctis creberrimis compungi, donec deficeret. Cumq; eis tanquam mortuis inſultaret, repentè facta eſt ad eum vox de cælo: Aureliane, his, quibus tu inſultas, apertus eſt paradiſus: tibi verò patet tartarus. His auditis, Aurelianus tremore corripitur, dicitq; Seuerinę vxori: Venit ad me iuuenis quidam cum virga ferrea, eaq; ignita, iactanſq; eam ad pedes meos, dixit: Habes Aureliane, quod egiſti. atque ex eo tempore totus contremui, incidiq; in febres, & quid agam ignoro. Ora pro me domina Seuerina Deum tuum, vt ignoſcat mihi. Seuerina reſpondit: Ego verò abibo, & per meipſam illos ſepeliam, ne mihi ſimiliter accidat. Itaq; abiens, ſeptimo milliario ab vrbe Roma, via Numentana, in prædio ſuo Alexandrum & Euentium in vno condidit monumēto: Theodulum verò alibi ſepeliuit. Porrò omnes Romani clerici & viri religioſi, qui ad ſanctorum corporum exequias venerant, illic remanſerunt. Seuerina autē feſtinans domū, inuenit Aurelianum mente alienatum, ardentemq; febribus, & mala omnia ſibi imputantē. Cui dixit Seuerina: Noluiſti audire me. iam malè peris, & me viduam relinquis. At ille mox reddidit ſpiritū, mandēs linguā ſuam. Seuerina aūt induit ſe cilicio, & tādiù iacuit ad limina ſanctorū, quos ipſa ſepelierat, donec ab Oriente veniſſet S. Sixtus Epiſcopus. A quo impetrauit, vt in eodem loco ordinaretur epiſcopus, qui omni die, quę ſunt ſancta, martyribus celebraret. Itaq; locus ille habet proprium ſacerdotem vſq; in hodiernū diem. Sanctorū aūt horum natalis, eſt V. Nonas Maij: beati aūt Hermetis martyris, V. Calend. Septēbris: ac per hoc benedictus Deus in ſecula ſeculorum,

Dan. 3.

Pſal. 16.

Occiduntur

Aurelianus malè perit.

Miſſæ quotidianæ.

rum, Amen. Hactenùs ex MS. codice. Porrò Damaſus de hoc Pontifice Alexādro inter cætera ſcribit in Pontificali, eum conſtituiſſe aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum: vnde conſtat, aquæ ſacratæ in Eccleſia vſum eſſe antiquiſſimum.

Aquæ benedictæ vſus peruetuſtus.

MARTYRIVM SS. ALEXANDRI ET ANTONINÆ

virginis, authore Simeone Metaphraſte.

3. Maij.

CVM eſſet temporibus illis perſecutio, & multi fratres pro Chriſti pietate interfecti fuiſſent, poſt multos dies oblata eſt Feſto Præſidi, homini omnis miſericordiæ experti, Chriſtiana quædam virgo, quæ Antonina vocabatur, è caſtello quodam, cui nomen erat Crodamnum. Virgo autem illa honeſtam vitam egerat, quam & Chriſtus ipſe perfectam reddidit in perferendis pro pietate certaminibus, quô diabolum aduerſarium expugnare poſſet. Cùm enim virgo illa crudeliſſimo Præſidi Feſto tradita fuiſſet, cœpit Feſtus ipſe inſidijs virginem aggredi, atque ita illam hortabatur: Domina Antonina, volo te virginem ita honeſtam & pudicam Dianæ ſacerdotem conſtituere: quinetiam munera & honores tibi conferam, vt & domui meæ imperare poſſis.

Verſutiæ ſatanæ.

Illa cùm diù tacuiſſet, vix tandem reſpondens: Quid, inquit, huiuſmodi munera inania mihi largiri vis? At ſi tu, Feſte, mearum diuitiarum particeps eſſe cupis, crede Domino meo Ieſu Chriſto, & diuitias ſempiternas conſequeris. Tum Feſtus: Auertant hoc dij, vt tali Deo ipſe credam, homini præſertim in cruce ſuffixo. Non ego, inquit Antonina, in cruce fixum, & ſepultum fuiſſe inficior: ſed eundem illum Deum fuiſſe confiteor, quippe qui tertia die reſurrexit, & nunc ſedet ad dexteram Patris ſui, ſicut ſcriptum eſt in pſalmo centeſimonono: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ad hęc Feſtus: Multæ iſtæ tuæ ſermonum machinæ, inanes ſunt. Cur non potiùs mihi obtemperas, & dijs ſacrificas, vt multa libertate fruaris? Tum virgo illa reſpondit: Ego iſtiuſmodi dijs ſenſu carentibus non ſacrifico: dæmones enim ſunt, cùm in lege Dei mei ſcriptum ſit: Omnes dij gentium dęmonia, Dominus autem cęlos fecit. At Feſtus: Tu'ne deos noſtros vocas dęmones? Maximè, inquit illa. quibus enim vis nulla ineſt, quíque non conſiſtunt, hi non dij, ſed dæmones ſunt. His verbis Feſtus iratus, militibus dixit: Eius maxillas multis alapis verberate, vt paululùm erubeſcat. Statimque hæc addidit: Per deos omnes, niſi edicto Imperatoris tu Antonina obtemperaueris, peſſimis modis te verberatam, in lupanar mitti iubebo, ac ſic igne te comburendam eſſe decernam. Intereà liceat tibi tres dies cogitare, recuſes'ne facere, quod iubeo, an velis reſipiſcere, & dijs ſacrificare. Hoc enim plures alij agere cœperunt, quod tu nunc audes: ſed poſteà mutato conſilio, dijs ſacrificârunt. Tum Antonina: Fac, inquit, quod vis, impie Tyranne.

Pſal. 109.

Pſal. 95.

Cæduntur Antoninæ maxillæ.

Tradita igitur quatuor militibus, lætanti animo, & vultu hilari in carcerem abijt. Tunc Præſes carceris Præfectum clàm ad ſe vocauit, & iuſſit, ne quid mali omninò ei faceret, ſed potiùs illam admoneret, vt ſententiam mutaret, & dijs ſacrificaret: Difficulter enim, inquit, Chriſtianorum genus de ſententia depelli poteſt. Præfectus igitur carceris cùm virginem illam incluſiſſet, his verbis admonere eam cœpit: Antonina virgo honeſtiſſima, cur ita permanes in iſta tua ſententia? Cur non potiùs conſilium mutas, & dijs ſacrificas, vt ſalua eſſe poſſis? Illa verò nihil omninò reſpondebat, ita vt cuſtos carceris ſecum dubitaret, quorſum hoc faceret. Tunc virgo, genibus in ſolo poſitis, nocte & die Deum precabatur. Cùm verò tres dies præterijſſent, repentè tonitru factum eſt tam magnum, vt clauſtra ipſius carceris perfracta ſint, & fores patefactæ, magnumque lumen in carcere ipſo effulſerit, & vox hæc è cælo demiſſa ſit: Surge Antonina, & cibum ſume: panis & aquæ particeps fias, & eſto fortis, neque nefarium iſtum Præſidem Feſtum timeas, quoniam ego tecum ſum. Surrexit illa, cùm diuinas preces cōpleuiſſet, & Amen addidiſſet: cumq; panem & aquam, cibum & potum ſumpſiſſet, ſomno ſe dedit.

Abit in carcerem.

Prudenter totam ſe dat precibus.

Poſteà verò, quàm dies illuxit, Præſes pro tribunali ſedens, dixit: Adducite ſacrilegam illam fœminam, vt videamus, quæ'nam ſit eius ſententia. Ducebant igitur illam milites, ante Feſtum Præſidem ſiſtendam. Tum beata virgo in cælum intuens: Gratias, inquit, ago tibi, Domine Deus meus, quòd in me voluntatem tuam exequaris: quæſo, vt ne me derelinquas vſq; ad mortem. Tum vox è cælo venit, quæ dixit: Fac iter

tuum, ego enim tecum ſum. Cùm verò eò veniſſet, vbi Feſtus ſedebat, riſit beata virgo Antonina. Quam cùm Feſtus ridentem vidiſſet: Quid eſt, inquit, quòd riſiſti? Tum illa reſpondit: Dicam riſûs mei cauſam: præuidi ſolium iſtud tuum euertendum, ob idque teipſum riſi. Senſit Præſes virginis contumeliam, & iuſſit illam flagellis verberari. Quæ cùm mentis oculos in cælum erexiſſet: Gratias, inquit, ago tibi, Domine Deus meus, quòd dignatus ſis facere, vt ego miſera & peccatrix cum ſanctis tuis ſortem habeam, hunc autem nefarium, & ſanguine fœdatum celeriter ad inferos demittes, vt cognoſcat inanes eſſe deos illos, in quibus ſpem ſuam collocauit.

Ridet præſidem, & flagellatur.

Hæc cùm humani ſanguinis appetens Præſes ille audiſſet, magis turbatus, dixit militibus: Sceleſta hæc & impura mulier non ſolùm deos noſtros ad iram prouocat, ſed etiam nos contumelijs afficit. Quamobrem illam in lupanar intromittite, vt eius libido expleatur. Itaque milites in cellam quandam eam adduxerunt. Angelus autem Domini apparuit vni ex militibus, qui tertium & vigeſimum annum agebat, atque Alexander appellabatur. Cui angelus ille: Alexander, inquit, loquere cum Præſide, & ingredere ad Antoninam, & indue illam chlamyde tua, vt exiens, à ſceleſto Præſide non agnoſcatur. Tum bonus ille Chriſti miles Præſidem adijt, & dixit: Iube me introire ad Antoninam: & ſi quidem illi perſuaſero, benè erit: ſin minùs, fac quod libet. Permiſit Præſes, & ait: Fac quicquid vis. Ingreſſus Alexander in eam cellam, in qua erat beata virgo, abiecit ſe ad eius pedes, & ait: Dei ſerua virgo Antonina, Dominus miſit me ad te, vt nunciem tibi quæcunque ille mihi dixit, & quomodò ſeruari poſſis. Illa ea re perterrefacta, valdè timuit. Repentè verò lux magna circa illos effulſit, & vox hæc ad eos venit: Ne timeas, Antonina. qui enim te ad hunc ſtatum vocauit, idem, cùm ſit ad modùm benignus, & Alexandrum ipſum ad eiuſdem brauij conditionem vocauit. Quamobrem eius chlamyde te induas, & capite, vultuque in terram demiſſo, exeas iſthinc, & ſic à Præſide non cognoſceris: ego enim te ita occultabo, vt ab eo agnoſci non poſſis. Sumpſit igitur virgo Alexandri chlamydem, & illa caput ſuum inuoluit: cumque foràs progreſſa eſſet, manu annuens Præſidi: Fac, inquit, quod vis. Et velut dama quædam è laqueis liberata, iter ſuum hilaris effecit.

Ducitur in lupanar.

Antonina habitu mutato exit è carcere.

Præſes verò cùm exiſtimaret Alexandrum eſſe, qui hæc diceret, miſſis quatuor militibus: Abite, inquit, & muliere ipſa vtamini, vt vultis, eamque foràs educite, vt illam multa ignominia nos afficiamus. Milites igitur ingreſſi, vt turpitudinem aliquam virgini afferrent, eam non inuenerunt, ſed ſolum Alexandrum. Qua re perculſi, dixerunt: Et vbi'nam eſt illa? Et vnde'nam tu hîc es? Illum itaque manu appræhenſum, cùm ad Præſidem duxiſſent: Hunc, inquiunt, ſolum intus inuenimus. Quem cùm Feſtus vidiſſet, ea re perculſus, ſic Alexandrum eſt allocutus: Agè, miſer atque infelix, dicas: Quomodò iſtud contra nos facere auſus es? Vbi'nam eſt nefaria illa meretrix? Tu omninò eam vitiâſti, & idcircò chlamyde tua contectam dimiſiſti, quam & vxorem te ducturum promiſiſti. Sed non ita erit, non enim manus meas effugies. Cumque Alexander taceret, & Præſes ipſe diù ſecum cogitâſſet, iuſſit illum ſuſpendi, & flagellis verberari.

Alexander flagellatur.

Cùm igitur verberaretur, ab eo quærebat Præſes, vbi'nam eſſet ſceleſta illa mulier. Alexander verò nihil reſpondebat, ſed cælum tantùm intuebatur: demiſſaque vox eſt è cælo ad Præſidem, quæ ait: Scelerate Feſte, cur innocentem hominem ita crucias? Qua voce audita, deſijt Præſes illum cruciare, & iuſſit è ligno detractum cuſtodiri, tempusq; præſcripſit, quo daret operam, vt ſceleſta illa mulier inueniretur. Cùm verò dies quinque præterijſſent, Præſes Alexandrum ad ſe accerſitum interrogans: Quid'nam, inquit, deliberâſti? Tunc Alexander reſpondit: Quid'nam aliud deliberem, fœdiſſime & crudeliſſime Præſes? Tum Feſtus: Vbi'nam, inquit, eſt mulier, ad quam tu ingreſſus es? Ei autem Alexander: Neſcio vbi illa ſit. Adhuc illis loquentibus, Deus ipſe Antoninæ virgini dixit: Eſto fortis, & vade in eum locum, in quo ſedet impius & ſceleratus Præſes. Venit illa, & ſtetit coram Præſide, ac dixit: Scelerate & impure Feſte, quem quæris? An meipſam? En præſtò ſum, vt potentiam tuam euertam.

Eam cùm Feſtus vidiſſet, confuſo & perturbato animo eſſe cœpit, miſſiſque militibus, iuſſit eam ſuſpendi & verberari, vt diligenter inquireret, num virgo eſſet, an corrupta. Illa verò cùm verberaretur, vocem nullam emittebat. Cumque è ligno depoſita eſſet, quæſiuit ab ea Præſes, virgo'ne eſſet, an corrupta. Tum illa: Scelerate & crudelis, nos tuæ ſæuitiæ & libidinis participes non ſumus: nam Deus ipſe ſua miſericordia me incorruptam ſeruauit. Tunc Feſtus in illam intuens, miratus eſt, & dixit: Cùm igitur virgo ſis, agè dijs ſacrifica vnà cum Alexandro, & ſalui eritis. Tunc Alexander

Antonina rurſus verberatur.

& virgo Antonina vocem hanc, tanquam ex vno ore prolatam, ediderunt: Non tales cruciatus iſti tui, miſer Feſte, qui nos adducere poſſint, vt dijs iſtis vanis ſacrificemus, in quibus vis nulla ineſt. At Præſes: Amborum, inquit, ſummas manus abſcindite. Illi verò generoſi milites Chriſti manus extendentes, dixerunt: Anteà nos tibi, ſcelerate & fœdiſſime homo, diximus, nullis tuis artibus fieri poſſe, vt piæ noſtræ cogitationes expugnentur. Quamobrem fac quicquid vis.

Prolato igitur gladio, milites extremas manus amborum abſciderunt. Illi verò factum non ſentientes, diuinam gloriam concinebant, & ad Præſidem conuerſi: Sęuiſſime, inquiunt, & ſceleſtiſſime Feſte, neque ſic cruciatus, quos tibi nobis inferre libuit, ſentimus. Te verò Deus ipſe celeriter ad inferos detrudet, ineuitabilibus ſupplicijs puniendum. Tunc ira percitus Feſtus, quòd ſe contumelioſis verbis appellari audiuiſſet, iuſſit profundam foueam parari, & ait: Suſpendantur iſti, & tandiù verberentur, quoad ſupplicium ſentiant. Quinetiam foueam ingenti pyra compleri iuſſit, vt ſancti illi martyres in ea comburerentur. Illi verò cùm verberarentur, neque id ſentirent, ſed Dei gloriam celebrarent, iuſſit iniquus Præſes faces accenſas eorum lateribus admoueri. Tunc Alexander & Antonina voce magna clamabant: Nos, miſer Feſte, propter Chriſti pietatem hæc patimur, futurum credentes, vt poſt mortem noſtram ab ipſo mercedem recipiamus: te verò Deus celeriter perdet, quòd eius ſeruos ita crucias.

Præciduntur martyrum manus · *Verberantur.*

Furore percitus Feſtus: Accendite, inquit, in fouea pyram vehementiſſimè, vt iſti celeriter in illam conijciantur. Fecerunt milites, quod iuſſi fuerant, & Feſto id factum retulerunt. Tum ille immiſericors Præſes iuſſit militibus martyres ipſos pice illinire, & in pyram conijcere. Fecerunt ipſi quod Præſes iuſſerat, & Alexandrum & Antoninam illuc coniecerunt. Iuſſit autē Præſes & aridam picem ſupra pyram imponi, vt illi omninò comburerentur, atq; vt ipſorum etiam oſſa in cinerem redigi poſſent. Iuſſit deinde foueam ipſam obrui, dicens: Ne mulierculæ iſtorum oſſa colligere poſſint, ſicut mos eſt Chriſtianis hominibus facere. Cùm igitur Feſtus in ignem illos conieciſſet, & foueam obruiſſet, redijt in domum ſuam: qui non ampliùs cibum aut potum ſumpſit, ſed mutus remanſit. Spiritus enim malignus per angelos immiſſus, vſque ad ſeptimum diem eum cruciauit. Itaque poſt ſeptem dies vehementiſſimis cruciatibus detentus, animam efflauit. Quo ſepulto, perſecutio ſedata eſt.

In ignem conijciuntur. · *Vltio diuina in præſidem.*

Martyrium autem compleuerunt ſancti martyres Alexander & Antonina V. Nonas Maij, hora nona, die ſabbato, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA BREVIS S. IVVENALIS EPISCOPI NARNIENSIS ET CONFESSORIS, VT HABETVR IN *MS. codice, ſed phraſim mutauit F. Laur. Surius.*

SANCTVS Iuuenalis arte medicus, dignitate preſbyter fuit. Venit autem ex * Africa Romam ad illuſtrem quandam matronam, Philadelphiam nomine, quæ eum recepit in domum ſuam: cumq; didiciſſet eum virum ſanctum, miſit Narniam viros prudentes, qui explorarent, num illic eſſent homines Chriſtiana religione initiati. Vbi autem percepit eſſe ibi Chriſtianos etiam nobiles vtriuſq; ſexûs, communicato cum illis conſilio, ſanctum Iuuenalem eius vrbis Epiſcopum curauit conſecrandum. Ea fretus functione Iuuenalis, luculentis verbis palàm hortabatur ciues Narnienſis, vt reiectis idolis, Chriſtum ſibi colendum ſumerēt: conditoque oratorio in honorem ſancti Valentini Epiſcopi & martyris, ſacroſancta illic peragebat myſteria, plurimoſque conuertit ad Dominum & baptizauit.

5. Maij. · **Hybernia* · *S. Iuuenalis fit Narnien. antiſtes.* · *Huius hiſtoria eſt Tomo 1.*

Cùm aliquando Ligures & Carporum familia multas oppugnarent vrbes, etiam Narniam obſidione vexârunt, quinto anno ordinationis S. Iuuenalis. At ille cum Chriſtianis per muri circuitum ita pſallebat: Fiant Domine viæ impiorum tenebræ & lubricum, & angelus tuus perſequatur eos. Veniat illis laqueus, quem ignorant, & captio, quam occultauerunt, apprehendat eos. Et eccè repentè nocte intempeſta intonuit de cælo Dominus, & miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos, idque adeò, vt hoſtibus in fugam verſis, vrbs liberata ſit. Tum verò ſanctus Epiſcopus indicto ieiunio, diuina myſteria celebrauit.

Precibus fugat hoſtes.

Solebat vir ſanctus habitare apud portam ſuperiorem in turri quadam, muro cohærenti. In ea hodieque perdurat lectus eius, in quo ſomnum capiebat. Erat verò illi calix cryſtallinus, ex quo multi bibentes, ſanati ſunt à diuerſis languoribus: & is quo-
Abit in cælos. que vſque in præſens illic aſſeruatur. Poſt annos ſeptem in epiſcopatu exactos, ſpiritum Domino reddidit, ſepultusque eſt ad portam ſuperiorem via Flaminia. Quandoque vir Dei de ſeipſo retulit, admonitum ſe in viſione fuiſſe, vt pro nauigantibus deprecaretur, quod etiam fecit. Nauigabant verò trecenti viri in naui multis opibus onuſta, qui ex Oriente venientes, ad portum quendam contendebant. Cumque tranquillo vterentur mari, media die extitit atra nox, ſæuierunt venti, procellæ intumuerunt, parum à ſubmerſione abfuit nauis, ſpes omnis viuendi erepta eſt. Mox illis apparuit ange-
Miraculũ. lus in effigie Iuuenalis Epiſcopi, ſtans ſuper aquas. Illi autem viſo eo exclamârunt: Si vir Dei es, libera nos. Orauit ergo manibus extenſis, & nauis ad portum optatum appulſa eſt. Rogabant verò, quiſnam eſſet. Et ille: Sum, inquit, Iuuenalis Narnienſis Epiſcopus. Gratias agatis Deo, qui liberauit vos. & hæc dicens, abſceſſit ab eis non parùm admirantibus, Deumque collaudantibus. Poſteà cùm ſua negocia expediuiſſent, quadraginta viros cum magnis muneribus miſerunt ad eum, qui intra biduum longiſſima maris ſpatia emenſi, cùm Narniam ingreſſi eſſent, compererunt illum obijſſe diem ſuum. Acceſſerunt itaque ad ſepulcrum eius, eoque tacto vnus ex eis quartana febre labo-
Aliud miraculum ad ſepulcrũ eius. rans, ſanatus eſt: datis autem muneribus venerabili viro Maximino ſucceſſori eius, rogârunt vt templum ei conderet. quod & factum eſt.

MARTYRIVM SANCTÆ VIRGINIS ET MARTYRIS PELAGIAE TARSENSIS, EX SImeone *Metaphraſte.*

4. Maij. CVM eſſet nuper à Diocletiano Imperatore per totum orbem terrarum Chriſtianorũ perſecutio renouata, multi, ac ferè innumerabiles viri furorem Imperatoris extimeſcentes, ad montes ipſos aufugerunt. Verùm qui erant in fide ſtabiliores, & Deum magis, quàm homines metuebant, permanſerunt in ſanctis eccleſijs, Deum ipſum precantes, vt certamen pro Chriſto ſubeuntes victores fierent.

Clino Epiſcopus multos in fide confirmat. Eo tempore beatus & religioſus Epiſcopus, qui Clino dicebatur, baptizabat multos, ac ſingulos, qui ſupernæ vocationis brauium perſequi volebant, hortationibus ſuis magis magiſque excitabat. Eius autem fama per totum Orientem celebrabatur. Poſteà & Tarſum vrbem Ciliciæ, Epiſcopus ille ſe contulit, in qua vrbe multos baptizauit. Tertio autem die poſt beati eius viri in eam vrbem aduentum, audiuit Imperator quicquid Epiſcopus ille faciebat, quodque multos à dijs ipſius auertens, proprio Deo adiungebat. Itaq; vrbis portas claudi iuſſit, & eum virum compræhendi. Beatus verò Epiſcopus Clino, diuina reuelatione admonitus, exijt ex vrbe illa, nemine ipſum vidente. Cumque per totam vrbem quæſitus, non inuentus fuiſſet, iratus Imperator omnibus illis, quos Epiſcopus Clino baptizauerat, iuſſit eos in carcere concludi. Erant enim multi, quos Dominus ſingulatim acceperat.

Virgo autem quædam nomine Pelagia, Dei timore admodùm excellens, cuius pulchritudinem pro dignitate explicare non poſſumus, cùm in ea vrbe habitaret, quæ ſuprà dicta eſt, audiuit de Epiſcopi fuga, & ipſum videre cupijt. Eius virginis pulchritudinem & decoram ſpeciem cùm Diocletiani filius audiuiſſet, miſit procuratores ſuos & multos milites, qui virgini perſuaderent, vt ſe illi in matrimonium collocaret. Beata
S. Pelagia recuſat coniugium filij Imperatoris. verò Pelagia, cùm ſe Chriſti ſigno muniuiſſet, eos à ſe repellens: Deſponſata, inquit, ego ſum Dei filio. Redierunt illi, & quæ audierant, Imperatoris filio retulerunt: qui maximum furorem in eam concepit, ſed tunc quidem tacuit, iracundiam in aliud tempus reſeruans. Sancta verò Pelagia ad matrem ingreſſa: Volo, inquit, mater, nutricem meam viſere: illam enim iamdiu non vidi. Nimirùm volebat ſancta illa virgo per nutricis occaſionem, ad Epiſcopum illum diuinum hominem accedere. Audierat enim à quibuſdam, quo loco ille tunc viueret.

At eius mater praui dæmonis inſtinctu non cõceſſit, quod filia petierat: ſed omninò

nò prohibuit illam diſcedere, dicens: Non potes nunc, ô filia, illuc ire, ſed aliâs opportuniùs ire poteris. At Dominus Ieſus Chriſtus noctis tempore beati Epiſcopi Clinonis ſpeciem reuelatione diuina Pelagiæ oſtendit: cuius viri adſpectum & honeſtam formam virgo ipſa admirata eſt. Cùm verò ſe à matre prohiberi videret, ne ad nutricem iret, clàm ſeruos ſuos ad carcerem miſit ad eos, quos ab Epiſcopo illo baptizatos Imperator coërceri iuſſerat, vt ab illisipſis de Clinonis Epiſcopi forma certior fieret: quô ſcire poſſet, an verũ fuiſſet, quod nocte per viſum contemplata fuerat. Cùm igitur pueri veniſſent, & Epiſcopi formam atque characterem nunciâſſent, cognouit omnia conuenire cum forma illa, quam per nocturnam viſionem didicerat. Itaq; ſancta Pelagia gaudio magno affecta: Tuorum, inquit, Domine, bonorum nũcius eſt homo ille: precor te, ne myſterijs tuis indignam me facias. Cumque hæc precata eſſet, ad matrem ſuam introiuit, eique dixit: Rogo te nunc, domina ac mater mea, vt præſtes mihi, quod pollicita es, cùm dixiſti, opportuno tempore me ad nutricem meam ituram. En tempus nunc præſtò eſt: agè, mitte me ad illam.

Cùm eius verba mater audiuiſſet, ſecum cogitabat dubitans, ne ſi filiam ire prohiberet, præ mœrore in morbum illa incideret. Statim igitur exurgens, regalem purpuram, gemmis precioſis & varijs diſtinctam, omniaque ornamenta illuc proferri iuſſit, perinde ac ſi filio Diocletiani deſponſata eſſet: eamque ſic indutam, cum puerorum & multorum militum comitatu miſit. Tum mater: Vade, inquit, filia, & meis verbis nutricem tuam ſaluta. Cùm igitur iumento impoſita fuiſſet, ibat gaudens, & eo, quod expectabat, admodùm læta & exultans. Cùm verò milliaribus ferè decem proceſſiſſent, vnus è militibus, qui ſimul ibant, Longinus nomine, vidit quendam venientem ſub montis cuiuſdam arboribus: quem cùm ex habitu & decora faciei ſpecie cognouiſſet, ad commilitonem ſuum conuerſus: Iuliane, inquit, frater, noſti'ne virũ hunc ante nos venientem? Hic eſt ille Dei homo Clino, ille, inquam, miraculorum effector per totum Orientem, cuius fama vſque ad Imperatorem peruenit, & propter quem Chriſtianorum perſecutio commota eſt. Milites autem illi Longinus & Iulianus erant ex eorum numero, qui Chriſto ſeruiebant. Quidam verò ex Eunuchis cùm audiuiſſent, quæ milites dicebãt, nunciauerunt dominæ ſuæ. Quæ cùm audiuiſſet, rem cognouit: & iumentum ſiſti iuſſit, è quo deſcendit, & pedibus ſancto illi viro iuit obuiàm, militibus & pueris præcipiens quietè ſe gerere, neque homini moleſtos eſſe: verùm ſecedere, & ſub vmbra illarum arborum ſe continere, quoad ipſa cum illo Dei viro loqueretur. Erant enim in illis plerique Chriſti myſteriorum expertes, ob idque nõ ſinebat eos myſteria Dei audire.

Apparet hinc, valdè illuſtrem hanc fuiſſe virginem.

Cùm igitur omnes ſeceſſiſſent, ſancta virgo Pelagia diuinum illum Dei virum allocuta eſt. Qui eius viſu perculſus, dixit: Tecum ſit Chriſti pax, ô adoleſcens fœmina. Tum illa: Benedictus, inquit, Deus, qui in iſta imagine tua mihi reuelatus eſt, quoniam te miſit ad me, vt ſerues animam meam ab interitu. Nunc igitur per Deum, cui ſeruis, te precor, vt verè mihi dicas, quis tu es, & quódnam eſt nomen tuum, quæ've tua conditio. Cui beatus Epiſcopus dixit: Ego, quod mihi præcipuum, & omnibus rebus precioſius eſt, Chriſtianus ſum, rationalium Chriſti ouium paſtor, qui Clino appellor. Tunc illa cùm exiſtimâſſet paſtorem eorum pecorum eſſe, quæ ſacrificantur, ei dixit? Precor te Domine, vt dicentem me audire non graueris. Multæ ſunt oues in domo patris mei, itaque, ſi placet, veni, & ipſas paſce, & ego tibi mercedem multam tribuam. Tunc Epiſcopus: Non ſum ego pecorum paſtor, quæ tu opinaris, ſed rationalium Chriſti ouium, hoc eſt, hominum, qui vitam æternam conſequi ſperant. Et quid'nam, inquit ſancta Pelagia, agnis tuis ipſe das, quare vitam æternam habere poſſint? At beatus Clino: Illis nuncio cognitionem Patris, & Filij, & ſancti Spiritûs. Agè, inquit illa, domine mi Pater dic, quid'nam magis neceſſarium ſit ijs, qui volunt eſſe cum Deo tuo. Da, quæſo, mihi hoc. Cui Chriſti ouium paſtor reſpondit: Annuncio tibi baptiſma in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam. Hoc ipſo nihil magis neceſſarium. Id cùm audiuiſſet Pelagia, & ad beati Epiſcopi Clinonis genua ſe deieciſſet: Miſerere, inquit, meî domine, & da mihi donum iſtud. Ex quo enim tempore mecum locutus es, ipſius Dei lumen in corde meo effulſit. Itaque ſatanæ, & angelis ac machinis ipſius, hoc eſt, vita carentibus idolis, renuncio. Illa ego hucuſque colui, ab his miſericordiam quærens, ex quibus vtilitas non proficiſcitur, ſed pernicies & mors ſempiterna. Nunc igitur Deum precor, vt ego, quanuis indigna, ipſius filio deſpondear, qui occultas cordis mei partes illuminauit: ipſe enim eſt iuſtitiæ ſol.

Loquitur cum ſancto Clinone.

Orat pro ea S. Clino. Cùm tam admirabilem virginis orationē beatus Epiſcopus Clino audiuiſſet, eam admiratus, manus ſuas in cælum ſuſtulit, ac dixit: Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſedes ſuper cælos, & virginem hanc ad tuî cognitionem vocâſti, emitte ipſi ſanctum & illuſtre baptiſma dilecti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cùm ita ille Deum precaretur, repentè fons aquæ viuæ ante ipſos ſcaturijt: cumque beatus Epiſcopus vidiſſet ſe celeriter à Deo exauditum, continuò eum laudās: Magnus es, inquit, Deus noſter, Pater, & Filius, & ſanctus Spiritus, quoniam dediſti hæreditatem filijs hominum, baptiſma in vitam ſempiternam. Et nunc, Domine, tu, qui nôſti corda hominum, ſcis humilitatem ſerui tui, quòd vereor virginem hanc ſic baptiſmate lauare: ſed tu, qui potens es in omnibus, prouide quidnam fieri oporteat. Cùm ſic ille Deum precatus eſſet, Pelagia dixit: Domine, & pater, exaudita eſt in hoc oratio tua: ecce enim miſit Deus lumen, ſicut precatus es. nam video duos milites ſupra fontem ſtantes, & in manibus linteum ita ſplendidum habentes, vt huius fontis aquæ, velut ſol, fulgeant. Ne igitur verearis baptiſmate me lauare. Beatus Epiſcopus cùm Pelagiam hæc dicentem audiuiſſet, Deo gloriam reddidit, & ad fontem acceſſit, vt aquas ipſas expiaret, & ſanctas faceret: qui cùm Deum precaretur, factum eſt vt & ipſe Angelos ſupra fontem ſtantes videret ea figura, qua Pelagia illos viderat.

Fons ſcaturit.

Aquam antè expiat, q̄ virginē baptizet.

Cùm igitur Angelos vidiſſet, vocem ad Deum ſic extulit: Gloria tibi ſit, Rex vniuerſarum rerum, qui feciſti Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Tu me dignum efficias, qui hanc virginem, quam ipſe mihi obtuliſti, tibi offeram hoſtiam viuentem in memoriam & odorem ſuauitatis. Fac & ipſam dignam, quæ in grege electorum tuorum numerari poſſit, vt in die regni tui, & ipſa cum quinque illis virginibus prudentibus in thalamum Chriſti tui, lampadem ſuam accenſam habens, ingrediatur. Cùm preces compleuiſſet, exultans Spiritu ſancto ob ea, quæ viderat mirabiliter facta, virginem ipſam in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti illuminauit. Quæ cùm baptiſmate renouata eſſet, communionem de Chriſti menſa Epiſcopus accepit, eique impartiuit. Poſteà ſancta Pelagia Epiſcopum adorauit, eiusque veſtigia exoſculans: Domine, inquit, ac pater benedicte, precare Deum pro me, vt à ſancto Spiritu fortis efficiar. Cui beatus Epiſcopus dixit: Deus ille, cui dediſti pignus animæ tuæ, ipſe mittat tibi auxiliū de ſancto habitaculo ſuo, & det tibi, vt aduerſariū ſuperes.

Pſal. 103.

Matth. 25.

Adulti baptizati etiā ſacram Euchariſtiam accipiebāt.

Ex hac ſancti Epiſcopi oratione cùm virgo per Spiritum ſanctum multam voluptatem & lætitiam accepiſſet, Epiſcopum ſic affata eſt: Pater, per Deum illum te precor, qui per teipſum mihi ſalutem dedit, ne me deſpicias, neque quod à te petiero, mihi deneges. Quoniam à ſanctis manibus tuis illam Domini & æterni Regis purpuram accepi, poſthac fragilem terrenamque hanc veſtem, & reliqua hæc omnia habere non licet. Tu igitur hæc accipe, & in longinquam regionem feras, vbi vendi poſſint, eorumque precia cape, & indigentibus diſtribue: mihi enim ex hoc tempore hæc ipſa ſunt execrabilia. Tum Epiſcopus Clino: Mihi quidem, inquit, nō liceret id facere: ſed ne tibi moleſtum ſit, quoniam me per Deum obteſtata es, capiam iſta. Tum Pelagia: Ego audiui, cùm diceres, Dominum noſtrum dixiſſe: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Cùm virginis illius prudentiam beatus Epiſcopus admiraretur, & pro ipſa Deum precatus eſſet, illi benedixit, eamque dimittens, vt ad ſuos rediret: Vade, inquit, in pace. Sancta verò Pelagia gaudio affecta per Spiritumſanctum, Dei gloriam laudabat, quòd digna effecta eſſet, quæ cæleſtia bona perciperet.

Matth. 6.

Redijt igitur ad pueros ſuos, qui eam ſecuti fuerant, viditque ipſos tenebris & caligine detentos: cæcitas enim eis acciderat, ob idque ambulare non poterant. Pelagia cùm illos ipſos, tanquam vinctos detineri animaduertiſſet, cognouit diaboli arte atq; inſidijs id factum. Itaque & ſibi & pueris Crucis ſignum adhibuit, ac ſtatim illa tentatio ab ipſis remota eſt. Cœperunt autem ab ea quærere, vbinàm eſſet homo ille, qui lumen ei præbuerat, & mulier valdè ſpecioſa, quam inter ipſam & eum virum ſtantem à ſe viſam dicebant, in capite ipſo duo diademata, & ſuper ea Crucis ſignum tenētem. Pelagia hæc audiens: Silete, inquit. Verùm poteſtis'ne & vos accedere, quò & ego acceſſi, ad bonam, inquam, illam ſpem, & regnum ſempiternum? Reſponderunt iuuenes illi: Quare non poſſumus & nos, hera noſtra, illi credere, qui poteſt à pœnis ſempiternis nos eripere, & in altiſſimo cælo vita donare? Pelagia igitur cùm feciſſet, vt idola renuerent, quæ ad illum vſque diem coluerant, eos tales præparauit, quæ cæleſtis eruditionis participes fieri poſſent.

Efficacia ſigni S. Crucis.

Deinde cùm in iumento ſediſſet, abijt ad nutricem ſuam, quæ (vt conſueuerat) obuiàm

uiàm illi venit, ſanctæque Pelagiæ vultum lætum & longè pulchriorem vidit, quàm anteà viderat. Vidit etiam in ea multa alia mutata: anteà enim ſumptuoſis veſtibus ornabatur: tunc verò modeſto habitu induta erat. Anteà elato animo fuerat: tunc ſummiſsè & humiliter ſe gerebat: Anteà ſuperba, tunc abiecta veſte corpus tegebat: anteà varijs & delicatis cibis veſcebatur, tunc, vt fama erat, & ex macie cognoſcebatur, precibus & ieiunio diligenter vacabat. Cùm hæc nutrix intelligeret, illam Chriſtianam factam eſſe animaduertit: cumque recordata eſſet, quot modis Diocletianus Imperator eos cruciabat, qui eiuſmodi mentem haberent, & tamen illis perſuadere non poſſet, vt Chriſtum negarent, hæc ſecum cogitabat: Si huic conſilium do, ne ſit Chriſtiana, quemadmodùm Imperatoris edicto præcipitur, illa nequaquàm mihi obtemperabit: particeps enim facta eſt gratiæ illius, quam Chriſtiani profitentur, cùm dicunt vnum ſolum eſſe Deum. Cœpitque nutrix ipſa ſic Pelagiam affari: Filia, ſicut nimiæ tuæ pulchritudinis atque honeſtæ formæ admirationem attuliſti Diocletiano Imperatori, & eius filio, omnibusque optimatibus, & toto exercitui, ijs denique Regibus, qui longè hinc abſunt: ita vera pulchritudine prædita, placeas Dei filio, cui teipſam ſponſam dediſti: æterno enim Imperatori, vt præ te fers, tu credidiſti. Ille præbeat tibi vim & patientiam contra aduerſarios, & victricia præmia certamini tuo retribuat. Redi autem cum pace, quoniam in domum meam te intromittere non audeo, ne fortè hoc audiat is, qui te ſponſam ambit, & cum toto meo genere ac familia me deſtruat. Equidem id mea cauſa non facio, quoniam ſi me periculis traderem, mercedem tecum vnà perciperem: verus enim eſt Deus, in quem tu credidiſti. Cùm hæc audiuiſſet Pelagia, demiſſo vultu à nutrice ſua diſceſſit: cumque ad matrem rediret, & propè eſſet, mater obuiàm illi venit, vt conſueuerat. Verùm cùm eius veſtem mutatam vidiſſet, eius rei cauſam non quæſiuit, ſed clamorem magnum cum eiulatu atque vlulatu emiſit. Pelagia verò riſit illa quidem, ſed nihil reſpondit. At mater furore percita, iacuit ſemimortua, & ſine voce diù manſit. Poſteà cùm animum collegiſſet, & ad ſe reuerſa eſſet, ſurrexit, ac nihil dicens filiæ, neque quod factum erat, ab ipſa exquirens, properauit ad militum & armatorum equitum multitudinem adducendam. Quibus cùm iudex præcepiſſet, vt in omnibus his, quæ ipſa vellet, ei obtemperarent, venit cum militibus: ſed filiam ſuam non inuenit, cùm ea interim receſſiſſet.

Hæc mutatio dexteræ excelſi.

Nutrix cõfirmat ſanctam Pelagiam, ſed nõ audet admittere in domum ſuã.

Exeuntes igitur illinc, omnes & vias & ſemitas circumeuntes, omnia loca perſcrutabantur vſque ad milliaria quadraginta perueſtigantes, & tam eam inuenire ſtudentes, quàm illum, qui talem iniuriam ipſi Pelagiæ intulerat. Audierat enim ipſius mater à pueris, quòd ad Epiſcopum quendam ſe contuliſſet: ob idque illis militibus, qui miſſi fuerant, præceperat, vt ſi Epiſcopum inuenirent, & ipſum vinctum ad ſe ducerent. Milites igitur abeuntes, & longinqua loca perſcrutantes, neminem inuenerunt. Sancta verò Pelagia cum famulis ſuis, qui Chriſto crediderant, ſedebat trans flumen, & ipſa quidem milites videbat: illi verò, qui eam quærebant, neminem videre poterant. Quamobrem ipſius animus exultauit in Domino, ac ridens adoleſcentibus, qui cum illa erant: Videtiſne, inquit, vt Dominus Ieſus charos habet omnes ad ſe venientes, & ſpem ſuam in ipſo collocantes? Itaque milites fruſtrà laborantes, ad ipſius matrem redièrunt: cui cùm dixiſſent, neque virum, qui filiæ iniuriam (vt ipſa dicebat) intulerat, neque filiam ipſam à ſe inuentam, ipſa hæc audiēs, graui mœrore affecta eſt.

Sed Pelagia vnà cum ijs, quos ſecum habebat, venit ad matrem, eique dixit: Cur inſania & rabie percita es? Cur non vis reſipiſcere? Non verita es mittere, qui ad te ducant virum ſanctum, qui colit vniuerſæ naturæ ſpirantis & omnis potentiæ Dominum? Non te pudet bellum aduersùs Deum ipſum aggredi? A quo ſi eius ſeruus Epiſcopus petierit, Angelum ipſe mittet, & temporis momento omnem exercitum à te miſſum diſſipabit, quoniam Deum ipſum Epiſcopus colit: quamobrem & ab illo exauditur. Reſpondens eius mater: Et quiſ'nam, inquit, hic eſt, de quo iſta dicis? Rex, inquit filia, regnantium, cui & meipſam tradidi, priorem ſponſum meum execrans. Tunc eius mater filiam Chriſtianam factam verè cognouit, addensque: Agè, inquit, dic: Ecquiſnam eſt Chriſtianorum Deus, cui teipſam tradidiſti? Tunc filia, Cur, inquit, curioſè inquiris de diuinitate illa, quæ verbis explicari non poteſt? Scito enim ipſum eſſe Dominum cæli & terræ, montium & collium, qui & firmamentum creauit, abyſſos conſtituit, terminum mari poſuit, ne tranſiliret, & continentem terram vaſtaret. Quæris de Deo meo? Hic eſt, qui portas æreas contriuit, & vectes ferreos confregit, & mortuos in vitam reſtituit. Pſal. 106.

Magna fortitudo tam illuſtris puellę.

Hæc

Hæc cùm eius mater audiuiſſet, ſtatim ad Diocletiani filium miſit, dicens: En ſponſa tua, Chriſtianorum Deo coniugata eſt. Ille hoc audiens, ægrè tulit, atque recordatus eſt, quemadmodùm anteà ipſius pater Diocletianus Chriſtianos capiebat, & multis modis ipſos cruciabat. Secedens ergo, ſecum ita loquebatur: Propterea quòd adoleſcentula hæc Deum Chriſtianorum concupiuit, non poterit decætero illum relinquere, & mihi vxor eſſe. Num igitur poſthàc ego Chriſtianos adſpicere potero? Num ſeipſos pro Deo ſuo tradentes, eumque non negantes? Itaque ne illam ac meipſum tormentis ſubiectum videam, iuſtum cenſeo eius cauſa meipſum interficere. Gladio igitur ſumpto, paratus erat ſe interimere, cùm Pelagiæ deſiderium propter admirabilem eius pulchritudinem ferre non poſſet. Quamobrem lugens ita dicebat: Væ pulchritudini, qua ego priuatus ſum. Væ mammis, in quibus ipſe non requieui. Væ ori, cuius amore mihi frui non licet. Hæc lamentans, neque furorem ſuſtinens, in gladium incubuit, & mortuus eſt.

Amoris inſania perdit filium Imperatoris.

Pelagiæ verò mater cùm audiuiſſet filiæ ſponſum ipſius cauſa ſibi mortem intuliſſe, filiam appræhendit, & ad Diocletianum adduxit, ne ipſam cum tota familia Imperator perderet. In palatium igitur ingreſſa, in medio conſtitit. Diocletianus verò cùm matrẽ vnà cum filia ſtantem vidiſſet: Quidnam, inquit, eſt iſtud, quod feciſti? Pelagiæ verò mater ei reſpondit: En filiam meam adduxi, cuius cauſa filius tuus ſeipſum interfecit. Nunc igitur hanc puniens, filij tui cædem vlciſcere. Diocletianus cùm Pelagiam pulchriorem vidiſſet, quàm omnes vxores & pellices ſuæ eſſent, non cogitauit filij cædem vlciſci, ſed quo pacto illam adduceret, vt Chriſtianorum fidem negaret, & eius coniunx fieret. Statim igitur iuſſit ſatellitibus, qui præſtò erant, ante virginem illam afferre infinitam vim auri. Volebat enim multa ſui auri copia Chriſti ſponſam & ſanctam Dei puellam capere. Cumque ipſius matri centum auri talenta dediſſet, illam dimiſit: quæ domum ſuam redijt à filia ſeiuncta, & diaboli gaudio affecta.

Diocletianus Pelagiã cupit habere coniugẽ.

Diocletianus verò iuſſit Pelagiam manè duci coram exercitu ſuo, vt illam ad fidei negationem impelleret, & coniugem duceret. Itaque illam coram omnibus ſic affatus eſt: Vnum hoc à te peto, vt Chriſtum neges, & mecum matrimonio copuleris, totoque Imperio meo potiaris. Quod ſi feceris, filius, quem ex te ſuſcipiam, poſt me regnabit. Denique ſi voluntati meæ obtemperaueris, capitis mei diadema capiti tuo imponam. Ad hæc Pelagia: Inſaniens tu quidem temerè iſta locutus es: ſed ſcito voluntati tuæ me non obtemperaturam, neque tibi vſui futuram in his, quæ dicis, neque capitis tui diadema capiti meo impoſitum iri: noui enim tria diademata in altiſſimis cælis præparata & iam adornata mihi eſſe. Primum diadema erit pro fide, qua meipſam Domino tradidi. Alterum erit regni cælorum diadema, quoniam ipſum expecto. Tertium mihi propoſitum eſt pro ærumnis atque tormentis, inter homines à me ſuſcipiendis, quorum cauſa cæleſtis gratia excipiet me apud Deum. Illud igitur ſcito, quòd voluntati tuæ non morem geram, neque Deum meum negabo.

Eum Pelagia contemnit.

His auditis, Diocletianus Imperator iuſſit militibus, qui aderant, bouem æreum, ligna, bitumen & ſaginam ſuillam afferre, bouemque illum ſubiecto igne incendere. Cùm igitur æreum bouem, vt ab Imperatore iuſſi fuerant, ita incendiſſent, vt eius adſpectus, inſtar ignis, longiùs reluceret, (aberat autem bos ille ab Imperatore quinquaginta vlnis) adoleſcentulam illam in medium produxerunt. Quam cùm ſeniores & Chriſtiani homines vidiſſent, pro ipſa Deum precati ſunt, vt vires & patientiam ei ipſe Dominus ſufficeret. Imperator autem: Exue, inquit, adoleſcentula, veſtes, quibus induta es. Pelagia verò cùm vidiſſet paratos eſſe, qui illam exuerent, magna voce atq; clamore Imperatorem appellans: Recordare, inquit, vxores & pellices tuas, ipſas etiam, vt me, carne indutas eſſe.

Imperator cùm hæc audiſſet, & amoris inſaniam ferre non poſſet, iuſſit multo magis quamprimùm exui. At illa cùm ſe Crucis ſigno muniuiſſet, & vltrò ſe ipſa exuiſſet, ſuas veſtes in conſpectu Imperatoris abiecit, & ait: Fortaſſe tu es doloſus ille ſerpens in arbore inuolutus, & in Euam irrepens. Tu illam corrupiſti, qui per eam Adam etiam ipſum cepiſti: quamobrem vterque fuit à Paradiſo eiectus. Tu es doloſus ille, qui olim in cor Cain te inſinuâſti, & in eius mente inuidiam inſeruiſti, vt virginem & conſanguineum fratrem interficeret. Tu es, qui propria tua libidine ac petulantia confiſus, coram Deo ſtetiſti, & expetiuiſti iuſtum illum virum Iob, quem tentares: cuius & filios interfeciſti, & omnes facultates perdidiſti. Sed hoſtes Chriſti deficient gladio conſumpti: è quorum numero te fore ſcias, qui demum periturus es. Impegiſti enim

Geneſ. 3.

Geneſ. 4.

Iob 1.

enim in ipſius Ieſu nomen, cui meipſam tradidi. Hæc ſancta illa virgo dixit Imperatori, quibus etiam aſſiſtentem diabolum conuicit. Tunc diabolus ipſe inops conſilij ſubterfugit, & qui à veritate alienior eſt, è longinquo loco ſic clamabat: O quanta eſt Chriſtianorum me expugnantium violentia.

Puella verò Pelagia ſancto Spiritu corroborata cucurrit, & æreum bouem apprehendit, ſtatimque manuũ ipſius carnes velut cera, liquefactæ ſunt: illa verò nihil omninò ſentiebat. Deinde caput ſuum in os bouis iniecit, ac ſeipſam intra bouem collocauit: ſtatimque ex eius facie, ventre ac lateribus, totoque corpore, cùm ipſa penitùs in bouem introiuiſſet, carnes, inſtar olei, effluxerunt: & per totam vrbem hora illa odoris ſuauitas, velut vnguenti cuiuſpiam, perfuſa eſt. Cumque adhuc paululùm ſpiraret, Dominum Deum voce magna ſic laudabat: Gloria tibi ſit, Domine vnigenite fili altiſſimi Dei, cuius aduentu factum eſt, vt qui anteà decepti fuerant, ad manus tuas redirent, &, victa atque conculcata hoſtis potentia, in teipſo perfecti euaderent. Sic puella Pelagia in Domino fuit conſummata. *Vide quid poſſit Chriſti gratia.*

Tunc duobus militibus prope bouem ſtantibus Imperator: Videte, inquit, an adhuc viuat Pelagia. Vnus militum Theonicus, alter Iulianus appellabatur. Hi cùm victricem puellam in Domino conſummatam vidiſſent, dixerunt Diocletiano: Non mortua eſt puella, ſed martyr facta, cùm pulcherrimam confeſſionem confeſſa ſit, & ſuum Dominum non denegauerit. Imperator cùm illos hæc reſpondentes audiuiſſet, iuſſit eos ligari, & in carcerem conijci: alioſque milites miſit, qui viderent, an verè puella mortua eſſet. Illi cùm eam mortuam vidiſſent, retulerunt Imperatori, quòd mortua eſſet. Tunc Diocletianus furens, magna voce clamauit, & manibus purpuream ſuam veſtem diſcindens, ait: O Chriſtianorum animos. En vt illi ad mortem vſq; perſeuerant Deum non negantes, neque voluntati noſtræ obſequentes. Nunquid illi ſunt poteſtate mea validiores? Egóne inimicis meis non ſatiabor? Cùm hæc dixiſſet, iuſſit ſanctæ Pelagiæ reliquias nulla ſepultura honorari. Itaque proiectæ ſunt in montem, Linatum nomine. Deſcenderunt autem quatuor leones, & circa Pelagiæ oſſa conſederunt, à feris atque volucribus ea ſeruantes. *Sáncta virgo reddit ſpiritum.*

Apparuit autem Spiritus ſanctus beato Epiſcopo Clinoni, qui Pelagiam catechiſmo inſtruxerat, eique dixit: Nuncio tibi optatum nuncium. Hodiè puella Pelagia martyrium ſuſtinuit, quemadmodùm tu Deum pro illa precatus fueras. Surge igitur, & oblationem Deo ipſi offeras, quòd virgo conſtantem & firmam cõfeſſionem præſtiterit. Indicauit autem ipſi & locum, vbi ſancta martyr Pelagia iacebat: quò abijt beatus Epiſcopus Clino: cumque vidiſſet locum beatæ Pelagiæ, vidit & leones quatuor illi aſſidentes. Qui cùm Epiſcopum illum beatum intuiti eſſent, ei obuiàm proceſſerunt, & ipſum ſubmiſſis corporibus adorârunt. Beatus verò Epiſcopus ea re gaudens exultanſque, ſanctæ Pelagiæ reliquias ſuſcepit, & in montis ſublimiorem partem tulit. Cumque ſtadijs ferè decem proceſſiſſet, ad eius montis verticẽ aſſcendit: quem cùm, velut marmor, politum eſſe vidiſſet, conduxit qui lapides inciderent: & ſacellum quoddam ædificauit, ſanctæque Pelagiæ reliquias illic repoſuit: & montem illum appellauit, Montem congregationis, ſanctæque Pelagiæ nomen ſic inſcripſit. Sancta virgo Pelagia, quæ Deo ſeipſam obtulit, & ad finem vſque pro veritate certauit, quòd ad corpus pertinet, hîc requieſcit: eius autem anima in cælis regnat cum angelis. Ita martyrium compleuit ſancta martyr Chriſti Pelagia in Patris & Filij & Spiritûs ſancti gloriam, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen. *Leones ſeruát eius reliquias.* *Mons congregationis*

DE S.

DE S. SYLVANO GAZÆ EPISCOPO, ET ALIIS QVIBVSDAM SANCTIS ET PRAECLARIS MARtyribus:

qui etſi non omnes hoc die paßi ſint, tamen quòd breuis hiſtoria in aliquot particulas commodè diſtrahi non poſſet, hic collocare integram maluimus. Habetur autem in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebij Cæſareenſis lib.8.cap.22. Interprete Iohanne Chriſtophorſono, Angliæ doctißimo Epiſcopo.

Maij. 4. quod ad Syluanũ & alios quoſdam attinet.

CVM ſeptimus annus perſecutionis contra nos intentatæ iam propè eſſet confectus, & res noſtræ ſenſim & quaſi tacito greſſu ad quandam tranquillitatem ſecuritatemque prolaberentur, & ad octauum annum deflecterent, in quo non exigua confeſſorum multitudo apud metalla in Palæſtina cogebatur, qui magna iam in ritibus religionis perfungendis vtebantur libertate, adeò vt domos in eccleſias exædificarent: Præfectus prouinciæ, vir ſæuus & improbus, qualem ſcelera eius, in martyres Chriſti admiſſa, ipſum planè commonſtrabant, eò ſtatim profectus, ſimulatque facta & vitæ inſtitutionem eorum, qui ibi degebant, audiuerat, Imperatorem facit per literas certiorem; & in iiſdem ea, quæ ad eorum famam violandam maximè valere putabat, ad eum perſcribit. Vnde qui metallorum venis præerat, eò acceſſit, & tanquam ex Imperatoris mandato, confeſſorum ſegregauit multitudinem, ſicque diſtribuit, vt deinceps alij Cyprum, alij Libanum incolerent: alios etiam in alia Palæſtinæ loca diſpertiens, omnes varijs laborum moleſtijs vexari contériqué præcepit. Deinde quatuor ex eorum numero eximens, qui principem locum inter eos tenere videbantur, ad magiſtrum equitum mittit: quorum duo Petrus & Nilus appellabantur, Aegyptiorum epiſcopi: tertius presbyter fuit. His etiam quartus acceſſit Patermythius, vir propter ſingulare erga omnes pietatis ſtudium facilè clariſſimus. Ex quibus magiſter equitum religionis & fidei in Chriſtum inficiationem poſtulat: atque haud compos voti factus, eos ignis incendijs cremandos tradit.

Horũ martyrium incidit in 19. Septẽbris diẽ.

Alij rurſus ex confeſſoribus, qui aut propter ingraueſcentem ætatem, aut membra inutilia, aut alias corporis infirmitates erant illo operum miniſterio ſoluti, ibi in locum ſeparatum ad incolendum amandati. Quorum primas tulit Syluanus epiſcopus Gazæ, qui pium virtutis ſpecimen & egregium exemplar Chriſtianiſmi omnibus oſtendit. Iſte à primo die perſecutionis (propè dixerim) ad extremum vſque, per totum temporis ſpatium varijs certaminibus pro crebra fidei confeſſione decurſis, nobilitatus, ad illum temporis articulum reſeruabatur: vt omnia certamina martyrum, in Palæſtina interfectorum, poſtremus quaſi ſigillo cruoris obſignaret. Cum eo coniuncti erant ex Aegypto complures: inter quos erat Iohannes, qui memoriæ bonitate facilè omnes noſtri temporis ſuperauit: & quanquàm anteà luminibus orbatus erat, tamen tortores adeò ſæui, truculenti, crudeles & immanes fuerunt, vt propter egregiam in Chriſti nomine confitendo conſtantiam, qua magnoperè excellebat, tum ignitis cauterijs eius pedem pari ratione cum alijs prorſus labefactarent, tum pupillam oculi, quæ viſum amiſerat, candente ferro exurerent. Eum autem ob morum probitatem, & piam viuendi rationem, præſertim cùm cæcus eſſet, non eſt cur quiſquam tantoperè admiretur: quandoquidem illud non tantum habet admirationis, quantum memoriæ vis, qua quidem integros ſacrarum ſcripturarum libros, non in tabulis lapideis, vt ait diuus Apoſtolus, neque in animalium pellibus, membranis aut charta, quæ vel tineæ conficiunt, vel temporis conſumit diuturnitas: ſed in tabulis reuerà cordis carneis, id eſt, in animo ſolerti & ſyncera mentis intelligentia tanquam ſcriptos habuit: adeò vt quando viſum erat, interdùm legis & prophetarum teſtimonia, ſæpè hiſtorias, nonnunquàm Euangelia aut Apoſtolorum ſcripta, memoriter ex animi domicilio, tanquam ex quodam literarum theſauro, proferre potuerit. Ipſe equidem fateor, me, cùm primùm hominem in media Eccleſiæ multitudine ac frequentia ſtantem, & quaſdam diuinæ ſcripturæ partes recitantem animaduerterem, penitùs obſtupuiſſe. Nam quandiù vocem illius ſolùm audire licebat, tam diù aliquem, vti in populi conuentibus in Eccleſia mos eſt, ex ſcripto legiſſe putabam. Sed vbi quàm proximè ad eum

S. Syluanus egregius martyr.

Iohannis martyris excæcati mira memoria.

2. Cor. 3.

eum accedens,quod factũ erat, euidenter conſpicabar,& alios omnes integris oculis & apertis vndique circunſiſtentes,hunc autem ſolis mentis luminibus vtentem, & reuerà non pauca velut prophetam proloquentem, & multis partibus eos, quibus corporis ſenſus ſani & valentes erant,ſuperantem, non potui non Deum ea de re tum ſummis laudibus efferre,tum inprimis admirari. Et euidens certè ac firmum argumentum mihi videre videbar,eum re ipſa & veritate hominem eſſe, non qui in externa corporis forma & ſpecie oculis ſubijcitur,ſed qui in ipſo animo & interiore cogitatione reſidet: qui quidem in iſto,licèt corpus deformatum mancumque eſſet,maiorem tamen interioris facultatis ſuæ virtutem declarauit.

Illis autem,quos diximus, in loco ſeparato commorantibus,& conſueta ipſorum vide priſco-
vitæ inſtituta in orationibus, in ieiunijs, in reliquis exercitationibus exequentibus, rum Chri-
Deus ipſe dextram benignam & propitiam porrigens, largitus eſt, vt per martyrium ſtianorum exercitia.
ſalutarem vitæ exitum conſequerentur. Hoſtis nanque & aduerſarius noſter diabolus eos quidem,vtpotè precibus attentiſſimè ad Deum fuſis, contra ipſum armatos non ampliùs ferre poterat: ſed ſicuti putabat,moleſtiam ipſi exhibentes trucidare & è terra tollere inſtituit. quippè Deus illi hoc agere molienti poteſtatem conceſſit,vt pariter nec ipſe ab improbitate,quam dedita opera decreuiſſet, vlla ex parte arceretur: & hi præclara pro multis ſuis ac varijs certaminibus præmia iam tandem acciperent. Ea de
cauſa ex ſceleſtiſſimi Maximini Imperatoris mandato, vno die vndequadraginta mar- 39. Martyres.
tyres capitis pœna mulctantur.

MARTYRIVM S. FLORIANI, CVI FIDEM CONCILIANT VETVSTISSIMA MARTYROLOGIA.

Dictio hincinde nonnih illimata eſt per F. Laurentium Surium.

IN diebus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, diuer- Maij 4.
ſis agonibus concertantes Chriſtiani, deuota mente pro Chriſto ſupplicia tolerabant,vt promiſſionum eius participes efficerentur. Cùm veniſſet ergo ſacrilegorum principum præceptio in Noricum Ripenſe, præſes Aquilinus ve-
niens in caſtrum Laureacenſium,cœpit vehementer inqui- Laureacum
rere Chriſtianos. Comprahenſi autẽ ſunt non minùs quadraginta,qui diutiſſimè concertantes, & multis ſupplicijs macerati,miſſi ſunt in carcerem.Ad quorum confeſſionem beatus Florianus gaudens acceſſit: cumque accepiſſet hæc Laureaci fieri,eò cœpit ire,vt pro Chriſti nomine varia ſupplicia perferret. Vbi autem venit eò ad commilitones ſuos, cum quibus anteà militauerat, audiuitque ex eis, Chriſtianos ad idolorum ſacrificia perquiri, dixit ad eos: Quem alium quæritis? Eccè ego quoque Chriſtianus ſum: ite,nunciate Præſidi hîc me adeſſe. Præſes Aquilinus his auditis,vocauit eum ad ſe,& iuſſit dijs ſacrificare. Quod vt
faceret cùm nulla poſſet ratione adduci, præcepit eum fuſtibus cædi. Ille iterùm ite- S. Martyr
rumque cæſus,permanſit fidelis,& vultus eius mira perfuſus hilaritate cernebatur. De- fuſtibus cæditur.
inde mandat Præſes ſcapulas eius acutis ferris confringi. Id verò B. Florianus cum ingenti gaudio perferens,magis glorificabat Deum.Videns autem ſe ſuperatum Præſes iniquiſſimus,iuſſit eum duci ad Aniſum fluuium,& ibi præcipitari de ponte.

Beatus Florianus,lata in ſe ſententia, gaudens & exultans ibat ad mortem, credens
ſe ad vitam proficiſci ſempiternam: cumque veniſſet ad locum, vbi mergendus erat, Iactatur in
petijt à militibus ſibi dari ſpatium precandi. Eo impetrato,vna ferè hora fuit in preci- flumen, ſed
bus. Iamque ligato ad collum eius ſaxo,iuuenis quidam ſæuus nimis præcipitauit eum nõ ſubmergitur.
de ponte in fluuium,cuius oculi mox crepuerunt. Fluuius autem ſuſcipiens martyrem Chriſti,expauit,& eleuatis vndis,in quoddam eminentius ſaxum corpus eius expoſuit, quod aquila,nutu Dei eò aduolans,expanſis alis protegebat. Apparuit autem in viſione beatus Florianus Valeriæ matronæ Deo deuotæ, indicauitque ei, quo loco corpus eius humaret. Illa hac viſione admonita,mox ad fluuium abijt, & præ gentilium metu virgultis illud inuoluit, perduxitque ad locum ſepulturæ deſtinatum. Cùm autem inter eundum iumenta,quæ ſacrum corpus vehebant,delaſſarentur, matrona tre-
mens rogauit Dominum,vt ipſe ferret opem: ſtatimque erupit illic fons, cuius aqua Miraculum.
reficiens iumenta,ſuſceptum confecit iter,& corpus ſepeliuit. Eo autem loco multæ

H fiunt

fiunt diuinitùs curationes,& quicunque ex fide petierint, miſericordiam Dei impetrabunt. Vitæ enim ſanctitas & conſtantia fidei athletas Chriſti coronat, & cum palma martyrij ad vitam perducit æternam,auxiliante rege ęterno,Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Hactenùs hiſtoria. Sunt qui ſcribant corpus huius beati martyris tempore Caſimiri Ducis Poloniæ ab Aegidio Mutinenſi Epiſcopo Cracouiam allatum, & à Gethone Epiſcopo Cracouienſi honorificentiſſimè exceptum,ſtructamque ab illo & Caſimiro Duce extra muros Cracouienſes baſilicam elegantiſſimam & collegium Canonicorum,adiunctis opimis prouentibus : porrò reliquias ſancti martyris in loculo marmoreo conditas,in eccleſia eius vrbis cathedrali repoſitas,multaque illic miracula perpetrata. Facta eſt hæc tranſlatio Anno ſalutis 1183.

VITA S. MONICÆ MATRIS S. AVGVSTINI, QVAM EX LIBRIS CONFESSIONVM EIVSDEM *beatiſſimi epiſcopi,collegit doctiſſimus antiſtes Aloyſius Lipomanus.*

Maij 4. Ex confeſſion. Auguſtini lib. 3. cap. 11. & 12.

ET miſiſti manum tuam ex alto Domine Deus, & de hac profunda caligine erroris Manichæorum eruiſti animam meam,cùm pro me ploraret ad te mater mea,fidelis tua, ampliùs quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu, quem ex te habebat,& exaudiſti eam Domine. Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lachrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudiſti eam. Nam vnde illud ſomnium, quo eam conſolatus es, vt viuere me ſecum crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat, auerſans & deteſtans blaſphemias erroris mei? Vidit enim ſtantem ſe in quadam regula linea,& aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem atque arridentem ſibi, cùm illa eſſet mœrens & mœrore confecta. Qui cùm cauſas quæſiſſet ab ea mœſtitiæ ſuę quotidianarumque lachrymarum, docendi, vt aſſolet, non diſcendi gratia, atque illa reſpondiſſet, perditionem meam ſe plangere : iuſſiſſe illum, quó ſecura eſſet, atque admonuiſſe, vt attenderet & videret, vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa vbì attendit, vidit me iuxta ſe in eadem regula ſtantem. Vnde hoc, niſi quia erant aures tuæ ad cor eius ? O tu bone omnipotens, quì ſic curas vnumquenque noſtrûm, tanquam ſolum cures : & ſic omnes,tanquam ſingulos. Vnde illud etiam, quòd cùm mihi narrâſſet ipſum viſum,& ego ad id trahere conarer,vt illa ſe potiùs non deſperaret futuram eſſe, quod eram : continuò ſine aliqua hæſitatione, Non, inquit. non enim mihi dictum eſt, Vbi ille,ibi & tu : ſed, Vbi tu, ibi & ille. Confiteor tibi Domine recordationem meam, quantùm recolo,quod ſæpè non tacui,ampliùs me iſto per matrem vigilantem reſponſo tuo, quòd tam vicina interpretationis falſitate turbata non eſt, & tam citò vidit, quod videndum fuit,quod ego certè,antequàm dixiſſet,non videram,etiam tum commotum fuiſſe, quàm ipſo ſomnio, quo fœminæ piæ gaudium tanto pòſt futurum,ad conſolationem tunc præſentis ſolicitudinis, tanto antè prædictnm eſt. Nam nouem fermè anni ſequuti ſunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falſitatis, cùm ſæpè ſurgere conarer, & grauiùs alliderer, volutatus ſum : cùm tamen illa vidua caſta,pia & ſobria,quales amas,iam quidem ſpe alacrior, ſed fletu & gemitu non ſegnior,non deſineret horis omnibus orationum ſuarum de me plangere ad te : & intrabant in conſpectum tuum preces eius,& me tamen dimittebas adhuc volui & inuolui in illa caligine.

Vide erga nos prouidentia Dei.

S. Auguſtinus diu Manichæus.

Et dediſti alterum reſponſum interim,quod recolo. Nam & multa prætereo, propter quod propero ad ea, quæ me magis vrgent confiteri tibi, & multa non memini. Dediſti ergo alterum per ſacerdotem tuum, quendam epiſcopum, nutritum in Eccleſia, & exercitatum in libris tuis. Quem cùm illa fœmina rogâſſet, vt dignaretur mecum colloqui,& refellere errores meos,& dedocere me mala, ac docere bona,(faciebat enim hoc, ſi quos fortè idoneos inueniſſet) noluit ille, prudenter ſanè, quantùm ſenſi poſteà. Reſpondit enim, me adhuc eſſe indocilem, eò quòd inflatus eſſem

eſſem nouitate hæreſis illius,& nonnullis quæſtiunculis iam multos imperitos exagitâſſem,ſicut indicauerat ei. Sed ſine,inquit,illum ibi,& tantùm roga pro eo Dominum: ipſe legendo reperiet,quis ille ſit error, & quanta impietas. Simul etiam narrauit,ſe quoque paruulum à ſeducta matre ſua datum fuiſſe Manichæis, & omnes penè non legiſſe tantùm,verumetiam ſcriptitâſſe libros eorum, ſibiq́; apparuiſſe, nullo contrà diſputante & conuincente, quàm eſſet illa ſecta fugienda: itaque fugiſſe. Quæ cùm ille dixiſſet,atque illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret, magis deprecando,& vbertim flendo,vt me videret,& mecum diſſereret, ille iam ſubſtomachans tædio: Vade, inquit, à me,ita viuas: fieri enim non poteſt,vt filius iſtarum lachrymarum pereat. Quod illa ita ſe accepiſſe inter colloquia ſua mecum ſæpè recordabatur,ac ſi de cælo ſonuiſſet. Auguſtinus lachrymarũ filius.

Egiſti etiam mecum Domine,vt mihi perſuaderetur Romam pergere, & potiùs ibi docere,quod docebam Carthagine. Et hoc vnde mihi perſuaſum ſit, non præteribo confiteri tibi: quoniam & in his altiſſimi tui receſſus, & præſentiſſima in nos miſericordia tua cogitanda & prædicanda eſt. Non ideò Romam pergere volui, quòd maiores quæſtus,maiorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebatur: quanquàm & iſta ducebant animum tunc meum: ſed illa erat tunc cauſa maxima & penè ſola,quòd audiebam quietiùs ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coërctione ſedari,ne in eius ſcholam,quo magiſtro non vtuntur, paſſim & proteruè irruant,nec eos admitti omninò,niſi ille permiſerit. Contrà apud Carthaginem fœda eſt & intemperans licentia ſcholaſticorum: Irrumpunt impudenter, & propè furioſa fronte perturbant ordinem,quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. Multa iniurioſa faciunt mira hebetudine,& punienda legibus,niſi conſuetudo patrona ſit, hoc miſeriores eos oſtendens,quo iam quaſi liceat,faciunt, quod per tuam æternam legem nunquàm licebit: & impunè ſe facere arbitrantur, cùm ipſa faciendi cæcitate puniantur,& incomparabiliter patiantur peiora,quàm faciunt. Ergo quos mores,cùm ſtuderem,meos eſſe nolui,eos,cùm docerẽ, cogebar perpeti alienos: & ideò placebat ire,vbi talia non fieri omnes,qui nouerant, indicabant. Verùm autem tu ſpes mea & portio mea in terra viuentium,ad mutandum terrarum locum pro ſalute animæ meæ, & Carthagini ſtimulos,quibus inde auellerer,admouebas,& Romæ illecebras,quibus attraherer,proponebas mihi per homines,qui diligebant vitam mortuam, hinc inſana facientes,inde vana pollicentes: & ad corrigendos greſſus meos vtebaris occultè & illorum & mea peruerſitate. Nam & qui perturbabant ocium meum,fœda rabie cæci erant: & qui inuitabant ad aliud, terram ſapiebant. Ego autem, qui deteſtabar hìc veram miſeriam,illic falſam felicitatem appetebam. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu ſciebas Deus, nec indicabas mihi, nec matri, quæ me profectum atrociter planxit,& vſque ad mare ſequuta eſt: ſed feſelli eam violenter me tenentem,vt aut reuocaret, aut mecum pergeret: & finxi me amicum nolle deſerere, donec vento facto nauigaret. Et mentitus ſum matri, & illi matri, & euaſi. Quia & hoc tu dimiſiſti mihi miſericorditer,ſeruans me ab aquis maris, plenum execrandis ſordibus vſque ad aquam gratiæ tuæ, qua me abluto, ſiccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidiè tibi rigabat terram ſub vultu ſuo: & tamen recuſanti ſine me redire,vix perſuaſi,vt in loco,qui proximus noſtræ naui erat memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed in ea nocte clanculò ego profectus ſum: illa autem remanſit orando & flendo. Et quid à te petebat Deus meus tantis lachrymis, niſi vt nauigare me non ſineres? Sed tu altè conſulens, & exaudiens cardinem deſiderij eius, non curâſti quod tunc petebat,vt in me faceres, quod ſemper petebat. Flauit ventus, & impleuit vela noſtra,& litus ſubtraxit adſpectibus noſtris. In quo manè illa inſaniebat dolore,& querelis ac gemitu implebat aures tuas,contemnentes iſta: cùm & me cupiditatibus meis raperes ad finiẽdas ipſas cupiditates,& illius carnale deſiderium iuſto dolorum flagello vapularet. Amabat enim ſecum præſentiam meam more matrum,ſed multis multo ampliùs, & neſciebat, quid tu illi gaudiorum facturus eſſes de abſentia mea. Neſciebat: ideò flebat & eiulabat, atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum Euæ,cum gemitu quærens,quod cum gemitu pepererat. Et tamen poſt accuſationem fallaciarum & crudelitatis meę,conuerſa rurſus ad deprecandum te pro me, abijt ad ſolita,& ego Romam.

Ex lib. v. Cõfeſſ. cap. viij. ix. x.

Scholaſticorũ Carthaginien. importunitas.

Vita mortua, hominum huic mundo deditorum.

Inſaniebat dolore, id eſt, immodicè dolebat.

Et eccè excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, & ibam iam ad inferos,portans omnia mala,quæ commiſeram & in te,& in me,& in alios, multa & grauia ſuper originalis peccati vinculum,quo omnes in Adam morimur. Non enim quicquam eorum 1.Cor.15.

Epheſ.2. mihi donaueras in Chriſto, nec ſoluerat ille in carne ſua inimicitias, quas tecum contraxeram peccatis meis. Quomodò enim eas ſolueret in cruce phantaſmatis, quod de illo credideram? Quàm ergo falſa mihi videbatur mors carnis eius, tam vera erat animæ meæ: & quàm vera erat mors carnis eius, tam falſa vita animæ meæ, quæ id non credebat. Et ingraueſcentibus febribus, iam ibam & peribam. Quò enim irem, ſi tunc abirem hinc, niſi in ignem atque tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui? Et illa hoc neſciebat, & tamen pro me orabat abſens. Tu autem vbique præſens, vbi erat exaudiebas eam, & vbi eram miſerebaris meî, vt recuperarem ſalutem corporis mei, adhuc inſanus corde ſacrilego. Neque enim deſiderabam in illo tanto periculo baptiſmum tuum, & melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitaui, ſicut iam recordatus atque confeſſus ſum: ſed iam in dedecus meum creueram, & conſilia medicinæ tuæ demens irridebam, qui me non ſiuiſti talem bis mori. Quo vulnere ſi feriretur cor matris, nunquàm ſanaretur. Non enim ſatis eloquor, quid erga me habebat animi, & quanto maiore ſolicitudine parturiebat me ſpiritu, quàm carne pepererat. Non itaque video, quomodò ſanaretur, ſi mea talis illa mors tranſuerberâſſet viſcera dilectionis eius. Et vbi eſſent tantæ preces, & tam crebræ ſine intermiſſione? Nuſquam, niſi ad te. An verò tu Deus miſericordiarum ſperneres cor contritum & humiliatum viduæ caſtæ ac ſobriæ, frequentantis eleemoſynas, obſequentis atque ſeruientis ſanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum, bis in die, manè & veſperè, ad eccleſiam tuam ſine vlla intermiſſione venientis, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, ſed vt te audiret in tuis ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus? Huius'ne tu lachrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, ſed ſalutem animæ filij ſui, tu cuius munere talis erat, contemneres, & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquàm Domine: immò verò aderas & faciebas ordine, quo prædeſtinaueras eſſe faciendum. Abſit, vt tu falleres eam in illis viſionibus & reſponſis tuis, quæ iam commemoraui, & quę non memoraui, quę illa fideli pectore tenebat, & ſemper orans, tanquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in ſeculum miſericordia tua, eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promiſſionibus tuis debitor fieri. Recreâſti me ab illa ægritudine, & ſaluum feciſti filium ancillæ tuæ, tunc interim corpore, vt eſſet, cui ſalutem meliorem atque certiorem dares.

Romæ S. Auguſtinus periculoſè decubuit.

Pſal.50.

Virtutes S. Monicæ.

Miſſæ quotidianę etiã antiquitùs.

Ex libro 6. Confeſſio. cap.1. & 2.

Spes mea à iuuentute mea, vbi mihi eras, & quò receſſeras? An verò non tu feceras me, & diſcreueras me à quadrupedibus & volatilibus cæli? Sapientiorem me feceras, & ambulabam per tenebras & lubricum, & quærebam te foris à me, & non inueniebam Deum cordis mei, & veneram in profundum maris, & diffidebam & deſperabam de inuentione veri. Iam venerat ad me mater pietate fortis, terra mariq́ue me ſequens, & in periculis omnibus de te ſecura. Nam & per marina diſcrimina ipſos nautas conſolabatur, à quibus rudes abyſſi viatores, cùm perturbantur, cõſolari ſolent, pollicens eis peruentionem cum ſalutē: quia hoc ei tu per viſum pollicitus eras. Et inuenit me periclitantem quidem grauiter deſperatione indagandæ veritatis. Sed tamen ei cùm indicâſſem, non me quidem iam eſſe Manichæum, ſed neque catholicum Chriſtianum, non quaſi inopinatum aliquid audierit, exiliuit lætitia, cùm iam ſecura fieret ex ea parte miſeriæ meæ, in qua me tanquam mortuum, ſed reſuſcitandum tibi, flebat, & feretro cogitationis efferebat, vt diceres filio viduæ: Iuuenis, tibi dico, ſurge: & reuiuiſceret, & inciperet loqui, & redderes illum matri ſuæ. Nulla ergo turbulenta exultatione exultauit cor eius, cùm audîſſet ex tanta parte iam factum, quod tibi quotidiè plangebat, vt fieret, veritatem me nondum adeptum, ſed falſitati iam ereptum: immò verò quia certa erat, & quod reſtabat te daturum, qui totũ promiſeras, placidiſſimè & pectore pleno fiduciæ reſpondit mihi, credere ſe in Chriſtum, quòd priùs, quàm de hac vita emigraret, me viſura eſſet fidelẽ catholicum: & hoc quidem mihi, tibi autẽ fons miſericordiarum preces & lachrymas denſiores, vt accelerares adiutorium tuũ, & illuminares tenebras meas, & ſtudioſiùs ad eccleſiam currerem, & in Ambroſij ora ſuſpenderer ad fontem ſalientis aquæ in vitam æternam. Diligebat autem illum virum ſicut angelum Dei, quòd per illum cognouerat me interim ad illam ancipitem fluctuationem iam eſſe perductum, per quam trãſiturum me ab ægritudine ad ſanitatem, intercurrente acriore periculo quaſi per acceſſionem, quam criticam medici vocant, certa præſumebat.

Viſio S. Monicæ.

Luc.7.

Iohan.4.

S. Monica curamārit S. Ambroſium.

Itaque cùm ad memorias ſanctorum, ſicut in Aphrica ſolebat, pultes & panem & merũ attuliſſet, atq; ab oſtiario prohiberetur, vbi hoc epiſcopũ vetuiſſe cognouit, tam

piè atque obedienter amplexa eſt, vt ipſe mirarer, quòd tam facilè accuſatrix potiùs cõſuetudinis ſuę, quàm diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit. Non enim obſidebat ſpiritum eius vinolentia, eamq́; ſtimulabat in odium veri amor vini, ſicut pleroſq́; mares & fœminas, qui ad canticum ſobrietatis, ſicut ad potionem aquatam madidi, nauſeant. Sed illa cùm attuliſſet caniſtrum cum ſolennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quàm vnum pocillum pro ſuo palato ſatis ſobrio temperatum, vnde dignationem ſumeret, non ponebat. Et ſi multæ eſſent, quæ illo modo videbantur honorandæ, memoriæ defunctorum, idemipſum vnum, quod vbique poneret, circumferebat, quo iam non ſolùm aquatiſſimo, ſed etiam tepidiſſimo cum ſuis præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur: quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem. Itaque vbi comperit à præclaro prædicatore atque antiſtite pietatis præceptum eſſe, iſta non fieri, nec ab eis, qui ſobriè facerent, ne vlla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis, & quia illa quaſi parentalia ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimilima, abſtinuit ſe libentiſſimè, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat, vt & quod poſſet, daret egentibus, & * ſi communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius paſſionis imitatione immolati ſunt martyres. Sed tamen videtur mihi Domine Deus meus, & ita eſt in conſpectu tuo de hac re cor meum, non facilè fortaſſe de hac amputanda conſuetudine matrem meam fuiſſe ceſſuram, ſi ab alio prohiberetur, quem non ſicut Ambroſium diligebat, quem propter ſalutem meam maximè diligebat: eam verò ille propter eius religioſiſſimam conuerſationem, qua in bonis operibus tam feruens ſpiritu frequentabat eccleſiam, ita vt ſæpè erumperet, cùm me videret in eius prædicatione, gratulans mihi, quòd talem matrem haberem, neſciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, & inueniri poſſe viam vitæ minimè putabam.

S. Ambroſij encomium.

* ſic

Atque intereà mater ingreſſa eſt, quæſiuitque à nobis, quid promouiſſemus. nam & ei quæſtio nota erat. Cuius & ingreſſum & rogationem cùm ſcribi noſtro more iuſſiſſem: Quid agitis? inquit: nunquidnam in illis, quos legitis, libris, etiam fœminas vnquàm audiui in hoc genus diſputationis inductas? Cui ego: Non valdè curo, inquam, ſuperborum imperitorumq́; iudicia, qui ſimiliter in legendos libros, atque in ſalutandos homines irruunt. Non enim cogitant, quales ipſi, ſed qualibus induti veſtibus ſint, quanta pompa rerum fortunæque præfulgeant. Iſti enim in literis non multùm attendunt, aut vnde ſit quæſtio, aut quò peruenire differentes moliantur, quídve ab eis explicatum atque confectum ſit. In quibus tamen quia nonnulli reperiuntur, quorum animi contemnendi non ſunt (adſperſi ſunt enim quibuſdam condimentis humanitatis, & facilè per aureas depictaſque ianuas ad ſacroſancta philoſophiæ penetralia perducuntur) ſatis eis fecerunt & maiores noſtri, quorum libros tibi, nobis legentibus, notos eſſe video. Et his temporibus, vt omittam cæteros, vir & ingenio & eloquentia & ipſis inſignibus muneribus fortunæ, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, quem benè ipſa nôſti, vt & nunc, & apud poſteros nullum genus hominum de literis noſtrorum temporum iurè conqueratur. Mei autem libri, ſi quorum fortè manus tetigerint, lectoque meo nomine non dixerint, Iſte quis iſte? codicemque proiecerint: ſed vel curioſi, vel nimiùm ſtudioſi, contempta vilitate liminis, intrare perrexerint: me tecum philoſophantem non moleſtè ferent, nec quenquam iſtorum, quorum meis literis ſermo miſcetur, fortaſſe contemnent. Sunt enim non ſolùm liberi, quod cuiuis diſciplinæ liberali, nedum philoſophiæ, ſatis eſt: ſed ſummo apud ſuos loco nati. Doctiſſimorum autem hominum literæ etiam ſutores philoſophatos, & multo viliora fortunarum genera continent. Qui tamen tanta ingenij virtutiſque luce fulſerunt, vt bona ſua cum qualibet huiuſcemodi nobilitate nullo modo vellent, etiam ſi poſſent, vlla conditione mutare. Nec deerit, mihi crede, tale hominum genus, cui plùs placeat hoc ipſum, quia mecum philoſopharis, quàm ſi quid hîc aliud aut iucunditatis, aut grauitatis inuenerit. Nam & fœminæ ſunt apud veteres philoſophatæ, & philoſophia tua mihi plurimùm placet. Nam ne quid mater ignores, hoc Græcum verbum, quod philoſophia nominatur, Latinè amor ſapientiæ dicitur. Vnde etiam diuinæ ſcripturæ, quas vehementer amplecteris, non omninò philoſophos, ſed philoſophos huius mundi, euitandos atque irridendos eſſe præcipiunt. Eſſe autem alium mundum ab iſtis oculis remotiſſimum, quem paucorum ſanorum intellectus intuetur, ſatis Chriſtus ipſe ſignificat, qui non dicit, Regnum meum non eſt de mundo: ſed, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Nam quiſquis omnem philoſophiam fugiendam putat, nihil nos vult

Ex lib. 1. de Ordine, c. 11

Sutores philoſophi.

Philoſophia.

Philoſophi quinam in ſcripturis reiecti. Coloſ. 2. Iohan. 18.

aliud,quàm non amare ſapientiam. Contemnerem te igitur in his literis meis, ſi ſapientiam non amares: non autem contemnerem,ſi eam mediocriter amares: multo minùs,ſi tantum,quantum * ego, amares ſapientiam. Nunc cùm eam multo plùs,quàm meipſum,diligas,& nouerim quantum me diligas, cumque in ea tantum profeceris, vt iam nec cuiuſuis incõmodi fortuiti,nec ipſius mortis,quod viris doctiſſimis difficilimum eſt,horrore deterrearis, quam ſummam philoſophiæ arcem omnes eſſe confitentur, egóne me non libenter tibi etiam diſcipulum dabo? Hîc illa cum blandè ac religiosè nunquàm me tantum mentitum eſſe dixiſſet, & viderem tam multa nos verba fudiſſe,vt neque ſcribenda non eſſent,& iam libri modus eſſet,neque tabulæ reliquæ forent, placuit quæſtionem differri: ſimul vt meo ſtomacho parcerem. Nam eum plùs,quàm vellem commouerant ea,quæ mihi euomenda in illos adoleſcentes neceſſariò viſa ſunt. Sed cùm abire cœpiſſemus, Memento, inquit Licentius, quàm multa, & quàm neceſſaria nobis abs te accipienda, per occultiſſimum illum diuinumque ordinem,etiam te neſciente,ſubminiſtrentur. Video,inquam, & ingratus Deo non ſum, voſque ipſos,qui aduertitis,ob idipſum præſumo fore meliores. Hoc fuit tantùm illo die negocium meum.

* Me, legendum puto.

Non longè cœperat Mediolanenſis eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare,magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirùm annus erat,aut non multo ampliùs,cùm Iuſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in eccleſia,mori parata cum epiſcopo ſuo, ſeruo tuo. Ibi mater mea,ancilla tua,ſolicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore ſpiritûs tui,excitabamur tamen ciuitate attonita atque turbata. Tunc hymni & pſalmi vt canerentur ſecundùm morem Orientalium partium,ne populus mœroris tædio contabeſceret,inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum,multis iam ac penè omnibus gregibus tuis,& per cætera orbis imitantibus. Tunc memorato antiſtiti tuo per viſum aperuiſti,quo loco laterent martyrum corpora Protaſij & Geruaſij,quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras,vnde opportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineam, ſed regiam. Cùm enim propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam,non ſolùm quos immmundi vexabant ſpiritus,confeſſis eiſdem dæmonibus ſanabantur: verumetiam quidam plures annos cæcus ciuis,ciuitatique notiſſimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet atque audiſſet,exiliuit, eoque ſe vt duceret, ſuum ducem rogauit. Quò perductus, impetrauit admitti, vt ſudario tangeret feretrum precioſæ in conſpectu tuo mortis ſanctorum tuorum. Quod vbì fecit atque admouit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ feruentes lucentes,inde illius inimicæ animus etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt. Gratias tibi Deus meus. Vnde & quò eduxiſti recordationem meam,vt hæc etiam confiterer tibi, quæ magna oblitus prætereieram? Et tamen tunc, cùm ita fragraret odor vnguentorum tuorum, non currebamus poſt te: & ideò plùs flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi,& tandem reſpirans,quantum patet aura in domo fœnea.

Ex lib. 9. Confeſſionum, à cap. 7. vſque ad 13. incluſiuè.

Inuenta corpora integra SS. Geruaſij & Protaſij.

Pſal. 115.

Cant. 1.

Qui habitare facis vnanimes in domo, conſociâſti nobis & Euodium iuuenem ex noſtro municipio. Qui cùm agens in rebus, militaret, prior nobis ad te conuerſus eſt & baptizatus,& relicta militia ſeculari, accinctus eſt in tua. Simul eramus,ſimul habitabamus placito ſancto: quærebamus,quiſnam locus nos vtiliùs haberet ſeruientes tibi: pariter remeabamus in Aphricam. Et cùm apud Oſtia Tiberina eſſemus, mater defuncta eſt. Multa prætereo,quia multùm feſtino. Accipe confeſſiones meas & gratiarum actiones, Deus meus,de rebus innumerabilibus etiam in ſilentio. Sed non prætereibo,quicquid mihi anima parturit de illa famula tua,quæ me parturiuit: & carne, vt in hanc temporalem,& corde,vt in æternam lucem naſcerer. Non eius,ſed tua dicam dona in ea: neque enim ſeipſam fecerat, aut educauerat ſeipſam. Tu creâſti eam, nec pater nec mater ſciebat, qualis ex eis fieret illa. Et erudiuit eam in timore tuo virga Chriſti tui, regimen vnici filij tui in domo fideli,bono membro Eccleſiæ tuæ. Nec tantam erga ſuam diſciplinam diligentiam matris prędicabat,quantam famulæ cuiuſdam decrepitæ,quæ patrem eius infantem portauerat,ſicut dorſo grandiuſcularum puellarum paruuli portari ſolent. Cuius rei gratia,& propter ſenectam ac mores optimos,in domo Chriſtiana ſatis à dominis honorabatur. Vnde etiã curam dominicarũ filiarum com-

Cap. 8.

Obitus S. Monicæ.

commiſſam ſibi diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis, cùm opùs eſſet, ſancta ſeueritate vehemens, atque in docendis ſobria prudentia. Nam eas, præter illas horas, quibus ad menſam parentum moderatiſſimè alebantur, etiamſi exardeſcerēt ſiti, nec aquam bibere ſinebat, præcauens conſuetudinem malam, & addens verbum ſanum: Modò aquam bibitis, quia in poteſtate vinum non habetis: cùm autē ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum & cellariorum, aqua ſordebit, ſed mos potandi præualebit. Hac ratione præcipiendi, & authoritate imperandi frænabat auiditatem tenerioris ætatis, & ipſam puellarum ſitim formabat ad honeſtum modum, vt iam nec liberet, quod non deceret. Et ſubrepſerat tamen, ſicut mihi famula tua narrabat, ſurrepſerat ei vinolentia. Nam cùm de more, tanquam puella ſobria, iuberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, ſubmiſſo poculo, qua deſuper patet, priuſquàm in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum, quia nō poterat ampliùs, ſenſu recuſante. Non enim vlla temulenta cupidine faciebat hoc, ſed quibuſdam ſuperfluentibus ætatis exceſſibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maiorum pondere premi ſolent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo, quoniam qui modica ſpernit, paulatim decidit, in eam conſuetudinem lapſa erat, vt propè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Vbi tunc ſagax anus, & vehemens illa prohibitio? Nūquid valebat aliquid aduersùs latentē morbum, niſi tua medicina, Domine, vigilaret ſuper nos? Abſente patre & matre, & nutritoribus, tu præſens, qui creâſti, qui vocas, qui etiam per præpoſitos homines boni aliquid agis ad animarum ſalutem, quid tunc egiſti, Domine Deus meus? Vnde curâſti? Vnde ſanâſti? Nonne protuliſti durum & acutum ex altera anima conuicium, tanquam medicinale ferrum, ex occultis prouiſionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præcidiſti? Ancilla enim, cum qua ſolebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, vt fit, ſola cum ſola, obiecit hoc crimen amariſſima inſultatione, vocās meribibulam. Quo illa ſtimulo percuſſa, reſpexit fœditatem ſuam, confeſtimque damnauit atque exuit. Sicut amici adulantes peruertunt, ſic inimici litigantes plerunque corrigunt. Nec tu, quod per eos agis, ſed quod ipſi voluerunt, retribuis eis. Illa enim irata, exagitare appetiuit minorem dominam, non ſanare, & ideò clāculò: aut quia ita eas inuenerat locus & tempus litis, aut ne fortè & ipſa periclitaretur, quòd tam ſerò prodidiſſet. At tu Domine rector cæleſtium & terrenorum, ad vſus tuos contorquēs profunda torrentis, fluxum ſeculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ inſania ſanâſti alteram, ne quiſquam, cùm hoc aduertit, potentiæ ſuæ tribuat, ſi verbo eius alius corrigatur, quem vult corrigi.

Sapiens dictū vetulæ.

Mala conſuetudo etiam in minimis, niſi mox reprimatur, ad peiora adducit.

Cap. 9.

Educata itaq; pudicè ac ſobriè, potiuſque à te ſubdita parentibus, quàm à parentibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro ſeruiuit veluti domino, & ſategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem atque mirabilem viro. Ita autē tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquàm ſimultatem. Expectabat enim miſericordiam tuam ſuper eum, vt in te credens caſtificaretur. Erat verò ille præterea, ſicut beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non reſiſtere irato viro, non tantùm facto, ſed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ, quarum viri manſuetiores erant, plagarum veſtigia, etiam dehoneſtata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audîſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſſent: proinde memores conditionis, ſuperbire aduersùs dominos nō oportere. Cumque mirarentur illæ, ſcientes quàm ferocem coniugem ſuſtineret, nunquàm fuiſſe auditum, aut aliquo indicio claruiſſe, quòd Patritius ceciderit vxorem, aut quòd à ſe inuicèm vel vnum diem domeſtica lite diſſenſerint, & cauſam familiariter quærerent, docebat illa inſtitutum ſuum, quod ſuprà memoraui. Quæ obſeruabant, expertæ gratulabantur: quæ non obſeruabant, ſubiectæ vexabantur. Socrum etiam ſuam primò ſuſurris malarum ancillarum aduersùs ſe irritatam, ſic vicit obſequijs, perſeuerans tolerantia & manſuetudine, vt illa vltrò filio ſuo medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaque poſteaquàm ille & matri obtemperans, & curans familiæ diſciplinam, concordiæ ſuorum conſulens, proditas

S. Monica vt in matrimonio ſe geſſerit.

ad prodentis arbitrium verberibus coërcuit, promiſit illa talia de ſe præmia ſperare debere, quæcunque de ſua nuru ſibi, quô placeret, mali aliquid loqueretur: nullaque iam audente, memorabili inter ſe beneuolentiæ ſuauitate vixerunt. Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cuius vtero me creâſti Deus meus, miſericordia mea, munus grande donaueras, quòd inter diſſidentes atque diſcordes quaſlibet animas, vbi poterat tam ſe præbebat pacificam, vt cùm ab vtraque multa de inuicèm audiret amariſſima, qualia ſolet eructare turgens atque indigeſta diſcordia, quando præſenti amicæ de abſente inimica per acida colloquia crudelitas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. Paruum hoc bonũ mihi videretur, niſi turbas innumerabiles triſtis experirer, neſcio qua horrenda peſtilentia peccatorum latiſſimè peruagante, nõ ſolùm iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, ſed etiam quæ non dicta ſunt addere: cùm contrà animo humano parum eſſe debeat, inimicitias hominum nec exagitare, nec augere malè loquendo, niſi eas etiam extinguere benè loquendo ſtuduerit: qualis illa erat, docente te magiſtro intimo in ſchola pectoris. Denique etiam virum ſuum iam in extrema vita temporali eius, lucrata eſt tibi, nec in eo iam fideli planxit, quod in nondùm fideli tolerauerat. Erat etiam ſerua ſeruorum tuorum. Quiſquis enim eorum nouerat eam, multùm in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te: quia ſentiebat præſentiam tuam in corde eius, ſanctæ conuerſationis fructibus teſtibus. Fuerat enim vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam piè tractauerat, in operibus bonis teſtimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat. Poſtremò nobis Domine omnibus, qui ex munere tuo ſinis loqui ſeruis tuis, qui ante dormitionem eius in te iam conſociati viuebamus, percepta gratia baptiſmi tui, ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet: ita ſeruiuit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet.

Inter diſcordes vt pacẽ ſolita ſit cõciliare.

Patritius S. Monicæ opera credit in Christum.

1.Tim.5.

Cap.10.

Imminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noueras ignorantibus nobis, prouenerat, vt credo, procurante te occultis tuis modis, vt ego & ipſa ſoli ſtaremus incumbentes ad quandam feneſtram, vnde hortus intra domum, quæ nos habebat, proſpectabatur, illic apud oſtia Tiberina, vbi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem, inſtaurabamus nos nauigationi. Colloquebamur ergo ſoli valdè dulciter, & præterita obliuiſcentes, in ea, quæ antè ſunt, extenti, quærebamus inter nos apud præſentem veritatem, quod tu es, qualis futura eſſet vita æterna ſanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Sed inhiabamus ore cordis in ſuperna fluenta fontis tui, fontis vitæ, qui eſt apud te, vt inde pro captu noſtro adſperſi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem ſermo perduceretur, vt carnalium ſenſuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea præ illius vitæ iucunditate, non comparatione, ſed ne commemoratione quidem digna videretur: erigentes nos ardentiore affectu in idipſum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, ipſum cælũ, vnde ſol & luna, & ſtellæ lucent ſuper terram. Et adhuc aſcendebamus interiùs cogitando & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes noſtras, & tranſcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indeficientis, vbi paſcis Iſraël in æternum veritatis pabulo, & vbi vita ſapientia eſt, per quam fiunt omnia iſta, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt: & ipſa non fit, ſed ſic eſt, vt fuit, & ſic erit ſemper: quin potiùs fuiſſe, & futurum eſſe, non eſt in ea, ſed eſſe ſolùm, quoniam æterna eſt. Nam fuiſſe & futurum eſſe, non eſt æternũ. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attigimus eam modicè toto ictu cordis, & ſuſpirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias ſpiritûs, & remeauimus ad ſtrepitum oris noſtri, vbi verbum & incipitur & finitur. Et quid ſimile verbo tuo Domino noſtro in ſe permanenti ſine vetuſtate, atque innouanti omnia? Dicebamus ergo: Si cui ſileat tumultus carnis, ſileant phãtaſiæ terræ & aquarum & aëris, ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe non ſe cogitando, ſileãt ſomnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne ſignum, & quicquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omninò: quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos, qui manet in æternum. His dictis ſi iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per ſonitum nubis, neque per ænigma ſimilitudinis, ſed per ipſum, quem in his amamus, ipſum ſine his audiamus: ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam ſapientiam ſuper omnia

Phil.3.

Eſa. 64. 1.Cor.2. Pſal.35.

Verbũ Dei incommutabile.

Pſal.99.

omnia manentem: ſi continuetur hoc, & ſubtrahãtur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpirauimus: Nónne hoc eſt, Intra gaudium Domini tui? Et iſtud quando? An cùm omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur? Dicebamus talia, & ſi non iſto modo & his verbis, tamen Domine tu ſcis, quòd illo die, cùm talia loqueremur, & mundus iſte nobis inter verba vileſceret cum omnibus delectationibus ſuis: tũc ait illa: Fili, quantùm ad me attinet, nulla re iam delector in hac vita. Quid hîc faciam adhuc, & cur hîc ſim, neſcio, iam conſumpta ſpe huius ſeculi. Vnum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te Catholicum Chriſtianum viderem, priuſquàm morerer: cumulatiùs hoc mihi Deus meus præſtitit, vt te etiam contempta felicitate terrena, ſeruum eius videam. Quid hîc facio? Matth.25. 1.Cor.15.

Ad hæc ei quid reſponderim, non ſatis recolo. Tum intereà vix intra quinque dies, aut non multo ampliùs decubuit febribus. Et cùm ægrotaret, quodam die defectum animæ paſſa eſt, & paululùm ſubtracta à præſentibus. Nos concurrimus, ſed citò reddita eſt ſenſui, & adſpexit adſtantes me, & fratrem meum, & ait nobis quaſi quærenti ſimilis: Vbi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos: Ponetis hîc, *inquit*, matrem veſtram? Ego ſilebam, & fletum frænabam. Frater autem *meus* quiddam locutus eſt, quo eam non peregrè, ſed in patria defungi tanquam feliciùs optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quòd talia ſaperet, atque inde me intuens: Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus: Ponite, inquit, hoc corpus vbicunque: nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis meî, vbi fueritis. Cumque hanc ſententiam verbis, quibus poterat, explicâſſet, conticuit, & ingraueſcente morbo exercebatur. Ego verò cogitans dona tua Deus meus inuiſibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, & proueniunt inde fruges admirabiles, gaudebam, & gratias agebam tibi, recolens quod noueram, quanta cura ſemper æſtuâſſet de ſepulcro, quod ſibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri ſui. Quia enim valdè concorditer vixerant, id etiam volebat, vt eſt animus humanus minùs capax diuinorum, adiungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, conceſſum ſibi eſſe poſt tranſmarinam peregrinationem, vt coniuncta terra amborum coniugum terra tegeretur. Quando autem iſta inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in eius corde non eſſe, neſciebam, & lætabar admirans, quòd ſic mihi apparuiſſet: quanquàm & illo ſermone noſtro ad feneſtram, cùm dixit: Iam quid hîc facio? non apparuit deſiderare in patria mori. Audiui etiam poſteà, quòd iam, cùm Oſtijs eſſemus, cum quibuſdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de contemptu vitæ huius & bono mortis, vbi ipſe non aderam: illiſque ſtupentibus virtutem fœminæ, quam tu dederas ei, quærentibuſque vtrùm non formidaret tam longè à ſua ciuitate corpus relinquere: Nihil, inquit, longè eſt Deo: neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſeculi, vnde me reſuſcitet. Ergo die nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto anno ætatis ſuæ, trigeſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa & pia corpore ſoluta eſt. Cap.11. Memoria defunctorũ in Miſſa. Obitus S. Monicæ.

Premebam oculos eius, & confluebat in præcordia mea mœſtitudo ingens, & trãſfluebat in lachrymas, ibidemque oculi mei violento animi imperio reſorbebant fontem ſuum vſque ad ſiccitatem, & in tali luctamine valdè malè mihi erat. Tum verò vbi efflauit extremum ſpiritum, puer Adeodatus exclamauit in planctum, atque ab omnibus nobis coërcitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile, quod labebatur in fletus, iuuenili voce cordis coërcebatur & tacebat. Neque enim decere arbitrabamur funus illud queſtubus lachrymoſis gemitibuſque celebrare: quia his plerumque ſolet deplorari quædam miſeria morientium, aut quaſi omnimoda extinctio. At illa nec miſerè moriebatur, nec omninò moriebatur. Hoc & documentis morum eius, & fide non ficta, rationibuſque certis tenebamus. Quid ergo erat, quod intus mihi grauiter dolebat, niſi ex conſuetudine ſimul viuendi dulciſſima & chariſſima, repentè ſimul dirupta, vulnus recens? Gratulabar quidem teſtimonio eius, quòd in ea ipſa ægritudine, obſequijs meis interblandiens, appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu, nunquàm ſe audiſſe ex ore meo iaculatum in ſe durum aut contumelioſum ſermonem, Sed tamen quid tale Deus meus, qui feciſti nos, quid comparabile habebat honor à me delatus illi, & ſeruitus ab illa mihi? Cap.12. Eius de S. Auguſtino teſtimoniũ.

Quo-

Quoniam itaque deſerebar tam magno eius ſolatio, ſauciabatur anima mea, & quaſi dilaniabatur vita, quæ vna facta fuerat ex mea & illius. Cohibito ergo à fletu illo puero, Pſalterium aperuit Euodius, & cantare cœpit pſalmũ, cui reſpondebamus omnis Pſal. 100. domus: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito autem hoc, côuenerunt multi fratres ac religioſæ fœminæ, & de more illis, quorum officium erat, funus curantibus, ego in parte, vbi decenter poteram cum eis, qui me non deſerendum eſſe cenſebant, quod erat tempori congruum, diſputabam: eoque fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus & intentè audiẽtibus, & ſine ſenſu doloris me eſſe arbitrantibus. At ego in auribus tuis, vbi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectûs mei, & conſtringebam fluxum mœroris: cedebatque mihi paululùm, rurſusque impetu ſuo ferebatur, non vſque ad eruptionẽ lachrymarum, nec vſque ad vultûs mutationem: ſed ego ſciebam, quid corde premerẽ. Et quia mihi vehementer diſplicebat tantum in me poſſe hæc humana, quæ ordine debito & ſorte cõditionis noſtræ accidere neceſſe eſt, alio dolore dolebam dolorem meum, & duplici triſtitia macerabar. Cùm eccè corpus elatum eſt, imus & redimus ſine lachry- Miſſa pro defunctis antiquiſſimæ conſuetudinis. mis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea ſacrificium precij noſtri, iam iuxta ſepulcrum poſito cadauere, priuſquàm deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego fleui: ſed toto die grauiter in occulto mœſtus eram, & mente turbata rogabam te, vt poteram, quòd ſanares dolorem meum, nec faciebas: credo commendans memoriæ meæ, vel hoc vno documento, omnis conſuetudinis vinculum, etiam aduersùs mentem, quæ iam nõ fallaci verbo paſcitur. Viſum etiam mihi eſt, vt irem lauatum, quòd audieram inde balneis nomen inditũ, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quòd anxietatem pellat ex animo. Eccè & hoc confiteor miſericordiæ tuæ pater orphanorum, quoniam laui, & talis eram, qualis priùs, quàm lauiſſem. Neque enim exudauit de corde meo mœroris amaritudo. Deinde dormiui, & euigilaui, & non parua ex parte mitigatum inueni dolorem meum, atque vt eram in Ex hymno Ambroſiano verſus. lecto meo ſolus, recordatus ſum veridicos verſus Ambroſij tui: Tu es enim Deus creator omnium, Polique rector, veſtiens Diem decoro lumine, Noctem ſoporis gratia, Artus ſolutos vt quies Reddat laboris vſui: Menteſque feſſas alleuet, Luctusque ſoluat anxios. Atque inde paulatim reducebam in priſtinum ſenſum ancillã tuam, conuerſationemque eius piam in te & ſanctam, in nos blandam atque morigeram, qua ſubitò deſtitutus ſum, & libuit flere in cõſpectu tuo de illa, & pro illa, de me & pro me. Et dimiſi lachrymas quas continebam, vt effluerent quantùm vellent, ſubſternens eas cordi meo: & requieuit in eis, quoniam ibi erant aures tuæ, non cuiuſquam hominis ſuperbè interpretantis ploratum meum. Et nunc Domine confiteor tibi in literis. Legat qui volet, & interpretetur vt volet: & ſi peccatum inuenerit fleuiſſe me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerem, non irrideat, ſed potiùs, ſi eſt grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipſe ad te pater omnium fratrum Chriſti tui.

Cap. 13. Ego autem iam ſanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noſter pro illa famula tua lõgè aliud lachrymarũ genus, quod 1. Cor. 15. manat de concuſſo ſpiritu conſideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam Nota timorem etiam ſanctorum hominum. moritur. Quanquàm illa in Chriſto viuificata, etiam nondùm carne reſoluta, ſic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide moribusque eius: non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptiſmum regenerâſti, nullum verbum exiſſe ex ore eius contra præce- Matth. 5. ptum tuum. Et dictum eſt à veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter ſperamus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quiſquis autem tibi enumerat vera merita ſua, Merita noſtra Dei dona. quid tibi enumerat, niſi munera tua? O ſi cognoſcant ſe omnes homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur. Ego itaque, laus mea & vita mea, Deus cordis mei, 2. Cor. 10. ſepoſitis pauliſper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum, Rom. 8. Matth. 6. quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis: dimitte illi & tu debita ſua, ſi qua etiam contraxit per tot annos poſt aquam ſalutis. Dimitte Pſal. 142. Matth. 5. Domine, dimitte obſecro, ne intres cum ea in iudicium. Superexaltet miſericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſericordibus.

bus. Quod vt eſſent, tu dediſti eis, qui miſereberis, cui miſertus eris: & miſericordiam tuam præſtabis, cui miſericors fueris. Et credo iam feceris, quod te rogo: ſed voluntaria oris mei approba Domine. Nanque illa, imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſe contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulcrum patrium. Non iſta mandauit nobis, ſed tantummodò memoriam ſuî ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis, computans delicta noſtra, & quærens quid obijciat, & nihil inueniens in illo, in quo vicimus. Quis ei refundet innocentem ſanguinem? Quis ei reſtituet precium, quo nos emit, vt nos auferret ei? Ad cuius precij noſtri ſacramentum, ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non ſe interponat nec vi, nec inſidijs leo & draco: neque enim reſpondebit illa nihil ſe debere, ne conuincatur & obtineatur ab accuſatore callido: ſed reſpondebit dimiſſa debita ſua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & poſt quem nulli nupta eſt, cui ſeruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur. Et inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis ſeruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuũ Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodùm neſcio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce tranſitoria, & fratrum meorum ſub te patre in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hieruſalem, cui ſuſpirat peregrinatio populi tui ab exitu vſque ad reditum, vt quod à me illa popoſcit extremum, vberiùs ei præſtetur in multorum orationibus, tam per confeſſiones, quàm per orationes meas.

Rom. 9. Exod. 33. — *Miſſæ quotidianæ.* — *Coloſſ. 2.* — *Vult in Miſſa S. Auguſtinus orari pro parẽtibus ſuis.*

VITA S. GOTHARDI EPISCOPI HILDESEMENSIS, EDITA A QVODAM EIVS CONTEMPORANEO

monacho vel canonico: cuius tamen ſtylus obſcurior, ne lectorem offenderet, per F. Laur. Surium mutatus eſt, & quædam reddita paraphraſticôs. Eſt autem hic non integra hiſtoria, ſicut ab authore conſcripta fuit, ſed non pauca omiſſa videntur in eo exemplari, quod nos habuimus: præcipua tamen hic haberi ſperamus, & quæ plus vtilitatis lectori afferant.

PROLOGVS AVTHORIS, MVTATA PHRASI, nonnihil contractus.

ADMODVM reuerendo, & toto deuotionis ſtudio ſemper colendo domino ac præceptori ſuo, frater N. corpore & ſpiritu exiguus, quicquid ſuo domino debet iure ſubditus. Scripturus vitã & inſtitutionem beatæ memoriæ patris atque paſtoris noſtri Gothardi, inter ſpem & metum anxius, diù multumque quid facerem deliberaui, quòd me tam præclaro operi planè imparem non ignorarem. Alliciebant me ſplendore ſuo virtutes, quas per illum Dominus declarauit, ſed abſterrebat conſcientia multiplicis deſidiæ meæ, donec tãdem magiſtrorum & fratrum, inprimìs autem veri cultoris Dei Abbatis noſtri iuſſis adactus, partim ſpontè, partim nolens opus hoc aggredi tentaui. Quod quidem tibi, præceptor eximie, ſecretiùs offerendum ſtatui, qui & facilè ſis daturus veniam erratis, poſſiſque non difficulter tum addere, tum demere, quod viſum ſit, aut certè opus ipſum penitùs ſupprimere. Neque id vel admireris, vel aſperneris velim, pater venerabilis, quòd te ex omni præſulũ, abbatũ, doctorum numero vnũ elegi huius laboris mei examinatorẽ, quando id vt facerẽ etiam is, quem dixi, Abbas meus hortatus eſt, & tibi ꝓ fidei & dilectionis tuæ merito beati Gothardi vita omnis præ cæteris magis cognita eſt, vt qui ab illo familiariùs didiceris etiã arcana pectoris eius. Ego verò ad hũc ſcribẽdi ſuſcipiendũ laborẽ etiã eo nomine nõ parũ incitatus ſum, ꝙ adoleſcẽs inter Hirsfeldenſe & Altahẽſe cœnobia diſcurrẽs, prima beati viri geſta à fidelibus & crebrò audierim,

Habes hîc & ætatẽ & fidem authoris.

rim, & libenter memoriæ commendârim. Teſtor autem Dominum IESVM, me nihil mandâſſe literis, niſi quod ipſe & viderim, & auditione acceperim, aut à fide dignis cognouerim: maximè cùm darem literis operam, vbi à quodam grandæuo ſacerdote, tibi quoque benè noto, eius familiaribus vtens colloquijs, pleraque accepi, fide non dubia mihi ea referente, vt ſi Dominus daret, quandoque in ſcripta redigerem. Is autem ab ipſa infantia ei fideli miniſterio ſemper adhæſerat, & primus eum ſacris literis erudierat, cunctasque res eius ad pontificatum vſque probè compertas habebat. Quæcunque autem à me ex his conſcripta ſunt, ea, vt iam ſuprà dixi, prudentiæ tuæ diſcutienda offerre volui, vt per te errata corrigantur, hiantia compleantur, ſuperuacanea reijciantur, res ſcitu dignæ eorum loco ſubſtituantur, ſtoliditas mea, ſicubi lapſa ſit, veniam obtineat, & contra inſultantium ſannas authoritatis tuæ præſidijs muniatur: quanquàm, vt mihi teſtis eſt Deus, non valdè moueor, ſi quis Momus arrogans adducto ſupercilio carpere me velit, modò ſtudioſis & Deum timentibus ſimplex rerum geſtarum veritas patefacta ſit, dataque occaſio ijs, qui & velint & poſſint, beatiſſimi Gothardi vitã & actus cultiori & elegantiori ſtylo conſcribendi. Nam vt ſolent ſagaces canes ſigno à venatore dato diligenter inueſtigare feras, non vt ipſi inde comedant, ſed pareant voluntati domini ſui, cupientis & ſibi & familiæ ſuæ, atque etiam fortaſſe ſuperuenturis hoſpitibus lautiores epulas apponere: ita & ego lubens hunc ſuſcepi laborem, non vt mihi laudem, quam non mereor, aucuper, ſed vt iuſti viri memoriam & præſentibus & futuris efficiam ſempiternam. Nec quenquam mouere debet, quòd obijciunt mihi naſuti quidam illuſores, non debuiſſe me humilem ſtirpem commemorare tam præclari & inſignis viri, ſed eam potiùs in eius laudem ſilentio premere, tãquam eius exiſtimationi & ſplendori nominis derogantem: quando ij, qui ſanum ſapiunt, non tam attendunt fumoſas antiqui generis imagines, quàm
1.Reg.2. diuinæ gratiæ prærogatiuas: quibusque ille ſolus nobilis eſt, quem nobilitat ſua virtus. Ait ſcriptura diuina: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſublimat. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem: Vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Quod in hoc beato viro, tota Eccleſia teſte, impletum eſt. Deductum enim à Domino per vias rectas, & in cõſpectu regum magnificatum, cum principibus glorioſè conſediſſe, & inter principes locutum ſapienter, ſoliumque gloriæ præclarè obtinuiſſe vidimus: nec ab vllo fidelium dubitatur, lætari eum nunc coram Chriſto in ſanctorum collegio ſacerdotum. Interim tamen ſi fortè loquacitas mea vſpiam extra cancellos progreſſa eſt, tu pater & doctor egregie, qui id non ſolùm huius præſulis memoriæ, ſed etiam imperitiæ meæ debere exiſtimaris, qui & pro doctrina tua potes approbare probanda, & pro authoritate reijcere improbanda, adhibe cenſuram & caſtigationem tuam, vt & friuola ſempiterno ſilentio obruantur, & vtilia abſque adulationis fuco deprompta relinquantur. Si quid enim hîc repertum erit vero non conſentaneum, non tam imperitiæ meæ, quàm tuæ id incuriæ imputabitur.

HISTORIA.

Maij 4. Cap.1. Matth.5. Tob.12.

DOMINVS Ieſus Chriſtus præcipit in Euangelio, vt accenſa lucerna non ſub modio ponatur, ſed ſuper candelabrum, vt eius luce fideles illuſtrentur. Alia quoque ſcriptura vult ſecreta regum celanda, opera verò Dei enuncianda & prædicanda. Ijs nos permoti, dignum ſanè duximus, quantum ope cæleſtis gratiæ conſequi poſſimus, quæ à beato patre noſtro Gothardo Epiſcopo ex virtute geſta ſunt, ea & præſentibus & pòſt futuris imitanda proponere, & ſcripto explicare. Nec enim poterimus negligentiæ notam effugere, ſi quæ de illo laude digna & vidimus & audiuimus, ſub ſilentio latere patiamur: maximè quando ille ex Baioaria, iam olim verbi Dei vomere exculta, & fide Chriſti affatim inſtructa, veræ religionis doctor inſignis ad nos Saxones tranſmiſſus eſt, quibus proh dolor non immeritò cum probro obijcitur, quòd ad complectendum Dei verbum planè ſaxeos & indomitos diù nos exhibuimus.

Cap.2. S.Gothardi patria.

Vt igitur ad narrationem veniamus, præclara indole puer Gothardus in Bauariæ apud Altahenſe monaſterium ex eiusipſius familia natus eſt. Parentes germanè Chriſtiani

ſtiani fuêre, vt pòſt res ipſa declarauit: qui cùm eum feliciter enutriuiſſent, in cœnobio eodem curârunt ſacrarum literarum ſtudijs adhibendum. Hoc verò monaſterium à quibuſdam Chriſti cultoribus conditum eſt anno ſalutis ſeptingenteſimo quadrageſimoprimo, quo è viuis exceſſit Carolus Martellus, Pipini filius, cuius pater fuit Anchiſus, ab Arnulpho procreatus. Porrò Carolus Martellus filijs ſuis Carolomano & Pipino reliquit principatum: atque altero inde anno ex Pipino hoc editus eſt Carolus Magnus. Conſtructum verò eſt Altahenſe monaſterium & conſummatum quindecim ferè annis antè, quàm à S. Bonifacio Archiepiſcopo, volente ſic Zacharia Romano Pontifice, in Baioaria Epiſcopi certis locis inſtituerentur. Cui rei etiam aſſenſit Pipinus rex, cui iam Carolomanus frater trienniò antè ceſſerat partem principatûs, quę ad ipſum attinebat, Romę monaſtico indutus habitu, & raſus caput. Quo tempore Vuillibaldus datus eſt Eyſtadio Epiſcopus, Ioannes Saliſburgenſibus, Erimbertus Friſingæ, Gaibaldus Ratiſponæ, creuitque & robur accepit ijs in locis Chriſtiana religio. In Altahenſi autem cœnobio Chriſti famulatus ſua habuit ab initio incrementa, & centum ferè annis inſtitutum monaſticum præclarè illic profecit vſque ad deteſtabilem illam diſſenſionem, quæ extitit inter Ludouicum Caroli Magni filium, & liberos eius Ludouicum, Clotarium & Carolum: ac deinde Imperatore defuncto, inter hos fratres annis non paucis, vt Chronica teſtantur. *Altahenſe cœnobium quãdo conditum.*

Ea enim tempeſtate complures ſpoliabantur eccleſiæ, monaſteria vaſtabantur, atque in ijs etiã Altahenſe, cuius poſſeſſiones, à fidelibus ei collatæ, & hactenùs inconuulſæ, diripiebantur, atque tam flagitioſis rebus militantibus pro volũtate eorum, qui ſic debacchabantur, beneficij, immò verò maleficij nomine attribuebantur. Atque ita factum eſt, vt neceſſariò illic deficeret monaſtica profeſſio & diſciplina, tametſi annis itidem centum Canonicorum ibi permanſit inſtitutum vſque ad Henrici Ducis tempora, quem poſteà Imperatorem vidimus. Et Otho quidem rex, filius Henrici Ducis Saxoniæ, non ſemel illud voluit monaſterium aliquot locis inſtaurare, ſed multis ſe ei obijcientibus impedimentis, inprimìs autem Henrici fratris eius Bauariæ Ducis machinationibus, animi ſui propoſitum non potuit ad effectum perducere. Is enim Henricus, cùm primùm creatus eſſet rex, coram patre & principibus indignabundum ſe quaſi ioco ſimulans, & eo nobiliorem ſe iactitans, ei ſe oppoſuit, atque in hac iniuſta voluntate ſemper & aduersùs fratrem regem priuatim & veteratoriè, & contra filium regis Ludouicum, vt etiamnum Bauaria teſtatur, publicè permanſit. In hoc ergo monaſterio puer Gothardus & à parentibus piè oblatus, & à fratribus religioſè ſuſceptus, quendam literaturæ, Deo donante, accepit hauſtum ſanè laudabiliter, & diuinæ legis, quantùm illius ætatulæ ferebat capacitas, notitiam libenter capiebat, vt in illo quoque verum cerneretur, quod dici ſolet, Facilimè diſcitur, vbi ſpiritus Domini doctor adeſt. *Cap. 3.* *S. Gothardus puer recipitur in Althahenſi monaſterio.*

Per id tempus beatus vir Chriſtianus Patauienſis Epiſcopus hoc monaſterium, ceu beneficiarius gubernabat, rerum ibi tum potiente Henrico Duce. Cumque Altahenſes fratres pueri Gothardi religioſum animum egregiamque indolem perſpexiſſent, retulerunt de eo ad Chriſtianum Epiſcopum. Is verò vbì de illo certior factus fuit, vt erat vir prudentiſſimus, gratias egit Deo: puerumque è monaſterio accitũ, in ſuam admiſit familiaritatem: cernenſque eum Dei gratia de virtute in virtutem proficiſci, maiori eum beneuolẽtia complexus eſt, atque triennio ſecum eum habere voluit comitem itinerum ſuorum, etiam cùm difficiles eſſent ſuſcipiendæ profectiones, vt certiùs de animi eius virtute & probitate cognoſceret: interim de ijs, quæ fidei & religionis ſunt, accuratiùs eum inſtituens. Fratribus autem Altahenſibus ad peragenda diuina miniſteria eum repetentibus, Subdiaconum eum ordinauit, ſicque à ſe dimiſſum, illis reſtituit. Reuerſus autem ille ad monaſterium iam adoleſcens, de die in diem ſtuduit ſeipſo melior fieri, & ſanctè inter fratres verſari, communi eorum vtilitati religioſiùs ſtudere & intendere, maiores honorare, æqualibus virtutum exemplis prælucere, inferiores optimis ſermonibus crebrò ad meliora incitare. Atque ita factũ eſt, vt breui tempore monaſticæ vitæ diſciplinam perfectè aſſecutus, Diaconus quoque ordinatus ſit, & vt pòſt patuit, non abſque Dei prouidẽtia eius monaſterij Præpoſitus inſtitutus. *Cap. 4.* *Ordinatur Subdiaconus.* *Virtutes eius.* *Fit Diaconus, & Præpoſitus.*

Anno autem poſt Virginis partum noningenteſimo octogeſimotertio, Othoni II. Imperatore ex hac vita ſublato poſt periculoſiſſimum illud planeque infauſtũ cum Saracenis commiſſum in Calabria prælium, toto orbe clade & infamia notiſſimum, Romæque ſummo Chriſtianorũ mœrore admodùm honorificè ſepulto, poſt inconſultam Merſburgenſis epiſcopatûs deſtructionem, & immeritam, vt vulgo fertur, in- *Cap. 5.*

noxij Comitis necem, is, quem ſuprà memorauimus, Henricus Bauariæ Dux, pater Henrici Imperatoris, ab Imperatore patruele ſuo ante ſeptennium infidelitatis & tyrannidis ergô, à principatu illo deiectus, Imperium inuadere conatus eſt, regnandi cupiditate tanquam œſtro quodam percitus, herilemque filium, dignum ordinatione diuina regni hæredem opprimere, malo dæmone eum inſtigante, voluit. Sed repreſſi ſunt inanes conatus eius à regni primoribus, Deum ſanè timentibus, maximè autem à Vuilligiſo Moguntino Archiepiſcopo, & Bernardo Saxoniæ duce, quorum ſtudio & opera res ſedata eſt: tandemq; Henrico poſt multa & apta & inepta, quæ quòd Chronicis contineantur, hîc referre nolumus, Ducatus reſtitutus eſt. Porrò Otho tertius ipſo Chriſti Saluatoris natalitio die à Vuilligiſo Archiepiſcopo coronatus eſt, atque in omni eccleſiaſtica * pietate auito more progredi cœpit. Cuius quidem hoc initio nō obſcurum fuit argumentum, quòd ſeptimo regni ſui anno Altahenſe monaſterium conſilio Epiſcoporum in monaſticæ religionis ſtatum curauit reſtituendum, ſuam etiam operam ad id conferente Duce Henrico. Fuitque tum illi monaſterio præfectus Abbas vir venerabilis * Erchanbertus, cuius induſtria cultus diuinus ad regulæ S. Benedicti præſcriptum ibi fuit religioſè conſtitutus.

Herilem filium, dicit Othonem tertium.

* perfectione

Cap. 6. S. Gothardus ex canonico fit monachus.

Eius quoque ſalubertima adhortatione promptæ obedientiæ iuuenis Gothardus, ſeculi vanitatibus ex animo renuncians, cum aliquot eius loci fratribus monachus effectus eſt, cùm iam, vt ipſe ſæpè nobis indicauit, annum ætatis ageret primum & triceſimū, pleriſque alijs, vt ſatis conſtat, ex illo cœnobio diſcedentibus, in quibus fuit etiam ille, N. quem poſteà Mindenſis eccleſiæ Epiſcopum vidimus. At noſter Gothardus, nouellus nouæ religionis tyro, in melioris vitæ aſcitus tyrociniū, vt ſolebat iam antè in priori inſtituto, cæleſti patriæ inhiabat, tantumq; habuit in virtutibus progreſſum, vt nouus preceptor nouo diſcipulo vel auditori, quod certè in eiuſmodi rarum & inſolitum eſt, propter eius integritatem & probitatem, omnem ouibus ſibi crediti curam poſt ſe penitùs demandaret, eumque in ſpiritalis exercitij ſilium adoptaret. Verumenimuerò idem ipſe Abbas, exacta in monaſterij adminiſtratione triennio, vel ob incommodam valetudinem, vel ob tædium curarū, quas affert ſecularium rerum occupatio, Abbatiæ illius gubernatione ſe abdicauit, & ſecretioris vitæ ſolitudinem expetijt, ſoli Deo vacare deſiderans. Ijs diebus mortuus eſt Henricus Baioariæ Dux, ſucceſſitque ei pius Henricus filius eius, non patris inſolentiam ſecutus, ſed timorem Domini, qui eſt ſapientiæ initium, complectens, omni literarum ſtudio precipuè imbutus, totusque & fide ſanus & actu catholicus. Cernens autem ille monaſterium Altahenſe rurſus ſpiritali patre & paſtore deſtitutum, diuini cultûs feruore eum incitante, Gothardum tunc ſacerdotio initiatū, Abbatem illic inſtituere voluit, ſed is biennio inſtas adhibens & prætexens cauſas atque rationes, ei aſſentiri noluit. aiebat enim, ſe ſedem & locum paſtoris ſui, ipſo adhuc viuente, ſibi vendicare non debere. Poſtquàm verò Abbas & à fratribus & ab epiſcopis reuocatus redire prorſus detrectauit, eiſque poteſtatem fecit quencunque vellent in ſuum locum ſurrogandi, Gothardus tandem tum antiſtitum authoritate, tum fratrū vnanimitate victus, monaſterij regimen ita vt Dux conſtituerat in ſe recepit: moxque ab ipſo promotionis ſuæ exordio totum ſe Chriſti ſeruitio alacriter impendit, arctioremq; & aſperiorem monaſticæ vitæ tramitem cum adiunctis ſibi fratribus ſolicitè complexus eſt, in eo ſtudio annis octo ibidem ſine intermiſſione perſeuerans. Atque interim nihilo minùs labore manuario multiplicia fratribus atque neceſſaria emolumenta comparauit. Nam in monte, qui * Heilingerſberg vocatur, firmum caſtellum & in eo templum elegantiſſimum in honorem ſanctiſſimæ matris Dei, in qua ſpecialis exhiberetur cultus, cum congruis ædificijs extruxit, & circunquaque, maximè in ſaltu Boëmico, qui illi regioni propinquus eſt, ad triginta & eò ampliùs manſos (ſic habet author) ad fratrum vſus informauit, priùs tamen ſuo & fratrum labore extirpatis ſyluis & vepribus. Intereà temporis anno à Chriſto incarnato milleſimo ſecundo Otho III. Imperator exceſſit è vita, ſubſtitutusque eſt ei Henricus Dux Bauariæ, omni pietate conſpicuus.

Præclara virtus eius.

Pſal. 110.

Creatur Abbas Altahēſis.

Cap. 7.

Ea tempeſtate in monaſterio * Hersfeldenſi ſancti Vuigberti Abbas fuit Bernharius, genere quidem & dignitate ſpectabilis, ſed tamen, quod bona venia dictum ſit, plùs quàm ipſius decebat inſtitutum, popularis auræ & laudis humanæ cupidus. Itaq; laxiùs ille habebat fratres ſui monaſterij, quàm poſceret diſciplina monaſtica, ita vt inſtar canonicorum res proprias ſibi vſurparent, haberentque & priuatas ædes, & equos, & magnam cultiorum veſtium copiam, aliaque id genus mundi huius pompas & faſtum redolen-

Monachi Hersfeldēſ. diſſolutè viuunt.

redolentia: poſſentque pro ſuo arbitratu & dare & accipere, & agere conuiuia præter fas & decorum. Is verò Abbas biennio ante obitum ſuum incidit in morbum, eaque cauſa vltra flumen Fuldam in monte, vbi ipſe monaſteriũ in honorem beati Petri Apoſtoli condiderat, cum militibus alijſque familiaribus ſuis morabatur alicuius refrigerij captandi cauſa. Sed fratres indignè id ferentes, tanquam qui à patre cõtemni viderentur, ad regẽ tum per ſeipſos, tum per literas & legatos ſæpè varias detulêre querimonias, quòd etiã victus & veſtitus ipſis negaretur, eiſque cum cæteris Chriſti pauperibus famem patientibus, res monaſterij multis modis prorſus inutiliter diſſiparentur & abſumerentur. Eas autem querimonias rex ſapiens altiùs quàm ipſi putarent expendens & intelligens, cùm non eſſet neſcius, quibus moribus præditi illi eſſent, diù quidem diſſimulauit, ſed tandem eorum importunitate victus, modeſtè ſic reſpõdit, ſe patrem illorum, ſi reualeſcat, de ijs admoniturum: ſi verò decedat è vita, ſe illis ex conſilio eorũ, qui diuinarum humanarumque rerum ſint periti, de Abbate prouiſurum, idque religiosè & ad diuini timoris præſcriptum.

Itaque paulò pòſt Abbate illo defuncto, Gothardum eis, ſic ſuadentibus Epiſcopis, patrem gubernatoremque prefecit, ſolerter eum admonens, vt in omnibus, ita vt Dei timor & monaſtica diſciplina poſceret, eis prouideret. Perductus igitur eò Gothardus à Vuilligiſo Archiepiſcopo Moguntino, & ab eodẽ accuratè inſtructus, vt quemadmodùm benè nouerat, probè recteque ſe gereret, ipſo primo aduentu ſuo Deo gratias agens, & vt ab illo in præteritis, præſentibus & futuris dirigeretur ſolicitè orans, principio quidem iuxta Canonis monaſtici præcepta, duriora & aſpera eis propoſuit, ſed tamen rogatus ab Archiepiſcopo, copiam eis fecit ea cum ipſo conſectandi, aut quò illis viſum eſſet diſcedendi. Illi verò, paucis exceptis ſenibus & pueris, quamprimũ omnes inde abierunt, per loca diuerſa diſperſi: at tamen poſteà ſaniori vſos conſilio, & eorum ope, qui remanſerant, eiuſque induſtriam, comitatẽ & humanitatẽ iam experti erant, quoſdam quidem celeriùs, alios tardiùs, ſed penè omnes tamen ad ouile vir beatus reuocauit, eoſque leue Chriſti iugum, præſtante Domino, facilè perferre docuit. Ipſam verò ciuitatem & monaſticas habitationes à ſuperuacaneis multis & ineptis ædificijs ilicò repurgauit, & ad congruam monaſticæ inſtitutionis & neceſſitatis habitudinem honeſtè reformauit, atque ſic eo in monaſterio tam cum illis, quos ibi inuenerat, quàm cum alijs aliundè adductis fratribus annis ſeptem Deo dignè & coram hominibus laudabiliter vixit. Commendata autem ſunt ei etiam alia duo monaſteria, Degerenſe & * Cremenſe, quæ pari ſtudio in Dei famulatu gubernauit.

> Cap. 8. S. Gothard' præficitur Hersfeldẽſi monaſterio.
>
> Reformat collapſam diſciplinã.

Iiſdem temporibus fuit in Turingia vir quidam nobilis, dignitate & meritis illuſtris, Guntherus nomine, qui dolens ob peccata in iuuentute perpetrata, & diligenter vitæ ſuæ anteactæ ſtatum conſiderans, faciem iuſtiſſimi iudicis in confeſſione preuenire voluit: ſed propriæ tum animi tum corporis imbecillitati diffidens, quòd fortaſſis ferre non poſſet omnimodam rerum ſuarum abdicationem, multiuarias res & facultates ſuas, quas à maioribus acceperat, hæredum ſuorum accedente conſenſu, S. Vuigberto firma traditione delegauit, ſed ea tamen pactione corã teſtibus teſtamento adhibita, vt factus monachus, victùs & veſtitùs cauſa monaſterium Gellingenſe ipſe obtineret, atque inde tam ſibi, quàm fratribus illic Chriſto cum ipſo ſeruituris res neceſſarias colligeret. At Abbas prudenti conſilio apud ſe perpendens, homini recèns conuerſo eiuſmodi pactionem in via mandatorum Dei magna allaturam diſcrimina, & in dies non mediocrem animæ perniciem conciliatura ea, quæ ſibi per hanc paraturus videbatur, corporis ſubſidia, prudenter interim eum diſtulit & remoratus eſt, & adhuc laico vtentem habitu, ſecum ad Altahenſe monaſterium adduxit. Vbi ille animo valdè compunctus, petijt ab Abbate, vt ante profeſſionem ipſi Romam petere, & Apoſtolorũ Chriſti aliorumque Sanctorum interceſſionem pro tranſactæ vitæ expiatione, & nouæ ſuſceptione promereri cũ ipſius bona venia liceret. Non abnuente Abbate, itque reditque, ac tandem coram altari beatiſſimæ Mariæ virginis deponit militare cingulum, raditur caput atque barbam, & pro more preces offerens, vt à fratribus in eorum ſodalitatem admitteretur, recipitur, & aliquandiù ex regulæ præſcripto probatus, monaſticum induit habitum. Verùm etiam poſt profeſſionis votum non immemor eius, quam diximus, pactionis, adit Abbatem, petit ſibi fieri poteſtatem ad patriam reuertẽdi, & in loco, quem elegerat, commorandi. Conſentit ei pius pater, nolens eum obſtinata contradictione à propoſito quanuis iniuſto depellere, donec animum eius illicita cupientem paulatim poſſet ratione à ſententia deducere. Poſtquàm igitur ad locũ optatum

> Cap. 9.
>
> Hoc loco aliquoties coniecturã vſi ſumus, quòd pauca quædã legi nõ poſſent.

Iob 1. & 2. peruenit, & res neceſſarias procurauit illic degentibus, ex occultis infeſti dęmonis inſidijs & machinationibus, Deo, vt certè credimus, quemadmodùm olim in beato Iob, permittente, multa & varia ei incommoda acciderunt: inter quæ ille, vtpotè paupertatis & laboris inſolens, ad Abbatem ſæpè confugere, eiusq; opem & conſilium anxiè expetere ſolebat. Abbas verò animi eius fluctuationem alta mente conſiderans, valdeque pertimeſcens, ne à propoſito deficeret, blanda interdum conſolationũ fomenta ei adhibebat, & humaniſſimis admonitionibus mœſtitiã eius abſtergere nitebatur: 2.Tim.4. nonnunquàm verò, Apoſtolum ſequens, arguens, obſecrãs, increpans, opportunè importunè nutantem eius animum caſtigans, ad viam ſalutis eum reuocare ſtudebat, tametſi nõ admodùm voto potitus eſt ſuo. Sed tamen cùm hac ratione ſæpè inter ſe certarent, & alter alteri moleſtiam exhiberet, tandem aliquando rurſus querelas ſuas illo ad Abbatem deferente, vir Dei iuſtitiæ zelo permotus, magna ſeueritate ait ad eum: Vide vt aut in ea, quam Deo pollicitus es, obedientiæ ſtabilitate ei religioſiùs ſeruias, aut abiecto monachi habitu, ad priſtinas mũdi vanitates diaboli laqueis implicatus te recipias. Quibus ille verbis perterrefactus, craſſumque nimis errorem ſuum tandẽ perhorreſcẽs, ingemuit, & omni ſuprà dicta pactione prorſus ab animo excluſa, cunctisq; de illata quacunq; moleſtia querimonijs longum valere iuſſis, ad Altahenſe monaſterium, vbi tum ſub illius patris cura, quod pace omnium dictum velim, ſingulare diuini cultûs ſtudium feruebat, ſe contulit, atq; illic fratribus humilimè ſe ſubijciens, cùm ex ſuperna illuſtratione breui tempore de monaſticæ diſciplinæ rigore vberiùs inſtructus eſſet, etiam ſuprà quàm monaſticus exigat canon, ipſis quoque ſuperioribus admirantibus, corpus ſuum caſtigauit & afflixit.

S. Gothard⁹ acriter obiurgat monachum nõ ſatisfacientem profeſſioni ſuæ

Cap.10. Tertio enim à cõuerſione ſua anno in ſaltu Boëmico vitã egit ſolitariã, permanſitq; illic ad annos ſeptem & triginta, in ſanctę religionis ſtudio & in ſumma volũtarię paupertatis ſeueritate cum quibuſdã alijs ſocijs ſuis perſeuerans. Victus eorum ſanè varius erat, vario ſtudio à rege Hungariæ, atq; è Boëmia & Polonia alijsq; diuerſis prouincijs vnà cum veſtitu conquiſitus. Potus quidẽ, quod omnibus notũ eſt, nõ niſi aqua ſola fuit, quæ etſi hoſpitibus apponebatur abundè, at fratribus tamen non niſi ad certã menſurã. Literas ille prorſus ignorauit, pſalmis exceptis, & tamen mira erat præditus euangelij, legis & prophetarũ intelligẽtia, nec hiſtoriarum rudis fuit: quam ille intelligentiã conſecutus fuit tum ex crebra fratrũ relatione, tum ex auida verbi Dei auſcultatione: adeoq; ſæpiſſimè ille myſticos & arcanos ſenſus interdum iocando, interdum verò adhortando non ſine audientiũ ſtupore proferebat. Quod nos ſanè, qui eum familiariùs nouimus, crebrò audiuimus, pręcipuè aũt in natiuitate beatiſſimi Ioãnis Baptiſtæ, quẽ ſibi ſpecialem patronum elegerat, cuiusq; natalitium diem maximè ſolennẽ habebat: quo die nos illi adfuimus, cùm in capitulari, vt vocãt, collatione fratres ſuos admoneret, & ſancti Ioannis vitã, mores, victum, veſtitum & actus cõmemorando, ad tolerandam magno animo penuriã eos incitaret. Vbi reuerà, quod poſſum Deo teſte pro certo affirmare, omnes penè, qui illic aderant, & hos eius ſermones audiebãt, adeò compuncti ſunt, vt magnos lachrymarũ imbres profunderẽt. Aderat ibi venerabilis Abbas Altahẽſis cum multis ſui cœnobij fratribus, nec paucis alijs hoſpitibus: pręter nos, quibus non licebat, monaſtico canone prohibente, in canonico habitu illuc ingredi, qui tamen fratrum familiaritate, & maximè Abbatum permiſſu circunquaque, cõcionatore ignorante, clanculùm ad feneſtras collocati fuimus. Erat profectò vir ille, vt de ſancto Benedicto ſcribit beatus Gregorius, quem poſt Dominum IESVM vita & moribus præcipuè imitabatur, & ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

Guntherus, ex nobili monachus, vitam agit ſolitariam & duram.

Efficacia ſermonũ eius.

Lib.2.Dialog.

Cap.11. Porrò beatus Gothardus, ſenio iam & labore feſſus, curarumq; ſeculariũ pertæſus, rege annuẽte, Herſfeldenſis monaſterij pręfecturã Arnoldo pręclaro viro, qui eius loci anteà prępoſitus fuerat, cõmendauit, & Degerenſis ęquè venerabili primicerio ſuo: ac deinde ad Altahenſe monaſteriũ ſe recepit, permanſurus illic, ſi tamen ſic viſum eſſet voluntati diuinæ, ad ſupremum vſq; vitæ ſuæ diem in monaſticæ vitæ ſtudio atq; cultu. Hoc enim monaſteriũ, vt hodieq; perſpici licet, ſummoperè excolere atq; ornare conatus eſt, puta codicibus, ſacris veſtibus, ad diuini ſacrificij miniſterium pertinentibus, alijsq; varijs & vtilibus eccleſię ornamentis: inprimìs aũt, quod quidem compertiſſimũ eſt, permultos illic fratres ſcientia & morum integritate inſignes atq; ſpectatos enutriuit, quos poſteà, rege & epiſcopis id poſcẽtibus, in diuerſa monaſteria patres & doctores ablegauit. Sed cùm in hac laborioſa, at ipſi tamen grata quiete annis decem eum in modum ſe cõparãſſet, totoq; pectore, & nocturnis atq; diurnis ſuſpirijs in eam curam cogi-

S. Gothard⁹ multum cõtulit Altahẽſi monaſterio.

cogitationemq; incũberet, vt poſſet placere Domino in regione viuorũ, & videre Deũ deorũ in Sion, ecce dormiẽti viſio offertur ſanè mirabilis, vt ipſe quidẽ ſępè nobis expoſuit, poſt quã nõ dubitauit ſe de hoc mũdo receſſurũ, quocũq; Dominus iuſſurus eſſet.

Nocte quadã, vt ſemper annis iam triginta conſueuerat, poſt primã noctis quietem in templũ ſe conferens, in pſalmodia cæteriſq; id genus diuinis officijs attento animo pernoctabat, etiã poſt nocturnas abſolutas preces. Inde aurora emergẽte, in cubiculũ ſe paululũ dormitãs recepit, ibiq; in ſcamno iacẽs, eiuſmodi ſomnio viſus eſt. Oliua ſpecioſę magnitudinis ſtare videbatur in atrio monaſterij, ſeq; ipſe putabat ſub ea arborę legendi ſtudio ſedere, & quoſdã graues honeſtoſq; homines ad ipſum accedere, q ſe dicerent à rege miſſos, vt illã effoſſam oliuam ad eum adferrẽt, in illius miniſteriũ ceſſurã; moxq; ſecures & fodiendi inſtrumẽta allata, & arborẽ ſumma feſtinatione ab illis effodi: ſed interim tamen quò foderẽt altiùs, eò denſiores tenacioreſq; occurrere radices. Tandẽ vt acceleraretur opus, adhibitis ſecuribus, amputari radices, tolliq; ab eis arborẽ, & ad regẽ aſportari. Mox aũt ex relictis denſis illis radicibus innumera eaq; ſpecioſa emergere virgulta, totumq; implere atriũ, vulgus quoq; diuerſi ſexûs & ętatis eò aduẽtare, plãtas inde auellere, & per rura atq; cõpita diſtribuere. His ita viſis, expergefactus eſt, & quamprimũ in templũ rediens, totumq; cogitatũ ſuum iactans in Dominũ, eius benigniſſimæ clementiæ ſeſe obnixè cõmendauit, certò ſibi perſuadens ſe poſt hoc ſomniũ deceſſurũ. At ſapiẽs quiſq; etiã alia id euidenter ſignificâſſe perſpicuè intelligere poteſt, ſi accuratè animaduertat multiplicem doctrinę eius copiã & in monaſterio illo relictã, & poſteà p diuerſa cæleſtis roris dogmata & inſtitutiones longè lateq; diffuſam.

Cap. 12. — Viſio eius. — Viſionis interpretatio.

Quando verò hucuſq; iã, nõ meo fretus ingenio aut eruditione, quæ certè nulla eſt, ſed diuinę gratię innitẽs, de vita beati viri multa laude digna perſcripſi, gratias ago Deo pro beneficio ſuo, opemq; tuã, venerãde pater, quem ad finẽ vſq; in omnibus, maximè verò in hac lucubratione mea magiſtrũ, patronũ & emendatorem delegi, tuam quoq; apud Deũ interceſſionẽ imploro, vt etiam deinceps maiora magiſq; memorabilia, illo me adiuuante, ſine vllius admixtione mendacij, veraci conuenientiq; ſtylo conſcribã. Itaq; anno à Chriſto nato milleſimo viceſimoſecũdo, regni verò Henrici viceſimoprimo, imperij aũt nono, felicis memoriæ Bernuuardus, noſtrę Hildeſemẽſis eccleſię venerabilis antiſtes, ex hac vita migrauit ad illã ſempiternã, tota regione illius obitu nõ mediocriter cõſternata & afflicta. Erat enim, vt obiter vitã eius perſtringam, in cultu diuino egregiè feruens, multa animi in gerendis rebus ſolertia, perſpicacitate, prudentia & induſtria preditus, contra refractarios & obſtinatos acer & ſeuerus, erga manſuetos & morigeros comis & humanus, in prętãdis eleemoſynis liberalis & largus, miſericordia & cõmiſeratione affluens, vigilijs, ieiunijs & precibus diligenter intentus. Monaſteriũ noſtrum libris, ſerico, auro, argento, gemmis, picturis, alijſq; eccleſiaſticis ornamentis non paucis auxit & inſtruxit, clericos complures & ad peragendũ Dei cultum & ſeruitium aptos & idoneos enutriuit, S. Michaëlis templũ ſua opera cõſtructũ, & bonis ſuis tum hæreditarijs, tum aliundè cõparatis ſatis ditatũ, Deoq; conſecratũ monaſtici inſtituti fratribus attribuit, turres munitiſſimas eaſq; inſignes vnà cum adhærẽte muro ad Orientẽ & Occidentem vrbis noſtræ Hildeſemẽſis ob tuendos ciues extruxit, multas ſacras ędes cũ diuerſis cõmodis ędificijs non vno Epiſcopatûs ſui loco cõdidit, deniq; & diuinis & humanis ea, quæ Epiſcopũ decet, circunſpectione & prudẽtia inuigilauit.

Cap. 13. — Imperij annos numerat à coronatione, quæ facta eſt Romæ. — Hiſtoria breuis S. Bernuuardi Epiſcopi.

Per id tempus Imperator apud ſe habebat Gothardum Abbatẽ more ſuo, & ſtudio pietatis: cumq; ad eum perlatus eſſet triſtiſſimus nuncius de obitu Bernuuardi epiſcopi, multo mœrore affectus eſt, & fidelis ſerui Chriſti ſuiq; amici mortẽ lachrymis pſecutus eſt, atq; piam eius animã Deo & ſanctis angelis eius debita cõmemoratione cõmendauit. Deinde Abbatem Gothardũ ſecretò alloquens, indicauit ei voluntatẽ ſuam de illo ſuſcipiendo Epiſcopatu. At ille mox in faciẽ ei reſtitit, ſeq; tali functione & honore planè indignũ affirmauit. Imperator verò etiã atq; etiã toto pectore eum adhortatus eſt, ne recuſaret. Sed ille permãſit in ſententia, aitq; ſe magna diuitiarũ onera ea cauſa à ſe reieciſſe, vt ſoli Deo poſſet vacare liberiùs, & fragilis huius vitæ finẽ in ſolita amicaque paupertate ſecuriùs expectare. Tum Imperator videns ſe nihil per ſe apud illũ poſſe efficere, per Epiſcopos obſtinatum eius animum frangere & emollire tentauit. Itaq; rogauit eos, vt de ſuſcipiendo Epiſcopatu agerent cum illo. Parent Imperatori Epiſcopi, loquuntur cum Gothardo, hortantur, ne ſit difficilis: ſed ille manet perpetuò ſimilis ſui, fidenter admodùm ſeſe opponens, id tamen ad extremum addens, ſi quidem putent eum Epiſcopi nomine dignum, ſe libenter expectaturum, donec Ratiſponenſis

Cap. 14. — S. Gothardus recuſat Epiſcopatum.

aut Pataùienſis eccleſia eſſet paſtore orbata, quippe quòd ijs in locis non ſibi, ſed ſuis ouibus duntaxat prodeſſe poſſet. Ita tota hebdomada inter eos hæc res actitata eſt, Gothardo nihil de animi ſui obfirmata ſententia remittente.

Cap.15. Tandem aũt in vigilijs S. Andreæ Apoſtoli, quę tunc in feriã quintã ante Domini aduentũ inciderũt, iterùm in ſomnis viſio ei contigit, quã tũ quidẽ ſoli Imperatori, poſteà verò etiam nobis gratulabundus pariter & lachrymabundus ſępè narrauit. Poſt ſolitas noctis vigilias & preces, videre ſibi viſus fuit in atrio illius eccleſię, in qua triduo pòſt cõſecrãdus erat, mirã hominũ multitudinem inter ſe tumultuantẽ, & de Epiſcopo Hildeſemenſi ſeriò concertantẽ: tum verò accedere ad ipſum in medijs turbis illis matronã quandã eximiã atq; venerabilẽ, vultu & habitu admirandã, cui adiunctus erat pulcherrimus virginũ cœtus, eamq; apprehenſa manu ipſius, è frequentia hominũ introducere eum in eccleſiã, porrectaq; manu dextera, nutu eum admonere, vt corã crucifixo veniam peteret, ſtatimq; ipſo ſe ad preces inclinante, illam cum alijs circunſtantibus clara voce pſallere, Infunde vnctionẽ tuã clemens noſtris ſenſibus. Ad hãc vocẽ ipſe à ſomno excitatus, & viſionis ſignificatione cõpunctus, in ſacrã ędem intrauit, & corã altari Domini ſe proſternens, eius bonitati & ſe & viſionẽ illam cõmendauit. Poſtq̃ autẽ illuxit, Imperatorẽ clàm adijt, mentiſq; ſuę pertinacia remiſſa, viſionis ſeriem ei expoſuit, ſeq́ diuinę voluntati & ordinationi obſecuturũ ꝓmiſit. Et eccè eodẽ die Clerus noſter Hildeſemenſis cũ militari manu aduenit, quibus cùm Imperator conſiliũ ſuũ, immò verò prępotẽtis Dei decretũ indicâſſet, omnes vno animo libenter amplexi ſunt, laudantes Deũ, tametſi, quod mirũ videri nõ debet, principiò quidã vel ad ignotã vel etiam auditione cõpertam iuuentutis eius ſeueriorẽ viuendi rationẽ aliquandiù expaueſcerent, ſibiq; quippiã eiuſmodi pertimeſcerẽt. Poſtera die ſumma Cleri populiq; volũtate & gratulatione paſtoralis cura ei demandata eſt, ac deinde proxima Aduentũs Domini die Dominica ab Aribone Moguntinenſi Archiepiſcopo dignè Deo conſecratus eſt.

Viſio eius alia. *Tandẽ conſentit in Epiſcopatum.* *Cõſecratur Epiſcopus.*

Cap.16. Nec tamen in ipſo tanti honoris, vel, vt ipſe ſentiebat, oneris exordio, Deo permittente, tentatio defuit. Nam ille ipſe eius conſecrator Aribo eodem die ante Miſſarum ſolẽnia ſecretò illum cum quibuſdam Epiſcopis acceſſit, eique apud Gandersheimenſes & in adiacente territorio omni pontificalis miniſterij executione ſub pœna excõmunicationis interdixit. Quam ille excommunicationem pro ſua ſimplicitate nec approbauit, nec contempſit, ſed mox ad Imperatorem ſe recepit, eius patrociniũ implorans. Is verò confeſtim Archiepiſcopum & epiſcopos familiariter accerſit, & diſſimulata animi ſui, quam inde conceperat, moleſtia & ægritudine, omnem hunc conflictum ſapienter & pacificè dirimit. Atque ita conſecratione feſtiuè celebrata, diem illum cum timore Dei exultabundi peregerunt, & pacatis animis à ſe diſceſſerunt. Non ſit autem, obſecro, lectori moleſtum, ſi conflictũs & concertationis huius prima initia, quorum cognitio poſteris ſit futura neceſſaria, paulò altiùs repetamus & explicemus.

Cap.17. Saxo quidã cum coniuge ſua Oda, cõſulente & permittente ſancto Alfrido, quarto noſtræ eccleſiæ Epiſcopo, Romã petijt, & à beato Sergio Pontifice reliquias ſanctorũ Pontificum Anaſtaſij & Innocentij impetrauit, ſecumq; attulit: atq; in eorum honorẽ monaſteriũ virginũ primò in *Bruniſteshauſen, inde quarto pòſt anno in Gãdersheim conſtruxit, eaſdemq; villas cũ adiacente territorio omniq; hęreditate ſua in vſus Chriſto illic militantiũ cõtulit, filiamq; ſuã primã ibi Abbatiſſam Epiſcopo ordinante conſtituit. Ita totum illud territoriũ ab initio ſemper Hildeſemenſiũ Epiſcoporũ fuit annis ducentis & quadraginta, nec vllus Epiſcopus Moguntinus quicquam ex eo vel ſibi vel ſuę eccleſię vindicauit, donec à Rabano duodecimus Vuillegiſus Moguntinã cathedrã obtinuit, vir certè in omni catholica pietate præclarus, ſed in hoc vno periculoſè temerarius, qui ſuadẽte (ſi liceat impunè vera fateri) Othonis tertij Imperatoris ſorore, iuuenili quodã faſtu & generis nobilitate elata, & velamen ſibi nõ niſi ab Archiepiſcopo, qui pallio vteretur, imponi ſuſtinente, eum locũ ſibi vſurpare tentauit: quæ tamen eius machinatio, corã rege & principibus, Oſdacho, qui ab Alfrido octauus fuit Hildeſemenſis antiſtes, veritatis & iuſtitiæ vocibus ei ſe opponẽte, in nihilum redacta fuit, ita vt ægrè conſequi potuerit Archiepiſcopus, rege & eius matre intercedentibus, atque ab Epiſcopo Oſdacho id ei impetrantibus, vt ibi ferijs S. Lucæ Euangeliſtæ Miſſam celebraret, & Imperatoris ſorori velum imponeret, cæterarum virginum velandarum authoritate & iure noſtræ eccleſiæ Præſuli relicto.

Villas, videtur pro oppidis accipere

Cap.18. Sed non diù pòſt Oſdacho defuncto, & Gerardo in eius locũ ſurrogato, atq; poſt biennĩu è viuis ablato, dominus Beruuardus regius capellanus eam ſedẽ adeptus eſt, quẽ idem

Alij volunt 4. annis eũ præfuiſſe.

idem Archiepiſcopus cõſecrauit,ſed nullã prorſus loci eius repetendi mentionẽ fecit, donec Abbatiſſa venerabilis nouũ monaſteriũ,quod ipſa poſt incendiũ conſtruxit,voluit conſecrari: quod tamen cùm per ſe curare nõ poſſet incõmoda valetudine impedita,eius rei curã filiæ atq; etiam nepti demandauit. Ea verò mox ſuo more proprium contemnens Epiſcopũ,Archiepiſcopũ honorificè accerſiuit: qui quidẽ eius perſuaſione inductus,denuò conatus eſt locũ memoratum inuadere,ſed Præſulis noſtri literis commonitus diſtulit: iterumq; eandẽ rem attentãs,iterũ authoritatis põdere repreſſus eſt. Tertiò deinde inuitatus,venit quidẽ eccleſiã dedicaturus, ſed à domino noſtro miſſus ad eum quidã Epiſcopus,benè fidelis noſtræ eccleſiæ filius, ſcripturarũ authoritate,ne faceret,eum retardauit. Poſt multas autem & varias eiuſmodi diſceptationes res tandem ab epiſcopis prouincialibus ad præſentiam Romani Pontificis & Imperatoris comperendinatur. Sed cùm per id tempus Otho III. priùs è vita exceſſiſſet, & Henricus regnaret poſt eum, mox S.Laurentij natalem Paderbrunnæ celebrauit, vbi ✱ tum Chunegundis regia corona redimita eſt. Ea autem, quam antè diximus, Gerberga monaſterij Gandersheimenſis Abbatiſſa tunc quoque vita functa eſt, eique Sophia ſuccedens, ſuo rurſus more à Beruuardo copiam impetrauit benedictionem ab Archiepiſcopo percipiendi. (Hoc loco nomen & ſedes Epiſcopi huius mẽdoſè habetur in exemplari MS.)

Deinde nouus rex primum regni ſui annum in natali Domini inchoauit: cumque coram illo principes commemoràſſent epiſcoporũ litem,cuius iam ſæpè meminimus, medullitùs indoluit,atq; vt illa ſedaretur,viſum ei fuit,vt dedicatio Gandersheimenſis eccleſiæ toties impedita pridiè Epiphaniæ Domini perageretur. Venerunt ergo eò die præſtituto,& dedicationis officium proſecuti ſunt: peractiſque omnibus,rex cum Epiſcopis & primatibus extra templi fores ad populum proceſſit: vbi tum Vuillegiſus Archiepiſcopus palàm edixit culpam ſuam, iuriq; & repetitioni loci illius renũciauit,atque in renunciationis eius argumentum atque teſtimonium pedum epiſcopale Beruuardo, vti poſteà in Franconofurdenſi concilio cernere licuit, coram Clero & populo condonauit. Atque ita hac lite compoſita,deinceps Præſulem noſtrum omni honore & dilectione proſecutus eſt,& in noſtro cœnobio fraternitate honorificè impetrata,ſummam animi beneuolentiam & amorem erga locum & fratres declarauit. Quinto autem anno poſteà, cùm iam & annorum & bonorũ operum plenus eſſet,ad Chriſtum migrauit, ſuccedente ei Erckenbaldo Fuldenſi Abbate, quem Beruuardus epiſcopus noſter Calendis Aprilis Moguntiæ conſecrauit. Præfuit autem is eccleſiæ Moguntinæ annis ✱ octo,ordinatoremq; ſuũ Beruuardum, etiã ſanguinis coniunctione ipſi propinquũ eo,quo par fuit,ſtudio & deuotione coluit. Mortuo illo,Aribo regius capellanus ſuffectus eſt, more regio Imperialis annuli dono deſignatus Archiepiſcopus. Hunc verò Beruuardus Epiſcopus ad ſummã Gandersheimenſis eccleſię aram preſbyterũ ordinauit,eiq; verbi Dei & ✱ excõmunicationis S.Petri authoritate altaris illius & loci circũiacentiſq; territorij vſurpatione, inuaſione vel repetitione corã Imperatore & Epiſcopis publicè interdixit. At ille eam excõmunicationem non ferens, ſed vlciſci ſe volens, nouo antiſtiti noſtro eam, quam diximus, vexationem intulit: quanquàm erat ſanè idemipſe, ne quid veritati derogemus, & genere, & dignitate, mox etiam ſpectata vitæ grauitate venerabilis, tametſi non vacauit culpa temeritas illa, qua nos infeſtauit. Hæc compendio dicta ſint de conflictu hoc, vt certiùs cognoſci poſſit omnis de Gandersheimenſi territorio diſceptatio. (Cap. 19. Hic deeſt verbũ,quod mendoſè ſcriptũ fuit. Synodus Francofordenſis. Alij nouem habent. Author bãnum vocat.)

At verò beatus Gothardus pontificalibus infulis decoratus, Nonis Decembris Hildeſiam venit,cunctis de eius aduentu ex animo gratulantibus. Cumque noſtri cœnobij diſciplinam & religionem hactenùs ſartam tectam, probeque obſeruatam, Deo ſint gratiæ, comperiſſet, ſtatim in Dei erupit laudes, eamque omni deuotionis ſtudio augere & amplificare, diuiniq́ue cultùs exercitijs condecorare conatus eſt. Foris quoque in Cleri & populi gubernationem epiſcopo digna ſolicitudine & attentione ſolerter incubuit,atque pro ijs die ac nocte toto vitæ ſuæ tempore ſine intermiſſione gemitus & preces Deo obtulit. Porrò ſeipſum in ſolita vitæ ſanctitate, & bonorum operum aſſiduitate non ſolùm cautè continuit, ſed etiam quotidiana ijs adijcere incrementa ſtuduit,in vigilijs, orationibus, continua & propè incredibili ieiuniorum frequentatione, largiſſimis eleemoſynis, ſummaque vitæ grauitate & Dei timore fortiter vſque in finem, Chriſti eum ſpiritu corroborante, perſeuerans. (Cap. 20. S.Gothardi ſtudia in Epiſcopatu.)

Fuit ſanè etiã regibus ipſis & primoribus & formidini & honori, cęteris pro ſua cuiq; conditione talem ſe exhibebat, vt & timeretur ab illis & amaretur. Erat enim ſolicitus (Cap. 21. Et timetur & honoratur ab õmib.)

pro omnibus, & in Chriſto omnibus omnia factus: ſibi vni duntaxat rigidus, aſper & parcus fuit. Cœnobiū ſuum cura paſtorali gubernauit ſapienter, & quę fratribus eſſent cōmoda atq; opportuna in victu & veſtitu, cæteriſq; humanæ vitæ degendæ rebus neceſſarijs, ea ſæpè auxit, interim etiā ad ſacrę religionis ſtudiū & obſeruantiā eos incitās & perurgens, iuxta Apoſtoli doctrinā arguendo, obſecrando, multis modis erudiendo ac informando. Iuuenes & pueros illic repertos, qui bonæ eſſent indolis & capacis ingenij, ad diuerſas ablegauit ſcholas, quorum certè poſteà opera & miniſterijs multiplicem ſuæ eccleſiæ comparauit vtilitatem, in lectione, ſcriptura, picturas, aliaque honeſtiori eorum officiorum, quæ ad Clericos pertinent, diſciplina. Theſaurum eccleſiæ, quem ibi copioſum inuenit, non minùs decenter, quàm vtiliter augmentauit, & quicquid in templorū ſtructuris, non intra primariā duntaxat vrbē ſuam, ſed in alijs quoq; ſuæ diocœſis locis dirutū & ruinoſum, aut vetuſtate confectū reperit, ſumma celeritate inſtaurauit, atq; in melius reſtituit. Inter omnia tamē parochianā eccleſiā, quā felicis memoriæ Ochuuinus, decimus noſter antiſtes, in honorē S. Mariæ, & S. Epiphanij epiſcopi Ticinēſis, quē ex ea vrbe ad nos Dei beneficio patronū adduxit, in auſtrali parte noſtræ eccleſiæ extruxit, vetuſtate iā & iniuria collapſam diruit, & eodē loco honeſtū monaſteriū eiuſdē tituli & appellationis primo quidē ſuæ ordinatiōis fundauit anno, ſed quarto abſoluit, Canonicorū illic in Dei timore inſtituēs eccleſiā, amplioris ſanè & honoris & vtilitatis, cui de ſuis ſuppeditauit ea, quæ ad corporis alimēta & indumenta pertinent, addens etiam alia, quę futuris quoq; temporibus ad talia ſufficerent.

Vt ſuum rexerit collegium.

1. Tim. 4.

Templa inſtaurat.

Cap. 22.

Primum eius miraculū, quod per eū Chriſti gratia effecit eodē primo anno, ad lectoris excitandā ſpem & exultationē, hîc meritò referendū puto, quod tamen, teſte Deo, non mentior, ab ipſo quoque vſq; in vitæ finē prorſus celatū, ſed à Clero & populo, qui interfuerat, diuulgatū. Aribo Archiepiſcopus illo anno Imperatorem ad Pentecoſten Moguntiā inuitauit, vbi etiā conciliū generale coēgit, in quo multa collapſa correxit, præcipuè verò Othonē comitē ab Haniſtein & Limingardā præter fas ſibi cohærentes ſeparare cōſtituerat, quod tamē perficere nō potuit, quandoquidē Comes partim Imperatoris metu, partim Epiſcopi cōmonitione vtcunq; ſe ad meliorē recepit frugem, fœmina aūt bannos vel proſcriptiones negligēs, ius ibi funditùs perdidit, vt hodieque perſpici poteſt. Ad hoc conciliū etiā noſter Pręſul & Epiſcopi & Imperatoris iuſſu euocatus, nō contēnenda Cleri & militū frequentia, quanuis inuitus & nolens ſtipatus, eò properabat, & in quodā, qui vicinus eſt illi caſtello, vbi Dei gratia & electus & cōſecratus fuit, iter faciebat: vbi tū mulier quædā ab immundo vexata dæmone, à parentibus & propinquis per eccleſias ad Sanctorum implorāda patrocinia circūducebatur. Qui cùm audirēt nouū illuc aduenire Epiſcopū, obuiā ei cum dæmoniaca fœmina fidēter proceſſerūt, ſanctæ eius exiſtimationis fama illecti. Impurus aūt ſpiritus illorū acceleratione paueſactus, per os fœminę anxijs cœpit percūctari vocibus, quonā perduceretur. Dicentibus illis ſe in occurſum Gothardi Epiſcopi properare, horrifico mugitu & vlulatu miſerè ſe oppoſuit, & ipſis etiam, à quibus trahebatur, mirātibus & formidantibus, reluctatus eſt, eiulās & vociferans, Gothardū ſe nec audire nec viderę poſſe. Sub hac colluctatione cùm miſera illa à fidelibus, fide & ſpe, vt ſatis patuit, feruentibus traheretur, & ſpiritus nequā omni cōtentione obniteretur, tandē profligato illo, mulier liberata eſt, & ad virū Dei, ſub quadam arbore refrigerij cauſa reſidentē ſana corde & corpore adducta eſt. Is verò cognitis ijs, quæ facta fuerant, & timore & gaudio compunctus, lachrymabundus gratias egit Deo, in faciem ſe proſternens: ac deinde fœminæ manus imponens, ei benè precatus eſt, eamque in fide confirmatam, rectè valentem atq; etiam gaudentem cum exultantibus amicis à ſe dimiſit, cœptoque perrexit itinere. Quotquot autem comitabantur eum, viſo hoc miraculo, plùs eū & reuereri & amare cœperunt, vtpotè cuius tam præclara apud Deum merita cognoſcerent. At ille grauiter eis interdixit, ne cuiquam id indicarent: ſed neque ægra mulier, quæ miraculum in ſe experta fuit, neque turba, quæ ei interfuerat, id reticendum putauit.

Synodus Moguntina

Dæmon in dæmoniaca nō ſuſtinet adduci ſe ad præſentiam S. Gothardi

Cap. 23.

Ad eam partem vrbis Hildeſianæ, quæ Orientem ſpectat, palus erat horrifica; & circum eam cōmorantibus ob multiuaria terriculamenta prorſus inuiſa. Putabant enim ſe illic tam meridiano quàm nocturno tempore horrenda quædam ludibria & præſtigias vel videre vel audire. Ebulliebat autem in medio paludis fons ſalſuginis, atque inde* Fulza dicebatur. Quam vt ſanctus Epiſcopus vidit, & etiam præſtigias, quibus bruta plebs terrebatur, didicit, in eam paludem quinto aduentûs ſui anno cum cruce & reliquijs Sanctorum ingreſſus eſt, ſibique illic habitationem condidit, atque vbi maxi-

Vide quid antiquitas detulerit cruci & ſacris reliquijs.

mum

mum videbatur eſſe diſcrimen, in honorem S. Bartholomæi apoſtoli oratorium conſtruxit, eoq; ſequenti anno conſummato atq; dedicato, omnia dæmonum phantaſmata penitùs profligata ſunt, & locus ille omnibus iuxta illũ degẽtibus, aut eò aduentantibus gratus & ſine vlla infeſtatione cõmodus atq; habitabilis effectus eſt. Cõdidit aũt ibi etiã vir Dei domũ hoſpitalem, in quã pauperes reciperentur: quã rebus omnibus, humanæ inopię atq; indigentiæ accõmodis abundantẽ, cuidã fido presbytero ſuo Beruuardo, quẽ nos hîc ob fidei eius meritũ honoris cauſa nominamus, cõmendauit, per Chriſti nomẽ crebrò eũ terribiliter obteſtãs, vt nõ ſolùm illic cõmorãtibus, ſed & cunctis fortè aduentãtibus victũ & veſtes neceſſarias ea ratione ſubminiſtraret, qua vellet pro hac ſua diſpenſatione apud æquiſſimũ Chriſti tribunal reſpõdere. Quoddã tamen taliũ peregrinorũ genus, qui ſimulato monaſtico, vel canonico, vel etiã Gręco habitu, per regiones & regna vagabũdi diſcurrũt, quos cũ Platone irridiculè peripateticos appellabat, duriùs accipere ſolebat, prorſuſq; deteſtabatur: at quando tamẽ Chriſti profitebantur nomẽ, propter Chriſtũ biduò vel ad ſummũ triduò benignè fouebat, ac deinde datis calceis vel veſtibus, hortabatur eos diſcedere, ne ſoliti curſûs & vagationis ſuæ obliuiſcerẽtur. Quòd ſi qui ex ijs diutiùs apud eũ hærere vellẽt, illud ex D. Gregorij Dialogo obiecit ironicè, ꝙ incautũ viatorẽ ad ſanctũ patrẽ Benedictũ properantem, & more ſuo ieiunare volentẽ, donec ad eũ perueniſſet, malignus dæmon per quendã conuiatorẽ ſemel atq; iterũ fruſtrà eũ ad edendũ hortantẽ, tandẽ fontis & prati amœnitate decepit. Interdũ aũt à ſuis familiaribus admonitus, quod quidẽ ei nõ diſplicebat, inter tales nõ rarò etiã veros Dei amicos inueniri, mox illud oppoſuit, mẽdaces id efficere, vt etiã vera dicentibus vix credatur. Si quos tamen ex ijs in Dei cultu vel timore ſynceros & ſtabiles cõperiſſet, eos priuatim potiùs, q̃ publicè, quod & ipſi malebant, in ijs, quæ ad Dominũ pertinẽt, fouebat & adamabat. Erga delinquẽtes quoq; & in peccata prolapſos mirè ſe humanũ, miſericordem, mitem & placabilẽ præbebat, ita vt ſi quiſquam eiuſmodi cõfeſſionis & pœnitentię cauſa ad ipſum accederet, prõpta clementia ſtatim ei ignoſceret, & ne inopiæ cauſa deinceps in peccata relaberetur, vigilanti cura ei abundè res neceſſarias largiretur, imitans in hoc beatũ Nicolaũ patronũ ſuum, qui clàm aurum ſuppeditans cuidam ſuas filias ob paupertatẽ proſtituere volenti, & virginum pudori, & patris egeſtati, & totius familiæ exiſtimationi conſuluit: qui etiam pauperum, quoquo modo ad ipſum pertinentiũ, pia benignitate inopiã ſubleuare conſueuit. Huius ergo exẽplo Præſul noſter in eam incũbebat curã, vt miſeros & egenos vbiq; & ſemper recrearet: atq; cum eiuſmodi libenter miſcebat colloquia, iucundiſq; & feſtiuis inter edendum ſermonibus eos admodùm comiter & familiariter oblectabat.

Dialog. lib. 2. cap. 13.

Erga peccatores pœnitentes vt ſe geſſerit.

Cap. 24.

Eo anno, qui fuit à Chriſto nato milleſimus & viceſimusquartus, piæ memoriæ Henricus Imperator, anno quarto & viceſimo regni ſui ad Chriſtum migrauit, cuius obitus Chriſtiani orbis lætitiam, quæ ſub illo floruit, perturbauit. Succeſſit ei vir nobilis & ſtrenuus Cunradus, qui primo anno Natalem Saluatoris Mindæ celebrauit: inde poſt Epiphaniam Hildeſiam venit, vbi Aribo Moguntinus Archiepiſcopus, qui viuente Imperatore Henrico, iam biennio obmutuerat, rurſus oblata occaſione beatũ Gothardum de Gandersheimenſi controuerſia infeſtare cœpit, ſed eius machinamenta nouus rex primatũ conſilio diremit. Deinde idem rex compendio peragrata Saxonia, tempore Quadrageſimæ per Turingiã & Franciã ſiue Franconiam in Baioariã profectus, Ratiſponæ Paſcha honorificè celebrauit: atque ea æſtate Baioariã, Sueuiã & Carinthiam adiacentiumq; prouinciarũ fines perambulans, natalẽ Domini Leodij celebrem egit. In Purificatione beatę Mariæ manſit Auguſtæ, vnde iter in Italiam intendit, & ſequens Paſcha Vercellis feliciter peregit, vicinas inde regiones in nouo regio ornatu perluſtrans. Tertio quoq; anno Pręſul noſter montẽ ſpecioſum, qui eſt ad Occidentem vrbis noſtræ, cœpit incolere, quẽ quinto pòſt anno nomini S. Mauritij dedicauit. Pulchrum etiã templũ in Holthuſen in honorẽ S. Benedicti Abbatis, monaſticæ conuerſationi congruũ conſecrauit, & circunquaq; per diœceſim ſuã nõ paucas baſilicas vel ipſe accuratè cõdidit, vel ab alijs fidelibus cõſtructas grato animo Deo cõſecrauit.

S. Henrico ſuccedit Cunradus.

S. Gothardus condit templa.

Cap. 25.

Per id tempus Aribo Archiepiſcopus ferijs S. Matthęi Salingenſtadij Concilium duodecim Epiſcoporum habuit, & ibi Præſulem noſtrum de territorio Gandersheimenſi publicè conuenit: ſed eam ſynodum vnanimis fratrum conſenſus in alium annum prorogauit. Rex autem, cùm Domini natalem egiſſet, ad limina Apoſtolorum tetendit, atque ita proſpero itinere pridiè Cœnæ Dominicæ Romam lætus peruenit, & ipſo ſanctæ Reſurrectionis die coronam Imperij à Ioanne Pontifice cum multa glo-

Cunradus Romæ à Pontifice coronatur.

ria accepit. Proxima Dominica inde digreſſus, & potenter per regionem illam iter faciens, in pace rediјt in Germaniam, ſanctique Ioannis Baptiſtæ natiuitatem celebrauit * Herbipoli nouus Imperator: vbi etiam defuncto in ſenectute bona Henrico duce Baioariæ, filio ſuo Henrico principum voluntate Ducatum illum tradidit.

Hic ſequebatur in exemplari MS. de concilio ab Aribone Archiepiſcopo Francofurti habito cum epiſcopis 23. ſed tum Epiſcoporum, tum Epiſcopatuum pleraque nomina tam erant deprauatè ſcripta, vt ſatius viſum ſit ea omittere, quàm illis deprauatè deſcribendis tempus perdere, maximè quòd nihil actum fuerit in Concilio illo, niſi quòd S. Gothardus obtinuit contra Aribonem de territorio Gandersheimen. Inde hæc ſequuntur:

Cap. 26. Henricus filius Cunradi rex coronatur. Porrò Imperator ſequentem Domini Natalem Leodij celebrauit, Paſcha verò Aquiſgrani, vbi etiam filius eius Henricus regium nomen accepit à Pillegrino Archiepiſcopo Colonienſi, Cleri ac plebis electione. Aliam eodem anno coëgit Synodum Aribo, ad quam iterùm Præſulem noſtrum Gothardum literis & nuncijs euocauit: ſed ille diſſimulans, venerabilem virum Thadilonem noſtri cœnobij Decanum cum fratribus obuiàm ei miſit, qui eum honorificè eius nomine ſalutans, de ſuperioris Synodi ſententia admonuit, effecitque Epiſcoporum opera & auxilio, vt tum vlteriori tractatu & diſceptatione superſederetur.

Cap. 27. Sequenti anno aliam Aribo Archiepiſcopus ſynodum habuit, & præſente Imperatore veteres querelas aduerſùs beatum Gothardum mouere cœpit: ſed poſt multiplices diſceptationes vix tandem ab Epiſcopis admonitus deſtitit. Hoc anno deſijt eſſe in humanis Bruno Auguſtanus epiſcopus, & ei ſubſtitutus eſt Ebbo. Obijt etiam Vuernherus Argentinenſis antiſtes, & ſubrogatur Vuilhelmus. Proximo anno Imperator Merſburgi egit Pentecoſten, atque illic pax inter Aribonem & Gothardum patrem noſtrum conciliata eſt, & ſopita tandem longa illa Gandersheimenſis altercatio. Ipſe enim Archiepiſcopus Aribo patrem Gothardum ſecretò coram Epiſcopis conuenit, ſeque hac in re erràſſe confeſſus eſt, ſancteque iurauit ſe modis omnibus ſatisfacturum, & deinceps perpetuò ea de re taciturum, petijtque ſuppliciter veniam eorum, quæ hactenùs perperam egiſſet. Quod quidem nos hoc loco pro vero annotatum volumus, quòd ipſe Gothardus ſæpè publicè ita geſtum eſſe teſtatus eſt. Eodem anno deceſſit è vita Vnuuanus Archiepiſcopus Hamburgenſis, cui Libentius ſucceſſit: Natalem autem Chriſti Imperator Paderbornæ celebrauit, vbi Aribo Archiepiſcopus in ſancto die inter Miſſarum ſolennia publica habita concione, copiam ſibi fieri petijt ab Imperatore & Epiſcopis Romam proficiſcendi, orauitque Clerum & populum, vt à Domino peccatorum remiſſionem ipſi impetrarent. Atque deinde poſt Purificationem iter ingrediens, Romam peruenit: inde verò digrediens, octauo Idus Aprilis vitam cum morte commutauit, ordinationis ſuæ anno vndecimo, magno ſuî apud catholicos omnes deſiderio relicto. Erat enim in omni eccleſiaſtica religione ſpectatus & laudabilis. In eius locum ſuffectus eſt vir ſimplex & rectus, Bardo Abbas Hirsfeldenſis, qui Deo eum perſpicuè prouehente, breuì ad ſummæ perfectionis culmen peruenit. Cuius quidem vitam & actus hîc conſcribere nolumus, quando pro ſanctitatis ſuæ meritis apud Moguntinos inter apoſtolicos ſacerdotes eximiè celebratur. Vnum tamen illud elogium, quod ei apud noſtrates & finitimos honoris cauſa à ſanum ſapientibus clericis tributum eſt, reticere nolim, puta quòd communicato ei cum beato Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo cognomine, propter ſingularem pro concione dicendi ſuauitatem Bardo Chryſoſtomus appellatus eſt.

Vnuuanus Archiepiſcopus Hamburgenſis. Aribo Archiepiſcop' moritur. Bardo Chryſoſtomus.

Cap. 28. Cùm aliquando pro Epiſcoporum conſuetudine Præſul noſter Gothardus diœceſim ſuam viſitaret, ad chortem ſuam Engelhuſiam venit: ibique largis eleemoſynis, quibus ante omnes valdè deditus erat, pauperes reficiens, à quadam eiuſdem familiæ inope vidua filium ſibi offerri vidit. Erat ille certè puellus miſerrimus, miſerandum in modum corpore afflictus. Partim enim paralyſi, partim lepra vexabatur, diſtortiſque membrorum neruis, toto corpore diſſolutus cernebatur. Manus, brachia, pedes, genua, putrido humore & diffluente ſanie manabant, ita vt nullo pacto poſſet greſſus promouere, aut ſaltem reptando aliquovſque progredi. Hunc ille vir beatus puerum & vultu iucundo & animo hilari, tanquam quoddam Dei munus libens accepit, ſuiſque cubicularijs accuratè eum commendans, ſecum duci mandauit. Poteſt, inquit, omnipotens Deus, qui ab initio non eſt dedignatus miſeris, calamitoſis & peccatoribus diuerſa miſericordiæ & benignitatis ſuæ remedia adhibere, nos etiam de hoc pauperculo pro ſua clementia conſolari & exhila-

exhilarare. Ductus eſt ergo puer ad primariam eccleſiam noſtram, & non ſine multo labore puerorum, qui eum ſeruabant, per aliquot hebdomadas ſuſtentatus. Tandem poſt quatuor aut quinque menſes, cœpit paulatim beati viri meritis & precibus planè conualeſcere, & ſedato partim ſaniei atque humoris profluuio, nunc aſſurgendo, nunc prorepando quaſi ad gradiendum membrorum neruos exercere. Quod vbi pius antiſtes aduertit, ſæpè cum lachrymis gratias egit Deo, nec attentiùs pro illo, vt poſteà res ipſa docuit, Dominum precari ceſſauit. Nam intra anni ſpatium, vt norunt omnes, qui apud nos ſunt, puer depulſo morbo multiplici, laxatiſque neruis anteà contractis, adeò in dies reualuit, vt quodlibet miniſterium & officium robuſto corpore exequi poſſit. Dicitur autem Vuerinus, & iam viginti ampliùs annis in Epiſcopi ſacello incolumis ſeruit: manent tamen in diuinæ virtutis teſtimonium in cruribus & manibus eius tuberculi quidam, quos ipſe cernere volentibus oſtendit. Puer variis affect' morbis reualeſcit meritis & precibus S. Gothardi.

Alijs quoque permultis, varijs modis, vt habet humana fragilitas, laborantibus, vel quod grauiſſimum eſt, peccatorum pondere preſſis, vel diuerſis morborum generibus vexatis, ſi ad ipſum confugerent, interceſſionis ſuæ opem impertijt, eoſque indefeſſa ſanctarum precum inſtantia & à præſentibus eripuit periculis & calamitatibus, & à futuris Deo opitulante ſeruauit. De quibus multa multis benè comperta veriſſimè commemorare poſſem, niſi quòd illo cogente tunc ab illis celata & diſſimulata, ſilentio præterire libet, ne aut lectori faſtidium afferam, aut is ſua incredulitate peccatum ſibi augeat. Vnum tamen interim tacere nolim, quod vir ſanctus propemodùm ioco Goſlariæ effecit, cùm in chorte regia poſtremo ætatis ſuæ tempore, iubente & petente Giſla Imperatrice, eccleſiam conſtruxit. Erat enim illic matrona quædam laica, ſed pia & Deo deuota, cuius filium ipſe Epiſcopus de ſacro fonte ſuſceperat. Ea quandoque grauiſſimis oculorum doloribus cruciata, ita vt per dies aliquot nec cibum, nec potum, nec ſomnum capere poſſet, tandem filiolum ſuum ad Epiſcopum cum quibuſdam munuſculis miſit, eumque certiorem faciens de immodicis doloribus ſuis, aliquid ſibi petijt ab ipſo remedij adhiberi. Audiens hoc vir Dei, non ſine quadam iucunditate ſubriſit, & flores quoſdam rubicundos de quadam arbore, ei fortè eodem momento à paupere homine oblata, decerpens, eos ſigno Crucis muniuit, danſque eos puerulo, Affer, inquit, hos floſculos dilectæ mihi matri tuæ, vt eos ſeruet pro mei memoria, & à Deo petat ſanitatem. Illa verò ſimulatque flores ægris admouit oculis, vti ſæpè etiam iurando coram nobis affirmauit, dolores omnes incredibili celeritate à toto capite euaneſcere ſenſit, ſtatimque & foribus & feneſtris pateſactis, quæ hactenùs morbi illius cauſa clauſæ permanſerant, perſpicuè vidit oculis ſuis, nec vllam ampliùs ſenſit in ijs moleſtiam. Poſtridiè autem ad Epiſcopum veniens, gaudens pariter & lachrymans gratias egit Deo. Epiſcopus verò comiter eam accepit, conſolatuſque illam hortabatur firmiter ſperare in Domino, & nunquam non benè agere. Iuſſit etiam presbytero, vt ſacro oleo, quod infirmorum dicitur, eius vngeret oculos: quæ quidem vnctio & ſancti viri preces ab illo dolore vſque ad vitæ finem eam immunem conſeruarunt. Cap. 28. Sanatur matrona, dum admouet oculis flores, à S. Gothardo benedictos. Oleum infirmorum.

Libet iam, quod ante penultimum vitæ eius annum accidit, hîc commemorare, vt cautionem afferat pijs & fidelibus, formidinem diſſolutis ac negligentibus. Erat in ſodalitate noſtra presbyter quidam, ex familia eccleſię ortus, parum quidem aut nihil, vt dicamus idquod res eſt, literatus, ſed ſeculari calliditate & ſagacitate plus ſatis inſtructus. Creuit ille, cunctis mirantibus, ex infima paupertate ad ſummas opes. Et primò quidem ab Epiſcopo Bernuardo fuit promotus ad honores, ſed ab Imperatore Henrico propter quædam, quæ præſtat ſilentio premere, deiectus: rurſus autem à beato Gothardo, quòd rebus eccleſiæ magno vſui eſſe poſſe videretur, pia quadam commiſeratione ſublimatus, licèt interim variè inter aduerſa & proſpera ſæpè iactaretur. Ad extremum autem adeò ſe in tanti pontificis amicitiam inſinuauit, adeoque eius ſibi conciliauit fauorem & beneuolentiam calliditate & arte ſua, vt à non paucis, qui antè fideliter ei miniſtrauerāt, animum Epiſcopi abalienaret, quod quidem eis fuit moleſtiſſimum, rebuſque & dignitate priuaret. Quod ne cui mirum videatur, meminerit illius, quod à beatiſſimo Pontifice Gregorio præclarè dictum eſt, ſępiùs id fieri, vt pluribus occupato, maximè rebus diuinis animo, facilè adulatores ſubrépāt. Tandem verò ille omnibus factus eſt odioſus & deteſtabilis, cui palàm omnes maledicerent: atque etiam Epiſcopo à recta ſapientibus eius inſolentia interdum obijciebatur: qui ſanè poſteà recepit in gratiam, qui inſontes eam amiſiſſe videbantur. Porrò poſt annos Cap. 29. Adulatores nō rarò etiam ſanctis viris impegnunt.

aliquot

aliquot pius præſul de his certiùs inſtructus, flecti cœpit miſericordia erga illos, qui iniuſtè afflicti fuerant, & ad diem quendam de noſtra congregatione apud ſe in Holthuſen, vbi tum fortè manebat, adeſſe iuſſit Præpoſitum & Decanum cum aliquot fratribus, cæteriſq; primoribus ſuis. Aderat illic & cum alijs aſſidebat vir venerabilis Rathmundus, Altahenſis monaſterij Abbas, eius ex ſorore nepos. Cùm iam eò ventum eſſet, præſente illo presbytero, omnibus, qui ſe ab eo iniuria affectos querebantur, dicendi fecit poteſtatem. Tum verò & Abbas ipſe cum ſuis, qui vt hoſpites aderant, & noſtri multa de illo conqueſti ſunt, omnibus tanquam vno ore palàm ea affirmantibus. Dicebant omnes, tum Epiſcopi dignitati & honori, tum eccleſiæ illum offendiculo & detrimento eſſe: deinde ſpeciatim ſinguli ſibi ab illo irrogatas iniurias & damna commemorabant. At ille hæc audiens, vt erat verſutiſſimus, tanquam inſultans ſubriſit, ſciſcitabaturque admirabundus, quidnam ſibi ea vellent, quæ ipſi obijcerentur: mox commentis quibuſdam adhibitis mundanæ aſtutiæ & prudentiæ, qua erat inſtructiſſimus, quæ vera apud Deũ ſtultitia eſt, vt in ipſo quoque cernere licuit, obiecta omnia multa orationis copia diluit, accuſatoreſque ſuos admirandum in modum propè mutos & elingues reddidit. Sed pius antiſtes tandem diuino inſtinctu permotus & compunctus, atque etiam incredibili ſtupore affectus, cùm & perſpicuè vera eſſe animaduerteret, quæ contra illum proponebantur, & nihilo minùs tanta eum confidentia & temeritate ea refutare videret, confeſtim omnibus indicto ſilentio, non ſine omnium admiratione placido & ſedato ſermone ſic hominem appellauit: Hildeuuine (ſic enim vocabatur) tu iam tibi omnes hos viciſſe videris, omnes verſuta oratione tua, cùm tamen Deum non lateat veritas, adeò circumſcripſiſti, vt falsò tibi omnia obieciſſe videantur. At nunc ad me conuertere, & per Chriſtum adiuratus mihi ſoli vera fatere. Mox ſemel atque iterum, itemque tertiò ex illo ſic percunctatus eſt: Hilduuine amas me? Ille bis incunctanter & confidenter reſpondit, Reuerà diligo te: at tertiò tamen obſtupefactus, ſed proh dolor non ſatis animo compunctus, iracundus pariter & lachrymabundus ait: Deus, quem nihil latet, ſcit quòd diligam te. Tum Præſul: Si quidem, inquit, vera dicis, mihi ſatis factum eſt: ſin autem me decipis, teipſum miſerè obſtrinxiſti. Si ergo me, vt ais, diligis, paſce oues meas, hoc eſt, dilige fratres & amicos meos, etiam hoſpites & pauperes meos: dilige conſeruos & domeſticos tuos. Atque etiam per Dominum te admoneo, vt ſi verum iurâſti, in veritate permaneas: ſin minùs, dignam agas pœnitentiam. & hac conditione iam domum redi, & vtere dignitate rebuſque tuis, itemque gratia mea, quantùm permittet Deus. His dictis, conuentum illum cunctis & mirantibus & pauentibus dimiſit, admonens illos, vt priùs humanitatis & charitatis ſibi paterentur officia exhiberi, ac deinde ad ſua ſe reciperent. Itum eſt igitur ad prandium, & inter illos Hildeuuinus iucundus & alacer, & tanquam parta victoria exultabundus aſſedit: facto prandio, incolumis abſceſſit. Veſperi cœnans domi cum ſuis, inter epulas multa perfuſus hilaritate, in eos, à quibus ſe accuſatum dolebat, conuicia & minas iactitabat. Poſt cœnam dormitũ abijt, ſoſpes dormiuit, ſoſpes ſurrexit: manè iturus ad ſuum obeundum munus & miniſterium, induit alacriter calceos: ſed ecce dum vult etiam tunicam induere, repentè humi collabitur, & ſubitò infelicem illam exhalat animam. Reliquit ſanè ampliſſimas opes, veſtes innumeras magni precij, multamque pecuniam, quæ omnia beatus præſul, obitu eius vltrà quàm credi poſſit conſternatus & afflictus, pro animæ illius ſalute & leuamento pauperibus diſtribuenda curauit, totoq; animo condonauit ei, tametſi ſerò fortaſſis, quicquid in ipſum peccâſſet, nec deſtitit pro animæ eius liberatione crebris ieiunijs & orationibus incumbere. Sed quando nos forſitan plus, quàm res poſceret, eum hoc loco accuſauimus, culpaſque eius, noſtris fortaſſe minores, prolixè commemorauimus, te bone lector obſecramus, vt cùm hæc legis, apud Dominum veniam illi tuis precibus impetres. Ita fortè fiet, vt hæc noſtra reprehenſio, apud clementiſſimum iudicem miſericordiæ locum aliquem ei conciliet, quod nos ſummoperè optamus.

Mira vafricies improbi presbyteri.

S. Gothardus tandem aduertit verſutias eius.

Horrẽdum Dei iudicium in hominẽ fraudulentum & mendacem.

Cap. 31. Fuit verò etiam in collegio noſtro vir quidam integerrimis moribus, omnis canonicæ diſciplinæ & inſtitutionis obſeruantiſſimus, qui propter ſingularem fidem & induſtriam ſuam à Beruuardo Epiſcopo Hildeſemenſi inſtitutus fuerat Vicedominus, ſed à Gothardo pro eccleſiæ vtilitate factus eſt Scholaſter vel Scholaſticus, atque etiã ob animi pietatem, religionem & caſtimoniam in tantam aſcitus familiaritatem, vt eſſet ipſi à ſecretis. Tota enim eccleſia, quæ illum nouerat, teſte iam grandæuus erat & miles emeritus, humilitate & charitate inſignis, in regendis & adhortandis fratribus

non

non ſine beneuolentia & amore ſeuerus, denique in omnium virtutum ſtudio & exercitatione coram Deo ſolicitus. In ſuis exhortationibus frequens hoc illi in ore fuit: Diligant homines, oderint vitia. Huic ante aliquot annos beatus Epiſcopus ſæpè quidem iocando, vt nobis videbatur, prædixit eum aut cum ipſo, aut paulò ante ipſum è vita eſſe abiturum. Cumque iam poſtremum decumberet, & eſſet in extremis, per Abbatem nepotem ſuum (de quo antè diximus, quem viſitãdi cauſa ſuo loco ad eum miſit) ei ſeriò mandauit, vt ſacram olei vnctionẽ cum vera pœnitentia & peccatorũ confeſſione ſibi peteret adhiberi, ac deinde corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento munitus, intrepidus prior hinc emigraret: promiſitq; ei ſe pro animæ illius ſalute Deum continenter deprecaturum, & proximo anno ſe illũ in Chriſti pace ſecuturum. Abbas igitur chariſſimum illum, ſemperq; nobis iure memorandũ magiſtrum noſtrum cum alijs fratribus inuiſit, ſacro perunxit oleo, & authoritate Epiſcopi ab omnibus peccatis abſoluit. Atq; ita biduò pòſt feliciter ille migrauit ad Chriſtũ, ſed nobis ingens ſuî deſiderium reliquit, tanti viri orbatis conſilio atq; magiſterio. Nam & Clero & populo teſte, nunquàm eius ordinis virum in omni eccleſiaſtica probitate & integritate magis illo ſpectatum vel vidimus, vel audiuimus: eſtque iure perpetua illius nobis memoria retinenda, nec dubitandum, quin apud Dominum ſemper ille noſtrî memor ſit. Vera aũt fuit prophetia antiſtitis noſtri, qui anno exacto & menſibus tribus illũ ſecutus eſt.

S. Gothardus prædicit cuidam obitũ ſuum.

Itemque ſuum.

Vt verò ad finem vitę huius propiùs acceſſit beatus antiſtes, ita ſemper bonorum operum maiori ſtudio de virtute in virtutẽ progredi cõnitebatur, vt poſſet videre Deum deorum in Sion. Ceſſante autẽ iam multiplici actionis officio, ſpiritalibus vacabat exercitijs, tria de communibus ſpecialiter ſibi retinẽs, puta pſalterium, eleemoſynam & inprimìs familiarem & amicã ſibi abſtinentiã, idq; adeò, vt licèt raro celebrioribus diebus, fratrum cõpellente voluntate, aliquid lautioris cibi & fortioris potús ſumeret, ſtomachus abſtinentiæ aſſuetus plus inde moleſtiæ quàm cõmodi acciperet. Porrò ſupremum Chriſti natalitium diem anno ab orbe redempto milleſimo*triceſimoſexto, Imperatore Goſlariæ manente, ipſe Holthuſij celebrauit, reddens iuxta Euangelium quæ ſunt Cæſaris, Cęſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Seipſum enim eo, quo iam diximus, modo Chriſto offerebat ſpiritale ſacrificiũ, & interim nihilo minùs ſubditis ſuis Clero & populo in diuinis & humanis debita præſtabat officia, quantũ quidem potuit pro virium facultate. Ipſos aũt ſacratiſſimos Quadrageſimæ dies, quos ille feſtiuè & hilariter ſæpenumerò ſaluberrimos appellare ſolebat, ingenti deſiderio expectabat, eosq; corpore quaſi extra corpus mirabiliter tranſigens, quippe vix neruis cohærentibus, ad ſacroſanctum Paſcha peruenit: ſed ita ſanè, vt Dominicã Palmarum, Cœnam Domini, & reſurrectionis feſtum, ſupra vires collecto robore, prout Epiſcopalis poſcebat functio perageret. Inde pro religionis conſuetudine fideles Paſchali tempore per vicinas ſtationes viſitauit, & ſalutares eis admonitiones propoſuit. Interim etiã publicè affirmabat & denunciabat, ſe hanc poſtremã cum eis in corpore agere iucunditatem, ſed in Chriſti aſcenſione iturũ ſe, quò Dominus iuſſurus eſſet. Quod quidem nos audientes, propemodũ riſu excepimus, perinde ac ſi ille ocyùs in pátriã Bauariã ſe rediturum minaretur. Poſt Dominicam aũt, quæ in Albis dicitur, à nobis diſcedens, cum Abbate nepote ſuo ad quendã contendit locum, vbi nouã condere cœperat eccleſiam, extremam ei manũ impoſiturus: ſed cùm non poſſet ampliùs reluctari morbo, corpore deficiente decubuit. Cuius rei triſtiſſimus nuncius poſtquàm increbuit, Abbas ſuprà dictus, vir certè toto pectore diuinæ ſeruituti addictus & mancipatus, atque vnà cum illo Præpoſitus noſter & Decanus cum ſenioribus ad illum ſe contulerunt: ſed eum tamen, diſſimulato languore, more ſolito in laborem eccleſiaſticum incumbentem repererunt, aſtantium manibus ſuſtentatum. Venientes autẽ illos ipſe qua conſueuerat hilaritate & humanitate accepit, & tanquam oblitus moleſtiæ, qua afficiebatur, admirabundus perquirebat qua cauſa ad ipſum veniſſent. Deinde iubet ſe reduci in cubiculum, atque illic adunato Clero, primò ſingulos ſingulatim hortabatur, vt diligenter exequerentur munia ſua & quæ ex obedientia facienda eſſent: inde omnes generatim de conſeruanda fide & religione ſaluberrimè admonebat, pro ſua authoritate tum obſecrans, tum increpans. Poſteà illorum ſe petijt communiri precibus aduersùs inſidias callidi tentatoris, eisque obitûs ſui diem & tempus, exequiarum quoque & ſepulturæ modum, ita vt poſteà euenit, quaſi ludens diſertis verbis prædixit. Ite, inquit, & ad futuram Aſcenſionis Dominicæ iucunditatem & celebritatem pro ſua quiſque functione & obedientiæ ratione, & prout Dominus ſpecialem cuique aſpirabit gratiam, vos

Cap. 31.

Hic locus vitiosè ſcriptus, paucis verbis ex conjectura additis, vtcunque reſtitutus eſt.

** 38.*

Matth. 22.

Palàm prædicit obitũ ſuum.

Decumbit ex morbo.

Adhortatio eius ad Clerum.

præparate, aduentumque meum hilares & tanquam reuerà & hîc & in futuro mecum
Prophetia eius. gratulaturi expectate. In ipſa enim Vigilia Aſcenſionis in montem veniam ad S. Mauritium patronum meum, atque illic tum noctem, tum diem ſanctum agam, ſed tamen mittam Abbatem, qui mea vice Miſſarũ ſolennia celebret. Surſum autem erectis oculis, ſuſpirans, pariterque arridens, Nocte, ait, illa, vt Chriſto Domino viſum fuerit, peracta, feria ſexta diluculo veniam ad S. Michaëlem, cum Abbate & fratribus pernoctaturus. Inde ſabbato precaturus accedam ad S. Andream: pòſt ad vos me conferam, vobiſcum ſemper permanſurus. Porrò Dominicam diem conuocatis fratribus & amicis ſolenniter celebrabimus, atque ita totius feſti noſtri iucunditatem abſoluemus. Hæc dicẽs, benè precatus eſt nobis, dimiſitq; nos & admiratione & ſtupore correptos.

Cap. 33. Habebat verò beatus pater in priuato ſuo monaſterio iuuenem quendam, viduæ cuiuſdam filium, pingendi peritum, cui vilia ſua veſtimenta & calceos dabat. Bruno is dicebatur. Huic ab initio anni illius ſæpiſſimè præcepit, vt ſe pararet ad proficiſcendum ſecum in patriã Bauariã. Vt enim iam ſuprà diximus, longè antè obitum ſuũ crebrò dicere ſolebat, & quidem ſeriò, ſe patriã reuiſurum: cumque multi vtriuſque ſtatûs ſe vltrò offerrent ad iter illud cum ipſo ſuſcipiendum, gratias agebat illorum erga ſe ſtudio & voluntati, ſolum Brunonem itineris comitẽ deligens. Quo autem die primarij quidam ex Clero, vt cõmemoratum eſt, ad illum venerunt, iam antè more ſuo clàm ipſe veſtes mutârat ſuas, præcepitque huic Brunoni, vt veſtes, quas ipſe exuiſſet, indueret, & ad ſe ocyùs veniret. At ille dicta beati viri perinde vt quædam deliramenta, vel quibus
Prædicit Brunoni pio puero mox euentura. planè ipſe derideretur, negligenda putauit. Tum verò Epiſcopus ceu indignabundus ait cubicularijs, vt irent, induerentque eum veſtimentis, quę ipſe depoſuiſſet, & ad ſe illum adducerent. Illi ergo confeſtim trahunt eum retrò cubiculi cortinã, indutumque Epiſcopi veſtibus, ludibundi ducunt ad eum. Pręſul autem eum intuens, Pro certo noueris, inquit, te in hac veſte nouos percepturum rumores. Iis dictis, exiuit puer, & eccè eodem momento corripitur frigore intolerabili, atque eadem hora fractus vi morbi decumbit. Epiſcopus, cùm diſceſſiſſent fratres, perquiſiuit vbi eſſet puer: reſpõſumque eſt illum ægrotare. Mox ille accerſito procuratore, præcipit ei vt puerum cautè & ſine moleſtia ad matrem curet perferendum, vt in ipſius occurſum paratus, poſſit cum ipſo proficiſci. Ducitur puer ad matrem, & in dies deficientibus viribus, tendit ad extrema.

Cap. 34. At beatus Præſul noſter febre ingraueſcente, Holthuſium aduehitur, vbi pro conſuetudine eccleſiaſtica ad viſendum eum multis confluentibus, magna ſatis, quibus exciperentur, ædium copia ſuppetebat. Eò tum inter multam Cleri populique frequentiam quodam die etiam aduenit domina Sophia de Gandersheim, & tandem, vt
Sophia Abbatiſſa petit ab eo veniam. cum bona pace loquar, poſita ſuperiori pertinacia, plena fide & deuotione in beati antiſtitis amicitiam & familiaritatem ſe inſinuauit: oblatáq; opportunitate, excluſis turbis, præſentibus iis, qui de Clero erant, commemorare cœpit friuolam illam pertinaciam, quę de ipſius eccleſię clericis aduersùs beatum virum increuiſſet, promiſitque ſe ita vt par eſſet, ſatisfacturam. At vir Dei partim morbo illum premente, partim, vt nobis quidem videbatur, quadam indignatione commouente, reſpondit, vt id negocij in aliud tempus differret. Illa verò commotionem eius diſſimulans, obitumq; iam impendére formidans, etiam atque etiam promittere ſatisfactionem pergit, oratque lachrymabunda, vt eam ipſe admittat. Tum vir beatus, Oro te, inquit, domina per Chriſtum, interim hæc miſſa facito, & donec in feſto ſanctæ Mariæ conueniamus ſuſpendito. At illa cernens propinquare eum ad exitum, & tamen verba eius non mediocriter admirans, Vtinam, inquit, dilecte pater eò vſque nobis liceat lucis huius vſura frui, donec ille feſtus adſit dies. Mox Epiſcopus fortiter collectis viribus, & apertis oculis diù omnes circunſpectans: In poteſtate, ait, præpotentis Dei, in qua & vita & finis
Prædicit ille obitum Sophiæ. noſter conſiſtit: In veritate, quæ Deus eſt, dico tibi, nos in feriis ſanctæ Mariæ, vbi Deus voluerit, certò pariter conuenturos, atque illic coram illo veraciſſimo teſtę tum de his, tum de aliis, de quibus inter nos diſſidemus, tractaturos. & his dictis, compreſſis oculis, reticuit. Quibus illa verbis valdè conſternata, ſubmiſſa voce ait ad circunſtantes: Heu me miſeram, ita ne propediem ſim abitura ex hac vita, & illum ſubſecutura? nec tamen auſa fuit vllam prætereà ei exhibere moleſtiam, ſed humiliter & veniam ab eo petiit, & copiam recedendi. Ille verò rurſus aperiens oculos, tam breuiter quàm ſalubriter admonuit eam de ſacræ religionis obſeruatione, ſimulque de quibuſdam reprehendit. Inde ſublata dextera benedictione muniuit, & pro Chriſti amo-

ſti amore ei veniam tribuit, tandemque non mediocriter formidantem, vt ipſa aiebat, eam à ſe dimiſit.

Exacta porrò hebdomada, beatus pater iam omninò deficiente corpore, ab Abbate præſentibus fratribus ſacri olei liquore eccleſiaſtico more perungitur, & ita, vt prædixit, in Vigilia Aſcenſionis Domini in S. Mauritij montem aduehitur. Eò autem fratres ad eum lachrymabundi conueniunt, ferre diutiùs non ſuſtinentes dolorem animi, qui eos medullitùs diſcruciabat. Aliorum quoque fidelium innumera confluxit multitudo, quos non minor doloris obtinebat acerbitas pro tam pij paſtoris deceſſu. Quos tamen ille, licèt iam deficiente loquendi facultate, optimarum conſolationum fomentis recreatos, à ſe iuſſit abire, & diluculo reuerti. Illis ergo recedentibus, & noctem illam cum ſummo mœrore traducentibus, beatus pater pro ſua conſuetudine perpetuò ruminabat pſalmos, ſuauem ſibi inde hauriens refectionem: atque in eiuſmodi meditatione curſum ſuum iam abſoluens, pernox vigilabat. Summo diluculo, peractis precibus matutinis, adeſt Clerus, admonetur à ſacro Præſule verbis ſupremis, iiſque & paucis & ſalutaribus, de ſacra religione & obedientia accuratè obſeruanda. Deinde confeſſionis verſu cum eis prolato, vltimum eis vale dicens, abire iuſſit ad celebranda cum Abbate Miſſarum ſolennia. Cap. 35. Accipit extremam vnctionem. Suprema eius oratio ad Clerum.

At pius idem antiſtes non immemor promiſſionis ſuæ, de prædicto cubiculario ſuo puero Brunone ſciſcitabatur anxiè, quînam haberet: cognoſcenſque eius deſperari vitam, per nuncium hæc ei mandauit: Conſolare puer meus, & confortare in Domino, quia iam tempus inſtat, quo ad patriam æternæ beatitudinis re vera mecum proficiſceris. Ea verba puer lætus accepit, & nihil iam de præſenti vita ſibi meditandum exiſtimans, ipſo ſacro Dominicæ Aſcenſionis die ſalutare viaticum, id eſt, ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigi rogauit. Ea percepta, iucundo animo beati antiſtitis pollicitationem ſuſtinebat. Itaque Miſſarum apud nos celebritate peracta, ciboque ac potu celeriter ſumpto, fratres hora diei decima ad dilectum antiſtitem reuertuntur, penè iam officio linguæ ceſſante, corde & mente pſallentem, pſalmoſque in ſolo pectore difficulter ruminantem inueniunt, communicato inter ſe conſilio, quatuor pueros ſcholaſticos ex vtraque lectuli eius parte ſtatuunt, vt pſalterium ab initio diſtinctè recitent eis præcipiunt. Eos audiens beatus pater, tanquam ea melodia delectatus, pauliſper quieuit, nonnunquàm etiam cum illis pſallere iucundum ei fuit: at verò præcipuos illos verſus, qui ſpecialiter ad deprecandum Dominum pertinebant, apertis ſurſumque erectis luminibus altiùs vt potuit expromebat. Media nocte iam abſoluto pſalterio, & fine eius euidentiùs apparente, matutinas preces inchoârunt fratres, & cùm ventum eſt ad canticum Zachariæ, Benedictus Dominus Deus Iſraël, vir beatus in ſupremo iam agone deſudans, ægrè apertis oculis, cùm verſus cantaretur à Clero, Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent: ille, Ad dirigendos, inquit, pedes noſtros in viam pacis. & ſub his verbis, Clero concinente Gloria patri &c. cum antiphona, Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, ille ab aſtantibus è lecto ſuſtollebatur, atque ita feliciſſima anima illa, tanquam ſuauiter obdormiente corpore, è carnis ergaſtulo ſoluta, migrauit ad cælos. Mox concrepantibus campanis, fratres, qui in monaſterio felicem eius obitum vigilanter expectabant, pro tam dilectæ animæ illius remedio exequias piè ac deuotè celebrabant. Cap. 36. Valdè delectatur ſanctus vir precibus ſacris etiam in extremis. Suauiter è corpore migrat ad Dominum.

Non puto ego hîc reticendum primum meritorum eius argumentum, in ipſo eius beato obitu, Deo teſte, exhibitum. Is quem ſæpè memorauimus, Bruno puer in maternis ædibus apud eccleſiam S. Michaëlis decumbebat, eodem momento præmortuis membris, ſupremo ſpiritu in ſolo pectore palpitante, planè iam deſperatus. Vbi autem audiuit perſtrepentes campanarum tinnitus, tanquam à ſomno experrectus, ſtupens rogabat quid hoc ſibi vellet. Reſpondit mater diſſimulanter, ad nocturnas preces pulſari. At ille ſtomachabundus, matris & aliorum diſſimulationem arguens, Cur, inquit, mihi imponitis? cur rem ipſam me celatis? Reuerà cum hoc ſigno chariſſimus dominus meus cælum aſcendit, & promiſſionum ſuarum proh dolor oblitus, me hîc derelinquit. Surgite, & eleuatis manibus & cordibus eius dilectam animam diuinæ clementiæ commendate, & vt meî meminerit, eum obſecrate. atque quibus potuit viribus ſuſtollens oculos ad cælum, O ſancte Preſul, inquit, ô pater humaniſſime, per illum te adiuro, ad quem vadis, vt nunc ſis memor meî, nec me patiaris tibi ſuperſtitem in carne manere, cui toties pollicitus es, quòd tecum eſſem in patriam abiturus. Ad has voces ſtupent qui aderant, nec ſine formidine faciunt quod iuſſit. Et ecce vix ad eum Cap. 37.

Bruno puer eum feliciter ſequitur

reflectunt oculos, cùm iam cernunt exanimem. Ilicò de lecto eum depoſuêt, iuſſiſque valere lachrymis, gratulantur obtinuiſſe eum quod optauerat. Intereà fratres in monaſterijs peragunt exequias beatiſſimi paſtoris ſui, & abſolutis nocturnis precibus, Miſſarum celebratione, & pſalmorum frequentatione tanto eius animam deuotiùs commendant, quanto fidentiùs ſperant ſe ab illo apud Deum commendatum iri.

Cap. 38.

Aduenit autem felicis memoriæ Bruno Mindenſis Epiſcopus, quem ipſe venerabilis pater ſibi in ſpiritualem filium adoptauerat. Cùm enim accepiſſet de eius aduerſa valetudine, in vicinis locis moratus fuit. Tum verò hora diei tertia totus Clerus cum militibus & familia, cum multa ciuium & prouincialium, maximè autem pauperum frequentia ad montem, vbi ille ſpiritualis noſter theſaurus ſeruabatur, proceſſit, corpuſque eius ad monaſterium S. Michaëlis, vt ipſe viuens dixerat, deduxit. Vbi ventum eſt propiùs ad fores atrij, corpus Brunonis pueri, non paucis illud comitantibus, apportabatur: quod deinde ante Epiſcopi pedes per deſtinatas eccleſias circunlatum eſt. Quis verò tum planctus & eiulatus Cleri, populi, pauperum illic extiterit, noſtri ingenij tenuitas explicare ſatis non poteſt. Singulos & luctus & lætitia pariter obtinebat. Mœrebant ſe orbatos tam bono paſtore, gaudebant bonis quæ ſibi per illũ euentura deinceps ſperabant. Videre licuit tum illud, quod de S. Martino canitur: Pium erat flere, & pium gaudere. Et meritò ſanè fleuimus, qui talem nos cerneremus amiſiſſe paſtorem: & iure nihilo minùs exultauimus, quòd talem præmiſiſſemus interceſſorem. Itaque vigilijs illic pro noſtro modulo conuenienter peractis, beatum corpus manè ad S. Andream honorificè deportatum eſt: & cùm illic oblata eſſent ſacrificia, ad primariam ædem noſtram allatum, & qua decebat veneratione depoſitum eſt. Poſtera illuceſcente die, quæ erat Dominica, è diuerſis Saxoniæ cœnobijs vtriuſque ſexûs homines ad obſequium tanti patroni conuenerunt, Cleri deſtitutionem, populi deſolationem, & totius Chriſtianæ reipublicæ commune damnum lachrymis proſequentes. Inde ab Epiſcopo Miſſæ officio deuotiſſimè peracto, ſacrum beati viri corpus in medio Choro noſtro more eccleſiaſtico humatum eſt: vbi vſque in præſens à fidelibus, quantum humana ſinit fragilitas, ea qua congruum eſt, reuerentia viſitatur. Brunonis autem pueri corpuſculum ante occidentalem eius ædis aditum priùs ab eodem epiſcopo terra conditum eſt. Porrò domina Sophia, de qua iam antè dictum eſt, de ſua præmonitione magis magiſque ſolicita, presbyteros & ſorores ſuas eò cum oblationibus miſit, ſeque beati viri meritis & precibus ſuppliciter commendans, venturam beatiſſimæ matris Dei primùm Aſſumptionem, inde Natiuitatem pauida expectabat: ſed anno proximo triduò ante eius Purificationem ex hoc ſeculo migrauit, vt in ea quoque vera appareat prophetia ſancti patris noſtri.

S. Gothardi obitus magnũ omnibus luctum affert.

Sophia Abbatiſſa moritur, vt ille prædixerat.

Cap. 39.

Veniamus nunc ad miracula, quæ poſt eius deceſſum è vita in ſalutem credentium Chriſtus effecit: è quibus tamen ſatius putamus commemorâſſe pauca quàm multa, ne aut ſtudioſis faſtidium, aut deſidioſis vel etiam incredulis grauioris culpæ materiam obtuliſſe videamur: maximè verò propter quoſdam diſſolutos & circunforaneos homines, qui in noſtra regione ſolent per ſacra diſcurrere & vagari loca, ſeque nequiſſima ſimulatione aut cæcos, aut debiles, aut mutos, aut dæmoniacos ſingunt, & coram altaribus vel monumentis Sanctorum ſpectante populo ſe volutant & pugnis cædunt, moxque ſanatos ſe clamitant, vt hac fraude maiorem ſibi à plebe quæſtum comparent. Atque ij ſunt, de quibus iam ſuprà retulimus, ſæpè conqueri ſolitum beatum Gothardum, quòd ſua ſimulatione & vanitate efficiant, vt etiam vera dicentibus fides vix vlla habeatur. Horum impoſtura & fallacia fit, quando tandem ab alijs deprehenditur, vt etiam vera Sanctorum miracula in pernicioſam dubitationem rapiantur, & qui re vera curantur, non ſolùm à perfidis, ſed etiam à fidelibus nonnunquàm fallere exiſtimentur, vti nobis in quadam muliercula vſu venit. Primò nanque antiſtitis noſtri anno in illa ſingulari noſtra celebritate, puta Aſſumptione beatiſſimæ matris Dei, anus quædam nobis ignota, velato capite, operta facie ante ſepulcrum beati viri ſe proſtrauit, atque illic more illorum, quos diximus amentiam ſimulâſſe, diù ſe volutans, tandem exiliuit, multiſque annis viſu orbatam ſe fuiſſe, at nunc demum lumen ſibi redditum affirmauit. Spargitur ilicò rumor, Clerus & populus aduolat, venit etiam Epiſcopus, parant ſe ad agendas Deo gratias, cùm ecce adſunt quidam, qui eam fœminam dicerent ſe & crebrò antè, & nunc quoque talia nequiſſimè confingentem deprehendiſſe. Audiens id populus, iure ab impoſtrice

Nequam anus ſimulat ſe amentẽ.

poſtrice

poſtrice pœnas repetendas clamat : ſed tamen à Clero pro beati antiſtitis reuerentia defenditur, atque ita pudefacta recedit, nec nobis vnquàm poſteà viſa eſt. Id genus ergo fallacias nos cautè euitare volentes, omiſſis permultis,quæ ab ignotis accepimus, tametſi ea vera eſſe exiſtimamus, ad ea ſola narranda accedimus, quæ teſte Deo, aut ipſi vidimus, aut certè ab illis accepimus, quos Dei timore præditos planeque veraces eſſe non dubitamus.

Illud quidem omnibus notiſſimum, primo loco commemoramus, quod cuidam noſtræ eccleſiæ operario contigit. Lutgerus is vocabatur, & cùm in templi noſtri atrio ligna reponeret, decidente graui trabe, femur & tibia & pes miſerè contrita ſunt. Eum beatus Gothardus, tum adhuc viuens in corpore, quòd eum fidelem & vtilem expertus eſſet, ante menſam ſuam quotidiè ad eleemoſynam accipiendam cum pauperibus reſidere volebat : dolensque non mediocriter caſum hunc ei accidiſſe,ſeipſum non rarò animo diſcruciabat. non enim poterat vacare operi, cui deſtinatus erat : quanquàm interim facere non omittebat, quicquid tum ſedendo, tum reptando potuiſſet, promptum ſemper animi ſtudium declarans, nec vllum, præter ſomno & cibo capiendo neceſſarium,tempus ocioſè & ſine fructu tranſmittens.Solebat autem beatus Gothardus puerulos, vel etiam valentiores pauperes mittere ad plateas,vel defoſſas petrarũ foueas, vt minutos inde lapillos colligerent niuei candoris,aut atri varij've coloris,quos ille politos,& multiplici contritione vel fractione in gemmarum formam redactos, in altaribus,codicibus aut pallijs eccleſiaſticis non indecorè reponebat. Atque in eiuſmodi opere ſpecialem ei ille, de quo agimus, pauper operam nauabat, alios ſua vincens induſtria, nec parum gratus eo nomine Epiſcopo. Nonnunquàm verò etiam pictoribus, & ijs qui vitra in feneſtris componebant, ſeſe adiungebat, inter eos quoque non infrugiferam dependens operam. Poſtquàm autem beatus Præſul deſijt eſſe in humanis, ipſe detonſus, carnibus alijsque lautioribus eſcis ſibi interdixit, & ad ſepulcrum eius ſe conferens, tam cuſtodibus quàm alijs fidelibus omni qua potuit fide & diligentia inſeruiuit : ac tandem conſentientibus magiſtris, totam eius monumenti cuſtodiendi curam in ſe recepit, tametſi debili crure ligno ſuſtentato, & reliquo corpore ſcipione fulcito, ægrè huic officio ſatisfacere potuit : ſed quas vires negabat mala corporis valetudo, eas obediendi ſtudium & deuotio ſubminiſtrabat. Pſalmos quidem non nouerat, ſed tamen verba, quæ ex illis vel relatione fidelium vel admonitione apprehenderat, ſtrenuè vigilando & crebrò ſe, vt ſolent fideles, humi proſternendo, accuratè & ſolicitè identidem depromebat. Atque in hac ſedulitate gnauiter perſeuerans, & ad altiora pro viribus proficere contendens, quodam ſabbatho, cùm veſpertinæ laudes in templo canerentur, apud beati antiſtitis monumentum ſe proſtrauit, manſitque illic diù immotus, ſiue ſomno oppreſſus, ſiue ecſtaſim patiens, & vt ipſe poſteà retulit, intolerabili quadam membrorum atque neruorum diſtenſione vel contractione inuiſibiliter ſe ſenſit diſcruciari. Finitis veſpertinis precibus tanquam à ſomno ſurrexit, & ſolito debilior, vix ſcipionem comprehendit : ſtatim autem in lectulum incumbens, tota illa nocte membrorum diſtractione miſerè afflictus fuit. Porrò ſub matutinum tempus tandem obdormit, & in ſomnis iubetur properare ad templum, & Deo gratias agere. Surgit ergo ocyùs experrectus à ſomno, remoroque femoris ſuſtentaculo, & ſcipione reiecto, hora matutina in templum ingreditur, & coram omnibus palàm in Dei laudes alacer & lætus erumpit, ac deinceps quoad vixit, ſemper incolumis, quanto diutiùs tanto deuotiùs miniſtrauit.

Cap.40. Pauperes quotidiè ſedebant ante menſam S.Gothardi. Studiũ cuiuſdam debilis hominis erga monumentum S.Gothardi. Sanatur is diuinitùs.

Mulier quædam, omnibus qui apud nos ſunt notiſſima, multis annis cæca, apud ſepulcrum beati viri altera poſt Aſſumptionem S.Mariæ, ſpectante Clero & populo,illuminata eſt. Cap.41.

Ruſticus pagi eccleſiæ, qui Holtahon dicitur, longo morbo miſerè vexatus (nam contractis lumbis per annos multos,crura habuit nulli vſui apta) vbi tandem ad ſancti viri monumentum vix reptando peruenit, eius diei anniuerſario integram eſt coram Clero & populo adeptus ſanitatem. Cap.42. Contractus curatur.

Quædam fœmina nobilis ex Mindenſi diœceſi, non ignota, fratris ſui filiam nutriebat, eamque in filiam cooptatam vnicè charam habebat. At illa grauiſſima correpta valetudine, non ſine vitæ periculo biduò exanimis iacere viſa eſt. Aderant propinqui cum ciuibus & familia, amarè complorabant præ multiplici commiſeratione Cap.43.

tione tantam puellæ elegantiam. Aderat verò etiam anus quædam, eccleſiæ ſeruiens. Ea cœpit de ſancto Epiſcopo ſermonem texere, & vt ægri ad eius tumulum Deo miſerante ſanarentur, explicare. Eius verbis compuncta amita puellæ, matutino tempore ſe confert in templum, proſternit ſe coram altari, profuſis lachrymis obſecrat Deum, beatiſſimam Dei genitricem, ſanctumque Gothardum, vouet oblationes intima animi pietate pro nepte ſua: & eccè quamprimùm, vt ipſa nobis lachrymabunda narrauit, ſancteque iurauit, domum reuertens cernit puellam iam videntem, audit loquentem, cibum expetentem, acceptumque comedentem, & Chriſto ob merita beati viri præſtante, integra ſalute fruentem. Itaque quinto pòſt die ad ſanctiſſimæ Virginis altare & ad tumulum beati Gothardi cum oblationibus, quas promiſerat, eam adduxit, & quemadmodùm ſanata fuerit, adhibitis ciuium & aliorum teſtimonijs, coram multis recitauit.

Mirabiliter reualeſcit puella ferè exanimis.

Cap. 44. Frater quoque noſter non obſcuri nominis, Folcardus preſbyter, per id tempus Vicedominus, inde Præpoſitus noſter, ad extremum Brandenburgenſis Epiſcopus, qui ſancto Gothardo, vt plerique omnes nôrunt, & fideliter inſeruiuit, & vnicè charus fuit: cùm poſt obitum eius pro conſuetudine Epiſcopi chortes inuiſeret, in pagum *Haſgeruſium peruenit, diuertensque prandendi cauſa in cuiuſdam ædes, vidit puerulum miſerè vexatum, & iam aliquot hebdomadibus omni membrorum officio deſtitutum, atque ad extrema in dies, vt omnibus videbatur, appropinquantem. Eum ergo, vt erat ſingulari erga tales miſericordia, non ſine lachrymis diù intuetur, perquirit etiam ex familia tanti mali cauſam & tempus. Deinde hortatur plorantem pueri matrem, vt promittat ſe allaturam ad S. Gothardi monumentum cereos pro pueri menſura. Facit id illa libentiſſimè, ſed cùm pauper eſſet, & ceram non haberet, iubet preſbyter vt puerum membratim dimetiatur, menſuramque ſecum ferat: & quam ab ipſo acceptura ſit ceram in candelas redactam, afferat. His ita geſtis, ſedent ad prandendum, & pueri iam quaſi immemores, de alijs rebus inter ſe conferunt. Interim puer mira celeritate tanquam à morte reuiuiſcit, & in lectulo cunctis admirantibus reſidet, accitaque matre prorepit ex lecto, poſcit apponi ſibi alimenta, ijsque veſcitur, & deinceps beati viri meritis perpetuò manet incolumis.

Item puer moribūdus

Cap. 45. Fuit in noſtro collegio iuuenis quidam, ex laico conuerſus, Deſiderius nomine. Eum vir beatus iuſſerat in Clerum cooptatum tonderi, & poſteà etiam Diaconus ordinatus eſt: ſed cùm non poſſet exactè cantandi & legendi munus cum fratribus obire, ne penitùs vacaret ocio, cum cuſtodibus eccleſiæ miniſtrauit. Quo autem tempore noſtræ eccleſiæ præſulem egit Anſelmus, poſt miſerandam monaſterij noſtri conflagrationem, is Deſiderius intra feſtos dies Natalis Saluatoris quadam veſpera in ſcholis cum pueris ſedens & colloquens, ſubitò percuſſus cęcitate corruit, & alia etiam ægritudine increſcente, diù decubuit. Porrò in Quadrageſima hac quidem ægritudine liberatus eſt, ſed cæcus permanſit. Ibat ergo pro more ad eccleſiam, atque apud beati antiſtitis monumentum ſpe recuperãdi viſus ſępè ſe humi abiecit, in preces incumbens. Deinde 5. Calendas Aprilis, quo die celebramus aduentum reliquiarum ſanctorum Cantianorum martyrum, cùm in matutinũ precibus illic ſe dederet, ilicò ceu pruriente dextero oculo, duriusque manu confricato, ſanguinis non parua copia inde effluxit, moxque illo oculo rurſus videre cœpit. Laudabant omnes eam Dei benignitatem, & etiam alterius oculi curationem expectabant. Itaque poſt Paſcha anniuerſario die ſancti patris noſtri Gothardi, cùm in eius memoria Miſſa pro defunctis ab Epiſcopo celebraretur, oblationis tempore, ſpectante Clero & populo, tanquam morbo correptus cecidit, confeſtimque erumpente ſanguine ex oculis, naribus & auribus, etiam ſiniſtri oculi ſibi ſenſit lumen reſtitutum. Peracto ſacrificio, Epiſcopus pro concione hortabatur Clerum & populum, vt debitas Deo laudes depromerent: profuſiſque lachrymis ipſe pariter Dominum laudauit. Eodem momento etiam Deſiderius egit gratias Deo, & perfectè curatus eſt, atque in ea, quam Deo vouerat, profeſſione vſque ad ſupremum vitæ diem fideliter permanſit.

Redditur lumen vnius oculi cæco.

Itemque alterius.

Cap. 46. Plurima præterimus, quæ in ſancti viri laudem dici poſſent, eo conſilio, quòd antè explicuimus, cùm ea Deo fauente, ab initio vſque in præſens præclarè fieri ſæpiùs experiamur. Hoc tamen ſuperioribus adiunctum volumus, quod tota eccleſia teſte verum eſſe nouimus, complures ad ſepulcrum eius cum oblationibus hilares aduentare, ſeque à varijs afflictionibus, moleſtijs & morbis virtutum eius meritis celeriter liberatos palàm affirmare. Porrò ſi quid cuiquam incommodi aut moleſtiæ accidat,

Multa fiunt miracula.

dar, ſimulatque ad ſancti viri memoriam acceſſit, vel abſens oblationem vouit, ſine dubio conſolatione afficitur ob merita illius, quam in vera fide & ſpe ſibi præſtari petit.

VITA S. IOANNIS DAMASCENI, PER IOANNEM PATRIARCHAM HIEROSOLYMITAnum, *Iacobo Billio Prunæo, S. Michaelis in Eremo Abbate doctiſsimo, interprete. Nos verò, vt permultas alias, Lectori gratificaturi, eam in capita diſtinximus.*

Maij 6. vel 4. Nouembris.

Cap. 1.

EST hoc in hominum more atque inſtituto poſitum, vt ijs, qui diuinam imaginem ab omni labe ac macula puram tenuerunt, atque in prima integritate & elegantia conſeruârunt, aut etiam obliteratam eam vel ſordibus contaminatam renouârũt, honoris cauſa diuinas ipſorum formas & effigies conficiant. Quin ij quoque, qui liberalioris erga eos venerationis ſpecimen exhibẽt, pro diuitiarum ſuarum amplitudine luculentiores etiam ac ſplendidiores materias adhibent, ijſque formas ipſorum inſculpunt: quòd videlicet hac ratione maiore erga ſanctos viros honore defungi ſeſe exiſtiment. Cùm itaque in eorum formis exprimendis ita magnificos ac ſplendidos ſe præbeant, committendum'ne eſt, vt in rerum ab ijs geſtarum commemoratione contemptas atque ornatu & elegantia vacuas orationes relinquamus? Minimè ſanè. Nam ruſticioribus quidem danda eſt venia, ſi quemadmodùm poſſunt, orationes rudi atque inelaborato ſtylo proſequuntur, cùm eorum, qui Deo placuerunt, res geſtas exponunt. At qui eloquentiæ operam nauant, ijs ignoſci minimè debet, ſi Sanctorum vitas neglexerint, easque tumultuaria duntaxat opera conſcripſerint: præſertim ſi virorum eorum vitam literis complectantur, qui per omnem vitæ curſum literis inuigilârunt, atque doctrinæ adiumento tum mentem ab inſcitia & obliuione, tum animam ab omni turbulento motu repurgârunt, quique huic terræ ambitui ornamentum attulerunt, ac mentem omnem per libros à ſe elaboratos illuſtrârunt, non externæ duntaxat ſapientiæ gratia pollentes, verùm etiam paracleti lumen copioſè atque affluenter emittentes.

Cap. 2.

Quorum in numero, & quidem inter primos cenſendus eſt magnus ille ac celebris Ioannes, qui à Damaſco patria ſua cognomentum traxit. Hic enim non exiguum eccleſiaſtici firmamenti ſidus extitit, verùm maximum & ſplendidiſſimum, non in hæreſis ſolùm vbique diffuſæ tenebris lucens, ſed etiam omnem peſtiferæ doctrinæ noctem ſermonum ſuorum claritate diſcutiens. Nam nox quidem paſſim toto orbe fuſa erat, præclaras venerandarum Imaginum formas obſcurans: ac profunda quædam caligo graſſabatur. Atque is, qui eam diffundebat & afferebat, non plebeius quiſpiam homo erat, vt etiam in aliqua duntaxat orbis parte malum diſterminaret: verùm in manu, vt ita loquar, orbis terrarum fines tenebat, vt qui ſcilicet Romani imperij ſceptro potiretur. Quo etiam efficiebatur, vt magno animi ardore quoquouerſùm ferretur, atque ingenti impetu venerandas Imagines deleret, eoſque à quibus illæ colerentur, partim (vt erat nõ modò nomine, ſed etiam animo ac ſententia leo) deuoraret, leonis nimirùm ritu rapiens & rugiens: partim rugitu ſuo aliò atque aliò diſpergeret, ac ſubterraneis receſſibus ſeſe occultare cogeret: mallentq; permulti cum leonibus potiùs & draconibus habitare, quàm cum ipſo atque ipſius aſſeclis cõmorari. Alij autem metu perterriti, ad longinquas orbis partes contendebant (Leo enim rugiet, & quis nõ timebit?) atq; ab ipſo perinde atq; à colubri facie profugiebãt. At vir iſte nomen à gratia conſecutus, ac ſpirituali gratia perfuſus, iracundia aduersùs ſolũ ſerpentem feruens (nimirùm vt iracundia zeli ac virtutis nomen obtineret) non è Thracia, quam tum incolebat, ad Sarmatas, vt ſaluti ſuæ conſuleret, cucurrit, neque ex Byzantina vrbe ad *Herculeas* columnas fuga ſe contulit, nec rurſus è templis ob Leonis huius rugitum

Iconomachorum hæreſis.

Leonē Iſauricum intelligit.

Amos 3.

tum in ſolitudinem conceſſit: verùm Damaſci priùs, deinde in Palæſtina degens, atque in ſolitario loco religioſæ vitæ inſtitutum colens, aduersùs Leonem fortiſſimè dimicabat. Quanuis enim ingenti locorum interuallo fortiſſimus hic meus athleta ab illo diſſitus eſſet, libris tamen paracleti igne fabricatis, ac vitali vnda obduratis, tanquam triplici lancea ipſum traijciebat. Verùm hæc ſuo loco fuſiùs oratio noſtra declarabit.

Cap.3. Aequúmne igitur fuerit tanti viri vitam craſsè ac ruſticè conditam, linguaque tantùm & literis Arabicis comprehenſam, contemptim relinquere? Minimè profectò. Quocircà exponendum eſt, è qua quamque nobili radice viridiſſima hæc planta prodierit, ac quænam patria eum edidiſſe glorietur. Damaſcus autem hæc eſt. Vt enim ipſa de Paulo gloriatur, quòd videlicet primò cælipetam illum, cùm impietatem abiecisset, atque ex Chriſti inimico Chriſti amicus effectus fuiſſet, conſpexerit: ad eundem modum ob hunc quoque virum honeſtè atque grauiter gloriatur, quòd ſcilicet non aliunde venerit, aut ex alia quadam religione ad rectam migrauerit: verùm eum ab ipſamet radice protulerit, magisque etiam in pietate, quàm in corporea ſubſtantia ei obſtetricis operam nauauerit, doctrinaque eum aluerit. Proinde, inquam, ob germen ſuum magnificè ſeſe effert & exultat, maioremque hinc voluptatem capit, quàm ex reliquis omnibus ornamentis, quæ ipſi ad ſplendorem gloriamque ſuppetunt, ſiue anni partium temperiem dixeris, ſiue aquarum dulcium ac limpidarum profluuia, quibus multis alluitur. Nec verò optimorum fructuum copia hanc vrbem vſqueadeò effert & attollit, vt quòd ex ea pulchra hæc & nobilis arbor prodierit, quæ ſecus decurſus aquarum enutrita eſt, ac tempeſtiuos fructus edidit. Cuius fructus apud nos perpetuò recentes quodammodò ſunt, ac tum aſpectu pulchri, tum guſtu ſuaues, ac denique eiuſmodi, vt eos à quibus attinguntur ac deguſtantur, non modò voluptate afficiant, verùm etiam edentem ſaginent & augeant, atque in virum ſpiritu perfectum euehant, numerisque omnibus abſoluant. Ad hunc ſcilicet modum Damaſcena ciuitas ob hunc ſuum fœtum in maiore gloria eſt, quàm ob alia bona & oblectamenta, quorum copia abundat. Hæc igitur ciuitas eſt, quæ virum hunc tulit.

S. Ioannis patria. Act.9. Damaſci encomium. Pſal.1.

Cap.4. Damaſceni parentes. Maiores autem ille pios viros habuit, quique ſoli pietatis florem atque cognitionis Chriſti odorem, inter medias ſpinas conſeruârunt. Nam hi ſoli Chriſtianum nomen, perinde atque præclaram quandam, nec ab vllo extorquendam hæreditatem ita retinuerunt, vt ex quo tempore Agareni vrbem imperio ſuo ac ditioni ſubiecerunt, orthodoxam doctrinam nullo modo labefactârint. Quo etiam factum eſt, vt inſignes eos ac celebres inter medias impiorum cateruas virtus reddiderit, vtpotè quam hoſtes quoque ipſi venerationi habeant. Vel potiùs, quemadmodùm Deus Danielem apud Aſſyrios ob eam, cuius ſpecimen ediderat, pietatem, atque item Ioſephum in Aegypto gloria affecit (Horum enim vtrunque, tametſi alioquì captiuum, procuratorem ac moderatorem & dominum inter exteros & hoſtes fecit:) eundem in modum hic quoque Ioannis maiores publicorum negotiorum adminiſtratores inter ipſos Saracenos conſtituit, atque hîc etiam pij viri captiui ijs, à quibus in captiuitatem redacti fuerant, imperârunt. O ingentia Dei miracula, ô inſignia prodigia. Nihil virtute ſublimius eſt, nihil pietate præſtantius & excelſius. Vt enim ſignum in monte, vel, ſi rectiùs loquendum eſt, vt lucerna in nocte, & vt ſemen in Iſraël, ac denique vt ſcintilla in cinere: ſic Ioannis maiores Damaſci relicti ſunt, vt præclaram hanc facem proferrent: ea autem omnibus terrarum finibus lucem afferret. Huiuſmodi videlicet ei, quem laudandum ſuſcepimus, maiores extiterunt.

Dan.3. Gen.41. Virtutis præſtantia

Cap.5. Pater autem, vt ex hac bona radice ortus, pietate cæterisque virtutibus parentes ſuos ſuperare contendens, maiorem quoque Dei amorem præ ſe tulit. Conſentaneum enim erat, vt viro tam claro, quique ad ſummam vſque virtutis arcem peruenturus erat, progenitores quoque ſuos ſplendore anteiret: vt quemadmodùm ex continuato quodam progreſſu, recta quadam & compoſita ratione in altum aſcenſus contingeret: adeò vt res magni atque inſignis huius viri diuina prouidentia ita gubernari viderentur, quemadmodùm in Ioanne quoque Baptiſta contigit. Nam quoniam futurum erat, vt ſuperioribus omnibus prophetis clariùs eluceret, atque myſterium omni ſacerdotio maius, hoc eſt, Domini mei baptiſmum operaretur, idcircò diuina prouidentia res ita comparata eſt, vt non è

plebeis infimæque conditionis parentibus, ſed ex ſacerdotali tribu prodiret, atque à propheta gigneretur. Eodem modo hîc quoque diuinitùs ita prouiſum eſt, vt Ioanni pater exiſteret vir cum primis pius, atque humanitate præditus. Nam cùm tum ob eximiam virtutem, tum ob reliquum vitæ ſplendorem ampliſſimaſque opes, quibus præditus erat, publicorum negotiorum cura & adminiſtratio per omnem regionem ei demandata fuiſſet, ipſe non in comeſſationes ac perpotationes & ſuperuacaneas impenſas diuitijs abutebatur, verùm quicquid tam in auro, quàm in alijs mobilibus materijs facultatum habebat, id totum Chriſtianis captiuis redimendis impendebat. Reliqua autem immobilia bona (multa autem in Iudæa & Palæſtina habebat) redemptis Chriſtianis, qui in illis locis degere animum induxerant, ad refocillationem, vitæque, quantum ſatis erat, ſubſidium impertiebat: alijs autem libero lumine ac pede quò vellent ſeſe conferre permittebat. Tanta ſcilicet virtute atque humanitate vir ille pollebat. Nam cùm multa haberet, perinde erat, ac ſi nihil haberet, vt qui noctu atque interdiu facultates ſuas Deo effunderet.

Luc. 1.

Patris Damaſceni pia liberalitas.

Hac non dicam hoſpitalitate, vt Abraham, ſed humanitate præditus cùm eſſet, præmij loco admirandum partum accipit, ſi non ex promiſſione, at certè ex diuina prænotione ac præfinitione. Prænouit ſiquidem Deus, qualis Ioannes futurus eſſet, eumque ex hoc viro procreandum eſſe præfiniuit: quô videlicet pro ea humanitate, quam in eos, qui libertatem cum horrenda captiuitate commutârant, exercere conſueuerat, hoc præmij referret. Igitur ei præclarus hic filius naſcitur: eumque tenero adhuc corpuſculo per ſpiritualis matris regenerationem lucis filium efficit, rem videlicet faciens tum temporis haud admodùm facilem, quamque inter medias illas gentes multi vix auderent. Deinde in eam de puero curam incubuit, nō vt ille deſultorios equos regere ac moderari, haſtam commodè vibrare, aut arcu ſagittam exactè emittere, aut cum feris pugnare, ac naturalem manſuetudinem in belluinam crudelitatem immutare diſceret: quemadmodùm videlicet multis hinc euenire ſolet, quòd iracundia ſubinde perturbentur, & furioſum atque immanem quendam in modum ſubſultent. Ac proptereà alius quiſpiam Chiron in montibus educatus, ceruorumque medulla diſcipulum alens, à Ioannis patre haudquaquàm quærebatur: verùm eiuſmodi quidam vir inueſtigabatur, qui omni eruditionis genere excultus eſſet, atque ex animi corde bonum verbum eructaret: quó nimirùm filium quoque ſuum huiuſmodi cibis & epulis aleret. Quam quidem ſacram cupiditatem Deus ipſi expleuit, inuentuſque à quærente eſt is, quem quærebat. Hoc porrò modo id quod quærebatur inuentum eſt. Damaſceni barbari cùm in mari excurſiones facerent, (Nam id illis familiare erat) multos interdum Chriſtianos abripiebant, atque in mare cum nauibus deſcendentes quamplurimos in captiuitatem trahebant, abductoſque in ciuitatem, partim venales proponebant, partim gladio trucidabant. Quorum in numero vir quidam fuit monaſticum habitum gerens, ex Italia ortus, venuſta facie, venuſtiori autem animo, Coſmas nomine. Atque in ipſius ore grauitas quædam elucebat, internum animi ſtatum declarans. Ad cuius pedes ſeſe abijciebant, qui ad necem trahebantur, ab eoque precibus contendebant, vt Deum ſibi propitium redderet, ſcelerumque veniam ab ipſius humanitate impetraret. Barbari autem perſpecta ea reuerentia, quam qui obtruncandi erant ei exhibebant, ex eo ſciſcitabantur, quanam in mundo dignitate, & quonam inter Chriſtianos ſplendore præditus eſſet. Reſpondens autem ille, ait: Nullam ſacerdotij dignitatem gero, verùm inutilis quiſpiam monachus ſum, philoſophia excultus non tantùm noſtrate ac Deo grata, ſed ea etiam, quam externi ſapientes condiderunt. Quibus verbis habitis, obortis lachrymis oculos impleuit.

Cap. 6.

Damaſceni ortus ac baptiſmus.

Educatio & inſtitutio.

Agareni Damaſceni ere bro inſcitū mare habēt.

Cùm autem Ioannis pater haud procùl ſtaret, eumque lachrymis ita perfuſum cerneret, ad eum acceſſit, vt eius calamitati conſolationem adhiberet: ad eumque his verbis viſus eſt: Quid tandem cauſæ eſt, homo Dei, quamobrem tu mundi iacturam deplores, cui iampridem nuncium remiſiſti mortuuſque es, vt ex habitu perſpicio? Reſpondit monachus: Huius vitæ iacturam haudquaquàm deploro: nam ego, vt abs te dictum eſt, mundo mortuus ſum. Hoc autem me diſcruciat, quòd omnem humanam doctrinā conſectatus ſum. orbem enim illum diſciplinarum tanquā fundamentū ieci, Rhetorica linguā expoliui, Dialecticis methodis ac demonſtrationibus eruditus ſum, moralem philoſophiā, quam Stagirites & Ariſtonis filius tradiderunt, colui, naturaliū rerū contemplatione, quantùm homini ſatis eſt, operam dedi, Arithmeticæ rationes perdidici,

Cap. 7.

Coſmas monachus captiuus, idemque eruditiſſimus.

perdidici, Geometriam ad ſummum vſque teneo, Muſicæ concentus & proportiones conſecutus ſum. Nec verò cæleſtium corporũ motum ac ſiderum conuerſionem prætermiſi: vt ex rerum conditarum magnitudine ac pulchritudine, pro ratione meæ harum rerum cognitionis, ad conditoris cōtemplationem peruenirem. Nam qui certiorem rerum conditarũ cognitionē percepit, certiùs quoque eum, à quo illæ conditæ ſunt, cognoſcit, maioreq́; ipſius admiratione afficitur. Pòſt autē ad Theologiæ, tam à Græcis traditæ, quàm à Theologis noſtris rectiſſimè explanatæ myſteria tranſij. His igitur impletus, vtilitatē eam, quæ hinc percipitur, nemini adhuc impertiui, nec per philoſophiam filium parenti ſimilē procreaui. Nam quemadmodùm multi, quò genus ſuum propagare queant, naturales filios ſerere cupiunt: ſic qui philoſophiæ operam dederunt, per philoſophiam & eruditionem filios gignere concupiſcunt, vt aureum philoſophiæ genus in mundo perpetuò conſeruetur. Huius porrò admirandi partus authores immortalem gloriam adipiſcuntur. Ac pręterea hoc bonitatis proprium eſt, bona ea quibus abundat, alijs etiam impertire. Nam qui non ita animo cōparatus, nec ea voluntate præditus eſt, haudquaquã in bono eſt, verùm in vitio hæret, vtpotè ſuperbia & inuidentia plenus; quibus fit, vt bonum quod Dei beneficio conſecutus eſt, cum alijs cōmunicare minimè in animũ inducat. Eaq́; de cauſa id quod habere videtur, ipſi eripitur: quemadmodùm ſeruo illi contigit, qui acceptũ talentum nummularijs minimè commiſit. Ego autem bonam partem elegi, atque in primis vellem mihi liceret doctrinam eam, quæ mihi ſuppetit, alijs elargiri. Quoniam autem id quod cupiebam, (hoc eſt, vt in fidelium illorum ſeruorum, qui accepta talenta alijs cōmodando ea conduplicârunt, numerum referrer) minimè conſecutus ſum, nec per philoſophiã filium vllum in lucem edidi, verùm haud ſecùs ac quiſpiam liberis carens ac miſer, vtì cernis, è vita exeo, idcircò lachrymis opprimor, grauique mœſtitia obruor.

Cognitio creatarum rerum quid præſtet.

Natura boni.

Matth.25.

Cap.8.

Hanc orationē cùm audiſſet is, qui huiuſmodi theſauri deſiderio flagrabat, reſpondit: Miſſos fac hos luctus, vir beate, animumq́ue tuũ leua. Fortaſſe enim petitiones cordis tui dabit tibi Dominus. Hoc ſermone habito, Ioannis pater quãmaxima celeritate potuit, ad Saracenorũ principem cucurrit, ipſiusq́ue pedibus aduolutus, probũ illum & ornatum virum Coſmam ab eo poſtulauit, neq́; eo quod poſtulabat excidit, verùm munus ingentis ſanè pretij accepit: eumq́ue in ædes ſuas abductum conſolabatur, ac diuturnis ærumnis confectũ reficiebat & recreabat: poſteaq́; hæc verba adiunxit: Non iam liber duntaxat es, verùm etiam domûs meæ ſocium, atque æquè, ac me, dominum te conſtituo, meæq́ue & lætitiæ omnis & afflictionis conſortem. Vnum autē hoc abs te peto, nempe vt naturalem hunc filium meum Ioannē, atq́; item hunc alterũ, cui idem ac tibi nomen eſt, quemq́; ex vrbe Hieroſolymitana ortum, ac tenera adhuc ætate parentibus orbatũ, in ſpiritualē filium adoptaui, omni tam externa, quàm ea, qua per ſpiritusſancti gratiam ij, qui digni ſunt, imbuuntur eruditione ac philoſophia, cuius ſcientiam tenes, perdiligenter erudias. Philoſophus autē hac oratione audita, equo ſtatim fractis vinculis per campũ currenti, aut ceruo cuipiam ſiti laboranti, atq́; ad aquarum fontes miſſo ſimilis erat. Diceres eum inſtar Midæ cuiuſdam in magnos auri theſauros incidiſſe. Hac erga iſtud negotiũ animi alacritate pręditus, adoleſcentes ſuſcipit, ipſisq́; magiſter deſignatur. Ac Ioãnes quidē naturę pręſtantia, & animi ſtudio atq́; induſtria, velut pennis quibuſdam inſtructus, aquilæ in morem per cælum volitabat: Coſmas autem ipſius ſpiritualis frater & cōmilito, nō abſimilis erat naui paſſis velis per aquas alarum remigio currenti, ſecundo nimirùm vento eam à puppi perflante. Ita tum ingenij celeritate, tum ſtudij atq́; induſtriæ contentione breuì ab ipſis collectum eſt, quicquid & in Grammatica, & in Dialectica, ijſque artibus, quæ demonſtratione nituntur, maximè expetendum eſt. Per moralis autem philoſophiæ diſciplinam non modò id agebant, vt mentem exornarent, ſed etiam vt animę perturbationes ac tumultus comprimerent. Atque item in naturalium rerum contemplatione immotam oculorũ aciem aquilæ ritu defigebant. Quin arithmeticas proportiones non minori ingenij dexteritate coluerunt, quàm Pythagoras aut Diophantes. Geometriam ita perdidicerunt, vt noui quidam Euclidæ eſſe exiſtimarentur, aut ſi qui alij ad ipſius ſimilitudinem accedunt. In Muſica tales extiterunt, quales ex diuinis carminibus & hymnis ab ipſis conditis eos fuiſſe, apud prudentes viros conſtat. De Aſtronomia denique, quantum ad interualla & figurarum compoſitiones, ac diſtantiarum proportiones attinet (etiamſi alioquì pauca de ijs rebus, vt exiguam aliquam imperitis cognitionem afferret, tractauerit) cuiuſmodi vir Ioannes fuerit, ex ipſius monumentis perſpicere licet. Ta-

Coſmas monachus fit liber, & præficitur Damaſceno & alteri præceptor.

Adoleſcētes iſti magnos habēt in ſtudijs progreſſus.

eet. Talis autem prorſus Coſmas etiam erat. Verùm de ipſius laudibus orationem ad alios remitto. Mihi enim nunc id duntaxat propoſitum eſt, vt Ioãnis laudes illuſtrem.

Huius porrò tum diuinarum rerum ſcientiam, tum dogmatum ſynceritatem quis ex Elementario, vel vt rectiùs loquar, in dogmatibus perfectiſſimo atq; abſolutiſſimo ipſius libro non agnoſcat & admiretur? Quem quidem ſi quis omnis rectę doctrinę legem, ac Moſaicas tabulas appellauerit, à vero minimè aberrârit. Quanquàm illud minimè ignoro, me huiuſce libri laudem * non hoc loco texere debuiſſe: verùm hæc ea de cauſa commemoraui, vt quanam doctrina eruditus ſit demonſtrarem, quonanque pacto omne diſciplinarum genus accuratiſſimè perfectiſſimeque ſit perſecutus. Quodque admiratione dignum eſt, ſcientia ipſius animum minimè inflauit: quin potiùs quemadmodùm feraces arbores exuberanti fructuum copia degrauatæ, in terram propendent: eodem etiam modo inſignis ille Ioannes, cùm ipſi literarum atque doctrinæ fructus amplificaretur, deorſum propendebat, non ille quidem in terram, ſed in profundiſſimum philoſophiæ pelagus intuens. Etenim cum quadam animi in mundum propenſione, non ſecùs atque cum nauigio aliquo, adhuc ipſe innatabat, Cupiebat autem hanc quoque mundi nauem abijcere, corporeęque affectionis veſtes omninò exuere, ſicque nuda mente in pelagus ſe conijcere, atque vſque in fundum ipſum penetrare, vt ingentis precij margaritum illic reconditum inueniret. Hac igitur cupiditate flagrans, atque huc ſpectans, ad imum vſque gurgitem ſe demittebat, nec eruditionis nomine tumorẽ vllum contrahebat, verùm per arcanæ ſapientiæ amorem ſeſe deprimebat. Ad hunc itaque modum ſpiritualis ipſius animæ lampas mundano oleo referta erat: quò nimirùm ſapientię quoque ab omni materia remotę lumen cælitùs in hanc lampadem delapſum, ipſam accenderet, eaq; ratione ipſe clarus ac flammeus efficeretur. Cap. 9.

Poſteà autem ipſius magiſter à diſcipulo, vt credibile eſt, in hũc amorem inductus, ad pueri patrem accedit, aitque: En quod cupiebas, plenè conſecutus es. Pueri enim eruditione me antecellũt. Neque enim ſatis ipſis fuit magiſtrum ſuum æquâſſe: verùm ingenij magnitudine improbiſque laboribus, atque etiam fortaſſe Deo ſapientiæ donum ipſis adaugente, ad philoſophiæ faſtigium altiùs quàm ego euecti ſunt. Quocirca cùm nulli iam ipſis deinceps vſui eſſe queam, ſupereſt vt mihi pro eo, atque cupiditati tuæ ſatisfeci, mercedem perſoluas, hoc eſt, vt per te mihi in monachorum cœnobium abire, atque illic ſupremam ſapientiam ſcitè inueſtigare liceat. Nam philoſophia ea, cui priùs operam dedi, ad illam me tranſmittit, ſatiuſque ac præſtantius eſt me duplici bono locupletari, atque ad priorem ſapientiam eam etiam, quæ ab omni materia puriſſima eſt, omnemque cogitationem ſuperat, quamque nuda mens atque à corpore prorſus abſtracta diſcere poteſt, adiungere. Hanc philoſophi orationem moleſtè quidem tulit Ioannis pater: cæterùm cum retinere minimè poterat, ne alioquì malam pro eo atque filium erudierat, mercedem ipſi pendere videretur. Itaque ampliſſimo viatico inſtructum, in pace dimiſit. Ille autem ad Lauram, quæ in ſancti Sabæ ſolitudine ſita eſt, profectus, illicque ad extremum vſque diem commoratus, ad ipſammet ſapientiam, hoc eſt, ad Deum migrauit. Simul etiam è viuis exceſſit Ioannis pater. At verò Saracenorum princeps Ioannem accerſens, eum primarij conſiliarij dignitate cornauit. Recuſabat autem ille, vt cuuis cupiditas aliò tenderat. Verùm ita tandem coactus eſt, vt iam repugnare non poſſet. Itaque in maiore, quàm ipſius pater, dignitatis gradu conſtitutus eſt.

Tum autem Leo Iſauricus Romanum imperium gubernabat, qui aduersùs venerandas Imagines, ac rectè de religione ſentientem Eccleſiæ cœtum, erat tanquam leo rapiens & rugiens. Nam & illas belluinæ inſaniæ igne comburebat, & earum adoratores rapiebat ac delebat, tyrannicæque impietatis dentibus miſerum in modum laniabat. Quæ poſtquàm ad Ioannis aures peruenerunt, Eliæ zelum atque cognominis ſui Baptiſtæ reprehendendi libertatẽ imitatur, eum videlicet etiam ante vnctionẽ inuiſibiliter vngente ſpiritu. Ac verbum Dei, velut ſpiritûs gladium incidendi facultate præditum, ad ferinæ illius mentis dogma tanquam caput amputandũ obijcit. Ad orthodoxos itaque, quibus notus erat, pro venerandarum Imaginũ honore libellos epiſtolares mittebat, quibus illud eruditiſſimè demonſtrabat, diuinarum Imaginum adorationem neceſſariam eſſe: ipſoſque hortabatur, vt alijs eadem cõmemorarent, ſuaſque epiſtolas omnibus oſtenderent. Atque omni ratione ac ſtudio nouus ille veritatis pugil in id incumbebat, vt epiſtolæ ſuæ velut per orbem quendam è piorum manibus

ad pio-

*Addenda particula negatiua οὐκ, in Græco.

Damaſceni humilitas.

Cap. 10.

Externa philoſophia ad diuinã nos tranſmittit.

Cap. 11.

Leonis Iconomachi furor.

Damaſcenus ſcribit pro Imaginibus.

ad piorũ manus tranſirent, ſicque recta doctrina confirmaretur. Ac Pauli inſtar omnẽ contentionem adhibebat, vt ſi non pedibus, certè per epiſtolas terram vniuerſam veritatis prædicatione in orbem complecteretur. Quod vbi ab Imperatore Leone compertum eſt, accerſitis nonnullis, qui eadem cum ipſo de religione ſentiebãt (Siquidem indigniſſimè ferebat impietatem ſuam Ioannis epiſtolis traduci, aperteque peruulgari) negotium ipſis dedit, vt impoſita ſibi pietatis larua, omni ſtudio atque conatu id agerent, vt per colloquij ſpeciem epiſtolam quandam Ioannis manu ſcriptam nanciſcerentur.

Rom. 15.

Cap. 12.

Quamobrem vitij propugnatores nullum, vt dici ſolet, funẽ mouere, fraudemque tegere, atque id quod ipſis imperatum fuerat, inueſtigare deſtiterũt, quoad inuentam epiſtolam Imperatori tradidiſſent. Ille autem accitis quibuſdam notarijs ſuis, epiſtolarum Ioannis exemplar ad imitandum ipſis propoſuit, in hoc nimirùm, vt & ſcripturæ notas, & ipſius ſententias ac verba exprimerent. Cùm igitur multos, qui ad eam rem ipſi operam nauarent, inueniſſet, tum denique iuſſit, vt epiſtolam tanquam ex Ioannis perſona ad ipſum impium Imperatorem ſcriptam exararẽt, cuius hæc ſententia eſſet. Salue Imperator. Maieſtati tuæ hoc nomine gratulor, quòd eandem nobiſcum fidem tenes: tuæque imperatoriæ præcellentiæ cultum ac veneratione quam debeo tribuo. Eaque de cauſa illud tibi ſignifico, vrbem hanc noſtram negligẽter omninò cuſtodiri, atque Agarenorum præſidium, quod hîc eſt, exiguum & infirmum eſſe. Quare per Deum te obteſtor, vt huius ciuitatis miſeratione afficiaris: atque ingenti & ſtrenua manu præter omnem expectationem miſſa, quæ aliò ſeſe proficiſci ſimulet, vrbem ſine vllo labore obtinebis. Ad id enim ipſe quoque non mediocrem opem tibi afferam, quandoquidem & vrbs & regio vniuerſa, in mea penè poteſtate eſt. Hac epiſtola conſcripta, ex eadem animi peruerſitate ipſius ille alterã ad Damaſcenorum Saracenorum principem epiſtolam conficit hoc exemplo: Nihil ſanè pace beatius atque amicitia fortunatius eſſe cenſeo. Ac prætereà pacis fœdera ſeruare, laudabile ac Deo gratũ eſt. Proinde nihil antiquius duco, quàm amicitiæ fœdus, quod tecum ſanxi, firmum atque inuiolatum conſeruare: quanquàm ad illud clàm infringendum ac verſutè violandum, à Chriſtiano quodam, qui ſub tua ditione atque imperio eſt, crebris ipſius literis incitor: quibus illud certò confirmat, ſe mihi ad vrbem tuam in meam poteſtatem redigendam ingentem operam allaturum eſſe, ſi ingentem exercitum eò miſero. Vnde etiam vnam ex ipſius ad me miſſis epiſtolis ad te remiſi, vt ijs quæ ad te ſcribo, fidem conciliem, atque intelligas, quàm in tuendis amicitijs veræ ac ſynceræ fidei ſim: ſimul etiam eius, qui ad me hæc ſcribere auſus eſt, improbitatem ac fraudem perſpectam habeas.

Fraus hæretica impij Leonis.

Calumnia in Ioannẽ.

Cap. 13.

Ambas itaque has literas ille vt nomine Leo, ita ſerpentina verſutia præditus, per quendam ex ſuis ad Barbarum miſit. Ille autem his acceptis, Ioannẽ accerſit, ac fraudulentam illam epiſtolam ipſi oſtendit. Qua perlecta, Ioannes literarum quidem formas ſuis ſimiles eſſe confeſſus eſt: ſe autem ea quæ ipſis continerentur, prorſus ignorare, nec vnquàm ſibi huiuſmodi quicquam in mentem veniſſe. Nec verò cùm epiſtolam eam legiſſet, eum fugit, quonam dolo quibuſque inſidijs hæc aduersùm ſe comparata eſſent. Verùm ille Chriſti inimicus princeps ad ea, quæ à Ioanne dicebantur, perinde erat atque aſinus lyram audiens, velut eſt in prouerbio: atque à bonis quidem & cum veritate coniunctis verbis obmutuit, at non ita obticuit, quin iniquum facinus imperaret. Nam nulla mora interpoſita, dextram Ioanni manum amputari iubet. Cumque ille ab eo precibus peteret, vt purgandi ſuî cauſa, atque vt impij Imperatoris in ſe furorem exponeret, breue quoddam temporis ſpatium ſibi concederetur, à Barbaro tamen, vt cui furor mentem omninò ademiſſet, id impetrare non potuit. Itaque dextra ea, quæ ſcriptis ſuis virtutem orthodoxis in Deo fecerat, exciſa eſt: Dextra, inquam, ea exciſa eſt, quæ homines Domini odio percitos refutabat: atque pro atramento, quo cùm Imaginum adorationem literis mandaret, priùs tingi ſolebat, ſuo cruore perfunditur. Deinde exciſa hæc manus à Domino, vt ſic loquar, in foro ſuſpenſa eſt. Cùm autem aduesperâſſet, ac Ioannes tyranni indignationem ſedatam atq; compreſſam eſſe coniјceret, legationem ad eum miſit, ſupplex rogans & obſecrans, atque huiuſmodi verbis vtens: Dolor mihi ingraueſcit, meque intolerandum quendam in modum excruciat: neque acerbitatis aculeo leuari poſſum, quandiù præciſa mihi manus in aëre pendet. Hanc igitur, quæſo, mihi donari iubeas, vt ea humo condita, doloris acrimonia relaxetur. His precibus ſtatim ceſſit tyrannus, redditaque eſt iuſto viro manus.

Dextra manus Ioanni amputatur à tyranno.

Qua

Qua accepta, ille in oratorium, quod domi habebat, ingreditur, pronoque omninò corpore ante diuinam Imaginem, quæ Dei genitricis effigiem gerebat, prouolutus, exciſamque manum priſtinæ ſuæ commiſſuræ admouens, intimo pectore ingemiſcit, ac cum lachrymis exclamans, illam ad miſericordiam propenſiſſimam hunc in modum obſecrare cœpit? Domina & caſtiſſima mater, quæ Deum meum peperiſti: diuinarum Imaginum cauſa dextra mihi manus amputata eſt. neque enim te fugit, quid Leonem in furorem coniecerit. Quare quamcelerrimè accurre, ac manui meæ medicinam adhibe. Dextera excelſi, quæ ex te incarnata eſt, per tuam interceſſionem virtutes multas efficit. Tuo itaque rogatu meam quoque dexteram obſecro ſanet: vt tuas, quemadmodùm conceſſeris, filijque ex te incarnati laudes modulato concentu, ô Dei genitrix, literis conſignet, atque orthodoxo cultui adiumento ſit. Potes enim quicquid lubet, vt Dei mater. Hæc Ioannes cum lachrymis dicens, obdormiuit: atque in ſomnis ſanctæ Dei genitricis Imaginem videt placidis & lætis oculis ipſum intuentem, ac dicentem: Eccè ſanitati reſtituta eſt manus. Iam ergo ſine vlla cunctatione, quemadmodùm nunc pollicitus es, eam ſcribæ velociter ſcribentis calamum effice. Experrectus igitur ille qui ſanatus fuerat, cùm exciſam manum contemplaretur, eamque ſanatam conſpexiſſet, ſpiritu exultauit in Deo ſalutari ſuo atque ipſius matre, quoniam fecit ipſi magna qui potens eſt: pedibusque ſtans, manus in altum extulit, carmenque quod tempori maximè cōueniret cecinit, totaque nocte vnà cum vniuerſa familia lætabatur, ad grati animi ſignificationem, canticum nouum Deo cantans, ac dicens: Dextera tua, Domine, magnificata eſt in fortitudine, dextera tua manum meam amputatam ſanauit, ac per eam hoſtes, qui venerandam tuā ac genitricis tuæ Imaginem honore minimè proſequuntur, conſcindet: atque in multitudine gloriæ tuæ aduerſarios, Imaginum infractores, per manum meā confringet. Erat itaque illi nox ea dies, & non nox: ac lumen, & non tenebræ (Libet enim hoc loco Prophetæ vocem cum aliqua immutatione vſurpare) Erat illic vox epulantium, & ſonus exultationis in iuſti viri tabernaculo.

Cap. 14. *Inuocat matrē Dei Damaſcenus.* *S. Maria reſtituit ei manum.* *Exod. 15.* *Zach. 14.*

Hæc porrò non occultè ac ſilentio peragebantur: verùm admirādus ille ſonus atq; concinna illa iubilatio ad vicinos, & eos, qui in orbem habitabant, ſeſe diffundebat. Ex quo factum eſt, vt confeſtim quidam ex Chriſti inimicis Saracenis principem ſuū adirent, Ioanni dextram minimè abſciſſam eſſe affirmātes, verùm alij cuipiam, ſeruo puta, aut alioquì ipſi miniſtranti, qui beneuolentia erga eum ductus, ſeipſum domini loco huic ſupplicio expoſuiſſet: eos autem, quibus huiuſmodi exectio imperata fuiſſet, pecunia corruptos pœnam in alium tranſtuliſſe. En enim, inquiebat, Ioannes domi deſidēs canit ac perinde oblectatur, ac ſi nuptiale feſtum celebraret, epithalamiumq; aliquem cantū ederet. Immò & eiuſmodi lætitiam ipſius exultatio ſuperat. Hoc nuncio allato, ſtatim Ioannes accerſitur, ac cùm veniſſet, exectam dextram oſtendere iubetur. Qua demonſtrata, certo Dei matris conſilio ac prouidentia, linea quædam in ea elucebat, veriſſimam exciſionem eſſe oſtendens. Tum igitur ex eo Barbarus quæſiuit, quiſnam medicus ipſum in ſanitatē aſſeruiſſet, ac quænam medicamēta impoſuiſſet. Ille autē clara & ingenti voce miraculū prædicat: Dominus meus, inquit, omnipotens medicus, cuius vis ac potentia orationem pari pede comitatur, in ſanitatē me vindicauit. Ad hæc Barbarus: Quantum coniectura aſſequor, ô homo, id quod paſſus es, inſons paſſus es: ac velim illud nobis ignoſcas, quòd præcipiti atque inconſiderata ſententia ſupplicium tibi intulimus. Tu verò priſtinum munus adminiſtrabis, principemque inter cōſiliarios noſtros locū obtinebis. Neque enim poſthac niſi de tuo conſilio ac ſententia quicquam facturi ſumus. Ille autem humi proſtratus adorauit, pronusq; iacens eum perdiù rogauit, vt id ſibi remitteret, aliamque viam multò iucundiorem & optabiliorem ingredi permitteret, eiusque qui ait, Ego ſum via, veſtigijs hærere. At Barbarus hanc ei poteſtatem minimè faciebat: eratq; cernere tanquam gladiatores quoſdam, Barbarum & virum iuſtum inter ſe pugnantes. Ille enim multis mundi vinculis Ioannem coërcere contendebat: hic contra magnam vim ac ſummū ſtudium adhibebat, vt ea perrumperet, atq; angelicis pēnis in ſublime volaret. Ingensq; tum ſtadium apertum erat, certaminis arbitro Chriſto præſidente, ſpectatoribusque angelis. Quin illud quoq; fortaſſe, nec id immeritò, dixerit quiſpiam, quòd improbi ſpiritus à ſiniſtro latere animum Barbaro addebant, atque ad illiciendum Ioannis animum eum acuebant.

Cap. 15. *Nota miraculum.* *Reſtituitur ei à Barbaro priſtina dignitas.* *Ioan. 14.*

At verò luculento tandem cum præconio vincit gladiator meus, omnesq; aduerſarij

Cap. 16.

ſarij illecebras tanquam paruulorum ſagittas ducit, victorque diſcedit, illuſtri vitta caput redimitus: domumque læto atque hilari vultu ingreditur, qui priùs mœſtus ac triſtis exceſſerat. Cumque duę ipſi Dominicæ ſententiæ propoſitæ eſſent, altera quæ hoc ſtatueret, vt facultates ſuas venderet, ac pauperibus diſtribueret: altera, vt domos & agros aliaque omnia Domini cauſa relinqueret, ita ſe comparauit, vt nec in priori temporis aliquid ſibi terendum putaret, ne fortaſſe ea res ipſi morā afferret: nec item in ſecūda, ne ſi facultates ſuas temerè relinqueret, inter eos qui ſanguine ipſi coniuncti erant, lites atque conflictationes orirentur, alijs nimirùm aliud quoddā hæreditatis capeſſendę ius proferentibus. Verùm inter vtrunq; graditur, atq; cōfeſtim bonis ſuis in pauperes, captiuos ſeruos ſuos, quos etiam libertate donauerat, & cognatos diſtributis, atque diuinis templis cōſecratis, quēadmodùm ex matris ſuæ vtero nudus exiuerat, ſic etiam, neceſſarijs indumentis exceptis, nudus è mundo exceſſit. Ac Hieroſolymam profectus, cùm in his venerandis locis adorationis munere, vt par erat, perfunctus fuiſſet, tanquam ceruus diuina ſiti flagrans, in ſolitudinem contendit, atque ad diuini viri Sabæ Lauram ſe confert, comitem ac ſocium non itineris duntaxat, ſed inſtituti etiam Coſmam habens, qui eandem cum ipſo educationem ac diſciplinā habuerat. Diceres eos ſacrum quoddam par eſſe, ac ſub Chriſti iugū currere, vt illud ceruicibus ſuis tollerent. Ioannes itaque, de quo nobis oratio inſtituta eſt, diuinum illud monaſterium ingreſſus, ad paſtoris pedes ſe abijcit, maiorem in modū eum obſecrās, vt ſe in ouiū earū, quæ illic verſabantur, numerū adſcriberet, perditū ſeſe appellās, atq; è ſolitarijs mōtibus ad paſtorē Chriſtū cōuerſum. Qua quidē re ouilis pręfectus magnā animo voluptatem cepit, cumq; huiuſce animi inductionis nomine beatū prędicauit.

Matth. 19. Luc. 18.

Diſtribuit & clargitur facultates ſuas.

Fit monachus.

Cap. 17.

Cumque ipſi propter vitæ ſplendorē doctrinæq; præſtātiam faciendū viſum eſſet, vt nouitiū illū vni è magnis ſenibus traderet, cuius ductu ac magiſterio per Dei viā ſine vllo errore incederet, eum quem inter monachos omni virtutū genere maximè inſignem exiſtimabat, primū accerſit, eique Ioannē cōmittere conatur. Ille autem id recuſauit, regendo tanto viro, tantaq; eruditionis gloria prædito imparem ſe eſſe affirmans. Hoc igitur ſene prætermiſſo, antiſtes alterū ad ſe vocat. Qui cùm etiā ijſdē, quibus prior, verbis vteretur, tertius poſteà introducitur, ac poſt hunc alij itē haud pauci: cœperuntq; omnes ad vnū Ioānis inſtituēdi curā deprecari, atq; à ſe reijcere. Poſt multos autē ſenex alius admittitur, moribus quidē ſimplex, at doctrina minimè parua. Qui cùm prompto animo promptū Ioannē ſuſcepiſſet, in cellā ſuā vnà cum eo abſcedit: ac præclarū iſtud fundamentū primò ipſi ſubijcit, nempe, Ne quid ſuo arbitratu faceret: Vt Deo ſudores atq; acerrimas preces & labores tanquam ſacrificiū quoddā offerret: Vt lachrymas ex oculis emitteret, ſiquidem repurgandæ priſtinæ vitæ cupiditate teneretur. Nam hoc apud Deū ſacrificiū purum cenſeri, atq; omne aliud thymiamatis genus precio antecellere. Atq; hoc quidem primum in his rebus, quæ corporis opera perficiuntur. Quantum autem ad animū attinebat, hanc legem ei indixit, ne quā mundanam ſpeciem depingeret: Ne rerū minimè cōuenientium formas in ea effingeret, verùm mentē ab omni inani tumore integram conſeruaret: Ne rurſum doctrinæ amplitudine gloriaretur, atq; in his quæ perceperat, totū ſe percepiſſe arbitraretur: Ne viſionum aliquarū atq; abſconditarū reuelationū deſiderio flagraret: Ne in animū vnquàm induceret ſibijpſi confidere, aut in ea opinione verſari, vt ſe eruditionem omni errore ac lapſûs periculo vacuam tenere exiſtimaret, quoaduſq; ex corporis vinculis eximeretur: verùm cogitationes ſuas timidas, atque animaduerſiones ſuas lubricas eſſe agnoſceret: idque contenderet, vt mentem ſuam minimè ſpargi ac diſſipari ſineret, verùm eam ſumma cura ac diligentia colligeret, vt hac ratione tum ipſius mens à Deo illuminaretur, tum anima purgaretur, tum corpus ab omni labe purificaretur, ac deniq; corpus vnà cum anima menti adiungeretur, triplexque iſta res ob cōiunctionem cum ſimpliciſſima Trinitate, ſimplex efficeretur, redderetur que homo nō iam carnalis, nec animalis, ſed omni ex parte ſpiritualis, tranſlatis nimirùm per animi inductionem duobus illis prioribus in tertium ac primarium. Ad hunc igitur modum cùm pater filio, ac magiſter diſcipulo leges præſcripſiſſet, hæc etiam verba ipſi adiunxit: Ne ad quenquam epiſtolam miſeris. Ne quid omninò externæ diſciplinæ loquaris. Silentium prudenter cole. neque enim te fugit, hoc non philoſophorū duntaxat noſtrorum præceptum eſſe. Nam etiam Samius ille Pythagoras diſcipulis ſuis, qui philoſophiæ myſterijs ab ipſo imbuebantur, multorum annorum ſilentium indicebat. Neque exiſtimes bonum eſſe, bona intempeſtiuè proloqui. Ad hoc enim te inducat

Quas leges Damaſceni præceptor in monaſterio ei præſcripſerit.

Sap. 9.

Mentis diſtractio vitanda.

Cultus ſilētij.

ducat Dauid, his verbis vtens: Silui à boniṣ. Quidnam autem hinc ipſi contigerit, ex eo audi: Concaluit, inquit, cor meum intra me, diuini videlicet amoris igne: atque in animi meditatione ignis ille in Prophetæ pectore excitatus eſt. Pſal. 38.

Hæc Ioanni ſex præſcribebat. Qua quidem in re haudquaquàm in aquis ſcribebat: nec ſuper petras, ſed in terram bonam ſeminabat. Diuturno itaque temporis ſpatio Ioannes per omne tentationis & experimẽti genus à ſene inſtituebatur, atq; in omnibus rebus certam obedientiam præ ſe ferebat. Non obluctabatur ille in ijs, quæ ipſi imperabantur. In lingua murmur non erat, nec vlla in corde diſceptatio, internè ea explorans, quæ magiſter præſcriberet. Verùm hoc vnum in media mente, non ſecùs atque in tabulis penitùs exſculptum & inciſum habebat, nempe vt in omni negotio & edicto ſine murmuratione, velut Paulus præcipit, ac diſceptatione quod imperatum eſſet, faceret. Nam alioquì quidnam ad eum, qui boni aliquid, quodcunq; tandem id fuerit, efficit, vtilitatis redire queat, ſi vel in ipſius labijs murmur inſideat, vel improba cogitatio ſerpentis inſtar in pectore deliteſcat? Ecquando vlteriùs proueheturr? Id nimirùm cauſæ eſt, quamobrem multi fruſtrà laborent, nec ad ea, quæ à fronte ſunt, progrediantur. Deinceps autem vt ſenex pugilem ſuum maioribus obedientiæ certaminibus aſſuefaceret, quid comminiſcitur? Permultis ſportis, quas pro opere habebant, in vnum collectis, hoc prætextu vtitur, Ioannem ſic alloquens: Audiui, fili, ſportas Damaſci cariùs, quàm in Palæſtinæ partibus vendi. Multis porrò, vt nôſti, rebus indigemus. His itaque acceptis, illuc quamcelerrimè poteris proficiſcere, neq; vel obolo quidem minoris eas vende, quàm tibi impero. Pretium porrò duplo, quàm par erat, maius ipſi conſtituebat. Huic imperio minimè aduerſatus eſt, nec imperantis ſermonem ſibi diſcutiendum & explorandum putauit ille ad mortem vſq; obediens: verùm obedientia tanquam alis quibuſdam inſtructus, huiuſmodi faſcem in humeros tollit, ac Damaſcum petit. Qua in vrbe qui priùs inſignis & clarus erat, laceris veſtibus indutus, ac ſquallens & ſordidus forum peragrabat, vt ſportas ſuas venderet. Cùm igitur nimiùm eas æſtimaret, riſum ſuî excitabat, omniumque probris atque contumelijs exagitabatur. Vnus autem ex ijs, qui ipſi cùm in vrbe clarus & ornatus eſſet, miniſtrabat, ante ipſum ſtans, ipſiusque faciem in animum inijciens, quiſnam eſſet qui tum ita humilis & abiectus ac pannoſus eſſet, agnouit: pectoreque grauiſſimo dolore fracto, ad eum tanquam ignotum accedit, ſportasque emit, perſoluto eo omni pretio, quod ab illo poſtulatum erat. Quo quidem accepto, generoſus ille vir ad eum, à quo miſſus fuerat, ſe refert, ac victoris cuiuſdam inſtar, humi proſtrato aduerſario, hoc eſt, inanis gloriæ ac ſuperbiæ parente, reuertitur.

Cap. 18. — Damaſceni erga magiſtrum obedientia. — 1. Tim. 2. — Mirè eum exercet magiſter eius.

Enimuerò Ioanni monachus quidam vicinus erat, qui terreſtrem peregrinationẽ cum cæleſti domicilio commutârat, atque ad Deum conceſſerat. Carnalem autem fratrem ille habebat, qui quidem huiuſmodi calamitate profligatus, fraternam mortem impatientiſſimo animo ferebat. Ioannes igitur eum conſolabatur, varijsque ſermonibus vt poterat à mœrore reuocabat. Is autem qui in luctu verſabatur, ab eo petere ac ſummis precibus contendere cœpit, vt leuandi luctûs ac recreandi animi cauſa carmen quoddam ſibi conderet. Cùm autem Ioannes ſenis mãdatum pertimeſceret, nec ipſius petitioni obſequeretur, is qui ab eo id petebat, precibus haudquaquàm abſtinebat, atq; his verbis vtebatur: Quin tu dolentis animæ miſericordia permoueris, exiguumq; pharmacum, quo dolor propulſetur, ipſi adhibes? Si corporeus medicus eſſes, ac me corporis dolor transfixum teneret, nec tu pro viribus tuis medicamẽtum mihi admoueres, atque ego grauiter vexarer, ac fortè etiam morerer, an non huiuſce contemptionis atque incuriæ pœnas Deo penderes? Cùm igitur nunc grauiore morbo laborantem deſpicias, quid afferre potes, quin grauiores pœnas ſis daturus? Quòd ſi ſenis præceptũ extimeſcis, hoc ſcito me rem iſtam ita arcanam habiturũ, vt à nullo exaudiatur. Hac oratione permotus Ioannes, modulatum carmen ob eum qui mortem obierat ipſi conficit, quod etiam ad hunc vſque diem omnium cantu celebratur, nimirùm illud quod incipit, Vanitas omnia humana. Aberat autem tunc temporis à cella Ioannis præceptor: ipſe autem intra cellam prædictum carmen concinnè cantillabat. Senex itaque cùm foris adhuc eſſet, modulatum illum ſonum audit, atque cum ingenti iracundia ad Ioannem ait: Siccine veterum tuarum pollicitationum obliuione captus es, ac pro eo atque in luctu & mœſtitia verſari debebas, diffuſus gaudio ſedes, deliciasque ex cantu captas? Cumque ille ſeni cauſam expoſuiſſet, eiusque à quo ſibi vis illata fuerat, luctum excuſandi ſuî cauſa obtendiſſet, hu-

Cap. 19. — Condit cuidam carmẽ, inſciente magiſtro. — Is verò acriter obiurgatum è cella eijcit.

miq́ue proſtratus veniam poſtularet: ſenex tamen lapidis aut etiam incudis in modum ſtabat, ipſius precibus nullo modo cedens, cumq́ue ſtatim è cella eiecit.

Cap. 20. Admirandus autem ille vir primorum parentum inobedientiam, ob quam è paradiſo exturbati fuerant, in memoriam ſtatim reuocauit, nec quid faceret aut quò ſe verteret habebat: grauioriq́ue luctu, quàm is qui fratrem amiſerat, premebatur, ſecũ videlicet hæc dicens: Ille quidem fratrem amiſit, ego autem per inobedientiam animam meam perdidi. Tandem autem ad alios ſenes, quos reliquis virtute ſuperiores eſſe nôrat, accedit, deprecatoresq́ue ad inflectendum ſenis illius animum adhibet, cumq́ue rogandum & obſecrandum, vt ſe facilem ac placidum Ioanni præberet, ipſiq́ue admiſſam culpam condonaret. Abierunt igitur illi, cumq́ue obſecrârunt. At ille nihilo magis eorum precibus quàm ſtatua mouebatur, nec ingreſſum in cellam diſcipulo concedebat. Cumq́ue quiſpiam ex illis monachis dixiſſet, Licet tibi mandatum aliud ei, qui peccauit, dare, nec eum à tuo contubernio remouere: tum ille qui rogabatur, his verbis vſus eſt: Hoc mandatum Ioanni, ſiquidem inobedientiæ veniam ſibi dari cupit, conſtituo, vt Lauræ ambitum peragret, ac ſuapte manu monaſticarum cellarum ſordes atque excrementa purget. Hæc vt illi audierunt, ex huiuſmodi ſermone pudore ſuffuſi ac triſtes receſſerunt, ſenis illius rigiditatem ac duritiam ad ſtuporem vſque mirantes. Quibus cùm Ioannes occurriſſet, ac pro ſuo more ante eos ſe incuruâſſet, quænam patris de ſe ſententia eſſet ex ipſis ſciſcitabatur. Illi autem tantam ſenis acerbitatem eſſe reſpondebant, vt ea ipſis ſtuporem commoueret, ſeq́ue ne ipſius ſententiam exponerent, pudore quodam prohiberi. Illi autem etiam atque etiam ab his petebat, vt eam aperirent. Cuius precibus commoti, turpem illam repurgationem commemorant. Qua audita, præter omnem eorum expectationem maximoperè delectatus eſt, ſibiq́ue hoc factu facile ac perquàm iucundum eſſe aſſeruit. Confeſtim itaque conquiſitis inſtrumentis ad repurgandas fæces accommodatis, ijsq́ue in manus aſſumptis, ad illius cellam, qui ſeni vicinus erat, accedit, eamq́ue ingreſſus, manus eas, quas priùs multis ſuauibus vnguentis perfuderat, contaminare cœpit, dextramq́ue illam à Deo curatam (ô ſingularem viri humilitatem) cœno ac ſtercore conſpergit. At ſenex comperta Ioannis ingenti obſequendi promptitudine, magnæq́ue illius ac minimè fictæ humilitatis profunditate, vel vt rectiùs loquar, altitudine, accurrens ipſum amplexus eſt, atq; de ipſius collo pendens, manusq́ue & oculos atque humeros exoſculans, ait: O quantum beatæ obedientiæ pugilem in Chriſto genui. Ioannes autem ex ſenis verbis maiori rubore afficiebatur, pronusq́ue cadebat, pauimentumq́ue non ſecùs ac ſi ad Dei pedes ſe abijceret, lachrymis rigabat. Non enim paternis ſermonibus inflabatur, nec ad ſenis encomia intumeſcebat: verùm ampliùs deprimebatur, ipſiusq́ue animus quammaximè conterebatur. Ad hunc enim modum prudentes atque cordati viri, cùm laudibus efferuntur, ſeſe deprimunt ac dolore franguntur, ſicq́ue ad Deum aſſurgunt. Poſt hæc pater filium erigit, arreptaq́ue ipſius manu, in cellam ſuam lætus ingreditur. Diceres profectò ſi Ioannem vidiſſes, eum tunc in paradiſum, qui in Edem ſitus erat, velut poſtliminio reduci, eumq́ue cùm veterem Adamum per inobedientiam priùs expreſſiſſet, nouum Chriſtum rurſum in ſeipſo per ſummam illam obedientiam referre.

Duram ei pro inobedietia mulctam ſenex irrogat.

Eximia humilitas & obedientia eius.

Viri cordati moleſtè ferunt ſeſe laudari.

Cap. 21. Non multum tempus interceſſit, cùm ſeni in ſomnis illa omnium laude celebratiſſima & puriſſima Virgo apparet, aitq́ue ad eum: Ecquid fontem eum obſtruxiſti, qui tam ſuauem, tamq́ue limpidũ ac copioſum & nectareum laticem profundere poteſt? aquam refectionis animarum? aquam ea, quæ nouo atque inuſitato modo in deſerto è petra fluxit, præſtantiorem? aquam, cuius bibendæ deſiderio Dauid affectus eſt? aquam, quam Chriſtus Samaritanæ pollicitus eſt? Fontem fluere ſine. Fluet enim vberrimè, atque vniuerſum terrarum orbem peragrabit, hæreſumq́ue maria operiet, eaq́ue in admirandam dulcedinem conuertet. Sitientes ad aquam ſumma contentione veniant, & qui puræ vitæ argento carent, vitioſis affectionibus ſuis venditis, omnem tum in dogmatibus, tum in operibus ſyncerã puritatem à Ioanne mercẽtur. Hic propheticã citharam ac Dauidicũ illud pſalteriũ accipiet, atq; cantica noua cantabit, cantica Domino Deo: ac Moſis canticũ muſicis ſuis modis & Mariæ tripudium ſuperabit: atq; inutiles Orphei cantus præ ſpirituali ac cæleſti cantu meræ fabulæ eſſe comperientur. Hic Cherubicos hymnos canet atque imitabitur, omnesq; eccleſias, hoc eſt, filias Hieruſalem adoleſcentulas tympaniſtrias efficiet, cãticum nouum, quo

Exod. 17. Num. 20. 2. Reg. 23. Ioan. 4.

Pſal. 39.

Exod. 15.

Pſal. 67.

Chri-

Chriſti mors & reſurrectio annuntietur, Deo cantantes. Hic fidei dogmata rectè tradet, omnisque hæreſis peruerſitatem & obliquitatē infamia ſempiterna notabit. Cor eius bona verba eructabit, regiſq; admiranda opera proloquetur. Manè itaque is, qui hoc arcanū acceperat, Ioannem accerſit, ad eumq; his verbis vtitur: O fili obedientiæ Chriſti, os tuū aperi, vt ſpiritū attrahas. Immò vt rectiùs loquar, quod iam pectore accepiſti, per os eructa. Os enim tuum loquetur ſapientiam, quoniam ingentē prudentiæ meditationem corde percepiſti. Aperi os tuum, non in parabolis, ſed in veris ſermonibus: non in ænigmatis, ſed in dogmatibus. Loquere ad cor Hieruſalem Deum cernentis, hoc eſt, pacatæ ipſius Eccleſiæ, non temerè atque in aërem fluentes ſermones, verùm quos ſpiritus in tuo corde perſcripſit. Aſcende in montem Sina, hoc eſt, viſionum ac reuelationum Dei: ac pro eo, quòd vſque ad ingentis humilitatis abyſſum te deiecisti, nunc viciſſim in Eccleſiæ montem aſcende ac prædica, fauſtum vrbi Hieruſalem nuntium afferens. In fortitudine exalta vocem tuam. Glorioſa enim mihi dē te à Dei genitrice dicta ſunt. Mihi autem illud ignoſcas velim, quòd pro mea ruſticitate tibi impedimento fuerim.

Ab eo itaque tempore Ioannes diuinos cantus auſpicatus, dulciſſima ea carmina cecinit, quæ Eccleſiam lætitia perfuderunt, eamq; locum tabernaculi Dei reddiderūt, in qua purus ſonus lætantium auditur. Nec verò hæc tantùm edidit, verùm etiā Orationes in lætiora feſta emiſit, ac librum ſacrū, atque vt ita loquar, diuinitùs exſculptam tabulam excudit, quæ quidem omnibus tam doctis quàm indoctis nō mediocrē conſolationem affert. Ac prætereà in Theologiæ, aliorumque veræ fidei dogmatū, compendioſæq; rerum earum, quæ vel intellectu vel ſenſibus percipiuntur, contemplationis ac ſcientiæ myſteria Iſagogen velut ianuam quandam edidit. Quam quidem ego cælum appellare minimè dubitem, vtpotè quæ rectis & naturalibus & à ſcriptura petitis, ac cum ſumma doctrina coniunctis argumentis, non ſecùs ac ſideribus eluceat. Et quidem is, qui in hoc cælum oculos minimè conijcit, nec ipſius pulchritudinē pro delicijs habet, eoque lumine quod hinc manat perfruitur, aut cæcus eſt, aut tenebris circunfuſus: miſerumque eum dixerim, qui ad diuinū hunc ſplendorem cæcutit. Ad hæc autem ampliſſimos libros de diuinarum ac venerandarum Imaginum adoratione contexuit. Quò enim diuinæ Imaginis pulchritudinem in ſeipſo iam inde ab initio præſtantiùs impreſſerat, eò quoque ſublimiùs ac ſplēdidiùs de venerandarū Imaginum honore conſcripſit. Ad huiuſmodi porrò labores hortatorem & extimulatorem Coſmam habebat, quem etiam in ſpiritu diuino fratrem habuerat, quique ipſi & literarum & educationis ac religioſæ exercitationis ſocius extitit. Qui etiam ipſe ſpiritualibus condendorum carminum laboribus Ioannem ſcitè & eruditè imitatus eſt, atque concinnos cantus in cithara & voce pſalmi Eccleſiæ cecinit: vt qui corpus ſuum per vitioſarum affectionum oppreſſionem tympani inſtar exhibuiſſet, ſeque totum velut nouum quoddam decachordum pſalterium reddidiſſet, quinque nimirùm corporis ſenſibus, totidemque animi facultatibus ſingulari arte ac ſapientia contentis.

Cap. 22.

Ioānis Damaſceni ſcripta.

Libri eius ampliſſimi pro ſacris Imaginibus.

Enimuerò Coſmas quidem à Hieroſolymitano Patriarcha Maiumæ epiſcopus creatur, non vltrò ac ſpontè, ſed vi adactus atque obtemperans. Qui cùm gregem ſuum præclarè, atque vt Deo gratum erat rexiſſet, in ſenectute bona vita functus, ad patres ſuos abſceſſit, vel potiùs ad Deum exceſſit. Ioannem autem idem eccleſiæ Hieroſolymitanæ gubernator diuinitùs accerſitum, vt in cathedra ſeniorum Deum laudaret, presbyterum ordinauit. At ille ad diuini viri Sabæ Laurā ruſſum reuerſus, ac domunculam tanquam nidulum quendam ſublimè volans aquila ingreſſus, illud *Salomonis præceptum, quod duplici honore presbyteros affici iubet, haudquaquàm in mentem ſuam iniecit: ſed velut hoc dictum commutans, illud ſecum verſabat, presbyteris duplici humilitati ſtudendum eſſe: presbyteros religioſæ vitæ exercitationem duplò quàm priùs maiorem ſibi vendicare: presbyteros duplicia certamina perferre, nō modo aduersùs corporis vitia, ſed etiam aduersùs turbulentos & occultos animi motus: qui quidem monachos, niſi vigilantem animum præbeant, perſæpè fugiunt, ſic nempe, vt internus eorum homo contaminetur, nec tamen id perſentiſcant. Quo quidem in genere ſunt dolus, liuor, falſa de ſe opinio, occulta arrogantia, inanis gloriæ ſtudium in humilitatis habitu, alienarum rerum curioſa perſcrutatio, ad quam plurima linguæ vitia referuntur: animi diſtractio & euagatio, morum vafricies, faſtus ob corporis afflictionem, continentia cum delicijs coniuncta, propriæ voluntatis amplexus, præ-

Cap. 23.

Coſmas initus ſit Maiumæ antiſtes.

Damaſcenus initiatur ſacerdotio.

1. Tim. 5.

poſterus nullius momenti opum amor, amictus à conſtitutis legibus alienus, ex quo quiſpiam hoc contrahit, vt à reliquis fratribus diſſideat, atque occulta ſuperbiæ illecebra oriatur. Hæc Ioannes radicitùs ex animo ſuo euellere contendens, labores laboribus, ac præſertim ſpiritualibus cumulabat: menteque omni ex parte contracta, libros eos, quos priùs elaborauerat, in vnum collectos expendebat, ſumma cura & diligentia tum verba, tum ſententias, tum numeros, tum conſtructionem exornans, expoliens, emendans, atque vbi pulchritudo floſculis redundabat ac modum excedebat, eam per temperantiam ad grauitatem reducens: quò nimirùm ipſius ſermones nec oſtentationis, nec vitij aliquid ſecum traherent. Sanè quiſquis in huiuſmodi ipſius lucubrationes cum iudicio incubuerit, ſpeculationum altitudinem ac dictionis elegantiam cum grauitate coniunctam facilè perſpiciet.

Caſtigat & elimat ſcripta ſua.

Cap. 24. Iam verò ipſius pro pietate zelum quis non ex ipſius monumentis contemplabitur, quonamque pacto ſapientiæ diuitias cunctis diſtribuerit? Ex quo doctrinæ talentum, quod acceperat, non dicam in duplum, ſed in decuplum amplificauit. Numerum enim augere ſuperſedeo, ne euangelicos terminos excedere videar. Neque enim honeſtum eſt, temerè aliquid atque immodicè proloqui. Ipſum autem eò etiam diuinus zelus impulit, vt ſupra leges diuinas pugnans, è Damaſco priùs, ac poſteà è Palæſtina eos, qui diuinas Imagines in vrbe Conſtantinopolitana euertebant, contumelijſque afficiebant, impeteret. Quo quidem nomine ille quoque magnæ vrbis alumnus, qui idem cum primo martyre nomen habebat, ſaxiſque, vt ille pro Chriſto, ſic pro ipſius Imagine obrutus in cælum aſcendit, ſermonum Ioannis dimicationumq; aduersùs impios mentionem facit, diuinum virum ac diuinitùs afflatum eum appellans. Quamuis autem ſacerdotij oleo delibutus non fuerit, tamen niſi veritatem inficiari velis, eum martyrij quoque corona cinctum eſſe perſpicies. Nam ob pietatis zelum calumnia ea pio viro conflata eſt, ex qua ei manus deſecta eſt.

Luc. 19.

Stephanum iuniorẽ intelligit, cuius vitã ponemus 28. Nouemb.

Cap. 25. Cùm igitur ad hunc modũ vixiſſet, atq; ita religioſæ vitæ curriculũ confeciſſet, ac fidem ſeruâſſet, vel vt rectiùs loquar, eam & ſermonibus propugnâſſet, & dogmatibus condecorâſſet, atque ad hoc vſq; tempus per ea, quæ ab ipſo elaborata ſunt, cõfirmet, tueatur atque conſeruet, ad Chriſtum, cuius perpetuus amor eum tenuit, aſcendit: ac nunc non iam in imagine ipſum cernit, nec in effigie adorat, verùm reuelata facie coràm obtuetur, beatæ Trinitatis gloriã perſpiciẽs. Ob hæc nimirùm athletã, monachũ, Eccleſiæ ornamentum, veritatis ducem, certatorẽ, religioſæ vitę cultorem, dogmatum peritum, inſipientes ſapientia inſtruentem, prophanorum inſtitutorem, pro viriũ noſtrarũ modulo à nobis laudari ac prædicari oportebat: non vt hac ratione vel tantillũ gloriæ ipſi compararemus, verùm vt ipſe viciſſim pro nobis in cælis ſit memor, cæleſtiq; illa gloria etiamnum in terra agentes impleamur: illa, inquam, gloria, quã Dauid regis filiæ, hoc eſt, regiæ animæ internè inſidere teſtatur, his verbis vtens: Omnis gloria filiæ regis abintùs. Mihi autem, ô beatiſſime vir, ignoſce, meoque nomine feruentiſſimè ac firmiſſimè Deũ ora & obſecra, quòd præclaram hanc velut collectã, quam alius vt potuit rudiùs aliquantò atque inc[illegible]s fecerat, ego qui eodem tecum nomine appellor, lingua & literis Arabicis conſcriptã nactus, tuî amore ac deſiderio impulſus, quàm accuratiſſimè à me fieri potuit, per tuas viſitationes, aut ſi ita loquẽdum eſt, per tua mandata in hunc ſermonem conuerti. A[illegible]me, adhuc licèt in corpore degam, Trinitatis adoratorẽ materiæ expertem ac ſpiritualem effice, totum à corpore excedentem, totum per contemplationẽ hinc peregrinãtem, totum per diuini amoris ardorem holocauſti inſta[illegible]onſecratũ: vt turbidis animi motibus vacuus è carne excedens fidenti animo tecum Deo meo aſtem: Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Abit è vita Damaſcenus.

Pſal. 44.

Author inuocat Damaſcenum.

DE EODEM EX SVIDA.

IOANNES Damaſcenus, cognomento Manſur, vir fuit eloquentiſſimus, nec vlli eorum, qui ipſius tempeſtate doctrinæ laude clarueruut, ſecundus. Opera ipſius perquàm multa, & in primis erudita, tum in diuinam ſcripturam Parallelorum collectanea, tum Muſici canones, partim Iambico carmine conditi, partim oratione ſoluta. Floruit autem vnà cum eo Coſmas Hieroſolymitanus, vir elegantiſſimo ingenio, Muſicamque ſpirans prorſus concinnam ac modulatam. Certè Muſici canones Ioannis & Coſmæ nullam adhuc comparationem admiſerunt, nec quandiù hic mundus durabit, admittent.

DE S. Flauia Domitilla videat infrà Lector 12. Maij in Geſtis Nerei & Achillei.

EPISTOLA CYRILLI HIEROSOLYMORVM EPISCOPI AD CONSTANTIVM IMPERATOREM *de Crucis ſigno, quod in cælo apparuit. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

IMPERATORI religioſiſſimo, & pietatis amantiſſimo Conſtantio Auguſto, Cyrillus Hieroſolymorum epiſcopus in Domino ſalutem. Hanc primam ex vrbe Hieroſolyma epiſtolam ad te mitto, religioſiſſime Imperator, quam & tibi accipere, & mihi conuenientiſſimum fuit ad te mittere, non aſſentationis alicuius ſermonibus refertam, ſed cæleſtium ſignorum, & diuinæ viſionis nunciam: neque confictas Rhetoricæ dictionis probabilitates cõtinentem, ſed ſanctorum Euangeliorum prædictionem ac veritatem ex ipſarum rerum euentu teſtantem. Alij quidem his, quæ habent, te ſæpiſſimè honorant, & coronas auro ac pellucentibus gemmis compoſitas capiti tuo imponentes, proni te adorant: nos verò non terrenis rebus te coronamus (terrena enim dona terram ipſam finem habent) ſed cæleſtium rerum diuinum opus, quod, te Imperatore, in vrbe Hieroſolyma perfectum fuit, pietati tuæ ſtudioſè nunciamus: non vt nunc, tanquam inſcius, ad Dei notitiam venias, cùm longè anteà hanc acceperis, & pietate præditus, alios eam doceas: ſed vt quæ nôſti, in illis ipſis confirmeris, cumque Imperij paternam hæreditatem acceperis, & à Deo ipſo maioribus ac cæleſtibus coronis honoratus fueris, Deo noſtro omnium Imperatori etiam nunc dignas gratias agas. Maiore autem fiducia Imperium tuum aduersùs hoſtes ipſos afficies ex ijs miraculis, quæ temporibus tuis Deus oſtendit, te ab ipſo diligi cognoſcens. 7. Maij.

Quo quidem tempore Diuinæ pietatis amantiſſimus, & beatæ memoriæ Conſtantinus pater tuus imperabat, ſalutare Crucis ſignum Hieroſolymis inuentum fuit, diuina gratia ei viro, qui pietatis erat ſtudioſus, quique res ad pietatem ſpectantes diligenter exquirebat, occultam anteà ſanctorum locorum notitiam aperiente. Te autem imperante, religioſiſſime Domine, propter tuam in Deum pietatem cęleſtia etiam miracula ſunt edita, ipſius, inquam, Domini, & Saluatoris Ieſu Chriſti vnigeniti filij Dei trophęum, contra mortis victoriam erectum, beata ſcilicet illa Crux, lucis multę ſplendoribus effulgens, Hieroſolymis apparuit. S. Crucis inuentio ſub Conſtantino.

His enim ſanctis diebus ſanctæ Pentecoſtes Nonis Maij circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce conſtabat, ſupra ſanctiſſimum Golgothæ locum, vſque ad ſanctum montem oliuarum extenſa in cælo apparuit, non vni aut duobus hominibus, ſed ab vniuerſa vrbis illius multitudine manifeſtiſſimè viſa: neque, vt aliquis putaret, repentè apparens ſtatim euanuit, ſed pluribus horis ſupra terram ſpectantium oculis viſa eſt, ſplendoris fulgore Solis radios vincens. Niſi enim ſplendorem ſuum his, qui Crucem illam adſpiciebant, Solis ipſius radijs efficaciorem præbuiſſet, Solis ſplendore ſuperata & contecta fuiſſet. Quamobrem vniuerſa Hieroſolymorum multitudo, præ diuinæ illius viſionis terrore ac lætitia, repentè ad ſanctam eccleſiam cucurrit. Itaque ſenes, mulieres, ipſæ etiam puellæ, quæ in thalamis anteà ſeruabantur, & cuiuſuis ætatis homines, tam indigenæ, quàm peregrini, tam Chriſtiani, quàm qui ex diuerſis nationibus illic erant, concordi animo, & tanquam ex vno ore, cuncti Chriſtum Ieſum noſtrum Dominum Dei filium vnigenitum miraculorum effectorem collaudabant, cùm re ipſa & experientia edocti eſſent, Chriſtianorum dogma omni pietate refertum, non probabilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed Spiritûs ſancti demonſtratione ac potentia conſtare: neque ab hominibus ſolùm prædicari, ſed è cælo ipſo diuinis teſtimonijs confirmari. Crux luculenta apparet in cælo.

Nos igitur, qui vrbem Hieroſolymam incolimus, & miraculum valdè magnum noſtris oculis vidimus atque compræhendimus, Deo ipſi vniuerſorum regi, & vnigenito Dei filio, vt decebat, gratias egimus atque agemus, quem adoramus & adorabimus, aſſiduaſque pro religioſo Imperio tuo in ijs ſanctis locis preces ad illum ipſum mittimus, ac mittemus. Decuit autem huiuſmodi viſiones cæleſtes non ſilentio præterire, ſed pietati tuæ, recenti adhuc eius rei memoria, ſignificare, vt ad fidei, quæ in te ineſt, bona fundamenta, earum rerum, quæ nuper oſtenſæ ſunt, cognitionem ad-

iungens, firmiorem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fiduciam aſſumas, ſimulq́; omni fortitudine conſueta vndique roboratus, vt Deum ipſum adiutorem habens, Crucis trophæum ſalutare, & omni gloria ſublimius præferas, ſignum, inquam, illud, cuius figuram cælum ipſum hominibus oſtendens, maximè glorioſum eſſe docuit.

Miraculum quidem ipſum, Imperator religioſiſſime, Prophetarum teſtimonijs, & ſanctis Chriſti vocibus in Euangelijs ipſis prædictum, iure ac ritè & nunc oſtenſum eſt, & iterùm maiore quodam modo oſtendetur. Cùm enim in Euangelio, quod à beato Matthæo ſcriptum eſt, futurarum rerum notitiam Saluator ipſe beatis Apoſtolis ſuis, ac per illos ijs, qui poſteà futuri erant, clariſſimè impertiret, hæc prædixit: Tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo: Hunc diuinum Euangelij librum conſueto more in manum ſumens, quæ de hac ipſa re teſtimonia illic ſunt, ſcripta inuenies. Quibus maximè te hortor, vt crebrò mentem adhibeas, eò quòd reliqua eodem ordine contenta, & à Saluatore noſtro prænunciata, multam pietatem atque obſeruantiam requirant, vt ab aduerſarijs dæmonum potentijs damno aliquo non afficiamur.

Matth. 24. Crux in die iudicij videbitur in cælo.

Has, Imperator pietatis ſtudioſiſſime, noſtrorum ſermonum primitias tibi affero, has primas voces ex vrbe Hieroſolyma ad te pronuncio, qui nobiſcum vnà veriſſimè, & omni cum pietate Chriſtum vnigenitum Dei filium, & Saluatorem noſtrum colis, qui, vt diuinis literis ſcriptum eſt, ex vrbe Hieroſolyma orbi terrarum ſalutem dedit: quique mortem ipſam in hac regione conculcauit, & proprio certoque loco hominum peccata multo ſuo ſanguine deleuit & ijs omnibus, qui fidem ipſius acceperunt, vitam, immortalitatem, & cęleſtem ac diuinam gratiam elargitus eſt: cuius potentia & gratia te ſeruari cupimus, illuſtrioribus ac maioribus pietatis operibus decoratum, & legitimo filio auctum, quem etiam ipſum Cæſarem lætus videas. Vtrique autem ipſe omnium rex & Dominus Deus, omnis benignitatis largitor, multos annorum circuitus, eoſque pacatos concedat, & in Chriſtianorum gloriam te vniuerſo terrarum orbi proſperis rebus vtentem ac valentem, omnique virtute ornatum conſeruet, conſuetam in ſanctas Dei eccleſias, & Romanorum Imperium humanitatem exercentem, ac maioribus pietatis diuinæ factis gloriantem: per multos, inquam, annorum ambitus, tranquillos atque pacatos, ipſe vniuerſarum rerum Dominus Deus, Auguſte Imperator religioſiſſime, te cum tota familia tua nobis incolumem ſeruet.

VITA IOHANNIS HAGVSTALDENSIS ECCLESIAE PRIMVM, DEINDE EBORACENSIS EPIſcopi, *per venerabilem Bedam presbyterum ſcripta, Eccleſiaſt. Hiſtoriæ Anglorum lib. 5. cap. 2. &c.*

7. Maij.

S. Ioannes fit Epiſcopus Haguſtaldenſis.

PRINCIPIO regni Alfridi, qui poſt fratrem ſuũ Ecfridum genti Nordanhimbrorum præfuit, defuncto Eata epiſcopo, Iohannes vir ſanctus Haguſtaldenſis eccleſiæ præſulatum ſuſcepit, de quo plura virtutum miracula, qui eum familiariter nouerunt, dicere ſolent, & maximè vir reuerendiſſimus ac veraciſſimus Berechtun, diaconus quondam eius, nunc autem Abbas monaſterij, quod vocatur Inderauuda, id eſt, In ſylua Deirorum: ex quibus aliqua memoriæ tradere commodum duximus.

Eſt manſio quædam ſecretior, nemore raro & vallo circundata, non longè ab Haguſtaldenſis eccleſiæ diœceſi, id eſt, vnius fermè milliarij & dimidij ſpatio, interfluente Thino amne ſeparata, habens cœmeterium ſancti Michaëlis Archangeli, in qua vir Dei ſæpiùs, vbi opportunitas arridebat temporis, & maximè in Quadrageſima, manere cum paucis, atque orationibus ac lectioni quietiùs operam dare conſueuerat. Cumque tempore quodam, incipiente Quadrageſima, ibidem manſurus adueniret, iuſſit ſuos quærere pauperem aliquem, maiore infirmitate vel inopia grauatum, quem ſecum habere illis diebus ad faciendum eleemoſynam poſſent. Sic enim ſemper facere ſolebat. Erat autem in villa non longè poſita quidam adoleſcens mutus, epiſcopo notus, (nam ſæpiùs ante illum percipiendæ eleemoſynæ gratia venire conſueuerat) qui ne vnum quidem ſermonem vnquàm profari poterat. Sed & ſcabiem tantam ac furfures habebat in capite, vt nil vnquàm capillorum ei in ſuperiori parte

In Quadrageſima petit locũ ſecretum.

capitis

capitis naſci valeret: tantùm in circuitu horridi crines ſtare videbantur. Hunc ergo adduci præcepit epiſcopus, & ei in conſeptis eiuſdem manſionis paruum tugurium fieri, in quo manens, quotidianam ab eo ſtipem acciperet. Cumque vna Quadrageſimæ eſſet impleta ſeptimana, ſequenti Dominica iuſſit ad ſe intrare pauperem. Ingreſſo linguam proferre ex ore, ac ſibi oſtendere iuſſit: & appræhendens eum, ſignum ſanctæ Crucis linguæ eius impreſſit, quam ſignatam reuocare in os, & loqui illum præcepit: Dicito, inquiens, aliquod verbum: dicito, Gege: quod eſt, lingua Anglorum, verbum affirmandi & conſentiendi, id eſt, Etiam. Dixit ille ſtatim ſoluto vinculo linguę, quod iuſſerat. Addidit epiſcopus nomina literarum. Dicito, A: dixit ille, A. Dicito, B: dixit ille, B. Cumque ſingula literarum nomina dicente epiſcopo reſponderet, addidit & ſyllabas & verba illi dicenda proponere. Et cùm omnibus conſequenter reſponderet, præcepit eum ſententias longiores dicere, & fecit. Neque vltrà ceſſauit tota die illa & nocte ſequente, quantùm vigilare potuit, vt ferunt, qui præſentes fuerunt, loqui aliquid, & arcana ſuæ cogitationis ac voluntatis, quod nunquàm anteà potuit, alijs oſtendere: in ſimilitudinem illius diù claudi, qui curatus ab Apoſtolis Petro & Iohanne, exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Dominum, gaudens nimirùm vti officio pedum, quo tanto tempore erat deſtitutus. Cuius ſanitati congaudens epiſcopus, præcepit medico etiam ſanandæ ſcabredini capitis eius curam adhibere. Fecit vt iuſſerat: & iuuante benedictione ac precibus Antiſtitis, nata eſt cum ſanitate cutis, venuſta ſpecies capillorum. Factusque eſt iuuenis limpidus vultu, & loquela promptus, capillis pulcherrimè criſpis, qui antè fuerat deformis, pauper & mutus. Sicque de percepta lætatus ſoſpitate, offerente ei etiam epiſcopo, vt in ſua familia manendi locum acciperet, maluit domum reuerti.

Ad ſignũ S. Crucis linguę impreſſum, mutus loquitur.

Actor. 3.

Etiam alia miracula fiunt.

Narrauit idem Berechtus & aliud de præfato antiſtite miraculum: quia cùm reuerendiſſimus vir Vuilfridus poſt longum exilium in epiſcopatũ eſſet Haguſtaldenſis eccleſiæ receptus, & idem Iohannes, defuncto Boſa viro multæ ſanctitatis & humilitatis, epiſcopus pro eo Eboraci ſubſtitutus, venerat ipſe tempore quodam ad monaſterium virginum, in loco qui vocatur Vetadun, cui tunc Hereburg Abbatiſſa præfuit. Vbi cùm veniſſemus, inquit, & magno vniuerſorum gaudio ſuſcepti eſſemus, indicauit nobis Abbatiſſa, quia quædam de numero virginum, quæ erat filia ipſius carnalis, grauiſſimo languore teneretur, quòd phlebotomata erat nuper in brachio, & cùm adhuc eſſet in ſtudio, tacta erat infirmitate repentini doloris: quo mox increſcente, grauatum eſt magis brachium illud vulneratum, ac verſum in tumorem, adeò vt vix duabus manibus circumplecti poſſet. Itaque cùm iacens in lecto, præ nimietate doloris iam moritura videretur, rogauit epiſcopũ Abbatiſſa, vt intraret ad eam, ac benedicere illam dignaretur: quia crederet eam ad benedictionem vel tactum illius mox meliùs habituram. Interrogans autem ille, quando phlebotomata eſſet puella: & vt cognouit quia in luna quarta, dixit: Multùm inſipienter & indoctè feciſtis in luna quarta phlebotomando: Memini beatæ memoriæ Theodorum archiepiſcopum dicere, quia periculoſa ſit ſatis illius temporis phlebotomia, quãdo & lumen lunæ, & rheuma Oceani in cremento eſt. Et quid ego poſſum puellæ, ſi moritura eſt, facere? At illa inſtantiùs obſecrans pro filia, quam oppidò diligebat, (nam & Abbatiſſam eam pro ſe facere diſpoſuerat) tãdem obtinuit, vt ad languentem intraret. Intrauit ergo, me ſecum aſſumpto, ad virginem, quæ iacebat multo (vt dixi) dolore conſtricta, & brachio intantùm groſſeſcente, vt nihil prorſus in cubito flexionis haberet. Et adſtans dixit orationem ſuper illam, ac benedicens, egreſſus eſt. Cumque poſt hæc hora competente conſederemus ad menſam, adueniens quidam clamauit, me ducens foras, & ait: Poſtulat Coënburg (hoc enim erat nomen virginis) vt ocyùs regrediaris ad eam. Quod dum facerem, reperi illam ingrediens vultu hilariorem, & velut ſoſpiti ſimilem. Et dum aſſiderem illi, dixit: Vis petamus bibere? & ego: Volo, inquam, & multùm delector, ſi potes. Cumq; oblato poculo biberemus ambo, cœpit mihi dicere, quòd ex quo epiſcopus, oratione pro me & benedictione completa egreſſus eſt, ſtatim meliùs habere incipio: Etſi necdum vires priſtinas recepi, dolor tamen omnis & de brachio, vbi ardentior inerat, & de toto meo corpore, velut ipſo epiſcopo foras eum exportãte, funditùs ablatus eſt: tametſi tumor adhuc brachij manere videtur. Abeuntibus autem nobis inde, continuò fugatum dolorem, fuga quoque tumoris horrendi, ſanitaſque ſequuta eſt: & erepta morti ac doloribus virgo, laudes Domino Saluatori vnà cum cæteris, qui ibi erant, ſeruis illius referebat.

Ex cap. 3.

Efficacia benedictionis ſancti viri.

Aliud

Ex cap. 4. Aliud quoq; non multùm huic diſſimile miraculum de præfato Antiſtite narrauit, idem Abbas, dicens: Villa erat Comitis cuiuſdam, quæ vocabatur Huch, non longè à monaſterio, id eſt, duûm fermè milliarium ſpatio ſeparata, cuius coniunx quadraginta fermè diebus erat acerbiſſimo languore detenta, ita vt tribus ſeptimanis non poſſet de cubiculo, in quo iacebat, foras efferri. Contigit autem eo tempore virum Dei illò ad dedicandam eccleſiam ab eodem Comite vocari. Cumque dedicata eſſet eccleſia, rogauit Comes eum ad prandendum domum ſuam ingredi, ſed renuit epiſcopus, dicens ſe ad monaſterium, quod proximum erat, reuerti debere. At ille obnixiùs precibus inſtans, vouit etiam ſe eleemoſynas pauperibus daturum, dummodò ille dignaretur ea die domum ſuam ingrediens, ieiunium ſoluere. Rogaui & ego vnà cum illo, promittens etiam me eleemoſynas in alimoniam inopum dare, dum ille domum Comitis pranſurus, ac benedictionem daturus intraret. Cumque hoc tardè ac difficulter impetraremus, intrauimus ad reficiendum. Miſerat autem epiſcopus mulieri, quæ infirma iacebat, de aqua benedicta, quam in dedicationem eccleſiæ cõſecrauerat, per vnum de his, qui mecum venerant, fratribus, præcipiens vt guſtandam illi daret, & vbicunq; maximum ei dolorem ineſſe didiciſſet, de ipſa eam aqua lauaret. Quod vt factum eſt, ſurrexit ſtatim mulier ſana, & non ſolùm ſe infirmitate longa carere, ſed & perditas dudum vires recepiſſe ſentiens, obtulit poculum epiſcopo ac nobis: cœptumque miniſterium nobis omnibus propinandi vſque ad prandium completum non omiſit, imitata ſocrum beati Petri, quæ cùm fuiſſet ardoribus fatigata, ad tactum manûs Dominicæ ſurrexit, & ſanitate ſimul ac virtute recepta miniſtrabat.

Vſus dedicationis eccleſiarũ antiquiſſimus.

Nota vim aquæ benedictæ.

Luc. 4.

Ex cap. 5. Alio item tempore vocatus ad dedicandã eccleſiam Comitis, vocabulo Addi, cùm poſtulatum compleſſet miniſterium, rogatus eſt ab eodem Comite intrare ad vnũ de pueris eius, qui acerrima ægritudine premebatur, ita vt deficiente penitùs omnium membrorum officio, iamiamque moriturus eſſe videretur. Cui etiam loculus iam tunc erat præparatus, in quo defunctus condi deberet. Addidit autem vir etiam lachrymas precibus, diligenter obſecrãs, vt intraret oraturus pro illo, quia multùm neceſſaria ſibi eſſet vita ipſius: Crederet verò, quia ſi ei manum imponeret, atq; eum benedicere voluiſſet, ſtatim meliùs haberet. Intrauit ergo illò epiſcopus, & vidit eum mœſtis omnibus iam morti proximum, poſitumque loculum iuxta eum, in quo ſepeliendus poni deberet. Dixitque orationem ac benedixit eum: & egrediens, dixit ſolitum conſolantibus ſermonem: Benè conualeſcas, & citò. Cumq; ſederent poſt hęc ad menſam, miſit puer ad dominum ſuum, rogans ſibi poculum vini mittere, quia ſitiret. Gauiſus eſt ille multùm, quòd bibere poſſet, & miſit ei calicem vini benedictum ab epiſcopo: quem vt bibit, ſurrexit continuò, & veterno infirmitatis diſcuſſo, induit ſe ipſe veſtimentis ſuis, & egreſſus inde, intrauit & ſalutauit epiſcopum & conuiuas, dicens quòd ipſe quoque delectaretur manducare & bibere cum eis. Itaque iuſſerunt eum ſedere ſecum ad epulas, multùm gaudentes de ſoſpitate illius. Reſidebat, veſcebatur, bibebat, lætabatur, quaſi vnus de conuiuis agebat: & multis poſt hæc annis viuens, in eadem, quam acceperat, ſalute permanſit. Hoc autem miraculum memoratus Abbas non ſe præſente factum, ſed ab his, qui præſentes fuerunt, ſibi perhibet eſſe relatum.

Sanatur moribundus puer ad orationem & benedictionẽ epiſcopi.

Ex cap. 6. Neque hoc ſilentio prætereundum, quod famulus Chriſti Herebaldus in ſeipſo ab eo factum ſolet narrare miraculum: qui tunc quidem in clero illius conuerſatus, nunc in monaſterio, quod eſt iuxta oſtium * Tini fluminis, Abbatis iure præeſt. Vitam, inquit, illius quantum hominibus æſtimare fas eſt, quam præſens optimè cognoui, per omnia epiſcopo dignam eſſe comperi. Sed & cuius meriti apud internum iudicem habitus ſit, & in multis alijs, & in meipſo maximè expertus ſum, quippe quem ab ipſo (vt ita dicam) mortis limite reuocans, ad viam vitæ ſua oratione ac benedictione reduxit. Nam cùm primæuo adoleſcentiæ tempore in clero illius degerem, legendi quidem canendique ſtudijs traditus, ſed non adhuc animum perfectè à iuuenilibus cohibens illecebris, contigit die quadam nos iter agentes cum illo, deueniſſe in viam planam & amplam, atque curſui equorum aptam. Cœperúntque iuuenes, qui cum ipſo erant, maximè laici, poſtulare epiſcopum, vt curſu maiore equos ſuos inuicèm probare liceret. At ille primò negauit, ocioſum eſſe dicens, quod deſiderabant. Sed ad vltimum multorũ vnanima intentione deuictus: Facite, inquit, ſi vultis: ita tamen vt Herebaldus ab illo ſe certamine abſtineat. Porrò ipſe diligentiùs obſecrans, vt mihi certandi cum illis copia daretur, (fidebam nanq; equo, quem mihi ipſe optimũ donauerat) nequaquàm impetrare potui. At cùm ſæpiùs huc atq; illuc, ſpectante epiſcopo, concitatis

* Thini

in curſum equis, reuerterentur, & ipſe laſciuo ſuperatus animo, non me potui cohibere,ſed, prohibente licèt illo, ludentibus me miſcui, & ſimul curſu equi contendere cœpi. Quod dum agerem,audiui illum poſt tergum mihi cum gemitu dicentem: O quàm magnum væ facis mihi ſic equitando. Et ego audiens, nihilominùs cœptis inſtiti vetitis. Nec mora,dum feruens equus quoddam itineris concauum valentiore impetu tranſiliret,lapſus decidi, & mox velut emoriens, ſenſum penitùs motumque omnem perdidi.Erat nanque in loco illo lapis terræ ęqualis,obtectus cęſpite tenui,neq; vllus aliter in tota illa campi planitie lapis inueniri poterat. Caſuque euenit, vel potiùs diuina prouiſione,ad puniendam inobedientiæ meæ culpam,vt hunc capite ac manu, quam capiti ruens ſuppoſueram, tangerem, atque fracto pollice, capitis quoque iunctura ſolueretur,& ego,vt dixi,ſimilimus mortuo fierem. Et quia moueri nō poteram, tetenderunt ibidem papilionem,in quo iacerem. Erat autem hora diei circitèr ſeptima,à qua ad veſperam vſq; quietus & quaſi mortuus permanens, tunc paululùm reuiuiſco,ferorque domum à ſocijs,ac tacitus tota nocte perduro. Vomebam autem ſanguinem,eo quòd & intranea eſſent ruendo conuulſa. At epiſcopus grauiſſimè de caſu & interitu meo dolebat,eô quòd me ſpeciali diligeret affectu. Nec voluit nocte illa iuxta morem cum clericis ſuis manere,verùm ſolus in oratione perſiſtens, noctem ducebat peruigilem, pro mea (vt reor) ſoſpitate ſupernam pietatem ſupplicans. Et manè primo ingreſſus ad me,& dicta ſuper me oratione, vocauit me nomine meo,& quaſi de graui ſomno excitatum interrogauit,ſi nôſſem quis eſſet,qui loqueretur ad me. At ego aperiens oculos,aio, Etiam: Tu es antiſtes meus amatus. Potes, inquit, viuere? Et ego,Poſſum,inquam,per orationes veſtras,ſi voluerit Dominus. Qui imponens capiti meo manum cum verbis benedictionis,redit ad orandum. Et poſt puſillum me reuiſens, inuenit ſedentem,& iam loqui valentem. Cœpitque me interrogare, diuino (vt mox patuit) admonitus inſtinctu, an me eſſe baptizatum abſque ſcrupulo nôſſem. Cui ego abſque vlla me hoc dubietate ſcire reſpondi, quòd ſalutari fonte in remiſſionem peccatorum eſſem ablutus,& nomen preſbyteri,à quo me baptizatum noueram, dixi. At ille: Si ab hoc,inquit,ſacerdote baptizatus es,non es rectè baptizatus: Noui nanque eum,& quia cùm eſſet preſbyter ordinatus, nullatenùs, propter ingenij tarditatem,potuit catechizandi vel baptizandi miniſterium diſcere. Propter quod & ipſe illum ab huius præſumptione miniſterij, quod regulariter implere nequibat, omninò ceſſare præcepi. Quibus dictis,eadem hora me catechizare ipſe curauit. Factumque eſt,vt exufflante illo in faciem meam,confeſtim me meliùs habere ſentirem. Vocauit autem medicum,& diſſolutam mei cranei iuncturam componere atque alligare iuſſit: tantumq; mox accepta eius benedictione conualui, vt in craſtinum aſſcēdens equum, cum ipſo iter in alium locum facerem. Nec multò pòſt plenè curatus, vitali etiam vnda perfuſus ſum. Manſit autem in epiſcopatu annis trigintatribus, & ſic cælestia regna conſcendens,ſepultus eſt in porticu S. Petri in monaſterio ſuo,quod dicitur, In ſylua Deirorum,anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo vigeſimoprimo. Nam cùm præ maiori ſenectute minùs epiſcopatui adminiſtrando ſufficeret, ordinato in epiſcopatum Eboracenſis eccleſiæ Vuilfrido preſbytero ſuo, ſeceſſit ad monaſterium præfatum,ibique vitam Deo digna conuerſatione compleuit.

Pœna non obtemperantis monitis ſancti Epiſcopi.

Vide antiquas baptiſmi cęremonias.

MARTYRIVM S. ACACII CENTVRIONIS, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

CVM tertiò bonorum omnium hoſtis, & omni ex parte improbiſſimus draco diabolus, aduersùs Dei ſeruos turbinem commouiſſet ſub Maximino Diocletiani genero, & ipſius ſatanæ filio ac propugnatore, ſtatim impia eius edicta per omnes regiones miſſa ſunt. Edictis autem illis id præcipiebatur, vt in omni vrbe, ſi quis eſſet, qui nollet deorum culturam obire, ſine remiſſione aliqua omnibus ſupplicijs ac tormentis ſubijceretur. Edicta verò ipſa omni terrore & regalibus minis ac periculis referta erant.Ad hęc & exercitûs ducibus præceptum fuit, vt ſi quis è militibus imperatoris edicto,quod ad deorum vel ad dæmonum potius culturam pertineret,non obediret, ille vinculis adſtrictus, tribunalibus ad ſupplicia perferenda traderetur.

8. Maij. vel 7.

Crudelia edicta.

Tempore

Tempore illo ſancti Acacij martyris facta effloruerunt, qui re ipſa nomen ſuum comprobauit, cùm nihil omninò malorum dæmonum particeps fuerit, neque quicquam egerit, quod cum malitioſi diaboli machinis conueniret. Hic vir ſanctiſſimus fuit genere Cappadox, & conditione quidẽ miles, at propoſito & voluntate, Chriſti athleta: itaque & genus, & ordinis dignitatem exornauit. Eius factum hoc modo ſe habuit: Cùm Firmus quidam militaris ordinis eſſet Tribunus eorum, qui Romanorum lingua Martij, Græcè verò Ἄρειοι dicebantur, & ſub eo Tribuno centurio eſſet Acacius, Firmus ipſe ſingulos milites ad ſe accerſitos tentabat, vt quem animum quiſque haberet, experiri ac ſcire poſſet. Cumque multos partim aſſentationibus, partim minis ad idolorum ſuperſtitionem atque interitum allexiſſet, poſteaquàm Tribuni tentatio ad Acacium peruenit, tunc beatus ille clara voce: Chriſtianus, inquit, ego natus fui: itaque Chriſtianus & ſum, & ero, Domino meo Ieſu Chriſto hoc approbante: nam & ex parentibus, & ex maioribus Chriſtianis natus ſum. Hoc cùm ille dixiſſet, & Firmus tertiò eum tentaret, ac modò grauibus minis, modò promiſſis ingentibus promptam animi alacritatem & eius conſtantiam debilitare, & illum ad ſe trahere conaretur, ita conſtans & immobilis in Chriſti confeſſione beatus ille perſtitit, vt deinceps Firmus coactus fuerit, prout edicto regio iubebatur, virum ſanctum Acacium vinculis adſtrictum, ad Bibianum quendam mittere, qui totius exercitûs imperium adminiſtrabat.

Acacius Cappadox, centurio.

Conſtantia eius.

Cùm igitur hic pro tribunali ſederet, & eos interrogaturus eſſet, qui Dei confeſſionem profitebantur, Antoninus ſcriba ad Bibianum hæc detulit: Pridiè huius diei, Bibiane Præſes, Firmus eorum, qui Martij dicuntur, tribunatum gerens, Acacium Centurionem vinctum miſit ad poteſtatem tuam, quippe qui dominorum noſtrorum & inuictorum Auguſtorum edicto parére noluerit, eò quòd Chriſtianorum religionem ſequatur. Diligenter quoque cauſam ipſius ad te ſcripſit. Bibianus tunc dixit: Recitentur, quæ ad me ſcripta ſunt ab optimo viro Firmo Tribuno. Recitata autem ſunt, quæ ſcripta erant in hanc ſententiam. Flaccus Firmus Bibiano Duci ſalutem: Acacium Centurionem ſub me Tribuno militantem, multumque à nobis partim illecebris, partim promiſſis, partim etiam minis prouocatum, vt à Chriſtianorum ſecta diſcederet, cùm ſe Chriſtianum eſſe aſſeueraret, & in ea confeſſione conſtanter permaneret, ego inuictorum ac triumphantium Imperatorum noſtrorum iuſſis obediens, illum vinctum ad te miſi, qui tormentis ac ſupplicijs ſubijci debet, vt legibus ipſis obediat.

Siſtitur coram Bibiano Duce.

Hac epiſtola recitata, Bibianus dixit: Adducatur Acacius, quem Tribunus dicit. Adeſt ille, inquit Antoninus Commentariorum præfectus. Acacius verò tunc illic ſtetit ridenti vultu: quæ res futurum eius viri gaudium figurabat. Iudex igitur illi dixit: Quodnam tibi nomen eſt? Reſpondit ille: Optabile & mihi & toti generi meo nomen eſt à Chriſto deriuatum: illud verò, quo humano vſu appellor, Acacius eſt. Ad hæc Iudex: Quare, inquit, Acacius nominatus, vt ipſe dicis, malus nunc es, non obediens edictis Imperatorum? Hoc enim ſignificant, quæ nobis à Firmo Tribuno ſcripta ſunt. Tum Acacius: Captioſis ſermonibus mecum agis, ô Iudex: Verùm ego tibi affirmo ob eam rem iuſtiùs me Acacium nominari, quòd nolim dæmonum iſtorum ſanguinem vorantium malitiæ particeps fieri, neque cum Græcis communicare, qui talibus obtemperant. At Iudex dixit: Vndenam tu es, qui tam temerario ſermone te iactas? Quorſum, inquit Acacius, de patria me interrogas? Cui Iudex: Quoniam rerum vſum habemus, & patriarum mores rectè nouimus, propterea hoc à te quæſiui, vt pro eius patriæ, ex qua tu es, moribus ac dignitate me in hac quæſtione præſtem. Tum Acacius: Genere, inquit, Achiuus ſum, in Cappadocia verò natus: quo loco cùm parentes mei habitarent, ad exercitum veni, vbi & multos ex meis commilitonibus ante me Chriſti martyres fuiſſe accepi: quinetiam vicinos & æquales meos, tales fuiſſe cognoui: quibus & ſignorum gratiam poſt ipſorum mortem à Deo ipſo impartitam vidimus. Illos igitur ſequi malui, quàm eas, quas vos leges dicitis, cùm humanæ illæ ſint, & vnà cum hominibus poſt vitæ huius exceſſum corrumpantur.

Multi milites, martyres.

Ad hæc Iudex: Ne putes mediocres cruciatus tibi parandos eſſe: etenim iſta patria tua nugacitas & mira temeritas hoc expoſtulat. Ne igitur hæc patiaris, abijce omnes iſtas cogitationes, & Imperatorum legibus obtempera, deorum cultui ſeruiens, quorum nutu omnium victores ac rectores Auguſti rerum potiuntur: nos etiam & tribunal hoc noſtrum reuerere, neque putes te omnium eſſe prudentiſſimum, temeritate iſta importuna nunc abutentem, & in homine illo, quem pœnis ſecundùm legem decretis ſubiectum fuiſſe aiunt, ſpes tuas collocantem. Erras, inquit Acacius, ô Iudex, grauiſ-

grauiſſimis ſatanæ fallacijs deceptus: non enim propter eorum deorum, quos tu dicis, cultum Imperio Cæſares Auguſti potiuntur, ſed benigni Dei omnia gubernantis conceſſione hoc efficitur. Quòd autem dicis, in homine condemnato (vt ipſe ais) me ſpem collocâſſe, ſcito Ieſum Dominum noſtrum hominem noſtrî cauſa factum, in mundum hunc veniſſe, vt nobis ſalutem daret: qui cùm idem eſſet verus Deus, mira quadam & immenſa prouidentia humanam ſuſcepit naturam, & eam in ſe habuit. Id verò tu neque cognoſcere, neque audire poteris, niſi priùs teipſum fidei Chriſtianæ accommodaueris. Cùm enim natura, vt dixi, eſſet verus Deus, & Verbum à Patre non diuiſum, ſed cum illo ſemper coæternum, proprijs, quibus ipſe voluit, temporibus noſtræ ſalutis opus perfecit, & à ſatanæ ipſius, qui ab initio nobis inuiderat, condemnatione ac ſeruitute nos liberauit.

S. Acacius conſtanter Iudicis errorem reprehendit.

Ad hæc Iudex dixit: Si Imperatores ipſi contra eum faciunt, cur & illos non punit Chriſtus iſte tuus, qui, vt ipſe dicis, humanam naturam noſtrî cauſa ſuſcepit? Facilè enim Imperatores punire poteſt, ſi eſt Deus verè potens. Ex hoc ipſo, inquit Acacius, eum, ac eius bonitatem & potentiam cognoſcere potes, quòd cùm iniuriæ illi fiant, non ſtatim pœnas vobis refert, ſed diutiùs expectat, vt vos Græcos pœniteat, qui cultum & venerationem Deo congruentem, dæmonibus affertis. Ad hæc & ſeruorum, qui ei grati ſunt, electionem ac progreſſum hoc modo complere vult. Itaque hac prouidentia vtitur. Nam ſi ſtatim vobis pœnam inferre vellet, & vos ipſi in perpetuum perijſſetis, & ipſius ſerui manifeſti non fierent: quinetiam gratiæ ipſius potentia ocioſa permanſiſſet. Quomodò enim Dominus noſter glorioſè laudari poſſet, niſi diuturna in veſtris ſceleribus puniendis patientia vteretur? Nunc verò hæc ita fieri permittit, vt & vos, qui non reſipiſcitis, ſed diuturnam ipſius patientiam reſpuentes, in veſtra ſæuitia perſiſtitis, & ab eo magis magisque deſciſcentes, ad interitum properatis, veſtra culpa condemnemini: & nos, qui eius imperium agnouimus, perpetuò cum illo viuamus. Quinetiam ipſius gloria in illis hominibus manifeſtior fiet, qui ſcelera ſua recognoſcentes, vitam emendauerint.

Cur Chriſtus permiſerit Tyrannos diu impunè ſæuire in Chriſtianos.

Tunc Bibianus: Literas forſan didiciſti, ob idque ſic diſertè reſpondes. Nam per deos ipſos ſermonem rationi conſentaneum habuiſti, vt hominum ſalutem ſub Dei potentia eſſe oſtenderes. Ex hoc ipſo, inquit Acacius, Dei omnium dominatoris potentiam & gratiam agnoſcere potes, quòd cùm non didicerim literas illas, quæ vobis valdè optabiles videntur, niſi tantùm pauca quædam ad diuinarum literarum lectionem neceſſaria, ipſe Deus pro nobis miſerabilibus ſuis ſeruis reſpondet, facitq; vt ab omnibus hominibus, quinetiam vt & à vobis ipſis, qui eruditi eſtis, laudemur. Nam & ab initio cùm diſpenſationis diuinæ opus perficeret, & ſuum ipſius Regnum orbi terrarum prædicandum curaret, non hominibus genere aut diuitijs, orationíſve aut literarum facultate præſtantibus ad Euangelij ſui prædicationem, ſed piſcatoribus & publicanis, ac pauperibus quibuſdam vſus eſt. Hoc autem fecit, vt eius potentia, quæ mentem omnem exuperat, cognoſceretur, ſancto ac diuino Spiritu eius diſcipulos adiuuante.

Iudex fatetur ſapienter reſpondiſſe martyrem.

Poſt hęc Iudex: Omittens ego, quod opportunè mihi faciendum eſt, tecum nugor, qui talia diſſeris. Tu ſcis Imperatorum edicta omni terrore plena vobis propoſita eſſe, vt vos Chriſtiani homines vel ſacrificetis, & deos ipſos colatis, in omnibus rebus vos illis ſubijcientes, atque eo modo honores ab illis reportetis: vel, ſi ſacrificare nolueritis, condemnemini, & ſupplicijs ac pœnis ſubijciamini. Velim igitur dicas, num dijs ipſis ſacrifices, & legibus obtemperes, an te id facturum neges. Reſpondit Acacius: Sæpè & à Firmo interrogatus, Chriſtianum me eſſe confeſſus ſum. Quod ergo dixi, iterùm dico, me Chriſtianum eſſe, & impuris dæmonibus non ſacrificare. Ego, inquit Iudex, etiam nunc ætatem iſtam tuam miſericordia proſequor. Video enim te non ampliùs quàm vigintiquinque annos natum. Quinetiam militarem dignitatem reueritus, nolui te ſtatim tormentis ſubijcere. At ſi diutiùs in iſta tua inſania perſiſtes, coges me ineuitabilibus tormentis te ſubijcere. Ad hæc Acacius: Quod volo facere, non ſtultum, ſed valdè prudens & Deo gratum opus eſt, vt eum, qui me creauit, & ad hunc vſque diem prouidentia ſua proſecutus eſt, non deſeram: illum, inquam, ipſum, qui ſolus eſt verus Deus. Quomodò, inquit Iudex, dixiſti ſolum eſſe verum Deum, cùm dicas Chriſtum Dei filium eſſe? Omninò enim neceſſe eſt, vt ſi Filius eſt, & Patri par ſit: & ita non vnus, ſed duo ſint dij. Cùm igitur & ipſi duos deos dicatis, quare nunc vnum Deum profers? Cogis enim me tecum nugari, cùm iſta tu nunc abſurda & inconcinna dicas.

Aetas Acacij.

Tum Acacius: Ego credo, & in Ieſu, qui ſub Pontio Pilato crucifixus fuit, ſpem

De perſona-rum Trinitate in ſubſtantiæ vnitate.

habeo, futurum, vt mihi per ſanctum eius Spiritum ſermonis facultas ſuggeratur, quę interrogationi tuæ reſpondere, & quæſtionem tuam explicare poſſim. Non vulgaris quæſtio hæc eſt, quare cùm duos nominemus, vnum Deum à nobis coli profiteamur. Dico igitur tibi & Spiritum ſanctum à Patre & Filio eſſe inſeparabilem, ac tres quidem perſonas eſſe in tribus appellationibus, ſed vnam tamen horum nominum potentiam eſſe ac diuinitatem. Vnum autem dicimus Deum, habentem & Verbum, & Spiritum ſanctum. Abſurdiſſimum enim eſſet, Deum ſine Verbo, & ſine vitali Spiritu dicere. Idque exemplo tibi oſtendam, ad hanc ipſam rem explicandam accommodato, quatenùs humanæ facultatis conditio patitur. Quemadmodùm Imperator, qui nunc eſt, quem tu dominum, ego verò hominem dico, & maiori iudicio ſubiectum, & filius eius (quorum qui pater eſt, Maximianus dicitur, filius autem Maxentius appellatur) duo quidem illi ſunt, ſed ipſorum tamen naturæ, humanæ, inquam, conditionis ratio vna eſt, Imperiumque patris & filij vnum & inſeparabile: honoratur enim filius per patrem, & pater per filium: eodem modo & Deus conſideratur: nam cùm diuina Patris, Verbi, & Spiritûs ſancti eſſentia, vna eademque ſit immutabilis, proptereà vnus, & verè Deus eſt, qui à nobis colitur.

Mira ad patiendũ martyris alacritas.

Ad hæc Iudex: Sæpè, inquit, te hortatus ſum, vt ad rem propoſitam redeas, at tu iſtis tuis ſermonibus nullam tibi vtilitatem afferentibus, ſtudes me à propoſito abducere. Fac igitur, quod ipſe dico, & ſacrificium offeras, ac patrios deos agnoſcas, per quos omnia hæc conſtiterunt. Diutiùs enim tibi peperci. Cui Acacius: Ne putes, terroribus iſtis me perculſum iri. En habes corpus meum ad flagella excipienda paratiſſimum: vtere illo, vt libet: mentem verò & animi mei propoſitum neque tu, neque Imperator tuus, neque dæmonum tuorum præſentia vnquàm peruertere, & ad ſcelus compellere poterit. Tunc illi Iudex: Ergo, quando tu ita vis, omninò neceſſe eſt verberibus ac tormentis te ſubijcere, & Imperatoris edictum exequi. Nam fieri non poteſt, vt tali quæſtioni ſubiectus, ſic redeas, iudicium noſtrum illudens. Tunc Præſes furore percitus, & cohortem affatus: Figite, inquit, quatuor vectes, & in illis Acacium alligate, crudiſque neruis ipſius terga & ventrem verberate, vt diſcat talia non nugari, neque putet ſe aliquid ſcire, cùm nihil ſciat. Videamus an ipſius Deus auxilium ei afferat: eiuſque mens ac propoſitum quàm firmum & immutabile ſit, experiamur. Cùm igitur Acacius in illis vectibus alligatus eſſet, & eius terga vndique verberarentur, hanc ſolam vocem ille emittebat: Chriſte, opem feras mihi humili ſeruo tuo. Domine Deus, ne me derelinquas.

Crudeliſſime verberatur.

Cùm verò ſex carnifices viciſſim illum verberarent, & eius ſanguis in terram abundè diffunderetur, totumque corpus vulneribus acerbiſſimis laniatum eſſet, Iudex ipſe cùm miſerabiles illas plagas videret, & martyris mentem ac voluntatem conſtantem atq; immobilem eſſe animaduerteret: Num, inquit, nunc ſacrificabis? Itáne miſer dici, quàm amicus Imperatorum eſſe maluiſti? Ad hæc dixit Acacius: Nequaquàm ego ſacrifico: habeo enim Dominum meum Ieſum Chriſtum opem mihi ferentem: itaque iſtis tuis cruciatibus robuſtiorem ac promptiorem me reddidiſti. Hactenùs enim tormentorum expectatio aliqua ex parte cogitationes meas perturbabat: cùm verò vis illata eſt, & hęc pati cœpi, per Ieſum Chriſtum mihi potentiam ſuggerentem, robuſtiſſimus factus ſum, & ad omnia tormenta ſuſcipienda paratiſſimus, Deo ipſo ſine dubitatione aliqua confiſus. Tum Iudex: Iſta, inquit, dicis, quoniam maiora tormenta tibi non intuli. Sed ego temeritatem iſtam tuam deijciam. Eò enim, quòd hactenùs tibi peperci, audacem, vt dicis, te reddidi. Cui Acacius: Fac celerrimè quicquid vis. Quos enim cruciatus mihi afferre cogitas, illi vtilitatem mihi afferent: & quò maiora tormenta adhibebis, eò maiorem Domini mei gratiam inuitus mihi conciliabis. Hæc, inquit Iudex, loqueris, quoniam corpus tuum nondùm verberibus laceratum eſt. Tum Acacius: Iam dixi, vt faceres, quicquid vis. non enim impuris dæmonibus ſacrifico, neque voluntati tuæ, aut patris tui ſatanæ morem gero. His auditis, Iudex commotus dixit: Plumbeis laminis eius maxillas contundite, ne iſte noſtra diuturna in eum patientia temerario modo abutatur. Poſt hæc Acacius: En factum eſt, quod voluiſti, neque quicquam ampliùs profeciſti: non enim malæ artes tuæ meam in Chriſtum charitatem ſuperabunt. Sacrifica, inquit Iudex, & ab imminentibus reliquis tormentis liber eſto. Reſpondit Acacius: Nunquàm (vt dixi) ſacrificabo: tantùm enim imminentes cruciatus deſpicio, quantùm & antecedentes non curaui, Deo ipſo mihi animos ſuggerente.

Fit ex ipſis pœnis robuſtior.

Maxillæ eius cæduntur.

Ad hæc Iudex: Quomodò, inquit, tu miles atque illiteratus, ita cauſam tuam àgis? Cui

Cui Acacius: Putáſne propria virtute nos hæc reſpondere? Minimè, inquam, nos hæc facimus, ſed locuples & ſanctus Dei Spiritus ſeruis ſuis liberam orationem & patientiam ſuppeditat, illis prouidens, quemadmodùm Saluator ipſe diſcipulos ſuos docuit, cùm ſic dixit: Quando vos tradiderint Principibus propter nomen meum, ne ſoliciti ſitis, quomodò, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid dicatis: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Antoninus ſcriba dixit ſancto Martyri: Et quænam tibi, miſer, vtilitas futura eſt, ſi de talibus rebus admonitus perſuaderi non vis, ac poſteà grauioribus tormentis adductus, Imperatorũ edicto parebis? Abi, & teipſum admoneas, inquit Acacius. nam ſi neque Præſidem ipſum, neque minas illius, neq; cruciatus in me illatos, Dei ope adiutus curaui, putáſne me talem eſſe, qui te audiam? Tum Iudex miniſtris dixit: Acacium impium hominem olim militem, in carcere interiore tribus lignis alligatum cuſtodite, & grauibus catenis eius collum ac totum corpus circundate, ſequentis diei iudicio reſeruandum: neque à ſuæ gentis hominibus illum videri permittite, ne fortè ab ipſis beatus prædicetur, & ad futuras quæſtiones conſtantior inueniatur. Matth. 10.

Ductus igitur fuit beatus Acacius in carcerem, tum pręterita cõfeſſione, quam profeſſus fuerat, tum futuris bonis, quæ à Deo vero accepturus erat, valdè lætus: manſitq; in carcere in vrbe Perintho ſeptem dies. Intereà Bibianus accepit literas à Flaccino, vt Byzantium ſe conferret: iuſſit autem & eos, qui erant in carcere, illum ſequi. Beatus igitur martyr Acacius, & vulnerũ tumore, & corporis labore afflictus, ad hæc & illis multis ferreis catenis grauatus, militumq; in via vrgentium importunitate, & itineris laſſitudine, ac ciborum inopia, denique notorũ hominum, è quibus neminem videre permittebatur, abſentia valdè mœrens, & de vita ipſa deſperans, cùm & alij vincti eum ſequerentur, & carnifices vrgerent, petijt à carnificibus, vt orandi Dei poteſtatem illi facerẽt. Cùm igitur quodam in loco ſtetiſſet, ita Deum precatus eſt: Gloria ſit tibi, Deus, qui pro tua clementia in eos miſericordem te præbes, qui diligunt nomen tuum: gloria, inquam, tibi ſit, qui & me in peccatis viuentem, ad hanc ſortem tuam vocâſti: gloria tibi, Ieſu, qui noſtræ carnis infirmitatem nouiſti, & vt tormenta fortiter ferrem, patientiam mihi præbuiſti. Quoniam igitur vides, mi Domine, multis malis me oppreſſum, ita vt anima ipſa è corpore meo exceſſura videatur, tu ipſe, Domine, mitte Angelum, qui me curet, & ab anguſtijs, quibus opprimor, me ſanet: ac velis mihi hoc concedere, vt quacunq; ratione, modò Iudicis ſentẽtia decretum ſit, martyrium compleam, & apud te ſim. Cùm ita Deum oraret, vox è nube demiſſa eſt: (erat enim aër ipſe nubibus contectus) Eſto, Acaci, robuſtus & fortis. Vox autem illa fuit ita clara, vt carnifices & alij vincti eam audientes admirarentur, ac dicerent: Nunquid & nubes loquuntur? An vnquàm tale quid auditũ eſt, vt nunc ipſi audiuimus? Hæc dicentes, de ea re ambigebant. Multi verò ex ijs, qui vincti ducebãtur, cùm hæc audiſſent, in Dei filiũ crediderunt, & ad martyris pedes ſe abijcientes, eũ rogârunt, vt Chriſtianæ fidei doctrinã ipſis exponeret.

Ducitur in carcerẽ benè lætus.

Abducitur Byzantium.

Diuinitùs cõfirmatur.

Tunc igitur martyr Acacius vnà cum illis iter faciens: Ego, inquit, paulùm temporis miles fui, ſed apud ſacerdotes educatus, quinetiam genus è ſacerdotibus ducens, memini audire ipſos hæc docentes, quemadmodùm Deus ipſe, cùm homini, qui è Paradiſo exciderat, ſalutem dare, & ab inferis eum educere vellet, miſit in hunc mundum coæternum Verbum ſuum. Veniens igitur filius Dei, carnem ſuſcepit ex ſancta virgine Maria, & figura apparens vt homo, Crucem ſuſtinuit, vt Adami, qui Deo non obediuerat, peccatum per Crucis lignum emendaret, & condemnationis remiſſionem ei condonaret, ipſe pro nobis noſter Dominus debitum ſoluens: nam eò quòd in Cruce fixus fuit, chirographum, quod contra nos erat, diſcidit, & peccatum diſſoluit, & propria morte deleuit mortem, & inferos expoliauit, omnemque diaboli poteſtatem confudit atque infirmauit. Cumque totum diaboli exercitum profligâſſet, portasque æreas confregiſſet, ac vectes ferreos contriuiſſet, triduo è mortuis reſurgens, humano generi reſurgendi facultatem præbuit, vt omnes omnibus futuris ſeculis viueremus. Hic enim mundus ad breue tempus manet, & nihil eſt. Hæc omnia cùm illi audiuiſſent, ad Chriſti fidem conuerſi ſunt. Poſtridiè verò noctis tempore eo in loco, in quo erant, viderunt quoſdam ſplendida veſte indutos, & militari habitu ornatos cum Acacio ipſo loquentes. Quidam autem ex his, qui eos viderant, exiſtimabant Acacij commilitones atque amicos eſſe, qui metuentes Imperatorem, noctis tempore Acacium viſerent. Alij verò viſionem aliquam diuinam eam fuiſſe dicebant. Cùm autem poſtera nocte Byzantium veniſſent, & ſimul in vnam domum coniecti eſſent,

Prædicat Chriſtum concaptiuis quibuſdam.

Conuertit eos ad Chriſtum.

rurſus viderunt eoſdem Angelos cum Acacio loquentes, & vulnera, quæ erant in illius corpore, aqua feruenti abluentes, eumque curantes, ita vt omnes, qui & tunc, & ſuperiore nocte illos viderant, dicerent, verè ſanctorum Angelorum viſionem Martyri oblatam fuiſſe.

Poſtridiè verò cùm Martyr in carcerem interiorem coniectus, & Iudicis iuſſu ligno ac ferreis vinculis ligatus fuiſſet, alijque vincti in exteriore carcere ſeruarentur, rurſus multa lumina nocte accenſa apud martyrem ipſum & viros alios viderunt, è vinculis eum ſoluentes atque curantes, alios verò cibum ipſi afferentes: idque cùm ſæpiùs vidiſſent, carceris cuſtodem adduxerunt, vt ipſe quoque proprijs oculis factum videns, de re illa certior fieret. Eam rem cùm cuſtos carceris viſam obſtupuiſſet, multis amicis narrauit. Præſes verò ſeptimo die poſtquàm Byzantium venit, Martyrem ad ſe duci iubens: Vocetur, inquit Acacius: impiæ Galilæorum religionis patronus. Cui Antoninus ſcriba: En præſtò eſt ille, quem quæris. Cùm igitur ante tribunal Martyr conſtitiſſet, eiusque vultum hilarem, velut Angeli alicuius adſpectum, Præſes vidiſſet, obſtupuit: ſperabat enim futurum, vt tum vulneribus corporis, tum vinculorum ærumnis, ac ciborum penuria corpore conſumptum, & de via multa feſſum videret. Cùm igitur aliter ſe habentem vidiſſet, eius pulchritudinem atque hilaritatem ſic admiratus eſt, vt cohorti diceret: An non vobis, milites peſſimi, præcepi, vt hominem iſtum in interiorem carcerem coniectum in ligno ligaretis, ferreisque & grauiſſimis ac multis vinculis eius collum & totum corpus conſtringeretis, ita vt ipſius florens ætas ijs ligaminibus angeretur ac langueſceret, neque ſineretis aliquem ipſum viſere, niſi qui cibum illi afferret? Quomodò igitur ipſum, velut athletam quendam pinguem factum video: quinetiam longè pulchriorem ac venuſtiorem, quàm anteà fuerat?

Byzantij ad iudicis tribunal ſiſtitur.

Iudex ſtupet, neſciēs diuinitùs curatum.

Tum Antoninus ſcriba: Ita quidem factum eſt, vt iuſſiſti: in omnes enim ærumnas illas, quas dixiſti, coniectus, & ex vrbe Perintho hucuſque per totam viam ferreis vinculis adſtrictus fuit. Quòd ſi amplitudini tuæ viſum fuerit vincula ipſa ferrea videre, eaque ponderare, en illa hîc ſunt. Nam vſque ad hoc tribunal homo iſte his ferreis vinculis exutus non fuit. Quære à carceris cuſtode minas adhibens, & vide, an ita illi iuſſum ſit, quemadmodùm tu præcepiſti. Tum Iudex: Veniat, inquit, huc cuſtos carceris. Cùm veniſſet ille, Iudex ita eum interrogauit: Quare, ſceleſtiſſime cuſtos, facere noluiſti, quod iuſſus es, ſed ita nutritum atque inſtauratum iſtum ad nos duxiſti, quaſi bellator quidam futurus nobis eſſet? Ad hæc Acacius: Mea, inquit, pugnandi virtus è cælo à vero illo certaminis Præfecto Ieſu Chriſto ſeruata eſt, qui & robur mihi attulit. Dominus enim meus ita curat ſeruos ſuos ſolo verbo. Tum iudex: Confringite eius dentes, vt non loquatur, niſi cùm interrogatus fuerit. Iterùm autem cuſtodem carceris interrogans: Quidnam, inquit, ſceleſtiſſime reſpondes?

Maxillæ eius conteruntur.

Tum Caſſius cuſtos carceris reſpondit: Per tuam amplitudinem iuro, executum me fuiſſe, quæcunque tu iuſſiſti, & inſuper alia mala his addidiſſe: ſed fuêre alij, qui hunc hominem curauerunt, vt ſciunt omnes, qui vnà cum ipſo vincti erant. Quòd ſi rem aliter ſe habere cognoueris, en caput meum præſtò eſt: poteſtatem habes: quæſo facias quicquid vis. Videbamus enim ſæpiùs quoſdam veſte ſplendida ornatos milites, aliosque vrbanis viris, alios Medis quibuſdam ſimiles eſſe cenſebamus, qui vnà cum ipſo verſabantur, quique eius vulnera curabant, & diligenter abſtergebant, multisque cibarijs propoſitis, vnà cum eo veſcebantur. Hæc omnia homines, qui ex vrbe Perintho vnà cum eo vincti ducti ſunt, tum in via, tum hîc cùm ſæpiùs vidiſſent, mihi retulerunt: ita vt ego, cùm ipſis non crederem, & verum ſcire cuperem, meis oculis videns id cognouerim. At ſi quando repentè, cùm hæc ſpectarem, ingredi ad eum voluiſſem, & ab illis quærere, vndenam illuc ingreſſi eſſent, aut quinam forent illi, quos vnà cum ipſo vidiſſem, ſæpiùs ad eum ingreſſus, neque quenquam illorum, neque quicquam è cibarijs illis videbam, ſed hunc ſolum ligno alligatum, preces ad Deum fundentem, & diuinam gloriam laudantem, interdum verò dormientem.

Tum Iudex: Pecunias, inquit, ab Acacij conſanguineis accepiſti, ob idque iudicium vis eludere. Ac ſtatim furore percitus, plumbeis virgis eius terga pulſari iuſſit. Qui cùm cruciaretur, vociferans dicebat: Quæſo, Iudex, vt ſi res aliter ſe habet, quàm dixi, me interficias. Tum ille: Veneficum igitur hominem hunc eſſe aſſirmes opus eſt. Cui carceris cuſtos: Ego, inquit, quod vidi, dico, neque ſcio, veneficus ne ſit, an non. Hæc cùm beatus Acacius audiret, illorum ſtultitiam irridebat, quanuis fractus eſſet maxillis. Itaque Iudex ipſe rurſus furore accenſus, Acacio dixit: Túne veniſti, vt nos derideres,

Crudelis iudex carceris cuſtodē immerētem punit.

derideres,præſtigijs ac veneficijs tuis confiſus? Ego, inquit Acacius, non rideo, quòd veſtra pernicie gaudeam: immò ſempiternam veſtram condemnationem multùm doleo. Vos autem ipſi veſtram vitam irridetis, qui verum illum Deum cæli & terræ, maris & omniũ, quæ in eis ſunt, effectorem dereliquiſtis, & lapides ipſos adoratis. Tum Iudex ei dixit: Ne putes iſta tua conſtantia me victum iri: non ſinam te viuere, niſi dijs ſacrifices, & inuictorum Imperatorum edictis obedias. Cui Acacius: Si timerem minas tuas, ſtatim tibi obtemperans, feciſſem quod iubes: quoniam verò ſententia mea melior eſt, quàm tua, minas iſtas nihil timeo: fac, quod lubet.

Tunc Iudex furore percitus: Sacrificáſne, inquit, an adhuc pergis inſanire? Reſpondit Acacius: Tu pergis id facere, qui homines, à quibus nihil mali commiſſum eſt, neque aliquid in te peccatum fuit, ſic iniuſtè conſumis. Hæc cùm audiſſet Iudex, iuſſit virgas quernas afferri, & eius terga ac ventrem verberari. Cumque decem homines viciſſim Acacij corpus verberarent, Martyr ipſe tormentis afflictus, ſic clamabat: Chriſte, adiuua humilem ſeruum tuum. Iratus autem Iudex, iuſſit ventrem ampliùs verberari. Cumque decem illi homines hoc feciſſent, & beatus martyr doleret, voce magna dixit: Domine Ieſu Chriſte, adiuua ſeruum tuum Acacium. Hoc cùm ab eo dictum fuiſſet, ſtatim vox de cælo venit, ac dixit: Ne timeas, Acaci, ſed eſto bono animo: decet enim te cum patribus tuis eſſe, & cælo verſantem oblectari, eò quòd nunc nominis mei confeſſionem profitearis. Cùm hæc vox audita eſſet, homines illi qui Martyrem verberabant, torpeſcentes tanquam muti effecti ſunt, neque manus ipſas ampliùs mouere poterant, ita vt Iudex ipſe ambigeret, & furore accenſus, ſanctum illum martyrem Acacium ad maiora iudicia, hoc eſt, ad Flaccinum Proconſulem Thraciæ mitteret, qui & relationem talem ad eum ſcripſit: *S. Acacius virgis quernis flagellatur.*

Admirabili & maximo Iudici Flaccino Proconſuli, Bibianus Imperatorum deuotiſſimus ſalutem: Acacium impiæ Chriſtianorum religionis patronum, à Firmo Martię legionis Tribuno ad me miſſum, neq; volentem ijs parere, quę ab inuictis Imperatoribus noſtris pręcepta ſunt, cùm viginti diebus antè ad me miſſum acceperim, & vehemēter de ipſo inquiſiuerim, nihil ampliùs profeci: propoſiti enim ſui tenax eſt. Quoniã verò poteſtas tua plus timoris afferre poteſt, proptereà hominem hunc cũ actis, quæ de illo à me compoſita ſunt, cùm te præſtantiſſimum virum eſſe ſciam, ad te miſi. Cùm igitur Flaccinus has literas accepiſſet, iuſſit Martyrem in carcere quidem concludi, ſed ſeruari tamen ſine vinculis, & remota cuſtodia illa tam atroci. Vxorem enim Chriſtianam Flaccinus habebat, à qua rogatus, & iureiurãdo clàm adſtrictus fuerat, vt qui propter Chriſti fidem ab ipſo inquirebantur, non diù, neque multùm ab eo cruciarentur. *Literæ Præſidis ad Proconſulem.*

Iuſſit igitur Flaccinus poſt quinque dies Acacium martyrem ad ſe duci, & eius acta recitari, quæ Bibianus confecerat. Quibus recitatis, inquiſitionis, quæ à Bibiano facta fuerat, auſteritatem, & Martyris conſtantiam, ſtabilemque confeſſionem, & miracula per ipſum facta cognouit, Bibianumque accuſauit, quòd non celeriter eum interfecerat, ſed tam exquiſitè aduerſus militarem hominem ſe geſſerat: iuſſitque martyris caput abſcindi ante vrbem Byzantium, ita pronuncians: Acacium Galilæorum adiutorem, & noſtrorum Imperatorum trophæis inſignium deſertorem, qui operam dedit, vt quamprimùm vitæ ſuæ finem talem videret, ſicut quæſtiones de eo factæ docuerunt: hunc, inquam, hominem legibus non obedientem, tribunal noſtrum iubet gladio percuti, & capite priuari. *Sententia mortis fertur in martyrem.*

Poſteà verò, quàm beatus Acacius vocationis ſuæ opus iamiam perficiendum cognouit, Spiritu ſancto ita decernente, clamans ſic ait: Quàm multis linguis te laudare vellem, Chriſte Dux vitæ, & fili Dei, quoniam ita miſericors & benignus es in me peccatis obnoxium, qui & tali ſorte me dignatus fuiſti. Cumque ductus fuiſſet extra vrbem Byzantium in eum locum, vbi martyrium obeundum illi erat, rogauit carnifices, vt pauliſper Dei orandi facultatem ei concederent. Itaque poſitis in terra genibus, has preces ad Deum miſit: Gloria tibi Deus, & immenſæ tuæ magnificentiæ conuenit laudatio, qui ſic glorioſum in nobis peccatorum onere grauatis te oſtendis. Quo enim maiora beneficia nobis largiris, & quo magis iniquitates noſtras remittis, eo abundantiùs benignitatis tuæ gloria relucet. Benedictum ſit nomen gloriæ tuæ, quòd ita faciendum probâſti, vt in Filio tuo vnigenito & Spiritu ſancto hominem ipſum honorares, & nunc me tantis beneficijs indignum propter bonitatem tuam ad talem gloriam inuitâſti, non propter mea opera. Benedico igitur tibi, Domine Deus ſanctus Iſrael, cum vnigenito Filio tuo, & ſancto Spiritu, quoniam tua eſt *Precatio eius ſub mortem.*

gloria, tuus honor, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Hæc cùm dixiſſet, gladio percuſſus fuit, & capite truncatus.

Itaque martyrium perfecit ſanctus Acacius octauo die menſis Maij, Imperatore Maximiano. Eius autem corpus viri pij ac religioſi collegerunt, & omni ſtudio ac diligentia funus ipſius curauerunt eo in loco, qui Staurius appellatur, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui gloria ſit & Imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM S. VICTORIS MAVRI, EX VETVSTO M.S. CODICE DESCRIPTVM, ET *à Maximiano notario conſcriptum, fultumq́; præclaris teſtimonijs antiquiſſimorum Martyrologiorum. Stylus hinc inde per F. Laurentium Surium nonnihil expolitus eſt.*

8. Maij.

REGNANTE impio Maximiano Imperatore, in ciuitate Mediolanenſi ingens fuit perſecutio Chriſtianorum. Erat autem illic quidam miles, natione Maurus, Victor nomine, Imperatori notiſſimus, apud quem delatus eſt à quibuſdam, ita dicentibus: Clementiſſime Imperator, Victor Maurus, Chriſtianus effectus eſt, & blaſphemat deos noſtros, dicens eos dæmones eſſe. Indignatus itaque Imperator, iuſſit eum compræhendi & ad ſe adduci, eique dixit: Ecquid verò tibi deeſſe putâſti Victor, vt Chriſtianus fieres? Victor reſpondit: Non ego nuper Chriſtianus effectus ſum, ſed ab ineunte ætate mea fui. Imperator ait: Ergo, vt aſſeris, manifeſtò Chriſtianus es? Victor reſpondit: Chriſtianus planè ſum, & Chriſtum Ieſum filium Dei viui, de Maria virgine per ſpiritum ſanctum natum, adoro, corde credo, & ore laudare non ceſſabo. Tunc Maximianus ira percitus, iuſſit eum trudi in carcerem, & diligentèr cuſtodiri, dicens ad eum: Tecum ipſe Victor pertracta, quemadmodùm poſſis horrenda lucrifacere tormenta, quæ te atrociter laniabunt, ſi ſacrificare nolueris. Miſſus itaque in carcerem, manſit ibi ſex dies, nihil interim neque edens, neque bibens. Septimo autem die iuſſit Imperator ſibi tribunal apparari in hippodromo circi, ſanctumque Victorem adduci: cui dixit, Ecquid Victor de tua ſalute cogitâſti? S. Victor reſpondit: Salus & virtus mea Chriſtus eſt, cuius Spiritu nutrior, quem in viſceribus meis accepi. Tum Imperator præcepit afferri fuſtes, & in conſpectu ſuo illum extendi & cædi, præcone ſic clamante: Sacrifica dijs, quos Imperator & omnes adorant. Cæſo autem Maximianus: Victor, audi conſilium meum, & accedens cole deos iſtos, quos nemo digniùs te colere poteſt, præſertim cùm canities te exornet. Victor reſpondit: Beatus rex & propheta Dauid Chriſtianos omnes inſtituens, ita dicit: Omnes dij gentium dæmonia. Si ergo ab initio illi dæmones dicuntur, quo pacto ego eos adorabo? Imperator ait: Ego tibi deferam honorem magiſtri militum, dabo aurum & argentum & poſſeſſiones multas, ſi velis ſacrificare dijs. Sanctus Victor reſpondit: Iam dixi tibi, iterumque dico non me ſacrificare dæmonijs: offero autem meipſum Deo ſacrificium laudis: quia ſcriptum eſt: Omnis ſacrificans dæmonijs, & non Deo, eradicabitur.

Victor ſiſtitur coram Imperatore.

Mittitur in carcerem.

Fuſtibus cæditur.

Pſal. 95.

Spernit honores.

Exod. 22.

Anolinus conſiliarius Imperatoris dixit: Oblati ſunt tibi honores à clementiſſimo Imperatore: quare non ſacrificas dijs, quos Imperator adorat? Sanctus Victor reſpondit: Ego præmia à vobis promiſſa non accipio, ſed à Deo quotidie accipio vires & robur. Tunc Imperator iuſſit eum iterùm abduci in carcerem ad portam, quæ dicitur Romana, & illic cuſtodiri. Vbi cùm fuiſſet diebus tribus incluſus, iubente Imperatore eductus eſt, dixitque ei Imperator: Immola dijs noſtris, quos vera commendat diuinitas. Sanctus Victor reſpondit: Ego dijs paganorum non immolo.

Turpe eſt mihi, vt quod in baptiſmatis ſanctificatione percepi, id, à te homine corruptibili, & nulli non calamitati obnoxio coactus, deſeram. Non ſacrifico: tu porrò fac, quod facturus es. certus enim ſum, te fortiorem illum eſſe, qui pugnat pro me. Tunc Imperator & Anolinus iuſſerunt fuſtes apportari, extenſumque martyrem verberari, eique acclamari: Sacrifica dijs, quos Imperator & omnes adorant. Sanctus autem Victor ijs pœnis ſubiectus, dolores non ſenſit, ſicque Dominum precatus eſt:

Iterũ fuſtibus cæditur.

Domine

Domine Ieſu Chriſte, cuius annona quotidiè nutrior, adiuua me in pœnis. Imperator dixit: Victor, conſule ſanguini tuo, & immola dijs, quos alij adorant. Nam per deos, & per ſalutem & ſtatum Reipublicæ, mortalibus omnibus exemplum te ſtatuam. Nec eſt, quòd ſperes, vbi à me punitus fueris, Chriſtianos ſeruum meum martyris loco habituros. Nam eum in locum cadauer tuum proijci iubebo, vbi nunquàm poſſit inueniri. Victor ait: Ego non ſacrifico: tu fac, quod tibi viſum eſt. Non enim ſeruo tuo id facis, ſicut dixiſti, ſed ſeruo Ieſu Chriſti.

Tum ira incenſus Imperator, rurſus eum præcepit conijci in carcerem ad portam Romanam, & pedes eius in cippo colligari. Miſit autem ad eum Anolinus conſiliarius Imperatoris, qui ei dicerent: Homo, conſule ſanguini tuo, & vide ne ampliùs in te concites iram Imperatoris: ſed audi conſilium meum, dijsque ſacrifica, accepturus ab eo honores, quos volueris. nam alioquì multa tibi tormenta parantur. S. Victor ait illis, qui ad ipſum miſſi erant: Ite, dicite Anolino: Ego dijs paganorum non immolo, cùm ſcriptura dicat: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia. Ego Deum viuum & verum adoro, vt non confundar in æternum. Altera die iuſſit eum Imperator produci è cuſtodia, dixitque ei Anolinus: Adeóne induratum eſt cor tuum Victor, vt non obtemperes Imperatoris edicto, & ſacrifices? S. Victor reſpondit: Ego dijs impuris & nullo ſenſu præditis non ſacrifico. Tunc Imperator iuſſit omnia genera tormentorum coram illo adduci, aitque illi: Vides Victor, quæ te tormenta maneant, *quibus* ſubijciendus es, niſi ſacrifices? Sanctus Victor reſpondit: Tormenta, quæ tu mihi minaris, longè tibi maiora parantur à Deo meo in illo iuſti iudicij die. Imperator non ferens ſe palàm ab illo, vt ipſe quidem putabat, contumelia affici, præcepit bullientens adferri plumbum, eoque totum martyris corpus perfundi. Cumque perfunderetur, orauit Dominum, ita dicẽs: Domine Ieſu Chriſte, propter cuius nomen hoc patior, adiuua me & libera me: ſicut liberâſti tres pueros immaculatos de camino ignis, & confudiſti tyrannum: ita & me quoque nũc libera, vt erubeſcat Maximianus cum ſatellitibus ſuis. Mox autẽ adfuit angelus Domini, plumbumque ita refrigerauit, vt eſſet inſtar aquæ è fonte manantis, nec vlla in parte corpus martyris aduſtum eſt. Expandit itaque S. Victor manus ſuas, Dominumque benedicẽs, ait: Benedico te Chriſte Ieſu, quia dignatus es miſereri ſerui tui, & mittere angelum tuum, qui & plumbum refrigerauit, & plagas ab impio Maximiano mihi impoſitas, vnguento miſericordiæ tuæ perunxit.

Rurſus in carcerem abducitur.

Pſal. 96.

Bulliente plũbo perfunditur.

Dan. 3.

Liberatur ab angelo.

At Imperator valdè admirans, iuſſit eum duci ad portam Vercellinam. Milites autem expectantes, quid fieri mandaret Imperator, ſomno ſe dederunt. Exurgens igitur ſanctus Victor aufugit, & abſcondit ſe in ſtabulo ante theatrum. Expergefacti verò milites inſecuti ſunt eum, & cùm inueniſſent mulierculam quandam, ſciſcitabantur ex ea, num vidiſſet hominem canum, ſciſſa veſte. Illa reſpondente, vidiſſe ſe canũ hominem, eumque fulgentem: perquiſiêrunt ſanctum martyrem in via, quæ dicitur ſtabuli: cumque ad theatrum veniſſent, ingreſſi ſtabulum, inuenerunt eum ante ora equorum latitantem. Tum verò iniuria eum afficientes, foras eduxerunt. Vt autem reſciuit Imperator eum fugam inijſſe, ira commotus in milites, iuſſit ab alijs eum duci extra ciuitatem ad hortum, qui Lyſippi appellatur. Ipſe verò inambulans in hippodromo circi, miſit ad eum curſores, qui ei dicerent: Deſperâſti vitam tuam, nec vis ſacrificare? Per deos, ſi non feceris ſacrificium, capitalem ſententiam excipies. Sanctus Victor ei remandauit: Quod facturus es, fac ocyùs. iam enim deſidero adipiſci mercedem meam à Deo meo. tempus enim eſt, ſi tamen illi ſic viſum eſt, qui dedit mihi corpus & ſpiritum. Tunc Imperator præcepit acciri carnifices, ijsque S. Victorem tradidit educendum ad ſyluam, quæ Dunlinus vocabatur, vbi viridarium habebat Imperator, illicque capite truncandum. Cùm autem duceretur, ait ad milites: Dicite Imperatori Maximiano, hoc anno illum abiturum à vita. Ventum eſt deinde ad locum deſtinatum cædi eius, & cùm dixiſſet, Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, quòd me non ſeparâſti à ſanctis tuis, & Nabore ac Felice ciuibus meis, caput ei à carnifice amputatum eſt.

Fuerant hi martyres etiam Afri: idcircò ciues ſuos vocat.

Vetuit autem Imperator, ne quis corpus eius humaret, ſed beſtijs vorandum relinqueretur. Poſt dies ſex miſit Quæſtorem ſuum cum militibus, vt viderent num à feris belluis aut ſerpentibus eſſet deuoratum. Venerunt illi, & corpus eius prorſus intactum & inuiolatum inuenerunt, ſimulque duas beſtias, alteram ad caput, ad pedes alteram, corpus conſeruantes: regreſſique ad Imperatorem, id illi indicârũt. Tum verò

*Maternus

iuſſit ſepeliri. Abiens igitur ſanctus * Marinus epiſcopus, inuenit illas beſtias corpus ſeruantes, non aliter affectum, ac ſi hora eadem fuiſſet truncatum. Vt autem viderunt belluæ Marinum, ceſſerunt loco, & tam diù illic hæſerunt, donec ablutum eſſet corpus, & non longè ab ea ſylua humatum in pace. Per id tempus Anolinus iuſſit compræhendi omnes exceptores palatij, eoſque iurare per deos ſuos, ſi quis eorum haberet chartam aliquam aut ſcripturam, non ſe idipſum celaturum. Cumque ad eum allatæ eſſent chartæ omnes, iuſſit eas coram ſe incendi & cremari. Eam rem probauit etiam Imperator. Ego verò Maximianus notarius, ab infantia Chriſtianus, iuraui quidem per paganiſmum eorum, & tamen noctu ad luminaria ſcripſi in circi hippodromo, prout memoria complecti potui. Illic enim manebam, & adiuraui, ſi quis inueniret, ne homini Chriſtiano negaret. Hæc autem omnia oculis meis inſpexi, Deo teſte & ſancta Trinitate. Paſſus eſt igitur ſanctus Victor in vrbe Mediolanẽſi, 8. Idus Maij, & ſepulturæ mandatus eſt à S. Marino epiſcopo pridiè Idus Maij, ſub Maximiano Imperatore, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto ſine fine, Amen.

Præclarum miraculum.

Author hiſtoriæ huius.

DE EODEM S. VICTORE APPENDIX EX S. GREGORII TVRONENSIS DE GLORIA MAR*tyrum Lib. 1. cap. 45.*

MAgnificatur etiam apud Mediolanenſium vrbem Victor inclytus martyr, quòd ſæpiùs vinctos ab ergaſtulis diſſoluat, captiuoſque liberos abire permittat. Igitur quodam tempore Apollinaris cum Victorio Duce Italiam petijt: quo, vt aiunt, apud vrbem Romam interfecto, Apollinarem incolæ loci quaſi captiuum retinebant, dicentes: Non videbis patriam tuam, ſed dignas, vt ſatelles tuus, pœnas exolues. Hæc autem comminati, miſerunt eum in exiliũ apud vrbem Mediolanenſem. Factum eſt autem, vt adueniente feſtiuitate ſancti Victoris, conuenientibus populis, & hic vigilijs intereſſet, (ſub libera enim cuſtodia abſolutus attendebatur) proſtratusque coram ſancto ſepulcro ſancti, cùm impenſiùs orare cœpiſſet, vt eum virtus martyris ab hoc exilio liberaret, circa medium noctis egreſſus ab æde, audiuit vnum de egenis loquentem ad alium, & dicentem: Quid putas, ô pauper, quæ virtus ſit huius martyris? Verum dico, nec fallor, quia in hac nocte quiſquam captiuus domino per fugam dilabitur, abſolutus in patriam accedit, nec ampliùs vltrà reperietur. Hæc Apollinaris verba, quaſi auſpicium ex Dei nutu miſſum accipiẽs, iterùm atque iterùm pronolutus ad tumulum martyris, orat vt virtute eius adiutus, abſque impedimento poſſit abſcedere. Moxque vocato puero, equum ſterni præcepit, dicens: Hodiè abſoluendi ſumus à vinculo iſto cuſtodiæ. Et aſſcendentes, inter Alpium iuga, * congeriorum completa multitudine, pertranſiêrunt, atque Auernum perlati ſunt, virtute beati martyris præeunte, vt à nullo interrogarentur, quò tenderent, vel vnde venirent: manifeſtumque eſt, eos præſidio beati martyris ab hac ærumna fuiſſe liberatos.

Vigiliæ in eccleſijs in feſtis ſanctorum.

VITA S. VVIRONIS EPISCOPI SCOTIAE, EX QVODAM EGREGIO MS. CODICE DESCRI*pta, ſed in gratiam lectoris mutato ſtylo per F. Laurentium Surium. Vtrùm autem hæc integra ſit hiſtoria, aut potiùs integræ hiſtoriæ epitome, incertum habeo.*

PRAEFATIVNCVLA.

SAnctorum patrum memoriam oratione ſiue ſermone & literarum monumentis celebrare, eoſque ita, vt par eſt, laude & prædicatione efferre, illum proculdubiò laudare eſt, qui in Sanctis ſuis eſt mirabilis. Ille enim ſanctitatis eorum author eſt, in quo & per quem, quicquid ſanctum eſt, ſanctificatur: & ſine quo nihil ſanctum, nihil laude dignum eſſe, certa fide tenendum eſt. Nos itaque vitam & conuerſationem beati Vuironis ſuccinctè exponẽdam ſuſcipimus, pauca è pluribus commemoraturi: nec dubitamus Chriſto, à quo ſanctitas ei collata eſt, rem gratam nos facere. Non enim quicquam derogat principi, qui militis eius res præclarè & fortiter geſtas, poſt victoriam decantat.

Pſal. 67.

VITAE

VITAE HISTORIA.

SCOTIA, fertilis ſanctorum virorum inſula, & ſtellarum numerum propè æquans patrocinijs ſanctorũ, in multorũ ſalutem produxit beatum Vuironẽ, non infimæ ſanè conditionis parentibus ortum. Is poſtquàm ablactatus eſt, literis diſcendis adhibitus, & cæleſtis gratiæ adſpiratione præuentus, ante ætatem animo & moribus planè virilis eſſe cœpit, puerulusque iam maiorum exempla ſibi proponens, longè antè præſignificare videbatur, quis poſteà futurus eſſet. Creuit interim annis, ſed plùs animo, nullis vnquàm cedens illecebris, nec pedem ſemel poſitum in virtutum veſtigijs, inde retrahens, pro nihilo ducens terrena caducaque omnia, porrò ad cæleſtia totis viribus feruenter anhelans. Hæc etſi breuiùs dicantur, quàm pro tantæ ſanctitatis merito, qua floruit adhuc adoleſcentulus, tamen cùm nobis propoſitum ſit breuitati operam dare, prolixiùs hæc proſequi noluimus, maximè quòd & ſermo incultior facilè poſſit faſtidium adferre lectori, & rerum magnitudo omnem ſuperet dicendi facultatẽ. Porrò cum ætate pariter creſcente in dies vitæ ſanctitate, corã Deo vt palma floruit, & vt cedrus Libani in domo Domini multiplicatus eſt, & Deo & hominibus charus & amabilis. Cœpit autem mox in lucem proferre re ipſa & opere, quod puerulus clam mortalibus, Deo, ſecretorũ inſpectori, multa animi ſedulitate impenderat. Itaque nihil de propoſito remiſit, ſed in virtutũ itinere fortiter progrediens, nec frangebatur aduerſis, nec efferebatur proſperis, ſacris non fatigabatur vigilijs, paſcebatur precibus, ieiunijs lætabatur, denique nullo rerũ euentu à virtutum ſtudio retrahebatur. Proponebat ſibi ſanctos Patres, præſertim admiranda virtutum ac meritorum ſublimitate eminẽtes, Patritium, Cuthbertum, Columbam, egregias patriæ columbas, orbis luminaria: eorumque veſtigijs cupiebat inſiſtere, religionemque & ſanctimoniam imitari, idque non lento gradu & ſegniter: immò verò, diuino incitante amore, etiã peregrinandi laborem alacriter eorum exemplo ſuſcipere volebat. Sed hanc eius voluntatem non abſque nutu diuino res quædã incidentes retardârunt. Et ille quidem noctes impendebat precibus & pſalmodijs, dies ieiunus exigebat, ſanctorum ambiebat patrocinia, ſibique è cælis opem implorabat peruigil, ne malignorum hoſtium machinamentis irretiretur, aut à proſequendo animi ſui deſiderio carnis aliquo impedimento diſtineretur.

8. Maij

Patria S. Vuironis.

Pueri mores cani.

Eius virtutes & exercitia.

Non longè pòſt eccleſia regionis illius paſtore orbata fuit. Vno omnes animo Vuironem ſibi paſtorem depoſcunt: idem clerus, idem populus poſtulat: clamant vniuerſi, illum ſolum cognatæ genti è cælo deſtinatum antiſtitem. At vir ſanctus longè alienus ab terreni moxque perituri honoris ambitu, in humilitate fortiter perſiſtens, prorſus reclamat, ait diſcipuli partes ſibi potiùs, quàm doctoris, tribui oportere. Erat verò eius inſulæ conſuetudo, vt primò eligerent incolæ epiſcopũ, deinde electum Romam mitterent, ſummi Pontificis manibus conſecrandum, atq; ita demum rediturum ad ſedem ſuam. Itaque licèt multùm refragaretur S. Vuiro, non tamen à ſua ſententia diſceſſit plebs fidelis, ſed etiam inuitum illum eligens, compulit tandem aſſentiri. At ille hac occaſione nactus opportunitatem è patria emigrandi, piæ peregrinationis amore, vrgentis populi ad tempus ceſſit voluntati, licèt coram Deo longè alia eſſet animi eius intentio, quæ tandem etiam non eſt voto fruſtrata ſuo. Abit igitur Romam, non terrenæ dignitatis ambitione, ſed diù cupitæ peregrinationis deſiderio impulſus. Comes autem illi & itineris & voti accedit Plechelmus ſacerdos, virtute venerabilis, nec ætate maior, nec meritis multo minor. Erat ambobus cor vnum & anima vna in omnibus. Cùm autem per Angliam iter facerẽt, diuinitùs illis adiunctus eſt Otgerus Leuita, qui præ feruenti cæleſtis patriæ deſiderio terrena contemnens, beato viro adhæſit. Tum verò iter optatum ſecuriùs vir ſanctus cum ſocijs proſequens, Chriſto duce proſpero curſu mare emenſus, tandem Romam peruenit: vbi beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina labris tres illi premunt, pauimentum lachrymis rigant, precibus & votis altaria cumulant, in cælum preces tranſmittunt, loca ſancta crebrò inuiſunt. Nec deſpicit Chriſtus gemitus ſeruorum ſuorum: quod quærunt, diuinitùs illis non negatur.

Recuſat epiſcopatum.

Cedit tandem, ſed peregrinationis ſtudio.

Vbi autem Romanus Pontifex eos aduenisse cognouit, beatum Vuironem ad ſe acciuit. Ille verò ſine dilatione cum ſocijs ad Pontificem acceſſit. Intuitus autem illum

Ponti-

Pontifex, ex vultu animũ eius cognouit, moxque in eius ruens amplexus, oſculatus eſt eum non ſine lachrymis. Deinde oblata colloquẽdi opportunitate, Pontifex nomen & patriam animique propoſitum ex illo percontatus eſt. Ille verò oſor falſi, tenaxque veri, primò expoſuit cauſam aduentús ſui, & cur à ſuę regionis hominibus eò miſſus ſit: deinde animi ſui votũ tantæ ſanctitatis Pontifici expromens, eius pedibus aduolutus, quanta poteſt inſtantia petit, vt ſuum velit præbere aſſenſum. At Pontifex nihil motus eius precibus, populo Dei potiùs conſulere voluit & eius electioni ſuffragari. Inuitum igitur diuque reluctantem epiſcopum illum ordinat, eundem honorem etiam impertiens Plechelmo ſancti viri ſocio, amboſque complexus, multis auctos muneribus remiſit in patriam, ſua authoritate præcipiens beato Vuironi, ne ſe vlli peregrinationi daret, donec eſſet reuerſus ad ſuos. Cuius præcepto vir ſanctus obtemperans, repetit Alpium iuga, & traiecto demùm mari, in patriam incolumis magna ſuorum gratulatione peruenit. Claruit inde bonorum operum & optimæ cõuerſationis egregijs exemplis, reſpondebantque eius mores & vita doctrinæ. Et quanuis non ſegniter vitæ ſemina ſpargeret in populos, manebat tamen ſemper illi peregrè proficiſcẽdi deſiderium, hominibus quidem occultum, ſed notum Deo, qui etiam ſua gratia illi præſtò fuit, vt poſſet quandoque voto potiri ſuo. Nam oblata opportunitate, rurſus aſſumẽs Plechelmum coëpiſcopum & Otgerum diaconum valdè religioſum, poſthabitis parentum blãdimentis, delicijs, opibus, neglecta populari gloria, iter ingreſſus eſt, quod diù animo erat meditatus, iam in opus collaturus. Peragratis autem vicinarum regionum finibus, ad mare Gallicum peruenit, ibique nauem offendens, proſpero curſu ſulcans maris furentis vndas, in oppoſitum euaſit litus. In portum autem egrediens, cùm reflexiſſet oculos ad pelagus, gratias egit Deo, quòd tumentes illas procellas citra periculum penetrâſſet, fluctus illos marinos comparans animarum naufragijs, litoris ſoliditatem quietis æternæ tranquilliſſimæ firmitati.

Rom. Pontifex cogit eum cedere electioni.

Deſerit epiſcopatum & abit in Gallias.

Porrò vlteriùs proficiſcens, cùm incertus adhuc eſſet, quò potiſſimùm ſe conferret, licèt diuinum ſibi nihil ambigeret adfuturum auxilium, certus non derelinqui à Deo ſperantes in illum: iam tamen apud ſe planè decreuerat non redire ad patrium ſolum, ſed libenter exilij quoſcunque tolerare labores. Malebat enim inter alienos & exteros pauper & vilis haberi, quàm inter ſuos diues & glorioſus. Venit interim in Franciã, & à Pipino duce Francorũ, cùm is didiciſſet Vuironem & Plechelmũ inſignes viros, in regno Frãciæ peregrinari velle, illorumq; ſanctitate totã patriam illuſtratam, celeriter accitus eſt, & vnà cum ſocijs honorificè ſuſceptus. Cognita inde cauſa aduentûs eorũ, B. Vuironẽ mox inter ſuos habere voluit, quẽ omnes inprimìs colerẽt ac reuererentur: eiusq; ſanctitati ſe ſuosq; cõmendans, ſumma veneratione vt patronũ illũ proſecutus eſt. Locũ etiam à mundi ſtrepitu & turbis remotũ illi attribuit, quò liberiùs cum ſuis illic poſſet rerum cæleſtiũ contemplationi vacare. Is locus vulgò Mons Petri dictus eſt, in quo oratoriũ in honorẽ beatiſſimæ & perpetuæ virginis Mariæ conſtructũ & conſecratum eſt, itemq; S. Petri monaſteriũ præclaro opere, quod vſque in præſens perdurat. In hunc ergo locum, qualem diù concupierat, vir ſanctus ingreſſus, ſe ſuosq; multis imitandos exhibuit. Non oculos voluptati, non aures ludibrijs, non animum leuitati adhibuit: ſed ſemper grauitate quadam & morum honeſtate extitit venerabilis. Chriſtus illi in corde, Chriſtus in ore: nec alium præter Chriſtum diligens, quotidiè in ara cordis ſui illi ſe mactabat, vigilijs, precibus, ieiunijs ſeſe macerans; pauper quidem rebus, ſed meritorũ opibus locuples: fortis aduersùm vitia & peccata, ne illis ſuccumberet: facilis autẽ ad veniã, ſi qui in vitia lapſi eſſent: ſibi parcus, alijs largus & benignus, vbiq; humilitatis & charitatis de ſe præbens exempla. Populo tum doctrina, tum vita præluxit. Et cùm multis eſſet ornatus virtutibus, corpore quidẽ degebat in terris, ſed animo totus verſabatur in cælis. Deniq; ſanctæ crucis munitus clypeo, nihil formidabat rerum labentium varios caſus: hoſtis antiqui nouerat machinamenta conterere, ſubditis & ſocijs optima in ſe viuendi exhibebat exempla, ſaucijs peccati morbis manum medicam adhibebat: damnis aliorum magis, quàm ſuis, dolebat.

Honorificè accipitur à Pipino.

Eius virtutes & ſtudia.

Dux autem Pipinus tantæ eum venerationi habuit, vt tãquam præſuli animæ ſuæ, vitæq; patrono, propter eximiam ſanctitatem, ſua illi peccata confiteri ſolitus ſit, nec erubuerit ad faciendam confeſſionem detractis calceis eum adire, eiusque oris imperio parére. Sæpiùs etiam volebat eum intereſſe communibus conſultationibus maiorum. Erat enim conſilio maturus, nec futilis eloquio: non accipiebat perſonam, ſed veritatem palàm enũciabat. Nunquàm viſus eſt præ indignatione aut liuore corrugâſſe fron-

Pipinus cõfeſſarij loco eum habet, iſque ad cõfeſſionem diſcalceatus.

ſe frontem: nec adulationi vnquàm ſtuduit, ſoli Deo placere deſiderans. His atq; alijs virtutum ornamentis in dies auctus, ad multam peruenit ætatem: nec eum pœnituit vltrò ſuſcepti exilij, ad veram illam patriam cæleſtis Hieruſalem propedièm abiturum, nec laboris exacti piguit quiete fruiturum ſempiterna: frangebatur ſenio, ſed animi virtute conualeſcebat. Aduentabat diù expectatus dies, laborum propinquabat terminus, gaudium inſtabat præmiorum. Tempus, inquam, miſerendi aderat, quo Dominus militem emeritum præmijs afficere decreuerat, & ad ſe euocare in illud palatium felicitatis æternæ, non deinceps iam moriturum vnquàm, ſed mutandum in melius: quia precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Modica igitur febre corripitur & carnis occubitū cum vitæ ſempiternæ ortu commutans, felicē Chriſto reddit ſpiritum, in ſinum Abrahæ angelicis manibus transferendum. Ad exequias autem beati viri non parua religioſorum hominum turba confluxit, dolentium tanto ſe patre deſtitutos. Sacrum verò corpus eius intra oratorium ſupradictum beatiſſimæ matris Dei, à fidelibus cum hymnis & pſalmodijs dignè conditum eſt, odorq; miræ ſuauitatis, hominibus incompertus, qui tum ab adſtantibus hauriebatur, declarauit adeſſe eius ſepulturæ ſpiritus cæleſtes. Celebratur eius ſolennitas octauo Idus Maij. Ad ſepulcrum quoque eius plurima diuinitùs conferuntur beneficia, nec abſq; conſolatione hodieque recedit, quiſquis dignè eius poſcens ſuffragia, veniā ſuis peccatis, & gratiam à Deo implorat, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſecula, Amen.

Pſal. 115.
Mors ſancti viri.

VITA S. STANISLAI EPISCOPI CRACOVIENSIS ET MARTYRIS, ANNO CHRISTI M.CCCC.LXV. CON-

ſcripta ab Ioanne Longini Canonico Cracouienſi: ſed ob nimiam prolixitatem mutato ferè ſtylo redacta in compendium per F. Laur. Surium: ita tamen vt hiſtoriæ integritati nihil detractum ſit. Prologum Authoris vtrunque ſatis longum omiſimus, quibus ſuam ille conatur excuſare imperitiam, tametſi non indoctum fuiſſe opus ipſum declarat: quod ab illo quidem in tres, vt ipſe vocat, Tractatus diſtributum eſt: nos verò vno libello comprehendimus.

STANISLAVS apud Polonos ortus eſt in Cracouienſi territorio pago Sciepanouio, qui à Cracouia abeſt ſeptem milliarijs, ex ſe quidem obſcurus, ſed viri ſancti ortu illuſtris & celebris. Parentes habuit genere nobiles, valdeq; præſtantes & tali prole dignos. Pater Vueliſlaus dictus eſt, vir ex ordine militari & equeſtri, & inter ſuæ familiæ homines facilè primus ac præcipuus: inter alios quoq; Poloniæ proceres virtute & rei militaris gloria eximius. Matri Bognæ nomen fuit, quam non ſolùm generis ſplendor, ſed etiā rara pudicitia, inſignis religio non mediocriter commendaret. Vterque autem hoſpitalitati deditus erat, & pauperum, pupillorum, peregrinorum, inopum propenſis animis curam gerebat. Ambo ieiunijs, vigilijs, alijsq; edomandæ carni accōmodatis exercitijs nauabant operam, & verarum virtutum, quibus excolitur & ornatur animus, ſtudioſi erant. Amplum illis fuit patrimonium, ferax cenſus & plusquàm mediocris ſubſtantia, generi & conditioni reſpondens: ſed alacri liberalitate in pauperes profundebatur. Rara per id tempus apud Polonos templa viſebantur. Itaq; Vueliſlaus in ditione ſua Sciepanouienſi, hortante eum cōiuge ſua, ſacram extruxit ædem, adhibitis illi prouētibus, quibus eius miniſtri affatim ſuſtentarentur: veſtibus quoq; ſacris & vaſis aureis atque argenteis, cæteriſque, quibus res diuina expleri ſolet. Templum autē dicatum fuit beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ, cui illi magna animi deuotione ſingulariter addicti erāt. Ad hanc ædem ſæpè illi diurnis atq; nocturnis horis veniebant, feruenterque in preces incumbebant, nō eo duntaxat tempore, quo diuina illic peragebantur officia, ſed alijs etiā horis, quas illi ſibi præſcripſerant: certabantque inter ſe, vt alter alterum anteuerteret, & precandi diuturnitate ſuperaret. Denique in exequendis Chriſtianæ legis preceptis & inſtitutis tales ſe præbebant, vt eorum vita alijs admirationi foret, quippe quæ non multùm à monaſtica diſcreparet.

Maij 8.
Cap. 1.
S. Stauiſlai patria & parentes.
Parentes eius templū ædificant.
Singularis & rara eorū pietas.

Sed

Cap. 2. Eorum ſterilitas.

Sed cùm multæ eis & opes & copiæ ſuppeterent, vno ſterilitatis incōmodo eæ obſcurari videbantur, quòd nullum earum poſt ſe hæredem relinquerent ex ſe procreatum. Nec tamen ea cauſa vel erga cultum Dei & Sanctorum, vel erga proximorū ſubleuandam inopiam ſegniores fuêre, ſummoperè id expetentes, vt prole beati forent, quam diuinis manciparent miniſterijs. Iam trigeſimum in matrimonio agebant annum, & tum ipſi tum cęteri deſperabant poſſe ex eis naſci prolem, cùm ecce ſentit Bogna concepiſſe ſeſe, cernuntque omnes eius ventrem intumeſcere. Interim tamen illa, vtì antè conſueuerat, reſpuebat vitæ huius illecebras & voluptates, quibus iam olim nuncium remiſerat, & tam victu quàm veſtitu caſtigato ac ſimplici contenta erat. Cumque aliquando poſt luſtratos meridie greges, domum ex propinquo nemore ſe reciperet, apud puteum haud procùl ab ædibus ſuis filium elegantiſſimum abſque vlla obſtetricis opera peperit ſeptimo Calendas Auguſti, lotumque in fonte domum incolumis aſportauit, nihil neque doloris, neque debilitatis vel in partu, vel poſt partū experta. Inde baptizatus puer in æde S. Mariæ Magdalenæ, Staniſlaus vocatus eſt. Stupebant omnes è ſterili & ſeneſcente fœmina præter omnium expectationem editum infantem, nec dubitabant illum in magnum quandoque virum euaſurum, qui Polonis ſuis haud vulgari tum ſolatio, tum ornamento & vtilitati foret. Sciebant enim ita natura comparatum, vt quæ egregia ſunt, diuque duratura, ea tardiùs enaſcantur. Natus eſt autem Staniſlaus regnante apud Polonos Mieciſlao primo, anno regni eius tertio, porrò à Chriſti ortu milleſimo & triceſimo.

Mater fit grauida.

Naſcitur S. Staniſlaus.

Cap. 3.

Pietas eius puerilis.

Poſtquàm autem parentes eius tali ſe filio auctos viderunt, pari conſenſu perpetuam Domino continentiam vouerunt, atque religiosè conſeruârunt. Obſeruatū inde eſt in puero teneriori infantia perfuncto, ſæpè illum molliori relicto ſtrato, nuda humo, aut ſuper paleas cubâſſe: vtroque parente admirante pueri indolem, & ſine monitore conceptam religionem, ad quam rectè conformandam omnes ipſorum curæ & cogitationes conuerſæ eſſent. Vbi primùm licuit per ætatem, literis & diſciplinis liberalibus diſcendis traditus eſt, ad quas diſcendas ingens ille deſiderium, ingeniū docile, tenacemque memoriam attulit. Mores ei erant verecundi, modeſti & ingenui, ab omni laſciuia ludisque, quibus pueri delectari ſolent, abhorrentes. Tanta illi grauitas, modeſtia & pudor in ſermone, vultu & actionibus inerat, tanta ad virtutem propēſio, vt nec iocari nec ridere effuſiùs conſpectus ſit. Atque hinc fiebat, vt multi etiam graues viri in eius amorem & admirationem prouocarentur. Parco & tenui ſanè cibo & ſomno vtebatur: reliquum tempus literis percipiendis impendebatur, & ſi quid ſupereſſet, precibus dabatur. In ea puerili & tenera ætate tam erat erga pauperes miſericors & benignus, vt quicquid bona parentum venia adipiſci poſſet, id illis elargiretur, facilè daturus omnia, ni præceptorum ſeueritate puer modeſtus & pudibundus vetaretur. Vbi adoleſcentiæ metas attigit, vberioris doctrinæ capeſſendæ cauſa miſſus eſt Gneſnam, qua in vrbe tum ſtudia magis florere videbantur. In illo itinere ingreſſus balneas quaſdam nobilium pagi cuiuſdam, peſſimè ab illis mulctatus eſt, cæſus ad nudum corpus fuſtibus, & cum ignominia inde eiectus, quòd dicerent ſuo iniuſſu balneas ingreſſum ipſos iniuria affeciſſe. Ea verbera optimus adoleſcens tulit patientiſſimè, ita vt in vicino agro defixis in ſaxo quodam, quod hodieq; illic oſtenditur, genibus, veniam à Domino illis, à quibus tam inhumaniter verberatus erat, precaretur. Sed Deus id inultum abire paſſus non eſt, eosque nobiles ac poſteros eorum graui in tibia vlcere puniuit: agerque ille, in quo preces Staniſlaus Deo obtulit, multis ſeculis perpetuò ſterilis permanſit, adeò vt inde Popona Gora, id eſt, mons ſacerdotalis vſque in præſens appelletur.

Adhibetur literis.

Grauitas morū eius.

Benignitas in pauperes

Patientia.

Cap. 4.

Venit in Gallias.

Poſtquàm verò etiam adoleſcentiam ea modeſtia & morum ſanctitate & grauitate, omniumque illecebrarum blandimentorumquę corporis contemptione exegit, vt in illa ætate iam ſenum obtineret authoritatem, in ipſo iuuentutis flore ſummo flagrans diſcendi ſtudio, in Gallias proficiſci voluit, quòd multorum ſermone ſcholas illic florentiſſimas didiciſſet. Annuebant eius votis parentes & propinqui, impenſasq; liberaliter conferebant. Venit igitur Lutetiam Pariſiorum, atque illic in ius Pontificium perdiſcendum incredibili ſedulitate incubuit. Deinde ad Theologiæ ſtudia ſe contulit. Mira erat in verbis eius ſuauitas, in factis comitate condita grauitas conſpiciebatur. Multi certè his animaduerſis in dubitationem adducti ſunt, ex media'ne Polonia, an ex Gallijs ortus eſſet: adeò & literis & optimis moribus præclarè inſtitutus erat. Non minùs enim vitæ & morum integritate, quàm doctrina & eruditione delecta-

Coniungit optimos mores cum doctrina.

lectabatur: quæ ſi in vno aliquo pariter coniunctæ ſint, non poſſunt non apud omnes eum facilè celeberrimum efficere. Procùl ille à ſe abigebat carnis voluptates, animum habens virgineum, ſerenum atque tranquillum. Sapientia illi inerat ſupra ætatis menſuram, cui adiunxerat virtutes alias, quas ſibi cumprimis familiares effecerat. Contemnebat auaritiam, mundi vanitates, carnis oblectamenta, inanem & fallacē gloriam. Domabat corporis laſciuiam ieiuniorum frigore, & fœminarum vitabat contubernia, angelicam in carne conſectans puritatem. Quibus ſanè egregijs animi virtutibus id conſecutus eſt, vt permultis bonis & doctis viris non mediocriter charus haberetur. Complures viri graues è ſchola Pariſienſi hortabantur eum, vt vel Pontificij iuris, vel ſacræ Theologiæ doctorem ſe creari pateretur: ſed ille modeſtè recuſabat. Cùm eſſet Pariſijs, inceſſit eum cupido alicuius arctioris monaſticæ complectendæ religionis, contemnendorumque honorum & dignitatum, quas in patria ſibi obuenturas non dubitabat, ſed Dominus maioribus eum certaminibus reſeruans, id non permiſit. Non vult Doctoris titulo ornari.

Septennio Lutetiæ in ſtudijs conſumpto, in Poloniam cum instructa bibliotheca reuerſus eſt, & vtroque parente mortuo cùm ſe locupletem cerneret adire hæreditatem, omnes opes ſuas in pauperes inſigni liberalitate diſtribuit, vt illis abiectis ſarcinis, expeditiùs Domino ſeruiret. necdum enim omnem monaſticæ ſuſcipiendæ vitæ cogitationem depoſuerat: ſed hærebat animo, quam viuendi rationem potiſſimùm ſectaretur, cùm monaſtica quidem videretur tutior & tranquillior, ſed contrà formidaret abſcondere credita ſibi à Domino talenta. Ea tempeſtate Eccleſiæ Cracouienſi præerat Lampertus Zula, qui Aaroni ſucceſſerat, nolenſque de more pallium à Pontifice maximo petere, id effecerat, vt ea ſedes deinceps non Archiepiſcopos ſed Epiſcopos haberet. Is vbì comperit Staniſlaum fluctuare animo de vitæ inſtituto ſuſcipiendo, ad ſe accito perſuadet, vt in Clerum ſe ſinat cooptari, creatque eum Cracouienſis eccleſiæ Canonicum, ac deinde etiam author illi eſt, vt ſacerdotio initietur. Quo in ſtatu omnibus ſui ordinis hominibus optimis exemplis præluxit. Porrò etiam concionandi munus obiens, in diœceſi Cracouienſi plurimos mortalium in Dei amorem incendit, doctrinam ſuam vitæ ſanctitate & morum integritate mirificè ornans & confirmans. Nulla in eo arrogantia, nulla animi indignantis commotio, nullæ improbæ cupiditates viſebantur. Affligebat corpus multa abſtinentia, perpetuò in ſacrorum lectione codicum verſabatur, multus erat in ſanctis meditationibus, prolixis vigilijs, alijſque ſanctis laboribus & exercitijs pietatis. Et cùm eſſet tantus vir, ſemper tamen neſciri appetebat magis, quàm alijs innoteſcere. Volebat Lampertus Epiſcopus iam ſenio confectus eum habere ſucceſſorem, ſed nullo pacto id ei perſuadere potuit. Capiebat ſanè ex eius vita & doctrina maximam voluptatem, quòd videret ſuæ electioni euentus reſpondere, nomenque Staniſlai ob virtutis & eruditionis præſtantiam celebre fieri. Multi enim de tota Polonia tam è Clero, quàm ex laicis ad eum aduentabant, in dubijs eum conſulentes, & ſuis conſcientijs conſulere cupientes. Quos ille comiter & benignè acceptos, inſtitutione ſua recreabat, idque eò facilius, quòd cum prudentia à natura ipſi inſita multam haberet eruditionem coniunctam, tum quoque animum fide excelſum & bonæ ſpei plenum, ingeniumque perhumanum, bonis operibus ſemper addictum, omnis ſimulationis & diſſimulationis expers, ſimplex & apertum. Tandem Zula Epiſcopus grandiori æuo ſe ſentiens prægrauatum, curam omnem adminiſtrandæ diœceſis in eum reiecit: in qua adminiſtratione ſic ille verſatus eſt, vt omnibus admirationi eſſet, quòd ſingulari dexteritate & prudentia per ſe quæuis negotia diſcuteret. Cap. 5. Omnia ſua dat pauperibus. Fit Canonicus Cracouienſis & ſacerdos. Recuſat Epiſcopatum.

Tandem autem Lamperto Zula ex rebus humanis diſcedente anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimoprimo, menſis Nouembris die quinto & viceſimo, omnium ſuffragijs ei ſubſtituendus eſſe viſus eſt Staniſlaus, tametſi ille prolixè rogaret omnes, ne ſe tanto honore indignum eligerent. Inſtabant cuncti, & omnium vota in illum tanquam digniſſimum conferebantur: reſiſtebat ille diebus non paucis, dicebat ſuos humeros impares tanto oneri ferendo: eligendum potiùs alium & animi & corporis dotibus inſtructiorem, cui magiſtratum tam ſublimem, & tam difficili tempore mandarent. Verùm cùm inſtarent & precibus & lachrymis viri ornatiſſimi & inſignes, tandem ille expugnatus ceſſit non abſque metu & tremore, veritus ne diuinę reſiſteret voluntati, quæ per tot ora & ſuffragia ipſi innoteſceret. Confirmatus etiam eſt Cap. 6. Modeſtia ſingularis. Conſentit tandem inuitus in Epiſcopatum.

am eſt ab Alexandro II. Pontifice Maximo, Boleſlao rege, Clero quoque & populo id petente: eiuſdemque Pontificis iuſſu epiſcopus conſecratus eſt.

Cap. 7.

Factus autem Epiſcopus, non ſolùm nihil de humilitate ſuperiori remiſit, ſed vitam omnesque actiones ſuas arctiori cuſtodia & caſtigatione, arctioribus quoque continentiæ vinculis conſtrinxit. Sciebat enim ijs, qui Epiſcopi functionem ſuſciperent, neceſſariò id incumbere, vt vitam viuant Apoſtolicam, & quæ ipſorum quoque monachorum profeſſionem ſuperet: ridiculumque immò & pernicioſum exiſtimabat eorum nolle imitari mores, quorum ſis dignitate ornatus. Induit tunc corpus ſuum cilicio, vſurus eo vſque ad mortem: vt carne afflicta & macerata, ſpiritus fieret robuſtior, & grex ipſi commendatus plus inſtrueretur exemplis quàm verbis. Nihil ſibi præclarius & præſtabilius ducebat, quàm per omnem vitam in Saluatoris inſiſtere veſtigijs. Libenter iuuabat viros bonos conſilio & auxilio, animum à terrenis abſtractum cupiditatibus, ad ſuperna magno ſtudio erigebat. Ad præſtandas eleemoſynas tam erat promptus & profuſus, vt ædes illius egenis & ægris plena videretur. Denique ſic ſe omnibus præditum virtutibus exhibebat, vt omnium perfectionem adeptus cenſeri poſſet. Parochias diœceſis ſuæ non per alios, ſed per ſeipſum quotannìs viſitabat, accuratè in ſacerdotum, miniſtrorum & plebis facta inquirens, vitia & deformatos mores ſedulè corrigens & caſtigans, in eam curam vel maximè intentus, ne ſacerdotio initiati fœminarum contubernijs fœdarentur, ſed vitam viuerent puram & religioſam, quæ alijs exemplo eſſet. Nouerat enim Deum facilè conciliari poſſe peccanti populo, ſi pro peccatis eius ſacrificia offerentium grata illi eſſet vita. Vulgares & plebeios homines aſſiduis exhortationibus bonisque exemplis ad fidem conſeruandam, virtutesque & bonos mores conſectandos incitabat. Magnam ſuis ſermonibus cautionem adhibebat, vt nihil in eis futile, nihil non plenum vel non dignum ſummæ honeſtatis viro appareret. Studebat prodeſſe quamplurimis, tam ſe benignum & humanum erga ſingulos exhibens, vt omnium communis parens videretur. Si quid otij ſupereſſet à publicis priuatisque negotijs, id omne aut in precibus, aut in ſacra lectione conterebatur. In conſulendo, iudicando, decernendo animus illi ab omni ambitione, cupiditate, liuore vacuus & liber erat. Familiaris inprimìs & præcipua ei cura inerat, oppreſſorum, infirmorum & calamitoſorum cauſas tuendas ſuſcipere. Veſtes habebat ſimplices & neglectas, ab omni faſtu & nitore alienas, & quæ apud rudes & ignaros tantummodò contemptum excluderent. Porrò ad beati Syluestri Romani Pontificis morem ſe accommodans, omnium viduarum ſuæ diœceſis habebat conſcripta nomina, ijsque & alijs inopia preſſis pro facultatum ratione liberaliter ſubueniebat: conſtatque illum ſæpè eis ad menſam ſedentibus, excluſa famulorum opera, ſuis manibus cibum & potum appoſuiſſe, nouis veſtibus texiſſe, panem fregiſſe, ollas & pocula abluiſſe, non rarò lauiſſe pedes. Epiſcopatûs ſui prouentus in pauperum & viduarum ſolatia conferebat, ſimul etiam viduarum pudori conſulens, quòd ſciret pleraſq; inopia malle affligi, quàm publicè emendicando ſtipem pudefieri. Denique omnium ſuæ diœceſis hominum ſaluti ſtudioſè inuigilabat, ſemper ſecum commemorans, ampliſſimæ dignitatis & longè lateque patentis diœceſis adminiſtratæ rationem exactiſſimam apud æquiſſimum iudicem ſe quandoque redditurũ. Adeò autem ferebatur mentis contemplatione in Deum, vt curarum ſecularium onere haudquaquàm deprimeretur, à terrenorum omnium contagione liber. Fama virtutum & ſanctitatis eius non ſolùm Poloniã, ſed etiam vicinas regiones gratiſſimo odore complebat, tantusque ei & à proceribus & plebeis habebatur honor, quantus ante illum vix vlli habitus eſt. Ad condonandas iniurias, itemque tolerandas promptiſſimus erat. Inuitatus aliquando fuit à quodam nobili, vt eccleſiã in eius pago conſecraret. Venit eò vir ſanctus, ſed ecce ab eodem viro, ius hoſpitij violare non formidante, per ſummam iniuriã expellitur, quidã eius familiares crudeliter verberantur. At ille tanquam nihil perpeſſus mali, mira alacritate in Puſtiniam vicum ſe recipit, atque illic primas noctis tenebras in fame, alteras in precibus cum ſacerdotibus & familiaribus ſuis in prato vicino exigit, talemque vicẽ iniurijs illis reddit: Domine, inquit, quando non ſinor loco, ad quem euocatus eram, deſtinatam impartiri benedictionem, tu huic, in quo conſiſto, benedicas obſecro. Ab eo tempore vſque in præſens locus ille ſancti prati nomen obtinet. Poſtridiè autem venienti ad eum nobili illi, & culpam ſuam ex animo confitenti, libentiſſimè ignouit, abijtque cum illo, & templum conſecrauit, beneficio

Epiſcopis vt viuendum.

Liberalitas eius.

Cautio in verbis.

Miniſtrat ipſe ad menſam pauperibus.

Patientiſſimè tolerat grauem iniuriam.

neficio maleficia compenſans,ſciens Epiſcopi functionem id repoſcere, vt libēs ignoſcat. Locus verò ille, ad quem ſe recepit vir ſanctus, ab hoc nobili reiectus, multis claruit miraculis ad inuocationem nominis eius. Idem autem noſtra ætate maiori veneratione frequentari cœpit,poſtquàm ibi conditum templum eſt, Sbignei Cardinalis & Epiſcopi Cracouienſis permiſſu,ad quod in vtroque ſancti viri feſto plurima ſolet multitudo confluere,varia martyris beneficia experta. Miracula multa diuinitùs fiunt.

Eum verò in modum, vt iam diximus, ſeſe comparante Staniſlao,& tum doctrina, tum vitæ ſanctimonia omnibus prælucente, veteribus quoque fundis Eccleſiæ ſuæ nouos per coëmptionem adijciente, denique in ſumma tranquillitate munus ſuum exercente, non tulit ille ſerpens & hoſtis antiquus pacem eccleſiaſticam lætis creſcere ſucceſſibus, & ſancti Præſulis virtutes & ſtudia abſque liuore florere. Ea tempeſtate apud Polonos ad regni gubernacula ſedebat Boleſlaus, eius nominis ſecundus, ſed quartus rex ab eo tempore, quo Othonis III. Imperatoris beneficio Polonia reges accepit. Qui ſanè multis rebus præclarè geſtis, militari quoque gloria inſignis erat: Pannonicos enim & Ruſſos, vicinos populos aliquot prælijs fuderat. Pannonicos duces Geiſam, Ladiſlaum & Lampertum propinquos ſuos in regnum reduxerat,& cum Salomone rege in gratiam redegerat, monaſterium ordinis S. Benedicti in Mogilno diœceſis Gneſnenſis fundauerat, egregieque locupletârat: tantaque liberalitate prçditus erat, vt ea in parte nullus ei aut regum aut principum Poloniæ comparari poſſet. Erat corpore agili, vafro ingenio, laboris vltrà quàm credi poſſit patiens, cibo & potu moderatus, frigoris atque inediæ tolerantiſſimus, erga calamitoſos & peregrinos benignus & humanus, rara quadam grauitate & magnanimitate præditus, comis & facilis erga eos, qui eum adire vellent. Sed hæc illius bona præter cætera vitia obſcurabat crudelitas & tyrannis, & in venerem effrenata propenſio. Cap.8. Polonia fit regnum beneficio Othonis III.

Iam ſextum in Epiſcopatu agebat annum Staniſlaus, & is, quem diximus, Boleſlaus rex, ſucceſſuum felicitate elatus, ad explendas libidines ſuas mira intemperantia præceps ferebatur. Nam ſua non contentus vxore, virgines & matronas ingenuas conſtuprabat, primò quidem clàm, quòd nondum planè perfricuiſſet frontem, ſed poſteà malæ conſuetudinis preſſus mole, ſemper in deteriora prolabebatur. Offendit ea res procerum animos, nec tamen quiſquam facilè auſus erat obiurgare regem, ne aut ſua amitterent, aut etiam cruciatibus ſubijcerentur. Solus Staniſlaus nihil quicquam reformidans, primùm ſecretò adit regem, omnibus excluſis arbitris proponit ei, in quantam ſit prolapſus turpitudinem, qui de illo paſſim iactentur ſermones, quæ illi dira omnes imprecentur: orat vt effrenatam coërceat libidinem, vt contentus coniuge,ab alijs abſtineat: ſin ſecùs agat,ſe Deum pariter & homines infenſos habiturum,magnam & ſibi & regno ſuo ignominiam allaturum,res priùs benè geſtas dedecoraturum ait: oſtendit etiam, quantam non animæ tantùm, ſed etiam corpori perniciem afferat vitium illud, cui adeò deditus ſit, quantam malorum aliorum cateruam ſecum trahat, quàm ſeuerè diuinitùs puniatur: eaque exemplis à temporibus legis & gratiæ petitis confirmat.Rex etſi non mediocriter incandeſceret, at tamèn ſciens Staniſlaum multa virtute illuſtrem, iuſtitiæque præcipuum cultorem, nec vllis ceſſurum minis vel terroribus, interim cōpreſſit ſeſe, facinorique ſuo caluas quaſdam excuſationes prætexens, placidè Epiſcopo reſpondit, animi furorem diſſimulans. At vir ſanctus ea omnia, quibus ille purgare ſe voluit,ea verborum lenitate confutauit,vt ſi rex animum vellet adhibere,ſalutem illi conciliare poſſent. Cap.9. Boleſlai regis Poloniæ intēperātia & libido. Reprehenditur à Staniſlao.

Verùm poſtquàm ab eo Staniſlaus receſſit, citò redibat ad ingenium & priſtinos mores, facileque voluptas excludebat, ſi quam ex eius verbis ſenſiſſet animi compunctionem. Plerunque etiam ſtomachabundus ſecum volutabat, quòd vnus Staniſlaus, cæteris intra ſilentium ſe tenentibus, ipſum obiurgare auſus eſſet, non habita vlla maieſtatis regiæ ratione, cui putaret plus aliquid licere quàm cæteris. Atque hinc etiam apud aulicos & corporis ſui cuſtodes conquerebatur, qui peſtifera adulatione eius commotioni maiores adhibebant faces, quam lenire potiùs oportuit. Ita & in Staniſlaum creſcebat animo conceptus furor, & in fœdas libidines effrenatiùs proruebat, poſthabita ſalute & exiſtimatione ſua. Erat tum Meciſlai nobilis viri in Siradienſi regione vxor Chriſtina, rara formæ elegantia, blandis moribus, ſuaui facundia, quibus non pauci ad eius amorem incitabantur. Id vbi rex Boleſlaus comperit, magno eam videndi deſiderio inflammatus eſt. Itaque contulit ſe ad eam, viſaque Cap.10. Moleſtè fert eam reprehenſionē.

eius pulchritudine & affabilitate, captus & irretitus eſt. Vt verò eius poſſit expugnare pudicitiam, primùm ampliſſima ei munera pollicetur, deinde etiam minas intentat, ſed nihil tamen efficit, quandoquidem maritus eius non ignarus quid rex moliretur, eius ſeruando pudori ſummam adhibebat curam & ſolicitudinem. Tandem rex non ferens feruentis cupiditatis impetum, ad vim inferendam ſe comparat, miſſaque militum manu, adduci ſibi vel inuitam iubet, fruſtrà reclamante atque rei indignitatem queritante marito. Rapitur fœmina nobilis, adducitur ad regem, fit eius concubina, atque etiam prolem ex ea ſuſtollit. Sed non dormitat vltio cæleſtis: quicunque ex hoc adulterino concubitu nati ſunt, quos rex agrorum & villarum poſſeſſionibus ditare voluit, cùm ad virilem perueniſſent ætatem, primùm membrorum tremore, & torti naſi deformitate, inde accedente ſenio, etiam amentia plexi ſunt. Eadem quoque paſſi ſunt quaſi hæreditaria quadam ſucceſſione, quotquot hanc ſtirpem aliqua ex parte attigiſſent, idque ſanè vſque ad hanc noſtram ætatem ita perſeuerat: vt meritò extimeſcenda ſit diuinæ iuſtitiæ animaduerſio, quæ non ſolùm in poſteros eius ſtirpis, ſed etiam in ſecula ſeſe extendit. Nec dici poteſt non punitum Boleſlaum, quòd non ſubita ſeueritate plexus eſt, quando dilatione ſupplicij aucta eſt eius iniquitas, quæ cumulatiori poſteà vindicta percelleretur.

Rapit nobilis viri vxorem Chriſtinam.

Vltio diuina.

Cap. 11.

Mouit autem etiam proceres omnes Poloniæ facinus regis, quòd nobilis viri coniuge tam impudenter ad ſuas libidines explendas abuteretur, ſed eius preſſi metu tyrannidis, nec muſſitare audebant, tametſi & ſibi metuerent, ne quandoque ſimilia in ipſorum coniuges rex attentaret. Archiepiſcopum tum Gneſnenſis eccleſiæ agebat Petrus, qui Stephano ſuffectus fuerat, vir ſacris eruditus literis, & vita atque conuerſatione ſpectabilis, quique pacis tempore non inidoneus videretur gubernator, ſed ingruente tempeſtate parum animi habiturus. Monebant eum ſæpè & proceres & plerique è Clero, diuino permoti zelo, vt pro ſuæ ſedis primaria authoritate primus quoque ipſe regem reprehenderet, nec ſineret alienos toros alterius libidine pollui: ſed cunctatorem ille potiùs quàm reprehenſorem tantæ nequitiæ ſe exhibuit. Præerat verò etiam tunc Vuratiſlauienſi eccleſiæ alter Petrus, cui familiariùs adeſſe ſolebat Boleſlaus, regebat Poſnanienſem Thomas, Vuladiſlauienſem Hunoldus, Plocenſem Lupus, Chelmenſem Martinus, Lubuſſenſem, Laurentius, Caminenſem Stephanus. Ij omnes licèt rogati vt regem ſui officij admonerent, non magis ſtrenuos quàm Petrus metropolitanus ſe præbuerunt, ſuæ pelli ob regis ſæuitiam metuentes. Ita ſolus Staniſlaus idoneus maximè viſus eſt, cui id negotij demandaretur.

Petrus Gneſnenſ. Archiepiſcopus.

Cap. 12.

Is itaque, cùm priùs multis precibus vſus eſſet apud præpotentem Deum, denuò intrepidus adit regem, adiunctis iam ſibi quibuſdam vtriuſque ordinis viris, obijcit ei quòd ad priores libidines etiam alienæ vxoris raptum adiecerit, hortatur vt eam ſuo marito reſtituat, ſeſeque deinceps corrigat: futurum alioquì, vt excommunicationis fulmine ab ipſo percellatur. Tum verò rex, quanuis modeſtè eſſet admonitus, nihil ſedatè aut modeſtè reſpondit, ſed furenti perſimilis, in virum Dei atrociter inuectus eſt, ait eum humili ortum genere, pontificis munere indignum, dignum verò, qui ob ſuam temeritatem eo priuatus, porcis paſcendis adhibeatur, donec diſceret, quæ reuerentia regi præſtanda ſit. Sed Staniſlaus eiuſmodi contumelijs nihil motus, perſtabat in admonendo rege: Scio, inquit inter alia, dignitatem regiam & ſubditis tuis & mihi quoque colendam, nec puto me quicquam hac in parte omiſiſſe, quod eſſet officij mei: Verùm & illud non ignoro dignitatem Apoſtolicam, qua ego præditus ſum, poteſtate regia multis gradibus ſuperiorem. Diuina id ordinatione conſtitutum eſt, vt reges & principes & quantunlibet ſublimes perſonæ Epiſcoporum legibus pareant, etiamſi illi humili loco orti ſint. Tu quidem, ſi Deum metuis, ſi conditionem regiam attendis, ſi homines vereris, ſi qua ſalutis tuæ moueris cura, permultum te mihi debere fateberis, quòd ea dixerim tibi, quæ & ſaluti & honori tuo ſint planè conducibilia, quæ ſi audire velis, diuturnius imperium, obſequentiores ſubditos, placatiorem Deum, ſecundiores ſucceſſus, feliciorem à vita hac migrationem tibi conciliatura ſint. Etſi autem à cæteris Staniſlai oratio non ſolùm libentibus & gratulantibus animis, ſed etiam vocis applauſu excepta eſſet, eiuſque prudentiam complures admirarentur, regis tamen animum libidine occupatum nihil mouerunt: ſed cùm illius ſancti viri tam ſapienter eum incantantis voces ampliùs ferre non

Secūdò corripitur rex à Staniſlao.

Epiſcopi dignitas regiā antecellit.

non poſſet, à thalamo, apud quem reſidebat, præcipiti actus odio & rancore exilijt, grauiter & immaniter ſe à Staniſlao læſum vociferans, & cum iuiciurando proteſtans ſe modis omnibus ſuas iniurias vindicaturũ. Id quidam ſancti antiſtitis æmuli animaduertentes, ſuam in illum maleuolentiam declarare cœperunt.

Rex indigniſſimè fert Staniſlai obiurgationem.

Cap. 13.

Cùm enim rex communicato cum proceribus quibuſdam & aulicis conſilio, vlciſcendi modum inquireret, nec vlla via rationi & iuſtitiæ conſentanea appareret, quòd ea eſſet vitæ & morum innocentia & integritate Staniſlaus, vt nullum ei crimen poſſet obijci: ad calumnias ſe conuertit. Emerat vir beatus pagum Petrauinum in tractu Lublinenſi à * Petro quodam equite, vnico eius pagi hærede, atque eum eccleſiæ Cracouienſi adiunxerat, integrè eius precio perſoluto, & certis quoque teſtibus adhibitis, ne quiſquam inficiari poſſet: iamque in eius pagi poſſeſſionem à rege miſſus fuerat, & triennio propè abſque cuiuſquam infeſtatione illum poſſediſſe conſtabat. Sed cùm poſt eam emptionem non diù ſuperuixiſſet Petrus ille, Epiſcopus non ſatis ſibi cauerat actorum publicorum inſtrumentis. Id vbi comperit rex, nepotes Petri, Iacobum, Petrum & Suliſlaum, ad quos ille pagus iure hæreditario deuolutus eſſet, ni illum Petrus vendidiſſet, in ſanctum virum immittit, ſuam illis opem pollicetur, ſi de interuerſa hæreditate ſua illum apud ſe deferant & in ius vocent: facilè ſe minis abſterriturum dicit teſtes, quorum fide maximè nitebatur Staniſlaus, ne auſint pro illo dicere teſtimonium. Hac illi ſpe animati, & prædæ illecti, negotium faceſſunt viro Dei, eique apud regem litem intentant prorſus iniuſtam.

* Petrico

Per calumniam nititur eum excludere à pagi poſſeſſione.

Cap. 14.

Appetebat tum iudicij generalis dies, quod Poloni colloquium vocant, ad quem diem iuſſus eſt adeſſe Staniſlaus, & cauſam ſuam aduersùs Petri nepotes tueri. Eius colloquij tanta olim fuit authoritas, vt ab eius ſententia, etiam iniuſta, nulli prouocare liceret. Fiebat autem in pratis atque ſub papilionibus, non intra vrbes: ſolusque princeps ei præſidebat, ſolus litigantium decidebat cauſas: qui tamen mos poſteà abolitus eſt apud Polonos. Ad eiuſmodi ergo colloquium citatus Staniſlaus Epiſcopus, omnis doli expers, eò ſe contulit, quòd locus non procùl à pago Petrauino abeſſet: Putabat ſe haud difficulter probaturum bona fide ſe ſoluiſſe precium, quandoquidem teſtes promiſerant, ſe ei non defuturos. Iudicio rex ipſe Boleſlaus præſidebat, vt tum erat more receptum. Primo autem loco cauſa Staniſlai ventilata eſt. Accuſant aduerſarij, quòd præter ius in eorum hæreditatem inuaſerit: Staniſlaus reſpondet, ſe optimo iure eam ſibi vendicare, pecunia numerata Petro illorum patruo. Negant id illi: Promittit vir Dei ſe teſtes producturum: nec id recuſatur, ſed eccè cùm eſt ab illis dicendum teſtimonium, præ formidine obmuteſcunt, ſanctumque virum, ne malè à rege mulctentur, deſtituunt. Iam dies ad occaſum vergebat, & Epiſcopi res in periculo verſabatur. Lætabatur rex, lætabantur aduerſarij, qui opimam prædam iam ſpe deuorauerant. Anxius interim vir Dei, tacitus orabat Deum, multa fiducia illi innitens. Tandem eius inſtinctu animatus, coram rege & toto illo conuentu promittit ſe poſt triduum teſtem veritatis producturum ipſum Petrum, licèt iam triennio vita functum: quæ res miraculi & ſtuporis plena, apud poſteros ob credentium imbecillitatem plus admirationis fortaſſe, quàm fidei habitura eſt. Ijs verò auditis, primò quidem ſtupent omnes, ſed poſteà rei, vt ipſi putabant, impoſſibilitate meliùs penſata, in riſum vertuntur, ſibilis & ſannis excipiunt virum Dei, tanquam parũ mentis ſuæ compotem: quanquàm non deerant homines cordati & religioſi, qui ſentirent Staniſlaum Epiſcopum, cuius tanta eſſet vitæ grauitas, nec fallere, nec leuiter quicquam affirmare conſueuiſſe, nec tanta conſtantia rem incredibilem promiſſurum fuiſſe, niſi etiam præſtare poſſet. Tandem à Boleſlao rege, nihil minùs quàm Petri excitationem ſuſpicante, triduanæ ei induciæ dantur, quas petierat.

Accuſatur Staniſlaus.

Deſeritur à teſtibus.

Irridetur à multis.

Cap. 15.

Itaque ſanctus vir cum clericis & paucis laicis in Petrauinum pagum, qui ab eo loco centum plùs minùs paſſibus aberat, diſcedit, triduanum omnibus ſuis indicit ieiunium, veſte cilicina ſe induit, coram altari ſe proſternens, cum multis lachrymis continenter Dei implorat opem. Vbi ſponſionis illuxit dies, re diuina ex more peracta, accedit ad ſepulcrum Petri, à quo pagum emerat, multis cum è Clero & populo, ita vt in proceſſionibus fit, antecedentibus, pontificali veſte indutus. Iubet à ſepulcro remoueri humum vſque ad cadauer putrefactum, & ferè iam in puluerem redactum: ſubmittit ſe in genua, & cum fiducia ad Deum erecto animo, prolixè illum cum lachrymis deprecatur. Abſoluta prece, contingit Petri ca-

Inſigni miraculo excitat iampridem vita functum. dauer, iubetque illum in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti ſurgere à mortuis, & dicere teſtimonium veritati, à filijs hominum proſtitutæ & deſertæ. Confeſtim reuiuiſcit homo, & integro corpore prodit è monumento, tanquam à ſuaui excitatus ſomno. Eius verò apprehenſa manu, omnibus rei nouitate valdè attonitis, & ingenti clamore diuinum miraculum collaudantibus, ad conuentum in regis præſentiam illum adducit, chlamyde circundatum. Non tamen credebat rex Petrum illum eſſe rediuiuum, cùm id illi equites, qui adfuerant eius excitationi, referrent, donec ſuis eum oculis conſpiceret. Magnus ibi fiebat hominum concurſus, Petrum certatim intueri cupientium. At ſanctus Staniſlaus ſtans coram rege, En, inquit, Boleſlač rex, hunc ego teſtem adduco venditionis & emptionis, perſoluti quoque precij, quod ille pro pago ſuo exegit. Tacebat aliquandiù rex & proceres eius, tam inſigni miraculo adeò eos comprimente, vt nemo vel mutire contrà auderet. Tum verò Petrus ille in vitam reſtitutus, ſic compellauit regem: Ego ad preces beati Staniſlai iuſſus à Deo redire ad vos, ad tuum hîc tribunal, rex, aſſiſto teſtis & euictor, palamque confirmo me pagum Petrauinum vendidiſſe Staniſlao Epiſcopo & eccleſiæ eius, accepiſſe ab illo argentum, de quo inter nos conuenerat, porrò nepotes iſtos meos nihil in eo iuris ſibi poſſe vendicare, ſed Staniſlao ab illis malo dolo calumniam adhiberi. Mox conuerſus ad nepotes ſuos & teſtes illos, qui Staniſlao adeſſe noluerunt, Quis, inquit, vos huc furor adegit, vt alij calumniando, alij veritatem celando tanto vos ſcelere obſtringeretis? quod niſi digna pœnitentia dilutum fuerit, & in præſenti & in futura vita Deus grauiſſimè vlturus eſt. Obmuteſcebant illi, & circunſtantes muſſitare cœperunt, indignè ferentes iniuriam ſancto Epiſcopo irrogatam, illos verò dignos aſſerentes, qui calumniæ pœnas darent. Rex autem, quanuìs non abſque multo animi felle & moleſtia, pagum adiudicauit Staniſlao, tam euidenti miraculo, & ipſius rei certiſſima, cuius ipſe conſcius erat, veritate compulſus. Cùm verò multi ei olim magis familiares multas Petro excitato proponerent de varijs rebus quæſtiones, parco & caſtigato reſpondit ſermone, nec niſi permiſſu beati Staniſlai, cuius iniuſſu aiebat ſibi fas non eſſe quicquam referre.

Defunctus rediuiuus reddit ei teſtimonium.

Obtinet litem.

Cap. 16. His ita geſtis, beatus Epiſcopus ad pagum Petrauinum abijt cum Petro, penè omnibus eos ſequentibus, qui in illo conuentu fuêre. Vbi autem ad ſepulcrum eius redijt, ſic ait ad Petrum: Vis'ne Petre, vt gratitudinis ergô petam à Domino, vt liceat tibi nobiſcum ad annos aliquot in terris commorari? Reſpondit Petrus: Ego, pater ſancte, nolim in hac permanere vita, quam ego rectiùs mortem appellandam ſentio: ſed illam peto verè beatam, in qua videtur præſens Dei vultus. Nam tametſi iuſto Dei iudicio hactenùs Purgatorij pœnas perpeſſus ſum, at tamen ſpero me breui ad ſuperos commigraturum. Tu, quæſo, mi pater, ora pro me vt id citò fiat, aut ſi iuſtitia non permittit, aliquid de ſupplicij tempore diminuatur. Promiſit Staniſlaus ſe curaturum quod petebat, & ille rediens in ſepulcrum, animam rurſus expirauit, Staniſlao cum Clero & populo, ita vt Catholica habet traditio, cum pſalmis & orationibus Domino obnixè commendante, & ſepulcrum humo implente.

Purgatoriũ.

Iterùm moritur defunctus poſt dictum teſtimonium.

Cap. 17. Huius tam illuſtris & præclari miraculi fama, non ſolùm apud Polonos, ſed etiam in vicinis regionibus celeberrimum Staniſlai nomen & exiſtimationem mirè auxit, ita vt planè Apoſtolici viri loco haberetur. Ipſe etiam regis furor nonnihil conquieuit: ſed cùm poſteà feliciter aduersùs Ruſſos bella geſſiſſet, & apud Ruſſiæ metropolim Kiouiam, omnium rerum copia affluentem cum exercitu hæreret, in fœdiſſimas cum ſuis militibus libidines prolapſus eſt. Cùm enim ab externis vacarent prælijs, in voluptates & vitia effuſi, ſcortationibus, comeſſationibus, vnguentis & balneis vacabant, Ruſſorum, quos domuerant, ſeſe flagitijs contaminantes. Id vbi in Poloniam ad eorum coniuges, filias & ſorores allatum eſt, dictumque Polonorum proceres & equites Ruſſiæ fœminarum amoribus deditos, & implicatos, omni abiecto pudore, illæ quoque alijs ſe proſtituere non dubitârunt, & tanquam coniuges redituri non eſſent, illis nubere auſæ ſunt, atque in eos maritorum ornamenta & opes transferre. Non latuit ea res exercitum: petunt à rege copiam domum reuertendi, ſed cùm aſſentiri nollet, maxima pars deſerto rege abſceſſit. Id verò indigniſſimè ferens Boleſlaus, relictâ Ruſſia, ad ſua redit, & ſeueriter in eos, qui diſceſſerant, animaduertit, ſingulari etiam crudelitate in eorum coniuges ſæuiens,

Crudelitas Boleſlai regis.

ſæuiens,pro infantibus ex adulterio natis ad vbera earum admotis catellis. Denique in ſuos quàm in hoſtes truculentiorem ſe præbuit. Accedebant multa alia fœda & abominanda turpiſſimarum libidinum exempla, quibus rex ille etiam alios ad conſimilia perpetranda incitabat.

Sentiens ergo beatus Staniſlaus,quando Archiepiſcopus Gneſnenſis & cæteri antiſtites ad ea regis flagitia caſtiganda accedere non auderent, ſibi minimè ea ferenda eſſe, coërcendamque petulantiam & crudelitatem regis, omnibus iam ordinibus inuiſi,diuites opprimentis,pauperes conculcantis,nobiles è ſuo gradu deijcientis,ſubditos non ferendis exactionibus & cædibus diuexantis, multaque alia planè tyrannica deſignantis. Hæc enim ab illis, quos rex affligebat, ſæpè ad illum perferebantur. Itaque ſolus iterùm ſe confert ad regem (nemo enim ſe illi ſocium ad illum reprehendendum adiungere auſus erat) blandè primùm eum admonet officij ſui,inde modeſta obiurgatione nimiam eius peccandi licentiam caſtigat, ſperans animum regium hac via meliùs poſſe ſanari. Primùm rex purgare ſeſe, & quædam crudelitatis exempla tueri cœpit : ſed Staniſlao eam excuſationem non admittente, grauiſſimè commotus, multa in ſanctum virum maledicta & conuicia iactauit, nequiorem etiam ſe exhibiturus, ſi non vir Dei incredibili lenitate & patientia ea omnia excepiſſet, planeque retudiſſet,ſæpè illius furori & liuori cedens, vt ſua humilitate & modeſtia regiæ acerbitati faciliùs mederetur. At verò eò iam vſque impietas, crudelitas & nefandarum libidinum effrenis turpitudo progreſſa erat,vt rex ſeipſo ſemper deterior fieret,nec vllis vel precibus,vel blandis adhortationibus,vel ſeueris & acribus increpationibus ad ſanitatem ſe reduci pateretur. Cap.18. Tertiò caſtigat regē Staniſlaus.

Tum verò iuſtitiæ zelo egregiè inflammatus Staniſlaus, omni formidine prorſus calcata,ad regem reuertitur, multa procerum & militum ſtipatum caterua, prolixa oratione eius animum flectere nititur ad reſipiſcentiam,promittit Dei ampliſſima, ſi ſe corrigat,beneficia : minatur & temporarias & æternas pœnas,ſi pergat eſſe peruicax & obſtinatus. Sed laterem lauabat vir ſanctiſſimus,cùm & rex & quidam proceres eius atque equites in deteriora propenſi eſſent, in ſuam & regni perniciem. Immò verò rex optimi præſulis ſaniſſima oratione etiam efferatior effectus, omnem animi medicinam, praua ſcelerum conſuetudine dementatus reſpuebat, & in ipſum medicum maiori iræ impotentia excandeſcebat, ita vt etiam cædem ei minaretur, ni deinceps ab eiuſmodi reprehenſione abſtineret, multa interim contumelioſè in eum & petulanter euomens. Sed Staniſlaus ijs contumelijs & maledictis etiam conſtantior reddebatur,acriusque inſiſtens, hortabatur furibundum regem, vt poſita animi feritate, ageret ob admiſſa facinora pœnitentiam,& gehennæ vltrices flammas lachrymis extingueret. Mirabantur interim illi, qui aderant, alacritatem & conſtantiam vultûs & ſermonum in viro Dei : nec deerant, qui taciti gratularentur exiſtere inter epiſcopos Poloniæ Staniſlaum, qui regi impio in faciem reſiſtere non vereretur, pugnaretque pro iuſtitia & republica,& omnibus præter ius fasque afflictis ſe portum exhiberet. At Boleſlaus rex ſuî manebat ſimilis, omni ſaxo durior. Id verò plus ſatis expertus iam vir ſanctus,ait ſe deinceps non admonitionibus vſurum apud illum, ſed fulmen eccleſiaſticum in pertinacem vibraturum. Quod ſanè vſqueadeò indignè tulit rex, vt cum fremitu quodam & indignis verborum iniurijs repentinum ei interitum minaretur, ni deſiſteret.. Sed ille vir Dei, qui iampridem magno flagraret obeundi martyrij deſiderio, nihil penitùs eius permotus minis, ſed eas potiùs irridens, Vtinam, inquit, tam mihi merear propitium habere Deum, vt licèt indignus ei corpus meum ſacrificium offerre poſſim.Etſi autem magna in eum cernebatur regis indignatio,non tamen auſus fuit quiſquam ex ſatellitibus eius vel verbo vno illum offendere : immò verò non deerant ex proceribus & conſiliarijs nonnulli, qui recedente Staniſlao, admonerent & obſecrarent regem,vt ſancti viri reprehenſionem haud ſecùs atque è cælo tranſmiſſam in pectus animumque demitteret,proſpiceretque & ſibi & regno ſuo. Plus autem apud regem valuerunt malignorum quorundam ſuggeſtiones, qui furibundum regem magis etiam in beatum antiſtitem incitabant. Cap.19. Rex minatur cædem Staniſlao, minas contemnenti. Flagrat vir Dei martyrij deſiderio

Deliberãte poſt hęc beato Staniſlao,quo ordine aduersùs regē procederet,quidam è Clero Craconiēſi eū obſecrãrūt,vt regis furorē & tyrannidē declinaret,remiſſa ſeueriori reprehenſione,parceret ſibi,populo ſuo ipſius nece miſerè orbãdo cōſuleret,regem lenien dū potiùs ꝗ̄ exacerbandum ſtatueret. Sed his ille verbis,martyrij ſitientiſſimus,magis etiam accendebatur ad procurãdam regis ſalutē,& Polonicæ gentis liber- Cap.20.

tatem tuendam. Tantus illi iuſtitiæ amor, tantum iniquitatis odium inerat, vt periculi omnis facilè obliuiſceretur. Orabat iugiter Deum, vt ſe dignum redderet, qui pro ipſius honore ſanguinem profunderet: hinc illi frequens cum viris eccleſiaſticis ſermo, hæc ei perpetua meditatio. Aiebat eccleſiæ & plebis Polonicę libertatem non niſi ſuo ſanguine & nece vindicatum iri: addebat etiam vitam ſuam omnibus ceu ſpeculum propoſitam eſſe, nec ſine graui multorum offenſione & ſcandalo poſſe ſe officium deſerere, & regis tam iuſtam & neceſſariam caſtigationem remittere. Mercenarij id eſſe & proditoris, non paſtoris: nec ſe Dei euaſurum iudicium, ſi ſe aduerſùs tyrannidem regis murum non opponat pro commiſſa ſibi plebe. Inde ad obſecrandum pro rege Dominum ſe conferens, nonnunquàm integras noctes precibus, lachrymis & ſuſpirijs impendit, imitans ſanctum Samuelem, pro Saule à Deo proiecto multa inſtantia deprecantem: ſæpè ſanctiſſimum obtulit ſacrificium pro illius conuerſione, & vt regni Polonici ruinam impendentem auerteret: quantoque regem ſenſit inſoleſcere magis atque ſæuire, tanto maiori contentione pro illo rogabat Dominum, ab oculis ſuis lachrymarum imbres profundens: crebrò ad imaginem Crucifixi attollebat oculos, orans vt afflictorum miſerijs permoueretur, nec regis vlciſceretur flagitia. Ad preces & lachrymas addebat ieiunia & zonam cilicinam, quibus corpus affligebat: vitabat etiam congreſſus regis & ei fauentium, ſi fortè poſſent vlla ratione in viam reduci. Sed cùm nullum rex neque ſuorum oppreſſionibus, neque execrandis libidinibus finem impoſiturus videretur, non ſibi vltrà cunctandum cenſuit Epiſcopus, nec ſemper lenitate & manſuetudine in contumacem & obſtinatum vtendum. Itaque ab Eccleſiæ corpore illum ſeparauit & præcidit, mandatque ſubditis ſuis, vt ab eo, ceu excommunicato, ſeſe abiungant: regemque ipſum à templi ingreſſu excludit. Ea res cùm ſoleat medicinæ faciendæ cauſa id genus deploratis hominibus adhiberi, crudeli & libidinoſo regi adeò furorem auxit, vt planè deliberârit crudeliſſimo ſupplicij genere è medio tollere ſanctiſſimum Epiſcopum. Multas proinde ei ſtruxit inſidias, ſed Deo benè illum iuuante, eas omnes euaſit, & tum minas illius ſæpè ipſi denunciatas, tum eccleſiaſticorum virorum perſuaſiones, aliorumque blandimenta ipſum vt fugæ ſe mandaret, aut regis irati animum ſibi conciliaret hortantium, magno animo neglexit, atque ex ipſis aduerſis rebus præſentibusque periculis maiores accepit vires, ſciens tanto auctiorem ſibi in cælis repoſitam gloriam & beatitudinem, quanto eſſet hîc acriùs & infeſtiùs oppugnatus: nec mediocrem animo concipiens voluptatem, quòd videret oblatam ſibi occaſionem pro iuſtitiæ & oppreſſæ plebis defenſione martyrium obeundi. Nec eius conſtantiam minuit, quòd ſe hac in cauſa ab omnibus deſtitutum animaduerteret.

Contemnit mortem & pericula.

1. Reg. 15.

Orat multū pro rege.

Plectit eum anathemate.

Ex periculis fit conſtantior.

Cap. 23. Augebat verò regis impietatem, quòd etiam anathemate percuſſus à ſancto viro, nihilo minùs impudenter ſe diuinis ingerebat officijs, Staniſlao eius cæcitatem valdè miſerante & plangente, & Domino iuges pro illo preces offerente. Et iam palàm in odium & contemptum Staniſlai ſingularem quandam turpitudinem ſuam, quam humanæ aures ferre non ſuſtineant, in omnium oculos ingerebat, non contentus infando & nimis execrando flagitio priuatim ſeſe contaminare, niſi id etiam publicitùs oſtentaret. Non illum pudor à turpitudine, non metus à periculo, non ratio vlla ab amentia reuocabat. Vidit hoc & indoluit Staniſlaus, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius ſecundùm iudicium legis Apoſtolicæ, nec zelus illius tantam nequitiam diſſimulare potuit. Iuſſit igitur, vt quoties rex auſus eſſet in templum ingredi, diuina officia ceſſarent: & iumento, quo ille impurus abutebatur, ornatum omnem ſuis manibus ipſe detraxit & decerpſit, nareſque & aures amputauit. Non deerant, qui id temeritati adſcriberēt, non zelo religionis, aut prudentię, egregiamq; ſancti viri virtutem inſolentiam interpretarentur, ſimul etiam illum culparent, quòd incitatum in ſe regis animū, magis etiā in ſuam perniciem inflammaret. At qui ſano erant animi iudicio, Epiſcopo & Chriſtiano homine dignū pectus in eo admirabātur & extollebant, ꝙ omnibus poſthabitis periculis, nefariā regis libidinē palam comprimere & coërcere nō dubitaret, hoc ipſo ſatis declarans, nihil charitate imperioſius. Inde verò vſque adeò incenſus eſt furor regis aduerſùs hominem Dei, vt quamprimùm illū trucidare conatus ſit, cùm interim non tam ſua voluntate, quàm amicorum & eccleſiaſticorum virorum ſtudio ſeruatus ille, cedens regis inſaniæ, in abdita ſe loca reciperet. Sed rex noctes atque dies totus in eo verſabatur, vt illum enecaret: nec deerant aulicorum fomenta, regi ſuo aſſentantium, cùm tamen eiuſmodi adulationes non paulò pernicio-

Regis contumacia.

Rex ei certam machinatur necē.

cioſiùs,quàm hoſtilis rabies,principum opes & animos euertant. Impellebat miſeros ſpes alicuius obtinendi magiſtratûs,& regij fauoris conciliandi, tum etiam ſanctiſſimi præſulis odium: quanquàm etiam aderant illi conſultores fideles,licèt pauci,qui eum à cæde ſancti viri auertere niterētur,obſecrarentque ne regias manus Epiſcopi ſanguine pollueret,ſed ſalutem tum ſuam tum ſuorum iræ anteponeret: at verò animus libidine & furore oppreſſus,nulla ſana conſilia admittebat.

Iam enim cum quibuſdam equitibus, ipſi in ſcelere fauentibus, ſeriò tractabat de via & ratione beatum antiſtitem ocyùs perdēdi,ſibi perſuadens illo ſublato,ſe omnia pro voto habiturū.Eſt verò haud procul Cracouia in editiori rupella ædes S. Michaëlis Archangeli & omnium Angelorum,vbi olim ante Chriſtianiſmi profeſſionem idolis ſuis ſacrificabant Poloni. In eam nihil ſibi metuendum ſtatuens ſanctus antiſtes ſe recepit,diuinum illic peracturus ſacrificium,adiunctis ſibi quibuſdam è Clero.Non latuit id Boleſlaum,accuratè omnia eius veſtigia per ſuos ſatellites explorantem.Itaque lætatus iam adeſſe opportunitatem patrandæ cædis,iubet ſuos ſe ſequi ſatellites,itque celeri gradu,veritus ne Staniſlaus fuga elabatur.Vbi eum aduentare ſenſit beatus Epiſcopus,in cælum erectis luminibus, nullam vel tenuis formidinis ſignificationem dedit,ſed Miſſarum ſolennia proſecutus eſt. Non enim auſus fuit rex in eum incurrere necdum peracto ſacrificio: ſed tamen moræ impatiens, præcipiti actus amentia, mittit armatos milites, qui eum etiā ſacrificantem interimant.Parent illi,irruunt feroces in templum,ſed mox expalleſcūt,tremunt artus & genua,immodico terrore animus conſternatur, & dum ſtrictis enſibus nituntur ferire Epiſcopum, cadunt ſupini in terram,humique reptantes è templo ſe euoluunt. Rex illorum increpat ignauiam, iubet redire ad facinus edendum: redeunt intrò,ſed rurſus humi proſternuntur. Iterùm exeuntes tertiò cogit rex intrò ſe recipere, nec audent reſiſtere, reuerſi obrigeſçunt omnes,& maiori,quàm anteà,impetu collabuntur. Tertiò egreſſi ad regem, indicant quid ſibi acciderit,aiunt Staniſlaum diuina virtute ſeruari.Boleſlaus ſcelerum ſuorum ſtimulis agitatus,nulliusque penſi habens ea quæ à militibus dicebantur,ſed eos etiam ignauiæ inſimulans, ferociter irruit in ædem cum turba carnificum, beatiſſimū virum altari aſſiſtentem in capite quanta maxima vi poteſt gladio percutit & occidit, adhuc palpitanti naſum & genas oriſque partes,vt appareret deformior,ſuis manibus amputat,vlturus iumentum ſuum homo nefarius,cui ſimilia eſſent ab Epiſcopo illata.Deinde corpus eius exanime è templo extractum militibus concidendum tradit. Illi priorem ignauiæ,vt putabant,maculam expiaturi, certatim in illud ſacrum corpus gladijs & pugionibus ſæuiunt,creberrimis ictibus conficiunt, dexterā amputant, caput truncant,coronam capitis,quam raſo capite referunt ſacerdotes, gladijs excindūt,deinde reliquum corpus in ſexcentas diſſecant partes. Non tamen permiſit Deus, vt in eius Archidiaconum & canonicos aliosque ſacris initiatos, qui ei miniſtrauerant, manus cruentas immitterent.

Cap.22.

Diuinitùs coercentur percuſſores eius.

Crudeliſſimè ad altare interficitur à rege.

Vide immanitatem.

Atqui hac totius corporis beati viri diſſipatione crudeli non cōtentus impius rex, iubet membra ſecta in varias diſpergi partes,vt à beſtijs & auibus deuorētur.Non cunctantur ad iuſſa capeſſenda milites,longè lateq; ſacros artus diſijciunt,& ecce vnius digiti articulus dum cadit in ſtagnum, ædi S.Michaëlis propinquum, deglutitur à piſce. Redit rex ad palatium,gloriatur tam præclarum ſe edidiſſe facinus, applaudunt aſſentatores execrabiles,aiunt regem feciſſe ita vt oportuit,laudant peccatorem in deſiderijs animæ eius: eam verò referunt mercedem à rege,qui talibus delectabatur, vt eius iuſſu in ædes Epiſcopi ocyùs inuadant,illius & ſacerdotum atq; familiarium bona diripiant. Hunc in modum vir tantus exceſſit è vita, crudeliſſimè pro iuſtitia interemptus ſub Gregorio VII. ætatis ſuæ anno ferè quinquageſimo.

Cap.23.

Cædes eius initiò maximū attulit luctū vniuerſæ eccleſiæ Cracouiēſi,quòd tā egregio paſtore orbatam ſe cerneret: poſteà verò immenſæ cuiuſdā exultationis materiam vberem ei præbuit,cogitanti inuictā animi eius fortitudinem.Id verò ſummoperè eius augebat dolorem,quòd neque ex Clero, neque ex laicis atque etiam ſanguine propinquis quiſquam reperiretur, qui aut publicè luctum præ ſe ferre, aut iuſta funeri perſoluere,aut diſiectas corporis partes colligere, & ſepulturæ mandare auderet. Id enim rex impius graui propoſita pœna vetuerat,ne quis aliquam doloris ſignificationem daret,ne ſacrum corpus colligeret & humaret,neq; vllo vel publico vel priuato officio illud curaret, ſcilicet vt à canibus & volucribus & feris belluis deuoraretur. Ad eleuandum etiā tam immane regis facinus,quidam proceres & ſatellites regis auſi

Cap.24.

Nemo audet ſepulturæ mandare corpus eius.

ſunt

ſunt grauia ſanctiſſimo viro crimina affingere, eius facta & virtutes calumniari & peruertere, eum non præſulem ſed preſſorem, non epiſcopum ſed opiſcopum & opibus inhiantem, poſtorem non paſtorem, ſpiculatorem non ſpeculatorem, non mentium ſed renum ſcrutatorem, atque id genus multa alia ſcelerate dictitare: quæ quidem Boleſlaus iuſſit in vulgus efferri & propalari, vt celebritatem nominis eius & ſanctitatis famā modis omnibus aut aboleret penitùs, aut ſaltē obſcuraret, inuidens ei martyris nomen & gloriam. Atq; id ſanè conſecutus eſt, vt iam tantus tamq; præcellens vir paſſim ludibrio haberetur, & menſarum ludus eſſet. Sed non paſſus eſt ille omnia circunſpectans diuinæ prouidentiæ oculus tam fœdè lacerari exiſtimationem martyris ſui. Nam altera ab eius cæde die, cùm rex & impij adminiſtri crudelitatis eius putarent iam corpus omne à canibus & auibus abſumptum, à quatuor mundi partibus totidem raræ formæ & magnitudinis aduolârunt aquilæ, magnoque ſtudio loca, in quibus diſſipata erant ſancti Præſulis membra, circunuolitantes, non ſinebant ab vllis vel feris vel volucribus ea attingi. Viderunt etiam viri religioſi nocte, quæ necem eius ſecuta eſt, miri ſplendoris radios in omnes corporis diſſecti partes cælitùs effundi, totidemque ſingulis locis ardere lampades, quot illic partes corporis haberentur. Hæc verò triduò non ſolùm rumore vulgata, ſed crebrò etiā à fidelibus conſpecta, quoſdam eccleſiæ Cracouienſis Canonicos & primores, nonnullos etiam fide integros & conſtantiores laicos animârunt, vt neglectis regis minis, ſacras partes illas accuratè colligerent, ſingulaſq; apto naturæ ordine inter ſe coniungerent. Vbi tum contigit miraculū omni admiratione digniſſimū. Nam ſimulatq; id ita factū fuit, corpus adeò integrum conſpectū eſt, vt nulla vſpiam vel cicatricū veſtigia apparerent. Longè igitur ſecùs euenit, atque rex & ſui putârant. Corpus vel mille ſectionibus anteà lacerū, repentè priſtinę integritati, nullo humano ſtudio vel arte, ſed diuina virtute reſtitutū eſt. Tanta verò odoris ſuauitas inde prodijt, vt omniū nares ea cōplerentur. Inde tranſlatū eſt honorificè ad ædem S. Michaëlis, quòd rex omni ſaxo durior non ſineret in ſummum templū illud inferri, & ante fores eius ædis ſub diuo ſepultū, nullo luctu aut cæremonijs palàm adhibitis, quòd vererētur fideles, ne rex barbarus illud extra templū eijciendū mandaret. Conditū tamen fuit pro more in tūba aromatibus referta. Vnus ſolus digiti articulus ille, quē anteà à piſce deglutitū diximus, integritati corporis adhuc deerat: ſed ille quoq; facilè repertus eſt, lumine quodam piſcem illū mirificè prodente. Qui articulus poſteà corpori adiūctus, auxit miraculi magnitudinē. Porrò aqua lacûs illius deinceps curandis varijs morbis ex digiti ſacri contactu vim idoneā percepit: & ſi ad humanos vſus accommodaretur, nocere potiùs quàm prodeſſe viſa eſt.

Cōuicia in defunctum. — *Quatuor aquilæ tuentur extinctū corpus eius.* — *Redintegratur corpus diuino miraculo.*

Ipſum autem ſepulcrum beatiſſimi antiſtitis aſſiduis noctibus cælica luminaria & lampades illuſtrârunt: id quod non ſolùm religioſi & pij viri, ſed præter cæteros etiam ipſi carnifices viderunt. Poſtquàm verò triſtis nūcius tam immaniter occiſi Staniſlai ad aures Gregorij VII. Pontificis Maximi peruenit, diù pro ambiguo habitus eſt, ꝙ Pontifex & Cardinales facilè ſibi perſuadere nō poſſent, tantum ſcelus à rege ſuſceptum. At vbi multorū & literis & relatione cōfirmatus eſt, multùm luxit Pontifex, & qua pœna tanti viri cædes mulctāda foret, deliberare cœpit. Tandē in regē & ſceleris adminiſtros atq; fautores excōmunicationis pronūciauit ſententiā: ſcripſitq; Gneſnenſi Archiepiſcopo Petro alijſq; Poloniæ Epiſcopis, vt in vltionem tam immanis parricidij vniuerſa Gneſnenſis prouincia interdicto ſubiaceret, & tam rex Boleſlaus quàm necis horrendæ participes ſatellites Dominicis & feſtis diebus pulſatis cāpanis & accēſis cereis publicè & ſolenniter nominatim interdicto & anathemate plexi denunciarētur, & ſimul vniuerſum Poloniæ regnū interdicto teneri: quas pœnas extendi voluit etiam in exteras regiones, ad quas rex vel complices eius peruenirent, quandiù illic moraturi eſſent. Prætereà regem Boleſlaū & vniuerſam Poloniā regio honore priuauit, omnes principes, barones & ſubditos ab obedientia illi præſtāda abſoluit, multaſq; alias pœnas inflixit filijs & hæredibus equitū, qui necē intulerant viro innocentiſſimo. Pontificis hæc ſententia, etſi magnum allatura periculum videretur, ſi ab Archiepiſcopo & Epiſcopis publicata foret, non tamen illi auſi fuêre Pontificis negligere voluntatem. Itaque ſicut ille iuſſerat, ita fecêre: clauſaque ſunt templa omnia, cultus omnis diuinus, non ſine multo Cleri & populi luctu, publicè intermiſſus eſt. Reuelatum etiam diuinitùs fuit quibuſdam religioſis viris, in vltionē necis Staniſlai regnum Poloniæ in tot factiones diſtractum iri, in quot fuiſſet partes eius corpus dilaniatum. Quod ſanè veriſſimum fuiſſe, rerum ſucceſſus poſteà comprobauit.

Cap. 25. Ardent lampades cæleſtes ad ſepulcrum eius. — *Rom. Pontifex anathemate ferit eius percuſſores.* — *Priuat regē & regnum titulo regio.*

At

At verò Boleſlaus rex triennio manſit peruicax, Pontificiſque anathema pro nihi- Cap. 26.
lo putauit, licèt eum hortarentur & Archiepiſcopus & Epiſcopi, vt miſſis Romã lega-
tis, Pontificis animũ placaret, & congrua pœnitentia facinus admiſſum expiaret: quę
omnia ſurdo narrabantur. Impius enim cùm in profundũ malorũ venerit, contemnit. Prouer. 18.
Sed illũ contemptũ multiplex Dei vindicta cõſecuta eſt. Qui enim anteà ſępè omnium
ore celebratus fuit, poſteà in ſummũ contemptũ adductus eſt, non apud ſuos dunta- Vindicta
xat, ſed etiã exteros, proſperiq; ſucceſſus in diuerſum mutati ſunt. Etſi autem moleſtiſ- multiplex
ſimè tulit anathema Pontificiũ, plus tamen torqueri viſus eſt luminaribus & lampadi- regem perſequitur.
bus, ad beati Staniſlai monumentum cælitùs ſubmiſſis, itemque miraculis, quæ ad eius
inuocationem fiebant. Exiſtimans autem vano rumore iſthęc ſpargi in vulgus, vt certi-
ùs omnia cognoſceret, de ſpecula arcis Cracouienſis ſuis ipſe oculis vidit ea lumina-
ria & lampades è cælo deſcendere ſupra ſepulcrum eius. Tum verò nonnihil eius
audacia compreſſa eſt, cœpitque timere ſibi ob parricidium, præſertim cùm & apud
ſuos in dies vileſceret, & eum exteri plus pluſq; execrarentur. Accedebant huc horri-
dæ animorum inter ſe in regno Polonię diſſidentium tempeſtates, bella inteſtina, mul-
titudo principũ, regius honor ereptus Poloniæ ſupra ducentos deinceps annos, mul-
tæque aliæ clades & calamitates.

Iam tertius ab interfecto ſanctiſſimo Præſule voluebatur annus, nec tamẽ in locum Cap. 27.
eius alius ſubrogatus fuit antiſtes varias ob cauſas. Valdè aũt Polonos affligebat Pon-
tificis interdictũ, quod toto regno obſeruabatur, accendebatque multorũ animos, vt
Boleſlaum parricidã conuicijs proſcinderent, tanquam tanti mali cauſam. Interim mi-
ſer ille diris conſcientiæ ſtimulis adeò noctes atque dies exagitabatur, vt nec cibum
nec ſomnum commodè capere poſſet. Conſolabantur illum amici, & animũ eius eri-
gere nitebãtur, ſed ad ſuperiora flagitia etiã deſperationem quandã adijciebat. Ruſſiæ Ruſſi nolũt
quędam prouinciæ ab illo bello victæ, parére illi noluerunt nec tributa pendere: pro- parere Polonis.
ceres eius in dies maiori odio & contemptu eum proſequebantur. Acceſſit tumultus
regni & diſcordia ciuilis, nec quiſquam ferè erat ex nobilitate, qui non dira regi impre-
caretur. Omnes tanquam peſtem eum vitabant & oderant. Creuit tandem euſque
in illum & procerum & popularium odiũ, vt permulti inter ſe in eius necem aut certè Multi in regis necem
captiuitatem conſpirârint. Atque ipſe ſolebat non rarò conqueri amicis, ſe tanquam conſpirant.
vmbris & phantaſmatibus quibuſdam perpetrati parricidij miſerè agitari.

Hinc factum eſt, vt cùm ſibi à ſuis metueret, fuga ſalutem quærere deliberârit. Ita- Cap. 28.
que cum filio Mieſcone & quibuſdam alijs in Hungariam ſe recepit ad Ladiſlaum re- Fugit in
gem, apud quem ſibi omnia tuta pollicebatur, quòd eum in regnum reſtituiſſet. Et Hungariã.
ab illo ſanè honorificè exceptus, & humaniter aliquandiù tractatus eſt: ſed diuina il-
lum perſequente vltione, ſecundo exilij anno ſubito languore correptus, & amentia
percuſſus, ſyluas & loca auia petebat, vbi à proprijs canibus, cùm repentina morte ex- Miſerè
tinctus eſſet, fertur deuoratus. Ita quod beato Staniſlao ille ſtruxerat, in ſuo cadauere, perit.
ſtupendo Dei iudicio perpeſſus eſt. Plexi ſunt etiam diuinitùs varijs modis qui ei in ſan-
cti viri nece ſocij fuêre. Succeſſit ei Vuladiſlaus frater eius, ſed regiũ nomen ſibi vſur-
pare auſus non fuit, dominũ & hæredem regni Polonici ſe appellans, vti teſtantur li-
teræ eius, quas nos vidimus. Neque Archiepiſcopus Gneſnenſis, Pontificis maximi in-
terdicto abſterritus, eum regem vngere voluit. Inde multo tempore in multos princi-
pes ſciſſum eſt Poloniæ regnũ. Vuladiſlaus autem ſpectata religione & in Deum pieta-
te princeps, miſſis Romam legatis, tandem à Pontifice Gregorio VII. impetrauit, vt in-
terdicto Polonia abſolueretur, & Cracouienſi eccleſiæ Lampertus Pontifici ex ea le-
gatione probè cognitus, Epiſcopus præficeretur. Eſt autem hoc ſanè memorabile,
quòd toto decennio ab interfectione beati Staniſlai ſuper eius ſepulcrum ſingulis no-
ctibus luminaria & lampades cælitùs demiſſæ ardere viſæ ſunt: viſus eſt & ipſe beatus Viſiones ad
vir à multis pijs viris in æde S. Michaëlis, ad cuius fores tumulatus fuerat, collucenti- ſepulcrum
bus lampadibus & vniuerſum templum luce mirabili illuſtrantibus ſtare ad aram S. Staniſlai.
pontificalibus indutus, & benedictionem impertiri ijs, qui eò aduenerant, duobus il-
lum venerabilium perſonarum choris circunſtantibus, & cum illo pſalmos ſuauiſſimè
concinentibus. Quòd ſi qui cineres aut lapilli ab eius ſepulcro ad ægros allati eſſent,
morbi pellebantur.

Poſtquàm autem anni decem lapſi ſunt ab eius martyrio, cuidã nobili matronæ S. Cap. 29.
Staniſlaus per viſum imperauit, vt diceret Lamperto Epiſcopo Cracouienſi & Cano-
nicis eius, ne ipſius corpus diutiùs paterentur tam vili loco & ſepulcro contineri,
ſed

ſed illud in primariam ædem Cracouienſem transferrent. Creditum eſt illi matronæ,
quòd eius dicta etiam alijs teſtimonijs fulcirentur, apertumque eſt monumentum
Transfertur ſacrum corpus eius eius,vnde mox multa odoris ſuauitas effuſa eſt, leuatumque inde ſacrum corpus, ho-
neſtiſſimæ arcæ impoſitum,& in ſummam ædem Cracouienſem Lamperti Epiſcopi &
Canonicorum humeris importatum eſt anno ſalutis milleſimo octogeſimooctauo,
quinto Calendas Octobris : conditumque eſt in ſarcophago elegantiſſimo, è petra
confecto,& lamina aurea contecto,cui laminæ ſeries martyrij eius inſculpta erat.

Cap.30. Plurima deinde meritis beatiſſimi viri edita ſunt miracula, quæ prolixè partim
commemorat author hiſtoriæ huius,ſed more noſtro ob nimiam multitudinem cogi-
mur ea omittere,ne moles operis creſcat in immenſum.Id vnum tamen præterire no-
lumus,quòd cùm diù laboratum tandem eſſet ſub Innocentio IIII. Romano Pontifi-
ce,vt in ſanctos referretur, & Cardinali Oſtienſi Rainaldo, qui poſteà Innocentio ſuc-
cedens, Alexander dictus eſt;admodùm repugnante res effectum obtinere non poſ-
ſet,idem Cardinalis in grauem morbum incidit,qui non ſolùm ipſi, ſed etiam medicis
Apparet Cardinali, eius in ſanctos relationem impedienti. vitæ eius deſperationem afferret. Hoc morbo ad dies aliquot laboranti,apparuit S.
Staniſlaus vigilanti & decumbenti cum multo ſplendore & gloria, eumque comiter
reprehendit,quòd temerè auſus eſſet ipſius impedire in ſanctos relationem : ſed veni-
am ignorantiæ petenti libens ignouit,at ita tamen, vt minaretur grauiter ſimile quip-
piam deinceps tentaturo : iuſſit autem, vt in ſignum ſanctitatis ſuæ quamprimùm ſa-
nus è lecto ſurgeret. Quod ita factum eſt,adeoq; permouit Cardinalem illum, vt cun-
ctis mirantibus repentinam eius ſanitatem,mox ad Pontificem Innocentium ſe con-
ferret, & ſummoperè hortaretur eum, vt ſine hęſitatione in Sanctorum catalogo il-
lum adſcriberet.Itaque Pontifex in eam curam intentus, cùm iam coram infinita ho-
minum frequentia Aſſiſij in hoc opere verſaretur, vidit in templum inferri cadauer iu-
uenis extincti. Ibi tum humi ſe proſternit coram altari,cui aſſiſtebat, orat Dominum,
vt præſenti miraculo confirmet vera eſſe, quæ de Staniſlai ſanctitate dicerentur. Vix
Surgit quidam defunctus. precem abſoluerat, cùm eccè defunctus redit ad vitam, & Pontifex tam inſigni viſo
miraculo,pergit in offerendo ſacrificio,pronunciatq; S. Staniſlaũ in Sanctis deinceps
Canonizatio S.Staniſlai. numerandum,diemque feſtum ei celebrandum octauo die Maij,quo occiſus,fuit. In-
cidit hæc res in annum Chriſti ſupra milleſimum ducenteſimum quinquageſimum,
cùm iam à cęde beatiſſimi Staniſlai fluxiſſent anni centum & ſeptuagintaquinque. Per-
multa inde ſecuta ſunt miracula,quibus Deus cohoneſtauit ſanctum martyrem ſuum
in laudem & gloriam nominis ſui,quod eſt benedictum in ſecula, Amen.

VITA S. PETRI ARCHIEPISCOPI TARENTASII, AVTHORE GAVFRIDO ABBATE ALTAETVMBAE,

cui eius ſcribendæ negocium datum fuit à Ciſtertienſe & Clarauallenſe Abbatibus,cùm Lucius Romanus Pontifex illis mandâſſet, vt eam conſcribendam curarent.

PROLOGVS AVTHORIS.

Heb.13. VT à verbis Apoſtoli præfatiuncula noſtra ſumat initium,Chriſtus Ie-
ſus herì & hodiè, ipſe & in æternum : Et quemadmodùm nullis re-
Actor.14. trò generationibus ſine teſtimonio ſemetipſum cognoſcitur reli-
quiſſe, nec noſtro credendus eſt tempore in hac ſibi parte deeſſe.
Nec ſolùm ſibi vel nũc reliquit Eliam, cuius theſaurus chariſmatum
nulla diſtributione minuitur,cuius opes gratiæ ſpiritualis ſicut defe-
Præfatione in Peutateuchum Moyſi. ctum neſciunt,ita nec detrimentum.Sanctus olim Hieronymus cau-
ſabatur contemporaneos ſuos ſic ingenia quaſi vina probare, quibus videlicet gratia
Eccli.11. ex vetuſtate ſuccreſcit.Quid putas diceret,ſi videret merita quaſi vina probari ? Viuen-
tium tamen eatenùs prædicare virtutes prouerbialis doctrina prohibuit. Quod non
modò cauere neceſſe eſt ob humanæ conditionis incertum, ſed propter illud quoque
Ouid. 1. Amo.Ele.15. Poëticum,quia Paſcitur in viuis liuor,poſt fata quieſcit.Nouit Dominus,qui ſunt eius,
Pſal.73. & ſtellas ſuas diſtribuit in ſigna & tempora,dies & annos. Nemo itaque dixerit : Iam
non eſt propheta,& nos non cognoſcet ampliùs. Et veritati contraria eſt talis opinio,
& inimica ſaluti.Neceſſitatem patientibus ſubtrahit opportuna ſuffragia,& proficien-
tibus ingerit ex perfectionis deſperatione teporem. Needùm nobis ſuperueniſſe cre-

dendæ

denda eſt admiſſura ſerotina, vel cōceptus extremus. Necdùm ceſſat luctator ſtrenuus Gen. 30. & fidelis varias imponere virgas aquarum canalibus, vel ſcripturarum codicibus, vel, quia aquæ ſunt populi, decurſibus tranſeuntium generationum. Virgas ex populis, vnde ſuauia ad refrigerium conficiuntur vnguenta, miſericordiæ viros poſſumus intelligere, in populis commendantes. Virgas ex platanis, quarum ſolida pulchritudo & leuigata planities ædificijs præſtat gratiam & decorem, religioſorum hominum irrepræhenſibilem accipimus ſanctitatem, quæ probabilibus domum Dei ædificat & illuſtrat exemplis. Virgas ex amygdalis, quarum vtinam ſingula quæque die altera, poſt præſentem vitam ſcilicet, vt illa quondam Aaronica, fœcundior innoteſcat, in tertio Num. 17. ordine prælatos accipimus. Quæ vtinam frondes proferant ad obumbrandum reis vtiliùs, quàm ex folijs ficuum perizomata primi texuêre parentes. Vtinam flores gra- Gen. 3. tiæ & deuotionis exhibeant, quibus interim fulciantur amore languentes. Vtinam producant amygdala, id eſt, nuces, longas videlicet, non breues: fructū, qui non tranſeat, fructum ſalutis & ſatietatis æternæ. Quanuìs & aliter intelligere liceat, & referre frondes ad verba doctrinæ, & flores ad exempla vitæ, ſummum etiam fructum ad orationis effectum. Denique huic virgæ, quam ſuæ generationis hominibus diuino exhibitam munere, propoſiti noſtri eſt poſteris etiam redhibere, tam excellenter affuit in eleemoſynarum exercitijs vnctio miſericordiæ, in conuerſatione ſua monaſticæ ſolidus nitor profeſſionis & puritas diſciplinæ, in prælationis officio fœcunditas multiplicis gratiæ, vt difficilè dixerim, quid inter populeas, aut plataneas, vel amygdalinas debeat reputari. Sic nimirùm vixiſſe eum, & cuilibet horum trium velut ſpecialiter fuiſſe deditum conſtat, vt tranſeuntem ex hoc mundo ad patrem omnes viri miſericordiæ, omnes filij diſciplinæ, omnes etiam ſponſæ Domini fideles & ſtrenui paranymphi, ad ſua certatim mœnia meritò rapuiſſe credantur, ſibi quique proprium vendicantes. De quibus ſingulis vel pauca quædam, religioſorum fratrum teſtimonijs comperta, ſequens narratio compræhendet, quantum ſcriptori inſcio tanti pontificis merita contulerint.

VITAE HISTORIA.

CAPVT I.

VEnerabilis huius Petri parentes, prædium proprium in Vi- Maij 8. S. Petri parentes. ennenſi incoluêre diœceſi, quod poſtmodùm idemipſe, priori mutato nomine, S. Mauritij nuncupauit. Illic & iuſtis ſuis laboribus victu mediocri vitam ſobriam tranſigebant, ſecundùm ſeculum præſens humiles, ſed erga pauperes eleemoſynis & cōpaſſione, erga viros religioſos obſequijs & affectione deuota, apud Deum ingenui & ſublimes. Eo tempore Ciſtertienſis monaſterij vinea iam fructificans, ad illas etiam partes dilatauit palmites ſuos. Quos reuerendiſſimus Archiepiſcopus Guido, in ſummum pontificem Calixtum, ſecundùm mutationem dexteræ excelſi poſtmodùm aſſumendus, feliciter plantauit in monaſterio Bonæuallis, fidelium multitudo rigauit, ad benedictionem ſuam dedit Dominus incrementum. Huius cœnobij primus abbas Iohannes, multiplici præditus ſanctitate, pontifex demùm factus eſt Valentinus, & maximè poſt glorioſum ab hac vita diſceſſum miraculis claruit quàm multiplicibus & immenſis. Parentes quoque prædicti Petri, à primordijs monaſterij multimoda cum deuotione colebant. Quorum primogenitus, Lambertus nomine, literarum ſtudijs traditus, in puerili erudiebatur ætate: Petrus verò ſecundus natu, officio fuerat alteri deputatus: fraterna tamen æmulatione, vel potiùs inſpiratione diuina, ipſe quoque ad eadem ſtudia vehemēter adſpirans, proficiebat catenùs, vnctione ma- Felicitas ingenij & diſcendi celeritas. gis quàm eruditione magiſtra, vt mirari inciperent, qui videbant puerum, literas rapientem, ampliùs diſcere quàm doceri. Nec ingenio memoria, immò neutri gratia defuit. Deniq; pſalmos omnes Dauidicos ſic appræhendit, ſic tenuit, vt anno primo cordetenùs vna die pſalleret vniuerſos. Præuentus in benedictione dulcedinis, à pueritia Morū maturitas. grandiuſculam ſibi induit grauitatem, lectionis amator, ludorum fugitans, quibus illa conſueuit ætas potiſſimùm delectari. Eo tempore, iam legitima liberorum procreatione completa, vitam in ſeculo eremiticam præoccupare parentes, abſtinentiæ dare Parentum eius vita religioſa. operam, à coniugij opere penitùs abſtinere, & amplius ſolito eleemoſynas exercere cœperunt. Deputauerant molliora fulcra pauperibus, ipſi in palea recubātes. Et cùm

tota domus xenodochiũ videretur, aſſignata erat pauperibus & peregrinis propria cella ſeorſum. Religioſos nõ modò ſuſcipere, ſed expetere ſatagebant. Maximè verò Carthuſienbus & Bonæuallẽſibus, in quibus maximè cõplacebant, cõgrua ferre cibaria, & ſalutis cõſilia ab eiſdẽ non modò ſibi ſectãda, ſed pluribus communicanda referre. Pacem habere cũ omnibus, pacem omnibus ſuadere, & ad pacẽ reuocare diſcordes. Iniuriam patientibus opẽ ferre, opportunè arguere, quos licuit, inferentes. Cilicio pater vtebatur ad carnẽ, quod ſub veſtibus ſibi congruis occultabat. Ambo pariter magis ac magis innocentiã conſeruare, ſectari iuſtitiam, colere pietatem, in fide & operibus bonis liberos educare. Filijs clericis nulla volebant beneficia eccleſiaſtica tribui, licèt adhuc in ſeculo conſtitutis, quod vix ſolent etiam religioſi præteruitare parentes.

CAP. II.

IAm Petrus iunior (nam & genitor ipſo nomine vocabatur, Apoſtoli proinde Petri cultor officioſus & affectuoſus amator) Pythagoricę literæ biuium & ambiguũ adoleſcentiæ tempus attigerat. Iam pro ætate & religione ſua in ea quidem literali doctrina, quæ competere vtrique videbatur, fructum potiùs conſcientię eligens, quàm infanitis ſcientiæ folia vana ſectari, ſuadente abbate Iohanne, ad quem pater propter hoc ipſum, ſed alia occaſione, accedere eũ fecerat, prædicto Bonæuallis cœnobio ſeſe contulit, ibi ſeſe offerrens Deo ſub regula & Abbate fideliter ſeruiturum. Votum vouit, & votum ſoluit, ſupplicem Deo & miſerentẽ animæ ſuæ, corpori durum caſtigatorẽ, prælatis obedientiſſimum, humilem cunctis fratribus, cunctis amabilem, nec multò poſt etiam vtilem, imitabilem, venerabilem, raptim potiùs, quàm paulatim, proficiendo, incipiens exhibere. Iam tunc firmiter locabantur in eo ſublimium ſolida fundamenta virtutum, & radices deorſum mittebant, ſurſum fructificatura genimina gratiarum. Lambertum quoque germanum ſuum ab eodem conuerſionis ſuæ initio ſecum traxit. Qui nimirùm & ipſe laudabiliter conuerſatus, in cœnobio, quod Caſiriacum dicitur, Abbatis officio ſtrenuè functus eſt, & defunctus in eo. Nec longè pòſt, quàm Petrus noſter tyrocinij ſui tempus expleuerat, reuerendiſſimus Abbas Iohannes intelligens, quoniam vas electionis eſt iſte, per diuerſos eum gradus ad officia diuerſa promouit, ſemper ſeipſo inueniens, quanto perfectiorem, tanto humiliorem.

Petrus fit monachus Bonęuallis.

Virtutes eius.

CAP. III.

INtereà tempus affuit, vt nouus eligeretur Abbas, cum nouo fratrum examine in nouo Stamedij monaſterio ordinandus. Dicitur verò Stamedium, quaſi ſtans medium, quòd circa eundem locum, prouinciæ duæ & duo conueniant comitatus. Votis communibus & Abbatis Iohannis arbitrio Petrus eligitur, vt ſupra illam petram, illam fundaret Dominus, illam ædificaret eccleſiam. Ad locum mittitur arduum, locum aridum, locum arctum, & quod maius incommodum videbatur, iuxta publicam ſtratam penè iugiter à multitudine commeantium frequentatam. Sic certamen forte fortiori datum, vt vinceret & ſciret, quoniam ſit fortior omnium ſapientia. Quantis humanitatem ieiunus hoſpes exhibuit, quantos ſeminudus & algens ipſe veſtiuit? Inter excelſas rupium fauces, ſicut cernere eſt, ſibi ſuiſque cœnobiũ, xenodochium alijs conſtruebat. Sed exteriora grauamina paruipendens, ſecum grauiùs luctabatur, admirans, quòd tale ſibi officium Dominus & tantum nomen permiſiſſet imponi, nullum ſeſe æſtimans, nullum profitens, nullum gerens. Obſequijs potiùs, quàm iniurijs mouebatur. Pedes ibat ad longiùs poſita tuguriola fratrum, & ad remotos in Alpibus recuperabat agellos. Pane arcto & aqua * graui, incõdito & vix ſalſo olere veſcebatur. Dedit tamen Dominus benedictionem, & illuſtratus eſt ædificijs, donatus paſcuis, agris, vineis locus, licèt remotis, & vnde ad monaſterium non ſine multo labore vel nunc queant cibaria qualiacunque deferri. Nihilominùs etiam humanitatis & compaſſionis erga pauperes & peregrinos hæreditariam gratiam eiuſdem cœnobij fratribus dereliquit, vt celebris hodieque fama pronunciet, Stamedienſes, ſupra multos abundantiores, magis humanos, ampliùs liberales. Iamtunc panes & caſei fruſta circunferens, in ſinu miſerabilium perſonarum, dum occurrerent, abſcondebat. Quod in epiſcopatu magis exercuit, ſocijs etiam ſuis onera pia communicans. Si prandendum foret iter agenti, vt fit aliquando, diuerticula declinabat, iuxta callem publicum reſidens, vt menſa eius etiam tunc cum pauperibus foret & peregrinis. Illuc quanto pauperior, tanto acceptior hoſpes vel infirmior aduentabat. Prouiderat autem Dominus vltimum congruam huic viti & alijs, in eadem tunc fructificantibus regione, illuſtrem principem & bonorum memoria dignum Marchionem Italiæ, Sabaudiæ & Maurienna co-

Creatur Abbas Stamedienſis.

Sap. 10.

** breui*

Vide animum in pauperes valdè benignum.

næ comitem Amedeum. Hic deuotus admodùm viro Dei, præter alia beneficia, horreum quoque cum vineis, quod Montem Melioracum vocant, eius cœnobio contulit, vt infra arduos montes haberet, quò diuerteret, quādo eum, in quo ſibi plurimùm complacebat, conſilij gratia accerſiret. Iam mundo cœperat innoteſcere, iam lucere in operibus ſuis, vt glorificaretur pater cæleſtis in eo, cuius cor ardens erat in ſemetipſo ex ignito eloquio ſapientiæ, de qua legitur, quoniam cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Ad meditandum enim, cum Iſaac Patriarcha egrediebatur in agrum: & ſapientiam concupiſcens, mandata ſeruabat, vt daret illam Dominus ſibi, & intelligeret à mandatis, piæ deditus actioni, ſacræ contemplationis obtentu. Amedei principis liberalitas. Prouer.3. Gen.24.

CAP. IIII.

INtereà videns eum Rebecca, vultum operuit, & deſilijt de camelo. Siquidem Tarentaſienſis eccleſia virum ſibi à Domino præparatum & prædeſtinatum conſiderans, ab Idraële quodam, moribus magis quàm nomine barbaro, de priore errore confuſa, receſſit. Ille enim prædictam eccleſiam nequiter occupârat, nequiùs detinuerat, ambitiosè ingrediens, & perniciosè progrediens, vt prauo inchoata principio, ſimilis exitus conſummaret. Hunc præceſſerat cum reuerentia nominādus alter Petrus, ex Abbate primi monaſterij, quod ex Ciſtertio prodijt, Firmitas nomen illi: & ex eodem ordine ad Pontificium primus aſſumptus, vir Deo dignus, in vita ſua optimis prędictus ſtudijs, & poſt obitum, ſicut aiunt, pluribus vſque hodiè fideliter accedentibus, ad memoriam ſuam ægrotantibus conferens ſanitatem. Hunc ſecutus eſt hydræ ſoboles Idraël ſupradictus, ſed temporis ſorte, non imitatione virtutis. Quod enim ille correxit in moribus, quod acquiſiuit in poſſeſſionibus, quod eccleſiaſticis addidit ornamentis, hic corrupit, diſtraxit, dilapidauit in breui. Propter hæc & ſimilia arbor inutilis Apoſtolica falce præciſa, & Dominus Petrus Stamedienſis ad regimen eccleſiæ Tarentaſienſis electus eſt, cæterorum omnium votis conuenientibus, ſed non ſuis. Nullatenùs enim potuit ad conſenſum electionis induci, donec conuentum Ciſtertij Capituli generalis eiuſdem eccleſiæ clerici præſtolantes, illic eum intercepêre, vbi ſubterfugium deinceps non haberet. Ibi authoritate totius ordinis eſt oppreſſus, maximè verò ſancti Bernardi Claræuallis, cui reuerentiam ſemper exhibuit ſingularem, & venerabilium patrum ſuorum Ciſtertienſis & Bonauallenſis Abbatum. Ab ijs angariatus, & manualiter clericis aſſignatus, obtemperauit inuitus. Idrael pſeudoepiſcopus. S. Bernardus Abbas Claræuallis.

CAP. V.

SIc promotus eſt in Tarentaſienſem archiepiſcopum venerabilis Petrus, ſed parum motus à forma vitæ, in qua fuerat conuerſatus: manſit habitus humilis, victus tenuis, ſomnus breuis. Si meliuſculam veſtem quæcunq; perſona attulit, non longā fecit cum eo moram: ſed ad alterum tranſijt poſſeſſorem. Victus eius, panis cibarius cum legumine, & talibus erat oleribus, vt ex eadem olla miniſtraretur egenis: niſi quòd meliùs condita frequenter illis præcipiebat offerri. Id dico, quod mihi ſæpiùs datum eſt experiri. Ad Romanam curiam cum eo aliquando profectus ſum: & quia ieiunantibus nobis pauperes priùs prandere volebat, & iterùm atque iterùm ſuperuenientibus erogari, pluries accidebat, in ſuperfuſa aqua & iure ſecundo vix modicum oleris aut leguminis inueniri. Et licèt plurimùm mihi ſanctus ille deferret indigno, ſæpiùs tamen cùm ſua priùs cibaria ſuperuenientibus porrexiſſet, vel clamitātibus miſiſſet egenis, noſtra quoque tollebat quaſi murmuranti, ſed vt ſatis cognouerat, ſuper huiuſmodi rapina potiùs gratulanti. Pro vigilijs prolixioribus monaſterij, à quibus ſe deplorabat auulſum, ſecretis orationibus inſiſtebat. Opera manuum, labore compenſabat itinerum: ſed & manûs impoſitionis, id eſt, confirmationis non modò infantum, ſed & perſonarum cuiuſcunque ætatis, vbique ad eum & vndique confluentium, aliquandò de manè vſque ad crepuſculum noctis & vltrà protrahebat: diſciplinam ſilentij, prædicationis inſtantia redimebat. Subtilioribus tamen eloquijs animum minùs apponens, perſonis potiùs alijs imponebat, quoties auditoribus diſertis competere talia viderētur. Ipſe magis doctrinam ſimplicem ſectabatur, ſtudens eruditioni, conſolationi, exhortationi, obſecrationi, & quanuis minùs libenter & minùs frequenter, interdùm tamen increpationi. Volebat enim & ipſe quinque verba magis in ſenſu, quàm in lingua decem millia, loqui. De mandatis Dei erudiebat ignaros, & fidei ſacramenta ad diſcuſſionem minùs idoneis, ſermonibus paucis inuoluta tradebat: quemadmodùm olim filijs Caath vtenſilia tabernaculi non licuit, niſi tecta, deferre. Conſolabatur magnificè pœnitentes, non modò in locutione communi, ſed multo magis in collocutione S. Petrus fit Tarentaſius Archiepiſcopus. Eius victus. 1.Cor.14. Num.4. Erga pœnitentes vt ſe geſſerit.

tione ſecreta: flere ipſe cum flentibus, & præuenire minùs adhuc ſua crimina, ſua diſcrimina ſentientes, monitis excitare viam ſalutis ingreſſos, nunc parata fidelibus præmia, nunc priorum exempla proponens: obſecrare deuotionis capaces animos, diuinam erga homines charitatem affectuoſè commendans, & commemorans beneficia, vel ſingulariter aliquibus perſonis, vel cõmuniter vniuerſis exhibita. Improbos etiam duriùs arguens, increpare, horrorem malitiæ, flagitiorum maculas execrans, & futura velut ſub oculis ponens ſupplicia, terribili proſecutione depicta. In colloquijs etiam

Prouer. 25. familiaribus, quemadmodùm ventus Aquilo diſſipat nubes, ſic verba detractoria, noxia, ocioſa, non modò facie triſti, ſed & reprænhenſione congrua præcidebat. Sed vt verborum fructus ex operibus innoteſcat, ad ea deinceps accedendum.

CAP. VI.

In ſua Eccleſia quæ inuenerit meritò corrigenda.

IN eccleſia ſuâ reſidens nouus pontifex, inuenit quod vehementer doluit, negligenter in ea fieri opus Dei, vt non tam remuneratiò præſtolãda, quàm metuenda maledictio videretur. In moribus clericorũ non ſatis ei placuit, quia nec Deo credidit complacere. Epiſcopij & clericorum incultæ vel ruinoſæ domus, priſtinos habitatores negligentiæ arguebant. Parochiales eccleſias & decimationes diœceſis ex magna parte viri potentes laici, vel ab eis alij poſſeſſione ſacrilega detinebant. Sacerdotum vita minùs probabilis, & ſibijpſis plurimùm noxia, & plebibus pernicioſa exiſtebat. His & huiuſmodi rebus intendit & ſuperintendit epiſcopus, ſuũ ſibi nomen interpretans. Orationi inſtitit deuotione fideli, & prælatus in ſolicitudine ſubditis operam ſedulus & circunſpectus impendit. Super omnibus tamen confiſus eſt magis orationi, quàm induſtriæ propriæ vel labori. Denique, quod vix aggrediendum fuerat, vix ſperandum, de eccleſia ſua magnos & nobiles viros amouit clericos ſeculares, & pro eis regulares canonicos introduxit: neutrum ſibi imputans, ſed diuinæ ſapientiæ fortiter & ſuauiter

Sap. 8. omnia diſponenti, ſine graui ſcandalo vtrunque opus perfecit. Ordinatos quoque canonicos, in diſciplina morum diligenter inſtituens, egit vt diuina officia digniùs & honeſtiùs celebrarent, vt eorum conuerſatio regularis & opinio acceptabilis, ad ſalutaria ſtudia cęteros quoq; tam clericos quàm laicos excitaret. Cum quibus intrans & exiens fidelis antiſtes, pſallebat in choro: in clauſtro vel capitulo reſidens, de ſpiritalibus ſtudijs ſiue etiam temporalibus conferebat agẽdis, quemadmodùm magiſter diſcipulos erudit, nutrix fouet paruulos ſuos. Necnon prouidit eis ad tempus, ſed in poſterũ quoque de reditibus epiſcopij non modicam contulit portionem: vt merito ſimul & numero clerus Domino ſeruiens augeretur. Et ſuæ tamen domui reſtituit ampliora, præſertim ex parochiarum ſtipendijs & ex decimis, quas de manibus tyrannorum per cenſuram Eccleſiaſticam potenter eruit, vel liberaliter pecuniarum collatione rede-

Eccleſias vt ornárit. mit. Cæteros etiam ſacerdotes & corripuit & correxit, eccleſias neceſſarijs vtenſilibus, pallijs, libris & veſtibus competenter ornauit: nullam penè capellam in toto epiſcopatu ſine argenteo calice dereliquit. Vbi aliam comperit non ſuppetere facultatem, (Siquidem valdè inops eſt regio) ex ſingulis domibus oua ſingula per hebdomadam colligi & venundari fecit, donec ad precium calicis peruenirent. Pecunias non repoſuit, auaritiæ idolum deteſtans. Annonas annotinas eſſe, & ſuis annis voluit deſeruire. Debita grandia non contraxit, nec qualibet occaſione ſeruus fieri voluit fœnerantis, ſua ſemper mediocritate contentus. Comites religioſos & paucos, in ſua præſertim diœceſi, circunducens, eccleſijs fieri noluit oneroſus, obſecrans hoſpites ſuos, vt quod minus in familia vel equitaturis conſumerent, fratribus ſuis, qui nuſquam illi deerant, erogare pauperibus non pigeret. Cathedralem baſilicam texit lapidibus, caput & campanaria plũbo operuit: Quam multipliciter pro qualitate prouinciæ decoratam, ornamentis etiam competentibus illuſtrauit. Exteriorem quoque decorem, vt decuit, domûs Dei diligens & procurans, ſuas & clericorum domos vel renouauit, vel nouas

In ædificijs quid ſpectárit. condidit, non admirationem intuentium captans, ſed moderata inhabitantium commoditate, vel mediocri amœnitate contentus. Specialis ſiquidem cura extitit præſuli & ſolicitudo permaxima ſuper egenis & ægris vtriuſlibet ſexûs & cuiuſcunque ætatis. Domus eius omni tempore xenodochium fuit. Maximè tamen ante meſſem men-

Hoſpitalitas inſignis. ſibus tribus, quando maximè ſolent, illis præſertim in montibus, illis in rupibus, alimenta deficere, ſingulis annis ſtatuerat agapen fieri generalem, & quotidiè multitudinem vndique concurrentium pane refici & pulmento. Nihilominùs quoque per vniuerſam diœceſim ſuam inualidos & deſperata ægritudine decubãtes ſtudioſè per-

Erga ægros cura & be- quirens, in victu & veſtitu neceſſaria prouidebat, per ſeipſum, quos poterat: quos non poterat,

poterat, per fideles nuncios ſæpiùs viſitans, & erga eorum curam ex contingentibus nihil omittens. Quibus cubicula propria vel ſuorum ſolatia deerant, dabat operam, vt perſonis committerentur fidelibus & deuotis, apud quos humanitatẽ eis faceret idoneam exhiberi. Ipſe verò, quacunquè pergeret, tanta libertate, tanta affectione curam gerebat huiuſmodi miſerabilium perſonarum, vt nummos, cibos & veſtimenta non poſtulantium importunitas extorqueret, ſed charitas vltrò porrigeret. Pluris etiã æſtimabat occaſionem ſibi præſtitam miſerendi, quàm exhibitum à ſe beneficium quodlibet indigenti. Quoties eius munera lachrymæ præuenerunt, vt pietatis adeps holocauſto pontificis non deeſſet? Furabatur quæ ſua erant, etiam quæ ſuorum, vel ſibi adeò familiarium, vt certus foret, in ſuo eis damno fore complacitum. *Benignitas ſingularis.*

CAP. VII.

EST mecum frater, qui in ſua ei adoleſcentia notus extitit & acceptus. Eo didici referente, quòd apud matronam aliquando deuotiſſimam, velut alteram ſibi Martham miniſtrantem, recumbens, panes abſcondit in ſacculo, quem ferebat. Aduertit mulier, & panes alios & alios frangẽs atque declinans, dabat opportunitatem, donec ſacculus impleretur. Surgitur iam à menſa, ſed pietatis furtum epiſcopus ferre non præualet. Adſtantem denique, quem prædixi, tunc ſecularem, nunc monachum, in conſenſum huius operis adſciſcens, innuit vt cadentem ſacculum clàm ſuſcipiens, abſportaret. Suſcepit, tulit, & reſignauit iam ſedenti ſuper humile animal ſuu m *Exemplum rarum in Archiepiſcopo.*

CAP. VIII.

ALpem quandoque grauiſſimam, cui nomen Columna * Iouis, tempore hyemis pertranſibat. Occurrit anicula ſeminuda, debilis, algens, & lachrymis vſquequaquè reſperſa. Videns ſacerdos, immò Samarites, non tranſijt: ſubſtitit, & conuenit ſocios ſuos, dicens: En mater mea. Nec ſine ſingultu & lachrymis compaſſionis adiecit: Me miſerum: perit frigore mater mea. Quid faciemus ei? Si damus nummos, nihil proderunt morienti. Quis noſtrûm poteſt ſibi ſubtrahere, vnde poſſit iſta vitam protrahere? Quæſiuit, & non inuenit, quòd omnes ſibi in periculo poſiti viderentur, vix à facie frigoris ſuſtinentes. Hyberno ſiquidem, vt prædixi, tempore loca peſſima pertranſibant, vbi frigus vix tolerabile inuenitur æſtiuo. Sed non fuit, qui faceret bonum, non fuit vſque ad vnum: diſſimulante eo, iuſſi præcedunt cæteri: ipſe non ſubſequitur, ſed ſubſiſtit. Deſcendit, vnicam exuit tunicam, qua ſuper cilicium induebatur: & cucullam reſumens, miſerabilem induit fœminam, & procedit. Attamen pedes graditur viam difficilem, inter frigoris & laboris moleſtias conſtitutus. *Luc. 10.* *Vide eximiam charitatem.*

CAP. IX.

IN eadem Alpe tam graui xenodochium inops ac penè nullum reperiens, efficacem adhibuit operam & impenſam, vt ædificijs dilatatum, prædijs & animalibus locuples, tranſeuntium neceſſitati ſubſidia opportuna miniſtret. Sic in monte, qui meritò dicitur Læſionis, licèt extra prouinciã ſuã conſtituto, viã vix cõmeabilem, multo labore rupibus ſciſſis, ex magna parte correxit, & hoſpitalẽ in eo domũ cũ fratribus religioſis inſtituit. Tertiũ in * Iurenſibus ſolis xenodochiũ ordinauit, vt non modò præteritas eius eleemoſynas enarret ſanctorum eccleſia, ſed in futurum ſentiat & præſentes. *Aliquot xenodochia inſtituit.* *Virenſibus*

CAP. X.

ALtera hyeme nimis horrida ſimilem ſupradictæ mulierculam, in vna tantùm veſte lutea tremulam & lachrymoſam, idem ſanctus inuenit. Huic etiam, alio non occurrente ſolatio, quod impenderet, non ſine corporis ſui periculo veſtem ſimiliter propriam, occultè ſibi detractam, miſerculæ tradidit, & celeriùs declinare præcepit. Ipſe verò pro ea duriùs alguit, expalluit, tremuit: & ignorantibus ſuis, inter eos diſſimulans, incommodum pariter & periculum tolerauit. Ventum eſt ad hoſpitium, & intuitus eum frater, expauit: Et heu, inquit, pater quid accidit? Conſiderans denique frigoris acerbitate confectum, & inueniens ſub cuculla tunicam non habere, ſuam tradidit illi, & operuit pannis in lectulo collocatum. Ibi demum refocillatus, recaluit & ſurrexit. Ipſo fratre narrante, hoc didici, & quod ſequitur alterum pietatis opus, cum virtutibus etiam multis, quibus præſens interfuit, & diligentiùs explorauit. Plurimis enim annis eius obſequijs deſeruiuit. *Mira charitas.*

CAP. XI.

IN regione Prouinciæ per Nemanſenſe territorium pater ſanctus iter agebat. Cui obuiàm puer ſeminudus, immò etiam ſemiuiuus, exijt ex tugurio vili, & intuitus eum, interiùs ſe recepit. Intelligens itaque vir miſericors oblatam ſibi diuinitùs miſe-

ricordiæ facultatem, puerum ſequitur, intrat tugurium, miſeram inuenit & miſerabilem fœminam, ægritudine & inedia laborantem. In palea modica recubabat, vno tecta panniculo, non tam vilis precij, quàm nullius. Vniuerſa ſupellex, olla vna non grandis erat. Lachrymæ verba præueniunt. Accedit tamen, alloquitur, audit ſeptimam diem eſſe, ex quo panem miſella non nouit. Ibi ſuis ille non parcens, veſtes alias atque alias tollit: veſtit fœminam, veſtit & puerum, pecuniam ſufficientem ad totius menſis victualia coemenda largitur. De ſacratiſſimo patriarcha Iohanne legimus, multas ei pecunias quàm frequenter oblatas, & ab eo quàm liberaliter reſignatas eſſe pauperibus. Qui iuxta illud Cantici canticorum, Dilectus meus mihi, & ego illi, factis implebat, quod quidam ex miniſtris eius poſt ipſius tranſitum non eſt veritus dicere de eo: Sic, ſic: Tu mittendo, & ego diſpergendo: videbimus verò, quis vincat. Sic noſter quoque eleemoſynator canalem ſeſe exhibuit, influentem iugiter aquam, iugiter refundentem, nil retinentem ſibi de plenitudine ſua.

Inſignis benignitas & liberalitas.

S. Iohannes patriarcha Alexandrinus.

Cant 2.

CAP. XII.

DEſcendente eo aliquando ad partes Galliæ, religioſus quidam frater, œconomus epiſcopi, per nuncium ſupplicans ſupplicabat, aliquatenùs ſibi quoque ſuper quibuſdam agendis anxio ſubueniri, & de his, quæ tribuerentur, aliquam reſeruari benedictionem. Subriſit pontifex ad hoc verbum, propoſitum gerens aliud, aliam voluntatem. Ipſo denique firmiter aſſeuerante cognoui, per cuius manum pecunia penè tota tranſiuit, quòd erogatis in eodem itinere duobus millibus ſolidorum, ne vnum quidem reſeruauit, ne vnum miſit vel attulit ad domum ſuam.

CAP. XIII.

VNdique iam ad eum & vbique confluere cœperat innumerabilis & intolerabilis multitudo, animarum & corporum remedia quæritans, tangi poſtulans, flagitans benedici. Intereà cauſa extitit, vt in monaſterio ſancti Eugendi in locis * Iurenſibus moram faceret menſibus duobus & vltrà: vbi tantas per eum præſtitas ſanitates regio tota cognouit, vt incredibilis turba concurrens, ac ſi iurata foret in eius necem, non modò comprimeret, ſed opprimeret imbecillem. Vix tandem locus idoneus, locus tutus potuit inueniri, turris baſilicæ ſancti Eugendi, per duas hincinde cochleas aſſcendenda. Illic poſita ſedes, lignis fortioribus circunſepta, vt ſolam manûs impoſitionem, vel auditum & reſponſa perciperent, qui per alteram ſeriatim cochleã aſſcendentes, per alteram exinde deſcendebant, vt nec illi, nec ſibi inuicem poſſent eſſe moleſti. Tam multis inibi cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, & incommodis varijs laborantibus contulit deſiderata remedia, vt difficilè quis dinumerare, nedùm ſcribenda ſeruare potuerit ſigna virtutum, quibus in ſeruo ſuo glorificatus eſt Deus. Omnes tamen ad ſacram Eugendi beati memoriam tranſmittebat, vt gratiarum actionem Deo & venerabili ſoluerent confeſſori.

*Vitenſibus

Innumeri per ſanctũ virum curantur.

Obſerua modeſtiam.

CAP. XIIII.

INter crebras aduentantium multitudines, horribilis quædam matrona prægnans, ſuper equum minus quietum, minùs domitum properabat. Offendens equus in via, & exacerbatus ad mulieris ruinam, grauiter fremere & calcitrare cœpit atrociter circa eam. Adhærentem denique carni interulam multis in locis pedibus ſcindens, nihil nocuit nomen præſulis inuocanti. Cui demùm exhibita gratias egit, periculum referens, quod euaſerat, & oſtendens omnibus veſtem laceratam, corpus illæſum.

Fœminam ſeruat illæſam.

CAP. XV.

AFfuerunt tres viri de ciuitate Lauſanna, ſub obteſtatione diuini nominis firmiter aſſerentes verbum dignum memoria, dignum reuerentia, dignum admiratione, ſed quod in ore trium teſtium ſtare debeat. Clauſos ſiquidem in ergaſtulo perhibebant aliquandiù ſeſe fuiſſe detentos. Interim cœpit in ciuitate illa virtutum, quas per beatum Petrum Dominus actitabat crebriùs, fama crebreſcere. Ad cuius nominis inuocationem fideli ſupplicatione conuerſi ſunt, eius ſibi meritis poſtulantes diuinitùs ſubueniri. Contigit igitur die clara cuſtodes ſuos ludere alea ante oſtium carceris obſeratũ, illos clauſos & compeditos interiùs lamentari ſuæ calamitatis ærumnas. Adeſt intereà pontifex inuocatus, ſoluit compeditos, manũ porrigit, aperit oſtium, iubet vt exeant. Sic manifeſtus apparens, viros extrahit & educit. Et cùm nulla foret mora vel opportunitas diuertendi, ſequentes præuium ducem ſuum, ſuper tabulas, quibus ludebant, inter medios tranſiêre cuſtodes. Nec mirum, ſi videri

Educit tres viros è carcere ſtupendo miraculo.

ab

ab hoſtibus præſentes ipſi non poterant, qui ſic ſibi videre videbantur abſentes. Nec ab eis pontifex antè diſparuit, quàm euaſiſſe pericula, & ad locum ſeſe cognoſcerent perueniſſe ſecurum. Vnde etiam voto ſeſe obligantes, non guſtauêre cibum, donec ad ſui præſentiam liberatoris accederent, noua & mira Dei magnalia prædicantes.

CAP. XVI.

VEruntamen ſicut multis innotuit, locus ille admodùm ſterilis eſt, & nihilominùs grauis acceſſu, vt cibaria vix ex ſe proferat, vix aliunde recipiat. Compatiens proinde vir miſericors multitudini confluenti, quæ à domo vel à diœceſi ſua per fideles nuncios poterat obtinere, quicquid ab aduentantibus ſuſcipiebat oblatum, in cibos pauperum erogabat. Accidit autem, vt die quadã ſabbati propter aëris intemperiem ad venundandum conuehere ſolitis negaretur acceſſus, & miniſtri ſuggererẽt nullam penitùs facultatem, conſilium nullum ſuppetere, vt inſtanti Dominica poſſet refectio conſueta pauperibus exhiberi. Erãt enim plura millia, & vna tantùm porcina ſibi perna cum modica viciarum quantitate remanſerat, vt totũ ſimul caperet olla vna grandis quidẽ, ſed hæc quid inter tantos? Imperat tamen, vt quod poſſunt, id faciant: quod habent, hoc præbeant, quandoquidem ſpes nulla ſuppeteret aut facultas ampliora quærendi. Manè facto, coctis cibarijs, in atrium introducta pauperum multitudo, cui viderentur præparata poſſe ſufficere. Refectis illis, cùm adhuc eſcæ ſuppeterent, alij ſunt introducti: & ipſis itidem ſatiatis, mirabantur quòd cibus adhuc ſupereſſet. Nec prius ceſſauêre, quàm dies cum eſcis ſimul & pauperum numeroſitate deficeret. Nec mihi fateor mirum videri debet, lectorem meum non mediocri ſuper hoc admiratione moueri. Alioquì ſi ſic factum credere quis detrectat, ſic creditum non diſcredat. Videat tamen, cui potiùs ſit credendum, præiudicio ſuæ negationis, an illorum narrationi, qui præſentes fuerunt, viderunt oculis, manibus tractauerunt. Sed tranſeundum nobis ad alia, ne ſuper miſerationibus huius viri miſericordiæ, parturire incipiat copia congeſta faſtidium.

Paſcit plurimos cibo modico.

CAP. XVII.

COEpit inter hæc vir Domini fidelis ad tantum ſibi à tot & tantis exhibitum fauorem pauere & tædere, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, cœpit talia meditari, taliter conuenire ſeipſum: Quid eſt, quod actitas? Nullum tibi lucrum, lucrari mundum, & animæ tuæ facere detrimentum. O doxa, doxa, inflatio aurium, quàm perniciosè miſeris, cum quibus ludis, illudis? Riſui tuo dicerem, ſi non deſiperem, Quid fruſtrà deciperis? immò quid decipis? In errorem inducis, quos beatificas: allidis, quos eleuas: deijcis, quos exaltas. His & ſimilibus longè affectuoſiùs & efficaciùs, quàm noſtra queat imperitia capere vel effari, futurum iudicium, dijudicando ſeipſum, præueniens & declinans, quaſi de nouo ſtatuit mundum fugere, ſibi grauiùs imminentem. Per vias igitur difficiles, per loca potiùs inuia ſub medio noctis ſilentio cum vno tantùm comite, cæteris ignorantibus, exijt fugiens ſeculum & ipſius honores. Perueniens denique ad cœnobiũ quoddam ſui ordinis Ciſtercienſis, in Germania conſtitutum, vbi quodammodò ſurdus eſſet & mutus, nec intelligens cæterorum verba, nec intellectus ab eis, quàm diù licuit, inter eos intrans & exiens, vt ſimplex Monachus habitauit. Mutauerat enim in via ſocios, vnum poſt alterum, occaſione quæſita, donec haberet, qui eſſet ignotus. Quis illas cogitet ferias, illud gaudium, illam ſolennitatem? Sabbatizabat Deo iuxta deſiderium cordis ſui, & in ſuo ſibi ſabbato complacebat. Sed interim ille ſic maneat, cui bonum eſt ibi eſſe: ad eos potiùs redeundum, quos clandeſtinus deſolatur & vehementer affligit abſceſſus. Manè facto, cùm minimè apparet, repleti ſunt domeſtici eius ſtupore & eccſtaſi in eo, quod contigerat illis. Quæſitus in cubiculo nec inuentus, quem meritò diligebãt: per eccleſias, vicos & plateas quæritur, & minimè reperitur. Paſſim interrogant occurrentes, & non eſt, qui indicet, qui viderit eum, qui audierit verbum quodcunque de eo. Non eſt qui dicat, Deſcendit in hortum aromatum, vt paſcatur delicijs ſpiritualibus, & gratiſſima cæleſtium colligat lilia gaudiorum. Egreditur ſermo in populum, quòd receſſerit paſtor bonus, lumen oculorum ſuorum dereliquerit eos, & ſublatus ſit, in quo erat theſaurus ſuus & cor ſuum. Solennis illa frequentia in mœrorem, & vniuerſa deuotio vertitur in lamentum. Exeunt, qui perquirant, circumeant regionem, ad loca etiam remotiora procedant. Sed quis vnam in toto reperiat orbe perſonam, tam ſtudioſè fouentem latebras & ſecreta captantem? Veruntamen diſponente eo, à cuius facie in immenſitate creaturæ nullus abſconditur, inuentus eſt, agnitus eſt: tandem

Vir ſanctus mũdi fauores pertimeſcens, fugit ad Germaniæ cœnobium.

Vide animũ vni Deo deditum.

Mirè affligit eius abſentia ſubditos.

aliquando eccleſiæ ſuæ redditus eſt & reductus ad ſuos. Siquidem inter cæteros vndique quæritantes, iuuenis quidam, quem à puero ipſe nutrierat, ad monaſterium illud adueniens, egredientibus fratribus ad laborem, dum ſingulos intuetur, in eum repentè iniecit oculos, & agnitum protinùs appræhendit, tenuit & exclamauit. Mirari omnes, & nomine eius audito conqueri, quòd lucerna ſub modio tam diù latitâſſet. Sacris eius veſtigijs congregatio tota proſternitur, & ſibi poſtulat indulgeri, quòd nullam ei reuerentiam exhibuiſſet ignara. Fleuêre ſinguli, & dignis magnificare præconijs obedientiæ eius & humilitatis exempla cœperunt. Flere & ipſe præ cæteris, quòd indignus foret frui diutiùs iucunditate conceſſa, & quòd guſtatam dulcedinem ſapientiæ magis eſuriens magisque ſitiens, retraheretur ad negocioſæ vitæ pericula & labores. Auditum eſt in terra illa, & celebri ſermone vulgatum, quòd apparuit vir propheta, potens in opere & ſermone. Iterùm turba ruit & irruit: iterùm fit concurſus moleſtior ab vberibus deſideratæ quietis auulſo. Iam verò enarrari non poteſt, & ſuperfluum eſt conari, cum quanta deuotione & exultatione vniuerſæ terræ tanquam rediuiuus apparuit, quoniam ſicut diſcipuli viſo Domino, gauiſi ſunt. Nec minùs vberes, & ſi magis breues, lachrymas ſuccedens gaudium, quàm præcedens mœſtitia parturiuit.

Reducitur ex monaſterio ad Eccleſiam ſuam.

CAP. XVIII.

Parentes & fratrem ad cœnobium adducit. Iohan. 1.

PRiuſquàm vir ſanctus officio fungeretur Abbatis, vtrunque parentem de ſeculo nequam eripuit: fratrem verò ſe minorem Andream, ad Ieſum Petrus trahens, recompenſauit quodammodò, quòd primum Petrũ adhuc Simonem, ad eundem præueniens frater eius Andreas adduxit. Hic itaque patrem in Bonavalle conſtituit, matrem in collegio ſanctimonialium fœminarum, loco, qui dicitur Sancti Pauli, pro facultate ſui ſexûs & ſuprà, Ciſtertienſis æmulantium ordinis inſtituta. Cui adhuc nouellæ plantationi, ad fundatoris inſtantiam & præceptum Abbatis ſui, ſenior Petrus pluribus annis profuit magis, quàm præfuit. Ad eiuſdem tamẽ diſciplinæ cœnobium, quod Bitumen vocant, ad liniendam arcam, videlicet intùs & foris, in virginibus corpore & ſpiritu ſanctis, eandem poſteà filius matrem tranſtulit cum ſorore, quæ ipſius cœnobij multo tempore fideliter & vtiliter curam geſſit. Nonnullas etiam alias ſui generis idem ſanctus virgines ſeu viduas ordinauit. Proximus eſt Stamedio Tarentaſienſis diœceſis locus: cui perinde, ſicut cæteris quoque religioſis, beneficia plurima ſedulus impendebat.

CAP. XIX.

SCribi fecerat libros beati Auguſtini ſuper Pſalmos, & nulli adhuc eccleſiæ deputauerat, ſed ſudabat eleemoſyna in ſinu eius. Præſidebat verò Mauriennenſis eccleſiæ magni meriti Bernardus epiſcopus, ſicut in ea potiſſimùm regione, fœcunda virorum paupertas, plures ſibi penè contemporaneos inſignes edidit ſacerdotes: Sanctum videlicet Hugonem Gratianopolitanum, Iohannem Valentinum, Iſmidionem Dienſem, Airaldum & Bernardum, Mauriennenſes, noſtrum hunc Tarentaſienſem Petrum, & Ancelmum Belicenſem, ſuper cuius tumulum, dum ſepeliretur, diuinitùs ignis illapſus, accendit lampades, ſuper eundem locum coram ſigno Crucis appenſas.

Aliquot inſignes Epiſcopi.

CAP. XX.

ACcedens ſanè prædictus epiſcopus Mauriennenſis Bernardus ad Bitumen, ſuæ diœceſis monaſterium, confitenti ſibi ſuas offenſiones, vt ſæpiùs actitabat, genitrici venerabilis Petri Tarentaſienſis, iniunxit huiuſmodi pœnitentiæ fructum, vt ſuprà commemoratos beati Auguſtini libros ſuis donari ſororibus impetraret. Poſt breue tempus archiepiſcopus affuit, & accedens ad eum mater, interrogabat an neceſſe ſit peccatoribus iniunctam ſibi pœnitentiam adimplere. Reſpondenti, Vtique: ſupplicat, vt miſereatur animæ matris ſuæ, cui ſuus huiuſmodi pœnitentiam præſul iniunxit. Sic eoſdem ſibi collatos codices eiuſdem cœnobij virgines, ob reuerẽtiam largitoris, chariùs amplectuntur.

CAP. XXI.

VTrunque verò parentem, dies ſuos in ſenectute bona & religioſa conuerſatione feliciter conſummantem, deuotus ad Deũ in officijs omnibus Eccleſiaſticis, ſed in huiuſmodi deuotiſſimus, ſepeliuit: quibus, iuxta mandatum Domini, honorem debitum viuis exhibuit & defunctis.

Exod. 20.

CAP. XXII.

Beatitu-

BEatitudinum cauſas & præmia in Euangelio veritas ſermone commendans, inter cætera ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quod huic ſacro præſuli exercitium ſeu meritum quia non defuit, ſine vlla ambiguitate aſſerimus, quòd in ſpiritu adoptionis, filij Dei nomẽ hæreditauit. Implacabiles ſiquidem inimicitias & odia inueterata frequenter extinxit, grauia admodùm bella compeſcuit, deſperatas reconciliationes inter maximos etiam principes, Domino cooperante & ſermonem eius confirmante ſequentibus ſignis, effecit. Inter principem ſuum Comitem Hymbertum & Hildefonſum Comitem Tholoſanum, in regione Gratianopolitana eo tempore dominantem, non ſolùm multis incendijs, ſed & homicidijs guerram diutiùs agitatam, multo labore ſedauit. Cuius occaſione negocij ad illuſtrem Anglorum regem Henricum vehementer deſideratus acceſſit, & tam reuerenter exceptus eſt, vt excedere modum omnem humanum deuótio videretur. In ipſo quoque itinere diuina per eum virtus miraculum ſingulare perfecit, quod diligentiùs proſequi reor operæprecium fore.

Matth. 5. Pacis componendæ quàm fuerit ſtudioſus.

Hẽrici Angliæ regis erga eũ reuerentia.

CAP. XXIII.

SAncti Symphoriani dicitur caſtrum Lugdunenſis eccleſiæ, paucis ab vrbe millibus diſtans, vbi vir fidelis & religioſorum officioſus ſedulusque ſuſceptor, magnæ conuerſationis pariter & opinionis Abbatem ad hoſpitium ſuum aliquãdo quaſi vim faciendo pertraxit. Huic iuuencula erat filia, miſerabili incommoditate laborans. Egerat enim quædam mulier malefica, per nequitiam inuidæ ſocrûs inducta, vt languore tabeſceret deſperato, nec viri ſui præſentiam, nec adſpectus vllatenùs toleraret. Affectione muliebri genitrix perſuaſa, vt ſatanas ſatanam eijceret, famoſum quendam maleficum accerſiuit. Affuit, explorauit, agnouit, & mulierculam aſſerens inferratam, terit arborum cortices, pocula verbis & herbis infecta propinat. Mordet etiam dentibus proprijs brachium miſeræ mulieris. Res mira, res noua, res, nî fallor, hactenùs inaudita. Ab illo quidem languore conualuit, ſed interdum velut ex corde procedere ſentiens acus, cruciabatur atrociter, donec per morſuram brachij, quam nulla cicatrix obduxerat, acus educeret vis occulta. Crudele remedium, ſed huiuſmodi congruebat authori. Plures in hunc modum, quàm triginta per temporum interualla prodierant: quædam, vt vulgò dicitur, excapſatæ, quædam admittendis filis idonea foramina præferentes. Prætereà prædictus Abbas ad domum, vbi hæc actitabantur, aduenit. Celebris eſt perſona, cuius hoc opus & alia non indigna admiratione narrantur: ſed parcendum adhuc ſuperſtiti, & nomen credidi reticendum. Huic pater anxius miſerabilem exhibet filiam, nec ſine lachrymis lugubrem explicat tragœdiam. Eadem hora fit fides dictis, & ſentiens acum, mulier gemebunda deplorat. Iam peruenerat ad foramen, ſolitus iam præceſſerat cruor, iam cœperat apparere, iam particula eius exierat. Et accedens vnus ex fratribus Laicis, eidem Abbati deſeruiens, cruentam extraxit, annis pluribus ad teſtimonium conſeruandam. Orat Abbas, & locum vulneris tangens, in virtute fidei pollicetur, nec ferrum vltrà, nec chalybem exinde proceſſurum. Factũ eſt: ſed mutata materia eſt, malitia necdum prorſus extincta. Cœperunt lignei ſudes paruuli, quales vulgò brocas appellant, ex quercino robore vel fraxinei pro ferreis acubus egredi, craſſiores ſpinis & modicè longiores. Nec vnius tamen omnes, ſicut nec acus fuerant, longitudinis vel craſſitudinis erant. Sedecim in hunc modum intra annum & paucos menſes ex muliere ligna prodiêrũt. Affuit demùm reuerendus Petrus antiſtes, cui diuinitùs ſeruabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur mulier Miſſarum ſolennia celebranti, ſicut præceperat veſpere præcedenti. Eadem hora ſeptimumdecimum lignum ex muliebri carne egreditur, quod ſub oculis omnium ſacellanus extraxit. Confitentem itaque mulierem præſul abſoluit, & ſacram ei tradens Euchariſtiam, ab omni deinceps cuiuſcunq; materiei progreſſu iubet eſſe ſecuram. Sic ab omnibus iam præſtigijs liberata, adhæſit viro, filioſq; procreauit. Et, vt dicitur, hodieq; ſuperſtes, virtutem prædicat, quam in ſeipſa feliciter meruit experiri. Petrus de Fraxineto, dicitur pater, notus, etiam honoratus inter conuicaneos ſuos: vt ſi quem dubium nouitas tanta reddiderit, probare forſitan liceat, quod credere detrectârit,

Res valdè mira.

Sanatur fœmina diù mi ferrimè afflicta.

CAP. XXIIII.

IN diebus eiuſdem præſulis, vicinas prouincias & Romani Imperij ex maxima parte eccleſias ſchiſmatica rabies occupauit. Solus ipſe ex metropolitanis vel propè ſolus regionum illarum & ſchiſmaticis palàm reſtitit, & immunis perſtitit in eccleſia ſua. Sed

Schiſma vexat Eccleſiam.

Sed plurimos ex circunpoſitis reuocauit ad catholicam vnitatem, vicinas vndique prouincias liberè penetrans, liberè prædicans clericis & populis, plenis authoritate ſermonibus improbos & obſtinatos hæreticæ arguens prauitatis. Nihilominus tamen deuotis eum colebat Imperator officijs, non minori ei reuerentia obſequens, quàm ſæuitia catholicos perſequens cæteros circunquaque. Nec deerant, qui indignarentur, qui cauſarentur, qui conarentur animum principis aduesrùs eum potiùs exacerbare, dicentes: Quid ſibi vult, Imperator bone, quod actitas? Nunquid deſtruere eſt cauſam tuam, ſic colere, ſic honorare eum, qui ſic impugnat, qui ſic impetit eam? Ille nos deteſtatur, nos execratur, hæreticos nos denunciat, nos anathematizat: & tu velut angelum Domini eum ſuſcipis, publicè & priuatim eius prædicans ſanctitatem? His & huiuſmodi verbis, quantùm tamen audebant, crebro pulſabant ariete imperatorij robur pectoris filij diffidentiæ, filij ſcelerati. Cui ſuggeſtioni Herbertus quidam, Chryſopolitanæ incubator eccleſiæ, præ cæteris inſiſtebat, iterùm atq; iterùm aſſeuerans, non ſeſe ſatis mirari poſſe, quibus ille præſtigijs Imperatorem, tanta præditum ratione, taliter dementâſſet. Multos enim archiepiſcopos, epiſcopos & abbates, etiam ſibi quondam chariſſimos, pro eadem cauſa idem Imperator in exilium egerat. Ciſtertienſis ordinis fratrum non modò perſonas aliquas, ſed numeroſa collegia ab eodem Herberto & ſimilibus, ſi quos tamen ſimiles habuit, ſuis extrudi cœnobijs non prohibuerat, & huius vnius ſeſe ſuffragijs quàm ſuppliciter commendabat. Fertur etiam, quòd eidem nequiſſimo, monita peſſima ſuggerenti, dignum memoria, dignum dederit admiratione reſponſum: Si hominibus, vt merentur, contrarium me exhibeo, túnc velis, vt euidenter opponere me incipiam Deo?

Imperatoris erga ſanctum virum reuerentia.

Imperator Eccleſiaſticos perſequitur.

CAP. XXV.

Extat in diœceſi Chryſopolitana cœnobium, quod Bethania nominatur. Illò venturum Tarentaſienſem archiepiſcopum Herbertus audiens, præmiſit, nuncians eadem die ſeſe venturum. Expauit Abbas, & cum multa anxietate in occurſum properans viri ſancti, ignorare ſeſe, quid ageret, cauſabatur. Cui ille: Angulus, ait, nobis quantuluſcunque ſufficiet: ne turberis. Veruntamen diuina pro eo vltio militauit, & ægritudine occupatus apoſtata, quod diſpoſuerat, non impleuit. Exinde vir beatus ad Imperatorem acceſſit, in ciuitate Chryſopoli conſtitutum. Vbi etiam ab oppreſſione Catholicorum, maximè religioſorum, quantùm potuit, eius animum reuocauit, regis iram, rugitui ſimilem leonino, monitis ſimul & interceſſione compeſcens. Conuenit autem ſolita deuotione populus ciuitatis ad eum, & innumera etiam de vicinis locis vndique multitudo confluxit. Quibus inter cætera de prædicto hæretico verbum faciens, nec ipſius malitiam veritus, nec præſentiam Imperatoris, per quem erat intruſus, orationem indixit omnibus generaliter, vt manus Domini acceleraret ab illius tyrannide eccleſiam liberare, vel mutando hominem, vel mulctando: vt conuerteretur ad pœnitentiam, vel de medio tolleretur. Oratũ eſt, & infra quatuor aut quinque dies miſeram idem ſchiſmaticus animam exhalauit. Accidit tamen, vt intereà viſitatus à reuerendo Belleuallenſi Abbate, ad primum gratulari videretur aduentum. Conuentus autem de confeſſione peccatorum, & admonitus de pœnitentia, pugillum ſtrinxit, & applicans ori, buccinabat in eo. Poſt modicum verò deponens manum, quam ſtrinxerat, ore canebat. Erubuit Abbas, quòd non poſſet aliud obtinere reſponſum: & agnoſcens iudicium Dei, non ſine multa confuſione receſſit. Necdùm vir ſanctus de ciuitate exierat, & iam in plauſtro boum Herberti cadauer afferebatur infauſtum, clamante populo & dicente: Benedictus Deus, qui tradidit impium.

Obſerua diuinam prouidentiam.

Herbertus Epiſcopus ſchiſmaticus miſerè perit.

CAP. XXVI.

Idem quoque vir ſanctus, à catholico Papa reuerendiſſimo Alexandro tertio acceſſitus, per Italiam & Tuſciam magnificè conſolabatur catholicos, & ſchiſmaticorũ facies ignominia & confuſione replebat, cùm in ipſis vrbibus, vbi pſeudoepiſcopi præſidebant, palàm & publicè eandem hæreſim condemnaret, vniuerſo populo deuotiſſimis illum obſequijs proſequente, immò etiam Domino ſignis varijs ſermonem confirmante. Nec perſonæ alterius ſummus Pontifex tantum honorem exhibuit, nec Romana Eccleſia eo tempore epiſcoporum aliquem ſic admirata eſt, ſi creuerit a, ſic amplexa. Soli reſpiciebant ad manus eius, vt munera conſequerentur egeni. Nam ſpiritalis gratiam muneris omnes pariter affectabant. Et quemadmodùm multo tempore per Burgundiam & Lotharingiam actitârat, per regiones Italiæ, Tuſciæ & Campaniæ in aduentu, in ſtatu, in reditu ſuo celeberrimæ ſanctitatis eius authoritas in cõſcientijs

Confirmat Catholicos per Italiam S. Petrus.

proprijs coram Deo fiduciam maximam, coram hominibus reuerentiam & conſtantiam præbens catholicis, ſchiſmaticos nihilominùs confundebat intus & foris. Auſus eſt tamen tyrannus quidam perſequi redeuntem, perſonam eius iniurijs afficere cogitans, vel de equitaturis circiter quinque, vel de ſupellectili tenuiſſima facere prædam. Cuius inter currendũ ruit equus in præceps, & fracto crure, ſolo decubuit. Expauit homo, & in ſe rediens, gratias egit pro damnatione, quam meruit, damno ſeſe potiùs eſſe mulctatum, non minori deuotione procedens ad proſequendum & obſequendum, quàm furore priùs ad perſequendũ fuerat animatus. Secutus denique, & tunc primùm conſecutus eſt. Pedibus eius aduoluitur, humiliter ſatisfacit, nec ſatis illi, quicquid facit, miſericordiæ eius tribuens, quòd pro ſeſſore equus occubuit. Punitur diuinitùs quidã maliguus

CAP. XXVII.

IN cœnobio poſitus Longiuadi, morem gerere teneor chariſſimis mihi fratribus & Abbati. Inde eſt, quòd ſtylum reuocans à propoſitis, quæ multorum mihi multùm credibili teſtimonio ſuggeruntur, inſerenda putaui. Ex petitione * Lugdunenſis epiſcopi, & venerabilis Abbatis ac totius congregationis inſtantia, ad prædictum monaſterium, vt in memoria ſancti Bernardi Claræuallis nouum dedicaret altare & cœmeterium benediceret, vir beatus acceſſit. Summis etenim expetebatur votis, à quibuſcunque eius præſentia poterat obtineri, & accerſiebatur vndique, vndique trahebatur ad celebranda eiuſmodi ſacramẽta. Affuit certa die pontifex expectatus, & multitudo tanta conuenit, vt negarent viri grandes atq; grandæui, ſimilẽ vſpiam ſe vidiſſe. Veruntamen affuit tentator, opportunitate inuenta, cuidam perſuadens argenteam furari crucem, modici quidem ponderis, ſed particulam ligni Domini continentem. Aduertitur à fratribus ſacrilegium, & ſacro præſuli ſine dilatione ſuggeritur. Nec cunctatur anathematizare ſacrilegum, in virtute Chriſti præcipiens, ne priùs liceat homini monaſterij egredi fines, quàm reſtituerit ſignum Crucis, firmiter conteſtatus, quòd nullatenùs poſſet auferri. Perſtitit tamen improbus vſque in diem alteram, donec epiſcopus receſſiſſet. Sed nec tunc egredi potuit, niſi priùs reddita cruce, & altari ſacro, vbi fuerat, impoſita. Viderat mulier ſcyphũ ligneum, concupiuit viſum, tulerat & abſconderat eo nec upitum, abſconditum abſportabat infelix. Nec mora: punitur in oculis, per quorum feneſtras mors introierat. Expetit vnum è fratribus, necdum penitùs, ſed penè cæca vaſculum profert, cum ſatisfactione reſtituit, & vltricem criminis caliginem mox euadit. Sic accedens vnuſquiſpiam ad monaſterij ianitorem, coram eo cucullam, quam malè tulerat, in hæc verba proiecit: Tolle tibi cappam hanc manicatam, quam frequenter attentans efferre non potui, neſcio qua virtute prohibitus. Phreneticum iuuenem, vel potiùs energumenum, ſicut creditum eſt, & credibile erat, plurimi baiulabant, à die iam ſeptima nec ſumentem cibum, nec verbum aliquod proferentem. Iuſſus quieſcere, iuſſus loqui, in neutro obtemperabat ſacerdoti. At ille ſub pectore pulſat hominem, contra dæmonem indignatus. Nec mora, per fluxum ventris obſcœnum, vt viſum eſt, alter dæmonum exijt, & alter manſit, quòd miſerum non omninò talis egeſtio liberauit. Nec moram fecit epiſcopus propter populum comprimentem: ſed cùm foris ſtaret, oratorium introiuit, vbi rurſus exhibito iuueni impoſuit manus: & odoris diriſſimi vomitu repurgatus, ad modicum requieuit, ac deinceps loqui cœpit, cibum ſumpſit, & officia reliqua ſanæ mentis impleuit. In eiuſdem baſilica monaſterij iam tribus annis ſurdum & mutum filium mater afferens viro Dei, ad ipſius benedictionem ſine mora loquentem liberè & audientem gratulabunda recepit.

* Lingonenſis

Excommunicat ſacrilegũ, & ille fugere non poteſt.

Pœna ſacrilegæ.

Dæmoniacus curatur.

Itẽ ſurdus & mutus.

CAP. XXVIII.

MOnaſterium Albæ Ripæ à proximo flumine nomen accepit. Huius vicinum oppidum Bairum nuncupatur. Cuius præpoſiti vxor ſterilis cohabitabat annis quindecim viro ſuo. Adueniente demùm archiepiſcopo, lachrymabiliter obſecrabat, vt auferret ſterilitatis opprobrium ab ea. Cui ſolita pietate compaſſus, poſt orationem & conceptum promiſit & partum. Concepit itaque mulier, & peperit filium; & iuxta verba archiepiſcopi, Iohannes eſt nomen illi. Siquidem adhuc hodiè mater & filius ambo ſuperſtites, ambo teſtes virtutis exiſtunt. Claudum etiam virum, nec ſuis pedibus accedentem, ſed oblatum manibus alienis, ibidem ſanctus erexit: & ea ſibi nunc vſque perſeuerat gratia, vt liberè gradiatur. Intereà cæcus clamans ad eum, vt illuminaretur orabat. Cui ille: Noli, inquit, deſiderare, vt videas: vacares latrocinijs, ſi videres. Quod de homine prorſus ſibi ignoto, non ab homine, neque per

Sterilis parit.

Claudus ambulat.

per hominem, ſed ſpiritu ſuggerente cognouit. Qui licèt non videat, quantùm valet, in latrocinijs hodiè perſeuerat. Oblationes fidelium in eccleſia quadam inter Miſſarum ſolennia ſuſcipiens, diſtribuebat egenis, more ſuo reſtituens plura pauperibus, quàm offerrent. Intereà quidam improbus vehementer inſtabat, & ſæpè rediens, nihil poterat obtinere, **ſolus referẽs** ſolam oblatione repulſam. Et dum ſeſe famelicum carere cibarijs clamitaret, chlamyde reuoluta, placentam integram, quam ferebat, ſanctus oſtendit, dicens: Hanc comede, & ab huiuſmodi petitione deſiſte. De cuius vita & peſſimis actibus corripiens hominem, tanta propoſuit, vt mirarentur, qui aderant, & cognouerant eum, quòd non eſſet opùs, vt quis ei teſtimonium perhiberet.

Vide rem miram.

CAP. XXIX.

Miracula eius alia.

IN dedicatione oratorij de Buſſeria, quod eſt cœnobium Ciſtertienſis ordinis in Eduenſi diœceſi conſtitutum, puer annorum circiter nouem ſurdus & mutus, ad orationem viri Dei & manûs impoſitionem, auditum pariter & loquelã recepit. Duo etiam fratres, alter ſurdus, alter ſurdus & mutus, ab eiſdem incommodis ambo liberati ſunt. Sed & monachus eiuſdem monaſterij, per annos ſeptem oculos habens opertos albugine, & omninò cæcus, audiuit: Ne timeas fili: in proximo eſt, vt à Deo cureris. Et factum eſt ita. Siquidem intra dies viginti aduenit clericus, qui eandem detraxit albuginem: & deinceps clarè vidit. Alſatia dicitur regio prope Rhenum, populoſos admodùm vicos habens. Hanc ingreſſus aliquando pontifex reuerendus, in villa, cui nomen Rufeium eſt, Miſſarum ſolẽnia celebrabat. Cui mulier eſt oblata, ex graui præcipitio iuncturis oſſium diſſipatis, per annos circiter nouem vix duobus baculis ſuſtentata procedens. Poſt orationem & manûs impoſitionem, modicùm ſubſtitit, & virtutem ſentiens, exclamauit. Nec mora: baculos in ſublime porrectos baiulans, incolumis facta eſt, & liberè gradiebatur: populuſque vociferans, Kyrie eleiſon, ſuſpenſis inter lapides baculis, Dominum collaudabat. Ibi etiam claudi duo protinùs ſunt erecti: prior, ad tactum eius: poſterior, priuſquàm obtinere poſſet acceſſum in medio plebis, diuina vnctione præuentus. Poſt oblationem hoſtiæ ſalutaris, ſacer ſacerdos oblatum ſibi per ſignum Crucis cæcum illuminauit, oculos eius liniens ex aqua adſperſionis digitorum ſuorum.

Rufeium, quod hodiè, vt puto, Rubeaquum dicitur.

CAP. XXX.

EX relatione Stamedienſis Abbatis accepi, quòd aliquando patrem ſanctum familiari ſuggeſtione conueniens, ait illi: Nonnullos mouet, vt comperi, pater ſancte, quòd ita paſſim & incunctanter ſuper ægros manus imponis. Arbitrantur enim & aſſerunt, quòd iam olim tempora miraculoſa tranſierint. Cui tale dedit ſanctus ille ſolita benignitate reſponſum: Multorum iam non modò charitas refrigeſcit, ſed fides etiam infirmatur. Exigit proinde velut de nouo rigari miraculis, foueri beneficijs fides marcida, fides ægra.

Fides miraculis cõfirmatur.

CAP. XXXI.

CRuſillas * vocatur oppidum Comitis Gebennenſis, vbi vir ſanctus cum Comite ipſo, & pluribus ex eadem regione perſonis ſuper quibuſdam negocijs conferebat. Ibi tres Epilepticæ mulieres miſerabiliter corruentes, altera quidem poſt alteram, palpitabant & elidebantur in terra. Ad ſupplicationem adſtantium per ſingulas orationem fecit, & incunctanter erectas reſtituit ſanitati. Quanto miſerior & miſerabilior talis ægritudo videtur, tanto ſpecialior viro miſericordiæ aduerſùs eam efficacia ſuppetebat, vt multos ab ea curauerit, etiam quos non vidit, & vix perſona aliqua, poſt impoſitionem manûs eiuſdem, eandem miſeriam ſit experta.

* Pruſilla

Epilepſia multos liberat.

CAP. XXXII.

EST locus in Alſatia regione, cui nomen Aqueuillare, vbi ſignatam epilepticam ſub celeritate pertranſijt, & tam crudeliter miſera vexabatur, vt continuò videretur animam redditura. Cõuerſus pontifex & mulierculam erigens, in aurem eius ſubmiſſa voce dicebat: Neceſſe eſt, vt egrediaris ab ea. Sanata eſt ergo mulier ab illa hora, & deinceps nihil tale perpeſſa. Contigit altera vice, Miſſarum ſolennia celebrante viro Dei, vexatum hominem epilepticum exclamare. Compaſſus ille, & vice ſua ſacellanum dirigens ſuum, erigi illum præcepit & ſanari. Quod vtrunque effectui mancipatum eſt ipſa hora.

CAP. XXXIII.

VIſitauit aliquando ſanctus monaſterium Bellæuallis in abundantia ſuauitatis & gratiæ, deuotam ſibi congregationem ſua benedictione lætificans. Oblatũ etiam

Puer claud⁹ ſanatur.

puerum, qui lãguore corporis diuturno debilitatus, & maximè pedum deſtitutus erat officio, orando & manus imponendo ſanauit, vt liberè gradiens exultaret, videntibus etiam cæteris gaudia ſua communicans. Mulier prægnans, cùm pariendi tempus adeſſet, periclitabatur, decem diebus parturiens, nec obliuiſcebatur preſſuræ, nullo gaudio ſuccedente. Erat ei vicinus & notus Abbas quidam, cinctorium ſacri præſulis cum multa deuotione cuſtodiens. Accerſitus itaque, & tam miſerabili neceſſitate comperta, prædictum cingulum protulit, & vt nudum exinde vterum cingeret, perſuaſit. Factum eſt, & vix exierat ille cubiculum, ſubitò mulier eſt enixa, & à periculo cruciatuq; penitùs liberata. Non tranſeamus cœnobium Bullionis, ne cauſari incipiant fratres illi, quòd contra morem illius, quem ſcribimus, videamur humiles aſpernari. Gratanter viſitabat & ipſos amicus pauperum, nec mediocriter in ædificijs mediocribus complacebat. Apud quos etiam, ſicut firmiter aſſeuerant, per ſignum Crucis illuminauit cæcum collyrio ſputi ſui.

Prægnans partus difficultate abſoluitur, cingulo ſancti viri ſeſtringens.

CAP. XXXIIII.

QVanto magis virum Dei mundus proſequebatur obſequijs, præconijs extollebat, tanto magis metuebat ipſe, quod legerat: Si de mnndo eſſetis, mũdus quod ſuum erat diligeret. Cœpit ergo cum viris perfectioribus ſpiritualis collationis habere tractatum, vtilius fore exiſtimans, pauculos, quos habebat, equos venũdari, & precium dari pauperibus, vt pedes gradiens, quod cõſumere illi cum ſuis cuſtodibus conſueuerant, miſericordiæ magis operibus deputaret. Feciſſetque voto ſatis, niſi ſuggeſtio rationabilis & confeſtim occurrens neceſſitas obſtitiſſet. Siquidem perſuaſum eſt ei, in ſua quidem prouincia id obſeruari poſſe: ſed excipiendum ab eiuſmodi profeſſione propoſiti, vt ſolito vteretur animalium vehiculo, ſi remotas adire prouincias pro cauſa ineuitabili cogeretur. Nec ſine diuino nutu exceptionem eiuſmodi ſacro præſuli perſuaſiſſe videtur vir eximius, & inter amicos chariſſimus, tunc Altætumbæ, poſtmodùm Claræuallis Abbas Henricus, nunc Albanenſis epiſcopus, inter inſignes columnas Romanæ Eccleſiæ loco celebri conſtitutus. Adhuc enim ſermo manebat in eiuſdem deliberationis ambiguitate ſuſpenſus, & ecce nuncius Domini Papæ, ecce literæ, ecce mandatum, vt ad reges Francorum & Anglorum ſibi reconciliandos ſub quanta poterit acceleratione feſtinet. Ex quorum inimicitijs eccleſiarum deſtructio, depopulatio regionum, & innumerabilium ſtrages hominum procedebat. Nec videbatur aliud præſtolandum, quàm quod dicitur: Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt. Huius neceſſitatis intuitus, & Apoſtolicæ authoritatis reuerentia, cui in omnibus & per omnia ſemper obtemperauit, præſulem ſanctum deſcendere fecit in Gallias. Ingreſſus itaque monaſterium Senonenſis diœceſis, quod Pruliacum dicitur, & in eo circa ſpatium menſis vnius infirmitate detentus, plurimis tamen ægrotis beneficia præſtitit ſanitatum. Et cùm maximus vndique & vbiq; ad eum concurſus fieret populorum: Nolite, ait ſanctus ad fratres, de victualium diſtributione moueri. Dabit Dominus horreis veſtris benedictionem, vt cognoſcatis eius virtutem, qui pro beneplacito ſuo multiplicat, quæ pro ſui nominis gloria erogantur. Sic audiſſe, ſic crediſſe, ſic experimento tum probâſſe ſeſe teſtati ſunt, per quorum manus conficiebantur panes & diſtribuebantur: vt cùm vix viderentur duplicati poſſe ſufficere, minor ſolito numerus abundaret. Semel ſiquidem in hebdomada minùs coquebant in clibano, quàm cæteris menſibus antè ſolebant.

Iohan. 15.

Mittitur à Papa ad pacem conciliandam inter reges.

Ierem. 46.

CAP. XXXV.

MIles quidam regionis illius, impetrandæ benedictionis obtentu & ſignorum gratia, ad hominem Dei multos concurrere videns, compaſſus filio non videnti, optat, vt eius ſuffragantibus meritis, videns fiat ex cæco, qui ſuis, vt verebatur, promerentibus culpis, cæcus factus eſt ex vidente. Cæcum itaq; filium extulit domo ſua, ſed Pruliacenſi cœnobio intulit iam videntem. Obuius enim factus eſt vir fidelis eunti, panem referens à beato præſule benedictum. Nec moras tulit, magnanimus factus in fide: ſed de mica panis collyrium nouum conficiens, oculos filij cum diuini nominis & eiuſdem præſulis inuocatione liniuit. Cooperantibus ergo ſibi virtute fidei & benedictionis effectu, ad vnctionem primam ſacri collyrij aperti ſunt oculi eius: & vidit, & gauiſus eſt ſe videre. Sic gratulabundus illuminatum filium pater oſtendit, quem ſperauit illuminandum fore: & qui veniebat oblaturus preces, exhibiturus peruenit gratiarum potiùs actiones.

Cæco redditur lumẽ.

CAP. XXXVI.

COrbolium dicitur oppidum regis Franciæ, quod Sequana fluuius alluit, in Pariſiacenſi diœceſi conſtitutũ. Huius præpoſito grandis erat non modò gratia apud dominum ſuum, ſed & in palatio locus. Quem in occurſum præſulis ſancti mittere ſtuduit rex deuotus, præcipiens non modò humanitatis officia, ſed debitam reuerentiam à ſuis omnibus ei in locis omnibus, quantùm pateretur, impendi. Sic in oppido ſupradicto humilis ſeruus Chriſti de mandato regis in regia domo ſuſcipitur. Nec poterat vſpiam, licèt debili, præ multitudine concurrentium, neceſſaria requies exhiberi. Erat autem ſpiritus fortis, ſpiritus promptus in infirma carne, & ætate iam pigra. Eidem ſanè præpoſito erat clauda à natiuitate filia, iam quinquennis, ſicut apparuiſſe videtur. Sic nata fuerat ad gloriam Dei, & ſerui fidelis honorem. Cuius ſacris oblata veſtigijs, poſt orationem & manûs impoſitionem erecta eſt, & nouos faciens greſſus pedibus ſuis, ambulauit, pro ætate magnificans Deum, & ſuo gratias referens erectori. Sic deuotos hoſpites exhilarauit dupliciter hoſpes bonus: nec modò ſubijt admiratio pro virtute, ſed familiarius gaudium pro perſona. Tranſeamus Pariſienſium vota permaxima, concurſus intolerabiles, & moleſtos, qui exhibebantur, honores. Expectant Reges, expectant principes, multitudo incredibilis præſtolatur pro verbo pacis, & aduentu tanti præſulis, iuxta Caluum montem in confinio Franciæ & Normanniæ congregata. In cuius occurſum non tam currit, quàm aduolat, rex Anglorũ, & ad conſpectum longiùs poſiti equo deſilit, immò ruit, amplectitur pedes, cappam detrahit vndique laceratam, vndique decurtatam. Nec particulas tollit, vt cæteri conſueuerant, quanuis ægrè ferret antiſtes. In hoc ſolo nil ſua ſibi authoritas poterat ſuffragari, nil prohibitio, nil indignationis oſtenſio, nil intentatio maledicti. Cauſari fratres qui ſimul venerant, & dicere, (ſiquidem animum regis exploratum ire volebant.) Inter regias gazas ſemicinctia quid facient vetuſta? Quibus ille tale dedit non ſine multorum atteſtatione reſponſum: Aliter vobis loquendum fuerat, ſi ſciretis de ipſius cingulo, quod præteritis annis accepi, quantis ægrotantibus remedia, quanta prouenerint beneficia ſanitatum.

Regis Franciæ reuerentia erga ſanctum virũ. — *Sanatur puella clauda.* — *Item regis Angliæ.* — *Vide quid tantus rex tribuat eius laceræ veſti* — *Nota lector*

CAP. XXXVII.

CIrca eadem loca conſederat Archiepiſcopus, cum perſonis magnis habens de reformanda pace tractatum. Et ecce vidua pauper ſuum magis & ſuæ filiæ incommodum ſentiens, quàm regum inimicitias, vel pericula reputans regionum, increpantibus alijs, alijs prohibentibus, irruit, mutam à natiuitate filiam ſecum trahens. Nec in tanta frequentia perſonam humilem Archiepiſcopus aſpernatur, non altum ſapiens nec in alto. Inclinatur ad ſupplicem, & oratione præmiſſa, infuſum proprio ſputo pollicem mittit in os puellæ, linguæ eius & labijs imprimens ſignum crucis. Sic præcipiente eo, verba, quæcunque prædiceret, poſt eum ſimiliter reſonabat: ſic deinceps eſt locuta, ſic loquens, reddita matri ſuæ. Nec mora, neceſſitudinem matri redhibens alteri filius, claudam attulit in aſello. Cuius ille renes & debilia membra conſignans, in partem ſecedere fecit, & diuinam miſericordiam præſtolari. Poſt paululùm, filio ſuadente, vt aſcenderet aſinum & rediret: Mina, ait, potiùs, mina aſinum, & præcede. Sic præceſſit ille, & ſanata illa ſecuta eſt, multis cum multa admiratione proſequentibus eam.

Muta loquitur. — *Clauda ambulat.*

CAP. XXXVIII.

ALtera die cum rege Francorum Ludouico & Anglorum iuniori rege, & Flandrenſi Comite, multis vndique circunſtantibus, ſuper eodem negocio, pro quo venerat, familiariter conferebat. Interim mater filij iam duodennis, ſed ab annis ſeptem eadem mater cæci, ad cuneum illum cum filio ſupplex & gemebunda peruenit. Videns autem vir ſanctus, quòd à miniſtris regum miſeræ mulierculæ negaretur acceſſus, ab eiſdem potiùs eam ſibi cum filio præcepit exhiberi. Cuius neceſſitate comperta, tenens pueri crinem, & miſericorditer blandiens, quid optaret, interrogabat. Cui ille: Domine, vt videam. Protulit nummum pontifex, & in manum pueri dedit illum. Intinctis etiam digitis in ſaliua oris ſui, ſuper oculos eius & verticem capitis ſignum crucis edidit, & pauliſper orauit. Intuebantur reges cum cæteris, & mirabantur, inuicèm colloquentes, inuicèm conquirentes, an iocus foret, quod vir ſanctus ſeriùs actitabat,. Intereà cœpit puer paulatim viſum recipere, cœpit nummum, quem tenebat, cœpit homines intueri, cœpit gratulabundus & laudans dicere matri ſuæ: Video mater, video, video arbores, video omnes & omnia, quæ circunſtant. Ad hæc illa velut ad altare ſacroſanctum conuerſa ad præſulem, flexis genibus, porrectis mani-

Cæcus puer illuminatur.

manibus & directis in eum oculis, orationi ſtudioſiùs inſiſtebat. Auditum eſt & compertum, quia cæcus viſum recepit. Ipſe quoque Francorum rex, diligentiùs inquiſita & cognita certiùs veritate, non diſſimulauit flexo genu virtutem in puero adorare diuinam, caput eius oculoſque deoſculans, & honorans oblatione propria manum eius. Nec mirum, quòd mira deuotio in cæteris etiam ſecuta eſt tanti regis exemplū, tantum miraculum proſecuta. Vide deuotionē regis Gallorum.

CAP. XXXIX.

ADuenit intereà caput ieiunij Quadrageſimalis, & in cœnobio mortui maris officium illud ſolenne reuerendiſſimus celebrauit antiſtes. Impoſuit etiam cineres capiti regis Angliæ benedictos, & ſuorum, qui propter hoc ad monaſterium illud aduenerat ipſo die. Cæterùm miles quidam, ante multum tempus baliſtæ iaculo in tempore vulneratus, & extunc altero oculo nihil penitùs videns, multa precum inſtantia poſtulabat eius reſtitutionem. Excuſare cœpit vir Dei, & grauiùs ſolitò homini diſſuadere, ne ſupra vires ſuas vel merita ſua exigeret tale aliquid ab humilitate ſua. Inſtitit tamen & perſtitit, nulla diſſuaſione deſperans, ſed magnanimior factus in fide. Itaque tangitur, benedicitur & emittitur, præſtolaturus miſericordiam Dei. Exijt, expectauit, aduertit, & paulatim luce reddita, vtroque vidit oculo, ſicut olim. Feſtinauit quoq; ad regem, gaudium ſuum domino ſuo ſine dilatione communicans. Sermo procedit in publicum, & opus bonum pulchriùs eluceſcit in commune deductum: ex multarum denique perſonis facierum deuota reſonat & ſolennis gratiarum actio & vox laudis. Cineres benedicti. Cæco lumē reformatur.

CAP. XL.

QVod deuotus frater Hugo de Aceruilla, monachus Ciſtertienſis, licèt ignorans ipſam mihi in manibus eſſe materiam, præſentialiter ſuggerit, nullatenùs decet omitti. Nempe adſtruit fidem religioſitas hominis non ignota, & præſertim credibilitas veraciſſima, & credibilis veritas teſtimonij eius in conuerſatione etiam ſeculari. Dum veniſſet Archiepiſcopus ad oppidum primum Normanniæ, quod Giſortium nuncupatur, prædictus Hugo, ſub rege Francorum militans, à ianitoribus & cuſtodibus oppidi vix impetrauit ingreſſum. Eadē hora vidit oblatum Archiepiſcopo puerū, ab imminentis mortis periculo liberari. Fluxu ſiquidem narium totus videbatur corporis eius cruor exhauſtus, vt vix vitalis caloris aut coloris aliquid appareret in eo. Sic non erat vox neque ſenſus, non motus aliquis, niſi quantùm mouebatur à ſuis. Orauit homo Dei ſuper exanguem puerum, cui ſolum videbatur ſupereſſe ſepulcrū, & ex ſputo ſuo tetigit labia vix tenuiter reſpirantis. Nec mora: aperuit labia, aperuit oculos, & tanquam rediuiuus apparuit in momento. In pago Pariſiacenſi cœnobio cuidam Edera nomen dedit, vbi multæ ſanctimoniales habitant mulieres. Ibi quoque per ſanctum præſulem duobus reddidit Dominus ſurdis auditum, & viro media corporis parte præmortuo, aridæ manus & pedis reſtituit ſoſpitatem. Alta quoq; Bruëria monaſterium dicitur alterum, religioſi admodùm ordinis fontis Ebrandi, ducentas circiter ſanctimoniales fœminas Domino deuotiſſimas habens. Illic aliæ pœnitentes velut in ergaſtulo præteriti temporis commiſſa deplorant, aliæ virgines implorant in thalamo ſponſi ſui gratiam, modis omnibus contendentes, vt ſiue præſentes, ſiue abſentes, placeant ei. Ad petitionem ergo Reginæ Francorum viſitat ancillas Chriſti, meritò deſiderabilis & plurimùm deſideratus antiſtes, vbi etiam nouum conſecrauit altare, & ibidem per ſignum Crucis puellam cæcam illuminauit. Puer penè exanimis reſtituitur. Brueria inſigne cœnobium. Signo crucis cæca illuminatur.

CAP. XLI.

TRiceſimumtertium annum, partem videlicet tertiam numerorū, quos læua continet, in pontificatu vir beatus implebat, & à partibus ei duabus reliquis parcens, filium dexteræ transferre diſponebat ad dexteram diuina vocatio. Nam & numerum ipſum creditur conſecrâſſe Saluatoris ætas in carne. Accedentem igitur ad cœnobium Bellæuallis, in Chryſopolitana diœceſi conſtitutum, ardor febrium violentus inuaſit, & iuxta vicum proximum, qui domini Martini dicitur, aliquandiù requieuit. Vbi poſtmodùm ab incolis ſignum Crucis erectum, & fideliter quamplurimis implorantibus ægris præſtita prædicantur remedia ſanitatum. Perueniente demum antiſtite ſacro ad monaſterium, congregatio omnis exultauit in gaudio, & per loca vicina de ipſius aduentu celebris & iucunda admodùm fama percrebuit. Aegritudine tamen eius audita, qui multorum ægritudines ſuis orationibus depellebat, metus ingens & mœror ſubijt, omnes pariter occupans intus & foris. Quos ſupra vires iam

iamque deficientis corpuſculi animus conſolabatur inuictus, ſolitæ benignitatis & hilaritatis gratiam ſingulis exhibens, ſuam diſſimulans ipſe frixuram. Cuius omnis ſemper actio, omnis affectio, & ipſe totus humilitas & deuotio, totus charitas & compaſſio fuit. Intereà ſolennitas inuentionis ſanctæ Crucis aduenit, in qua Dominus diſpoſuerat eiuſdem Crucis fideliſſimum adoratorem, feruentiſſimum amatorem, præconem ſedulum exaltare. In qua etiam triceſimustertius annus à ſuſceptione electionis impletus eſt, vt dies nulla ſuperexcreſceret, nulla deeſſet. Et forſitan minùs id fuerat attendendum, niſi quia Saluator quoque, vt quidam ſapiunt, ipſum ſibi numerũ à conceptione ad paſſionem vſque compleuit. Præuenerat autem Dominicis ſacramentis exitum præmunire, quorum fuerat multo tempore deuotiſſimus executor. Omnibus tandem ritè completis, in medio pſallentium & orantium filiorum, quibus paternæ benedictionis hæreditatem legauerat locupletem, feliciter eſt appoſitus ad patres ſuos. Ad quem multæ priùs eccleſiaſticæ & ſeculares perſonæ, humiles & honorabiles, ex eadem regione conuenerant: ſed ad eius præſertim exequias innumeroſior, ſi tamen numerabilis, multitudo concurrit. Excubias ergo peruigiles circa ſacratiſſimum corpus diebus noctibuſque duabus in pſalmis & canticis ſpiritualibus celebrârunt. Tertio demum die ab Archiepiſcopo Chryſopolitano, per ipſius opem & operam iam catholico, cum Abbatibus plurimis coram ſacro altari, in honore beatæ Mariæ ſemper virginis dedicato, ſepultus corpore, virtutibus viuere comprobatur. Et quoniam annos natus fermè viginti, ad monaſterium ſeſe contulit Bonæuallis, vbi circiter decem annos, & tantundem in Stamedio conſummauit, additis triginta tribus in epiſcopatu completis, ad ſeptuagintatres numerus annorum vitæ eius aſſurgit. In cuius tranſitu annus erat milleſimus centeſimus ſeptuageſimusprimus ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spirituſancto vnus eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen. Octauo Idus Maij, dies natalis eius: tertio Idus Septembris, Tranſlatio eius.

Nota præclarum encomiũ tanti viri.

Vir beatus migrat' è corpore.

Obijt anno Chriſti 1171. ætatis ſuæ 73.

TRANSLATIO S. NICOLAI EPISCOPI EX MYRA LYCIAE VRBE AD APVLIAE OPPIDVM BARIVM

vel Barum: ſcripta ab Ioanne Archidiacono Barenſi, iubente Vrſone Barenſi & Canuſino Archiepiſcopo, circa annum Domini milleſimum octogeſimumoctauum, aut circiter.

PROLOGVS.

VNiuerſis Chriſti Eccleſijs literis noſtris cognoſcenda ſignificamus, quæ miranda, laudanda & veneranda noſtris in temporibus Nicolai beatiſſimi famuli ſui meritis pro ſanctiſſimis omnipotens Deus mortalibus inſinuare dignatus eſt: videlicet qualiter de Myrea metropoli Barenſibus per pontum transferentibus, illius artus ſacratiſſimi Barum ſunt apportati: vbi ſunt etiam innumeræ oſtenſæ virtutes & ſtupenda miracula: quæ non ſolùm generationi præſenti vel voce vel ſcripto notificare curamus, ſed etiam noſtra poſt tempora generi venturo memoria & relationibus digna diligenter relinquere laboramus. Nos etenim certiſſimè nouimus, omnis quoque totum per orbem diffuſa frequentibus argumentis eſt experta fidelis Eccleſia, quoniam licèt maieſtas omnipotens aliorum ſanctorum pro meritis apta & gratiſſima beneficia ſuis Chriſticolis dignatur concedere: maximè tamen pro huius ſæpiſſimè largiri non diſtulit, quæcunque apperuntur ſuffragia illius inuocato pro nomine. Et idcircò ſub iſto vocabulo plures per omnes nationes & prouincias, vbi Chriſtus Dominus colitur, quàm aliorum ſanctorũ conſecratæ inueniuntur baſilicæ: & mortales plures ſunt, qui ſancti huius ſolennia celebrant, quàm qui aliorum. Pro quo enim tam celeriter aliquis aliquo in periculo poſitus ſenſit cælitùs adiutorium? Neque enim hoc proferimus, vt ſanctis derogemus alijs, vel animaduerſione illorum merita minuamus: ſed iſtius virtutes prædicamus, vitæque continentiam & conſtantiam miramur, & mirando collaudamus, qui tantam apud Deum hac in vita & poſt hanc vitam obtinuit & obtinet gratiam. Quam ob rem nec minori lætitia & celebritate iſta, quæ eſt in Tranſlatione, debet à fidelibus honorari feſtiuitas, quàm illa, quæ ſua de dormitione celebratur ſolennitas.

S. Nicolaus quàm celebris in Eccleſia Dei.

Feſtũ tranſlationis S. Nicolai.

nitas. Virtutum enim ſigna & tunc & modò manifeſta claruerunt, æqualia & innumerabilia. At fortaſſis feſtiuitatem iſtam non omnes æqualiter celebraturæ ſunt Eccleſiæ: Barum tamen tota cum Apulia laudibus digniſſimis precibusq́ue humilimis quotannis magnificare non negliget. Hoc etenim maximè tanto theſauro ditatum, tantaq́ue dignitate illuſtratum videtur. Iſtud autem omnibus de alijs nequaquàm ambigimus fidelibus: Verùm nihilo minùs aſſeuerare volumus, quod certiſſimè nouimus, quoniam mirandum venerandumq́ue habetur & habebitur ab omnibus, quod omnium conditori hac in tempeſtate mortalibus oſtendere, vt prædictum eſt, placuit. Quod ego Ioannes Barinæ Archidiaconus eccleſiæ per iuſſionem domini mei & patris Vrſonis Barenſis & Canuſinæ Archiepiſcopi eccleſiæ, qualiter ſit actũ, breuiter & liquidè, ſeriatim quoque pandere non grauabor.

Poſtquàm beati Nicolai ſubſtantia incorporea & inuiſibilis à corporea viſibiliq́ue fuerat ſubſtantia ſeparata, & ab ſpiritibus vranicis in præparata requie collocata, multi Imperatores, multiq́ue potentes mortales, artus illius ſacratiſſimos de vrna, qua manebant reconditi, ſummo conamine tentauerunt abripere, propriamq́ue ad patriam tranſportare. Nanque vnus de palatinis magnatibus hoc pro auferendo & afferendo theſauro ſuo ab Imperatore legatus, cuius Myrea tellus parebat imperio, ad eccleſiam vbi ſanctum iacebat corpus aduenit. Qui cernens propter quod venerat non ſe poſſe perficere, beatum Nicolaum flagitare cœpit humiliter, vt ſi loco ab illo tranſmutari ſe non permitteret, vel aliquam videndam ſibimet particulam dignaretur concedere, quam oſculari valeret. Cuius poſtulationi ſanctus Nicolaus non defuit, ſed quod rogauerat adimpleuit. Nam vbi de liquore vrnæ cum peniculo, ſicut ſolitus erat, extraxiſſet eccleſiæ miniſter, dens vnus ſtatim cum illo extractus apparuit. Quem maxima cum lætitia ſuſcipiens ille, Deo eiusq́ue famulo Nicolao gratias agere, & oſcula figere frequentiſſimè cœpit. Quem aurea capſellula mox incluſit, & ſuper altare, quod ibi aderat, poſuit. Cumq́ue poſt paululum aſpexiſſet, manare oleum illa de capſellula multum vidit. Inuoluit ergo eam pallio, putans hoc poſſe modo illum intus perſtringere, ne foras exiret ampliùs, liquorem: ſed fruſtrà. Nam quanto plus circunligabat, tanto liquor ipſe circunuoluta pallia madefaciens potiùs emanabat. Ergo deſperare cœpit, quia non poſſet habere in occulto, ſicut optauerat: idq́ue Domino manifeſtante cognouit. Ipſe etiam beatus Nicolaus in ſomni viſione fertur apparuiſſe, dentemq́ue ſupradictum præ manibus tenens & oſtendens dixiſſe: Ecce poſtulationi tuæ ſatisfeci: ferre autem tecum vt voluiſti non poteris, quoniam ſeparari ab alijs membris meis vel minimam particulam non permitto. Ille autem euigilans, & animaduertens tantummodò imaginationem ſomni fuiſſe, dentem vbi poſuerat non inuenit. Hoc quidẽ in Græcis voluminibus ſignificatum inuenimus, quod idcircò noſtræ relationi prænotauimus, quatenùs oſtenderemus, quia omnipotens Dominus ſui famuli corpus exinde, vbi fuerat hactenùs, per tot curricula temporis non permiſit tranſmutari.

Maij 9. Cap. 1.

Multi Imperatores & proceres S. Nicolai reliquias ad ſe transferre conati ſunt.

Nota rem ſtuporis plenam.

Animaduertẽs, pro exiſtimans.

Porrò ſicut in vera Græcorum reperitur hiſtoria, iſte ſanctiſſimus pontifex in ſynodo Nicena fuiſſe legitur oppidò iam ſenex: in qua præſidente beato Papa Sylueſtro, magnoq́ue principe Conſtantino, Arrius ſuis cum fautoribus condemnatus eſt. Ipſe autem beatus Nicolaus paucis pòſt diebus ſuperuiuens, cælo ſpiritum reddidit, corpus ſolo tradidit. A quo tempore vſque ad eius ſancti corporis tranſlationem, ſecundùm eorundem calculationem, ducentarum ferè Olympiadum curricula tranſierunt. At verò ſecundùm noſtram ſupputationem, ex quo Verbum Dei caro factum eſt, & habitauit in nobis, anno milleſimo octogeſimoſeptimo, Indictione decima, quidam Barenſes cum tribus nauibus Antiochiam negotij cauſa proficiſci voluerunt: ijsq́ue iam paſſis velis regna ſuper Neptunia volantibus, nautæ prædicti quaſi diuina inſpiratione commoniti, mutua inter ſe ſermocinatione de tanto rapiendo theſauro conferre cœperunt. Quidam autem ex ijs ad tentandum id hortabantur: poſſe enim hoc diuino perfici adiutorio, veluti iam ſcirent certiſſimè,

Cap. 2.

Id eſt, mille annorum.

conſtanter aſſerebant. Aiebant Eccleſiam ſolitariam, clero populoque vacantem, & idcircò neminem fore, qui ipſis obſtaret. Alij autem ne hoc tentarent diſſuadebant, facinus clariſſimum & difficilimum fieri poſſe deſperantes.

Cap.3.

Vt autem Myream lætantes acceſſerunt, ad litus ancora de prora iacitur, ſtant litore puppes. Habito ſtatim inter ſe conſilio, peregrinum quendam, quem * pupatum ſecum vehebant, præmittunt exploratum. Qui rediens, in caſtro, quo ſancti erat baſilica, Turcos non paucos renuntiauit adeſſe. Ille enim, qui eidem caſtro præerat, ibidem defunctus iacebat, & ea cauſa ad exequias funeris conuenerunt. Quo audito, expanſis carbaſis ilicò versùs Antiochiam proras ratium direxerunt, paucisque diebus ſecundo curſu ad eam peruenerunt ciuitatem. Vbi nauem Venetorum inuenientes, de varijs rebus, vt aſſolet, percontari cœperunt. Erant enim quidam ex noſtris Venetorum cognati & amici, cum quibus de corpore beati Nicolai mutuò confabulabantur. Veneti verò id quod dudum animo conceperant, edere verbis nequaquàm dubitauerunt. Nam & palos ferreos & malleos præparatos ſe habere confeſſi ſunt, & quòd tentare deberent inter ſe iam conſultâſſe, illis pandere non diſtulerunt. Quod cùm noſtri Barenſes audiſſent, ad hoc incipiendum & perficiendum maiori etiam deſiderio ſunt accenſi: & non tam pro ſua gloria & honore, totiusque patriæ noſtræ decore & ornamento audaciores & ardentiores eſſe cœperunt, quàm ob vitandum dedecus & vituperationem ſuî: veriti ne fortè Veneti id perficerent, atque inde ipſi ignominiæ nota afficerentur. Quapropter etiam maturauerunt negotium, cuius explendi cauſa iter ſuſceperant, vt inde ocyùs remearent.

Veneti vt ſe cõparârin: ad tollẽdas S. Nicolai reliquias.

Cap.4.

Eo expleto, cùm iam redirent, & proſpero Auſtro velis turgidis vndas æquoreas carinæ ſulcarent, ad Myreumque litus appropinquarent, tranſire illud vltraque tendere voluerunt. iam enim deferbuerant, & velut tepidi ex priore facti erant ardore. Ambigere enim cœperant, quòd rem difficilimam ſe moliri non ignorarent: tum quoque curſum velociſſimum habere videbantur. Itaque iam intermittere voluerunt, quod priùs conſuluerant: ſed diuina diſpoſitio, quæ hoc perficiendum conſtituerat, non intermiſit. Nam imperante potentia creatoris, ad ſua mox rediens loca ſyluia turbidus Auſter, & nimius gelidis Boreas eſt miſſus ab antris. Ita ergo inuiti ſteterunt, qui modò ſpontanei noluerunt. Exploratores deinde præmiſerunt: qui redeuntes nuntiauerunt eccleſiam eſſe ſolitariam, clero & plebe vacuam: tribus tantummodò cuſtodientibus monachis, neminem impedientem, nullumque illic eſſe reſiſtentem. Indigenarum enim exigentibus meritis, ea deſolatio & deuaſtatio iuſto Dei iudicio illi regioni accidit, quam gens infidelis inuaſerat, ſuoque dominio ſubdiderat, eaque cauſa deſerta remanſerat. His auditis, arma continuò comprehendunt, paucisque relictis, qui naues interim cuſtodirent, inſtructa acie benè muniti & cauti, tanquam hoſtibus obuiàm ituri, pergere cœperunt. Metuebant enim ſibi, quòd terra illa genti infideli ſubdita eſſet, longeque à litore locus, ad quem ibant, plùs minùs ſpatio trium milliariorum abeſſe videretur.

Barẽſes nõ ſine nutu diuino coguntur ijs obtinendis operam dare.

Cap.5.

At vbì eccleſiæ clauſtra ingreſſi ſunt, arma depoſuerunt, ædemque ſanctam humiliter ſuppliciterque ſubierunt, & Sancto preces obtulerunt. Finitis omnium precibus, antè dictos cuſtodes ſine dilatione de ſancto corpore percontati ſunt, & vbinam iaceret. Quibus illi, Hoc loco, inquiunt, ſicut à noſtris accepimus deceſſoribus, ſine ambiguitate repoſitum credimus. & his dictis, locum oſtenderunt. Deinde ſancto de liquore more ſolito extrahentes, illis tribuerunt: de quo cùm acciperent quidam in ſua vaſcula, Lupus presbyter Barenſis illorum comes in vitream ampullulam de eodem excepit: quæ alto loco interim dum loquerentur, vt quæ ſecurè illic ſeruaretur, repoſita, caſu improuiſo in pauimentum marmoreum cecidit, ſed nihil de ſua integritate amiſit, ſolidaque, vt priùs fuerat, non ſine omnium, qui aderant, admiratione de pauimento leuata eſt. Tum verò cœperunt cum monachis ſuprà dictis quaſi tentantes colloqui, dicereque ſe velle inde ſacrum corpus tollere, & ad ſuam patriam tranſportare. Hac enim cauſa, inquiebant, à Romanò Pontifice miſſi venimus, tribus aducti nauibus. Si conſentire nobis in hoc volueritis, dabimus vobis de vnaquaque puppi centum aureos ſolidos. Hoc illi audientes, ſtupefacti & pauore correpti ſunt: &, Quomodò, inquiunt, iſtud attentare

Illuſtre miraculum.

Nota quanti olim fecerint ſacras reliquias.

&

& perficere audebimus, cùm nullus mortalium id hactenùs impunè attentauerit? Quis autem tam ſit temerarius, vt tantæ mercis vel emptor vel venditor eſſe velit? aut quæ tanti erit pretij res tamque admirabilis, vt tanto poſſit theſauro comparari? An verò aurum vel argentum vel lapides pretioſi ei poſſunt æquari? Si domini terrarum non temeritate, ſed ne precibus quidem & ſupplicationibus iſtud conari ſunt auſi, quo pacto id vos ad effectum perducere valebitis? Deſinite ergo tantum perſequi nefas. non enim diuinæ id gratum eſt voluntati. At tamen, ſi ſic vultis, periculum facite. ecce locus hic eſt. Hoc autem dixerunt, nullo modo putantes fieri poſſe, quod illi volebant. Tot enim curſibus exactis ſolaribus, neminem mortalium nouerant, qui vel occultè furari, vel palàm vi rapere, vel à Domino precibus id impetrare hactenùs valuerit.

His atque alijs inter ipſos alternatim habitis ſermonibus, animare ſe inuicèm, & vt auderent ſtatimque inciperent conſilium habere cœperunt. Non enim illis opportunum erat aut commodum, ſed oppidò ſiniſtrum & inconueniens vlteriùs rem differre. Solari enim lampade ad occaſum vergente iam adueſperaſcebat: resque ipſa & locus peregrinus, reditusque ad naues dilationem ac ſecuritatem illis minimè permittebant. His ergo conuenienter prudenterque prouiſis, ſæpè nominatos monachos primò comprehendunt & tenent: deinde ſpeculatores conſtituunt, qui vndique venientes proſpectent, ne quid ab improuiſo, quod neutiquàm vellent, illis incommodi accideret. Stabant etiam hinc inde armati per tramites, vt fortuitò aduenientes caperent, nec abire ſinerent: nec adeò pauidi erant, tametſi numerus armatorum non excederet quadraginta & quatuor iuuenes, ſed audaciſſimos, quin hoſtibus quadruplò pluribus fortiter vellent obſiſtere, nec verterent terga, aut illis manus traderent. His autem cautè prudenterque foris ordinatis, intus presbyter ille, quem ſuprà nominauimus, & alter conſodalis Grimoaldus nomine, cum paucis alijs in eccleſia ſtantes preces inchoant, quæ vſitato more litaniæ vocantur. Sed timore pariter & tremore correpti, ac velut dementes effecti, linguæ inſtrumento impedito, quæ inchoauerant clariùs exprimere non valebant. Intereà Matthæus vnus ex nautis, ferreo arrepto malleo pauimentum marmoreum percuſſit & fregit, ſub quo cæmentum reperiunt. Quo comminuto & eiecto, vrnæ dorſum marmoreæ confeſtim apparuit. Hinc ergo exorta lætitia, magis ac magis fodere, veteremque iuncturam calcis cum aſciola quadam rumpere ac diſſipare, fragmentaque eijcere non tardabant. Quibus eiectis, foriſque pila detecta, atque à iam dicto iuuene malleo percuſſa, fragrantiſſimus ſubitò ac ſuauiſſimus odor exiuit, qui mira eos, qui aderant, ſuauitatis delectatione impleuit.

Cap. 6.

Barenſes ſerio ſe accingunt ad S. Nicolai reliquias auferendas.

In marmorea vrna cæ conditę ſuēre.

Idem verò iuuenis immittens manum, primoque liquorem attingens, ſenſit eſſe valdè copioſum, ita vt vrna eadem, quæ non parua erat, quaſi vſque ad medium plena eſſe videbatur. Deinde immergens dexteram, theſaurum pretioſiſſimum, quem ineffabili deſiderio quærebat, inuenit: inuentumque impauidus celeriter extraxit. Nam ſicut ipſe nobis retulit, verbis credibilibus fidem faciens, nunquàm ſe tam ſecurum atque interritum ſtetiſſe fatebatur. Vnde quis ambigat tanto in opere, ne formidaret, ope Angelica eum fuiſſe confirmatum? Expoſitis autem membris cæteris confusè ac temerè, caput adhuc deerat. Quo nondum reperto, triſtes aliquantulùm ſunt effecti. Quapropter inclinans ſe iuuenis ille, non vt priùs ſolis immerſis manibus in multo liquore quæſiuit illud, verùm etiam audacia temeraria pedibus ingrediens (Sic enim neceſſitas admonebat) ſanctum caput hinc inde quæſiuit: repertoque egreſſus eſt, ſalutifero de latice veſtibus & toto corpore madefactus. Factum id eſt duodecimo Calendas Maij. Intereà quidam ex circunſtantibus nautis clanculùm de ſanctis reliquijs minimas particulas auferentes, occuluerunt: ſed fruſtrà. Vt verò confitentes hoc factum ſuum cæteris artubus illas reſtituerint, ſuo loco poſteà oſtendemus.

Cap. 7. Multum ex eis olei manat.

Caput eius reperitur.

His ita conſummatis, loculus illis deerat, in quem ſancta illa omnipotentis Dei inferrent munera. Nanque inopinatò & ex improuiſo iſtud eis euenerat, & idcircò nihil tale præparatum ſecum attulerant, quo excipere illa honeſteque componere poſſent. Sed tamen alterius ex ijs, quos diximus, presbyteris exuta quam induerat tunica, quæ aliâs paludamentum vocatur, prout poterant ea inuoluerunt: ſtatimque ſubeunte Lupo presbytero, per humeros eius guttulis odoriferis decur-

Cap. 8.

Guttulæ odoriferę defluunt à reliquijs eius.

decurrentibus, onus leuiſſimum, nulla terreni ponderis grauitate moleſtum, cùm omnes eſſent armis accincti fulgentibus, aſportârunt, prædam ſanctiſſimam non ex hoſtibus ferentes, ſed ex Dominico gazophylacio, diuina largiente gratia, ſumentes, theſaurumque venerabilem de arca ſanctiſſima furto laudabili tollentes, non ſine Angelico, vt putamus, comitatu, exultantibus animis cum laudibus altiſonis, quantum quidem laici ſciebant, ad litora properè remeabant. Nec deerant nonnulli, qui de ſancto vrnæ, quam ruperant, marmore fruſta quæ poterant ſecum auferrent: è quibus in minutas diuiſis particulas à multis pontificibus per Italiam multa ſunt altaria tabulæque itinerariæ conſecratæ. Idem factum eſt & de panno illo nimiùm madefacto, quo artus venerandos inuoluerant. Quippe vtrunque ſanctificatum eſt, & ob hoc valdè venerandum, atque in huiuſmodi locis honorificè recondendum.

Cap. 9. Obſerua pium nautarũ ſtudium.

Vt autem ad ponti aduenêre confinia, ſanctaſque depoſuêre reliquias, orta eſt inter illos contentio, quinam ex illis, aut cuius nauis ferret onus illud deſiderabile. Optabat enim vnumquodque ſodalitium in ſuo illud portare nauigio. Quis enim tantum nollet ſeruare & cuſtodire patronum, à quo ſe ipſe potiùs ſeruandum & cuſtodiendum, atque ex omnibus aduerſis eripiendum non deſperaret? Placuit tandem omnibus, vt omiſſa hac contentione, illius nauis ſodalitas ſecum veheret, in qua nauta erat huius operis audaciſſimus effector: ea tamen conditione, vt priùs iuſiurandum darent, ſe ſine cæteris nihil de ſancto corpore acturos vel conſtituros. quod quidem ita factum eſt. Concordia ergo inter illos hoc modo compoſita, ratem aſcendunt, & alio illud inuoluentes panno candido & nouo, priore ablato, in ligneum imponunt vaſculum, in quo laticem vel temetum nautæ ſeruare ſolent. Intereà fama pernicibus alis volitans, incolis Myrei caſtri, quod non longiùs milliario vno ab eadem eccleſia in monticulo quodam ſitum eſt, aures multorum triſti voce percutiens, id quod geſtum erat nuntiauit. Concurrentes ergo vndique curſu velociſſimo, irati nimiùm ac triſtiſſimi, tendebant ad litora, ob raptumque paſtorem & dominum lugentes amariſſimè, crines & barbas euellere diutiſſimè non ceſſârunt, & vocibus luctuoſis, perinde ac ſi chariſſimi propinqui alicuius corpus exanime libitina ferrent, ita clamitabant:

Dolor Myrani populi ob ablatas S. Nicolai reliquias.

Tempore quid miſeris heu nobis accidit iſto,
 Quo patriæ noſtræ dedecus aſpicimus?
Munera tanta Dei multos ſeruata per annos,
 Tam facili raptu perdidimus ſubitò.
Hactenùs hoc fuerat Lyciæ ditata ſuperno
 Theſauro tellus, ac decorata nimis:
Laudibus eximijs totum celebrata per orbem,
 Et munita patris magnanimi meritis.
Infelix Myrea tuis ſpoliata manebis
 Cultibus & donis, mœſtaque ſemper eris.
O Nicolaë pater toto venerabilis orbe,
 Cur patriam noſtram deſeris, immò tuam?
Hîc genitus fueras, ſanctiſque parentibus altus:
 Hîc puer & iuuenis, virque ſenexque pius.
Hîc pater & dominus, paſtor cuſtoſque benignus,
 Hactenùs hac patria viuus & exanimis.
Quælibet hanc miſeram quotiēs aduerſa premebant,
 Auxilium petijt mox pater alme tuum.
Rebus in aduerſis aderas ſpęs vna ſalutis,
 Munimen tribuens ſupplicibus populis.

Inuocatio Sanctorum quid conferat.

Quorum tu precibus præſens venerande fauebas,
 Votaque ſuſcipiens, quæque rogata dabas.
Vndique currebant cunctis è partibus orbis,
 Ad ſacrum tumulum ſæpè ſalutiferum.
Nouerit heu vacuum ſimul ac quem turba fidelis,
 Omnis ceſſabit cultus, & omnis honor.

Munera

Muneraquippe Dei deerunt,& gratia prima:
  Hiſtoriæ ſolum nomen erit veteris.
Paſtor oues proprias cui nos committis alendas?
  Te linquente gregem,mox lupus aduenier.
Virtus,ſolamen noſtrum,decus omne,leuamen?
  Tu ſpes vna,ſalus,cauſaque lætitiæ.
Væ nobis miſeris,hæc omnia perdimus: at nos
  Hinc ſubit & luctus,perpetuusque dolor.
Heu cui tale nefas fuit hæc permiſſa poteſtas
  Efficere,& tantum ſic violare locum?
Et malè tractauit cuius temeraria dextra,
  Fecit & hoc furtum quis modò ſacrilegus?
Sed fortunati,qui prædam fertis opimam,
  Nos infelices occupat omne malum.

Hæc & alia triſtitia & dolore atque ira cogente conclamabant lugentes, ac deinde ad propria mœſtiſſimi lachrymisque madentes remeabant. Inter abeundum autem frequenter vultus conuertebant ad litora, nauesque reſpiciebant. quippe in quibus & illorum & totius patriæ decus & gaudia ferebantur. Interdum verò inhiantes & tanquam verſi in amentiam reſtabant, atque vt leænæ toruæ, cùm ſunt fœtæ,& tigrides aſperrimæ fremebant. Illis denique mœrore conſcio abeuntibus, lentiſque greſſibus arenas calcantibus, iſti comitante lætitia, exultantibus animis, rudentes celeriter exoluunt à litore, ſuaque aſſidentes per tranſtra,alacriter remigare cœperunt. Quanta enim illi non abſque animi ſtupore tunc hilaritate perfuſi fuerint,nec voce proferre,nec literis explicare,nec animi conſideratione conſequi poſſim. Nauigantes autem, nocte illa in inſulam, quæ Cacabum dicitur, delati ſunt: qua relicta, laborante remigio ad Maieſtras inſulas (ſic enim nominantur) profecti ſunt. Inde recedentes, cum multa remigum fatigatione ad loca Macri appulerunt. His enim tribus noctibus, geminisque diebus admodùm illis aduerſante Borea nauigârunt. Vnde etiam quidam inter ſe colloquentes, fluctuantibus & turbatis animis dixerunt: Quid ita nobis infeſtus eſt hic ventus, nec quieſcit? Forſitan aliud nobiſcum vehimus: non illud quod autumamus. Aut ſi re vera corpus S. Nicolai ferimus, fortaſſis non ei placuit id quod fecimus, atque ea cauſa malè egimus,& vlteriùs illud ferre non valemus.

Cap. 10.

Exultabundi auehunt Barenſes S. Nicolai reliquias.

Ex ijs autem vir quidam Euſtaſius nomine, nocte ſequenti fertur vera ſomnij viſione vidiſſe, immò huiuſmodi paſſionem ſenſiſſe, hyrundines eius linguam mordicùs apprehenſam malè tractantes atque cruentantes. Qua illle viſione perterritus & expergefactus, de cubili ſurgens nequaquàm tacere voluit quod viderat, ſed ſocijs omnibus, metu necdum de pectore recedente indicauit, aſſerens quòd verè ſint membra ſanctiſſimi Nicolai: nec dubitauit vleriùs benè illi placuiſſe quod fecerant. At tamen illi de contrario vento perrexerunt inter ſe conqueri, & cur illis ea aduerſitas accidiſſet percontari. Tum verò quidam ex ijs, ceu vates veridici, talia dicebant: Venti iſthæc aduerſitas, quæ noſtrum impedit iter, vt nos quidem putamus, non priùs ceſſatura eſt, donec artubus cæteris particulæ illæ, quæ ſeparatæ ſunt, coniungantur. Reuerà enim quidam ex noſtris occultè de ſanctis abſtulere reliquijs, easque apud ſe abſconditas habent. Sed ſi læti cupimus omnes redire in patriam, ſancto reſtituatur corpori, quicquid à quolibet ſublatum eſt. Singuli etiam iureiurando firment ſe nihil eiuſmodi penès ſe occultatum habere, vt ab omnibus ſuſpicio omnis amoueatur. His dictis cùm omnes aſſentirent, ſinguli ſingulas, quas abſtulerant, particulas oſtenderunt: & in ijs Romoaldus quidam duos ſancti viri dentes & exiguos articulos protulit: alter de ſancto liquore omnino madidum marſupium, vbi ſeruauerat quod furtim abſtulerat, ſe inueniſſe confeſſus eſt. Ijs ergo particulis cæteris artubus adiunctis, ſinguli propoſito Euangelij codice iuramento ſatisfecerunt, ſe de S. Nicolai reliquijs nec habere quicquam abſconditum, nec ſcire quenquam alium habere. Cùm hæc ab omnibus vnanimiter facta fuiſſent, iam minimè deinceps ſenſerunt aduerſa ventorum ſpiramina, quodque priùs inconſultè geſſerant,de eo poſtmodùm ſe benè conſuluiſſe apertè cognouerunt.

Cap. 11.

Viſio cuiuſdam.

Reſtituuntur ablatæ particulę de reliquijs,& redit ventus ſecundus.

Flante ergo proſpero vento latumq; carinis ęquor ſulcantibus, Domini collaudantes

Cap. 12.

tes magnalia, lætiſſimi curſu vehebantur citiſſimo, & ſicut poſteà itinere iam peracto compererunt, prædictum illis fuit quiddam valdè mirabile. Nanque vni ex nautis, cuius nomen erat Diſigius, cùm quies ſoporifera eius membra teneret, apparens imago viri venerabilis fertur dixiſſe: Nolite timere, ſed conſtantes eſtote: quia vobiſcum ero. Et ille, Quis tu, inquit, es domine? Cui ſic reſponſum venerandus reddidit heros: Sum Nicolaus ego, vobiſcum qui modò dego. Et vt me verum experiamini dicere, die viceſimo, à quo corpus meum abſtuliſtis, Barinum portum intrabitis. Hæc vbì imago illa locuta eſt, ab oculis illius euanuit. Hoc autem ille euigilans omnibus enarrauit. Atque id ita demum, vt prædictum fuit, eueniſſe conſtat. Hinc igitur tanto confiſi miraculo, minimè iam pelagi minas exhorrebant, nec rabidos ventorum impetus, vt perpauidi nautæ ſolent, expectabant, nec poteſtatem ponticam contra ſe futuram metuebant: quippe qui illum, per quem tempeſtates terribiles ſæpiſſimè quieuerunt, ſecum per pelagus ſecuri ferrent. Porrò illis gaudentibus, & medio pelago carinis currrentibus, auicula quædam ex improuiſo apparuit: quæ huc illuc intra nauem nunc volitans, nunc pedibus inter nautas ambulans, quaſi manſueta & domeſtica, & quæ capi non renueret, ibat & redibat, aſcendebat & deſcendebat. Quam illi vultu hilari aſpicientes, mirabantur non ſolùm eius manſuetudinem & circuitiones, ſed etiam aduentum. In medio enim æquore ventoſis alis volantibus nauibus, ab inſulis & tellure longiſſimo interuallo ſeparati videbantur: atque inde animaduertẽtes vnde ea aduenitſet volucris, lætitiam ſimul & admirationem conceperunt. Cùm autem aliquantiſper intra ratem hac illac deambulâſſet, ab oculis omnium eſt ablata, nec vſquam ampliùs viſa. Læti igitur ex eo effecti ſunt, quod viſu corporeo conſpexerant: quandoquidem aliud in illa volucris ſpecie fuiſſe, interiori ſpeculatione colligebant & credebant.

Viſio Diſigij nautæ.

Miri quiddam de auicula nauis ſe adiūgente familiariter.

Cap. 13. Obſerua de odore mirifico.

Sed maiori quotidiè exultatione afficiebantur. Crebrò nanque inter lucem & tenebras odorem ſuauiſſimum, mirabilem & incognitam ſpirantem fragrantiam, ſentiebant. Atque ijs omnibus meritò exhilarati, ad portum S. Georgij paucis diebus appulerunt: qui locus à Barinis mœnibus non ampliùs quinque abeſt milliarijs. Vbi ex vaſculo ſuprà memorato ſanctas extraxère reliquias, & in capſella lignea, quam in itinere parauerant, digna priùs veneratione eas exoſculantes, quantùm quidem potuêre, honorificè eas condiderunt, & extrinſecùs pallio ſtrictè contexerunt. Interim quoſdam de ſuis nuntios præmiſerunt ad Clerum populumque Barenſem: qui cùm illos audiuiſſent, confeſtim ciuitas tota gaudio inopinato, nouo & mirabili eſt repleta: omnique mox dilatione remota, vterque ſexus & omnis ætas, atque adeò etiam infirmi ad litora conuenerunt. Nanque ferè viri omnes & mulieres, ſenes & iuuenes, anus & iuuenculæ, pueri & adoleſcentulæ, infantuli & infantulæ naues ſæpè dictas, tantam Baro cunctæque Italiæ lætitiam afferentes, intentis obtutibus & iucundiſsimis animis venientes expectabant.

Vide ſtudiū priſcorū erga ſacras reliquias.

Cap. 14.

Vt autem iuxta portum applicuerunt, cuinam viro eccleſiaſtico & religioſo tantum theſaurum porrigerent & committerent, ignorabant. Vrſo enim Barinorum Archiepiſcopus, vir religioſus, Deoque dignus, & dominis Italicis notiſſimus & familiaris amicus erat tum apud Tranum, cum quo & nos illo die eramus. Nauis enim illic præparata ſtabat, quam poſt diem alterum ingredi ſtatuerat, cauſa orationis Hieroſolymam profecturus. Porrò legatus ad eum feſtinus venit ciuium Barenſium cum literis, quæ omnipotentem Dominum tam mirifica dona eccleſiæ Barenſi ipſius tempore conceſſiſſe ſignificabant. Omiſſo ergo ille cœpto itinere, immenſa repletus lætitia, Barum ſibi properè petendum exiſtimauit. Interim nautæ Eliæ Abbati cœnobij S. Benedicti, quod ſupra portum ſitum eſt, capſellam ſacras reliquias continentem commendârunt: quam ille ſuſcipiens, in eadem beati Benedicti eccleſia nono die menſis Maij, in quo tranſlationis eſt conſtituta celebrari ſolennitas, tribus diebus & noctibus cum fratribus ſuis diligenter & cautè cuſtodiuit. Nam inde poſteà fuit ablata, & ad curiam, quæ dicitur Catepani, deportata. Inter ciues nanque Barenſes ciuilis diſſenſio & ſeditio exoriens, in duas eſt partes diuiſa. Alij enim in hac ciuitatis parte, alij in altera Sanctum collocare nitebantur. Quid autem inter illos euenerit, per notas vocum nolumus noſtris mœrendum relinquere poſteris: ſed malumus ſilentio ſempiterno teneri, & obliuione ignorari. Tandem verò aduenicte Archiepiſcopo, nautæ & ciues rogauerũt illũ, vt capſellam illam intra curiam ſuam ſineret reponi, quòd locus illic eſſet aptus & amplus, ibique propria eccleſia conſtrueretur. Quorum ille poſtulationi conſenſum

ſenſum præbuit: & mox cum epiſcopis & clericis omnique populo ciuitatis nudis pe- Ecce reue-
dibus illuc pergens, de medio curiæ abſtulit, & in eccleſia beati protomartyris Stepha- rentiam er-
ni, quæ paucis menſibus ante annos tres fabricata fuerat, depoſuit. Deinde ſolicitè gareliquias
cogitare cœperunt, cui viro idoneo, digno & fideli tantum theſaurum fideliter cuſto-
diendum committerent, qui & oblationes fidelium ſuſciperet, fideliterque ad neceſ-
ſaria baſilicæ opera ſeruaret, omnibusque præeſſet vtilitatibus prouidus diſpenſator.
Sed neminem alium tantæ rei magis idoneum hac tempeſtate reperire potuerunt,
quàm antè dictum Eliam Abbatem. Itaque omnium conſenſu & fauore Archiepiſco-
pus loculum corporis & cætera ſuprà memorata illi commiſit, agendisque omnibus
eum præpoſitum eſſe voluit.

Hæc ferè omnia, quæ hucuſque per notas vocum & mentis ſtylo inculto, pro te- Cap. 15.
nuitate ingenioli noſtri conſignauimus, omnipotens maieſtas per mortalium actio-
nes operari dignata eſt: cætera quæ ſequuntur, ipſa ſola operata eſt, ſigna videlicet
virtutum ſuarum innumera & miranda. Placuit enim diuinæ omnipotentiæ, quod
actione temeraria factum videbatur, ſua confirmare operatione mirabili. Ambige-
bāt enim non pauci fideles, & idcircò tanta gratia & gloria & ſublimitas ex diuina diſ-
poſitione Barum aduenîſſe, totamque Italiam illuſtrâſſe, non rata mentis ratione cre-
debatur. Vt enim initio diximus, permulti principes id fruſtrà ſæpè conati fuerant. Si
quis autem quærat, vel ſecum tacitus miretur, cur quod illis per tot ſecula negatum eſt,
iſtis Deus conceſſerit, reſponderi illi poteſt: Cauſam nos neſcimus. Quis enim cogno- Eſa. 40.
uit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Hoc ſolum nouimus, quòd illis tunc
noluit iſthuc concedere, quod iſtis cùm ſibi viſum fuit conceſſit. Id verò non dubiè En quantũ
poſſumus conijcere, quòd pro ſalute Italorum, immò totius Europæ de Aſia vſque Ba- prouenit Ita-
rum munus hoc gratiſſimum prouiſor omnium transferri imperauit. In hac enim lo- lię reliquię
la mundi parte, id eſt, Europa, catholica pietas abundantiùs & perfectiùs colitur: in obuenienti-
alijs verò aut vix alicubi, aut nuſquam. Collaudare igitur Dominum oportet fideles bus eas.
omnes prouincias, & benedicere, eique grates digniſſimas agere, quòd dignatus eſt re-
ſpicere populum, quem ſuo ſanguine redemit: cui hoc tempore tantam voluit imper-
tire gratiam, vt per medelam, quam alij ſentiunt, alij fieri cernunt in corporibus, ani-
marum perpetua ſanitas acquiratur. Neque enim credendum eſt, quòd pro ſolis cor-
poribus ſanandis, quæ ſunt quandoque in cineres redigenda, hæc voluerit Dominus
noſter ſuis fidelibus præſtare beneficia: ſed poſt viſibile medicamentum, inuiſibilis ne-
ceſſe eſt medicina requiratur. Vtrunque enim ſanare Saluator non deſpicit, qui vtrun-
que creauit: ſi tamen humilis præcedat ſupplicatio, cordisque contritio. Cor enim
contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Etſi autem totius Heſperiæ ciuitates & Pſal. 50.
prouinciæ de tam mirifico munere iure congratulari videntur, at tamen Barum maxi-
ma & ſingulari ac velut propria quadam excellentia præfulgere conſpicitur. Nam di-
uina imperante potentia, dimiſſa patria, in qua ortus fuerat, relicta epiſcopali cathedra
cui præfuerat pontifex pius & venerandus, poſtremò quaſi poſtpoſitis totius orbis ter-
rarum partibus alijs, hāc ſibi delegit beatus Nicolaus ſedem, vbi corporis eius oſſa ſan-
ctiſſima quieſcant. Cur autē hîc, & non alibi, cùm ſint & maiora, & meliora, & digniora
loca, nemo à nobis curioſiùs inquirat. Noſſe ea ſufficiat, quæ ſuperiùs annotata ſunt.
Gaude igitur Barũ gaudio ſingulari, ſed in Domino. Gaudete iuſti, ait Propheta, in Do- Pſal. 32.
mino. Et Apoſtolus: Gaudete in Domino ſemper. Exulta Barũ, ſed in Domino, qui hāc Philip. 4.
exultationem ſola gratia ſua, non præcedentibus meritis tuis tibi præſtitit. Gloriare,
ſed in Domino, qui præ cunctis telluris partibus tanta te gloria ſublimauit. Hoc enim
modo in Domino te conuenit gaudere, lætari, exultare & gloriari, vt in primis fatearis
non te meruiſſe tantam à Domino percipere gratiam. Quæ enim tua merita hoc di-
gna munere fuêre? Deinde in ſuperbiam ne efferaris, ſed prona mente humilieris. Qui
enim ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Humiliaberis vtique ex Matt. 23.
hoc, vnde humilitatem concipere debes, ſi te inde exaltaueris, vnde te oportet omnem
ſuperbam elationem reſpuere. Neque enim omnipotens Dominus idcircò hoc te or-
nauit & decorauit diademate, vt vitijs & criminibus adijcias incrementa: neque pro-
derit tibi in oſſibus beati Nicolai habere fiduciam, quòd Deo iubente intra mœnia
tua quieſcant, ſi prauis & probroſis moribus diuinæ contradicas voluntati. Sic nanq;
Iudæi, ſpretis Domini noſtri Ieſu Chriſti mandatis & virtutibus, in Moyſe ſe fiduciam
habere dicebant, quibus idem Saluator, Moyſes, inquit, in quo ſperatis, ipſe vos accu- Ioan 5.
ſat. & propheta: Populus iſte, inquit, labijs me honorat: cor autem illius longè eſt à Eſa. 29.
me.

Hæc dicuntur in illos qui ſolo vocum ſtrepitu altisque clamoribus contenti, nullam adhibent animi attẽtionem & deuotionem.

me. Non diligit beatus Nicolaus vanas cantiones laudesque ſonoras: neque propterea huc à Deo miſſus eſt, vt illi huiuſmodi reuerentia & honores vanitatis impendantur: neque vt per veneranda merita illius corpora tantummodò ſanentur: ſed iubilationibus & laudibus, quæ ore proferuntur, animi affectus concorditer intendat, & ad hoc humiliato & contrito corde noſtræ ſupplicationis & flagitationis ſit intentio, vt magis ſpiritus illius quàm oſſa ſint nobiſcum. Ipſe enim ſanctus hoc mauult, hoc idem in nobis magis diligit: quem quotidiè nos obſecrare ſuppliciter expedit, vt ſuis ſanctiſſimis meritis interuenientibus ſedem, quam elegit, cuſtodiat, muniat & ab aduerſis eripiat ac tueatur: ſed & omnibus fidelibus, eius ſuffragia quærentibus, ſolita pietate ſuccurrat. Sed hæc hactenùs.

Cap. 16.

Iam ad noſtrum redeamus propoſitum, ne fortè hanc præfationem longiùs extendentes, tum legentibus, tum audientibus faſtidium ex dilatione inferamus. Nam licèt tantillum, quod iam præfari voluimus, non ſit infructuoſum & inutile, at tamen attentiùs & deuotiùs beatiſſimi Nicolai merita veneranda à cunctis fidelibus audiuntur, pro quibus omnipotens Dominus virtutes innumerabiles & admiranda dignatus eſt opera perpetrare. Quorum innumeram multitudinem (Neque enim ab vllo mortalium numero comprehendi queant ea, quæ paucis diebus facta ſunt miracula) omittimus. Tam enim erat frequentiſſimus concurſus & conuentus languentium & dæmoniacorum, ex diuerſis prouincijs aduentantium, vt non ſolùm nomina ſingulorum hominum & morborum quoque nos ignorare fateamur, ſed etiam certum eorum inire numerum minimè valeamus. Pauca ergo de multis excipimus, ſtyloque noſtro ſeruanda & veneranda commendamus. Poſtquàm ad beati Benedicti eccleſiam, vt eſt à nobis ſuprà dictum, ab Abbate Elia ſanctiſſimi Nicolai capſa eſt delata, die altero tantæ fama rei & celſitudinis extra Barina mœnia mira ſe pernicitate effudit: primoque Barenſis territorij caſtella & villas adiens, omnium aures nuntio lætiſſimo percuſſit: moxq; cateruatim concurrunt vndique ſexus vterque & ætas omnis. Quid dicam? Præ agminibus frequentiſſimis virorum & mulierum, ſenum & iuuenum, diuerſorumque languentium viæ ampliſſimæ & ſemitæ longo telluris ſpatio pleniſſimæ videbantur, vocesque laudum altiſonæ hinc inde reſonabant. Quippe omnipotentem Dominum certatim collaudabãt, benedicebãt & glorificabant, qui tanto theſauro ditare, tanto ſplendore illuſtrare, tãta conſolatione & propitiatione viſitare dignatus eſt regionem hanc.

Innumera miracula intra paucos dies.

Ingens cõcurſus ægrorum ad S. Nicolai reliquias.

Cap. 17.

Deinde fama eadem pennis mota leuiſſimis, longiùs atque longiùs tranſuolans, intra paucos dies omnes Italiæ prouincias annuntiatione mirabili concitauit. Itaque concurrebant de vniuerſis totius Heſperiæ prouincijs diuerſæ Chriſticolarum multitudines, nõ tam pro nouitate rei oppidò venerabilis & deſiderabilis, aut orationis gratia, quàm ob virtutes diuinas, ſignaque miraculorum ſtupenda & innumera, quæ quotidiè fiebant. Nam primo die apud S. Benedicti eccleſiam, vbi ſanctum erat depoſitum corpus, ampliùs triginta ægroti ſexûs vtriuſque & ætatis omnis à multimodis ſunt liberati morbis, perfectaque reddita ipſis ſanitate, cum gratiarumactione læti & incolumes ad propria remeabant. Die altero alijsque, quot à dæmonibus poſſeſſi, omninò à vexatione diabolica ſint abſoluti, quot linguæ vinculo, qui muti erant, expediti, quot ſurdorum obſtructæ aures ſint patefactæ, quot oculorum orbati lumine viſum recuperàrint, quot denique alij multigenis ægritudinibus oppreſſi, ſanitati ſint reſtituti, notis vocum particulatim conſignare & enumerare nequimus. Infinitus enim eſt & nobis incompertus numerus.

Innumeri curantur.

Cap. 18.

Homo quidam de partibus Anconitanis ortus, curuato corpore debilis & infirmus erat, pedum ac manuum integris officijs carens. Qui deoſculans beati Nicolai capſellam, & humiliter expetens ſanitatem, eam recepit plurimis, qui aderant, cernentibus, domumque abijt benedicens Dominum & eius famulũ venerans. Sacerdos quidam de Camerino territorio paſſione guttæ in ſpina affectus, incuruationem & dolorem immodicum multo tempore pertulit, nec ad cælum reſpicere valebat. Is audiens tot virtutes mirabiles, quæ per beatum fiebant Nicolaum, interiori accenſus deſiderio, iter vt potuit cum ſuis conterraneis arripuit, & venire cœpit. Cumque ad locum quendam veniſſet, vnde primùm poteſt Barum conſpici, vbi magnam Crucem ligneam quidam fixerãt, quòd illic ab infirmitate dimiſſi, ſanitatẽ viſa ciuitate recepiſſent: dum cernuus numeroſa & lenta mouens veſtigia, vt poteſt ambulat, ſenſim cœpit parumper erigi: & ſicut ipſe nobis retulit, videbatur ſibi calorem ſentire inſolitum, & à quodam anteriori corporis parte ſuſtolli. Mox quaſi pauefactus & lætus inclamauit ſuos comites, qui eodem

Curuus erigitur.

Item alius.

dem pergebant itinere, aſſeruitq; ſe Domini ſentire virtutem. Quid multis moramur? Qui de domo infirmus exijt, & vſque ad ſacrum corpus non niſi infirmum ſe venturum exiſtimauit, ad illud ſanus & alacer venit Dominum collaudans, ſanusque ad patriam repedauit.

Apud Amalſiam puerulus quidam à nequam ſpiritu miſerabiliter vexabatur: quæ res parentes mœrore continuò vehementer affligebat. Sed excitati mirabilium fama virtutum, ocyùs Barum cum prole venerunt. Vbi autem ad Crucem paulò ſuprà memoratam appropinquauerunt, Barumque inde procùl aſpexerunt, lætitia inopinata ſed optatiſſima ſubitò ſunt repleti, cernẽtes miſellum puerulum à maligno ſpiritu liberatum. Itaque non pro curando puero, qui iam curatus erat, ſupplicaturi, ſed pro recepta ſalute donaria oblaturi, Dominoq; & S. Nicolao grates & laudes digniſſimas acturi, celeriter Barum aduenerunt. Cap. 19. Paruulus à dæmone liberatur.

Alij quidam à caſtello quodam eò acceſſerunt, ſecum afferentes infantulam, omnibus corporis viribus deſtitutam: itemq; puerulum valdè debilem, qui nullum edulium ſtomacho poſſet ſalubriter retinere, vel naturali ordine digerere. Cumque aliquot diebus cum precibus & ſupplicationibus apud corpus ſanctiſſimum permanſiſſent, multasque in alijs virtutes effici, in ſuis nullas conſpicerent, maiori cum triſtitia & dolore, quàm priùs ſenſerant, ad proprias manſiones non ſine deſperatione redire cœperunt. Cùm autem à Barinis mœnibus quaſi trium milliariorum ſpatio iam receſſiſſent, ſub vmbris oliuarum ſecus viam & propter Solis æſtum, & itineris laſſitudinem hinc inde humi reſederunt. Cumque inter ſe mutuò confabularentur, quidam ex ijs dixerunt: Non videntur nobis Barenſes vera dicere de S. Nicolai corpore, ob cuius merita & miracula eò acceſſimus cum infirmis noſtris, vt curarentur. Illis verò & hæc & alia deteriora falsò dicentibus, alij contradicebant hunc in modum: Non debetis vos his vti ſermonibus, neq; nos dubitare conuenit, cùm tot hominum millia affirment id, quod vos negatis, & vnde vos dubitatis. Miramini, aut fertis indignè, quod minimè vobis cõtigerit hoc quod optâſtis? Sed neque mirari debemus, neque contra diuinam iraſci potentiam, ſi non accipiamus, quod merita noſtra nequaquàm promeruerunt. Huiuſcemodi atq; alijs prolatis ſermonibus, ſubitò & puerulum ſanum, & infantulam, quæ nunquàm ſuos mouere greſſus poterat, ambulantem conſpiciunt. Mox igitur diuinam collaudant operationem, & gratias agunt, quòd & beneficia optata conſecuti eſſent, & vnde ambigui fuerant, inde iam certiſſimi eſſe meruiſſent. Cap. 20. Temeraria quorũdam dubitatio. Sanantur duo morbidi.

F. Laur. Surius Pio Lectori.

IN huius Tranſlationis libello non debet te, pie Lector, offendere, quòd cap. 15. Author dicit non diligere S. Nicolaum vanas cantiones laudesq; ſonoras, & honores vanitatis. Facilè enim aduertis ex ijs, quæ mox ſequuntur, eum illos duntaxat reprehendere, qui ſola vocum modulatione, idque ſtudio vanitatis & inanis gloriæ, laudant Sanctos, nulla adhibita animi pietate & attentione: quod valdè vitandum eſt, cùm dicat Apoſtolus: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Nos aliquot locis modicè ſtylum mutauimus, & quædam redundantia contraximus.

VITA S. GREGORII NAZIANZENI EPISCOPI, PATRIS CELEBERRIMI ATQVE DOCTISSIMI,

Græcè conſcripta à Gregorio presbytero: ſed non ita pridem Latinè conuerſa per Iacobum Billium Prunæum, S. Michaëlis in Eremo Abbatem inprimis eruditum.

AD ſpirituale ſermonum conuiuium, viri auditores, egregius ille Gregorius, cognomentum à Theologia conſecutus, vos inuitat, atque ipſe in cibum materiæ expertem offertur, epulumque corruptione omni ſublimius. Nec verò mirum vobis videatur, me eò audaciæ progreſſum eſſe, vt & meæ imbecillitatis, & excellentis illius ingenij animique magnitudinis memoriam abiecerim: qui propter incomparabilem virtutis præſtantiam, ad hunc fermè diem ſilentij honore apud omnes ornatus eſt, nec quiſquam adhuc extitit, qui vitam ipſius expoſuerit, ac ſerie quadam & ordine præclara illius facinora ad poſteros tranſmiſerit: 9. Maij.

S. Gregori⁹ ſcripſit vitas quorũdam Sanctorum. quemadmodum ipſe & in Baſilio Magno,& in alijs beatis Epiſcopis & Martyribus fecit, vitam ipſorum argumento integro proſecutus Primùm enim nulla ratione venerando huic patri vobiſcum conſidenti aduerſari poteram: qui orationem velut aliud quoddam debitum exigebat,meque ad prædicandas diui Gregorij laudes admodùm paterna & herili authoritate concitabat,ſibique vt morem gererem imperabat, ſeque alioquì nullum me vrgendi finem facturum minabatur,atque hanc procreationis educationisque mercedem efflagitabat. Deinde ne pium quidem & fas mihi eſſe videbatur,nullam tantæ virtutis rationem habere: quæ ſi vitæ humanæ ad imitandum proponeretur,multos fortaſſe ad æmulationem cohortari atque excitare poſſet, nec honeſtum ipſum dilabi atque euaneſcere ſineret,quotidianis nimirùm ſermonibus ſubinde effloreſcẽs. Agè igitur,cunctatione omni abiecta,ſermonum meorum primitijs,quaſi fructibus quibuſdã recèns decerptis,coronam Theologo nectam, ſi quidem illius merito ac dignitati imparem,at certè viribus noſtris animiq; alacritate haudquaquàm inferiorem. Ac futurum opinor,vt vir ille,quemadmodùm in omnibus rebus vndiq; perfectus & abſolutus erat.ita quoque laudationem hanc noſtram æquo animo accipiat: quandoquidẽ & balbutientium infantium ſermunculi,prẹſertim à ſimplici animo prodeuntes,parentibus iucũdiores eſſe ſolent,quàm robuſtiores adultorum ſermones, & faſtuoſæ ac phaleratæ orationes.Quin ipſi quoque verborum honor pulcherrimè congruet. Quibus enim rebus quiſq; delectatur, iiſdem quoq; profectò honorari mirificè gaudet. Cumq; corpoream adhuc vitam agẽs, doctrinæ & eloquentiæ ſtudia omnibus opibus facultatibusque prætulerit, ſapientiamque complexus atque amore proſecutus,ab eaque,vt eſt in Prouerbijs,conſeruatus fuerit: eccui tandem dubium eſſe poteſt, quin nunc quoque,cùm res humanas reliquerit,ac præſentem vitam cùm pura illa prudentiaque propinqua commutârit,orationibus impenſiùs geſtiat & exultet? A vobis autem peto,ſacroſancte cœtus,ne virtutum illius multitudinẽ accuratiùs exactiusque perſcrutandam atque indagandam putetis. Primùm, quia non eæ ſunt vires meæ, vt vel ipſe hoc polliceri queam, vel vos à me exigere debeatis. Deinde, quia nec illius vitam quiſquam literis conſignatam nobis reliquit: verùm mihi res ipſius ex ipſius ſcriptis ſparſim colligere neceſſe eſt,latomosque imitari, qui poſteaquàm lapides paulatim aggeſſerunt,ita demum ad vnam eandemque domum conſtruendam & abſoluendam eos omnes accommodant. Orationis porrò initium hinc ducimus, vnde eam auſpicari maximè decet.

Doctrinę & eloquentiæ quam fuerit ſtudioſus. Prouer. 4.

Patria eius. Patriam igitur ipſe ſecundam Cappadocum prouinciam habuit, vrbem Nazianzum,quæ quidem ab eo adeò nobilitata eſt, vt apud extremos etiam orbis terrarum fines propter eũm clara atque illuſtris extiterit. Neque enim Pella ob Alexandrum celebrior eſt, aut Perſæ propter Cyrum ad tantam gloriæ ſplendorisque magnitudinem euecti ſunt,quantam hęc propter magnum Gregorium aſſecuta eſt.Quocircà ipſi quoque ob educatum Gregorium abundè perſolutã eſſe mercedem exiſtimo, quippe quæ & Indis & Britannis,ex diametro inter ſe oppoſitis,æquè inclaruerit. Parentibus ortus eſt nobilibus,iuſtitiaque præditis,animorumq; puritate, quàm corporum nexu,arctiùs inter ſe coniunctis. Ac pater quidem, Abrahæ cuiuſpiam inſtar,paterna terra idolisque relictis,ad pietatis cultum migrauit: excuſſaque Hypſiſtariorum ſuperſtitionẽ atq; impoſtura,ſyncerus diuinæ gratiæ diſcipulus eluxit,ouis quidem primùm, poſteà verò penitus quoque eccleſię Nazianzenę paſtor inſtitutus. Mater autem & ipſa ſacra,& à progenitoribus ſacris originem traxit,atque vt aliorum bonorum,ita pietatis quoque patrimonium hæreditate accepit. Quæ cùm maſculæ prolis cupiditate flagraret, ſupplex Deum huiuſmodi beneficiorum authorem precata eſt,vt ſe deſiderij compotem faceret,eique ante conceptionem (ô fidem incredibilem! ô prædicandũ animi feruorem!) ſe naſciturum filium oblaturam pollicetur, quemadmodùm Anna Samuelem. Quid igitur ille,qui voluntatem timentium ſe facit? Per nocturnum viſum ei filium nondum procreatum oſtendit,puerique vultum & nomen indicat. Hæc verò ipſum haud ita multò pòſt,quàm in lucem editus fuerat, Deo conſecrauit, maternos partûs dolores fidei alacritate,& mulierum ſocordiam largiendi liberalitate ſuperans. At puer cùm parentum moribus imbueretur,egregia naturæ indole ingenijq; dexteritate æquales omnes adeò præcedebat,vt immatura ętas nullo ipſi ad eorum,qui adulta ætate erant, mores diſciplinasq; percipiendas impedimento eſſet. Ac ludos quidem & pueriles laſciuias, curſusque & ſaltationes,vt inutiles,& meliorum rerum ſtudio moram afferentes,prorſus contempſit. Vt enim præſens fœtor vnguenti ſuauitatem inficit & obſcurat, ita vitium

Parentes. Votum matris eius. 1.Reg. 1. Pſal. 144. Felicitas ingenij eius.

tium quoque virtutis adeptionem interſcindit.

Cùm autem ætate iam adoleuiſſet, literarum amore ſuccenſus, Cęſaream profectus Diſcēdi cau
eſt, illicque cum præſtantiſſimis quibuſque magiſtris conſuetudine habita, doctrinaque ſa peregrè
non exigua collecta, in Palæſtinam migrauit: non ille quidem, vt Rhetorum mores, ſed proficiſci-
vt verborum elegantiam dicendiq; artem addiſceret. Hinc Alexandriam, quæ ad Pha- tur.
rum ſita eſt, perrexit, vt multas vrbes multorumque hominum prudentiam, ſapientiæ
doctrinæque colligendæ cauſa, vt eruditus quidam dixit, cognoſceret. Qua etiam ex vr- Homerum
be cùm plurimum vtilitatis precepiſſet, Athenas tandem, literarum parẽtem, petit na- intelligit.
ui Aeginęa vectus. Itaque Parthenium mare turbulento tempore atq; ad nauigandum
incommodo nauiganti, coortus repentè grauiſſimus ventus ſummum vitæ periculum
intulit, atq; & mare & ęthera & cęlum obducere caligo cœpit, nona illa Aegyptiorum Exod. 10.
plaga nihilo lenior. Omnibus igitur corporis mortem deflentibus, ipſe animæ exitium
atq; internecionem extimeſcebat. Nondum enim baptiſmo obſignatus erat, ac mors
aquoſa ſalutem eam, quæ aqua comparatur, anteuertebat. Quid igitur facit magnus
ille vir, quique etiam ante regenerationem ſeſe ad veritatem informârat? Veſtem lace-
rat, tantiſque clamoribus & querelis vectores omnes exterret, vt nemo eſſet, qui non,
omni ſui ipſius cura abiecta, illius luctui ſocium ſeſe adiungeret. Ipſe autem Deo mira-
cula ea omnia in memoriam reuocãs, quæ tam in Aegypto, quàm in deſerto, ac pleriſq;
alijs terræ vel maris locis ediderat, (velut rubri maris diuiſionem, eiuſdemq; rurſus elu- Exod. 14.
uiem, quoque modo aquam ex petra velut ex fonte expreſſiſſet, & Maram edulcâſſet, Exod. 17.
Amalecitas inermibus manibus crucem indicãtibus oppreſſiſſet, murosq; Iericho nullis Ioſ. 6.
etiam admotis tormentis euertiſſet, Prophetã ex ceti viſceribus ſaluum & incolumem Ion. 2.
extraxiſſet, cæteraque omnia, quę ſacroſanctis libris continentur) ſimulque ſe facturum Votum S.
recipiens, vt ſi maris periculo liberaretur, atque expetito baptiſmo frueretur, ei, à quo Gregorij.
ſalutem accepiſſet, ſeipſum conſecraret: precibus ipſum flectit, quippe benignum & fa-
cilem, precesque noſtras naturæ ſuæ ſuauitate præuertẽtem. Ita tempeſtas ſtatim con-
quieuit, & procella in auram commutata eſt, & mare priùs ferum & truculentum, con-
ſopitur. Atque hic eo rerum ſtatu erat. Parentes autem ipſius, quem in caſum adductus
eſſet filius, per ſomnum certiores facti fuerunt, atque vt parentes (quid enim pluribus
verbis opùs eſt?) orationibus & lachrymis Deum obſecrabant, vt filio in mari pericli-
tanti opem ferret. Confeſtim itaque poſt orationem filium in ſomnis videbant Erin-
nym quandam ac dæmonem peſtiferum, qui ipſi perniciem intentabat, ſubactum te-
nentem. Quæ cùm ipſe domum reuerſus ex eorum cõmemoratione intellexiſſet, lau-
des & gratias Seruatori agebat. Sed hæc poſteriùs. Ex ijs autem, qui eadem naui vehe-
bantur, adoleſcens quidam ipſi chariſſimus, in ipſa periculi flamma beati viri matrem
conſpiciebat mare conſcendentem, arreptamque nauem in terram pertrahentem.
Qua viſione perſpecta & narrata, tranquillitas ſtatim conſecuta eſt, vectoresq; omnes
fide ad Gregorij Deum accurrerunt, periculi tanti depulſorem eum agnoſcentes atq;
confitentes. Hoc verò quid magni illius Eliæ miraculo cedit, qui Sidoniæ reginæ, veſa- 3. Reg. 18.
næ idolorum cultrici, obſiſtens, ſacrificio noua & cæleſti flamma conſumpto Iſraëlitas
ad veri Dei fidem induxit, ita vt admiratione correptus populus, diceret: Verè Domi-
nus eſt Deus: Hic eſt Deus. Talis ferè Gregorius erat, per inſperatam ex tempeſtate ſa-
lutem eos, qui varijs & multifidis erroribus tenebantur, ad vnam fidei ſemitam ducens.

Poſteaquàm autem in Græciam ac nobilem & florentem Athenarum vrbem ſe Athenis vt
contulit, quid referre neceſſe eſt, qua hominum lætitia exceptus fuerit, præſtantiſſimus ſit exceptus
ſtatim in literis, & à præceptoribus & à diſcipulis iudicatus? Non multum tempus flu-
xerat, quum Baſilius Magnus Byzantio, eiuſdem eruditionis gratia, Athenas appulit.
Itaque & vitæ conſuetudinem & contubernij neceſſitudinem inter ſe contraxerunt. Ex Baſilij &
mutua porrò eorum coniunctione animorumque concordia, ne exprimi quidem ora- Gregorij
tione facilè poteſt, quantum emolumenti ad vtrunque redierit. Etenim is qui ſolus eſt, amicitia.
quanuis acutius quiddam animo perſpexerit, ſibi tamen ipſi minimè fidit, ac proinde
circumiens aliquem quærit, quo fulciatur & confirmetur. At cùm duo ad vnam erudi-
ditionis cupiditatem coniunguntur ac velut coaleſcunt, tum verò mutuo adminiculo
nituntur, duas nimirùm perſonas in ſeſe complexi, nempe & eius qui veritatem inue-
nit, & eius qui eandem confirmat. Atque vt multa breui ſermone contraham, præcla-
rum quoddam amicorum par efficitur. Nam & vna eademque fide colluſtrati erant, &
pari virtutis amore flagrabant, concordi motu currentes, & quemadmodùm aratores
aut agricolæ, pari animi promptitudine ſapientiæ aruum proſcindẽtes & ſerentes, mul-

 tiplicem.

Eorũ animi fortitudo.

tiplicemque meſſem colligentes. Fortitudine quidem & in aduerſis rebus perferendis conſtantia, omnes fermè æquales ſuos anteibant. Hoc enim ferè iuuentutis vitium eſt, vt quemadmodùm equulei ſtrepitus & vmbras, ſic ipſa quoq; ingruentes aduerſos caſus ægrè ac moleſtè ferat. Ipſi contrà ea firmitate erant, vt ea, quę repentè plerunque ac præter morem accidebant, tranquillis atq; immotis animis exciperent: adeò vt etiam terræmotu Græciam inuadente, fortes animique magnitudine præſtantes apud omnes

Pſal. 45.

inuenti ſint, dignique qui propheticis verbis vterentur: Propterea non timebimus dum

Victûs parſimonia. Matth. 3.

turbabitur terra. Frugalitatem porrò iaminde ab ineunte ætate coluerunt, neceſſario victu contenti, quemadmodùm Elias & Iohannes locuſtis victitantes, atq; omnia, quæ ad luxum ventrisque lenocinium ſpectabant, reſpuentes, voluptatesque longum valere iubentes.

Caſtitas.

Nam quid de caſtitate dicam, quæ toto vitæ curriculo eos puros & ſanctos Deo cõſeruauit? Vt propemodùm hac parte Xenocrates ille & Polemon ipſis cedere cogãtur: quorum alter ſcorto ad latus illius cubante, nullis libidinis ſtimulis ad venerem incitatus eſt: alter vitę aſperitate ita meretrices perterrefaciebat, vt vix etiam ad eum propiùs

Iuſtitia & contẽptus pecuniæ.

accedere auderent. Verùm his quidem fortaſſe virtutibus illi tantoperè floruerunt, ceterùm iuſtitiæ & paupertatis curã non perinde habuerũt. Minimè verò. Nam hîc quoque, quod de Ariſtide memoriæ proditum eſt, non virtutem pecunia cõmutabant, nec philoſophia ad quæſtum abutebãtur: ſed gratuitam omnibus probitatem ſuam benignitatemq; proponebant, putidam ſubmiſſionem, improbamq; plus habendi cupiditatem æquè fugiẽtes, atq; intra virtutis fines cõſiſtentes. Inopia autem ita excellebant, tantoq; Antiſthenem, & Diogenem, & Cratetem interuallo præcedebant, vt eorũ laudes magnificiq; tituli pro meris nugis haberentur. Neque enim minùs, quàm illi, opes aſpernabantur, & oſtentationem interim inaniſq; gloriæ ſtudium procùl ablegabant: quo vitio admirandi illi canes tenebantur, publicis præconijs reliquorumq; hominum

Prudentia.

cõtemptione, philoſophię grauitatem labefactantes atq; obterentes. Iam de prudẽtia quid dicere attinet, cùm ipſi toto vitę curriculo nihil aliud meditati ſint, cupiditatemq; omnem ſuam in eius adeptione noctù atq; interdiù defixam habuerint, non ſecùs atq;

Iob. 3.

ij, qui theſaurũ effodiunt? vt verbis Iob vtar. Probè etenim nôrant egregij viri, laborem in meditatione priùs impenſum, in perſeuerantia ſcientięq; vbertate & copia vim ſuam proferre. Ex quo hoc aſſequebantur, vt non modò ęquales ſuos, ſed etiam natu multò maiores nominis ſplendore ſuperarent, tum propter laborem & induſtriam, naturæq; bonitatem, tum etiã, quia in honeſtarum tãtùm laudabiliumq; rerũ ſtudiũ incubebãt.

Artiũ multarum cognitio.

Atque in tota quidem Grammatico nihil omninò eos fugit: non metrorum ſcientia, non poëtici ſcopi & tropi, non hiſtorię copia, non forenſis dictionis puritas. In Rhotorica autem eam rationem habuerunt, vt verborum elegantia decerpta atq; collecta, falſitatem ipſius mentiendiq; libidinem euitarent. Philoſophiam porrò tam eam, quæ in moribus, quam quæ in placitis & doctrina, medicinęq; * indicatione & ratiocinatione verſatur, nõ liberali tantùm eruditione tenùs perceperunt, ne indoctis duntaxat ſuperiores eſſe viderentur: verùm quemadmodùm præceptores quidã, præſtantiſſimiq; doctores. Iam in Muſica ita ſe comparârunt, vt quicquid in ea antiqui & cõcinni eſt addiſcentes, eam animæ partem, in qua irarum exiſtit ardor effrenatuſq; impetus, emollirent: Quicquid autem ad voluptatem impellit, ad theatra relegarent. Quinetiam numerorum ſupputationes, & Geometriæ æquitatem, aſtrorumq; ſitum ac motum velut noui Moyſes & Danieles edocti ſunt: ita tamen, vt non tam ab illis ducerentur, quàm

2. Cor. 10.

quod ait ſcriptura, intellectum omnem in captiuitatem redigerẽt in obſequiũ Chriſti, atq; hãc primariæ ſapientię pulchritudinem tegumentumq; ſtatuerent. Ac per omnia, vt ita loquar, tam meliora quàm deteriora graſſati ſunt, vt cũ iudicio ea partim fugere, partim amplexari poſſent. Mihi enim magnoperè probatur, quod quidã, licèt à noſtra cauſa & religione alienus, dixit, minimè turpe atq; ignominioſum eſſe, aliquid eorum, quę minùs honeſta ſunt, cognitum habere: quin potiùs curationẽ ex eo contingere, ijs vtrique, qui non inuido, ſed cãdido ac beneuolo animo ea, quę dicuntur, accipiunt. Sed quid mihi accidit, ô amici? Intereà enim progrediens oratio, vt equus ſeſſorem, ſic me hæc dicentem abripuit, atque in beati Baſilij laudibus collocauit. Quocircà me reprimam, ac velut quibuſdam habenis orationem reſtringam, temeritatemque compeſcam, ne vlteriùs præceps feratur. Etenim qui viribus maiora concupiſcunt, ne mediocria quidem aſſequuntur.

Ergo Baſilius præclarè negociatus, domum ſe recepit: Gregorius autem à ſtudioſa

Athenien-

Athenienſiū iuuētute conſertis, vt dici ſolet, manibus retinebatur, ne diſcedendi quidē poteſtatem ipſi faciente, & vt docendi prouinciam ſubiret, ac ſophiſticam cathedram acciperet, obnixè rogante atq; obſecrante. Ille verò, ne in ipſorum gratiam nihil facere velle videretur, aliquantiſper māſit. Verùm haud multo interiecto tēpore, cùm omnes amicos, quos in ea vrbe habebat, exorâſſet, ſuæque ad parentes profectionis neceſſitatem ipſis probâſſet, ita demum triceſimo iam anno in artium ſtudijs exacto, patriæ ſeſe reſtituit. Ac primùm diuino baptiſmo tingitur, vi & facultate iam antè colluſtratus, legemque ſibi indicit nunquàm iurandi, quandiù in hac vita verſaretur: quam etiam ad extremum vſque diem ſeruauit. Deinde vt parentum & amicorum, qui ipſum verba facientem audire geſtiebāt, cupiditati ſatisfaceret, (neque enim id ipſe ambitiosè affectabat) hoc quoq; munere defungitur. Verùm cùm ijdem authores ipſi eſſent, vt publicis domeſticisque malis (ſic enim rerum terrenarum ſplēdorem amplitudinemque voco) ſeipſum inuolueret, ipſe contrà ſibi conſulebat, vt, quemadmodùm in vitæ diſcrimen adductus promiſerat, Deo ſeſe offerret, & à mundo ſeparatus, cum eo, qui ſolus puriſſimus eſt, vitæ conſuetudine iungeretur, atque ex librorum ſacrorum familiari lectione veritatis ſplendorem hauriret. Id quod etiam per omnem vita facere non deſtitit, monachus eſſe potius habens, quàm mundanus, & pauper, quàm quæſtuarius. Ac ſæpenumerò ipſi accidit, vt Chriſtum quoque perſpicuè in ſomnis, nocturnaque, vt ſcriptura loquitur, meditatione intueretur, eamque puritatis mercedem ferret. Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Purum enim eum dicit Dominus, qualis erat magnus ille Gregorius, qui vrbes, forum, theatra, ſophiſtarum faſtum, principum & magiſtratuum amentiam, iudicum iniquas cauſarum inflexiones, litigantium rixas & contentiones, Rhetorum mendacia, furum inſidias, inexplebilem negociatorum auaritiam, diuitum arrogantiam, pauperum fraudes & facinora, ingluuiem, temulentiam, gloriam fluxam & fragilem, veſtes magnificas, egregiam ſupellectilem auro & argento confectam, domos pictura & marmoreis tabulis inſignes ac gemmis exornatas, aliaque omnia reliquerat, quæ animi puritatem turbant, puriſſimæque luci aditum omnem intercludunt. Atque in iuuenili ætate huiuſmodi erat Gregorius.

Baptizatur in patria, & vouet ſe nūquàm iuraturum.

Chriſtū ſæpè videt.

Matth. 5.

Poſteaquàm autem pater filium, quem inuitum & repugnantem ægreq; cedentem presbyterum creauerat, præſulem quoque inſtituere aggreſſus eſt, quid fecerit, audite. Ab eccleſia clàm ſe proripit, vt curas mentem humi detorquētes ac deprimentes effugiat: atque in Pontum profectus, cum egregio illo Baſilio philoſophatur. Nam cùm ſimul in literis inſtituti, atque ad breue tempus alter ab altero diſtracti fuiſſent, inter ſe rurſus mira celeritate iuncti ſunt: nempe & morum cōcordia, & mutua pollicitatione impulſi atque incitati, adeò vt in ipſis dictum illud impleretur: Vbicunq; duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, illic ſum in medio eorum. Hìc porrò commorantes, & mutua extimulatione virtutem augebant, & vitę monaſticę leges pijs Deoque deuotis hominibus, atque à mundi ſocietate diſiunctis, ferebant, Lycurgi legibus pacatiores, Solonis grauiores, Minois æquiores. Immò verò, vt de his viris ſublimius aliquid dicam, Moſem imitantur, nubeque obtecti, atque vt à tumultuaria & turbulenta hac vita procul ſe remouerent, in montem ſecedentes, legiſlatoris officio fungebantur. At verò pater & canitie & curis grauis, ac præterea Cæſarij filij interitu mœſtus, & luctu profligatus, orbitatemq; ſuam & ſolitudinem ægerrimè ferens, eas ad Gregorium epiſtolas ſcripſit, quibus ipſum pudore quodam & reuerentia ad reditū impelleret. Ipſe igitur horrendum eſſe cenſens patri non obſequi, præſertim ſacerdoti & natu grandi, ad reditum ſe accingit, partim inuitus, partim æquo animo ac lubenti. Vt enim trāquillæ vitæ amor eum, vt in Ponto maneret, hortabatur: ita eundem altera ex parte pietas trahebat, inſeruiendum patri eſſe præſcribens. Cùm autē Cæſarius, cui prouincia maxima cōmiſſa, ac theſaurorum cura, publicarumque pecuniarū quęſtura mandata fuerat, magiſtratûs ſui tempore vitam cum morte commutâſſet, ac patrem, vt leges ferebant, ſimul & filij heredem declarari, & actiones eorum, qui litem defuncto mouebant, excipere atque in ſe transferre neceſſe eſſet, magnis grauibusque tumultibus Gregorio Magno inuolui contigit, permultis videlicet inſtar canum ad prædam accurrentibus, ac mortui facultates, nullo obſiſtente, ſe arrepturos exiſtimantibus. Nam pater & ſenectute & morbo fractus, (nonaginta enim iam vitæ annos expleuerat) iudiciorum turbas moleſtiasque perferre non volebat, ob idque ad hunc tota curarum moles deuoluebatur. Cæterùm parentum cultus moleſtias leuabat, ſpem eorum præmiorum afferens, quæ filijs parentes officiosè pieque colentibus promiſſa ſunt.

Fugit epiſcopi dignitatem.

Matth. 18.

Cum Baſilio monaſticos Canones edit.

Arriani ſæuiūt in Catholicos.

Hîc quoq; huiuſmodi quiddam ab Arriana hæreſi,quæ per nequitiæ ſpiritus Eccleſiam obruebat,accidit. Pleriq; antiſtites ciuitatibus pulſi ſunt, multiplicibusq; tormentis calumnijsque vexati: ſacerdotes ac numeroſiſſimi populi cœtus ſub dio affligebantur, ne domos quidem orationis habētes, nec legū æquitate cum impijs ex æquo fruentes, hæreſi nimirùm omnes ferè orbis fines peragrante, impijq; Imperatoris ope atque auxilio ſubnitente ac ferociente. Conceſſa eſt itaque licentia pernicioſis paſtoribus, & ſub Orthodoxorum pelle lupum tegētibus, fideles Epiſcopos & Chriſto primo paſtore dignos exturbandi. Quo factum eſt, vt alij metu perculſi, alij verborum illecebris deliniti, aut pecunijs expugnati, alij morū ſimplicitate decepti, hæreſis eſcam ſuſceperint, chirographo ſuo & communione cum aduerſarijs coniuncti. Quo in numero beati quoq; huius viri pater erat, animi ſimplicitate in hamum prolapſus. Quod illius factum cùm prouinciales monachi ferre nō poſſent, ab ipſius cœtu & conſortio ſeſe abſtraxerunt, ſimulque abſceſſit pars populi haud exigua, monachorum authoritatem apertè ſecuta. Quid igitur hîc cōſilij capit Dei ſeruus? Primùm orationibus & peruigilijs Deum placare ſtudet, ab eoque impetrare, vt hoc malum extinguat, diſſidiumque exortum cicatrice obducat: ſilentiumque ſibi indicit, vt animi mœſtitiam hac ratione declararet. Poſteà patrem ad veniam culpæ petendam, veritatemq; purè & ſyncerè profitendam hortatur, atq; eos, qui ſeceſſerant, ad conſenſum & concordiam adducit: ſicque ſuum Eccleſiæ ornatum reddit, veneratione nimirùm ſuî vtroſque permouens, patrem nempe ac pium gregem. Quinetiam orationibus de pace habitis collectam multitudinem exhilarat, diſtracta ac diuulſa membra conglutinās, & medendi celeritate obliuionem morbi afferens. Crates quidam Thebanus ſolitus eſſe fertur diſſidentes domos adire, controuerſiasque lenibus & pacificis verbis diſceptare. At hic noſter longè ſuperior. non enim priuatim quibuſdam, vt ille, ſed vniuerſæ patriæ concordiam reduxit: quodque maximum eſt, non de pecunijs aut iniurijs contendentibus iudicem ſe interpoſuit, vbi perſæpè vel leuis cohortatio facilè prodeſt: ſed de fide pugnantibus, vbi rei magnitudinem rixandi ſtudium æquare ſolet, ac proinde quantumuis prudens & erudita oratio, ad componenda diſſidia parùm ægreque proficit.

Multi deficiūt à recta fide.

Sedat Eccleſiæ Nazianzenę turbas

Enimuerò poſtquàm Chriſtianorum peruerſitas ac diſſoluta ignauia, Dei mandatorumque ipſius contemptu, quaſi morbo quodam laborans, Imperatorem Chriſti hoſtem nobis incitauit: (tyrannum Iulianum dico, qui auitam Conſtantini Magni fidem virtutemq; contrarijs vitijs ſuperare obnixè laborauit, eamque ob cauſam Chriſtianos omnibus iuris præſidijs ſpoliare inſtituit, non quidē publico edicto Chriſtianorum inſectationem promulgans, ſed voluntate, ijsque rebus, quas tacitus aduersùs eos perpetrabat, profana eruditione atq; doctrina ipſis interdicens) ac Dei æquanimitas, quæ nefarium & execrandum hominem diutiùs efferri atq; inſoleſcere permiſerat, poſtquàm ipſius improbitatem nulla omninò pœnitentia frangi perſpexit, exacuto gladio, quas ipſius impietas merebatur, pœnas exegit, in Barbarorū finibus barbaram ipſius & beluinam vitam abrumpens: tum verò magnus Gregorius ipſius ſcelus & impietatem inuectiua oratione proſcindit, ac Sybariticas Græcorum obſcœnitates veteresque fabulas, multiplicisq; diuinitatis errorē detegens, atque omnibus ob oculos ponens, commune ludibrium cordatis viris propoſuit. Sed quid magnas & excelſas huius viris laudes orationis breuitate imminuere, contumelioſeque deprimere conor, planeque in contrarium ire, quàm orationis inſtitutū ferat, idq; laudationis tēpore, (quo in hoc potiſſimùm elaborandum eſt, vt is, cuius laudes prædicantur, rerum geſtarū cōmemoratione clarior fiat) cùm cuiuis liceat ex inuectiuarum orationum lectione tum hiſtoriarum copiam, tum orationis concinnitatem, eiusque in dicendo vim & facultatem admirari? Iam egregiam illam tyranni legem, qua Chriſtianos Græcorum diſciplinis imbui vetuerat, videte quæſo, quàm ſcittè & prudēter vir beatus eluſerit. Heroicis, & iambicis, & elegiacis, & trimetris, alijsq; multis verſibus, & tragœdię & comœdię charactere, atq; omni conſcriptionis genere vſus eſt, in eoque labore ita ſe geſſit, vt vix vllum doctrinæ ſit genus, quod non libris ſuis expreſſerit, pia argumenta vbiq; inſtituens, vel laudem virtutis, vel animæ & corporis purgationē, vel Theologiā, vel precationē, vel alia eiuſmodi verſibus complexus, obſcœnitates & fabularum deliramenta, Deorumque pręſtigias omninò, vt par erat, fugiens, ac ſapientiſſimā doctrinā Chriſtianis proponens. Ita impius homo, Chriſtianis doctrinę nomine inuidens, ex ſcelerata lege nihil vtilitatis eſt conſecutus: quin potiùs ipſe ſuperatus eſt, grauiorique damno affectus. Huiuſmodi enim eſt inuidia: parū aut nihil eos lędit, quos laceſſit: grauē aūt noxā parentibus affert.

Iuliani apoſtatæ perſecutio.

Oratio S. Greg. inuectiua in Iulianum.

Multa vario carmine ab illo conſcripta.

Gregorius

Gregorius porrò, Athenis adhuc agens cum Iuliano admodùm adoleſcente, necdùm ad imperium euecto, ſed ludimagiſtris operam dante congreſſus, qualis aliquando futurus eſſet, amicis tanto antè ſignificauit, ſubdolum videlicet & impium & infidum, atque ad omne ſcelus procliuem eum fore prædicens: coniecturam huius rei faciens ex perturbatis oris lineamentis, & riſu petulante, & ferino adſpectu, & toto corpore vago temereque ſubſultante, & progreſſibus vecordiæ plenis, & diſputationibus impietate plenis, etiamſi illæ exercitationis diſputationiſque prætextu tegerentur: ex eo denique, quòd improbos complecteretur, & virtutis laudatores cultoresq; contemneret, ac pro nihilo putaret. Hæc ille perſpiciens, omnibus fore prædicebat, vt in grauiſſimum ſcelus tandem erumperet, atque in apertum prodiret. Puræ enim naturæ, mira futuri conijciendi facultate valent: ingenijque ſagacitate atque ſolertia, ex obſcuris etiam indicijs id, quod euenturum eſt, coniectura aſſequuntur. Ac ſceleratus quidem ille depræhenſus eſt, fruſtraque iniquè ac ſceleratè ſe geſſit, nihilque aliud profecit, quàm vt pœnarum materiam ſibi ipſe congereret. Gregorius autem haud multo pòſt tempore, hæreticorum agmine Cæſareenſem eccleſiam populante, Euſebio quidem pio viro adhuc Metropolis clauum gubernante, cæterùm cum magno Baſilio, preſbyteri dignitate ornato, atque in Ponto philoſophante, inimicitias gerente, hæreticorum coniurata arma impetumque reformidans, quòd antiſtes aciem contra educere non poſſet, (quanquàm enim ille vitæ integritate præſtabat, Theologiæ tamen rudis erat & imperitus) ad Baſilium, illuſtre, inquam, illud ſidus ſcribit, eumque obteſtatur, ne vllam inimicitiarum rationem habeat, ſed animarum periculum animo & mente perpendens, metropolitanæ eccleſiæ ſine vlla mora ſuppetias ferat: ſimul etiam ſe affuturum, belliquе ſocietatem cum eo coiturum pollicetur. Qua oratione eximium ducem ad bellum ſuſcipiendum impellit. Profectus igitur ipſe quoque, ſuſceptaque cum eo expeditione, in hæreticorum præſidium & arcem irrumpit, conciſiſque impiorum hominum ac profligatis dogmatibus, trophæum ſimul cum Baſilio erigit, hoſtibus ignauiæ ſuæ imbecillitatiſq; conſcientia in fugam verſis. Ac talia Deus per ſuos efficit: qui cùm immodicè excreſcentē atq; exundantem hominū iniquitatem videt, præſtantiſſimi figmenti miſeratione permotus, viros omnibus virtutis numeris abſolutos excitat, auxilium quoddam diſciplinamq; ijs, quorum ſalus periclitatur, procurans, ne fulturæ atq; adminiculi penuria humanū genus labefactetur & opprimatur: quemadmodùm tum quoque fecit, hos viros excitans, ac coagulū quoddā lacti iniectum in mediū ponens, atq; ita eos, qui multifida improbitate & impietate plurimū inter ſe diſſiti erant, in vnam amicitiā concordiamq; conſtringens.

Gregorius quid de Iuliano prædixerit.

Cum Baſilio profligat hæreticos.

Non multum tēporis interceſſerat, cùm prædictus Eccleſiæ Cæſareenſis antiſtes ad meliorē vitā migrauit. Magnus porrò labor Gregorio ſubeundus fuit, tum priuatim quibuſdā, tum publicè vniuerſis vrbis ciuibus ſcribēti, atq; & patris & ſuo nomine ſuadenti, vt Baſilium in Archiepiſcopatûs throno collocarent. Præclarè id quoque atque perfectè. Neque enim vt amici commodis inſeruiret, hanc operam ſuſcipiebat, ſed vt publicę vtilitati proſpiceret. Nôrat eum perſpicuè, nôrat opitulatorem ſpirituſancto dignum. Ob eamque cauſam non antè conquieuit, quàmquod rectè propoſuerat, ad exitū perduxiſſet, quemadmodùm etiā perduxit. Ac Baſilius quidē Cæſareenſium gubernacula tenebat: Inuidia autem dominandique cupiditate gliſcentibus, Cappadocia, quæ ante id tempus pro vna agnoſcebatur, in duas partes diuiſa eſt, ac Tyanenſis ciuitas à Cæſarea diſtrahitur, eiq; opponitur, adeò vt deinceps de oppidis quoq; inter eas controuerſia moueretur, inter ſe contendentes, vtri potiùs metropoli ea aſſerēda eſſent. Atq; hinc magna cōtentio exorta eſt, hoc quidem obtentu & pretextu, quaſi fidei negocio atq; animarū cura mouerētur: re autē ipſa propter auaritiā dominandiq; libidinem, hominibus nimirùm res turpes & fœdas honeſtis nominibus obuelare conantibus. At verò magnus Baſilius nouo atque inuſitato exemplo ſuis oppidis ſpoliatus, epiſcopū Saſimis conſtituere proponit, vt cōmuni facto ſegmēto, detrimentū aliundè acceptū hac ratione ſarciret, ſimulq; regione epiſcopis obfirmata, Eccleſiarum adminiſtrationi meliùs conſuleret. Nemo porrò ei ad moderādas epiſcopatûs recèns creati habenas Gregorio cōmodior ac fortior videbatur. Ac proinde, conſilio cū ipſius patre habito, inuitum hominem ac repugnantē electioni admouet, negociumq; conficit. Cæterùm ille, vt ſæpè diximus, tranquillitatē negociorumq; immunitatē ſibi propoſitā habēs, angebatur animo, permoleſteq; rē huiuſmodi ferebat, ſibijpſi animū attentū habere ac priuatā vitā colere neceſſariū eſſe exiſtimās. Huc accedebat loci in-

Baſilius Magnus fit Cæſareēſis Epiſcopus.

S. Gregorius Saſimis datur Epiſcopus.

commoditas, vtpotè procellis vrbicisque tumultibus pleni. Saſimorum enim oppidum in regiæ & militaris viæ medio ſitum, ac veredariorum equorum ſtationes habēs, prętereuntium tumultibus vndique perſtrepit & agitatur: atque ingentem quidē moleſtiam hominibus tranquillæ vitæ ſtudioſis gignit, fructum autem atq; vtilitatē ne minimam quidem propemodùm affert. Quod cùm ille perſpiceret, ad ægrotorũ domicilium confugit, miniſterio ſuo paternaq; oratione morbi difficultatem grauitatemq; leniens: ac philoſophiæ exercitamentũ tempus illud ſibi conſtituit. Ferũt autem eum nec oblationē, nec ordinationē, nec quicquã aliud eorũ, quę apud epiſcopos in more & inſtituto poſita ſunt, Saſimis peregiſſe, verũ ſimulatq; epiſcopus deſignatus eſt, fugã animo cõcepiſſe. Hîc verò pater multũ quidē diuq; eum, vt Saſima teneret, obſecrauit.

Eccleſię Nazianzenæ curã ſuſcipit.

Cùm autē quod proponebat, aſſequi nequiret, hoc ſecundò egit, vt pro ſe ille Eccleſiæ Nazianzenæ curã adminiſtrationemq; ſuſciperet. Ad eamq; rem non admonitionem tantùm & cohortationem afferebat, ſed iam etiam imprecationem quandã admiſcebat, ex ſenectutis contemptu naſcentem. Hic autē ſimul & quietē nullis occupationibus interpellatam ſibi procurans, & magni momenti eſſe cenſens morem patri gerere, his verbis eum alloquitur: Pater, tametſi mihi moleſta ſunt, quæ imperas, in gratiam tamen tuî haudquaquàm recuſo: Nazianzi curam ſuſcipio. Hoc tamen velim ſacroſancta tua & pia prudentia cognoſcat, nulla ratione fieri poſſe, vt te ex hac vita egreſſo, Eccleſiam retineam. Subiungens igitur pater: Ita ſane, inquit, ô fili, mihi viuenti ſcipionis vice eſto, ſenectutē meã fulciens, paternisque precibus viciſſim fultus. Cùm autem è vita exceſſero, pro animi arbitratu res tuas conſtitue. His auditis, aſſiduus ipſi adhærebat, præclariſſimè curans, tum ipſius canitiem, iam ad centeſimũ annũ accedentis, tum matris ſenectutem, non multum ab ea ætate diſtantis: quorum vterque, vt probabile eſt, magna cura & refocillatione opùs habebat, præſertim iam mortuo Cæſario & Gorgonia ſorore, ſanctiſſima muliere, atq; ambobus ad vitam ſenij expertem æternamque beatitudinem tranſlatis, quos etiã funebribus orationibus decorauit, ſolus relictus ſenectutis ſolatium, infirmitatis medicina, piorum parentum, ſi ita loqui fas eſt, melior hæres, abundeque ampla maioribus ſuis gloria ad propagandam eorum memoriam, ſimulque cum orbis incolumi ſtatu porrigendam. Ecquis autem maiori pietatis laude domeſticis præfuit, ſcientia & pietate domum moderans, velut optimus quiſpiam diſpenſator, quæ cuique commoda erant, diſtribuens, cognatis, amicis, famulis, hoſpitibus: atque ita rurſus Eccleſiæ negocia adminiſtrans, vt eius paſcendi gregis ratio omnibus, velut recta amuſſis, propoſita eſſet? Commodè autem à Paulo dictum eſt: Si quis domeſticis præeſſe neſcit, quomodò Eccleſiæ Dei curam habebit? Etenim qui vnum prudenter rexerit, hic vtique & domum ſeruare queat: qui autem domum, idem & Eccleſiam: qui rurſus Eccleſiam, is & ciuitatem. Nam & domus, contracta quædam reſpublica eſt: & ciuitas, perfectior quædam domûs deſcriptio. Eiuſdem enim ſcientiæ eſt, & multos, & paucos, aut vnum ſeruare: nec in totum & vniuerſum, ſed ſola quantitatis ratione huiuſmodi res inter ſe differunt.

1.Tim.3.

Gregorij pater abit è vita.

Enimuerò cùm Gregorius pater (ſic enim ipſe quoq; vocabatur) ex hac vita migraſſet, funebris orationis eum honore affecit, Deoq; dilectã matrem Nonnam adhuc viuentem laudibus proſecutus eſt: piè id quidem faciens, atq; vt hominem decebat, & patris & matris & Dei amantē, ipſiusq; curã amplectens, in viduitate & profunda canitie ſumma ope & quiete opùs habentis. Qua fato perfuncta, ex Eccleſia ſe proripuit, Seleuciamque profectus, in virgineo ſanctiſſimæ Teclæ cœnobio commoratus eſt: vt videlicet interim, dum ipſe abeſſet, Epiſcopus quidam Nazianzenæ vrbi præficeretur. Vt autem Nazianzum reuerſus, eodē ſtatu omnia reperit, nec paſtorē vllũ inſtitutũ, tametſi plebs cum lachrymis ipſum obſecraret, precibus tamē minimè flectitur: ſed firmus & immobilis manet, non ſecùs ac quercus, ventorũ impetus incõcuſſa excipiēs. Quod autē mihi penè memoria effluxit, hoc iam cõmemorabo, vtpotè maximũ momentum habens tam illi ad laudem, quàm vobis ad vtilitatem. Quicquid enim honeſtum & præclarũ eſt, id quoq; æmulationē gignit: quicquid autem æmulationis ſtudiũ affert, idem virtutis quoq; cõparandæ facultatem affert: Virtus porrò ſuî ſtudioſos ad Deum ducit. Magnus itaque Baſilius fratres lepræ lue infectos, licèt admodùm calamitoſos & cõmiſeratione dignos, minima tamen miſeratione animos hominũ permoueri, immò etiam pleriſque, qua erãt ſtoliditate & immanitate, velut nefas quoddã & piaculum hortendumq; ſpectaculũ haberi perſpiciens, naturæq; humanæ conditionē animo voluēs, piũ conſiliũ, dignumq; ipſius charitate in mediũ ꝓfert. Ampliſſimis enim

Relicto Nazianzo, abit Seleuciam Gregorius.

ædibus

ædibus extructis, atq; annuis prouentibus conſtitutis, quos à diuitibus & copioſis hominibus, prudenti oratione ad largitionē impulſis, collegerat, ægrotos omnes in vnū coëgit, pauperum gymnaſia hæc loca appellans. Huic in ea re adiutor laborisq; particeps fuit Gregorius. Ex ea quippe, quam de pauperū amore habuit, oratione liquidò patet, quanto ſtudio in eam rem cum Baſilio incubuerit, maximū omniū mandatorū eſſe oſtēdens, alendorū pauperū ſtudium, Deique magnificētia & benignitate dignū. Atque hæc quidem hactenùs, ne adeò præclarum facinus prætermiſiſſe videamur.

Domus hoſpitalis ægrorum & pauperum à Baſilio & Gregorio extructa.

Arriana verò hęreſi iampridèm Eccleſiā opprimente, imperatoriæque manûs ope, Dei præſidia ſubuertēte (ſimplicioribus nimirū animis ad impietatē furtim abſtractis) magnumq; Deū Patrem, & paruum Filiū, & creaturā Spiritumſanctū affirmante: exortum eſt velut ex hydra quadā nouū caput, hoſtiū Spiritusſancti hæreſis, de filio quidē candidè ſentiens, eumq; Patri æqualē ſtatuens: cæterùm Spiritumſanctum blaſphemis verbis impetens, idque bifariā. Alij enim meram creaturā eſſe, apertè aſſerebant; alij nec creaturā, nec Deū, ſed liberū: quos proinde Semiarrianos ille vocabat, nomē ſcilicet eorum dogmati congruū & appoſitū ipſis imponens: quippe qui ita filiū honorarent, vt interim Spiritumſanctū aſpernarentur. Igitur huiuſmodi contentione per totam Romanorū ditionē gliſcente, magisq; etiā Byzantij vigente ac dominante, Deus eos, qui peſtifera hac doctrina extinguebantur, miſeratus, ſanctū Gregorij Theologi ſpiritū excitat, ac velut ad Moſen ait: *Videns vidi afflictionē populi mei, qui in Aegypto eſt:* (Aegyptus autem Hebræorum quidē lingua tenebras ſonat: nunc verò ſuffuſam ab hæreſibus caliginem ſignificat) & gemitum eorum audiui, atque ad eos liberandos deſcendi. Quocircà nūc veni: in Aegyptū te mittā. Atq; hac cohortatione permotum, Spiritusq; ſancti numine impletū, Byzantiū mittit, vt pro Spiritu certamē iniret. Protinùs igitur ille, Baſilio, luminari magno, ipſius cupiditati alacritatiq; quaſi faces quaſdā ſubdente, atq; ad ſpiritûs certamina ipſum inungente, alijſq; compluribus epiſcopis, principiſq; vrbis ciuibus, fidei pietate præditis, ab eo obnixè cōtendentibus, vt ipſis auxilio egentibus quaſi Herculem quendam Alexicacum ſe præberet, Cōſtantinopoli ſtatim affuit, terrena quidē omni materia & luxu ac diuitijs carens, cæterùm ſpiritu plenus. Exceptus autē à quibuſdā, & generis & pietatis cognatione cum eo cōiunctis, Eccleſiā offendit, quaſi malū in monte, aut quaſi ſignum in colle, vt Prophetæ verbis vtar: hoc eſt, numero perexiguam atq; obſcurā, (quòd videlicet pijs viris libertas omnis ob temporis tyrannidē erepta eſſet) ſacros etiā omnes domos ſpoliatas ac per vim occupatas. Vnū ſanctæ Anaſtaſiæ templū orthodoxis patebat, fortaſſe etiam quia propter ambitûs & circunſcriptionis anguſtiā contemptui habebatur, quemadmodùm nôrunt, qui vetus hoc templū perſpexerunt. Confeſtim itaq; ipſe Dauidis cuiuſdam more ad pręliū ſe cōparat, atq; argumentis firmis ac ſolidis Philiſtęa dogmata fundit, libertatemq; pijs hominibus piè reducit, quotidiè nouam aliquā copiarū acceſſionem faciens, Deoq; eos, qui aduersùs veritatē ſceleratè inſurrexerant, captiuos adducens. Perexiguo itaq; temporis curriculo exacto, tantum multitudini incrementū attulit, vt nulla iam cum priori rerū ſtatu cōparatio relinqueretur, atq; hîc illud Scripturæ impleretur: Domus Dauid ibat, & increſcebat: domus autem Saul ibat, & viribus minuebatur. Ac variū quendam eorum, qui ſalutarem doctrinam amplectebātur, ordinem cernere erat. Alij enim iam euerriculo tenebantur, alij iamiā capiendi erant: alij etiam iam perfecti & abſoluti, aliorum piſcatores magiſtroſque ſe profitebantur. Verumenimuerò quis alius hinc Arrianorum iram, hinc propinquorū inuidiam perferre potuiſſet? qui quidem quum ipſi opem ferre ac decertantem adiuuare deberēt, ipſius rectè factis offendebantur, Eccleſiæ incrementum liuoris facem & incentiuum facientes: & quum ijſdem rebus ſuperiores ipſo eſſe vel nequirent, vel nollent, virtutem ſcelere ſuperare contendebant.

Hæreſis Macedonianorum.
Exod. 3.
Gregorius it Conſtantinopolim, pugnaturus cum Macedonianis.
Eſa. 30.
Multos ab errore reuocat.
2. Reg. 3.

Nōdum hoc malum ſedatū erat, cùm exortus Apollinarius Syrus, propriā quandā & nouā hæreſim in lucē effert. Humanitatē enim Chriſti nequaq̄ verā eſſe ſentiens, carnem tātùm animamq; rationis expertē ab eo aſſumptam eſſe docebat, animā rationę atq; intelligentia præditā ab ipſius humanitate abſcindēs. Cumq; profana eruditione excelleret, multos verborū lenocinio in fraudem inducebat. Aderāt vbiq; terrarū hęreſis diſcipuli, indoctos homines quaſi hamis quibuſdā in exitium pertrahentes. Rurſus igitur difficili certamine conſtrictus tenebatur Gregorius, arguens, increpans, obſecrans, alios in fide retinēs, alios eò, vnde exciderant, reducēs. Vt autē in huiuſmodi rebus accidere ſolet, perfectæ incarnationis cōfeſſio ab imperitis ita accepta eſt, quaſi

Hæreſis Apollinaris
Eam oppugnat Gregorius.

Chriſtus

Chriſtus in duos filios diuideretur. Ac proinde Apollinarij diſcipulis, plebi nunquàm non aſſidentibus, piumque virum accuſantibus, vim habuit calumnia. Gutta enim continenter fluens, petram tandem excauat. Et quoniam huiuſmodi diſputationes multitudinis captu ſublimiores erant, quippe quæ incarnationis diuinæ profunditatem aſſequi non poſſet, idcircò lupi fide & authoritate apud vulgus valebant, paſtor contrà veritatem docens, ſuſpicione laborabat. Quocircà Arrianæ ſententiæ propugnatores, qui velut apri truculenti iram ſuam iampridèm aduersùs ſanctum acuerant, accedente iam eò tumultu & calumnia, quæ ipſi ab Apollinarij ſtudioſis cõflata erat, falſis ſermonibus inflammata plebe, lapidibus hominem, quemadmodùm olim Iudæi Stephanum, inſectantur. Verùm Deo militem ſuum cauſæque ſuæ defenſorem tegente, fruſtrà in eum ſaxa coniecerunt. Tum verò correptum ipſum conſulari iudici ſiſtunt, velut quendam tumultuum & ſeditionum authorem. O ſtuporem admirandum: ô vim mendacij inſignem, ſi Gregorius de his rebus cauſam dicẽdam habebat: ille, inquam, etiam alienæ iræ & perturbationis leniſſimus medicus, ille pacis arbiter, ille Chriſti manſueti & humilis, manſuetudinemque nobis lata lege promulgantis, diſcipulus. At verò ipſe, tametſi tot tantiſque rerum acerbitatibus premeretur, hæc tamen ſentiebat ac proloquebatur: Propter nomen tuum Chriſte, etiamſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Atque à iudice ſine verberibus & tormentis miſſus factus eſt, martyr ſine periculis, & ſine vibicibus laureatus, quum hoc vnum præſtitiſſet, vt ea animo & voluntate perferret, quæ ipſum pati Chriſtus minimè permiſit.

Act.7. Impetitur lapidibus Greg. inde rapitur ad tribunal.

Matth.11.

Huiuſmodi porrò certaminibus clariſſimè perfunctus, iam apud omnes clarus erat, beatusque tum ob liberam veræ doctrinæ promulgationem, tum ob virtutem, totq; exantlatos labores cenſebatur: illuſtris etiam & conſpicuus, ob Eccleſiæ multitudinem. Quo factum eſt, vt Petrus, magnæ vrbis Alexandrinæ epiſcopus, egregijque illius Athanaſij in paſtorali munere ſucceſſor, ad Gregorium magnum ſcripſerit, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfecturam ei confirmans. Et quidem rectiſſimè & æquiſſimè eum Epiſcopum eſſe voluit, qui labores antè impenderat, quàm ad dignitatem perueniret, thronumque non humano fauore, ſed pro ſudorum præmio & mercede acceperat. Quanquàm autem rerum ab eo geſtarum copia, repentè in animum ſubiens, orationis ſeriem perturbat, ac velut in reciproca fluctuum agitatione, ſequentium impetus priora obruit: quoniam tamen ad dicendum ſemel aggreſſus ſum, non priùs abſcedam, quàm ad finem peruenero, Gregorij Deum in infirmitatis meæ ſubſidium aſſumens, veſtraque humanitate facilitateque ſubnixus.

Præficitur eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

Erat in regia ciuitate Maximus quidam, genere Aegyptius, moribus barbarus, nouus quiſpiam Iamnes aduersùs Gregorium, velut aduersùs Moſem, aciem inſtruens. Hic quum Cynicam philoſophiam amplexus eſſet, baculoque & coma & pallio grauitatis ſpeciem præ ſe ferret, hactenusque philoſopharetur, cæterùm ingluuie & cupiditate atque impudentia canis potiùs, quàm Cynicus eſſet, Antiſthenisque ſectatoribus contrarius, talisque, qualem ſcriptura Nabal deſcribit: ad ſacrum paſtorem accedit, atq; ab eo fidei Chriſtianæ rudimentis imbutus atque inſtitutus, impietatem dediſcit, baptiſmoque regenitus, pars Eccleſiæ efficitur: fictaque pietatis ſpecie ita Epiſcopum cepit, vt eadem cum eo domo, eademque menſa vteretur, atque ipſi quiduis eſſe cenſeretur, fidiſſimus miniſter, doctrinæ ſermonumque laudator, nec vulgari beneuolentia erga Chriſtianos affectus. Vt autem progreſſu temporis experimento ſui dato dignus iam iudicatus eſt, qui in Eccleſiaſticum ordinem cooptaretur, tum verò in clerum aſſcribitur, ac Iudam æmulatus, à præceptore ſuo perfidè deficere, atque aduersùs eum expeditionem ſuſcipere in animum inducit: ac cuiuſdam Eccleſiæ preſbyteri opera vtens, qui cùm non modò nunquàm à Gregorio obiurgatus, duriusque appellatus, verùm etiam inter ſingulares amicos habitus fuiſſet, fabulam hanc cum Maximo cudebat, hoc videlicet agens, vt Maximus Byzantij Epiſcopus cõſtitueretur. Ac quoniam ad eiuſmodi res auro opùs erat, vnde id ſuppeditatum fuerit, audite.

2.Tim.3.

1.Reg.25.

Maximus perfidiosè deficit à S. Gregorio.

Preſbyter quidam inſulanus Thaſſo Byzantium appulſus, pecunias ferebat, vt marmoreas tabulas Proconeſias emeret. Hoc arrepto, ac pollicitationum illecebris delinito, (leues enim homines credulitate facilè in fraudem impelluntur) aurum ſceleris adminiculum accipiunt, atque Alexandriam mittentes, Petrum eò adducunt, vt certos homines ad Maximum Epiſcopum creandum Conſtantinopolim mittat. Et quidem hæc citiùs, quàm quiſquam verbis vllis exprimere queat, gerebantur.

Petri Alexandrini temeritas.

Ade-

Aderant ab Aegypto, qui Epiſcopatum Maximo daret. Talis Petrus ille erat: qui cùm priùs Gregorium in throno collocâſſet, poſteà Maximum epiſcopum inſtituebat, ne literas quidem eas, quas ad Gregorium ſcripſerat, veritus, nedùm ipſius virtutem nominiſque ſplendorem. Poſtquàm igitur aduenére, qui ab eo miſſi fuerant, ſub exortum diei eccleſiam ingrediuntur: reque nec paſtori, nec presbyteris, nec clero, nec cuiquam ex magiſtratibus, nec denique piæ plebi patefacta, ſtatim in electionem incumbunt. Verùm huius rei fama per vrbem ſparſa, repentè adfuêre ſacerdotes, clerus, plebs ſelecta & orthodoxa, hæreticorum etiam examen. Omnes enim, amici iuxtà & inimici, præ animi furore exarſerant, temeritate eorum peruerſitateque obſtupefacti. Perdita enim & profligata peruerſitas, hoſtes etiam perſæpè eius, qui iniuria afficitur, ad vltionem excitat. Vt autem conſilia ſua infecta relinquere coacti ſunt, (petulantia enim ſua populi fauorem ſibi præcluſerant) quid faciunt? Eccleſia egreſſi, in choraulæ cuiuſdam domum ſe conferunt, illicque Maximum epiſcopum creant, plebeij ordinis quoſdam, qui ob perturbatum ordinem ab Eccleſia proſcripti fuerant, ſocios habentes, facinoriſque participes. Huius enim generis homines repẽtinis mutationibus delectantur, tranquillum compoſitumque rerum ſtatum ægrè ferentes, perpetuoque nouarum rerum ſtudio flagrantes.

Vrbs porrò ira æſtuans, dici non poteſt, quot conuiciorum plauſtra in Maximum effuderit, ipſi quoque Gregorio ſuccenſens, qui tanta beneuolentia & familiaritate nefarium hominem complexus fuiſſet. Itaque iam eò res ipſi reciderat, vt facti ſui purgationem quærendam haberet. Ac proinde, vt exulceratos plebis animos orationis medicamento leniret, ita eos affatus eſt: Nolite, ô viri, mihi patri veſtro ſuccenſere. Gregorij ad Si enim ego, qui me benignum illi ac liberalem præbui, ideò culpæ obnoxius ſum, Conſtanti- quia malitiam non præſenſi: quid tandem ille fuerit, qui benignitate mea & beneficio nopolita- vſus, hanc mihi gratiam rependit, vt vitæ meæ inſidias strueret? Neque enim fraudem nos oratio. non præuidiſſe, criminari dari debet. hoc enim ſolius Dei eſt. Ac prætereà legis præſcripto viſcera omnibus aperire iubemur, paternoq; affectu & beneuolentia eos, qui fide præditi ſunt, amplecti ac tueri. Eum enim, qui venit ad me, ait Chriſtus, non eijciam foras. Iohan. 6. Magnum quiddam mihi & plaudendum videbatur, Maximus, à Græcorum ſuperſtitione ad baptiſmum accedens, & Trinitatem loco Herculis adorans. Amplum ac præclarum videbatur, homo virtutem capeſſens, etiamſi in poſtremis rebus prioris vitæ hypocriſim luculenter oſtẽdit. Sed noſtrum non eſt hæc explorare. Non enim in hominum cogitationes penetramus, nec futuros euentus perſpectos habemus, niſi Dei prudentia & beneficio hoc nobis conceſſum fuerit. Nos enim videmus in faciem, Deus autem cor ipſum intuetur, quemadmodùm à Scriptura audijſtis. 1. Reg. 16. Hac oratione multitudinis iracundia ſedata atque repreſſa eſt, maiorique beneuolentia Pontifici adiuncta.

Iam verò Imperatore Theodoſio, qui genus ex Hiſpania ducebat, in Macedoniam cum exercitu profecto, bellumque cum occidentalibus quibuſdam barbaris gerente, Maximus Aegyptiorum præſulum, à quibus Epiſcopus deſignatus fuerat, agmen accipiens, ac Theſſalonicam profectus, Imperatorem adit, imperatriciſque vrbis Epiſcopatum ab eo petit. Quoniam enim in legibus ſanctionibuſque Eccleſiaſticis nihil Obſerua fallaciam. habebat, quo niteretur, imperatorio edicto ſacerdotium vendicare cogitabat: vt qui non ſacerdotem, ſed tyrannum agere decreuiſſet. Verùm illinc eijciuntur, Imperatore eos ira miniſque vehementibus inſectante. Quid igitur Maximus? (vix enim frangi & expugnari poteſt ambitio) Alexandriam naui petit, cumque ijſdem technis quoſdam Petri familiares auro pellexiſſet, ipſum quoque pari improbitate aggreditur. Aut Inſignis Maximi impudentia. enim mihi, inquit, principis ciuitatis Epiſcopatum aſſere, aut à tuo non abſtinebo. Et quidem in perſpicuum malum audax hominis facinus deſijſſet, niſi Alexandriæ Præfectus, ſeditionis & cædium metu, Maximum vrbe exturbâſſet. Atque ille quidem præmia temeritate digna tulit. Gregorius autem laborum multitudine fractus, curis confectus atque obrutus, in patriam reditum parabat, plebem extremùm allocutus atque hortatus, vt fidem, quam acceperat, conſeruaret: virtutem, quam & re & ſermone ipſis oſtenderat, coleret. Quæ cùm & clerus & populus audijſſent, vnus clamor ab omnibus excitatus eſt, Paſtoris diſceſſum deplorantibus: ac triſte ſpectaculum cernere erat, viros & mulieres, iuuenes & ætate prouectos, eruditos & indoctos, principes & priuatos omnes concordi fletu detentos, orbitatemque adeò ægrè atque acerbè ferentes, vt quiſpiam ſublata voce dicere non dubitaret: O pater, Trinitatem

tatem tecum eijcis. Qua voce audita, vir egregius diſcedendi cupiditatem repreſſit, tantiſperque ſe apud eos manſurum recepit, quoad Epiſcopi, quorum aduentus in ſpe & expectatione erat, aliquem Epiſcopatu dignum elegiſſent, ſibique curis liberato poteſtatem abeũdi feciſſent. Atque ita dimiſſi ſunt, nihil omninò dubitantes, quin ille pro ſua grauitate morumque conſtantia promiſſi ſui fidem, licèt nullo iureiurando confirmatam, expleret. Depulſis itaque periculis, & quiete rebus reſtituta, Trinitatis dogma rurſus effulgebat, ac beati viri doctrina & laboribus fides ad omnes porrigebatur: quam pulcherrimè excolebat, præſtantiusque quàm vt agricultura Noë cum ea comparari poſſit. Eccleſiæ enim aruum excolens, animas quaſdam velut aratro perſtringebat, impietatis ſpinis eas liberans: alias, vt Prophetæ verbo vtar, complanabat, alijs diuinum verbum inſerebat: aliæ recens enaſcebantur, radicesque agebant, aliæ iam herbeſcebant, ac velut geniculis diſcingebantur, aliæ ad culmum informabantur, aliæ matureſcebant atque ad meſſem paratiores erant, aliæ in area erant, aliæ in aceruo quodam, aliæ viles & contemnendas dogmatum paleas per ventilationem excutiebant, Chriſtoque purgabantur: aliæ iam domi erant, horreoque condebantur, aliæ denique in panes iam elaboratæ erant. Hic enim agriculturæ finis eſt, quippe quæ alimoniæ perceptionem pro ſcopo habeat, ob idque labores ſuſcipiat, meſſemque promptè & alacriter colligat.

S. Gregorij ſtudio fides reſtoreſcit Conſtantinopoli.

Ac labor quidem hominis Dei tantus erat, tantæque multitudinis ſalutem ſibi proponebat: cæterùm fructus nequaquàm labori reſpondebat. Non enim agricolæ more fructus percipiebat, ſed gratuitò benignus erat: labores quidem ferens, verùm ſine ſumptibus Euangelium ſibi conſtituens. Ex quo hoc aſſequebatur, vt ardentiùs amaretur, atque ex ardentiori amore libentiùs audiretur, pluresque ad Deum adduceret, non iracundè feriens, ſed lenitate ſua ignorantiam & ruſticitatem euellens, animiſque plenam ſanitatem oratione afferens. Alij enim verborum ſuauitate capiebantur, alij accuratam & exactam dogmatum pertractationem amplectebantur, alij ob ſimplicem & inelaboratam philoſophicamque vitæ ratione̅ arctiùs ipſi adiungebantur: alij quòd ipſum acciuiſſent, velut prædam ſuam conſertis manibus retinebant, eoque tuendo iudicium ſuum fouebant. In hoc porrò clariùs lucebat ipſius ſolertia animique perſpicacia, quòd non omnibus omnia committebat: verùm vniuſcuiuſq; vires, non ſecùs ac præſtantiſſimus medicus ægrotantium habitudinem, explorabat, congruentem cuiuſque morbo medicinam diſtribuens, eamque rationem tenens, vt nec profanis aut infirmis auribus perfectiſſima myſteria concrederet, nec perfectis quicquam occultum haberet, quaſi ipſorum vtilitati inuidens. Alios publicè arguebat, nimirùm quibus pœnitentiam pudor exprimebat: al js rurſus priuatim errata commonſtrabat. Alios obiurgabat, cùm id è re ipſorum eſſe arbitrabatur: alios contrà, quos officio fungi videbat, paternè conſulteque laudabat. Nec enim hoc agebat, vt eos adulatione permulceret, ſed vt viam virtuti ſtrueret, ac rectè factorum approbatione virtutem eorum proueheret. Hoc quippe nomine Rhetorica à Philoſophia differt. Illa enim ſordida & cauponaria aſſentatione ac laudatione ad beneuole̅tiam hominum irrepere ſolet: hæc contrà eorum vtilitatem ſpectans, laudibus quaſi melle ſermonem edulcat, ac laudum voluptate ad virtutem auditores trahit.

1. Cor. 9.

Eius prude̅tia in moderandis ſubditis.

Rhetorica vt differat à Philoſophia.

Dogmatũ porrò ſublimitate ac Theologia vſqueadeò excellebat, vt quanuìs permulti viri, doctrinæ laude celebres, varijs ſeculis Diuinitatis doctrinam explicârint, hic tamen ſolus poſt Iohannem Euangeliſtam Theologi nomine inſignitus ſit, atque hoc cognomentum ipſi velut proprium & peculiare attributum. Enimuerò quemadmodùm alias omnes laudes atque virtutes animi complexu tenebat, ita ne à Prophetiæ quidem gratia deſerebatur. Nec verò dubito quin apud vos, qui ipſius ſapientia maiorem in modum oblectamini, fidem hæc oratio inueniat. Sed tamen operæprecium fuerit, hanc laudem ipſiuſmet verbis, rerumque ab eo geſtarum conſcriptione ornari. Sic autem ad verbũ habetur in ea oratione, quam in præſentia ce̅tum quinquaginta Epiſcoporum pronunciauit: Talis ante hic grex noſter erat, taliſque in præſentia tamque ſucculentus lateque porrectus, ac ſi nondùm perfectionem aſſecutus, ad eam tamen quotidianis incrementis progrediens, atque etiam, vt auguror, progreſſurus. Hoc mihi vaticinatur Spiritus ſanctus, ſi quid vaticinandi arte valeo, futuraque proſpicio. Nec verò longo pòſt tempore, quod prędixerat, explebatur, Eccleſia nimirùm arenæ maris multitudinem propemodùm æquante: Propheticamque fidem penè excedentem, euentus miraculum comprobabat.

Theologus dictus Gregorius ſolus poſt Iohannem.

Cùm

Cùm autem pio Theodoſio, cuius iam à nobis mentio facta eſt, Imperatore creato liberum Eccleſiæ lumen affulſiſſet, quid commemorem, quot publicos conuētus orationibus ſuis exhilarârit, quot orthodoxorum mitigârit iracundiam, qui veterem hæreticis peruerſitatem iniuriamque rependere, atque eos, à quibus, cùm rerum potirentur, afflicti & excruciati fuerant, conuerſis iam temporis vicibus, iiſdem acerbitatibus calamitatibusque mulctare contendebant. Qua igitur oratione vir beatus vtebatur? Non hæc, ô grex, Chriſtus poſtulat: non ita nos Euangelium docet. Hoc tempore aberrantes in viam reducere conuenit. Curandum, vt peccata ſua intelligant, Domini pedibus aduoluantur, impietatem prodant, gregique admiſceantur. Hoc ego pro vltione habeo, vt ij, à quibus iniuria laceſſiti fuimus, ſalutem cōſequantur, præclaraque ea eſſe confiteantur, quæ nō ita pridem inſectabantur. Aequanimes eſtote, filij. Vir æquanimis affluit prudentia. Beneficio afficite eos, qui vos oderunt, iiſq; omnia delicta condonate. Quòd ſi nimiùm ira inferueſcit, nec coërceri vlla ratione poteſt, quod ſecundum eſt, præſtate: Chriſto hæc relinquite, atque ad futurum tribunal tranſmittite. Mihi enim vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Hac illi oratione permoti, conquieuerunt. Cùm autem bellum illud, quod cum occidentalibus barbaris geſtum fuerat, ſopitum atque Imperatori ex animi ſententia confectum fuiſſet, ab iiſque ille, quas eorum audacia merebatur, pœnas expetijſſet, captiuoſque cepiſſet, & victis tributa impoſuiſſet, ad imperatoriam vrbem adfuit, triumphis elatus & geſtiens. Ac tum pontificem Gregorium pro eo, ac laboribus illius dignum erat, honorificè accepit, prolixioríque alloquio ſuam erga eum beneuolentiam animíque alacritatem declarauit, ac poſtremò hæc ad eum verba habuit: O pater, Deus tibi tuiſque ſudoribus per me Eccleſiam committit. En ſacram ædem & thronum tibi trado. At beatus Gregorius mirifica lætitia perfuſus, cùm Imperatorem ſalutâſſet, ac votis precibuſque remuneratus eſſet, pedem aula extulit. Arriani autem, qui ad hoc vſque tempus ſacroſanctam domum tenuerant, ſicariorum manum parabant, pro ea cum beato viro armis decernere conſtituentes. Itaque ab Imperatore quidem precibus contendebant, ne templum ſibi eripi ſineret, quòd videlicet ipſius imperio reſiſtere vererentur: cæterùm pio viro, iiſque, qui partibus ipſius ſtudebant, mortis metum intentabant, tum publicè armis inſtructi, tum priuatim ſubornato quodam, qui ad pontificem accederet, eiuſque pectus enſe traijceret. Atque hæc erat hoſtium conſpiratio.

Non ſinit catholicos vlciſci iniurias ſuas.

Matth. 5.

Deut. 32.

Theodoſij Imper. erga Gregorium beneuolentia.

Arriani minas atroces intentant Gregorio.

Poſtero itaque die, cùm illuceſcente die populus Dei ſimul cum paſtore ad ſacram domum recipiendam perrexiſſet, non minùs grauis, quàm ſi ciuitas hoſtili impetu expugnaretur, tumultus excitatus eſt, pleriſque hominibus in vicis tectiſque cum armis ſtantibus, mulieribuſque & pueris grauem eiulatum permixtim edentibus. Ipſe quoque Imperator templum vnà cum beato Gregorio ingreſſus eſt. Vt autem multa in rebus humanis caſu euenire ſolent, nubibus Solis orbem ſub diluculum ſubeuntibus, tenebræ repentè coortæ ſunt. Quæ res, vt à feſto atque huiuſmodi lætitia aliena, Arrianos non parua lætitia afficiebat, perinde acſi Deus templi tranſlationem minùs gratam haberet: pias contrà animas intolerabili dolore cruciabat. Verùm ſimul atque Epiſcopus & Imperator ſacras valuas ingreſſi ſunt, atque omnes vnam eandemque laudationis vocem ſuſtulerunt, manuſque cum lachrymis extenderunt, confeſtim Dei prouidentia ſubducta nube, fulgentes Solis radij ſacroſanctam domum ſplendore perfuderunt, aëreque colluſtrato, homines animi mœrorem in lætitiam cōmutârunt, principemque obſecrare atque obteſtari cœperunt, vt Epiſcopum in throno collocaret. At Gregorius cùm ab illa ſede abhorreret, nec præ vitæ continentia & corporis infirmitate vocem in tanto hominum numero mittere poſſet, per quendam his verbis multitudinem affatur: O filij, nunc tempus eſt, vt beneficium à Trinitate acceptum agnoſcamus, gratiaſque ipſi agamus. De throno aliâs agemus. Hæc verba audiens populus, miteſcebat: Imperator verò hominis modeſtiam ad ſtuporē vſque mirabatur. Sic concio ſoluta eſt, Chriſto lætitiam ſummam ſecuritatemque afferente, ita vt & armorum apparatus conſopitus fuerit, & furoris ardor extinctus, atque vnus duntaxat enſis exertus, ſine vlla cruoris effuſione rurſus vagina conditus. Cæterùm ei ad extremum vſque obſiſtere non licuit, quô minùs throno inſideret. Pontificum enim multitudo eum, quamuis nolentem vehementerque recuſantem, in Archiepiſcopali ſede collocauit: ſed hæc aliquanto poſteriùs.

S. Gregorius creatur archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.

Intereà Imperator hominis conſuetudine delectabatur, eumque pro parente colebat. Quamuis enim doctrinæ expers eſſet, pius tamen vir erat, morumque lenitate

R prædi-

præditus,vt ſi quiſpiam alius. Verùm Gregorius Deo quàm Imperatori operam dare præclarius exiſtimans,haud frequenter in aula verſabatur, eos, qui principis latus cingebant,auaritiæ morbo teneri,atque vt eos,qui munera afferebant,charos habere,ita ſuî ſimiles admodũ aſpernari perſpiciens.Quocircà precationibus & peruigilijs,ægrotisque curandis & inuiſendis incumbebat, Deo ſeſe his rebus gregemque purgans: interdum etiam ex vrbe in agros ſecedebat, ſolitudinẽ expetens, eaque perpetuis laboribus afflictum corpus recreans, ne ad ſequentes labores fatiſceret. Ad aulam autem

Prouer.25.

raro commeabat,illud Prouerbiorum rectè congrueque permeditatus: Raro pedem tuum inſer ad amicum,ne fortè ſatiatus, oderit te. Ampliſſimæ porrò eccleſiæ præſul

Mira eius inter tantas opes continentia.

inſtitutus, prouentusque & infinitam omnis generis eximiamque ſupellectilem conſecutus,ne vnica quidem drachma hinc facultates ſuas auxit, cùm tamẽ maximam talentorum copiam,ſi ita ipſius voluntas tuliſſet, colligere potuiſſet. Ne redituum quidem & adminiſtrationis rationem ab ijs, qui Eccleſiæ negocia procurauiſſent, repetiuit, nec ſupellectilis ſacræ deſcriptionem: cauponum veriùs, quàm Eccleſiaſticorum virorum id eſſe ſtatuens, ac præfectorum, non Epiſcoporum: atque his rebus omnes erudiens,vt conſcientiæ puritatem potiùs Deo offerrent, quàm vt rationibus referendis,muneris ſui adminiſtrationem hominibus probare niterentur.

Tandem aſſiduis laboribus & ſenio, corporisque imbecillitate fractus, vrgente vi morbi,grabbato ſe tenebat. Ac multitudo populi ingens cubiculum, in quo iacebat, repentè ingreſſa eſt. Ipſe igitur, vt ſolent,qui ſtrepitu aliquo commouentur, conuerſis in ſella pedibus,in pauimento ſedebat,quid ſibi eorum aduẽtus vellet,percontans. Illi autem cùm & ob ea,quæ acciderant,gratiam Deo egiſſent,ac pro Imperatoris ſalute, ob receptum templum aliasque ædes ſacras,orthodoxorumque eccleſiam vota feciſſent,ipſumque omnium harum rerum authorem & architectum profeſſi fuiſſent, læti cubiculo exceſſerunt. Adoleſcens verò quidam relictus,manibusque ſuis beati viri pedes comprimens, ab eo cum lachrymis & lamentationibus ſceleris veniam ſupplex poſtulabat. Gregorio autem ſciſcitante, quid ſibi hoc ſermone vellet, nihil reſponſi dabat,ſed tantùm lugebat,ac veniam petebat.Tum quidam ex ijs, qui adſtabãt, ita locutus eſt: Hic eſt ille carnifex tuus, ô pater, qui à nonnullis ſubornatus, ferrum tibi in præcordia defixurus erat,niſi Chriſtus perſpicuè tibi auxilio fuiſſet. Quòd autẽ ad eorum voluntatem attinebat, facinus perpetratum eſt. Proinde nunc ad pedes tibi pro-

Facilè ignoſcit ſicario, qui necem illi molitus erat.

cumbens,clamat,ſuſcepti ſceleris pœnitudine affectus.Confeſtim ille,vt patrẽ æquum erat,adoleſcentem ita alloquitur:Propitius tibi Chriſtus ſit,iuuenis chariſſime,tibique ipſe ignoſcat,qui me quoque ſeruauit.Hoc ſolum ad facinoris excuſationem & purgationem à te peto,vt hæreſim execreris,meusque fias, atque ad Deum accedas, ipſique ſynceram & voluntariam ſeruitutem ſeruias. Cuius tam lenis reſponſi quum certior facta eſſet ciuitas,ardentiori erga eum amore incenſa eſt.

Synodus Conſtantinopolitana.

Sub id verò tempus ex omni Romanorũ imperio, præterquàm ex Aegypto & Occiduis partibus,ſancta Epiſcoporum centum & quinquaginta ſynodus coacta eſt, tum vt pium præſulem imperatrici ciuitati præficerent, tum vt hæreſes, quæ interim, dum Arriani rerum potirentur,exortæ fuerant,œcumenici concilij decreto ab Eccleſia extruderentur. Enimuerò quæ ad hæreſes profligandas pertinebant,multò antè Gregorius præſtruxerat, velut inſidioſas beſtias ab Eccleſiæ ouili arcens: atque in ipſa etiam ſacroſancta ſynodo pari animi contentione cum alijs decertauit. Sancta autẽ ſynodus eum Epiſcopum conſtituit,ſententiæ ſuæ ducem & anteſignanum habens magnum illum Antiochenſium paſtorem Meletium, virum fidei probitate inſignem,quique florentibus Arrianorum rebus Eccleſia pulſus fuerat,multisque calamitatibus exhauſtis,

Meletij epiſc. virtutes.

diuturno exilio mulctatus. Quibus autem moribus prę̃ditus eſſet,quid referre neceſſe eſt? Idem enim & manſuetus erat & induſtrius,moderatus,iuſtus,fortis, ſapiens, atque omni virtutum genere perpolitus.Huius conſilio atque hortatu,Gregorio regię vrbis Epiſcopatus Concilij decreto cõfirmatus eſt.Ipſe autẽ,quamuis alioqui ab Epiſcopatu alienum animũ haberet,gregis tamen amore,& quia futurũ exiſtimabat, vt ſi imperatricem ciuitatẽ teneret,contentiones,per orbem terrarum oborientes,velut è ſpecula quadam perſpectas extingueret, diſſidentesq; Eccleſias ambabus, vt dicitur,manibus ad vnionem concordiamq; adduceret, Epiſcopatum accipere non recuſauit. At verò Meletius extremo vitæ die Conſtantinopoli perfunctus, adeò celebri atq; honorifico funere effertur,vt ad ipſum vrbs tota ſeſe effunderet,maximamque lachrymarum vim profunderet,ac tum inprimis,quanta ciuium multitudo eſſet, agnoſceretur.

Rurſus

Contentio de ſede Cõſtantinopolitana.

Rurſus itaque de throno contentio excitata eſt, atque inter ſe pugnabant Epiſcopi. Alij enim, quæ ſuffragijs ſtatuta fuerant, iuſta eſſe iudicantes, firma ea manere volebant. Alij ijs, quæ iam rectè decreta fuerant, aduerſabantur. At Gregorius, vt qui ſemel cathedram admiſiſſet, eam vendicabat, atque huiuſmodi oratione vtebatur: Ego, paſtores ſacri & venerabiles, primùm regiæ vrbis præfecturam accipere recuſabam, ac licèt hæc Eccleſia laboribus ſudoribuſque meis coagmentata atque amplificata fuiſſet, mihi tamen ſatis ſuperque erat hæc Deo theſaurizare, atque ab eo mercedẽ expectare. Poſtquàm autem & gregis amore, & communibus veſtris calculis cathedram accipere coactus ſum, mihi haudquaquàm rectè agere videmini, qui quod ipſi feciſtis, conuellitis atque abrogatis: vt interim taceam, quòd ne inter omnes quidem ſatis conuenit: verùm alij ea, quæ iam conſtituta ſunt, rata eſſe debere cenſent: alijs ſecùs videtur. Nec verò hæc eò à me dicuntur, quòd vel opes vel ſublimem cathedram expetam, vel imperatricis vrbis Epiſcopus nominari concupiſcam: ſed primùm filiorum orbitatem tranquillo animo ferre difficillimũ eſt, nec niſi vecordis cuiuſpiam hominis planeque ſtupidi. Deinde illud metuendum, ne inuidia quadam aut leuitate res nuper decretas immutare videamini. Quòd ſi vobis præſentia magis cordi ſunt, ac res haud pridem conſtitutas velut obſoletas & friuolas cõtemnitis, haud mœſto animo Epiſcopatu me abdico. Conſilium inite, res veſtras agite, & quicquid vobis in mentem venerit. Mihi quidem ſolitudo & olim chara fuit, & nunc eſt. Non enim à Deo quoque nos arcebũt, qui thronum eripuerint.

Plurimis grauiter dolet Gregorij abdicatio.

Hac oratione habita, cùm pleroſque in alius Epiſcopi creationem ſtudioſè incumbere ſenſiſſet, ipſe domo ea, in qua manebat, deſerta, aliam ab Eccleſia procùl diſſitam circunſpectat, vt tumultus moleſtoſque & importunos hominum congreſſus effugeret. Permulti quippe ex plebeio ordine illuc confluebant, cum lachrymis eum orantes atque obteſtantes, vt gregem, quẽ tot tantiſque laboribus ac ſudoribus aluerat atque prouexerat, miſeraretur. Da hoc chariſſimis tibi hominibus, inquiebant, & quibus vitę florem priùs impendiſti, ijſdem quoque, quod temporis ſupereſt largire: vt qui doctrina tua colluſtrati ſumus, tui etiã corporis reliquias habeamus. His verbis molliebatur quidem indulgentiſſimus pater, cæterùm ancipitis erat animi quid ageret, Deumque ſupplex orabat, vt quod ſibi maximè conueniret, procuraret. Quæ cùm ita ſe haberẽt, affuêre Epiſcopi tum ex Aegypto, tum ex Macedonia Byzantium vocati, cùm adhuc ſupradicta ſynodus in vrbe eſſet. Et quidem illi, quoniã Gregorius citra eorum ſententiam throno impoſitus fuerat, humano affectu obſeſſi, electioni obſiſtebant: nõ quòd eum odio haberent, (quemadmodùm ei occultis ſignificationibus confirmabant) ſed vt eos, à quibus creatus fuerat, vlciſcerentur, vt qui ſine eorum ſententia Archiepiſcopali ſede Gregorium donâſſent.

Præclara S. Gregorij ad Synodum oratio.

At vir beatus omnibus Epiſcopis in vnum coactis, in medio concilio ſtans, ad hunc modum verba facit: Viri collegæ & compaſtores ſacroſancti gregis Chriſti, turpe fuerit, prorſuſque à vobis alienum, ſi qui pacis documentũ alijs præbetis, inteſtinum ipſi bellum inter vos excitetis. Quonam enim modo alios ad concordiã adduxeritis, ipſi circa ſententias veſtras & decreta diſcrepantes? Ac vos per Trinitatem etiam ipſam obſecro, vt mutua veſtra negocia præclarè & pacificè conſtituatis. Quòd ſi vobis vllo modo diſſidij cauſa ſum, Ionam Prophetam vitæ integritate non ſupero: proijcite me in mare, & tumultuum tempeſtate agitari deſinetis. Quicquid vobis viſum fuerit, tametſi à culpa immunis, libenter perpetiar, ſi quidem hac ratione concordia veſtra repræſentari ac reſarciri poſſit. Throno exturbate, vrbe eijcite: tantùm veritatem & pacem, vt cum Zacharia loquar, amate. Valete ſacri Paſtores, meorumque laborum memoriam perpetuam conſeruate. Hæc eo prolocuto, pudore quodam ipſi tenebãtur, eius oratione compuncti. Tum ipſe in Cappadociam perrecturus, è Concilio exceſſit, voluptate ſimul & mœrore affectus: illud, quòd laborum requiem inueniſſet: hoc, propter gregem, quem quo modo relinqueret, incertus erat. In aulam autẽ profectus, beneficium ab Imperatore poſtulabat, his verbis priùs eum affatus: Tibi quidem, ô Imperator, pro tuis erga Eccleſiam meritis retribuat Chriſtus in die retributionis: beneficium autem, quod nunc à te peto, potentiſſime princeps, dare ne graueris. Non pro pecunijs tibi ſum ſupplex, non precioſa altarium tegumenta concupiſco, non cognatis dignitates ambio, ſed vt laboribus liberer, obſecro. Ceſſet etiam inuidia, pacem colant Epiſcopi: tu maximè in eam rem adnitere: ſacerdotum bellum comprime, qui Barbarorum audaciã compeſcuiſti: maxima imperij tui trophæa vna re exorna,

Ion. 1.

Zach. 8.

Oratio eius ad Theodoſ. Imperat.

na,nimirùm Epiſcoporum concordia. Hoc ego donum à te peto, hoc beneficium vltimum porrige. Hac oratione Imperator,& qui ſenatorij ordinis erant, in admirationem rapti, vtpotè acerrimo ipſius amore contabeſcentes, vix diſcedendi poteſtatem ipſi fecerunt.

Nectario ei ſubrogato, abit in Cappadociam.

Cæterùm eo adhuc Conſtantinopoli agente, Nectarius quidam, Tarſo Ciliciæ ciuitate ortus,Eccleſiæ ipſius à Synodo Epiſcopus conſtituitur. Ipſe autem cùm clerum ac præſtantiſſimũ quenque ex populari multitudine aduocâſſet, eoſque vt fidei depoſitum ſeruarent, Deique præcepta exequerentur admonuiſſet, complexuſque fuiſſet, multaſque omnibus lachrymas extorſiſſet,itineri ſe dedit,tandemque Arianzum peruenit. Cappadociæ autem is locus eſt, quem ex paterna hæreditate ad ſe deuolutum poſſidebat. Cùm autem multum temporis fluxiſſet, ex quo Baſilius Magnus ex hac vita ad Deum euolârat, ac præſentia cum ſublimiore vita commutârat, funebri oratione in ipſius laudem conſcripta, ſacram Cæſareenſium metropolim adijt, Eccleſiæque nuncupata ac dicata ea oratione,domum ſe recepit.Sed cùm perdiù ipſe à patria propter Conſtantinopolitanam cõmorationem abfuiſſet (duodecim nanque ipſum Byzantij annos egiſſe ferunt) accidit,vt quidam Apollinarij diſcipuli in ſecunda Cappadocum præfectura ſermonibus ſuis multos in fraudẽ inducerent, eoque audaciæ progrederentur,vt ad hunc quoque accederent, atque Epiſcopos in ea regione crearent, ne ipſi quidem Nazianzo parcentes. Ipſe verò Nazianzum hoc piaculo quàm celerrimè purgauit. Cumque obnixis precibus rogaretur,vt patriæ antiſtes eſſe vellet,adduci non potuit,vt Epiſcopatum acciperet: (tranquillam enim vitam mirificè conſectabatur) verùm Eulalium quendam,quem, vt ſuî cultorem moderatumque hominem, inprimìs charum habebat,Nazianzi Epiſcopum conſtituit.

Recuſat Epiſcopatũ Nazianzenum.

Ipſe autem infirmitate preſſus,Arianzi corpus refocillabat.Cumque iam iter facere non valeret, Cledonium presbyterum,pium virum minimeque fictum Dei cultorem, alioſque nonnullos per literas admonuit, ne hæreſis peſtem ſuſciperent, verùm Apollinariſtarũ electiones, vt nefarias & ab Eccleſia Catholica alienas, pro irritis haberent.Nec verò ſatis habebat nuda & ſimplici cõteſtatione ad eos vti, verùm pleniùs vberiuſque ſcribebat,ſingula abortiuæ Apollinarij hæreſis impietatiſque capita euertens atque opprimens: quemadmodùm liquidò oſtendunt tum duæ illæ ad Cledoniũ epiſtolæ,tum præcipuè tractatus poëtici,quos reliquit.Porrò in poëticis lucubrationibus, quarum etiam antè memini, duplex illi ſcopus propoſitus erat: alter, vt impiam tyranni Iuliani legem,qua Chriſtiani à profanis diſciplinis arcebantur, puerilem atque infirmam & ridiculam eſſe oſtenderet: alter, quoniam Apollinariũ multos libros varijs carminum generibus perſcripſiſſe, ijſque, vtpotè eruditum hominem dicendique facultate præſtantem,multos ad hæreſim ſuam illexiſſe perſpiciebat,neceſſariò ſibi faciendum putauit, vt Arianzi poſt reditum ſuum quieſcẽs, atque ab omnibus negocijs occupationibuſque feriatus, cudendis verſibus animum adijceret. Atque hinc vberrima mihi huius orationis materia collecta eſt.

Electiones Apollinariſtarũ docet irritas eſſe.

Eius poeſes

Cùm autem nonnihil temporis illic quietus egiſſet, vitamque philoſophiæ opera purgâſſet,ſpeculationique animum impenſiùs addixiſſet, in extrema tandem ſenectute caducam hanc vitam cum meliori & præſtantiori rerum ſtatu, cuius hîc pertenues etiam ſpecies vix reperiri queant, permutauit. Ac commendationis quidem Gregorianæ munere pro virili mea perfunctus ſum,quantum ad id attinebat,vt & boni patris, & eorum,qui vitam illius audire geſtiebant, cupiditati ſatisfacerem, atque vt exiguam quandam vitæ deſcriptionem breuiter compræhenſam haberemus.Nam omnes illius laudes vitæque ornamenta exponere, aut pro rei dignitate tractare, adeò difficile atque arduum fuerit, vt haud ſciam, an quiſquam eorum etiam, qui ſummã eruditionis laudem conſecuti ſunt,hoc pręſtare poſſit.Tu verò pater beate,verique illius tabernaculi ſpectator & cõſcie, in quo exultationis & ſalutis voce angeli ac ſancti diuinas laudes canunt, Gregorij tui, qui exiguam hanc oratiunculam tibi elaborauit, memor eſto. Quauìs enim ob virium imbecillitatem virtutibus tuis parem orationem non attulerim, idque de te verba faciens, promptitudinem tamen animi haudquaquàm accuſabis. Tua enim vox illa ſacra eſt, Deo id gratum eſſe, quod viribus reſpondet.

Sancti viri obitus.

EIVSDEM

EIVSDEM BEATISSIMI PATRIS, GREGORII NAZIANZENI VITA CONTRACTIOR, AV*thore Ruffino presbytero in Præfatione in eius Apologeticum.*

PROFICISCENTI mihi ex Vrbe, magnoperè iniungebas Aproniane fili chariſſime, vt tibi abſens quoque aliquid operis impenderem, ne vos à cōſuetis ſtudijs neceſſitas meæ profectionis inhiberet. Petebas ergo Gregorium tibi in Latinum verti, virum per omnia incomparabilem, qui & verbo & operibus clarus, ſplendidiſſimum lumen ſcientiæ Chriſti Eccleſijs præbuit, dum ea docuit, quæ fecit, nec ſeipſum condemnauit agendo contraria, quàm docebat.

Is Cappadocia, domo, epiſcopo patre, matre quoque ſatis religioſa oriundus fuit, Athenis & alitus & eruditus, vt pauci: nec tamen in conuerſatione ſcholari, vel ætatis vel ſodalium illecebris cedens, perdidit pudicitiam: ſed tanquam à Deo ſibi cōmiſſum theſaurum, ad domum caſtam reportauit integrum ſignaculum caſtitatis. *S. Gregorius manſit virgo.*

Denique cùm Philoſophiæ ſtudijs apud Athenas vacaret, vidit per ſoporem ſedenti ſibi & legenti duas decoras ſatis dextera læuaque fœminas conſediſſe. Quas ille caſtitatis inſtinctu oculo toruiore reſpiciēs, quænam eſſent, vel quid ſibi vellent, percontabatur. At illæ eum familiariùs & ambitioſiùs complectentes, aiunt: Ne moleſtè accipias, iuuenis: notæ tibi ſatis & familiares ſumus. Altera enim ex nobis Sapientia, altera Caſtitas dicitur: & miſſæ ſumus à Domino tecum habitare, quia iucundum nobis & ſatis mundum in corde tuo habitaculum præparâſti. *Viſio in ſomnis.*

Huius viri neque vita aliquid probabilius & ſanctius, neque eloquentia clarius & illuſtrius, neque fide purius & rectius, neque ſcientia plenius & perfectius inueniri poteſt. Qui ſolus ſit, de cuius fide ne diſſidentes quidem inter ſe, vt fieri ſolet, partes & ſtudia diſputare potuerint: ſed id obtinuerit apud Deum & Eccleſias Dei meriti, vt quicunq; auſus fuerit doctrinæ eius in aliquo refragari, ex hoc ipſo, quia ipſe magis ſit hæreticus, arguatur. Manifeſtum nanque indicium eſt, non eſſe rectæ fidei omnem, qui in fide Gregorio non concordat. *Eius vita, eloquentia, fides, ſcientia.*

ITEM DE EODEM EX SIMEONE *Metaphraſte.*

MAGNVS hic Gregorius Theologus vitam ipſe ſuam expoſuit in ijs funebribus orationibus, quibus Baſilium Magnū, Gregoriū patrem, Cæſarium fratrem, & Gorgoniam ſororem ornat. Ac proinde qui vitam illius conſcripſerunt, nō aliunde, quàm ex ipſius operibus dicendi argumentum acceperunt. Hoc vnum neceſſariò dicendum, quòd ſi quidem apud homines exiſtere neceſſe erat effigiem quandam & columnam, ex omnibus virtutibus conſtantem, hoc erat Gregorius. *Eximia laus eius.* Nam cùm vitæ ſplendore eos, qui actionis laude florebant, ſuperâſſet: eò rurſus contemplationis progreſſus eſt, vt omnes illi ſapiētiæ doctrinæq; laude cederent, tam eius, quæ in verbis, quàm quæ in fidei dogmatibus verſatur. Vnde etiam Theologi cognomentum adeptus eſt. Quantùm autem ad corporis formam attinet, ſtatura mediocri erat, pallidus aliquantùm, non tamen citra venuſtatem, depreſſo naſo, ſupercilijs in rectum protenſis, adſpectu blando & ſuaui, altero oculo, nempe dextro, ſubtriſtis, quem etiam cicatrix quædam contrahebat: barba non promiſſa, denſa tamen. Qua parte caluus erat, (nam ſubcaluus erat) albos crines habebat: ſummas item barbæ partes velut fumo obſitas oſtendebat. *Forma corporis eius.*

MARTYRIVM S. GORDIANI CLARISSIMI VIRI, EX MS. EGREGIO CODICE DESCRIPTVM.

Conſentiunt autem antiquiſſima Martyrologia. Dictio in gratiam Lectoris paſſim nonnihil expolita eſt per F. Laurentium Surium.

10. Maij.

TEmporibus Iuliani impijſſimi Imperatoris, multorũ Chriſtianorum delata ſunt nomina. Furore autem percitus Iulianus, iuſſit eos compræhenſos in publicam cuſtodiam abduci. Inter eos fuit etiam Ianuarius presbyter ſenex. Poſt diem tertiũ impijſſimus Iulianus vocauit ad ſe Gordianum vicarium, iuſſitque ei, vt Ianuarium presbyterum ſibi ſiſtendum curaret. Itaque Gordianus Ianuarium presbyterũ è carcere euocatum, ſibi iuſſit præſentari, aitque ad illum: Quis vocaris, aut cuiâs es facundiſſime orator? Reſpondit S. Ianuarius: Si quidem patriam nôſſe cupis, Antiochenus ſum: ſi verò genus, ex Chriſtianis parentibus Chriſtianus ſum. Gordianus vicarius ait: Quid nos multis verbis in fraudẽ impellere conaris? Audi me, & è duobus alterum elige: aut ſacrifica dijs immortalibus, & eſto amicus inuictiſſimi principis noſtri Iuliani: aut excipe ſententiam nefandorum criminum. Ianuarius dixit: Si mihi id præſtiteris, ego quidem meipſum opto offerre Deo meo ſacrificium. Alioqui quicquid propter peccata mea mihi intuleris, meritò id patiar: propter peccata, inquam, mea, non propter iuſtitiam. Gordianus ait: Si pro maleficijs tuis, vt ipſe fateris, omnibus ſupplicijs affici dignus es, funde dijs libamina, vt dignus fias expiatione, atque à nobis conſerueris. Ianuarius presbyter dixit: Ego quidem in nomine Domini mei Ieſu Chriſti ſaluus fui, ſemperque ſaluus ero: atque inſuper etiam alios per baptiſmum ſaluos feci, qui ſalutis adipiſcendæ deſiderio tenebantur. Tu verò ſi ſaperes, toto corde illum expeteres, optareſque requiem inuenire animæ tuæ poſt tantas huius vitæ tempeſtates, & ad vitam peruenire ſempiternam.

Ianuarius presbyter compręhéditur.

Própta eius pro Chriſto patiendi voluntas.

In ædibus Gordiani habetur in cuſtodia.

Tunc Gordianus præcepit eum domi ſuæ in cuſtodia haberi, noctuque eum ad ſe accerſiens, dicebat ſe eius velle ſermonibus oblectari. Cui dixit ſanctus Ianuarius presbyter: Fili, noli perdere tempus tuum, ſed potiùs age pœnitentiam propter trucidata corpora ſanctorũ, quos interfeciſti, & baptizare, vt poſſis frui requie æterna, & immunis eſſe à tormẽtis ignis æterni. Gordianus vicarius dixit: Itáne certus ero, ſi dictis tuis obtemperauero, immunem me fore à ſupplicijs illis ſempiternis? S. Ianuarius presbyter reſpondit: Ego tibi polliceor in nomine Domini mei Ieſu Chriſti, ſi toto corde credideris, & baptizatus fueris, omnium facinorum tuorum ſordes expiatum iri, adeò vt teipſum quoque Domino Ieſu Chriſto ſacrificium offeras. Gordianus vicarius dixit: Pręſcribe ergo mihi credendi formam quandam ſiue modum. Ianuarius presbyter ait: Confitearis in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti vnam diuinitatem, & agens pœnitentiam, oſtendas te agnoſcere peccata tua. Tum Gordianus vicarius lachrymans abijt ad vxorem ſuam nomine Marinam, dixitque ei omnia, quæ S. Ianuarius eum hortatus eſſet facere. Eadem itaque noctis hora vxor Gordiani, tenens manum eius, fuit cum illo ad S. Ianuarium presbyterum, pariterque ſe in terrã abiecerunt ad pedes eius, rogantes vt ipſos baptizaret, ſeque peccâſſe clamantes, & ei dicentes: Effice, vt liberemur à peccatis noſtris. S. Ianuarius presbyter reſpõdit: Etiam atque etiam videte, num toto corde credatis, num quod tegumẽtum intus retineatis. Scio enim vos ab Imperatore haberi in honore. Reſpondit Marina: Vnam Iouis effigiem habemus reconditam, ab Imperatore nobis datam, propter quam ſancti cruciabantur. De ea verò quid faciemus? Neque enim id te dominum meum celatũ volui, vt mereamur adipiſci coronam vitæ, vbi à nobis conflata fuerit. Eadem hora adduxit Marina S. Ianuarium presbyterum in cubiculum ſuum, & oſtendit ei Iouis ſimulacrum æreum, ſed inauratum, & tripodem æream. Sanctus autem Ianuarius presbyter ſimulacrum cum ara accenſo igne conflauit, proiecitque in cloacam: atque deinde cum ingenti gaudio catechizauit Gordianum & Marinam vxorem eius, atque è familia promiſcui ſexûs quinquaginta tres, quos etiam omnes baptizauit.

Gordianus cum vxore & 53. è familia ſua baptizatur.

Eodem tempore poſt dies quatuordecim Iulianus impijſſimus ad Gordianum vicarium

carium miſit Clementianum tribunum, dicens ei: Abi viſum, num tandem appulerit animum Ianuarius presbyter ad offerendum ſacrificium magno deo Ioui. Quòd ſi id facere detrectat, ſub præconis voce in Traiani foro fuſtibus cædatur. Et ita quidem factum eſt, vt iuſſit Imperator. Dixit aũt Gordianus ad Clementianum: O Clementiane, ſi cognoſcas eſſe Dominum Ieſum Chriſtum, minas & terrores hominis mortalis non timebis, ſed potiùs vitam contemplaberis ſempiternam, quam & ego mihi paratam intueor. Porrò ſanctum hunc presbyterum ego non ſolùm non afficiam iniuria, ſed honore etiam proſequar. Cuius ego vtinàm vel pedes oſculari merear, per quem me ſentio ſalutem aſſecutum. His auditis, Clementianus ad palatium ſe conferens, vociferabatur: O magum illum omnium deterrimum, qui tuum Imperator vicarium Gordianum ſuis magicis artibus dementauit, illumque & vxorem eius baptizauit, deosque noſtros publicè conflatos & in maſſam redactos abſcondit. Tum verò Iulianus impiiſſimus, iracundia inflammatus, iuſſit in ſcriptis damnari S. Ianuarium presbyterum & beatum Gordianum, cui etiam ſucceſſorem dedit Clementianum, vt is loco eius eſſet vicarius: ipſumque Gordianum in publicam tradi cuſtodiã, & vxorem eius Marinam in pago quodam, quem Aquas Syluias vocant, ruſticorum ſeruituti addici præcepit, vt ea ſeruitute opprimeretur: denique Gordianum iudici Clementiano ſiſtendũ mandauit. Iuſſit igitur Clementianus in tellure templi tribunal apparari, & B. Gordianum catenis vinctũ ſibi exhiberi, cui ſic dixit: Adeóne Gordiane contemnis præcepta principis noſtri ſemper Auguſti, qui te dignitatis functione cohoneſtauit, vt magicis artibus imbutus, contra Reipub. & inuictiſſimi principis noſtri ſalutem deos confles & abſcõdas? B. Gordianus reſpondit: Immò verò pro ſalute Reip. potiùs id feci: & certè ſi in mea poteſtate haberẽ idola omnia, itidèm ea confringerem & conflarẽ. Et tamen dic, oro, quemnam potiùs adorandũ tu cenſes, eum'ne qui fecit, an eum qui fingitur? Ego planè illum adoro, per quem facta ſunt omnia. Clementianus vicarius dixit: Et quiſnã ille eſt, per quẽ facta ſunt omnia? B. Gordianus reſpondit: Chriſtus filius Dei viui. Clementianus vicarius dixit: Si ille fecit omnia, cur à principe Reip. Iuliano ſemper Auguſto proiectus eſt? B. Gordianus ait: Immò verò Iulianus potiùs à Deo proiectus eſt, qui Dei timore contempto, adorat dæmonum idola, cum quibus periturus eſt. *S. Gordian⁹ ſiſtitur corã Clementiano.*

Clementianus dixit: Sacrifica dijs immortalibus: alioquì iubebo tibi caput amputari. B. Gordianus ait: Nunquàm benè ſit tibi miſer, nec principi tuo Iuliano, qui ad tenebras damnatus eſt. Tum ira incenſus Clementianus, iuſſit eum plumbatis cædi: cumque diù cæderetur, B. Gordianus alta voce dicebat: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte. Quod vt audiuit impijſſimus Clementianus, præcepit ei caput amputari ante templum in tellure, corpusque eius proijci ante Palladis ædem in locum ſupradictum, vetuitque illud ſepeliri intra dies quinque, vt à canibus deuoraretur. Cùm autem accurriſſent canes, vlulatus edebant, nec auſi erant illud attingere, ſed potiùs cuſtodiebant. Venit itaque vnus ex familia eius noctù cum alijs Chriſtianis, corpusque venerandum ſancti martyris abſtulit, & non longè ab vrbe Roma, plùs minùs milliario vno, via Latina id condidit in Crypta 6. Idus Maias, vbi iampridem S. Epimachus ſepultus fuerat. Quo in loco beneficia eorum ac virtutes florent vſque in hodiernum diem, ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Prædicentis vox eſt, non imprecãtis.* *Cæditur capite S. Gordianus.*

MARTYRIVM SS. GLYCERIÆ ET LAODICII, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

ANNO primo Imperatoris Antonini, Præſide Græciæ Sabino, multa erat conſenſio Chriſtianorum, qui habitabant in vrbe Traianopoli: per ſinglos autem dies in vnum locum conueniebant, & multo labore ac ſtudio à Deo pacem petebant: pauci enim erant Deum metuentes. Antoninus verò Imperator, cùm Græcorum ſuperſtitionem ſequeretur, omnibus idolis ſacrificabat, ijs videlicet, qui falſo nomine dij appellabantur: ſed multo diligentiùs ac frequentiùs Ioui ſacra faciebat, & in eius ſuperſtitionis errore aſſiduè verſari videbatur. *10. Maij. Quidam 13. Maij.* *Antonini ſuperſtitio.*

Quodam autem die in templo ipſius Iouis cum execrandis illis ſacerdotibus conſultauit, & in omnes vrbes, regiones ac prouincias miſit, vt vniuerſi homines accederent, & dijs ſacrificarent, Ioui præſertim: ac quicunque *Eius crudele edictum.*

dijs ipſis ſacrificia offerre nollet, is acerba morte interfici deberet. Cùm edictum illud tam iniquum vbiq; diuulgaretur, in Græciam quoque perlatum eſt. Quod cùm Præſes accepiſſet, primum ſacrificium in templo apud Maxianopolim offerebat, Imperatoris legem oſtendens, neminem verò adhuc cogens. Poſtero autem die manè Traianopolim profectus, ſimiliter & ijs, qui illic erant, legem oſtendit, & hoc edictum propoſuit: Sabinus fortiſſimus Præſes, & valdè illuſtris, omnibus populis & regionibus illuſtribus ſalutem. Vna mente ac ſententia omnes conuenientes, intra tres dies noſipſos purgemus, & in Iouis templum ingrediamur, atque Imperatoris natalem diem agentes, magno deo Ioui ſacrificium offeramus. Qui verò non obtemperauerit, neque lampadem tenens ſacrificium obtulerit, grauibus ſupplicijs cruciatus moriatur.

Tunc omnes in vrbe illa Chriſtiani homines Deum precabantur, pacem petentes. Glyceria verò quædam Romana fœmina, filia Macarij ter Conſulis, cùm eſſet in vrbe illa, & ſingulis diebus atq; horis in eam paruam domum ingrederetur, in quam homines Chriſtiani congregabantur, ſeipſam Deo & Chriſto eius purgabat, omnibus ita dicens: Fratres, ſorores, filij, patres, & quæcunque matris loco mihi eſtis, videte & vobis cauete, ac diligenter animaduertite, qualis eſt Imperator ille, cuius characterem habemus, & quali forma in fronte ſignati ſumus, qualis denique monetæ inſcriptionem accepimus. Hæc igitur cùm ſciamus, demus operam, vt quamdiligentiſſimè Domini noſtri præcepta ſeruantes, apud illum ipſum æternum Regem ſalutē conſequamur, characterem etiam, quem accepimus, ab omni labe vacuum ac purum cuſtodientes. Id cùm fœmina illa dixiſſet: Optamus, inquiunt omnes, horum omnium, quæ dixiſti, compotes fieri. Tum illa: Veſtræ igitur preces Deo ipſi offerantur.

Glyceria illuſtris fœmina.

Poſteà verò, quàm tres dies prçteriêrunt, ciues omnes cum lampadibus inſanientes concurrebant. Venit autem & Glyceria, quæ Crucis Chriſti ſignū in fronte inſcriptum habebat, quo animam illuminare poſſet. Ad Præſidem igitur cucurrit: cumque ante illum ſtetiſſet, ſic eſt locuta: Clariſſime Prçſes, en ſacrificiorum, quç Deo ipſi offerenda ſunt, ipſa initium faciā. Prima enim ſum, & eo patre nata, qui fuit tertiò Romanus Conſul. Et vbinàm, inquit Præſes, lampas tua eſt, qua te id facturā ſignifices? Cui Glyceria: In fronte ſcriptā habeo lampadem meā, quæ cùm extingui non poſſit, ſyncera noſtra, quæ Deo ipſi offerimus, ſacrificia illuminat, & æterno Regi offert. Tum Præſes dixit: Agè, lampadē ſumēs Ioui ſacrifica. Minimè, inquit Glyceria, æterno Regi & Deo lampadibus fumū emittentibus opus eſt: ſed iube ipſas extingui, vt ſacrificium meum non labefactetur. Iuſſit igitur Præſes, & extinctæ ſunt lāpades. Quibus extinctis, ſancta illa fœmina Glyceria, pectus tēperantia & fortitudine præcinctum habens, oculos ad cælum intendit, &, manu ad populum extenſa, Videtis'ne, inquit, illuſtrem hanc lampadem in fronte mea inſcriptam? Cumq; hæc diceret, Crucem Chriſti oſtendit, ac dixit: Deus omnipotens, qui per Chriſti tui Crucem à ſeruis tuis glorioſè collaudaris, qui ſanctis illis tribus pueris te oſtendiſti, eosq; ab ignis fornace liberâſti, qui leonum ora clauſiſti, & ſeruum tuum Danielem victorem effeciſti, qui Belo euerſo & dracone interfecto, dæmonum imaginem confregiſti, Ieſu Chriſte, puriſſimus Dei agnus, veni, quæſo, & mihi humili atque abiectæ fœminæ opitulare, & dæmonem hunc, arte humana erectum, comminue, nouaque & inania iſtorum ſacrificia diſperge ac diſſipa.

Mira eius animi fortitudo.

Dan. 3. Dan. 6. & 14.

Cùm ſancta illa fœmina Glyceria huiuſmodi preces ad Deum miſiſſet, repentè magnum quoddam tonitru auditum fuit, & Iupiter ipſe corruit atq; comminutus eſt: erat enim lapideus. Hæc cùm vidiſſet Præſes, furore percitus vnà cum ijs ſacerdotibus, qui cum illo erant, iuſſit Glyceriam lapidibus in eam iactis interfici. Itaque nefariorum hominum multitudo deſcendit, & lapides in Glyceriam coniecit. Lapides verò ipſi, tanquam in locum quendam repoſiti, eam circundabant quidem, ſed non tangebant. Cùm verò Dei beneficium hoc eſſe illi non intelligerent, pharmaceutriam, hoc eſt, veneficam mulierem eam eſſe dicebant, ob idque lapidibus non percuti. Tum Glyceria: Rectè, inquit, dicitis me pharmaceutriam eſſe: Chriſti enim pharmaca, per me vim ſuam operantia, veſtrum errorem redarguunt, eiuſque auxilium iniurias veſtras diſpergit. His auditis, Præſes dixit: Ad craſtinum vſque diem in carcere cuſtodiatur mulier iſta, ne fortè veneficijs ſuis vtens effugiat, & à Deo ſuo ſe adiutam fuiſſe dicat, & ita multos decipiat. Tum Glyceria: Stulte, inquit, excæcate atque impuriſſime homo, non animaduertis me præçeptis Dei ligatam eſſe, & eius legi affixam, è quibus ſolui non poſſum? Ipſius enim vinculum eſt indiſſolubile, quo ſuperborum vincula diſſoluuntur, & eorum, qui Deo ipſi reſiſtunt, conſilia diſſipantur.

Lapidatur, ſed non tāgitur.

Hæc

Hæc cùm dixiſſet, in carcerem abijt. Ad quam Philocrates presbyter acceſſit. Illi autẽ dixit Glyceria: Signa me Chriſti ſigno,& precioſo veritatis Chriſmate meipſam exorna, & Deo illi atque Imperatori, cui tu militas, & cuius arma ipſe geris, me commenda,vt eo ſigno munita,prauiſſimi dæmonis malitiam ſuperem. Ad hæc Philocrates presbyter: Signum,inquit, Chriſti vota tua expleat, & precioſum Chriſti vnguentum faciat,vt,quod cupis,id aſſequaris. Hæc cùm dixiſſet, pacem ei precatus, diſceſſit. Eo autem die,qui conſecutus eſt,Præſes ipſe manè ad domum regiam venit, vt Glyceriam ſanctam illam fœminam ad ſe duci faceret, eamq́ue interrogaret, an dijs ſacrificare vellet.Quod ſi facere noluiſſet,pluribus tormentis afficiendam,ac morte denique condemnandam eſſe cenſuit.Ducta igitur fuit,& ante Præſidem ſtetit hilari vultu.Cui Præſes: Dic, inquit, Glyceria : Num adhuc perſuaſum non habes, vt magno deo Ioui ſacrifices,cui & Imperator ipſe ſacrificat ? Quomodò, inquit Glyceria,illi ſacrificem, qui fractus eſt, & in multas partes comminutus ? Quiq́ue ſibi ipſe opem ferre non potuit,huic'ne me vis ſacrificium offerre? Habeo notitiam illius magni Dei, qui ſedet in cælis,quiq́ue mihi opem tulit,&nefariam veſtram potentiam diſſoluit.Illi me ſacrificia offerre decet,illi me gratam eſſe conuenit. *Ducitur in carcerem.*

Cùm hæc audiſſet Præſes: Sacrifica, inquit,antequàm te cruciem. Tum Glyceria: At cruciabit me Deus meus, ſi te audiam. Ecquisnam, inquit Præſes, te à morte liberabit? Reſpondit Glyceria: Ego ſtudeo & propero corporis mei labore animæ vulneribus mederi. Tunc Præſes iuſſit Glyceriam crinibus ſuſpenſam ac dilaniatam interfici. Illa verò ſuſpenſa dicebat: Gloria tibi ſit,Deus omnipotens, qui ſtolido huic Præſidi oſtendiſti,non alia illi eſſe tormenta, niſi crines illos à tua benignitate mihi datos,quibus caput meum circundatur. Ijs,inquam,crinibus, per quos Præſes me cruciat,ipſe redarguitur.Illi enim pro corporis tegumento,& gloria tua mihi à te adiutore meo dati ſunt,& illijpſi nunc aduerſus bonarum rerum inimicum Præſidem hunc adiumento mihi ſunt.Hęc cùm illa dixiſſet,iuſſit Præſes eam laniari.Quæ dum laniaretur: Nefarie,inquit, & omni malitia referte miniſter diaboli, nihili ſunt iſta tua tormenta, quæ ipſa non ſentio. Habeo enim omnium Dominum Deum,qui per Ieſum Chriſtum me ſeruauit, qui & nunc mihi opitulatur. Para igitur maiora aliqua tormenta : hæc enim nulla ſunt. *Egregièſem per reſpondet Præſidi.* *Non ſentit immania tormenta.*

Talia dicebat Glyceria,& carnificum manus ipſam laniando defatigatę iam erant. Præſes verò cùm ſe à fœmina illa ſuperatum videret, eam deponi iuſſit, & eius oculos contundi. Tum Glyceria : Lux mea, inquit, Deus, & firmamentum meum Chriſtus eſt,qui ſua bonitate ancillæ ſuæ cogitationes confirmat. Te precor, Domine, vt vultum meum illumines,& ad iniurias, quæ propter diuinitatis tuæ confeſſionem mihi afferuntur, excipiendas paratiorem me reddas. Tu, Domine, in patientia tua me corrobora : tu enim es Deus,qui per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſancti Spiritûs tui theſauros ijs conferre ſoles, qui nominis tui confeſſionem oratione firma ac ſtabili profitentur.Qui omnibus tuis viris ſanctis opem tuliſti, per quos & ipſa tuî notitiam accepi,eamq́ue amplexa ſum, exaudi nunc ancillam tuam : quoniã nominis tui cauſa ſtudeo è laqueis diaboli & ab ore ſerpentis liberari. Hæc cùm diceret,à carnificibus verberabatur. Angelus autem Domini Dei repentè illic adſtitit, & carnifices illos ita proſtrauit,vt mortui viderentur. Tum Præſes : Dic,inquit, Glyceria : Quare Imperatori non obtemperas? At illa : Cuinam Imperatori vis me obtemperare? Dico, inquit Præſes, vt illi obedias,qui rerum habet imperium,& legem hanc ſeruandam iuſſit. Reſpondit Glyceria : Ego omnium rerum Imperatori Deo, & eius legi obedio, eamq́ue ſeruo.Tum Præſes : Obtempera,inquit,& dijs ſacrifica. Illi autem Glyceria : Nolo ſacrificium offerre,quod iubes,cùm inane illud ſit : ſed ſacrificium offeram Deo meo, quod ipſe in Spiritu ſancto requirit, quodq́ue pater Abraham ſacrificauit, cùm Iſaac filium ſuum obtulit,& vero Deo gratus fuit, à quo beneficium accepit, vt eſſet pater multarum gentium.Fac,inquit Præſes,ô mulier,quod dico,& ſacrifica,ne ſic decepta, graui ac turpi morte pereas. At illa dixit : Chriſtus noſtri certaminis præfectus,in ſpirituali ſtadio non ſolùm viros certantes,ſed etiam mulieres ipſas contra diabolum patrem tuum prælİantes ſplendidè coronat.Commune enim veritatis ſtudium ijs,qui in eo currunt,propoſitum eſt.Iuſſit autem Pręſes ipſam in carceremduci,neque cibos ab aliquo ad eam ferri. *Tunduntur oculi eius.* *Liberatur diuinitùs.* *Gen.22.* *Gen.17.*

Abijt igitur illa valdè læta, & diuinam gloriam celebrans, in carcerem ingreſſa eſt. Cuſtos autem ipſe multo timore illam in carcere cuſtodiebat, quæ Deum ita laudabat : *Rurſus ducitur in carcerem.*

dabat: Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, qui cognitus es à ſanctis viris præcepta tua obſeruantibus: * qui ſancto illi viro Petro Roma diſcedenti oſtendiſti, qui & aduerſarium tuum Simonem illum magum per eundem Petrum Apoſtolum redarguiſti, qui magno Dauid adiumento fuiſti, & Goliath aduerſarium ipſius ſub eius pedibus conculcâſti. Tu venerandus & puriſſimus Deus exaudi me, & eſto ſimul cum ancilla tua, eamque eripe à prauiſſimo Præſide.

*qui te

1.Reg.17.

Cùm tres dies præterijſſent, dixit Præſes Prætori, vt annulum ipſius caperet, & carcerem ſigillo muniret, in quo maga illa fœmina ſeruabatur: ſic enim eã vocabat. Prætor igitur abijt, & in carcerem ingreſſus, Glyceriam ipſam inuenit diligenter cuſtoditam, & Deum laudantem. Sigillo igitur clauſtris impreſſo, iuſſit & exteriora carceris loca cuſtodiri. Cùm autem illa intus eſſet, & Deum laudaret, Angeli cibum ei afferebant. Præſes verò cùm poſt aliquot dies in vrbem Heracleam profecturus eſſet, carcerem viſere voluit, vt ſi viuam Glyceriã inueniſſet, eam poſt ſe duci iuberet. Cùm autem ad carcerem veniſſet, licèt ianuam ſigillo munitam, vt iuſſerat, videret, neque ad eam quenquam ingreſſum fuiſſe certò ſciret: patefactis tamẽ foribus, eam vinculis ſolutam vidit, & lancem ipſi appoſitam, in qua erant panis, atq; lac, & aqua in cratere. Itaq; ſtupore affectus illam eduxit, non intelligens, Deum eſſe, qui eã nutriebat. Illa verò ſic Deum precabatur: Domine Deus, qui veritatis cognitionẽ nos doces: qui populũ tuum prouidentia maxima proſequeris, qui Danieli per Angelũ cibos præbuiſti, & ad ſanctũ illum virũ Eliam in fluuio Iordane prandiũ ac cœnam miſiſti, qui errantes conuertis, & cæcos illuminas: tu, inquam, Deus recordatus es & meî humilis ancillæ tuæ, & ex illis tuis theſauris, qui diripi non poſſunt, beneficentiam depromens, me humilem ancillam tuam audiuiſti. Hæc cùm dixiſſet, abijt in vrbem Heracleam, Dei gloriam laudans.

Sigillũ clauſtris carceris imprimitur.

Dan.14.
3.Reg.17.

Cùm verò Præſes ipſe illic eſſet, in templo Iouis immolabat. Chriſtiani autem, qui erant in illa vrbe, audiuerunt de muliere, quæ propter Chriſti confeſſionem tam fortiter certauerat, omneſq; vnà cum venerando Epiſcopo Dometio ei obuiàm venerunt tribus milliaribus longè ab vrbe. Tunc Epiſcopus ipſe orationẽ hanc ad Deum miſit: Chriſte lux, quæ nunquàm extingueris, ſol iuſtitiæ, lux eorum, qui ſunt in tenebris, & errantium dux, qui Moyſem duxiſti, & Pharaonẽ in mare præcipitâſti, tu, quæſo, eſto dux & ſeruæ tuæ Glyceriæ in confeſſione nominis tui. Hæc cùm dixiſſet Epiſcopus, ſancta Chriſti martyr Glyceria in vrbem ingreſſa eſt. Poſtero autem die iuſſit Præſes ſanctam mulierem ad ſe duci, & ſi dijs ſacrificare noluiſſet, igne cõburi. Ducta igitur illa eſt. Cui Præſes dixit: Num, Glyceria, certum aliquid deliberâſti? Tum illa: In lege ſcriptum eſt: Non tentabis Dominũ Deum tuum: &, Sit veſter ſermo, Non, Non. Dixi enim tibi, me Deo meo adiunctam eſſe, & diabolo, cui tu ſeruis, renunciâſſe. Quomodò igitur Chriſto adiuncta, poſſum aliquando ab eo ſegregari, & pro vita mortem eligere? Fac igitur quicquid lubet: ego enim parata ſum breuia iſta & caduca deſpicere, vt bona illa cæleſtia conſequar. Tunc Præſes eam in fornacem ignis conijci iuſſit. Accenſa igitur fornace, ſancta mulier Crucis ſigno ſeipſam muniuit, ac dixit: Domine Deus omnipotens, benedico tibi, & nominis tui gloriam celebro, quoniam præſentem diem atque horam hanc mihi ancillæ tuæ in exultationem æternam conceſſiſti. Scripſi, & pronunciaui confeſſionem tuam coram Angelis & hominibus. Exple animę meę deſiderium, & iniquo atque impio Præſidi oſtende, quòd ſis adiutor meus.

Heracleæ à Chriſtianis honorificè excipitur.

Deut.6.
Matth.5.

Signo Crucis ſe munit

Hæc cùm dixiſſet, & in fornacem conìecta eſſet, repentè ros è cælo demiſſus, ignis flammam extinxit, & ſancta mulier in fornace ipſa, velut pura quædam agna, ſtetit canens verba hæc: Sanctus es Deus, qui diuinitate tua ad humilem ancillam tuam Glyceriam de cælo auxiliũ miſiſti, vt omnia tibi & voluntati tuæ ſubiecta te cognoſcerent. Huius flammæ radij, horribilia iuſſa tua non ferentes, aufugerunt, & nunc iniqui atque improbi Præſidis mentem comburunt. Hæc cùm dixiſſet, exijt è fornace ſine læſione aliqua. Tunc Iudex: Cuiuſnam, inquit, auxilio confiſa, dijs non ſacrificas? Reſpondit Glyceria: Deo meo, & Chriſto ipſius obediens. Tum Præſes: Ne verbis artificioſis ampliùs vtaris, & omnes decipias. Cui Glyceria: Non verbis, inquit, artificioſis, ſed operibus bonis ac ſermonibus fidem omnibus facio. Tum Præſes iuſſit capitis eius pellem à vertice vſque ad frontem detrahi. Itaque ſatellites cùm manibus ac pedibus mulierem vinctã tenerent, fecerunt id, quod à Præſide iuſſi fuerãt. Sancta verò Glyceria, dum pellis ei ſecaretur, ita Deũ orabat: Domine Deus, qui effulgentem lucem emittis, & iuſtitiam facis efflorеſcere, per hanc pellis meæ detractionem, ſceleſto Præſidi Sabino illud oſtende, quòd quicunque ſpem ſuam in te collocârunt, ſtudent per maximas quaſque

Iactatur in fornacem, eaque diuinitùs extinguitur.

Detrahitur pellis capitis eius.

quaſque ærumnas confeſſionis coronam à te percipere. Quamobrem gratias tibi ago, quòd per huius meæ carnis pellem detractam, omnia, quæ in me ſunt, detexiſti, vt lumine tuo illuſtrata, poſſim illud dicere: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Pſal. 118.

Cùm eius mulieris conſtantiam non ferret Præſes, (putabat enim ſibi iniuriam ab ea fieri) iuſſit eam in carcerem duci, vt vſque ad craſtinum diem manibus & pedibus vincta ſeruaretur, & ſuper acutos lapides proſterneretur, quò ſuper illos agitata, ærumnosè ac peſſimè interiret. Fecerunt miniſtri, quod iuſſi fuerant, & ita eam diſpoſuerunt. Media verò nocte Angelus Domini venit, & à vinculis Glyceriam diſſoluit, & illam faciei ſpeciem, propter pellem detractam inhoneſtiorem factam, ita curauit, vt talis eſſet facies ipſa, qualem Deus effecerat. Poſtridiè verò manè Præſes, cùm progreſſus eſſet, iuſſit ad ſe duci ſanctam mulierem Glyceriam. Itaque cuſtos carceris, nomine Laodicius, cùm, patefactis foribus, eam ſolutam vidiſſet, neque agnouiſſet, in deſperationem venit, & ſeipſum interficere voluit. Illa verò: Caue, inquit, iſtud facias, ſed tibi ipſi parcas: ego enim ſum illa, quam tu quæris. Tum cuſtos tremens, dixit: Miſerere, quæſo, mei, ne moriar. Credo in Deum illum, qui tibi opem tulit. At illa: Sequere igitur Chriſtum, qui ſalutem affert. Tunc Laodicius Glyceriam eduxit, & eius vinculis ipſe illigatus eam ſequebatur. Id cùm Præſes vidiſſet: Quidnam, inquit, iſtud eſt, quod feciſti, Laodici? Vbi eſt mulier illa, quæ deuincta tibi commiſſa fuit? Tum Laodicius: En tribunali aſſiſtit, quæ proxima nocte diuino lumine illuſtrata, inſignem ac ſplendidam faciei ſpeciem per manum Angeli à Deo miſſi recepit, & ab eodem vinculis exoluta fuit. Eius autem vincula, cùm Dei miracula perſpexerim, ipſe accepi. Credo igitur id, quod ipſa credit, & eiuſdem mortis volo fieri particeps.

In carcere duriſſimè habetur.

Laodicius credit in Chriſtum.

Tum Præſes: Feriatur, inquit, iſte, & capite priuetur. Sine, videamus, an illi Chriſtus opem ferat. Ille verò cùm ſecuri feriendus eſſet, hæc verba protulit: Tu Chriſtianorum Deus, connumera me, quæſo, cum ſerua tua Glyceria. Itaque illa ſic Deum orauit: Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui mortis dolorem diſſoluiſti, & captiuos liberâſti: tu, quæſo, libera ſeruum tuum Laodicium, & da, vt in Chriſti tui confeſſione perficiatur, & illum in pace ad te collige. His auditis, Laodicius addidit, Amen. Cumque hoc dixiſſet, ſecuri percuſſus eſt, & eius corpus à Chriſtianis ſublatum fuit. Tum Præſes ad Glyceriam conuerſus, eam ita affatus eſt: Scis Glyceria, te patre natam, qui Romæ ter Conſulatum geſſit, & matre, quæ nihilo minùs, quàm pater, & ipſa nobilis eſt. Dic igitur: Quisnam eſt iſte, qui tibi opem affert? Chriſtus, inquit Glyceria, mundi ſaluator, & Deus totius conſolationis, qui mihi prandium miſit in carcerem, & à vinculis me liberauit, & faciei meæ honeſtam ſpeciem reſtituit: is, inquam, eſt adiutor meus. Hæc cùm audiſſet Præſes, iuſſit ipſam feris obijci, & cum eis pugnare. Illa verò ad feras, quaſi ad iucundiſſimas aliquas epulas, acceſſit.

Capite plectitur.

Sedente igitur Præſide, ingreſſa eſt Glyceria compoſito inceſſu, & hilari vultu, & ſtetit in medio ſtadio, Chriſtum adiutorem ſuum expectans. Cumque illa ſic ſtetiſſet, ferarum præfectus repagula ſuſtulit, & leæna ingenti corpore fremens exijt, quæ ad Glyceriam accurrit, & ad eius pedes reuoluta eſt. Tunc illa cùm oculos ſuos ad cęlum erexiſſet: Gratias, inquit, tibi ago Deus omnipotens, Deus patrum, Deus miſericordiarum, qui agreſtes feras manſuetiores effeciſti ad diuinitatis tuæ potentiam comprobandam: qui aſpera & difficilia, mihi lenia & plana reddidiſti: qui arida loca aquarum multitudine compleuiſti. Exaudi me Deus, & redde maligno Præſidi conſilijs ipſius congruentia. Da, quæſo, mihi, vt quæ tibi grata ſunt, ea faciam, & mandata tua obſeruem, quò venerandam coronam cum ſanctis patribus aſſequar. Hæc cùm dixiſſet, vox è cælo demiſſa eſt, quæ dixit: Exaudiui orationem tuam: veni cum pace: patefactæ ſunt tibi fores regni cælorum. Tunc alia quædam leęna in Glyceriam immiſſa fuit: quæ cùm egreſſa eſſet, ipſam momordit, neque morſus veſtigium aliquod reliquit. Itaque ſancta illa bellatrix Glyceria, in veritatis confeſſione perfecta, obijt, leænæ illius morſu tacta. Tunc ferarum præfectus atque educator repagulum ſuſtulit, & feræ illæ triſtes in ſtabulum ſuum redierunt. Præſes verò illa ipſa hora hydropicus effectus, & in platea, omnibus rebus indigens, & alijs exemplo propoſitus, mortuus eſt.

Leæna manſueſcit corã Glyceria.

Feliciter S. Glyceria exit è vita.

Præſes miſerè perit.

Cùm verò beata Glyceria, beati martyrij confeſſione perfecta, obijſſet, eius corpus Dometius epiſcopus accepit, & in loco quodam venerando prope vrbem repoſuit. Cuius memoriam piè ac religiosè agimus decimo die menſis Maij, Deum precantes, vt eius ſocij eſſe cum gloria mereamur. Martyrium autem obijt S. Glyceria vnacum

cum Laodicio, Antonino Imperatore & Sabino Præſide: in nobis autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: cui gloria vnà cum patre & ſpirituſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

HISTORIA DE OBITV VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI, AB EIVS QVODAM DISCIPVLO, VIRO *docto & pio, doctè & piè & fideliter conſcripta. Habetur in peruetuſto MS. codice.*

Maij 10.

Miſſæ & orationes pro defunctis.

MVnuſculum quod miſiſti, multùm libenter accepi, multumque gratanter literas tuæ deuotæ eruditionis legi, in quibus quod maximè deſiderabam, Miſſas videlicet & orationes ſacroſanctas pro dilecto patre ac magiſtro Beda à vobis diligenter celebrari reperi. Vnde delectat magis pro eius charitate, quàm fretus ingenio, paucis ſermonibus dicere, quo ordine migrârit à ſeculo, cùm etiam hoc te deſiderâſſe & popoſciſſe intellexi.

Grauatus equidem infirmitate, & maximè creberrimi anhelitûs, & tamen penè ſine dolore aliquo, ante diem autem reſurrectionis Dominicæ, id eſt, ferè duabus hebdomadibus, & ſic poſteà lætus & gaudens, gratiasque agens omnipotenti Deo omni die & nocte, immò horis omnibus vſque ad diem aſcenſionis Dominicæ, id eſt, VII. Idus Maij vitam ducebat, & nobis ſuis diſcipulis quotidiè lectiones dabat: & quicquid reliquum fuit diei, in pſalmorum cantu, prout potuit, ſe occupabat: totâ verò noctem lætus in orationibus & gratiarum actione Deo ducere ſtudebat, niſi tantùm modicus ſomnus impediret. Iterumque autem euigilans, ſtatim conſueta ſcripturarum modulamina ruminabat, extenſiſque manibus, Deo gratias agere non eſt oblitus. Verè fateor, quia neminem vnquàm alium oculis meis vidi, nec auribus audiui tam diligenter gratias Deo viuo referre. O verè beatus vir. Canebat autem ſententiam ſancti Pauli Apoſtoli dicentis, Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis: & multa alia de ſancta ſcriptura, in quibus nos à ſomno animæ exurgere præcogitando vltimam horam admonebat. Et in noſtra quoque lingua, vt erat doctus in noſtris carminibus, dicebat de terribili exitu animarum è corpore. Cantabat etiam antiphonas ob noſtram conſolationem & ſuam, quarum vna eſt: O rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodiè ſuper omnes cælos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos, vſque, veritatis alleluia. Cùm veniſſet autem ad illud verbum, Ne derelinquas nos orphanos, prorupit in lachrymas, & multùm flebat. Et poſt horam cœpit repetere quæ inchoauerat: & ſic tota die faciebat. Et nos quidem audientes hæc, luximus cum illo & fleuimus. Altera vice legimus, altera plorauimus, immò cum fletu legimus.

Hinc colligi poſſunt etiam ſuperioris vitæ eius exercitia.

Heb. 10.

In tali lætitia Quinquageſimales dies vſque ad diem præfatum deduximus, & ille multùm gauiſus eſt, & Deo gratias referebat, qui ſic meruiſſet infirmari: & ſæpè dicebat, Flagellat Deus omnem filium quem recipit: & ſententiã Ambroſij: Non ſic vixi inter vos, vt me pudeat viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. In iſtis autem diebus duo opuſcula memoriæ digna, exceptis lectionibus, quas quotidiè accepimus ab eo, & cantum pſalmorum, facere ſtuduit: Id eſt, A capite Euangelij ſancti Ioannis vſque ad eum locum, in quo dicitur, Sed hæc quid ſunt inter tantos? in noſtram linguam ad vtilitatem Eccleſiæ Dei conuertit: & de libris Iſidori Epiſcopi exceptiones quaſdam, dicens: Nolo vt pueri mei mendacium legant, & in hoc poſt obitum meum ſine fructu laborent. Cùm veniſſet autem tertia feria ante aſcenſionem Domini, cœpit vehementiùs ægrotare in anhelitu, & modicus tumor in ſuis pedibus apparuit: totum tamen illum diem docebat, & hilariter dictabat, & nonnunquàm inter alia dixit: Diſcite cum feſtinatione, quia neſcio quandiù ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus. Nobis tamen videbatur, nè fortè exitum ſuum benè ſciret. Et ſic noctem in gratiarum actione peruigil duxit, & mane illuceſcente, id eſt, quarta feria præcepit diligenter ſcribi quæ cœperamus. Et hoc fecimus vſque ad tertiam horam. A tertia autem hora ambulauimus cum reliquijs Sanctorum, vt conſuetudo illius diei poſcebat: & vnus erat ex nobis cum illo, qui dixit illi: Adhuc capitulum vnum de libro, quem dictâſti, deeſt, & videtur mihi tibi difficile eſſe te plus interrogare. At

Prouer. 3. Heb. 12. Apoc. 3.

Ioan. 6.

Nota antiquiſſimum vſum circunferendi ſacras reliquias.

illc

ille inquit: Facile eſt: accipe tuum calamum & tempera, feſtinanterque ſcribe. & ille hoc fecit.

A Nona hora dixit mihi: Quædam pretioſa in mea capſella habeo, id eſt, piper, oraria & incenſa. Sed curre velociter, & adduc presbyteros noſtri monaſterij ad me, vt ego munuſcula, qualia mihi Deus donauit, illis diſtribuam. & hoc cum tremore feci: & præſentibus illis, locutus eſt ad eos, vnumquenque monens & obſecrans pro eo Miſſas & orationes diligenter facere. & illi, Libenter, reſponderunt. Lugebant autem & flebant omnes, maximè autem in verbo quod dixerat, quia æſtimaret quòd faciē eius ampliùs non multùm in hoc ſeculo eſſent viſuri. Gaudebant autem de eo, quòd dixit, Tempus eſt, ſi ſic factori meo videtur, vt ad eum modò abſolutus ex carne veniam, qui me quando non eram ex nihilo formauit. Multum tempus vixi, beneq; mihi pius iudex vitā meā præuidit. Tempus abſolutionis meæ propè eſt: etenim anima mea deſiderat regem meum Chriſtum in decore ſuo videre. Sic & alia multa vtilitatis cauſa ad ædificationem noſtram locutus, in lectica diem vltimum vſque ad veſperum duxit. En petit vir ſanctus pro ſe defuncto orari.

Et præfatus puer Vuilberth adhuc dixit: Magiſter dilecte, reſtat adhuc vna † non deſcripta. At ille, Benè, inquit, conſummatum eſt: veritatem dixiſti. Accipe meum caput in manus tuas, quia multū me delectat ſedere ex aduerſo loco ſancto meo, in quo orare ſolebam, vt & ego ſedens patrē meum inuocare poſſim. Et ſic in pauimento ſuæ caſulæ decantans, Gloria patri & filio & ſpirituiſancto &c. vltimū è corpore exhalauit ſpiritum, atq; vt ſine dubio credendum eſt, quòd pro eo quia hîc ſemper deuotiſſimus in Dei laudibus laborauerat, ad gaudia deſideriorū cæleſtiū anima eius ab angelis portaretur. Omnes aūt, qui audire vel videre obitū Bedæ patris noſtri valebant, nunquàm ſe vidiſſe alium in tam magna deuotione atq; tranquillitate vitā ſuam finîſſe dicebant: quia ſicut audîſti, quouſque anima eius in corpore fuit, Gloria patri, & alia quædam ad gloriam Dei cecinit, & expanſis manibus Deo gratias agere non ceſſabat. Scire autem debes, quia adhuc multa narrari & ſcribi poſſunt de eo, ſed nunc breuitatem ſermonis ineruditio meæ linguæ facit. At tamen cogito, Deo adiuuante, ex tempore pleniùs de eo ſcribere, quæ oculis vidi, & auribus audiui. † Deeſt fortè, pagina, aut aliud. Migrat à corpore.

EIVSDEM BEATI VIRI VITA, AVTHORE IOANNE TRITTHEMIO ABBATE SPANHEMENSI, LIB. III.
De viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti, cap. 155.

BEDA monachus & presbyter in monaſterio ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum in Anglia, vir doctus & ſanctus, per ſua ſtudia toto notus in orbe, multa ad vtilitatem Eccleſiæ compoſuit volumina, de quibus in ſecundo libro iam fecimus mentionem. Hic in extremo natus orbis angulo, cùm eſſet puer ſeptem annorum, ſub magiſterio Benedicti Abbatis in præfato monaſterio nutriendus à parentibus traditur: in quo mirabiliter proficiens, Anglorum doctor clariſſimus effulſit. Anno vitæ ſuæ 19. diaconus factus eſt, 30. presbyter, ex quo tempore vſq; ad vltimum vitæ ſuæ docere aut ſcribere non deſtitit, & ſicut ipſe per ſe fatetur, nihil illi dulcius erat, quàm diuinas legere ſedulò & exponere ſcripturas. Huius doctrina tanto pretio digna habita eſt, vt Sergius Papa ab vrbe Roma Ceolfrido Abbati eius ſcripſerit in Angliam, petens eum & exhortans, vt ſine omni cōtradictione famulum Dei Bedam ad limina deſtinaret Apoſtolorum, eò quòd eius præſentia in arduis cauſis fidei, Eccleſiæ Dei valdè vtilis eſſet & neceſſaria. Iam enim fama eius ſe longè lateq; per orbē diſperſerat. Ita iam celebre erat nomen eius, vt in quæſtionibus enodandis indigeret eo ſublimitas Romana. Et tantis planè condigna laus ſtudijs, quippe qui ex eo tempore, quo legere poterat, à ſacra lectione & ſtudio minimè ceſſabat. Beda puer ſeptennis traditur monaſterio. Quantum ei fecerit Sergius Papa.

Semper mens deuota ſtudijs occupabatur ſalutaribus, quibus legit, ſcripſit vel docuit. Erat ei mos ex lectione vehementer accendi & compungi, ita vt ſæpè inter legendum & docendum lachrymas calidas effunderet. Vnde poſt lectionē vel ſtudiū ad orationes ſanctas doctor deuotus ſe cōtulit, ſciens magis Dei gratia quàm proprijs viribus ad ſcientiam perueniri ſcripturarū. O virū cunctis venerandū ſeculis, qui & mentis habitaculū orationibus, & Eccleſiā doctrinis illuſtrauit. Nullus vnq̄ nonnum Bedam vidit otioſum. Vehementiſſimè amore ſtudij ſacri æſtuabat, ita vt ne ad momētum quidem potuerit eſſe otioſus. Cùm enim ad monaſteriū puer intrâſſet, intantùm ſtudendo profecit, Optimus ſtudendi modus.

fecit, vt non ſolùm in ſacris ſcripturis, ſed etiam in ſecularibus literis vltra omnes Angliæ doctores peritiſſimus euaſerit. Scripſit de omnibus artibus, quas liberales vocant, tractatus plures atq; pulcherrimos. In extremo mũdi, vt ita dicã, poſitus Græcã linguã magna ex parte didicit, & nec Hebraicę penitùs indulſit. Habuit multos egregios diſcipulos, quos ſuo ſtudio & exẽplo ad amorẽ ſcripturarũ inęſtimabili feruore prouocabat. Nec ſolùm ſtudijs, ſed quod ijs amplius eſt, religione & ſanctitate quos docuit fecit inſignes. Fuit aũt vir per omnia magnificus, ſciẽtia & morũ honeſtate venerabilis. Charitate ſiqdem refulſit geminata ſublimis, deuotiõe p̃cipuus, caſtimonia vitę glorioſus.

Multos habuit inſignes diſcipulos.

Erat aũt decentis ſtaturę, inceſſu grauis, voce ſublimis, ore facũdus, vultu decorus, & quædam mixta iucunditati ſeueritas. Vnde bonis & deuotis erat affabilis, ſuperbis aũt & negligẽtioribus terribilis. Se ita manſuetũ & humilẽ cunctis exhibuit, vt in toto monaſterio vix haberet ęqualẽ. Quicqd aũt ſtudendo & meditãdo de ſcripturis potuit apprehẽdere, ſine inuidia cõmunicabat ijs, quos idoneos viderat, & in amore ſcientiæ ſalutaris flagrantes. De tota Anglia viri cõfluebant ad eũ, cupientes ſub eius magiſterio & morũ & ſciẽtiæ ſcripturarũ incremẽta ſuſcipere. Nã eius cõuerſatio, intuẽtibus norma totius religiõis erat & honeſti. Et qd multis nitar ſermonibus? talis ac tãtus erat vir iſte ſacratus, vt omnis laus eius virtutibus ſit ꝓrſus inferior. O vtinã tale iã ſtudiũ amarent monachi: q̃ felix eſſet ſtatus religionis. Amator veræ ſciẽtię erat is, de quo loqmur: qui non bathologiã, ſed virtutẽ in ſtudio quærebat. Nã incurioſi fuit, ſed dulcis eloquij.

Eius humilitas & manſuetudo.

Tandẽ poſt multos labores, quos ſcribẽdo & docẽdo impẽderat, animo toto ſuſpirãs ad patriã, debilitatẽ incidit, continuiſq; ſeptẽ hebdomadibus ante mortẽ, ſtomachi indignatione cibos nauſeãtis laborãs, & anguſto ſpiritu halitũ producẽs, ſtudiũ tamen literarũ nequaq̃ obmiſit, ſed totis ijs diebus (præter debitũ Pſalmodiæ penſum) illi intendebat, Euangeliumq; Ioannis ijs diebus Anglica lingua interpretatus eſt. Diſcipulis aũt diſcendi amorẽ ingerẽs, dicebat: Diſcite filioli, quamdiù vobiſcũ ſum. Feria autem tertia ante aſcenſionẽ Domini modicus tumor in pedibus apparuit: tunc accita congregatione, cõmunicatus & inũctus eſt, oſculoq; cunctis libato, futurã ſuî memoriam à ſingulis implorauit. Nonnullis etiam ob familiarẽ amicitiã xeniola, quæ in ſecretis habebat, largitus eſt. Die aſcẽſionis Domini cõtra oratoriũ, quo orare cõſueuerat, ſubiecto cilicio decũbens, illibato ſenſu & hilari vultu dicebat: O rex glorię Domine virtutũ, & cętera vſq; in finẽ antiphonæ. Qua finita ſpiritũ efflauit. Mox tã ſuauiſſimus odor ſub ſecutus eſt, vt oẽs qui aderant, in paradiſo ſe eſſe putarent. Huius Epitaphium eſt tale:

Laborat è ſtomacho & pectore.

Sacramẽtis ſe munit.

Abit in cælum.

Preſbyter hîc Beda requieſcit carne ſepultus.
Dona Chriſte animam in cælis gaudere per æuum,
Daque ſophiæ illum debriari fonte, cui iam
Suſpirauit ouans intento ſemper amore.

Fuit primò ſepultus in cœnobio ſuo, ac poſteà cum ſancto Cuthberto in Dunelim tranſlatus dicitur. Obijt anno Domini 733. ætatis verò ſuæ 72. ſub Leone Imperatore. cuius natale 7. Calendas Iunij colitur.

GESTA ANTHIMI PRESBYTERI, SISINNII DIACONI, ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM, VT IN ANtiquis MS. Codicibus habentur, quibus etiam adſtipulantur vetuſtiſsima Martyrologia & Sermo Petri Damiani, quem huic hiſtoriæ ſubiunximus. Stylus hincinde nonnihil caſtigatus eſt per F. Laurentium Surium, omiſsis quibuſdam, quæ parùm ad hiſtoriam facere videbantur.

Maij 11.

SERGIVS Terentianus illuſtris vir, ſecundò Vrbis Præfectus * Protinã neptẽ Galieni Auguſti, natam ex Galla filia eius, accepit vxorem, quæ peperit Claudium, Pompeianum & Lucinam, quam voluit nubere Fulconi Piniano. Is verò Pinianus, cùm Lucinam duxiſſet vxorem, miſſus eſt, acceptis à Diocletiano & Maximiano Auguſtis codicillis, vt ageret Aſiæ proconſulem. Habuit verò à conſilijs Cheremonem quendam, hominem mente ſacrilega & valdè peruerſum: qui cùm multiuarijs tormentorum generibus interimeret Chriſtianos, à malo dæmone arreptus, de carruca publicè corruens, per multa horarum ſpatia vexatus eſt

Chęremon à diabolo arreptus, expirat.

eſt à nequam ſpiritu, & tandem ſanctos inuocans, quos interfecerat, expirauit. Quod vt vidit Pinianus, nimio terrore correptus, in morbum incidit, quem medici dicerēt nullam prorſus admittere curationem. Cernens autem Lucina prudentiſſima matrona hunc ei morbum accidiſſe, quòd Chriſtianorum cædibus eſſet pollutus, & aditum in ſe patefeciſſet inimico, perquiſiuit Confeſſores Chriſti, qui tenebantur in vinculis, curauitque eos ad ſe clàm adduci: in quibus erant S. Anthimus presbyter & Siſinnius diaconus, alijque religioſi viri, Maximus, Baſſus, Fabius, Diocletius & Florentius: ijſque dixit Lucina: Detis operam, vt maritus meus liberetur hac ægritudine, & ego vobis ampliſſimo munere honoratis, liberè hinc abſcedēdi faciam poteſtatem. Ait ad eam Anthimus: Si vis virum tuum ſaluum & incolumem, hortare eum vt fiat Chriſtianus, & continuò ſoſpitem videbis. Illa mox ingreſſa ad Pinianū, dixit ei: Quotquot te hactenùs non ſolùm medici, ſed etiam archiatri viderunt, omnes vno ore teſtati ſunt, nulla te ratione poſſe euadere. Ego verò quoſdam inueni viros, qui ſe quidem nihil abs te accepturos affirment, ſed hoc tantùm aſſerant, ſi velis fieri Chriſtianus, ilicò te poſſe optata gaudere ſalute. Pinianus his auditis: Oportet, inquit, valdè illum deſipere, qui non credat eum verum eſſe Deum, qui poteſt deſperatam reddere ſalutem, & ad vitam illos reuocare, quibus iam ſepultura parata eſt. Pinianus in morbum incidit grauiſſimum.

Lucina itaq; egreſſa, introduxit Anthimum presbyterum & Siſinnium diaconum, hortabaturque eos ſedere in cubiculo, vbi iam ſemianimis decumbebat Pinianus. At illi dixêre Piniano: Non huc ſedendi cauſa ingreſſi ſumus, ſed aliquid faciendi, vnde cureris. Ait Pinianus: Detis ergo operam, vt poſſim his febrium doloribus liberari. Anthimus presbyter dixit: Faceſſant hinc artes medicorum, vbi ſola Chriſti virtus operabitur. Pinianus ait: Succurrat ille mihi per vos, vt poſſim credere, eum ſolū eſſe omnipotentem Deum. Anthimus dixit: Præpara pectus tuum, vt credas ea quæ dicturus ſum tibi: & vbi credideris, ſaluus eris. Pinianus ait: Ego ſi non toto corde crediſiſſem, non vos ad me ingredi paſſus eſſem. Anthimus dixit: Audi ergo, quid credere debeas. Is, quem nos colimus, vnus Deus eſt, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt. Et hic Deus, Verbum ex ore ſuo protulit virtute plenum, quo verbo cæli firmati ſunt, ſicut Spiritu oris eius omnis virtus eorum: à quo congregatæ ſunt ſicut in vtre aquæ maris, & poſitę quaſi in theſauris abyſſi. Cùm ſit autem trinus Deus, in quem oportet credere, tamen vnus eſt: Pater, qui eructauit ex corde Verbum bonum: Filius, qui eſt Verbum, quod eructauit, per quem facta ſunt omnia: ſanctus quoque Spiritus, à quo vniuerſa animantur. Ex omnibus autem creaturis Deus hominem creauit ad ſimilitudinem ſuam, cui etiam legem præfixit, quam ſi ſeruaret, vita frueretur ſempiterna. Sed inuidus dæmon peſtifera ſuaſione effecit, vt legem illam tranſgrederetur: quæ res mortem ei attulit. Itaque Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, id eſt, filius Dei, dignatus eſt humanam naturam ſuſcipere, & naſci ex virgine: & cùm eſſet ei par omninò cum patre poteſtas & virtus, omnes diaboli tentationes vicit; & tandem ad Crucis vſque lignum perduci & in illud ſuffigi ſe paſſus eſt, vt lignum præuaricationis ligno paſſionis excluderet, & vitam, quam homo peccando amiſerat, pro peccatoribus moriendo repararet. Surrexit autem tertia die à mortuis, & diſcipulis ſuis per dies quadraginta apparens, dedit eis poteſtatem in ipſius nomine pellendi dæmonia, ęgris manuum impoſitione reformandi ſalutem, dolores & morbos omnes curandi, mortuos quoque ad vitam reuocandi. Ad extremum cùm illos ad montem perduxiſſet, videntibus illis aſſcendit in cælum. Stupentibus autem eis, apparuêre angeli, qui & dixerunt: Quid ſtatis adſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodùm vidiſtis eum euntē in cælum. In eius ergo nomine manum tibi imponimus, credentes completurum eum promiſſa ſua. Sūma quædam fidei Chriſtianæ. Pſal. 32. Pſal. 44. Iohan. 1. Gen. 3. Actor. 1. Matth. 10. Actor. 1.

Tum verò Pinianus, extendens manus ſuas in cælum, ita dixit: Chriſte, quem hactenùs ignoraui quis eſſes, quem nunc demum cognoui ex horum ſermone, qui te nouerunt: en etiam antequàm fiam Chriſtianus, te confiteor, & credo te mihi redditurum ſanitatem, quam medici omnes aſſeuerāt nullo pacto mihi poſſe reſtitui. Proſtrauerunt autem ſe Anthimus presbyter & Siſinnius diaconus, & vnanimiter in preces incubuêre. Atque ecce illis orantibus, ſubitò fulgor luculentus emicuit, & dimidia ferè hora illic permanens, paulatim abſceſſit. Surgentes autem Anthimus & Siſinnius, dixerunt Piniano: Exurge. Viſitauit enim te Chriſtus filius Dei, cui credidiſti. Et ſtatim erigens ſe, ſedit in lecto ſuo, & quaſi pede tentans, deſcendit ex illo, cœpitque ſtans mouere ſeſe: cumque incolumem ſe ſentiret, voce clariſſima dixit: Verus Deus tu es Pinianus curatur, & Chriſtum confitetur.

Chriſte,qui me deſperatum ſaluti integræ reſtituiſti. Acciti ſunt autem etiam illi, qui in carcere adhuc erant, Maximus, Baſſus, Diocletius & Florentius: ſimulque orantes, Pinianum & Lucinam coniugem eius ſermone veritatis & perfectionis imbuerunt. Exactiſque ſeptem diebus, quibus eos docuerunt myſterium Chriſti, baptizauerunt eos & omnes eis familiaritate coniunctos. Manſit autem Pinianus poſt recuperatam ſanitatem in functione ſua annum vnum: atque interim Chriſtianos omnes à metallis & ergaſtulis atque cuſtodijs ad ſe curauit adduci, eorumque ex Anthimi & Siſinnij inſtitutione pedes lauit, manus oſculatus eſt, & ſuppeditato ſumptu atque vehiculis, ad propria dimiſit eos gratulabundos. Iam autem fama eius in vulgus ſeſe diffundente, in vrbe dicebatur: Pinianus huc ſecum Chriſtianos adduxit. Et quia multi erant, & ſimul vno in loco degere non poterant, diſtribuit eis manſiones per prædia ſua & vicinam prouinciam, vbi ampliſſimas habebat poſſeſſiones apud Auximum oppidum. Et prædium quidem vnum attribuit Siſinnio diacono, Diocletio & Florentio, quibus permulti alij aderant, pariter vacantes Deo, & ſine vlla moleſtia in Chriſti laudibus triennio verſantes. Hoc autem ordine Siſinnius, Diocletius & Florentius ad palmam martyrij peruenêre. Erat ibi conuentus hominum eorum, qui ſacrificantes ſemel poſt annos tres, dicebant ſibi reddi reſponſa. Cùm ergo illi conueniſſent, & ſolitas impietates ſceleratis offerendis ſacrificijs exercerent, talia feruntur accepiſſe reſponſa: Niſi ſacrificarent Siſinnius, Diocletius & Florentius, non poſſe illos ſolito more oracula edere. Itaque à populo tracti violenter, cùm ſacrificare contemnerent, lapidibus interfecti ſunt, & ſub ipſo monte ſic, vt erant lapidibus obruti, derelicti. Eum autem locum poſt diſceſſum malignæ plebis repurgârunt Chriſtiani, & ſanctos martyres illic condiderunt: vbi ſanè orationes eorum exuberant beneficijs ſuis vſque in præſentem diem.

Baptizatur cum ſuis. *Bonis operibus ſtudet.* *Cædes Siſinnij, Diocletij & Florêtij.*

Porrò Anthimus preſbyter non longè ab Vrbe via Salaria latitabat apud prædia Piniani. Accidit autem, vt ruſticis Syluano ſacrificantibus, is, qui erat eorum ſacrificiorum author, à diabolo arreptus fureret, omneſque ipſi occurrentes gladio cæderet. Cumque omnes fugerent, perlatum eſt ad Anthimum, iam multos ab illo homine furioſo peremptos & cæſos eſſe. Anthimus itaque orans & commendans ſe Deo, occurrit ei & dixit: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti ſta vinctus catenis ſpiritalibus, & abijce gladium, quem ad hominum faciendas cædes corripuiſti. Ad hanc vocem ſtetit ille fixus, ſtatimque tenuit eum Anthimus preſbyter, & duxit ad ſuum domicilium, precibuſque & ieiunijs vacans, intra tres dies ita eum menti ſuæ reſtituit, vt etiam Chriſtianum efficeret. Credidit autem etiam vxor eius & filij, multique alij eius opera conuerſi crediderunt, adeò vt lucum illum Syluano dicatum ſecuribus cæderent, & aras eius ſubuerterent, hanc ei vicem reddentes, quòd dæmone infeſtante homines innoxij fuiſſent iugulati. At verò populus incredulus illac tranſeuntem Priſcum conſularem tenuit, indicauitque ei ab Anthimo preſbytero euerſa eſſe ſimulacra omnia, lucoſque omnes incenſos. Iuſſit igitur Priſcus eum comprehenſum ad ſacrificandum compelli. Sed cùm importunitatem & minas eorum contemneret, ligato ad collum eius ſaxo, in medium Tyberim eum iactauerunt. Angelus autem Domini apparuit ei, & ruptis vinculis, reduxit eum in cellam oratorij ſui. Altero manè viderunt gentiles more ſolito venire Chriſtianos ad eum, illiſque inſultantes & illudentes, dixerunt: Ite ad Anthimum veſtrum. iacet enim merſus in profundo Tyberi. Reſpondebant Chriſtiani: Nos Anthimum Chriſti ſeruum ſanum vidimus, nobiſque pro more benè precatus eſt prorſus incolumis & illæſus. Dixerunt ergo ethnici illi intra ſe: Nos eum ita traximus, vt membris omnibus attritus ſit, noſtriſque manibus ligato ad collum ſaxo in Tyberim eum præcipitem egimus: quid eſt igitur, quòd hæc iſti affirmant? Ingreſſi verò ad eum, viderunt eum ſaluum & ad populum concionantem. Eo ſpectaculo attoniti plerique omnes, qui eum in Tyberim demerſerant, ad genua eius ſeſe abijciunt, ductique pœnitentia, baptizantur. Cùm autem reuertiſſet Priſcus conſularis, delatus eſt apud illum Anthimus preſbyter, quòd non modò non potuerit interfici, ſed etiam omnes illos, qui eum extinguere conati eſſent, ad Chriſti religionem traduxerit. Iuſſit ergo Priſcus illum ſibi ſiſti, & cùm triduo vinculis & minis atque terroribus illum pertentâſſet, nec vlla poſſet ratione eò permouere, vt idolis immolaret, iuſſit eum capite cædi. Tulerunt autem corpus eius illi, quos conuerterat ad Dominum, & in oratorio ipſius condiderunt.

Furioſus ſanatur ab Anthimo. *Anthimus iactatur in Tyberim, ſed ab Angelo educitur.* *Multi credunt.* *Anthimus interficitur.*

Eo vita functo, Maximum venerari cœperût, qui Anthimi fuerat amicus perquam familia-

ſamiliaris, dixeruntque Priſco conſulari: Inimice Dei & Chriſtianorum, ecquid inde lucri nactus es, quòd Anthimū peremiſti? En plures ad ſe inuitat Maximus, eius amicus. Miſit ergo Priſcus apparitiores, qui Maximum compræhenderent. Reſiſtente autem populo & prohibere volente, dixit eis Maximus: Nolite filioli impedire profectionem meam. ſicque conſtanter & intrepidus abijt ad Priſcum, qui hunc in modum ei locutus eſt: Túne es ille, qui Principum cæremonias euertis, & prouinciales omnes à deorum cultu abſtractos, ad tuum Deum adducis? ſimulque ira commotus, iuſſit eum fuſtibus cædi & ad ſacrificia compelli. Sed vt vidit eum in Dei timore fixum permanere, itidem capite damnauit. Rapuerunt autem Chriſtiani corpus eius, & in loco, vbi orare conſueuerat, tumulârunt. In eodem verò loco Baſſus permanens, hortabatur Chriſtianos, vt in Sanctorum paſſionibus lætarentur potiùs quàm lugerent. Accidit inde, vt multi confluerent ad mercatū, qui tum habebatur eo loco, quem Forum nouum vocant, fierentque ſacrificia Baccho. Quidam igitur Baſſum appræhendentes, dixerunt ei: Sacrifica deo Libero, qui nobis dat vberes vineas, & deæ Cereri, quæ meſſes fertiles largitur. Quibus Baſſus reſpondit: In cælo Deus eſt, qui dat pluuiam matutinam & ſerotinam, idemque ipſe ſuppeditat nobis omnia, vitæ degendæ neceſſaria. Hæc autem ſimulacra prorſus inanima & muta ſunt, & neque ſibi poſſunt, neque alijs opitulari. Atque hæc dicens, inſufflauit in illa, & mox ceciderunt & confracta ſunt. Id vt populus vidit, irruerūt in eum, & pugnis, calcibus, fuſtibus tam diù eum ceciderunt, donec exhalaret ſpiritum. Fabium verò tradiderunt Priſco, à quo diuturna maceratus cuſtodia, cùm omninò reſpueret ſacrificia dæmoniorum, item capite punitus eſt. Atque ita omnes iſti, Anthimus, Maximus, Baſſus & Fabius illis locis cæſi ſunt, in quibus orare conſueuerant via Salaria, quæ mittit ad Picenum. Porrò Siſinnius & Diocletius & Florentius eo in loco humati ſunt, quo lapidibus obruti fuêre, iuxta Auximum oppidum. Eorum autem martyrio multùm gratulabatur Pinianus illuſtriſſimus & Chriſtianiſſimus, qui cum bona fide migrauit ad Dominum.

Maximus verberatur, & inde capite plectitur.

Baſſi cædes.

Item Fabij.

Lucina autem coniunx eius, iam marito orbata, diu noctuque in precibus & lectione perdurans, caſtiſſimum Deo exhibuit famulatum. Et erat illa quidem elegans corpore, ſed elegantior ſanctitate. Cùm autem ſupra vires ſe afficeret inedia, & triduanis ieiunijs maceraret, apparuit ei S. Sebaſtianus martyr Domini, indicauitque ei locum, in quem ipſius corpus ſacrilegi abiecerant. Quod vbi illa ex eo loco extractum ſepeliuit, referebat ſe à S. Sebaſtiano admonitam, vt iuxta Apoſtolicam præceptionem vino modico vteretur, & quotidiano eſſet contenta ieiunio, tumque cibum ſumeret, quando ad eam venientes ſacerdotes Domini, qui cauſa perſecutionis latitabant, Miſſas facerent, & ipſa ab eis benedictionem percepiſſet. Cùm autem cæſi eſſent Simplicius & Fauſtinus via Portuenſi, ſoror eorum Beatrix eos ſepeliuit, atque deinde ſe contulit ad venerabilem Lucinam, manſitque cum ea menſibus ſeptem.

Lucinæ religioſa vita.

1. Tim. 5.

Intereà prædium quoddam Beatricis huius & fratrum eius Simplicij & Fauſtini, vicinus quidam poſſeſſor Lucretius nomine, concupiuit. Curauit igitur compræhendi Beatricem, & duci ad ſacrificandum. Cùm autem illa conſtanti animo recuſaret, iuſſit eam noctu à ſeruis ſuis præfocari: eam verò S. Lucina apud fratres eius ſepeliuit. Porrò Lucretius occupato illo prædio, fecit in eo conuiuium amicis ſuis, inſultans ſanctis martyribus. Ecce autem inter epulas cuiuſdam fœminæ infans in has voces erumpit: Audi Lucreti. Occidiſti, & inuaſiſti: itaque datus es in manus inimici. Ad quę verba expalluit Lucretius, & tremore correptus eſt: moxque ſatanas in eum ingreſſus in ipſo conuiuio, per tres horas vexauit eum, donec impium exhalaret ſpiritum. Tantus autem timor inuaſit eos, qui illi conuiuio intererant, vt ſimul omnes ad Chriſtianos confugerent, & fierent etiam ipſi Chriſtiani, paſſimque omnibus narrarent, cædem S. Beatricis in conuiuio vindicatam.

S. Beatrix præfocatur in carcere.

Lucretius diuinitùs punitur.

Lucina autem fugam meditante propter perſecutionis acerbitatem, apparuit ei S. Beatrix, hortataque eſt ne fugeret, dicens illo ipſo menſe pacem Eccleſiæ Dei reſtitutum iri. quod etiam factum eſt. Vixit autem S. Lucina ad annos nonagintaquinque, ſemper eleemoſynis, precibus, ieiunijs, hymnis & canticis vacans, in fide, caſtitate & omni ſanctitate perſeuerans, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO B. PETRI DAMIANI IN FESTIVITATE EIVSDEM S. ANTHIMI MARTYRIS.

CVm beati Anthimi,fratres chariſſimi,triumphalia geſta recolimus, triumphantis in eo Chriſti victorias celebramus.Ille ſiquidem in eo pugnabat,ille ſuperabat,qui & fidei conſtantiam præbebat animo, ne ſupplicijs cederet,& verba vitæ labijs ſuggerebat, vt infideles & Matt.10. perditos ab errore veteris perfidię reuocaret. Nō enim, inquit, vos eſtis,qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri,'qui loquitur in vobis. Stringebatur corpus loris nexuum, ſed verbum Dei nō erat alligatum.Horrebat tenebris carcer anguſtus, ſed mens atria ſupernæ claritatis inhabitans, Epheſ.2. beato lumine fruebatur,dicens cum Paulo: Quos reſuſcitauit, conſedere fecit ſecum 2.Cor.4. in cæleſtibus.Liuebant membra plagis verberum,ſed aiebat: Licèt is,qui foris eſt, noſter homo corrūpatur,ſed is qui intus eſt,renouatur de die in diem. Cum talibus armatis noſter Ieſus aſcendit in prælium, defuncto Moyſe,& Iordane trāſmiſſo, ceſſante ve- Luc.16. teris legis obſeruātia,& percepro baptiſmatis ſacramēto.Lex enim & Prophetæ vſque ad Iohannē,vt videlicet illic legi veteris teſtamēti finis occurreret,vnde nouæ gratię lauacrum profluēdi ad ſalutē hominum originē inueniret. Ieſus itaq; ille Iſraëlitice plebis dux,noſtrum verū Ieſum humani generis Saluatorem,& vocabulo præfigurauit,& facto. Mittitur ille ad perdendas gentium nationes: venit hic ad debellandas aëreas Ioſ.2. poteſtates.Mittit ille Hierico duos exploratores: dirigit iſte in hunc mundū ſub eiuſ- Luc.10. dem numeri ſacramento ſuos prædicatores. Miſit enim (teſtante Euangelio) binos & binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum,quò erat ipſe venturus. Mittebantur illi,vt locorum ſitus ſolicita curioſitate perquirerent: miſſi ſunt iſti, vt venienti Ieſu viam fidei in humanis cordibus præpararent. Illi in Rahab meretricis hoſpitio recipiuntur: iſti apud Eccleſiam Gentium, quæ cum idolis fornicata erat, requieſcunt. Ioſ.2. Porrò Rahab coccineum funiculū,ſanguinei videlicet coloris,in feneſtra propriæ domûs appendit: & ſancta Eccleſia in feneſtra ſuæ domûs quodāmodò ruborem ſanguinis ponit,dum & paſſionē Chriſti publicè confitetur in voce, & ſignum Crucis palàm Cant.4. portat in fronte. Vnde benè ſponſus ad ſponſam dicit in Canticis: Sicut vitta coccinea Labia ſponſę,doctores Eccleſiæ. labia tua,& eloquiuum tuum dulce.Quid enim labia ſponſæ, niſi doctores intelliguntur Eccleſiæ? Coccus autem ſanguinis habet ruborem,vel ignis ſpeciem,quod ſignificat charitatem. Labia ergo Eccleſiæ,hoc eſt, prædicatores ſancti, coccineæ vittæ ſunt ſimiles,quia mortem Chriſti iugiter prædicant,cumque pro charitate generis humani Crucis ſubijſſe patibulum conſtanter affirmant.Et benè per vittam coccineam,prædi- Vitta coccinea. catorum ordo ſignatur.Vitta ſiquidem capillos ligat,in vnumque conſtringit: & ſancti Doctores in vnitatem fidei prædicatione ſua fidelium colligunt multitudinē,atque in vnum redigunt ſub mutuæ charitatis compage decorem. Poſtremò quiſquis extra domum illam inuentus eſt,gladios non vitauit: quicunque etiam ab Eccleſiæ limite, qui fides eſt,exterior fuerit,periculum proculdubiò mortis incurrit.

Extra hanc domū ſacrilegus ille Chęremon inuentus eſt, qui acceptis ab imperiali tyrannide codicillis,dum contra Chriſtianos veſana rabie fureret, eorumque necem cruentis dentibus eſuriret,à dæmonio repentè correptus,de vehiculo corruit,diuque vexatus,dum ſanctos inuocaret,quos ipſe laniauerat,expirauit. Ad hanc domum Pinianus confugiū fecit,qui mox vt per beatū Anthimum verbum ſalutis audiuit, credens in Chriſtum,omnem moleſtiam deſperati languoris,quem patiebatur,euaſit. Et benè factus transfuga,dum victoris Ieſu caſtris applicuit,peregrinus in domeſticum tranſijt, & Iſraëliticam dignitatem alienigena ſubintrauit. In ore quippe beati martyris Anthimi, tanquam ex feneſtra domûs, coccineus quodāmodò funiculus dependebat,quia trophæum Crucis Chriſti omnibus notū facere non ceſſabat. Præterea beatus Anthimus,cuius iā per multa certamina teſtabatur terra victorias,vt & in alio elemento nobilis eius palma clareſceret,in Tyberini gurgitis fluēta demerſus eſt. Et vt artifex carnificū rabies nihil dimitteret intentatū,ſaxea corda geſtātes,pondus alligāt ſaxi,minùs fi- S.Anthimus non mergitur in Tyberi. dentes corporeæ grauitati. Sed fruſtrà lapidea moles aggrauat,quē penna meritorum leuat. Aliena peruerſitas inaniter deprimit,quē ſublimia petens ſanctitatis propriæ virtus extollit. Felix ille vinctus,qui dum humano ſolatio deſtituitur, ne puſillanimis fiat, Angelitùs viſitatur. Felix, inquam, naufragus, qui vt de voragine pelagi ad ſtationem litoris reportetur, non terreni remigis officio fruitur, ſed cæleſtis nuncij vehiculo baiula-

baiulatur. Angelus enim Domini veniens (vt in ipſa paſſionis eius narratur hiſtoria) & vinculum ſoluit, & beatum martyrem ad orationis ſuæ cellulam reuocauit.

Imitemur hunc egregium virum dilectiſſimi, ſanctè viuendo, carnis incentiua frenando, mundi gloriã contemnendo. Beati nos martyres in operatione præcedant, vt ſancti Angeli nobis in tribulatione ſuccurrant. Delicatus ſiquidem miles eſt, qui antè vult triumphare, quàm arma conſerere: priùs triturare, quàm rura proſcindere. Imitari debemus ſanctorũ martyrũ opera.

Deſunt nonnulla.

Inter hos ſanè principes & cęleſtis militię bellatores beatus Anthimus inſignis enituit, quòd & cruentis impiorum manibus in perſecutione non ceſſit, & in pace poſitus, inſurgentium portenta vitiorum ſpiritali virtutum mucrone truncauit. Carnis ſuæ membra tormentis expoſuit, interioris hominis viſcera illæſa ſeruauit. Caput non timuit ferueuti gladio ſubdere, vt Chriſto capiti mereretur inſeparabiliter adhærere.

Hîc deeſt aliquid.

Imitemur, dilectiſſimi, fidem martyrum, per quam vincentes regna terrarũ, adepti ſunt præmia promiſſa cælorum. Sit ergo fides noſtra ſolida, ſit vera, ſit robuſta, vt nunc eundo per fidem, perueniamus ad ſpeciem: nunc videndo per ænigmatis ſpeculum, quandoque perducamur ad ipſius ſummæ veritatis obtutum, vbi nunc beatus martyr Anthimus, depoſita ſarcina corruptibilis carnis, ſtolam adeptus eſt Angelicę claritatis. Ecce enim inter ignitos ſupernæ Hieruſalem lapides emicat. Ecce inter purpuratas martyrum legiones victor & coronatus exultat. Conſummato quippe glorioſi certaminis curſu, eundem ipſum in præmio remunerationis accepit, qui factus eſt & precium cùm redemit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Heb. 11.

DE S. MAMERTO VIENNENSI EPISCOPO, EX ADONE AEQVE VIENNEN. EPISCOPO, ET GREGORIO

Turonenſi. Non eſt autem, quòd putet lector, nos hîc vitam eius edere, ſed propter Litanias illas ſolennes, quæ ante Chriſti Aſſcenſionem fiunt in Dei Eçcleſia, pauça hæc ex memoratis Patribus deſcripſimus, quæ tum ad eius declarandam ſanctitatem faciunt, tum etiam ad Litaniarum harum oſtendendam antiquitatem.

MAmertus Viennenſis epiſcopus inſigniſſimus habetur. Qui inter alia mirifica, ob imminentẽ cladẽ ante Aſſcenſionem Domini ſolẽnes inſtituit litanias. Sic Ado in Chronicis Aetate 6. Anno 396. Idem rurſus eadẽ ætate, Anno 452. Clodoueus rex poſt victoriã Alemãnorũ, 15. anno regni ſui credens baptizatur. Inde Burgundiã ſibi ſubegit, & Gundobaldum atq; Gundegiſilum fratrẽ eius ad tributa coëgit. Hoc tempore beatiſſimus Mamertus Viennẽſis epiſcopus cladẽ imminentem lachrymis & precibus ſuis à Viennenſium vrbe remouit. Siquidem incẽdia crebra, terræmotus aſſidui, nocturni ſonitus cuidã totius vrbis funeri prodigioſum quiddam ac ferale minantes: populoſis hominũ conuentibus domeſtica ſylueſtrium ferarum ſpecies obuerſabatur: lupi, vrſi, ac cerui naturaliter pauidi, per anguſta portarum vſque ad fori lata penetrabant. Quid multis? Imminente ſolennitate vigiliarum, qua celebrari feſtum Dominicæ Reſurrectionis annua conſuetudo poſcebat, ædes publica, quam præcelſo ciuitatis Viennenſium vertici ſublimitas in immenſum faſtigiata ſuſtulerat, flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit. Interpolatur nuncijs diſcriminis iucunditas * ſublimitatis: pleno timoribus populo, eccleſia vacuatur. Omnes nanque ſimilem facultatibus vel domibus proprijs caſum de quadam præminentis incendij arce metuebant. Perſtitit tamen coram feſtiuis altaribus inuictus antiſtes S. Mamertus, & calorem fidei ſuæ accendens flumine lachrymarum, permiſſam ignibus poteſtatem incendio abſcedente compeſcuit. Deſperatione depoſita, redit ad eccleſiam, in eaque vigiliarum nocte ſancti Paſchæ concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus definiuit, quicquid hodiè pſalmis ac precibus mundus inclamat. Hactenùs Ado, cui valdè conſentanea ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſtoriæ Francorum, cap. 34. in hæc verba:

Maij 11. Clodoueus rex baptizatur. Clades Viennenſium. * ſolennitatis legendũ puto. Litaniarum inſtitutio.

Magnæ facundię beatus Auitus refert in quadam Homilia, quam de Rogationibus ſcripſit, has ipſas Rogationes, quas ante Aſcenſionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto, ipſius Viennenſis vrbis epiſcopo, cui & hic eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe, dum vrbs illa multis terreretur prodigijs. Nam terræmotu frequenti quatiebatur: ſed & ceruorum atque luporum feritas portas ingreſſa, totam, vt ſcripſit, vrbem nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererētur, aduenientibus Paſchalis ſolennitatis diebus, expectabat miſericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ ſolennitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipſa glorioſę noctis vigilia, dum Miſſarum celebrarentur ſolennia, ſubitò palatium regale intramuraneum diuino igne ſuccenditur. Pauore omnibus perterritis, & eccleſiam egreſſis, credentibus ne aut hoc incendio vrbs tota conſumeretur, aut certè diſrupta tellure dehiſceret: ſanctus ſacerdos proſtratus ante altare, cum gemitu & lachrymis Domini miſericordiam imprecatur. Quid plura? Penetrauit excelſa poli oratio pontificis inclyti, reſtinxitque domûs incendium flumen profluentium lachrymarū. Cumque hæc agerentur, appropinquante Aſcēſione, vt iam diximus, maieſtatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, oſtendit orandi modum, edendi ſeriem, erogandi hilarem diſpenſationem. Ceſſantibus quoque exinde terroribus, per cunctas prouincias diſperſa facti fama, cunctos ſacerdotes imitari commonuit, quod ſacerdos fecit in fide. Quæ vſq; nunc in Chriſti nomine per omnes eccleſias in compunctione cordis & contritione ſpiritûs celebrantur. Ita Gregorius Turonenſis. Meminit harum Rogationum etiam Sidonius lib.5. Epiſt.14. inter cætera dicens: Rogationum ſolennitatem primus Mamertus pater & pontifex reuerendiſſimo exemplo, vtiliſſimo experimento inuênit, inſtituit, inuexit, in quibus ieiunatur, oratur, pſallitur, fletur. Vide plura apud eundem lib.7. Epiſt.1.

S. Mamertus ſuis precibus Deum placat.

VITA S. GANGVLPHI MARTYRIS, SCRIPTA A QVODAM EX FIDELI ALIORVM RELATIONE,

ſed interdum verboſiùs. Itaque & ſtylus paſsim nonnihil mutatus eſt, & pleraque compræhenſiùs reddita per F. Laur. Surium. Extat in antiquis iiſque egregijs MS. Codicibus.

PROLOGVS AVTHORIS.

VENERANDA beatiſſimi Gangulphi, Confeſſoris Chriſti & martyris commemoratio, literis venit conſignanda: qui poſt priſcos illos ſanctos eorum imitatione clarus exiſtens, tanquam iubar ſplendidiſſimum in orbe refulſit. Et licèt inſtituto laicus fuerit, at tamen contra antiqui hoſtis tentationes pugnauit viriliter, & tandē vt emeritus miles, cum triumpho bonorum operum migrauit ad illam patriam verè beatam, felicitate fruiturus ſempiterna. Verè beatum illum & glorioſum, qui mundo iam in deteriora prolabente & plurimis à via veritatis exorbitantibus, à iuſtitiæ recto itinere non deflexit. Cuius tota conuerſatio rectè viuendi alijs exemplum fuit: cui cum Apoſtolo viuere Chriſtus fuit, & mori lucrum: qui denique conuenienter Propheticæ admonitioni, ſpiritale canticum in tuba ductili & voce tubæ corneæ iugiter Domino modulatus eſt. Tuba ductilis, quæ crebris ictibus ex metalli maſſa producitur, carnis mortificationem ſignificat. Itaque ille Deo in tuba ductili canit, qui carnem ſuam crucifigit cum vitijs & concupiſcentijs, qui caſtigat corpus ſuum & in ſeruitutem redigit, vt diſciplinis cæleſtibus extenuatum & productum, ſupernam poſſit edere melodiam. Tuba autem cornea, cæleſtem deſignat conuerſationem. Cornu enim ex carne naſcitur, ſed carnem excedens, carneam mollitiem mutat in oſſeam firmitatem. Pſallit ergo Deo in tuba cornea, qui in carne ambulans, non ſecundùm carnem militat: qui ea, quæ ſurſum ſunt, ſapit & quærit, non quę ſuper terram. Talis certè huius B. Gangulphi noſtri conuerſatio, talis eius tota vita fuit: nempe ſancta, innocens, fide integra, ſpe robuſta, charitate affluens, cunctis denique virtutibus conſpicua. Quam ſanè multùm dolemus nuſquam nos ſcriptam reperire potuiſſe, cùm non dubitemus non defuiſſe, qui eius miracula literis mandârint: ſed crebris barbarorum incurſionibus, omnia longè lateque vaſtantium, ſicut

Philip.1.
Pſal.97.
Tuba ductilis.
Tuba cornea.

tium,ſicut multorum aliorum,ita huius quoque ſancti viri credimus res geſtas interijſſe, vnoquoque in eam potiùs curam incumbente, vt fuga ſibi conſuleret, quàm vt codicibus conſeruandis aſſideret. Interim tamē ea, quæ poſterorum fideli relatione nobis de illo comperta ſunt, ipſius adiuti precibus, conabimur explicare.

HISTORIA.

IGITVR vir Domini Gangulphus, præclaris in Burgundia ortus natalibus, à parentibus adhuc puer diſciplinis Chriſtianæ religionis apprimè eruditus eſt: & in tenera illa ætate, cùm eſſet egregia indole, & forma eleganti, conſueſcebat crebris intereſſe piorum conuentibus, fauoſque diuinorum eloquiorum ſuſcipiens ab ore illorum, catholicas ſententias mandabat memoriæ, ita vt in fragili pectuſculo impreſſam iam liceret cernere effigiem & exemplar ſanctitatis. Maij 11. Pietas puerilis.

Creſcente ætate fuit vultu reuerendus, ſermone affabilis, prudens in opere, facundus ore, denique nulla non morum honeſtate præditus. Ludicra hominum malè ocioſorum ſpectacula tanquam voraginem quandam deuitabat, & petulantium iuuenum lubrica conſortia & obſcœna colloquia, quæ animi puritati vehemēter officiunt, reſpuebat: Euangelicæque præceptionis non ſurdus auditor, cum ſerpentis prudentia columbinæ ſimplicitatis manſuetudinem coniungebat. Matth.10. Poſtquàm autem ampliſſimæ opulenti patrimonij poſſeſſiones & facultates ad eum deuolutæ ſunt, quàm liberalis & benignus in egenos fuerit, dici vix queat. Potuit dicere ex ſententia cum B. Iob: Oculus fui cæco & pes claudo, & oſtium meum patuit viatori. Iob 29.

Vbi autem ad virilem peruenit ætatem, vxorem duxit generis quidem nobilitate ipſi non imparem, ſed moribus longè diſſimilem. Ducit vxorem, quæ ei fuit moleſtiſſima. Permiſit hoc fortaſſis idcircò præpotens Deus, vt per illam beati viri probaretur patientia & innocentis vitæ ſimplicitas: qua vſqueadeò ſtuduit virtutum ſuarum merita occulere, vt ab inuidis inertia quadam torpere diceretur. Solebat verò etiam venationi operam dare, quòd prædia illius, in quibus demorabatur, denſis eſſent cincta nemoribus, quæ diuerſis ferarum generibus abundabant: id quod hodieque teſtatur locus, in quo ſacræ eius corporis exuuiæ aſſeruantur. Vacabat autem plerunque venationi, ne ocio torperet, quod vt virtutes eneruat, ita vitijs alimenta miniſtrat: & vt hac ratione ſeſe exercere . Ea nanque tempeſtate regnum Francorum Pipinus præclarè gubernabat, cui hic ſanctus vir militari officio coniunctus, ſtrenuam nauabat operam, atque inter fortiſſimos eius exercitûs viros numerabatur. Erat enim acer animo, fortis viribus, in armis ſtrenuus, & in omni denique re militari exercitatiſſimus. Cui rei argumento eſt inſignis eius armatura, quæ hodieque aſſeruatur in eccleſia, eius honori & nomini dicata, quam ſacratiſſima reliquiarum eius præſentia illuſtrat, vbi habetur eius galea, lorica, gladius & brachialia: Eius arma aſſeruantur in eccleſia. quibus ille quidem forinſecùs ſeſe communiebat, ſed intùs longè potioribus ſplendebat armis, galea fidei, thorace iuſtitiæ, clypeo inexpugnabilis æquitatis, & gladio verbi Dei, quo mētis eius penetralia mirificè erant illuſtrata. Arma ſpiritalia.

Cùm autem quodam tempore, perfunctus regio miniſterio, in patriam redire vellet, iter habuit per Campaniam. Vbi ſumpturus ientaculum, & equis pabulum præbiturus, nonnihil ab itinere deflexit, inciditque in locum perſpicuo fonte irriguum & læto gramine amœnum: in quo poſtquàm conſedit cum ſuis, is, cuius erat locus ille, ſuperuenit, eumque vir beatus, vt erat humaniſſimus, ad pariter ſumendum cibum inuitauit. Inter edendum autem agere cœpit cum eo de fonte ipſi vendendo. Id verò vt ille audiuit, intra ſe tacitus riſit ſanctum virum, non id ab animi puritate & innocentia, ſed quadam ſtoliditate proficiſci exiſtimans. At tamen facilè ſibi perſuadens, & pecuniam ſe poſſe adipiſci, & nihilo minùs fontem retinere, quòd fieri non poſſet, vt aliò transferretur fons, neque cogitans dixiſſe Dominum, Amen dico vobis, ſi habueritis Matth.21. fidem, & non hæſitaueritis, ſi monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet: indicat precium fontis, nempe ſolidos centum, eoſque vir beatus ei iuſſit numerari. Inde ſumpto cibo, equis aſcenſis cœptum cum ſuis proſequitur iter, tandemque Varennas venit, vbi tum quidem morabatur, & vbi baſilica extructa eſt in eius honorem. Emit fontē, isque diuinitùs aliò trāsfertur.

Narrauit

Narrauit autem vxori, quid egiſſet. At illa malignè eius facta omnia interpretans, clàm illum & hebetem atque vecordem & rerum ſuarũ prodigum dicere cœpit. Non diù pòſt exijt vir ſanctus viſurus loca domui ſuæ propinqua, ſcipionemque manu tenens ſolo infixit, domumque redijt. Altera die cùm ſurrexiſſet manè, aqua manibus & faciei abluendæ deerat. Tum ille plenus fide, iuſſit famulũ properè ire ad eum locum, vbi defixus erat ſcipio, eoque extracto haurire aquam, quæ illic eſſet emerſura. Fecit famulus, quod erat iuſſus: & mox euulſum è terra ſcipionem magna aquarum vis ſecuta eſt, ex imis terræ viſceribus ſcaturiens. Atque ita auarus ille venditor fonte ſuo priuatus eſt, nec vnquàm poſteà illic aqua manare viſa eſt. Tranſlatus autem fons diuina virtute, hodieque ſaluberrimè exundat, & per beati Gangulphi ſuffragia multis adfert ſanitatem.

Fons ille morbis medetur.

Vxor eius ſe alteri proſtituit.

Vxor autem beati viri, rupta coniugij fide, cum quodam è Clero nefaria commixtione ſeſe polluit. Et ille quidem clericus dicendus non eſt, ſed perfidioſus potiùs apoſtata, qui à iuſtitiæ via & ſorte Domini deflectens, non erubuit tantum ſcelus in ſe admittere mente obſtinata. Et primò quidem iſtuc clanculò gerebatur: deinde multorum ore iactatum, tandem ad aures Gangulphi perlatum eſt. Ille rei indignitate permotus, aliquandiù varia animo volutabat, nec rarò in ea ſententia fuit, vt meritas ab ea pœnas exigeret, ne ad generis ſui ignominiam, in tali turpitudine diutiùs hæreret. Sed rurſus verebatur, ſi illi cauſa necis eſſet, ne ſuperioris vitæ innocentiam alieni ſceleris næuo obſcuraret. Memor itaque ſententiæ illius, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus: tandem ſtatuit rem totam diuino iudicio permittere. Cùm autem die quodam familia eius diuerſis eſſet miniſterijs occupata, cum ſola coniuge prędij ſui fines luſtrando circuiuit. Interim ad quendam veniunt fontem, vbi his vxorem vocibus compellat: Multa quidem de te, coniunx, paſſim feruntur fœda & indigna natalibus tuis, & adhuc mihi quidem certò non conſtat, veréne, an falsò illa dicantur. Tum illa, etiam intrepidè iurando, falſos de ſe rumores ſparſos ait, nec ſe vnquàm alieno concubitu pollutam. At Gangulphus: Diuina, inquit, prouidentia, quam nihil fugit, vt ſe res habeat, iam certis declarabit indicijs. En fons hîc propoſitus eſt, nec frigidus valdè, nec immodicè calidus. In hunc igitur immitte manum, & è fundo lapillum extrahe: & ſi quidem à culpa es aliena, nihil mali patieris: ſin autem polluta es, non ſinet Deus latere ſcelus tuum. Illa beati viri, ſicut alios omnes, ita hos quoque ſermones vecordiæ adſcribens, incunctanter manum iniecit in fontem. Ecce autem, ſimul atque lapillum ad ſe retrahere conata eſt, membris ferè omnibus obrigeſcit, & in digitis & brachio, quouſque aqua pertigit, abſtracta cute, nuda caro cernitur, nihilque aliud miſera illa niſi repentinum interitum expectat. Tum Gangulphus ad eam: Optâram quidem, inquit, ſi fidem ſeruâſſes, & legi diuinæ conuenienter te geſſiſſes, omnia tecum vitæ huius diſcrimina perpeti, & proſpera atque aduerſa omnia, vtcunque ſors tuliſſet, æquo animo pariter ſuſcipere, ſimul æquabiliter viuere, ſimul iucundè ab hac vita emigrare. Sed quando hoc te ſcelere obſtrinxiſti, morte quidem digna es, ſed meis manibus nolim tibi necem adferre: diuino potiùs te iudicio relinquo. Et ſi quidem dignos pœnitentiæ fructus egeris, veniam à Deo impetrabis. Si autem tantæ nequitiæ finem non impoſueris, cum authore eius diabolo flammis gehennæ inextinguibilibus concremaberis. Meo ſanè deinceps contubernio nequaquàm frueris: habeas autem tibi, vnde poſſis vitam ſuſtentare, meam propter nuptias donationem. His dictis, cùm ſuos conuocâſſet, aſſcenſo curru, ad prædia ſua, procùl in Aualenſi territorio ſita, profectus eſt, pietatis illic & miſericordiæ vacans operibus, nullumque tempus ſolitis virtutũ ſtudijs vacuum abire ſinens.

Deut. 32.

Diuinitùs proditur coniunx adultera.

Diſcedit ab adultera vxore.

At mulier infelix, datam à beato viro poſſeſſionem adijt, & iam ſuæ relicta libertati, cum deteſtando illo Clerico ſolitæ libidini indulſit. Interim vereri cœperunt, ne fortaſſis zelo inflammatus Gangulphus, ambos repentè interficeret. Valdè igitur in eam curam & cogitationem incubuêre, quomodò illum poſſent è medio tollere.

Totus igitur iam malo dæmone obſeſſus Clericus, cùm optimè nôſſet ſecreta omnia illarum ædium, in quibus vir beatus degebat, diligenter explorauit tempus, quo poſſet illum ſolum inuenire, & famulorum miniſterio deſtitutum. Tandem opportunum nactus tempus, clàm in eius cubiculum ingreditur, gladium ad eius caput pendentem corripit: ſed dum è vagina illum educit, Gangulphus expergiſcitur, ictumque, quo ceruicem homo nefarius ferire inſtituerat, declinans, in coxam accepit.

accepit. Tum profanus ille, proiecto gladio, & equo conſcenſo, ne caperetur, aufugit. Atrociter
Gangulphus autem atrociter vulneratus, aliquot dies ſuperuixit, & vt ſenſit adeſſe vi- vulneratur.
uendi finem, Dominici corporis & ſanguinis perceptione ſuum muniuit exitum, feli-
citerque migrans à corpore, ad Dominum, vti diù optauerat, profectus eſt. Porrò duæ Reddit ſpiritum.
amitæ eius, religioſæ fœminæ, eo in loco, qui Varennas dicitur, ſanctitatis & caſtitatis
ſtudijs vacātes, Vuildetrudis & Vuillegoſa, comperto eius obitu, multis è clero & po-
pulo conuocatis, ad funus acceſſerunt, ablatumque corpus cum crucibus & cereis,
diuinorumque hymnorum melodia ad eum, quem diximus, locum non ſine miracu-
lorum gloria deportârunt, atque in baſilica condiderunt, quam vir ſanctus in S. Petri
Apoſtolorum principis honorem conſtruxerat: in quem ſanè locum ante obitum ſu-
um admodùm benignum, beneuolum ac liberalem ſeſe declarârat, & neceſſarios re-
ditus illic Deo ſeruituris ſuppeditârat. Vt autem de eius ſanctitate & beatitudine cer- Multa fiunt
tiores fierent mortales, ad cōmunem omnium vtilitatem & profectum virtutibus & miracula.
ſignis Dominus eum celebrem reddidit, & mirabiliter illuſtrauit.

Quæ verò pœna ſit conſecuta authores cædis eius, non eſt ſilentio prætereundum.
Itaque Clericus cùm properè tam atrox facinus ſuū deteſtabili mulieri tanquam nun-
cium lætiſſimum indicâſſet, & mutuò ſeſe ea immanitate oblectâſſent, miſer abijt ven-
trem exoneraturus. Mox adeſt cæleſtis vindicta, & cum fæcibus corporis viſcera quo- Vltio diui-
que in cloacam deponit, negatoque ipſi pœnitendi ſpatio, infelicem animam in tarta- na in percuſ-
rum præmittit. Fœmina autem, vt audiuit ex quadam puella ſua multa diuinitùs col- ſorē ſancti
lata eſſe beneficia ijs in locis, per quæ S. Gangulphi exanime corpus fuiſſet deportatū, viri.
furore & amentia percita, dixit: Perinde efficit virtutes & ſigna corpus Gangulphi, at-
que anus meus. Dixit illa, & nefariam impuri oris vocem mox obſcœnus quidam ani
crepitus conſecutus eſt. Erat autem dies Veneris, quem Chriſtiani ſextam dicunt feri-
am, quo id accidit: ſemperque deinceps quoad vixit, quot illo die verba protulit, toti- Item in ad-
dem à parte corporis poſteriori fœdos reddidit ſonos, inaudito quodam diuinæ ani- ulterā vxo-
maduerſionis exemplo. Cuius rei tam celebris fama toto regno diffuſa eſt, vt is, quem rem.
diximus, rex Pipinus illac iter faciens, aliquos miſerit percontatum, num hæc ita ſe ha-
berent. Illi autem ad regem & proceres quæ auditione & oculis compererant, bona
fide retulerunt.

VITA S. MAIOLI IIII. ABBATIS CLVNIACEN. AB ODILONE PRESBYTERO CONSCRIPTA. SERMO *interdùm nonnihil expolitus eſt per F. Laur. Surium: quædam etiam compræhenſiùs reddita ſunt, omiſſis nonnullis, quæ ad hiſtoriam parùm attinere videbantur.*

PROLOGVS AVTHORIS.

HVGONI & chariſſimo fratri Almano, Odilo preſbyter in Domi-
no ſalutem. Cùm ad proximum Paſcha reſiderem in Romano
monaſterio, pridiè eius diei, quo Patris noſtri Maioli celebranda S. Maioli
erat ſolennitas, vnus ex fratribus Iohannes nomine, qui ſecundùm ſolennitas.
nominis ſui interpretationem, Dei gratia ditatus eſt, inquirere cœ-
pit, quo in codice eius noctis lectiones deſignare & annotare de-
beret. Cui ego reſpondi: Conſentaneum eſt, in huius Patris me-
moria beatiſſimi Pontificis Gregorij dicta recitari, quæ Maiolus pater, quoad vixit,
crebrò & legit & audiuit ſtudioſiſſimè, & cùm libitum fuit, de eiſdem facundo ſer-
mone diſſeruit. Abſoluto inde Veſpertinarum precum officio, & diurnæ ſeruitutis
atque operis penſo peracto, tam ordinis monaſtici inſtitutum, quàm naturæ ne-
ceſſitas inuitabat nos ad captandam ſomni quietem. Ego verò per id tempus luge-
bam & deplorabam non modò damna rei familiaris, ſed etiam inuſitatæ calamita-
tis & inauditæ miſeriæ ingens periculum, atque adeò, quod magis vrgebat, totius pa-
triæ & pauperum omnium clades immanes & magna diſpendia. Cumque tantorum
diſcriminum tantique mœroris anxia cogitatio per plures iam noctes inſomnem me
reddidiſſet, atque ea nocte ſolito more ſenſibus meis importunè ſeſe ingereret, bea-
tum cœpi rogare Maiolum, vt à Domino poſceret mihi ſupernæ conſolationis au-
xilium. Paulò pòſt ſuggeſſit mihi tanti Patris dulcis memoria, & quodammodò pro-

mittere viſa eſt, ſi animum eius laudibus occupare vellem, cæleſtis conſolationis præſidia mihi proculdubiò ocyùs adfutura. Itaq; dilectiſſimi patres & fratres, opus hoc ſcribendum ſuſcepi, non quidem pro illius patris dignitate & excellentia, ſed pro ingenioli mei tenuitate. Qualecunque autem eſt, equidem igni ſpiritalis ſenſûs veſtri id examinari, diſcerni & corrigi & opto & obſecro.

VITAE HISTORIA.

Maij 11. Cap. 1. Apoſtoli. Martyres. Doctores.

POST Apoſtolorũ & Euangeliſtarum ſacroſanctas, diuinas & ſalutares inſtitutiones & doctrinam, inuictiſſimaque & glorioſiſſima beatorum martyrum certamina, tertiò, vt ita dicam, loco præſtitit diuina dignatio Eccleſiæ ſuæ noua ſolatia, nempe luminaria amore ardentia, ſermone radiantia & lucentia: Apoſtolicos dico ſacerdotes, & illuſtriſſimos viros, humana ſcientia non vanè, ſed ſalubriter eruditos, diuina ſapiẽtia refertos, per quorum ſpiritalem intelligentiam & diuinarum ſcripturarum perſpicaciſſimam indagationem legis vmbra luceſceret, & tum ſermo propheticus, ſuî profunditate altiſſimus, ſpiritaliter intellectus, tum Euangelici quoque luminis gloria, virtus ac maieſtas totius mundi denſiſſimas profligaret tenebras. Sanctorum Patrũ ſcripta quãtum conferant Eccleſiæ. Horum enim ſynceriſſima induſtria Apoſtolici actus exponuntur prædicanturque fidelibus. Horum deuotiſſima opera beatorum martyrum triumphi & merita ſanctæ Eccleſiæ cõmendantur. Horum fide & ſapientia contra fidem Catholicam deblaterantium & oblatrantium murmur & ſuſurria compeſcuntur & opprimuntur, ſchiſmaticorum ſtrepitus ſedantur, & os vana loquentium obſtruitur, idolorum poteſtas deſtruitur, gentilium crudelitas proculcatur, philoſophorum inſana commenta proteruntur, exibilantur & exploduntur, hęreticorum vanitas, perfidia, errores, rabies tanquam fœtor turbidus & fumus putidiſſimus, ita vt nec vſquàm nec vnquàm poſſint apparere, diſſipantur & rediguntur in nihilum.

Cap. 2. Poſtquàm autem tales & tantos viros, vtpotè ciues ſuos & domeſticos regis ſui, aula cæleſtis lætabunda ſuſcepit, & è ſuperna illa cæleſtique republica diuina prouidentia congruo ordine paruulis Eccleſiæ conſulere voluit, ita vt gratiam, quam præſtare dignatus erat per ſublimes & fortes, deinde præſtaret per humiles, innocentes & ſimplices: Monachi. quarto loco monaſticus ordo pullulare, aut, vt veriùs dicamus, reflorere & reuiuiſcere cœpit, quippe quem beatos Eliam & Iohãnem Baptiſtam authores habuiſſe cognouimus, & ita deinceps per Apoſtolicam conuerſationem & vitam, incrementaque virtutum & exercitia ſpiritalium Patrum ad nos vſque perueniſſe lætamur. Per iſtos enim & ab iſtis perfectiſſimè impleta eſt ſingularis illius ac ſpecialis Euãgelici præcepti perfectio, à qua longè aberat adoleſcens ille, de poſſeſſione vitæ æternæ Dominũ Saluatorem Matth. 19. interrogans, cui ille ſic reſpondit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. Inter cuius quidem ſalutiferi præcepti intentiſſimos auditores & ſtrenuiſſimos executores, S. Benedictus. beatiſſimus pater & merito Benedictus & nomine, quaſi quoddam ſidus cæleſte, præclarè enituit: qui talis & tantus vita, moribus & miraculis extitit, vt eius ortum, vitam & obitum deſcribendo, ſanctiſſimus Gregorius, per omnia vir Apoſtolicus, & Apoſtoli- S. Gregorius Papa. cæ ſedis Pontifex, atque inter præcipuos Eccleſię primates inſigne quoddam priuilegium vita & doctrina obtinens, teſtimonium ei perhibuerit. Poſt eius autem piiſſimi S. Maurus. patris ex hac vita migrationem, per beatũ Maurum illius diſcipulum omnis penè Gallia eius inſtitutionis & religionis inſtituta ſuſcepit, atque per eundem Maurũ, eosque, quos ille ad iuſtitiam erudiuit, per longa temporum ſpatia eadem religio ad perfectionis cumulum excreuit. Illis autem ab hac luce ſubtractis, rareſcente iam iuſtitia, nequitia crebreſcente, & matre virtutum omnium diſciplina tepeſcente, priorũ patrum ſtudia in poſteris deficere cœperunt: & ſicut per religioſos viros ſanctique ſpiritus feruore plenos, ſanctæ inſtitutionis profeſſio gradatim ad perfectionis faſtigia excreuerat: ita per negligentes & deſidioſos paulatim prolapſa eſt atque defecit.

Cap. 3. Salutaris igitur propoſiti pernicioſa remiſſio atque prolapſio ad illud vſque tempus latenter irrepſerat, quo fauente Guilelmo, Chriſtianiſſimo Aquitanorum princi- Is Berno fuit Comes. pe, beatæ memoriæ Abbas Berno in Burgundiæ regione, Maticenſi cæſpite, pago, quem Cluniacum vocant, monaſterium cœpit extruere, atque in ea ſtructura quantum

tum potuit operæ & ſtudij poſuit, tandemque piæ deuotionis affectu & multo labore ad laudabilem perduxit exitum. Eius enim & merito & exemplo complures inuitati, tranquillum vitæ monaſticæ portum expetunt, & ad Deum, contempto ſeculo, conuertuntur. E quibus vnum nobis commemorandum ſuſcipimus, quem multorum ſaluti deſtinatum fuiſſe compertum eſt.

Odo ille dictus eſt, vir ſanè per omnia laude dignus, beatiſſimo Martino Turonenſi Epiſcopo deuotiſſimus, & Turonenſis Eccleſiæ clericus atque Canonicus. Is igitur vir honeſtus & valdè vtilis, in regulari exercitatione probè inſtitutus, poſt ſupradicti Patris Bernonis obitum, ad monaſterij regimen multorum fidelium electione ſucceſſit: vt verò idem ipſe ad virtutum faſtigia conſcenderit, ſtudijs eius id palàm teſtantibus, Romanus orbis cognouit. Ei ſucceſſit felicis memoriæ Adamarus, beatæ ſimplicitatis & innocentiæ filius, qui ſtudioſè ſanè monaſterium auxit prædijs & bonis temporarijs, atque in obſeruantia regulari deuotus fuit, & cùm eſſet luminibus orbatus, ſicut & cætera aduerſa omnia, abſque vllo murmure & indignatione patientiſſimè id tulit. Ob meritum autem patientiæ & ſimplicis atque innocentis vitæ ſuæ hoc præclaro eſt à Chriſto donatus munere, vt eius tempore Maiolus, inſtituti monaſtici amore incenſus, ad monaſterium ipſius ſeſe, Chriſto noſtræ ſalutis authore vocante, contulerit. Ad huius autem Maioli conuerſionē non parum momenti attulit venerabilis viri Hildebrandi amica congreſſio & ſpiritalis inſtitutio. Et is quidem Hildebrandus, cùm eſſet ex prioribus Cluniaci monachis, & eiuſdem cœnobij præpoſitus, bis inuitatus eſt, vt Abbatis officium ſuſciperet: ſed vt faceret, adduci non potuit, ſemper magis appetens parere quàm præcipere, potiusque ſubeſſe quàm præeſſe. Hîc iam fortaſſis deſipere atque delirare me quiſpiam dicturus eſt, qui cùm inſtituerim de beato Maiolo narrationem texere, tam multa de illis, qui eum anteceſſêre, commemorem. Sed nemo id putet caſu aut temerè factum. nam ſtudio atque de induſtria id feci. Quicquid enim hactenùs de iuſtis & ſanctis viris diximus, id vel integrè omninò, aut ſaltem ex parte, in hoc beato patre redolere didicimus.

Cap. 4. *Odo 2. Abbas Cluniacenſis.* *Adamar' 3.* *Hildebrandus.*

Fuit autem beatiſſimus Maiolus pater noſter præclaro ſtemmate ortus, & à nobilibus parentibus ab ipſa infantia peruigili cura nobiliter educatus. Deinde accedente pueritia ſtudijs eccleſiaſticis traditus eſt, literis ſpiritalibus religioſè imbuendus. Factumque eſt nutu & prouidentia Dei, vt optimæ ſpei puer diuinis actionibus accuratè intentus, totum adoleſcentiæ tempus ſine caſtitatus diſpendio tranſegerit: atque ita deinceps toto vitæ ſpatio virgineū decus in ſuo retinuerit corpore. Iuuenili autem accedente ætate, altiora & præſtantiora in diuinis, acriora atque maiora & difficiliora in humanis ſtudijs attentans, cùm in vtraque literatura eſſet exercitatus, Lugdunum profectus eſt, philoſophiæ matrem & altricem, totiusque Galliæ ex more antiquo & iure Eccleſiaſtico arcem: vbi Antonio, viro ſapiente & erudito, voluit præceptore vti, poſteà magni illius Antonij eremitæ & Chriſti diſcipuli exempla longè acriùs ſectaturus, quàm huius Antonij, mundana profeſſione philoſophi, ſtudia & diſciplinam. Poſteà verò Lugduno ad ciuitatem Maticenſem à proceribus patriæ & ciuibus ſuis, nempe cognatis & amicis reuocatus, vt erat vir religioſus, religioſè aliquandiù apud illos verſatus eſt: nec potuit eius laudabilis vita & ſtudium admirabile eius ciuitatis latere epiſcopum: quo hortante, cùm id clerici & ciues conſuluiſſent, eius eccleſiæ ſe paſſus eſt archidiaconum conſtitui. Humilitatis enim gratia præditus, noluit eſſe immorigerus iubenti epiſcopo, per cuius miniſterium id ſibi diuinitùs ſentiebat imperari. Vt autem res ipſa poſteà declarauit, erat hoc maioris cuiuſdam vtilitatis cauſa ita à Domino ordinatum.

Cap. 5. *Genus B. Maioli.* *Virginitas.* *It Lugdunū ſtudij cauſa.* *Fit archidiaconus.*

Habet enim ea, quam diximus, vrbs vicinum monaſterium, multis ſpiritalibus ſtudijs decentiſſimè ornatū, cuius præfectus & fratres crebrò eum ad ſe inuitabant, eratq; ei cum illis frequens colloquiū & ſpiritale contubernium. Inter ipſa autem dulciſſima colloquia, & mutua ſynceriſſimæ charitatis officia & obſequia, videntes fratres interioris hominis obtutibus angelicam eius faciem, & cordis auribus haurientes mellifluam facundiā, valdè eum cupiebant ſibi fratrē adſciſcere, quem poſteà etiam patrē habere mererentur. Et huc quidem intentus erat omnis ille Domini grex, ſed inprimìs ſenior ille Hildebrandus, cuius ſuprà facta eſt mentio, vt id eueniret, ardentiori ſtudio connitebatur. Iam verò gratia Dei pariebat in eius animo contemptum ſeculi. Quid multa? Poſito eccleſiaſticæ dignitatis officio, ſpreto mundanæ nobilitatis faſtu & ſupercilio, poſthabito blandiſſimo illo parentum & amicorum conſortio, vt liberè poſ-

Cap. 6. *Cōtempto mūdo, monaſterium petit.*

ſet ſeruire vero regi Chriſto, totum ſe ſubdidit cæleſti magiſterio. Nec enim multò poſt, certo die ad monaſterium veniens, officioſiſſimè ſuſcipitur, ex canonis monaſtici præſcripto introducitur, & vt moris eſt, honorificè & amanter habetur. Quàm verò gaudium ingens eius aduentus fratribus attulerit, nos nullis verbis ſatis explicare valemus. Adfuit autem illi ad contemnendum mundum prompta voluntas, ad amandū Deum inuicta charitas, ad diligendos proximos fraterna beneuolentia, ad exequenda vitæ monaſticæ inſtituta non difficilis promptitudo, ad exhibendam non ſolùm Abbati, ſed etiam fratribus obedientiam impigra alacritas, denique ad præſtandū omnibus de ſe virtutum exemplum pura ſimplicitas.

Virtutes eius.

Cap.7.

Qualis autem fuerit eius inter fratres in ipſis conuerſionis initijs conuerſatio, ſatis docere poteſt vel ſolus fratrum affectus, quem erga eum tēpore celeberrimæ electionis eius haud obſcurè declarârunt. Nec erat neceſſe, vt in ijs, quæ ad regularem obſeruantiam attinent, quiſpiam eum inſtrueret, quem, vt ſanctus Euangeliſta Iohannes dicit, vnctio gratiæ cæleſtis de omnibus docebat. Cœpit intereà vita & doctrina tam præclarè celebris haberi, vt in domo Dei in fidelium omniū laudibus primum & præcipuum locum facilè ſibi vendicârit. Sic enim placuit præpotenti Deo, vt per diuerſos humilitatis gradus aſſcenderet ad culmen monaſticæ perfectionis, vt iam nō vnus è cæteris, ſed inter cæteros præcipuus videretur. Sexto nanque, vt fertur, anno cōuerſionis ſuæ ſupradictus felicis memoriæ Abbas & pius pater Adamarus, cuius monachus erat beatus Maiolus, cuiusque monitis & iuſſis tota animi intentione & pro viriū corporis facultate parebat, ſemperq́; parere decreuerat, aduerſa correptus valetudine, non ſolùm viribus deſtitutus, ſed etiam luminibus orbatus eſt. Cumq́; ſe non ignoraret tendere ad huius vitæ occaſum, nec poſſe diù tanti cœnobij tantarumque tum ſpiritalium, tum temporalium rerum curam ſuſtinere, de monaſterij gubernatione & ſucceſſoris electione cum ſpiritalibus fratribus tractare, & animo tranquillo patienter diſponere cœpit. Facta autem ex omnibus inquiſitione, ad Maiolum, quem fratres omnes cupiebant, peruenit electio: de qua quidem electione pro illius excellentia & dignitate dicere non ſufficio, ſed vt ſermone vtar breuiſſimo, ad illam functionem nec ibi, nec alibi beato Maiolo quiſquam potuiſſet magis idoneus inueniri.

1.Iohan.2.

Adamarus luminibus orbatus, ſucceſſorē accipit Maiolum.

Cap.8.

Electus igitur accitur, inuitatus vt aſſentiat, reſiſtit, rogatus contradicit, adiuratus contremiſcit: tandemque interdicto adactus, acquieſcit. Itaque Deo laudes grateſque agimus, quòd contradicendi decretū vicit obedientiæ prædicandū exemplum. Eligitur ergo à fratribus, à populo acclamatur, à pontificibus benedicitur, à ſupradicto patre monaſterij in loco ſublimi celeberrimè collocatur, à fratribus officioſiſſimè ſalutatur, atque ab omnibus vt Abbas & dominus honoratur & colitur. Neque eum ſui duntaxat, ſed etiā alij omnes, qui eum videre & nôſſe potuerūt, vltra mortales omnes ſui temporis honore & veneratione proſecuti ſunt. De cuius ſanè ortu & vita, moribus, miraculis & obitu, quæ à maioribus noſtris præclara oratione dicta ſunt, poſſunt ſufficere. Qui enim de magnis maxima dicere potuerunt, clariſſimos eius actus & merita, à Domino illi collata, magnificè conſcripſerunt. Ego verò vltimus ſeruorū eius ſeruulus, non quidem alia, ſed quæ ab illis dicta ſunt, humili ſtylo ſuccinctè annotaui, ſecutus Albinum, Magni Caroli Imperatoris magiſtrum, licèt multùm ei impar, quantùm peccator iuſto, illiteratus erudito, dicendi imperitus facundiſſimo. Ille enim ſummi & incomparabilis viri, ſanctiſſimi ſacerdotis Martini vitam, à Seuero Sulpitio ſublimi ſtylo deſcriptam, planiori ſermone explicans, ad meam meique ſimilium notitiam tranſmiſit. Sed ſicut poſt Apoſtolos nemo beatiſſimo exæquatur Martino, ita ego longè me Albino imparem confiteor. Dixit ille, vtporè magnus, magna de magno: dicam ego paruus parua de magno. Dixit ille de ſuo Martino, ſicut de ſummo ſacerdote, & incomparabili viro: dicam ego de Maiolo, ſicut de patre pijſſimo, & Abbate ſanctiſſimo, atque viro illuſtriſſimo & verè catholico.

Maiolū mirè omnes venerantur.

Cap.9.

Fuit igitur ille, ſicut iam antè diximus, clariſſimis ortus natalibus, & ex vtroq; parente gemina nobilitate conſpicuus. Vt autem multi per eum illuminarentur, agente ipſo æterno lumine luminum, velut ſidus lucidiſſimum, in hanc lucem editus eſt, ac deinde vt erat genere nobilis, ita quoque nobiliter enutritus & ſolerter ac præclarè inſtitutus & eruditus eſt. Atque vt ab inferioribus ad altiora ſcandere queamus, erat is vir iam dictus, ſæpeque dicendus, ſæpeque commemorandus, inceſſu grauis, voce ſublimis, ore facundus, adſpectu iucundus, vultu angelicus, facie ſerenus, in omni motu, inceſſu, actu corporis ipſam honeſtatem repræſentans. Omnium membrorū conueni-

S. Maioli virtutes & dotes corporis & animi.

uenienti diſpoſitione decentiſſimè comptus, mortalium omnium mihi facilè uidebatur pulcherrimus. Erat fide firmus, ſpe certus, gemina charitate refertus, clarus ſapientia, intellectu admirandus, conſilio prouidus, animi fortitudine robuſtus, ſpiritalis ſcientiæ cultor aſſiduus, & pietatis amator egregius: repleueratque eum ſpiritus timoris Domini, qui, teſte Propheta Dauide, initium ſapientiæ eſt, illius, inquam, ſapientiæ, cuius ſplendoribus perfuſus beatus Maiolus, cæleſtium beatitudinum munus adeptus eſt. Cuius muneris lumine accenſus noſter Maiolus, cum pauperibus ſpiritu voluit etiam ipſe pauper fieri, vt à rege cælorũ cæleſti regno donari mereretur. Cum beatis mitibus ſtuduit eſſe mitis, vt cum illis poſſet terram viuentium poſſidere. Cum beatis lugentibus cupiebat filiorum ſuorum culpas, & totius mundi crimina atq; diſcrimina plangere, vt ad æternam conſolationem cum ſuis omnibus poſſet peruenire. Eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam, eandem eſuriendo & ſitiendo iuſtitiam, ſtuduit ſociari. Erga miſeros ſemper ſe conatus eſt exhibere miſericordem, vt cum beatis miſericordibus poſſet diuinam experiri miſericordiam. Quantùm humana ſinebat fragilitas, cæleſtibus iugiter inhians deſiderijs, iuſtis meritis & oratione aſſidua diuinę contemplationis obtinuit gratiam, vt cum beatis mundo corde præditis dignus fieret ſummi Dei beatiſſima viſione: atq; vt eius veriſſimè & dici & eſſe mereretur filius, pacificus eſſe didicit: vt non modò ad ſuam poſſidendam animam inſtructus eſſet patientia, ſed vt etiam diſcordantes omnes ad pacem & concordiam pro viribus reuocaret. Propter iuſtitiam perſecutiones & afflictiones, ab hoſte antiquo & malis hominibus illatas, æquo tulit animo, vt beatis propter iuſtitiam patientibus & pauperibus ſpiritu ad percipiendum & poſſidendum regnum cælorum poſſet adiungi. Ita ergo tribus ſupradictis virtutibus, fide, ſpe & charitate ornatus beatiſſimus pater Maiolus, & octo euangelicis benedictionibus circunſeptus vndique, etiam quatuor illas virtutes, quas Cardinales vocant, feruenti deſiderio adipiſci conatus eſt, adeptasque ſanctis operibus excolere non deſtitit: vt per prudentiam ſuæ ſuorumque in poſterum ſaluti proſpiceret, per temperantiam iuſtæ diſcretionis moderamine negocia ſpiritalia curaret, per fortitudinem diabolo & vitijs reſiſteret, reſiſtendoque & viriliter decertando vitiorum ſatorem ſatanam ſuperaret: per iuſtitiam, quæ ſe per virtutes omnes diffundit, & virtutum quaſi quoddam condimentum eſſe videtur, ſobriè, piè & iuſtè viuendo, bonum certamen certando, curſum conſummando, fidem ſeruando, repoſitam ſibi iuſtitiæ coronam ab illo mereretur percipere, qui eſt virtutum omnium largitor & auctor. Cuius benedictionis largitas & clemens benignitas contulit nobis, vt tanto ac tali frueremur paſtore, in quo habemus exemplũ, quod ſequamur, & in quo appoſita nobis forma eſt, cui imprimamur.

Pſal. 110. Matth. 5. Octo beatitudinibus vt fuerit inſtructus. Et quatuor virtutibus Cardinalibus.

Erunt autem fortaſſis, qui cùm tam multas eius virtutes commemorari audiunt, etiam miracula eius nôſſe velint. Miraculis enim confirmatur eorum fides, qui de ſanctorum hominum meritis & præmijs dubitare ſolent. Sed ne quis de huius beati viri ſanctitate & gloria ambigat, diſcat ab eis, qui eius res geſtas & viſu & auditione habuêre compertas, quemadmodùm vixerit, docuerit, & vt plenus dierum, virtutibus præclarè inſtructus, ab hac luce migrârit. Et cùm cognouerit eum fidelium hominũ atteſtatione, & ſanctè vixiſſe, & rectè docuiſſe, credat eum proculdubiò ad ſanctorũ gloriam, Chriſto duce, perueniſſe. Quanta autem per eum Dominus & ante & poſt obitum eius miracula patrârit, ſatis teſtantur à doctiſſimis viris conſcripta volumina, ſenſu catholico, ſermone rhetorico, partim etiam carmine. Et quia Deus omnipotens nullum tempus abire patitur ſine teſtimonio ſuæ benignitatis, ad corrigenda errata & teporem noſtræ fragilitatis, ſæpè renouat exempla ſanctitatis. Et in ijs quidem, qui noſtra ætate virtutibus conſpicui extitêre, beatus Maiolus præcipuus eſſe viſus eſt, in cuius actione honeſtas, in conſuetudine ſobrietas, in ſecundis rebus modeſtia & humilitas, in aduerſis patientia reluxit. Mitibus & manſuetis affabilem, ſuperbis & elatis terribilem ſe exhibuit: itemq; parcum, vbi debuit: liberalem, vbi decuit. Non habitu varius, non actione confuſus fuit. Vnus idemque ſemper permanens, deuotus eſſe ſtuduit imitator ſanctorum, & eorum inprimìs intentus auditor, quorum diſciplinis & imperio ſeſe vltrò addixerat. Septenariam illam copulam, ab Apoſtolo Petro in ternario & quaternario numero ordine mirifico luculenter diſpoſitam, non aure ſurda audiens, audiendo perdidicit, & vt alij quoq; diſcerent, lingua ac manu eos perdocuit: miniſtrans in fide virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinẽtiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternita-

Cap. 19. Vita eius proſa & carmine conſcripta. 2. Pet. 1.

ternitatis charitatem. Præferebat autem dialecticorum ſyllogiſmis, argumentis rhetorum, atque omnibus philoſophorum argutijs illam Apoſtolicę ſimplicitatis inſignē doctrinam, dicens cum eodem Apoſtolo: Ego enim didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare: vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.

Philip.4.

Cap.11.

Prætereà ſanctorum Patrum diuinorumque noſtræ religionis philoſophorum ſapientia imbutus, totiusque Eccleſiaſticæ diſciplinæ eruditionibus & virtutibus illuſtratus, quemadmodùm de Moyſe dicit Eccleſiaſticus, Dilectus fuit Deo & hominibus, atque idcircò eius memoria in benedictione eſt. Verumenimuerò ſic ille ſtuduit charus eſſe & placere hominibus, vt Deo non diſpliceret: ita Deo, vt hominibus prodeſſet: placere Deo, benè & ſanctè viuendo rectèque docendo: placere hominibus, ſpiritalia & temporaria beneficia in eos pro viribus conferendo. Et ſanè eſſe in benedictione memoriam eius res ipſa declarat, quando perſpicuè cernimus in præſenti, & de præterito recordamur, quomodò per eum & per illos, quos in Chriſto genuit, ædificia cæleſtis ſtructuræ excreuerint, hodieque excreſcant. In quibus (quod pace ſpiritalium artificum, in eadem ſtructura laborantium, dictum velim) vnus præcipuè fulſit, atque plùs omnibus laborauit, dominus & Abbas Guilelmus, nuper rebus humanis ſubtractus, de cuius clariſſimis actibus & vita laudabili, admirandaque conuerſatione non poteſt noſtra paruitas id, quod ſentit, ſermone explere. Quàm ſit, inquam, beatiſſimi Maioli, eiusque diſcipulorum memoria in benedictione, teſtantur monaſteria, ab ipſis partim à fundamentis extructa, partim ab interitu vindicata, & cū virtutum incremento ad meliorem ſtatum reuocata. Quātùm autem vir ſanctus Deo placuerit, docere poſſunt ſigna & miracula, quæ eius meritis Dominus effecit: quando, vt multorum fidelium fidiſſima affirmat relatio, multi diuerſis affecti morbis, plerique etiam, quorum iam deſperata erat vita, ab eo viſitati, per gratiam Dei priſtinæ ſunt incolumitati reſtituti: complures oculorum deterſa caligine, lumen recuperârunt: non pauci multiuarijs vexati febribus, eius precibus ſunt liberati: multi, vt ferunt, ſerpentum, luporum, canum morſibus infeſtati, dæmonum quoque ludibrijs exagitati, Dominicæ Crucis ſigno eius dextera expreſſo, ſalutis remedia perceperunt. Multi in periculis fluminum, ictibus fulminum, alijsque incommodis, eius orationibus ſunt ſeruati. Nonnunquàm candelæ vel negligentia cubicularij, vel euentu aliquo ante eius lectum extinctæ, diuinitùs accenſæ ſunt, ſicuti teſtantur, qui præſentes adfuêre.

Eccli.45.

Deo & hominibus vt placuerit.

Guilelmus Abbas.

Miracula S.Maioli.

Cap 12.

Cùm eſſet aliquando in monaſterio ſanctiſſimi martyris Dionyſij, & pro conſuetudine nocturnis horis legeret eiuſdem martyris & admirabilis philoſophi librum de Hierarchia cæleſti, graui in eum incidente ſomno, cereus è manu eius in libri paginam decidit: & ecce rem ſtupendam: Ignis naturæ ſuæ officium perſequens, ellychnium & ceram conſumpſit, paginam violare non eſt auſus. Etſi autem non excitauit corpore mortuos, alia certè potiora præſtantioraque per eum Dominus miracula edidit. Quòd ſi verò anima plus eſt, quàm corpus, multo excellentius eſt animas ſemper victuras à peccati morte excitâſſe, quàm extincta corpora ad vitæ huius pericula & ærumnas reuocâſſe. Porrò eorum, quos ab animæ horrenda morte & immani vitiorum voragine ad vitam reduxit, & ſuis exemplis in vitæ vias perduxit B. Maiolus, tantus eſt numerus, vt ſoli Deo cognitus ſit. His ergo atque id genus alijs clarus virtutibus, Deo & hominibus charus fuit. Multi catholici & venerabiles clerici, religioſi monachi, reuerendi Abbates venerabantur illum vt ſanctiſſimum Patrem: ſancti & ſapientes epiſcopi tractabant illum vt chariſſimum fratrem: Imperatores, Imperatrices, reges, principes ſeniorem illum appellabant & dominum. Honorabant illum Apoſtolicæ ſedis Pontifices, vt qui reuerà eſſet eo tempore monaſticæ religionis princeps. Ille diuus Cæſar & Maximus Otto diligebat eum pectore tuo. Proſequebatur eum Cęſaris illius coniunx Adelheidis Imperatrix Auguſta charitate ſynceriſſima & deuotione mirabili. Nec parùm amabat eum illorum filius Otto Imperator. Cōradus quoq; rex nobilis & pacificus, iam dictæ Imperatricis frater, non impari affectu & voto eum complectebatur, atque eius nobiliſſima coniunx Mathildis quanto crebriùs eſſet vultum eius contemplata, tanto maiori eius feruebat amore. Quid ego hîc commemorē illuſtriſſimum Burgundionum Ducem Henricum? quid Lambertum clariſſimum Comitem? quid Guilelmum & Richardum Aquitanorum & Nortmannorū fortiſſimos Duces? quid Italiæ principes & Marchiones? Qua illum veneratione proſecutus ſit Guilel-

Matth.6.

Innumeros conuertit ad Chriſtū.

Quàm charus omnib' fuerit & venerabilis.

Guilelmus Prouinciæ gubernator, & vita & exitus illius oſtendit: quippe qui per ſancti viri merita & fida obſequia, B. Benedicti habitum induere meruit. Erkenboldus etiam, Syluiniacenſis loci prouiſor fideliſſimus, idemque inter ſuos clariſſimus, & adiacentis patriæ pater, pauperumque tutor fortiſſimus, quàm inſigni erga beatum Maiolum animi deuotione fuerit, locus, quem diximus, abundè confirmat, ab illo & ante & poſt obitum ſemper memorandi patris, & ædificijs, & diuitijs, & multiplici ornamento excultus ac nobilitatus, ita vt regiam quandam ea in re liberalitatem exhibuiſſe videatur. Quique nunc adhuc ſupereſt, & honoris eius & nominis hæres, benignè ſe gerit erga locum illum, nec eius habitatores damno vllo afficit.

Ita nimirùm glorificatus & magnificatus eſt beatus Maiolus, Chriſti eum gratia præueniente, in conſpectu regum & principum & coram omni populo, vt poſſit etiam in ipſum quadrare, quod de Moyſe dicit Eccleſiaſticus: Glorificauit illum in conſpectu regum, & oſtendit illi gloriam ſuam. Hugo quoque Gallorum rex, quoties illum vidit, humiliter ac deuotè eum ſuſcepit, & valdè honorificè tractauit: idemq; quodam tempore rogauit eum, vt ad ipſum veniret, idque eo animo, vt ſancti Dionyſij monaſterium eius conſilio & ope rectiùs poſſet conſtitui. Non recuſauit vir ſanctus, iterque lætus ſuſcepit, regiæ voluntati obſecundans, ſed cùm Syluiniacum peruenisset, Deo vocante, plenus dierum & ſanctitatis, ex hac vita migrauit quinto Idus Maij, ſexta feria illuceſcente poſt ſacratiſſimam ſolennitatem, qua Chriſtus aſſcendit in cælum, [illegible] fideli ſeruo ſuo Maiolo poſt ſe ſcandendi viam oſtendit. Quod vbi comperit Hugo rex, ſua præſentia & regijs muneribus eius exequias cohoneſtauit & tumulum, vbi præſtante Domino, multa facta ſunt & fiunt miracula, permultisque plurima & præſtita ſunt & præſtantur beneficia, quæ præ nimia & multitudine & magnitudine commemorari non poſſunt. Sanantur illic morbidi omnes, paralytici, claudi, febricitantes, cæci, dæmoniaci, & incerto quodam igne terribiliter & miſerabiliter inflammati. Quiſquis etiam cum deuotione in quacunque afflictione & neceſſitate opem illic poſcit fideliter, voti ſui compos effectus, redit ad ſua ſoſpes & gaudens, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum patre in vnitate ſpiritu ſſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Cap 13. — Eccli.45. — Hugo rex Gallorum. — Beati viri feliciſſimus obitus. — Multa ad eius ſepulcrum facta miracula.

SS. NEREI ET ACHILLEI, ITEMQVE S. DOMITILLAE ET QVORVNDAM ALIORVM ILLVSTRE

martyrium, quod quidam anonymus ſe ſcribit de Græcis conuertiſſe, probaturque etiam doctiſſimis viris, & conſentiunt vetuſtiſſima Martyrologia, quæ non paucis locis etiam ad verbum quædam hinc mutuata ſunt. Dictio plerunque in gratiam Lectoris nonnihil expolita eſt per F. Laur. Surium.

PRAEFATIO INTERPRETIS.

NISI ſtudia Catholicorum ſecuritatis ſuæ ſomno torperent, nulla poſſet ratione impietas hæreſeos, limites inuadere pietatis. Sed ad euigilandum nos ſtimulis ſuis illi excitant: & tamen faſtidioſi, dum ſtrenuè & ſolicitè illis obuiare non curamus, agnos negligimus, & ex ouili amittimus, luporum morſibus ſine dubio lacerandos & deuorandos. Itaque ſolicitudinem orthodoxorum, qui ante nos fuerunt, imitari cupiens, aliquot prouinciæ noſtræ martyria collegi, & ex Græcis Latina feci, exemplum proponens aliarum prouinciarum ſtudioſis, vt ſicut nos in noſtra, ita illi in ſuis prouincijs transferãt peracta martyria: vt populi excolentes & venerantes eos, quos pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſos cognoſcunt, diſcant, quo bellandi ſtudio victoriarum triumphos agentes, ad regem ſuum lætantes atque ouantes peruenire meruerint. Primam itaque ad ædificationem omnium, qui cupiunt placere Deo, ſumamus Domitillam nobiliſſimam virginem, neptem Domitiani Imperatoris.

Hic locus in MS. codicibus valdè obſcurus eſt.

HISTORIA.

Cap.1. Maij 12. quòd ad Nereum & Achilleũ attinet.

HAEC Domitilla habuit Nereum & Achilleum eunuchos cubicularios, quos beatiſſimus Petrus Apoſtolus Chriſto lucratus fuerat. Cùm viderent autem illi dominam ſuam gemmis ornari, & purpureis atque auro textis veſtibus indui, dixerũt ei: Si id ſtudij & operæ, quod ponis in ornando corpore, vt filium conſulis Aurelianum maritum accipias, ad animæ ornatum transferres, immortalem Dei filium regem omnium ſeculorum poſſes ſponſum & maritum habere, qui te quoque efficeret immortalem, & neque tibi, neque ornamentis tuis quicquam vnquàm de perpetuitate decedere pateretur. Reſpondit Domitilla: Ecqua verò hominis poteſt eſſe maior charitas, quàm complecti matrimonium, ſuſcipere liberos, per quos dulciſſima poſteritas propagetur, & tam generis dignitas, quàm nominis memoria conſeruetur? Contrà autem, quàm aſperum & immane eſt, delectationes contemnere, vitæ ſuauitate non perfrui, & perinde quaſi non ſis editus in hanc lucem, quæ corpori iucunda & plauſibilia ſunt, faſtidire? Nereus dixit: Tu quidem momentaneas delectationes vides: quæ verò poſteà ſequuntur, diuturna pericula non vides. Primò enim, cùm integritatem, cum qua nata es, tibi eripuerint, amiſſo nomine virginis, mulier vocaris: & quæ nũquàm ingenuitati tuæ ne ipſos quidẽ parentes dominari paſſa es, corporis tui dominũ patieris hominem extraneũ; qui te ceu viliſſimo mancipio abutatur, nec æquo ferat animo vllius vnquàm te colloquio perfrui, ne ipſos quidem notos, non affines, non nutrices, non vernaculos tecum nutritos, tibi ſinat eſſe affabiles. Periclitabitur viſus, itemque auditus, & quicquid etiam ſimplici & candido animo feceris, ſuſpicioni erit obnoxium. Reſpondit Domitilla: Scio matrem meam habuiſſe patrem meum virum zelotypum, & his iniurijs longo tempore eſſe exagitatam. Sed num ego propterea quoque talem ſum habitura maritum? Achilleus dixit: Sponſi plerique omnes ante nuptias modeſtos & perquàm humanos ſe ſimulant: at poſteà totos ſeſe produnt: & ſi ſint libidinoſi, ancillas amant, easque etiam tum, cùm dominas ſuas contemnunt & ducunt pro nihilo, ſuperba & iracunda contentione defendunt, & non verbis duntaxat, ſed etiam verberibus vlciſcuntur: cumque iniurius ſermo, etiam à pia parente dictus, vix æquabiliter toleretur, horum & pugnos duriſſimos & truces calcium ictus ferre oportet.

Virginitatis amiſſæ & matrimonij incommoda.

Cap.2.

Sed eſto, neque libidinibus deditus, neque zelotypus ſit ſponſus, ſed blandus etiam & commodus: verùm etiam tum, quæ ſint coniugi expectanda incommoda, videamus. Conceptum vteri pondus die noctuque geſtabit inuita: quo pondere fit, vt ſit meticuloſa, ægra, pallida, vix ſuis pedibus valens ingredi, ciboſque ſalubres faſtidiens, noxijs delectetur. Iam ſi ſinus ipſe interior aut calore immodico, aut nimio frigore, ſiue etiam macie aut pinguedine plùs æquo affectus ſit, inde tot morbi exiſtunt, cum quibus ſolent multi edi in hanc lucem, quales ſunt incurui, claudi, ſtrabi, muti, vlceroſi, dæmoniaci, quibus plerunque priùs adhibendus ſit exorciſta, quàm nutrix: vt nihil dicamus de partubus illis, qui ſuas matres necdum editi perimunt: vbi non ſolùm obſtetricibus, ſed etiam viris ignotis, puta medicis, ſæpè eiuſmodi naturæ ſecreta incommoda, cum multa verecundia detegi neceſſe eſt. His ab Achilleo dictis, Nereus ſubiunxit: O quàm beata eſt ſancta virginitas, harum calamitatum expers, amabilis Deo, chara ſpiritibus angelicis: quam qui obtinet, ſimilis Deo eſt: ea autem deſtitutus, hactenùs Dei perdidit ſimilitudinem, quatenùs integritatem perdidit, & corruptioni obnoxius eſt. Et poteſt quidem mulier, ſi corrupta ſit, culpam pœnitentia abolere, integritatem verò recuperare nunquàm poteſt. Quantæ igitur amentiæ eſt, alienæ velle ſubdi libidini: quantæ imprudentiæ, qui poſſit cum gaudio, angelorumque & hominum applauſu expectare integritatis præmia & coronam ſempiternam, eum per lamenta pœnitentiæ poſteà eò conniti debere, vt poſſit pollutionis obtinere veniam? Et quidem ſanctitas omnis, ſi vel voluntate vel neceſſitate aliqua amiſſa ſit, ad ſtatum ſuum & priſtinam gloriam per pœnitentiam reuocari poteſt: ſola virginitas, ſi ſemel prodita ſit, manet irreparabilis. Culpa eius amiſſæ, lachrymis pœnitentiæ poteſt elui: ipſa verò in priſtinum gradum reſtitui non poteſt. Denique perdita omnia recuperare licet: virginitas, ſi proſtituta ſit, nullam admittit inſtaurationem. Nam etiamſi mulier corrupta, per pœnitentiam poteſt ad culpæ indulgentiam peruenire, nulla ta-

Encomia ſanctæ virginitatis.

re,nullâ tamen ratione conſequi id poteſt,vt virgo ſit,ſicut creata eſt,ſemel amiſſa integritate,in qua nata fuit. Eſt autem certè ſancta virginitas grata inprimìs & familiaris Deo patri,& filio,& Spiritui ſancto. Vt enim regina, omnium nobilium & illuſtrium matronarum perſonis antefertur: ita virginitas cæteras virtutes antecellit, proximumque à martyrio locum obtinet. Blanditur ei fides,amplectitur eam ſpes,oſculatur charitas: patientia,mundi contemptus, perſeuerantia,vigilantia, conſtantia,hoſpitalitas, miſericordia,pia ſolicitudo,ſcientia,probitas ei obſequuntur: quæ ſunt paradiſi flores immarceſcibiles,& in angelicis pratis atq; nemoribus ſanctos ſpirant odores,vbi vita æterna naribus hauritur,vbi aër ipſe tantam ex ſe diffundit odoris ſuauitatem, vt quiſquis eum naribus attraxerit,deinceps non poſſit mœrore affici,non morbo vllo corripi,ſed lætus ſemper ſit,de vitæ immortalitate ſecurus. Virginitas Deo gratiſſima. Vita beata in cælis.

Cùm hæc eſſent à Nereo dicta,Achilleus ait: Quæ frater meus iam commemorauit,perexigua ſunt,tanquam ſi quis ex immenſo flumine ſextarium vnum hauriat,qui poteſt quidem copioſiſſimi fluminis eſſe quædam delibatio, ſed nullo pacto aquarum eius copiam omnem comprehendere poteſt. Ita etiam vitæ illius infinita gaudia & voluptates ſermo nullus explicat,nulla capit cogitatio,nulla diſputatio complectitur. At verò neque in hoc ſeculo virginitas perdit decus & ingenuitatem ſuam. Non timet viri inſultus,non eſt ſubdita homini corruptori,qui mundā contaminat, reſignat obſignatam, violat integram,liberam redigit in ſeruitutem, & quæ à Deo condita eſt ingenua, eidemque & ſanctis omnibus chara eſt,eam violenter cogit eſſe ſuæ libidinis ancillam: deinde intra domeſticos parietes, haud aliter atque in priuata cuſtodia, ſeruat incluſam,non patitur ab alijs ſalutari, nec parentibus eam inuiſendi facit copiam: nutritores,nutrices,affines velut hoſtes quoſdam ab eius conſolatione & colloquio excludit, & ne ipſis quidem infantibus liberam facit cum ea loquendi poteſtatem, veritus ne illi parentibus eius prodant,quibus ea ab ipſo afficiatur iniurijs,qui cùm adhuc eſſet ſponſus,virgini fallaciſſimè blandiri conſueuerat. Mentior,ſi non hæc ita acciderint,& non minora etiam à me dicta ſint,quàm ſoleat exercere in coniuges maritorum ſuperbia, agente partim angelo Dei ſancto,virginitatis patrono, quòd hanc proſtituere voluerit,atq; è ſuo excludere prædio eam,quæ vnà cum ipſa nata fuit, in eiuſque locum ſuccedere permiſerit inimicam corruptionem,quæ ad id vſque temporis nunquàm ibi locum habuit. Cap. 3. Mariti plerique quàm ſint duri in coniuges.

Faciamus autem angelum Dei ita eam compellantem: Dic mihi mulier,in quo te læſit virginitas,vt illam à te eijcias,& eius inimicam corruptionem admittas? Cùm è matris vtero prodires,tecum perpetuò permanſit,tecum lactata eſt,tecum inter infantiæ vagitus,inter blandimenta & nutrimenta, inter tædia & moleſtias perſeuerauit. Cùm ægrotares, cùm vigilares,dormires,ſurgeres,aſſideres,veſtireris,ornareris,eſurires,epulareris,ſemper tibi præſtò fuit. Non deſeruit operam literis dantem, non catechumenam, non baptiſmate ablutam, non Chriſti ſanguine conſecratam. Tecum venit ad nuptias Chriſti & Eccleſiæ,vbi thalamus eius,gemmis virtutum inſtructus, mundarum mentium ornamentis quotidiè decoratur. Ex quibus nuptijs quotidiè naſcuntur innumeri,patre Chriſto, matre Eccleſia: nec tamen amouetur thalamus, quandoquidem Chriſtus pater nunquàm deſinit ſponſus eſſe, nunquàm mater Eccleſia ſponſa. Semper enim Chriſtus & pater & ſponſus eſt: ſemper Eccleſia & mater & ſponſa eſt, nec parere ceſſans, nec immaculatæ virginitatis vlla ſentiens diſpendia. Ex Chriſti enim caſtiſſimis amplexibus integritas non minuitur, ſed augetur: & Eccleſia pariens,augmenta potiùs capit,quàm vlla detrimenta virginitatis: cuius ornamenta vario gemmarum ſplendore coruſcant; ex cuius ore mellita diuinæ legis eloquia manant,& perpetua profluunt virginibus blandimenta. O felix & ſancta virginitas, quæ etiam in terris degens inter homines peccatores, magnis frueris gaudijs: quibus tandem potieris inter angelos in cælis? qua te illi complectentur beneuolentia? quis illic erit decor tuus,gemmas vincens omnes quanuìs precioſiſſimas? Semper illic aderit tibi iuuenis ſpecioſiſſimus, Chriſtus rex, regis omnipotentis filius, ſplendidus,auricomus, diadematus, ſolis radios ſuo fulgore obſcurans, tibi perpetuò blandiens, & gaudia ſempiterna concilians. Elige nunc igitur Domitilla,quem velis: vel hunc æternum,perpetuas adferentem delicias & bona ſempiterna: vel hominem mortalem, cum quo eius pariter deliciæ ſint interituræ. Cap. 4. Nuptiæ Chriſti & Eccleſiæ. Virginum gloria in cælis.

Hec & id genus alia multa proſequentibus Nereo & Achilleo, Domitilla virgo prudentiſſima dixit: Vtinam iam olim diuina hæc ſcientia mihi obtigiſſet: certè nunquàm

ſponſæ nomen ſuſcepiſſem,& ſine labore mihi hunc titulum ſumerem: & ſicut baptizata idolorum cultui valefeci,ita hac ratione inſtructa, carnale hoc commercium reſpuiſſem. At nunc quando Deus ſermone oris veſtri voluit lucrari animam meam, non dubito quin etiam rationem vobis indicaturus ſit,qua poſſit per vos effici id,quod pro eius amore optamus. Deinde Nereus & Achilleus abiêrunt ad S. Clementem Epiſcopum,eique dixerunt: Licèt gloria tua ſit omnis in Domino Ieſu Chriſto,nec humana dignitate glorieris,at tamen non ignoramus, Clementem Conſulem, patris tui germanum fratrem fuiſſe. Cuius ſoror Plautilla nos infantulos emit: & quando à Petro Apoſtolo verbum vitæ audiens credidit & baptizata eſt,nos vna cùm filia ſua Domitilla ſacro baptiſmate voluit initiari. Eodem autem anno Petrus Apoſtolus per martyrium migrauit ad Chriſtum, & Plautilla quoque diem ſuum obijt. Porrò Domitilla filia eius, cùm Aurelianum illuſtrem haberet ſponſum, à noſtra paruitate didicit ſermonem, quem nos ab ore Apoſtoli accepimus, quòd virgo, Chriſti amore in virginitate perſeuerans,ipſum habeat ſponſum, & cum illo delicijs & gaudijs fruatur ſempiternis. His itaque & eius generis alijs à nobis acceptis, cupit virginitatis ſuæ votum manûs tuæ velamento ſacrari. Reſpondit Clemens Pontifex: Tempus adeſt,vt video,quo & mea,& veſtra,& illius vocatio ad martyrij palmam pertingat. Sed quia præceptum Domini eſt, ne timeamus eos, qui corpus occidunt: contemnamus hominem mortalem,& principi vitæ ſempiternæ modis omnibus parere nitamur. His dictis, abijt ad Domitillam, eamque conſecrauit. At quia longum eſt ordine commemorare,quæ mala paſſa ſit à ſponſo Aureliano furijs exagitato, ad huius hiſtoriæ calcem ea reijcimus. Impetrauit autem à Domitiano principe,vt ſi ſacrificare nollet, in * Pontiam inſulam relegaretur,ſperans ſe illo in exilio animum virginis à perſeuerantiæ propoſito deducturum.

Plautilla mater S. Domitillæ. *Matth. 10.* *S. Domitillæ exilium.* ** Pontianā*

Cùm igitur in ea inſula exularet,adeſſentque ei Nereus & Achilleus, erant illic etiam duo malefici,Simonis Magi diſcipuli,Furius & Priſcus,propter artes magicas eò relegati. Hi magicis præſtigijs penè omnes inſulæ incolas eò adduxerant, vt Simonem Magum ceu Dei filium colerent, Petrum autem Apoſtolum præter meritum inimico in illum animo fuiſſe ſentirent. Opponebant autem ſe illis Nereus & Achilleus, dixeruntque hominibus in inſula illa degentibus: Marcellum nôſtis, Marci præfecti Vrbis filium? Reſponderunt illi: Ecquis verò illum ignoret? Nereo rurſus & Achilleo dicentibus, Admittitis'ne huius de Simone & Petro teſtimonium? aiebant: Nimis ille delirat, qui tanto viro fidem adhibere non vult. Nereus & Achilleus dixerunt: Date ergo hoc ſaluti veſtræ, vt donec illi nos ſcribamus, & ille nobis reſpondeat, ab horum vos doctrina ſubducatis. Vbi autem nos ſcripſerimus, eligatis vnum ex vobis, qui epiſtolam noſtram ad eum perferat, quam nos quidem vobis præſentibus cupimus recitari, ſicut & illius reſponſum. Nerei autem & Achillei epiſtola hæc eſt:

Cap. 6. Furius & Priſcus malefici.

Nereus & Achilleus ſerui Chriſti Ieſu, fratri & condiſcipulo Marcello æternam ſalutem. In Pontiæ inſulæ ergaſtulum relegati propter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, gaudemus quidem, ſed gaudium noſtrum perturbant Furius & Priſcus, diſcipuli Simonis, qui propter artes magicas huc in exilium deportati ſunt. Aiunt illi à culpa alienum fuiſſe Simonem,porrò Apoſtolum Petrum ſine cauſa eum execratum eſſe. Cumque diceremus nos inſulæ habitatoribus, ne commodarent eis fidem, memorauimus illuſtrem & idoneam perſonam tuam,quæ poſſit ſcriptis ipſos efficere certiores,cuiuſmodi fuerit Simonis Magi vita, & quemadmodùm, cùm eius fueris diſcipulus,res eius omnes benè cognitas & exploratas habeas: quas oramus vt perſcribere ne graueris,vt homines innoxij ab horum fraudibus & impoſturis liberentur. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti tecum.

Cap. 7. Epiſtola Nerei & Achillei ad Marcellum.

Marcellus ſeruus Chriſti, ſanctis confeſſoribus Nereo & Achilleo: Lectis literis veſtris, gaudio ſum repletus, quòd intelligerem vos in fide conſtantes eſſe, & pro veritate certare viriliter. Et quia ſcribitis obiectam vobis Simonis innocentiam, retexam partim vitam illius, vt ex paucis cætera colligantur. Ego quidem, cùm in eius me diſciplinam tradidiſſem, poſteaquàm animaduerti hominem eſſe malignum, & infantium trucidatorem, itemque maleficum & perfractorem, diſceſſi ab illo,& me ad dominum meum S. Petrum Apoſtolum adiunxi: quem cùm Simon magum diceret,& populum Romanum eius odio inflammaret, derepentè eo loco, vbi Petrum Simon inſimulabat, vidua tranſijt cum multa populi frequentia, filium vnicum

Cap. 8. Marcelli reſponſum. *Simonis Magi hiſtoria breuis.*

eum efferens triſtiſſima. Id vt vidit S. Petrus, ait ad populum Simoni credentem: Deponatis è feretro defunctum hominem, & qui eum excitârit, eius veram eſſe fidem ſentiatis. Cùm populus ita feciſſet, Simon dixit: Si ego hunc vitæ reddidero, num vos Petrum interficietis? Reſpondit omnis turba: Viuum eum concremabimus. Mox Simon dæmonum opera id effecit, vt nonnihil moueretur cadauer. Eo viſo, ſublatis vocibus populus Simonem prædicat, Petro exitium minatur. At Petrus vix impetrato ſilentio, ait: Si viuit, loquatur, ambulet, cibum capiat, reuertatur ad ædes ſuas. Si id non fecerit, non dubiteris fallacem eſſe Simonem. Tum vna voce clamauit populus: Niſi id effecerit Simon, pœnam, qua voluit affici Petrum, ipſe luat. Simon verò iram ſimulans, fugere voluit: ſed populus cum multa exprobratione eum detinuit. Porrò Apoſtolus Petrus ad cælum manus tollens, ait: Domine Ieſu Chriſte, qui nobis dixiſti: In nomine meo dæmonia eijcite, infirmos curate, mortuos ſuſcitate: excita puerum hunc, vt omnis hæc turba cognoſcat te eſſe Deum, nec alium præter te: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Mox puer exurgens, & ad Petri Apoſtoli pedes ſe abijciens, ait: Vidi Dominum Ieſum Chriſtum iubentem angelis, vt propter preces tuas me orphanum reſtituerent viduæ matri meæ. Tunc populus exclamans, Vnus, inquit, eſt Deus, quem Petrus prædicat. Simon autem per præſtigias caput canis ſibi fingens, fugam capeſſebat, ſed eum retētum cùm populus vellet flammis comburere, Petrus ita dixit: Præceptor noſter docuit nos pro malis bona reddere: effecitque, vt Simon dimitteretur. Is verò vt ad me venit, putans me quid actum eſſet, neſcire, canem ingentem ligauit ad aditum domûs meæ, dicens: Videamus, num ſit pro more ad te ingreſſurus Petrus. Poſt horam vnam veniens Petrus, ſigno crucis edito ſoluit canem, iuſſitque eum dicere Simoni, vt ceſſaret dæmonum opera fallere populum, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum fudiſſet. His ego viſis, accurri ad Petrum, eumque reuerenter excepi in domum meam: porrò Simonem cum cane expuli. Et canis quidem omnibus ſe blandū exhibens, ſolùm Simonem perſequebatur: cumque eum proſtrauiſſet, Petrus in Chriſti nomine præcepit ei, ne vllum corpori eius morſum inferret. Et corpus quidem non attigit, ſed veſtes adeò lacerauit, vt nulla pars corporis tecta maneret. Populus verò, & inprimìs pueri vnà cum cane eum inſectantes, extra vrbis mœnia ceu lupum expulerunt: quam ille ignominiam non ferens, toto anno delituit. Poſtea Neroni commendatus eſt, qui eum in ſuam amicitiam admiſit, homo improbus ſeipſo nequiorem. Apparuit autem in viſione Dominus Petro Apoſtolo, dicens: Simon & Nero, pleni malo dæmone, aduersùm te cogitant: ſed ne timeas: ego tecum ſum, adiungamque tibi Paulum Apoſtolum, cras vrbem ingreſſurum, pariterque poſt menſes ſeptem cum Simone confligetis, eoque ſuperato & in tartarum detruſo, ſimul ad me victores peruenietis. Altera die venit Paulus Romam: quo autem pacto cum Simone congreſſi ſint, cùm voſipſi coràm ſitis intuiti, ſuperfluò mihi viſus ſum apud vos velle referre: maximè cùm S. Linus ad Orientis Eccleſias omnem paſſionis eorum ſeriem Græcè perſcripſerit. De Petronilla verò, filia Petri Apoſtoli, domini mei, quando ſollicitè perquiritis, quis eius vitæ finis fuerit, paucis annotabo.

Matth. 10.

Puer reuiuiſcit.

Matth. 5.

Simon Magus laceratur à cane.

Petronillam itaque bene nôſtis voluntate Petri Apoſtoli clinicam factam. Memini enim interfuiſſe vos, cùm permulti eius diſcipuli apud illum ederemus, & Titus diceret ad eum: Quando omnes à te curantur, cur Petronillam pateris ex paralyſi decumbere? Cui tum Petrus reſpondit: Sic enim ei expedit. Ne quis tamen putet me his verbis indicare voluiſſe, fieri non poſſe vt ſanetur, volo vt ſurgat & miniſtret nobis. Et mox illa ſurrexit incolumis: expleto autem miniſterio, iuſſit eam Apoſtolus redire ad lectum ſuum. Poſtquàm autem in Dei timore cœpit eſſe perfecta, non modò ipſa curata eſt, ſed etiam permultis alijs ſuis precibus obtinuit ſanitatem. Cùm autem eſſet præſtanti forma corporis, Flaccus Comes venit ad eam cum militibus ſuis, ſibi eam coniugem aſſciturus. Dixit verò illi Petronilla: Itáne ad puellam inérmem cum armato milite venis? Si me vis habere coniugem, da operam, vt matronæ & virgines honeſtæ poſt triduum ad me veniant, vt ego cum illis pariter accedam ad ædes tuas. Trium itaque dierum ſpatio impetrato, ſancta virgo ieiunijs & orationibus vacauit, habens apud ſe ſanctam virginem Feliculam in Dei timore perfectam. Tertio inde die venit ad eam S. Nicomedes preſbyter, Chriſtique myſteria celebrauit: cumque virgo ſacratiſſima Chriſti Sacramentum accepiſſet, reclinans ſe in lectulum, emiſit ſpiritum. Matronę autem & virgines, quas Flaccus ad eam miſerat, exequias funeris eius celebrârunt.

Cap. 9.

S. Petronillæ hiſtoria.

Flaccus Comes eam vult habere coniugem.

Miſſæ vſus antiquiſſimus.

Porrò

Cap. 10. S. Feliculæ martyrium. Porrò Flaccus animum aliò transferens, dixit ad Feliculam: Vnum è duobus elige, vt aut ſis mea coniunx, aut dijs ſacrifices. S. Felicula reſpondit: Nec vxor tua ero, quia Chriſto ſacrata ſum: nec immolabo idolis, quia Chriſtiana ſum. Tunc Flaccus tradidit eam cuidam Vicario, incluſaque eſt in obſcuro quodam cubiculo, & manſit illic dies ſeptem abſque cibo. Dicebant autem ei vxores cuſtodum: Cur vis mala morte perire? Accipe virum hunc nobilem, diuitem, formoſum, florente ætate, Imperatoris amicum & Comitem. At Felicula nihil ijs reſpondit, niſi hoc ſolùm: Virgo Chriſti ſum, & præter eum nullum alium accipio. Poſt dies ſeptem ducta eſt ad Veſtæ virgines, vbi rurſus totius hebdomadæ inedia ſe affecit. Nulla enim ratione eò potuit adduci, vt ex illarum manibus cibum caperet. Deinde ſublata in eculeum, dicebat alta voce: Iam cœpi videre Chriſtum amatorem meum, in quem totus amor meus defixus eſt. Cumque dicerent ei tum alij omnes, tum etiam tortores eius: Nega te Chriſtianam, & dimitteris: illa clamabat: Ego amatorem meum non nego, qui mea cauſa fel edit, acetum guſtauit, ſpinis coronatus & cruci affixus eſt. Poſt hæc ab eculeo depoſita, & in cloacam proiecta eſt. Sanctus autem Nicomedes presbyter in ſpelunca degens, clàm abſtulit corpus eius, noctu in biroto vehens illud ad caſulam ſuam ſeptimo milliario ab vrbe Roma via Ardeatina, ibique eam ſepeliuit: quo in loco fructificant orationes eius vſq; in hodiernum diem. Peruenit autem ad Flaccum, quid egiſſet Nicomedes presbyter, iuſſitque eum comprænhenſum duci ad ſacrificandum. Sed dicente illo, Ego non ſacrifico, niſi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis: non iſtis ſaxeis dijs, qui in templis quaſi in carceribus cuſtodiuntur: plumbatis diutiſſimè cæſus, migrauit ad Dominum. Corpus autem eius in Tyberim demerſum eſt, quod quidam eius clericus, re & nomine Iuſtus, collegit, birotoque impoſitum, tranſtulit ad hortulum ſuum iuxta muros via Numentana, atque illic humo condidit: vbi Dominum orantes, ea, quæ petunt, aſſequuntur eius martyrij interuentu.

S. Nicomedes perimitur.

Cap. 11. Epiſtola Eutychetis &c. de nece Nerei & Achillei. Eutyches, Victorinus & Maro, ſerui Domini noſtri Ieſu Chriſti, Marcello: Quando venerunt literæ tuæ, ad ſanctos Nereum & Achilleum ſcriptæ, illi iam ante dies triginta peruenerant ad coronam. Cùm enim Flauia Domitilla, virgo illuſtriſſima, immò Chriſtianiſſima, ab ipſis eius eunuchis docta virginitatem ſuam Chriſto conſeruare, Aurelianum ſponſum ſuum contemneret, is propter Chriſti profeſſionem in hanc inſulam fecit eam relegari, atque etiam huc veniens, Nerei & Achillei animos cœpit muneribus pertentare. At illi dona eius execrantes, Domitillæque fidem magis magiſque in Domino confirmantes, grauiſſimis verberibus ſunt attrectati, & Taracinam miſſi, Memmio Rufo conſulari traditi ſunt: qui cùm eos eculeo & flammis ad immolandum idolis compelleret, reſponderunt ſe à beato Petro baptizatos, nulla ratione poſſe idolis immolare: ſicque capite cæſi ſunt. Eorum autem corpora rapuit Auſpicius diſcipulus eorum, nutritor ſanctæ virginis Domitillæ, & in crypta arenaria ſepeliuit via Ardeatina, milliario vno & dimidio ab Vrbis muro, iuxta monumentum, quo condita fuerat Petronilla, Apoſtoli Petri filia, quemadmodùm Auſpicius ipſe nobis retulit. Erit igitur charitatis tuæ, ſolicitè curam noſtri gerere, & eiuſmodi aliquem ad nos mittere, qui & tua & noſtra ſoſpitate nos exhilaret. Dies natalis martyrum horum eſt 4. Idus Maias.

Cruciatus, conſtantia & cædes SS. Nerei & Achillei.

Cap. 12. His literis acceptis, Marcellus miſit germanum ſuum ad inſulam, qui cum his Chriſti confeſſoribus egit illic annum vnum: ac deinde reuerſus ad Marcellum, hæc enarrauit: Cùm Aurelianus, cæſis Nereo & Achilleo, Domitillam ad ſibi conſentiendum inducere moliretur, dictum eſt illi à quodam, maiorem ei intercedere amicitiam cum Eutyche, Victorino & Marone, quàm cum Nereo & Achilleo interceſſiſſet. Itaque à Nerua principe impetrauit eos ſibi donari, ſi ſacrificare nollent. Sed illis viriliter agentibus, & minas Aureliani contemnentibus, ex inſula amotos, tanquam ſeruos ſuos per ſua prædia diuiſit, Eutychem decimo & ſexto milliario ab Vrbe via Numentana, Victorinum milliario ſexageſimo via Salaria, Maronem centeſimotriceſimo eadem Salaria via: iuſſitque eos tota die terram fodere, & cantabrum edere ad veſperam. (Sic enim habet hiſtoria: quid autem cantabrum vocet, ignoro, niſi fortè Cantabricam herbam velit accipi, cuius meminit Plinius lib. 25. cap. 8.) Sed Deus omnipotens fecit illos gratioſos in locis peregrinis. Eutyches enim filiam conductoris loci illius à dæmone liberauit: Victorinus loci vicedominum, triennio ex paralyſi decumbentem, precibus ſanauit: Maro hydrope vexatum curauit. Loquebantur intereà populis, multoſque ad Chriſti religionem traduxère, ornatique presbyterio, credentium

numerum

numerum egregiè auxerunt. Id non ferens ſatan, Aureliani animum ira inflammauit, isque multos eò miſit, qui multiplici pœnarum genere illos interficerent: & Eutychem quidem media via cædi iuſſit, donec exhalaret ſpiritum: cuius corpus Chriſtiani cum multo honore ſpeliêrunt, & ſuper illud baſilicā in Chriſti nomine extruxerūt. Victorinum autem apud Cotilias, vbi putentes & ſulphureæ emanant aquæ, in ipſas aquas capite deorſum verſo trium horarum ſpatio deprimi mandauit, iterumq́; ſuſtolli. Quod cùm triduo vir ſanctus pro Chriſti nomine pertuliſſet, migrauit ad Dominum. Etſi autem Aurelianus vetuerit, ne quis illud terra conderet, at tamen poſtridiè venerūt Amiternenſes, raptumque in ſuum territorium tranſtulêre, mandâruntque ſepulturæ. Denique Maronem voluit ab amico ſuo Turgio ingenti ſaxo opprimi. Itaque in eius humeros impoſita eſt petra immaniſſima, quam homines ſeptuaginta ægrè poſſent trochlea adducere. Eam autem vir ſanctus tanquam leues paleas ad duo milliaria portauit illæſus, eoque loci eam repoſuit, vbi ſolitus erat Domino preces offerre: cuius ſanè facti admiratione eius prouinciæ populus adductus eſt ad fidem Chriſti, & ſacro baptiſmate expiatus. Porrò Conſularis, acceptis ab Aureliano muneribus, S. Maronem occidit. Populus verò in ea petra, quam humeris ſuis geſtârat, excidit ſepulcrum, ibique eum condidit, & in eius nomine Chriſto eccleſiam fabricauit, in qua præſtantur beneficia Domini vſque in præſens in ſui nominis gloriam.

Cædes Eutychetis. Item Victorini. Item Maronis.

Poſtquàm igitur ſanctos omnes, qui S. Domitillæ erant ſolatio, è medio ſuſtulit Aurelianus, dixit ad Sulpitium & Seruilianum illuſtres iuuenes: Scio collactaneas Domitillæ Euphroſynam & Theodoram vos habere ſponſas, virgines ſapientiſſimas. Vbi ergo Domitillam ego ex inſula in Campaniam reuocauero, illæ inuiſendi gratia ad eam accedant, vt ſua perſuaſione inducant eam ad obſequendum mihi. Itaque Domitilla ex Pontia inſula Taracinas perducta, Euphroſyna & Theodora venerunt ad eam, pariterque magno ſunt gaudio affectæ. Cùm autem ventum eſſet ad epulas, illis prandentibus, Domitilla ieiunijs & precibus dabat operam. Dixerunt autem ei Euphroſyna & Theodora: Dum prandemus nos & viris nubimus, non poſſumus colere Deum tuum? Reſpondit Domitilla: Vos quidem ſponſos habetis, viros nobiles. Quòd ſi verò alij ignobiles & humili loco nati, ab illis auocare vos vellent, ſibique matrimonio iungere, num vos illis pareretis? Euphroſyna & Theodora dixerūt: Auertat hoc Deus à mentibus noſtris. Tum Domitilla, Auertat, inquit, & à mente mea. Magnum enim ego ſponſum habeo filium Dei, qui de cælo deſcendens, promiſit ſe illarum fore ſponſum, quæ virginitatem ament, ſuique amore in virginitate permanentibus daturum ſe vitam æternam, & è corpore abeuntes ducturum in cælos, in thalamum ſuum ſempiternum, vbi cum angelis exultent, & inter flores aromatum in medio paradiſi vitam viuant iucundiſſimam, & ſine fine ſplendidiſſimè epulentur. Cùm autem ille hæc promitteret, & dictis eius fides non haberetur, cæcis viſum reformauit, leproſos curauit, morbos omnes depulit, mortuos excitauit. Atque hunc in modum verum ſe Dei filium declarauit, & multi in eum crediderunt.

Cap. 13. S. Domitillæ Taracinas perducitur.

Ait autem ad illam Theodora: Fratrem habeo iuuenem, Herodem, iam annum vnum oculorum lumine orbatum. Si ergo vera loqueris, ſana illum in Dei tui nomine. Ait verò etiam Euphroſyna: Tu quidem Romæ habes fratrem cæcum: ego autem hîc habeo filiolam nutricis meæ, quæ ex morbo loquendi beneficium perdidit. Auditus quidem integer eſt, ſed lingua voces & verba formare non poteſt. Et hæc dicens, curauit puellam eò acciri. Domitilla igitur proſternens ſe in orationem, fleuit diutiſſimè. Deinde ſurgens, & manus expandens in cælum, dixit: Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: oſtende me verum tibi dixiſſe teſtimonium. His dictis, ſignum Crucis in os mutæ expreſſit, & ait: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti loquere. Mox puella in has erupit voces: Verus eſt Deus tuus Domitilla, & vera ſunt omnia, quæ tuo ore deprompſiſti. Tum ambæ ſe abiecerunt ad pedes Domitillæ, & credentes, myſterijs Chriſti initiatæ ſunt. Frater etiam Theodoræ cæcus eò adductus, Domitillæ precibus & mentis & corporis lumen obtinuit. Porrò omnes vtriuſque ſexûs homines, tum ſerui, tum ingenui, qui ex vrbe eò aduenerant, viſis his ſignis, in Chriſtum crediderunt, & baptizati ſunt: domusque illa, in qua manebant, inſtar eccleſiæ cuiuſdam erat.

Cap. 14. Matth. 28. Muta puella loquitur. Cæcus videt.

His ita geſtis, Aurelianus cum duobus ſponſis, quos diximus, venit, adducens ſecum tres, qui organis canerent, tanquam vno die triplices nuptias celebraturus. Sulpitius autem & Seruilianus vt viderunt mutam loqui, & Herodem Theodoræ fratrem

Cap. 15.

Sulpitius & Seruilianus credunt in Chriſtum.

trem viſum recuperâſſe, cognitis etiam omnibus, quæ dicta factaque fuerant, crediderunt: cumque Aurelianus multa inſtantia hortaretur eos, vt vno die nuptias celebrarent, illi vt homines ſapientiſſimi, dixerunt ei: Da honorem Deo, cuius virtute & muta loquitur, & cæcus videt. At ille neglectis ijs, quæ ab eis dicebantur, per vim iuſſit includi Domitillam intra cubiculum, vt poſſet ſecurus facere, quod ei libitum eſſet: poſitisque organis, à cœna cœpit lætus ſaltare inter eos, vt eſt moris in nuptijs. Porrò cæteris ſaltando defatigatis, ille ſine intermiſſione duos dies & noctes totidem ſaltauit, donec corruens expiraret. Ea re perterriti omnes, in Dominum crediderunt. Frater autem Aureliani Luxurius petijt ab Imperatore Traiano, vt liceret ipſi omnes hos ad ſacrificandum compellere, nolentesque quibus vellet pœnis affectos interimere. Itaque Sulpitium & Seruilianum Præfecto vrbis Aniano tradidit, qui non ignorans eos nuper Chriſtiana religione initiatos, cùm nullo pacto vellent deinceps idolis immolare, eos decollari pręcepit: quorum corpora Chriſtiani poſuerunt in prędio eorum via Latina milliario ſecundo: quo in loco exuberat virtus martyrij eorum vſque in præſentem diem. Poſt hæc Luxurius abijt Taracinas ad virgines Chriſti, & vt vidit prorſus eas ad ſacrificandum induci non poſſe, ablatis omnibus, quæ habebant, in eo cubiculo, in quo pariter morabantur, eas incluſit, igneque ſuppoſito combuſſit. Altero die ſanctus Cæſarius diaconus eò veniens, ſanctarum virginum corpora nihil læſa reperit. In facies enim ſuas proſtratæ, orantes Dominum deceſſerunt. Ea igitur nouo ſarcophago condens, in humo altiùs effoſſa ſepeliuit.

Aureliani interitus.

Sulpitij & Seruiliani cædes.

Item Domitillę &c.

MARTYRIVM S. PANCRATII, EX PERVETVSTO MS. CODICE DESCRIPTVM: CVI SVFFRAgantur *antiquiſsima Martyrologia. Stylum nonnunquàm modicè elimauimus.*

Maij 12. Cap. 1.

Cledonius pater Pancratij.

TEMPORIBVS illis immanis fuit perſecutio Chriſtianorum, quos dijs thura ponere volebant Diocletianus & Maximianus ſceleratiſſimi Imperatores. Fuit tum apud prouinciam Phrygiam Cledonius quidam, vir nobiliſſimus. Is habuit filium nomine Pancratium ex amiſſa coniuge. Vocauit autem ad ſe fratrem ſuum Dionyſium, commendauitque ei filium Pancratium, dicens: Coniuro te, frater chariſſime, per omnipotentem Deum & per magnam virtutem eius, vt omne patrimonium meum, quod ſiue hîc, ſiue in vrbe Roma videor habere, nepoti tuo Pancratio fideliter & accuratè conſerues. Ita mortuo Cledonio, Dionyſius erga Pancratium pijſſimum ſemper animum declarauit, adeoque eum dilexit, vt in nullo eum offendere videretur. Poſt triennij autem tempus Romam cum Pancratio profectus, in monte Cælio cum omni familia & cum dijs ſuis manſit. Propter nimiam verò perſecutionem, Pontifex Romanus in vico Dionyſij & Pancratij latitabat: cuius egregias virtutes cùm Dionyſius cognouiſſet, & vt omnem populum à cultu idolorum reuocaret, & ad viam rectam æternamque vitam perduceret, cum Pancratio nepote ad eius notitiam ſtuduit peruenire. Itaque quadam die venerunt ad oſtium Pontificis, & ſciſcitante Euſebio oſtiario, totius ſanctitatis viro, quidnam vellent, illi eius genibus aduoluti rogârunt, vt ad Pontificis conſpectum adduci mererentur. Euſebius nunciauit hoc Pontifici, ita dicens: Domine pater, quidam clariſſimi viri pro foribus ſtant, orantes vt tuæ beatitudini præſentari mereantur. Ijs auditis, ſanctus Pontifex, magno affectus gaudio, in orationem ſe proſternens, dixit: Domine Ieſu Chriſte, rex regum & Domine dominantium, qui mihi vltimo ſeruorum tuorum aduentum eorum reuelare dignatus es, confirma in eis opus tuæ miſericordiæ. Deinde iuſſit eos quamprimùm ad ſe introduci. Illi verò miſerunt ſe ad pedes ſancti Pontificis, rogantes, vt Chriſtum ipſis indicaret, quem hactenùs ignorâſſent.

Cap. 2. Dionyſius & Pancratius poſt catechiſin baptizantur.

At ſanctus Pontifex eos complexans, declarauit eis cæleſtem diuinitatem: porrò poſt dies viginti baptizauit eos. Facti igitur Chriſtiani, adeò cœpêre feruentes eſſe in timore Dei, vt etiam vltrò perſecutoribus ſeſe offerrent. Non poſt multos dies migrauit ad Dominum Dionyſius cum præmijs cæleſtibus, charus & dignus Deo. Cùm autem

tem nimius eſſet paganorum in Chriſtianos furor & inſania, debacchantes vociferâbantur: Inuictiſſimi & pijſſimi Imperatores, tollite ex hac vrbe magos & crudeles Chriſtianos, per quos vniuerſo mundo, & omni regno veſtro imponitur. Tunc ira incenſus Diocletianus Imperator, legem tulit, vt ſi quis huius ſectæ cultor inueniretur, etiam inauditus ſubderetur pœnis. Inter alios ergo comprehenſus mox eſt Pancratius: cumque didiciſſent perſecutores, qui eum tenebant, magnis eſſe natalibus ortum, nunciârunt Diocletiano Auguſto, qui iuſſit eum cum omni celeritate duci ad palatium ſuum: vtque vidit faciem Pancratij, obſtupuit ad tantam pulchritudinem, & quòd in tantilla ætate modis omnibus paratus eſſet mori pro Chriſto: aitque ad eum: Infantule, ego conſulo tibi, vt omiſſa vanitate, qua teneris, mihi conſentias, ne mala morte pereas. Video enim ætatem tuam non excedere quindecim annos. Et quia nobili genere natus es ex patre Cledonio, mihi amiciſſimo & chariſſimo, volo hoc à te extorquere, vt ab hac Chriſtianorum inſania diſcedas, reddaſque te natalibus tuis: & ego te honoribus & diuitijs auctum, loco filij habebo, meoque ſemper lateri adhærebis. Quod ſi verò pietatis meæ monita contempſeris, iubebo te interfici, & corpus tuum flammis exuri, ne fortè veniant Chriſtiani, & illud cum honore ſepeliant, teque pro martyre colant.

Cap 3. S. Pancratius puer annorum 14.

Beatus Pancratius reſpondit: Noli fruſtrà errare, domine Imperator, vt dum me vides puerum annorum quatuordecim, credas mihi minus aut ſenſûs aut ſcientiæ ſuppetere. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus eam nobis mentem & intelligētiam contulit, vt nullos prorſus aut principum aut iudicum terrores timeamus. Porrò dij tui, quos me hortaris colere, plani & impoſtores fuêre, qui nec ſuis pepercêre parentibus, & fratrum ſuorum ſe ſtupris contaminârunt: ita vt ego ſatis mirari non poſſim, quomodò non fœdum & turpe ſit apud te illos colere, quorum ſi ſimiles eſſe ſcires famulos tuos, iure in eos animaduerteres. Diocletianus his auditis, iuſſit eum duci in viam Aureliam, atque illic capite plecti. Turpe enim ipſi videbatur, vt à puero victus, ignominia notaretur. Itaque miniſtri Pancratium ab eius conſpectu auferentes, duxerunt eum ad locum deſignatum, moxque illi caput amputârunt. Octauilla autem corpus eius ſublatum noctu occultè, cum aromatibus & digniſſimis linteaminibus condidit in ſepulcro nouo 4. Idus Maias. Eodem tempore paſſa eſt ſacratiſſima virgo Soteris, nobili genere orta, Diocletiani ix. & Maximiani viij. (Incertum, vtrùm Imperij anno, vel Conſulatu) regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spirituſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorū, Amen. Gregorius Turonenſ. De gloria martyrum lib. 1. cap. 39. ita ſcribit de hoc martyre: Ad ſepulcrum Pancratij martyris ſi cuiuſquam mens inſana iuramētum inane proferre voluerit, priùs quàm ſepulcrum eius adeat, hoc eſt, antè quàm vſque ad cancellos, qui ſub arcu habentur, vbi clericorum pſallentium ſtare mos eſt, accedat, ſtatim aut arripitur à dæmone, aut cadens in pauimento, amittit ſpiritum.

Capite truncatur.

Martyrium Soteris virginis.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI EPIPHANII CONSTANTIAE EPISCOPI, EXCERPTA EX

voce Iohannis, vnius ex eius diſcipulis. Habetur autem in Simeone Metaphraſte.

Cap 1. 12. Maij ſecundum Latina Martyrologia.

Epiphanij patria & parentes.

EPIPHANIVS erat quidem genere Phœnix, ex ea regione, quæ eſt circa Eleutheropolim: diſtat verò à ciuitate ad tria milliaria. Fuit autem pater eius agricola: matris verò eius ſtudium erat, ſe in lino exercere. Ijs autem fuêre duo filij, Epiphanius, & vna filia Calitropes. Accidit autem vt eorum pater è vita excederet: Manſit verò Epiphanius decem annos natus matri ſuę, quādo mortuus eſt pater eius. Cruciabatur autem animo eius mater, dum ſolicita eſſet, quomodò Epiphanium aleret, & eius ſororem, quandoquidem erant modicæ eorum facultates. Cùm vnum verò iumentum haberent ad vſum ſuum, dixit mater Epiphanio: Fili, quoniam familia noſtra in ijs, quæ ad corporis vſum pertinent, nobis præbet anguſtias, & cibo indigemus, accipe iumentum, quod eſt intra domum noſtram, & vade ad nundinas, & vende: & ita id, quod erit ad nos alendos vſui, ſuppeditabimus. Epiphanius

phanius autem dixit matri ſuæ: Scis iumentum noſtrum adhuc eſſe indomitum, fietque, vt ſi eam ad id vendendum, qui circa ipſum congregati erunt, videntes eius inſolentiam, me pœna afficiant, dicentes: Cùm malum habeas, malè patieris ex lege. Dixit ei mater: Abi, fili. Deus patrum noſtrorum Abrahæ, Iſaac & Iacob, iumento dabit intelligentiam: vt per eius precium nos noſtro vſui ſeruiamus. Epiphanius autem, Deo inuocato, qui dedit Moſi gratiam, vt maxima ſigna faceret coram Pharaone, profectus eſt, volens obedire matri ſuæ.

Cap. 2. Cùm ad nundinas autem eſſet ingreſſus, accidit vt iumẽtum indomitum fieret placidum, & valdè manſuetum. Affuit autem quidam Iudæus negociator, nomine Iacob, qui dixit Epiphanio: Vis, ô fili, vendere hoc iumentum? Dixit Epiphanius: Maximè, pater: ea enim de cauſa id adduxi. Reſpondens autem, dixit Epiphanio: Cuiuſnam es religionis? Dixit Epiphanius: Iudæus. Dixit ei Iacob: Cùm ſimus eiuſdem gentis, non debet inter nos peccatum intercedere: ſed cùm ſit Deus noſter iuſtus, conſtituamus iuſtum iumenti precium, vt neque tu iniuria afficiaris, nec ego damnum patiar: ne maledicta poſteà nobis inferamus, & Deus nobis iraſcatur: ſed potiùs benedictiones. Quoniam dixit: Qui benedicit, benedicetur: & qui maledicit, eſt maledictus. His autem auditis, Epiphanius valdè timuit condemnationem Iacobi, & dixit ei: Nolo tibi ampliùs vendere hoc iumentum. Iacob verò dixit Epiphanio: Quanam de cauſa, ô fili? Epiphanius dixit ei: Hoc iumentum, ô Pater, eſt inſolens & indomitum: acerbiſſimæ verò famis anguſtiæ ſubière domum meam. Eſt autem mihi mater & ſoror: Pater enim meus exceſſit è vita humana. Mater mea iuſſit, vt venderem hoc iumentum, propterea quòd cibo indigeremus. Nunc autem audiui ex te, Pater, quòd malum ſit damnum afferre: & Deum timui, ne fortè tu mihi maledicas, & ille me puniat propter tuam in me maledictionem.

Epiphanius Iudæus.

Num. 24.

Cap. 3. Cùm hæc autem audijſſet Iacob, miratus eſt reſpõſum pueri: accepitque tres nummos, & dedit Epiphanio, ſimul etiam eum docens verbis huiuſmodi: Fili, hanc accipe benedictionem, & vade ad matrem tuam, & inferes panes in domum tuam: Tecum quoque accipe hoc iumentum: & ſi ſuum quidem mutet vitium, & mores inſolentes ac proteruos, maneat domi tuæ: Sin autem in hac perſeueret inſolentia, eijce è tuis ędibus, ne alicui ex tuis mortem afferat. Cùm hæc audijſſet Epiphanius, & à Iacobo tres nummos accepiſſet, accepto iumento, profectus eſt in vicum ad matrem ſuam. Prinſquàm autem ipſe ingrederetur in vicum circiter mille paſſus, occurrit ei homo Chriſtianus, nomine Cleobius, qui ei dixit: Vis vendere iumentum, ô fili? Reſpondens dixit Epiphanius: Nolo, Pater. Dixit autem Cleobius: Si vis eum vendere, cape eius precium, & ipſum mihi relinque. Cùm hæc autem Epiphanio diceret Cleobius, animal inſolenter irruens & impetum faciens, Epiphanium excuſſit, humitque alliſit, & abijt extra ſemitam. Epiphanius autem ex iumenti inſolentia grauem accepit dolorem, humíque iacebat, flens amarè, & non valens ſurgere. Cleobius verò accedens ad Epiphanium, & femur eius tenens in eo loco, in quo affectus fuerat ab inſolenti beſtia, cùm eum ter ſignâſſet, ſtatim erexit nihil mali in ſe habentem. Cleobius autem dixit iumento: Tibi dico, iumentum plenum omni inſolentia, quoniam voluiſti tuum dominum occidere, in nomine Ieſu Chriſti crucifixi, non ampliùs excedas ex hoc loco. Quod poſtquàm dixiſſet Cleobius, iumentum ſtatim cecidit in terram mortuum. Cleobium autem interrogauit Epiphanius, dicens: Quis eſt, ô pater, Ieſus crucifixus, quòd talia fiunt per eius nomen? Reſpondit Cleobius, & dixit Epiphanio: Hic Ieſus eſt filius Dei, quem crucifixerunt Iudæi. Epiphanius verò timuit ſignificare Cleobio ſe eſſe Iudæum. Cleobius autem perrexit ſuum iter ingredi, & Epiphanius in vicum venit ad matrem ſuam. Quem videns mater, excepit eum gaudio. Matri verò ſuæ expoſuit Epiphanius omnia, quę ſibi euenerant propter inſolentem & peſſimam beſtiam. Aliquanto autem pòſt tempore dixit mater Epiphanio: Ecce, fili, terra inculta nihil producit, neque nobis ex ea eſt aliquid ſolatij. Erat autem eis quoddam prædiolum, quod pater eius diligenter colens, ex eo habebat aliquid ſolatij. Dixit ergo ei mater: Vendamus prædiolum noſtrum homini agricolæ: & tu vade ad aliquem hominem Deum timentem, & diſce artem, qua poſſis & te alere, mihique & tuæ ſorori panem ſuppeditare.

Signi Crucis efficacia

Miraculum.

Cap. 4. Erat autem quidam Iudæus legiſperitus in ciuitate Eleutheropoli, vir admirandus & religioſus congruẽter legi Moyſis. Is habebat poſſeſſionem in vico, in quo natus erat Epiphanius, qui iam cognoſcebat eius patrem & matrem, ſimiliter autem Epiphanium, & eius ſororem. Is cùm veniſſet ad viſendas ſuas poſſeſſiones, dixit matri Epiphanij:

nij: Mulier, vis dare mihi filium tuum in filium? tuque & tua filia parabitis è domo noſtra, quæ erunt vobis vſui. Mater autem Epiphanij, cùm hæc audijſſet à legiſperito, valdè lętata eſt, & cùm accepiſſet Epiphanium, eum legiſperito ſtatim dedit in filium. Erat legiſperito illi nomen, Tryphon, qui habuit filiam vnigenitam, volebatque eam iungere Epiphanio. *Tryphō adoptat Epiphanium.*

Cùm itaque Tryphon Epiphanium accepiſſet in filium, quæcunque ſunt legis, eum diligenter docuit, & elementa Hebraica accuratè. Mortua eſt autem filia Tryphonis, ſolusque Epiphanius erat in domo eius, proficiens ætate & ſapientia Hebraica. Accidit verò, vt Tryphon quoque decederet: omneſque facultates ſuas reliquit Epiphanio. Mortua eſt autem mater quoque Epiphanij. Qui accepit ſororem ſuam in domo, quæ à Tryphone ſibi relicta fuerat. Erantque ambo domi in magna vitæ tranquillitate, conuenienter doctrinæ, quam acceperant à Tryphone. Egreſſo autem Epiphanio in vicum, in quo natus fuerat, in quo etiam habebat poſſeſſiones relictas à Tryphone, occurrit ei vir quidam Chriſtianus, nomine Lucianus, admirandus & eruditus, qui vitam exercebat monaſticam, & elegantis librarij artem apprimè tenebat, eique ſtrenuè nauans operam, ex ea panem quærebat quotidianum: & quod ſupererat, impartiebat egentibus. Atque Epiphanius quidem iumentum conſcenderat: beatus autem Lucianus in via ambulabat, & ambo ſibi inuicèm occurrerunt. Accidit verò, vt pauper quidam pedes Luciani præhenderet, & ei diceret: Homo Dei, miſerere meî: iam enim tres dies permaneo ieiunus, vt qui nihil habeam. Beatus autem Lucianus, cùm nihil aliud poſſet dare pauperi, ſe amictu exuens, eum illi donat, dicens: Ingredere ciuitatem, & vende, & eme tibi panes. *Cap. 5.* *Lucianus monachus inſignis.*

Aduertit autem Epiphanius, quòd cùm ſe exuiſſet Lucianus, & dediſſet pauperi, veſtis candida de cælo deſcendens eum texerat. Magno itaque timore fuit affectus Epiphanius, pronuſque in faciem cadens è iumento, dixit Luciano: Rogo te, ô homo, dic mihi: quiſnam es? Beatus autem Lucianus dixit Epiphanio: Dic mihi tu, cuiusnam ſis religionis, & ego meam tibi referam. Reſpondit Epiphanius, & dixit: Sum Iudæus. Nouit itaque Lucianus gratiam Dei cecidiſſe ſuper Epiphanium. Nam pręſcientiam quoque habebat Lucianus. Reſpondit ergo Lucianus, & dixit Epiphanio: Et quomodò tu cùm ſis Iudæus, rogas Chriſtianum, quiſnam ſit? Abhorrent enim Chriſtiani Iudæos, & Iudæi Chriſtianos. Ecce audiuiſti me eſſe Chriſtianum: Non licet tibi audire ex me aliquid aliud. Epiphanius autem dixit Luciano: Et quid obſtat, quô minùs ego quoque ſim Chriſtianus? Reſpondit Lucianus, & dixit: Id vnum obſtat, quòd nolis: licet enim, ſi velis. Luciani autem verbis compunctus Epiphanius, non perrexit ampliùs ad videndam ſuam poſſeſſionem: ſed accepit Lucianum, & introduxit in domum ſuam, quæ ei relicta fuerat, & oſtendit ei omnia, quæ domi erant, dicens: Hæ ſunt meæ facultates, ô Pater. Volo autem fieri Chriſtianus, & vitam exigere monaſticam. Eſt verò mihi quoque hæc ſoror. Quid de his iubes? Beatus autem Lucianus dixit Epiphanio: Non potes, ô fili, ſi has habeas terrenas diuitias, vitam exigere monaſticam: ſed priùs ſororem quidem tuam da nuptum, & da ei, quæ ſunt neceſſaria. Deinde ſic pulchrè poteris eſſe monachus. Dixit Epiphanius Luciano: Primùm, Pater, fac me Chriſtianum: Deinde ſic faciam, quæcunque tu me iuſſeris. Dixit autem ei Lucianus: Non licet mihi abſque Epiſcopo facere Chriſtianum: ſed eſto in ijs, quę ad Deum pertinent, & ego annunciabo Epiſcopo, qui te faciet Chriſtianum. *Cap. 6.* *En vt compēſat Deus Luciani humanitatem.* *Monachus eſſe non poteſt, qui nō contemnit opes.*

Cumque hęc dixiſſet Lucianus, egreſſus eſt è domo Epiphanij, & iuit ad epiſcopum. Epiphanius autem non cunctatus, ſtatim dixit ſuæ ſorori: Volo fieri Chriſtianus, & vitam agere monaſticam. Cui dixit ſoror eius: Volo quod tu vis, & faciam, vt tu facis. Lucianus autem renũciauit epiſcopo de Epiphanio. Epiſcopus verò dixit Luciano: Vade, & eum catechiza, hoc eſt, inſtitue. Cumque nos ingrediemur in eccleſiam, fac, vt ipſe procidat benigno & miſericordi Deo. Iuit Lucianus in domum Epiphanij. Eum autem videntes Epiphanius & eius ſoror, ceciderũt proni in faciem, & Luciani pedes pręhenderunt, clamantes & dicentes: Rogamus te, Pater, fac nos fieri Chriſtianos. Diuinis autem acceptis ſcripturis, Lucianus eos ſatis inſtituit. Et ipſi inſtabant, rogantes & dicentes: Fac nos Chriſtianos. Cùm autem Lucianus ambos ſimul accepiſſet, iuit vnà cum ipſis in eccleſiã. Et cùm ingrederetur epiſcopus, ceciderunt proni in faciem, & rogauerunt cõfidenter, vt ipſi illuminarentur. Qui iuſſit ipſos ſurgere. Ingrediente verò epiſcopo in eccleſiam, ambulabãt ipſi quoque poſt Lucianum, vt audirent diuinas ſcripturas. *Cap. 7.* *Ante baptiſmum Epiphanius cũ ſorore inſtituuntur catecheſi.*

Cùm autem appropinquâſſet Epiphanius portis, quæ ſunt extra eccleſiam, vbi ędis *Cap. 8.*

primum gradum aſcendit, cecidit ei calceus ſiniſtri pedis. Qui cùm ſiniſtro aſcendiſſet vt figeret dexterum, cecidit quoque dexter calceus: & inuenti ſunt ambo extra gradus eccleſiæ: & ea de cauſa miratus eſt Lucianus. Non ampliùs itaque propoſuit Epiphanius appræhendere calceos, qui ei è pedibus ceciderant, ſed neque vllos alios calceos ſuſtinuit induere ſuis pedibus toto vitæ tempore. Cùm ergo ſtarent, & diuinas audirent ſcripturas, aduertit Epiſcopus, ita vt in throno ſedebat, glorificatum eſſe vultum Epiphanij, & coronam eſſe eius capiti impoſitám. Poſt abſolutum itaque Euangelium, ingreſſus eſt epiſcopus in baptiſterium, & iuſſit Epiphanium ingredi, & eius ſororem, & cum ipſis Lucianum: qui etiam fuit pater eius in ſancto baptiſmate. Epiſcopus autem cùm eos totam docuiſſet conſequentiam, baptizauit. Cùm ij verò eſſent participes diuinorum & immortalium Sacramentorum, iuſſit epiſcopus eos prandere, ſimiliter & manere ſeptem dies in epiſcopatu. Poſt ſeptem autem dies accepit Epiphanius Lucianum, & Veronicam ſanctam virginem, quæ quidem fuit ſoror matris ipſius Epiphanij, & introduxit eos in domum ſuam: Accepitque mille nummos, & dedit ei, & ſororem ſuam (nam ea quoque alijs præerat virginibus) miſit cum ea. Epiphanius autem, cùm omnia vendidiſſet, dedit indigentibus, relictis ſibi quadraginta nummis ad diuinos vitaleſque libros comparandos: & è ciuitate egreſſus eſt cum Luciano, quoniam is conſtruxerat ſibi monaſterium. Habebat autem ſecum decem monachos, qui quidem libros diligenter ſcribentes, ex ijs ſibi victum parabant. Erat verò Epiphanius, quando fuit monachus, ſexdecim annos natus.

Baptizatis datur antiquo more Eucharistia.

Epiphanius fit monachus.

Cap. 9. Erat autem in monaſterio Luciani quidam monachus, nomine Hilarion, ſecundus à Luciano, ætate iuuenis, & omnibus ſignis ornatus. Ad cuius imitationem ſequebatur etiam alius, nomine Claudius. Eos cùm vidiſſet Epiphanius, pulchrè eſt æmulatus. Magnus enim Lucianus dedit Epiphanium maximo Hilarioni, vt doceret eum ſcribere diuinas ſcripturas. Epiphanius autem laborioſo ſtudio deditus, & bonos mores Hilarionis effingens traditione, proficiebat in Dei gratia & arte pulcherrima. Contigit verò, vt magnus Lucianus è vita humana excederet. Præfuit autem Hilarion choro fratrum, vereque licebat videre eum locum, non tanquam in eo homines habitarent, ſed tanquam ſancti Angeli miniſtrarent ſanctiſſimo & miſericordi Deo. Erat enim beati Hilarionis cibus, panis & ſal, & modicum aquæ. Comedebat autem poſt duos dies: ſæpè etiam poſt tres: ſæpiſſimè verò poſt quatuor, vel poſt hebdomadam. Hoc vitæ inſtitutum elegit Epiphanius toto tempore vitæ ſuæ. Erat autem ille locus ſine aqua.

Hilarionis mira abſtinentia.

De vino in aquam mutato.

Cap. 10. Cùm autem aliquando viatores ingreſſi eſſent monaſterium, vinum afferētes, quo tempore erat æſtus vehementiſſimus, ſiti ferè enecabantur, & petiêrunt aquam ad bibendum, nec inuēta eſt aqua in illo loco. Aberat enim aqua ad quinque milliaria. Ibant verò noctu, & aquabantur fratres. Cùm autem viatores propter ſitim deficerent, fratres propter eos lugebant. Epiphanius autem cùm manum extendiſſet, & vtrem præhendiſſet, vbi erat vinum: Credite, inquit, fratres, quòd qui aquam fecit vinum, vinum quoque aquam faciet. Et propter ſermonem Epiphanij, vtres qui vino pleni erant, inuenti ſunt aqua pleni. Quam cùm accepiſſent viatores, biberunt, & etiam iumenta eorum: ſtetitque anima eorum in ipſis. Omnes autem obſtupuerūt, & viatores, & fratres. Ab illo verò die noluit Epiphanius habitare ampliùs in illo loco, eô quòd de ipſo audiſſent viatores. Subripiens aūt ſeipſum à fratribus, profectus eſt in locum magis agreſtem. Qui cùm neſcirēt, in quo loco habitaret, omnes fratres lugebant Epiphaniū. Permāſit aūt in illo loco ieiunus tribus diebus. Et ille quoq; locus aridus erat, & ſine aqua.

Vinum Epiphanius in aquam mutat.

De Saraceno, qui vnum tantùm habebat oculum.

Cap. 11. Accidit autem, vt per illum locum tranſirent quadraginta Saraceni. Qui cùm in eo loco, & in eo ſtatu vidiſſent Epiphanium, omnes eum ducentes eſſe ridiculum, irridebant. Vnus autem ex ipſis, qui vnum habebat oculum (erat enim alter clauſus) cùm ferinis eſſet moribus, enſe ſtricto è vagina, venit ad Epiphanium: cumque eum ſuſtuliſſet, vt percuteret Epiphanium, apertus eſt eius, qui clauſus erat, oculus. Ille verò perterritus, enſe in terram proiecto, conſtitit immobilis. Alij autem cùm vidiſſent eſſe apertum oculum, qui clauſus fuerat, cœperunt ſtupore affici. Cumque vidiſſet Epiphanius eos eſſe anxios, ſermones cum eis contulit. Illi verò cùm verbis Epiphanij euaſiſſent ſedato & tranquillo animo mutati, eum dicebant eſſe Deum: vimque ei afferentes, trahebant eum ſecum, dicentes: Tu es Deus noſter: ſequere nos, & ſerua nos ab omni

Res admiratione digna.

omni vi eorum, qui in nos irruent. Epiphanius autem eos ſequens tempore trium menſium, prohibebat eis omnem inſolentiam & immoderationem. Cùm vidiſſent verò ſe eius admonitionibus adduci in anguſtias, omnes vno animo eius pedibus deuoluti, petiêrunt, vt in ſuum locum reuerteretur. Qui cùm eorum auribus maximas ingereret admonitiones, dicens: Niſi ab ijs abſtinueritis, non eritis in hac vita felices, acceperunt eum, & deduxerunt in locum, in quo habitabat. Cumque ei ſua opera & miniſterio domum ædificâſſent, & eum valere iuſſiſſent, omnes abiêrunt in pace. Ego autem, qui eram vnus ex ipſis, manſi cum Epiphanio, ab eo inſtitutus in verbo veritatis. Cùm autem præterijſſet tempus ſex menſium, me accepit ille, & iuimus in monaſterium magni Hilarionis. Cùm verò vidiſſent Epiphanium omnes fratres, magno ſunt affecti gaudio. Et manſimus quidem tres dies in monaſterio: rogauitque Epiphanius magnum Hilarionem, vt mihi daret in Chriſto ſignaculum, quandoquidem acceperat Hilarion gradum presbyteratûs. Cùm me autẽ magnus accepiſſet Hilarion, & omnem docuiſſet conſequentiam, baptizauit me in nomine patris, & filij, & ſpiritûs ſancti: & tranſegimus deinde apud ipſos decem dies: Fratresque rogabant Epiphanium, vt nos in eo loco habitaremus: Ipſe autem noluit, ſed voluit habitare, vbi habitabat anteà.

Hic habes authorem hiſtoriæ huius.

De adoleſcente dæmoniaco.

Cap. 12.

Cùm autem nos egreſſi eſſemus è monaſterio, viam noſtram iniuimus. Ad ſecundum verò lapidem à monaſterio, occurrit nobis quidam adoleſcens, qui habebat dæmonem ei imperantem: & in ſolitudine ab eo diſcerpebatur. Cùm eum vidiſſet Epiphanius nudum inſolenti & incompoſito curſu vexari ab immundo ſpiritu, clamauit magna voce: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti crucifixi, vt à Dei figmento exeas. Statim autem eum exagitauit immundus ſpiritus, & humi affixit: atque ab eo eſt egreſſus. Immundus autem dæmon clamauit magna voce: O Epiphani, tu me expellis è loco meo poſt ſpatium vigintiduorum annorum: ego ibo ad Regem Perſarum, & mouebo eum contra te: & faciam, vt cum magna afflictione coram eo ſiſtaris. Adoleſcens autem venit modeſtus, & procidit ad pedes Epiphanij. Qui eum erexit, dicens: Surge, fili, & in pace vade in domum tuam. Et ſurrexit protinùs.

Eijcit ab homine dæmonem.

De Rege Perſarum.

Cap. 13.

Immundus autem dæmon iuit in Perſidem, & adhæſit filiæ Imperatoris, & eam eodem torquebat ſupplicio, quo priùs adoleſcentem: & clamabat, dicens: Niſi venerit Epiphanius, qui huc me miſit ad tuam filiam, ab ea non recedam. Rurſusque dicebat dęmon: Epiphani Phœnix genere, veni huc, vt exeam à filia Regis. Rex autem, cùm à dæmone audijſſet de Phœnicia, miſit multitudinem diſertorum hominum ad quærendum Epiphanium. Porrò autem cùm quæſiuiſſent totam Phœnicum regionem, eum non inuenerunt: ſed reuerſi ſunt ad Regem re infecta. Nonnulli verò etiam ex eis malè paſſi ſunt à Romanis, tanquam ſpeculatores, & qui callidè vellent conſiderare totam regionem Phœnicum. Cùm autem ad Regem veniſſent ij, qui effugerant, renunciauerunt ſe non inueniſſe Epiphanium. Dæmon autem magna voce clamauit, dicens: Habitabat in loco, qui dicitur Spanydrion. Rurſus ergo Rex, accerſitis XXX. viris, dixit eis: Exuite vos veſtitu Perſico, & induite veſtitum Romanorum: & euntes in Phœniciam, & quærentes locum, qui dicitur Spanydrion, adducite ad me Epiphanium. Abiêrunt qui miſſi fuerant, mutatis ſuis veſtibus, & venerunt in Phœniciam. Cumque ipſi multùm quæſijſſent, declaratus fuit eis locus, & Epiphanius. Qui noctu ad locum acceſſêre. Epiphanius autem emittebat Deo nocturnas preces. Cùm veniſſent verò ad oſtium cellæ, & pulſâſſent, nihil animo perturbatus fuit Epiphanius: ſed ipſe Dei opus peragebat. Ipſi autem in animo habuerunt frangere oſtium. Cùm verò vnus ex ipſis ſtrinxiſſet enſem, & in ſeram oſtij eum intentâſſet, manſit manus eius immobilis, & tota arida. Alijs autem metu perterritis, per aliquod interuallum receſſerunt à cella. At Epiphanius cùm ſpiritalis cultûs omnem peregiſſet conſequentiam, aperuit oſtium cellæ. Cùm autem eum vidiſſet is, cui manus aruerat, humi cecidit in faciem, dicens: Miſerere meî, ſerue Dei immortalis. Dicit Epiphanius: Quid quæris ab homine peccatore? Is verò dixit: Sanus veni in hunc locum, & ecce manus mea exaruit. Epiphanius autem dixit: Sanus veniſti, ſanus fias. Cumque ipſe manum eius tetigiſſet, reſtituta eſt vt alia. Poſtquàm autem viderunt omnes ſignum, quod factum fuerat, veniunt omnes, & procidentes ad pedes Epiphanij, confeſſi ſunt cauſam, propter quam ad eum venerant. Is verò, ijs auditis, quæ dixerunt homines, cognouit quòd ſpiritus, quem ipſe eiecerat ex adoleſcente, eò profectus, affligebat puellam.

Spanydriõ, laborans aquæ penuria.

Ad tactum ſancti, manus arida ſanata eſt.

Dixit autem mihi Epiphanius: Surge fili, ſequamur hos homines. Qui ei dixerũt: Miſſi ſumus, ô Pater, à Rege: ad te etiam egregium animal adducimus, vt ei inſideas. Eo autẽ dicente, Veniam pedes: neque enim hîc ſolum meum relinquam diſcipulum: Ipſi rurſus dixerunt cum magno metu: Adſunt pro vtriſque cameli: ſolummodò lubenter ſequere. Quidam autem lepidus adoleſcens in faciem cecidit, & adorauit, dicens: Ignoſce mihi, Pater. Et Epiphanius ei placido vultu dixit: Surge, Deus te benedicat fili. Tunc adoleſcens magna affectus animi tranquillitate, duabus manibus acceptum Epiphanium impoſuit dromocamelo. Ad me autem veniens, mihi quoque fecit ſimiliter: Ipſeque anteibat primus dromocamelos.

Cap.14. Cùm verò confeciſſemus trigintaquinque manſiones, peruenimus ad regiam, & manſimus in loco, qui dicitur Vrion. Tres autem ex eis ingreſſi, Regi renunciârunt. Cumque Rex iuſſiſſet ad eum ingredi Epiphanium, perinde fuit tranquillo & compoſito animo, atque ſi Regem non eſſet conuenturus. Tunc me eum ſequẽtem inuaſit magnus timor & tremor. Nam cùm vidiſſem multam turbam adſtantem, in varias partes verſabam animum. Cùm autẽ Regi appropinquâſſet Epiphanius, Rex ſtatim ſurrexit à ſede. Regi verò dixit Epiphanius: Sede, fili, ſuper thronum, nec propter tuum luctum angaris animo. Habeo enim Deum, qui ferat auxilium. Solùm crede Deo benigno & clementi, & videbis citò Dei gratiam. Ne aberres à ſcopo eorum, quæ dicuntur, & videbis filiam tuam ſanam in medio. Peſſimus enim dæmon fugatus à loco ſuo, venit ad filiam. Si Deo credideris, fugabis eum à tua filia. Time crucifixum, & videbis eum expulſum. Duc eam ad nos in medium, & videbis gratiam benigni & clementis Dei. Cùm autem in medium veniſſet Regis filia, dixit Epiphanius filiolæ: Eſto ſapiens ac modeſta, & adorato tuum patrem. Lupus enim tuî non dominabitur ampliùs. Hæc cùm dixiſſet Epiphanius, & eam ter ſignâſſet, dixit ſpiritui, qui eam affligebat: Cucurriſti, ſceleſte, ad filiam Regis: Fuge ab ea in loca, ad quæ non patet aditus. Et ſtatim ad ea receſſit. Cùm autem vidiſſet Epiphanius Regem in magna ecſtaſi, dixit ei vultu ſubridens: Lætare, Rex: de tua filia fugit lupus in loca inhabitabilia. Vade, filia, in tuam aulam, & attẽde deinceps tuo corpori: neq; malignus tibi appropinquabit ampliùs. Cùm hæc aũt audijſſet filia Regis ab Epiphanio, iuît in aulam. Tunc Rex inclinauit collũ Epiphanio. Cùm vidiſſent verò omnes Regẽ, ipſi quoq; ſe in terram inclinant, dicentes Epiphanio: O plurima exornate gratia, mane prompto & alacri animo apud Regẽ. Eſto pater eius potentiæ, & eris nobiſcũ perpetuò: Vexauit dæmon regiam: huc veniſti, eum fugâſti.

Sancti patres ſoliti erant ſignare male habẽtes ſigno Crucis.

Cap.15. Vnus autem ex eis primus ex Magis, dixit ei benignè & amanter: O beate Epiphani, Mage deſiderate: Veniſti huc, vt nos afficeres beneficio. Mane hîc, doce nos: Omnes Magi tibi obedient. Cùm hæc autem audijſſet Epiphanius, dixit Mago inſipienti: O Mage inimice veritatis, diſce non loqui verba inſolentia. Ori tuo immitte repagulum, & non loqueris aſſiduè. Noli exiſtimare ſeruum Dei eſſe Magum iniuſtitiæ. Hæc cùm dixiſſet Epiphanius, ſtatim ille manſit in loco mutus & immobilis. Hæc autem cùm Rex vidiſſet, & turba, quæ eum circunſtabat, omnes metu oppreſſi, ceciderunt in terram.

Cap.16. Cùm eos autem vidiſſet cadentes Epiphanius, manu ad Regem extenſa, dixit ei benignè: Surge, ſis bono & tranquillo animo, & eris ſanus in tuo cubiculo. Hoc dicto ab Epiphanio, ſurrexerunt omnes ſupra pedes. Dixit autem Epiphanius Mago: Vide quid videas, & quid audias, & attendes veritati. Ne mihi attendas tanquam Mago: Sum enim ſeruus crucifixi: loquere, & audi, quomodò eras priùs: Eſto amicus veritatis. Tunc Magus ſe excuſauit, dicens, ſe eſſe lapſum in Epiphanium. Rex autem iuſſit ad ſe aurum afferri & argentum, margaritas & gemmas in conſpectu omnium, & poni ad pedes Epiphanij, ei dicẽs: Accipe hæc, ô Pater, & meî memineris. Cui dixit Epiphanius: Nos omnia contemnimus, vt veritatem teneamus. Ne in his mihi exhibeas moleſtiam. Chriſtus enim me docuit his non egere. Hæc tu accipe, ſepeli in aula, & erunt mortua perpetuò. Tu ijs ſolùm attendis, & diſtraheris, cùm iuuari nequeas. Habes vitium in tua cogitatione, vt qui perdas animam per aurum tibi datum à Domino, vt id præbeas egentibus. Eſto iuſtus apud Deum vniuerſorum, ne fortè iudiceris in condemnatione, & cuſtodiaris in tenebris exteriorbus, & tunc meorum verborum recorderis. Sed quæ dico modò, accipe, & tunc lætaberis. Ne habeas opùs hoc mundo, & totus mundus tibi ſubijcietur. Noli attendere Magis inconſtantibus, qui tenebricoſa te lege decipiunt. Venit hora prandij, vade alacriter ad menſam. Multa enim verba ſemino, ſed non es vllius horum particeps. Scio enim tuam cogitationem à menſa non abſiſtere. Comede, exple te ſecurè delicijs: es enim horum omnium redditurus rationem.

Præclara Epiphanij vox.

Rex autem dixit Epiphanio: Adesdum, Pater, ſimul conſideamus, & cibos comedamus. Is verò dixit ipſi: Vade, ſede in menſa, comede omnia, quæ ſoles. Tantùm te contine ab immoderatione. Nam mihi panis furfuraceus, & parum ſalis propter imbecillitatem præbebit id, quod eſt vſui corpuſculo. Hæc autem cùm dixiſſet Regi Epiphanius, dimiſit Rex omnes ex aula, & nos iuſſit ingredi in cubiculum. Miſit verò ad nos in menſam diuerſa ciborum genera. Auerſatus eſt autem omnia Epiphanius, ſolum tritum panem nobis retinens: quo vſi, ſatiati ſumus, gratias agentes Deo vniuerſorum. Poſtridiè autem Imperator accerſijt Epiphanium: qui modeſtè & compoſitè incedens, venit ad Regem. Ipſe autem Rex de ſede ſurgens, ſceptrum ponit in terra. Epiphanius verò dixit Regi: Accipe regni dignitatem, & ſis grato in Deum animo. Rex dixit: Mane hîc nobiſcum, Pater, & ſeruabo veſtros ſermones. Epiphanius autem Regi: Si meos, ô Rex, ſermones ſeruaueris, tuî meminero vbicunque fuero. Manſimus autem decem dies in aula Regis. Quibus elapſis, Regi dixit Epiphanius: Curſu curram in meam patriam. Quæro enim omnes, qui illic ſunt. Tu ſede in throno tuo, nihil excitans aduersùs Romanos. Si enim ſis inimicus Romanis, eris inimicus Crucifixo. Quòd ſi fueris inimicus Crucifixi, malè peribis à tuis aduerſarijs. Hæc cùm Regi dixiſſet Epiphanius, ibat Rex cum ſua caterua, nos primus deducens in noſtram regionem. Cap. 17.

De adoleſcente mortuo.

Cùm egreſſi autem eſſemus ex aula, ecce erat adoleſcens mortuus in grabbato, qui erat filius vnius ex proceribus. Eum verò ferebant ad canes, vt proijcerent excedendum. Dixit autem Epiphanius ijs, qui ferebant mortuum: Quò itis ad eum ſepeliendum? Dicunt Epiphanio: Qui vita exceſſit, vorabitur à canibus. Epiphanius autem tenens grabbatum, dixit eis; O filij, humi deponite. Videamus nos quoque mortuum. Hic verò puer necatus fuerat arte magica à quodam malefico. Mos eſt autem apud Perſas, vt qui ſunt mortui, deuorentur à canibus. Cùm ij ergo protinùs grabbatum depoſuiſſent, Regi dixit Epiphanius: O Rex, qui regis malos & iniquos homines, oportebat hunc, qui è vita exceſſit, in terra ſepeliri, vt qui cælitùs tuba canet, eum hinc poſſit traducere ad ipſum adorandum. Es autem Rex adeò improborum & ſceleratorum hominum, vt vel ante tempus ſibi mortem afferant. Hic, quem vides mortuum, vita exceſſit necatus à malefico. Sed Deus meus, qui fuit extenſus ſupra lignum, eum excitabit coram omnibus. Cùm hæc autem dixiſſet Epiphanius, manibus ſuis tenens mortuum, benigno & clementi Deo clamauit: Fili Dei, qui quatriduanum Lazarum ſuſcitâſti, hunc quoque ſuſcita adoleſcentem. Cumque ſuum accepiſſet indumentum Epiphanius, eo induit mortuum. Mos eſt enim Perſis, mortuos nudos educere. Statimque ſurrexit adoleſcens, & amplexus eſt Epiphanium. Dixit autem Epiphanius adoleſcenti: Vade fili in domum tuam, & fer veſtes conſuetas, & refer ad me meum indumentum. Poſtquàm autem vidit Rex miraculum, quod factum eſt ab Epiphanio, exiſtimauit eum eſſe deum. Cui dixit Epiphanius: Noli, noli hæc de me exiſtimare, qui ſum homo obnoxius iiſdem perturbationibus, & ſimiliter patibilis. Deus meus, cui credo, hæc præbet ſuis famulis. Cùm hæc autem & his plura dixiſſet Epiphanius, dicit Regi: Reuertere fili in aulam. Nos enim imus in patriam. Rex autem dixit Epiphanio: Quot vis ſatellites tecum mittam, qui te cuſtodiant? Dixit ei Epiphanius: Habeo Regem Deum, qui eſt in cælis, qui me cuſtodit, & ſatellites habeo ſanctos eius Angelos. Tunc Rex Epiphanium amplexus, dixit voce magna: Vade in pace, Epiphani, gloria Romanorum. Fac autem, vt noſtrî quoque memineris, qui ſumus in Perſide. Recedentes verò à Perſide, venimus in Phœniciam: & cùm partem Phœniciæ tranſijſſemus, venimus in Spanydrion. Inuenimus autem cellam, vt erat priùs. Et cùm illic fuiſſemus tres dies, non erat aqua ad bibendum. Cap. 18. Vide morē barbarum. Epiphanius excitat mortuum.

De aquæ penuria.

Stans autem Epiphanius adſpiciendo ad Orientem, orauit Deum, qui eſt in cælis, dicens: O tu, qui petram præruptam impreſſiſti, & ex ea aquam ſcaturire feciſti, & populum, qui deficiebat, aqua potâſti, hanc quoque terram imprime, & fac, vt aqua ex ea ſcaturiat propter fidelium hominum habitationē. Cùm hæc dixiſſet Epiphanius, bonus quidam odor fuit in illo loco. Cumque ſe rurſus ter ſuper terram inclinâſſet, & orâſſet Epiphanius, accepto ligone turbauit terram, & ecce parum aquæ ſcaturijt. Deinde cùm rurſus turbâſſet, vberibus fluuij aquis noſtra abundauit habitatio. Cap. 19. Exod 17. Num. 20.

tatio. Eramus autem in eo loco quietem agentes, ipſe & ego. Deus verò, qui producit fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, irrigante aqua totam illam terram, iuſſu eius, qui ſemper curam gerit humani generis, produxit è terra multitudinem olerum, quibus nos frueremur & aleremur. Cùm quædam autem feræ ad ea venirent animalia, & virorem omnem earum tollerent, Epiphanius ſtetit ſupra olera, & diſſeruit cum feris tanquam cum hominibus, dicens: Nolite mihi exhibere moleſtiam: Sum enim homo peccator & pauper. Propter multitudinem autem meorum peccatorum ſum lugens in hoc loco, ſi fortè mihi Deus mea peccata condonet. Ipſe, qui hoc mihi olerum præbuit ſolatium ad alimentum, vobis præcipit, ne ampliùs veniatis in hunc locum, nec meas herbas lædatis. Agreſtes autem feræ cùm hæc audiiſſent ab Epiphanio, protinùs receſſerunt, & ex illo die non appropinquârunt ampliùs loco noſtro. Audiêrunt verò Saraceni, qui cellam nobis extruxerant, veniſſe Epiphanium ex Perſide, & acceſſerunt, vt benedictionem ab eo acciperent. Aedificauerunt autem nobis tres alias domos, quippe qui nobiſcum verſati ſunt quatuor menſes, & receſſerunt in ſua loca. Auditum eſt autem in tota Phœnicia, Epiphanium habitare in Spanydrio. Congregati ſunt itaque alij quoque fratres in monaſterio. Eramus verò omnes numero quinquaginta.

Pſal. 146.

Feræ obediunt ei.

Multi ſe ei adiungunt in monaſterio.

De malignis ſpiritibus, qui abierunt.

Cap. 20.

Quodam autem die iuit Epiphanius in monaſterium magni Hilarionis ad viſendos fratres, & ego ſum cum eo profectus. Exceperuntque nos fratres cum magno gaudio, & nos multos dies retinuerunt. Diabolus autem, qui ab initio eſt Dei ſeruorum aduerſarius, accepit habitum Epiphanij, & venit in monaſterium, quod vocatur Spanydrion. Cui factus obuiàm frater ex ijs, qui erant paulò negligentiores, cucurrit ad eum adorandum: neque poterat ferri à fratribus. Dixit autem Epiphanius magno Hilarioni: Pater, lupus ingreſſus eſt monaſterium, & turbauit fratres. Cùm hæc autem dixiſſet Epiphanius, & omnes eſſet amplexus, viam inijmus. Nobis verò ingreſſis monaſterium, dæmonem immundum vnus habuit. Duo autem rogabant pro eo, qui habebat immundum ſpiritum, dicentes: Fer opem fratri noſtro. Tunc Epiphanius dixit eis: Accipite, filij, veſtrum amicum, & ite in pace. In nomine enim Ieſu Chriſti nihil eſt in eo mali. Cùm ipſi autem credidiſſent ei, quod dixerat Epiphanius, abijt homo ſanus in locum ſuum.

Expellit dæmonem.

De fera extincta, & Philoſopho conuerſo.

Cap. 21.

Cùm eſſet autem aliquando leo in ſolitudine ad ſexaginta lapides à noſtro monaſterio, latebat in ſylua, & occidebat multos ex ijs qui præteribant. Eratque hic locus aptus viatoribus. Coacti omnes, qui ſolebant per illum locum ingredi, venerunt ad Epiphanium in monaſterium, dicentes ei de animali, & de eius ſæuitia, & quòd locus euaſerit inhabitabilis, & quòd nemo per eum poſſit tranſire propter metum leonis, & quòd cùm ipſe multos homines perdiderit, reliqui perterriti, non audent ampliùs per locum tranſire. Qui cùm de leonis inſolentia audiiſſet, dixit omnibus, qui aderant: Eamus in nomine Domini, & videamus leonem. Me autem accepto, Epiphanius quidem profectus eſt cum hominibus. Et cùm veniſſemus ad locum, incidit magnus timor in omnes, qui erant nobiſcum. Eis autem dixit Epiphanius: Vbi eſt, ô filij, leonis habitatio? Cumque locum oſtendiſſent, iuit primus Epiphanius ad locum. Et cùm leo nondùm videretur, dixit magna voce Epiphanius: Vbi eſt leonis habitaculum? Leo verò exijt è ſylua, vt iret obuiàm Epiphanio. Is autem cùm vidiſſet Epiphanium, ſtatim in terram cecidit, & manſit mortuus. Cadaueri verò appropinquauit Epiphanius: ſed reliqui omnes effugerunt, magno metu affecti. Epiphanius autem magna voce dixit eis: Venite ſecurè, filij, & videbitis cadauer feræ. Si itaque fidem habueritis in Saluatorem Chriſtum, ſic cadent omnes veſtri inſidiatores. Cùm nos autem omnes accepiſſent homines, reſtituerunt monaſterio: Ipſique benedictionem aſſecuti ab Epiphanio, ingreſſi ſunt viam ſuam.

Leo crudelis eo conſpecto moritur.

Cap. 22.

Gloria autem inſignis fuit locus, qui priùs vocabatur Spanydrion, propter Epiphanium. Fuit enim aliquando locus inuius, & inhabitabilis, & aquæ carens. Quamobrem cognominatus quoq; fuit Spanydrion, eò quòd aquam non haberet. Effectus eſt autē Paradiſus, in quo erant bona omnia: In eoq; abundabant aquæ, & eſculenta diuerſi generis. Cũ ijs ergò omnibus, quibus à Deo dignus fuit habitus Ephiphanius, hoc quoq; magnum & admirabile donum ei Deus eſt largitus, quòd cum omni veritate

diuinas interpretaretur ſcripturas. Diuinos enim libros ſumens, & legens fratribus, eorũ vim quoq; declarabat. Cùm autem Epiphanius magnus orator & Philoſophus, qui habitabat Edeſæ, audiſſet Epiphanium eſſe eruditum, deſiderauit eum conueni-re. Cùm autẽ in monaſteriũ acceſſiſſet Epiphanius, ſtabat multitudo fratrum, & Deo mittebat hymnodiam. Erat verò Epiphanius quoque preces per ſe peragens. Porrò autem cùm eas perfeciſſent, viſus eſt fratribus Epiphanius. Stabat itaque Philoſophus, & attendebat multitudinem, & neminem ſalutabat. Poſtquàm autem vidit Epiphanium, eum agnouit: & currens, eum adorauit. Dixit autem Philoſopho Epiphanius: Quid tu, qui es magnus orator & Philoſophus, & habitas Edeſę, acceſſiſti ad minimũ & peccatorem Epiphanium? Præterea miror, quòd Philoſophus veneris ad hominem planè rudem: & maximè propter quamnam cauſam, ô Philoſophe? Philoſophus autem: Ne hoc mireris, inquit, ô magiſter deſiderate. Dicebat enim Dionyſius Halicarnaſſeus: Si perſonæ cum perſonis collatæ conſiderentur, poſſunt pulchriores apparere. Boni cum malis confuſi, in vno ligno extendentur. Nullus enim homo vnam ferens tunicam, ita cuſtodit corpus, vt non laceretur. Plurima nanque congreſſio plurimos præbet ſermones. Vbi autem ſunt plurimi ſermones, eſt magna diuerſarum rerum experientia. Hæc cùm dixiſſet Philoſophus, & plura alia, tacuit.

Epiphanius Philoſophus venit ad S. Epiphaniũ.

Accipiens autem Epiphanius primum librum de mundi creatione, interpretatus eſt ad verbum Philoſopho. Ille verò alijs quidem aſſentiebatur, contra alia autem dicebat. Manſerunt itaq; tres dies inter ſe diſſerentes. Quæ ab ipſis verò dicebantur, nequaquàm inter ſe conueniebant. Cùm vidiſſet autẽ Philoſophus, quomodò vitã agebat Epiphanius, eum valdè dilexit, & quarto die dicit ei: Magiſter, pulchra eſt huius loci habitatio. Volo, ſi iubes, hîc habitare. Is verò dixit ipſi: Hoc ſitum eſt in libero vniuſcuiuſque arbitrio. Philoſophus autem: Quinetiam libros meos, inquit, huc fero. Dicit Epiphanius: Si quid tibi veniat in mentem, æquum & beneuolum habebis Epiphanium. Dixit autem Philoſophus: Omninò ibit Caliſtus ad meos libros. Dixit Epiphanius: Agè vade ſanus cum Caliſto. Dicit autem Philoſophus: Res omnes dicam Caliſto, nec ex hoc loco exibo. Erat verò hîc Caliſtus Aëtij magni Romæ præfecti filius. Is cùm malignum haberet ſpiritum, vidit Epiphanium dicentem ei in viſione: Vis, Caliſte, expellam à te ſpiritum? Dixit Caliſtus: Et quis tu es, domine mi, quòd poſſis eum expellere? Dixit autem Epiphanius Caliſto: Ego ſum, inquit, Epiphanius Phœnicopalæſtinus, qui in Spanydrio habito in monaſterio. Si ergo, inquit, malum à te ſpiritum expulero, venies ad me, & habitabis mecum in Spanydrio? Dixit Caliſtus ad Epiphanium: Domine, expelle à me immundum ſpiritum, & habitabo tecum. Tunc dixit Epiphanius Caliſto: Vide ne feceris aliter: rurſus enim tibi adhærebit. Excitatus autẽ Caliſtus, narrauit omnia patri ſuo Præfecto. Ab illo ergo die non eſt ampliùs afflictus Caliſtus ab immundo ſpiritu. Poſt tempus autem trium menſium dixit Caliſtus Aëtio patri ſuo: Pater, volo ire in regionem Phœnicum, & quærere Epiphanium, & habitare cum ipſo in Spanydrio. Statim pater eius, datis ei multis pecunijs, miſit cum præſidio. Cumque veniſſet in Phœniciam, & inquiſiuiſſet, venit ad Epiphanium, & ei expoſuit omnia, & habitauit nobiſcum. Miſit ergo Philoſophus Caliſtum, iuſſu Epiphanij, cum duobus pueris, & tribus camelis Edeſam ad libros adducendos. Cumque veniſſet Edeſam, accepit libros Philoſophi, & impoſuit camelis, & venit in monaſterium.

Cap. 23. Diſputat vir ſanctus cũ Philoſopho.

Caliſtus, Præfecti Vrbis filius, monachus Epiphanij.

Quotidiè ergo Epiphanius & Philoſophus plurimùm inter ſe contendebant. Dixit autem Epiphanius Philoſopho: Dicit Daniel, ô Philoſophe: Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Agedùm profer tuos libros, & ego meos, quos mihi Deus dedit, ſedeamuſq; & diſſeramus inter nos. Poſuit autem Epiphanius à dextris ſcripturas diuinitùs inſpiratas, & alius Epiphanius libros ſuos à ſiniſtris. Cùm ij autem cœpiſſent ab initio mũdi creationis, Epiphanius quidẽ à Geneſi, id eſt, ab ortu, quẽ cõſcripſit Moyſes: Philoſophus autẽ ab eodẽ ortu, quẽ cõſcripſit Heſiodus, ad verbũ duos libros exponẽtes, inter ſe contẽdebant. Erat autẽ lux lux, & tenebræ tenebræ. Moſes enim ſcripſit, Deo opem ferente: Heſiodus autẽ ex Deo quidẽ vitã habuit, errorem verò à dæmonibus. Toto autẽ anno mãſit Epiphanius diſſerens cum Philoſopho. Aliquando verò homines numero ſexaginta ferunt Agricœtum quendam adoleſcentẽ, qui vexabatur ab immundo ſpiritu. Quem cùm nõ poſſent ſexaginta illi ſuperare, eũ alligârũt catenis, & tulerũt ad Epiphaniũ. Dixit autẽ Epiphanius Philoſopho: Agè Philoſophe, qui cõtendis cum peccatore Epiphanio: inuoca tuorum deorũ multitudinem, vt expellãt ſpiritũ ab ado-

Cap. 24. Dan. 7.

Sæuiſſimo dęmone obſeſſus ducitur ad virũ Dei.

adoleſcente. Ille verò exiſtimabat Epiphanium ſuperatum, & qui non haberet quod diceret. Cùm hoc autem cognouiſſet Epiphanius, iterùm dixit ei: Quid dicis, ô pater Philoſophe, de adoleſcente? Aut cura ægrotantem, & ego in tuis dijs habebo fidem: aut Deus expellet immundum ſpiritum ab adoleſcente, & credes in Crucifixum. In his autem omnibus non credidit Philoſophus Epiphanio, ſed exiſtimauit eum eſſe ridiculum. Surgens verò Epiphanius, & tenens adoleſcentem, dixit ei? Tibi dico, adoleſcens, vis expellam catenas ferreas?

Cap. 25.

Cùm autem audijſſet Philoſophus, ſtatim cucurrit in cellam, & vecte foribus adhibito ſe munijt, dicens, & ſuſpicando ita apud ſe conſiderans: Bonus hic ſenex, vt rudis & indoctus, vult amentem ſoluere, & niſi nos vt prudentes caſum effugiamus, ab execrãdo illo malè ſumus paſſuri. Cùm autem Epiphanius ferreis catenis leuâſſet adoleſcentem, & eum ter ſignâſſet, dixit immundo ſpiritui: Præcipit tibi Epiphanius peccator ſeruus Domini in nomine Ieſu Chriſti crucifixi filij Dei, egredere ex homine, & ne ampliùs in ipſum ingrediaris. Et egreſſus eſt ſtatim immundus ſpiritus. Eratque adoleſcens valdè quietus & compoſitus. Cùm autem eſſe pacem vidiſſet Philoſophus, leuauit repagulum, & è cella proſilijt ad adorandum Epiphanium, ſic dicens: O, inquit, qui geſtas coronam, Epiphani: Credo, & credidi ijs, quæ dicuntur per ea, quæ fiunt. Volant enim verba ſine fructu, opera autem cernuntur habere fructum. Volo ego quoque eſſe ex ijs, qui ſeruiunt Crucifixo. Philoſopho verò dixit Epiphanius: Quid hoc miraris, ô Philoſophe, tanquam id nos fecerimus? Nequaquàm: ſed eſt Dei filius, qui hæc præclara facit per eos, qui ipſi credunt. Cùm hæc & his plura Philoſopho dixiſſet Epiphanius, rogauit eum Philoſophus, vt daret ei id, quod eſt in Chriſto, ſignaculum. Ipſum ergo & me accepit Epiphanius, & iuimus ad magnum Hilarionem, qui eum baptizauit: egimuſque viginti dies in monaſterio magni Hilarionis; quē rogauit Epiphanius, vt cum Epiphanio Philoſopho mitteret ex fratribus vnum Eleutheropolim, vt eum Epiſcopus faceret presbyterum. Quod etiam fecit. Et rurſus iuimus Spanydrion. Epiphanius autem cùm omnes aduocâſſet fratres, ſic eis dixit: Hic, qui ſibi aliquando videbatur eſſe aliquid, cùm nihil eſſet, dicebat ſe eſſe Philoſophũ: nunc autem Dei gratia verus eſt factus Philoſophus. Ipſeque à Deo gratiam eſt conſecutus, & præerat toti choro.

Dæmonem ab adoleſcẽte cogit exire Epiphanius, & Philoſoph⁹ credit.

De fuga in Aegyptum.

Cap. 26.

Ingredientes autem multi monaſterium, non ſinebant quieſcere Epiphaniũ. Cùm itaq; in animo haberet locum relinquere, proficiſci verò in partes Aegypti, dixit mihi: Sequeriſne me, fili? Ego verò dixi ei: Sequar te, quocunq; ieris, Pater. Cùm omnes autem fratres aduocâſſet, & eis vale dixiſſet, dixit: Vado, ô fili, ad videndũ fratres, qui ſunt in monaſterio magni Hilarionis. Cùm ij autem intellexiſſent eum velle recedere propter magnam moleſtiam eorum, qui accedebant, omnes cadentes in faciem, cum fletu & planctu eum rogabant, ne exiret. Epiphanius verò ipſe quoque magna ductus miſericordia, perſuaſit eis, dicens ſe non eſſe ampliùs receſſurum. Cùm decem autem dies præterijſſent, accepit me noctu, egreſſique ſumus, & iuimus Hieroſolymã, noſtramque vitam adorauimus, nempe venerandam Domini crucem. Fuimuſque in ciuitate, loca obeuntes & orantes, decem dies. Cumque nos egrederemur è ciuitate, vt veniremus Ioppen, & nauigaremus in Aegyptum, occurrit nobis quædam mulier inſana, vt quæ vexaretur à ſpiritu immundo. Ipſa autem cùm Epiphanij accepiſſet diploidem, eam dilacerauit, & ex ea exijt immundus ſpiritus. Quæ procidens ad pedes Epiphanij, eum rogabat, dicens: Ignoſcas mihi, Pater, & ne ſuccenſeas. Is autem dixit ei: Vade ſana in domum tuam. Ruptus enim eſt, qui te ruperat. Et iuit mulier in pace. Et cùm nos deſcendiſſemus in Ioppen, inuenimus nauem paratam, quæ volebat ire Alexandriam. Cumque nauigâſſemus ab Ioppe, poſt tres dies ingreſſi ſumus Alexandriam. Nobis autem naue egreſſis, & ingredientibus ciuitatem, occurrit quidam Iudæus nomine Aquila, legiſperitus ac magiſter. Cœpit verò Epiphanius quoque cum eo de lege diſſerere. Toto ergo illo die plurimùm contenderunt. Rurſuſque die ſequenti cùm veniſſent ad congreſſionem, diù diſſeruerunt. Credenſque Aquila interpretationi Epiphanij, deſiderauit fieri Chriſtianus. Epiphanius autem deduxit eum ad Athanaſium Epiſcopum, & nos egreſſi ſumus Alexandria. Cùm iremus autem nos in partes ſuperioris Thebaidis, occurrit nobis quidam monachus, diſcipulus magni Antonij, nomine Paphnutius. Cui dixit Epiphanius: Benedic nobis, Pater. Dixit autem Paphnutius: Benedicti vos à Domino. Cumque orationem

Vide priſcorum Chriſtianorum deuotionem.

Dæmoniaca curatur.

Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus.

nem feciſſet Paphnutius, nos inuicèm ſalutauimus, & nos in eo loco parùm refrigerauimus. Epiphanius verò interrogauit Paphnutium de omnibus, quæ fecit magnus Antonius, ipſeque ei narrauit omnia. Dixit autem Epiphanius Paphnutio: Volo habitare in eo loco, qui dicitur Nitria. Paphnutius verò dixit Epiphanio: Vade ſanus, fruere patribus, & collige fœnum æſtiuum, & vade in inſulam Cypriorum, & ale oues ad veſtimenta, & honora puellos, vt tibi ſint agni. Hæc autem cùm dixiſſet Paphnutius, facta rurſus oratione, & nos mutuò complexi, iniuimus ſinguli ſuum iter.

De malo doctore Hierace.

In locis autem, quæ ſunt circa Leontopolim, erat vir quidam, qui apud aliquot existimabatur bonus, & Dei habere præſcientiam: vocabatur verò nomine, Hierax. De eo in Palæſtina audiuit Epiphanius, & eũ deſiderauit videre. Similiter Hierax quoque audiuit de Epiphanio. Erat autem eius domus ad vnum lapidem extra Leontopolim. Is docebat hanc carnem non reſurgere, ſed pro ea aliam, & hanc in terram diſſolui. Scriptum eſt enim, inquit, Terra es, & in terram reuerteris. Rurſusque dicebat, infantes non futuros perfectos in futuro ſeculo. Ingreſſis autem nobis in eius monaſterium, inuenimus magnam multitudinem, quæ ab eo docebatur. Etenim à cibo quoque & potu abſtinebat. Neque enim oleum ſumpſit, nec vinum bibit, ex quo mundo renunciauit. Poſtquàm ergo vidit Epiphanium, rogauit cuiâſnam eſſet. Cumq; ſciuiſſet eum eſſe Palæſtinum, nomen quoque rogauit. Cùm autem didiciſſet eum vocari Epiphanium, fuit valdè anxius. In Aegypto enim dicebatur Epiphanius eſſe vir doctus, & habere præſcientiam. Poſtquàm verò rogauit Epiphanium, cuiâſnam ſit, & quî vocetur, turbam rurſus docebat. Cùm autem veniſſet ad exponendum de reſurrectione, de carne dixit, eam non reſurgere. Quibus auditis, ægrè ferens Epiphanius, dixit Hierarci: Ori tuo committe repagulum, & diſce ſpem noſtram non blaſphemare. Quod cùm dixiſſet Epiphanius, manſit Hierax in loco mutus & immobilis. Cùm verò omnes, qui ab ipſo docebantur, vidiſſent miraculũ, quod in ipſum fecit Epiphanius, obſtupuerunt. Ex diuinis autem ſcripturis accipiens Epiphanius, cœpit omnes docere de reſurrectione. Præterijt igitur aliquot horarum ſpatium, & mutus permanebat Hierax. Poſt hæc autem dixit ei Epiphanius: Loquere verum ſermonem, & audi firmam ac ſtabilem fidem. Tunc ſe excuſauit Hierax, dicens ſe eſſe lapſum: pœnitere autem proteruæ illius ſententiæ.

Cap. 27. | Hieracis errores. | Gen. 3. | Priuatur linguæ officio. | Agnoſcit errorẽ ſuũ.

De Iohanne, qui erat in Thebaide.

Diſcedentes verò Leontopoli, iuimus in ſuperiorem Thebaidem. Erat autem illic vir iuſtus, Iohannes nomine. Et cùm ad eum ingreſſi eſſemus, nos benignè accepit. Fuerunt autem quidam ex ijs, qui in illis locis habitabant, qui ei quendam alligârant adoleſcentem, vt maneret. Is verò vexabatur ab immundo ſpiritu. Poſtquàm autem vidit Epiphanium, dixit ei magna voce: Cur huc acceſſiſti, Epiphani Dei ſerue? Manſitque ab hora ſexta vſque ad nonam ſic clamans, & repentè rupto vinculo, cucurrit ad Epiphanium. Præhenſis autem pedibus Epiphanij, clamabat, dicens: Libera me, rogo per Deum, quem colis. Dixerat verò Epiphanius immundo ſpiritui, vt exiret ab homine, ita vt non cognoſceret Iohannes Epiphanium. Dixit autem Epiphanius adoleſcenti: Homo ſurge: Quid mihi exhibes moleſtiam? Statim autem ſanus ſurrexit adoleſcens, cùm immũdus exijſſet ſpiritus. Tres verò dies manſimus apud Iohannem, virum admirabilem, & vita, quæ ex virtute agebatur, ornatum. Illinc autem recedentes, venimus ad Bubilia, & ſeptem annos illic tranſegimus: magnamque illic Epiphanio moleſtiam præbuêre per congreſſionem.

Cap. 28. | Epiphanius curat dæmoniacum.

De Eudæmone Philoſopho.

Aliquando quidam Philoſophus, nomine Eudæmon, acceſſit ad Epiphanium, & ſermones inter ſe contulêre. Epiphanius quidem ex ſcripturis diuinitùs inſpiratis, Eudæmon autem per inutilem contentionem diſſerebat contra ea, quæ dicebat Epiphanius. Habebatque Eudæmon puerum, eiusque oculus erat clauſus. Dixit autem Eudæmoni Epiphanius: Ecce, ô Philoſophe, ſupra omnes eloquẽtia polles & diuitijs, ſuntq; apud te dij complures. Cur pueri ergo curam nõ geris, vt eius quoque ſint ſani oculi? De hoc riſit Philoſophus, dicens Epiphanio: Si ſub cælo eſſet ſolus filius Eudæmonis, qui vnum haberet oculum, iure eſſem de eo ſolicitus. Epiphanius autem dixit Eudæmoni: Quòd ſi ſolus, inquit, eſſet, ô Philoſophę, quidnam agere poſſes ad eum curandum? Nihil aliud, inquit Eudæmon, niſi ratiocinari & dicere, nullum vnquàm

Cap. 29.

ſic fuiſſe affectum, vt eſt noſter puer. Dixit Epiphanius Eudæmoni: Ne ea, quæ dicuntur, attendas perinde ac ridicula. (Deus enim eſt in medio amborum) adduc puerum, qui laborat, & vide gloriam Dei. Hæc cùm dixiſſet Epiphanius, & Eudæmonis puerū manu tenuiſſet, & eius oculum, qui non videbat, ter ſignâſſet, ſtatim reſpexit. Cùm autem vidiſſet Eudæmon, quod fecerat Epiphanius, rogauit eum dicens: Si vobis placet, magiſter, volo ego quoque fieri Chriſtianus. Epiphanius autem dixit Eudæmoni: Audi, ô Philoſophe, de bono & miſericordi Deo, cui credunt Chriſtiani. Iſraëlem, qui aliquando ſeruiebat Pharaoni Regi Aegypti, liberauit, & eum eripuit, & per mare rubrum eum traduxit, tanquam per terram aridam, atque per ſolitudinem, & introduxit eum in terram fluentem lacte & melle: eumq; cùm aliquando non paruiſſet, & Dei fuiſſet immemor, per Prophetam ſic adhortatus eſt, dicens: Popule mi, quid feci tibi, aut qua in re tibi fui moleſtus? reſponde mihi. Quamobrem, ô docte Eudæmon, paratus eſt Deus eos, qui bono modo accedunt, excipere: & ſi quis fecerit peccata quàm plurima, illa ei remittentur. Vade ergo, ô erudite Eudæmon, & ingredere ciuitatem, & ne te pudeat accedere ad Epiſcopum. Chriſtus enim amat humilitatem. Quocircà ad nos quoque venit in magna humilitate.

Signo crucis ſanat cæcum puerū. *Mich. 6.*

Cap. 30. *Eudæmon philoſophus credit.* Audiuit autem Eudæmon verba Epiphanij, & ingreſſus eſt in ciuitatem, & procidit ad pedes Epiſcopi, & factus eſt Chriſtianus. Fuitque Epiphanius magni nominis in tota Aegypto. Quærebant enim Epiſcopi eum tenere, & facere Epiſcopum: Etiam à quodam ducebatur Epiphanius. Id ille animaduertens, dixit mihi: Agedùm fili, reuertamur in patriam. Et rurſus in noſtram ſumus profecti regionem, & ingreſſi ſumus in monaſteriū magni Hilarionis. Receſſerat autē magnus Hilarion è monaſterio propter magnam, quæ ei exhibebatur, moleſtiam. Cumque in Cypriorum nauigâſſet regionem, verſabatur in ijs locis, quæ ſunt circa Paphum. Cùm autem fratres vidiſſent Epiphanium, magno ſunt affecti gaudio. Lugebant enim propter magnum Hilarionem. Fuimus verò quadraginta dies in monaſterio. Inde egreſſi fuimus in noſtrū Spanydrion. Cùm autem vidiſſent & Præfectus Edeſinus, & fratres Epiphanium, magnam accepêre lætitiam. Tres verò dies fuimus illic in hoſpitio ego & ipſe. Quarto autem dixit mihi: Fili, accipe cellam, & in ea quietem age: & ſic feci, & quietem agebamus in monaſterio. Hoſpitis autem locum obtinebat Epiphanius.

De fame, quæ erat in Phœnicia.

Cap. 31. Cùm verò in regione Phœnicum eſſet fames in illo anno, magna multitudo congregata eſt ad Epiphanium, quæ eum rogabat, dicens: Fer nobis opem, Pater, ne pereamus: & roga Deum, vt det nobis pluuiam ſuper terram, & terra fructus producat. Dixit autem hominibus Epiphanius: Quid mihi, inquit, exhibetis moleſtiam? Sum enim homo peccator. Rurſus eum rogabant, vt benignum & clementē Deum oraret. Is autem dixit eis: Dixi iam vobis me eſſe peccatorem. Ijs magis rogantibus, venit hora nona diei. Dixit autem Epiphanius Præfecto: Permitte, vt menſa apponatur his hominibus, comedantque & bibant, & lætentur, & rurſus abeant. Appoſuitque menſam. Et ingreſſus eſt in ſuam cellam. Ipſis autem comedentibus, Sol ſuum emittebat ſplendorem, vt in æſtate: & repentè factæ ſunt tenebræ, fulgura & tonitrua, & magnus imber cecidit in terram. Præ metu verò omnes ceciderunt à menſa. Non fuit autem locus in tota Phœnicia, qui non acceperit benedictionem. Manſitque pluuia tres dies continuos. Accedentes autem viri in domum Epiphanij, rogabant eum, vt ſiſteret pluuiam, quæ cadebat de cælo. Tunc dixit eis Epiphanius: Quid me eſſe exiſtimatis, ô filij? Nam ego quoque homo ſum, ſicut vos. Scit autem beneſactor, quidnam vobis opùs ſit. Vultisne veſtram viam redire? Illi verò dicunt: Certè pater. Eo autem è cella egreſſo, omnes congregati eum circunſteterunt. Dixit autem rurſus Præfecto: Apponatur eis menſa. Cumque conſediſſent, ab Epiphanio petebant, vt benediceret. Cùm autē dixiſſet Epiphanius, Benedictus Deus, ſtatim à terra repreſſa eſt pluuia. Vidit verò Epiphanius magnam perturbationē, & rurſus quæſijt recedere.

Impetrat pluuiam ſuis precibus Epiphanius *Siſtit pluuiā*

De fuga in Cyprum.

Cap. 32. Cùm autem aliquando conueniſſent Epiſcopi pro creando Epiſcopo, mentionē fecerunt Epiphanij. Erat enim quidam Monachus in medio Epiſcoporum, vir pius, ætate iuuenis, perfectus in temperantia ac moderatione, nomine Polybius. Is nouerat Epiphanium. Ei autem dixerunt Epiſcopi: Accipe equum, & vade in monaſterium, & vide, an ſit illic Epiphanius, & currēs annuncia nobis. Nemini verò dixeris, & nec ipſi

ipſi quidem Epiphanio. Cùm autem Polybius veniſſet in monaſterium, ſalutauit Epiphanium. Cui ille dixit: Cur, fili Polybi, huc veniſti? Dicit Polybius: Ego, Pater, volo concurrere cū veritate. Dixit Epiphanius: Accurriſti, veniſtique huc, ô fili Polybi, miſſus à ſanctis ſacerdotibus ad ſpeculandum: noli celare, ô fili, mala res eſt mendacium, dic veritatem. Deus eſt in medio: eſto probus miniſter veritatis. Epiphanius enim venit de loco ad locum, gemēs & tremens propter multa ſua peccata. Sed agedùm, Polybi, mane hîc, & remitte iumentum, & ſine ſacerdotes quærere eos, qui digni ſunt locis. Paruit Epiphanio Polybius: & cùm valere iuſſiſſet comitem, remiſit equum ad Epiſcopos. Qui autem ducebat Epiphanium, eum duxit in regionem Cypriorum. Illa ergo nocte accepit me & Polybium, & egreſſi ſumus proficiſcentes Hieroſolyma. Fuimuſque illic tres dies. Dixit autem nobis Epiphanius: Agedùm, filij, eamus & accipiamus benedictionem à patre noſtro magno Hilarione. Audio enim eum eſſe in Cypro. Qui autem ducebat, duxit illò Epiphanium. *Vide modeſtiam ſancti viri.*

Cùm verò veniſſemus Cæſaream, inuenimus illic nauem Cypriam, & nauigantes Paphum, peruenimus ad magnum Hilarionem. Fuit autem magna in congreſſu lætitia, & illic manſimus duos dies. Magna verò rurſus eſt exhibita Hilarioni moleſtia ab ijs, qui ad ipſum accedebant. Cùm autem Papho egredi ſtatuiſſet Epiphanius, dixit Hilarion Epiphanio: Quò vadis, fili? Dixit Epiphanius: Aſcalonem, Gazam & vlteriùs, etiam in ſolitudinem. Dixit ei Hilarion: Vade Salaminā, ô fili, & illic inuenies locum ad habitandum. Epiphanius autē nolebat audire verba Hilarionis. Rurſus ergo dixit Hilarion: Oportet te eò ire, & illic habitare. Noli ergo aduersùs verba mea contendere, ne fortè in mari venias in periculū. Valere itaque iuſſo Hilarione, cùm ad mare deſcendiſſemus, inuenimus duas naues: Vnam, quæ tranſmittebat Aſcalonem: alteram verò, quæ nauigabat Salaminam. Cùm autem aſcendiſſemus nauem, quæ erat itura Aſcalonem, fuit in mari magna tempeſtas. Fuitque nauis in periculo, ne frangeretur à vi vndarum. Fuimuſque in mari tres dies animo valde anxio. Quarto autem die ſuperauit nauis fluctus, qui ingruebant, & in Salaminiorum nos egit ciuitatem. Naue verò egreſſi omnes, humi iacebant mortui ob vim fluctuum, magnamque afflictionem & inediam. Manſit autem in eo loco nauis, vt reficeretur. Erat enim à vi vndarum conuulſa. Cumque tres dies illic fuiſſemus, Dei gratia in priſtinum ſumus ſtatum reſtituti. Rurſuſque volebat Epiphanius ex eo nos loco nauigare. *Cap.33. Hilarion in Cypro.* *Prædicit Epiphanio periculum.*

De ordinatione eius in Epiſcopum.

Erant autem congregati omnes inſulæ Epiſcopi ad ordinandū eum, qui poſſet paſcere gregem Chriſti. E vita enim humana exceſſerat illius loci Epiſcopus, ciuitatis, inquam, Salaminiorum. Iamque aliquot dies precabantur, & Deū orabant, vt vellet eis reuelare, quiſnam ad hoc futurus eſſet vtilis. Erat ex Epiſcopis quidam vir ſanctus, qui fuerat ordinatus in miſerabili quadam ciuitate, quæ vocabatur Cytria: diſtabat autem Salamina ad quintum lapidem. Eum dicebant fuiſſe quinquaginta annos in Epiſcopatu. Fuerat verò is quoque dignatus martyrio: & cùm multa paſſus fuiſſet propter Chriſtum, abſolutus fuit in confeſſione filij Dei. Eum dicebant fuiſſe captum cum Gelaſio Epiſcopo ciuitatis Salaminiorum ad hoc, vt eſſent martyres. Erat autem ei nomen ab ortu Pappus, qui ipſe quoque erat cum Epiſcopis. Eum Epiſcopi omnes habebant vt patrem, propter confeſſionem in Chriſto, & propter annos Epiſcopatûs. Porrò is habebat etiam Dei præſcientiam. Ei reuelatum fuerat de Epiphanio, vt ordinaretur Salaminiorum eccleſiæ Epiſcopus. Erat autem tempus æſtiuum, quod vuas maturas iam perurebat. Cùm ergo ſtatuiſſet Epiphanius nauigare à ciuitate Salaminiorum, dixit mihi & Polybio: Eamus, filij, in forum, & emamus vuas. Cumque è naui in forum abijſſemus, & venditorem conueniremus, Epiphanius, acceptis duobus botris pulcherrimis, dixit venditori: Quid vis tibi dem pro his duobus botris? Epiphanio autem mos erat non contradicere. Cùm verò venditor dixiſſet precium vuarum, Epiphanius accepit pecuniā, vt ſolueret venditori. Tunc accedit ſanctus Pappus, ſuffultus à duobus Diaconis. Erant autem tres quoque cum ipſo Epiſcopi. Qui cùm appropinquâſſent Epiphanio, Epiphanius botros habebat in manibus, & eorum precium. Dixerunt autē quidam ex adſtantibus: Ecce hîc adſunt Epiſcopi. Incipiens autem Pappus, dixit Epiphanio: Dimitte, ô Abba, botros apud venditorē, & ſequere nos in eccleſiam. Recordatus verò verbi diuini, quod dicit, & eloquitur: Lætatus ſum in ijs, qui dixerunt mihi, In domum Domini eamus: ſecutus eſt in eccleſiam. Pappus autem dixit Epiphanio: *Cap.34.* *Pappus Epiſcopus grādæuus & cōfeſſor.* *Pſal.121.*

Fac orationem, ô Pater. Quod dicebat Pappus Epiphanio, vt ſe ſignificaret clericum. Pappo autẽ dixit Epiphanius: Ignoſce mihi, Pater: Non ſum enim in clero. Dixit Pappus Epiphanio: Vide, ô fili, ne neges coram tot ſanctis patribus, & condemneris, vt qui abſcondit talentum. Dixitque Epiphanius: Non, Pater, non ſum clericus. Hæc autem cùm dixiſſet Epiphanius, Pappus dedit pacem.

Epiphanius ordinatur Epiſcopus. Vnus verò ex Diaconis, capite appræhenſo Epiphanio, eum vi duxit ad Pappum ad altare, adeò vt multi quoque alij conuenerint, vt eum ſeruarent ad altare. Eum itaque ordinat Diaconum: & rurſus dat ei pacem, & ipſum ordinat Preſbyterum. Rurſusque fit cõſequentia, & eum ordinat Epiſcopũ. Poſt dimiſſionem autem ab eccleſia, aſſcendimus in Epiſcopatum. Dixit autem Pappus Epiphanio: Agè fili, adhortare patres, vt fruamur & lætemur tua paternitate. Cùm hoc grauiter ferret Epiphanius, & angeretur animo & fleret, dixit Pappus: Oportebat quidẽ nos tacere, ô fili Epiphani. Fio autem, cùm tu non quæſieris, inſipiens. Nam cùm patres hîc eſſent cõgregati, Dei voluntate mihi dederunt hoc negocium ad ſignificandum Epiſcopum. Ijque omnes mihi exhibebant negocium, dicentes mihi peccatori: Ora prompto & alacri animo, & tibi reuelabitur.

Reuelatio de Epiphanio.

Cap. 35. Cùm ego autem me in hoſpitio incluſiſſem, & de eo Saluatorem rogarem, fulgur in cella reſplendit: audiui verò vocem dicentem mihi peccatori? Pappe, Pappe, audi. Ego aũt dixi timore perterritus: Quid iubet Dominus meus? Dixit mihi benignè: Surge, accipe vnum ex Diaconis, & deſcende in forum. Ecce illic apud venditorem monachus emit vuas, qui duos ſecum habet monachos, & Eliſæi caput illius habet effigiem. Eum ordina Epiſcopum. Sed ne ei renuncies, ne fortè effugiat. Eſt autẽ ei nomen Epiphanius. Factus ſum inſipiens, fili: ipſe me coëgiſti. Vide quid facias, & attende tibijpſi. Ego enim miſſus ſum, & feci quod debui facere. Sum inſons, & poſt hæc omnia videbis. Cùm hæc autem audijſſet Epiphanius, cecidit in faciem, & adorauit Pappum, dicens: Ne iraſcaris, Pater. Sum enim homo, nec ſufficio implendæ menſuræ ſacerdotij. Cumque omnes adoràſſet, inuitauit eos ad prandiũ. Et cùm prandiſſent, iuit vnuſquiſque in ſuam eccleſiam. O ſancta humilitas.

De debitore Romano.

Cap. 36. Tribus autem pòſt diebus vir quidam venerandus, nomine Eugnomon, à quodam clariſſimo illius ciuitatis coniectus fuerat in cuſtodiam pro ſumma centum nummorum. Nomen eius, qui ipſum coniecerat, erat Draco. Is cùm eſſet Romanus, nullũ habebat, qui eum liberaret à cuſtodia. Cùm audijſſet Epiphanius, & iſſet ad Draconem, & eum rogaret, vt Eugnomonem Romanũ liberaret à cuſtodia: Vade, Draco inquit, tu in hanc introducte ciuitatem, & affer centum nummos, quos tuus mihi debet amicus, & da mihi eos: & eum recipe. Erat autem hic Draco gentilis, & diues admodùm, ſæuisque moribus. Epiphanius autem iuit in Epiſcopatum. Erantque centum nummi repoſiti in Epiſcopatu ad miniſterium eccleſiæ. Ijs acceptis, iuit Epiphanius, & eos dedit Draconi, & liberauit hoſpitem. Quidam autem Diaconus nomine Charinus (multi in eum teſtimonium ferebant, quòd eſſet inſolens) incitabat omnes clericos aduerſùs Epiphanium, dicens: Agitè perſequamur hunc hoſpitem, ne comedat quæcunque ſunt eccleſiæ, & ſimus nos peccato obnoxij. Erat autem hic Charinus valdè diues, & quærebat perſequi Epiphaniũ, vt ipſe ſederet in throno. Surrexeruntque omnes clerici aduersùs Epiphanium, dicẽtes hæc verba Charini: Non ſatis eſt, ô Epiphani, quòd huc veneris, cùm non haberes indumentum, & acceperis eccleſiam, ſed etiam tãquam hoſpes, diſpergis res eccleſiæ? & quis hoc ferre poterit? Aut da centũ nummos, aut vade in tuam patriam. Iuit autem Romam Romanus, liberatus ab Epiphanio: & omnibus ſuis vẽditis, ei attulit pecunias. Quas cùm accepiſſet Epiphanius, diſtribuit ijs, qui opùs habebant. Manſit verò Romanus cum Epiphanio vſque ad mortẽ ſuam. Accepit autem Epiphanius alios quoque centum nummos, & dedit Charino, dicens ei: Accipe centum nummos, quos dedi pro hoſpite. Is verò centum nummos accepit ab Epiphanio. Omnibus autem accerſitis clericis, Charinus dixit eis: Agitè, accipite centũ nummos, quos diſperſerat Epiphanius: eos enim ab eo exegi. Clerici verò non comprobârunt malum animum Charini, ſed ei dixerunt: Abi, eos redde ei, à quo accepiſti. Ita is eos reddidit Epiphanio. Atque is quidẽ multa grauia & indigna fecit Epiphanio. Epiphanius autem nunquàm omninò meminit acceptæ à Charino iniuriæ.

Liberat debitorem è carcere.

Charinus Epiphanij inſectator.

Cùm

Cùm aliquando quidem eſſet prandiū in Epiſcopatu, habebat Epiphanius omnes clericos in menſa. Mos autem erat Epiphanio nocte & die habere in manibus ſancta Euangelia, & docere verbum diuinū. Cumque in menſa doceret prandentes Epiphanius, auis, quæ dicitur coruus, intenſè vocem emiſit. Dixit autem Charinus prandentibus: Quiſnam ex vobis nouit, quid locutus ſit coruus? Verbum autē diuinum exponebat Epiphanius. Eandem vocem rurſus emittit coruus. Dixit autem rurſus Charinus: Quis ex vobis nouit, qd dicat coruus? Epiphanius verò rurſus omnes docebat in prandio. Porrò autem rurſus quoque tertiam vocem emittit coruus. Dixitq; rurſus Charinus ijs, qui erant in prandio: Dixi vobis, Quiſnam veſtrûm nouit, quid dicat coruus? Dixit quoque Charinus Epiphanio: Annuncia mihi, & eris omniū meorum dominus. Cui reſpondit Epiphanius: Dixit coruus, te non futurū ampliùs Diaconum. Poſt orationem autem tremor inuaſit Charinum. Nec locutus eſt ampliùs, aut comedit, aut bibit: ſed eum portantes eius pueri, tulerunt in domum ſuam, & poſuerunt in lecto. Manè verò mortuus eſt in lecto ſuo. Habebat autem vxorem fideliſſimam, nec erat eis filius. Ea obtulit omnia Epiphanio: Quam etiam fecit Diaconiſſam eccleſiæ. Laborauerat autem eius manus paralyſi tempore decem annorum. Poſtquàm ergo eam tenuit Epiphanius, vt eam ſignaret, ſtatim conualuit, & liberata fuit à doloribus. Ab illo ergo die, quo Charino ſermonem locutus eſt Epiphanius, & vnà cum ſermone ipſe accepit ſententiam à Domino, omnes clerici timore & tremore ſubiecti erant Epiphanio. Cap. 37. Charini repentina mors.

De Diacono ventilante.

Porrò autem hoc quoque ſeruabat Epiphanius. Tēpore oblationis nunquàm perficiebat oblationem, donec vidiſſet viſionem. Conſueueratque beatus præfari verba quædam, & ei ſtatim reuelabatur. Cùm itaque aliquando ter dixiſſet ſermonem, nulla ei ſe obtulit viſio. Cùm is autē lugeret & oraret, vt ſibi cauſa ſignificaretur, primus obſeruat Diaconum, qui à ſiniſtris tenebat ventilabrū miniſtratorium. Quem cùm obſeruaret, conſiderat Epiphanius in eius fronte apparere lepram. Nulli autē erat manifeſtum, diaconum eo morbo laborare. Epiphanius itaque manū extendit, & inſtrumentum leuauit miniſtratorium, ei benignè dicens: Vade, fili, in domum tuam, & ne modò ſumas diuina myſteria. Ipſe aūt ſtatim egreſſus eſt, & iuit in domū ſuam. Datq; Epiphanius ventilabrum alij Diacono. Cumque diuina verba incepiſſet cum metu & lachrymis, vbi perfecit, ſtatim vidit viſionem. Poſt eccleſiæ autem dimiſſionē, accerſito Diacono, ex eo ſciſcitatur cauſam. Cumq; is diceret, quòd illa nocte dormierat cū vxore: accerſito toto ordine ſacrato, eis benignè dixit Epiphanius: Quicūque, ô filij, clero digni eſtis habiti, ſoluite calceamenta veſtra, vt nō in ijs ingrediamini, & vt colatis virum ſanctum, qui in eccleſia prædicat & dicit: Et habentes vxores, tanquam non habentes. Exhinc ergo non ampliùs ordinabat Epiphanius eos, qui haberent vxorem, ſed viros ſanctos, qui vitam exercebant monaſticam, & viduos viros probatos. Licebat enim verè videre eccleſiam, tanquam pulchram ſponſam ornatam ſacerdotio. Cap. 38. Idē de Carpo ſcribit Dionyſ. Areopagita. 1. Cor. 7. Nota quales voluerit habere Diaconos.

Polybij Epiſcopi de Epiphanio Epiſcopo.

Gloria Deo, qui nobis præbet vt viuamus, & glorificat eos, qui ipſum glorificant: quemadmodùm dicit verbū diuinum: Glorificantes me, glorificabo: & qui me ſpernit, ſpernetur. Accidit, vt Iohannes ſanctus Pater laboraret morbo, quo etiam eſt mortuus. Cumque ægrotus iaceret in lecto, accerſito mihi dixt: Fili Polybi. Ego verò ei dixi: Quid iubes, Pater? Dixit autem mihi: Quoniam prohibet Epiphanius, ne nos literarum monimentis mandemus, quæ Deus per ipſum peragit miracula, accipe has chartas. Nam in hodiernum vſque diem, quæ ipſum vidi facientem, conſcripſi, eo inſciente. Tu quoque, ô fili, quæ conſequētur ab hodierno die, manda literis. Deus enim tibi annos adijciet, vt toto tempore vitæ permaneas apud Epiphanium. Sed vide, ne negligas. Nam ego quoque à Deo motus hæc conſcripſi. Ego enim vado ea via, qua omnes, qui ſunt ſuper terram. Poſt hæc autem dixit Iohannes: Voca mihi ſanctū patrem noſtrum Epiphanium. Iuique, & vocaui ipſum. Eo autem ingreſſo, dixit Iohanni Epiphanius: Non curas, inquit, ô Pater, Deum precari pro miſero peccatore Epiphanio? Dixit verò Iohannes Epiphanio: Fac orationem, ô Pater. eſt enim quod tecum loquar. Epiphanius itaque fecit orationem. Cùm nos autem dixiſſemus, Amen, dixit Iohannes Epiphanio: Accede propiùs ad me, Pater. Et acceſſit propiùs. Dixitque Iohannes Epiphanio: Impone manus tuas oculis meis. Et vale ei dixit Iohannes, & tradidit ſpiritum. In Iohannis autem collum cadens Epiphanius, fleuit, & eum eſt oſcu- Cap. 39. 1. Reg. 2. Noluit vir ſanctus cōſcribi res à ſe geſtas.

 latus,

latus, & magno dolore affectus eſt Epiphanius propter mortem Iohannis.

De templi ædificatione.

Cap.40. Cùm autem Epiphanius aliquãdo cecidiſſet in faciem, vt Deum oraret, vt eum adiuuaret ad ædificandam domũ nomini eius, (erat enim prima eccleſia parua pro multitudine eorum, qui ingrediebantur) cùm pronus, inquam, iaceret in faciẽ Deũ orans, vox ad eum facta eſt: Epiphani, inquiens. Eam autem vocem ſæpè erat ſolitus audire Epiphanius. Dixit itaque non conturbatus: Quid eſt, Deus mi? Rurſusque dixit vox eadem: Incipe ædificare ædem. Epiphanius autem protinùs id non negligens, exijt, & fecit orationem, & totam loci conſequentiam deſignauit, & adhibuit artifices. Aedis verò ædificationi præerãt ſexaginta, & magna multitudo, quæ ei rei miniſtraret. Erant autem tunc in ciuitate gentiles viri diuites & pecunijs, & poſſeſſionibus.

De Dracone.

Cap.41. Erat autem quidam, qui vocabatur Draco, qui à plurimis dicebatur magnus Draco. Is habebat filium. Vocabatur verò ipſe quoque Draco. Is in dextero latere laborabat graui * cauſone. Cumque pater eius multa conſumpſiſſet in medicos, id ad ſanitatem nihil ei profuerat. Magnus ergo ille Draco ſe malè gerebat in Epiphanium & verbis & factis. Epiphanius autem ſi quando eum videbat, primus ſalutabat. Cumque aliquando tranſiret Epiphanius per locum, vbi in ſedibus ſedebant omnes diuites, erat magnus quoque Draco, & eius filius ægrotus in eo loco. Cùm autem Epiphanium vidiſſent, eum irridebant. Cùm verò appropinquâſſet Epiphanius, & eos ſalutâſſet, manu tenuit ægrotum Dracone, ſic dicens: Draco, tu quoque eſto ſanus. Et ſtatim cum oratione Epiphanij factus eſt ſanus. Draco autem, & qui viderunt, omnes obſtupuerunt. Cùm autem vidiſſet Draco, quod fecerat Epiphanius, præ timore & tremore non potuit ampliùs, vt ſolebat, ire domum, ambulans ſuis pedibus, ſed portatus. Fuitque poſitus ſupra lectum. Manè verò venit vxor Draconis, & rogat Epiphanium, vt veniens & emittens orationem, eum faciat ſurgere. Epiphanius itaque iuit in ædes Draconis. Cumq; ipſe eſſet precatus, Draco ſurrexit protinùs. Qui accepit quinque millia nummorum, & eos obtulit Epiphanio. Dicit autem Epiphanius: Mihi, fili, vna ſufficit tunicella ſuper hoc corpuſculũ, & panes vulgares cum potu aquæ. Cur mihi, inquit, onus imponis, cùm ego nolim grauari? Sed ſi velis gloriam conſequi, vade, & mane in templo Dei, & præbe eos laborantibus. Sic autem fecit Draco. Rogauitque Epiphanium, & baptizauit ipſum, & vxorem eius, & filium.

[Margin: * id eſt, ardore vel æſtu.]

[Margin: Sanatur morbidus quidam.]

[Margin: Vide tenuẽ veſtitum & pauperem victum ſancti viri.]

De puero mortuo.

Cap.42. Quidam autem alius, nomine Syneſius, qui ipſe quoque erat diues, ſed gentilis, habebat filium vnigenam, tredecim annos natum. Eum morbus inuaſit, & collum eius circundedit, & eum ſuffocauit, & eſt mortuus. Eratque magnus luctus & planctus in domo eius. Quidam verò Hermeas nomine, Chriſtianus, dixit matri pueri: Domina, vtinam adeſſet magnus Epiphanius: Is puerum ſuſcitaret. Ea autem credens, ſtatim Hermeam miſit ad Epiphanium. Erat enim Hermeas ei familiaris. Cumque veniſſet Hermeas, dixit Epiphanio: Domine mi, dominus meus Syneſius miſit me ad te, vt te ducam in domum ſuam, & roges Deũ pro filio eius, qui eſt mortuus, vt reſurgat. Tunc me accepit Epiphanius, & iuimus in domum Syneſij. Cumque domum eſſet ingreſſus Epiphanius, cecidit humi vxor Syneſij, hæc verba dicens Epiphanio: Veniſti huc, qui es magnus medicus Chriſtianorum. videamus artem tuam in filium, & accipiamus curati experientiam: & ſic ad tuum Chriſtum accedamus. Cùm hæc dixiſſet mulier, dixit ei Epiphanius: Si credideris Crucifixo, videbis filium tuum ambulantem. Dixit autem muliercula: Sed nihil aliud cogito in animo, niſi mentem adhibere Crucifixo. Cùm itaque Epiphanius ad lectum acceſſiſſet, & collum pueri contrectâſſet, & eius ceruicem fricâſſet, dixit ei vultu hilari: Euſtorgi, Euſtorgi. Is autem protinùs aperuit oculos, & ſedit ſuper lectum: & admiratione perculſi ſunt, qui erant in domo. Cùm verò vidiſſet mater Euſtorgij id, quod factum fuerat per Epiphanium in puero, accepit tria millia nummûm & obtulit Epiphanio. Dixit autem ei Epiphanius: Eis ego non vtor, ô mulier ingenua: ſed maritus tuus eos accipiet, & ibit ad domum eius, qui tuum excitauit filium, & dabit ijs, qui laborant. Sic autem fecit Syneſius. Fuitque illuminatus ipſe, & vxor eius, & filius, quem mortuum ſuſcitârat Epiphanius.

[Margin: Vocatur magnus medicus Chriſtianorum.]

[Margin: Excitat puerũ mortuũ]

De ordinatione Polybij.

Cùm

Cùm aliquando eſſemus in æde, & nullus eſſet alius, dixit mihi Epiphanius: Fili Polybi, quoniam opùs habet eccleſia Presbytero in locum patris noſtri Iohannis, volo, ô fili, vt ſis in illius ordine. Cùm ego autem ea, quæ dicebantur, ægrè ferrē, & verbis plurimis recuſarem, venit tempus eccleſiæ, vt diuinum faceremus officium. Ingredientibus verò nobis omnibus cum Epiphanio in eccleſiā, in animo habui aufugere, Presbyteri onus graue eſſe exiſtimans. Quando autem peruenimus ad ſuggeſtū, Epiphanius me manu tenens, dixit mihi: Mane in hoc loco vſque ad tempus. Admirati ſunt, qui hunc ſermonem audiêrunt. Ego certè non potui ampliùs ex eo loco pedem leuare: ſed eram veluti ferreis clauis confixus. Quando autem fuit completa tota conſequentia, tunc miſit vnam ex Diaconis, & me duxit ad altare, & ordinauit presbyterū. Poſt eccleſiæ verò dimiſſionem, præ metu cecidi in lectum, & valdè in grabbato comprimebar, donec Epiphanius ingreſſus eſt, & orauit: & ſtatim ſurrexi. Cap 43. Vide morē celebrandi officium in eccleſia. Sanatur Polybius.

De Iohanne Epiſcopo Hieroſolymitano.

Aliquando autem venit quidam Diaconus Hieroſolymis, & renunciauit Epiphanio de Iohanne Epiſcopo Hieroſolymitano, quòd eſſet auarus, & includeret pecunias, & non ſuppeditaret indigentibus. Habitauerat autē hic Iohannes in monaſterio magni Hilarionis: quo factum eſt, vt vnà quoque cum eo habitârit Epiphanius. Epiphanius itaque ſcripſit epiſtolam ad Iohannem de miſericordia in eos, qui indigent. Iohannes autem epiſtolæ nullam habuit rationem. Non ita multo pòſt tempore dixit mihi Epiphanius: Agè fili, eamus Hieruſalem, & cùm adorauerimus, reuertemur. Cùm Cypro autem ſoluiſſemus, nauigauimus Cæſaream Philippi, & illinc aſſcendimus Hieruſalem. Cumque ingreſſi eſſemus & orâſſemus, aſſcendimus in Epiſcopatum. Viditque Iohannes Epiphanium, & magno fuit affectus gaudio. Iohanni autem dixit Epiphanius: Da mihi, Pater, domum ad manendum. Deditque nobis domum pulcherrimam. Quotidiè autem vocabat Iohannes Epiphanium ad menſam, ſumptuoſosque cibos & potus nobis in menſam ferebat, multumque argenti commutando afferebat in menſam: quo fiebat, vt pauperes non eſſent participes. Aliquando verò dixit Iohanni Epiphanius: Da mihi, ô Pater Iohannes, argentum ad vſum meum: Sunt mihi alendi viri Cyprij: eis exhibebo magnificam tui argenti ſpeciem. Præbe ſeruo tuo, quæ ſunt pulcherrima in domo tua ad tuam gloriam, & de tuis factis gloriabor, vt qui ſim perpetuò monſtrandus digito. Memineris tantùm eorū, quæ dantur: & quod oportet, poſteà tibi reddetur. Iohannes autem produxit multum argenti in conſpectum Epiphanij. Qui dixit ei: Habésne aliquid aliud argenti repoſitum, ô Pater? Dixit autem Iohannes Epiphanio: Hoc vtique ad tuum vſum tibi ſufficiet, ô Pater. Dixitque Iohanni Epiphanius: Adduc illud quoque, Pater, vt magnificè accipiantur. Cùm is autem aliud quoque attuliſſet, dixit Iohanni Epiphanius: Da mihi, quæ ingenuis pulchram præbent ſpeciem. Dixit ei Iohannes: Accipe quæcunque ſunt tuis hominibus delectationi, & eis vtere in prandio. Cap.44. Vide quam venerationem ſanctis locis patres ſancti adhibebant.

Accepit itaque Epiphanius argenti pondus circiter librarum mille quingentarum, & iuimus in domum, quæ data nobis fuerat à Iohanne ad manēdum. Erat autem quidam argentarius, nomine Aſterius. Is Roma venerat Hieruſalem negocij obeundi gratia. Eum cùm accerſiuiſſet Epiphanius, & ei oſtendiſſet argentum, cum eo conuenit, & pactum iniit, vendiditque, auro ab eo accepto, quod nocte & die diſtribuit egentibus. Interiectis autem aliquot diebus, dixit Iohannes Epiphanio: Redde mihi meum argentum, quod tibi ad vſum commodaui. Dixit Iohanni Epiphanius: Patientiam in me habe, ô Pater. Sunt enim adhuc, quos alam, & omnia reddam. Cùm ergo dies aliquot rurſus interceſſiſſent, dixit Iohannes Epiphanio, cùm eſſemus in templo, vbi repoſitum eſt lignum ſalutare: Iam dixi tibi, Redde mihi argentum, quod tibi accommodaui. Epiphanius autem leniter & placidè dixit Iohanni: Dixi tibi, Pater, me eſſe redditurum. Iohannes verò ira plenus, appræhendit & tenuit diploidem Epiphanij, ipſum in ea conſtringens, eique dixit: Non exibis, non ſedebis, nō ages in pace, donec reddideris argentum, impoſtor Epiphani: Da argentum, quod à me accepiſti commodatò: eccleſiæ redde, quæ ſunt eccleſiæ. Epiphanius verò poſt hæc omnia conturbatus non fuit: ſed erat idem in eo ſtatus. Manſit autem Iohannes ſpatio duarum horarum tenens & iniuria afficiens Epiphanium. Quotquot verò aderant, triſtitia ſunt affecti, eò quòd adeſſent, & audirent aſpera verba Iohannis. Epiphanius autem nihil commotus, expuit in eius faciem, & ſtatim fuit excæcatus: ceciditque metus ſuper Cap.45. Lignum ſalutare S. Crucis.

 omnes,

omnes,qui aderant. Iohannes verò pronus cecidit ad pedes Epiphanij,órans,vt viſum reciperet. Eo autem dicente: Vade,& crucem adora venerandam, eaque id tibi præbebit,perſeuerabat ipſe rogans Epiphaniũ. Epiphanius verò cùm eum docuiſſet, manum ei impoſuit,& apertus fuit dexter eius oculus. Orauit autem Iohannes etiam pro ſiniſtro. Dixitque Epiphanius Iohanni: Non eſt meum,ô fili. Deus enim occluſit,Deus aperuit: Fecit,vt voluit,vt ſimus modeſti. Iohannes autem caſtigatus & conuictus à viro iuſto,fuit ſanctus in omnibus.

De duobus illuſoribus.

Cap.46. Nobis verò aliquando exeuntibus è ciuitate,vt nauigaremus in Cyprum,erant duo illuſores in eo loco. Cùm autem per locum tranſiret Epiphanius,ei dixit vnus ex duobus: Sancte pater, viſe mortuum, & ſuper eum iniice tegumentum. Cùm hæc ergo audijſſet Epiphanius, ſtetit ad Orientem, pro mortuo offerens orationem. Cumque ſe ſuo exuiſſet indumento, proiecit ad induendum mortuum. Iter autem faciẽte Epiphanio,is,qui ea verba dixerat, dixit ei,qui ſe mortuum ſimulabat: Surge,præterijt vir rudis & indoctus. Cùm is autem non reſponderet, rurſus eum vocabat. Poſtquàm verò animaduertit eum eſſe mortuum, dicit apud ſe: Curram, & hoſpiti meam dicam culpam,vt eum excitet. Qui nos aſſecutus, in terram cecidit, rogans Epiphanium, & ei dicens verba huiuſmodi: Rogo,& ſupplico tuæ paternitati: Fer opem,& parce noſtræ inſipientiæ. Quando enim te ſum allocutus,dicens: Indue mortuum,eius conſenſu ſum locutus: cumque tu non longè præterijſſes, allocutus ſum meum amicum, & in eo non erat vox,nec auditus. Sed agè,inquit, Pater, ſuſcita mortuum, & quam à te accepimus tunicam,eam accipe. Dixit autẽ Epiphanius ei,qui loquebatur: Vade,fili, & ſepeli eum. Primùm enim eſt mortuus,& tunc ipſe petijſti indumentũ. Cùm autem rurſus veniſſemus Cæſaream,in Cyprum nauigauimus. Fratres verò nos cum magno gaudio exceperunt.

Punitur fraudulenta ſimulatio.

De Iſaac legiſperito.

Cap.47. Erat autem quidam legiſperitus Iudæus, Iſaac nomine, vir pius, & qui accuratè legem ſeruabat Moſaicam. Is cùm ſectatus eſſet Epiphanium, & catecheſi fuiſſet inſtitutus,eſt ab eo illuminatus. Eramus autem tres domi manentes.

Iudæus credit.

De filia Theodoſij Imperatoris.

Cap.48. Aliquando verò cùm ſoror Archadij & Honorij Imperatorum ægrotaret,eſſet autem Romæ,audijt de Epiphanio,quòd Deus per eum ſanaret ægrotos. Ea ergo miſit in Cyprum, qui Romam adducerent Epiphanium. Qui autem miſſi fuerant, cùm in Cyprum perueniſſent, oſtenderunt literas Epiphanio. Erat verò quidam vir diues, linguæ admodùm impeditæ, nomine Fauſtinianus. Is exceperat viros miſſos ad Epiphanium,qui aduerſabatur admodùm illi. His autem dicebat Fauſtinianus: Quid huic prædoni,tanquam Deo,adhibetis animum? frigida enim verba loquitur,& nihil aliud: eſt autem peſſimis moribus. Quodam verò die cùm adeſſet Epiphanius, eſſentque opifices operantes in eccleſia,erant etiam illic viri, qui miſſi fuerant, prope Epiphanium. Erat autẽ Fauſtinianus quoq; ſtans in eo loco. Cùm ex alto ergo cecidiſſet vnus ex ædificatoribus, & deſcendiſſet ſupra caput Fauſtiniani, qui ceciderat quidem, nihil mali eſt paſſus: Fauſtinianus verò in faciem cecidit,& manſit mortuus. Epiphanius autem appropinquans Fauſtiniano,eum tenuit manu,dicens: Surge,fili,in nomine Domini: Vade ſanus in domum tuam. Statim autem ſurrexit,& iuit in domum ſuam. Cùm autem audiuiſſet vxor eius, quod factum fuerat, accepit mille nummos, & obtulit Epiphanio. Qui ei dixit: Vade, filia, da eos ijs, qui laborant in eccleſia, & habebis theſaurum apud altiſſimum. Sic autem fecit mulier.

Fauſtinianus Epiphanij obtrectator.

Subitò moritur.

Cap.49. Qui verò miſſi fuerant ab Imperatoribus,vrgebant Epiphanium, vt nauigaret Romam. Erat autem quidam ex oratoribus clericus,Philo nomine,vir ſanctus. Opus autem erat,in ciuitate Carpaſij in ſede collocare Epiſcopum. Eratque is Diaconus. Hunc ergo ex Dei reuelatione Epiſcopum ordinat Epiphanius in ſede ciuitatis & eccleſiæ Carpaſij. Cùm ergo eſſet Romam profecturus Epiphanius, accerſit priùs dictum Philonem Epiſcopum,datque ei authoritatem eccleſiæ Conſtantiæ,vt ſi fuerit opus clericis,ipſe ordinaret. Accepit autem Epiphanius me, & Iſaac, & Romam nauigauimus. Erat verò magnus luctus & planctus in aula regia. Cùm enim ſoror Imperatorum Archadij & Honorij laboraret in manu dextera, multa fecerãt medici,nec ei quicquam profue-

Huius Philonis extãt commentaria in Canticum canticorum.

profuerant. Morbus aut iam decætero depaſcebat eius carnes. Præ multa verò afflictione inſtabant Imperatoribus, Archadio, inquam, & Honorio, vt permitterent medico ei dare venenũ, vt breuiter vitam finiret. Qui ergo nos Romã deduxerant, ingreſſi ſunt, & renunciârunt Imperatoribus. Ipſi autem iubent, vt ingrediatur Epiphanius. Nobis verò in aulam regiam intrantibus, omnes qui aderant, ſalutârunt Epiphanium. Qui perinde ac ſi non tales conueniret homines, intrepidè ingreſſus eſt in aulam regiam, & appropinquauit Imperatoribus. Erat autem eorum ſoror in lecto recubans.

Cùm verò Imperatores vidiſſent Epiphanium, & protinùs è ſedibus ei aſſurrexiſſent, dixit Epiphanius Imperatoribus: Hunc honorem, inquit, ô filij, date benefactori Deo, & videbitis ſororem veſtram in optima ſanitate. Ne confidatis, filij, in maieſtate, & conſeruabimini à Domino. Quoniam autem propter verba Epiphanij dubitabant & conturbabantur Imperatores, dixit illis Epiphanius: Quid dubitatis, filij, de ijs, quæ dico? Videbitis Dei gratiam per ea, quæ dicuntur. Cùm autem Epiphanius appropinquâſſet lecto, in quo iacebat ſoror Imperatorum, dixit ei vultu leni & placido: Ne de morbo dubites, ô filia: ſpera in Deum viuum, & hac hora videbis ſanitatem. Crede filio Dei, qui fuit crucifixus, & ſtatim ambulabis. Ceſſabit, inquit, ô filia, dolor tui corpuſculi. Redde gloriam Deo, qui dat gratiam: eum habe perpetuò in memoria, & erit tibi murus omni tempore. Cùm hæc diceret Epiphanius, tenuit manum mulierculæ, & eam ter ſignauit, & ilicò leuata eſt doloribus. Cùm autem vidiſſent Imperatores, quod fecerat Epiphanius, inclinatum eſt cor eorum, vt ipſum diligerent, audirentque & crederent ijs omnibus, quæ ab ipſo dicebantur. Rogâruntque Epiphanium, vt Romę cum eis verſaretur, & eſſet eis in patrem. Epiphanius autem totum diem Imperatores docebat aſſiduè. Cap.50.

Nota, Ter ſignauit eã, & leuata eſt ilicò doloribus.

De conſobrino Imperatorum.

Aliquando cùm filium haberet ſoror eorum, quæ laborârat, & curata fuerat ab Epiphanio, accidit vt cùm is ægrotâſſet, mortuus in lecto manſerit. Fuitque magnus luctus in aula Imperatorum. Epiphanio autem dixerunt Imperatores: Ora, Pater, pro infante, vt eum reddas ſanum matri. Dixit Epiphanius: Creditis, filij, me hoc poſſe facere? Dixerunt autem Imperatores: Credimus, quòd ſicut matris eius morbum fugâſti, ita etiam infantem ei viuum præbebis. Dixit verò Epiphanius Imperatoribus: Si ſurrexerit filius ſororis veſtræ, credetiſne, & baptizabimini in nomine Crucifixi? Dixerunt Imperatores Epiphanio: Si ſuſcitaueris infantem, nos credemus, & baptizabimur. Accedens autem Epiphanius ad lectum, in quo infans iacebat mortuus, cùm totum eius corpus contrectâſſet, & eum orâſſet, qui mortificat & viuificat, dixit puero: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi ſurge. & ſtatim puer ſedit in lecto. Cùm autem vidiſſent Imperatores, quòd Epiphanius per orationem ſuſcitârat puerum, rogârunt Epiphanium, vt illuminarentur. Tunc dixit Epiphanius Imperatoribus: Ecce pietatem veſtram in omnibus ſuſcipio. Deus eſt enim, qui vos ad hoc excitat. Sed hoc non poſſum facere iniuſſu Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ, ne nobis iraſcatur. Acceſſunt itaque Imperatores Epiſcopum, & ei omnia expoſuerunt. Epiſcopus autem magno fuit affectus gaudio, cùm hæc audijſſet ab Imperatoribus, & permiſit Epiphanio, vt baptizaret & Imperatores, & eorum ſororem, & filium eius, quem ſuſcitauit Epiphanius, cùm eſſet mortuus. Cap.51.

Ad vitã reuocat conſobrinum Imperatorum.

Cùm ingreſſi autem eſſent in baptiſterium, vt illuminarentur ab Epiphanio, eis omni exhibito miniſterio, ingreſſus eſt primus Archadius: qui quidem ante ſe habuit tres viros veſtes geſtantes candidas, & tenentes Epiphanium, vnum quidem à dextris, & vnum à ſiniſtris, & alterum ponè. Is autem magno timore eſt affectus. Cognouitque Epiphanius ex vultu Archadij, quòd viderat viſionem, & dixit Imperatori: Attende tibi, ô fili, & caue. Solebat enim Epiphanius neminem mittere in piſcinam, donec aqua turbaretur. Poſtquàm verò fuit illuminatus Archadius, illuminatus fuit etiam Honorius, & eandem quoq; vidit viſionem. Similiter etiam filius ſororis eorum. Iuſſu autem Epiphanij, ſuſcepi ego Archadium ex baptiſmate: Iſaac verò Honorium, & quidam Eunuchus Chriſtianus & pius, filium ſororis eorum. Ipſam verò ſororem Procliſia, quæ erat vxor vnius ex patricijs. Poſtquàm autem ij fuerunt illuminati, ſeptẽ dies ibi peregit Epiphanius poſt illuminationẽ, eos docens de baptiſmate. Poſtquàm verò eos ſubleuauit in ijs, quæ pertinent ad illuminationem, Imperatoribus dixit Epiphanius: Manete deinceps, ô filij, bono animo. Lupus enim ad vos non accedet. Abijt luctus, & dolor, & gemitus. Expectate reſurrectionem, & nolite affici triſtitia ob eos, qui ex Cap.52.

Non eſt recens inuentum, ſuſcipere in baptiſmate alienos filios.

X 4 hac

hac vita excedunt: Chriſtumq; habentes, Chriſtum induimini. Puer enim, qui fuit aliquando mortuus, eſt reſurrecturus, & accepta gratia iturus ad Saluatorem. Videbitis Angelos eum in magna gloria conſolari. Manè ergo, cùm eſſet Epiphanius docens in aula Imperatorum, oritur quidam ſuauis odor in medio omnium. Dixit autem Epiphanius Imperatoribus: Surgite, orate filij lucis. Iacebat autem puer in lecto. Cùm autem Epiphanius feciſſet orationem, audierunt omnes, qui erant in aula regia, veluti multitudinem quandam dicentem, Amen: & puer ſtatim tradidit ſpiritum. Manſimus verò vnum annum Romæ. Multa autem alia quoque Romæ fecit Epiphanius. Poſtquàm verò decreuit nauigare in Cyprum, Imperatores dixerunt Epiphanio: Accipe, Pater, id quod eſt vſui eccleſiæ, vt præbeas indigentibus. Dixit autem Epiphanius Imperatoribus: Vos, filij, facitis id, quod à vobis poſtulatur: & gaudeo de veſtro incremento. Quid verò mihi onus præbetis? Suppeditat mihi Deus, qui omnes alit in hac vita. Obtulerunt ergo Imperatores multum auri, ſed nihil accepit Epiphanius, præter paucos panes, vt nos omnes ijs veſceremur. Roma autem profecti, peruenimus in Cyprum quadraginta diebus, & nos ſuſceperunt fratres cum magno gaudio.

De fame.

Cap. 53. Nota preces ſancti viri ad reliquias martyrum.

Mos autem erat Epiphanio noctu ingredi in cœmeteria, vbi ſitæ ſunt reliquiæ ſanctorum martyrum, & rogare Deum pro vnoquoque eorum, qui affligebantur. Et quomodò bonus amicus bonum amicum rogans, non fraudatur eo, quod petit: ita ſi quando is à Deo aliquid petijſſet, præbuit ei omnes petitiones. Aliquādo quidem cùm eſſet magna fames, & panis non afferretur in forum, erat quidam Fauſtinianus immiſericors, qui multas habebat domos clauſas, plenas hordeo & frumento. Is accipiens aurum, dabat volenti. Dabat autem pro nummo tres menſuras, qui vocantur modij. Erantque magnæ anguſtiæ in ciuitate. Dixit ergo Epiphanius Fauſtiniano: Da mihi, ô optime, frumentum ad alendos homines, & à me accipies horū omnium debitū. Immiſericors autem & barbarus & ſceleratus Fauſtinianus hæc verba dixit Epiphanio: Roga Ieſum, quem colis, & præbebit tibi frumentum ad alendos tuos amicos. Epiphanius itaque vna nocte ingreſſus eſt cœmeteria ſanctorū martyrum, & rogauit Deum, vt daret frumentum ijs, qui erant redacti in anguſtias. Erat autem templū obſignatum, quod vocabatur Tutela Iouis. Huic templo ſi quando quis ex hominibus appropinquâſſet, à multis ferebatur, quòd à morte ſtatim arriperetur. Cùm ergo Epiphanius Deum oraret pro ijs, qui affligebātur, ad eum vox facta eſt, Epiphani, inquiens. Epiphanius verò nihil conturbatus: Quis es, inquit, Domine? & dixit ei: Vade in templum, quod vocatur Tutela Iouis, & ſoluentur ſignacula portarum, & inuenies multum auri. Cùm tu id acceperis, eme frumentum & hordeum Fauſtiniani, & da alimentum egentibus. Epiphanius autem iuit protinùs in templum, & cùm fuit prope ingreſſum templi, ſtatim ceciderunt ſignacula, & portæ apertæ ſunt. Ingreſſus verò Epiphanius, inuenit multum auri. Cùm ex eo ergo accepiſſet, dedit Fauſtiniano, & dixit: Accipe pecuniam, & da mihi frumentum. Epiphanius autem id præbuit indigentibus. Non defecerunt ergo pecuniæ, donec Epiphanius emit omnia, quæ habebat Fauſtinianus ad alimentum. Impleuit autem Epiphanius multas domos frumento & hordeo, quod emerat à Fauſtiniano.

Cap. 54.

Defecerunt autem eſcæ in domo Fauſtiniani, & inter omnes homines lautæ erant epulæ, & magnæ anguſtiæ in domo Fauſtiniani. Malus verò, & violentus, & immiſericors Fauſtinianus, probrū eſſe ratus, cibos domui ſuæ petere ab Epiphanio, cùm ſex haberet propria nauigia, alia quoq; quinq; conduxit: & cùm dediſſet pecunias Longino, totius familiæ ſuæ fideliſſimo, miſit eum ad emendum frumentum. Illi autem cùm nauigâſſent in Calabriam, & frumentum illic emiſſent, poſt tres menſes adnauigant id habentes. Centum verò ſtadijs longè à Conſtantia, ex aduerſo eius, quod dicitur Dianeuterium, oritur in mari maxima tempeſtas, & venerunt in periculum naues Fauſtiniani, quæ afferebant frumentum, totumque frumentum mare ad litus impulit. Cùm hæc autem audijſſet Fauſtinianus, & ſtatim ad mare acceſſiſſet, & oculis vidiſſet, quæ facta fuerant, ſepulcrū habens os ſuum apertum, ſtatim cœpit ſceleratus blaſphemare in altiſſimum, & probris appetere Epiphanium, dicens verba huiuſmodi: Hic magus & prædo non ſolùm in terra malefacit domui meæ omni tempore, ſed etiam in mare mittens dæmones, prohibet, ne ingrediatur id, quod eſt vſui familiæ meæ. O quis ventus emiſit hūc prædonem? Cumque hæc dixiſſet, & plura his, iuit in domum ſuam minitans Epiphanio. Omnes autem, qui erant congregati in ciuitate, viri & mulieres, vnà

Vltio diuina in crudelem Fauſtinianum.

cum

eum ſuis liberis, colligebant frumentum, & ferebant in domos ſuas, congregantes ſumptum, alius quidem vnius anni, alius verò duorum annorum. Habebat verò Fauſtinianus vxorem, quę faciebat bona opera. Ipſa ergo, inſciente Fauſtiniano, miſit bis mille nũmos Epiphanio, vt domui eius præberet alimenta. Dixit autem mulieri Epiphanius: Tene pecuniam in domo tua, & accipe eſculenta, quibus indiges: & quando terra produxerit, tunc reddes, quæ acceperis. Sic autem fecit vxor Fauſtiniani.

De ecdici Sabini iudicio.

Erat in Epiſcopatu quidam Diaconus nomine Sabinus, cuius ſtudium erat pulchrè ſcribere. Is erat moderatus, & recta vita præditus. Eramus autem in Epiſcopatu omnes monachi octoginta. Is verò Sabinus excellebat inter omnes. Eum conſtituit Epiphanius primum ecdicum, hoc eſt, defenſorem eccleſiæ. Cùm verò aliquando duo homines apud Sabinum iudicio contenderent, vnus diues, & vnus pauper: volebat Sabinus habere rationẽ pauperis, quanuis cauſa diuitis iuſtior eſſet, quàm cauſa pauperis. Cùm itaque in medium veniſſet Epiphanius, Sabino placido vultu dixit: Vade, fili, & ſcribe rectè: & memento verborum diuinorum, & ſis perfectus in iudicio, & audies benefactorem loquentem & dicentem: Noli miſereri pauperis in iudicio, & ne reſpicias perſonam potentis. Ab eo itaque tempore omnibus, qui veniebant, iudicium reddebat Epiphanius. A matutina enim vſque ad horam nonam audiebat eos, qui diſceptabant. Ab hora verò nona vſque ad tempus matutinum, à nullo videbatur ampliùs.

Cap. 55. Monachi 80. in Epiſcopatu. Exod. 23. Leuit. 19.

De ijs, quæ facta ſunt in Epiphanij ſede, inſidijs.

Erat autem ex fratribus, qui erant in Epiſcopatu, quidam Ruffinus nomine, cuius ars erat rectè ſcribere, vultu impudens. Vnà cum eo inſurgebat Fauſtinianus, & quotidiè multis contumelijs afficiebat Epiphanium. Epiphanius verò cum ſumma manſuetudine eius reprimebat audaciam. Suggeſtione autem Fauſtiniani, & dæmonis, qui eis opem ferebat, is quæſiuit interficere Epiphanium, cùm Fauſtinianus hæc verba contuliſſet cum monacho, & ei diceret cacodæmon: Si occidas prædonem, ſedebis ſupra thronum. Hic autem tam audax, & tam inſolens, erat ſecundus Diaconus eccleſiæ: ad quem pertinebat ornare thronum Epiſcopi. Cùm verò gladium acutum accepiſſet ſceleratus, poſuit eum tectum in eo loco, vbi ſedetur ſupra thronum, & ſupra eum veſtes ſtragulas. Cùm igitur Epiphanius ad ſedem aſſcenderet, dixit ei, qui fecerat inſidias: Tolle, fili, ſedis tegumentum. Cùm is autem non pareret verbis Epiphanij, accepit Epiphanius tegumentũ, quod tegebat gladium. Gladius verò cecidit in pedes Ruffini, cacodæmonis potiùs, quàm Diaconi, & infixus eſt eius pedi dextero. Dixitque Epiphanius Ruffino: Ceſſa deinceps, ô fili, ab inſolentia, ne venias in periculum.

Cap. 56. Ruffinus necem molitur Epiphanio.

De paralyſi Theodoſij Imperatoris.

Vrgebant autem Epiphanium, vt veniret in Regiam. Nam cùm Theodoſius Imperator neſcio qua occaſione laboraret pedibus, infernè eum à genibus inuaſit paralyſis, iacuitque in lecto ſeptem menſibus. Is ad Epiphanium miſit in Cyprum, vt veniret in Regiam, & opem ferret ſibi. Cùm ei autem occurriſſent, qui miſſi fuerant ab Imperatore, vrgebant Epiphanium, vt exiret è terra Cypriorum. Ex qua cùm opùs eſſet illi nauigare, omnes fratres malebant mori, quàm priuari ſuo patre. Cùm ij autem, qui miſſi fuerant ab Imperatore, ſolicitarent Epiphanium, vt aſſcenderet in Regiam, dixit eis Epiphanius: Ite, ô filij, ad Imperatorem: ego enim poſt vos veniam. Cùm ij verò dicerent, Ne indigneris, ô Pater: ſic enim iuſſit Imperator: nec poſſumus aliter facere, ne forte veniamus in periculum, maximè cùm ægrotet, & tuum aduentũ expectet, ô Pater. Vix perſuaſum eſt Epiphanio, vt cum eis nauigaret. Epiphanius itaque accerſito religioſiſſimo Epiſcopo Philone, iuſſit eum curam gerere vſûs Eccleſiaſtici. Congregati ſunt autem omnes patres & fratres, & qui catecheſi inſtituti fuerãt ab Epiphanio: quos omnes valere iuſſimus, & nauigauimus ad Regiam.

Cap. 57.

Nobis autem ingreſſis Conſtantinopolim, ipſe ingrediebatur cũ ſumma quiete & tranquillitate, quam oſtendebat omnibus, quibus occurrebat. Erat igitur Theodoſius Imperator mutus præ dolore, iacens in lecto. Poſtquàm autem acceſſit Epiphanius ad Imperatorem, dixit ei Epiphanius: Fili, crede Crucifixo, & habebis ſanitatem. Habe ſine intermiſſione Deum in voto tuo, & omne malum tuî non dominabitur. Miſerere eorum, qui affliguntur, & Dominus tuî miſerebitur. Eſto tanquam Rex, qui honorat eum, qui dat ei poteſtatem, & ipſe adijciet tibi maiorem gratiã. Cùm autem Epiphanius hæc dixiſſet Imperatori, & ei appropinquâſſet, & tetigiſſet eius pedes, eumque ter ſignâſſet,

Ter ſignat Imperatoris pedes, &

pellit paralyſim. ſignâſſet, dixit ei: Fili, ſurge è lecto. Hæc cùm Imperator audijſſet ab Epiphanio, ſurrexit è lecto ſupra pedes, nihil omninò habens mali. Dixit autem Imperator Epiphanio: Pater, mihi ſemper iubeto, & ego tua iuſſa exequar. Dixit Epiphanius: Habeas Dei verba in animo tuo, & non opus habebis Epiphanio. Cùm hæc autem, & his plura Imperatori dixiſſet Epiphanius, venit tempus prandij. Dixit ergo Epiphanius Imperatori: Vade, fili, ad menſam, & benedices benefactori. Erat autem Epiphanius lepidus & vrbanus, & habens ſermonem conditum diuina gratia. Et quando in morbum quidem Romæ incidit filia Theodoſij, tunc Archadius & Honorius fuerunt Romæ, & verſati ſunt cum ea longo tempore, quoniam illic erat viro coniuncta. Cùm verò audijſſet Theodoſius Romam veniſſe Epiphanium, & curâſſe eius filiam, & filio eius, qui erat mortuus, vitam reddidiſſe, Archadiumque & Honorium poſteà illuminâſſe, magna eſt affectus lætitia. Quo factum eſt, vt deinceps ad eum ſcriberet, tanquam ad patrem. Porrò cùm nos eſſemus Conſtantinopoli, Roma venerunt Archadius & Honorius, & læ-tati ſunt, quòd inueniſſent Epiphanium.

De fine Fauſtiniani.

Cap. 58. Iuſſu autem Imperatoris Fauſtinianum quidam adducunt in regiam, vt qui eſſet accuſatus, quòd maledixiſſet Imperatori. Iuſſu ergo Imperatoris tenebatur in cuſtodia. Quod cùm audijſſet Epiphanius, venit in locum, in quo detinebatur Fauſtinianus. Dixit igitur Epiphanius Fauſtiniano: Licet tibi per nos loqui Imperatori, & liberaberis ab his anguſtijs. Dixit autem Fauſtinianus Epiphanio: Abi plane, & homines incautos decipe, nec hæc verba loquere Fauſtiniano. Veniſti huc mihi verbis inſultans, fugies deinde in Cyprum. Vade hinc in Phœniciam, & malos dies ages perpetuò. Poſtquam hæc dixit in Epiphanium furens Fauſtinianus, accepit me Epiphanius, & iuimus in aulam Imperatoris, vt regem iuberemus valere, & iremus in Cyprũ. Imperatore verò rogante Epiphanium, vt aliquot dies verſaretur in regia, dicens cauſam cur quæreret, rurſus retinuit Epiphanium. Manè autem ingreditur quidam ex ijs, qui reſponſa referunt, in aulam regiam, dicens Fauſtinianum Cyprium vitam finijſſe. Cùm hæc audijſſet Epiphanius, luxit Fauſtinianum. Decreuit autem Imperator, vt deferrentur in aulam quæcunque erant Fauſtiniani, maximè quòd ſemen non reliquiſſet ſuper terram. Dixit verò Epiphanius Imperatori: Vide, ô fili, ne pecces. Eſt enim vxor Fauſtiniani Deum ex corde colens. Crede verbis Epiphanij, & erit tibi gratia apud altiſſimum. Tunc tradidit Imperator authoritatem Epiphanio in omnibus rebus Fauſtiniani. Dixit autem Epiphanius Imperatori: Habeo Deum, ô fili, qui mihi præbet, quę ſunt neceſſaria: ſed hæc omnia ex illius mulieris ſententia dabimus egentibus. Cùm hæc igitur Imperatori dixiſſet Epiphanius, Imperator dixit ei: Pete, pater, ea quibus indiges, & ea lubenter tibi dabo. Imperatori reſpondit Epiphanius: Perpetuò ſerua meos ſermones, & me habe, fili, in animo tuo. Cùm hæc dixiſſet Epiphanius, vnà nobiſcum ex aula egreſſus eſt Imperator, & rogauit Epiphanium, vt ei benediceret. Cumque orationem feciſſet Epiphanius, benedixit Imperatori, & eum ſalutauit. Et reuerſus eſt Imperator in pace in aulam ſuam: Nos verò ſpatio quinque dierum nauigauimus in Cyprum, & fratres cum magno nos gaudio exceperunt: Inuenimusque vxorem Fauſtiniani lugentem maritum ſuum. Conſolatus eſt igitur eam Epiphanius in tota ſua afflictione. Quæ paruit verbis Epiphanij, rogauitque illum, vt daret ei id, quod eſt in Chriſto ſignaculum, & baptizauit eam, & ordinauit eam Diaconiſſam eccleſiæ: & omnia eius bona ex ſententia Epiphanij data ſunt indigentibus.

Plane, id eſt, impoſtor.

Malè perit ſancti viri æmulus.

Epiphanius benedicit Imperatori

De Aëtio epiſcopo Hæretico.

Cap. 59. Aliquando autem ſermones contulit Epiphanius cum Aëtio, qui erat, vt aiunt, epiſcopus Valentinianorum. Erantque Conſtantiæ multi huius hæreſis. Cùm igitur multis verbis contenderet Aëtius, & de altiſſimo multas diceret blaſphemias, dixit ei Epiphanius: Accipe, ô impie Aëti, in ore tuo repagulum, & non loqueris verba inſolentia. Cùm primùm hoc dixiſſet Epiphanius, Aëtio os fuit obſtructum, & ab illo die non potuit ampliùs loqui. Cùm autem vidiſſent, qui erant eius ſectæ, quòd per verbum ei os obſtruxiſſet Epiphanius, proni omnes ceciderunt, & anathemate percuſſerunt ſuam religionem: & facti ſunt Orthodoxi. Manſit verò Aëtius ſex diebus non loquens, & ſeptimo die vitam finijt. Erant autem aliæ quoque plurimæ hæreſes in inſula Cypriorum, hæc ſcilicet, Ophitarum, Sabellianorum, Nicolaitarum, Simonianorum & Carpocratianorum. De his ſcripſit Epiphanius epiſtolam ad Theodoſium Imperato-

Impio hæretico obſtructũ os.

peratorem, vt conſtitutione regia eos expelleret ex inſula. Erãt enim inter eos viri diuites, quibus mandata fuerat cura rerũ publicarũ: & deprimebant Orthodoxos. Cùm autem accepiſſet Imperator literas ab Epiphanio, ſcripſit in hanc formam: Si quis patri Epiphanio Epiſcopo regionis Cypriorũ non paret per verba diuina, exeat ex inſula, & habitet vbi velit. Si qui autem ſunt amici, & filij pœnitentiæ, & confitentur cõmuni patri, quòd, cùm ſint decepti, velint venire ad veritatẽ, maneant, vt doceantur à communi patre. Quod edictum cùm eſſet à militibus allatum & publicatum, multi ex eis crediderunt Epiphanio. Qui verò non crediderunt, ſtatim eiecti ſunt ex inſula. Literæ Theodoſij Imperatoris.

De Theophilo Alexãdrino & Iohãne Conſtãtinopolitano, qui dictus eſt Chryſoſtomus.

Erat autem Alexãdriæ quidam Epiſcopus nomine Theophilus. Is habuit magnam Epiphanij notitiam. Erant verò tres fratres Alexandriæ, filij Herculis, qui imperauerat in ea ciuitate. Mortuo verò patre eorum, tres ex conſenſu voluerunt eſſe monachi. Qui profecti in ſolitudinem, quietem agebant in ſilentio, & honeſta vita erant præditi. Ij erant valdè noti Theophilo Alexandriæ epiſcopo. Quos ipſe cum fraude induxit in ciuitatem, atque adeò effecit, vt ibi ſtarent. Fecit autem ex ijs maiorem Epiſcopum in vna vrbe Aegypti. Alios verò fecit Diaconos & Oeconomos eccleſiæ. Cùm autem tempore trium annorum fuiſſent Oeconomi eccleſiæ, ſenſiſſentq́; ſe eſſe mortuos, (quòd ad diuinam attinebat gratiam) ex conſenſu duo rogauerũt Theophilum, vt eos illuc dimitteret, vbi priùs habitabant. Theophilus verò eos triennio priuauit communione. Cumque multùm rogâſſent, vt ſibi permitteretur diuina ſumere ſacramenta, hoc non conceſſit Theophilus. Ij autem aſſcenderunt in regiam, & prociderunt ad pedes Iohannis. Iohannes verò cùm didiciſſet cauſam, ſcribit epiſtolã ad Theophilum, rogans eum, vt fratres dimitteret. Theophilus autem Iohanni roganti non paruit. Iterùm ergo ſcripſit Iohannes adhortationem Theophilo, & nec ſic paruit. Iohannes itaque liberauit duos fratres à ſegregatione. Exorta eſt itaque diſcordia inter Iohannem & Theophilum. Cap. 60. Theophilus Alexandrinus perſtringitur.

De agro Viduæ.

Fuit autem aliquando vir quidam ſenatorius, nomine Theognoſtus. Hic cùm eſſet Chriſtianus, habuit aſſiduè timorem Dei ante oculos, & diligebatur ab Imperatore. Erat autem alius, qui ipſe quoque erat ordinis ſenatorij, Dorotheus nomine, Arrianus. Is accuſauit Theognoſtum, quòd Imperatorem affeciſſet contumelia: & produxit duos falſos teſtes, qui præſentem conuicerunt Theognoſtum, quòd contumelia affeciſſet Imperatorem. Imperator itaque Archadius iuſſit Theognoſtum relegari, & bona eius publicari. Vxori autem Theognoſti manſit vnum ſuburbanum, ex quo habebat alimentum. Deceſſit Theognoſtus, cùm eſſet in exilio. Eudoxia autem aliquando egreſſa ad vindemiam, cùm prope eam eſſet poſſeſſio & vitis ſuburbani vxoris Theognoſti, neſcio quanam de cauſa, cùm egreſſa eſſet de vinea ſua, ingreſſa eſt vineam vxoris Theognoſti, & botrum execuit. Dixerunt autem aliqui ex ijs, qui aſſiſtebant: Domina, ſecuiſti botrum alienæ vineæ. Mos eſt Imperatoribuus & Imperatricibus, ſi vel pedem intulerit in terram alienam, & ſi fructum acceperit ex aliquo ex ijs, quæ fructum ferunt, vt nullus alius in ea poteſtatem habeat, niſi Imperator. Cùm Theognoſti autem vxor audijſſet, quòd ſuus ager ab ea ſit auulſus, id ſcripſit in pugillaribus, & miſit ad Iohannem. Valdè enim amabatur Iohannes ab Imperatore & ab Imperatrice. Cùm hæc didiciſſet Iohannes, miſit ſuum Archidiaconum, virum eruditum & recta vita præditum. Nomen autem eius vocabatur Eutychus. Ingreſſus autem Eutychus ad Imperatricem, cum ea diſſeruit iuſſu Iohannis. Dixit verò Imperatrix Eutycho: Hæc eſt lex regia: vbicunque autem velit in alia prouincia, dabo ei prædium. Egreſſus Eutychus, annunciauit Iohanni verba Imperatricis. Iuit autem Iohannes in aulam regiam, & dixit Imperatrici: Redde agrum viduæ. Dixit Iohanni Imperatrix: Pater, diſce cauſam, & tunc intende crimen, quod me dicis cõmiſiſſe in viduam. Dixit autem rurſus Iohannes: Dixi tibi, redde vitẽ viduæ, Dixit Imperatrix Iohanni: Noli, pater Iohannes, noli ſic coràm arguere Imperatores. Dixit Iohannes: Rurſus dico tibi: Redde agrũ viduæ. Audiuiſti, quanta notetur ignominia Iezabel propter vineam, & vſque in hodiernum diem in malũ digito oſtendatur, propter vineã ſancti viri? Cùm hæc autem ab Iohanne audijſſet Imperatrix, iuſſit Iohannẽ eijci ex aula regia. Qui egreſſus, venit in eccleſiam. Dixit autem Iohannes Eutycho: Quando venerit Imperatrix in eccleſiam, accipe tecum, qui tibi ſeruiant, & ſta in aditu, vbi ſolet ingredi in eccleſiam, & ne ſinas eam Cap. 61. Vide zelum iuſtitiæ in beatiſſimo Chryſoſtomo. 3. Reg. 21.

eam ingredi, dicens: Iohannes iuſſit, ne ingredereris in eccleſiam. Sic autem fecit Eutychus. Ab eo ergo tempore incitata eſt Imperatrix aduerſus Iohannem, vt eum mitteret in exilium.

Cap.62. Theophili machinationes contra Chryſoſt.

Cùm autem audiuiſſet Theophilus, velle Imperatricem mittere Iohannem in exilium, hoc ipſe quoque mirandum in modum eſt machinatus. Scripſit autem Theophilus ad Epiphanium fictas literas aduerſus Iohannem, quòd ſentiat Iohannes eadem, quæ Origenes. Mota igitur eſt Imperatrix ad eum mittendum in exilium. Epiphaniusque citò credidit Theophilo. Neſciebat enim, Theophilum eſſe Iohanni inimicum. Accidit verò, vt Epiphanius vellet etiam pro re alia nauigare ad vrbem regiam. Cùm autem de Iohanne audiuiſſet à Theophilo, multo magis ſtuduit eò venire, ſed non vt Iohanni malefaceret. Me igitur accepit & Iſaac, & nauigauimus Conſtantinopolim. Porrò cùm nos veniſſemus in ciuitatem, erat de Iohanne magna perturbatio, quoniam multùm amabatur à ciuibus. Erant autem quædam monaſteria & martyria, quæ, quia accipiebant annonas ab Imperatrice, Iohannem minimè accipiebant. Nobis autem ingreſſis in vnum ex illis monaſterijs, coëgerunt Epiphaniũ, vt ordinaret (quoniam ita opus erat) eum, qui præeſſet reſponſis eccleſiæ: quod etiam fecit. Audiuit autem Iohannes, & valdè ſuccenſuit Epiphanio, & ſcripſit epiſtolam ad Epiphanium, quæ ei attulit moleſtiam. Similiter Epiphanius quoque reſpondit ad ea, quæ ſcripta fuerant. Audiuit autem Imperatrix Iohannem iraſci Epiphanio. Quæ cùm acceſſiuiſſet Epiphanium, dixit ei: Pater Epiphani, totum eſt meum Romanorum Imperium, & totum ſacerdotium eccleſiarum, quæ ſunt ſub meo Imperio, eſt tuum. Quoniam Iohannes, qui eſt alienus à dignitate ſacerdotij, inſolenter ſe gerit aduerſus Imperatores, & dicunt eum habere aliquam aliam hæreſim præter noſtram: ea de cauſa multis ab hinc diebus in animo verſo, facere de eo ſynodum, & eum tanquam indignum abdicare à ſacerdotio. In ſede autem collocare aliquem alium, qui poſſit obtinere ſacerdotium: vt meum Imperium ſit quietum in omnibus. Cùm Imperatrix hæc diceret Epiphanio, irâ tota, quanta erat, cõmouebatur. Ei ergo rurſus dixit: Cùm tua hîc ſit cum Deo paternitas, non opus eſt, vt alijs patribus moleſtiam exhibeamus. Sed quem tibi Deus reuelauerit, eum fac epiſcopum: Hunc autem expelle ab eccleſia. Imperatrici autem dixit Epiphanius: Audi, ô filia, patienter tuum patrem. Dixit autem Imperatrix Epiphanio: An tua paternitas aliquid iubeat, enuncia, & ego colam & obſeruabo meum patrem. Dixit Epiphanius Imperatrici: Si eius, quam dicis, hæreſis reus eſt & conuincitur Iohannes, nec ſe fatetur peccâſſe, indignus eſt ſacerdotio: & ſi quid iubet veſtrum imperium, faciet veſter ſeruus. Si autem pro veſtra iniuria quæris Iohannem expellere ex eccleſia, ſeruus tuus Epiphanius in hoc non aſſentietur. Eſt certè maximè Imperatorum, iniuria affici, & ignoſcere: quandoquidem vos quoque habetis Imperatorem in cælis, cui aſſiduè peccatis, & is vobis remittit: Qui quidem dicit in Euangelijs: Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter, qui eſt in cælis. Dixit autem Imperatrix Epiphanio: Si fueris impedimento, pater Epiphani, quò minùs mittatur Iohannes in exilium, aperiam templa idolorum, & faciam vt homines ea adorent, & faciam vltima peiora prioribus. Cumque hæc acerbè diceret, ex eius oculis fluebant lachrymæ. Ei verò dixit Epiphanius: Ego quidem, ô filia, ſum innocens ab hoc iudicio.

Nota S. Epiphanij modeſtiam & integritatẽ.

Luc.6.

Barbara vox iratæ Imperatricis.

Cap.63.

Cùm hæc dixiſſet Epiphanius, accepit me, & egreſſi ſumus ex aula Imperatoria. Aegrotabat autem Iſaac, & non ingreſſus eſt nobiſcum ad Imperatricem. Peruaſit verò fama per totam ciuitatem, dicentium: Magnus ſacerdos Epiphanius Epiſcopus Cypriorum, ingreſſus eſt ad Imperatricem, & fecit, vt in exilium mitteretur magnus Iohannes. Cùm hoc autem audiuiſſet Iſaac, aufugit ab Epiphanio, & ingreſſus eſt monaſterium, nobis inſcientibus. Aegrè verò ferebat Epiphanius, & Deum rogabat, vt ei ſignificaret, vbinàm manſiſſet Iſaac. Quod ei ſignificauit, & iuimus ad ipſum. Auerſabatur autem Iſaac Epiphanium, dicens: Nolo ampliùs eſſe tecũ propter peccatum, quod feciſti in Iohannem. Cùm nos autem in monaſterio fuiſſemus tres dies, vix perſuaſit Iſaac. Quo accepto, egreſſi ſumus. Sibi quoque perſuaſit Iohannes, quòd eius exilio fuiſſet aſſenſus Epiphanius. Accepta igitur charta, ſcripſit ad Epiphanium: Sapiens Epiphani, aſſenſus es meo exilio? In tuo throno non ſedebis ampliùs. Ad Iohannem autem reſcripſit Epiphanius: Athleta Chriſti, verberare & vince. In locum autem, ad quem fuiſti relegatus, non venies. Hæc ſcripſi, ô fratres, ne quis hoc probrum conferat in Epiphanium. Qui enim tot & tanta bona fecerat, erat in tantum malorum profundum deſcenſurus: Ingreſſis autem nobis in aulam Imperatoriam, iuſſit Epiphanius va-

lere

lere Imperatores, vt nauigaremus in Cyprum. Interrogatus verò Epiphanius ab Archadio Imperatore, quot annos eſſet natus, dixit centum & quindecim, & tres menſes. Sic autem dixit: Fui Epiſcopus, cùm eſſem ſexaginta annos natus. Fui verò in Epiſcopatu quinquagintaquinque annos, & tres menſes. Eo verò die, quo fuit nobis aſſcendendum in nauem, tunc eum interrogauit. Cùm autem in nauem aſſcendiſſemus, & nauigaremus in Cyprum, ſedit Epiphanius in concauo nauis, & nos cum eo. Eratque mos Epiphanio ſancta Euangelia aſſiduè tenere in manibus. Cumque ter ingemuiſſet & fleuiſſet, explicatis Euangelijs, & ijs rurſus plicatis, lachrymatus eſt. Cumque ſurrexiſſet, orauit: & poſt preces rurſus ſedit in concauo nauis: cœpitque flere & nobis dicere: Epiphanius valdè grandæuus.

Si me diligitis, ô filij, mandata mea ſeruate, & dilectio Dei manebit in vobis. Scitis per quot afflictiones tranſiui in hac vita, & non reputaui eſſe vllam afflictionem, ſed eram ſemper lætus in ijs, quæ ad Deum pertinent, & Deus non me dereliquit, ſed ipſe me ſeruauit ab omnibus maligni inſidijs. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Aliquando autem, ô filij mihi deſiderati, cùm ego eſſem in loco deſerto, & Chriſto preces peragerem, vt liberarer ab omnibus inſidijs aduerſarij, me inuaſit multitudo dæmonum: qui cùm me dilaceraſſent, & pedibus arripuiſſent, attraxerunt in terram. Nonnulli autem ex ipſis mihi plagas quoque intulerunt. Hoc verò fecerunt mihi decem diebus. Nec ampliùs vidi dæmonem in propria perſona omnibus diebus vitæ meæ, ſed per homines in me ſuam exercuêre malitiam: cuiuſmodi mihi mala euenerunt in Phœnicia ab inſolentibus Simonianis: qualia in Aegypto ab immundis Gnoſticis: qualia in Cypro ab iniquis Valentinianis & alijs hæreſibus. Aduertite ergo animum, ô filij mei, & audite verba Epiphanij peccatoris. Pecunias ne concupiſcatis, & multæ pecuniæ adijcientur vobis. Nullum hominem odio habeatis, & à Deo diligemini. Nolite loqui aduerſùs fratrem, & affectio diaboli vobis non dominabitur. Auerſemini omnes hæreſes, tanquam feras plenas veneno mortifero. De quibus etiam vobis tradidi in libris, qui appellantur Panaria. Auerſemini, & cauete à mundi voluptate, quæ corpus & mentem ſemper titillat. Experimini eam eſſe ſatanæ acceſſionem. Sæpè autem vel carne quieſcente, mens incautorum turpia appræhendit viſione. Quando verò mens noſtra eſt ſobria, & Dei ſemper habet memoriam, tunc facilè inimicum poſſumus proſternere. Cùm hæc & his plura dixiſſet Epiphanius, omnibus qui erant in naui accerſitis, dixit eis: Oportet nos, ô fratres, totis viribus rogare benignum & clementem Deum, vt nos conſeruet, & nemo pereat ex ijs, qui ſunt in naue. Eſt enim futura in mari magna tempeſtas. Sed eſtote bono animo; Nulla enim afflictio labore opprimet vllum ex ijs, qui ſunt in naui. Quæ cùm dixiſſet, dixit mihi: Fili Polybi. Dixi ei: Quid eſt, pater? Dixit ille mihi: Si nauigauerimus vſque Conſtantiam, mane ſeptem dies in ciuitate, & nauiga in Aegyptum, & aſſcende in ſuperiorem Thebaidem, & paſce oues Chriſti. Sed attende tibi, fili: Teſtor tibi cælum & terram, ne aliter facias. Nam ſi mea verba neglexeris, & non perrexeris in ſuperiorem Thebaidem, peribis: & fruſtrà à te fient, quæcunque ædificaueris; & eris inutilis coram quouis homine. Sed ſi mea verba audieris, & Domini mandatum cuſtodieris, quod mihi mandauit Ieſus Chriſtus filius Dei, eris benedictus coram ipſo omnibus diebus. Quæ cùm dixiſſet, me eſt amplexus: Conuertitque ſermonem ad Iſaac.

Cap. 64. Rom. 8. Multa paſſus eſt ab hæreticis. Inſtitutiones optimæ S. Epiphanij. Prędicit futuram tempeſtatem.

Is autem dixit ei: Quid eſt, Pater? Ei dixit Epiphanius: Tu quoque fili mane in ciuitate Conſtantienſi, donec iubearis inire viam Cittienſium. Quæ cùm Epiphanius dixiſſet Iſaac, eum eſt ſimiliter complexus. Nautas quoque omnes accerſens, dixit eis; Nolite conturbari, ô filij. Magnum enim motum faciet mare, ſed attẽdite Deo, & ipſe vobis feret opem. Erat autem hora diei vndecima, quando hæc nos docuit Epiphanius. Dixit verò vni ex nautis: Noli tentare, ne tu tenteris. Circa occaſum autem ſolis fuit magna venti procella in mari. Epiphanius verò erat in infima parte nauis paſſis manibus: & eius pectori impoſita erant Euangelia, & erant aperti eius oculi, & vox eius non audiebatur. Nos autem omnes magno metu affecti, exiſtimabamus Epiphanium Deum orare propter tempeſtatem maris. Manſit autem illa tempeſtas duos dies & duas noctes. Tertio verò die dixit mihi Epiphanius: Fili Polybi. Reſpondi ego: Quid eſt, Pater? Et dixit mihi: Dic nautis, vt accendant ligna, & faciant carbones, & accipe ſuffitum, & affer huc. Et ſic feci. Qui dixit: Fili, admoue propiùs: & admoui. Et dixit mihi: Iace ſuffitum ſuper carbonem: & ieci. Et dixit: Orate, filij. Et fecit orationem ita vt recumbebat. Et poſt orationem nos eſt complexus, dicens: Salui eſtote, filij. Cap. 65.

Obdormit vir pius & ſanctus in Domino.

filij. Epiphanius enim non vos ampliùs videbit in hac vita. Et ſtatim tradidit ſpiritum. Statimque ceſſauit tempeſtas maris.

Cap. 66.

Cadentes autem ſuper collum eius ego & Iſaac, amarè fleuimus. Cecideruntque tenebræ in noſtros oculos illo die. Vnus verò ex nautis, cui dixerat Epiphanius adhuc viuus: Noli tentare, ne tenteris: currens ad pedes Epiphanij, voluit aperire veſtem Epiphanij, & videre, an eſſet circunciſus. Epiphanius autem, vt iacebat mortuus, dextero pede ſublato, eum impegit in faciem, & iecit eum vſque ad puppem nauis, & manſit mortuus. Tertio verò die nautæ, qui eum portabant, tulerunt eum prope Epiphanium. Poſtquàm autem poſuerunt eum ad pedes eius, & tetigit eos, ſtatim ſurrexit. Et cecidit timor ſuper omnes, qui erant in naui. Cùm nos autem nauigáſſemus Conſtantiam ad locum, qui dicitur Dianeuterium, egreſſi ſunt nautæ è naui, & circuierunt totam ciuitatem, & clamauerunt cum magnis vocibus: Viri fratres, qui viris frequentem habitatis Conſtantienſium ciuitatem, deſcendite ad mare in locum, qui dicitur Dianeuterium, & accipite reliquias ſancti & longè beatiſſimi patris noſtri Epiphanij. Finijt enim vitam humanam. Tunc quidem ceciderunt tenebræ ſuper vniuerſam ciuitatem, & ſe manibus tenentes deſcendunt ad mare, magnum planctum afferentes. Sed omnes quoque ruſtici veniebant in ciuitatem, per totam viam fluentes lachrymis. Quocircà tres quoque cæci, qui erant in Paroecia, quæ appellatur Torti, ſe ſic in viam coniecerunt, nec vllus dabat eis manum, vt citiùs venirent in ciuitatem. Dixit autem vnus ex eis nomine Proëchius: Digne Dei ſancte Epiphani, Fac nos adſpicere, vt nos quoque adoremus tuas venerabiles reliquias. Et ſtatim adſpexerunt: & ingreſſi in ciuitatem, adorârunt venerandas ſancti patris reliquias: & annunciârunt id, quod eis in via euenerat. Quicunque autem audiêrunt, Deum laudârunt, qui ijs, qui ſe ſunt digni, præbet talia.

Vide ſtupenda miracula.

Tres cæci illuminantur.

Cap. 67.

Honorificè ergo è naui tollentes reliquias, introduxerunt in eccleſiam. Ibiq; manſit tres dies, neque ſepeliebatur propter magnam contentionem. Quarto autem die ipſum in loculo, melle ſuperfuſo, compoſuerunt. Cogitabant enim eum ſepelire in eccleſia. Manſi verò ſeptem dies in eccleſia prope reliquias: & ne ſic quidem eſt ſepultus. Octauo itaque die, cùm, vt iuſſerat ſanctus pater, nauem inueniſſem, quæ traijciebat in Aegyptum, aſſcendi in ſuperiorem Thebaidem, & manſi anno vno. Cùm autem deſcenderet magnus Heracleon, Præſes totius Aegypti, Rhinocurura, (Eam enim vrbem ædificârat) & audijſſet me fuiſſe diſcipulum magni Epiphanij, me nolentem rapuit per milites, impoſitumque camelodromadi detulit Rhinocurura. Accidit autem, vt Epiſcopus illorum decederet. Fecitque, vt ordinarer Epiſcopus Rhinocurarorum.

EPISTOLA POLYBII EPISCOPI AD *Sabinum Epiſcopum ciuitatis Conſtantienſis.*

Cap. 68. Matth. 2.

DOmino in Deo venerando, digno ſacerdotio, ſancto patri Sabino Epiſcopo ciuitatis Conſtantiæ Cypri, Polybius peccator in Domino ſalutem. Magi ſingularis gratiæ, vel antequàm ſtella eis Dominum ſignificâſſet, participes facti, vadunt Hieruſalem, atque Bethleem, ad adorandum cæleſtem regem Chriſtum Dominum noſtrum. Niſi enim ij fuiſſent priùs participes diuinæ cognitionis, Dei viſionem minimè fuiſſent aſſecuti. Sed illa quidem de Deo, qui quærebatur à Magis, & ſignificabatur per ſtellam ipſis Magis in Bethleem. Ego autem nunc quæro de ſancto patre, qui Deum quæſitum à Magis, & inuentum in Bethleem, & adoratum, coluit: De Epiphanio magno ſacerdote, muro & propugnaculo Cypriorum. Quoniam ergo, ſancte pater, propter meorum peccatorum multitudinem, non fui dignus, qui viderem locum illorum bonorum, vbi ſunt ſepultæ precioſæ reliquiæ ſancti patris noſtri Epiſcopi Epiphanij, & perpetua huius rei memoria & dolor grauis meo inſidet animo: ea de cauſa rogo tuam ſanctam paternitatem, vt nobis ſignificet per literas, quonam die, & quomodò ſit ſepultus. Miſi autem ad te virum prouidum, & diuina gratia dignum habitum: Dico verò venerandum Diaconum Calippum, qui mihi quoque ſignificauit de veſtra ſanctitate, quòd ipſe ſederis ſuper thronum eccleſiæ Conſtantiæ. Nam cùm ego flerem, & quererer de ſepultura ſancti patris, nec nôſſem quiſnam ſediſſet ſuper thronum, idque ſcire per literas cuperem, prædictus dixit Calippus, quòd Sabinus præfectus Monaſterij ſucceſſit noſtro ſanctæ memoriæ patri & Epiſcopo Epiphanio. Quocircà cum miſimus per tantum ac tam difficile iter & mare, vt ea, quæ

priùs

priùs dicta ſunt, conſequamur per tuam ſanctitatem. Puriſſimum autem clerum meo nomine digneris ſalutare, & omnes, qui ſunt ſub veſtra ſanctitate. Ora pro me, digne ſacerdotio, ſancte pater.

EPISTOLA SABINI EPISCOPI AD *Polybium Epiſcopum.*

DEo ago gratias, & veſtræ alacritati animi, ſerue Dei, & digne ſacerdotio, ſancte pater Polybi, quòd per te excitor ad pulchram memoriam. Sanctitatis enim veſtræ literis, quas ſecundùm Deum ſcriptas accepi, ita viuificata eſt anima mea, quemadmodùm ſi terra ob longam ſiccitatem areſacta fuerit, morientes herbæ pluuia cælitùs demiſſa reuireſcunt. Quis tuam habens memoriam, ſancte pater, vnquàm dolore afficitur? Quis autem, ſancte pater, non emiſit lachrymas propter tuum diſceſſum? Fuit enim multus planctus & luctus intolerandus propter te, ſancte pater. Non ſolùm enim Cypriorum inſulam obibant Cyprij, requirentes tuam ſanctitatem, vt ſederes in throno eccleſiæ, ſed etiam per mare multi nauigantes in Phœniciam te quærebant, adeò vt quatuor menſibus vidua manſerit eccleſia in tuî inquiſitione. Cap. 69.

De die autem, & loco, in quo ſepultus eſt ſanctæ memoriæ pater noſter Epiſcopus Epiphanius, per has meas literas ſignifico patri meo. Decem diebus fuerunt eius preciosæ reliquiæ in eccleſia, in melle iacentes in loculo: multique qui ægrotabant, & tangebant reliquias, à morbo ſtatim ſunt liberati. Longinus autem & Petronius Diaconi, qui ab hæreſi Valentiniana ſpecie tantùm conuerſi erant, ipſi prohibebant, ne pater ſanctus ſepeliretur, dicentes non licere mortuum in ciuitate poni in eccleſia, ne fortè per ipſum quoque veniret ciuitas in periculum. Venit autē fama, & vehemens quædam in ciuitate perturbatio, quòd ſint nonnulli ablaturi reliquias. Fuitq; magnus ſtrepitus in tota ciuitate. Eramus verò omnes quoque monaſteriorum præfecti in ciuitate. Decimo autem die, cùm accepiſſet ligonem maximè venerandus Sabinus Diaconus; cœperunt fodere locum, in quo erant reponendæ preciosæ ſancti patris reliquiæ. Cumque hoc vidiſſet reuerendus Draco, ipſe quoq; conſenſit. Rurſus autem dixerunt Longinus & Petronius: Non licet eum ſepeliri in eccleſia. Accepto verò ligone, venerandus quoque Draco fodiebat vnà cum Sabino, dicens: Sepeliantur ſancti patris reliquiæ in hoc loco: ego de eo precabor Imperatorem. Venerunt autem artifices, & fecerunt thecam precioſarum reliquiarum ſancti patris noſtri & Epiſcopi Epiphanij diligentiſſimè & accuratiſſimè: maximè quòd dicebatur à multis, fore, vt furto auferretur à Romanis, aut à Cōſtātinopolitanis, aut à Phœnicibus. Facta verò theca à dexteris ſanctæ eccleſiæ, vbi ceciderat ædificator ſupra Fauſtinianum, acceperunt precioſas reliquias ſancti patris noſtri viri pij, vt eas in theca deponerent. Impij autem & indigni, Longinus, inquam, & Petronius, apprǣhenderunt reliquias, alios quoque, qui malè ſentiebant, commouentes, & non ſinebant eas ſepeliri. Cùm ergo eſſet magna contentio, venerādus Diaconus Sabinus dixit cum magna voce & luctu amariſſimo; Sancte pater Epiphani, ſcio & credo, quòd ſicut cùm in hac vita degeres, Deum exorabas, ita etiam nunc quoque potes, & aliquid amplius. Percute Longinum & Petronium, qui defecerunt, quòd propter iniuſtum zelum non ſinant te ſepeliri in hoc loco. Hoc cùm dixiſſet Diaconus Sabinus, factum eſt à Deo iudicium. Nam Longinus quidem, qui in terram ceciderat, manſit mortuus: Petronio autem manus fuêre diſſolutæ, & manſit mutus in eo loco. Et cùm Longinum quidem compoſuiſſent, ſepeliêrunt: Petronium autem portantes, domum tulerunt, & poſuerunt ſupra lectum: quarto verò die vitam finijt. Acceperunt itaque precioſas reliquias ſancti & beati patris noſtri & Epiſcopi Epiphanij, & cum omni honore eas in eo loco depoſuêre. Cap. 70.

Multi contactu ſacrarū reliquiarum S. Epiphanij ſunt curati.

Vide quid poſſint ſancti poſt mortem, & ſi inuocati cum fide, adſint inuocantibus.

Manè autem ſtatim venerandus Draco, accerſitis omnibus clericis cum multis patribusfamiliâs ciuitatis, obtulit preces Imperatori. Miſſi verò ſunt tres clerici, & tres patresfamiliâs. Ex clericis inprimìs honorandus Sabinus Diaconus, & maximè honorandus Diaconus Paulus conſobrinus Draconis, & honorandus Diaconus Athanaſius. Ex patribus autem familiâs reuerendus Marianus frater Syneſij, & reuerendus Iohannes eius conſobrinus, & filius Draconis, qui ipſe quoque vocabatur Draco, & quem Dei gratia curauit Epiphanius à morbo grauiſſimo. Hi autem iuerunt in ciuitatem regiam, & obtulerunt preces Imperatori. Imperator verò Archadius, cùm preces accepiſſet & legiſſet, valdè magno dolore eſt affectus, quòd è vita exceſſiſſet Epiphanius: & dixit eis, qui preces ſibi obtulerant: Sedete in hac vrbe regia quadraginta dies, vt Cap. 71.

lugeam meum patrem, & vos mittam in pace. Illi autem ſic fecerunt. Et luxit Archadius Imperator, ſanctæ memoriç patrem noſtrum & Epiſcopum Epiphanium quadraginta dies. Poſt luctum autem fecit conſtitutionem, & miſit cum eis virum pium militantem, nomine Maximum. Is habebat ſpiritum immundum. Cùm ij autem perueniſſent Conſtantiam, ſtatim Maximus accepta conſtitutione, ingreſſus eſt in locum, vbi ſunt poſitæ reliquiæ ſancti patris noſtri. Cumque pronus cecidiſſet in faciem, & preces poſuiſſet ſupra thecam, dixit: Deo digne ſancte Epiphani, expelle à me malignum ſpiritum, & tunc aperiam hanc formatam ſcripturam cum magna gratiarum actione. Statimque exijt immundus ſpiritus à Maximo. Maneque patefacta fuit ſcriptura formata in loco publico, & omnes propterea magna ſunt affecti lætitia. Formatæ autem ſcripturæ vim inſero in mea epiſtola, quam ad veſtram mitto pietatem : quæ in verſu ſecundo ſic continet. Sic enim dicit Imperator Archadius de ſancto patre: Eum, qui vixit ſupra noſtras leges, nolumus iacere conuenienter noſtris legibus. Ecce ergo, ô ſancte pater Polybi, vniuerſam conſequentiam, quæ fuit tam verbis quàm factis, expoſui veſtræ apud Deum honoratæ & ſanctæ animæ per literas, quæ à nobis miſſæ ſunt per venerandum Diaconum Calippum. Habe autem perpetuam meî memoriam in tuis ad Deum orationibus, ſancte pater. Tuum verò ſanctum Clerum meo nomine ſalutare digneris, ô digne ſacerdotio, ſancte pater. Ora pro me, ô vir maximè pie.

Maximus inuocans S. Epiphaniũ, mox à dæmone liberatur.

VITA S. MODOALDI TREVIRORVM EPISCOPI, EDITA A STEPHANO ABBATE *Leodienſi.*

PRAEFATIO AVTHORIS AD THIETMARVM ABBATEM, *in vitam beati Modoaldi Archiepiſcopi Treuirenſis.*

DOmino Thietmaro, Helmuuardicenſis cœnobij Abbati reuerendo, & ſanctis, qui ſub ipſius cura degunt, fratribus Stephanus Abbas humilis congregationis beati Iacobi in Leodio, æternam in Domino ſalutem. Quoniam gratiarum diſtributor Deus in diuidendo ſingulis, prout vult, ſuper omnia donat charitatem, qua diligamus bona in alijs, quæ deſunt in nobis, vt omnia ſingulorum, & ſingula fiant omnium : neceſſe eſt, vt in proximis ſtudeamus amando poſſidere, quæ videmus in nobiſmetipſis operando minùs prouenire. Vnde bonum ſtudij veſtri trahentes odorem, admodùm lætati & delectati ſumus, ſuper his videlicet, quæ de veſtri laboris profectibus innotuerunt nobis per quendam ex veſtris, quo ad tempus vſi ſumus: in quo vno omnium veſtrûm conuerſationem bonam imaginantes, gaudemus iam ex charitate vos prænoſcere, quos corporeo intuitu necdùm contigit vidiſſe. Spe enim ad ſupernam tendentes patriam, illuc precum lachrymarumque legatione præmiſſa, rogare debemus, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & ad perpetuum cum illius ciuibus habitandi fœdus componendũ, leuare potiùs fidei oculos ad montes, vnde nobis interceſſionis auxilium veniat, quàm præſumere de principibus, in quibus ſalus nulla eſt.

1.Cor.12.

Vis magna charitatis.

Pſal.145.

Huius itaque cæleſtis habitationis obtinendæ pio accenſi deſiderio, ad arcem tanti roboris veſtros prouexiſtis animos, vt theſaurum Treuirorum, à pluribus annis reconditum, pia importunitate aggrederemini ſpoliare, pignora videlicet ſancti Modoaldi Archiepiſcopi, & duorum corpora Thebæorum, cum alijs reliquijs auſi poſtulare, digni impetrare, abſportare, honorificare & patrocinijs eorum exultare. Et quoniam deſiderium pauperum ſuorum exaudiuit Dominus, tam Dei & ſanctorum voluntate præeunte, quàm veſtra ſubſequente induſtria illud obtinere meruiſtis, quod nulla argenti vel auri copia valeret comparari, quod nulla regia potentia præſumeret attentare. Quantum autem temporis, quantum laboris ad hæc adipiſcenda expenderitis, qualibus ſuffragantibus perſonis ad hanc bonæ voluntatis efficaciam perueneritis, qualiter huius, vt ita dicam, victoriæ brauium appræhenderitis, ſatis diligenter vſque ad vnguem deſcripſit ille vir ſupradictus, immò iam noſter & frater & amicus præcordialis, & quicquid ex charitate meretur appellari, vir ſynceræ iucunditatis, qui tali negocio ſemper labore ſuo & conſilio interfuit. Qui corpore quidem ad tempus vobis abſens, ſpiritu autem ſemper præſens, dum pro inueſtiganda patroni ſui generoſitate,

ordinis noſtri loca plurima inuiſeret: & quaſi apis argumentoſa florum dulcedinem in mellis liquorem comportans, tam geſta pontificum, quàm annales regum Francorum, famamque antiquorum ſapientium diligenti inquiſitione percurreret: tandem ad nos omnium vltimos diuertit, obſecrans non perfunctoriè, ſed infatigabiliter & inſtantiſſimè, vt de vita & miraculis beati Modoaldi in lectionibus & reſponſorijs aliquod ingenioli noſtri xenium domum deferendum à nobis mereretur accipere. Cuius precibus opportunè importunis, cùm hinc humilitas profeſſionis noſtræ ob declinandam præſumptionis notam obuiare perſuaderet, illinc charitas internæ obdurationis in proximum nos argueret, ſupereminentioris viæ latitudinem timore abiecto conſiderantes, quoniam id, quod ſumus, quod viuimus, quod ſapimus, totum Deo & proximo debemus, tandem amici pio deſiderio acquieuimus ſatisfacere.

Sed cùm ad hæc nos idoneos fore deſperaremus, ipſa noſtrî deſperatione robuſtiores, ad illum protinùs ſpem ereximus, qui etiam immenſos brutosque aſinæ ruditus, per ſenſatos humani colloquij diſtinxit modos. Num.21. Huius ergo robore conſiderationis accincti, adorſi ſumus authore Deo enarrare, quæ de vita & miraculis beati Modoaldi pontificis tam ex antiquorum relatione, quàm ex authenticorum librorum lectione colligere potuimus: in quibus verborum folia requirenda non ſunt, quia infructuoſæ loquacitatis leuitas in ſacris paginis compeſcitur, dum in templo Dei per Moyſen nemus plantari prohibetur. Deut.16. Hic ſiquidem ſanctitatis viam à puero ingreſſus, couſque de virtute in virtutem per ſpirituales proceſſit aſſcenſus, vt iuxta vocabuli præſagium, quo apud homines appellatus eſt Modoaldus, apud Deum nominetur & ſit modò altus. Cuius ſanctitas atque nobilitas in tanta celſitudinis parilitate conueniebant, vt nos ipſa ſuî magnitudine ambiguos reddant, quam earum in exordio narrationis alteri præponamus: quia cùm plerunque in huiuſmodi perſonis nobilitas ſanctitatem impediat, in hoc ſancto viro altera alterius dicebatur ornamentum. Sed quia hac tempeſtate perſpicuum eſt, nobilitatem in omnibus negocijs præcellere, priuatam verò ſanctitatem etſi Deo paucisque fidelibus acceptam, à filijs tamen ſeculi parupendi: ideò huius nobiliſſimæ poſteritatis linea, ſi tanto prolixiore, quanto diligentiore ſtylo percurratur, obſecramus lectorem, ne prolixitatem faſtidiat, quæ multorum continet vtilitatem: quæ etiam ab auîs & parentibus inchoanda, & certiùs deſcribenda nobis fuerat, niſi barbarica depopulatio nobilium Gallorum titulis olim inuidiſſet.

Fertur enim barbarorum gens tunc per omnes Galliarum fines furoris ſui frena laxâſſe, diuina & humana pari abolitione contemptui habuiſſe, vrbes ditiſſimas ſubuertiſſe, ſanctuaria Dei prophanâſſe, præclaros hominum labores exinanîſſe, monumenta ſanctorum, titulos & nomina antiquorum heroum omninò deleuiſſe, nulla veſtigia virtutum, nulla victoriæ, nulla laudis aut probitatis auorum noſtrorum nobis reliquiſſe, omnia gladio & incendio exterminâſſe. Barbarorũ in Gallias incurſiões. Verùm ſupra omnes vrbes, tanto ſubiacentes excidio, facta quaſi vidua domina gentium, cum Threnis Hieremiæ lamentânda erat illa metropolis glorioſa Treueris, vrbium nobiliſſima, quæ dignitatis prærogatiua meruit appellari altera Roma: in qua cùm ampliùs exuberâſſent diuitiæ & gloria, felicitas & exultatio, ſuperueniente exterminio, acriùs redundabant egeſtas & deſolatio, dolor ac mœſtitia: tantoque in ea miſerabiliùs plangenda erant antiquarum virtutum monimenta, quanto damnoſiùs multorum profectibus ſunt ablata. Treuericæ vrbis ante euerſionem præſtantia. Vbi cùm antiquorum faſtos exemplariorum abſumeret ignis, & ob hoc omnis veterum genealogiarum ſeries abolita fuiſſet, contigit etiam omnem beati Modoaldi retroactam parentelam vſqueadeò poſterorum ſubtrahi memoriæ, vt ex qua conſanguinitatis vena, licèt nobiliſſima, ipſe & duæ ſorores eius, Itta ſcilicet & Seuera, deſcenderint, vel, vt veriùs fatear, aſſcenderint, non ſatis compertum habeamus. Sed quoniam Dominus, qui de ſubiectione dæmonum vanum diſcipulorum corrigit gaudium, monet de cæleſti nominum inſcriptione potiùs eſſe gaudendum: Luc.10. deſiſtat fraterna ſolicitudo conqueri noſtris paginis deeſſe, quos opera iuſtitiæ in libro æternæ aſſcribunt memoriæ. Dignetur ergo ſuſcipere ſanctitas veſtra hoc noſtræ paruitatis munuſculum, penſet & amplectatur in eo ſolius charitatis affectum: quia etſi non videamur ſatisfeciſſe vtilitati fraternæ, quantulumcunque tamen laborem impendimus amicitiæ.

VITÆ S. MODOALDI ARCHIEPISCOPI, LIBER PRIMVS.

De eius generis nobilitate. Cap. 1.

Maij 12.

S. Modoaldus ex Aquitanis ortus.

INTER præcipuos & præclaros ſumma ſanctitate & ingenuitate viros, quorum fide, doctrina & moribus, ſignis & virtutibus ſancta fulget Eccleſia ſicut ſol & luna, vir venerandæ memoriæ Modoaldus, gemina ingenuitate non mediocriter inſignitus, ex inclyta Aquitanorum proſapia, luna pulchriùs, ſole ſplendidiùs ad honorem Dei & Eccleſiæ refulſit. Cuius generoſitatis linea quibus parentibus, quibus auîs aut maioribus deſcenderit, vel quàm digna radice tam inſignis arbor prodierit, etſi nobis propter vetuſtatem aut ſcriptorum abolitionem minùs ſit compertum, tamen ex propinquis & cognatis, nomine, gloria & honore terra mariq́ue celeberrimis, quorum virtute publica res floruit, quorum potentiam totus orbis extimuit, quorum pace Eccleſia lætata, quorum triumphis exaltata eſt, tam charta quàm fama genus eius incognitum non eſt.

De Itta, ſorore eius, Ducis Pipini coniuge. Cap. 2.

Iob 12.

NAm ſicut ex fideli antiquorum traditione, in quibus eſt ſapientia, compertum habemus, fuit ſoror eius, Itta nomine, mulier admodùm venerabilis, ac Deo deuota in fide & operibus bonis. Quæ quidem matrimonio iuncta clariſſimo Duci Pipino, genere & opibus, & quod in potentibus tanto extat mirum, quanto rarum, ſublimitate ſcilicet honorum & humilitate morum æquè nobiliſſimo, diuina prouidentia in omni pietatis ſtudio ſibi vnanimem ſortiri meruit tori legalis conſortem. Cuius exemplo vt diſcant potentes humiliari, qui de inani ſolent potentia gloriari, non dedignentur quæſo audire, quod de ipſius mariti laudibus repertum, huic operi non indignum duxi vtiliter inſerere. Tempore, quo Dux egregius ac veriſſimus pater patriæ rebus humanis exceſſit, tanto * Auſtriam totam dolore perculit, vt planctui eius planctus regum nequaquàm conferri poſſit. Fuit nanque probatiſſimæ vitæ ac puriſſimæ famæ, ſapientiæ domicilium, conſiliorum theſaurus, defenſio legum, controuerſiarum finis, munimentum patriæ, decus curiæ, via ducum & diſciplina regum. Audiant ergo nunc duces, ſereniſſimi ducis Pipini tot præclaras poſt finem eius laudes, intelligant reges æquitatem eius & prudentiam, fortitudinem ac temperantiam: erudiantur huius exemplo potentes, qui iudicant terram. Quòd ſi vxores nobilium vel etiam regum, quibus familiaris ſolet eſſe elatio, venerabilis Ittæ, vxoris præfati principis, exemplo dignarentur animum applicare, poſſent vtique perpendere ex eo, quod fortiter & ſanctè egit ſub viduitate iam libera, quòd deuota Deo vixerit ſub tanti mariti diſciplina. Nanque dum poſt obitum pij conſortis, tum propter morum elegantiam, tum propter generis excellentiam, aut etiam ob multiplices prædiorum poſſeſſiones & numeroſam familiam à multis nobilibusq́ue procis ſtudioſiſſimè peteretur, illa ſecundum vitans matrimonium, quæ alteram ſanctæ continētiæ palmam aſſequi cupiebat, à ſancto Amando Traiectenſi epiſcopo, diuinitùs ad eam directo, ſacrum velum ſanctæq́ue religionis habitum ſuſcepit, ſpemq́ue nuptiarum tot procis inſipientibus ſapiens mulier abſtulit. Mirantur omnes eam inſperatè propriæ domûs faſtigia in eccleſiam commutâſſe, totamq́ue illius ſpeciem non in alicuius proci amorem, ſed ad cæleſtis ſponſi honorem diuerſi generis ornamentis decorâſſe, ipſamq́ue redactam in numerum ſanctimonialium, quas ibidem ad ſeruiendum Deo exemplo ſuo collegerat, obedire magis humiliter, quàm imperare. Diſcant matronæ huius nobiliſſimæ mulieris exemplo, quid Deo, quid maritis debeant: diſcant & viduæ, quæ cultu ſuperbo delectatæ, terna & quaterna vel eo ampliùs matrimonia omni ſtudio affectant, nec ſecundis quidem acquieſcere, vt ſexageſimum vidualis continentiæ fructum cum iſta Deo ſtudeant referre.

* Hanc alij Auſtraſiam vocant.

Pipini Ducis præclarum encomion.

Itta ſecundas recuſat nuptias, & monaſticū induit habitum.

De Ittæ tribus liberis. Cap. 3.

IAm verò genus & nobilitas beati Modoaldi, vt ex liberis & nepotibus venerandæ ſororis eius quanto veriùs, tanto clariùs eluceſcat, producantur in mediū tres ſumma

ma digni memoria liberi,quos ad laudem & honorem ſanctæ Trinitatis pio conſorti Pipino feliciter edidit: Grimoaldus videlicet, paternæ dignitatis ac pietatis hæres digniſſimus ad totius regni firmamentum: tum duæ ſorores eius Gertrudis & Begga, geminum quaſi precioſiſſimarum decorem gemmarum ad cæleſtis ſponſi gloriam & Eccleſiæ ſanctæ decus & gratiam referentes. Grimoald⁹. Gertrudis. Begga.

De Grimoaldo. Cap. 4.

QVarum frater illuſtris Grimoaldus, dum in palatio Sigeberti paternam dignitatẽ ſua probitate eſſet adeptus, præpter illam, qua viguit domi militiæque, induſtriam, magnum etiam erga Deum ſuæ deuotionis dedit indicium. Nam illa duo pręclara monaſteria, Stabulaus & Malmundarium, ex proprio conſtruxit: quæ peracta pia ſolicitudine, & exornata omni pulchritudine, facta quoque ibi legitima adiacentiũ terrarum aliarumque poſſeſſionum traditione, beato Remaclo, ad inſtituẽdam illic monaſticam vitam, ſub firma adſtipulatione & regij ſigilli impreſſione contradidit.

De S. Gertrude. Cap. 5.

QVid autẽ de ſorore eius clariſſima Deoque deuotiſſima Gertrude dixerim? Laudem in ea pulchritudinem, diuitias, nobilitatem, familiam, quæ cuncta pro Chriſto vt ſtercora deſpexit? Ipſe laus eius eſt, quem in cælis ſponſum elegit, quem in carne poſita, tota deuotione dilexit. Contempſit enim ſponſum habere in terris, qui eam deſereret cùm moreretur: cumque ſibi elegit, cum quo, quia mori non poteſt, ſemper lætaretur. Hunc amans vt ſponſum, adorans vt Dominum, nouas domos, alta palatia in terris conſtruere non curabat, quia iucundum in ſua virginitate habitaculum Chriſto iam præparauerat. Vnde cùm generis ſui nomen & gloriam magnificè auxerit, tum etiam beato auunculo ſuo Modoaldo ingens contulit gaudium, dum in Eccleſia dulci odore redolens, & vt monile precioſum refulgens, virginitatis ſeruandæ coæuis tam nobile reliquit exemplum. Hæc itaque cum illo, quem tanta charitate dilexit, ſponſo, tanto veriùs regnare iam creditur, quanto ſæpiùs cunctis, qui locum ſepulturæ eius, quæ apud nos floret, humili deuotione requirunt, plurima per eam beneficia conferuntur. S.Gertrudis prædicatur. Miracula ad ſepulcrũ S.Gertrudis

De Begga. Cap. 6.

AT verò ſoror eius venerabilis Begga, & ſi ſponſum in terris, diuina diſpenſante prouidentia, cum timore Dei conſenſit ſuſcipere, bino tamen ordine ſanctitatis, hinc triceſimum fructum pudicitiæ matronalis, illinc ſexageſimum referens cõtinentiæ vidualis, duplicem beatitudinis palmam meruit obtinere. Cuius etiam ſanctitatis pia apud nos clarent monimenta in loco, in quo ex diuina reuelatione ſeptem conſtruxit eccleſias, vbi & corpus eius à ſacris virginum choris honoratur, quæ ex tempore ſuo die noctuque Deo ibidẽ famulantur. Ibi quoque Dux egregius & coniunx eius pijſſimus, nomine Anſigiſus, ab ea conditus eſt, qui ab alumno ſuo, quem idem Dux puerum fortè inuentum, & ſacro fonte ſuſceptum, aluit in filium & exaltauit, crudeliter in venatione peremptus eſt propter appetitum honoris ſui, quem tamen impius ille conſecutus non eſt. Sciendum eſt, iſtum Anſigiſum fuiſſe filium beati Arnulphi ex Maiore domûs, Metenſis epiſcopi: cui venerabilis Begga felici iuncta matrimonio, generoſæ ſobolis & nobiliſſimorum regum mater extitit. Anſigiſus Dux, Beggæ maritus.

De Pipino, Anſigiſi filio. Cap. 7.

HVius ſiquidem filius, nomine Pipinus, quem præfato Duci peperit, ſicut nomen aui, ita & virtutem cum dignitate referens, mortuo rege Childerico, ſub quo beatus Lambertus eximia claruit ſanctitate, eò magnitudinis excreuit & potentiæ, vt in tota Auſtria etſi non regio nomine, regia tamen dominaretur poteſtate. Nam multa præclara bella gerens, de omnibus fortiter triumphauit, ipſumque regem Francorum Theodoricum bello ſuperans, in fugam vertit: ſed & beatum Lambertum, factione iniquorum de epiſcopatu eiectum, in cathedra ſua decentiſſimè relocauit.

De Carolo Martello. Cap. 8.

ET vt tam glorioſæ ſobolis, quæ hinc ex radice ſancti Arnulphi, illinc ex cognatione beati Modoaldi prodijt, fortia & præclara geſta liceat aliquatenùs intueri, immò non paruo ſtupore admirari: videamus Carolum, quem idem Pipinus ſibi ſuperſtitem, tam dignitatis quàm & virtutis ſuæ reliquit hæredem, quomodò patrios tranſiliens limites, antiquas patrum victorias nouis excedens, mirabiles triumphos de ducibus ac regibus, de populis & barbaris nationibus reportauit. Nam & Saracenos, tri-

bus eorum regibus peremptis, vſque ad internecionem fudit, vrbesque eorum famoſiſſimas expugnans, vſque ad fundamenta ſubuertit. Vnde & cognomen Tudetes, à tundendo accepit, eô quòd à Sclauis vſque ad Hiſpanos, tot regna, tot vrbes, tot caſtra & oppida tam Saracenorum, quàm Chriſtianorum, ferrei inſtar mallei tundens, propitio Deo, tranſuolâſſe dicitur potiùs, quàm ſuperâſſe.

Carolus Tudetes cur dictus.

De Carlomanno & Pipino Breui. Cap. 9.

QVid verò de filijs eiuſdem Caroli, Carlomanno ſcilicet ac Pipino, dixerim, è quibus Carlomannus poſt plurima bella & nobiles triumphos, ſecularem deſerens militiam, factus monachus in monte Caſſino, cęleſti ſe militię mancipauit: Pipinus verò, virtutum ſuarum meritis exreſcens, primus in hac ſtirpe regium nomen obtinuit. Nam cùm merito prudētiæ ſuæ & virtutis, acclamantibus ducibus & populis, primùm à ſancto Bonifacio Moguntinenſi epiſcopo, authoritate Zacharię Papę in regem eſſet conſecratus, poſtmodùm à Stephano Papa, ſucceſſore Zachariæ, quia Romanā rempublicam ab Aiſtulphi regis Longobardorum incurſibus defendit, Apoſtolica benedictione tam ipſe, quàm vxor eius ac liberi, in regnum perpetuò eſt confirmatus.

Pipinus Breuis fit rex.

De Carolo Magno. Cap. 10.

IAm tandem, ſi placet, veniamus ad illum glorioſiſſimum Imperatorem Carolum Magnum, huius Pipini filium, qui paternas virtutes cæteris magnificentiùs auxit, & regio nomini, quod pater eius promeruit, Romani nomen imperij & dignitatem feliciter adiecit. Ipſe eſt enim, cui in die natalis Domini Leo Papa cum Apoſtolica benedictione imperij coronam impoſuit, & à cuncto Romanorū populo ter acclamatum eſt: Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorū, vita & victoria. Huius nomen & gloria, virtus & victoria, per tāta tempora adhuc quaſi recens, ore vniuerſorum cum tanto ſtudio & admiratione celebratur, vt ſi litera ſileat, ſola fama quaſi viuere credatur.

Carolus Magnus coronatur Romę à Pontifice.

De Ludouico Pio. Cap. 11.

AT verò de filio eius Ludouico quid dignum referre valeam, qui poſt patris obitū imperialia ſceptra, vt nullus digniùs, ſuſcipiens, præter cætera, quæ bello fortiter geſſit, maxima ſuæ pietatis monimēta exhibuit? Ad faciendas enim iuſtitias, & oppreſſiones eccleſiarum ſeu populorum releuandas, legatos idoneos in omnes regni ſui prouincias mittens, quæquæ corrigenda inuenire potuit, corrigere atque emendare ſapienter curauit. Sed &, quod magis in imperatoria dignitate ſtupeas, de cunctis, quę publicè perperàm geſſit, Theodoſij Auguſti exemplo, publicam egit pœnitentiam.

Ludouici Pij publica pœnitētia.

De Clotario Imperatore. Cap. 12.

QVid etiam de Clotario, huius Ludouici filio, dixerim, cuius potentiæ fuerit, vel quale humilitatis exemplum poſteris reliquerit? Ipſe maior natu, maior virtute & imperio, diuidens regnum cum duobus fratribus Carolo & Ludouico, regnum, quod hactenùs ex eius nomine nuncupatur, ſortitus eſt, necnon & omnia Italię regna cum ipſa Romana vrbe Auguſtus Imperator obtinuit. Qui etiam paternæ religionis hæres exiſtens, poſt plurima tam ſapienter quàm & fortiter geſta, regnū filijs ſuis diuiſit, relictoque ſeculo ac ſanctæ conuerſationis habitu ſuſcepto, in hac monaſtica profeſſione curſum vitæ feliciter conſummauit.

Clotarius Imperator fit monachus.

De huius ſtirpis eximia nobilitate. Cap. 13.

SEd iam conſiderata horum potentia & nobilitate, quid vltra tot Carolos & Pipinos, tot Clotarios aut Ludouicos, alioſque reges & Imperatores, qui de hac glorioſa ſtirpe vſque ad noſtra profuſi ſunt tempora, neceſſe eſt commemorare, cùm ex his, quos enumerauimus, præclara beati Modoaldi ingenuitas luce clariùs eniteat? Hoc tantùm in ſumma narrationis noſtræ dixiſſe ſufficiat, de nulla ſtirpe, quam nouerimus, tam præclarum, tamque nobile germen regum pullulâſſe, qui tantum potentiæ Gallico regno addiderint, totque & tam mirabiles triumphos de ducibus & regibus & barbaris nationibus reportauerint, adiuuante eos & protegente diuina miſericordia, ſanctorum ſuorum Modoaldi & Arnulphi meritis, vt credimus, de quorum affinitate tantam ſtirpem fructificâſſe cognoſcimus.

Quantùm auxerint Galliarum eccleſias. Cap. 14.

POſtremò, quantum religionis, potentiæ & honoris Gallicis contulerint eccleſijs, teſtantur libri, ſanctorum decreta patrum continentes, quos ipſi in ſynodis ſua

Galliarū eccleſijs quan-

ſua corroborauerunt authoritate: teſtãtur & eccleſiæ, quas cùm diuerſi generis ornamentis, tum etiam prædijs & regalibus ſuis, caſtris ſcilicet & comitatibus, telonijs, monetis & bannis, cum iure ciuitatum conceſſis, magnificè extulerunt, ne ſancta Dei Eccleſia huius ſeculi potentibus ſubiaceret, aut tyrannide eorũ paueſceret: immò ſuperborum colla, Dei virtute ſuperior, calcaret. Inde eſt, quòd nuſquàm gentium æqualis potentiæ pontifices inueniri queant, vel quòd à regio comitatu & opulẽtia parùm differant. Quos certè beatos fore dixerim, ſi pro hac potentia ſanctiùs viuerẽt, ſi pro hac opulentia ditiores virtutibus eſſe ſtuderent, ſi bonum opus, nõ dignitatem, appeterẽt, ſi lucra non pecuniarum, ſed animarũ quærerent, ſi ſuper egenos & pauperes benignè intelligerent, ſi ſobrietatem, ſi iuſtitiam, ſi humilitatem ſectantes, in omnibus, ſicut decet Epiſcopum, irrepræhẽſibiles ſe exhiberent. Sed, quod valdè graue eſt, dum quidam eorum ex honoris ſublimitate intumeſcunt, dum lucri temporalis amore animarum damna poſtponunt, dum ſua quærentes, iuſtitiam niſi pro nummis non faciunt, dum Eccleſiaſtica dona gratìs non tribuunt, dum ſonitum æris dulciùs quàm clamorẽ pauperis audiunt, dum ſecularem militiam pluſquàm Dei Eccleſiam diligunt: inde elati pontifices Deo diſplicent, vnde Imperatores humiles Deo placuerunt. Et quàm indignum eſt, vt in cordibus Imperatorum regnet humilitas morum, & in mente pontificum vanitas vitiorum: dum in illis familiaris ſoleat eſſe elatio, & in iſtis amica debeat eſſe religio? Sed quorſum ab hoc opere aliena tẽdit oratio? Talia Hieronymo ſeu beato Gregorio relinquamus: nos autem incepta meliùs proſequamur. Et quoniam exteriorẽ beati Modoaldi generoſitatem ex nobiliſſima & multiplici ſobole venerandę ſororis eius ſatis apertè monſtrauimus, in ſequenti volumine mẽtis eius ingenuitatem ex vita & conuerſatione eius ſanctiſſima declarare tentemus, meritis illius ipſo nobis adſpirante, in quo ſignati ſumus in die redemptionis noſtræ.

ta contulerint reges & Imperatores.

Epiſcoporũ munus.

Epheſ. 4.

LIBER SECVNDVS.

De pueritia & inſtitutione S. Modoaldi. Cap. 1.

IGitur glorioſus ac venerabilis Modoaldus, dum clariſſimis ortus eſſet natalibus, nobilitatem ipſam carnis digniore mentis nobilitate ſciens neſciebat, nec parentum diuitias aut potentiam, ſed humilitatem Chriſti & paupertatẽ euangelicam, quam imitaretur, iam à puero, ſed non pueriliter, attendebat. Denique non laſciuia pueriliſ, non vanitas aut ambitio ſecularis in eius ſtudijs aliquatenùs apparebat: ita vt in puero diuinam iam poſſes admirari gratiam, quæ cum vas electionis ſibi futurum præuidebat. Nam cùm liberalibus ſtudijs & ſpiritualibus diſciplinis erudiendus traditus eſſet à parentibus, qui eum tenerè diligebant, tantam breui tempore geminæ cõſecutus eſt ſcientiæ efficaciam, vt omnes gloria anteiret, & tamen omnibus ex affectu charus eſſet. Nullum quippe per tumorẽ deſpiciens, immò per humilitatem cordis omnes ſibi præferens, obſequiũ, quod parit amicos, piè omnibus exhibere, nulli iniuriam inferre: quinpotiùs, accepta iniuria, ignoſcere, quàm perſequi mâlle; ſed & inferẽtem pro Chriſto diligere vt fratrem, amplecti vt amicum. Ita Chriſti tyrunculus inuidiam virtute ſuperabat. Et ne fortè virtus concepta deſidia aut ocio reperet, teneræ ætati nequaquàm parcere, non membra quieti, non animum ſocordię aut ignauiæ dare, ſed ſemper aut ſacræ lectioni, aut piæ meditationi inſeruire. Cum ludentibus non ſe admiſcebat, ſed vel tutorũ diſciplinæ, vel maiorum dictis ſedulus adhærebat, vt ab ore eorum pendens, quàm ſuauis eſt Dominus, deguſtaret, ac poſtmodùm memoriam abundantiæ ſuauitatis eius ad ædificationem multorum eructaret. Quippe qui ſecundùm propoſitum vocationis Dei ad ſummum apicem gradûs ſacerdotalis & ad paſtoralem curam Dominici ouilis fuerat promouendus, iam talibus virtutum ſtudijs, talibus ſanctarum inſtitutionũ rudimentis ſub cæleſti magiſterio adoleſcebat, iam digito Dei ad boni paſtoris officium informabatur & proficiebat.

S. Modoaldus generis nobilitatẽ non magnifacit.

Puer diſcit literas & pietatem.

Vt in ætate virili creuerint in illo virtutes. Cap. 2.

AT verò tam præclara tyronis Chriſti adoleſcentia vbì in virile robur cœpit exereſcere, quando conuerſis ſtudijs, ætas animuſque virilis quærit opes & amicitias, inſeruit honori, ipſeà priori intentione animum nequaquàm diuertit: ſed ad fortioris militiæ ſtudia ſeſe viriliter accingens, gradus ætatis diuerſarum gradibus virtutum ſublimiter tranſcendebat. Non ſeculares inire amicitias, aut opes aggregare quærebát

Cum ætate accedunt ei etiam incrementa virtutum.

quærebat perituras. Non honoribus cum ambitioſo, nō ſublimitate cum ſuperbo, ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocuo ſimplicitate, cum manſueto patientia, cum abſtinente parſimonia, cum pio charitate & miſericordia certabat. Videres eum crebris ieiunijs & vigilijs voluptatē carnis frangere, pro honoribus ſuimet abiectione delectari, paupertatem pro diuitijs amplecti, conuentui nobilium conſortia ſeruorum Chriſti & humilium præponere. Vnde animus eius aut circa eccleſiam, aut erga pauperum curā ſemper occupatus erat. Cumque in eius pectore iamdudum accenſa inualuiſſet flamma cæleſtis deſiderij, nihil ocij, nihil quietis patiebatur, vt ad ocium & quietem diuinæ cōtemplationis perueniret. Quamobrem omnes carnis affectiones, omnes ſeculi occupationes funditùs à ſe decernit extirpare, deſiderans glo-
Galat. 6. riari cum Apoſtolo dicente: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Solitudinem,
Matth. 3. quam Iohānes & Paulus cum beſtijs in deſerto, iſte deliberat exigere ſibi in ſemetipſo. Ibi ſecum proponit habitare, ibi calcato ſecularium curarum ſtrepitu, remotis ab ani-
Pſal. 44. mo terrenarum phantaſijs cogitationum, illi ſoli, qui ſpecioſus eſt forma præ filijs ho-
1. Pet. 1. minum, in quem etiam deſiderant angeli proſpicere, libero mētis adſpectu contendit iugiter inhærere. Ipſe illum in ſua, virtutū floribus adornata, tanquam in lectulo, præ-
Cant. 1. optat ſuſcipere amplectique conſcientia, vt poſſit cum ſponſa iucūdari & dicere: Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. Lectulus noſter floridus. Sed ecce velut ex inſidijs plurima ſuæ intentioni contraria videt ex hoc mundo ſuccreſcere, hinc ſeculariū cu-
Multa ſe ei impedimēta objiciūt. ram negociorum, illinc illuſtrium frequentiam proximorum: quæ dum inopinatè mentem eius impugnant, ab huius lectuli quiete & dilecti ſui dulcedine nolentem ſuſcitant. Quamobrem remotiora ſibi loca quærere, & ab horum tumultu ſeſe occultare omnibus modis elaborat, vt quanto occultiùs, tanto liberiùs pulcherrimæ ſibique
Geneſ. 29. dilectæ Rachelis amplexibus poſſit inhærere. Cuius ſororem, ſcilicet Liam, etſi fœcundam, tamen lippam, minusque videntē deſpicit, ne mentem tāto in diuinam contemplationem minùs tendere valeret, quanto plures ex labore prædicationis filios generaret. Rachelem verò pulchram, benè videntem, licèt infœcundam, toto affectu concupiſcit, in cuius amore tanto ſuauiùs ſub ſilentio requieſceret, quanto ad generandos labore prædicationis filios minùs exiret.

Inuitus cogitur palatio ſuam nauare operam. Cap. 3.

Eccle. 8. VErùm quia non eſt in hominis poteſtate via eius, ſed contra ſpem votumque ſæpè à Domino greſſus eius diriguntur, beatus Modoaldus Liæ laborioſæ in nocte huius vitæ nolens iungitur, dum primoribus regni & maioribus palatij quaſi vtilis in verbo, prouidus in conſilio, diuina prouidentia, licèt repugnans ſocius accitur. Clarebant tunc temporis in palatio viri ſtrenuiſſimi ijdemque religioſiſſimi: inter quos eminebat Pipinus, Carlomāni filius, Dux clariſſimus & maior domûs ſub Clotario, Dagoberto & Sigeberto potentiſſimis regibus: cuius laudum præconia quia in ſuperiori libello breuiter perſtrinximus, nunc vbi res exigit, de ipſius cōſilio & æquitate, prudentia & fortitudine paulò latiùs diſſeramus.

Vt Pipinus Dux ſub Dagoberto præclarè ſe geſſerit. Cap. 4.

Pipini Ducis præclara laus. EA tempeſtate Dagobertus rerum potiebatur, ſub quo idem Dux dignitate, modicùm à ſublimitate regia differente, præditus, omnia regni negocia prudentiſſima diſpoſitione ordinabat, præſtabatque tam in bello fortitudine, quàm iuſtitia in pace. Erat enim erga regem fidei ſeruantiſſimus, erga populum verò tenaciſſimus æquitatis, & in diſceptanda vtrorunque cauſa fortiſſimo animi iudicio perſiſtens, nec munera populi ad ſubuertendum ius regium reſpiciebat, nec gratiam regis ad obruendam populi iuſtitiam attendebat. Siquidem regem Deum regi homini præferebat, cuius
Leuit. 19. mandato prohibitum nouerat, vultum potentis honorare, vel perſonam pauperis in iudicio attendere. Tam ergo quæ plebis erant, plebi defendebat: quàm quæ Cæſa-
Item Dagoberti regis. ris, Cæſari reſtituebat. Tali huius Ducis induſtria & conſilio Dagobertus eo celebritatis ſplendore enituit, vt liberalitate, iuſtitia, manſuetudine alijsque artibus, quibus regem decebat, plures ante ſe reges præcelleret. Sed hanc regiam viam, hanc virtutis lineam tenuit, quandiù ſanam doctrinam ſapientiſſimi præceptoris ſuſtinuit, & non ad ſua deſideria coaceruauit ſibi magiſtros. Felix, ſi ſecundùm viri ſapientis monita, de
Eccle. 6. mille pacificis ſuis vnum hunc elegiſſet conſiliarium. Sed demum Salomonis exem-
3. Reg. 11. plo deprauatum eſt cor eius ad tempus per mulieres, vtque ſolet in magna rerum copia ac ſoluta libertate prona eſſe in conſenſum peccati natura mortalium, ob diui-

tiarum

tiarum affluentiam ac ſecundos rerum ſucceſſus à bono honeſtoque in prauũ abſtra- Dagobertus rex deprauatus.
ctus, ſalubribus monitis aures occluſit. Cœpit ergo tam auaritia quàm libidine æſtuare, rebus eccleſiarum nouos theſauros implere. Cuius impudentiam dum Pipinus dolore permotus liberrimo ore increparet, exprobrans quòd maximis Dei beneficijs ingratus exiſteret, ille obſcœnis libidinibus potiùs, quàm ſanis obtemperans conſilijs, tentabat magis more phrenetici medicum quolibet modo extinguere, quàm à prauitatis ſuæ furore reſipiſcere. Sed benignus Dominus, qui quos ſaluare decreuit, nunc à malis liberat, nunc etiam innoxios ſeruat, & pium Ducem à periculo mortis potenter eripuit, & maleuolũ regem ab effuſione iuſti ſanguinis miſericorditer reuocauit. Nam Redit ad ſanitatem.
ſaniore conſilio reputans dignitatis ſuæ ſtatum labefactari, ſi virum nobilẽ, potentem, fide ac iuſtitia popularibus acceptum perimeret, paulatim animum reflexit, cœpitque egregium Ducem intantùm reuereri, vt conceptam malitiam in pacem & gratiam commutaret. Quod ſapientiſſimus Dux non ſuæ induſtriæ, ſed diuinæ aſſeribens miſe- rigordiæ, tanto magis in modum ſancti animalis, oculos antè & retrò habentis, ſtude- Apoc. 4.
bat in cunctis ſe prudẽter agere, & ad diuinæ iuſtitiæ lineam omnes iudiciorũ ſuorum ſententias dirigere. Sed quia ſanctarum ſcripturarum ſcientia minùs eruditus erat, prudentes quoſque viros, quos in timore ac dilectione Dei nouerat excreuiſſe, omniũ conſiliorum vel negociorum ſuorum ſocios aſſumebat. Nam & Arnulphum Meten- Arnulphus Metenſis Epiſcopus.
ſium pontificem, qui ante pontificatum hanc eandem dignitatem irrepræhenſibiliter adminiſtrauerat, & poſtmodùm, eo defuncto, beatum Cunibertũ Colonienſium an- Cunibertus Epiſc. Colonienſ.
tiſtitem, pari ſanctitatis fama illuſtrem, in hac negociorũ adminiſtratione curabat adhibere participem. Perpendere potes, quo æquitatis ardore ſuccenſus fuerit, qui tam circunſpectos cuſtodes, tamq; incorruptos arbitros conſilijs ſuis delegerit. Quia enim à prauitate auerſus, rectis & honeſtis ſtudijs attentiſſimus extitit, in exercitio boni operis ſanctorum virorum ſemper vſus eſt conſilijs. In quorũ numero dum beatum quoque Modoaldum, nõ tam quidem pro ſororis affinitate, quàm ipſius prudentia & eximiæ virtutis claritate, diuina præeunte gratia, ſibi ſociũ aſcîſſet, tanto æquitatis & ſanctimoniæ decore aula illa regia vbique reſplenduit, quanta luce tenebris aurora fugatis terras omnes perfundit, dum Solis ſuperuenientis radijs illuſtratur.

Quàm gratioſus in aula fuerit Modoaldus. *Cap. 5.*

IAm verò æſtimari non poteſt, quanta lætitia ipſius regis & optimatum, quóve honore ſuſceptus, qua reuerentia, quo affectu apud omnes aulicos velut angelus Dei habitus ſit. Sed quid mirum, quem Deus ipſe diligeret, ſi ab hominibus diligeretur: aut quem replêſſet gratia ſua, ſi cunctis gratiſſimus haberetur? Quid mirum, qui aulæ regię cauſa lætitiæ & honoris erat futurus, ſi ab omnibus aulicis cum lætitia & honore ſuſciperetur? Iuſtè enim honorabilem dixerim aulam regiam, iurè felicem rem publicam, cui Deus tantum donauerit virum, cuius doctrina & exemplo rex & optimates cùm ſapientiæ & religioni ſtuderent, tum ſapienter & religioſè omnia regni negocia diſponerent. Qualiter autem eum promouere, vel eius meritũ declarare diuina prouidentia decreuerit, ſubſequenti narratione luce clariùs patebit.

Treuericæ Modoaldus ſedi expetitur antiſtes. *Cap. 6.*

INtereà venerandus antiſtes Sebaudus eccleſiæ Treuerenſis rebus humanis exceſſit. Sebaudus Epiſc. Treuirenſis.
Cui ſucceſſor non impar ſanctitate dum ab omnibus cũ omni affectione quæritur, Dei gratia procurante, & certis indicijs pręſignante, haud longè digniſſimus reperitur. Nam quocunque te vertas, Modoaldi fama celeberrimè per ora omniũ reſonat, Modoaldi nomen ceu oleum effuſum odore ſuaui paſſim redolet, Modoaldi ſanctitas diffuſis radijs longè lateque ſole clariùs relucet. Illum omnes videas intueri, attendere, admirari: illum alios alijs digito oſtentare, illum omnes in cõmune puſillos cum maioribus ſacerdotem exoptare. Quod quidem non fortuito caſu, nec humani induſtria ingenij, ſed occulto agebatur conſilio diſpoſitionis Dei: qui ſicut quondam Dauid, ita Pſal 88.
& hunc ſibi iuxta cor ſuum quæſierat, qui dux fieret ſuper populum ſuum, & paſceret 1. Reg. 16.
gregem ouium ſuarum.

De Epitaphio eius. *Cap. 7.*

VEruntamen ſanctitatis eius teſtimonium ne à populari aura, vel à noſtra tantùm pagina expectetur, oſtenditur hodieque Treueris in eccleſia ſancti Paulini, de ſepulcro eius aſſumpta, mirificeque ſculpta Parij marmoris tabula, in qua legitur exaratum ad eius memoriam in generatione & generatione tranſmittendum huiuſmodi epitaphi-

epitaphium: Hoc eſt ſanctuarium Deo dilecti Treuirorum Archiepiſcopi Modoaldi, cuius rex Dagobertus ſanctitatem, ſicuti in eius præcepto de Treueri continetur, inter Ligerim & Rhenum magnificè extulit & dilatauit.

Eligitur & conſecratur Epiſcopus. Cap. 8.

ITaque concurrunt pariter omnium vota, Rex & Dux ille æquiſſimus Pipinus, aliíq; optimates, Clerus & populus, omnis ſexus & ætas vnanimi exclamant cõſonantia: Modoaldum pontificem non tam eligunt, quàm à Deo iam dudũ electum, & ſibi promiſſum exigunt. Quid faceret vir ſanctiſſimus? Quid, niſi quod decebat imitatorẽ Chriſti? Quid, niſi quod fecerunt prædeceſſores, præſules ſanctiſſimi, qui non aliunde, ſed per oſtium intrauerunt in ouile Chriſti? Fugit Chriſtus, cùm eum vellent regem conſtituere: refugiebant illi humilitatis gratia, cùm ad ſuſcipiendum vocarentur paſtoralis culmen regiminis. Quorum exemplo Modoaldus refugit, ſe indignum profitetur: reclamat, cogique meretur. Nec tamen quiſquam ita exiſtimet virum ſanctum declinâſſe, vt diuinæ voluntati, quam erga ſe intellexerat, obſtinatiùs decreuerit contraire: ſed vtrobique humilis, vtrobique ſubiectus: & præeſſe, priùs ſemetipſum metiendo, noluit: & tamen de imperantis Dei viribus prçſumendo, poſtmodùm conſenſit. Siquidem in vno eius pectore quaſi pugnabant duæ virtutum maximæ: hinc timor humilitatis, illinc dilectio charitatis. Ex humilitate, honorem illum & onus refugiebat: porrò ex charitate, deſolatis ciuibus ſubueniſſe iã cupiebat. Iſtud dilectio ſuadet, illud timor prohibet. Inter hæc duo ſibimet repugnantia Chriſti miles primùm cũctatus, ancipiti aliquatenùs hæſit ſententia: at paulopòſt, vt æquum erat, & charitas vicit humilitatem, & dilectio foras miſit timorem. Ita virum Dei victum rapiunt, abducunt, vt exaltent eum in eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum. Induitur ergo ſtola gloriæ, accingitur zona iuſtitiæ, diuinis benedictionibus Archiepiſcopus Treuirenſis eccleſiæ conſecratur. Ieſu bone, quanta fuit lætitia illius diei? quæ exultatio vtrique ſexui? quod tripudium vniuerſæ ætati? Quàm deuoto corde, quàm ſublimi voce cuncti laudibus ingeminabant angelicis, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis?

Iohan. 6. — Vir ſanctus nititur ſubterfugere Epiſcopatũ. — Tandem cõſentiẽs, Epiſcopus conſecratur. — Luc. 2.

Illorum temporum felicitas. Cap. 9.

COnſiderare nunc libet, quale erat illud tempus, quàm acceptabile, quàm ſerenũ, quando regibus quidem regnantibus, ſed reges cum regno iuſtis & timoratis viris regentibus, iuſtitia, fides, veritas, modeſtia, cæteræque artes bonæ, tam in bello quàm in pace, cuſtodiebantur: quando ad lineam æquitatis diuinæ omnia regiæ poteſtatis negocia dirigebantur. Quale, quàm ſanctum erat illum palatium, ex quo tam claros, tamque illuſtres ſuſcipiebat Eccleſia ſacerdotes? ex quo procedebant ſectatores non Simonis, ſed Petri: non mercenarij, ſed veri miniſtri Chriſti, & qui curias regum non quærerent, ſed potiùs à regibus quærerentur: non ipſi honores per ambitionem appeterent, ſed magis oblatos per humilitatem refugerent. Ex quorũ numero (erant enim plurimi) fuit Arnulphus Metenſis, Cunibertus Colonienſis, Tungrẽſis Remaclus, Treuirenſis noſter Modoaldus, iſtis & omnibus alijs omni virtutum genere conferendus. Iſti ſunt planè, iſti ſunt viri ſancti & amici Dei, quorum fide & ſanctimonia Eccleſia corroborata eſt, doctrina illuſtrata, humilitate ſublimata, charitate fundata, virtutibus iucundata. Tunc certè reuerentia impendebatur religioni, amor pudori, honor virtuti. Tunc ambitio cæca, lethali perfoſſa vulnere, moribunda iacebat: auaritia, cupida ſemper pecuniæ, vires penitùs amiſerat: de iniuſtitia autem, de libidine, cæteriſque malis artibus iam conclamatum erat. At verò noſtra tempeſtate huiuſce facies ſerenitatis tota immutata eſt, cùm, iuxta veritatis eloquium, abundante iniquitate, refriguit charitas multorum. In qua peruerſis modis iuſtitia, fides, veritas, leges, diuina & humana omnia in manu, in gratia, in lingua ſita ſunt. Et vt breuiter concludam ſecundùm illius hiſtorici ſententiam, nullus honor virtuti datur, ſed omnia virtutis prçmia ambitio poſſidet. Ex quibus quæ mala conſequantur, quales Eccleſiæ rectores, quales prouinciarum iudices, quanta eccleſiarum calamitas, quæ ſcelerum impunitas, nimiùm, nimiùm experti ſumus. Itaque conquerendo compellimur exclamare: O tempora, ô mores.

Arnulphus, Cunibert⁹, Remaclus, Modoaldus egregij epiſcopi. — Matth. 24.

In Epiſcopatu vt ſe geſſerit S. Modoaldus. Cap. 10.

MOdoaldus igitur in domo Domini & in atrijs Dei noſtri plantatus, tãquam palma floruit, & vt cedrus Libani multiplicatus eſt. Nam ſicut palma virens & in altum

altum tendens, fidei virore & vitæ altitudine ad profectum Eccleſiæ florebat, & ſicut cedrus Libani multiplicabatur, dum odore ſanctæ conuerſationis omne virus ſerpentis antiqui à ſubiectis expelleret, dum etiam multo virtutum candore dealbatus, per altitudinem contemplationis ad cæleſtia euolaret. Siquidem occaſione paſtoralis curæ, multiplici bonorum operum exercitio adeò ſe ſtudebat innouare, vt tunc primùm putares eum incipere. Ad cuius laudem diceret alius, quicquid animo occurriſſet, ſpiritum ſcilicet cæleſtibus iugiter inhærentem, indefeſſis eum orationibus vacātem, dies ieiunijs, noctes continuâſſe vigilijs diſſereret, rectè & compoſitè de ſingulis virtutibus, de benignitate, de parſimonia, de animi puritate profunderet in laudando, quicquid ingenij, quicquid eloquentiæ vnquàm hauſiſſet. Sed hanc compoſitam narrationem præripit nobis ſupereminens meritum excellentiſſimi præſulis, qui ita vniuerſas has virtutes habebat, vt in ſingulis emineret: ita in ſingulis eminebat, vt in omnibus æquè reſplenderet. Virtutes S. Modoaldi.

De doctrina eius. Cap. 11.

SEd interim omiſſis illis, quæ in interiori homine, Deo tantùm teſte & ſanctis angelis eius, operatus eſt: quis vel illam ſolicitudinem, qua pater vigilantiſſimus ſuis præerat ſubditis, dignè valeat explicare? Quos tanta docendi perfectione, tanta magiſterij arte informando inſtituebat, vt quaſi illa prophetica menſa, intus labrum reflecteret, id eſt, ad cor ſermonem reuocaret, quod loqueretur attenderet, operaretur quod prædicaret. Denique verbum doctrinæ opere commendans miſericordię, ſic erga interiora ſubditorum ſtudia feruebat, quatenùs eis exterioris vitæ prouidentiam non negaret; ne ſi cura exterioris vitæ ab eo negligeretur, quaſi iurè à percipienda prædicatione gregis animus frangeretur. Nam quia Petri vicarius Petro commiſſis ouibus inuigilabat, generalem illam eius exhortationem, tanquam ſibi ſpecialiter datam, ſolicitè attendebat: Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis paſſionum Chriſti, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda eſt, particeps: paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, non ex neceſſitate, ſed voluntate in Deum. Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Cura eius erga ſubditos. Exod. 25. Iohan. 21. 1. Pet. 5.

Vt ad ſancta ſanctorum acceſſerit. Cap. 12.

IAm verò cùm infulatus, tanquam pontifex ſummus, introiret in ſancta ſanctorum, oraturus pro populi ſalute, pro ignorantia vel aliqua neceſſitate, ita per ſingulas ſpecies ſacerdotalis habitûs ſingulis reſpondebat virtutibus, vt quot exteriùs ſacris ornabatur veſtimentis, tot interiùs anima ſpiritualibus veſtiretur ornamentis. Crederes in eius mente quaſi in Aarón pectore rationale iudicij vittis ligātibus imprimi, dum cor eius nequaquàm fluxa cogitatio poſſideret, ſed ratio ſola ſpiritualiter conſtringeret. Nec enim indiſcretum quid vel inutile cogitare poterat, qui ad exemplum alijs conſtitutus, ex grauitate vitæ ſemper oſtendere ſtudebat, quantam in pectore rationem gerebat. In quo etiam rationali duodecim patriarcharum nomina deſcripta putares, dum exempla præcedentium patrum indeſinenter intueri, & ſanctorum veſtigia ſine ceſſatione videres eum imitari, ne fortè extra ſacri ordinis limitem operis pedem tenderet, ſi ab eorum ſubtili examine ſeu diſcretionis ratione aliquo modo deuiaret. Et quia præcipitur Moyſi, vt tabernaculū ingrediens, tintinnabulis ambiatur, vt de eo ſonitus dulcedinis audiatur: non ceſſabat ſonum prædicationis quaſi ex tintinnabulis frequenter emittere, dum ſuperni ſpectatoris iudicium ex ſilentio metuebat offendere. Cum tali igitur ac tanto diuini ornatûs decore pontifex ſanctus ingrediens tabernaculum fœderis, & hoſtiam contriti ac humiliati cordis Deo offerens in odorem ſuauitatis, ita ſuis votis diuinam conciliabat clementiam, vt quaſi cum Moyſe mereretur audire: Faciam ſecundùm verbum tuum. Nam quia ſecundùm verbum Dei innocenter vixit, & mandatorum eius non ſurdus auditor, nec ſegnis executor extitit, idcircò miſericordem Deum ſecundùm verbum eius feciſſe credimus, quoties pro ſalute ſubiectorum pias coram eo preces humiliter effudit. Exod. 28. Rationale iudicij. Ibidem. Ibidem. Tintinnabula, prædicationis ſonus. Exod. 33.

Monaſterium virginum vt extruxerit. Cap. 13.

INtereà cùm domûs eius decorem diligeret, & ad referendas dignas conditori laudes ardentiſſimo ſemper amore flagraret, ſuper ripam Moſellæ oratorium in honore beati Symphoriani martyris extruxit, opere quidem exiguum, & artificioſi ſchematis decore minùs ambitioſum: ſed, quod nobilius eſt, clariſſimis virtutum gemmis ac pulcherrimis virginei candoris margaritis, multo ſplendidius ac ſpectabilius,

quàm fuerit illud famoſiſſimum Salomonis templum, auro & argento ac tot mirificis expolitum argumentis. Ibi quippe congregationem ſanctarum virginum, tãquam dulciſonos adoleſcentularum choros, in nuptijs Chriſti & Eccleſiæ iugiter laudes canentium, inſtituit, de quibus ſponſa in laudibus ſponſi videtur illud in Canticis dicere: Oleum effuſum nomen tuum : ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Quibus etiam ad regularis vigorem diſciplinæ ſeruandum, ſororem ſuam præfecit, nomine Seueram, quæ ſecundùm nominis ſui præſagium & conuenientiam, digna præſidentis animi ſeueritate copulam carnis, opes, gloriam & cuncta, quæ peritura nouerat, cum ipſa ſui nobilitate & corporis ſpecie, quæ vermibus exaranda erat, paruipendenda eſſe diiudicans, virginitatem ſuam Chriſto illibatam obtulerat. In cuius fide & amore virgineam aciem, quam ſponſo collegerat, tam materna pietate, quàm magiſtra ſeueritate confirmans, omnem eis ſanctæ inſtitutionis diligentiam exhibebat. Nihil illius ſeueritate iucundius, nihil iucunditate ſeuerius. Lætitia illius triſtis, triſtitia ſuauis. Inculta veſtis, oculi demiſſi, caput inclinatum, inceſſus grauis, cibus tenuis, ira ſanè, vt cùm omnia Deo digna faceret, nihil tamen dignum ſe feciſſe crederet, comitesque ſuas plùs exemplis doceret, quàm verbis. Nec deerat ei venerandi fratris ſui aſſidua conſolatio, qui in modum æris candentis ardens deſiderio, ſonans verbo, per ſcintillas ſacræ exhortationis animum virginis ad amorem Dei fortiùs accenderet, &, vt aiunt, oleum camino adderet. Benedictum & Scholaſticam crederes : idem deſiderium, non impar ſtudium, eandem erga Dei cultum deuotionem in iſtis videres. Illum non magiſtrum, ſed diſcipulum putares : iſtam non dominam, ſed ancillam humilem æſtimares : niſi quòd eò magis ille ſeruus, hæc ancilla Chriſti eſſet, quòd vterque ſubiectis nõ dominari, ſed miniſtrare videretur. Quorum dignam fidei & laboris remunerationem quia iam tempus eſt enarrare, prudentiſſimæ virginis vocationem, ſicut tempore præceſſit, ita noſtra præcedere narratione faciamus.

Cant.1. — Seuera, ſoror eius Abbatiſſa. — Eius virtutes. — Confirmatur ſermonibus S. Modoaldi.

De obitu S. Seueræ. Cap. 14.

QVæ dum vocem ſponſi vocantis audiret & dicentis, Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis : iſta nihil morata, pio reſpondit affectu: Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Statimque ſecuta vocantem cum lampade accenſa & ornata oleo optimè nitentis conſcientiæ, digno eſt cum honore ab eo excepta, & in illum æthereum thalamũ cum multa ſanctorum exultatione introducta. In quo tãdem, quod diù optauerat, feliciter collocata, inter dulciſſimos dilecti ſibi ſponſi requieſcit amplexus, atque ſplendidiſſimis filiarum Sion agminibus adiuncta, delicijs beatiſſima perennibus delectatur. Cuius ſacratiſſimum corpus, virgineis ſtipatum choris, virgineis conclamatum lamentis, cum pſalmis & hymnis ſpiritualibus, multo honore in eccleſia ſupradicti martyris, cui ſumma ſtrenuitate præfuit, officioſiſſimè eſt reconditum. O verè beata & venerabilis virgo, quæ pro mortali ſponſo immortalem elegit, quæ pro lutea domo cæleſtem thalamum commutauit. Verè beata & glorioſa, quæ pro breui labore æterna beatitudine fruitur, pro vanis hiſtrionum cantilenis dulci angelorum concentu iucundatur. Hæc de vita & tranſitu clariſſimæ virginis paucis libauimus. Neque enim iuſtum erat, tam pro ipſius meritis, quàm pro honore & reuerentia egregij fratris, memoriam & laudem eius præterire, de qua gaudent angeli, & collaudant filium Dei. Nunc autem, qualiter beatiſſimus pontifex dilectiſſimam ſororem ad brauium perpetuæ claritatis poſtmodùm ſubſecutus ſit, pro ſtyli modulo proſequamur.

Cant.4. — Cant.7. — Oleum nitidæ conſcientiæ.

Mortua ſorore, vir ſanctus ardentiùs adſpirat ad cæleſtia. Cap. 15.

POſt felicem ſanctiſſimæ ſororis tranſitum inſignis athleta Modoaldus, & æterni Regis miles iam emeritus, cunctis iuſtiſſimæ vitæ ſtudijs optimo fine compoſitis, ad præmium & palmam felicitatis æternæ cœpit ardentiùs anhelare, ad quam germanam cum exultatione angelorum trãſlatam ſe nouerat præceſſiſſe. Gaudebat quidem de gloria & beatitudine ſororis, ſed de ſua adhuc quaſi imperfectione dolebat. Siquidem ſe imperfectum, ſe infelicem, ſe miſerum, ſe tardum & tepidum iudicabat, quem, puellis ad regnum præcedentibus, moles carnis adhuc in ſeculo retinebat. Quid nos, inquit, miſeri, quid iam de nobis dicturi ſumus, qui in puellis tantam conſtantiam, tam incredibilem laborem, tam miram abſtinentiam videmus? Nos membris corporis viri ſumus, & tamen effœminati nihil virile, nihil laude dignum patramus. Multa ſæpè fortia virili animo proponimus, ſed paruo labore fracti, à propoſito ci-

S. Modoaldus viliter de ſe ſentit, vt ſolent viri ſancti.

to citiùs reſilimus. Talia quidem vir ſanctus referens, humilia de ſe ſentiebat, qui iurè & abſque vlla iactantia gloriari poterat cum Apoſtolo, bonum ſe certamen certâſſe, curſum conſummâſſe, fidem ſeruâſſe: de reliquo repoſitam ſibi coronam iuſtitiæ, quam in illa die à iuſto ſibi iudice reddendam confideret. Vnde cùm ex fidei & operum ſecuritate & ſpei certitudine dignam iam poſſet miſſionem petere, tamen quaſi adhuc multa in ſe arguenda forent, nouis & acrioribus tormentis exquiſitis, de ſe ſupplicium ſumebat, ſeque in ſe crudelis exactor perſequebatur in illa iam quaſi vltima ætate, quam profectò non tam natura, quàm ipſemet continuis laboribus vrgendo accelerauerat. 2. Tim. 4. Seueritudo vitæ eius.

De eius felici obitu. Cap. 16.

INtereà Chriſti miles indeficiens, ſuæ iam impatiens quietis, mira arte militiæ, recentèm quotidiè renouabatur ad pugnam: ſed rex immortalis & ſummæ æquitatis iudex dignam ſuo militi nectebat in cæleſtibus coronam. Cùm ergo ſub graui corporis labore die noctuque deſudaret, totoque mentis deſiderio ſuper ſe ad cæleſtia raperetur, iam deſiderans in illam dilectiſſimam & inæſtimabilem ſupernæ ciuitatis curiam intrare, illis hymnidicis angelorum choris intereſſe, & bis terque non ſine admiratione inclamans, Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini: pia tandem conſolatione diuinitùs refouetur, & de expectatione vicini obitûs & præmij ſecuritate præmonitus certificatur. Tum verò repentè mutatur in quandam deificam & incredibilem exhilarati cordis lætitiam, conuocatiſque diſcipulis dum ſui obitûs diem lætum & horam iucundus exponit, animos omnium triſti mœrore ſaucios reddit. Nec mirum ſanè, virum ſanctum de certitudine ſui tranſitûs tantam concepiſſe lætitiam, cui pura felixq; conſcientia teſtimonium ferebat, Chriſti familiæ menſuram tritici ſuo in tempore fideliter ſe erogâſſe, commiſſamque pecuniam gemino fœnore multiplicatam, ſuo iam Domino reportare, quem peruigil expectans, paratus erat pulſanti protinùs aperire. Qui cùm iam deſideraret diſſolui & cum eo eſſe, iam carnis oblitus & toto ſpiritu in cælum ſuſpenſus, fatiſcentibus membris, quaſi iam renouatis nouos ſuperaddere cruciatus, ſeſe plùs ſolito perſequi, ipſumque modicum, quod ſupererat, vitalis caloris extinguere. Cuius ardentiſſimo labori cùm etiam moleſtia corporis ex voto animi acceſſiſſet, non ſpiritu, ſed membris deficiens, fortis athleta lecto decubuit. Nec tamen idcircò ſibi magis parcere, non mollibus ſtratis incumbere, morbo quàm cibo magis delectari: quippe virtutem perfici in infirmitate, conteſtari. Et cùm aſſiſtentes diſcipuli flendo ſuggererent, vt fatiſcenti corpuſculo aliquantulùm miſereretur: Nolite, inquit, ſpiritum ad Deum iturum fomento carnis impedire, cui ſcilicet tunc maior miſericordia impenditur, cùm ſpiritu ſuperante mortificatur. Tali ſpiritûs feruore pater amantiſſimus languoris moleſtiam exuperans, animamque ſuo redemptori cum angelicis choris expectanti reddere geſtiens, ſuos interim piè conſolabatur, ipſumque reſiduum & vix in ore palpitantem vitæ motum, doctrinæ & admonitioni filiorum totum impertiebatur. De fidei integritate, de mandatorũ Dei ſedula meditatione, de religionis amore, de memoria mortis, de aduentu diſtricti iudicis quandam viuæ vocis efficaciam lingua moriens, apertè tamen, exprimebat. Et cùm multos videret anhelantes concurrere, hinc clericos dolentes, illinc monachos lachrymantes, pauperes quoque, viduas & orphanos multo eiulatu clamantes, lachrymas omnium prohibens, dicebat eos gaudere magis debere, quippe qui patrem non amitterent, ſed feliciter ad Deum præmitterent. Itaque propinquante hora, delatis viuificis Chriſti ſacramentis, oratione præmiſſa, participat: dilectoſque filios læto vultu deoſculans, ſupremo patri cum votiua pacis & ſalutis imprecatione ſæpiùs commendat. Tum verò à terrenis oculos reijciens, & conciues angelorum ſanctorumque choros adeſſe ſentiens, toto corpuſculo obuiàm dilecto exercitui ſe erigit, manus & oculos in cælum protendit, crucisque ſignaculo bis terque ſe conſignans, ſplendidum caput in manus Saluatoris reclinauit, atque inter verba orationis obdormiens, in pace requieuit. O beatum virum, quem cæleſtis illa Hieruſalem gaudens ſuſcepit, ad quem deducendum rex ipſe regum Chriſtus, angelico cœtu ſtipatus, proceſſit, cui Maria cum virginum choreis occurrit, Petrus quoque cum Apoſtolorum numero, Symphorianus cum Martyrum choro, Eucharius cum ſanctis Confeſſoribus totaque cæli militia, in hymnis & laudibus benedicẽtes Dominum, qui tali compare, tam claro pontifice eorum auxerit collegium.

Pſal. 83. Diuinitùs diſcit obitũ ſuum. Affligit corpus ſuũ debile. 2. Cor. 12. Adhortatio eius ad ſuos ſub mortẽ. Euchariſtia ſe munit. Cruce ſe cõſignans, feliciter abit e vita.

De eius ſepultura. Cap.17.

INterim ſacrum funus de more componitur, & à circunſtante pſallentium choro nunc pijs lachrymis defletur, nunc pſalmis & hymnis honoratur. Cuius ad Chriſtum felix & liber tranſitus, ſicut feſtiuo gaudio ſupernis ciuibus extitit, ita totam penè * Auſtriam nimio quodam & incõſolabili mœrore concuſſit. Vnde tota penè prouincia ad tanti patris exequias anhelauit, nec ſolùm ex vrbibus aut oppidis, ſed etiam ex vicis turba ruſticorum luctuoſa funeri occurrit. Multitudo quidem pauperum maximè confluens, ſenes incurui, debiles baculo ſuſtentati, viduæ ſparſis crinibus, pupilli laceris veſtibus, omnes æquè lugentes, & à feretro pendentes, ſuum patrem, qui eos veſtire, conſolari, alere conſueuerat, voce lachrymabili querebantur ſe amiſiſſe. His familiaribus baiulis cælum ſuo clamore pulſantibus, chariſſimum corpus in dilectam ſibi eccleſiam defertur, quam ſuprà diximus ab eo fundatam, & in honore beati Symphoriani martyris dedicatam. In qua etiam non ſine graui gemitu multiſque lachrymis ſuorum, prout decebat tantum pontificem, cum dilecta ſorore terræ mandatur. Quod quidem factũ eſſe credimus diuina præordinãte gratia, vt quos eadem deuotio, eadem Chriſti charitas, idem affectus, non tam ſanguinis quàm ſpiritûs coniunxerat, dum agerent in carne, idem etiam ſepulturæ locus, locus, inquam, quem iſte deuotè conſtruxit, illa fideliter rexit, coniungeret in morte. Vbi in teſtimonium ſanctitatis eius, tot & tanta miracula quotidiè coruſcare videntur, vt nunc demùm veriùs cum Chriſto viuere credatur. Viuere, inquam, viuere certiſſimè probatur, per cuius meritum ab ipſo Deo, qui ſalus & vita eſt omnium, cunctis fideliter petentibus multa ſalutis & vitæ beneficia præſtantur. Atquì celeberrimum habetur hodieque Treuiris, certiſque indicijs compertum, ſanctitate & meritis Modoaldi omni circa regioni ſalutem frequenter à Deo conceſſam, ſi quando diuinæ vltionis animaduerſione, aut aëris inclementia, vel fame, aut gladio, vel cuiuſque aduerſitatis tribulatione incumbente, patrocinium eius incolæ fideliter implorarent. Vnde pater & ſingulare refugium miſerorum à ciuibus appellatur, eiuſque depoſitio quarto Idus Maias cum maxima deuotione & feſtiua totius regionis exultatione ad laudem & gloriam diuinæ maieſtatis celebratur. Obſecramus itaque, vt beati Modoaldi celeberrima apud homines pietas, & apud Deum omnipotentem efficax potentia, noſtris quoque miſerijs compatiatur, peccatorum funes dirumpat, & in illo dilecto & deſiderabili in cælis tabernaculo æternam nobis manſionem obtineat, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpirituſancto viuit & regnat per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

*Alij Auſtraliam.

Obitu eius miſerè dolent pauperes.

Miracula ad eius tumulum.

Dicitur pater miſerorum.

LIBER TERTIVS.

Cur miracula fiant ad ſanctorum reliquias. Cap.I.

QVoniam, adſpirante Deo, nobilem beati Modoaldi proſapiã, altiſſima regij ſanguinis linea productam, in primo huius operis libello dilucidauimus, in ſecundo vitam eius laudabilem paucisq; imitabilem, qua Deo charus hominibusq; venerãdus extitit, omni regię nobilitati prætulimus, tranſitumque eius glorioſum angelicis choris gaudium intuliſſe perorauimus: nunc iam in tertio non ab re iudicauimus perpaucis explicare ipſius ſanctitatis indicia, qualia videlicet miraculorum primordia omnipotentis Dei gratia poſt quietam famuli ſui dormitionem ex illius reliquijs in vrbe Treuerenſi voluit oſtendere. Licèt enim ſigna minimè ſint petenda fidelibus, ad corroborandam tamen infirmiorẽ plebis fidem, nonnunquàm mortua ſanctorum oſſa atteſtari ſolent, quid eorum viuens egerit ſpiritus. Infirmis quippe mentibus non immeritò diſſonantiam fidei tota præcedentis narrationis ſeries generare videretur, ſi vir tam præclari apud ſeculum generis, tam eximiæ apud Deum ſanctitatis, abſque ſignorum atteſtatione inter homines latuiſſet, ſi glorioſa illius pignora, ſuis plurimùm profutura veneratoribus, humani caruiſſent exhibitione honoris.

Miracula infirmos confirmãt.

De Nortmannorum in Gallias & Germaniam irruptione. Cap.II.

VErùm ex quanta Barbarorum crudelitate, ex quantæ præfatæ vrbis deſolatione occaſio illa ſuborta fuerit, qua viri Dei merita fidelibus primùm innotuerint, paucis libet perſtringere: quia quod in præfatiuncula huius opuſculi de ſimili calamitate, alio inducta tempore, diſſeruimus, argumentum cognitionis eſſe valet his, quæ

quæ hoc in loco dicturi ſumus. Ibi enim commemorauimus Barbaras nationes generaliter per omnes Galliarũ fines furoris ſui frena laxâſſe: hîc verò inducimus Nortmannorum gentem indomitam, de vagina ſuæ crudelitatis eductam, quaſdam Galliæ & Germaniæ partes occupâſſe. Quæ immanitate ſui ſceleris graſſata, in ceruices fidelium velut vrſa raptis catulis efferata, nulli ſexui, nulli ætati parcere, ſenes reuerendos necare, iuuenes & adoleſcentes, pro viribus vel tempore ſe defendentes, confodere, paruulos matrum vberibus auulſos excerebrare, matronas caſtas, virgines pudicas dehoneſtare, vrbes nobiliſſimas flammis edacibus concremare, ſanctuaria Dei aut ſubuertere aut prophanare, diuina & humana pari contemptu peſſundare. Erat in his omnibus miſeriam videre, iudiciumque Dei mentibus hominum tanto formidabile, quanto impenetrabile: niſi quia, vt datur intelligi, volens Dominus iuſtam in reprobos exercere vindictam, qui non cuſtodiêrunt mandata eius, iratus in populum ſuum, tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos. Sed ſicut in vaſis iræ, duplici contritione feriendis, ira iuſtitiæ Dei hîc inchoat, vt ea in futuro irreparabiliter diſperdat: ita miſericordia eius diligentes ſe plerunque per compendioſam martyrij viam migrare diſponit ad illam inenarrabiliem gloriam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſſcendit: vt vnde reprobi rapiuntur ad pœnam, inde electorum alij ducantur ad palmam, alij caſtigatiores reddantur ad vitam & conuerſationem bonam, iuxta quod ſcriptum eſt: Flagellato peſtilente,* ſapiens ſapientior erit.

Nortmannorum immanis barbaries.

Eſa. 64. 1. Cor. 2.

Prouer. 19. *ſtultus

Sacræ virgines metu Nortmannorum quid egeriut apud Treuiros. Cap. III.

HVius horrendæ tempeſtatis procella vrbem inuadente Treuerenſem, omnes pauere, trepidare, neque fugæ, quam non parauerant, neque præſidij vllam ſpem habere, præ oculis omniũ imago mortis volitare, iucundæ populi vrbanitates in planctum, chori pſallentium in luctum, choreæ puellarum in lamentationes migrare: totius ciuitatis faciem immutatam videres, diuinæ religionis vix aliquas tenues reliquias remanere. Porrò Deo dicatæ virgines, quas in oratorio beati Symphoriani martyris cœnobiali conuerſatione Deo ſeruire ſuprà expoſuimus, inter tot mortis genera ad conſueta orationum arma confugientes, pro caſtitate ſeruanda, quam deuouerant, non pro vita præſenti tuenda, quam deſpexerant, ſupernum cœpêre auxilium ardentiſſima ſpiritûs contritione inuocare, ac beati Modoaldi ſepulcro omnes aduolutæ, vt eius patrocinio ab imminenti eriperentur periculo, talibus vel talium ſimilibus cælum precibus feruntur penetrâſſe: Domine Ieſu Chriſte, æterno patri fili coæterne, qui naſcendo de virgine, illud maledictionis ſoluens elogium, Maledicta, quæ non fecerit ſemen in Iſraël, virginitatis ſemen in plenitudine temporum mandâſti multiplicandum, vt tempore meſſis fructum eius reciperes centeſimum, tu noſtris gemitibus, tu noſtris lachrymis & vocibus aurem accommoda ſolitæ pietatis, vt quam tibi deuouimus vitæ caſtimoniam, quam obtulimus carnis pudicitiam, confeſſoris tui Modoaldi precibus & meritis ab omni pollutione cuſtodias, & quam nullus animi noſtri meretur conſenſus, nulla Barbarorum violentia virginitati noſtræ inferat corruptelam. Huiuſmodi precibus cum magna ſpiritûs contritione, cum magno lachrymarum imbre profuſis, non defuit operatio ſupernæ exauditionis, non defuit exhibitio miraculorum beati confeſſoris.

Sacræ virgines cõtra Nortmannos S. Modoaldi implorant patrocinium.

Intra 30. dies virgines omnes moriuntur, magno Dei beneficio. Cap. IIII.

NE ergo Deo ſacratæ virgines mala viderent, quæ pro ſexûs fragilitate metuebant, néve bona amitterent, quæ pro caſtitatis obſeruantia promeruerant, mirabile auditu, mirabilius viſu: in pace lecto decubantes, intra dies triginta omnes præſenti deceſſerunt vita, tantoque feliciter, quanto perenniter victuræ, cum ornatis lampadibus ſponſo cæleſti occurrentes, ſempiternæ iucunditatis thalamum cum illo ingreſſæ ſunt. Quarum corpora in eodem ſunt oratorio recondita, in quo beati Modoaldi pignora: vt cuius patrocinantibus meritis animæ illarum cælum cum ſuo poſſidebant patrono, ipſius exigentibus reliquijs, corpora in eodem humarentur loco: vbi florent orationes earum, & exuberant Dei beneficia ad memoriam virginũ extunc, & modò, & vſque in ſeculum.

Illuſtre beneficium & miraculum Dei.

CAP. V.

CVm igitur eiuſdem tempeſtatis adhuc reſiderent veſtigia, longaque ſolitudo pleraque ſanctorum cohiberet loca, fiebat nimirùm, vt ille ſancti familiaris angulus

gulus pro ſuî quidem dignitate parum obtineret reuerentiæ, neglectu verò ciuium omni cuſtodia deſtitutus, etiam pateret iniuriæ. Sed ea mortalium incuria, noſtro pontifici auctioris gloriæ facta eſt materia. Quidam enim viri, genere Franci, ſuæ gentis haud ignobiles, animo & corpore quammaximè valentes, ſanctæ deuotionis gratia vrbem Treuerim acceſſerant, quam ſuorum ſanctorum numero ſuperbam, tum vetuſtatis dignitate celebratam, omni Gallia magis clarere compererant. Eius aliquandiù laribus obuerſati, religione delectati, ſacra terebant limina, ex ignotis penè notiſſimi: cùm intereà viros natura ſagaces flamma ſubijt pulcherrimi facinoris, vt quocunque modo, precibus aut precio, tot ſanctorum pignoribus cum maximo Treuirorum participarent beneficio. Quæ vbi tardiùs procedunt, nihilque in illis bonæ ſpei aut gratiæ præſumunt, die noctuque animum fatigare, omnibus locis opportunitatem quærere, nec flagitium arbitrari quauis arte, dummodò ne inefficaces redeant, inceptum peragere. Itaque ſimulata deuotione eccleſiam ſancti Symphoriani ſubintrantes, eiusque omnia, quæ ſibi mox vſui forent, explorantes, vident domum incultam, iniuriæ opportunam, miniſtris ciuibusque neglectam, merito quidem ſuî, Crœſi diuitijs nobiliorem, ſed rei familiaris inopia longè cæteris obſcuriorem. Et quis, inquiunt, tuas Modoalde reliquias hoc totius vrbis angulo coarctauit? Indignè certè ſacrarium tuæ dignitati comparauit. Vbi enim ianitor frequens in limine? Vbi varia ſupellex tuæ ornatus eccleſiæ? Nihil hîc dignũ tanto contuemur nomine. Quàm ſanctè, quàm vtiliter tuorum hoſpitum poteras iter comitari, vt arentem noſtræ regionis eremum larga benedictione patereris irrigari, vbi nec decori tuo chori pſallentium, nec optimis virtutibus laudes deeſſent celebrantium. Audebimus tamen, ſi pace tua liceat, aliquid huius negocij attentare, partemque vel exiguam tui corporis abſportare: ex quo Treuerenſi quidem populo detrimenti minimum, nobis emolumenti plurimum, Deo propitio, poterit euenire. Hac familiari collocutione velut in bonam frugem animati, ſimul quia nihil ſatis feſtinatur animo cupienti, optimum factu rati ſunt noctem proximam huic operi dedicare, ne dum noctes diebus, moras dilatandis conſultationibus innecterent, attentis ciuibus ſe cùm ſuſpectos, tum repulſa dignos efficerent. Remotis ergo arbitris, noctis ingreſſi tempore, pia ſed audàci violentia mauſoleum effringunt, ſanctiſſimo fœcundum corpore: dehinc vnus cæteris paratior, manum temerè inijciens, & quicquid tenaci digitorum pectine concludere potuit, ſibi recondens, fugam cum ſocijs maturat inuadere. Quod facinus licèt amore ſancti licenter perpetratum ſit, non tamen ſancto placuiſſe, rerum ſequentium documento comprobari potuit. Simul enim cum illius extractis artubus, mirum dictu, ſanguis copioſus erupit. Qui dum abundè tanquam de patenti vulnere proflueret, tenebris tamen viſum arcentibus, raptores ipſos nihil huiuſmodi aut videntes aut ſentientes antè prodidit, quàm à cœpto deterruit.

Priſci Germani ſacrarum reliquiarum quàm cupidi.

Ex reliquijs S. Modoaldi furtim ablatis, copioſus manat ſanguis

CAP. VI.

INtereà die terris reddito, cùm matutina plebs ad orandum cœpiſſet ex more concurrere, animaduertunt eccleſiæ pauimentum largo perfuſum ſanguine, nec ſtatim re cognita, diù multumque incerta ſuſpicione agitabantur, quænam illa eſſent cædis indicia, vbi nulla vnquàm mactari conſueuiſſet victima. Sed exploratis diligenter omnibus, primò recentis fracturæ indicia, tum nocturnæ temeritatis damna luce clariùs patuêre quærentibus. Nec viſus eſt labor difficilis fugitiuos inſequi, cùm ſanguis à direptis emanans oſſibus, nuſquàm locorum reos ſuos deſereret, donec illos conſcientia trepidos, nec ſatis periculi ſecuros, ſuis veſtigijs, & quidem haud obſcuris, manifeſtos efficeret. Mittuntur ergo expediti equites iniuriam perſequi, temeritatem corrigere: qui celerrimè fugientium terga prementes, eosque facili negocio à fuga retrahentes, delicti quidem gratiam faciunt, omnibus tamen bonis adnitentibus, receptas integrè ſummi pontificis reliquias ad vrbem referunt. Quis enarrare ſufficiat, relatis illis, quid gaudij, quid bonæ ſpei ciuibus attonitis redierit? quàm benignè, quàm exultanter beatæ memoriæ Archiepiſcopus cum ſummo cleri plebisque tripudio obuiàm proceſſerit, ac ſi tunc primùm totus ſibi ſanctus obuenerit? Videres totam ciuitatem in occurſum ruere, nullum in domibus, pauciſſimos in agris aut oppidis reſediſſe, vt cælo ſe proximum arbitraretur, quiſquis exoccupatus, redeuntem ſalutatum ire mereretur.

Priſcorum Chriſtianorum erga reliquias deuotio.

CAP. VII.

Cæte-

CAEterùm huius facinoris caſtigandi gratia, ne quid ſimile deinceps pernicioſa crearet licentia, decernunt in commune, corpus ſancti in propatulo poſitum, ab eccleſia transferre, cæleſtemque theſaurum firmioribus apothecis & tutiori ærario commendare. Itaque arcam ligneam, firmiſſimis tabulis compactam, ferreiſque nexibus circunquaque munitam accelerant, eoque tranſlata confeſſoris pignora, in oratorium ſancti Paulini ſuper altare ſanctæ Crucis ſumma cum veneratione deportant: conſultè ſcilicet, vt par pari, ſacerdos ſacerdoti iungeretur, illoque aduentantes dupliti patrocinio ſolatiarentur. His additur ex Pario marmore tabula, ad extremam manum decoris mira ſculptoris arte perducta, quæ propter ſepulcrum eius reperta, ſepulti nomen & meritum præferebat, hac ſerie exarata: Hoc eſt ſanctuarium Deo dilecti Treuerorum Archiepiſcopi Modoaldi, cuius rex Dagobertus ſanctitatem, ſicuti in eius præcepto de Treueri continetur, intra Ligerim & Rhenum magnificè extulit & dilatauit. Quod etiam in ſuperioribus memoratum eſt. Transferũtur reliquiæ S. Modoaldi.

CAP. VIII.

IGitur ſancti Paulini eccleſia, nouo illuſtrata hoſpite, in quantam breuì claritudinem peruenerit, quãto fidelium ſtudio priorem neglectum correxerit, dum pauper cum diuite eò ſuas neceſſitudines maturat deplorare, memoratu eſt incredibile. Sed poſtquàm diuturna quies ocium, ocij verò ſecuritas corruptos mores pepererat, totamque vrbis faciem immutatam, pro religione diuinorum contemptus inceſſerat, ſuſtinenda erat neceſſariò ſupernæ correctionis ſententia, quæ pollutam licentiam ſub freno diſtrictionis coërceret. Itaque iuxta ſententiã prophetæ, A ſanctuario meo incipite: Ezech. 9. intempeſtæ noctis ſilentio idem oratorium ſubito conflagrauit incendio, id ſcilicet agente diuina cenſura, quô ne per diem accenſum, facili concurrentium reſtingueretur induſtria. Ferebantur vndique globi ignium ventis vrgentibus, totiſque habenis regnabat flammarum impetus, cùm intereà expergefacti cuſtodes, vident res ſuas in extremo ſitas, opes ad ſubueniendum vbiuis imparatas. Itaque quod in tanto conſtrictis licebat articulo, feſtinare, concurrere, ingenti metu trepidare, nec contrà niti, nec poſſe quieſcere: poſtremò manerent, an fugerent incerti, malum improuiſum, anceps periculum clamore teſtari. Quorum vocibus exciti licèt admodùm pauci, ſi qui tamen ſub obſcura nocte confluxerant, aurum & argentum, quæ prima mortales putant, variamque ſacri miniſterij ſupellectilem ſumma ope tueri ſatagebant: de ſanctorum verò pignoribus eruendis immemores, nulli rerum minorem operam impendebant. Vnde & contigit, vt ignis edax, dum nulli locorum parceret, non ſolùm arentem lignorum materiam penitùs abſumeret, ſed tabulas quoque marmoreas, operis dignitate mirandas, circunquaque corrumperet. S. Paulini ædes conflagrat.

CAP. IX.

IN tanta rerum difficultate quis tuas ſancte reliquias non æſtimaret iri perditum? Ruebat vndique moles ædificiorum, diſſiliebat vi caloris ſoliditas marmorum, totaque ſacrarum ædium facies, vna fauillarum erat congeries. Et quis omnium apothecam ligneam, contra vim ignis tenerrimam, quæ media templi teſtudine in edito poſita, omnem ruentis fabricæ excipiebat impetum, crederet periculum euaſiſſe? Sed quod actu difficilimum ægris videbatur mortalibus, ſummo procuratori facilimum, rerum probauit exitus. Nam poſtera luce, cùm plerique ciuium aduentare, & nocturnæ tempeſtatis ſpectaculum more humani ingenij proſpectare cœpiſſent, ſedatis tandem incendijs, propiùs acceſſêre, id maximè curantes, vt vel modicas ſancti fauillas colligentes, ſaluti poſterorum reponerent. Quid enim aliud, quàm vſque ad cineres tam diuturna clade abſumptum crederent? Res mira, & noſtris ſeculis inuſitata. Remota enim, quæ omnem ſuperficiem contexerat, incendiorum congerie, cuncta præter ſpem, quę ſancti erant, integra reperêre, ipſumque loculum totius expertem iniurię, vt aurum crederes de fornace productum, purgatum, nõ corruptum. Quis ibi ſe à laudibus Chriſti continuit? Quis non glorioſum Deum in ſanctis ſuis repetito clamore prædicauit? Tuum Modoalde nomen, tuum meritum omnis ſexus & ætas ſuper aſtra leuauit. Sic Metenſem quondam Stephanum prodit antiquitas inter miſerorum cædes, inter barbaricæ depopulationis atrociſſimas tempeſtates, ſolum oratoriolum, ſui martyrij ſanguine conſecratum, ignium exemiſſe diſcrimini, vt hinc tam præſentes colligerent quàm futuri, quantum reuerentiæ deberent protomartyri. Vide inſigne miraculum, & diſce, quàm curæ ſint Deo etiam oſſa ſanctorum eius.

CAP. X.

SED quia Maiorum ingreſſi veſtigijs,qualiter beatus confeſſor ſuarum reliquiarum defenſioni ſemper affuerit, monſtrauimus, libet cætera eius carptim attingere,vtque ſuorum ſupplicum poſt id dierum nunquàm ſaluti defuerit, paucis abſoluere. Mauſoleum illud lapideum, quod à quibuſdam temerarijs effractum, latenter expoliatum,ſicut ex præmiſſis claruit,veterum memoria teſtabatur,poſtquàm maioris cautelæ gratia,omnibus id conſulentibus,precioſo theſauro vacuatum eſt,pari nihilominùs, atque dudum,reuerentia in eadem eccleſia compoſitum,ſanctè admodùm reſeruabatur. Huius ſuperficiem docta manus artificis tabulis vndique marmoreis à fronte præcinxerat,eiſque ſolidè adinuicèm compactis, decorem operi, vſum decori addiderat. His verò ex vicinitate ſancti corporis tantum virtutis, tantumque gratiæ ſalutaris diuinitùs acceſſerat,vt credi vix poſſit,quantis mortalium incommodis, patrocinante ſancti beneficio,ſalus exinde procurata ſit. Quicunque enim longis febribus vſque ad oſſa depaſtus,quiſquis morbo diuturno confectus, huc cum fidei integritate ſuarum ærumnarum querimoniam detulerat, raſura eiuſdem marmoris aquæ mixta, & in potum ſumpta,celerrimum languoris remedium certiſſima curatione obtinebat.

Nota mirã vim marmoris in mauſoléo S. Modoaldi.

CAP. XI.

HVius opis capeſſendæ gratia cùm hodieque innumeros ex diuerſis mundi partibus videamus concurrere,nullumque fruſtrà pij interceſſoris ſuffragium deſideràſſe,vnum tamen fide & religione præſtantiſſimum ſilentio præterire non eſt conſilium. Moguntia,ciuitas totius Germaniæ celeberrima,Rheni imminet litoribus,commercijs patens,egeſtatis inſolens,agrorum & vinearum fertilis, nulliuſque neceſſariæ rei indigens,viris & ædificijs ſatis exornata,ſed multo beatiùs,quod precioſiſſimum religionis genus eſt,reuerendo monachorum ordine illuſtrata. Horum in vno monaſterio,quod longè cæteris nobilius,ſancti Albani dicitur,noſtra memoria quidam præpoſitus Seueredus nomine,cæleſti philoſophia exercebatur,vir optimis artibus à tenero vngue imbutus,Deoque & hominibus ob multa ingenij bona charus & acceptus. Sed hos tam lætos ſucceſſus præpediebat ægritudo continua, lentiſque febrium vaporibus non lentè viri eminentis premebatur induſtria : qua peſte acerrima iam per triennium exhauſtis viribus,nihil poſtremò credidit ſalubrius,quàm inutili medicorum opera ceſſante, cæleſtis manûs ſuffragium quæritàſſe. Nam edoctus claritudinem Treuerenſis eccleſiæ, eò profectus intendit,parſque factus ſupplicantis populi, humilis precator, ſed celeberrimus beneficiorum impetrator, tumulum ſancti acceſſit, potum abraſi marmoris ſyncerè participauit: nec fideli deſiderio fruſtratus,breuì ex infirmo ſaniſſimus, pallorem rediuiuo colore mutauit. Is non immemor beneficij, cùm ſanctis omnibus purè deſeruiret, tum ſuo curatori familiariùs inhærebat, eoque deuotionis circa illum profecerat,vt locum noſtrum, quò eius reliquias nuper tranſlatas didicerat,ſpeciali affectu multus & frequens expeteret,antè fraternitati noſtræ acceptus,tum verò ex aſſiduitate commanendi acceptiſſimus fieret. Huius relatu virtutem,quam expertus fuerat,fratribus ſuî ſtudioſis compertam,haud iniuria noſtræ narrationi credidimus inſerendam,nihil verentes debili falſitatis calumnia pulſari,quæ tam veracis viri patrocinio facilè poterit eneruari.

Moguntiæ encomion.

Febricitans potu raſi marmoris de ſepulcro S. Modoaldi curatur.

CAP. XII.

NE verò quibuſque ſuî ſupplicibus & deuotis ſemper ea incumbere videatur neceſſitas, ad obtinendum cuiuſuis incommodi ſuffragium & doloris, potum ire puluerem illius abraſi marmoris,operæprecium erit præſenti exemplo animaduertere,quàm facilis,quàm paratus fuerit ſibi famulantibus, ſe appellãtibus nonnunquàm ſine hoc potu,ſolo virtutis obtentu reſpondere. Erat quædàm ſanctimonialis Deo deuota in eadem Treuerenſi ciuitate,quæ pſalmis,orationibus & vigilijs vacans, non diſcedebat de templo, vt Annam viduam crederes de euangelio. Sed cùm illas atque illas ſanctorum frequens circuiret reliquias, & in tabernaculo Dei, Deo plena mulier, ſuauiſſima laudis & compunctionis ſacrificia offerret, tum ante omnes & ſuper omnes excellentiſſimi præſulis Modoaldi ſanctuarium venerabatur & frequentabat, amplexabatur & honorabat, atque coram eo affuſa, immò affixa, quot preces deuotas,quaſi tot acceptabiles hoſtias in odorem ſuauitatis ante conſpectum diuinæ maieſtatis dirigebat. Erga quem ex inſpiratione diuina tantam conceperat deuotionem,ex deuotione amorem, ex amore familiaritatem, vt quæcunque ſibi ex humanarum rerum, vt aſſolet, varietate obtigiſſet neceſſitudo, ad eum ſpecialiter cauſam ſuam expoſitura recurreret,vtpote quem vnum & ſolum, quodam auſu confidentiæ

Luc.2.

fidentiæ dominum ſuum & crederet, & diceret. Hæc aliquando vi febrium tacta, cùm acriùs fatigaretur & æſtuaret, ad eiuſdem domini ſui memoriam ſe recepit, & cauſata cum eo de ſui ſtatûs, ſuæ ſalutis incommodo, huiuſmodi querelam apud eum depoſuit: Siccine, inquit, placitum eſt coram te domine mi, & ita congruit, vt cùm alij, tam externi quàm domeſtici, te ſuarum infirmitatum adeò facilem & promptum obtineant adiutorem, me tuam ſingularem ancillam tam graui dolore, ſine vllo reſpectu clementiæ, patiaris fatigari? Quinpotiùs beneficium, quod alijs elargiris gratuitò, mihi, vt confidentiùs cæteris loquar, famulæ tuæ dominus impendas ex debito. Nec reputauerim mihi neceſſarium eſſe marmoris tui ſalutarem illam raſuram cum alijs bibere, quando fideliter & verè apud animum meum conſtat, ſine hoc aut vllo exteriori adminiculo te mihi poſſe ſubuenire. Hæc & his ſimilia vbì coram domino ſuo tam pia quàm fideli perorauit querimonia, ſubito correpta ſopore obdormiuit. Vnde paulo pòſt expergefacta, ita ſe incolumem factam, omniquе dolore ac tremore carentem inuenit, ac ſi tota illa febris cum ſomno pariter euanuerit. Ieſu bone, qua exultatione, quo gaudio, quibus illa ad hoc laudibus reſiliuit, quo tripudio? Enimuerò quę tam manifeſto ipſius rei probauerit experimento, non ſe hactenùs fruſtrà ſeruîſſe, neque quicquam fruſtrà ſupplicâſſe Modoaldo. In ſpem proinde maximam animata, ſtabat tanta in hoc ipſum admiratione attonita, vt penè ſuî ſuarumque rerum immemor, ne librum quidem pſalmorum, qui quaſi comes indiuiduus ſibi ſemper adhærebat, recedens à ſanctuario, meminerit ſecum tollere à loco, quo repoſuerat.

Sanctimonialis quædam ſubitò curatur à febribus.

CAP. XIII.

INtereà illò deueniens quidam adoleſcens, ſpecietenùs clericus, corpore & mente vagus, actu indiſciplinatus, inuentum pſalterium, nullius arbitri ſolicitus, rapit: ſeſeque inde celeriùs, nec tamen ab vrbe remotiùs, abripit: ſed quo minùs depræhenderetur in ſuburbio diuerſorium cuiuſdam ſubintrat pauperis. Quaſi verò, hominum ineptiſſime, damnum famulæ ſuæ, Modoaldo inſpiciente & iam inſequente, vllus locus, vlla latebra, vlla humani ingenij induſtria poſſit vel abducere vel occulere. Ergo quia mens in malum obdurata, nihil vnquàm penſi, nihil habet moderati, iniquitatem ſuper iniquitatem apponit, pannoſque ſui hoſpitis, quos vxor ipſius ad abluendum expoſuerat, de nocte ſurgens & auferens, pſalterio quaſi lucro lucrum adiungit, impatiensque morarum & quietis, duplicati mali conſcientia perurgente, nihil ſibi miſer tutius ratus, noctis & fugæ præſidium inuadit. At muliercula ſomno manè excita, vbì neque ſupellectilem ſuam, neque fideliſſimum illum ſuum hoſpitem inuenit, marito damnum conqueritur, fugientem furem eueſtigiò ſubſequi adhortatur. Ille verò nihil moratus, velociùs furem inſequitur & compræhendit, atque execratus fœdum hominem, violenter quod ſuum erat, & etiam pſalterium aufert & reportat. Intereà deuota ſanctimonialis, vbì librum ſuum requirens non reperit, deuotione, qua conſueuerat, ante ſanctuarium Domini ſui, diſpendium ſuum cauſata, deplorat, etiam atque etiam eum precatur, vt ſibi ſolita benignitate pſalterium reſtituat, vnde ſacrificium laudis Deo & ei immolaret, ac redderet altiſſimo vota ſua. Nec fefellit affectum piæ petitionis effectus iuſtiſſimæ exauditionis. Fit quæſtio per totam vrbem de pſalterio: tranſit viritim ad alterum ab altero, donec rogatus pauper, qui receperat, exponit, reddit, ſanctimonialis recipit, Deo gratias dominoque ſuo Modoaldo, non ſine magno animi fideique ardore, rependit. Ecce luculentiſſima miraculorum inſignia, ſed pauciſſima de plurimis libata ſunt: quibus tamen, ſi ea rectè animaduertitis, ſic vita Modoaldi glorioſa & merita præclara ſplendidiſſimè illuſtrantur, ac ſi aurea tabula gemmis vel lapidibus precioſis diſtincta & decorata videatur. Quid enim eius vitam, niſi auream rectè dixerim tabulam, aureis videlicet operibus coruſcam? Quid gemmas vel margaritas in tabula, niſi interlucentia geſtis eius miracula? Porrò ſicut nec virtutum eius, ita nec huius libri finem à nobis conuenit expectari: quia dum quotidiè, Deo militem ſuum glorificante, nouis & præcipuis effulgeat miraculis, noua perinde materia nouos quotidiè & præcipuos expoſtulat ſcriptores: immò ſumma moles materiæ Tullianis inſultat ingenijs & eloquentiæ. Sed faceſſat apud fidelium mentes indigna deſcribendis ſancti viri geſtis ſolicitudo & moleſtia. Atqui precioſa eius memoria æternaliter viget, & ſuper omnia redolet aromata, vtpote qui gloria præditus immarceſcibili, ſemper multiplicatur vt palma & cedrus Libani, & germinat vt lilium, floretque ante Dominum per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Videt Sancti in cælis, quid agatur in terris.

Liber amiſſus redditur ſanctimoniali, S. Modoaldum inuocanti.

Epiſtola

Epiſtola F. Thietmari de tranſlatione S. Modoaldi.

DOMNO & patri Stephano, diuina electione Abbati, & ſanctæ congregationi, beato Apoſtolo Iacobo ſub eius moderamine in Leodio famulanti, Frater Thietmarus, quem dicunt procuratorem ouilis beati Petri in Helinvuardeshuyſen, cum omnibus Chriſto ſecum militantibus, munus perfectæ charitatis ex animo, & plenæ fraternitatis penſum ex debito. Quoniam pater ſereniſſime, vt multorum didicimus relatione, Apoſtolicæ religionis norma perfectiſſimè imbuti, Apoſtolicæ vitæ tenorem fide & actibus imitamini, dignum duximus vos verbis

2.Cor.3.

Apoſtolicis affari: Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vos idoneum elegit miniſtrum noui teſtamenti, non ſolùm litera, verumetiam ſpiritûs modulamine laudem omnipotentis Dei pronunciare, & ſanctorum ſuorum gloriam præſentibus poſteriſque ſeculis imitabilem verbo & ſcriptis prædicare. Vberrimus nanque veſtri cordis hortus, totius Aquilonaris frigoris torpore depulſo, Auſtralis ſpiritûs grata temperie afflatus, dulciflua ſtillauit aromata, quæ ſuî fragrantia longè lateque diffuſa, odorem bonæ veſtræ opinionis ad noſtram vſque transfudêre notitiam. Et licèt tot terrarum ſpatia nobis adſpectûs veſtri notitiam celauerint, tamen morum maturitas, cordiſque ſynceritas, ac piæ mentis affectus, ingenijque patet efficacia. Et in hoc miranda omnipotentis Dei mortalibus prædicatur diſpenſatio, quoniam ſunt homines ſuper millia, quorum notitiam retinemus ex facie, ſed nec modicam quidem intentionem cognoſcimus ex corde. Veſtri autem cordis, licet carne abſentis, arcana quodammodò perſpicimus, quoties beati patris noſtri Modoaldi vita mellifluo tractatu noſtris inſonat auribus, & delectabilia vocis veſtræ percipimus modulamina, quoties dulciſonam cantûs eius melodiam ſiue concinimus, ſiue concinentes attendimus. Hæc vitaque luculenter digeſta, tantam ſuper omnia aromata dulcedinem faucibus noſtris indidêre, tantamque dilectionis plenitudinem cordibus noſtris infudêre, vt nullius amaritudinis rancore valeant aboleri, nullius moleſtiæ tædio euacuari. Pro talibus tantiſque beneficijs iuſtiſſimum rati modis omnibus gratiarum præconijs piæ deuotionis veſtræ ſtudio reſpondere, in nobis nihil laboribus veſtris æquiparandum ex nobis ſufficimus æſtimare, quoniam ſuperant omnem facundiam laudis noſtræ. Quapropter totis medullis conuerſi ad eum, qui ore veſtro magnificatur & voce glorificatur, noſtroque, licèt exili, famulatu honoratur, indeſeſsè ſupplicamus, quatenùs ſuis meritis ac precibus vobis pro gratiarumactione perennis gloriæ coronam, pro mercede æternæ vitæ beatitudinem apud Chriſtum obtineat, cui proculdubiò impenditur, quicquid ſanctis ſuis obſequij dignè ac laudabiliter exhibetur. Igitur quoniam indagatione ſufficienti, nulla vnquàm abolitione delendam, veſtrî notitiam tenemus, par eſt, vt ſtudio noſtræ manûs & linguæ nos quoque ad veſtrî notitiam perducamur. Offerimus itaque veſtræ beatitudini tranſlationis beatiſſimi patris noſtri Modoaldi libellum, humili ſtylo digeſtum, veſtræ dignationis ſolertia corrigendum, veſtra authoritate corroborandum. Cuius ſeriem indagantes, cognoſceris de ſitu loci & exordio cœnobij noſtri, quàm benigna & mirabili diſpenſatione Dei in proſperos ſucceſſus conualuerit, quàm deuota piorum adſtipulatione in augmentum religionis excreuerit. Patebit etiam, cuius occaſionis euentu, pio dudum accenſi deſiderio, larga omnipotentis Dei miſeratione, in tantam animi fiduciam ſimus promoti, vt precioſiſſima ſanctorum pignora, quæ nulla auri vel argenti copia dignè valerent comparari, pia importunitate poſtulata mereremur adipiſci. Quæ condigna veneratione & honorificentia loco noſtro illata, diuerſis miraculorum ſignis diuina glorificauit dignatio, vt liquidò clareret cunctis, cuius meriti, cuiuſque magnificentiæ ſit eorum ſpiritus in cælis. In his omnibus agnitione noſtra totiuſque rei noſtræ ſumma vobis ſufficienter patefacta, pater reuerentiſſime, ſanctitatem veſtram ad congratulandum nobis inuitamus cum omni charitatis deuotione, affectu deprecatorio verbis vtentes Pſalmiſtæ: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Hanc autem magnificationis veſtræ ſeriem exigimus, vt ſicut eiuſdem beati patris noſtri Modoaldi nobilem proſapiam vitamque laudabilem luculento ſtylo digeſſiſtis, ita quoque tranſlationis eius ſchedulam, ingenij veſtri ſcalpello elimatam, per cauernas pij cordis veſtri traducatis, quæ impolitum quippiam vel admittere vel emittere nullatenùs conſueuêre. In hoc igitur fraternæ charitatis intuitu deſiderio noſtro ſatisfacite, vt ſacrificium præteriti operis, quod Chriſto per nos obtuliſtis, iam holocauſtum fiat, &

Marginal notes:

In Chriſtū redundat, quicquid eius ſanctis impēditur.

Reliquiæ quàm precioſæ.

Pſal.33.

& hoſtiæ immaculatæ caudam medullatam, id eſt, boni operis perfectionem, authoritate piæ deuotionis veſtræ roboratam à vobis, denuò omnipotenti Deo per omnia placabilem exhibeamus, gratanterque ſuſceptam hoc ordine recitandam teneamus.

Tranſlatio ſancti Modaldi archiepiſcopi.

BEATVS Modoaldus, vir venerãdæ memoriæ, ſummæ ingenuitatis linea præclarus, ſanctitatis excellentia præcipuus, generoſitatis normam, morum nobilitate commendabat. Literali quoque ſcientia, in domo Domini plantatus, quaſi palma floruit, & vt cedrus Libani multiplicatus, totius ſuauitatis germina circunquaque redolentia produxit. Vnde contigit, vt ordinationi diuinæ diſpoſitionis regali celſitudine procerumque conſtantia concordante, totiusque Cleri ac plebis voto conſpirante, vir Deo & hominibus acceptus, Treuirorum ſedi ſubrogaretur epiſcopus. Itaque pius pater, occaſione paſtoralis curæ, multiplici bonorum operum exercitio adeò ſe ſtudebat informare, vt continuo virtutum candore dealbatus, per altitudinem contemplationis ad cæleſtia euolaret. Intereà dum domûs Dei decorem diligeret, & ad referendas dignas conditori laudes ardentiſſimo ſemper amore flagraret, ſuper ripam Moſellæ oratorium in honore beati Symphoriani martyri, extruxit, ibique congregationem ſanctarum virginum, amplexibus ſponſi cæleſtis mente & habitu indefeſsè immorantium, inſtituit: vbi etiam idem pater amantiſſimus, defatigatum ſpiritualibus exercitijs ſpiritum Deo reddens, tumulatus quieſcit. Genus. Mores. Literatura S. Modoaldi.

Intereà Nortmannorum turmæ efferæ, de vagina ſuæ crudelitatis eductæ, quaſdam Galliæ ac Germaniæ partes occupantes, vrbem Treuerenſium inuaſêre. Qua immanitate ſui ſceleris graſſantes, nulli ætati, nulli ſexui pepercêre, matronas caſtas & virgines pudicas dehoneſtantes, ſanctuaria Dei prophanantes, diuina & humana pari contemptu peſſundantes. Porrò præfatæ virgines Deo dicatæ, ne mala viderent, quæ pro ſexus fragilitate metuebant: néve bona amitterent, quæ pro caſtitatis obſeruantia promeruerunt: beati Modoaldi ſepulcro aduolutæ, creberrimis ſingultibus tandem obtinuêre, vt, mirabile dictu, infra dies triginta omnes ex hac luce migrarent, & in eadem eccleſia in pace quieſcerent. Qua de re cùm hunc tantæ ſanctitatis locum, inhabitantium frequentia deſtitutum, repẽtina cohiberet ſolitudo, extranei quidam clerici animo ſagaces, quaſi laudabilis furti deſiderio ducti ſunt, nec id flagitium arbitrantes, ſi quauis arte ſanctorum reliquijs participarent. Remotis ergo arbitris, nocturno tempore ingreſſi, mauſoleum beati Modoaldi effringunt, manumque temerè mittẽtes, quicquid tenaci digitorum pectine concludere potuerunt recondentes, fugam inierunt. Quod facinus, licèt amore ſancti perpetratum ſit, & ad declaranda ipſius merita Deus permiſerit, non tamen ipſi ſancto placuiſſe, rerum exitus comprobauit. Nam ex membris eiſdem extractis, mirum dictu, ſanguis copioſus erupit: qui raptorum ſtillando denorans veſtigia, nuſquàm locorum fugitiuos deſeruit, donec die terris reddita, ab inſequentibus rei compræhenderentur: & omni negocio vacuatis euadendi gratia indulta, ex integro ſummi pontificis reliquiæ ad vrbem cum omni honore transferuntur. Cæterùm ne quid ſimile deinceps pernicioſa crearet licentia, decernunt in commune corpus ſancti, in propatulo poſitum, ab eccleſia transferre, cæleſtemque theſaurum firmioribus apothecis & tutiori ærario commendare. Itaque arcam ligneam, firmiſſimis tabulis compactam, ferreisque nexibus circunquaque munitam, accelerant: eoque tranſlata confeſſoris pignora in oratorium ſancti Paulini ſuper altare ſanctæ Crucis ſumma cum veneratione deportant. Nortmannorum immanis crudelitas. Magnũ Dei miraculum. Item aliud valdè eximium.

Dehinc interiecto multi temporis interuallo, peccatis exigentibus, occulto Dei iudicio, idem oratorium ſubito conflagrauit incendio, intempeſtæ noctis ſilentio. Cuius fragore exciti cuſtodes, variam ſacri miniſterij ſupellectilem ſumma ope tueri ſatagebant: de ſanctorum verò pignoribus eruendis immemores, nulli rerum minorem operam impendebant. Vnde & contigit, vt ignis, dum nulli locorum parceret, non ſolùm arentem lignorum materiam penitùs abſumeret, verùm lapides, tabulas quoque marmoreas, operis dignitate mirandas, circunquaque corrumperet. In tanta rerum difficultate quis tuas, ſancte, reliquias non æſtimaret iri perditum? Quis enim aliud, quàm vſque ad cineres tam diuturna clade abſumptas crederet? Res mira & noſtris ſeculis inuſitata. Poſtera luce plerique propiùs accedentes, vt vel modicas ſancti fauillas colligerent, remota, quæ omnem ſuperficiem altaris contexerat, incendiorum congerie, cuncta præter ſpem, quæ ſancti erant, ſalua reperêre, ipſumque loculum totius expertem iniuriæ. Quis ibi à laudibus Chriſti continuit? Inflammatur oratorium S. Paulini. Stupendum ſane miraculum.

Tuum

Tuum Modoalde nomen, tuum meritum omnis ſexus & ætas ſuper aſtra tulêre, Deum glorioſum & mirabilem in ſanctis ſuis, repetito prædicantes clamore.

Poſt hæc venit vir venerandæ religionis, Abbas merito & nomine, de Saxoniæ partibus, diuturno iam accenſus deſiderio, vt patroni alicuius probatæ ſanctitatis corpus integrum, quod ſibi largiri dignaretur Dominus, honorificè ſuis inferret ſedibus. Hic nanque, prælibatis ſuis ſuorumque ieiunijs & orationibus, crebriſque vigiliarum ſingultibus, quaſi prærogatiuis apud Deum obtinuerat legationibus, ne votis ſui deſiderij deberet fruſtrari. Quapropter ipſius gratia præeunte ac diſponente, & venerandæ memoriæ Brunone Archiepiſcopo annuente, totiuſque eccleſiæ concordi voto adſpirante, glorioſiſſimi pontificis Modoaldi corpus precioſiſſimum meruit ſuſcipere. Quod cum ineſtimabili gloria & ſolenni ornatu ac melodia, vniuerſo clero comitante, & promiſcui ſexûs ac ætatis plebe circunfluente, de loco ſuæ ſedis eductum, in Saxoniam decentiſſimè eſt tranſlatum, & in oratorio beati Petri Apoſtoli in cœnobio, quod dicitur Helinvuardeshuyſen, honorificè locatum. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. C. VII. à venerabili Thietmaro, huius nominis ſecundo, ſucceſſione autem ſexto eiuſdem loci Abbate, anno ordinationis eius xxvij. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Bruno, Archiepiſcopus Treuirenſis.

S. Modoaldus in Saxoniam tranſlatus.

VITA S. RICTRVDIS MARTIANENSIS, PER HVGBALDVM MONACHVM ELNONENSEM, AD STEphanum Epiſcopum Cameracenſem ſcripta Anno Chriſti 907. Stylus obſcurus & ſimplex, in gratiam Lectoris mutatus eſt per F. Laurentium Surium.

PRAEFATIO AVTHORIS.

IN membrorum Chriſti compage vti excellentiori, ita merito quoque magis honorabili domino & præſuli Stephano, ſecundùm nomen ſuum Apoſtolicæ reuerentiæ ſigno ab hominibus quidem coronato, ſed demum ob meritorum inſignia cum eis, quorum inſiſtit veſtigijs ſanctitatis, à Deo coronando, Hugbaldus, ſacerdotum & monachorum omnium minimus, immarceſcibilem, virtutumque floribus vernantem à Deo optat precaturque coronam. Rogârunt me iampridem Clerici & Deo ſacratæ virgines congregationis S. Rictrudis, vt tum illius, tum prolium eius geſta conſcriberem: ego verò diſtuli, vel quòd quantulamcunque ſcientiam meam tantæ materiæ ſcirem imparem, vel quòd ob longitudinem temporum nulla certæ fidei ſcripta, quibus ea continerentur, mihi videre contigiſſet, vererérque, ne dubia pro exploratis, & vana atque cōmentitia pro veris annotarem. Sed cùm renitenti mihi quaſdam offerrent hiſtorias, quæ cum dictis ipſorum conſentirent, & iam fidem mihi facerent illi, quorum non contemnendæ perſonæ viderentur, quod ea, quę ipſi aſſererent, olim literis conſignata fuiſſent, ſed Nortmannorum ſęuiſſima rabie omnia populante interijſſent: demum adiuratus per tremendum diuinæ maieſtatis nomen, ceſſi illis, fecique etſi non vt debui, at tamen vt potui: nec mihi ſtudio fuit verborum adhibere phaleras, ſed lectoris & auditoris conſulere vtilitati. Cùm autem opuſculum abſolutum veſtræ excellentiæ examinandum traderetur, viſum eſt illius prudentiæ quædam in eo deſiderari, quæ ad conciliandam libris authoritatem ſolent à ſtudioſis requiri, nempe, perſonæ, loci & temporis annotationem. Et mihi quidem ſatis ſuperque ſufficere videbatur, ſi tam præclara tantorum virorum nomina, geſta & loca exprimente libello, ſupprimeretur locus & perſona ſcriptoris, ne per hæc ceu atram quandam nubem oſcurari viderentur aſtra tanti ſplendoris: at quia aliter viſum eſt ſanctitati veſtræ, celeberrima nominis veſtri prælucente lampade, noſtras quoque confidimus illuſtratum iri, quanuìs tetras, tenebras: dumque Stephanum inclytum antiſtitem libelli huius loquetur Præfatio, noſtræ quoque exiguæ perſonæ mentio fiet. Locus autem, vt nóſtis, non eſt mihi iam, ſicut olim, in clariſſima vrbe, ſed libenter me gloriarer vel poſtremum monaſterij beatiſſimi Amandi, egregij confeſſoris Chriſti, monachum, niſi propter peccata mea tam crebrò inde eijcerer metu barbaricæ incurſionis. Quid verò mihi tempus exprimere neceſſe eſt, quod omnium infeliciſſimum eſſe videtur, ita vt non niſi cum Propheta ad Deum clamare libitum ſit: Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliâſti, annis, quibus vidimus mala. Reſpice

Nortmannorum populationes.

Pſal. 89.

ſpice Domine in ſeruos tuos & in opera tua: Ad nos quoque pertineat illud Apoſtolicum: Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt? Sed ne in hoc quoque videar authoritatis veſtræ iuſſa neglexiſſe, omiſſis regum nominibus, nouerit lector nos iſta cudiſſe anno à nato Saluatore, ſummo rege, nongenteſimo ſeptimo. Ad profectum Catholicæ Eccleſiæ opto vos feliciter ad votum valere.

Epheſ. 5.

VITÆ HISTORIA.

CVM Francorum gentem, cuius maiores è Phrygia prodijſſe ferunt, atque ex regio Troianorum ſtemmate ortos, poſt phanaticum ſimulacrorum cultum ad veritatis cognitionem diuina clementia vocare decreuiſſet, quemadmodùm ex omni æternitate conſtituerat, ea tempeſtate, qua induſtrius rex Clodoueus eius gentis ſceptra tenebat, beatiſſimi præſulis Remigij miniſterio id voluit compleri. Is enim ſanctiſſimus pontifex & multa vitæ integritate, & admirabili ſignorum virtute pollens, iam dictum regem & magnam exercitûs eius partem doctrina Catholicæ fidei imbuit, &, vt ferunt, accepto cælitùs chriſmate, ad tria circiter millia vno die baptizauit. Atque ex illo tempore magis magiſque apud Francos creuit religio, & in exteros etiam fines eorum prolatum eſt imperium, quod maiores eorum partim ſibi iam antè vendicârant. Nec hoc gentis eius feritati tribuendum eſt, cuius nomine putantur à nonnullis Franci dicti, tanquam quibus à natura quædam indita ſit ferocitas: ſed præſtitum hoc eis eſt, quòd duabus eximijs eſſent columnis fulti, quibus totius Eccleſiæ ſtatus inniti videretur: authoritate ſanctorum Pontificum, quorum eſt præcellens honor: & virtute regum præpotentium, qui in adminiſtranda republica ſagaces inprimìs fuêre. His, inquam, rebus factum eſt, vt diuina tum præueniente, tum ſubſequente gratia, FRANCORVM potentia magis magiſque aucta & propagata ſit: atque etiam vbi quondam abundauerat iniquitas, deinde intantùm Dei gratia ſuperabundârit, vt quemadmodùm cælum ornatur ſtellarum multiplici pulchritudine, ita Francorum regio, præſtante patre luminum, à quo eſt omne donum perfectum, multiuaria tam indigenarum, quàm aliunde aduenientium vtriuſque ſexûs & ordinis ſanctorum atque perfectorum hominum claritate illuſtrata ſit.

12. Maij. Cap. 1. Vide Paulũ Aemylium lib. 1. de rebus geſtis Frãcorum.

Columnæ duæ Eccleſiarũ Galliç.

Iacob. 1.

E quorum venerando collegio tanquam ſidus quoddam eximium extitit Rictrudis, deuota Chriſti ancilla, grata Deo ſuo, & chara hominibus atque laudabilis ob merita iuſtitiæ & ſanctitatis: quæ patrem habuit Ernoldum, virum nobilem, & * Lichiam genitricem ex bellicoſa Vaſconum gente. Quæ gens licèt ea tempeſtate magna ex parte dæmonum cultui eſſet addicta, at tamen à Deo electa Rictrudis, ſic ab illis impijs traxit originem, quemadmodùm è ſpinis naſcitur roſa: atque ab ipſis incunabulis cum teneræ ætatis incremento, honeſtis eſt moribus alta & inſtituta. Fuit autem temporibus Clotarij regis, qui à magno Clodoueo, quem iam diximus primum ad Chriſti religionem acceſſiſſe, quartus fuit, atque etiam huius Clotarij filij Dagoberti inclyti, qui à beatiſſimo Arnulpho Metẽſium epiſcopo inſtitutus, dignus & induſtria & viribus fuit, qui vnà cum patre regnaret, eique in regno ſuccederet. Habuit autem Dagobertus fratrem Aribertum, non tamen germanum. Ei attribuit vrbes & pagos citra Ligerim flumen & vſque ad Pyrenæos ſaltus: ſapienti videlicet vſus conſilio, pactuſque ab eo, ne quid vnquàm paterni regni ab ipſo repeteret. Itaque Aribertus Toloſanam obtinens ſedem, cùm in Aquitania regnaret, non diù pòſt totam Vaſconiam ſibi ſubegit.

Cap. 2. S. Rictrudis parentes.

* Luciam

Aribertus frater Dagoberti.

At Dagobertus in adminiſtrando regno præclarus, vni vitio ſubiacuit, immodico deditus amori mulierum. Vnde accidit, vt legitima coniuge ſua ob ſterilitatem repudiata, alteram ſibi copulârit. Cumque id flagitium in eo pontifices, inprimis autem vir ſanctiſſimus & mirabilium operum patrator præſul Amandus repræhenderet, ille indignatione & faſtu regio incitatus, eundem venerabilem antiſtitem non abſque iniuria è ſuo regno eiecit. Ille verò pro Chriſti veritate perſecutionem patientiſſimè ferens, quippe qui etiam ſanguinem pro Chriſto fundere peroptaret, diuerſis in locis diuini verbi ſparſit ſemina, atque tandem etiam in Vaſconiam, Rictrudis patriam peruenit, vt cælitùs infuſo ſibi lumine eius regionis gentem illuſtraret, ſimul ſperans ob gentis eius ſæuitiam poſſe ſe illic martyrij palmam promereri.

Cap. 3. Dagobertus mulieroſus.

S. Amandi exilium.

Cap. 4.

Interim autem Dagobertus rex, cùm non haberet filium, qui ipſi in regno ſuccederet, ea cauſa mœrens non mediocriter, tertiam ſibi aſſciuit vxorem. Atque tum demum conuerſus ad Deum, multorumque expetens preces, & largas præſtans eleemoſynas, eodem anno ex illa coniuge ſuſtulit filium: quem cùm anxiè cogitaret cuinam vndis ſalutaribus expiandum diuinaque lege imbuẽdum traderet, vt quemadmodùm ipſe beatum Arnulphum habuerat pædagogum, ita hic quoque ab inſigni aliquo Dei ſeruo ad Chriſtianæ religionis præſcriptum inſtitueretur: memoria cœpit repetere, quanta iniuria virum ſanctiſſimum Amandum affeciſſet, moxque miniſtris ablegatis, eum vbique iuſſit ſtudioſiſſimè inquiri & ad ſe reduci. Ita ergo reuocatur ab exilio verax præco & cultor Euangelij, antiſtes venerandus, lætantur eius reditu rex & optimates & populus omnis: eiuſque pedibus ſe ſternens rex, veniam petit, nec difficulter impetrat: orat pro filio, ſed patitur repulſam, dicente viro ter beato, militantem Deo non oportere negocijs implicari ſecularibus: moxque è conſpectu regis celeriter ſe proripiente. At rex nihil de ſuo remittit deſiderio, Audoënum & Eligium viros primarios, multaque prudentia & virtute conſpicuos, beatoque Amando inprimis charos atque familiares, ad eum mittit, qui tandem inuitum eò ſuis precibus impulêre, vt regis voluntati ſeſe accommodaret. Adducitur infans dies natus quadraginta, adhibetur catecheſis à ſancto præſule, & cùm finita prece ex tanta hominum frequentia nemo reſponderet, Amen, infans ille cunctis audientibus, clara voce reſpondit, Amen. Inde baptizatur, & Sigeberti nomẽ ei imponitur, atque ab Ariberto regis fratre è ſacro fonte ſuſcipitur. Sequenti anno Aribertus rex, nec diù pòſt etiam filius eius abeunt è vita, omniſque ditio Ariberti ceſſit Dagoberto. Quæ quidem omnia idcircò huic hiſtoriæ volui inſerere, vt lector faciliùs cognoſcat, quæ Rictrudi cauſa fuerit in Franciam veniendi.

Reuocatur ab exilio S. Amandus.

2. Tim. 2.

Baptizat filium regis, iſque reſpódet, Amen.

Cap. 5.

Cùm enim per id tempus Franci crebrò commearent in Vaſconiam, Rictrudis puella bonæ indolis, ad nubiles iam perducta annos, conſpicitur, amatur atque appetitur à Franco quodam Adalbaldo, præclaris & iuſtis orto natalibus: cuius mater Gereberta filia fuit ſanctæ Gertrudis, in monaſterio, quod Hamaticum dicunt, quieſcentis, quod ipſa conſtruxerat: fueratque is Adalbaldus à puero optimis inſtitutus diſciplinis, multiſque pollebat opibus & fundis, nec vulgarem gratiæ locum in regis aula obtinebat: dignus planè vir, qui Rictrudem haberet coniugem: cui etiam iuxta morem deſponſa, & matrimonij lege ſociata fuit, licèt quidam virginis cognati id moleſtè ferrent. Neque ineundi coniugij huius cauſa fuit libido aut incontinentia, ſed amor charæ ſobolis. Nec deerant vtrique dotes animi & corporis, quæ in ſponſo ſponſáve ſpectari ſolent. In Adalbaldo cernere erat generis nobilitatem, pulchritudinem, virtutem & ſapientiam, quæ ad conciliandum amorem plus habet virium. In Rictrude formæ elegantia, genus, opes, & mores, qui prę cęteris inquirendi ſunt, viſebantur. Itaque conuenienter illi ſententiæ Apoſtolicæ, erat inter illos honorabile coniugium & torus immaculatus. Non enim ſurda acceperant aure, quod idem Apoſtolus dicit: An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt ſpiritûs ſancti, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti eſtis precio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Fidem verò coniugij inter ſe accuratè ſeruantes, compage fidei & charitatis erant duo in carne vna, vnanimes, vno ore & concordi operatione honorificantes Deum, & omnibus diebus vitæ ſuæ ſeruientes illi in iuſtitia & ſanctitate.

Rictrudis nubit Adalbaldo.

Heb. 13.

1. Cor. 6.

Cap. 6.

Nati quoque eis ſunt filij, & in ijs primogenitus Maurontus, poſteà Abbas & Leuita factus, & tres filiæ, ſanctæ virgines: Clotſendis, poſt obitum matris eius monaſterij moderatrix: Euſebia, bona Dei cultrix, & Adalſendis. Quos parentes eorum, cùm eſſent iuſti, tum per ſeipſos, tum per familiares ipſis Dei ſeruos in timore Domini erudiêrunt & educârunt, ab infantia cæleſti benedictione auctos. Maurontus patrem ſpiritualem habuit venerabilem Deoque dignũ ſacerdotem Richarium, qui per ſacrum baptiſma eum Chriſto regenerauit. Clotſendem egregius pontifex Amandus & ſacris manibus è fonte ſalutari ſuſcepit, atque in omnibus Deo dignam reddidit: Euſebiam Mathildis regina, Dagoberti coniunx ex ſacro fonte ſuſcepit. Poteſt non immeritò de hac progenie dici illud Sapientiæ: O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.

Rictrudis proles.

Sap. 4.

Cap. 7.

Accidit autem, vt Adalbaldus à pago Auſtrebatenſi, vbi multę ei erant poſſeſſiones, in Vaſconiam triſte ſuis iter ſuſciperet. Proſequebatur euntem aliquouſque beata Rictrudis, ſed iuſſa, citò domum ſe recipit mœrens, quaſi iam animo præſagiret imminens malum. Ecce autem malignorum hominum, quos aiunt fuiſſe, quibus illud

coniugium diſplicuerat, vir pius inſidijs appetitur, vulneratur, perimitur. Sed planè non *Adalbaldi cædes.*
eſt ille mortuus, ſed viuit feliciter in Deo, cohærens ſpiritu illi, qui eſt vera vita: quod
quidem ſatis teſtantur ſigna, quæ ad eius ſacra oſſa non rarò fiunt. Citò autem triſtiſſi- *Claret miraculis poſt mortem.*
mæ rei nuncius perfertur ad Chriſti famulam Rictrudem, quæ gemino eoque atroci
dolore corripitur, quòd & chariſſimo ſe ſentiret orbatam coniuge, & proles ſuas, tum
etiam cognatos, videret eius nece grauiſſimè diſcruciari. Tandem autem luctu illo
ſopito, cum ſeruis Dei ipſi familiaribus, præſertim autem cum Amando ſanctiſſimo
præſule, de ſuo ſtatu deliberat: auditque ex illo fidiſſimo conſultore illud Apoſtoli: Mu- *1.Cor.7.*
lier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. Quòd ſi dormierit vir eius, libe-
rata eſt: cui vult, nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſe-
cundùm meum conſilium. Audit etiam illud Domini Saluatoris: Si vis perfectus eſſe, *Matth.19.*
vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſe-
quere me. Hæc & id genus alia verba ſalutis non ſurda aure accipiens S. Rictrudis, ſed ijs
diligenter animum applicans, omni poſtpoſita ancipitis deliberationis mora, pollice-
tur ſe eius ſalutaribus monitis obtemperaturam. Verùm antiquus ſerpens, inuidiæ ſti-
mulis percitus, tam ſalubre propoſitum modis omnibus impedire conatur. Cõmouet
regis animum, vt perſuadeat illi denuò nubere cuidam ex optimatibus ſuis. Illa autem
prorſus id reſpuente, multa adhibet blandimenta rex, ſed fruſtrà. Blanditijs ſuccedunt *Nec blanditijs, nec minis poteſt adduci, vt denuò nubat Rictrudis.*
terrores & minæ, ſed tantundem efficiunt apud animum in Deo benè firmatum. Et
quia ex tribus Philoſophiæ partibus eam præcipuè colebat, quæ in actione & rectè vi-
uendi ratione conſiſtit, nec immeritò viuendi magiſtra dicitur, quam Græci Ethicen,
Latini Moralem vocant, ad quam primariæ illæ virtutes pertinent, prudentia, iuſtitia,
fortitudo, temperantia: hiſipſis accuratè ſeſe communiens, quemadmodùm per iuſti-
tiam Deo magis quàm hominibus obedire, atque per fortitudinem nullis cedere ad-
uerſis conſtituerat: ita per prudentiam regis indignationem amoliri, & per temperan-
tiam intra modeſtiæ & humilitatis limites ſeſe continere decreuit. Itaque vſa conſilio
ſanctiſſimi Amandi, ad tempus diſſimulat immutabile animi ſui propoſitum, ſpondet-
que regi ſe ex eius conſilio facturam, quod ſibi conducibilius videretur.

Hunc in modum cùm regi perſuaſiſſet, ſe ipſius dictis parituram, in prædio ſuo, in *Cap.8.*
villa Baireio opiparum & regia maieſtate dignum apparat conuiuium. Inuitat regem
cum optimatibus, & inter epulas ſermonibus ſale conditis omnes exhilarat. Poſtquàm
autem repreſſa fame, edendi auiditas remitti cœpit, eſſentque iam conuiuæ fœcundis
calicibus comiter accepti, ſurgit matrona venerabilis à menſa, & non trepidè, ſed con-
ſtanter: non tepidè, ſed feruenter: non ſegniter, ſed ſagaciter: non muliebri, ſed virili
planè animo, quod ſecum deliberârat, re ipſa exequitur.

Primùm ſciſcitatur ex rege, num illius bona venia liceat ipſi in ædibus ſuis quod *Cap.9.*
velit agere. Rege incunctanter annuente, quippe qui putaret illam ſumpto poculo,
vt plerique ſolent, & ſe & conuiuas alios ad potandum ſtrenuè inuitaturam: è ſinu ſuo
profert velum ab Amando pontifice conſecratum, qui etiam hoc ei conſilium dede- *Vide præclarum facinus venerabilis matronæ.*
rat, & inuocato terribilis Dei nomine & auxilio, ſuo illud capiti imponit. Tum verò rex
ira permotus, ingratas relinquens epulas, abſceſſit è conuiuio. At illa iactans cogita-
tum ſuum in Dominum, totam ſe illius arbitrio permiſit & commiſit: facultatibuſque
& poſſeſſionibus prudenter diſtributis, ſpinoſiſque huius mundi curis è terra cordis ſui
penitùs extirpatis: quæ priùs ſeruiendo Chriſto in membris eius, Marthæ geſſerat offi-
cium, iam ad pedes eius ſedens, audiebat verbum eius, optimam Mariæ partem, quę ab *Luc.10.*
ea non poſſet auferri, ſibi deligens.

Vt verò quod in interiori gerebatur homine, id etiam exterior præ ſe ferret: ſicut *Cap.10.*
mentis mutârat habitum, ita mutauit & corporis: precioſiſque abiectis veſtibus, qui-
bus fuerat vſa in matrimonio, vt placeret viro, vnà cum eis omnibus ſe exuit huius mũ-
di impedimentis, vt ſolicita ſemper cogitatione ea ſola tractaret, quæ Domini ſunt, vt
illi vni deinceps placeret. Impoſuit autem capiti tetrum quendam amictum, vt interio-
ris hominis luctum & pœnitentiam deſignaret, poſſetque pro luctu breui & mœrore
momentaneo ea quandoque conſolatione affici, de qua Dominus dicit in Euangelio:
Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabũtur. Et vt quondã expertas corporis volupta- *Matth.5.*
tes & moleſtas dæmonum profligaret vexationes, in preces continuas & immodica
propè ieiunia incubuit, carnemque aſpero cilicio domans, illud ex Pſalmo canebat:
Ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animam *Pſal.34.*
meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur. Porrò locum, vbi ſpiritalibus daret ex-

ercitijs operam, cum conſilio & auxilio ſæpè dicti antiſtitis Amandi, valdè ſibi congruum delegit, nempe monaſterium, quod Martianas vocant, ab eodem antiſtite ad fluuium Scarbum exædificatum, cui diſponendo & conſtituendo vir ſanctus Abbatem præfecerat ſanctum Iouatum venerabilem virum, cuius adhuc in eodem monaſterio corpus conditum habetur. Et Amandus quidem monachos illic haberi voluit, ſed Iouatus ſanctimoniales ibi congregauit. Hunc ergo locum, ſatis oportunè ab hominum ſtrepitu remotum, Dei famula Rictrudis expetijt, & beato Amando non ſolùm conſentiente, ſed etiam inter regem & ipſam pacem conciliante, cum maieſtatis regiæ priuilegio obtinuit, vt illic ſe totam rebus diuinis manciparet.

Martianenſe monaſterium.

Cap. 11. *Matth. 5.* Vt autem omnibus palàm innoteſceret, à quanta perfectione ſuam inchoâſſet conuerſionem, conuenienter illi Euangelicæ ſententiæ, Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt: poſt abiectas à ſuis humeris oneroſas prædiorum & facultatum ſarcinas, poſt nuncupatum Deo continentiæ votum, poſt acceptum monaſticæ religionis habitum, non contenta ſe ſolam Deo offerre oblationem viuam, ſanctam, eique placentem: etiam tres filias ſuas, quas iam ſuprà memorauimus, illi obtulit virgines corde & corpore immaculatas, vt perpetuam ſeruantes virginitatem, agnum virginem, virginis matris filium, quocunque ierit ſequantur, cantentque ante Dei thronum canticum nouum, id eſt, cum agno æternũ exultent de carnis ſeruata integritate & incorruptione. Quod canticum licèt audire poſſint ſancti, nemo tamen dicere poterit, niſi illa candida turba incontaminatorum. Quod cùm ſit veriſſimum, audite, obſecro, & auribus percipite omnes, qui habetis audiendi aures, quibus adhuc fas eſt ad angelicę caſtitatis adſpirare priuilegia, & tam præclari contubernij frui ſodalitate, atque cum eis noui cantici ſuauiſſimam depromere melodiam. Properate, currite, & memores vxoris Lot, retrò reſpicere nolite. Putridas putidę carnis concupiſcentias edomate. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Penetrent hæc intima cordis veſtri penetralia, nec meam hanc eſſe putetis adhortationem, ſed beatiſſimi Patris Auguſtini, qui inter cætera ita dicit: Pergite ſancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac fœminæ, cælibes & innuptæ: pergite perſeueranter in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis vberiùs: ſperate feliciùs, cui ſeruitis inſtantiùs: amate ardentiùs, cui placetis attentiùs. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptijs. Vos afferetis ad nuptias agni canticum nouum, quod cantabitis in citharis veſtris, quale nemo poterit dicere, niſi vos. Et poſt pauca: Meritò eum ſequimini virginitate cordis & carnis, quocunque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? Quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.

Apoc. 14. *Virginum priuilegium.* *Gen 19.* *Eſaiæ 4. & 40.* *De ſancta virginitate cap. 27.* *1. Pet. 2.*

Cap. 12. Itaque S. Rictrudis tres filias ſuas, vt diximus, in ætate adhuc tenera vni deſpondit viro Chriſto, vt canticum illud, quod iam per ſe non poterat, per illarum citharas Domino depromeret: cunctiſque ſapienter diſpoſitis, & curis omnibus huius mundi procùl abiectis, monaſterij gymnaſium adijt, vbi vitæ huius breue tempus tanquam in agone decurreret, contra tartareos dæmones certando viriliter, nuda iam & expedita ab omnibus, ne poſſent eam vlla ex parte tenere illi maligni ſpiritus, vnctaque oleo cæleſtis gratiæ, cuius ope freta, facilè ex hoſtibus victoriam reportaret. Porrò Mauronttus filius eius in laico habitu regijs officijs & militaribus negocijs adhuc detinebatur, ſed corpore potiùs, quàm animi ſtudio aut voluntate, de quo ſuo loco plura dicemus. Per id tempus mortua eſt Adalſendis, inter filias poſtremo loco nata. Obijt autem in ipſa ſacroſancta Dominicæ natiuitatis ſolennitate, quando huic mundo in peccatis mortuo aduenit in Chriſto ſalus & remedium præſentiſſimum, quo profligatur mors cum authore & principe ſuo: vt Adalſendis non tam mortua ſit, quàm luci vitæque perenni edita. At pia Rictrudis, inter aduerſa fortis & longanimis, cùm ſe illi vno eodemque tempore ingens tum gaudij, tum mœroris materia offerret: hinc angelum toti mundo lætiſſimum nuncium adferentem audiret & dicentem, Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: inde ſuæ præ oculis haberet filiolæ triſte funus, quod ſine dolore cernere ipſa naturæ vis non ſinebat: virili animi robore muliebrem ſuperauit affectum, nec paſſa eſt ſibi dominari luctum, quem extorquebat mors tam chari pignoris: nec voluit dare locum triſtitiæ, vbi natalis celebraretur vitæ. Itaque expletur ſepulturæ officium more fidelium, premuntur lachrymæ, luctus faceſſere iubetur. Sic primus exactus eſt dies, ſic ſecundus & tertius ſolennitatis dies. Vbi ad quartum ventum eſt, quo ſancta Eccleſia paruulos pro Chriſto cæſos

S. Rictrudis dat ſe monaſterio. *Adalſendis obit.* *Luc. 2.* *Vide animi fortitudinẽ in matrona.*

cæſos commemorat, prudentiſſima Rictrudis ſciens quid cuique deberet impendere tempori, & omni negocio tempus eſſe & opportunitatem, tempus gaudendi, itemque tempus flendi ita diſtinxit, vt poſt ſacrorum expletionem myſteriorum, quibus ad Dei laudem eiſdem ſanctis martyribus non luctus exhibetur, ſed honor, votaque præſtantur non lachrymarum, ſed cæremoniarum: cùm iam parata eſſent omnia, quæ ad corpora cibo potuque perficienda pertinerent, conuocatis ſororibus ait: Eat iam charitas veſtra, ſorores meæ, & dona Dei percipiat cum gratiarumactione: me verò exemplo matrum, quarum hodiè ploratus & vlulatus auditus eſt multus, ſinat innocentem filiolam meam, immatura morte præreptam, materna pietate lugere. His dictis, amicum mœrori locum ſecretum petijt, dolorique, vt natura poſcere videbatur, indulſit. O verè laudabilem & admirandam fœminam, quæ fortitudine accinxit lumbos ſuos. Eccl. 8. Ierem. 13. Matth. 2.

Iam veniamus ad Maurontum, cuius ſuprà meminimus, S. Rictrudis filium primogenitum, ab egregio Chriſti ſacerdote Richario per ſacrum baptiſma regeneratum. Accidit aliquando, vt idem venerabilis preſbyter Richarius tum pro ſanctitate, tum pro familiaritate equo vectus beatam Rictrudem inuiſeret: cumque poſt ſancta colloquia vir Dei conſcenſo equo vellet abſcedere, illa, filiolum Maurontum in vlnis geſtans, paulùm è domo progreſſa, eum proſequebatur, vt benedictione illius filiolus ſuus muniretur. Poſtquàm autem vir Dei equo ſedens infantem in manus accepit, ſiue vt illi benè precaretur, ſiue vt oſcularetur eum, equus, agente malo dæmone, cœpit ferocire, dentibus frendere, pedibus calcitrare, magno impetu ſurſum deorſum curſitare. Itaque ſacerdos & ſibi & puero metuebat: mater pro vtroque anxia, & iam penè exanimis, quòd putaret certum vtrique exitium impendere, auerſo vultu, tam triſte ſpectaculum videre non ſuſtinuit. Flebat etiam familia non mediocriter. At vir Dei tenens fortiter paruulum, ne laberetur, preces fudit ad Dominum: quibus completis, & puer inſtar auiculæ illæſus in terram perlatus eſt, & equo priſtina redijt manſuetudo. Tum verò mater, recepto ſpiritu, filium ipſi arridentem in ſuas ſuſtulit vlnas, & ingens mœror omnium verſus eſt in gaudium haud vulgare: nec debet ambigi vtrorunque meritis id ita eueniſſe. Et quia tam infinitè benigna eſt Dei clementia & bonitas, vt quod malignus dæmon ſanctis in perniciem machinatur, ille ad eorum profectum conuertat: tentatio hæc beato viro ceſſit ad virtutis augmentum. Cogitans enim apud ſe, humani generis Saluatorem, cùm ad nos redimendos iret Hieroſolymam, non phalerato ſediſſe equo, ſed humili potiùs aſello, deinceps cùm aliquò eſſet proficiſcendum, non equo vſus eſt, ſed aſello manſuetiſſimo. Cap. 13. His conſimilia habētur in vita S. Richarij Tom. 2. 26. April. Inſigne miraculum. Matth. 21.

Poſtquàm autem Maurontus ad viriles peruenit annos, cùm eſſet vir nobilis, regis lateri adhærebat, qui perpetuis eius officijs & miniſterijs vtebatur. Data autem eſt opera, vt ſponſa ei aſſiſceretur: ſed Amando pontifice ſpiritalis amoris ſuauitates & æternæ vitæ inæſtimabiles iucunditates ei prædicante, voluptuoſos carnalis amoris compedes, quibus iam ferè pedem iniecerat, dirupit. Cum autē matri indicâſſet ſe nolle ſponſam admittere, illa metuens, ne per abrupta laſciuiæ præcipitia, vt plerique ſolent adoleſcentes, iret in profunda gehennæ, non mediocriter dolere cœpit, oratque S. Amandum, vt ipſam ea in re iuuare velit. At vir ſanctus eius precibus annuens, Martianas venit, optimiſque ſermonibus eam demulcens, priſtinæ in Deum alacritati reſtituit. Acceſſit inde ad Miſſarum peragendam celebritatem, & cùm illic Maurontus adſtaret, vidit ſanctus epiſcopus apem, ter eius verticem circunuolantem: nec ignorans quid ea res portenderet, eum aduocat, hortatur vt quamprimùm opere perficiat, quod iampridem animo velle cœpiſſet. Nec defuit Maurontus ſancti viri monitis: cumque idem beatus antiſtes more Eccleſiaſtico totondit, deciſa coma capitis eius, vt coronę ſignum vel effigiem ferret in capite: per id, quod exteriùs fiebat, innuens, quid eius ſignificatione intus ſeruari oporteret: nempe vt vertice capitis nudato deſignaretur, præpotenti Deo nuda & aperta eſſe etiam arcana pectorum, nihilque vel abditiſſimis verſari cogitationibus, quod fugiat oculos cuncta cernentis: Porrò crebra capillorum reſectio, indicaret aſſiduè reſecandas malarum cogitationum ſuperfluitates. Denique corona & ſummi ſacerdotis tiaram, & regiæ dignitatis diadema exprimeret, vt inde admoneretur ad regale ſe pertinere ſacerdotium, & poſt victoriam, ex multiuarijs mortalis vitæ tentationibus reportatam, meritò ſe recepturum vitæ immortalis coronam, quam Deus promiſit diligentibus ſe. Quæ quidem ſanctus vir Maurontus, non ſolùm ex beatiſſimi præſulis huius traditione, ſed etiam ex diuinarum ſcripturarum lectione ſuſcipiens & Cap. 14. Mauronti breuis hiſtoria. Corona raſi capitis quid ſignificet.

memoriæ commendans, ſtuduit ſemper diligentiſſimè re ipſa complere. Factus enim poſteà diaconus, illi muneri congrua viuendi ratione & optima conuerſatione reſpondit. In aula etiam regis, quippe clara editus proſapia, præclarè functus eſt officio regiorum conſcribendorum diplomatum, ſiue edictorum. Et vt ad ſanctæ conuerſationis eius cumulum non parum accederet, ſancti Amati epiſcopi ei conuictus obtigit: qui beatus vir cùm Senonenſis eſſet epiſcopus, falsò apud Theodoricum regem, qui per id tempus tyrannidem exercebat, inſimulatus fuit; tanquam in regem perfidiæ crimen admiſiſſet: atque ea cauſa in Perona monaſterio, in Veromanduorum oppido ſito, cui tum ſanctus Abbas Vltanus præerat, iuſſus eſt exul degere. Mortuo autem Vltano, traditus eſt Mauronto abbati, vt is eum in cuſtodia aſſeruaret in Broylo monaſterio, quod ipſe nuper admodùm conſtruxerat in Lætiæ territorio. At Maurontus illo ad ſe recepto, vt eius religioſam comperit conuerſationem, haud aliter atque cæleſti aſſeruando theſauro cunctis vitæ eius diebus omnem ei curam & miniſterium impendit, gaudens habere ſe in illo & ſibi & fratribus ſuis vitæ & ſanctitatis propoſitum exemplar.

S. Amatus Senonenſis epiſcopus.

Sigebertus in Chron. anno Chriſti 672.

Cap. 15.

Intereà Dei famula Gertrudis, auia Adalbaldi, iam prouecta admodùm ætate, & multis cumulata operibus bonis, in Hamatico monaſterio, quod ipſa ædificauerat, vbi etiam ſacra virgo Euſebia, eius proneptis, educabatur, viam vniuerſæ carnis ingreſſa eſt: cui in monaſterij regimine eadem Euſebia ſucceſſit, bonæ quidem indolis puella, ſed adhuc teneræ ætatis, vtpotè duodennis. Itaque mater eius Rictrudis, altiori vſa conſilio atque prudentia, non ignorans multos etiam in virtutibus exercitatos hoſtis tartarei aſtutia decipi, tum etiam metuens ætati illi filiæ ſuæ, ne præproperam adepta libertatem, illius maligni ſerpentis fraudibus circunſcriberetur: ad ſe eam acciuit, ſecumque habitare voluit. Recuſante verò illa, & in Hamatico cœnobio permanere volente, mater eius regias compulſa aures appellare, facultatem obtinuit illam regis authoritate reuocandi. Atque ita coacta Euſebia, ad matrem venit mœrens, ſecumque adduxit totam congregationem ſuam & proauiæ ſanctæ Gertrudis corpus cum reliquijs ſanctorum, quæ illic conditæ fuerant. Mater autem eius, voti compos effecta, hortabatur illam multis verbis, vt cum ipſa in ſpiritali militia Deo inſeruiret. Et illa quidem maternis admonitionibus libentiſſimè parebat, diuinis miniſterijs iugiter ſeſe mancipans: ſed tamen non potuit amor eius & deſiderium reuocari ab Hamatico monaſterio, quæ ei quaſi innata videbantur. Quamobrem flebat ſæpiſſimè, & propè ſingulis noctibus poſt abſolutam veſpertinam ſynaxim, cùm eam putarent ſe dare cum alijs quieti, illa, relictis ante lectum ſandalijs, ibat ad Hamaticum monaſterium intempeſtæ noctis ſilentio, cum eo, quem antè diximus, ſanctiſſimo epiſcopo & monacho Amato, & cum collactanea ſua, alijſque fidis, vt putabat, ſui ſecreti ſocijs. Ibique celebratis vigilijs & omnium horarum officijs, Martianas reuertebatur, fideli illo peracto furto, ne illic nocturnis precibus non interfuiſſe deprænderetur. Nec defuit tamen, qui hæc ad matris notitiam perferret: quæ eam ad ſe vocans & blandis mulcebat, & aſperis terrebat ſermonibus, vt eam ab hoc propoſito retraheret, ſciens eam magis carnis propinquitate quam ſpiritûs permoueri. Sed cùm neque per ſe, neque per amicos quicquam proficeret, inito cum filio Mauronto, Leuita & Abbate venerabili, conſilio, vtriſque placuit, vt pro huiuſmodi inobedientia & pertinacia, verberibus Euſebia caſtigaretur. Itaque Maurontus, tenente eam famulo, verberauit eam: ſed interim ad capulum enſis, quo famulus accinctus erat, grauiter attriuit latus teneri corpuſculi, ita vt multis, quibus poſteà ſuperuixit annis, purulentam & ſanguine mixtam ab ore ſaliuam eiecerit. Verùm neque hoc pacto eius compreſſo deſiderio & conatu, conuocant è propinquis locis epiſcopos, abbates & illuſtres viros: qui omnes varijs modis eam nitebantur ab hoc ſtudio reuocare, ſed fruſtrà. Tandem igitur conſilium hoc illius matri dedêre, vt ſineret eam optatum repetere locum: quibus etiam aſſenſit mater, quanuìs inuita. Confirmabat autem eius religioſam conuerſationem maternis adhortationibus, & Deo eam precibus commendans, à ſe dimiſit. Ea igitur voto potita ſuo, cum omnibus ſuis læta abijt ad Hamaticum cœnobium, ſecum eò reducens corpus proauiæ ſuæ cum venerandis ſanctorum reliquijs: ibi ſanè angelicam ducens vitam, in medijs adoleſcentiæ annis rapta eſt ad cæleſtis ſponſi thalamum, ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam illius: & conſummata in breui, expleuit tempora multa.

Euſebiæ amor erga Hamaticũ cœnobium.

Cap. 16.

Non deſunt autem, qui dente rodant canino, quòd diximus ſanctam virginem tam malè

malè acceptam à matre Rictrude & fratre Mauronto: ſed nouerint illi, Rictrudem nõ vllo odio inſectatam filiolã ſuam, ſed eius immaturæ timuiſſe ætati. Sciebat enim ſcriptum à ſapientiſſimo Salomone: Puer, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam. nec illud Eccleſiaſtici ignorabat: Filiæ ſunt tibi? ſerua corpus earum. Voluit igitur filiam apud ſe manere, vt ſuis & adhortationibus & exemplis ad perfectiora eam proueheret: & Euſebia, licèt ſe ſciret cæleſti regi deſponſatam, non tamen ſanctam matrem proteruè aſpernabatur, ſciens ſponſi ſui illud eſſe præceptum: Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram: ſed innitens gratiæ eius, qui ipſam ſibi deſponderat, eiuſque vnius flagrans amore, nec maternum quidem affectum ſibi patiebatur vllum feruoris ſui adferre detrimentum. Et Maurontus quoque frater eius, non odij crudelitate id fecit, quòd eam flagellauit: ſed matri immorigeram & propè inſolentem volebat coërcere. Etſi autem vterque & mater & frater in illa caſtiganda humano quodam errore lapſi ſunt, ignorantes gratiam Dei, quæ illi inerat: non debent tamen temerè repræhendi, cùm non poſſint ea numerari in operibus iniquitatis, quæ ex charitatis radice proficiſcuntur, dicente ipſa veritate Chriſto: Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Quòd verò hac occaſione in morbũ incidit ſacra virgo, quo etiam non caruit quandiù ſuperuixit: quis non videat hoc illi ad collatæ gratiæ cumulum acceſſiſſe, vt dum corpore deficeret, ſpiritu roboraretur, conuenienter illi Apoſtolicæ ſententiæ: Cùm enim infirmor, tunc potens ſum? Et certè eius conuerſatio talis fuit, vt verbis exprimi vix queat. Præbebat talia de ſeipſa exempla, quæ aliæ omnes meritò ſibi imitanda proponerent. Erant virginis prudentiſſimæ tales mores, talisque habitus, vt virtutes omnes ex ipſa relucerent: prudentia in verbis, iuſtitia in decernendis iudicijs, temperantia in licitis & vetitis, fortitudo in rebus duris & aduerſis. Cùm neceſſitas interdum cogeret negocijs intereſſe ſecularibus, nihil ex his eius animo inhærebat. Et vt paucis expediã, virtutes omnes obtinere ſtuduit, & tamen eaſipſas ſapienter occultauit. Ita annos nata plùs minùs vigintitres, cùm diuinitùs cognouiſſet diem obitûs ſui, omnes in ſancta profeſſione ſub ſe militantes acciuit, hortabatur eas in mutua perſeuerare charitate, in propoſito inuiolabiliter permanere, obediẽtiam promptiſſimè exhibere, nec de diuina quicquam diffidere prouidẽtia, licèt ipſa eis ſubtraheretur. Hæc atque alia cùm dixiſſet, omnesq; Domino commendaſſet, repentè domus, in qua decumbebat, immenſo eſt lumine perfuſa. Quo recedente, ſancta illa anima pariter migrauit à corpore, & ad vitam eſt profecta ſempiternam, 17. Calendas Aprilis.

Proner. 29. Eccli. 7. Exod. 20. Matth. 6. 2. Cor. 12. Euſebiæ encomion. Euſebiæ felix obitus.

Poſtquàm autem ſanctum epiſcopum & monachum Amatum Dominus ab hoc exilio ad cæleſtem patriam Idibus Septembris euocauit, ſacrum eius corpus Maurontus in ſua poſſeſſione tumulauit, omniaque prædia ſua per chartarum inſtrumenta tradidit †: & licèt matri ſuæ fuerit ſuperſtes, tamen etiam ipſe poſt expleta piæ adminiſtrationis munia, felicem Chriſto ſpiritum reddidit tertio Nonas Maij. Sed iam ad S. Rictrudem noſtra ſe recipiat oratio: quæ ſanè omni mentis ſtudio & toto corporis conatu bonis operibus dedita, & de virtute in virtutem proficiens, dilatato corde infatigabiliter cucurrit viam mandatorum Dei in ſtadio fidei & iuſtitiæ, patulis hauriens auribus illud Apoſtoli: Sic currite, vt compræhendatis, nempe brauium cæleſte. Et vt perfectiſſimam ſe exhiberet illius imitatione, qui dixit: Non veni facere voluntatem meam: alterius regimini ſe ſpontè ſubdidit, iuſſa eius promptiſſima obedientia capeſſens, & famularum ſeſe famulam exhibens: ſemper ob oculos verſans illa Saluatoris verba: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: nec vnquàm extra monaſterij ſepta progreſſa eſt, cunctiſque bonorum operum ſe exemplum præbuit in humilitate, in patientia, in obedientia, in caſtitate, in ieiunijs, in vigilijs, in orationibus perpetuis, in longanimitate, in manſuetudine, in modeſtia & benignitate. Et ne ſim longior, vt filia lucis ſemper ambulauit in luce, cuius fructus eſt in omni bonitate & iuſtitia & veritate: ſicque in ſanctarum virtutum ſtudio perſeuerans, cùm ad annos perueniſſet quatuor & ſeptuaginta, 4. Idus Maij, corpuſculum terræ, ſpiritum verò reddidit cælo: ſepultaque eſt honorificè à Dei ſacerdotibus alijſque Eccleſiaſtica dignitate ornatis viris, & permultis ad eius funus concurrentibus.

Cap. 17. † hic deeſt in exemplari M S monaſterio, aut aliquid eiuſmodi. 1. Cor. 9. Iohan. 6. Matth. 20. Epheſ. 5. S. Rictrudis decedit è vita.

Ne quis autem de eius meritis & ſanctitate poſſit ambigere, multa diuinitùs coruſcant virtutum & miraculorum ſigna ad eius ſacras reliquias, ſicut teſtantur, qui ſuis oculis cõſpexêre. Te igitur ſancta ac Deo dilecta Rictrudis toto cordis affectu obſecra-

Cap. 18. Au hor inuocat S. Rictrudem.

ſecramus, vt tuis ſanctis precibus & meritis, quibus variarum ſoluis ægritudinum nexus, nos à peccatorum noſtrorum vinculis abſoluas, vt benigniſſimi Saluatoris gratia his expediti, in tremendo iudicij die, cælis & terris ardentibus, ipſe nos à gehennæ flammis ereptos, tecum ad æternæ felicitatis gaudia deducat, cuius miſericordiæ nullus eſt finis: Cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt regnum, virtus, honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTI ALTERIVS ALEXANDRI, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

13. Maij. Cap. 1. QVO tempore impius Maximianus imperabat, perſecutio multa contra Chriſtianæ religionis ſectatores per omnes regiones commota erat. Centurio autem quidam, dęmonum amiciſſimus, Maximiani Imperatoris iuſſu erexit templum Ioui longè ab vrbe Roma ſtadio vno. Edixit igitur Maximianus Imperator, vt quicunque Chriſtianam fidem ſequebantur, dijs ipſis ſacrificare cogerentur: iuſſitque omnes præſtò eſſe in templi dedicatione, ac præcones ipſos per totam vrbem indicere, vt quicunque illic eſſent deorum ſtudioſi, craſtino die omnes in templi dedicatione cum Imperatore conuenirent. Itaq; omnes, audita præconum voce & tubæ ipſius clangore, parati erant vnà cum Imperatore in Iouis templo præſtò eſſe. Multi ergo, rebus omnibus omiſſis, templum adierunt, & Ioui ſacrificârunt. Quidam verò admodùm diues, Tyberianus nomine, ſub imperio ſuo habens milites, à Felice tribuno ſibi commiſſos, omnes illos conuocauit, eiſque hæc dixit: Audite, fratres. Scitis vos omnes, quemadmodùm Imperator præcepit, vt hodierno die in templo Iouis cuncti vnà cum ipſo præſtò ſimus. Parate igitur vos, vt mecum vnà in templum veniatis. Hæc cùm militibus ſuis diceret, nunciatum illis fuit, Imperatorem in templum veniſſe. Tunc celeriter cum Tribuno ipſo milites omnes properabant, vt Imperatori aſſiſterent.

Cap. 2. Alexander miles Chriſtianus. Vnus verò ex illorum numero, nomine Alexander, cùm à puero pietatem ſeruâs, Deum ipſum timeret, Tribuno reſpondit: Si ad Deum illum, qui verè Deus cæleſtis eſt, nobis eundum eſſe dixiſſes, eumque adorandum, rectè quidem locutus fuiſſes. Quos enim vos deos eſſe dicitis, dæmones illi ſunt, non dij. Tum Tyberianus: Non omnibus, inquit, dijs, ſed vni deo Ioui nobis nunc ſacrificandum eſſe dixi, licèt ſint alij, quos & Imperator, & nos colimus. Ad hæc Alexander: Iouem ipſum deum nominâſti: at ille talis eſt, qualis & cæteri, qui dæmones ſunt valdè fallaces, cùm eos à quibus coluntur, circunuenire atque omninò perdere ſoliti ſint: quemadmodùm & vos ipſi aſſeritis, illum ipſum Iouem aliquando mulierem appetiuiſſe, & cùm illâ iuxta mare inueniſſet, ipſam deceptam corrupiſſe. Quis veſtrûm vnquàm vidit, aut aliquando audiuit, Deum impuris facinoribus labefactari? Non ſolùm igitur, vt dixi, dæmones, ſed etiam fallaces illi ſunt. At noſter Deus corporeis oculis non cernitur, qui cæli & terræ effector eſt: neque ijs indiget ſacrificijs, quæ vos impuris dæmonibus offerre conſueuiſtis: ſed ſacrificium poſtulat purum ac ſine ſanguine. Hæc cùm Tyberianus audiuiſſet: Omitte, inquit, inſaniam iſtam, Alexander, & deos ipſos beneficiorum authores ne contemnas, nè fortè Imperator hæc audiat, & aduersùs me indignetur, quòd te talia dicentem feram.

Iupiter impurus.

Cap. 3. Hæc cùm dixiſſet, feſtinabat vnà cum Imperatore in templo eſſe: erat enim tēpus, quo Imperator dijs ſacrificia offerret. Memor verò eorum verborum, quæ à milite ſuo audiuerat, Maximianum adijt, & ita eum allocutus eſt: Milites omnes, Imperator, quos mihi maieſtas tua commiſit, tuo edicto inſeruientes vidi: vnus verò è militibus non ſolùm mihi repugnauit, ſed deos etiam ipſos contumelioſis verbis affecit, affirmans deos illos, quos tu Imperator, & nos colimus, dæmones eſſe impuriſſimos: neq; cogitat eos, qui edictis imperij tui aduerſantur, mea manu interfici. Hæc cùm Maximianus accepiſſet, militi, de quo hæc audiuerat, valdè iratus fuit: &, Vbinam, inquit, ille eſt, de quo hæc dicis? Agè duc illum ad me, vt ſciam quid ille ſentiat. Tum Maximiano Tyberianus: Ita edictum tuum, Imperator, & meipſum miles ille pro nihilo fecit, vt huc venire neglexerit. Ilicò Maximianus iuſſit tres milites abire, & illum ferreis

reis catenis vinctum ad ſe ducere. Beatus verò Alexander domi ſuæ in lecto requieſcebat: erat autem hora quaſi ſexta. Tunc Angelus Domini in ſomnis illi apparuit, & ait: Eſto fortis, Alexander, quoniam multa paſſurus es pro nomine Chriſti crucifixi: parata enim tibi ſunt tormenta multa. En veniunt ad te Imperatoris milites: ſed ne timeas, neque cor tuum expaueſcat: ego enim miſſus ſum, vt tibi opem feram aduerſùs omnia tormenta illa, quæ ab Imperatore afferenda ſunt. Surge igitur, & Deum tuũ ora: ego enim tecum ero, quoad curſum confeceris. Hæc cùm beatus Alexander ab Angelo audiuiſſet, ſurrexit, & Deo pſalmum illum cecinit: Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino, Suſceptor meus es tu, & refugium meum in die tribulationis meæ: Et quæ deinceps ſequuntur. Cumque pſalmum totum abſoluiſſet, domo ſua egreſſus, militibus illis occurrit, quos olim ſodales habuerat. Qui cùm Alexandrum vidiſſent, præ timore in terram ceciderunt: erat enim eius adſpectus, tanquam fulgur. *Angelus cõfirmat ſanctum virũ.* *Pſal. 90.*

Tunc beatus Alexander dixit: Surgite, fratres: quidnam timidi eſtis? Cui milites reſponderunt: Vidimus Dei potentia te circundatum, & præ timore in terram cecidimus. Ad hæc Alexander: Audite, inquit, fratres. Deus ille cæleſtis prouidit ſeruo ſuo. Facite igitur vos, quod iuſſi eſtis in eum, contra quem miſſi fuiſtis, & me vinctum ducite. Tum milites reſponderunt: Nos decreueramus nihil tibi dicere: quomodò igitur tu hæc ipſa cognouiſti? Non neceſſe habeo, inquit Alexander, vobis multa loqui, quoniam propero ad certamen mihi propoſitum, quod cæleſtis Imperator mihi præparauit. Ego enim ab vrbe Roma Byzantium vſq; iturus ſum. Hæc cùm dixiſſet beatus Alexander, flexit genua, & has preces ad Deum miſit: Domine Ieſu Chriſte, Deus patrum noſtrorum, laudabilis & benedictus es in ſecula. Nunc te precor, Domine, ne ſepares me à conſortio iuſtorum tuorum, neque me ad te venientem repellas: quoniam nomen tuum ſanctum & terribile mihi notum feciſti, quia tu es adiutor & ſuſceptor meus. Mitto, quæſo, Domine, Angelum tuum, qui mihi opem ferat, & coram Maximiano Imperatore orationem expeditam linguæ meæ ſuppeditet. Has preces cùm Alexander compleuiſſet, milites in ipſum manus coniecerunt, cumque vinctum ad Maximianum Imperatorem duxerunt. Mater autem ipſius Pœmenia eam rem ignorabat. Milites igitur feſtinabant quamprimùm ad Imperatoris tribunal Alexandrum ducere. Turbæ verò cùm eum vidiſſent, magnoperè obſtupuerunt: erat enim ætate valdè robuſtus, annum agens quaſi decimumoctauum, adſpectu ita formoſo, vt Angeli alicuius ſpeciem præ ſe ferre videretur. *Cap. 4.* *Ducitur vinctus Alexander ad Maximianum.*

Cùm verò & adſpexiſſent illum valdè hilarem, furore magno perciti, dixerunt: An non iſte, qui talis eſt, multò antè debebat apud Imperatorem deferri? Hæc cùm beatus Alexander audiuiſſet, exardeſcens, & vultum inſtar ignis accenſum habens, ad ſceleſtos illos homines conuerſus: Vos, inquit, de me Imperatori veſtro nunciate. Maximianus igitur cùm audiuiſſet Alexandrum præſtò eſſe, Tyberianum accerſiri iuſſit. Qui cùm veniſſet: En, inquit Imperator, adeſt ille, cuius cauſa milites miſimus. Cumque hæc dixiſſet, iuſſit Alexandrum ante tribunal ſiſti. Tunc Maximianus: Verè ne, Alexander, maieſtatem meam contempſiſti, quia ita ſtultè atque inſolenter Tribunum vnà cum ſocijs tuis ad templum ſequi noluiſti, vt mecum ſimul magnum deum Iouem coleres? Ad hæc Alexander: Ego, inquit, Deum meum, qui in cælis eſt, colo, & eius filium Ieſum Chriſtum, & Spiritumſanctum: alium enim ipſe neque noui, neque confiteri poſſum, cùm nullus alius ſit Deus, niſi quem ipſe colo. Cùm igitur præter cæleſtem hunc Deum alius non ſit, ne me ampliùs de deo alio interroges. Quòd verò ad maieſtatem tuam pertinet, ego neque minas, neque tormenta tua extimeſco, quæcunque à te mihi afferenda ſunt. *Cap. 5.* *Alexandri confeſſio.*

His auditis, iratus Maximianus, dixit: Et quid'nam poteſt facere Deus iſte, quem tu dicis? Reſpondit Alexander: Deus meus corporeis oculis non videtur, ſed omnia poteſt facere: neque quicquam eſt, quod eius potentiæ ſubiectum non ſit. At Maximianus: Eſt'ne Deus, qui ab hominibus in cruce ſuffixus atque interſectus fuit? Obmuteſce ſatana, inquit Alexander: non enim dignus es, qui Chriſtum crucifixum nomines. Stulte, quem crucifixum ac mortuum fuiſſe dixiſti, an non eundem audiuiſti à mortuis etiam reſurrexiſſe, & multis, qui mortui fuerant, vitam reſtituiſſe? Ad hæc Maximianus: Miſeret me iuuentutis tuæ, quòd ætate admodùm iuuenili te eſſe video. Miſereat te, inquit Alexander, conditionis tuæ, & reſipiſcens eripe teipſum à laqueis diaboli. Tum Maximianus dixit: Accede miſerrime, & Ioui deo ſacrifica, ne morte *Cap. 6.* *Magna libertate reprehendit tyrannum.*

morte peſſima intereas. Teipſum, inquit Alexander, miſerrimum appella, qui dæmones impuros veneraris: ego enim neque minas tuas, neque tormenta, quæcunque ipſe allaturus es, extimeſco, cùm verum Deum adiutorem habeam. Maximianus autem: Iam dixi, me tuî miſericordia commotum eſſe. Accede igitur & dijs ſacrifica. Idq́; ſi feceris, ſcito te vnum ex eorum numero futurum, qui in palatio meo regali primas tenent. Et quiſnam, inquit Alexander, deus ille eſt, cui à me ſacrificium offerri vis? Cui Maximianus: Magno Deo Ioui ſacrificium offeres. Tunc beatus Alexander, elatis in cælum manibus, ita Deum precatus eſt: Domine Ieſu Chriſte, ne derelinquas me humilem ſeruum tuum, ſed opem feras mihi peccatori & indigno. Cumq́ue preces compleuiſſet, oculos ad cælum erexit, & vidit cælos apertos, & filium Dei ſedentem ad Patris dexteram: ac tunc Maximianum rurſus interrogauit: Cuínam deo vis ſacrificem? Ioui magno, inquit ille. Ad hæc Alexander: An ignoras, dæmonem & fallacem iſtum eſſe, quem tu deum appellas: quondam mulierem quandam concupiuit, & eius amore captus, tauri forma ſe induit, & præſtigijs ſuis mulierem miſeram decepit ac fœdauit?

Blanditiæ diaboli.

Cap. 7. Hæc Maximianus cùm audiuiſſet, ridens ait: Hoc noſtrorum deorum potentiam demonſtrat, quòd hominibus tales ſe oſtendunt, quales ipſi volunt. Propterea, inquit Alexander, laudas illorum turpia facinora, quia cum illis conuenis, neque Deum illum cognouiſti, qui te honore & Imperio iſto donauit. Tum Maximianus: Mihi quidem dij Imperium hoc largiti ſunt. Cui Alexander: Tu quidem, inquit, veritatem odiſti, ob idq́ue Deum non agnoſcis: & quanuis prudens videaris, teipſum tamen perdidiſti, dæmonibus fidem habens. Iterùm dixit Maximianus: Multùm profectò me miſeret tuî, ob idque te ſuſtineo, cùm me contemnas, & ita mecum loquaris, quaſi tuî ſimilis ego ſim. Propterea, inquit Alexander, teipſum contemno, quòd prudens cùm appareas, ſtultus factus es, colens idola muta & ſenſu carentia. Cùm enim immortalem Deum & ſemper viuentem impiè dereliqueris, patrem tuum ſatanam diabolum ſecutus es. Relinque igitur tenebras, & ad lucem te conuerte, ne pereas, & in ſempiternum ignem tradaris. Tum iratus Maximianus, iuſſit ad ſe accerſiri Tyberianum Tribunum. Cumq́ue Alexandrum eieciſſet, tradens eum Tyberiano: En, inquit, hominem hunc poteſtati tuæ trado, quinetiam præcipio, vt ab vrbe Roma Byzantium vſque diligenter inquiras de noſtris dijs, & de Ieſu, qui dicitur, quem colit Alexander: cuius ſectatoribus, quoſcunque inuenies, nolim parcas, neque iſti Alexandro, ſed & ipſum, & omnes Chriſtianos affligas, vtcunque tibi viſum fuerit, vt omnes edicto meo aduerſantes cognoſcant manu mea ſe poſſe interfici. Tum beatus Alexander: Gratias ago tibi, Tyranne, quòd me per multas regiones celebrem fieri iuſſiſti. Per deos ipſos, inquit Maximianus, non effugies manus Tyberiani. Non enim ille tuî miſerebitur, quemadmodùm ego miſertus fui. Cui Alexander: De hac etiam re Deo meo gratias agam, ſi fortè dignus inueniar, qui vbique gentium pro Chriſti nomine labores & ærumnas patiar.

Martyr hortatur Tyrãnum, vt reſipiſcat.

Cap. 8. Hæc cùm audiuiſſet Maximianus, iuſſit Alexandrum extra tribunal eijci: quem cùm Tyberianus eieciſſet, & poteſtati ſuæ traditum haberet, poſtero die ſedens in tribunali, iuſſit ipſum illuc duci. Cùm autem duceretur, riſit ac dixit: En vt rurſus ſatanas ſe inſtruxit, & contra me armatus eſt. Poſtquàm autem ille ingreſſus fuit, Tyberianus ita eum affatus eſt: Quid eſt, ô Alexander? An adhuc in illa temeritate tua perſiſtis? Fac, quod dico: dijs ſacrifica, & teipſum à tormentis libera. Reſpondit Alexander: Vidi ego ſempiternam gloriam mihi præparatam: qua re delectatus ſum, & exultauit ſpiritus meus. Ad hæc Tyberianus: Si facies, quod iuſſit Imperator, & dijs ſacrificabis, tunc magis lætari & exultare poteris. At ſi perges temerè agere, illud tibi prædico per deos omnes, per omnes vrbes ac regiones oſſa tua à me diſpergenda eſſe. Ego, inquit, Alexander, facio quod iubet Dominus meus cæleſtis, neque minas tuas timeo, neque tormenta tua formido. Hæc cùm audiſſet Tyberianus, ira percitus, iuſſit Alexandrum ſuſpendi, & eius carnes laniari. Cùm verò laniaretur, vocem nullam emittebat: ſed erigens oculos in cælum, Deo ipſi gratias agebat. Quod cùm vidiſſet Tyberianus, iuſſit militibus Alexandrum è ligno depoſitum extra vrbem educere, grauibusq́ue catenis vinctum in Thraciam perducere.

Siſtitur ſanctus martyr curã Tiberiano.

Laniantur eius carnes, & gratias agit Deo.

Cap. 9. Angelus autem Domini eius matri apparuit in ſomnis, & ait: Surge Pœmenia: quamcelerrimè præpara pueros tuos & iumenta, nihil moleſtiæ in animo habens, ac filium tuum ſequere: martyrium enim pro Chriſti confeſſione illi obeundum eſt.

Hoc

Hoc igitur, vt dixi, tibi moleſtum non ſit, neque priùs deſiſtas, quàm ad locum ei propoſitum perueneris. Alexandri mater cùm hæc audiuiſſet ab Angelo, magnoperè lætata eſt: cumque ſurrexiſſet, ſicut dixit illi Angelus, iter faciens ſequebatur filium. Quæ in vrbem ingreſſa, in quam perductus fuerat, illic eum inuenit, quo tempore à Tyberiano Præſide interrogabatur. Cùm igitur optima illa fœmina eum vidiſſet, miſſa voce magna: Deus, inquit, ille altiſſimus paſtor bonus, cui tu credidiſti, adiutor tibi ſit, fili mi. Poſtquàm verò Tyberianus fœminæ illius vocem audîſſet, quæſiuit quænam eſſet vox illa: neque quiſquam ex illa turba, quæ multa illic aſſiſtebat, potuit dicere, vndenam ea vox aduenerat. Tum Alexandro dixit Tyberianus: Agè, miſer, dijs ſacrifica. Sacrifico, inquit Alexander, ſacrificium laudis cæleſti Deo meo. Ad hæc Iudex: An non dixiſti mihi, Alexander, veſtrum illum Deum ſacrificijs non egere? Talibus, inquit ille, ſacrificijs, qualia vos offertis, Deus meus non eget: ſed ſacrificium iuſtitiæ ac ſanctitatis requirit, quoniam Deus noſter ſanctus eſt. Tunc iuſſit Tyberianus faces accenſas eius maxillis admoueri, dicens: Videamus, an veniat Deus ipſius, & liberet eum de manibus meis. Itaque miniſtri ſatanæ fecerunt, quod iuſſi fuerant, & faces accenſas Alexandro admouerunt. Ille verò, elatis in cælum oculis, hæc dicebat: Gloria tibi ſit, Domine Ieſu Chriſte, qui Archangelum Michaëlem in Babylonem miſiſti, & tres illos pueros ab ignis fornace liberâſti. Tu, Domine, libera me ab hora hac & præſenti anguſtia, & Tyrannum hunc ſubijce poteſtati tuæ, vt & ego cum Dauide illud dicam: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. At cùm Tyberianus vidiſſet, ignem ipſum nullam vim habere contra Alexandrum, erubuit, & ſeruis ſuis præcepit, vt eum vinculis adſtrictum ducerent: quibus & dixit: Interim præite vos: ego verò ſequar. Mater autem Alexandri, cùm filium à Iudicis conſpectu abductum vidiſſet, rogauit milites, vt eam ſinerent filium adire atq; alloqui. Cùm igitur illa propè acceſſiſſet, & Alexander matrem vidiſſet: Benè, inquit, mater domina mea, huc veniſti: ſequere me vſque ad eum locum, qui propoſitus mihi eſt, quemadmodùm Chriſtus Dominus hoc mihi reuelauit. Quidam verò è militum numero cùm hæc viderent, dicebant: Tu quidem, Alexander, beatus es, quoniam magna eſt fides tua: magnus enim Deus eſt Chriſtianorũ. En vt multa tormenta paſſus pro nomine ipſius, nihil mali accepiſti. Hæc dicentes iter faciebant, vt à Tyberiano iuſſi fuerant. Cùm verò ad fontem veniſſent, & apud illum conſediſſent, cœperunt vnà cibum ſumere: & beatum Alexandrũ hortabantur, vt ipſe quoque id faceret: erant enim dies quadraginta, quibus vir ille beatiſſimus neque panem, neque aquam guſtauerat. Tunc Chriſti athleta, flexis in terram genibus, cœpit pſalmum illum canere: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxiliũ meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Domine Ieſu Chriſte, ſerua me ouem tuam ſine peccati labe, ne gaudeat inimicus meus ſuper me: quoniam cognoui nomen tuum ſanctum & terribile. Ne me confundas ante Tyrãnum hunc, ſed emitte Angelum tuum, & dexteram tuam, & eſto adiutor & protector meus. Cumque preces compleuiſſet, illa ipſa hora adſtitit Angelus Domini, eique dixit: Ne timeas, Alexander, quoniam exaudiuit Dominus preces tuas, & me miſit, vt tibi opem feram.

Mater eius confirmat eum.

Facibus accenſis inflãmatur.

Dan. 3.

Pſal. 65.

Pſal. 120.

Precatio eius.

Angelus eũ corroborat.

Cùm verò ij, qui cum illo erant, Angeli cum eo loquentis vocem audirent, & neminem viderent, valdè timuerunt, & in terram proſtrati ſunt. Tum Alexander: Quidnam, inquit, fratres, vidiſtis, quod vos in terram proſtrauerit? Illi autem reſponderunt: Audiuimus Dei vocem tecum loquentis, & timore perculſi ſumus, talem ſonum non ferentes. Hæc cùm illi dicerent, venit Tyberianus cum ſatellitibus ſuis. Erãt autem cum illo & eius vrbis optimates. Quæſiuit Tyberianus à miniſtris ſuis, quo nomine locus ille appellaretur. Reſponderunt illi, Iudicij locum appellari. Ducite, inquit Tyberianus, huc Alexandrum, qui Chriſtianum ſe eſſe dicit, vt interrogem, quodnam ſit eius conſilium, ſi fortè, mutata ſententia, dijs velit ſacrificium offerre. Cùm igitur Iudex ipſe pro tribunali ſederet, adſtiterunt quatuor conſiliarij. Tunc beatum Alexandrum interrogauit: Adhúcne in temeritate illa tua praua & inſania perſiſtis, neque dijs ſacrificas? Sed, vt video, corpus tuum robuſtum eſt, proptereà non vis ſacrificia dijs offerre. Me certè miſeret tuî, ob idque ad deos ipſos omnium dominos te conuertere vellem. Tum Alexander reſpondit: Impie & excæcate fili ſatanæ, cùm teipſum diabolo tradideris, quomodò te miſeret meî? Satanas enim pater tuus nemini miſericordem ſe præbet: ſed vult omnes ſecum vnà in gehennam ignis attrahere ac perdere. Itáne, inquit Tyberianus, homo ſceleſtiſſime, mecum loqueris,

Capis.

Siſtitur rurſus ad tribunal.

Veriſſima ſententia.

ris,quaſi ego ſim tui ſimilis? An propterea contumelioſis verbis me afficis, quòd te benignitate & miſericordia proſecutus fuerim? Id quidem te hortari debebat,vt me honore potiùs, quàm contumelia, proſequereris. Tum Alexander: Verè ſimilis es patri tuo ſatanæ,qui tanquam ſilex aliqua duriſſima, omni planè ſenſu cares. An ignoras locum hunc,Iudicium appellari? Quæ res manifeſtè ſignificat, tibi Dei iudicium imminere. Veniet enim,qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & vnicuique operum mercedem redditurus. Tum cognoſcere poteris, an hæc,quæ tibi dixi,vera ſint. Nam Deus ipſe te quoque iudicabit, quòd ſine miſericordia ſeruum ipſius iudices. Ille enim videt,quàm impiè mecum agas,& quibus tormentis me crucies. Sed hæc mihi gloriam, tibi verò perniciem maximam afferent.

Rom. 2. Apoc. 22.

Cap. 11. Per tribulos trahitur.

His auditis, Tyberianus magnoperè iratus eſt, iuſſitque tribulos in terram ſpargi, & Alexandrum ſuper illos ſterni ac diſtrahi. Has ærumnas cùm vir ille beatiſſimus pateretur,ne vocem quidem emittebat. Tyberianus verò,cùm animaduerteret Alexandrum eos cruciatus non ſentire, magis iratus, fraxineis virgis eum cædi iuſſit. At ille cùm à militibus cæderetur: Iſtáne, inquit,homo impuriſſime, tormenta tua ſunt? Adde alia,ſi qua habes his acerbiora: ego enim diuina ope adiútus, nihil iſtorum tormentorum ſentio, cùm Dominus meus Ieſus Chriſtus præſtò mihi ſit, & opem ferat. Habes igitur corpus meum in poteſtate tua: fac illi quod libet: animæ autem meæ, neque tu,neque pater tuus ſatanas vnquàm dominabitur,ſed Dominus meus Ieſus Chriſtus. Ad hæc Tyberianus: Iamiam te in ignem conijciam,vt videam, an veniat Chriſtus iſte tuus,quem dicis,& te è manibus meis eripiat. Illud enim velim ſcias,carnes tuas & oſſa per ſingulas regiones,per quas ego tranſiturus ſum,diſſipatum iri: &, ne mulieres ipſæ aliquid è carnibus tuis & oſſibus inueniant,quod poſteà vnguentis odoratiſſimis perfundat, & vt ſanctas aliquas reliquias venerentur, iubebo cineres tuos in fluuium proijci: ſicque ne veſtigium quidem aliquod memoriæ tuæ ſupererit. Tunc Alexander: Perdet,inquit,te Chriſtus ipſe,& carnes & oſſa tua ſub cælo ita diſperget,vt monumētum tuum quamprimùm diſpereat: futurum enim eſt,vt, Domino meo Ieſu Chriſto ita prouidente, non redeas, neque Imperatoris tui ſceleſti adſpectum videas: & delebit Deus memoriam tuam de terra,quoniam eum non cognouiſti,neque miſer illum honorâſti, qui honorem & poteſtatem iſtam tibi largitus eſt. Nam ſi ipſum cognouiſſes, in cælo viuere potuiſſes. At nunc viuentem Deum reliquiſti,& patrem tuum ſatanam diligis, cum quo in gehennam ignis detruſus peribis. Ego autem ſemper Domino meo & Saluatori Ieſu Chriſto benedicam, qui me ex manibus tuis iniquis eripiet, quoniam ipſius eſt gloria & imperium in ſecula.

Cæditur virgis fraxineis.

Prædicit Tribuno interitū eius.

Cap. 12.

Hæc cùm Tyberianus accepiſſet, furore magno percitus, vultum mutauit, & iuſſit miniſtros ſuos eo in loco manere, & cœnam parare. Cubuit autem illic ipſe cum toto ſatellitio ſuo: Alexandrum verò milites ipſi ſub arbore quadā collocatum ſeruabant. Cùm autem Tyberianus cubaret,adſtitit illi angelus Domini valdè terribilis qui gladium tenens: Tyberiane,inquit, aduersùm te ego veni, quoniam cum Alexandro Dei ſeruo tam iniquè te geris, vt videas ac ſcias, quàm facilè hoc gladio te interficere poſſim. Surge igitur, & per Illyricam regionem Byzantium quamcelerrimè propera: tempus enim Alexandri Deo ſeruientis iam propè eſt. Cùm Tyberianus rem ita terribilem vidiſſet, ita tremore correptus fuit, vt eius carnes ferè liquefierent. Cùm igitur tremens ſurrexiſſet,cohortibus ſuis & principibus viris conuocatis,viſum illud narrauit. Tum illi dixerunt: Volebamus quidem nos te admonere,ne malè atque iniuſtè Dei ſeruum cruciares, ſed timebamus: audiuimus enim & nos,magnum eſſe Chriſtianorum Deum, & eos, qui eius ſeruos cruciant, igne conſumendos eſſe. His auditis, Tyberianus valdè timuit,& illa ipſa noctis hora omnes iter facere, & beatum Alexandrum præire iuſſit. Cùm verò multas vrbes prætergreſſus fuiſſet, in nullam introiuit, vt ſeruaret, quod ab Angelo per viſum audiuerat, à quo admonitus fuerat, vt per Illyricam regionem quamprimùm Byzantium properaret. Per multos igitur dies non auſus eſt à beato Alexandro aliquid quærere: cuius corpus nulla ex parte debilitatum fuerat, ſed integrum & robuſtum erat.

Angel⁹ terret Tyberianum.

Cap. 13.

Prætetiens igitur per Illyricam regionem,venit in vrbem Sardiniam,in quā neque ipſe, neq; Iudex ingreſſus eſt. Cùm verò eius ciuitatis optimates eum aduentare audiuiſſent, obuiàm illi cum multo comitatu proceſſerunt. Chriſtiani etiam homines, qui illic erant, cùm audiuiſſent Tyberianum venire, martyrem quendam ſecum habentem, egreſſi ex vrbe, Alexandrum ſeorſum in via ſtantem inuenerunt. Quem cùm

vidiſſent,

vidiſſent, ad eius pedes ſe abijcientes, dixerunt: Precare Deum pro nobis, ſerue Dei altiſſimi. At ille: Vos etiam, inquit, fratres, pro me Deum precemini, vt curſum meum in Chriſto perficiam, & coronam, quam promiſit mihi Dominus, ab eo recipiam. Poſteà verò, quàm vrbem tranſiêrunt, quæ Cliſura nominatur, & ad caſtrum quoddam, Bonamaſium nomine, aduenerunt, quod eſt ſupra Philippi vrbẽ ferè milliaribus quadraginta, illic conſtiterunt. Tunc Tyberianus Alexandri memor fuit, & illum ad tribunal duci iuſſit: quem ſic interrogauit: Num, Alexander, adhuc permanes in temeritate tua, neque vis ab ea deſiſtere, & ad magnos deos ac miſericordes accedere, Iouem, inquam, & Aeſculapium, qui omnem terrarum orbẽ gubernant? Tum beatus Alexander: Excæcate, inquit, & ſtulte fili ſatanæ, adhùcne vis à me aliud audire, quàm quòd dæmonibus non ſacrifico? Ego enim initiò dixi, me Chriſtianum eſſe, & Dei cæleſtis cultũ ſeruare, neque impuros dæmones vobis ſimiles à me coli. Ad hæc Tyberianus: Auertat Deus, vt ego id faciam: non enim præcipio, vt dæmones, ſed Iouem & Aeſculapium, ſummos illos deos, colas. Obmuteſce, ſatana, inquit Alexander: nihil enim ſapis. Tum Tyberianus dixit: Si dijs ſacrificium vis offerre, quamprimùm dicas: ſin minùs, cur me & deos ipſos, ſceleſte, conuiciaris? Vide, Alexander, quid agas, & te miſereat tuî: rurſus enim per deos omnes futurum tibi prædico, vt per omnes terras de te ſermo diuulgetur. Hoc, inquit Alexander, valdè cupio, & precibus à Chriſto meo expoſco, vt omnes, qui terrarum orbem incolunt, ad Deum & Chriſtum Dominum per me humilem & abiectum eius ſeruum gloriam referant. Tunc ait Tyberianus: Auferte hinc hominem iſtum, & à conſpectu meo remouete: non enim eius contumelias ferre poſſum. Abducite ipſum in vrbem Philippi, & conijcite in carcerem: ego enim vos ſequar. Itaque cùm beatum Alexandrum Tyberianus præmiſiſſet, ipſe quoque in Philippi vrbem profectus eſt.

Rurſus martyr ad tribunal ducitur.

Tyrannus dum vult martyris gloriam obſcurare, eã maximè illuſtrat.

Cùm verò eius vrbis incolæ audiuiſſent, Tyberianum cum ſuis cohortibus aduentare, optimates multo cum comitatu obuiàm illi prodiêrunt: qui in vrbẽ illam ingreſſus eſt, Ioui & Aeſculapio ſacrificium oblaturus. Audiêrunt & Chriſtiani, qui erant in vrbe illa, quemadmodùm Tyberianus martyrem quendam in carcerem miſiſſet. Itaq; omnes in eum carcerem conuenerunt, & cuſtodem illius precati ſunt, vt fineret illos ad Chriſti martyrẽ introire, & eum videre. Id permiſit cuſtos, quippe qui & ipſe Deum timebat. Cùm igitur omnes ingreſſi, beatum Martyrem in ligno ſedentem, & vinculis adſtrictũ vidiſſent, ad eius pedes ſe deiecerunt, eumque, & ipſius vincula exoſculabantur, ac dicebant: Verè fauſtus & felix nobis fuit aduentus tuus, ſerue Dei: vrbem enim & patriam noſtram hoc ipſo felicem futuram ſcimus. Patientiam igitur ſerua, vt curſum tuum conficias. Nos autem Chriſtiani multo metu ac tremore hanc terrã incolimus. Nam huius loci Præſes ſingulis diebus nos Chriſtianos inquirit, vt puniat: ſed ille quidem nobis minatur: at poteſtatem tamen nullam habet, qua nos detinere poſſit, quo minùs Chriſtiani ſimus: multi enim, diuina ope adiuuante, in hac vrbe ſumus, qui Chriſti fidem tenemus, ex quorum numero ſunt & vrbis huius optimates. Iidem ſperamus Chriſti potẽtia Græcos ipſos, malè de fide Chriſtiana ſentientes, ita ſuperatum iri, vt omnes fiant Chriſtiani. Eſto igitur patiens Chriſti martyr, & quicunque ab impio Iudice cruciatus afferentur, eos forti animo perferas.

Cap. 14.

Chriſtiani ſancti martyris vincula oſculãtur

Intereà Tyberianus recordatus fuit, ſuo iuſſu Alexandrum fuiſſe miſſum in carcerem. Itaque ciuitatis illius optimatibus dixit: Scire debetis vos, Chriſtianũ hominem ab Imperatore ex vrbe Roma fuiſſe mihi traditũ, quem per totam viam admonerem atque hortarer, vt ad deorum religionẽ ſe conuerteret. Verùm nihil adhuc in eo profeci: dura enim quædam reſpondens, & me & deos ipſos contemnit: cumque multis cruciatibus eum ſubiecerim, nihil illis læſus eſt. Si placet igitur, vobis præſentibus, huc illum accerſiri iubebo: fortaſſe multos reueritus, ad deos ipſos beneficiorum authores ſe conuertet. Alexandrum igitur eductum e carcere, illuc accerſiri, & ante tribunal ſiſti iuſſit. Cùm igitur eò ductus eſſet, Tyberianus cum ciuitatis Præſide Alexandrum ſic interrogauit: Agè Alexander, an adhuc perſuaſum non habes, vt à priore ſententia diſcedas? Cumque Chriſtiani homines, qui in hac vrbe ſunt, omnes dijs ſacrificent, túne ſolus nobis repugnas, & deos contemnis? Agè ſaltem nunc mecũ vnà & cum Præſide templum ingredere, & dijs ſacrifica. Tum beatus Alexander: Excæcatæ mentis homo, fili ſatanæ tecum vnà ſedentis, quid à me vis ampliùs audire? Sæpiſſimè tibi dixi, me Chriſtianum eſſe, & dæmonibus impuris non ſacrificare. Nunc igitur his omnibus audientibus profiteor, me cæleſtis Dei cultorem eſſe, neque Domini mei Ieſu Chriſti

Cap. 15.

Rurſus ſiſtitur coram Tyberiano.

Fortiter reſpondet tyranno.

nomen à me negari. Scito nihil prætereà te à me auditurũ. Hæc cùm Tyberianus vnà cum Præſide audiuiſſet,iuſſit Alexandrũ illinc amoueri,dicens: Abducite iſtũ,milites, & vinctum per plateam ducite: ego enim vos ſequar. Cùm verò milites vnà cum illo ad fluuium quendam veniſſent, cui nomen eſt Sermius, beatus Alexander manus & faciem lauit,& ad orientem ſolem conuerſus, his verbis Deum precatus eſt: Domine Ieſu Chriſte,laudo glorioſum & ſanctiſſimum nomen tuum,quòd mihi dediſti,vt & in vrbe Philippi nominis tui confeſſionem ſeruarem.

Cap.16. His dictis, milites eum abduxerunt: cumque ad locum quendã veniſſent, vbi emporium erat,quod Caſtrameratio dicebatur,eos Tyberianus conſecutus eſt: qui cùm Alexandrum vocâſſet, ei ita dixit: Scis, Alexander, crebrò te fuiſſe à meipſo admonitum,neque tamen dijs ſacrificium offerre voluiſſe? Rurſus, inquit Alexander, fili ſatanæ,vis à me audire, quòd non ſacrifico? Sæpiùs dixi me Chriſtianum eſſe. Tum Tyberianus ira percitus,iuſſit Alexandrum,ad quatuor palos alligatum & extenſum,à quatuor militibus ducentis verberibus pulſari. Hos cruciatus cùm ſanctiſſimus ille Martyr fortiter ſuſtineret,vocem nullam emittebat,ſed oculos in cęlum ad ſuũ Dominum Ieſum Chriſtum erectos tenebat. Tum vox hæc audita eſt,è cælo demiſſa: Eſto bono animo,Alexander,neque tormenta iſta timeas: breuia enim ſunt, egoque tecũ ſum. Hac voce audita, Tyberianus valdè timuit, iuſſitque carnifices ab Alexandro abſtinere. Abduxerunt igitur illum milites. Poſteà verò ad caſtrum quoddam, cui nomen eſt Caraſura,quod quadraginta milliaribus ab vrbe Philippi, & decem & octo diſtabat à Berœa, Alexander & Tyberianus peruenerunt. Cumque Tyberianus illuc ingreſſus eſſet,in caſtro illo diuerſatus eſt hora ferè ſexta. Milites verò ſanctum martyrem Alexandrum ſecum habentes, vnà cum ipſo prope caſtrum aliud ad locũ arboribus conſitum diuerterunt.

Diriſſimè verberatur.

Cælitùs cōfortatur.

Cap.17. Tum martyr Alexander dixit militibus: Eamus,fratres,ad arbores illas. Cùm enim eum locũ vidiſſet, valdè oblectatus eſt. Itaque cùm eò veniſſent: Verè, inquit, fratres, ego ſitio. Illi verò: Et vndenàm hîc aquam habebimus? Expectate paulìſper, fratres, inquit Alexander: poteſt enim Deus meus etiam hoc in loco nobis aquã ſuppeditare.Cumque hæc dixiſſet,flexis genibus, ita Deum orauit: Domine Ieſu Chriſte,qui lapidem in ſolitudine olim diſcidiſti,& aquam ex illo eduxiſti, ne populus tuus Iſraëliſiti deficeret: nunc tu miſericors reſpice ſeruũ tuum, & hoc in loco aquam præbe,vt ego ſeruus tuus bibam,& nomini tuo gloriã reddam. His dictis, ſtatim tellus, quæ infra arbores illas erat, aperta eſt, & gelidiſſima ac puriſſima quædam aqua erupit: vnde & Alexander,& milites,qui cum illo erant,biberunt. Id cùm vidiſſent milites,quod tam mirabiliter ſanctus martyr fecerat, mirati ſunt, & inter ſe dicebant: Verè magnus eſt Deus Chriſtianorum,quoniam ſic ſeruos ſuos exaudit. Tunc Tyberianus ſedens pro tribunali, iuſſit beatum Alexandrum illuc duci: quem interrogans: Agè, inquit, dic Alexander: Facìſne quod iubet Imperator,an non? Reſpondit ille: Ego cæleſtis Imperatoris mei edicto parere volo,neque te aliquid eſſe puto, neque Imperatorem tuum, mortalem & caducum hominem. Hoc reſponſum cùm Præſes ab eo accepiſſet, non ampliùs illic eum interrogare voluit: ſed conuocatis militibus, Celeriter, inquit, iſtum compræhendite,& in vrbem Berœam abducite. Ceperunt igitur illum milites, & ad fluuium quendam venerunt, cui nomen erat Arzon. Cùm autem eſſent feſſi de via,ſeipſos apud flumen illud refrigerabant. Illic quoque beatus Alexander manus & faciem lauit. Cumque arbores quaſdam celſiores vidiſſet: Venite, inquit, fratres, & parumper ſub arboribus illis quieſcamus. Cùm igitur illic milites cum Alexandro ſederent,venit Tyberianus: qui cùm eos ita ſedẽtes vidiſſet,Cur, inquit, ſceleſtiſſimi ſerui,hominem iſtum ſedere permittitis?

Exod.17.

Precibus à Deo aquam impetrat.

Cap.18. Poſteà verò,quàm in Berœam vrbem Tyberianus ingreſſus eſt, eius ciuitatis optimates illum acceperunt. Quanuis enim plerique ipſorũ Chriſti fidem ſeruarent, Imperatoris tamen metu eam rem diſſimulabant. Qui autem Chriſtianam fidem profitebantur,audientes Chriſti martyrem Alexandrũ illuc venire, magno gaudio affecti, illum acceperunt, quem ita ſalutârunt: Felix & fauſtus eſt aduentus tuus in vrbem & patriam noſtram, ſerue Dei Alexander: tuo enim aduentu omnes res noſtræ feliciores factæ ſunt.Eſto igitur fortis pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,neque quicquã dubites. Cùm adhuc illi verba facerent, iuſſit Tyberianus Alexandrum ante tribunal ſiſti. Quem cùm prope ſe haberet: Agè, inquit, Alexander, mihi obtẽpera, tanquam patri tuo,& mecum veniens dijs ſacrificium offeras: id enim ſi facies, audientibus his omni-

Sãctus martyr venit Berœam.

omnibus,tibi polliceor,te ſtatim abſoluendum eſſe: ac, ſi ex illa ipſa hora mecum eſſe volueris,eris vt vnus ex ijs, qui principem locum in exercitu ipſo tenent: at ſi mecum eſſe tibi non placuerit,liceat ire quocunque libet.Hæc cùm beatus Alexander audiuiſſet,ridens dixit: O acerbam & triſtem conſolationẽ, qua in me vſus es. Verba iſta tua acerbitatis plena ſunt: iſta enim admonitio maiorem cruciatum animæ meæ affert. Sed auertat hoc Deus,vt ego conſilium tuum ſequar. Sæpiſſimè tibi dixi me Chriſtianum eſſe,& impuris dæmonibus non ſacrificare. Illud igitur ſcito, me nihil aliud, niſi quod audiuiſti,poſthac dicturũ.Tunc Tyberianus egreſſus ab vrbe,præcepit militibus, vt Alexandrum vinctum per viam publicam ducerent,& ipſum Tribunum Martyr ſequeretur. En vt ſancti aſpernâtur vitæ huius blandimẽta

Cùm igitur Tyberianus ad fluminis, quod ſuprà diximus, vadum alterum veniſſet, qui locus quadraginta ferè milliaribus diſtabat à Berœa vrbe, vbi & hoſpitia multa erant,illic Martyrem expectabat. Poſteà verò, quàm Alexander martyr eò venit, vbi erat Tyberianus, eum rogauit, vt tempus ſibi concederet,quô Deum orare poſſet. Cumque illic vidiſſet magnam arborem nucem,ad illam acceſſit, ſub qua flexis genibus ſic Deum orauit: Domine Ieſu Chriſte,mitte Angelum tuum, & accipe animam meam,quoniam nihil ampliùs ferre poſſum.Cùm verò Tyberianus Alexandrum precantem vidiſſet: Rurſus,inquit,magicas preces iſte aggreditur.Miror ego valdè,vndenàm iſte has prudentes orationes didicit: ſcio enim manibus meis illum educatum,& militem creatum fuiſſe: neque vnquàm noui,quòd ille hæc ſciret. Hoc igitur eſt,quod valdè miror,vndenàm hæc didicerit.Illum igitur ad ſe vocauit,& his verbis affatus eſt: Agè iam, Alexander,dijs ſacrifica. Ad hæc ille: Verè mens tua tenebris perfuſa eſt,qui cogis me denuò tibi dicere, quod ſæpiſſimè dicentem me audiuiſti. Hæc vbì audiuit Tyberianus, iuſſit oleum calidiſſimũ fieri, & ſupra illius terga effundi. Angelus autem Domini venit,& vas,in quo oleum erat,confregit, & oleum ipſum in miniſtros Tyberiani effudit. Id verò cùm ille vidiſſet, furore accenſus, ac miniſtros increpans: Itáne, inquit,nihil potuiſtis iſti facere? neque quicquam Alexander paſſus eſt? Tunc vectibus eum cædi iubens, aiebat: Sacrifica dijs, Alexander. Ad hæc ille: Obmuteſce, ſatana, qui veritatis es inimicus, & patris tui diaboli amicus. Hæc Præſes audiẽs, iratus illi eſt, & dentibus frendens,iuſſit, facie in terram verſa, proſterni ſub nuce illa, & à quatuor carnificibus verberari. Cùm ille autem verberaretur, vocem nullam emittebat. Tunc videns Tyberianus,quòd nihil proficeret,iuſſit milites deſinere. Alexander verò cùm ſurrexiſſet, has preces ad Deum fudit: Domine Deus, benedicas, quæſo, arbori huic, quoniam ſub eius ramis nomen ſanctum tuum confeſſus fui. Hæc vbì Alexander dixiſſet, Chriſtianorum hominum multitudo, quæ vſque ad arborem, quam diximus, comitata eum fuerat,ſalutato illo,in regiones ſuas reuerſi ſunt. Cap. 19. Cæditur vectibus. Verberatur atrociter.

Milites autem, cùm ſanctum martyrem appræhendiſſent,abiêrunt per viam illam, per quam à Præſide iuſſi fuerunt: Præſes verò ſequebatur, cateruam ſecum habens: cumque milites illos vnà cum beato martyre conſecutus eſſet,ſimul in locũ quendam venerunt, Bortiam nomine. Quæſiuit autem Præſes ab eius loci hominibus,quanam via compendioſiùs ad Europolitarum prouinciam peruenire poſſent. Illi reſponderunt,compendioſius iter futurũ, ſi tranſeuntes per montes, in campum quendam deſcenderent,in eum locum, qui dicebatur Burtodexion. Cùm enim Tyberianus multos Chriſtianos in vrbe Adrianopoli eſſe audiuiſſet, deflexit de via publica, ne in vrbẽ illam ingrederetur. Cùm igitur eam vrbem à dextera, & caſtrum à ſiniſtra reliquiſſet, tranſijt per montes illos,ſicut ab eius loci hominibus didicerat, & venit in Burtodexion. Cùm verò beatus martyr Alexander illuc veniſſet, matrẽ ſuam inuenit. Quæ, viſo filio,ad eius pedes ſe deiecit,& flere cœpit. Poſteà verò ſurrexit, & filium oſculata eſt. Tum beatus Alexãder illi dixit: Noli,mater mea,flere: ſpero enim futurum,vt Domini mei Ieſu Chriſti ope adiutus,craſtino die curſum meum perficiam. Manſit autẽ Tyberianus apud caſtrum illud, & octaua noctis hora illinc diſceſſit, & milites ſuos ſequi iuſſit, Alexandrum vinctum ducentes. Cap. 20. Adrianopoli multi Chriſtiani.

Orto autem ſole,venit ad fluuium quendam,apud quem erat hoſpitium.Fluuium autem illum eius loci homines Zioncellum vocari dixerunt. Illic beatũ Alexandrum Tyberianus ad ſe accerſiuit,eique dixit: Agè,Alexander,audi me,deosque ipſos confitere.Tum Alexander: Vaniſſime,inquit, homo, & patri tuo ſatanæ addicte, rurſus me interrogas,& deos vocas,qui nõ ſunt? Ad hæc Tyberianus: Multos cruciatus tibi adhibui,neque quicquam adhuc profeci, & ab vrbe & patria mea peregrinatus ſum, ne- Cap. 21.

que adhuc aſſequi potui, vt te ad deos cõuerterem. Nunc igitur ſcito, hodierno die rerum tuarum finem futurum. Idque cùm dixiſſet, ad eum locum properabat, in quo Chriſti martyr certamen ſuum confecturus erat. Celeriter igitur ad locum peruenit, qui Drizipera vocabatur. Sedit verò in ſublimi quodam loco vltra fluuium Erginam, ad orientem ſolem conuerſus. Cumque Alexandrum accerſiuiſſet: En, inquit, finis tuus hodierno die præſtò eſt. Iubeo corpus tuum in fluuium proijci, vt feræ illæ, quæ ſunt in aquis, carnes tuas conſumant. Gratias, inquit Alexander, tibi agam, Tyranne, ſi verè facies quod dixiſti, vt eripiat me Dominus de manibus tuis iniquis. His auditis, ſententiã aduersùs illum Tyberianus pronunciauit. Cumque quatuor militibus eum ſecuri feriendum tradidiſſet, illos dimiſit, & illinc abijt.

Gratias agit martyr, ſi morti addicatur.

Cap. 22. Milites igitur illum appræhenderunt, & ad dexteram partem eius viæ ad Boream vergentẽ feſtinabant, vt facerent quod iuſſi fuerant. Beatus verò Alexander cùm huc atque illuc circunſpexiſſet, & turbas, quæ ad eius ſpectaculũ conuenerant, vidiſſet, petijt à carnifice, vt Dei orandi facultatem ei præberet: idque cùm carnifex conceſſiſſet, aquam petijt. Tunc vnus ex ijs, qui ad ſpectaculũ venerant, vaſe quodam aquam è fluuio Ergina celeriter ad beatum Alexandrum attulit. Ille verò manus & faciem lauit, ac totum corpus Cruce ter ſignauit, & ad Orientem conuerſus: Gloria, inquit, tibi ſit, Deus patrum noſtrorũ, Abraham, Iſaac & Iacob, quem omnia contremiſcunt & adorant, cæli & terræ opificem, & totius cæleſtis potentiæ effectorem. Te quoque vniuerſarum rerum Deum corporeis oculis non ſpectabilem, incorruptum & inuiolatũ Seraphini magno cum timore adorant, qui non audentes erectis oculis te intueri, clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus: plena eſt omnis terra gloria tua. Sol ipſe perætherẽ quadrigam ſuã ducens, tibi benedicit. Terra & homines, qui in terris ſunt, iumenta & omnis ſpiritus tibi gloriam canunt, qui ſolus es in omnia ſecula Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Recordare, Domine, illorum, qui te metuentes, tibi grati ſunt, & ſanctum nomen tuum decantant. Ne deſpicias me, Domine benigniſſime, ſeruum tuum peccatorem & indignum. His dictis, ſe ad eam turbam, quæ illuc venerat, conuertit ac dixit: Admoneo vos fratres & patres, Deique mei nomine vos hortor, vt labores meos recordemini, quos pati non recuſaui. neque enim piger fui pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt propitius ſiat peccatis meis, & genti noſtræ, quoniam miſericors eſt & clementiſſimus ipſe Dominus Ieſus Chriſtus. Scitis enim, fratres, quantum iter fecerim cum impio & iniquo Tyberiano, qui per totã viam nunquàm mihi parcens, multos cruciatus in me intulit. Sed hæc omnia ſuſtinui propter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt curſum meum perficerem, & Tyrannum contra me bellum gerentem, & diabolum concertantem ſuperarem: ipſe enim fuit adiutor Tyberiani.

Totum corpus Cruce ter ſignat.

Eſa. 6.

Cap. 23. Cumque hæc turbis dixiſſet, ad carnificem conuerſus: Mane, inquit, frater, parumper, vt adhuc Deum orem: ac, flexis genibus, ita Deũ precatus eſt: Domine Ieſu Chriſte, exaudi ſeruum tuum, qui nominis tui cauſa laborauit, & da gratiam corpori meo, vt quo loco illud repoſitum fuerit, illic ſigna, prodigia & curationes ad tui nominis gloriam edantur. Statim autem vox hæc è cælis demiſſa eſt: Quæcunque petijſti, dilecte & perfecte martyr Alexander, omnia faciam, neque quicquam denegabo. Iam verò veni, & cum patribus tuis requieſce: paratum enim eſt tibi Regnum cælorum, teque Michaël Archangelus excipiet, coronam recepturum, quam concupiuiſti. Hac voce audita, beatus Martyr ſurrexit è terra, & milites hortatus: Citò, inquit, fratres, facite quod iuſſi eſtis. Cæleſtinus autem quidam (ſic enim appellabatur vnus ex ijs, qui illic ſtabant) ei dixit: Ego ſum, Martyr Chriſti, cui negocium hoc impoſitum eſt: ſed precare Deum pro me, ne mihi peccato ea res ſit. Tunc beatus Alexander: Agè, inquit, fili, fac quod iuſſus es: peccatum enim non eſt facere, quod iuſſus fueris. Hoc cùm ille dixiſſet, gladium eduxit Cæleſtinus, & linteo ſumpto, oculos beati Alexandri contexit. Cùm verò illum percutere voluiſſet, Angelum aſſiſtentem vidit, neque ampliùs auſus eſt manus in ipſum inferre. Tum beatus Alexander: Agè, frater, fac quod iuſſus es. At carnifex: Timeo, inquit, ſerue Dei: Video enim viros quoſdam terribiles circa te ſtantes. Tum beatus Alexander Deum ita precatus eſt: Domine Ieſu Chriſte da, vt hac hora martyrium complere poſſim. His precibus ad Deum miſſis, Angeli parumper ab ipſo receſſerunt. Itaque carnifex Alexandri caput gladio abſcidit: eiusque beati viri animam Angeli ad cælum ſuſtulerunt, Deum ipſum magna voce laudantes, turbis omnibus, quæ illic erant, audientibus. Itaque beatus Alexander martyrium compleuit in Patris, Filij, & Spiritûs ſancti nomine.

Orat Deum iam iamque gladio feriendus.

Carnifex nõ audet eum cædere.

Gladio percuſſus migrat ad Dominum.

Eius

Eius autem mater cùm properans ad eum locum veniſſet, qui Zorolus dicebatur, quærens à militibus Tyberianis: Vbinàm, inquit, eſt filius meus? Tum illi vnus è militibus reſpondit: Sententia hodiè filio tuo decreta eſt in loco quodam, qui appellatur Drizipera: diſtat autē hinc locus ille (vt opinor) ferè decem & octo milliaribus. Cùm igitur mater rem ita ſe habere didiciſſet, publicam viam ingreſſa, venit in eum locum, qui Drizipera nominabatur. Dum verò iter faceret ac lamentaretur, &, tanquam bos aliqua proprium vitulum quærens, ingemiſceret, occurrit militibus. Illi enim cùm ſancti Martyris caput abſcidiſſent, eius corpus in fluuium proiecerant. Diuina verò prouidentia factum eſt, vt quatuor canes in fluuium illum venirent, & ſancti Martyris corpus inuentum, è fluuio extraherent, ſuiſque linguis illud lambentes, ac propè ſedentes cuſtodirent. Vt autem beati Alexandri mater duobus milliaribus prope locum illum veniſſet, in quo Martyris corpus ſitum erat, duo illi canes accurrentes, ipſi obuiàm venerunt, & vterque, vnus à dextera parte, alter à ſiniſtra, mulierem ipſam ad eius filium rectà deduxerunt. Illa verò ſancti Martyris corpus accepit, & vnguentis multis ac precioſis linteis inuolutū, depoſuit in monumento quodam inſigni vltra fluuium Erginam, occidentem ſolem versùs, quemadmodùm Spiritui ſancto viſum fuit. Poſteà verò, quàm Spiritum ſanctum adiutorem habēs, omnia, quæ cupiebat, expleuit, Domini noſtri Ieſu Chriſti præſtante gratia, Angeli multi vnà cum ea pſalmos canebant. Cap.24. Illuſtre miraculum.

Magna verò quædam miracula beatus martyr Alexander edens, adiuuat eos, qui vexantur, & his, qui diuturnis morbis affliguntur, curationem affert, Chriſti ope auxiliante, cuius ipſe particeps factus eſt. Martyrium autem compleuit ſanctus Alexander xiij. die Menſis Maij, ſub Tyberiano illo homine valdè impio, imperante Maximiano, iniquo & impio tyranno, in nobis autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto Saluatore: Cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. Cap.25. Beat⁹ Martyr, Chriſti ope miracula magna edit.

Apparuit autem ſanctus Alexander, completis rebus omnibus, matri ſuæ, eique dixit: Benè, mater, laboràſti, & per totam viam defatigata es, vt proprium filium ſequereris. Det tibi Dominus meus Ieſus Chriſtus in Regno ſuo, vt mecum vnà mercedem habeas. Ne igitur mœrore afficiaris: ſed pueros tuos tecum habens, cum pace redeas in locum tuum: ſpero enim à Domino meo Ieſu Chriſto me impetraturum eſſe, vt citò te quoque aſſumat in eum locū, in quo ego ſum. Hæc cùm beata illa Pœmenia audiuiſſet, & Dei gloriam celebrās ipſi gratias egiſſet, vnà cum pueris ſuis læta reuerſa eſt, perſuaſum illud habens, quòd beatum Alexandrum Domino noſtro Ieſu Chriſto magnum donum obtuliſſet. Magna igitur gratia eo in loco ineſt, vbi repoſitæ ſunt ſancti & glorioſi Martyris precioſæ reliquiæ, in gloriam & laudem Chriſti Dei noſtri: quoniam ipſi gloria eſt in ſecula ſeculorum, Amen. Cap.26. Nota de reliquijs ſancti martyris

DE S. SERVATIO TVNGRORVM EPISCOPO, EX GREGORII TVRONENSIS HISTORIA *Francorum: Lib.2.cap.4.5.&6.*

MVLTAE hæreſes eo tempore Dei Eccleſias impugnabāt, de quibus plerunque vltio diuina data eſt. Nam & Athanaricus Gotthorum rex magnam excitauit perſecutionem: qui multos Chriſtianorum diuerſis pœnis affectos, gladio detruncabat. Vnde factum eſt, vt exigente iudicio Dei, propter effuſum iuſtorum ſanguinem, regno depelleretur, & eſſet exul à patria, qui Dei Eccleſias impugnabat. Sed ad ſuperiora redeamus. 19.Maij. Cap.4. Hæreſes diuinitùs puniuntur.

Igitur rumor erat, Hunnos in Gallias velle prorumpere. Erat tunc temporis in Tungris oppido Seruatius, eximiæ ſanctitatis Epiſcopus, qui vigilijs ac ieiunijs vacans, crebro lachrymarum imbre perfuſus, Dei miſericordiam deprecabatur, ne vnquàm gentem hanc incredulam, ſeque ſemper indignam, in Gallias venire permitteret. Sed ſentiens per ſpiritum ſanctum, pro delictis populi hoc ſibi non fuiſſe conceſſum, conſilium habuit petendi vrbem Romam, ſcilicet vt adiunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrocinijs, quæ humiliter à Deo flagitabat, faciliùs obtinere mereretur. Accedens ergo ad beati Petri Apoſtoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in mul- Cap.5. S. Seruatius Romæ inuocat S.Petrū.

ta abſtinentia, maxima inedia ſe conſumens, ita vt biduo triduoque ſine vllo cibo & potu permaneret, nec eſſet interuallum aliquod, in quo ab oratione ceſſaret.

Cumque ibidem per multorum dierum ſpatia in tali afflictione moraretur, fertur S.Petrus ei apparet. hoc à beato Petro Apoſtolo accepiſſe reſponſum: Quid me vir ſanctiſſime inquietas? Ecce enim apud Domini deliberationem prorſus ſancitum eſt, Hunnos in Gallias aduenire, easque maxima tempeſtate debere populari. Nunc igitur ſume conſilium meum, accelera velociter, ordina domum tuam, ſepulturam compone, require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi ſunt Hunni in Gallijs, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter.

Hoc à ſancto Apoſtolo pontifex reſponſo ſuſcepto, iter accelerat, Galliasque velociter repetit: veniensque ad vrbem Tungrorum, quæ erant neceſſaria ſepulturæ, ſecum citiùs leuat: valeque dicens clericis ac reliquis ciuibus vrbis, denunciat cum fletu & lamentatione, quia non viſuri eſſent vltrà faciem illius. At illi cum eiulatu magno & lachrymis proſequentes, ſupplicabant humili prece, dicentes: Ne derelinquas nos, pater ſancte, ne obliuiſcaris noſtrî paſtor bone. Sed cum eum fletibus reuocare Apud Traiectum moritur. non poſſent, accepta benedictione cum oſculis, rediêrunt. Hic verò ad Traiectenſem vrbem accedens, modica pulſatus febre, receſſit à corpore: ablutusque a fidelibus, iuxta ipſum aggerem publicum eſt ſepultus. Cuius beatum corpus qualiter poſt multorum temporum ſpatia ſit tranſlatum, in libro miraculorum ſcripſimus. (nempe de Confeſſorum gloria, cap.72.)

Cap.6. Igitur Hunni, à Pannonijs egreſſi, vt quidam ferunt, in ipſa ſancti Paſchæ vigilia ad Metenſem vrbem omnia depopulando perueniunt, tradentes vrbem incendio, popu- Metis vaſtatur ab Hunnis &c. lum in ore gladij trucidantes, ipſosque ſacerdotes Domini ante ſacroſancta altaria perimentes. Nec manſit in ea locus inuſtus, præter oratorium B. Stephani primi martyris ac Leuitæ. De quo oratorio quæ à quibuſdam audiui, narrare non differo. Aiunt enim, quia priuſquàm hi hoſtes venirent, vidiſſe ſe virum fidelem in viſu quaſi conferentem cum ſanctis Apoſtolis Petro ac Paulo beatum Leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem: Oro domini mei, vt non permittatis obtentu veſtro Metenſem vrbem ab inimicis exuri: quia locus eſt, in quo paruitatis meæ pignora continentur: ſed potiùs ſentiant populi aliquid me poſſe cum Domino. Quòd ſi tantum facinus populi ſupercreuit, vt aliud fieri non poſſit, niſi ciuitas tradatur incendio, ſaltem vel hoc oratorium non crementur. Cui illi aiunt: Vade in pace, dilectiſſime frater: oratorium tantùm tuum carebit incendio: pro vrbe verò non obtinebimus, quia Dominicæ ſanctionis ſententia ſuper eam iam proceſſit. Inualuit enim peccatum populi, & clamor malitiæ eorum aſſcendit coram Deo. Ideò ciuitas hæc cremabitur incendio. S.Stephani oratorium manet illæſum. Vnde proculdubiò creditur, quia horum obtentu, vrbe vaſtata, oratorium permanſit illæſum. Hactenùs ex Gregorio Turonenſi: cuius quidem ea, quæ de Metenſi vrbe habet, idcircò huc adſcripſimus, quòd pertineant ad eam reuelationem, quæ Romæ facta eſt beatiſſimo Seruatio de Galliarũ excidio. Iam quædam ſubijciemus ex eiuſdem Gregorij Turonenſis libro, quem de Confeſſorum gloria ſcripſit, cuius capite 72. hæc continentur.

Seruatius verò Tungrenſis Epiſcopus tempore Hunnorum, cùm ad irrumpendas prorumperent Gallias, fuiſſe memoratur, qui & ſepultus refertur iuxta ipſum pontem Vide rẽ admirandam. aggeris publici: circa cuius ſepulcrum quamuis nix defluxiſſet, nunquàm tamen marmor, quod ſuperpoſitum erat, humectabat: & cùm loca illa nimij frigoris gelu ligentur, & nix vſque in trium & quatuor pedum craſſitudinem terram operiat, tumulum vllatenùs non attingit. Datur enim intelligi, verũ Iſraëlitam hunc eſſe. Nam illis inter Exod.14. muros aquarũ, aquæ non erant perniciei, ſed ſaluti: ita & circa iuſti huius tumulum nix decidens, non humoris cauſa eſt, ſed honoris. Videasque in circuitu montes niueos eleuari, nec tamen attingere terminũ monumenti. Et non miramur, ſi terra operiatur niue: ſed admiramur, quòd attingere auſa non eſt locũ beati ſepulcri. Plerunque etiã deuotio ſtudiumque fideliũ oratoriũ conſtruebat de tabulis ligneis leuigatisque, ſed protinùs aut rapiebantur à vento, aut ſpontè ruebant. Et credo idcircò iſta facta eſſe, donec veniret, qui dignã ædificaret fabricam in honorẽ antiſtitis glorioſi. Procedente Monulphus epiſcopus. verò tempore adueniens in hanc vrbẽ Monulphus epiſcopus, templum magnum in eius honorẽ conſtruxit, compoſuit ornauitque, in quod multo ſtudio & veneratione tranſlatũ corpus, magnis virtutibus pollet. Hæc Gregorius Turonẽſis, antiquus & grauis author. Pręclarè aũt Seruatij Tungrorũ epiſcopi meminit etiam Seuerus Sulpitius

Hiſtoriæ

Hiſtoriæ ſacræ libro 2. Seruationem eum vocans. Meminit etiam eius Athanaſius in
Apologia ad Conſtantium: ad quæ loca lectorem remittimus. Quæ autem in Chro-
nicis ſuis de eodem annotauit Sigebertus monachus, ea huc adſcribemus.

Seruatius decimus Tungrenſis Epiſcopus, Domini noſtri Ieſu Chriſti conſanguine- Ad annum
us, non ſolùm ex eo, quòd voluntatem Dei patris faciebat, ſed etiam ſecundùm car- Chriſti 399.
nem. Qui natus quidem in Perſide, filius fuit Eminin, cuius pater fuit Eliud frater Eliza-
beth, quæ peperit Iohannem Baptiſtam. Mater verò Eliud & Elizabeth Eſmeria, ſoror
fuit Annæ, quæ genuit Mariam matrem Domini. Et rurſus:

Attila Hunnorum rex, Vualameris Oſtrogotthorum regis & Ardarici Gepidarum Ad annum
regis & multarum Aquilonarium gentium ſibi ſubiectarum auxilio fultus, à Panno- Chriſti 453.
nijs egreſſus, Occidentale imperium inuadit cum quingentis millibus armatorum. Et
primò per totas Gallias per eos tanta efferbuit Dei indignatio, vt nullam omninò ci-
uitatem, caſtellum vel oppidum aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Et Hunni va-
poſt pauca: Hoc excidium Gallijs impendere Seruatius Tungrenſis longè antè in ſpi- ſtant Gal-
ritu præuiderat, & Romæ à Petro Apoſtolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didice- lias.
rat. Ideoque relicta Tungrenſi vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum ſedem Epiſco-
palem tranſpoſuit.

VITA SANCTI IOHANNIS EPISCOPI SILENTIARII LAVRAE ABBATIS SABAE, EX SIMEONE ME-
taphraſte. Scripta eſt autem à Cyrillo monacho eius æquali, qui etiam Sabæ Abbatis vitam conſcripſit. Stylum autem fortaſsis Metaphraſtes expoliuit.

PRIMVM mihi propono dicendum de Iohanne Abbate 13. Maij.
Lauræ, beati Sabæ Silentiario, vt qui & tempore & vitæ Cap. 1.
ſplendore omnes alios antecedat. Hic ergo illuminatus
pater noſter Iohannes, ducit quidem originem ex Nico-
poli, quæ eſt in Armenia, natus ex parentibus, qui nomina- Eius patria.
bantur Encratius & Euphemia. Erant autem inſignes opi- Parentes.
bus & claritate generis, multoſque præclarè magiſtratus
geſſerant, ducesque fuerant exercitûs, & populi rectores,
& in aula regia magnam habuerant potentiam. Quorum
res plurimas pulchrè geſtas Byzantini narrant & Armeni,
quas quidem lubens prætereo, ne à prooemio afferam ſa-
tietatem: illa ſola de eo narrans, quæ ſunt propemodùm nota omnibus, qui illum
nouêre.

Natus eſt itaque, vt ipſe mihi narrauit, octauo menſis Ianuarij, ſeptima indictione, Cap. 2.
quarto anno Imperij pij ac religioſi Martiani. Cumque eſſent Chriſtiani, qui eum ge-
nuerant, fuit Chriſtianè cum ſuis fratribus educatus. Cùm autem præterijſſet aliquan-
tum temporis, & eſſent conſummati in Chriſto eius parẽtes, & diuiſæ eſſent parentum
facultates, hic vir diuinus Deo ſeipſum conſecrauit, & ædificauit in ipſa Nicopoli ec-
cleſiam ſemper laudandæ & ſemper virginis Mariæ, & huius vitæ rebus renunciauit, Fit mona-
octauodecimo anno ſuæ ætatis. Aſſumptiſque decem fratribus, qui volebant eſſe ſal- chus, anno
ui, illic conſtruxit cœnobium. Toto autem tempore ſuæ iuuentutis multum poſuit 18. ætatis
ſtudij, vt ventri imperaret, & ſuperbiã contemneret. Vt qui ſciret quòd ventris quidem ſuæ.
ſatietas neſciat vigilare, neq; eſſe temperans, & quietẽ minimè patiatur ſuperbia. Abſ-
que vigilijs autem, caſtitate & humilitate nihil poteſt rectè gerere exercitatio. Sic ipſe
quidem in iuuenili ætate contendebat, vt mentẽ ſeruaret minimè ſublimem, & ſermo-
nem nulli reprǽhenſioni affinẽ, vt qui diuino eſſet ſale conditus. Eos autẽ, qui erant ei
ſubiecti, verbo & opere componebat, ac formabat ad ſe rectè gerendum in exercitati-
one: neque eos onerans iugo regulæ, vt qui recenter compacti fuerant: nec permit-
tens, vt manerent ocioſi, & ſe nullo labore exercerent: ſed eos paulatim ducens, & di-
uinis fluentis irrigans, effecit vt fructus producerent pro dignitate ſuæ vocationis.

Cùm autem intrâſſet trigeſimusoctauus annus ſuæ ætatis, quæ in eo reſplendebat, Cap. 3.
Sebaſtiæ Metropolitanus à bona eius fama commotus, & à ciuitatis, quæ dicitur Co-
lonia, habitatoribus rogatus, cùm eum tanquam ad rem aliam accerſiuiſſet, vt qui
eccleſiaſticorum graduum iam omnem peruaſiſſet conſequentiam, ordinat Epiſco- Ordinatur
Epiſcopus.

 pum,

pum, dictæ ciuitatis mortuo Epiſcopo. Cumque ſic Pontificatum ſuſcepiſſet inuitus, monaſticæ diſciplinæ non mutauit regulam, ſed decertabat in Epiſcopatu, tanquam in monaſterio, vt qui maximè vitaret balnea, nec ſe vnquàm lauaret, non ſolùm cauens ne videretur ab alio, ſed etiam ne ſeipſum videret nudum: in animo cogitans Adæ nuditatem, & quæ ſcripta erant in illa parte: & exiſtimabat eſſe vnam ex maximis virtutibus, nunquàm lauari: & vt ſemel dicam, omne ſtudiū ponebat, vt Deo placeret in ieiunijs, & orationibus, & caſtitate corporis, & puritate cordis, cogitationes ſemper purgans, & omnem, quæ extollitur, altitudinē aduersùs Dei cognitionē. Quinetiam frater eius Pergamius, qui apud vtrunq; Imperatorē, nempe Zenonē & Anaſtaſiū, in magna fuit exiſtimatione, & plurimos geſſit magiſtratus, ab eius virtute illuſtratus, omne adhibebat ſtudiū, vt Deo placeret. Itidē & eius patruelis Theodorus ſcriba vel clariſſimus, cùm huius ſui patrui, qui in virtutibus cõſenuerat, famā audiret, & per auditionē ſuam illuminaret animam, Deo valdè placuit cū tota ſua familia. Qui quidē Theodorus nūc apud omnes, nempe Senatum, & inprimìs pium noſtrum Imperatorem Iuſtinianum, propter prudentiam & vitæ honeſtatem, rectamque fidem & miſericordiam, habetur in admiratione. Atq; hæc quidē poſteà. Ego autem redeo ad temporis cõſequentiam.

Pudicitia eius. *Pergamius frater eius.*

Cap. 3. Cùm hic ergo diuinus Iohannes tranſegiſſet iam decem annos in Epiſcopatu, accidit vt maritus ſororis eius, qui vocabatur Paſinicus, Armeniorum haberet adminiſtrationem: qui inſtinctu ſatanico incipit damno afficere & conturbare eam, quæ illi credita fuerat, eccleſiam: Ijs quidem, qui eam adminiſtrabant, non permittens, vt eccleſiaſticarum rerum curam gererent: Eos autem, qui intra eius fines confugiebant, vi auellens, & ius aſyli ſoluens ac violans. Qui cùm ſæpè rogaretur & à Dei ſeruo, euadebat deterior, Maria eius ſorore iam mortua. Cùm autē ex eo vir iuſtus in grauiſſimam incidiſſet afflictionem, cogitur venire Conſtantinopolim. Cùm verò illic fuiſſet, & quæ erant eius eccleſiæ vtilia peregiſſet circa finem Imperij Zenonis, Euphemio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano pro ipſo decertante, Deo gratum init conſilium: nempe vt in ſanctam ſecedat ciuitatem, & per ſe quieſcat ab omnibus huius vitæ negocijs. Cumque dimiſiſſet eos, qui cum ipſo erant, presbyteros & clericos, ac diuinis iuſſis peractis, & omnibus inſcientibus, ſolus nauem aſſcendiſſet, venit Hieroſolyma, & manet in primo ſanctę ciuitatis gerocomio. In quo gerocomio eſt oratorium ſancti Martyris Georgij. Cumque illic fuiſſet, & mundanam illic turbam adſpexiſſet, magno animi dolore eſt affectus, Deumque rogauit cum lachrymis, vt deduceretur in locum ſibi gratum, & quietum, & aptum ad ſalutem conſequendam. Poſtquàm autem in dicto gerocomio manſit venerandus pater noſter Iohannes, in fundendis noctu ad Deum precibus verſans longo tempore, cùm vna nocte ex omnibus ſolus gerocomij impluuium & cælum ſuſpexiſſet, adſpicit repentè ſtellam lucis, quæ habebat figuram crucis, & ad ipſum veniebat: & audit vocem ex illa luce dicentem: Si vis eſſe ſaluus, ſequere hanc lucem. Is autem cùm credidiſſet, protinùs eſt egreſſus, & illam lucem ſecutus, venit in maximam Lauram ſancti patris noſtri Sabæ, cùm eo tempore eſſet Hieroſolymitanæ eccleſiæ Pontifex Saluſtius, quartadecima indictione, triceſimooctauo ſuæ ætatis anno. Quo quidem tempore à Deo conſtructæ maximæ Lauræ eccleſiæ celebrata ſunt encænia, ſeu dedicatio. Anaſtaſius autem, mortuo Zenone, ſuſceperat Imperium, vt eum audiui ſua lingua narrantem.

Abit vir ſanctus Hieroſolymam. *Viſio eius.* *Eccleſię dedicatio.*

Cap. 5. Cùm veniſſet ergo ad maximam Lauram, inuenit beatū Sabam: qui habebat conuentum centum & quinquaginta Anachoretarum, qui degebant quidem in magna penuria eorum, quæ ad corpus pertinent, erant verò diuites ſpiritalibus gratijs. Cùm eum autem ſuſcepiſſet beatus Sabas, tradit eum Lauræ Oeconomo, vt ei mandaretur miniſterium vnius ex arcarijs, ignorans theſaurum, qui erat in eo reconditus. Ne miretur autem quiſpiam venerabilem ſenem Sabam latuiſſe theſaurum bonorum factorū Iohannis: ſed potiùs is reputet, quòd quando vult Deus ſuis ſanctis reuelare, ij ſunt prophetę. Quando verò noluerit reuelare, vident ad omnium ſimilitudinem. Fertque orationi teſtimonium propheta Eliſęus, dicens de Sunamitide: Triſtis eſt anima eius, & Deus id me celauit. Diuinus autem Iohannes omnem implebat obedientiam, Oeconomo & reliquis patribus inſeruiens cum omni humilitate, promptitudineque & alacritate animi, aquam ex torrente afferens, coquens ijs qui ædificabant, eiſque miniſtrans in lapidibus & cæteris miniſterijs ædificationis, quando conſtruebatur Lauræ Xenodochium. Secundo autem anno eius in Lauram aduentûs, purgato caſtello ab habitatione dęmonum, vt iam à me dictum eſt in vita ſancti Sabæ, multùm cum patre noſtro

4. Reg. 4. *Degit in monaſterio Sabæ.*

noſtro Saba hic laborauit cum quibuſdam alijs, vt ipſe mihi narrauit. Quo tempore ſanctus quoque Abbas Marcianus per diuinam reuelationem ad eos miſit alimenta, eſurientes & nihil habentes, quod eſſet ad vitam neceſſarium. Cùm verò tempus mutationis miniſteriorum veniſſet in prima indictione, qui creatus fuerat Oeconomus, hoc magnum lumen præficit excipiendis hoſpitibus & culinæ. Quod miniſteriũ cùm alacri & læto animo ſuſcepiſſet, omnium patrum curam gerebat, cum omni humilitate & manſuetudine vnicuique miniſtrans & inſeruiens. *Vide tanti viri humilitatem.*

Cumque is hoc obiret miniſterium, accidit vt conderetur cœnobium, quod vergit ad ſeptentrionem extra Lauram: vt qui vitæ mundanæ renunciabant, in eo priùs monaſticam accuratè docerentur diſciplinam: deinde ſic in Laura habitarẽt, cùm vitam cœnobiacam perfectè didiciſſent, beato Saba affirmante & dicente, quòd ſicut flos fructum præcedit, ita vita cœnobiaca vitam anachoreticam. Cùm hoc ergo cœnobium conſtrueretur, cogebatur hic vir iuſtus, qui hoſpitum excipiendorum curam gerebat, præter alia Xenodochij miniſteria, coquere artificibus, & ſecũdò ferre onera, portareque cibaria, & reliqua ad eos, qui laborabant, qui pluſquàm decem ſtadia aberant à Xenodochio. Cùm autem hoc anni eſſet impletum miniſterium, omnibus patribus ædificatis ex eius moderatione, & honeſtate, & ſpiritali prudentia, dat ei pater noſter Sabas cellam ad ſilentium. Venerandus itaque Iohannes, accepta cella, cùm iuſſus eſſet ſilere, manſit tres annos per quinque dies hebdomadæ à nullo omninò homine viſus, neque aliquid ſumens. Sabbato autem & Dominico ante omnes intrabat eccleſiam, & exibat omnium vltimus, ſtans cum grauitate, & timore, & omni pietate ac reuerentia, implensque pſalmodiæ regulam, prout dictum eſt in pſalmis: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Tanta verò ei aderat compunctio, vt ipſe vehementer lachrymaretur in tempore incruenti ſacrificij, & non poſſet ſe continere: adeò vt patres, qui videbant gratiam lachrymarum, obſtupeſcerent, & laudarent Deum datorem bonorum. Impleto autem tempore triennij, præficitur Lauræ Oeconomiæ, eumque Deus adiuuat in omnibus: benedictaque fuit Laura: creuitque valdè conuentus eius miniſterio. *Cap. 6.* *Degit in magno ſilentio.* *Pſal. 2.* *Incruẽtum Miſſæ ſacrificium.*

Cùm autem ſuum implèſſet miniſterium, voluit beatus Sabas eum ordinare, vt virtute præditum & perfectum monachum. Cumque eum accepiſſet, & duxiſſet in ſanctam ciuitatem, ſexta indictione, adduxit ad beatum Eliam Archiepiſcopum. Cumque narrâſſet eius virtutes, rogauit, vt ordinaretur presbyter. Et Archiepiſcopus quidem, cùm hæc de eo audiuiſſet, procedit ad ſanctum cranium, volens eum proprijs ordinare manibus. Cùm verò hîc magnus pater ſic teneretur, vt non poſſet effugere, cum ea, quæ ſibi inerat, ſapientia dixit Archiepiſcopo: Venerande pater, quoniam me quædam oportet dicere, rogo, vt tuæ beatitudini ea ſeorſum exponam: & ſi me dignum eſſe exiſtimaueris, accipio ordinationem. Cùm eum autem aſſumpſiſſet ad aſcenſum ſancti Golgotha, dicit ſeorſum: Parce vitæ meæ, rogo tuam ſanctitatem, & nemini annuncies myſterium, ne ego ab hac recedam regione. Cùm is autem pollicitus eſſet, dixit: Ego, pater, ſum vnius ciuitatis ordinatus Epiſcopus, ſed propterea quòd multiplicata eſſet mea iniquitas, procùl aufugi, & habitaui in ſolitudine, expectans Dei viſitationem. Iuſtum autem eſſe putaui, dum ſum adhuc robuſto corpore, miniſtrare & ſeruire patribus: vt quando ero imbecillus, minimè condemner, ſi mihi miniſtrent alij. Cumque hæc audijſſet Archiepiſcopus, & eſſet admiratus, vocat beatum Sabam, & dicit: Quædam mihi ſecreta confidenter aperuit, & fieri non poteſt, vt ipſe ordinetur. Sed ab hodierno die ſilebit, ei nemine moleſtiam exhibente. Et cùm hæc quidem ſolùm dixiſſet Archiepiſcopus, eos dimiſit. *Cap. 7.* *Indicat res ſuas patriarchæ Hieroſolymitano.*

Beatus verò Sabas magno animi dolore affectus, ſeceſſit circiter triginta ſtadia à maxima ſua Laura, ab Occidente Caſtelli in ſpeluncam, vbi poſteà conſtruxit cœnobium. Cumque ſe pronum in terram deieciſſet coram Deo, dixit cum lachrymis: Cur Domine, me tantùm deſpexiſti vt ego deciperer, & putarem ſacerdotio dignum eſſe Iohannem? Et nunc Domine de eo quid ſit, mihi aperi: (triſtis enim eſt anima mea vſque ad mortem) an vas, quod à me fuit exiſtimatũ ſanctificatum, & vtile, & dignum, quod diuinum ſuſciperet vnguentũ, ſit inutile coram tua maieſtate. In his & huiuſmodi cum lachrymis ſermonibus totam noctem traducente beato Abbate Saba, Angelica quædam apparet forma, dicens: Non eſt inutile vas Iohannes, ſed vas electionis. Epiſcopus autem iam ordinatus, non poteſt fieri presbyter. Et euſque quidem fuit viſio. Pater verò noſter Sabas, vt qui Dei apparitioni & viſioni Angelicæ eſſet aſſuetus, *Cap. 8.* *Abbati Sabæ diuinitùs reuelatur, quis eſſet hic vir ſanctus.*

non

non timuit,ſed lætitia affectus,venit in cellam diuini Iohannis,& eum cōplexus, dixit: O pater Iohannes,tu quidem Dei in te donum me celâſti, Dominus autem mihi aperuit. Et diuinus quidem dixit Iohannes: Triſtitia afficior,ô pater: Neminem enim volebam hoc ſcire myſterium. Nunc autem non potero habitare in hac regione. Senex verò ei promiſit per verbum Dei,ſe hoc nemini omninò enunciaturum. Ab eo autem tempore ſiluit in cella,neque procedens ad eccleſiam, neque vllum omninò conueniens,ſpatio quatuor annorum,eo excepto, qui ei miniſtrabat,ac niſi ſolùm die dedicationis, quæ fuit in Laura nona indictione,venerabilis domûs ſanctiſſimæ Deiparæ & ſemper virginis Mariæ. Tunc enim ſolùm ad Archiepiſcopum Eliam,qui acceſſerat ad dedicationē,coactus eſt exire,& eum ſalutare. Qui quidem Patriarcha cùm eum conueniſſet,& ſpiritalis eius prudentiæ,& ſuauis collocutionis amore eſſet captus, eum in honore habuit toto tempore ſui Pontificatûs.

Cap.9. Impleto verò tempore quadriennij,cùm beatus Saba à Laura ſeceſſiſſet ad partes Scythopolis, propter inſolentiam eorum, qui nouam Lauram poſteà habitauerant, hic inprimìs venerandus Iohannes fugiens concilium inſolentiæ,ſeceſſit in deſertum Rubæ,quinquageſimo anno ſuæ ætatis,vndecima indictione. Siluit autem illic nouem annos, remotus ab omni humana conſuetudine, cupienſque cum Deo quietè conuerſari, & mentis contemplandi facultatem longa purgare philoſophia, ad hoc vt reuelata facie Domini gloriam contempletur: omne etiam ſtudium adhibens, vt à gloria in gloriam proficeret, deſiderio eorum, quæ ſunt præſtantiora. Poſt duos autem aut tres dies,ſe demittens ad naturalem vſum corporis,exibat è ſpelunca, & obibat ſolitudinem ad colligenda melagria,quæ ſua ſponte naſcuntur,quibus aluntur Anachoretæ,qui ſunt in ſolitudine. Quodam verò die cùm illic verſaretur in principio, antequàm eſſet eam expertus ſolitudinem,egreſſus ad ea colligenda melagria,aberrans incidit in inuia quædam præcipitia. Cumque non inueniſſet viam, per quam rediret in ſpeluncam,neque poſſet ingredi,cecidit propemodùm exanimis. Ecce autem repentè diuinæ virtutis viſitatione in altum ſublatus,non ſecùs ac Propheta Abacuc, inuentus eſt in ſua ſpelunca. Procedente verò tempore, cùm vaſtam illam expertus eſſet ſolitudinem,& locum didiciſſet,ex quo ſublimis eſt euectus,inuenit id eſſe ſpatium quinquies mille paſſuum.

Degit in deſerto Rubæ 6.annos.

Dan.14.

Cap.10. Frater quidam,qui venerat in Rubam, manſit apud eum paruo tempore, vitā cum eo exercens anachoreticam: Quem fratrem cùm cepiſſet ſatietas talis philoſophiæ,dicit ſeni: Paſchali iam feſto appropinquante,eamus ad Lauram, pater, & diem feſtum Paſchæ peragemus cum fratribus. Nam hîc nihil habemus,quod edamus, præter hæc melagria. Diuinus autem Iohannes nolebat illuc ire,cùm non eſſet illic pater noſter Saba,ſed à Laura,vt dictum eſt,receſſiſſet. Fratrem verò,qui vt eò iret,vrgebat,admonuit,dicens: Quieſcamus,frater, & credamus,quòd qui ſexcenta hominū millia quadraginta annos aluit in ſolitudine, ipſe quoque nos non alet ſolùm neceſſarijs, ſed etiam ſuperfluis. Ipſe enim ſic dixit: Non te dimittam,non te derelinquam. Et dicit in Euangelio: Nolite ſoliciti eſſe,dicentes: Quid comedemus, aut quid bibemus, aut quo induemur? Nouit enim pater veſter cæleſtis, quonam ex his omnibus opùs habeatis. Sed quærite regnum Dei primùm, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Suſtine ergo,ô fili,& anguſtā viam præpone latæ. Nam quæ eſt hîc relaxatio ac remiſſio,æternum parit ſupplicium. Præſens autem afflictio præparat bonorum perceptionem. His & huiuſmodi verbis frater minimè perſuaſus,receſſit & inijt viam,quæ fert ad Lauram. Cùm is verò receſſiſſet,venit homo quidam omninò ignotus ad ſenem, qui habebat aſinum multis bonis onuſtum. Habebat autem eius ſarcina panes mundos & calidos,vinum & oleum,& recentes caſeos,& oua,& vrnam mellis. Cumque eum exoneraſſet,receſſit. Et venerandus quidem pater noſter Iohannes exultauit ſpiritu propter Dei viſitationem. Frater autem qui receſſerat,cùm à via aberrâſſet, valdeque fractus fuiſſet & afflictus,tertio die redijt eſuriens & reſolutus, & fructum capiens ſuæ inobedientiæ. Cumque tot bona inueniſſet in ſpelunca, & ſe damnâſſet incredulitatis & inobedientiæ, pudore affectus, procidit ad pedes ſenis,petens veniam. Senex autem miſertus humanæ imbecillitatis, & fratris motus miſericordia, eum erexit & admonuit,dicens: Planè ſcias Deum poſſe menſam parare in deſerto.

Dies feſtus Paſchæ.

Ioſ.1.

Matth.6.

Obſerua Dei prouidentiam.

Cap.11. Eodem verò tempore Alamundarus Sicices,qui accepit Regis authoritatem in Saracenos ſubiectos Perſis,inuaſit Arabiam & Palæſtinam cum magna ira in Romanos, omnia diripiens, & multa hominum millia abducens in ſeruitutem, & multa faciens nefaria,

nefaria, poſtquàm capta fuerat Amine. Cumque multitudo Barbarorum diſperſa eſſet per hanc ſolitudinem, iiſque, quibus mãdata fuerat cuſtodia ſolitudinis, denunciarent, vt caueretur barbarorum irruptio in monaſteria, maximæ Lauræ patres ſignificârunt venerando patri, vt deſiſteret quidē in Ruba vitam degere, veniret autem ad Lauram, & quieſceret in ſua cella. Et diuinus quidē Iohannes, qui per quietē diuinam guſtârat dulcedinē, eam lubenter ſequebatur, & non poterat in animũ inducere, vt eam relinqueret, apud ſe hæc reputans & dicens: Si Deus meĩ curã non gerit, quid viuo? Et ſic altiſſimũ ſuum ponens refugiũ, manſit minimè obſtupefactus. Deus autē, qui ſemper curam gerit ſuorũ famulorũ, Angelis quidē ſuis mãdauit (vt dicit ſcriptura) vt ſanctum ſuum conſeruarent. Volens autem eum ſecurũ reddere, vt qui paululùm eſſet territus, miſit ſenſilē cuſtodem, leonē maximum & terribiliſſimũ, qui eum diu & noctu cuſtodiret ab immaniũ barbarorũ inſidijs. Atque prima quidē nocte, cùm leonē adſpexiſſet propè dormientē, parùm extimuit, vt ipſe mihi narrauit. Cùm aũt vidiſſet diu noctuq; ſequentem leonem, & ab eo non auelli, & propulſare barbaros, quibus ageret gratias Deo, emiſit cantica, qui non dimittit virgã peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Atque beatus quidē pater noſter Saba cùm veniſſet Nicopoli, & nouã Laurã cõſtituiſſet, & veniſſet ad ſpeluncæ ædificiũ, vt à me dictum eſt in ſecunda oratione, & in mentem reuocâſſet ea, quæ in ipſo fuit aliquando, viſionē de S. Iohanne, iuit ad eum in Rubã, & dicit ei: Ecce Deus te ſeruauit ab incurſione Barbarorũ, teq; reddidit ſecurũ, ad te miſſo ſenſili cuſtode. Surge, & tu quoq; fac id, quod eſt humanũ, & fuge, ſicut patres. Multiſque alijs ad eũ viſus admonitionibus, deduxit eum ad maximã Lauram ſecunda indictione, & incluſit eum in cella, cùm ageret quinquageſimumſextum annum ſuæ ætatis, nullo alio ex conuictu cognoſcente, eum eſſe Epiſcopũ. Cùm autem plurimũ temporis præteriiſſet, prouidit Deus, vt aperiretur, qui occultus erat, Iohannis theſaurus, hoc modo:

Pſal. 90.

Deus leonē maximum ei adhibet cuſtodem.

Pſal. 124.

Reducitur ad Lauram.

Vir quidam, qui erat profectus ex regione Aſiæ, vocabatur autē Atherius, & Archiepiſcopatus honorē conſecutus, vt eum gradum decebat, vitam agebat: cùm veniſſet Hieroſolyma, & loca veneranda cum viuifico ligno Crucis adorâſſet, & multas diſtribuiſſet pecunias pauperibus & monaſterijs, egreſſus eſt è ſancta ciuitate, properans redire in patriã. Qui cùm nauem conſcendiſſet, & parum maris nauigâſſet, propter quendam ventum contrarium cum magno periculo reuerſus eſt Aſcalonem. Cumq; poſt duos dies vellet rurſus nauigare, ei in ſomnis apparet Angelus Domini, dicens: Non licet tibi nauigare, niſi reuerſus in ſanctã ciuitatē, iueris in Lauram Abbatis Sabæ, & conueneris Abbatem Iohannem Silentiariũ, virum iuſtum & virtute præditum, qui eſt Epiſcopus, & habet vim magnam opum ſpiritualium, & propter Dei metum & deſiderium, omnia quæ ſunt huius vitæ, contempſit, & voluntaria paupertate & exercitatione ſeipſum humiliauit. Tunc ergo cùm à ſomno ſurrexiſſet Atherius, & eſſe viſionem indicâſſet, diligentiſſimè inquirens, venit in Lauram Abbatis Sabæ. Cumque viſionem renunciâſſet patribus, deductus eſt ad Silentiarium. Quem cùm ſalutâſſet, & duos dies apud eum manſiſſet, & eum ampliſſimè conueniſſet, iureiurando adigit, vt ſua ei planè & liberè narret & enunciet. Sicque compulſus, genus enunciauit, & patriam, & ſacerdotium. Quæ cùm cognouiſſet Atherius, & ſupra modum eſſet admiratus, dixit: Verè nunc quoque ſancti lapides in terra voluuntur. Cumque ſic iuſto vale dixiſſet, iuit ad beatum Sabam, eique & patribus expoſuit omnia de beato Iohanne: & ab eo tempore cognitum fuit patribus Iohannis genus, & Epiſcopatus, ſeptuageſimo anno ætatis ſancti Iohannis, viceſimo autem quarto ſuæ in cella incluſionis.

Cap. 12.

Proditur eius dignitas ab angelo.

Sanctus verò pater noſter Sabas eodem anno in pace dormijt, die quinto menſis Decembris decimæ indictionis. Tunc magnum animo accepit dolorem precioſiſſima hæc margarita Iohannes, quòd non eſſet egreſſus è cella, & adfuiſſet conſummationi ſancti Abbatis. Ei autem, cùm eſſet adeò anxius animo, & ſe eſſe patre priuatum defleret ac lugeret, in ſomnis apparet pater noſter Sabas, dicens: Ne ſis de meo deceſſu triſtis, ô pater Iohannes. Nam etſi ſim à te carne ſeparatus, ſum tamen tecum ſpiritu. Eo autem reſpondente: Roga Dominũ, vt me quoque aſſumat, dicit beatus Sabas: Hoc nunc non poteſt fieri. Grauis enim tẽtatio eſt inuaſura Laurã. Deus autem vult te eſſe in carne, ad eos conſolandos & confirmandos, qui ſe pro fide fortiter gerunt & decertant. Hæc cùm vidiſſet & audiuiſſet diuinus Iohannes, euaſit quidem lætus, vt qui de Patre ægritudinem animi excuſſiſſet: ſed ſolicitus erat de tentatione, quæ ei fuerat ſignificata. Eum autem inuaſit deſiderium videndi, quemadmodùm anima ſeparatur à corpore. Dumque de ea re Deum rogaret, mente raptus fuit in ſanctam Bethleem, & videt

Cap. 13.

Obitus S. Sabæ.

S. Sabas apparet S. Iohanni.

Viſio S. Iohannis. & videt in imis ambonis ſubſellijs venerandæ, quæ illic eſt, eccleſiæ iacentem virum ſanctum hoſpitem, qui conſummabatur, & aſſumebatur eius anima ab Angelis, & cum diuina quadam hymnodia & ſuaueolentia ferebatur in cælos: & petijt, vt ipſis oculis videret, an ita eſſet: Et ſurgens eaipſa hora, iuit in ſanctam Bethleem, & inuenit, quòd eaipſa hora homo deceſſerat: & eius ſanctas amplexus reliquias, cùm in eodem loco ei iuſta feciſſet, in ſanctis thecis ea depoſuit: & ſic in ſuam cellam eſt reuerſus.

Cap. 14. Illuminati huius ſenis diſcipuli Theodorus & Iohannes mihi narrârunt, dicentes: Poſtquàm dormijſſet ſanctus Sabas, miſit nos ſenex, vt pręeſſemus reſpõſis in Libiade. In via autem, cùm tranſijſſemus Iordanem, occurrerũt nobis quidam, dicentes: Videte, leo eſt ante vos. Nos verò cogitauimus poſſe Deum nos per preces ſancti Abbatis cuſtodire. An non enim eius voluntate hoc mandatum exequimur? Hæc cogitantes, ambulauimus: & ecce venit nobis leo in occurſum, & valdè timuimus, nec nobis vires remanſerunt: ſtatimque adſpicimus ſenem in medio noſtrî venientem, & iubentem nos eſſe bono animo. Tunc leo, tanquam qui eſſet actus flagello, receſſit fugiens à nobis: noſque ſine damno ambulantes, venimus ad ſenem, qui prior dixit nobis: Videtis, quemadmodùm inuentus ſim vobiſcum in neceſſitate? Sed hîc quobue multùm pro vobis Deum rogaui, & ecce fecit miſericordiam. Hoc autem mihi quoque dixit vnus ex diſcipulis, eum multos annos vixiſſe ſolo pane veſcentem, & ei admiſcuiſſe cinerem thuribuli, & ſic comediſſe. Eum verò hoc facientem depræhendi hoc modo: Oblitus erat ſemel ſuam obſerare feneſtram. Cumque vellem ei dare ientaculum, & tetigiſſem feneſtram, ea aperta eſt, & inuenio eum exinanientem thuribulum in calicem. Cùm is propterea magno eſſet dolore affectus, volens ego eius reprimere moleſtiam, dixi: Non tu ſolus hoc facis, ô pater, ſed plurimi quoque huius Lauræ, implentes ſcripturam, quæ dicit: Cinerem tanquam panem manducabam. & vix potui his verbis mutare ſenem.

Vide mirã ſancti ſenis abſtinentiã.

Pſal. 101.

Cap. 15. Nonageſimo anno ætatis huius ſancti ſenis, menſe Nouembri ſextæ indictionis egrediens ego è Metropoli Scythopolitanorum (vt iam à me quoque dictum eſt in oratione de ſancto Euthymio) accepi mandata à mea matre Chriſti amante, vt nihil facerem ex ijs, quæ ad meam pertinent animam, abſq; ſententia & iuſſu diuini Iohannis, dicendo: Ne fortè abductus ab errore Origeniſtarum, excidas ab initio à tua ſtabilitate. Cùm itaque veniſſem Hieroſolyma, & peregiſſem encænia nouæ eccleſiæ omni ex parte laudandæ Deiparæ & ſemper virginis Mariæ, veni in Lauram beati Sabæ, & conueni diuinum Iohannem, ei meipſum dedicans, & Deo gratum conſilium volens ab eo accipere. Cumque ab eo audijſſem: Si vis eſſe ſaluus, magni Euthymij habita monaſterium: ego, vtpote iuuenis & ſtultus, contempto eius mandato, deſcendi ad Iordanem: volenſque habitare vnum ex ijs, quæ illic ſunt, monaſterijs, non ſolùm iter non habui proſperum, ſed etiam magna laboraui ægritudine in Laura arũdineti. Cùm autem fuiſſem in magno mœrore & triſtitia, tum quòd eſſem externus, tũ quòd ægrotus, & quòd conuentûs iugum nondùm ſubijſſem, apparet mihi in ſomnis hic illuminatus ſenex, dicens mihi: Quòd meo mandato minimè obedieris, fuiſti ſatis caſtigatus: ſed nunc ſurge, & ingredere Hiericho, & inuenies ſeniculum quendam Monachum in Xenodochio Abbatis Euthymij. Sequere eum in monaſterium, & eris ſaluus. E ſomno verò excitatus, & protinùs confirmatus, cùm fuiſſem intemeratorum particeps ſacramentorum, & cibum ſumpſiſſem, aſcendi pedibus in Hiericho, adeò vt mirarentur patres tantam mutationem. Cumq; ſic veniſſem in ſancti Euthymij monaſteriũ menſe Iulio ſextæ indictionis, ex eo tempore aſſiduè ad eum veniebam, omnia mea offerens. Iamdiù enim ex Scythopoli habebam notitiam cum eius diſcipulis, qui ad noſtras ædes diuertebant, tanquam ad proprium Xenodochium, & annuam quandam benedictionem accipiebant à meis parentibus pro cœnobio & patribus Lauræ, ex quo præſentiâ ſancti patris noſtri Sabæ dignata eſt noſtra domus. Quocircà mihi recedenti mater mea hæc dedit mandata. Quamobrem ego quoque ad eum vadens confidentiùs, admonitione eius fruor & precibus, maximè nunc ab eo iuſſus ſinere nouæ Lauræ habitationem, & habitare maximam Lauram, quod quidem Deo quoque feci volente. Et hoc quidem poſteà.

Author hiſtoriȩ huius venit ad S. Iohannem.

Miraculum

Cap. 16. Efficacia precum ſancti viri. Aliquo autem antè tempore conueni hunc ſanctum ſenem, grauatus à cogitatione aliqua ſatanica. Quam cùm ei expoſuiſſem, & preces ab eo accepiſſem, ſum ſtatim relaxationem ab ea conſecutus. Me verò eius feneſtræ aſſidente, & diuina fruente doctrina, quidam Georgius adduxit filium ſuum, qui vexabatur à dæmone. Quem cùm ante

ante eius feneſtram proieciſſet, receſſit. Puero autem iacente & lachrymante, cùm cognouiſſet ſenex eum habere immundum ſpiritum, motus eſt miſericordia, fuſiſque pro eo precibus, cùm eum vnxiſſet oleo ſanctiſſimæ Crucis, eum ſanum reddidit. Nam cùm malignus dæmon ſtatim receſſiſſet, mundatus eſt puer ab illa hora. Oleum ſanctiſſimæ Crucis.

Abbas Euſtathius, qui paucis antè diebus ſucceſſerat præfecturæ ſpeluncę huius beati Sabæ, mortuo Sergio, vir ſpiritu egregius, rectiſque dogmatibus & vitæ inſtitutione, narrauit mihi, ſic dicens: Me aliquando grauiter oppugnauit ſpiritus blaſphemiæ: veniensque ad Abbatem Iohannem Silentiarium, expoſui ei meas cogitationes, rogauique, vt preces ab eo acciperem. Surgens autem ſenex, mihi fecit orationem, & dixit: Benedictus Dominus, fili mi, quòd tibi nō appropinquabit ampliùs cogitatio blaſphemiæ. Atque ita factum eſt, vt ſenex dixerat: neq; ab illo tempore ſenſi ampliùs malam illam & blaſphemam cogitationem. Cap. 17. Prophetia eius.

Mulier quædam genere quidem Cappadociſſa, Regina autem vocatione, Diaconiſſa verò magnæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, venit Hieroſolyma, habens ſecum conſobrinum, qui locum obtinebat præfecti: qui erat quidem alioqui vir pius, catholicæ autem minimè communicabat Eccleſiæ, vt qui Seueri à recta diuerſam ſuſcepiſſet opinionem. Atque Diaconiſſa quidem multum ponebat ſtudij, vt mens illius mutaretur, & eum catholicæ vniret Eccleſiæ. Quamobrem vnumquenque virum iuſtum rogabat, vt pro eo oraret. Quæ quidem mulier, cùm audijſſet de gratia diuini Iohannis, deſiderauit quidem eum adorare. Cùm autem didiciſſet non licere mulieri in Lauram accedere, accerſito Theodoro eius diſcipulo, rogauit, vt eum acciperet, & ad ſanctum ſenem deferret, credens fore, vt per eius orationem Deus conuerteret eius cordis duritiem, & dignum redderet, vt communicaret Eccleſiæ catholicæ. Quem quidē cùm accepiſſet Theodorus diſcipulus, venit ad ſenē: & cùm pro more pulsâſſet feneſtram, & ſenex eſſet aperturus, iniecit vterque pœnitentiam. Cumque dixiſſet diſcipulus, Benedic nos pater: ſenex aperiens, dicit diſcipulo: Tibi quidē benedico, hic autem non eſt benedictus. Cùm autem diceret diſcipulus, Non ſic, ó pater: Reſpondit ſenex, Reuerà ei non benedicam, donec à mala ſchiſmaticorum ſententia deſtiterit, & ſe Catholicæ Eccleſiæ confeſſus fuerit cōmunicare. Hęc cùm ille audijſſet, obſtupuit ſenis perſpicacem gratiam, & miraculo mutatus, certò eſt pollicitus ſe communicaturum catholicę Eccleſiæ. Tunc ſenex, cùm ei benedixiſſet & eum erexiſſet, primus ei intemerata impertijt ſacramenta, abſterſa ex eius corde omni dubitatione. Cap. 18. Fœminis nō patet aditus in Lauram. Hæreticum conuertit.

Hæc cùm didiciſſet Regina, venit in maius deſiderium ſenem videndi ſuis oculis, & in animo habuit ſe virili amictu induere, & ad eum venire in Lauram, ſuaque ei exponere. Hoc cùm ei ab Angelica eſſet apertum viſione, ei ſignificat, dicens: Scias, quòd ſi venias, futurū ſit vt me non videas. Noli ergo vexari: ſed potiùs mane, & vbicunque degeris, apparebo tibi in ſomnis, & tua à te audiam, & quæ mihi Deus in mentem immiſerit, ea tibi renunciabo. Illa cùm audijſſet, & apertè credidiſſet viſionem, ipſe ei apparet in ſomnis, dicens: Ecce Deus me miſit ad te: enuncia mihi, an velis aliquid. Ea verò cùm dixiſſet quæ ad ſe pertinebant, reſponſum accepit conueniens, & ſurrexit Deo agens gratias. Cumque ſenis veniſſet diſcipulus, tunc ei formam & figuram renunciauit. Ego, qui hæc ab illa audiui Diaconiſſa Regina, ea mando literis. Cap. 19. Apparet in ſomnis Diaconiſſæ.

Locus autem, in quo fuit incluſus hic ſanctus ſenex, habuit altiſſimum ab Occidente præcipitium, quod inſtar muri erat, in quo fixum erat cellæ tectum. Præcipitij autem petra eſt adeò ſicca & ſucco vacua, vt nullo modo poſſit cellæ ingenerare humiditatem. Quodam verò die, cùm hic ſanctus ſenex accepiſſet ſemen vnius caricæ, dicit ſuis diſcipulis Theodoro & Iohanni: Audite me: Si Dei clementia donauerit huic ſemini & huic petræ virtutem, vt fructum ferat, cognoſcetur, quòd mihi Deus dono largitur regnum cælorum. Cumque hoc dixiſſet, infractæ illi petræ admouit caricam: Deus autem, qui Aaronis virgam, quæ erat ſicca, pullulare & germinare annuit, ipſe quoque iuſſit hanc infractam & aridam petram germinare, vt oſtenderet poſteris, qualem eius ſeruus gratiam ſit aſſecutus. Cumque ſenex vidiſſet germen, gratias egit cum lachrymis. Quod quidem germen paulatim creſcens in altum, peruenit vſque ad tectum, quod etiam operuit, & (vt ſemel dicam) poſt aliquod tempus ecce tres ficus produxit. Quos cùm accepiſſet hic ſenex, & cum lachrymis eſſet deoſculatus, comedit, Deo agens gratias, qui eum certiorem fecerat: ex eis quoque parùm dans ſuis diſcipulis. Et ecce arbor clamat, teſtans virtutem ſenis. Ex quo autem comedit ficus hic diuinus ſenex, ſe parabat ad exitum. Cap. 20. Num. 17. Res ſanè ſtupenda.

Cap.21. Quoniam verò iam ad profundam proceſſerat ſenectutem, aperuerunt diſcipuli locum ipſum, vt ei miniſtrarent. Ego itaque ad ipſum ingreſſus, & germinis terribile ſpectaculum contemplatus, diligenter conſiderabam, quemadmodùm radices egerit, & an rimas fiſſurásve vllas habeat petra: nec potui inuenire, adeò vt ego obſtupefactus dixerim: Rom.11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm ſunt imperſcrutabilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Sciunt enim, qui diuturnam Lauræ huius beati Sabæ habent experientiam, quòd nulla in area aut horto ficus naſcatur, aut vlla alia arbor, propter multam caliditatem & ſiccitatem aëris Lauræ. Quòd ſi quis adducat arbores parui cœnobij, quæ ſunt in via, ſciat eas quoque fuiſſe opus orationis beati Sabæ. Cumque terram inueniſſent profundam, & pluuiarum torrentis aquarum copiam, multique aggreſſi eſſent in profunda terra plantare iuxta torrentem, & tota hyeme irrigarent, vix vno anno potuerunt tenere arbores propter multam, vt dictum eſt, aëris ſiccitatem, & æſtûs vehementiam.

Cap.22. Multa patitur pro fidei defenſione. Hæc quidem pauca ex multis ſelecta mandaui literis, mittens narrare eius de fide certamina, quæ ſuſcepit aduersùs Origenis & Theodori Mopſueſtiæ dogmata, & eorum, qui ea defendebant, & perſecutiones, quas congruenter Euangelio pro decretis ſuſtinuit Apoſtolicis. Sed quæ ab eo in ijs geſta ſunt, relinquo narranda alijs. Scio enim fore, vt multi (ſicuti eſt conſentaneum) poſt eius deceſſum ſtudeant ſcribere eius certamina & perſecutiones & pericula, quæ ſuſtinuit pro fide Orthodoxa, victoriasque & res ab eo glorioſè geſtas in tota noſtra (vt ſemel dicam) vita: vt qui propter vitam & coruſcantes eius virtutes fuerit inſignis & celebris.

Cap.23. Vt autem audiui ſanctam eius linguam narrantem, trigeſimooctauo ſuæ ætatis anno fuit ordinatus Epiſcopus, vt ſuperiùs dictum eſt, & tranſegit decem annos in Epiſcopatu. Manſit autem in Laura priùs nouem annis: & in cella ſedens, in qua ſilet vſque in Grādis ętas eius adhuc in carne degentis. hodiernum diem, impleuit Dei gratia quadragintaſeptem annos: & ecce iam peruenit ad centeſimumquartum annum ſuæ ætatis. Eſtque, licèt valdè ſenex, læto vultu, promptoque & alacri animo, & diuina plenus gratia. Oramus autem nos quoque humiles & abiecti, vt Deus eum adhuc magis confirmet & corroboret, & eius curſum in pace conſummet. Deo autem noſtro gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

HISTORIA PONTII MARTYRIS, EX QVODAM MS. CODICE A F. LAVR. SVRIO, MVTATA PHRAſi, *deſcripta. Adſtipulantur antiquiſſima Martyrologia.*

14. Maij. S. Pontij parentes. BEATVS Pontius patrem habuit vrbis Romanæ Senatorem, Marcum nomine, matrem Iuliam. Ea prægnans cùm templa falſorum deorum munera oblatura vnà cum marito ſuo obiret, ad templum Iouis peruenit. Illud ipſa ingrediente, fortè ſtabat ſacerdos velato capite infula ornatus ad aras. Is à dæmone arreptus, velamen capitis & infulam apprehendit, eaque planè diſcerpſit, eiulansque mirum in modum, templum clamoribus impleuit, ita dicens: Hæc mulier filium habet in vtero, qui grande hoc fanum funditùs euertet, & deos illius comminuet. Quas voces cùm identidem repeteret, Marcus & Iulia in vicinas ædes aufugerunt, correptoque ſaxo Iulia ventrem & latera ſua tundebat, Vtinam, inquiens, non concepiſſem eum, qui hoc magnū delubrum & eius numina euertet. Satius profectò fuerit me cum illo pariter interire.

Pòſt vbi aduenit pariendi tempus, infantē formoſum enixa eſt, nulla macula aſperſum, exiſtimantibus alijs abortum edituram matrem propter vim illatam crebris ictibus corpori eius. Mater eum natum vult interficere, ſed pater prohibet. Et illa quidem volebat etiam natum puerum perdere, ſed pater noluit permittere. aiebat enim: Non afferas manum infanti. Si vult Iupiter, vlciſcatur hoſtem ſuū. atq; ita conſeruatus eſt paruulus, quem Pontiū appellârunt: nolebāt autem illum vnq̄ in templa idolorū introducere. Poſtq̄ creuit, doctiſſimis præceptoribus adhibitus, diuerſarum artium & philoſophiæ ſtudijs imbutus eſt, tenaci memoriæ omnia commēdas. Cùm aūt aliquando manè ſurgens iret ad præceptorē ſuum, audiuit Chri-Pſal.113. ſtianos, quibus Pontianus Romanus Pōtifex pręerat, pſallentes & dicētes: Deus autem noſter in cælo, omnia quæcunq; voluit fecit. Simulacra gentiū argentū & aurum &c. Id ille audiēs, diuinitùs cōpunctus, ſuſpirās fleuit, ſublatisq; ad cælū manibus, Deus, inquit

quit, cuius laudes iſti cõcelebrant, fac me quæſo ad tuî notitiã peruenire: moxq́; fores pulſare cœpit. Ait autem ſanctus Pontifex, ſpiritu ſancto ei reuelante, quis eſſet: Ite, & foribus reſeratis, ſinite huc intrare paruulum. talium eſt enim regnum cælorum. Ingreſſus eſt igitur puer poſthabitis magiſtris ſuis, cum adoleſcentulo Valerio, condiſcipulo ſuo: ſciſcitatusque de carmine quod audierat, vbi comperit quid eſſet, à Pontiano Pontifice cum Valerio de fide inſtructus eſt. Inde læti illi abſcedunt, & quotidiè ad hominem Dei reuertuntur, verba ſalutis audituri.

Matth.19.

A Pontiano Põtifice de fide inſtituitur.

Interrogabat autem reuertentẽ illum parens Marcus, quidnam è ſuis præceptoribus didiciſſet: reſpondebat puer: Nunq̃ tam benè inſtitutus fui à magiſtris meis, quàm hoc biduo. Tandẽ eò progreſſus eſt, vt parenti ſuo demõſtraret, dęmonũ idola nihil eſſe. Introducto deinde ad illũ Pontiano Põtifice, ad Chriſti religionẽ eum traduxit, idq́; adeò, vt ipſe vnà cũ illis confringeret omnia ſimulacra ſua, & cũ filio totaq́; domo baptizaretur. Eo poſteà defuncto, filius Pontius à militibus in palatiũ ꝑductus eſt, & licèt inuitus atq; calcitrans, in patris ſui locũ ſubſtitutus eſt. Tãta aũt ei diuinitùs gratia collata eſt, vt omnibus in palatio peculiariter charus haberetur. Per id tẽpus felici obitu Põtianus Põtifex deceſſit è vita, eiq́; Anterus ſucceſſit, qui vno tantùm menſe Eccleſiæ Dei præfuit. Ei ſubrogatus Fabianus, beatũ Pontiũ haud ſecùs atq; ſuũ filiũ dilexit. Ille verò iam perfectus, omnes facultates ſuas per manus S. Fabiani in pauperes erogauit.

Pater eius cõuertitur.

Sic ſentit & Onuphrius, tametſi aliter habet Platina de Antero.

Erat aũt etiam familiariter notus & amicus duobus Philippis Imperatoribus. Ij verò anno conditæ Vrbis milleſimo dixerũt ei: Eamus, & propitios nobis efficiamus deos magnos, q nos in hũc Romanę vrbis annũ milleſimũ perduxerũt. Pontius aũt multis modis ſubterfugere nitebatur, ſed illi vt amicũ cogebant eum facere ſacrificiũ. Tum ille cernens ſibi oblatã à Domino occaſionẽ, O pijſſimi, inq̃t, Imperatores, cùm à Deo collatũ ſit vobis auguſtũ in homines imperiũ, cur nõ eum potiùs adoratis, à quo tanto aucti eſtis beneficio? Philippus Imperator reſpõdit: Ego verò ea cauſa magno deo Ioui ſacrificare cupio, quòd ab illo hæc mihi collata ſit poteſtas. At Põtius ſubridens, Ne erres, inquit, Imperator. Eſt Deus præpotens in cælis, qui omnia condidit verbo ſuo, & ſpiritûs ſui gratia animauit. Quid plura? Imperatores his & alijs eius ſermonibus permoti crediderunt, & à S. Fabiano Papa baptizati ſunt. Porrò Fabianus & Pontius magni fani Iouis idola confregerunt, & ipſum templum funditùs ſubruerunt: multique de populo conuerſi ad Dominum, vndis ſalutaribus expiati ſunt.

Duo Philippi Imperat. credunt in Chriſtum.

Poſteà autem Valeriano & Gallieno imperantibus, & Chriſtianos perſequentibus, beatus Pontius ab Italia egreſſus, ad Cimelã vrbẽ ſe contulit. At Claudius præſes pro tribunali ſedens, iuſſit eũ corã ſe adduci, dixitq́; ei: Túne es ille Pontius, qui Romanam vrbẽ neſcio qua excitata ſeditione turbâſti, atque etiã piorũ principũ animos abalienâſti? Reſpondit S. Pontius: Ego verò neq; turbaui quenquam, neq; ſubuerti, ſed à malorũ dęmonũ cultu & errore ad Deũ verũ conuerti. Cumq́; non poſſet ad ſacrificandum induci, Præſes iuſſit omnium tormentorũ inſtrumenta produci, primoq́; eum in eculeo diſtendi, vt per omnia mẽbra pœnę diffunderẽtur, Videbimus, inquiẽs, nũ Deus eius ſit eũ erepturus ex manibus meis. At beatus Pontius ait: Tametſi tu putas imbecillũ eſſe Deum meũ, mihi tamẽ planè perſuaſum habeo, pœnas tuas in eius nomine mihi nullũ prorſus dolorẽ irrogaturas. Cùm ergo in eculeo tẽderetur, & miniſtri cochleã impoſitis vectibus promouerẽt, cũ magno fragore ruptus eſt eculeus, adeoq́; in puluerẽ redactus, vt nuſq̃ appareret: quiq́; p̄ſentes aderãt, repẽtino fulgore exanimes reddebãtur.

S. Pontius in eculeo ſuſpenditur

Tum verò Pontius hilaris & nihil territus, ait ad Præſidem: Vel nunc tandem diſce incredulè, poſſe Deum noſtrum pios de tentatione eripere: vos autem iniquos & impios in die iudicij æternis ignibus cruciandos deſtinare. Iuſſit autem Præſes apparari amphitheatrum, & beatum Pontium in arena deponi. Vbi tum ex conſilio Anabij aſſeſſoris eius duo venatores cum taureis vrſos in eum incitârunt: ſed illi è caueis egreſſi, ipſos venatores miſerè diſcerpſerũt, ita vt humana forma penitùs deſtituti viderentur. Porrò ad S. Pontium venientes vrſi, non fuêre auſi propiùs accedere, ſed blandientes & applaudentes ei, nullam prorſus moleſtiam aut læſionem attulerunt. Id conſpicatus populus, ſublatis in cælum clamoribus dicebat: Vnus eſt Deus Chriſtianorum, quem Pontius colit. Ijs vocibus efferatus Præſes, præcepit Chriſti martyrem, in eius manus & pedes iniectis catenis, in media arena ſtatui, magnamque lignorum ſtruem & omne genus fomitis circum illum comportari & incendi. Factum eſt ita, & ecce flamma lambens materiam omnem atque fomitem, nihil eius relinquit non combuſtum & abſumptum, at ſancti martyris ne fimbriam quidem veſtimenti lædit. Pudefa-

2.Pet.2.

Vrſi in eum immiſſi, nihil ei nocẽt.

Nihil læditur à flãmis.

ctus ea re Præſes, hortatur martyrem, vt Apollini ſacrificet. Ille verò reſpondit: Ego corpus meum ſacrifico Deo meo, qui me ab idolis veſtris hactenùs incontaminatum conſeruauit. Vobis autem & principibus veſtris breuì aderit vltio cæleſtis, qui iniuſtè ſeruos Chriſti perſequimini.

Capite plectitur. Cernens Præſes eius conſtātiam, iuſſit eum in ſaxo, quod riuulo imminebat, decollari, corpusque eius deorſum proijci. Non multò pòſt completus eſt martyris ſermo propheticus. Valerianus enim Imperator à Sapore Perſarum rege captus, ludibrio eſt habitus cunctis diebus vitæ ſuæ, ita vt quotieſcunque rex Sapor equum conſcendere vellet, in eius curuatum dorſum & ceruicem poſito pede, pro ſcabello eo vteretur: Gallienus verò apud Mediolanum à militibus ſuis comprehenſus & gladijs confoſſus eſt. Porrò Claudius Præſes & Anabius aſſeſſor eius eadem hora, qua capite cæſus eſt S. Pontius, arrepti à dæmonibus præfocati ſunt. Claudius linguam ſuam morſibus particulatim diſcerpſit: Anabij oculi è ſuis ſedibus præ nimio dolore extruſi, pellibus tenuiſſimis per ora pendebant: denique momento temporis ambo animas expirârunt.

MARTYRIVM SANCTORVM VICTORIS ET CORONAE, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE,

cui concor dant antiqui MS. codices Latini, ſicut & in alijs permultis hiſtorijs.

14. Maij. ſecundùm Latina Martyrologia. Cap. 1.

QVO tempore Antoninus, gentium ſuperſtitionē ſequens, Romanum tenebat Imperium, Sebaſtiano Duce, perſecutio aduersùs Chriſtianos homines cōmota eſt. Erat autem miles quidam genere Italus & Chriſtianus, qui Deum valdè reuerebatur ac metuebat, huicque nomē erat Victor. Eum virum Dux ille, quē ſuprà diximus, ſic affatus eſt: Venerunt ad nos literæ ab Imperatore, quæ iubent vos Chriſtianos dijs ſacrificare: illos verò, qui edicto non obediunt, ſupplicijs grauiſſimis ſubijci oportere. Sacrifica igitur, Victor, ne animæ periculum ſubeas. Tum ſanctus Victor: Ego, inquit, (S. Victoris conſtantia.) miles ſum magni Regis Ieſu Chriſti, immortalis, inquam, illius Imperatoris, neque mortali Regi obediam. Huius enim imperium tempore circunſcribitur, & caducum eſt: Dei autem mei & Saluatoris Ieſu Chriſti Regnum, eſt immortale atque æternum: cuius qui particeps efficitur, æternæ vitæ ſortem percipiet. Tunc ait Dux: Cùm Imperatoris noſtri miles ſis, obtempera Imperatoris edicto, & dijs ſacrifica. Ad hæc reſpondit ſanctus Victor: Si ego quo tempore ſub Imperatore militabam, tunc etiam Domino & Deo meo occultè ſeruiebam: quomodò nunc cōmittere poſſum, vt, illo derelicto, idolis veſtris ſacrificem? Itaque fac quicquid libet. En corpus meum in manu tua eſt: animæ verò poteſtatem Deus habet, qui ſalutem & ruinam afferre poteſt.

Cap. 2. Tum Dux ille: Video te multa ſapientia ornatū, eaque in reſpondendo valdè vtentem. Mea, inquit Victor, ſapientia non eſt ex me, ſed Deus meus illam mihi contulit. Ad hæc Præſes: Libera teipſum à multis cruciatibus, & dijs ſacrifica. Quinimmò libenter, (Lætatur pœnis pro Chriſto tolerandis.) inquit Victor, cruciatum quemuis patiar, ne ſacrificia talia offeram: ſed & illud affirmo, vehementer me gaudere, quòd dignus factus ſim, qui pro Chriſti nomine tormenta patiar, & cæleſti illo Rege frui ſperem. Ad hæc Dux ille: Nunquid Chriſtianorum ſacerdos es tu, qui tam prudenter nobis reſpōdes? Hoc, inquit, Victor, munere indignùs ſum ego: ſed Chriſti mei gratia me talem effecit: hæc enim his, qui recto corde ſunt, & Chriſti mandata obſeruant, ſapientiam & omnium bonarum rerum copiam ex ſuis illis immenſis diuitijs largitur. Quemadmodùm enim agricola ipſe cùm terram colit, paratam eam reddit ad fructus ferendos: ita & Dei ſapientia ac gratia eos, à quibus obſeruatur, fortes, ſapientes, ac tales reddit, qui Deo ipſi fructum ferre poſſint: neque permittit, vt ab hoſtibus ſuperari queant.

Cap. 3. Tum Dux ait: Num tu mori decreuiſti? Reſpondit Victor: Huiuſmodi mors his vitam conciliat, qui breuia hæc tormenta fortiter ad extremum vſque perferunt. Ad hæc Dux ille: Sententiam'ne iſtam firmam habes? Maximè, inquit Victor. Tum Dux (Crudeliſſimè torquetur.) digitorum Victoris compages eouſque confringi iuſſit, quoad è pelle ipſa exirent. Quo facto, Victor ait: Gratias ago Deo meo, quòd gratiam ſuam propiorem mihi oſtendit. Tunc

Tunc quæſiuit ab eo Dux, quare cibũ non ſumeret. Cui reſpondit Victor: Habeo ipſe ſpiritualem cibũ, quo fit, vt non eſuriam in æternum. Tum ille iuſſit fornacem accendi, & Victorem in eam coniectũ, ad tertiũ vſque diem ſeruari. Factumque fuit, quod Dux iuſſit. Tertio autem die cùm ille opinaretur Victorem ab igne conſumptum fuiſſe, iuſſit fornacem aperiri, & Martyris cineres in flumen demergi. Patefacta igitur fornace, inuenerunt Victorem ipſum viuum, & Deum laudantem, quòd ignis eius corpus non tetigerat. Mox iuſſit Dux venena peſtifera cum carnibus commiſta edenda illi proponi. Quæ cùm à venefico quodam homine porrecta ei fuiſſent, ſanctus martyr Victor ait: Mihi quidem non liceret carnes guſtare, ſed vt cognoſcas veneficia tua nihili eſſe, en iſtas carnes comedam. Cumque illas è manibus venefici hominis accepiſſet, Chriſtum precatus, eiuſmodi carnibus veſci cœpit, neque quicquam mali paſſus eſt. Nihil læditur in fornace.

Veneficus autem ille pro ſuis veneficijs erubeſcens, alia quædam obtulit prioribus illis peiora: Hęc, inquiens, accipe: quę cùm comederis, ſi nihil mali paſſus fueris, ſtatim artem magicam derelinquam, & credam etiam ipſe Deo, quem tu colis. Cùm igitur beatus Victor venena illa comediſſet, neque quicquam mali paſſus fuiſſet, veneficus ille magna voce clamans: En, inquit, viciſti, & animam meam iamdiù perditã, ab inferis eduxiſti. Sicut enim ſtatua ærea, quæ iam inueterata eſt, à fabro aliquo expolita renouatur: ita & me miſerum, in malis inueteratum, Deus ipſe ſua gratia renouans conuertit, & ad ſalutem traduxit. Itaque veneficus ille omnes ſuos libros magicos igni combuſſit, & omnibus rebus renuncians, Chriſtianus factus eſt. Cap. 4. Nihil ei venena nocēt.

Cùm hæc ita ſe haberent, Dux ad beatum Victorem conuerſus: Sacrifica, inquit, dijs maximis, & eſto prudens. Victor reſpondit: Ego prudens ſemper ſum, cùm Deum cognoſcam. Non eſt, inquit Dux, prudentiæ, ſed ſtultitiæ ſignum, nolle dijs ipſis ſacrificare. Ad hæc ſanctus Victor: Stulta mundi elegit Deus, vt ſapientes confundat. Tunc ait Dux: Et vbinàm hoc ſcriptum legitur? Cui reſpondit Victor: Paulus Apoſtolus nos hæc docuit. Num, inquit ille, Deus erat Paulus? Cui Victor: Minimè Paulus Deus eſt, ſed Dei Apoſtolus, & ſapiens architectus: ædificauit enim ſuper fundamentum quod poſitum fuerat, & doctrina ſua orbem terrarum repleuit: qui cùm ſapientiam ſibi à Deo traditam accepiſſet, diuinarum literarum plenam perfectamque notitiam in ſe habuit, & his, qui ſalui eſſe cupiunt, viam oſtendit. Tunc ait Dux: Deſine in poſterum ab iſta inſania, & dijs ſacrifica: non enim tibi proderunt verba iſta tua. Minimè, inquit Victor, inſanus ego ſum, ſed valdè prudens, cùm Deum meum non negem. Inſani & dementes ſunt, qui te audiunt, & dæmonibus victimas offerunt. Etenim pater veſter diabolus mendax eſt, & in veritate non ſtetit: ſicut & vos, qui eſtis illius miniſtri. Quin etiam corda veſtra excæcata ſunt, veritatis notitiam non habentia. Cap. 5. 1. Cor. 1. 1. Cor. 3. Iohan. 8.

Tunc furore accenſus Dux ille, iuſſit totius corporis Martyris neruos diuelli. Quo facto, dixit ſanctus Victor: Cùm omnia hæc à te patior, nullum omninò ſenſûs dolorem percipio propter Dei gratiam, quæ me corroborat. Quemadmodùm enim aculeus à pede alicuius euulſus, ſecum vnà & dolorem omnem aufert, & corpori deinde requiem præbet: ita & ego, neruis meis diuulſis, maximè recreatus ſum, diuina gratia me corroborante. Tunc Dux magis magiſque iratus, iuſſit oleum vehementer calefieri, & in occultas partes corporis infundi. Quo facto, beatus martyr ait: Tam ſuaue mihi feruens hoc oleum viſum eſt, quàm gelida aqua, cùm ei datur, qui propter nimium æſtum ſiti laborat: cùm eam enim biberit, valdè recreatur. Tunc Dux furore intolerabili correptus, iuſſit in ligno Martyrem ſuſpendi, & igneas eius corpori faces admoueri. Ille verò diuina gratia magis corroboratus, earum lampadum faces non ſentiebat. Mox ad illum Dux: Sacrifica, inquit, dijs. diù enim te pertuli. Reſpondit Victor: Minimè faciam, quod tu vis, ſed quod vult Deus meus: quem precor, vt ſacrificium purum atque caſtum meipſum illi offerre poſſim, in cuius poteſtate anima & corpus meum eſt. Cap. 6. Non ſentit immaniſſimos cruciatus.

Tunc iuſſit Dux venenum cum aceto miſtum in eius fauces inijci. At beatus Victor ait: Acetum & venenum hoc mihi videtur mel & fauus eſſe. Id autem facit Chriſtus ipſe. Cùm autem Dux liberam eius orationem non ferret, illius oculos compungi iuſſit. Cui dixit Victor: Cùm corporis mei viſum excæcaueris, tunc interiori animæ ſenſu acutiùs videbo. Corporei enim oculi mundi huius vanitatem adſpiciunt: at cordis acies veram illam intuetur lucem. Cogis me, inquit Dux, multa & magna tormenta tibi afferre. Ille autem: Et ego gratias ago Deo meo, qui facultatem & robur mihi præſtat ſuſtinendi tormenta tua. Vt igitur libet, me crucies, neque vlla in re mihi parcas: Cap. 7. Compunguntur eius oculi.

paratus enim ſum omnes ærumnas,quaſcunque mihi attuleris, libenter perpeti, Deo ipſo mihi vires ſuggerente.

Cap.8. Tres dies inuerſo corpore manet ſuſpenſus.

Tunc ait Dux: Suſpendite hominem iſtum, capite in terram reuoluto, quoad ſanguis ex eius naribus in terram defluat.Illo igitur ſuſpenſo,milites diſceſſerunt,eumque tres dies ita ſuſpenſum dereliquerunt. Cùm verò tertius dies præterijſſet,illuc reuerſi, cùm viuum reperiſſent, quem mortuum fuiſſe crediderant, ſtatim excæcati ſunt. Sed beatus Victor miſericordia commotus, Deum orans: In nomine, inquit, Domini mei Ieſu Chriſti viſum recipite. Itaque reſtituta militibus videndi facultate, abiêrunt illi,& Duci omnia,quæ facta fuerant,retulerunt. Tunc ille magis iratus eſt, & militibus præcepit,vt Victorem degluberent. (Cutis ei detrahitur.) Cui beatus martyr: Licèt, inquit, corporis pellem abſtuleris, mentem tamen ipſam & cogitationes meas non ſuperabis. Tunc militis cuiuſdam vxor, Stephana nomine, (Stephana Græcè, Latinè Corona.) cùm illic præſens eſſet, annos ſexdecim nata, voce magna clamauit: Beatus es, Victor,& beata ſunt opera tua ſancta. Sacrificium tuum Deo acceptum eſt, vt Abelis victima, quoniam teipſum obtuliſti recto corde. Sic Deus te accepit, vt Enoch illum virum iuſtum, qui tranſlatus eſt, ne guſtaret mortem,quoad certum tempus præterierit.Iuſtus factus es,vt Noë,bonorum operum fructibus refertus. Perfectus ac iuſtus tu es,vt ille fuit in generatione ſua. Credidiſti,vt Abraham: Obtuliſti te Deo,vt Iſaac.Tentationes ſuſtinuiſti,vt Iacob.Sapiens effectus es, vt Ioſeph, cui rerum futurarum prænotio conceſſa fuit. Certamina ipſa, vt Iob ille, fortiter pertuliſti, qui multas tentationes perpeſſus, hoſtem diabolum expugnauit. Eſaiam æmulatus es,qui à rege Manaſſe medius ſectus eſt.Te ignis flamma non attigit, quemadmodùm nec Nabuchodonoſoris flammæ tres illos pueros attigerunt. (Dan.3.) Spem tuam in Deo ipſo collocâſti, vt Dauid filius Ieſſe. Vidi duas coronas è cælo demiſſas,vnam maiorem, alteram minorem: & maiorem quidem illam tibi allatam ab Angelis duodecim, minorem verò ad me miſſam audiui. Nam etſi vas infirmum ego ſum,nihilominùs tamen & ipſa parata ſum certamen ſubire, ac cæleſte Regnum aſſequi ſtudeo.

Cap.9. Stephanæ libera confeſſio.

Hæc cùm Dux ille audiuiſſet, valdè iratus eſt, & iuſſit fœminam illam ad ſe duci, quam ſic affatus eſt: Quænam es tu? Chriſtiana, inquit illa, ego ſum. Tum Dux ab ea quæſiuit, quot annos nata eſſet. Cui Stephana,quindecim annos & menſes octo ſe natam eſſe reſpondit.Quæſiuit prętereà Dux,quandiù vixiſſet cum viro,quîcum iuncta fuerat. Cui reſpondit illa,ſe annum vnum & menſes quatuor cum eo vixiſſe. Et quare, inquit Dux,tam citò mundum reliquiſti?Ad hæc ita ſancta Stephana: Reliqui breuem & fragilem mundi huius decorem,&terrenas ac fallaces corporis voluptates,vt fidenti animo Saluatori meo Ieſu Chriſto,quem expectamus, occurrere valeam, illi videlicet diuino & cæleſti ſponſo: terreſtris enim ſponſus ad tempus eſt & mortalis. Tum Dux: Deſiſtas,inquit, ab iſta nugacitate inutili, & ad deos accedens, illis ſacrifices,ne nouis & grauioribus tormentis te cruciatam conſumam. At illa dixit: Ego vocor Stephana,cui corona in cælis repoſita eſt. Quamobrem ſacrificia iſta veſtra non offeram, vt à vero illo certaminum præſide Chriſto coronam recipere poſſim.

Cap.10. Diſcerpta abit in cælos.

His auditis, Dux ille furore nimio accenſus, iuſſit Stephanam duabus palmarũ arboribus incuruatis alligari,& repẽtè arbores illas dimitti. Quo facto,bellatrix & martyr Stephana duabus illis palmis in duas partes diſcerpta eſt: itaq; in pace martyrium perfectè in Chriſto compleuit. Sanctum verò Victorem iuſſit ſecuri percuti. Qui cùm eiuſmodi ſententiam de ſe latã audiuiſſet, ſic ait: Gratias ago Deo meo,qui tali & tanto dono me proſequitur. Cùm igitur martyrium beatus Victor obiturus eſſet, hæc dixit Quæſtoribus: Poſt ſeptem dies veſtri oratores morientur,& voſipſi poſt duodecim moriemini: Dux verò poſt vigintiquatuor ab aduerſarijs captiuus ducetur. Noſtri autem homines poſt tres annos venient ad tollendum corpus meum: habeo enim & loculos iampridem mihi paratos.Vos igitur rogo,ne in alienis loculis me ponatis, neque reliquias meas detineatis, quó minùs in proprium locum reportentur. His dictis, ſecuri percuſſus eſt,ſtatimque ſanguis &lac ex eius vulneribus effluxit,ita vt omnes mirarentur. (S. Victor ſecuri percutitur.) Multi verò ex Græcorum numero, cùm factũ illud vidiſſent, & Victoris martyris patientiam,& conſtantem atque immobilem fidem animaduertiſſent,conſilium & ſententiam priorem mutauerunt. Itaque Chriſtiani facti, ex ijs,quæ vir ille ſanctus prædixerat,magis confirmati ſunt. Omnia enim,quæ à beato illo martyre prædicta fuerant,completa ſunt,ita vt & alij complures ex ea re ad Chriſti fidem conuerſi fuerint. Martyrio autem functi ſunt S.Victor & beata Stephana quartodecimo die menſis Nouem-

nembris in vrbe Damaſco, imperante Antonino, & Sebaſtiano Duce. Quare ſit gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI PACHOMII, EX SIMEONE METAPHRASTE.

DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus fons ſapientiæ, vera lux cognitionis, verbũ Dei, qui creauit omnia, ſciens noſtram naturam ſemper inclinari ad lubrica barathra peccatorũ, & oſtendens ſuæ clementiæ multas in nos miſerationes, in fine, quando ei placuit, Abraham in oblatione vnigeniti filij, per ſeipſum iurauit, dicens: Certè benedicens benedicam te, vt aſtra cæli. Et rurſus: In ſemine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes, quæ ſunt ſuper terram: Vt qui, vt Deus, ſciret fore, vt hinc germinaret ſecundùm carnem myſterium Chriſti œconomiæ. Hanc ſalutarem promiſſionem cùm ſciret vnuſquiſque ex Prophetis, & nóſſet fieri non poſſe, vt Deus vnquàm mentiretur, ad humanos morbos & affectiones multifariam multiſque modis eum vocabat, qui ſolus eſt medicus. Ille autem noſtras præueniens petitiones, qui nunquàm eos repellit, qui purè ac ſyncerè eum, vt Deum, requirunt, impleuit promiſſum in diebus nouiſſimis, natus ex ſancta Maria virgine. Carne enim paſſus, cùm per noſtræ mortis ſimilitudinem eum viciſſet, qui mortis habebat poteſtatem, ipſe quidem manſit id, quod erat, diuinitate impatibilis: Nos autem à morte liberat, & à vinculis tyrannidis inferorum, quæ diſſolui nequeunt.

14. Maij. Cap. 1. — Gen. 22. — Ibidem.

Cùm ergo ſuſceptæ carnis impléſſet œconomiam, & per lauacrum regenerationis dediſſet cuilibet genti remiſſionem peccatorum, omnibus ad eius fidem per ſanctos Apoſtolos, conuenienter eius mandato, accedentibus: Dicit enim: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritûs ſancti: & in omni orbe terrarum creſcente Euangelica prædicatione, multiſque deductis ad filiorũ adoptionem, eſt in nos vehemẽtiùs irritatus efferatuſque diabolus, grauioreſque machinas aduersùs Dei ſeruos adhibere ſtuduit, nobis viam ad ſalutem moliens obſtruere. Sed in hoc quoque eijs, qui ſunt ſobrij & attenti, irritus euaſit multiplex eius conatus: Dei enim permiſſione, ad fidei probationem & tolerãtiam eorum decertationis, qui volunt pro eo legitimè certamen ſuſcipere, gentilibus Imperatoribus maximam perſecutionem in Chriſtianos tyrannicè excitantibus: multi quidem martyres ſtatim per multa & varia tormenta permanſerunt in Chriſti Seruatoris noſtri confeſſione, immortaleſque & æternas ſimul cũ Petro Alexandriæ Archiepiſcopo coronas ſunt conſecuti. In dies autem creuit & inualuit in eùm fides in omni regione, eccleſiæq́ue plurimæ & templa oratoriorum in omni loco erigebantur: adeò vt deinceps conſiſterẽt etiam monaſteria: & eorum, qui ſe in eis exercebant caſtitate & poſſeſſionum renunciatione, ornarentur ſolitudines.

Cap. 2. — Matth. 28. — Diabolus inuidia inflãmatur in nos. — Perſecutio Tyrannorũ.

Nam cùm qui erant fideles ex gentibus vidiſſent martyrum certamina, eorumq́ue germanam ac ſynceram in Chriſtum confeſſionem, cœperunt ipſi quoque Domini gratia roborati, ſequi vitam ſanctorum Prophetarum. De quibus dicit Apoſtolus vas electionis: Circuiérunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, afflicti, vexati, in ſolitudinibus errantes & montibus, & ſpeluncis, & foraminibus terræ: quibus dignus non erat mundus. Per ſapientem enim quietem & receſſum, & ſuæ ſalutis fructum percipiebant, & multis alijs præbebant exemplum rerum meliorum ac præſtantiorum, quæ ex Deo geruntur: omnibus quidem terrenis & quæ prætereunt, ſeipſos nudantes, incorporeorum autem vitam in carne imitantes: per quam ad ſummum virtutum faſtigium exercitatione & pietate, lenitateq́ue & iræ amotione ſeipſos prouehere ſedulò ſunt conati: adeò vt prioribus ſanctis nulla in re viſi ſint inferiores: certaminibus verò ad eos quoque pertingerẽt, qui pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti legitimè certauerunt. Nam ij quoque, cùm aduersùs inſolentes, & qui ſub oculos non cadunt, pugnaces hoſtes fortiter ſtetiſſent in acie, & eorum viciſſent copias, conuenienter ei, qui dicit: Non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs principatus, aduersùs poteſtates, aduersùs principes tenebrarum huius ſeculi, aduersùs ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus: æterna & immortalia bona ſunt conſecuti. De

Cap. 3. — Heb. 11. — Vita monachorum vnde orta. — Ephe. 6.

Eſa.64. 1.Cor.2. quibus dictum eſt: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſſcenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui ipſum diligunt.

Cap.4. Erat enim re vera præſtantiſſimi exercitatoris patris noſtri Antonij vita ad imitationem magni Eliæ & Eiſei, & Iohannis Baptiſtæ, qui erant ciues ſolitudinis, & amatores cæleſtium æternorumque bonorum. De quo etiam ſingulatim fert teſtimonium ſanctiſſimus Archiepiſcopus Athanaſius, ipſe quoque dignus vita Antonij. In quibus ſcriptis meminit etiam ſancti patris noſtri Ammon, qui ipſe quoque per Domini gratiam fundauit exercitationem fratrum, qui ſunt in monte Nitriæ: Facta etiam mentione viri, qui cum ipſo ſe præclarè exercuit, nomine Theodori, qui egregiè admodùm & fortiter per fidem in Chriſtum & ſummam exercitationem, expugnauit multiplices machinas inimici. In omnes ergo partes abundè diffuſa fuit Dei gratia, conuenienter ei, quod ſcriptum eſt: Viſitâſti terram, & inebriâſti eam. Pacificus enim defenſor noſtrarum animarum pro gemitu dedit gaudium & lætitiam, & pro cura, quę fuit ad tempus, præbuit æternam exultationem ijs, qui ipſum quærũt in veritate. Ex eo ergo tempore extiterunt Monachorum patres admirabiles: quorum ſunt nomina in libro vitæ. Cùm autem in Aegypto & Thebaide nondũ eſſent multi Monachi, tunc primùm, cùm Diocletiani & Maximiani perſecutionibus impleta eſt gentiũ pœnitentia, & plenitudo Eccleſiæ, ſanctis eas ad Deum deducentibus epiſcopis, conuenienter doctrinæ Apoſtolorum, plurimum fructum produxit. Inter quos quidam quoque Pachomius, qui erat gentilis à maioribus, & degebat in Thebaide, à Deo miſericordiã & clementiam conſecutus, factus eſt Chriſtianus. Is ab ipſa iuuentute ſalijt ad ſummum modum exercitationis. Neceſſe eſt ergo ad gloriam Dei, qui nos vocauit ex tenebris ad lucem ſuam admirabilem, & ad vtilitatem eorum, qui legunt hanc narrationem, à puero ſingulatim narrare eius vitam. Fine enim digna ſunt eius prooemia in ipſa gentilitate.

Vita S.Antonij ſcripta ab Athanaſio.

Pſal.64.

Cap.5. Accidit vt is, cùm eſſet valdè iuuenis, veniret vnà cum ſuis parentibus ad ripam fluuij, qui erat in eo loco, quòd illic eſſet locus idolorum. Ibi autem ſolebant ſacrificare viſis dæmonum. Et cùm vellet quidem ſacerdos peragere execrandum ſuum ſacrificium, fuit irritum eius hac in re ſtudium, & dæmonum effectu caruit operatio. Cùm autem non ſecùs, ac dij ſui, diù maneret mutus, nouumque & alienum ei videretur, quod omninò euenerat, idoli ſilentium, (Idola enim gentium os habent, & non loquentur: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum) animaduertit ſacerdos non alia de cauſa ad fanum ſimulacri non accedere dæmones, quàm quòd adeſſet iuuenis. Cœpit itaque clamare: Cur inimicum deorum huc adduxiſtis? Expellite ipſum. Parentes verò eius cùm hæc audiuiſſent, & eum expelli viderent, ex ea re magnum dolorem acceperunt: vt qui viſus eſſet inimicus deorum, qui dicebantur. Differentes autem & dubitantes, inter ſe dicebant: Quid hoc fuerit, quòd cùm etiam aliâs guſtâſſet vinum libaminum, id ſtatim euomuit? Cumque non potuiſſent id, quod factum fuerat, diſcernere, quieuerunt, eum ſtudioſè erudientes in literis Aegyptiacis.

Præſente Pachomio obmureſcit dæmon.

Pſal.134.

Cap.6. Cùm autem poſt perſecutiones magnus imperâſſet Conſtantinus, & aduersùs tyrannum bellũ gereret, iuſſi ſunt in aliquibus prouincijs plurimi iuuenes referri in numerum tyronum, inter quos fuit etiam ipſe Pachomius, qui, vt ipſe affirmauit, agebat annum viceſimum. Omnibus ergo vno animo nauigantibus cum ijs, qui ipſos aſſumpſerant, militibus, appulerunt in quoddam oppidum Thebarum. Veſperè autem cùm ciues vidiſſent eos in ſatis tuta eſſe cuſtodia, & de eis audiuiſſent viri Chriſtiani & miſericordes, attulerunt eis omnia, quæ erant ad vſum neceſſaria, & valdè eis magnũ præbuêre ſolatium, cùm eſſent in maxima afflictione. Ego verò cùm vidiſſem, inquit, quod ab eis factum fuerat, & hoc valdè eſſem miratus, didici ab eis, qui vnà mecum erant, Chriſtianos erga omnes quidem, præcipuè autem erga hoſpites, eſſe benignos & miſericordes. Rogante me autem, inquit, quidnam eſſet appellatio Chriſtianorum, dicebant: Sunt homines pij, & Deum colentes, credentes in nomen vnigeniti filij Dei ſui Ieſu Chriſti, & omnibus benefaciẽtes, ſperant ab eo mercedem remunerationis. Ipſis autem hæc ei dicentibus, mente illuminatus, & fidem Chriſtianorum admiratus, & metu Dei corde inflammatus, & ſpiritu exultans, cùm parùm ſeceſſiſſet, & apud ſe fuiſſet, manus ſuas in cælum extendit, & dixit: Domine Deus, qui feciſti cælum & terram, ſi reſpiciens reſpexeris humilitatem meam, & mihi tuæ diuinitatis dederis cognitionem, & me liberaueris ex hac afflictione, tibi ſeruiam omnes dies vitæ meæ, & conuenienter tuis præceptis vitam inſtituam.

Refertur in tyrones.

Notæ de Chriſtianis.

Merces bonorum operum.

Votum Pachomij.

Cùm

Cùm ergo eſſet precatus,& ſic Deo eſſet pollicitus,vno die poſteà egreſſus è cuſtodia cum ijs, qui cum ipſo erant, & nauem ingreſſus, nauigauit ex illo oppido. Intereà autem dum in aliena regione verſaretur, ſi quando eum carnis voluptates, aut rerum aliquarum mundanarum vexarent cupiditates, valdè auerſabatur, precum memor, per quas mente illuminatus,Chriſtum fuit profeſſus,& eius,qui in ipſum extitit,diuinę gratiæ aduentûs. Valdè autem amabat caſtitatem vel ab ineunte ætate. Quamobrem cum magnus & pius Conſtantinus per fidem in Chriſtũ viciſſet ſuos aduerſarios, miſſi fuerunt tyrones, inter quos fuit etiam ipſe Pachomius. Qui ſtatim profectus in ſuperiorem Thebaidem,venit in eccleſiam vici,qui dicitur Chenoboſcia. Cumque à ſanctis patribus fuiſſet catechiſmo inſtitutus, fuit illic baptizatus. Nocte verò, qua dignus fuit habitus,vt eſſet particeps ſanctorum myſteriorum,videt in ſomnis rorem deſcendentem cælitùs, & implentem manum eius dexteram. Qui cùm concreuiſſet in mellis craſſitudinem, audiuit vocem ei dicentem : O Pachomi, id quod fit, intellige : erit enim hoc tibi indicium gratiæ, quæ tibi à Chriſto data eſt. Hinc ergo charitate in Deum magis ſauciatus,& ſupra modum compunctus, prompto & alacri animo conſtituit fieri Monachus. Cap.7. Caſtitatem impendiò amat. Baptizatur.

Cùm autem fuiſſet ei indicatus Anachoreta quidam, nomine Palamon, qui ſeorſum habitabat, acceſſit ad eum,volẽs eſſe cum eo. Cumque perueniſſet vſque ad eius cellam,quæ erat propinqua ſolitudini,cœpit pulſare oſtium.Is autem oſtio aperto,dixit ei: Quid vis,& quem quæris? eô enim,quòd ſolus exerceretur, erat ſenex auſterior. Reſpondens autem ei,dixit Pachomius:Deus me miſit ad te,vt me facias monachum. Dicit ei ſenex : Non potes fieri monachus:Non eſt enim parua res Monachi officium. Quocircà cùm huc multi veniſſent,ij claudicârunt,neque ſuſtinuerũt. Dicit ei Pachomius:Non ſunt omnium hominum ſimiles ſententiæ.Suſcipe me,& tempus te reddet certiorem. Dixit verò ei ſenex: Dixi te non poſſe. Vade in aliquem alium locum, & te exerce aliquãto tempore. Deinde ſic accedes, & ego te accipiam. Etenim ego hîc dego,me duriter exercens, nec Dei gratia aliquo alio veſcor, niſi pane & ſale. Ab oleo autem & vino omninò abſtineo,& dimidium noctis vigilans,perago preces, & meditationem Dei eloquiorum,& nonnunquàm etiam totam noctem. Hæc cùm audijſſet Pachomius,& propter verborum grauitatẽ eum eſſet reueritus, non ſecùs atque magiſtrum nouus diſcipulus,maiore fuit promptitudine & alacritate animi,diuina gratia confirmatus. Cumque propoſuiſſet animo omnem laborem ferre fortiter,ei dixit: Credo fore, vt Deus mihi vires præbeat & tolerantiam, vt dignus habear, qui per tuas ſanctas preces hîc initier. Tunc cũ perſpicaci oculo animaduertiſſet ſanctus Palamon certam de ſalute fidem,& promptitudinem animi Pachomij,aperto oſtio,eum introduxit indutum veſtitu monachorum : & deinceps ambo ſimul degebant, ſe exercentes,& vacantes orationibus. Eorum autem opus erat nere pilos, & ſaccos contexere. Operantes verò,laborabant ex ſententia Apoſtoli, non vt ſe recrearent ac reficerent, nec vt pecunias colligerent,ſed vt pauperes alerent. Cap.8. Mira Palamonis abſtinẽtia,vigilię & preces. Pachomius induit monachi habitum.

Dum autem vigilarent,& preces nocturnas peragerent, ſi quando videbat ſomno grauari Pachomium,eum aſſumens,cum ipſo egrediebatur,& montis arenam in corbes inijcientes,ſic de loco ad locum transferebant, eam exinanientes : & ex eo efficientes,vt & corpus & mens grauata,eſſet intenta orationibus.Dicebat autem ei ſenex: Sis ſobrius & attentus, Pachomi, ne te tentet, qui tentat : & ne ſit inanis labor noſter. Videns verò Palamon eius ad omnia obedientiam,& profectum exercitationis,valdè exultabat, & Deum glorificabat. Sancto autem die Reſurrectionis, nempe Paſchatis, dicit ei: Quoniam eſt hodiè dies feſtus omnium Chriſtianorum, nobis quoque para frater,quæ ſunt neceſſaria. Is verò volens prompto & alacri animo facere,quod iuſſus fuerat,ſumens oleum,iniecit in tritum ſalem, quod quidem nequaquàm ſolebat facere Palamon. Semper enim comedebat agreſtia olera,abſque oleo & aceto. Poſtquàm autem parauit omnia,dixit Pachomius : Ecce pater, feci vt iuſſiſti. Cùm ſenex autem menſæ appropinquâſſet, & vidiſſet oleum in ſale, ſuum frontem pulſans,dixit cum lachrymis : Dominus meus fuit crucifixus, contumelijs affectus, colaphis appetitus, & ego oleum comedam? Eo autem rogante, vt veſceretur ijs, quæ erant appoſita, non ſuſtinuit, donec ſublatus eſſet ſal, & alius eſſet poſitus. Cùm ſediſſent verò, vt comederent,pro more Palamon fecit ſignum Crucis ſuper cibos,Deo agens gratias,quem etiam corde humili ſequebatur. Cap.9. Paſcha dies feſtus omnium Chriſtianorum. Vide antiquiſſimum morẽ menſam Cruce ſignandi.

Quodam autem die eis vigilantibus, cùm ignem accendiſſent, quidam frater, qui Cap.10.

foris

foris aduenerat,vt apud eos maneret,ſurgens dicit ſeni: Si quis inter vos habet fidem, ſtet ſuper hos carbones, & congruenter dicto Euangelico fundat preces. Intellecta eius arrogantia Palamon,eum increpauit,dicẽs: Ceſſa,ô frater,à tua inſolentia,nec ea dicas.Falſus enim es.Is autem maiori elatus ſuperbia,à nemine iuſſus,aſſcendit carbones. Videt verò dæmonum operationem ei permiſſione diuina concedentem,vt non combureretur. Ei itaque rurſus facta eſt acceſſio inſolentiæ, prout ſcriptum eſt: Ad peruerſos peruerſas vias mittit Dominus. Cùm hoc autem factum eſſet, & is eſſet è cella receſſurus,veluti exprobrans,eis dicebat: Vbi eſt fides veſtra? Cùm itaque vidiſſet dæmon eum planè eſſe deceptum,& ſibi facilè fidem habere, ſuſcepta figura formoſæ mulieris,indutę ſplendidis veſtibus,accedit,pulſans oſtium eius cellæ. Cùm aperuiſſet autem,ei dicit dæmon: Quoniam mihi moleſtiam exhibent fœneratores,& vereor,ne veniam in periculum, (neque enim poſſum ſoluere debitum) rogo te, vt me in tuam cellã ſuſcipias.Deus enim me miſit ad te,vt ſalua fiam.Is verò cùm propter mentis ſuę cęcitatem non potuiſſet diſcernere,quiſnam alloqueretur,ipſam excepit.Cùm autem cognouiſſet dæmon eius ad vitium propenſionem, malam iniecit ei cupiditatem: victusque cogitatione, peccare propoſuit. Quando verò ei appropinquauit, ſtatim eum percuſſit: iacuitque mutus in terra tanquam mortuus. Porrò autem cùm poſt aliquot dies ſuam ſenſiſſet amentiam, acceſſit ad ſanctum Palamonem, ita lamentans & dicens: Scias, pater, me fuiſſe cauſam mei interitûs, nec te audijſſe. Quamobrem rogo, vt tuis ſanctis precibus mihi opem feras miſerabili, qui venio in periculum, ne interimar à dæmone. Eo autem adhuc loquente, ipſiſque ex commiſeratione de eo lachrymantibus, repentè à dæmone inuaſus, è cella exilijt, currens per montem: & à dæmone agitatus, peruenit in vrbem,quæ dicitur vrbs Panis. Cumque aliquanto pòſt tempore fuiſſet emotæ mentis, proiecit ſe in fornacem balnei, & ſtatim combuſtus perijt.

Arrogantis monachi miſerabilis interitus.

Cap.11. Prouer.4. Hæc videns & audiens Pachomius,magis ac magis ſtuduit cor ſuum, vt ſcriptũ eſt, conſeruare in exercitatione, & omni cuſtodia, adeò vt bonus ſenex eũ admiraretur. Non ſolùm enim manifeſtam, & quam de more habebat intenſam exercitationem, prompto & alacri animo peragebat: ſed ſtudebat etiam conſcientiam, Dei legi conuenienter, ſemper habere puram, expectans magnam ſibi ſpem eſſe in cælis repoſitam. Neque enim legens, aut etiam memoriter recitans diuina eloquia, id inconſideratè ac temerè faciebat: ſed vnumquodque præceptũ diligenter & accuratè perſcrutans, idque, vt Dei conuenit maieſtati, proferens, ac creſcens quotidiè virtutibus, decertabat, humilitate & manſuetudine, & in Deum & in omnes charitate vel maximè inſignis,ſi vllus alius. Hæc autem & multa alia nos cognouimus: vt qui ab antiquis Patribus,qui longo tempore ſunt cum eis verſati,audierimus.Sæpè enim quædam eis exponebat poſt diuinas lectiones ad ædificationem & eorum vtilitatem. Quæ quidem cùm ſint multa,non potuimus mandare literis,propter noſtram imbecillitatem. Neque enim ſumus idonei narrandis tot & talibus rebus præclarè geſtis.

Fides hiſtoriæ huius.

Cap.12. S.Pachomij patientia. Circa illum autem montẽ erat ſolitudo plena ſpinis. Cùm itaque ſæpè mitteretur ad ligna colligenda,eſſetque nudis pedibus,ei dolebant pedes,eos ſtimulis ſæpè penetrantibus. Suſtinebat verò lætus,memor clauorum, qui confixi fuerant in manibus & pedibus Domini. Amplectebatur autẽ ſeceſſum, & lubentiùs verſabatur in ſolitudinibus, perſeuerans in precibus, & Deũ rogans, vt liberaretur ipſe & omnes homines ab omni fraude inimici. Sic autem hic vir pius ſemper lubenter verſabatur in illa ſolitudine. Cumque aliquando proceſſiſſet è cella ſatis magnũ ſpatium, peruenit in vicum, qui dicitur Tabeniſe.Cumque(vt ſolebat) longo tẽpore perſeueràſſet in oratione,audiuit vocem ei dicentem: Mane hîc,Pachomi,& fac monaſterium.Ad te enim venient multi,volentes ſalui fieri,quos deduces cõuenienter formæ,quæ tibi à me data fuerit. Protinùs ergò illi apparet Angelus,& dat ei tabulam,in qua ſcripta erat tota vitę conſtitutio eorum,qui erant ad ipſum venturi.Ex qua,ab eo accepta, in hodiernum vſque diem vitam inſtituunt Tabenneſiotæ, eundem habitum geſtantes,& eandem habentes conuerſationem.Neque enim mores habent mutatos veſtimentorum,neque mutatas regulas.

Canõ monaſticus ab angelo traditur Pachomio.

Cap.13. Cùm ergo & puritate intelligentiæ,& diuinitùs inſpiratarum ſcripturarũ contemplatione,vocem quidem eſſe diuinam iudicâſſet Pachomius,& conſtitutiones admirabiles,reuerſus eſt ad ſuũ Patrem, & ei narrauit vocem, quæ ad ſe delata fuerat, rogans & ſupplicans,vt ſecum conueniret ad Dei implendam voluntatem. Is autem nolens ei afferre

ei afferre moleſtiam, vt qui eſſet germanus ſuus ex Deo filius, perſuaſus, cum eo acceſſit ad vici locum definitum. Cumque ædificâſſent paruam cellam in formam & figurâ monaſterij, valdè eſt lætatus Dei promiſſione. Dicit itaque ſanctus ſenex Pachomio: Quoniam perſuaſum habeo hanc gratiam eſſe tibi à Deo datam, & hîc deinceps es vitam acturus, agedùm ineamus pactum, nos non eſſe à nobis inuicèm ſeparandos, quandiù verſamur in hac vita, ſed ſemper & aſſiduè nos inuicèm inuiſere. Placuit hoc vtriſque: ſicque fecerunt, quandiù fuit in vita ſuperſtes verè beatus & perfectus exercitator Palamon. Interim autem cùm ſplene laboraret ſenex, propter nimias exercitationes, haberetque totum corpus imbecillum, (Nam aliquando quidem comedebat, ne aquam quidem ſumens: aliquando autem bibebat, nihil omninò comedens) rogatus ab aliquibus fratribus ſpiritalibus, qui ad ipſum venerant, ne corpus ſuum tantopere cruciaret, ſed eius aliquam curam gereret, ne ſi id nimis intenderet, afferret ei dolores, vix tandem eſt perſuaſus, vt aliquot dies ea ſumeret, quæ morbo conuenirent. Cùm autem cognouiſſet, quòd ſic quoque dolor magis augeretur, reliquit illos cibos, ſic dicens: Si martyres Chriſti, dum membra ſunt eis amputata, & abſciſſa capita, dumque comburerentur, in fide in Chriſtum permanſerunt vſque ad mortem: quomodò ego in minimo labore, ignauo & puſillo animo euadens, mihiipſi detrimentũ afferam, & metu eius, quæ eſt ad tempus, afflictionis ero effœminatus, etſi fuerim perſuaſus? Rurſus ergo vtar priori exercitatione: in qua, vt ego quidẽ perſuaſum habeo, eſt omnis recreatio, per quam etiam ſanabor. Non enim propter hominem me in ea exerceo, ſed propter Deum decerto. Cùm ſic ergo ſtrenuè exerceretur, poſt vnum diem laborauit infirmitate: in qua eum etiã viſitauit Deus. Cùm autem ad eum veniſſet Pachomius, eum fouebat, eius pedes deoſculans, eumque complectẽs alloquebatur, tanquam iubens valere. Ipſe verò, cùm ſe honeſtè ac decorè compoſuiſſet, quieuit in bona ſenectute. Pachomius autem diligenter ei factis exequijs, terræ corpus mandauit, anima in cælum euecta à choro angelorum. Sicque rurſus redijt ad proprium locum habitationis.

Præclara S. Palamonis vox. *Eius obitus.*

Aliquanto autẽ pòſt tempore, eius frater Iohannes ſecundùm carnem, cùm de eo audiuiſſet, illuc venit ad eum quærendum. Cùm verò eum vidiſſet, & eſſet amplexus, magna eſt affectus lætitia. Ex quo enim Chriſto illuminatus, mundo renunciauit, & vitam elegit ſolitariam, nunquàm venit ad ſuos. Cumque ei idem fuiſſet ſcopus, qui Pachomio, ambo ſimul manſerunt, Dei quidem legem perpetuò meditantes, omnium autem rerum terrenarũ nullam ducentes rationẽ. Si quid enim eis ſupererat ex opere manuum ſuarum, diſtribuebant egentibus, confidentes, quoniam, vt eſt vox Domini, non oportet eos eſſe ſolicitos de craſtino. In veſtimentis autem ea erat eorum paupertas, vt nunquàm ferrent alium lebitonẽ, niſi fortè eum vellent lauare, qui erat valdè ſordidus. Pachomius verò aſſiduè induebatur cilicio, vt carnẽ redderet humilem. Qua de cauſa tempore quindecim annorum, poſt magnũ exercitationis & vigiliarum laborem, ſedebat etiam in medio cellæ, ne parieti quidem dorſum ſuũ inclinans. Cùm autem affligeretur, id forti ferebat & excelſo animo, gaudens ſpe reſurrectionis, quæ manebat, & erat ei in cælo repoſita. Cùm verò videret etiã alia plura præclara ſanctorum facta, ea cum fratre ſuo ſtudebat peragere, ad augendam virtutem & ſalutem ſuarum animarum. Poſt hæc autem ſibi quoque fecerunt quædam ſedilia. Vnuſquiſque enim pro viribus ſe exercebat cum tolerantia & fide perfecta.

Cap. 14. *Frater Pachomij adiũgit ſe [illegible]* *Matth. 6.* *Nota vitæ auſteritatẽ.*

Deinde recordatus Pachomius promiſſi, quod ſibi factum fuerat de innumerabilibus animabus, quæ ſaluæ erant futuræ per ipſum, cœpit vnà cum fratre ædificare latius monaſterium, ad hoc, vt qui vellent vitæ mundanæ renunciare, & ad Deum accedere, ipſe eos ſuſciperet. Eis autem ædificantibus, Pachomius quidem hunc habens ſcopum, volebat dilatare formam domûs, faciens maiorem ambitum. Eius autẽ frater meditans ſeceſſum, habitationem faciebat anguſtiorem. Succenſenſque Iohannes, qui erat eo maior ætate ſecundùm carnem, dixit ei: Deſine perperàm agere & teipſum dilatare. Is verò cùm hoc audijſſet, fuit quidem commotus, vt qui fuiſſet inconſideratè affectus contumelia: nihil tamen contradixit: ſed cùm eſſet mitis & manſuetus, ſe continuit. Sequenti autem nocte cùm deſcendiſſet in habitaculum domûs, cuius partem ædificauerat, cœpit vehementer flere, & in oratione Deo confitens, dicebat: Hei mihi, adhuc eſt in me prudentia carnis, & adhuc ſecundùm carnem ambulo. Tanta enim ſuſcepta exercitatione, rurſus me ira arripit, etiamſi propter bonum. Miſerere mei, Domine, ne peream. Si enim me non confirmaueris in tua patientia, ſuarũ autem

Cap. 15. *Pachomius conſtruit monaſteriũ latius.*

autem actionum in me aliquid inuenerit inimicus, ero ei ſubiectus: ſicut ſcriptum eſt:
Iaco.2. Si quis omnem legem impleuerit, in vno autem ceciderit, factus eſt omniū reus. Credo autem eſſe multas tuas miſerationes, Domine: fer mihi auxilium, & docebor ambulare viam ſanctorum tuorum, ad anteriora me ſemper extendens, poſteriorum verò obliuiſcens. Qui enim tui ſunt ſancti à ſeculo, à tua adiuti gratia, pudore affecerunt inimicum, valdeque clari & inſignes fuêre. Ego autem quomodò docebo Domine eos, quos per me pollicitus es vocare ad vitam monaſticam, niſi priùs vicero affectiones, quæ per carnem cum mea luctantur anima, & tuam legem ſeruauero citra repræhenſionem? Sed credo, Domine, quòd ſi tuum mihi adſit auxilium, faciam, quæ ſunt grata tuis oculis, & condonabis mihi omnia mea peccata.

Cap.16. Hæc autem, & quæ ſunt huiuſmodi, cum fletu confitens, totā noctem vſque ad manè tranſegit lachrymans: & præ multo ſudore (erat enim æſtas, & locus calidiſſimus) ſub plantis pedum eius effectum erat veluti lutum. Conſueuerat enim ſtans in oratione extendere manus ſuas, & nullo modo eas demittere: ſed in earum, tanquam crucis extenſione perſiſtens, & ſic corpus affligens, ad ſobrietatem & attentionem animam deducere. Cùm itaque talis eſſet & tantus, in magna quiete & manſuetudine vitam egit vnà cum fratre: qui haud ita multò pòſt moritur. Cui cùm, vt par erat, Pachomius feciſſet exequias in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritalibus, & etiam vigilâſſet, eius quidem ſpiritum commendauit Domino, in quo habebat fiduciam. Cùm autem eius corpus mandâſſet ſepulturæ, rurſus perſecutus eſt laborioſam ſolitariæ vitæ exercitationem, contendens ſeipſum integrum conſeruare in omnibus, & expellere omnem irruentem turpem cogitationem. Meditabatur itaque ſemper habere timorem Domini in ſeipſo, habens in memoria æternum ſupplicium, & tormenta æterni ignis, & vermis venenati.

Orans, ſemper in Crucis formam extendit manus.

Remedia aduersùs peccatum.

Cap.17. In his autē ſe exercente Pachomio, & cum magna animi alacritate ædificante monaſterium ad plurimam excipiendam fraternitatem, cœperunt dæmones ei repugnare: dentibusque in eum ſtridens immanis diabolus, multas in eum mouit tētationes, conans eum lædere, qui munitus erat clypeo fidei. Sed ipſe fortiter ferens inſultus aduerſarij, prolata ex ſcripturis capita, memoriter perpetuò recitabat. Sæpè certè eo orante, & genua Deo inclinaturo, hoc agebant, vt ante eum apparentem ciſternam, eorum obiecta viſione, appræhenderet. Se enim ſtudebant conferre in tam vanas, & quæ conſiſtere non poſſunt, imagines, vt timore ac formidine retardatus, minimè puras preces Deo perageret. Ipſe autem eorum, qui ipſum tentabant, artes Dei gratia intelligens, cum fide genu flectebat, eos quidē probro & dedecore afficiens, Deo autem benedicens. Cùm verò rurſus ſoleret vltra monaſterium ire ad partes magis ſolitarias, & ſic rurſus reuerti ad monaſterium, redeunti ſæpè veluti impedimentum afferentes, peruerſi iſti præcedebant, ſe inuicèm adhortantes, tanquam ſub duce aliquo, & dicentes: Date locum homini Dei. Pachomius autem fretus fide & ſpe in Chriſtum Saluatorem, irridebat eos, tanquam canes ad latrandum inutiles, eorum viſiones exiſtimans ludibria, & in Deum habens amorem perpetuum.

Ludibria dæmonum.

Irridet inanes dæmonum conatus.

Cap.18. Videntes autem eum eſſe fortis & excelſi animi, & qui non poſſet perterreri, rurſus cum magno tumultu in eum congregātur. Cumque domū appræhendiſſent, ſpeciē præbuerunt, quòd eam concuterent, adeò vt exiſtimaret ſanctus moueri domum ex fundamentis. Ipſe verò minimè conturbatus, rurſus chordam pulſauit ſpiritalem, & cum voce cecinit, dicens: Deus refugium noſtrum & virtus, adiutor valdè in afflictionibus: propterea non timebimus, dum turbatur terra. Hæc autem cùm is dixiſſet, repentè fuit quies maxima. Ipſi verò tanquam fumus defecerunt: & paulò pòſt tanquam canes, qui abiguntur, recedunt, & rurſus impudenter accedunt. Sic etiam poſt preces beato illi ad opus ſedenti, malignus, ſuſcepta figura galli maximi, valdè ante ipſum clamabat, continuas ſæuasque voces edens, & ſimul etiam in eum inuolans, & acerbè eum feriens vnguibus. Is autem cùm rurſus in eum ſufflâſſet, & ſignum Crucis in fronte feciſſet, effecit, vt is ſtatim euaneſceret. Intelligebat ergo in omnibus dæmonum inſidias, & Dei timore erat confirmatus aduersùs eorum fraudes. Sed ne ſicquidem à ſancto abſtinebant. Et quoniam erat valens in certaminibus, alia ratione rurſus eum conabantur decipere. Videbantur enim vno conſenſu concutere multa folia arboris, allatisque (aiebat) funibus ea fortiter alligabant. Vtrinque autem ſtantes, ſe inuicèm hortabantur trahere folia, tanquam maximum aliquem lapidem. Hoc verò faciebant, ſic exiſtimantes cor ſancti ad riſum diſſoluere, vt vel in hoc poſſent de eo gloriari.

Pſal.45.

Signo Crucis mox pellit dęmonē.

riari. Videns autem Pachomius eorum impudentiam, ingemuit in eos ad Dominum: ſtatimque virtute Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti euanuit ea phalanx.

Eo autem ſæpè ſedente ad comedendum, & Deo agente gratias, ad eum veniebant in habitu mulierum inſigniũ pulchritudine, quæ impudenter volebant vnà cum eo ſedere, & ea attingere, quæ erant appoſita: & in eo moleſtia afficiebant egregium athletam. Ipſe verò externos claudens oculos, mentis oculis conueniebat Chriſtum agonothetam: ſicque efficiebat, vt immundi dæmones euaneſcerent, nihil omninò aduersùs eum proficientes. Benignus enim eſt & clemens Dominus, qui dicit rectis omnibus: Nolite timere: ſum enim vobiſcum vſque ad conſummationem. Porrò autem cùm aliquando plurimùm ab eis tentaretur, & corpus eius valdè torqueretur, & dolore afficeretur à veſpera vſque ad manè, & nulla eſſet ei conſolatio, niſi ſola Dei recordatio, venit quidam monachus ad eum viſitandum, nomine Hieracapollon. Quem cùm eſſet complexus, & ea dixiſſet, quæ pertinent ad ſalutem, & quòd eſſent multæ diaboli inſidiæ, cœpit ei quoque ſua exponere, & narrare ſingulatim grauiſſima, quæ ſibi ab eo inflicta fuerant, verbera. Cui dixit monachus: Eſto fortis & ſtrennus. Sciens enim diabolus, quòd ſi te propter negligentiam vicerit, fortaſſe nos quoque, qui tua certamina pro viribus imitamur, & ex te maximam accipimus vtilitatem, ſibi habebit ſubditos, ea de cauſa te vehementer inuadit. Quocircà cùm tibi Domini non deſit auxilium: ſuſtine, ô pater, ne de nobis quoque des rationem: vt qui victus fueris à ſocordia, & nobis exemplum dederis negligentiæ. Cùm hæc autem audijſſet Pachomius, euaſit valentior aduersùs inimicum, & Deum laudans de præſentia fratris, rogauit eum, ne ipſi vnquàm inter ſe inuicèm ſepararentur. Aſſiduè itaque ad eum veniebat.

Cap 19. *Dæmones in mulierũ effigie ei apparent.* *Matth. 28.* *Quidã monachus cõfortat eum.*

Aliquo autem pòſt tempore, cùm, vt ſolebat, ad ipſum acceſſiſſet Hieracapollon, & paucos dies vnà cum eo tranſegiſſet, decedit congruenter precibus Pachomij in bona ſenectute, & perfecta exercitatione: ſepeliturque à ſanctis Patris manibus, pſalmis & hymnis & canticis ſpiritalibus vnum Deum laudantis. Tanta autem erat eius in Deum fidutia, & tam magnus erat in fide, vt ſæpè ambularet ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & permaneret illæſus. Crocodilis quoque ſæpè vtebatur ad fluuium tranſmittendum, qui tranſuehebant eum quamcelerrimè. Agens itaq; gratias, quòd ipſum conſeruâſſet Dominus à contrarijs poteſtatibus, orabat, dicens: Benedictus es Domine, quoniam non deſpexiſti humilitatem meam, neque permiſiſti, vt mea imbecillitas deciperetur ab inimico, te ſubmittens ad meam ignorationem, & me tuam docens voluntatem. Nam ego quidem ſum humilis & inſipiens: ipſe autem me, Domine, prudentem feciſti ad tuî timorem. Cùm autem in ſe videret dæmonum inſultus perpetuos, vt generoſus & perfectus athleta veritatis, petiuit à Domino, vt ſomnus à ſe diſcederet, ad hoc, vt noctu diuque, quoad eius fieri poſſet, inſomnis fugaret aduerſarios, conuenienter ei, quod ſcriptum eſt: Non auertar, donec deficiant: Opprimam ipſos, & non poterunt ſtare: cadent ſub pedes meos: Et, Accinxiſti me virtute ad bellum. Conceſſa ergo fuit ei hæc petitio. Sicque perſeuerabat perpetuò velut videre eum, qui non cadit ſub adſpectum: & eius meditans eloquia abſque intermiſſione, ad certamina quidem ſemper ſurgebat fortis & ſtrenuus. Perpetuum autem erat ei votum, vt in ipſo fieret Chriſti voluntas, & nulla rerum humanarum eum ſubiret cogitatio.

Cap. 20. *Fidutia eius eximia in Deum.* *Pſal. 17.* *Propè inſomnis viuit.*

Poſt aliquantum autem temporis ei vigilanti & eadem oranti, viſus eſt angelus à Domino miſſus, ei dicens: Pachomi. Ille verò dixit: Quid eſt, Domine mi? Dei eſt (ait) voluntas, vt ipſi ſeruias, & hominum genus Deo reconcilies. Cùm autem hoc ter dixiſſet, ab eo receſſit. Cùm Deo ergo gratias egiſſet Pachomius, & rurſus factus eſſet certior de ea, quæ illi apparuerat, viſione, cœpit eos excipere, qui ex pœnitentia per ipſum ad Deum veniebant, & cum magna probatione eis dabat monachorum habitum: eis quidem ea, quæ ſunt mundanæ vitæ, prohibens, ſingulatim autem prouehens in exercitatione. Et primùm quidem eis ſuadebat, vt toti mundo renunciarent: deinde etiam proprijs: conuenienter autem Euangelio, etiam ſibijpſis, vt ſic poſſent & ſuam crucem portantes, ſalutem conſequi. Ipſi autem ex eo diſcentes, quotidiè fructum ferebant, conuenienter ſcripturis, dignæ eorum vocationis, videntes ipſum in maximè prouecta ſenectute, non ſolùm ſeipſum affligere laborioſa exercitatione, ſed per ſe etiam ſtudere omnem curam gerere monaſterij. Licebat enim videre ſenem eis, qui certa hora conueniebant, prompto & alacri animo parantem menſam

Cap. 21. *Multi ſub eo fiũt monachi.* *Luc. 14.* *Mira eius humilitas.*

ſam ad conuiuandum. Similiter autem in horto quoque ſeminantem olera, & ea per ſe rigantem, & pulſanti oſtium promptè reſpondentem, & ægrotis noctu diuq; inſeruientem, eoſque reficientem, & in his omnibus cum pulcherrimum exemplum præbentem diſcipulis. Nam cùm hoc magnoperè cuperet, vt qui recenter venerant ad exercitationem, & nondùm haberent diſcernendi poteſtatē, poſſent honeſtè, &, vt Dei ſeruos conuenit, ſibi ſeruire, eos primùm remouens ab omnium huiuſmodi negociorum ſolicitudine, eis dicebat: In quo vocati eſtis primùm, fratres, decertate, pſalmos meditantes: deinde doctrinam, quæ ex alijs libris diſcitur, præcipuè autem ſanctum Euangelium. Sic enim Deo ſeruiens & vobis, congruenter diuino præcepto, & ego recreabor, & vos eritis perfecti, diuina diſcentes præcepta.

Cap 22. Diſcipuli eius exemplis valdè confirmantur.

Erant autem nomina eorum, qui primi ad eum acceſſerunt, *Spſenthaëſes*, & *Surus*, & *Opſis*. Eis ergo aſſiduè loquens verbum Dei, multùm eis proderat, eos inducens ad bonorum operum æmulationem. Nam cùm illi quoque ipſi viderent ſancti ſilentium, quod erat virtutis actio & oratio, admirabantur, dicentes inter ſe inuicèm: Errámus nos, exiſtimantes omnes ſanctos immutabiles, & natos eſſe ſanctos, & non à Deo eſſe factos, libera arbitrij poteſtate præditos: & rurſus non poſſe peccatores conuerſos viuere ex virtute: quoniam ij quoque ſic ſunt ab eo creati. Videmus autem Dei bonitatem nunc maximè in hoc ſancto noſtro patre, quòd cùm ortus ſit ex parētibus gentilibus, ad tantam peruenerit pietatem & religionem, vt omnia Dei præcepta peragat. Quamobrem apertè oſtenſum eſt, quòd & nos, & quicunq; volumus, eum ſequi poſſumus, ſicut ipſe quoque ſecutus eſt ſanctos patres, qui eum præceſſerunt. Hoc eſt enim, quod ſcriptum eſt: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: qui libera veſtri arbitrij poteſtate quæ ſunt mala reliquiſtis, vt ad bonū accurratis. Vnà ergo commoriamur, vt ſimul viuamus cum hoc homine: quoniam nos rectè ducit ad vitam. Accedentes autem ad Pachomium, ei dicebant: Cur in operibus monaſterij ſolus laboras, Pater? Ille verò dicit eis: Quis iugum ſuū coniungit ad opus, & id protinùs deponit? aut id lædit, vt cadat, cùm id reddiderit imbecillum, & non id priùs portat? Deinde ſic poſtquàm id aſſueſecerit, eo vtitur ad perfectā operationem. Eodem modo nos quoque Chriſtus fecit idoneos ad vnà decertandum vobiſcum ad veſtram cōfirmationem, ô dilecti. Deus autem miſericordiarū, qui ſemper reſpicit ad humilitatem meam, confirmabit corda veſtra, & in tolerantia vos bonum peragētes conſummabit: adeò vt alij quoque videntes veſtrum vitæ inſtitutum, quod congruenter Dei voluntati ex virtute agitur, ſint congregandi, qui me poterunt adiuuare in cura monaſterij. Deſcribit itaque eis, tanquam regulas, quaſdam formas & vtiles animæ traditiones, vile indumentum, victum moderatum, decoramque in ſomno quietem.

Matth 11. Liberū arbitrium diuinâ gratia fretū, quid poſſit.

Regulę monaſticæ.

Cap. 23.

Voluntate autem Dei, qui omnes vocat ad ſalutem, & dat eis incrementum, alij quoque ad ipſum conuenerunt, vnà volentes exerceri. Inter quos fuit Pecuſus, & Cornelius, & Paulus, & Iohannes, & alij complures, qui ſanam ſcilicet & rectam eius fidem & doctrinam audiuerant. Eos itaque, qui poterant ſuſtinere, apertè præfecit curæ monaſterij, & breui tempore vſqueadeò creuit fratrum numerus, vt eſſent ſupra centum. Quando autem oportebat eos vnà cum ipſo immortalia ſumere ſacramenta, accerſebat vnum ex ijs, qui in vicis erant propinquis, & ſic ſpiritalem diem feſtum peragebat. Neque enim inter eos ſuſtinebat eſſe aliquem, qui ordinationem fuiſſet conſecutus. Dicebat autem eſſe admodùm bonum & valdè vtile Monachis, non quærere honorē, vel principatum, vel gloriā, & maximè in cœnobio, ne fortè propter hāc occaſionem orirētur lites, æmulationes & diſſenſiones. Quomodò enim, inquit, minima ignis ſcintilla ſi in aream inciderit, niſi citò extinguatur, ſæpè perdidit fructus totius anni: ita etiā principatus, ambitionis aut cleri cogitatio, ſi inciderit in monachos, nec citò extinguatur, facilè corrumpet vniuerſum laborem exercitationis. Oportet autem, inquit, potiùs æquo animo eccleſijs Dei cōmunicare. Etenim hoc quoque conducit monachis. Quòd ſi inuenerimus aliquem ex monachis, qui à ſanctis Epiſcopis acceperit ordinationem, oportet eum accipere miniſtrum ſacri huius miniſterij. Neque enim in veteri teſtamento erat populus vniuerſus Leuitæ. Et alioquì eum, qui foris cōſtituitur, vt hìc ſacrificet, non reijciemus, tanquam ambitioſum, aut qui vēdicârit ſibi ſacerdotium. Quomodò enim, quem nos noſtra ſponte elegimus, aut etiam accerſiuimus? Sed potiùs eum tanquam patrem reputabimus: vt qui etiam in eo fuerit obediens, & imitator ſanctorum: maximè ſi citra repræhenſionem Deo ſacrum peregerit miniſterium.

Euchariſtia immortalia ſacramēta.

Ambitio quam pernicioſa monachis.

niſterium. Quòd ſi alicuius etiam delicti, vt homo, fuerit apud nos ſuſpectus, non eſt noſtrum eum iudicare. Deus enim, cùm ſit iuſtus, eorum ſtatuit iudices, imitatores ſanctorum Apoſtolorum, qui poſſunt iuſto iudicio diſcernere ſpiritalia. Vult autem Dominus noſter, nos eſſe inter nos clementes & miſericordes, Deum ſemper orātes, & ab ipſo petentes, ne incidamus in tētationem. Cùm hæc ab eo ſic pulchrè dicerentur, & fierent, ſi quando contigiſſet aliquem clericum ad ipſum venire, qui cum eo eſſe volebat, propter dignitatem quidem ex regula eccleſiaſtica ei ſubijciebatur Pachomius: Ille verò cùm rurſus ex regulis exercitationis fratrū fuiſſet imitator, ſe ſua ſponte ſupra modum ſtudebat demittere, humilemque reddere.

Erat autem hic ſanctus clemens & miſericors, & amans fratrum, vt ſi quis alius. Miſerebatur enim admodùm ſenum, & eorum, qui erant corpore imbecillo. Ijs verò, qui adhuc teneram agebant ætatem, ſe accommodans, & ſe demittens, eorum ducebatur miſericordia, inter omnia maximam curam agens eorum animarum. Fide autem proficientibus, & in maximum numerum augeſcentibus fratribus, extiterunt multi boni ſectatores. Rurſus ergo præfecit aliquos curæ ſuſcipiendarum animarum, quæ congregabantur. Nam cùm multi, vt dictum eſt, ad ipſum conuenirent, & variè in ſpiritalibus proficere contenderent, magna erat differentia eorum vitæ & inſtituti. Porrò autem ipſe Pater, qui in omnibus ducebatur à gratia, dabat vnicuique vitæ inſtituto formas, menſuras & regulas. Nam alijs quidem operatio manuum ſuppeditabat alimentum. Alij verò miniſtrabant, & inſeruiebant cōmuni fraternitati: Et vnuſquiſq; conuenienter regulæ, quæ ſibi data fuerat. Non eadem autem hora cibum ſumebant, ſed vnuſquiſque ſe exercebat congruenter operi & abſtinentiæ. Atque præfecit quidē Oeconomum ijs, quæ erāt neceſſaria fratribus & hoſpitibus ad vſum corporis: & conſtituit etiam alium, qui ſecundum ab eo locum obtineret. Hortabatur verò eos, vt eſſent prompti ad omnem obedientiam: iubebatque in nulla re habere propriam cordis voluntatem, vt ſic potiùs Deo fructum ferrent, & non ſibijpſis. Cùm autem eſſet occupatus, vel ſæpè abſens, qui ſecundum ab eo locum obtinebat, abſque vlla ſuperbia & arrogantia, ad ordinandum monaſterium conſtituebat, & faciebat omnia ad fratrum vtilitatem & ædificationem, donec rurſus pater ad ipſos acceſſiſſet. Sic autem curam gerens fraternitatis, valdè lætabatur de eorum profectu.

Cap. 24. Mira eius humanitas.

Erga monachos quæ ſit vſus prudētia & moderatione.

Cùm verò ei veniſſet in mentem pauperum, qui propè paſcebant, & cogitâſſet eos priuari & communione, & doctrina, quæ dabatur ſabbato & Dominico, conſtituit ex ſententia Aprionis, Tentyrorum eccleſiæ Epiſcopi, eis eccleſiam ædificare in ipſo paupere & deſerto eorum pago, vt in eam conuenientes, diuinam doctrinam acciperent. Cum nondum autem eſſet, qui eos deberet congregare tempore ſynaxis, vadens ipſe cum alijs fratribus, diuinas eis legebat ſcripturas, propterea quòd nondum eſſet eis lector ordinatus. Porrò autem ipſe quoque dabat aduenientibus hoſpitibus, quæ erāt neceſſaria, donec conſtituit presbyterum in eadem eccleſia. In legendo verò tantam præ ſe ferebat pietatem & reuerentiam, oculoſque & cor habebat tam compoſitum, vt mundani, qui videbant, putarent Dei Angelum, & non hominem verſari in medio eorum. Quocircà multis aderat promptus & alacer animus, vt fierent Chriſtiani & fideles. Tanto enim fratrum tenebatur amore, & adeò erat clemens & benignus, vt ſæpè reſpiceret homines, qui ſatanam ſequebantur, & eum nolebant, qui ſolus eſt verus Deus, ingemiſceretque & fleret propter eorum interitum, & eorum deſideraret ſalutem. Cap. 25.

Hoc autem tempore venit ad Alexandrinum Epiſcopatum ſanctiſſimus Athanaſius: qui cùm magno ſtudio cuperet ſuperioris Thebaidis & Syenes Dei eccleſias videre, & eas per ſpiritalem ſuam doctrinā confirmare, prævernauigauit Tabenſe. Cùm hoc autem cognouiſſet Pachomius, egreſſus eſt cum fratribus in gaudio & exultatione animi cum pſalmis & hymnis, vt ſuſciperēt Pontificem. Erat autem circa eum magna turba fratrum, Deum laudantium propter eius aduentum. Pachomius verò non aperiebat ſeipſum, ſed ſe ſubtrahebat & occultabat in fratrum multitudine. Tentyrorum enim eccleſiæ Epiſcopus pro ipſo rogabat ſanctum Athanaſium, dicēs: Habeo patrem monachorum in locis mihi ſubiectis, virum admirabilem & magnum, & verè hominem Dei. Quamobrem rogo tuam ſanctitatē, vt eum conſtituas patrem omnium monachorum, cùm ſuſceperis munus Pontificatûs. Et ideò ſe ſubtrahebat ſenex, & celabat inter fratres, donec venit Athanaſius. Audiens autem eius ex Deo zelum & vitam, quam agebat ex virtute, & perſecutiones, quas ſuſtinuit pro Saluatore in

Cap. 26.

Athanaſius Epiſcopus inuiſit monaſteriū S. Pachomij.

fide confeſſionis, & eius quidem charitatem in omnes, præcipuè autem in fratres, valdè gaudebat. Et eum quidem amplectebatur, Deum laudans.

Cap. 27. Origenem autem, vt blaſphemum, & qui defecerat, valdè odio habebat, & abominabatur, vt Arrium, & Meletium, qui ab Heracla Alexandriæ Archiepiſcopo fuerat eiectus ex Eccleſia. Is enim, cùm in ſuis operibus ea, quæ videbantur probabilia, rectis diuinæ ſcripturæ verbis coniunxiſſet, tanquam quædam venena, ad interitum ſimpliciorum, multos libros congeſſit. Et quomodò medici amariſſima medicamenta melle miſcentes, ijs præbent, qui cibum non ità facilè capiunt: eodem modo ipſe quoque ſuum errorem contegens, eum porrexit imbecillioribus. Fratribus itaq; vehementer præcepit, vt non ſolùm non legerent nugas Origenis, ſed neque legentes alios auderent audire. Dicitur itaque aliquando eius librum inueniſſe, & ſtatim in aquam inieciſſe, ſic dicendo: Niſi ſcirem nomen Dei in eo ſcriptum, eius blaſphemias & nugas combuſſiſſem. Sic erat bonorum quidem amator & laudator: auerſabatur autem inimicos veritatis. Fideque & profectu Orthodoxorum ſemper gaudebat & lætabatur. Etenim ipſum Saluatorem in throno Eccleſiæ per ipſos videbatur videre.

Origenes taxatur. *Vitādi libri hæreticorū.*

Cap. 28. Si quando autem in aliquo ſermone, aut negocio de eis aliquem audijſſet malè loquentem, non ſolùm non patiebatur, ſed etiam ab eis abalienabatur, tanquam à ſerpentibus, aſſiduè eis cantans, quæ dicuntur à Pſalmographo, & dicens: Clàm de proximo ſuo detrahentem, hunc perſequebar. Nullus enim, inquit, bonus profert malum ex ore ſuo, maximè aduersùs patres ſanctos: eis ſemper in memoriam reuocans ex multis alijs ſcripturis, Dei propter hoc indignationem, maximè autem ex obtrectatione Mariæ aduersùs Moyſen. Eratque rectus & vtilis omnibus, qui eum conueniebant. Cùm autem eius quoque ſoror ſecundùm carnem audiuiſſet de eius vita, quam gerebat ex virtute, & deſideraret videre fratrem ſuum, venit in monaſterium. Cùm verò eam adeſſe cognouiſſet, miſit fratrem, cui ianuæ monaſterij cura erat credita, vt ei diceret: Ecce audiuiſti me viuere: Abi ergo, & ne tibi ægrè ſit, quòd te non videam. Quòd ſi tu quoque velis hanc meā vitam imitari ad hoc, vt inueniamus à Domino miſericordiam, cellam tibi dabunt fratres, vt per te poſſis agere quietem & ſilentium. Fortaſſe autem alias quoque tecum vocabit Dominus: & illæ per te ſaluæ fient. Nullam enim aliam recreationem habet homo in terra, niſi hoc, vt faciat bonum, & Deo placeat. Hoc cùm reſponſum accepiſſet, fleuit: & compuncta, in cor ſuum immiſit, vt ſalua fieret. Cùm verò eius animi promptitudinē didiciſſet Pachomius, Deo laudato, præcepit fratribus, qui erant paulò religioſiores, vt aliquanto interuallo remotum à monaſterio paruum facerent Aſceterion, id eſt, locum, in quo ſe exerceret. Ea autem, vt Deus poſtulat, ſe exercente, aliæ quoque conuenerunt: & creſcente earum multitudine, fuit mater ipſarum, eas docens, & eis oſtendens omnes vias ad ſalutem. Petrum autem quendam, virum pium & ætate valdè prouectum, iuſſit eas viſitare. Nam cum impatibilitate, erat etiam eius ſermo ſale conditus. Erant autē cum animo eius quoque venerandi oculi. Sæpè itaque ſtans cum ſororibus, ſermocinabatur de ijs, quæ pertinebant ad ſalutem ex diuinis ſcripturis. Porrò autem regulam quoq; ſcriptam ad eas miſit Pachomius: vt ex ipſa inſtructæ & informatæ, inſtitutum vitæ ex Deo ſequerentur.

Pſal. 100. *Num. 12.* *Nō vult videre ſororē ſuam.* *Soror Pachomij fit monacha, & multæ ſe illi adiungunt.* *Regula monacharum.*

Cap. 29. Si quis verò ex fratribus habens in Aſceterio aliquam, quæ ad eum attinebat, veniſſet ad eam viſitandam, mittebat vnà cum eo quendam ex ſenibus & ſpiritalibus fratribus: & ita priùs præfectam, deinde, ea præſente, & ijs, quæ erant præcipuæ ex fraternitate, eam, quæ ſibi erat nota, conueniebat frater cum honeſtate magna & reuerentia, neque ad eam aliquid afferens, neque ab ea aliquid accipiens. Neque enim habebant aliquid proprium: ſed vtriſque ſola ſufficiebat memoria & ſpes bonorum futurorum. Quòd ſi quando vel ædificandi, vel alicuius alterius gratia, opus haberent fratribus, ſcientem aliquem & pium inter alios ad hoc mittebat ſimiliter. Hora autem comedendi reuertebantur ad monaſterium, illic neque cibum, neque potum omninò ſumentes. Quando autem conſummatur ſoror, vſque ad hodiernum diem congregantur fratres in aliquo loco definito: & ita ijs pſallentibus, cæteræ in alia parte, cùm eam pulchrè ad ſepeliendum compoſuerint, ponunt in medio. Deinde ſic eam accipientes fratres, cum graui & venerāda Pſalmodia in monte ſepeliunt cum magna pietate ac Dei metu, vt decet ſeruos Chriſti.

Cap. 30. Cùm hæc vitæ inſtitutio in omnibus partibus ſermone celebraretur, & nomē ſancti

cti Pachomij ad omnes perueniret, multi quidem laudabāt nomen Chriſti: Non pauci autem rurſus res mundi contempſerunt, & ad vitam acceſſerunt monaſticam. Inter quos fuit etiam quidam Theodorus, quatuordecim annos natus, Chriſtianis parentibus & valdè illuſtribus. Is enim, cùm eſſet dies feſtus vndecimo menſis Tube, cōtemplatus domum ſuam, quæ erat admirabilis & magna, & cuius in mundo res erant proſperæ, compunctus fuit corde diuina gratia, & dicit apud ſeipſum: Quid mihi proderit, aut quid miſer lucrifaciam, ſi cùm huius vitæ momentaneis frui mihi licuerit voluptatibus, excidam ab æternis? Nemo enim, qui eas fuerit conſecutus, æternæ gloriæ poterit eſſe particeps. Cumque propter hæc ingemuiſſet, ingreſſus eſt in quandam occultam partem domûs: & cùm in faciem cecidiſſet, cum lachrymis dicebat: Domine, qui occulta cognoſcis, ſcis me nihil eorum, quæ ſunt in hoc mundo, tuo amori prætuliſſe. Quamobrem rogo te Domine, deduc me ad tuam voluntatem: & illumina meam animam, vt te perpetuò laudem & glorificem. Theodori nobiliſſimi pueri admiranda conuerſio.

Cùm hæc autem dixiſſet, aduenit mater eius, ſuiſque in eum defixis oculis, videt eius oculos lachrymantes, & dicit ei: Quid tibi fuit moleſtum, ô fili? & cur fuiſti à nobis ſeparatus? Nos autem te triſtes quærebamus. Ille verò ei dixit: Abi mater, & comede: ego enim nolo nunc comedere. Neque eam ſuſtinebat. Recedens autem, in hac mora ieiunabat vſque ad veſperam: Sæpè verò duas quoque coniungens veſperas. A ſumptuoſis autem cibis duos annos ſua ſponte abſtinuit, ſeipſum aſſuefaciens ad perfectam exercitationem. Cùm autem ei veniſſet in mentem, vt ingrederetur monaſterium, receſſit omnium propriorum oblitus. Cumque inueniſſet fratres, quorum erat honeſta vitæ conuerſatio, habitauit cum eis. Sedentibus autem monachis poſt preces veſpertinas, & diuinas ſcripturas apud ſe meditantibus, audiuit vnum ex eis diſſerentem de tabernaculo, quod erat in veteri teſtamento, & de Sancto ſanctorum, & inducentem ſolutionem in duobus populis, & dicentem: Exterius quidem tabernaculum, eſt primus populus Iudæorum: Sancta autem Sanctorum, eſt vocatio gentium: quæ habet magis myſticum, magis glorioſum ingreſſum. Nam pro ſacrificio animalium, & thuribulo, & menſa, & arca, quæ habebat panes mannæ, & libros legis, & quæcunque illic erant, & pro candelabro, & propitiatorio, viſus eſt nobis Deus Verbum, qui in carne à ſe ſuſcepta nos illuminauit, effectus lumen cognitionis, & propitiatio noſtrorum peccatorum. Cùm hæc autē ſoluiſſet frater fratribus, qui cum ipſo ſedebant, ipſe rurſus dixit: Hanc ſolutionem didici à ſancto patre noſtro Pachomio, qui congregauit in Tabeniſe fratres proficientes in Domino. Credo verò fore, vt nobis à Domino peccata condonentur, quòd viri iuſti hac hora memini. Cùm hæc autem audiuiſſet Theodorus, corde fuit inflammatus, & dixit: Domine Deus, ſi eſt hic vir ſanctus ſuper terram, dignare mihi concedere, vt eum videam, & ſequar in omni præcepto: vt ego ſaluus fiam, & dignus euadam bonis, quæ promiſiſti ijs, qui te diligunt. Hæc dicens, fundebat lachrymas, vt cui diuino amore vulnerata eſſet anima. Cap. 31. Vide pueri abſtinentiā. Tabernaculi Moſaici myſtica interpretatio.

Poſt aliquot autem dies venit ad ipſos Pecuſius quidam vir pius, & maximè Chriſtianus, ſenex admodùm, ipſos viſurus, & volens ſcire, quomodò agerent. Rogauit eum Theodorus, vt ipſum ſecum duceret. Is verò nihil cunctatus, ipſum accepit & duxit. Qui cùm perueniſſet ad locum, adorauit Dominum, dicens: Benedictus es Deus, quoniam me peccatorem celeriter exaudiſti, & impleuiſti petitionem meam, quā à te petij. Cùm autem cum Pachomio congreſſus eſſet Theodorus, cœpit vehementer flere in foribus, & vultū irrigare lachrymis. Cùm verò Pater eum vidiſſet, dicit ei: Noli flere, fili. Nam ego quoque etſi ſum peccator, ſuſcepi opus Domini. Cumque hæc dixiſſet, introduxit eum in monaſterium. Cùm autem adſpexiſſet fratres, fuit mente illuminatus, zelumque pietatis accepit eius anima: procedenſque abundabat ijs, quæ ſunt ex Deo, virtutibus. Nam cùm eſſet prudens & intelligens, magnam & admirabilem poſſidebat obedientiam: munificique Dei gratia in ieiunijs & vigilijs & perpetua oratione perſeuerans, non ceſſabat ſemper maiores deſiderare gratias. Nam cùm multi moleſtia afficerentur, fuit conſolator & corrector eorum, qui quomodocunq; labebantur. Videns autem inſignem eius exercitationem, eum valdè amauit Pachomius, & eum in ſuo corde poſuit. Cap. 32. Theodorus fit monachus S. Pachomij egregius.

Cùm verò audiſſet eius mater eum illic agere, venit in monaſterium, afferens Epiſtolas Epiſcoporum, quæ iubebant ei reddi ſuum filium. Ea verò hoſpitio accepta in *mulierum* aſceterio, quod eſt prope monaſterium, miſit epiſtolas ad Pachomium, rogans Cap. 33.

gans vt ei permitteret videre ſuum filium. Tunc ipſe, accerſito Theodoro, dixit ei: Audiuimus, fili, matrem tuam huc venire, volentem te videre: & ecce ad nos attulit epiſtolas Epiſcoporum. Abi ergo, & imple eius deſiderium, & maximè propter ſanctos viros, qui ad nos ſcripſerunt. Dixit ei Theodorus: Fideiubeas mihi, ô pater, quòd ſi eam videro poſt tantam cognitionem, non reddam rationem Domino in illo die, quòd ego reliquerim eam me conuenire in fratrum offenſionem. Si enim ante gratiam, filij Leui ſuos parentes & fratres ignorauerunt, vt ſeruarent Dei iuſtificationes: multo magis ego, qui ſum tanta dignatus gratia, non debeo præferre genus & parentes Dei dilectioni. Dicit enim Dominus: Qui diligit patrem ſuum aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Dixit ei Pachomius: Si tibi videatur, ô fili, id tibi non expedire, ego non te cogo. Hoc autem eſt eorum, qui perfectè mundo renunciârunt, & ſeipſos omninò abnegauerunt. Oportet enim monachos, inutiles quidem fugere mundanas congreſſiones: eos autē, qui ſunt membra Chriſti & credunt, omnes ex æquo diligere & admittere. Si quis autem, qui mundana tenetur affectione, dicit: Caro mea ſunt, & ego eos diligo: audiat ſcripturam, quæ dicit: A quo quis eſt ſuperatus, eius eſt etiam ſeruus. Cùm ipſe ergo noluiſſet videri à matre, illa quoque conſtituit manere in aſceterio apud ſorores, quæ Chriſto ſeruabant virginitatem, apud ſe cogitans: Omninò ſi Deus voluerit, videbo ipſum cum ſororibus, & meam animam propter ipſum lucrifaciam. Sic id, quod eſt ex Deo acerbum, ſi fiat ad Dei gloriam, poteſt conciliare vtilitatē ijs, qui in id incidunt, etiamſi aliquantiſper moleſtum videatur.

Deut. 33. — Matth. 10. — 2 Pet. 2. — Theodorus non vult videre matrē ſuam.

Cap. 34. Quomodò autem hunc virum bonum & induſtrium produximus in medium ad eos incitandos, qui volunt quæ ſunt bona & hōneſta imitari: ita etiam par eſt meminiſſe prauorum & ignauorum: vt ſint cauti, qui audiunt. Quidam enim ex fratribus, qui carnalem habebant prudentiam, & hominem veterem non exuerant, magna moleſtia ſanctum afficiebant. Sæpè quidē eorum animæ vtilem afferens admonitionem, nihil quidem proficiebat. Animo autem anxius & valdè triſtis abiens, Deū pro eis orabat, dicens: Deus, tu præcepiſti nobis, vt proximos diligeremus vt noſipſos: Quoniam ergo nôſti promptum meū animi ſtudium & propoſitum, rogo te, ne deſpicias ſalutē eorum animarum, ſed eorum miſerearis, & des timorem tuum in corde eorum, vt te cognoſcant, & tibi ſeruiant in veritate & vitæ puritate: vt ipſi quoq; in te habeant ſpem germanam & ſynceram. Valdè enim triſtis eſt anima mea, & omnes mei ſenſus de ipſis dolent. Hæc cum dixiſſet, ſiluit. Paucis autem pòſt diebus, cùm animaduertiſſet, quòd ne poſt preces quidem euaſiſſent meliores, rurſus ſtans orauit, & dedit eis quandam regulam & orationis, & reliquæ eorum vitæ inſtitutionis: vt ſaltem tanquam boni ſerui præſcriptum implentes, paulatim introducti, ea poſteà facerent liberè & confidenter. Illi verò rurſus cùm vidiſſent eum non permittere, vt ſuam ſequerentur voluntatem, ſeducti fuerunt à ſpiritu timiditatis, & retroceſſerunt, extrema & accurata vitæ forma obſtupefacti. Cùm ij autem receſſiſſent, fuit deinceps grex purus, magisque profecerunt in ſua exercitatione: vt frumentum quod in agris pulchrè germinat, radicitùs euulſis zizanijs. Hæc autem retuli, volens per vtrunque oſtendere, quòd ſicut mundanos nihil lædit, ſi aduertant, auſteritas monachorum, ſed potiùs eis prodeſt: ita monachos nihil iuuant neque preces, neque demiſſio Patrum, ſi in ipſis ſint ignaui & negligentes.

Matth. 19. — Quidā diſſoluti fratres abeunt ex monaſterio.

Cap. 35. Quidam quoque confeſſor, Dionyſius nomine, œconomus eccleſiæ Tentyrorum, qui erat amicus Pachomij, cùm audijſſet ex aliquibus, quòd qui ex alijs monaſterijs ad ipſum veniebant, non ſinebat verſari cum ijs, qui cum ipſo erant fratribus, ſed manere in alio loco in foribus monaſterij: ad ipſum acceſſit, magna affectus moleſtia: & ipſum grauiùs increpando differens, dixit: Non rectè facis, ô Abba, qui non eandem in omnes fratres habeas affectionem. Is autem cum magna patientia grauem ferens repræhenſionem, ei reſpondendo dixit: Nouit Deus meum propoſitum, ſcitque tua paterna affectio, me nunquàm tuam voluiſſe animam moleſtia afficere, aut negligere. Quomodò ergo nunc auderem hoc facere, & Dominum meum aduersùs me irritare, qui apertè clamat: Quodcunque feceritis vni horum fratrum meorum minimorum, mihi feciſtis? Excipe ergo, ô Pater, me tibi ſatisfacientem. Non enim hoc feci, ô Pater, quòd nihili faciam eos, qui huc veniunt: ſed quoniam cœnobium habet multos, qui recenter aduenerunt: quorum ſunt diuerſi mores, & nondum ſciunt nec ipſum quidem monachi habitum: inter quos ſunt etiam pueri adeò ſimplices, vt ne ſuam quidem nôrint dextram aut ſiniſtram, exiſtimaui magis expedire,

Matth. 25. — Etiam pueri olim fuere monachi.

re,vt fratres ſeorſum agerent, & ſimiliter vt qui accedunt, ſint ſeparati, & per ſe degant. Hoc autem exiſtimo potiùs eſſe honori ijs, qui ad nos accedunt, patribus & fratribus,vt hora quidem orationis nobiſcum congregentur, poſteà autem vnuſquiſque ſuum adeat locum,& illic quietem agat & ſilentium, me videlicet propter Deum eis ſubminiſtrante ea,quæ ſunt neceſſaria. Hæc cùm ex ipſo audijſſet preſbyter Dionyſius, ei magis conceſſit,ſciens eum omnia ex Deo agere,& valdè lætatus ea defenſione, lubens redijt ad ſuos.

Quædam autem mulier ex ijs, quæ illic vitam agebant, cùm laboraret profluuio ſanguinis, qui morbus eam longo tempore detinuerat: intellexiſſet autem de Pachomio,eum eſſe pium & religioſum,& vitam degere admirabilem: eiusque ſyncerum ac germanum eſſe amicum Dionyſium, eum rogauit,vt eius miſereretur,& tanquam neceſſaria aliqua de cauſa, accerſeret ſanctum in eccleſiam. Ille verò adductus precibus mulieris, eum ſtatim accerſijt. Cùm autem acceſſiſſet, & poſt orationem amplexus eſſet Dionyſium in eccleſia,ſedit cum ipſo. Pauca verò cum ſancto Pachomio differente Dionyſio,confirmata & roborata mulier animi promptitudine, & credens ei,qui dixit: Confide filia,fides tua te ſaluam fecit: cùm ſenſim ei à tergo appropinquâſſet,& tetigiſſet cucullam,quæ erat in capite eius, fuit ſtatim curata: & cadens in faciem, flexis genibus,ipſum Deum laudabat propter beneficia,quæ per eius ſeruos fiunt in eos,qui credunt in ipſum. Ipſe autem intellecta arte Dionyſij, benedixit mulieri, & rurſus redijt in ſuum monaſterium. Cap.36. Matth 9. Tactu cucullæ S. Pachomij ſanatur morbida mulier

Cùm autem poſtularet vſus,vt ageretur foſſa pro tutela monaſterij, ipſe quoque laborantibus fratribus opem ferebat lubentiſſimè, & cum magna gratiarum actione. Aliquot verò pòſt diebus quidam exercitator, Pater multorum fratrum,qui etiam ſolebat frequentiùs ad ipſum accedere,venit ad ipſum cum vno fratre, propterea quòd talis exorta eſſet controuerſia in ſuo monaſterio. Is frater, qui vnà cum eo aderat, vrgebat & moleſtiam afferebat eidem Præfecto monaſterij,vt aſſequeretur dignitatem clericatûs. Præfectus autem cùm videret eum eſſe indignum tali munere,variè differebat. Cùm verò nõ poſſet ampliùs ferre fratris moleſtiam,accedit ad ſanctum Pachomium, & ei narrat quemadmodùm res ſe haberet, perſuaſum habens, eum ſolum eſſe ſoluturum fratris contentionem. Ille autem poſtquàm didicit cauſam,dicit preſbytero: Non veniſti,vt à me exquireres Dei voluntatem? Audi ergo me,& concede ei ſuam petitionem, ne deſperet. Fortaſſe per id abſtrahemus eius animam ab inimico. Contingit enim virum quoque malum,ſi beneficio afficiatur,venire ad ſenſum boni. Meliorum enim rerum deſiderium,ſolet animabus minimè diſſolutis & ignauis eſſe veluti certum pignus,quòd ſe gerent ex virtute. Nobis quoque, frater, oportet hoc facere. Quæ eſt enim ex Deo dilectio, in eo conſiſtit, quòd alter alterius moueatur miſericordia. Cùm hoc reſponſum accepiſſet Præfectus,fecit quod fuerat iuſſus. Frater autẽ id,quod petierat,aſſecutus,reuerſus ad ſanctũ cum lachrymis & multa compunctione, in facie mq; cadens, confeſſus eſt,dicens: Homo Dei, valdè fuiſti in altum ſublatus à Domino, vt qui vincas in bono malum. Si enim non fuiſſes in me leni animo, ſed aduersùs me dixiſſes aliquid,reliquiſſem habitum,& à Deo fuiſſem alienatus. Nunc autem benedictus es tu à Domino,quoniam per te ſalua eſt anima mea. Cùm ille autem eum iuſſiſſet ſurgere, & hortatus eſſet vt oſtenderet vitam dignam profeſſione, ne deteriores pœnas lueret in futuro,eum complexus dimiſit,deducens vſque ad oſtium monaſterij. Cap.37. Prudentia ſuſſeruat monachũ.

Eo verò adhuc ſtante,ecce vir curſim procùl adueniẽs,procidit ad eius pedes,rogãs & obſecrans,vt eius filia,quæ vexabatur à dæmone, curaretur, à Chriſto ei data gratia. Ille autem,eo relicto ſtante foris, ingreſſus eſt monaſteriũ, miſitque ad eum per ianitorem,dicens: Non eſt quidem mos nobis loqui cum mulieribus: ſed mitte ad me vnam ex veſtibus tuæ filiæ: & cùm in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ei benedixerimus, eam rurſus remittemus: & ſpero quidem fore,vt ſalua fiat puella. Allatam autem tunicam toruè intuens ſanctus, dixit: Non eſt eius tunica. Affirmante autẽ eius patre, & dicente eam eſſe eius,dixit ei: Eam quidem illius ego quoque eſſe ſcio: ſed non conſeruat ſuam caſtitatem,cùm profiteatur ſe eſſe virginem. Et ideo cùm eam adſpexi,ſenſi illam non eſſe caſtam: & propterea dixi eam non eſſe ipſius. Promittat ergo tibi fore, vt deinceps ſe puram conſeruet coram Deo: eiusque miſertus clemens & miſericors Dominus, eam ſanabit. Cùm autem cum ira & dolore pater interrogâſſet filiam, confeſſa eſt puella, & cum iureiurando dixit, ſe non ampliùs ea eſſe facturam. Deinde ſic precatus ſanctus,ad eam miſit oleum: quo quidem cùm vſa fuiſſet in fide, ſtatim fuit ſanata, Cap.38. Nouit occulta aliorũ peccata. Oleo ſanat dæmoniacã

ſanata,& Deum laudauit,quòd cum ſæuo dæmone vita quoque commutata,magnam caſtitatis curam geſſerit in poſterum.

Cap.39. Cùm hæc fama in omnem partem peruaſiſſet,alius rurſus ſuũ filium,qui immanem habebat dæmonem,quotidiè lugens,cùm eum non poſſet ad ſanctum deducere, venit ipſe genuflectens & rogans,vt pro eo oraret. Is verò cùm eſſet precatus, & illi panem dediſſet,præcepit,vt tempore veſcendi eum comedendum præberet laboranti. Ei itaque eſurienti pater panem obtulit.Dæmon autem id ſentiens,non permiſit ei,vt ipſum guſtaret,nec vt tangeret: ſed cùm multa alia accepiſſet,expleuit appetitum. Rurſus ergo pater eius, cùm hunc panem accepiſſet, & minutatim fregiſſet cum minutiſſimis partibus caſei, iniecit fragmenta in medium dactylorum, eaque ſola ei appoſuit: vt actum ignorans,acciperet benedictionem.Ipſe autem rurſus ea aperiens,& humi iecit fragmenta,& dactylos abhorrens reliquit,volens nihil omninò guſtare. Cùm ergo pater eius eum multis diebus reliquiſſet ieiunum, nihil aliud præter hunc panem reliquit in eius poteſtate.Is verò fame oppreſſus,ex eo ſumpſit: & cùm primùm fuiſſet refectus, dormijt, & receſſit ab eo malus ſpiritus. Tunc pater accepto, qui curatus erat,filio, rurſus cum ipſo acceſſit Deum laudans,qui per ſuos ſanctos facit magna mirabilia,glorioſaque & inſignia,quorum non eſt numerus.

Benedicto pane pellit dæmonem ab homine.

Cap.40. Porrò autem cùm plurimas quoque alias curationes per ſe videret hic beatus fieri virtute ſancti ſpiritûs,corde non efferebatur, (Habebat enim hanc quoque gratiam à Domino) ſed manebat ſemper idem, cogitabundus & ſeuerus. Si quando autem precatus,petitionem non fuerat conſecutus,hoc ei non videbatur nouum & alienum:ſed diuinam illam & magnam,quam didicerat,doctrinam habebat ſemper in ore: Fiat,dicens,Pater,voluntas tua. Theodorus autem, de quo paulò antè dictum eſt,cùm eſſet iunior,confirmabatur ſpiritu,in omnibus imitans patrem, qui ipſum deducebat: qui quidem nulli erat culpæ affinis,aut repræhenſioni: & proficiebat virtutibus,magno illi viro ſe ſubmittens & cedens in omnibus,propter Deum, tanquam ipſi Domino. Quoniam verò ſolet vtplurimùm anima contrarijs exerceri ad patientiam, ſæpenumerò eum probabat in ijs,quæ ipſe præcipiebat,iubens quidem ei aliqua facere opera: deinde rurſus eum iubens deſiſtere,& vituperans ea,quæ ipſe faciebat, cum magna alacritate animi transferebat ad alium, dicens non rectè priùs ab eo facta eſſe, & indicebat cogitationem vanæ de ſe perſuaſionis,qua ſibi nimiùm placebat, cum eo bellum gerere. Ipſe autem paternam increpationem prudenter accipiens,manebat minimè conturbatus,nihil audens omninò contradicere, aut ſe apud eum defendere. Alijs verò verbis ſibi ſatisfaciens,dicebat: Eſt optimus artifex & probus Chriſti ſeruus. Multa autem,quæ apud imperitos feruntur aliter, accipiunt à ſcientibus aliam correctionem. Ego itaque peccator meipſum debeo lugere, donec Dominus cor meum dirigat ad bonum,& euadam dignus ſanctorum patrum obedientia. Nam abſque Domini auxilio,opera hominis,& quæ in ſe eſt maximè fiducia,eſt puluis & cinis.

Theodorũ obedientiſſimũ variè exercet.

Cap.41. Cùm autem fratres aliquãdo profecti eſſent in quandam inſulam,nomine Thream, ad metendum,& eis Theodorus pararet quæ comederent, quodam die venit Pater ex opere,(erat enim cum eis)& laborabat morbo corporis.Ei verò horrẽti iniecit Theodorus ſtragulam veſtem ex pilis contextam,nempe cilicium. Ille autem id valdè ægrè ferens: Tolle,inquit,hoc à me,& ſtoream mihi inijce,ſicut mos eſt fratribus. Eo autem facto,rurſus veluti oblitus exactæ illius & accuratæ viuendi formæ ſenis,accepit pugillum dactylorum,& dedit ei,hortatusque eſt,vt eis veſceretur. Ille autem id videns,dixit ei lachrymans: Itáne igitur,frater,quoniam in fratrum labores habemus poteſtatem, & ea diſpenſamus,quæ ſunt eis neceſſaria,proptereà debemus nos abſolutè & temerè quibuſlibet frui indiſcriminatim: aut præter id, quod vſus poſtulat, aut præter tempus,aut præter morem aliquid facere? Vbi eſt ergo timor Dei? Dic enim mihi frater: Peruaſiſti omnia tuguria,& tibi perſuaſiſti,non eſſe in eis aliquos ægrotos? Ne fallaris, Theodore. Perinde enim eſt in re parua,atque in magna, ſe iniquè gerere. Illis enim, Deo opem ferente,lubenter ſuſtinentibus afflictiones,quomodò nos non feremus? Ea autem,quæ ſibi data fuerat,gratia morbos probabat,quinam eſſent. Apertè enim ſciebat,dæmones quauis ratione conari impedire fideles.

Vide ſancti ſenis religionem.

Cap.42. Eum certè aliquando inuaſit vehementiſſima febris in monaſterio,fuitque ieiunus quinque dies.Cùm autem intellexiſſet hanc eſſe artem maligni, qui ſemper vult ſanctis afferre impedimentum,non intermiſit ſurgere ad preces: ſed Deo, quem deſiderabat,vehementer ſupplicauit: ſtatimque morbo leuatus, in eorum, qui ſani erant, fratrum

Malitia dæmonis.

fratrum menſa conſedit, Deo agens gratias, qui ei conceſſerat, vt poſſet diſcernere, quę ſunt preſtantiora. Cùm verò talis eſſet, nullo modo curam negligebat ęgrotorum: ſed erat bonus & miſericors in fratres, ſi vllus alius.

Cap. 43. Mirè augētur monachi ſub eo.

Iam verò cùm vidiſſet Dei prouidentia multiplicari fratres, & in arctum cogi monaſterium, traduxit ex ijs aliquos in vicum, qui dicitur Pibi: & extructo illic monaſterio, eis præfecit œconomum, vt diſpenſaret quæ opùs erant fratribus. Cùm autem eis ſcripſiſſet regulas, & arrham dediſſet orationem, & plurimas ſpiritales adhortationes, eiſque accuratè præcepiſſet, vt nullus eorum vel verbo, vel facto omninò læderet proximum, ſed ſequeretur vnuſquiſque præſcriptum exercitationis, quoniam & apud Deum & apud homines ordo eſt in honore: curam gerebat ſenex viſitans aſſiduè, noctuque diuque, hæc duo monaſteria, vti ſeruus principis paſtorum Chriſti Domini, & Seruatoris animarum noſtrarum. Rurſus autem multiplicatis in ſecundo monaſterio fratribus, poſt aliquod tempus ad eum venit ſenex aliquis, qui ſe maximè exercebat, nomine Eponychus: Qui ipſe quoque erat præfectus alterius monaſterij antiquiſſimorum fratrum & perfectorum. Is magnum rogabat Pachomium, vt ipſum aſſumeret, & ſibi coniungeret: & eius monaſterium, quod dicebatur Chenoboſcia, ipſius quoque fratres acciperet, & ſuo coniungeret monaſterio. Ille verò ei acquieſcens, illuc quoque fratres adduxit ex proprio monaſterio. Cumque Deum pro eis oráſſet, & præcepiſſet fratribus, qui priùs illic erant, vt hi ſuas omninò regulas ſequerentur: & eis quoque formas pro more præbuiſſet, & eis conſtituiſſet, vt viuerent conuenienter regulis primi monaſterij, ipſe Domino agebat gratias propter ſalutem fratrum. Eodem modo rurſus rogatus à fratribus, qui degebant in monaſterio Muchonſe, vt eorum curam poſt Deum ſuſciperet, ceſſit pater: & cùm eis quoque feciſſet eaſdem conſtitutiones, & eos cooptáſſet inter proprios fratres, ipſos etiam commendauit Domino, qui facit mirabilia, & eos, qui volunt ſalui fieri, tradit & committit ſuis ſanctis.

Eponychus Abbas.

Cap. 44. Ionas, ſenex & perfectiſſimus monachus.

In hoc monaſterio erat quidam antiquus & valdè ſanctus, diligens Dominum, nomine Ionas, exercitator perfectiſſimus, cuius etiam viuendi rationē ad multorum vtilitatem, Deo adiuuante, narrabo. Nam cùm magnus Pachomius ſtudiosè ac diligenter in vnoquoq; monaſterio cōſtituiſſet fratres potentes ſpiritu ad reliquos gubernandos, ipſeque certis interiectis interuallis viſitaret monaſteria, & illuc quoque veniſſet: dum ipſe ingrederetur in monaſterium, ſtabat ficus alta admodùm, in qua ſolebant quidam pueri clàm aſſcendentes, ex ea ſumere fructus & comedere. Cùm hoc autem vidiſſet ille magnus, & ei appropinquâſſet, videt ſpiritum quendam immundum, qui ſedebat ſuper ipſam. Cùm verò cognouiſſet hunc eſſe dæmonem gulæ, & exploratum habuiſſet hunc eſſe, qui maximè decipiebat iuuenes, vocat prædictum fratrem, qui erat hortulanus monaſterij, & dicit ei: Excinde frater hanc ficum. Eſt enim indecorum eam ſtare in medio monaſterij, proptereà quòd ea afferat offenſionem ijs, qui cognitione nequaquàm ſunt ſtabiliti. Is autem cùm hoc audijſſet, magno dolore eſt affectus, & dicit illi magno: Nequaquàm, ô pater: magnum enim fructum ſolemus ex ea percipere. Cùm eum autem vidiſſet affectum moleſtia, ſciretque eius vitam admirabilem & vtilem, noluit quidem eum ampliùs cogere, ne afficeretur maiori triſtitia. Sequenti verò die viſa eſt arbor adeò ſicca, vt nec folium viride, neque fructus in ea omninò inueniretur. Cùm ergo vidiſſet beatus Ionas (ita enim vocabatur ſenex) id, quod factum fuerat, maiorem accepit dolorem ex inobedientia, quòd, cùm dixiſſet ſanctus, non eam ſtatim omni ſtudio & alacritate animi excidiſſet.

Dæmon gulæ in idiatur iuuenibus.

Arbor ſubitò areſcit.

Cap. 45. Miráda abſtinentia.

Is cum octogintaquinque annos egiſſet in monaſterio, & vitam exercuiſſet admodùm honeſtam & venerandam, ſoluſque horti curam gereret, & frugiferas ipſe plantáſſet arbores, nullum vnquàm omninò fructum guſtauit vſque ad mortem, omnibus fratribus, hoſpitibus, & ijs, qui circuncircà incolebant, veſcentibus fructibus vſque ad ſatietatem. Indumentum autem eius erat huiuſmodi: Cùm tres ſolas ouis pelles coniunxiſſet, ijs ſolis fuit contentus ad omnem amictum corporis, nihil aliud induens, nec hyeme, nec æſtate. Habebat verò vnum lebitonem, quo induebatur tempore diuinorum & intemeratorum ſacramentorum corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti: & cùm primùm communicâſſet, eum rurſus exuebat & reponebat, mundum ſeruans octogintaquinque annos. Quid ſit autem corporis quies, neſciebat quidem, quod ipſe lubenter ſemper operabatur, & cum magno ſtudio & animi alacritate. Sed neque cocti aliquid vnquàm ſumpſit: ſed toto tempore vitæ ſuæ cruda olera comminuta comedebat cum aceto. Aſſerebant autem quidam ex fratribus, quòd nec poterat

Veſtis.

Victus corporis.

terat quidem domum nôſſe noſocomij. Accedit his omnibus, quòd nunquàm recubuit ſupra dorſum vſque ad mortem: ſed interdiù quidem hortum operabatur: circa occaſum autem Solis, cùm cibum ſumpſiſſet, ingrediebatur in ſuam cellam, & ſellæ inſidens, in medio cellæ funes contexebat vſque ad conuentum nocturnum: & ſic contingebat ei ſomnum parumper videre propter naturalem neceſſitatem corporis, ſedenti & in manibus habenti iuncos, qui ab eo texebantur. Hoc verò faciebat non ad lucernam, aut ad ignem aliquem, ſed in obſcuris ſedens tenebris, & ſcripturas memoriter recitans. Alia quoque plurima laude digna faciebat beatus ſenex Ionas, quę ſcribere non eſt pręſentis temporis: ne ſi in infinitam lõgitudinem produxerimus orationem, negligentioribus auditoribus tædium afferamus. Hunc nouo quodam modo fama eſt obdormijſſe. Sellæ enim ſuæ inſidens, & iuncos texens, vt ſolebat, ſic requieuit, vt ipſo mortuo, inuenirentur iunci in eius manibus. Narrant autem fratres de eius ſepultura rem verè admirabilem, & dignam quæ mandetur ſcriptis. Nam cùm eius pedes non potuiſſent extendi, propterea quòd inſtar ligni obduruiſſent in ea, in qua deceſſerat, figura: neque eius manus poſſent contrahi, aut appropinquare reliquo corpori: neque rurſus concederet, vt tunica exueretur pellicea, cum inuoluentes perinde, ac lignorum ſarcinam, ſic coacti ſunt eum mandare ſepulturæ. Sed reuertamur ad propoſitum.

Somnus exiguus. Mortis genus. Sepultura.

Cap. 46. Cùm in hoc monaſterio oratorium ſanctus ædificâſſet Pachomius, porticusque & columnas numeroſè conſtruxiſſet lapidibus, delectatus eſt opere, propterea quòd id pulchrè ædificâſſet. Cùm autem apud ſe conſiderâſſet, non oportere hominum opera admirari, & delectari ſpecie pulchrorum ædificiorum, recenti adhuc opere, acceptis funibus, & columnis alligatis, iuſſit fratribus, vt eas traherent totis viribus, donec inclinatę, non fuerunt ampliùs decorę. Deinde verò cœpit dicere: Nec vos quoque, fratres, multùm contendatis iactare & magnifacere opus manuum veſtrarum: ſed orate potiùs, vt gratia Chriſti & dono ſancti ſpiritûs integra maneãt veſtra opera, & ne mens lapſa propter laudem artis, fiat pręda diaboli: Sunt enim multę eius inſidię. Ita in vnumquodq; veniens monaſterium, eis proderat: & ſedens, eis ſanctas exponebat ſcripturas: & hortabatur, primùm quidem, vt nulli eſſent affines repræhenſioni: ſcirent autem, & non ignorarent aſtutias inimicorũ: Ipſi verò in eos pugnarent virtute ſancti Spiritûs, & continẽter dicerẽt: In Deo faciemus virtutẽ, & ipſe ad nihilũ rediget inimicos noſtros.

Cauenda vana gloria in ijs, quæ facimus. Pſal. 107.

Cap. 47. Eum verò rogauit quidam ex fratribus, cur, cùm ante aduentum quidem moleſtiam exhibentis dæmonis, ſaluum habentes ſenſum cogitationis, philoſophemur de continentia, humilitateque & alijs virtutibus: tempore autem poſtulante, vt oſtendamus opera, de quibus philoſophamur: vt verbi cauſa, in tempore iræ, patientiam: in tempore odij, iniuriæ acceptę obliuionem: laude propoſita, animum ab inani gloria alienum, & alia multa eiuſmodi, non poſſumus? Cui ſanctus ſic reſpondit, dicens: Quoniam virtutem perfectè non exercemus, propterea omnem dæmonum habitum & tortuoſos anfractus neſcimus ad hoc, vt nos poſſimus eius, qui nos vexat, aduentum acriore contemplantis animæ facultate amouere, & talium cogitationum circunſiſtentem repellere confuſionem. Quocircà neceſſe eſt vnoquoque die & hora, contemplanti animæ parti, tanquam oleum, infundere Dei metum: qui cùm ſit agendi facultatis efficiens, & lucerna ad contemplanda ea, quæ ſubijciuntur, efficit quidem, vt mens noſtra concuti & labefactari nequeat: ad iram autem, & odium, & iniuriæ acceptæ recordationem, & aliquam aliam ex ijs affectionibus, quę nos protrudunt ad vitium, nos non rapiat: contemplantemque & in ſublime ſe extollentem ad regionem incorporeorum ei, quem tales vexant dæmones, addit animum, & eum incitat, vt contemnat, efficitque, vt (ſicut ſcriptum eſt) ambulet ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.

Cur à vitijs impugnati, non ſatis illis reſiſtamus. Timor Dei. Luc. 10.

Cap. 48. Hæc cùm ipſe ſolueret fratribus, & inimici bella apertè deſcriberet, hæretici quidam exercitatores, interna cilicio occultantes, venerunt, & fratribus, qui erant in foribus, dixerunt, à ſuo patre ad magnum illum miſſi: Ingredimini, & ei dicite: Es'ne verè homo Dei, & credis te à Deo exaudiri? Agedùm communiter noſtris pedibus fluuium hunc tranſmittamus, vt cognoſcant omnes, quis ex nobis habeat maiorem apud Deum fiduciam: nos, an tu. Cùm hæc autem Pachomio fratres renunciâſſent, ſuccenſens, dixit eis: An vos, inquit, omninò hæc veſtris auribus accepiſtis? Neſcitis huiuſmodi quæſtiones eſſe planè à Deo alienas, & quæ non ſolùm abhorrent, non dico à noſtræ vitæ inſtituto, ſed etiam à mundanis, qui rectè ſapiunt, & ſunt verè Chriſtiani? Quæ enim lex nobis permittit hæc dicere, vel proponere? Quid eſt autem miſeri-

Arrogantia quorundam hæreticorũ.

us

us hac cogitatione, vt ego mittens lugere mea peccata, & animo eſſe inſtar pueri, quó æternum effugiam ſupplicium, talibus vtar quæſtionibus? Ij verò rurſus dixerunt: An cùm iſti ſint hæretici, & à Deo alieni, te ad hoc vocare auſi ſunt? Is verò reſpondens, dixit eis: Certè hæc eſt quęſtio hęreticorum. Non legiſtis autem id, quod dicit Apoſtolus: Secundùm duritiam autem eorum, & cor impœnitens, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt ſint ipſi inexcuſabiles? Et nunc hi fortè Dei permiſſione potuiſſent fluuium traijcere, tanquam per aridam, opem eis ferente diabolo ad hoc, vt hęreſis huius impietas confirmetur ijs, qui ei innituntur: & hoc * actu fidem faciat aliquibus ex ijs, qui iam ſunt ab eo decepti. Mihi verò non eſt nunc hoc neceſſarium. Ite ergo, & dicite ijs, qui hanc vobis vocem proponunt: Hæc dicit homo Dei Pachomius: Meum certamen & totum meum ſtudium eſt, non vt pedibus fluuium tranſmittam, aut feris imperem, quas ab initio Deus ſubiecit homini: ſed vt Dei in me compræhendam iudicium, & Domini virtute diabolicas tranſiliam inſidias: qui me iuſſit ambulare ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem inimici potentiam. His enim mihi datis à Domino, reliqua quoque omninò conſequentur. Hæc cùm dixiſſet, rurſus præcipit fratribus, de bonis ſuis operibus non ſibi nimiùm placere, nec eo nomine præclarè de ſe ſentire, neque Deum tentare per has petitiones. Inueniuntur enim multæ machinæ aduerſarij, ſuntque ea, quæ ſunt huiuſmodi, & ſuperuacanea, & periculoſa, cùm inimico dixerit Verbum ſalutare: Non tentabis Dominum Deum tuum.

for. aſtu* — *Præclarum Pachomij reſponſum.* — *Luc.10.* — *Matth.4.*

Poſt hos omnes ſermones, orauit ſurgens ſenex, & rogauit Dominum, vt eius verbi ſemper meminiſſet ad ſalutem: & ſic receſſit vnuſquiſque ex fratribus ad opus ſibi conſtitutum, meditans diuinas ſcripturas. Fieri enim non poterat, vt vllus eorum aliquod verbum loqueretur ocioſum & mundanum: ſed, prout ſcriptum eſt: Os meum meditabitur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Vnuſquiſque ergo conferebat cum proximo, vel de ſolutione ſcripturæ, vel de patris bonis operibus & vitæ ſanctitate. Mundi autem vanitas adeò ab eis cõculcata fuerat, vt quidam ex eis obdormierint, nec argenti, nec auri omninò ſcientes ſpeciem. Cùm verò cum fratribus quibuidam nauigaret ad monaſterium, peruenire autem non potuiſſet, quòd iam dies inclinaret ad veſperam, dixit eis: Vultis vigilemus hac nocte? Ij verò dicunt ei: Vt tibi videtur, Pater. Is rurſus dicit eis: Didici duas formas orationis à ſancto Patre noſtro Palamone: Aut oremus vſque ad mediam noctem, & deinde quieſcamus vſque ad matutinum: aut dormiamus vſque ad dimidiam noctem, & ſic orabimus vſque ad matutinum. Cùm ij autem vltimum elegiſſent, manſit ſenex, horas ſapienter coniectans ſomni & orationis. Erat enim ſenex peritus vigiliarum, & promptus apud ſocios. Ipſi verò cùm ea in re longè ab eo abeſſent, in conuentu officio minimè ſatisfecerunt. Nam vnus quidem omninò eum latuit. Erat enim defatigatus, & tota nocte dormijt. Alter autem cùm ſe conieciſſet in ædem, manſit diù, ſomno remedium afferens. Quem quidem cùm manè vocâſſet ad preces, fecit vt ſecum ſtaret. Ipſe autem cùm, vt conſueuerat, tota nocte manus in formam crucis extendiſſet, manſit immotus, donec peregit orationem. Cùm verò rurſus multa confeciſſent ſtadia, venerunt in monaſterium.

Cap.49. — *Pſal.36.* — *Sermones monachorum eius.* — *Tota nocte orat extenſis manibus*

Cornelius autem œconomus, cùm audijſſet magnum acceſſiſſe Pachomium, rogauit vnum ex ijs, qui cum eo erant fratribus, dicens: Quid agit Pater noſter, aut vbi verſatus eſt ijs diebus, qui interceſsêre? Dicit ei frater: Virum quidem nôſti, & eius ſtudium. Hac nocte autem ſatis nos erudijt. Cùm verò is narrâſſet omnia, dicit ei Cornelius: O imbecillitas: Et permiſiſti, vt te ſenex vinceret, qui es adoleſcens? Ipſis autem loquentibus, audiuit magnus Pachomius ſpiritu. Cùm itaque fuiſſet veſpera, dicit Cornelio: Quoniam me herì quædam inuaſit ſocordia, vis hodiè impleamus debitum, ſtantes ad orationem? Scriptum eſt enim: Vouete, ac reddite Domino Deo noſtro. Sed vigila nobiſcum. Cùm is autem dixiſſet, Vt vis pater: ſtatim in cella peragit, quod deſiderabat, diù quidem trahens preces: Cornelium autem ad ea, quæ dicta ſunt, ſatis erudiens, docenſque commiſerari, & antiquum ducere meliorem. Poſt generale enim fratrum officium eius, qui ſimul fit, conuentûs, cùm is ceſſauiſſet à precibus, dixiſſetque ei frater: Quid feciſti, Pater? Ne aquam quidem guſtaui, cùm cibum ſumpſiſſem veſperi: Et permiſiſti, ô Corneli, vt ſenex imbecillus te vincat in oratione? Tunc cùm cognouiſſet ſe non latuiſſe, ſed magnum Pachomium eius verba attendiſſe, quæ fratri dixerat: Peccaui, inquit, ignoſce mihi. Neque enim rectè cogitaui, nec rectè ſum locutus. Eſt enim in te ſanctus ſpiritus inhabitans, & Dei virtus eſt tecum. Cùm ergo eum quoque ſic pulchrè docuiſſet, dimiſit.

Cap.50. — *Pſal.75.* — *Corrigitur Cornelius ſancti viri prudentia.*

Fratres

Cap.51. Fratres autem rurſus cœpit hortari,ne attendant pulchritudinem & ſpeciem huius ſeculi,non pulchrum cibum,aut indumentum. Eorum enim pulchritudinem oſtendebat eſſe in mandatis Dei,conuenienter Pſalmographo,qui dicit: Domine, in voluntate tua præbuiſti pulchritudini meæ virtutem. Sola ergo quærenda virtutum pulchritudo,quod etiam eſt vtile. Dicite enim mihi,inquit,Ioſeph non erat adſpectu valdè decorus? Verùm nō rex extitit ex ea,quæ videbatur,pulchritudine: ſed ex eo,qui in eo habitabat ſplendore virtutum,euaſitque ea,quæ erant grauia & aſpera, turpeque ac vitandum vicit & fugit peccatum: cuius tenebras ac caliginem deſcribere non eſt præſentis temporis. Sed non erant tales Amnon,aut Abſalom, qui ſolius corporis confidentes pulchritudini,ſe diuerſis malis omninò transfixerunt,& non diuinam latuerunt iuſtitiam. Verùm nos nobiſipſis attendamus, ô dilecti, ab omni cupiditate carnis noſipſos remouentes,vt ſic æternorum bonorum fiamus participes, rurſus recipientes veram pulchritudinem. Eo hæc dicente,venit illuc Paphnutius,frater Theodori,qui ipſe quoque petebat fieri Monachus. Cùm eo autē nollet omninò vti vt fratre, (veterem enim hominem nondum plenè exuerat) magno afficiebatur dolore Paphnutius, & perpetuò flebat. Cùm verò hoc magnus intellexiſſet Pachomius, dicit ei: Bonum eſt ſe demittere, & accommodare ijs, qui ſunt huiuſmodi in principio, ô frater. Quomodò enim recenter plantatis arboribus conuenit magnum adhibere ſtudium & ſolicitudinem,ita etiam ei,qui incipit ſe exercere,donec ipſe Dei gratia actis radicibus,fide fuerit confirmatus.Cùm hæc audiuiſſet Theodorus,ceſſit Patri,vt ei fuerat conſtitutum, fratrem in omnibus confirmans. Intelligebat enim ea,quæ dicebantur.

Pſal. 29. Virtutum pulchritudo.

1.Reg. 13. & 18.

Cap.52. Aegrè ferente autem fratre aliquo, quòd frequentiùs à Patre repræhenderetur, dum eum,quod bonum eſt,doceret,& paratus eſſet ad fugam, ſimulans Theodorus, dicit ei: Nôſti frater,ſenis orationem eſſe ſupra modum aſperam: Neſcio, an hîc poſſim ampliùs ſuſtinere. Ille verò,veluti proprium onus deponens, & rectè ad alium reſpiciens,ei dicit: Et tu hoc pateris? Dicit autem ei Theodorus: Et valdè quidem ægrè patior. Sed ſi velis, ſimus vnà ad noſipſos conſolandos, donec adhuc ſemel experiamur. Si in nos quidem euadat benignus,hîc maneamus: ſin minùs, abeamus, & ſimus ſeparati. Hæc cùm audijſſet frater, fuit confirmatus ex imbecillitate ſuarum cogitationum. Theodorus autem veniens ad Pachomium, rem ei narrauit, vt potuit. Ille verò dixit ei: Rectè feciſti,fili. Sed adduc eum tecum,& eius rurſum conſilium veluti repræhende.Quam dat ille admonitionem,pleniùs accipit frater.Cumque ij ſimul veniſſent, & Theodorus conuenienter doctrinæ Patris eum repræhenderet, ſe inclinans Pater: Ignoſcite mihi,inquit,fratres.nam ego peccaui. Debetis ipſi quoque tanquam germanij filij ferre Patrem veſtrum. Et ſic callido inuento eis profuit.

Theodorus mira arte ſanat fratrem de fuga cogitantem.

Vide modeſtiam.

Cap.53. Huius Theodori prudentiam cùm vidiſſet Pachomius, & quòd poſſet confirmare & corroborare imbecilliores, eo valdè lætabatur. Mos autem erat omnibus, vt ſingulis veſperis in vnum monaſterij locum conuenientes, audirent magni Pachomij doctrinam. Simul verò congregatis omnibus, iubet Theodoro,qui erat viginti annos natus,loqui fratribus verbum Dei. Is verò protinùs citra vllam contradictionem aut inobedientiam os aperiens, locutus eſt eis multa, quæ pertinebant ad eorum vtilitatem. Nonnulli autem ex ſenibus antiquioribus, cùm vidiſſent quod factum fuerat, noluerunt eum audire,dicentes inter ſe inuicèm: Quoniam hic rudis & ignarus nos docet,eum non audiemus. Et relicta congregatione, receſſerunt vnuſquiſque in cellam ſuam. Cùm docendo autem finem impoſuiſſet,miſit magnus Pachomius ad eos accerſendos. Cùm ipſi autem ad eum veniſſent,eos interrogauit, dicens: Quanam de cauſa relicta auditione receſſiſtis in cellas veſtras? Illi verò dicunt: Tantillum puerum, ſenum & qui ſunt in monaſterio prouecti, doctorem conſtituiſti? Hæc cùm audijſſet, valdè ingemuit: triſtitiaque affectus, dicit eis: Scitis, vnde principium malorum in mundum introijt? Cùm ij autem dixiſſent, Vnde? Reſpondens, dicit eis: Ex ſuperbia, propter quam Lucifer quoque,qui manè oriebatur, cecidit è cælo, & fuit contritus ſuper terram: propter quam cum feris quoque habitauit Nabuchodonoſor Rex Babylonis. An non audijſtis id,quod ſcriptum eſt, Abominatio eſt Domino vir omnis alto corde? & quòd omnis,qui ſeipſum exaltat,humiliabitur? Qui autem ſeipſum humiliat, exaltabitur? Vos ergo inſcientes ſpoliauit diabolus, vt qui omnem veſtram virtutem perdideritis. Mater enim & principium omnium malorum, eſt ſuperbia. Non enim Theodoro relicto receſſiſtis,ſed cùm verbum Dei effugeritis,ſeparati eſtis à ſancto Spiritu.Verè digni eſtis omni cōmiſeratione. Quomodò non intellexiſtis fuiſſe ſatanam, qui

Theodori obedientia.

Senū quorundam ſuperbia.

Eſa. 14. Dan. 4.

Matth.23.

Superbiæ pernicies.

qui vos impulit, vt eò recederetis? O magnum miraculum. Deus ſeipſum humiliauit, factus obediens propter nos vſque ad mortem: & nos, qui ſumus ſecundùm naturam humiles, efferimur? Qui eſt natura excelſus, & omnem ſuperat magnitudinem, mundum acquiſiuit per humilitatem, cùm poſſet vel ſolo adſpectu omnia comburere: Nos autem, qui ſumus reuerà terra & cinis, & ſi quid eſt his vilius, intumeſcimus, neſcientes quòd nos ex eo demittimus ad infimas terræ partes? Non vidiſtis me vel attentiſſimè audientem? Dico autem vobis, me in eo audiendo magnam accepiſſe vtilitatem. Non enim, vt qui vos probarem, permiſi ei loqui vobiſcum, ſed vt qui ipſe quoque expectarem commodum. Quanto ergo magis oportuit vos eum cum magna audire humilitate? Verè dico, quòd ego, qui ſum veſter Pater in Domino, ita audiui, vt qui neſcirem dexteram, vel ſiniſtram. Vobis ergo dico coram Deo, quòd niſi pro hoc magnam oſtenderitis pœnitentiam, vt vobis condonetur delictum, id vobis afferet interitum: & cùm hoc in vobis peſſimum fuerit initium, non ceſſabitis, donec perueneritis ad vltimam ſententiam condemnationis. Cumque his verbis ſuperbiæ vulnus ſatis adſtrinxiſſet, ſedauit morbum, eos moderatè corrigens. Erat enim & ſeuerus, quando oportebat: & rurſus benignus, quando tempus poſtulabat. Repræhendebatque peccantes, ad id, quod bonum eſt, incitans.

Philip. 2. Deus humilis, homines ſuperbos pu deſcit.

Fratrem certè quendam non rectè ambulantem, ſed propriam ſequentem voluntatem, cùm ſeorſum accepiſſet, eum admonebat, dicens: Frater, Dominus dicit: De cælo deſcendi, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit. Ipſe quoque debes nos audire. Video enim te eſſe inuiſum inimico, eumque tuos labores per multa populari. Ingredere ergo ſequens regulam, & quando te vocat ad cibum ſumendum, ne permaneas ieiunus: ſed conueniens cum fratribus, pane veſcere modicè, & ſume obſonium, quod tibi apponitur. At neque valdè ſatieris, ſi ſis admodùm robuſtus corpore: Neque rurſus, ſi ſis imbecillus, corpus valdè conſumas: ſed te rege pro viribus corporis, donec viceris dæmonem gloriationis. Is enim tibi valdè imminet. Qui cùm hæc audijſſet, in præſentia quidem paruit conſilio, errorem autem rurſus eſt ſecutus, dicens: Quid hoc? Vbi ſcriptum eſt: Noli ieiunare, noli te exercere? Cùm ergo ſic ſequeretur ſuam animi impulſionem, dominatum in eum obtinuit inimicus. Et cùm Theodorum vocâſſet ille magnus, dicit ei: Scis hunc fratrem mihi magnam afferre moleſtiam? Vade ergo, viſita illum, & fac vt ſcias, quid agat. Cùm veniſſet autem, inuenit illum tanquam orantem, ſed verba emittentem immutata, & quæ nihil omninò ſignificarent. Reuerſus verò, narrauit eius nugas magno Pachomio. Conſiderans autem Theodorus diaboli operationem, eiuſque varium & multiplex in nos bellum, admiratus eſt & valdè timuit, cogitans cum quanta ſobrietate oporteat Monachum decertare aduersùs infeſtos impetus aduerſarij. Cùm autem veniſſet ſanctus, & pro eo feciſſet orationem, qui eſt omni ex parte miſericors, Dominus noſter Ieſus Chriſtus eum curauit. Ipſeque caſtigatus, deinceps ſe cuſtodijt, ad ea, quæ ſunt antè, ſe extendens.

Cap. 54. Iohan. 6. S. Pachomius corrigit fratrem propriæ voluntati obſequentem. Nota pœnã immorigeri monachi.

Dicebat verò ijs, qui conuenerant, fratribus Pachomius: Magna vigilantia & attentione opùs eſt, ô fratres, ad hoc vt ſalui ſimus. Etenim ſæpè malos audio iactantes dæmones, quòd decipiant eos, qui ſe exercent, & alioquì vlulantes: Talis eſt aſſiduus in orationibus, & cùm ardorem ferre non poſſemus, receſſimus. Vos ergo ſemper cuſtodite, & munite nomine Chriſti. Vobis enim eius voluntatem ſequentibus, aduersùs vos nihil poterunt inimici. Sunt enim cinis & fumus, & non eſt in eis ſtatus à facie timentium Dominum. Hæc cùm dixiſſet, fuit veluti à Deo afflatus, ſtetitque ſatis magno tempore. Deinde vocat œconomum monaſterij, & dicit ei ſenſim: Vade in hanc cellam, & cognoſce, quiſnam ſit, qui illic ſuam negligit animam: & ſis teſtis damni illius, apertè ſciens id, quod ex eo euenerit. * Iſte enim non acceſſit ad audiendum verbum Dei, vt vires ſumeret aduersùs eum, qui ipſum affligit, & trahit in mundum: cur non illic precatur, ſed dormit? Neſcio, an is ſit Monachus. Is autem paulò pòſt ſeparatus à fratribus, reuerſus eſt in mundum, vt qui non poſſet ferre leue iugum Domini.

Cap. 55. Dæmonum imbecillitas. Monachus negligens, redit ad mundum.

Adijciens quoque pater, hoc rurſus dicit: Dicite mihi, fratres: ſi ſit domus habens centum manſiones, pertinens ad patremfamiliâs, emat autem alius ab eo interiorem manſionem, nònne prohibetur à ſuo habitaculo? Ita etiam fidelis, ſi habeat omnes fructus ſpiritûs, ſua autem negligentia & inſidijs diaboli ab vno eorum abalienetur, virtute vendita per dolum, non erit imbecillus in ea parte, cui ſua ſponte ceſſit? Niſi enim ſurrexerit, vigilantemque & attentam habuerit animam, & ſe munierit ac diligenter cuſtodierit, per paruum illum inimici ingreſſum, perdit omnem

Cap. 56.

ſuam virtutem. Vt qui in bello ſtant in præſidio.aduerſùs aduerſarios,per minimam partem,quam neglexint,ſæpè certum vulnus accipiunt,& in magnum vitæ veniunt periculum.Oportet ergo vnumquenque noſtrûm ſe munire, & omnibus ornare virtutibus.Non eſt enim paruum damnum ei,qui paruam deſpexit virtutem.

Cap. 57. Aliquando autem contigit,vt cùm ipſe ageret cum fratribus,frondes ficuum ſecantibus,& ex eis iam ſemel,quantum portare poſſent,tuliſſent in nauigium, ille factus eſſet repentè in ecſtaſi,& omnes videret ſuos fratres,aliquos quidem igne ardente contineri,& non poſſe effugere : alios autem ſtare nudis pedibus ſupra ſpinas, & implicari palis,nec poſſe illinc omninò euadere : alios ſtare ſupra partem altiſſimi præcipitij, ſub quo erat circuncircà fluuius latiſſimus, refertus crocodilis : vt nec poſſent recedere à præcipitio,nec ſeipſos iacere in fluuium propter belluarum multitudinem. Eo autem adhuc ſic ſtante,fratres,qui onera depoſuerant,ei aſſiſtebant in oratione.Cumque ipſe dixiſſet, Amen,è via receſſerunt. Cùm ergo aduentâſſet veſpera,& ipſe viſionem narraret,vt poterat,omnes lachrymabantur. Rogatus autem à fratribus, quid eſſet hoc, dicit eis : Nóui poſt meum deceſſum hoc futurum in fratribus, adeò vt non poſſint inuenire,qui eos confirmet & corroboret,ſicut eos oportet conſolari in multis afflictionibus,& deducere ad id,quod eſt melius ex veris præceptis. Tunc Theodorum, qui ſatis habebat ſpiritûs,& poterat multis prodeſſe,conſtituit œconomum monaſterij, quod eſt in Tabeniſe. Ipſe autem habitauit in alio monaſterio, vbi erat etiam œconomia aliorum monaſteriorum. Theodorus verò nulla in re propriam ſequebatur voluntatem,quandoquidem eum inflammauerat verbum Dei & confirmauerat, vt ea, quæ ſuprà ſunt,animo agitaret,& proficiens fratribus proderat,vt ſolebat.

Ecſtaſis & viſio S. Pachomij.

Theodorũ conſtituit œconomũ

Cap. 58. Accidit autem quodam die poſt officium matutinum, vt deſcendens Pachomius vocaret fratrem,qui erat in foribus,& ei diceret : Súntne aliqui, qui velint mundo renunciare? Dicit ei : Sunt. Vnus ſenex,& ex hiſtrionibus alius, nomine Syluanus. Dicit autem magnus Pachomius : Voca eos huc. Introductus verò ſenex, procidit ad pedes eius,& magna voce confeſſus eſt, dicens : Rogo vos : Veſpere cùm vnus ex fratribus deſcendiſſet in puteum,videns valdè ſum miratus,& malè de te cogitaui, dicens apud me : Hic homo eſt homicida,qui fratres inducit hac hora, vt deſcendant in puteum, (Iuſſerat enim,vt ſe mundaret veſpere) Vidi verò in ſomnis, me quidem in medio fratrum : virum autem quendam in veſte ſplendida eis dicentem : Accipite vos ſpiritum obdientiæ.Mihi autem dicit : Accipe ſpiritum incredulitatis. Rogo ergo vos, vt oretis pro me.Cùm itaque orâſſet,& eum inſtituiſſet,ipſum quoque in conuentum ſpiritalem cooptauit.Et cùm Syluanum vocâſſet,dicit ei : Vide frater:Labor eſt,& opùs eſt ſobria & attenta anima,& modeſta cogitatione ad hoc, vt poſſis poſt Dei gratiam ei, qui affligit,reſiſtere,maximè cùm priſtina conſuetudo te vocet ad id, quod eſt deterius. Cumque is promiſiſſet ſe omnia facturum eſſe ex doctrina magni Pachomij, eum Pater admiſit.

Syluanꝰ hiſtrio fit monachus.

Cap. 59. Is cùm longo tempore decertâſſet, ſuam cœpit ſalutem negligere, & trahi ad delicias,& ſcurrilibus facetijs delectari. Quinetiam inhoneſta ſcenæ verba ſecurè inter fratres,tanquam tragœdiam agens,proferebat. Eum cùm vocâſſet ſanctus pater, poſt viceſimum annum ſuæ exercitationis,iuſſit præſentibus fratribus veſte exui monaſtica, & acceptis veſtibus mundanis, expelli monaſterio. Is autem procidens ad pedes ſancti ſenis,eum rogabat,dicens : Hoc adhuc mihi condona pater : Credo in eum,qui imbecillos ſaluos facit,Dominum Chriſtum,fore vt me habeas agentem pœnitentiam,proptereà quòd vitam egerim in negligentia: adeò vt tu mea gaudens pœnitentia,ſis Deo acturus gratias. Ei autem dicit magnus reſpondens Pachomius : Scis,quandiù te tulerim,adeò vt ſæpè mihi neceſſe fuerit te afficere verberibus, cùm in nullum alium hoc fecerim,& nec in aliquem manum extendere voluerim. Quòd itaque in te ſolum cogerer hoc facere,animo magis dolebam,quàm tu,qui verberabaris,id dictante lege miſericordiæ. Nam propter nullam aliam cauſam hoc videbar facere, niſi propter tuam ſalutem,vt ſic poſſem tua delicta corrigere.Si ergo tot acceptis admonitionibus,noluiſti venire ad id,quod eſt melius, neque plagis affectus eligere id,quod eſt vtile : quemadmodùm poſſum diutiùs permittere, vt membrum morboſum congregetur cum grege Chriſti ? Ne fortè vnius omnibus affricata ſcabies, non paruam eius partem inficiat & perdat. Cùm is ſic reſiſteret, & ille magis rogare pergeret, & affirmaret fore, vt ſe deinceps corrigeret,petijt ab eo Pachomius fideiuſſores,qui ſpõderent fore, vt non ampliùs in eodem perſiſteret. Cùm itaque Petronius, vir ſanctus & admirandus,cum

Seueritas eius in monachum diſſolutum.

ea, quæ ſpondebat, facturum eſſe recepiſſet, conceſſit ei beatus Pachomius: & facta oratione, eum tradidit Petronio.

Cap.60.

Syluanus mirè ſe corrigit, cùm eum vellet Pachomius expellere.

Is autem hanc veniam aſſecutus, ita ſeipſum deiecit, & tam humilem prębuit, vt ipſe multis fuerit exemplar in omni quidem virtute diuinæ pietatis, præcipuè autem in ijs, quæ ex Deo emittuntur, lachrymis toti fraternitati: adeò vt vel eo comedente, ſæpè non poſſet reprimere impetum lachrymarum, quæ fluebant inſtar fluuij, ſed eas etiam commiſceret alimento neceſſario, & impleretur in eo illud Dauidicum: Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. (Pſal.101.) Cùm autem ei dicerent fratres, ne præſentibus hoſpitibus, aut aliquibus alijs, hoc faceret, affirmabat ſæpè ſe voluiſſe hac de cauſa continere, ſed minimè potuiſſe. Cùm ij verò rurſus dicerent, eum id poſſe per ſe facere in compunctione & in oratione, in menſa autem, dum comedit, abſtinere: Poteſt enim, aiebant, anima vel abſque externis lachrymis ſemper eſſe in compunctione, & cogerent eum dicere, quanam de cauſa irrigaretur lachrymis, vel potiùs prohiberent: Dicebant enim ſe erubeſcere, quòd multi ex nobis te adſpicientes non comedant, dicit eis: Non vultis, ô fratres, me flere, cùm videam ſanctos mihi miniſtrantes, quorum vel pedum puluis à me magni fit, nec ego dignus ſim, qui cum eis vllo modo conferar? Non debeo ergo (dicite mihi) lugere, quòd mihi ſcenico artifici tales viri miniſtrant? Lugeo ergo, fratres, timens quotidiè, ne deuorer, quomodò profani Dathan & Abiron, qui mala mente & non mundis manibus aggreſſi ſunt ſancta ſuffumigare, (Num.16.) quòd cùm talem acceperim cognitionem, animæ ſalutem negligam. Propter eà eius me non pudet. Nóui enim multa mea peccata. Quamobrem etiamſi ipſam traderem animam, nihil noui alienìve facerem.

Cap.61.

S.Pachomij illuſtre de eo teſtimonium.

Cùm is diù ita decertaret, rurſus de eo teſtimonum ferebat magnus omnibus præſentibus: Ecce fratres, teſtor coram Deo, quòd ex quo factum eſt hoc cœnobium, nullum ex omnibus fratribus, qui mecum ſunt verſati, nóui meam imitatum eſſe humilitatem, niſi vnum ſolum. Cùm hæc autem audijſſent fratres, alij quidem exiſtimabant vnum ex ijs eſſe Theodorum, alij verò Petronium, alij autem Orſiſium. Cùm rogâſſet autem Theodorus, de quonam diceret, nolebat magnus dicere Pachomius. Ipſo verò rurſus vrgente vehementiùs, & alijs magnis fratribus rogantibus, quiſnam eſſet, reſpondit magnus ille: Si ſcirem eſſe inanem concepturum gloriam eum, de quo ſum dicturus, ipſum non commendâſſem. Sed quia ſcio Dei gratia eum, dum laudatur, euadere humiliorem, propter eà vt vos eius mores imitemini, ſecurè vobis omnibus præſentibus illum eſſe beatum pronunciabo. Nam tu quidem, ô Theodore, & quicunque ſicut tu, decertant in monaſterio, vinctum diabolum, tanquam paſſerem ſubiecistis veſtris pedibus, & quotidiè per Chriſti gratiam, tanquam aggerem conculcatis: Sed ſi fueritis negligentes, ſurgens, qui iacet ſub veſtris pedibus, diabolus fugiet, & acriùs aduersùs vos bellum geret. Iunior autem Syluanus, qui non multo adhuc tempore erat monaſterio à nobis eijciendus propter negligentiam, nunc omninò ſuperauit diabolum, & de medio ita ſuſtulit, vt propter inſignem ſuam humilitatem non poſſit non videri eum perfectè viciſſe. Et vos quidem, vt qui habeatis opera iuſtitiæ, confiditis ijs, quæ iam feciſtis: Is autem quo magis decertat, eo magis omnibus ſe oſtendit reprobum, toto ſuo animo & cogitatione ſe vilem eſſe reputans & inutilem. Propter eà enim in promptu quoque habet lachrymas, quoniam ſe vilipendit, & nihilifacit quicquam ex ijs, quæ ab ipſo rectè fiunt. Nihil enim æquè eneruat diabolum, vt, quæ cum agendi virtute eſt, ex toto animo humilitas. (Humilitatis vis.)

Cap.62.

Sic ergo decertans Syluanus, in alijs octo annis poſt viginti curſum peregit: de cuius quidem deceſſu Dei ſeruus tulit teſtimonium, quòd cùm multitudo Angelorum eius animam cum magno gaudio accepiſſet, tanquam hoſtiam electam eam Chriſto obtulerunt. Sed cùm hanc pulchram in Chriſto viuendi rationem intellexiſſet etiam * ciuitatis epiſcopus, nomine Panuarius, in omnibus alioquì vir bonus, & rectæ fidei amator vehemens, miſſis literis, eum ad ſe accerſijt, pluribus verbis rogans, & diuina adhortans perſuaſione, vt in illa ciuitate extrueret monaſteria. Cùm ipſe ergo eſſet ab eo multis de cauſis perſuaſus, & illuc eſſet venturus, æquum putauit primùm viſitare ea, quorum curam gerebat, monaſteria. Cùm eſſet autem prope vnum ex ijs, occurrit funeri cuiuſdam fratris mortui, qui efferebatur, (vixerat verò in ocio & laſciuia) & fratribus illius monaſterij, qui funus proſequebantur cura multa & numeroſa pſalmodia, cùm illic eſſent etiam parentes & cognati omnes, & amici defuncti. Qui cùm vidiſſent ſanctum, depoſuerunt lectum, vt pro ipſis & fratre mortuo faceret orationem. Cùm ergo obtuliſſet

* Panos ciuitatis epiſcopus, nomine Varus

Vide ſancti viri erga defunctum negligentem monachum ſacinus mirabile.

liſſet plus, quàm togatus fuerat, eam, quæ Deo debetur, ſupplicationē & adorationem, conuerſus ad eos, iuſſit quidem eos ceſſare pſallere. Cùm autem iuſſiſſet afferri veſtimenta mortui, iuſſit ea comburi coram omnibus. Deinde ſic rurſus iuſſit tolli, & abſq; ea, quæ de more fit, pſalmodia ſepeliri reliquias. Fratribus autē & parentibus, & omnibus cognatis eius qui deceſſerat, hoc nouo ſpectaculo obſtupefactis, & rogantibus, vt ei conſueta fieret Pſalmodia, ipſe non ſuſtinuit. Ipſis verò rurſus eiulantibus & dicentibus: Quodnam eſt hoc nouum ſpectaculum, ô Pater? Quis non iacentis mortui fuerit miſertus, etſi ſit inimicus, cùm ſufficiat calamitas ad hoc inducere vel eum, qui ſit beſtia? Neque hoc tuam decet ſanctitatem, & nobis hoc maximum affert dedecus, & multa alia. Et rurſus: Vtinam non progenuiſſemus: Vtinam non factus eſſet hic monachus. Non enim nobis reliquiſſet æternum hunc dolorem. Rogamus ergo, vt mortui ſancto funeri reddatur Pſalmodia.

Cap. 63.

Ille verò reſpondens, dixit eis: Re vera, fratres, iacentis plùs, quàm veſtrî, miſereor: quandoquidem vos quidem id curatis, quod videtur, tabernaculum: à me autem ratio habetur animæ, cuius cauſa, vt Pater, hoc præcepi. Et vos quidem maiorem illi paratis dolorem per eum, qui exiſtimatur, honorē: ego autem ei ſingularem defenſionē & relaxationem comparo per ignominiam. ea de cauſa non curam gero mortui corporis, ſed animæ immortalis, quę etiam id rurſus recipiet incorruptum in reſurrectione in extremo die. Alioquì autem ſi hoc fieri permiſero, iudicabor, tanquam qui ſtudeam placere hominibus, & qui pro eo, qui fit ad tempus, apparatu, contempſerim vtilitatem animæ, quæ eſt examinanda in iudicio. Deus enim, qui eſt fons bonitatis, quærit occaſiones, per quas poſſit efficere, vt abundè in nos ſuam deriuet benignitatem, & remittat peccata: vt non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro veniam conſequamur. Qui etiam nobis dedit tacitè cogitandum, quòd ſi vlla deberet eſſe venia, poſt vitam præſentem eam daret. Si autem nos, qui digni ſumus habiti diuinæ eius medicę ſcientiæ accipere experientiam, non vnicuique id, quod conuenit, auxilium adhibeamus, meritò tanquam contemptores audiemus id, quod ſcriptum eſt: Venite contemptores, & admiremini admirabilia, & delebuntur. Proptereà rogo vos, quô is, qui deceſſit, liberetur à malis imminentibus, & requiem conſequatur, eum ſepelite ſine pſalmis. Poteſt enim Deus, cùm ſit bonus & multæ miſericordiæ, etiam præter noſtram rogationem, eum, qui ad ipſum receſſit, ſuſcipere. Cumque is hæc dixiſſet, abductus eſt in montem, ſicut iuſſit ſanctus, & fuit ſepultus.

Habac. 1. Vult eū ſepeliri ſine pſalmodia, vt ea ignominia eius animæ conſulatur, non quòd Eccleſiæ morem negligendū putet.

Cap. 64.

Cùm autem illic moratus eſſet duos dies, & doceret vnumquenque ex fratribus de timore Dei: & quemadmodùm oporteat decertare aduersùs diabolum, eiuſque inſidias & dolos: & quemadmodùm oporteat Chriſti virtute infirmare, quas in nos magno ſtudio parat, machinationes, fuit ei renunciatum, quòd quidam frater in monaſterio, quod vocatur Chenoboſciorum, qui in morbum inciderat, & eo tenebatur, deſiderabat frui ab eo data benedictione. Hæc cùm vir Dei audiſſet, ſurgens eſt eos ſecutus. Cùm autem abeſſet ſanctus ad duo aut tria milliaria à loco, ad quem tendebat, audiuit ſacram vocem in aëre. Cumque fixis ſuſpexiſſet oculis, vidit animam fratris, quæ læto curſu à pſallentibus Angelis deducebatur in beatam Dei vitam. Cùm verò fratres, qui eum ſequebantur, neque vocem ſenſiſſent, neque alium vidiſſent, ipſe autem ſæpè fixis adſpiceret ad Orientem oculis, dicunt ei: Stas Pater? curramus, vt comprahendamus. Is autem dixiſſet eis: Illuc curramus. Eum enim ab eo tempore adſpicio, qui abducitur ad vitam beatam. Cumque rogarent, vt diceret eis, quemadmodùm viderat animam, eis omnia narrauit, vt potuit. Atque nonnulli quidem ex eis, qui ad ipſum acceſſerant, profecti ad eorū monaſterium, cùm diligenter quęſiſſent horam, in qua frater dormierat, cognouerunt eſſe vera, quę à ſancto eis dicta fuerant. Ego autem hæc narraui, duo ſimul volens oſtendere, & quòd erat vir vi perſpiciendi præditus: & habebat donum prophetię, & quęcunque procùl fiebant, pręuidebat puriſſimo mentis oculo: & quòd oportet nos ſemper imitari ea, quę ſunt bona & honeſta, & procùl abeſſe à noxijs. Et hæc quidem hactenùs.

Viſio eius.

Cap. 65.

Magnus autem ille cùm viam confeciſſet, & ad antedictum veniſſet Epiſcopum cum ijs, qui erant cū ipſo, fratribus, iuſſit Epiſcopus diem feſtum agi propter aduētum ipſius. Qui cùm eum eſſet complexus, & ei dediſſet dexteram, dedit ei locum ad ædificandum maximè expetendum monaſterium, quod volebat. Cùm aūt ſanctus prompto & alacri animo hoc excitaret, valloque & foſſa id tutò muniret extrinſecùs, ne volentibus facilè id videre liceret: quidam inſtinctu diabolico, cùm noctu coactione facta eò veniſſent, deiecerunt

deiecerũt ædificium. Sed non ita multò pòſt audacis ſui cœpti dignas pœnas dederũt. Nam cùm ipſe fratres quotidiè hortatus eſſet ad patientiam,& quodam die illi aduenientes,ſceleri,vt ſolebant, inſtarẽt, ſtatim aduenjens Angelus Domini,eos omnes combuſſit,arcens eos decætero ab illo audaci facinore.Sicut enim cera à facie ignis,ſic ſunt ſoluti.Conſtituit ergo illic quoque vir ſanctus viros pios,& valdè admirabiles:duce eorum conſtituto quodam Samuele,Hilaro & quodam Encrate: quoniam monaſterium erat prope oppidum.

Puniuntur diuinitùs monaſterij euerſores.

Cap.66.

Eo ergo apud illos tandiù manente,donec cõfirmati eſſent gratia Domini,quidam Philoſophus eius ciuitatis,cùm de eis audijſſet, acceſſit illuc eos tẽtans, quinam eſſent. Cumque vnum ex fratribus conueniſſet,dicit ei : Vocate mihi Patrem veſtrũ, de rebus neceſſarijs mecum diſputaturum. Cùm autem intellexiſſet ſanctus eum eſſe Philoſophum, mittit ad ipſum Cornelium & Theodorum, promittens eos eſſe reſponſuros ad ea,quæ ab ipſo dicerentur. Eis verò egreſſis, dicit Philoſophus:Magna fama eſt vos eſſe ſapientes, quietemque & ſilentium agentes conuenienter veſtræ relgioni : & præterea vos ſapienter reſpondere ijs,qui vobiſcum congrediuntur.Vos ergo examinabo ex ijs,quas habetis,ſcripturis ſyllogiſmos faciens.Cui dicit Theodorus : Dic id,quod vis dicere. Reſpondit Philoſophus : Si es nobiſcum verba facturus, ſolue quod quæritur. Dic,ait ei Theodorus.Philoſophus verò dixit ei : Quis eſt, qui non natus, eſt mortuus : aut quis natus,non eſt mortuus ? Quis autem mortuus, minimè fœtuit ? Dixit autem ei Theodorus : Non eſt magna tua interrogatio,ó ſapiens : dicã tamen. Qui non fuit quidem natus,ſed eſt mortuus,vt dixiſti,is eſt Adã. Qui autem natus eſt, & non mortuus,is eſt Enoch.Qui verò mortuus eſt,& non fœtuit,eſt vxor Loti : quæ quidem mutata fuit in columnam ſalis,quæ ad oſtendendũ infidelibus ſtat vſq; in hodiernum diem. Conſulo aũt tibi, ô Philoſophe, vt relictis his propoſitionibus & importunis ſyllogiſmis,accedas ad Chriſtũ,cui ſeruimus,& accipias peccatorũ tuorum remiſſionem. Ad hæc cùm mutus mãſiſſet Philoſophus,receſſit,admirans acutã eius reſponſionẽ,& obſtupeſcens.

Ad Philoſophi quæſtiones Theodorus ſcitè reſpõdet.

Gen.19.

Cap.67.

Cùm autem multis pòſt diebus reuerſus eſſet Pater ex monaſterio,quod ædificauerat,veniſſetque in vnum ex ſuis,& fratres ei proceſſiſſent obuiàm, & cum ſalutâſſent : egreſſus puer ex eodem grege,cœpit ad ipſum clamare : Reuerà,Pater,ex quo hinc abijſti vſque in hodiernum diem, neque olus, neque pultis nobis eſt cocta. Ad quod lepidè reſpondens,dicit ſanctus : Ne egrè feras,ô fili : ego efficiam, vt coquatur : & cùm veniſſet in monaſterium,ingreditur etiam in culinam. Cumque inueniſſet illic fratrem, quem eis rei præfecerat,facientem ſtoream,dicit ei : Dic mihi, frater : Quandiù ab hinc fratribus non coxiſti olera ? Is autem dixit : Sunt iam duo menſes. Pater verò dixit ei : Quanam de cauſa contempſiſti mandatum ? Ille verò reſpondens, dixit ei : Volebam, Pater,quotidiè hoc facere : Cùm autem ſcirem id, quod coquitur, non conſumi, propterea quòd omnes ferè fratres abſtineant,(ſoli enim pueri comedunt)ne ſumptus,qui fiebat cum tanto labore,foras eijceretur, cùm nullus eſſet eius particeps : arbitratus id eſſe ineptum & intempeſtiunm,propterea non coxi : & ne ocij damner, facio ſtoream cum fratribus,ſciens vnum ex ijs,qui mecum ſunt deputati, poſſe ad talem vſum ſufficere,& ad parandos paucos cibos, qui ſunt oleæ & cõminuta olera. Cùm hæc autem ſanctus audijſſet,dicit ei : Et quot ſunt ſtoreæ, quas feciſtis ? Is verò dixit : Quingentæ. Dicit verò ei ſanctus : Afferte eas huc. Eis autem allatis, iuſſit ipſas ſtatim in ignem conijci,& dicit eis:Sicut vos vobis datam contempſiſtis regulam de fratrum diſpenſatione, ita ego non peperci veſtrum opus comburere:vt ſciatis non eſſe honeſtum contemnere leges Patrum,datas ad ſalutem animarum. An neſcitis,quòd cuius rei data eſt fruendæ poteſtas,ſi ab ea abſtinet quis,maiorem à Deo mercedẽ percipit ? Quod autẽ in ſuo non habet dominatu,coactus verò ab eo abſtinet,propterea quòd non habet,pro eo fruſtrà mercedem poſtulat.Quando enim à pluribus & diuerſis ad veſcendum appoſitis ipſi propter Deum abſtinent, tunc magnam habent mercedem. Cuius autem frui voluptate ne fuit quidem in poteſtate, quomodò cenſebitur eſſe eius abſtinentiam ? Propter exiguum ergo olei ſumptum,abſtuliſtis à fratribus tantam vtilitatem ?

Ecce vt punit vir ſanctus monachi inobedientiam.

Cap.68.

Cùm hæc eis referret,& ad eorũ correctionem ſatis eſſet incitatus, qui foribus præerat frater,ingreſſus dixit ei:Maximi quidã huc venerũt Anachoretę,quęrẽtes vos conuenire.Is aũt iuſſit eos quamprimùm ingredi:qui cùm acceſſiſſent,eos ſalutauit: & poſt preces eos aſſumens,deduxit ad eos omnes, qui illic erant, fratres, & poſteà ad loca,in quibus circunſcriptum erat monaſterium. Ij verò magnũ rogârunt Pachomiũ,vt ſeorſum cũ eis de ijs, quę volebant,diſſereret. Cumq; eos accepiſſet in cella apta & quieta,

 ſedit

ſedit vnà cum eis. Cùm ij autem cœpiſſent verbum proferre propheticum,& habitum exercitatum in ſcripturis, dubitabat apud ſe cogitans, vndenàm oriretur quidā fœtor intolerabilis. Poſtquàm autē & ipſi cum ſancto plurima,& ſanctus ex ſanctis ſcripturis cum eis diſſeruiſſet,& hora nona pręterijſſet, ipſi quoq; ſurrexerūt, vt viā ſuam inirent. Inuitati verò à magno Pachomio ad conuiuium, non aſſenſi ſunt, dicentes ſe feſtinare, vt ante ſolis occaſum venirent in locum ſuum. Et cùm vale dixiſſent,ab eo receſſerunt.

Cum hæreticis diſſerens tetrū ſentit odorem.

Magnus autē Pachomius cùm vellet ſcire cauſam tetri illius odoris, Deum rogauit: & ſtatim cognouit,quòd erant dogmata impietatis, quæ ex eorum anima emiſſa,tantam afferebant moleſtiam: & non cunctatus, viros eſt perſecutus. Quos cùm eſſet aſſecutus,dixit eis: Volo vnum verbū ex vobis ſciſcitari. Illi verò dixerunt: Dic. Origenis,qui dicitur,vos opera legitis? Ij verò,cùm hoc audijſſent,negârunt,dicentes: Nequaquàm.

Eius de Origene ſententia.

Sanctus aūt dixit. Ecce teſtor vobis corā Deo,quòd omnis homo,qui legit Origenē,& ſuſcipit eius dogmata,deſcendet in profundū inferorū:& eius hęreditas erunt tenebrę exteriores. Ego aūt vobis ſum proteſtatus id,quod eſt à Domino mihi ſignificatum,& ſum de ea re innocens: Vos videbitis. Ecce audiuiſtis veritatem. Si autē mihi credideritis,volentes verò Deum eſſe vobis propitium,accipite omnes libros Origenis,& proijcite in fluuium. Et cùm hęc dixiſſet, ipſos reliquit: & rçuerſus in gymnaſium veritatis, inuenit quidē fratres congregatos ad preces, & ſtans cum ipſis,impleuit hymnodiam.

Cap. 69.

Cùm illi autem conueniſſent ad comedendum,manſit ipſe in quodam loco,in quo conſueuerat offerre preces Domino:& cùm clauſiſſet oſtium,recordans viſionis, quæ aliquando illi facta fuerat,Deum rogauit, vt ei rurſus ſignificaretur de ſtatu fratrum, qui erat poſteà futurus: & quænam eſſent poſt eius deceſſum euentura fratribus,qui erant poſteà futuri. Produxit autem preces ab hora nona,donec frater vocaturus fecit fratres ſurgere ad hymnos nocturnos. Is verò vehementer orans, repentè circa mediam noctem videt viſionem, quæ ei ſignificabat, iuxta eius petitionem, de ſtatu fratrum,qui erat poſteà futurus,& quòd aliqui quidem ex ijs ſe piè & religiosè exercebunt, maiusque & amplius euadet monaſterium: claudicabunt autem non pauci,& ſuæ ſalutis curam abijcient. Vidit verò (vt ipſē dicebat) multitudinem fratrum in valle profundiſſima & ſicca: & multos quidem ex ijs volentes ex ipſa aſſcendere, & non poſſe,cùm ſibi inuicèm aduerſi occurrerent, neque profundiſſimas tenebras euadere: Alios autem lapſos præ imbecillitate, verſari apud inferos: Alios clamantes voce miſerabili: Paucos verò ex ipſis vix cum magno labore potuiſſe aſſcendere: quibus poſtquàm aſſcendiſſent, lux occurrit. Cumque ad ſe redijſſet, Domino egit gratias. Tunc cognouit beatus ea,quæ verè erant euentura fratribus in vltimis diebus, & quæ in ipſis futura erat,negligentiam & magnam eorum cæcitatem & errorem, & bonorum defectum,& quòd vincent, qui ſunt negligentiores, propter inopiam eius, quæ illis minimè placeat,multitudinis: ſolusque erit locus in ijs poſteà: adeò vt improbi imperent fratribus, & qui neſciunt cognitionem, in monaſterijs dominatum obtineant,& de principatu decertent: & mali perſequantur eos, qui ſunt meliores, & boni non habeant dicendi libertatem: & (vt dicitur) diuina in humana conuertantur. Et exclamans,dixit Domino cum fletu: Domine omnipotens, ſi ita futurum eſt, quanam de cauſa permiſiſti, vt omnia fierent cœnobia? Si ij,qui in poſterum ſunt præfuturi fratribus,erunt mali,qualesnam futuri ſunt,qui ab eis paſcentur? Nam ſi cęcus cęcum ducit, ambo in foueam cadent. Temerè & fruſtrà laboraui. Memēto,Domine, præclarorum,quos ipſe peregiſti,laborum & ſeruorum tuorum,qui nunc toto animo vitæ rectè agendæ dant operam. Memento teſtamenti,quod te tuis ſeruis ſeruaturum es pollicitus vſque ad conſummationem. Tu ſcis, Domine, quemadmodùm ex quo ego accepi habitum monaſticum, me coram te ſemper demiſerim, humilemque reddiderim,& nec pane,aut aqua,aut vlla re terreſtri fuerim exatiatus.

Viſio eius de futuro ſtatu monachorum.

Improbi dominabūtur bonis, eosque perſequentur.

Matth. 15.

Nota hoc.

Cap. 70.

Hæc eo dicente, vox ad eum facta eſt,dicens: Noli gloriari,ô Pachomi, cùm ſis homo,ſed tibi pete veniam. Conſtant enim vniuerſa mea miſericordia. Ille verò ſe ſtatim humi deiecit,& miſericordiam à Deo petiuit,dicens: Domine omnipotens,demitte in me tuas miſerationes,& ne vnquàm à me tuam auferas miſericordiam. Nam ego quoque ſcio,ô Domine, quòd abſque tua defenſione ſint omnia claudicatura. Cumque hæc dixiſſet,ei lucidi adſtiterunt Angeli,& in medio eorum iuuenis, qui, quæ dici non poteſt,reſplendebat pulchritudine,& inſtar ſolis fulgorem emittebat. Erat autem eius capiti impoſita corona ex ſpinis. Quem cùm è terra feciſſent ſurgere, dixerūt: Quoniam petijſti, vt ad te à Domino mitteretur miſericordia, ecce ipſe eſt miſericordia,

Deus

Chriſtus ei apparet ſpinis coronatus, eumque confirmat.

Deus gloriæ Ieſus Chriſtus vnigenitus Patris, quem miſit in mundum, & cruci fuit propter vos affixus, geſtans coronam ex ſpinis in capite. Dixit autem Pachomius: Rogo intemeratam tuam naturam Domine: Non ego te cruci affixi. Ipſe verò læto vultu dixit: Scio, quod tu me non crucifixeris, ſed patres veſtri me crucifixerunt. Eſto ergo bono animo, & confirmeris: Semen enim tuum non deficiet in ſeculum, & conſeruabitur vſque ad conſummationem ſeculi. Quinetiam ipſi, qui poſt te ſalui fient ex profundiſſima caligine, videbuntur eos ſuperare, quorum ſummum nunc eſt vitæ inſtitutum. Nam nunc quidem reſplendent illuminati exemplo tuarum virtutũ: qui autem poſt te ſunt futuri, in loco arido & inculto, in bona ſententia & voluntario vitæ inſtituto, nullo eos deducente ex conſanguineis, ex tenebris reſilientes ad veritatem, exercebunt iuſtitiam: amen dico tibi, inuenientur cum ijs, qui nunc præclarè & citra vllam repræhenſionem vitam agunt, & eandem conſequentur ſalutem. Hæc cùm dixiſſet, rurſus aſcendit in cælum, aëre ita illuminato, vt gloria illius lucis non poſſit vllis verbis humanis explicari.

Cap. 71.

Cùm ea autem, quæ viſa fuerant, magnus ille eſſet admiratus, vocat quidem fratres ad nocturnam congregationem is, cui id munus fuerat demandatũ. Impleto autem officio, conſtiterunt, vt ſolebant, diſcipuli ad audiendum ſermonem. Is verò os aperiens, dixit eis: Filij, pro totis veſtris viribus decertate pro veſtra ſalute, antequàm veniat tempus, in quo ſi fuerimus negligentes, futurum eſt vt noſtram defleamus miſeriam. Virtutem prompto & alacri animo operemini. Dico enim vobis, ſi videretis bona, quæ ſunt in cælis, & promiſſionem, quæ eſt ſanctis repoſita: & quemadmodùm puniuntur, qui à Deo exciderunt: & tormenta, quæ ſunt parata ijs, qui negligunt, & maximè ijs, qui veritatem agnouêre, & non, vt par erat, vitam inſtituêre, vt eſſent hæredes, quæ ſanctis parata eſt, beatitudinis, ſed aufugerunt: nullius alterius vos teneret deſiderium, iam in ſublime euectos, & de præteritorum malorum ignoratione aſſiduè lugentes, donec Dei gratia obumbrans vnumquenque cum gratia ad ſponſum deduxiſſet in die deceſſûs, quando hîc manente puluere, anima id, quod eſt cognatũ, conſeruans, ad immortalem luminum recurrit ſpiritum. Cur inanem ſectatur homo gloriam, cùm ſit puluis? Quid autem ſuperbit terra & cinis? Lugeamus noſipſos, dum tempus habemus, ne cùm venerit nobis præfinitus terminus, inueniamur tunc à Domino petere tempus ad pœnitentiam, cuius tempus apertè trãſierit. In inferno enim, inquit, quis confitebitur tibi? A Dauide didicimus. Verè miſera eſt anima, & digna omni commiſeratione, quæ mundi negauit ſeruitutem, & eidem rurſus quærit ſeruire. Ne cõcedamus, ô fratres, huic ſeculo, quod eſt breuiſſimũ & vile, vt à nobis rapiat illã beatam & immortalẽ vitam. Extimeſco enim, & horreo, ne fortè patres noſtri ſecundùm carnẽ, qui in hoc mundo verſantur, & in huius mũdi negocijs implicãtur, & nos hinc exiſtimant beata iam vita frui, inueniantur nos condemnare: Quomodò, dicentes, afflixiſtis vos in veſtris ſemitis? Magna eſt veſtra afflictio. Ignis acceſus eſt ſuper vos. Inutiles facti ſunt rami veſtri. Et rurſus ex Propheta: Propterea in prædam fuiſtis dilecti, vt abominandi, & corona capitis veſtri à vobis eſt ablata. Ciuitates, quę eſtis ad Auſtrũ, quomodò fuiſtis cõcluſæ? Nõ eſt, qui vos aperiat. Tollatur enim, inquit, impius, ne videat gloriã Domini. Propterea ex toto animo decertemus, animã ſemper ante oculos habentes, & omni hora terribile ſupplicium viſione appræhendentes: per quæ mens deduci ſolet ad ſenſum: & fert quidẽ opem lachrymans anima prono corpori: id autem rurſus calefactũ, eam reddit vi contemplandi præditã, eamq; in ſublime extollens ex rebus terrenis, efficit, vt Deũ ſemper viſione appræhẽdat. Et ſic humilitas, & inanis gloriæ vacuitas, & ab omni prudentia humana alienatio, hinc erit ei infracta & valida.

Eius ad fratres adhortatio. — Præmia bonorũ, & ſupplicia malorum. — Eccli. 10. — Pſal. 6. — Ierem. 13. — Eſa. 26.

Cap. 72. Anima erga ſuũ corpus vt ſe debeat gerere.

Philoſophetur ergo quotidiè, fratres, anima aduersùs craſſiſſimum corpus quouis ſtudio & admonitione: & veſpere, cùm ad dormiendum conceſſerimus, dicat quilibet vnicuique membro corporis: Quandiù ſum in medio veſtrûm, prompto & alacri animo venite ad Dominum veſtrum, manibus quidem dicens: Erit tempus, quando ceſſabunt veſtræ exultationes: Non ampliùs pugni vobis ad iram deſeruient, Non vos extenderis paratæ ad rapinam. Pedibus autem: Erit tempus, quando non curretis ad ea, quæ ſunt iniuſta. Cuncta quoque membra ſua ſimiliter alloquatur, & dicat eis: Priuſquàm nos mors occupet, & diſiungat, quæ ex peccato facta eſt, diſſolutio, decertemus, ſtemus ſtrenuè, & impigrè Dominum adoremus, donec ipſe rurſus adueniens, & ſuſcepto ſudore, qui oritur ex labore, qui eſt ad tempus, tranſmittat ad vitam immortalem. Fundite lachrymas oculi. Declara caro Domino tuam ingenuam

ſeruitutem, collabora mecum in precibus, quibus Deo confiteor: ne, cùm requieſcere vis atque dormire, me inducas in æternum ſupplicium. Erit enim tempus, ſi ſis ſobria & vigilans, quãdo veniet tibi copioſa bonorum remuneratio: & rurſus iudicium, ſi fuerimus pigri ac negligentes. Tuncque licebit audire animam ſic dicentem corpori: Hei mihi, quòd tecum fui colligata, & tua cauſa condemnor. Si ſic quotidiè noſipſos intendamus, verè templum Dei erimus: & in nobis inhabitabit ſpiritus Sanctus: & in nobis figet Chriſtus tabernaculum, neque vllæ inſidiæ ſatanicæ nos poterunt decipere. Dei enim timor, & hæc conſilia, quæ ſunt à nobis propoſita, inſtar innumerabilium pædagogorũ & doctorũ, nos magis docebũt & erudient: & quæcunque mens humana nõ poteſt cõpræhendere, ea oſtendit ſanctiſſimus diuinus ſpiritus intemeratæ naturæ. Quid enim, vt oportet oremus, ex Apoſtoli ſententia, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Et quæ deinceps conſequuntur. (Rom. 8.)

(Cap. 73. Magna fames in Aegypto.) Cùm autem fuiſſet aliquando fames, & fratres non haberent frumentum, vel potiùs frumentum non inueniretur in tota ferè Aegypto, miſit ſanctus ſenex quendam ex fratribus ad obeundas ciuitates & vicos, quærentem emere frumentũ, cùm ei dediſſet ad emendum frumentum centum nummos. Is autem, cui mandatum fuerat hoc negocium, cùm multa loca obijſſet, acceſſit in quandam ciuitatem, quæ vocabatur Hermothen, & Dei prouidentia inuenit illic degentem quendam valdè pium hominem, & Deum timentem, qui audierat de vita ſancti Pachomij & eius fratrum. Huic autem, qui ſic vitam agebat, frumentum publicum fuerat commiſſum. Ad eum itaq; accedens frater, rogabat, vt ei venderet frumentum centum nummorum. Ille verò dixit ei: Reuerà frater, ſi haberem meum frumentum, acciperem id ex meis filijs, & darem vobis. Audio enim de diuina veſtra vita, & quæ à vobis ex virtute agitur. Audi autem, quod ſum tibi dicturus. Habeo frumentum publicum repoſitum, & hucuſque non petitur à præſide. Si vis ergo id accipere vſque ad tempus trituræ, poſſum differre publica. Si ergo ſcis te poſſe reddere frumentum illo tempore, accipe quantum velis. Cùm dixiſſet autem frater, Nolo te ſic mihi facere: Non poſſumus enim reſtituere quantitatem, quam ſum accepturus. Sed ſi velis dare mihi centum nummorũ frumentum, aut cuiuſuis alterius precij, ſi potes differre publica vſque ad tempus trituræ, rectè facis. Ille verò dixit ei: Certè poſſum differre non ſolùm precium centũ nummorum, ſed ſi velis etiam accipere frumentum aliorum centum nummorum, gratum mihi facies, ſi ſolùm pro me oraueris. Cùm autem dixiſſet frater, Hoc aurum tantùm habemus: Ille hoc audito, Ne ſit, inquit, tibi curæ: cape frumentum: & quando habueritis precium, afferte ad me.

(Cap. 74. Tres artabæ efficiunt decem modios.) Cùm hac ergo conditione impleſſet nauem frumento tredecim Artabarum, cùm nuſquàm in tota Aegypto inueniretur frumentũ precij quinque Artabarum, nauigauit frater in monaſterium cum magna lætitia. Cùm autem audijſſet magnus Pachomius veniſſe nauem frumento onuſtam, & quemadmodùm emptum fuiſſet frumentum, ſtatim mittit ad nauem, dicens: Vnum huius frumenti granum ne importaueritis in monaſterium, neque, qui emit frumentum, veniat in conſpectum meum, donec in ſuum locum frumentum reſtituerit. Valdè enim peccabit, qui hoc fecerit. Nec hoc ſolùm, ſed etiam aliorũ centũ nummorum frumentum acceperit: quod quidem non iuſſi eum facere, ſed ſuæ ſeruiens prudentiæ, plura habendi amore laborauit, & inflammatus lucri cupiditate, nos redegit in ſeruitutem, debitores conſtituens, & inſatiabiliter quidem abutens eius, qui dedit, benignitate: auari autem inſtar ſe gerens, & pluſquàm nobis opùs eſſet frumentũ afferens, propriaque authoritate ab eo commodatò accipiens, quod non habemus, ex quo reddamus. Iam verò ſi contigiſſet, vt inter veniendum ei humani aliquid accidiſſet, & nauem fregiſſet, quid potuiſſemus facere? Non eramus omnes futuri ſerui? Quamobrem quantũ attulit frumenti, vendatur mundanis, qui ſunt in his partibus, vt accepit ab eo, qui ei credidit, precio tredecim Artabarum: & poſtquàm id vendiderit, accipiat aurum, & referat ad eum, qui ei credidit. Centum autem noſtris nummis, vt vbique venditur, ſic ipſe quoque emẽs, afferat. Sic autem fecit, vt dixerat illi magnus, & attulit frumentum, quod emit precio quinque Artabarum & dimidij. Ab illo autem tempore non ſiuit ampliùs eum egredi ex monaſterio, vt ſeruiret fratribus: ſed ſinens eum intus ſedere, conſtituit alium, qui præeſſet adminiſtrationi eorum, quæ ad fratres pertinebant. (Vide ſancti viri zelũ & religionem.)

(Cap. 75.) Hic frater cùm aliquando accepiſſet à Scytenſi multa ſandalia, & quaſdam alias ſpecies ad vendendum, attulit maius precium, quàm Scytenſis ei dixerat. Accepta

autem pecunia, Scytenſis dimenſus eſt precium pellis: & cùm laboris manuum eius precium conſtituiſſet quinquaginta minuta pro illo die, quo eas laborauit ſpecies, triplam autem inueniſſet pecuniam, ſtatim veniens ad magnum Pachomiũ, dixit ei: Reuerà, ô Pater, malè feciſti, qui hunc fratrem præfeceris talibus negocijs monaſterij. Habet adhuc in ſe mundanã prudentiam. Cùm autem magnus dixiſſet Pachomius: Quidnam malè facit? Reſpondit Scytenſis, & dixit: Dedi ei ſandalia, & quaſdam alias ſpecies ad vendendum, dicens ei quantitatem precij. Is verò pluris ea vendidit: & triplum mihi attulit precium eius, quod illi dixeram. Cùm hæc autem magnus audijſſet Pachomius, vocauit fratrem, & dicit ei: Cur ſic feciſti? Is verò dixit illi: Precium, ô Pater, quod frater dixit, vt acciperem, dixi hominibus, qui emebant. Illi verò dicebant mihi: Si non ſunt furtiua, ea ſunt maioris precij. Ego verò conuerſus, dixi eis: Non ſunt quidem furtiua, ſed iuſſus ſum ea tanti vendere: Vos autem date, quantum vultis dare. Illi verò tantum dederunt, quantum eis placuit, me minimè dimetiente eam, quæ dabatur, pecuniam. Magnus autem ille cùm audijſſet, dixit ei: Valdè peccâſti, quem pluris habendi amor ceperit: ſed curre citò, & redde id, quod ſuperat, precium ijs, qui dederunt: & veniens, age pœnitentiam pro hoc tuo delicto: & ſede in monaſterio propriũ tuum opus operans. Non enim tibi expedit hoc opus ampliùs facere. Sic autem fecit frater, ſicut magnus ille dixerat. Præfecit verò deinceps ſenex miniſterio omnium negociorum monaſterij ſanctum Tachæum, virum bonum, & omnẽ hominum laudem vincentem in bonis faciendis operibus. Cupiditatē fratris caſtigat, nec eum ſinit fungi œconomi officio.

Quidam frater valdè inſignis ſe per ſe exercuerat. Is cùm audijſſet vitam ſancti patris noſtri Pachomij, rogauit eum, vt ipſum acciperet in cœnobium. Cùm eum autem magnus accepiſſet Pachomius, paruum tempus cum fratribus verſatus, deſiderauit eſſe martyr, cùm mũdus in pace ageret, & Eccleſia proficeret, & gratia Dei eſſet in pace, beato Conſtantino & Chriſti amantiſſimo tunc imperante. Is ergo beatum Pachomium continenter orabat, dicens: Roga pro me Abba, vt fiam martyr. Magnus autem ille eum admonebat, ne ſineret hanc cogitationem in eius ſubire animum. Dicebat verò ei: Frater, Monachi certamen ſtrenuè & fortiter ſuſtine, & cùm vitam tuam nulli repræhenſioni affinem ita geſſeris, vt Chriſto placeas, habebis in cælis communionem martyrij. Cùm illius autem indies augeretur deſiderium, & ſancto exhiberet moleſtiam, rogando, vt pro eo precaretur: volens ille magnus hanc eius importunam excutere vexationem: Eſto, inquit, ego orabo: ſed ſi velis, hoc tibi eueniet. Sed caue, ne quando venerit hora, pro eo, quòd te oporteret ferre teſtimonium, inueniaris negare Chriſtum. Tu enim reuerà falleris, qui vis tua ſponte fugere ad tentationẽ, cùm Dominus noſter & Saluator Ieſus Chriſtus iubeat nos orare, ne incidamus in tẽtationem. Cumque hæc dixiſſet, iuſſit eum cauere, & non ampliùs hoc cogitare. Accidit autem poſt duos annos, vt mitterentur quidam ex fratribus à magno Pachomio in vicum ſuperiorem, ad ſcirpos colligendos pro conficiendis monaſterij ſtoreis. Hic autem vicus eſt ſitus prope Barbaros, qui dicuntur Blemmyæ. Cumque illic eſſent fratres in quadam inſula, in qua erant multi ſcirpi, miſit ad eos beatus fratrem, qui cupiebat eſſe martyr, vt paucos ſumptus afferret fratribus, iubens vt ſibi caueret, & ſe muniret, & dicens per ænigma id, quod ſcriptum eſt: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: nullam in aliquo demus offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Is autem cùm accepiſſet aſinum onuſtum ijs, quæ erant ad ſumptus neceſſaria, proficiſcebatur ad fratres. Cùm eſſet autem in ſolitudine, Barbari, qui de monte aquatum deſcenderant, ei occurrerunt. Quem cùm ab aſino demiſiſſent, vinctum manibus, accepto aſino cum vaſis, abduxerunt in montem ad alios Barbaros. Cap. 76. Boni monachi ſunt martyres. Matth. 26. 2. Cor. 6.

Cùm verò eum vidiſſent Barbari venientem cum aſino, cœperunt eum irridere, dicentes: Veni monache, & adora deos noſtros. Cùm ij autem mactâſſent animalia, fecerunt libamina ſuis ſimulacris, & adductum monachũ cogebãt libare vnà cum eis. Cùm ipſe autẽ hoc nollet facere, irati ad eum acceſſerunt, nudos enſes tenẽtes, ac minantes ſe eum eſſe interſecturos, niſi vellet eorũ dijs ſacrificare, & eis libare libamina. Is autem cùm vidiſſet nudos enſes, & feros eorum mores, ſtatim vino accepto, libauit eorum ſimulacris, & cum eis comedit de carnibus, quæ fuerant immolatæ idolis: & cùm timuiſſet mori morte corporis, interemit animam, negans Deum Dominum. Cùm hoc autem feciſſet, eum demiſerunt Blemmyæ. Ille verò poſtquàm deſcendit de monte, & ad ſe redijt, cognouit ſuam iniquitatem, vel impietatem potiùs, quam fe- Cap. 77. Monachus temerè ad martyrium adſpirans, oblata occaſione, Deum negat.

fecerat: ſciſſiſque ſuis veſtibus, poſtquàm ſuam multùm verberâſſet faciem, venit in monaſterium. Cùm autem cognouiſſet beatus id, quod ei euenerat, egreſſus eſt ei obuiàm, magna affectus triſtitia. Ille verò cùm eum vidiſſet venientem, ſe humi proiecit in faciem, clamans cum lachrymis: Peccaui Deo & tibi, ô Pater, quòd tuum non audiens conſilium & admonitionem, hîc non reſtiterim.

Cap.78. Eũ S.Pachomius acriter obiurgat. Magnus autem Pachomius cùm hoc audijſſet, dixit ei: Surge miſer: teipſum, ô infelix, excluſiſti à tantis bonis. Fuit reuerà tibi corona impoſita, & eam à te abieciſti. Paratus fuiſti cooptari in numerum ſanctorum martyrum, & teipſum ſeiunxiſti à beata eorum communione. Aderat Dominus Chriſtus cum ſanctis ſuis angelis, volens tuo capiti imponere diadema, & tu eum negâſti propter horæ momentum: & mortem timens, quam vel nolens es ſubiturus, à Deo excidiſti, amittens vitam æternam. Vbi ſunt verba, quæ tu antè dicebas? Vbi eſt tuum deſiderium? Cùm ille autem dixiſſet: Pater, peccaui in omnibus, nec poſſum faciem meam ampliùs ad te attollere: Perij pater. Non eſt mihi ampliùs relictus locus agendi pœnitentiam. Quid faciam, Pater? Non expectaui fore, vt hæc ita fierent. Hæc eo dicente & lachrymante, dixit ei Magnus: Tu quidem, ô miſer, te omninò alienum à Deo conſtituiſti. Eſt autem bonus Dominus, & nunquàm iram ſuam continuit in teſtimonium, quòd velit miſericordiam, & peccata noſtra poſſit obruere mari profundiſſimo. Quoniam quantùm (Pſal. 110.) diſtat cælum à terra, tam procùl à nobis noſtra amandabit peccata. Non enim vult (Ezech. 18.) peccatoris mortem, ſed pœnitentiam, & eum qui cecidit, non manere in delicto, ſed reſurgere: & eum, qui eſt auerſus, non diù perſeuerare, ſed ad eum quamprimùm conuerti. Propterea ne de te ſpem abijcias. eſt enim ſpes ſalutis. Si abſciſſa enim, inquit, (Iob 14.) fuerit arbor, rurſus florebit. Si velis ergo me audire in omnibus, quæ tibi dixero, habebis à Deo veniam. Ille verò flens, dicebat: Te decætero, Pater, audiam in omnibus.

Vide quam ſatisfactionem ei indicat S.Pachomius. Iubet autem magnus Pachomius, vt in quietam cellam ſecedens, ſe includat, & neminem conueniat vſque ad mortem ſuam, & vt, cùm vno die abſtinuerit, veſcatur ſolo pane & ſale, & aquam ſolummodò bibat toto vitæ ſuæ tempore. Duas verò paruas ſtoreas faciat quotidiè, & vigilet quãtùm poteſt: oret autem pro viribus, à lachrymis verò non ceſſet penitùs. Ille verò ſecedens, vt ei beatus iuſſerat Pachomius, conduplicauit omnia, quæ ei dixerat vt faceret. Nullum autem omninò conueniebat, niſi ſolum magnum Theodorum, & paucos ex magnis ſenibus. Cùm ſic autem decertâſſet decem annos, dormijt, de eius requie bonum Dei gratia ferente teſtimonium magno Pachomio.

Cap.79. Veniens autem ſanctus Pachomius in monaſterium, quod dicitur Tabenniſe, cum Theodoro & Cornelio, & compluribus alijs fratribus, paululùm ſtetit in via. Qui cùm ab aliquo quandam audijſſet accuſationem, & cognouiſſet à fratre fuiſſe neglectum, quod ei datum fuerat mandatum, (mandârat enim, vt qui in panis officina operabantur oblationem, nunquàm loquerentur ſuperflua: ſed quod decebat mandatum, per ſe meditarentur) vocat Theodorum, (ipſe enim curam gerebat illius monaſterij) & dicit ei: Vade, & paulatim diligenter intellige, an aliqui in panis officina noctu ſint ſermocinati. Et cùm certa ſcieris, fac mihi renuncies. Ille autem ſciſcitatus, ita quidem

Nota quàm periculoſũ ſit maiorum iuſſa negligere. eſſe inuenit, & præfecto ſignificauit. Dicit autem Pachomius: Exiſtimant fratres humanas eſſe traditiones, ignorantes quòd vel pro minimis non paruum imminet periculum negligentibus. Cùm ſeptem dierum ſilentium Iſrael lubenter in Hiericho ſuſcepiſſet, deinde tempore terminato exclamâſſet. & vrbem expugnauit, & Dei mandatum, quod ab homine datum fuerat, non eſt tranſgreſſus. Et nunc decætero ſeruent ipſi hoc noſtrum mandatum, & peccatum eis condonabitur. Etenim nos quoq; doctrinam, quæ eſt vtilis, tradidimus. Ipſe autem ingreſſus, aſſidebat operi ſtorearum, quæ texebantur. Veniens autem puer, qui erat deputatus miniſterio hebdomadæ, videt Magnum operantem, & ei dicit: Noli ſic vertere texta, vt rectè opereris. Abbas

Mira ſancti viri humilitas. Theodorus texit alio modo. Is verò ſurgens, dicit ei: Doce me, quomodò, ô fili. & cùm didiciſſet, ſedit rurſus cum magna animi alacritate, in hoc reprimens ſpiritũ arrogantiæ. Nam ſi carnis habuiſſet prudentiam, non ei paruiſſet, ſed etiam repræhendiſſet puerum: vt qui in loquendo cum eo, pueri modum exuperâſſet.

Cap.80. Cùm ei autem exhiberetur moleſtia ab hoſpitibus & fratribus, accedit dæmon, & ſtans ex aduerſo: Gaudeas, inquit, Pachomi. ego enim ſum Chriſtus, & veni ad te meũ

Diſcretio ſpirituum. amicum. Ipſe verò ſancti Spiritûs diſcretione, maligni declinãs viſiones, apud ſe diſceptabat dicens: Chriſti ſanctitatis aduentus eſt plenus gaudio, & eſt liber ab omni metu,

tu, humanis omnibus cogitationibus ſtatim euaneſcentibus ad eius, qui apparet, contemplationem. Ego autem nũc ſum plenus perturbatione, & ſum dubius animi. Cùm ergo ſurrexiſſet protinùs, per fidem in Chriſtum accepta audacia, ſtatuit eum vincere. Et à ſpiritu inſpiratus, dixit ei: Recede à me, diabole: es execratus, & tua viſio, & ars tuorum conſiliorum. Cùm autem factus eſſet, tanquam puluis, impleuit domum tetro odore, & ipſum aërem conturbauit, magna voce ei dicens: Meos offendiſti pedes: ſed magna eſt Chriſti virtus, & à vobis illudor quotidiè. Sed non ceſſabo bellum gerere. Oportet enim me meum munus implere. Pachomius autem confirmatus ſpiritu, Domino contrà confitebatur, gratias agens propter immenſa eius in ipſum beneficia.

Porrò autem cùm vna nocte ambularet hic Magnus in hoc monaſterio, repentè procùl videt quandam viſionem magnam, & plenam multa deceptione. Erat enim ſpecies mulieris ſumma pulchritudine, adeò vt narrare non poſſet neque ſpeciem, neque poſituram, nec ſpectaculum eius, quæ ei aderat, viſionis. Cùm hanc autem vidiſſet Theodorus, fuit valdè conturbatus, & vultu eſt mutatus. Quem cùm beatus vidiſſet ſic extimeſcentem: Confide, dixit ei, in Domino Theodore, & ne angaris animo. Cumque hæc dixiſſet, ſtetit in oratione ad hoc, vt ſtupenda illa expelleretur viſio. Illis verò ſupplicantibus, ea magis magiſque aduersùs eos procedebat, ſe impudenter gerens. Ea autem appropinquante cum multitudine dæmonum præcurrentium, cùm adhuc preces funderet Pachomius, ad eos veniẽs, dicit eis: Cur fruſtrà laboratis? Contra me nihil poteſtis facere. Accepi enim à Deo omnipotente tentãdi, quos volo, poteſtatem: & hanc petitionem iamdiù abhinc ſum à Deo conſecuta. Eam autem interrogauit ſanctus Pachomius, dicens: Dic mihi, Tu quis es? Et vnde veniſti, & quem quæris tentare? Illa verò dixit: Ego ſum virtus diaboli: mihi ſeruit tota phalãx dæmonũ. Ego ſum, quæ Iudam abripui à cœtu Apoſtolico. Accepi ergo, ô Pachomi, vt aduersùs te bellum gererem. Non potui enim ferre probrum dæmonum. Nullus enim me vnquàm ita eneruauit, vt tu. Pueris enim, ſenibus & adoleſcentibus per tuam me doctrinam ſubijcis, & efficis, vt ab eis conculcer: & tanta contra me congregata multitudine, infracto eos muro circundediſti, nempe timore Domini, adeò vt decæterò non poſſint noſtri miniſtri ad aliquem veſtrûm libere accedere. Hæc autem omnia vobis euenerunt propter Deum Verbum, qui homo factus eſt: Qui quidem dedit vobis poteſtatem conculcandi omnem noſtram potentiam. Cap. 81. Satanas induit formã ſpecioſæ mulieris. O mendacẽ impoſtorẽ.

Ad hæc verò dicente Pachomio, Veniſti ad me ſolum, vt dicis, tentandum, an etiam alios? illa ei dixit: Et te, & omnes tuî ſimiles. Ei autem rurſus dixit Pachomius: Et Theodorum igitur? Illa verò: Et aduersùs te, inquit, & aduersùs Theodorum accepi poteſtatem: Sed nõ poſſum omninò vobis appropinquare. Cùm ipſi autem dixiſſent, Quanam de cauſa? dixit eis: Si vobiſcum bellum geram, ſum vobis commodi potiùs cauſa, quàm damni, & maximè tecum, Pachomi: quoniam dignus es habitus, qui corporeis oculis videres gloriam Dei. Sed non in æternum cum eis habitabitis, quos nũc munitis veſtris precibus. Erit enim tempus poſt veſtrum deceſſum, quando in eis ducam choream. Vos enim feciſtis, vt ego conculcarer ſub pedibus tantæ multitudinis Monachorum. Magnus autem ei dixit: Quî ſcis, quòd qui nos ſunt cõſecuturi, non ſint ſyncerè & germanè pluſquàm nos ſeruituri Domino, vt poſſint munire poſteros timore Domini? Hoc ſcio, inquit. Mẽtiris impio tuo capite, inquit Pachomius, cùm nullam omninò habeas vim præſciendi. Hoc enim Deum ſolùm ſequitur, & eſt eius poteſtatis proprium: Tu autem ſoli mendacio imperas. Illa verò dixit: Per præſcientiam quidem, vt tu dicis, nihil ſcio: Coniectans autem dico tibi me ſcire. Dicente autem beato: Et quomodò conijcis? Dicit ei: Ex ijs, quæ præceſſerunt, ea etiam, quæ ſunt futura, conijcio. Is autem rurſus, dixit ei: Quomodo? Illa verò dixit ei: Cap. 82. Vide dęmonum imbecillitatem. Vide os impurũ & mẽdax.

Cuiuſuis quidem rei principium intenſo & vehementi quodam deſiderio fertur ad ea, quorum ſtudio tenetur, maximè verò cupiditatis, plantationis & cæleſtis vocationis, quæ diuina voluntate prodigijs, & ſignis, & varijs virtutibus cõfirmat eos, qui eam exercent. Cùm autem iam in tuto fuerit collocata, & ſe exercendo peruenerit ad ſenectutem, ceſſat ab incremento, vt quæ vel tempore conſumatur, vel flacceſcat ſocordia, vel hebes & obtuſa reddatur contemptione. Magno autem Pachomio eam interrogante: Quid eſt ergò, quòd (vt dicis) veniſti ſolùm ad magnos tentandum, non autem omnes fratres, ſi proprium, vt ais, tuum munus eſt exitium animarum, & in vitio, & improbitate ſuperas omnes dæmones, & tantum vales viribus aduersùs viros tantos? Cap. 83.

tantos? Illa reſpondens, dixit: Iam quidem tibi priùs dixi, quòd ex quo ab omnipotenti Chriſto in terra facta eſt ſalutaris humanæ naturæ ſuſceptio, nos euaſimus imbecilli, adeò vt tanquam paſſer ab eis, qui credunt in ipſum, illudamur & irrideamur. Sed etſi effecti ſimus imbecilli, minimè tamen ceſſamus, in quibus poſſumus, à noſtra operatione. Sed neque deſiſtemus vobis aduerſari, conueniens quidem ſeminantes vitium in animis athletarum: Et cùm aliquem ſuaui aliqua titillatione moueri, & voluptate affici cognouerimus, voluptates magis accendimus, & quàm maxima, & maximè inexpugnabili poſſumus vi ei inſultamus. Quòd ſi contrà viderimus eum noſtra non admittere, neque à nobis lubenter teneri, ſed ſe fide in Chriſtum, & ſobria & vigilanti mente munire, tanquam fumus, qui diſſoluitur, recedimus in aërem. Ea autem de cauſa non permittimur, vt totis viribus omnes aggrediamur, eò quòd bellum, quod à me geritur, non poſſint omnes perfectè ferre. Si enim concederemur aduerſùs omnes hoc facere, veſtra protectione non multos abduxiſſetis. Sed quid agam, cùm crucifixi poteſtate prouidendi & proſpiciendi per veſtras preces cuſtodiantur? Tunc ſanctus magna voce & cum magno gemitu dicit ei: O veſtrã, quæ nequaquàm ſopiri poteſt, improbitatem. Non ceſſatis decætero in genus hominum inſanire, donec rurſus diuinus & immortalis vertex de cælo veniens, vos omninò conſumet. Quæ cùm dixiſſet, dæmonum phalangem increpauit, & Chriſti nomine eam protinùs diſſipauit, & fecit euaneſcere.

Chriſt' homo factus vires dæmonum enerauit.

Cap. 84.

Manè autem exorto, conuocatis omnibus fratribus, qui & vita, & tempore antecellebant, narrauit omnia, quæ vidit & audiuit à pernicioſo dæmone. Narrauit verò iis etiam, qui aberant, per proprias literas timore Dei muniens, & docens nihili ducere viſa improborum dæmonum. Qui quidem cùm audijſſent, & viderent quæ ab ipſo per Chriſti gratiam fiebant miracula, valdè confirmabantur, & laborem exercitationis ferebant prompto & alacri animo. Fratrem quidem certè ſectatorē & æmulatorem eius tolerantiæ, cùm ſtaret in oratione, in pede pupugit ſcorpius, & cor eius vſqueadeò dolor tetigit, vt ſpiritum propemodùm emitteret. Ipſe autem, licèt ex ictu dolorem ſenſiſſet, non priùs ſurrexit, quàm finijſſet orationem. Rurſus verò quidam morbus, qui inuaſerat caput Theodori, ei grauiſſimos afferebat dolores, & ipſe quidem petebat, vt ſibi liceret decedere. Dicebat verò Pachomius: Putáſne, ô frater, morbum, vel aliquid aliud eiuſmodi euenire abſque Dei permiſſione? Quamobrem patere, frater, & quando volet Dominus, te curabit. Ecce nunc probaris, vt Iob perfectus: age gratias, & ſuſtinens afflictiones, vide vt benedicas Domino, & habebis requiem maiorem laboribus. Pulchra eſt enim exercitatori, quæ eſt ex Deo, tolerantia in precibus & abſtinentia. Poteſt autem, qui ægrotat, maiorem accipere mercedem patientia & tolerantia.

Cõtemnenda dæmonũ ludibria.

Nota Dei prouidentiam.

Afflictionũ vtilitas.

Cap. 85.

Rurſus autem accidit, vt cùm beatus fratres viſitaret in cellis, & ſenſum vniuſcuiuſque corrigeret, accederet etiam ad quendam Romanum, qui erat maximæ authoritatis: callebat verò pulchrè quoque linguam Grçcam. Cùm ergo ad eum veniſſet Magnus, vt eorum admoneret, quæ futura erant ei vtilia, & cognoſceret motiones cordis eius, allocutus eſt eum Aegyptiacè. Neſciebat autem frater, quid ei magnus diceret Pachomius: neque ſciebat Pachomius, quidnam diceret Romanus, propterea quòd beatus Græcè loqui neſciret. Neceſſe autem habuit magnus Pachomius vocare fratrem, qui poſſet interpretari, quæ dicebantur ab vtriſque. Cùm verò veniſſet frater ad interpretandum, nolebat Romanus magno dicere Pachomio cordis ſui delicta per alium, & ſic ei dicit: Te ſolum volo poſt Deum eſſe cognitorem malorum cordis mei, neque volo ea tibi dicere per alium: ſed neque vllum alium ea audire, præter te. Cùm hæc autem magnus audijſſet Pachomius, iuſſit ſecedere fratrem, qui venerat ad interpretandum. Cùm verò non poſſet ei ea verba dicere, quæ afferrent vtilitatem & ſalutem, quòd omninò Græcè neſciret, poſtquàm ei manu annuiſſet vt expectaret, donec ad eum veniret, abijt beatus, vt per ſe oraret: & extenſis ſuis in cælum manibus, Deum precatus eſt, dicens: Domine omnipotens, ſi nõ poſſum iuuare homines, quos ad me miſiſti à finibus terræ, quòd eorum linguas neſciam, quid opùs eſt, vt ipſi veniãt? Sin autem vis eos hîc per me eſſe ſaluos, da mihi, Domine omnipotens, ad eorũ corrigendas animas, vt ſciam eorum ſermonem. Cumque ipſe tres horas oráſſet, & Deum multũ rogâſſet, & ſuæ orationi finem impoſuiſſet, repentè de cælo in dexterã eius manũ miſſa eſt veluti epiſtola chartacea conſcripta. Quam cùm legiſſet, ſtatim didicit ſermones omnium linguarũ: & cùm gloriã reddidiſſet patri, & filio, & ſpiritui ſancto, cum

Diuinitùs impetrat Pachomius notitiã oĩm linguarum.

cum magna lætitia venit ad illum fratrem, & citra vllum errorem cœpit cum eo Græcè & Romanè diſſerere, adeò vt cùm frater audijſſet, cœperit de magno dicere: Omnes ſcholaſticos ſuperat in elocutione. Cùm eum ergo correxiſſet, vt oportuit, & ei pro peccatis conſtituiſſet pœnitentiam, & cum commendâſſet Domino, ab eo abijt.

Accidit, vt cùm ſederet aliquando magnus in quodam loco monaſterij cum quibuſdam alijs magnis fratribus, quidam frater monaſterij duas, quas eo die fecerat, paruas ſtoreas poneret ante ſuam cellam, ex aduerſo eius loci, in quo magnus Pachomius ſedebat cum fratribus. Hoc autem fecerat elatus vanæ gloriæ cogitatione, exiſtimans ſe in hoc eſſe laudandum à magno Pachomio, quòd tali eſſet vſus diligentia: cùm regula hoc contineat, vt vnuſquiſque frater vnam in die faciat ſtoream. Cùm autem vidiſſet magnus Pachomius eum fratrem hoc feciſſe ad oſtentationē, & animaduertiſſet illius eò tendere cogitationem, valdè ſuſpirans, dixit fratribus, qui cum eo ſedebant: Videte hunc fratrem, qui à manè huculque laborauit, diabolo totum ſuum donauit laborem, & ſui operis nihil reliquit, quo ſuam recrearet animam: quoniam magis amauit hominum gloriam, quàm Dei: & labore quidem ſuum corpus conſumpſit, fructu verò laborum vacuā reddidit animam: Vocatumque illum fratrem increpauit, & præcepit, vt orantibus fratribus, duas tenens ſtoreas ponè eos, diceret: Rogo vos, fratres, vt oretis pro infelici mea anima, vt ſummè miſericors Deus veſtris precibus eius miſereatur, quę has duas paruas ſtoreas eius regno prętulit. Et rurſus dum fratres comederent, iuſſit eum eodem modo ſtare in medio eorum cum ſtoreis, donec fratres à menſa ſurgerent. Et poſteà iuſſit eum includi ſolum in cella, & tempore quinque menſium quotidiè facere duas ſtoreas, & veſci pane ſolo cum ſale, & nullum fratrem eum conuenire. Cap. 86. Caſtigat fratrē vanæ glorię cupidum.

Poſt hæc autem neceſſe eſt, antequàm finiamus orationem, meminiſſe vnius viri, qui vel omnem hominum laudem ſuperabat, ad ædificationem & vtilitatem eorum, qui hæc legent, nomine Zachæi. Is poſt longum tempus exercitationis corpore mutilatus, habebat quidem cellam ſeparatam a fratribus, in ſale & pane totam vitam ſuam tranſigens. Quotidiè autem conficiebat ſtoream, tantam ſuſtinens contritionem, vt ſæpè, dum connecteret funes ſtorearum, manus, quæ pungebantur, ſanguinis guttas emitterent, & in ipſo opere oſtenderent viri tolerantiam. Cùm ergo eſſet in tanta imbecillitate corporis, nunquàm abfuit à fratrum congregatione, nec interdiù vnquàm dormijt vſque ad ſuum deceſſum. Solebat autem noctu, antequàm ipſe dormiret, apta quædam dicere memoriter ex ſcripturis: & cùm totum corpus ſuum ſignâſſet, & Deo dediſſet gloriam, ſic recumbere: deinde media nocte expergiſci, & vſque ad manè implere hymnodiam. Cùm eius manus vidiſſet aliquando frater cruentas propter vehementiam operis, dicit ei: Frater, cur in operando ſic laboras? & maximè cùm tanto morbo vexeris? Nunquid eſt peccatū tuum ocium, & à Deo condemnaberis, ſi non opereris? Scit ipſe te ægrotare, nec vllus ſic afflictus opus vnquàm tetigerit, maximè ſi non cogatur. Alijs, Deo volente, opem ferimus hoſpitibus & pauperibus: & tibi proprio noſtro, & tanto patri non prompto & alacri animi ſtudio ſeruiemus? Cùm is autem rurſus reſpondiſſet: Fieri non poteſt, vt ego non operer: Si tibi, inquit, ſic videtur, vnge ſaltem veſpere oleo manus tuas, vt non tantùm defatigeris, néve illæ ex ſanguinis profluuio areſcant. Ille verò perſuaſus quidem ſic fecit, vt fuerat rogatus. A ramis autem punctæ manus adeò læſæ fuerant, vt non poſſet ille ampliùs ferre dolores, quos ex eo ſentiebat. Veniens autem in cellam Pachomius, cùm de dolore audiuiſſet, dicit ei: Exiſtimas, ô frater, tibi prodeſſe oleum? Quis autem te ſic coëgit laborare, vt prætextu operis, in ſenſili potiùs oleo, quàm in Deo ſpem haberes ſanitatis? Num fieri non poterat, vt Deus te curaret? Si ignorat noſtras imbecillitates, opùs etiam habet, vt admoneatur. Num nos deſpicit habens odio, qui natura eſt clemens & benignus in homines? Sed Deus vtilitatem animæ ædificans, permittit afflictiones, vt fortiter ferentes, oſtendamus tolerantiam, ei omnia permittentes: quando ſcilicet velit, & vt velit, largiri quietem à malis. Is autem reſpondens, dicit: Condona mihi, Pater, & ora pro me, vt hoc & omnia peccata mea condonet Chriſtus. De eo autem affirmârunt nonnulli, quòd anno integro ſeipſum luxit, poſt duos dies cibum ſumens. Eum miſit ad fratres beatus Pachomius, veluti archetypum & fundamentum bonorum operum. Erat enim admonendi & exhortandi poteſtate præditus, vt ſi vllus alius. Qui cùm vſque ad finem legitimè Cap. 87. Mira Zachæi abſtinentia. Cubitū iturus, ſignat ſe cruce Habes antiquū Chriſtianorum morē. Cur nos affligi ſinat Deus.

certâſſet, egregium finem & propter labores remunerationem, regnum cęlorum meruit accipere.

Cap.88. Cùm ergo exploratum habuiſſet ſanctus Pachomius ſe non abſcondiſſe talentum, ſed & hunc, & complures alios perfectos miſiſſet ad Dominum, feſtum egit in ab ipſo plantatis Saluatoris tabernaculis, in quibus horum ſanctorum habitauit catalogus. Poſt ſanctum autem & venerandũ Paſchæ feſtum, cùm multi fratres variè eſſent conſummati, tandem ipſe quoque ægrotauit. Ei verò miniſtrabat Theodorus, cuius ſæpè meminimus. Et euaſit quidem corpore tenuiſſimus: manſit autem vultu admodùm lætus, hinc puram animæ conſcientiam veluti exprimens ijs, qui ad ipſum adſpiciebãt. Duobus autem diebus ante ſuam conſummationem, cùm conuocâſſet totum ſuum diuinum catalogum, dixit eis: Ego quidem, fratres, viam Patrum ingredior: Video enim me vocari à Domino: Vos autẽ ſemper recordantes earum, quas à me audijſtis, exhortationum, eſtote in rebus omnibus ſobrij & vigilãtes: neque ſit vobis vlla communio cum hæreſi Origenis, aut Meletij, aut Arrij, aut reliquorum Chriſti aduerſariorum, aut aliorum, quos vobis mandaui vt vitaretis. Sit verò vobis curæ cum ijs verſari, qui veſtris proderunt animis. Ego enim iam libor, & inſtat tempus meæ reſolutionis. Eligite aliquem, qui loco meo poſſit vobis prodeſſe. Ego quidem ad hoc non video Petronio probatiorem. Veſtrum autẽ eſt eligere id, quod eſt vobis conducibile. Cùm ij autem Patris accepiſſent conſilium, (erat enim fide potens, humilis ſpiritu, & bonus moribus) pro ipſo fudit preces, proptereà quòd ipſe quoque eſſet ægrotus in monaſterio, quod dicitur Chenoboſciorum. Et ei quidem, etſi abſenti, tradidit eam, quæ in Chriſto erat, fraternitatem: & cùm miſiſſet ad eum accerſendum, ſe autem ſignâſſet, & hilariter in illum defixiſſet oculos, qui mittebatur, ſanctam illam emiſit animã quartodecimo menſis Maij.

[Margin: S.Pachomius in morbũ incidit. — Vitãda hæreticorũ cõmunio. — S.Pachomij obitus.]

Cap.89. Cùm autẽ corpus accepiſſent diſcipuli, & ei purè feciſſent exequias, & die ſequenti peregiſſent vigilias, die conſequenti eum ſepeliêrunt in monte. Qui verò miſſus fuerat ad Petronium, adduxit eum adhuc ægrotantem. Cùm autem ipſe quoque paucos dies gubernâſſet fraternitatẽ, decedit in pace, relicto pro ſe viro iuſto & religioſo, nomine Orſiſio. Hęc verò nos ex pluribus pauca ſcripſimus, & pro maximis eius factis & operibus, minima: non vt laudem demus ſanctis patribus, (Noſtrum enim honorem, aut gloriam non appetunt: Sufficit enim eis æterna laus, qua afficiuntur à Domino, & Angelis, & erit perfectior. Fulgebũt enim ſicut ſol, Chriſti lumine perfuſi: qui ſemper eos glorificat, qui eum glorificant) ſed vt nos quoque eos imitemur pro viribus, ex auditione inducti ad eorum imitationem, precibus & interceſſionibus ſanctorum Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum, *propter quos Dominus noſter Chriſtus glorificatur: Cui gloria & potentia in ſecula ſeculorum, Amen.

[Margin: Item Petronij. — Matth.13. — 1.Reg.2. — *per]

Cap.90. Rogo autem eos, qui hæc legunt, vt fidem habeant huic narrationi. Si quis verò ex ijs, qui legent, de ijs, quæ dicũtur, eius precibus accuratè interroget, dicens: Vndenàm vobis ſcriptoribus fuit harum rerum cognitio? recordetur eorum, quæ à nobis dicta ſunt ſuperiùs, quòd ea ex ſanctis patribus cognouimus, cùm accuratè examinauiſſemus. Ipſe enim beatus Pachomius ſæpè narrans fratribus ea, quæ pertinebant ad eorũ vtilitatem, eis quoque ſuas aperuit cogitationes, & abundè docuit, quemadmodùm pro vnaquaque petitione orare oporteat. Non ſolùm autem eis, ſed omnibus etiã aduenientibus Monachis ſuadebat credere in Chriſtum Saluatorem, & eum diligere, & ſeipſos conſeruare à turpibus cogitationibus, & carnis voluptatibus: & fugere vanam gloriam: & orare ſine intermiſſione, vt ſe inuicem diligerent. Ad hanc enim charitatem nos quoque diuinus inducens Apoſtolus, & eius oſtendens magnitudinem, dicit, ſcribens ad Corinthios: Sectamini autem chariſmata meliora, & adhuc excellentem vobis viam oſtendo. Porrò autem Dominus quoque Chriſtus dixit ſuis Apoſtolis: In hoc ſcient omnes, quòd diſcipuli mei eritis, ſi vos inuicèm dilexeritis. Nam multi quidem admirantur, aiebat, eos, qui poſſunt curare corpora: Ego verò eos non tanti eſſe exiſtimo, quanti eos, qui rudes & idiotas perfectos efficiunt, & à vitio conuertunt ad virtutem. Non iudicatur enim, ô dilecti, quòd hoc & hoc miraculum non fecerit: ſed iudicatur, ſi habet ſimilitudinem eorum, qui à diuino ſpiritu condemnantur, dicente: Non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo. Quomodò enim poteſt amare proximum, qui Deum non ſemper proſpicit, conuenienter beato Dauid, qui dicit: Præuidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris meis eſt, ne commouear? Eſt verò, aiebat, neceſſarium & Deo gratum, pueros, qui adhuc ſunt liberi à vitio,

[Margin: 1.Cor.12. — Iohan.13. — Pſal.53. — Pſal.15.]

tio, crebriùs hæc audire, & rebus doceri procedentibus, atque hanc ſequendo regulam tendere ad anteriora, & ante ætatem expetendo id, quod eſt bonũ & honeſtum, ſe extendere ad ſuperiora, pergendo ad perfectionem, ſicut beatus Samuel templo aſſidens. Etenim parata eſt munda terra ad ſuſcipiendam plantationem. Multis autem laboribus mundata terra, tunc producit. Oportet ergo nos cauere, ne offendantur iuuenes, vt Dominus, qui cuſtodit paruulos, noſtram quoque cõſeruet animam, tan- Pſal.114.
quam pupillam oculi. Qua enim, inquit, menſura metimini, eadem vobis fiet menſio. Matth.7.
Ne ergo audeat aliquis, ô dilecti, lædere animam vllo verbo ocioſo. Quomodò autem hoc ſeruare oporteat, non opùs eſt longa oratione. Audi enim, inquit, vniuerſum fi- Eccleſ.12.
nem orationis: Deum time, & mandatum eius cuſtodi, & eris perfectus monachus. Poteram alia quoque vobis dicere, ſed ne ſit prolixior & moleſtior oratio, Deus pacis vos confirmet in ſuî timore, Amen.

VITA BONIFACII EPISCOPI FERENTINI, A D. GREGORIO PAPA SCRIPTA,

Lib.1.Dialog.Cap.9.

VIS tibi aliquid de Tuſciæ partibus narrem, vt cognoſcas 14. Maij.
quales in ea viri fuerint, & omnipotẽtis Dei notitiæ quantùm propinqui? Petrus: Volo, atque hoc omnimodò expoſco. Gregorius: Fuit vir vitæ venerabilis Bonifacius nomine: qui in ea ciuitate, quæ Ferentis dicitur, epiſcopatûs officium tenuit, & moribus impleuit. Huius multa miracula is, qui adhuc ſupereſt, Gaudentius preſbyter narrauit. Qui nutritus in eius obſequio, tanto valet de illo veraciùs dicere, quanto ei contigit & intereſſe. Huius eccleſiæ gra- Paupertas eccleſiæ Ferentinæ.
uis valdè paupertas inerat, (quæ bonis mentibus eſſe ſolet cuſtodia humilitatis) nihilque aliud ad omne ſtipendium, niſi vnam tantummodò vineam, habebat: quæ quodam die ita grandine irruente vaſtata eſt, vt in ea paucis vitibus vix parui rarique racemi remanſiſſent. Quò cùm Dei Obſerua ſancti viri patientiam admirandá.
prædictus vir reuerentiſſimus Bonifacius epiſcopus fuiſſet ingreſſus, magnas omnipotenti Deo gratias retulit: quia in ipſa ſua adhuc inopia ſeſe anguſtiari cognouit. Sed cùm iam tempus exigeret, vt ipſi quoque racemi, qui remanſerant, matureſcere potuiſſent, cuſtodem vineæ ex more poſuit, eamque ſolerti vigilãtia ſeruari præcepit. Quadam verò die mandauit Conſtantio preſbytero nepoti ſuo, vt cuncta vini vaſcula in epiſcopio, omniaque dolia ita, vt ante conſueuerat, pice ſuperfuſa præpararet. Quod cùm nepos illius preſbyter audiſſet, valdè admiratus eſt, quòd quaſi inſana mente præciperet: quòd vini vaſcula præparare faceret, qui vinũ minimè haberet: nec tamẽ preſumpſit inquirere, cur talia iuberet: ſed iuſſis obtẽperans, omnia ex more preparauit. Tunc vir Dei vineam ingreſſus, racemos collegit, ad calcatorium detulit, omnes exinde egredi præcepit, ſolusque ibi cum vno paruulo puero remanſit, quem in eodem calcatorio depoſuit, & calcari ipſos pauciſſimos racemos fecit. Cumque ex eiſdem racemis parum aliquid vini deflueret, cœpit hoc vir Dei ſuis manibus in paruo vaſe ſuſcipere: & per cuncta dolia omniaque vaſa, quæ parata fuerant, pro benedictione diuidere, vt ex eodem vino omnia vaſcula vix infuſa viderentur. Cùm verò ex liquore vini parum aliquid in vaſis omnibus miſiſſet, vocauit protinùs preſbyterũ, iuſſitque pauperes adeſſe. Tunc cœpit vinum in calcatorio creſcere, ita vt omnia, quæ Vide inſigne miraculum.
allata fuerant, pauperum vaſcula impleret. Quibus cùm ſe idoneè ſatisfeciſſe conſpiceret, ex calcatorio iuſſit puerum aſcendere, apothecam clauſit, atque impreſſo ſigillo proprio, munitam reliquit: mox ad eccleſiam rediјt. Die verò tertia prædictum Conſtantium preſbyterum vocauit, & oratione facta, apothecam aperuit, & vaſa, in quibus tenuiſſimum liquorem infuderat, vbertim vinum fundentia inuenit: ita vt pauimentum omne excreſcentia vina inuaderent, ſi ad hæc epiſcopus tardiùs intraſſet. Tunc terribiliter preſbytero præcepit, ne quouſque ipſe in corpore viueret, hoc miraculum cuiquam indicaret: pertimeſcens videlicet, ne virtute facti, fauore Valdè ſibi cauet ab inani gloria.
humano pulſatus, inde intus inaneſceret, vnde foris hominibus magnus appareret. Exemplum etiam magiſtri ſequens, qui vt nos ad viam duceret humilitatis, de ſemet-

 ipſo

Matth.17. ipſo diſcipulis præcepit, dicens, vt ea quæ vidiſſent, minimè dicerent, quouſque filius hominis à mortuis reſurgeret.

Matth.9. Petrus: Quia occaſio apta ſe præbuit, libet inquirere, quidnam ſit, quòd redemptor, cùm duobus cæcis lumen reddidit, iuſſit vt nemini dicerent: & illi abeuntes, diffamauerunt eum in totam terram illam? Nunquidnàm vnigenitus filius, patri & ſancto ſpiritui coæternus, hac in re velle habuit, quod non potuit implere: vt miraculum, quod taceri voluit, minimè potuiſſet abſcondi?

Gregorius: Redemptor noſter per mortale corpus omne, quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit: vt pro noſtrarum virium modulo eius veſtigia ſequentes, inoffenſo pede operis, præſentis vitæ carpamus viam. Miraculum nanque faciens, & taceri iuſſit, & tamen taceri non potuit: vt videlicet & electi eius, exempla doctrinæ illius ſequentes, in magnis, quæ faciunt, latere quidem in voluntate habeant, ſed vt proſint alijs, prodantur inuiti: quatenùs & magnæ humilitatis ſit, quòd ſua opera taceri appetunt: & magnæ vtilitatis ſit, quòd eorum opera taceri non poſſunt. Non ergo voluit Dominus quicquam fieri, & minimè potuit: ſed quid velle eius membra debeant, quid've de eis etiam nolentibus fiat, doctrinę eius magiſterio exemplum dedit.

Opera noſtra quatenùs celanda & prodẽda.

Petrus: Placet, quod dicis.

Gregorius: Adhuc pauca aliqua, quæ de Bonifacij epiſcopi opere ſuperſunt, quia eius memoriam fecimus, exequamur. Alio nanque tempore beati Proculi martyris natalitius propinquabat dies, quo in loco vir nobilis, Fortunatus nomine, manebat: qui magnis precibus ab eodem venerabili viro poſtulauit, vt cùm apud beatum martyrem Miſſarum ſolennia ageret, ad benedictionem dandam in ſuam domũ declinaret. Vir autem Dei negare non potuit, quod ab eo ex Fortunati mente charitas popoſcit. Peractis igitur Miſſarum ſolennijs, cùm ad prædicti Fortunati veniſſet menſam, priuſquàm Deo hymnum diceret, ſicut quidam ludendi arte ſolent victum quærere, repentè ante ianuam cum ſimia vir adſtitit, & cymbala percuſſit. Quem ſanctus vir ſonitum dedignatus, dixit: Heu heu: mortuus eſt miſer iſte, mortuus eſt miſer iſte. Ego ad menſam refectionis veni, os adhuc ad laudem Dei non aperui: & ille cum ſimia veniens, percuſſit cymbala. Subiunxit tamẽ & ait: Ite, & pro charitate ei cibum potumque tribuite: ſcitote tamen, quia mortuus eſt. Qui infelix vir, dum panem ac vinum ex eadem domo percepiſſet, egredi ianuam voluit: ſed ſaxum ingens ſubitò de tecto cecidit, eique in verticem venit. Ex qua percuſſione proſtratus, in manibus iam ſemiuiuus leuatus eſt. Die verò altera, ſecundùm viri Dei ſententiam, funditus finiuit vitam. Qua in re, Petre, penſandum eſt, quantus ſit viris ſanctis timor exhibendus. templa enim Dei ſunt. Et cùm ad iracundiam vir ſanctus trahitur, quis alius ad iraſcendum, niſi eiuſdem templi inhabitator excitatur? Tanto ergo metuenda eſt ira iuſtorum, quanto & conſtat, quia in eorum cordibus ille præſens eſt, qui ad inferendam vltionẽ, quam voluerit, inualidus non eſt.

Preces ante cibum.

Vir ſanctus abominatur ioculatorem.

Sãcti homines reuerẽter habẽdi.

Alio quoque tempore prædictus Conſtantius preſbyter nepos eius, equum ſuum duodecim aureis vendidit: quos in propria arca ponens, ad exercendũ opus aliquod diſceſſit: cùm ſubitò ad epiſcopum pauperes venerunt, qui importunè precabantur, vt eis ſanctus vir Bonifacius epiſcopus ad conſolationem ſuæ inopiæ aliquid largiri debuiſſet. Sed vir Dei quia, quid tribueret, non habebat, æſtuare cœpit in cogitatione, ne ab eo pauperes vacui exirent. Cui repentè ad memoriam redijt, quia Conſtantius preſbyter nepos eius equum, quem ſedere conſueuerat, vendidiſſet, atque hoc ipſum in arca ſua precium haberet. Abſente igitur eodem nepote ſuo, acceſſit ad arcam, & piè violentus, clauſtra arcæ comminuit, duodecim aureos tulit, eoſque indigentibus, vt placuit, diuiſit. Itaque Conſtantius preſbyter reuerſus ex opere, arcam fractam reperit, & caballi ſui precium, quod in eam poſuerat, non inuenit. Cœpit itaque voce magna perſtrepere, & cum furore nimio clamare: Omnes hîc viuunt: ſolus ego in domo hac viuere non poſſum. Ad cuius nimirùm voces venit epiſcopus, omneſque, qui in eodem epiſcopio aderant. Cumque eum locutione blanda vir Dei temperare voluiſſet, cœpit ille cum iurgio reſpondere, dicens: Omnes tecum viuunt: ſolus ego hîc ante te viuere non poſſum: redde mihi ſolidos meos. Quibus vocibus commotus epiſcopus, beatæ Mariæ virginis eccleſiam ingreſſus eſt, & expanſis manibus ſtando cœpit orare, vt ei redderet, vnde preſbyteri furentis inſania mitigari potuiſſet. Cumque ſubitò oculos ad veſtimentum ſuum inter extenſa brachia reduxiſſet,

Mira benignitas in pauperes.

ſet, repentè in ſinu ſuo duodecim aureos inuenit, ita fulgentes, tanquam ſi ex igne producti eadem hora fuiſſent. Qui mox de eccleſia egreſſus, eos in ſinum furentis preſbyteri proiecit, dicens: Ecce habes ſolidos, quos quęſiſti: ſed hoc tibi notum ſit, quia poſt mortem meā tu huic eccleſię epiſcopus nō eris propter tuam auaritiam. Ex qua ſententia veritatis colligitur, quia eoſdem ſolidos presbyter pro adipiſcendo epiſcopatu præparabat: ſed viri Dei ſermo præualuit: nam idem Conſtantius in presbyteratus officio vitam finiuit.

Diuinitùs ei redduntur 12 aurei.

Alio quoque tempore duo ad eum Gotthi hoſpitalitatis gratia venerunt, qui Rauennam ſe feſtinare profeſſi ſunt. Quibus ipſe paruum vas ligneum vino plenum manu ſua præbuit, quod fortaſſe in prandio itineris habere potuiſſent, ex quo illi quoadusque Rauennam venirent, Gotthi biberunt. Aliquantis autem diebus in eadem ciuitate morati ſunt, & vinum, quod à ſancto viro acceperant, quotidiè in vſu habuerunt. Sicque vſque ad eundem venerabilem patrem ferentes reuerſi ſunt, vt nullo die ceſſarent bibere, & tamen vinū eis ex illo vaſculo nunquàm deeſſet, acſi in illo vaſe ligneo, quod Epiſcopus eis dederat, non augeretur vinum, ſed naſceretur.

Vinum in vaſculo augeſcit.

Nuper quoque de eiuſdem loci partibus ſenex quidam Clericus aduenit, & qui ea de illo narrat, quæ ſilentio non ſunt prætermittenda. Nam dicit, quòd quadam die ingreſſus hortum, magna hunc erucarum multitudine inuenit eſſe coopertum: qui omne olus in eo deperire conſpiciens, ad eaſdem erucas conuerſus, dixit: Adiuro vos in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, recedite hinc, atque hæc olera comedere nolite. Quæ ſtatim ad viri Dei verbum ita omnes egreſſæ ſunt, vt nec vna quidem intra ſpatium horti remaneret. Sed quid mirum, quòd hæc de epiſcopatûs eius tempore narramus, quando iam apud omnipotentem Deum ordine ſimul & moribus creuerat: dum illa magis miranda ſint, quæ eum hic ſenex clericus adhuc puerulum feciſſe teſtatur? Nam ait, quòd eo tempore, quo cum matre ſua puer habitabat, egreſſus hoſpitio, nonnunquàm ſine linea, crebrò etiam ſine tunica reuertebatur: quia mox vt nudum quempiam reperiſſet, veſtiebat, hîc ſe expolians, vt ſe ante Dei oculos illius mercede veſtiret. Quem mater ſua frequenter increpare conſueuerat, dicens, quòd iuſtum non eſſet, vt ipſe inops pauperibus veſtimenta largiretur. Quæ die quadam horreum ingreſſa, penè omne triticum, quod ſibi in * expendium totius anni parauerat, inuenit à filio ſuo pauperibus erogatum: cumque ſemetipſam alapis pugniſque tunderet, quòd quaſi anni ſubſidia perdidiſſet, ſuperuenit Bonifacius puer Dei, eamque verbis, quibus valuit, conſolari cœpit. Quæ cùm nihil conſolationis admitteret, hanc rogauit, vt ab horreo exire debuiſſet, in quo ex omni eorum tritico parum quid inuentum eſt remanſiſſe. Puer autem Dei ſeſe illic protinùs in orationem dedit. Qui poſt paululum egreſſus, ad horreum matrem reduxit: quod ita tritico plenum inuentum eſt, ſicut plenum anteà non fuerat, cùm mater illius totius anni ſumptus ſe congregâſſe gaudebat. Quo viſo miraculo compuncta mater, iam ipſa cœpit cogere vt daret, qui ſic celeriter poſſet, quæ petijſſet, accipere.

Erucas iuſſu pellit ex horto.

Adhuc puer quàm fuerit largus in pauperes.

** ſtipendiū*

Precibus obtinet magnam tritici copiam.

Hæc itaque in hoſpitij ſui veſtibulo gallinas nutrire conſueuerat: ſed eas ex vicino rure vulpes veniens auferebat. Quadam verò die, dum in eodem veſtibulo puer Bonifacius ſtaret, vulpes ex more veniens, gallinam abſtulit. Ipſe autem concitus eccleſiam intrauit, & ſeſe in orationem proſternens, apertis vocibus dixit: Placet tibi Domine, vt de nutrimentis matris meæ manducare non poſſim? Ecce enim gallinas, quas nutrit, vulpes comedit. Qui ab oratione ſurgens, eccleſiam eſt egreſſus. Mox autem vulpes rediens, gallinam, quam ore tenebat, dimiſit, atque ipſa moriēs, ante eius oculos in terram decidit.

Precibus vulpem interficit.

Petrus: Valdè mihi mirum videtur, quòd audire preces in ſe ſperantium etiam in rebus vilibus dignatur Deus.

Gregorius: Hoc Petre, ex magna conditoris noſtri diſpenſatione agitur, vt per minima, quæ percipimus, ſperare maiora debeamus. Exauditus nanque eſt in rebus vilibus puer ſanctus & ſimplex, vt in paruis diſceret, quantùm de Deo præſumere in magnis petitionibus deberet.

MARTYRIVM SANCTORVM PETRI, ANDREAE, PAVLI ET DIONYSIAE, EX ANTIquis MS. codicibus. Stylum mutauit F. Laur. Surius, nonnullis etiam redditis paraphraſticôs.

15. Maij.

Petrus adoleſcentulus Chriſtum conſtanter confitetur.

TEMPORIBVS iniquis, quando ſeruis Chriſti certamina excitabantur, & totus orbis beatiſſimo martyrum ſanguine florebat, apud Lampſacum compræhenſus fuit Petrus quidam, egregiè fortis in fide, animoque & corpore ſpecioſus. Cumque oblatus eſſet Proconſuli, ait ad eum Proconſul: Quis vocaris? Ille reſpondit: Petrus. Proconſul dixit: Chriſtianus es? Petrus reſpondit: Planè Chriſtianus ego ſum. Proconſul ait: Non tibi venit in mentem, quę decreta fecerint inuictiſſimi Principes? Sacrifica igitur magnæ deæ Veneri.

Reſpondit Petrus: Demiror equidem, Optime Proconſul, te mihi id perſuadere velle, vt turpiſſimæ & impudicæ mulieri ſacrificem, cuius res geſtæ non poſſunt ſine verecundia commemorari, cuius hiſtoria, quæ apud vos eſt, eius arguit impudicitiam. Quam cùm vos publicum fuiſſe ſcortum non negetis, qua obſecro vel fronte vel mente eam me adorare, eique ſacrificium facere compellitis, & non potiùs ſuaſores & authores mihi eſtis, vt Deo viuo & vero, Chriſto regi omnium ſeculorum, ſacrificia offeram ſanctarum precum & laudis? Audiens hæc Proconſul, iuſſit adoleſcentulum in rotis extendi, & lignis in orbem circunpoſitis, ferreis vinculis totum corpus eius adſtringi. Inde autem conſecuta eſt corporis contritio & conquaſſatio, oſſiumque dira comminutio. Sed quanto maioribus Dei ſeruus afficiebatur tormentis, tanto robuſtior exiſtebat. Itaque conſtanti & intrepido vultu, ridens Proconſulis ſtultitiam & ſuſpiciens ad cælum, ita ait: Gratias tibi ago, Domine Ieſu Chriſte, quòd hanc mihi dare dignatus es tolerantiam, vt poſſim ſuperare iniquiſſimum hunc tyrannum. Vt vidit autem Proconſul eius inuictam animi conſtantiam, nec eum tam immanibus cedere aut ſuccumbere cruciamentis, iuſſit eum gladio percuti.

Dirè torquetur.

Gladio cæditur.

Abeunti autem Proconſuli Troadem cum multa ambitione, tres alij oblati ſunt, Andreas, Paulus & Nicomachus: è quibus Nicomachus importunè & impatienter exclamauit: Chriſtianus ego ſum. Proconſul verò dixit Andreæ & Paulo: Vos autem quinam eſtis? Reſponderunt: Nos quoque Chriſtiani ſumus. Tum ad Nicomachum Proconſul: Sacrifica, inquit, dijs, quemadmodùm iuſſêre Principes. Nicomachus reſpondit: Chriſtiana religione initiatus cùm ſim, non ſacrifico dæmonibus. Iuſſit igitur Proconſul eum ſuſpenſum torqueri. Cumque tormentorum atrocitatem ferre non poſſet, & iam propè eſſet vt ſpiritum exhalaret, magna voce miſer & perditus clamauit: Ego Chriſtianus nunquàm fui, ſed dijs offero ſacrificium. Tum verò Proconſulis mandato depoſitus eſt. Cùm autem ſacrificâſſet, arreptus eſt à malo dæmone, eliſusque ab illo in terram, ſuis dentibus linguam ſuam manducans, expirauit. Turbis interim expectãtibus, puella quædã Dionyſia nomine, annos nata ſexdecim, in has prorupit voces: Miſeret me tuî, homo infeliciſſime, qui propter vnius horæ ſpatiũ ſempiternos eoſque ineffabiles tibi cruciatus peperiſti. Quod cùm audiſſet Procõſul, voluit eam coram ſe adduci, percõtatusque eſt ex ea, num Chriſtiana eſſet. Illa reſpondit: Ea cauſa etiam hunc miſerum & infelicem lugeo. Cur enim ille non parumper ſuſtinuit, vt poſſet ad requiem peruenire ſempiternam? Procõſul dixit: Ille verò iam requie potitur, quando inuictiſſimorum Principum voluntati, dijs ſacrificando, ſatisfecit. Quòd autem celeriter abijt è vita, id fecit magna dea Venus, ne veſtris improperijs & conuicijs exagitaretur. Tu verò ſacrifica, ne te turpiter illuſam, flammis viuam concremem. Dionyſia reſpondit: Maior eſt Deus, quàm tu ſis: isque poteſt mihi in omnibus, quæ abs te illata erunt, præſtare tolerantiam. Proconſul dixit: Tradatur hæc puella duobus iuuenibus, qui ea ad ſuam libidinem abutantur. Porrò Andream & Paulũ iuſſit duci in cuſtodiam. Iuuenes autem caſtiſſimã virginem Dionyſiam ad ſuum abduxêre hoſpitium, & cùm de afferenda illi vi inter ſe certarent, viribus deſtituebantur, maximè quòd tota nocte ſplendidus quidã illis appareret, qui ſua præſentia domũ illam illuſtrabat.

Nicomachi temeritas.

Deficit à Chriſto.

Arreptus à dæmone, moritur.

Dionyſiæ puellæ conſtancia.

Quem

Quem vt illi viderunt, timore correpti, ad pedes puriſſimæ virginis ſe abiecerunt. Illa autem manibus extenſis, eleuauit eos, dicens: Nolite timere. Hic eſt enim Dominus & cuſtos meus, propter quē à nequiſſimo Proconſule vobis tradita ſum. At illi rogabant eam, vt pro ipſis apud Dominum intercederet, ne quid mali paterentur.

Manè facto, omnis turba Proconſulem magnis vocibus compellauit, vt Andream & Paulum ipſis traderet, Macedonio & ſocio eius, Dianæ ſacerdotibus, in populo ſeditionem excitantibus. Cùm autem Proconſule iubente producti eſſent, ait is ad eos: Andrea & Paule, ſacrificate admirabili deæ Dianæ. Andreas & Paulus reſponderunt: Nos neque Dianam, neque alios dæmones, quos colitis, pro dijs habemus, neq; quenquam omninò, præter vnum Deum, adoramus. Hæc cùm turba audiuiſſet, petiêrunt ſibi eos tradi. Proconſul itaque fruſtrà ſe conatus ſuos ad eos ſuperandos intendere ſentiens, flagellis cæſos tradidit populo. Tracti igitur pedibus ſunt extra oppidum, vt lapidarentur: cumque lapidibus opprimerentur, peruenit eius rei ſama ad aures Dionyſiæ: quæ ex cuſtodum manibus elabens, cucurrit ad eos, iactanſque ſe ſuper corpora eorum: Viuam, inquit, & ego vnà vobiſcum beatiſſimi ſerui Dei, ne ab hoc veſtro certamine inueniar aliena. Mox indicatum eſt Proconſuli, Dionyſiam, quæ iuuenum libidini fuiſſet addicta, à quodam ſplendidiſſimo eſſe ſeruatam, ſeque iactâſſe ſuper corpora Andreæ & Pauli, vt cum illis lapidibus obruatur. Iuſſit igitur Proconſul eam gladio interfici. atque ita hi quatuor venerabiles Dei martyres, in vno agone decertantes, diabolum cum Proconſule vincere meruerunt: Petrus quidem diuerſis pœnis affectus, Andreas & Paulus lapidibus oppreſſi, Dionyſia gladio perempta. Acta ſunt hæc Idibus Maij, Decio Imperatore, Optimo Proconſule, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Andreæ & Pauli cædes

Dionyſia gladio percutitur.

MARTYRIVM S. DYMPNÆ, REGIS HYBERNIAE FILIAE, EX EIVSDEM SANCTISSIMAE VIRginis hiſtoria deſcriptum, quam edidit Petrus Canonicus S. Autberti Cameracenſis. Stylum nonnihil aliquot locis elimauit F. Laur. Surius.

POST reſurrectionis & aſſcenſionis Domini completa myſteria, ſicut antè prædixerat per prophetas, cùm in toto terrarum orbe per apoſtolos iam diffuſa proficeret religio Chriſtiana, fuit in Hybernia rex gentilis. Qui licèt, timore Dei contempto, ſuperſtitioſis ac vanis idolorum cultibus deſeruiret, tamen opum gloria & militiæ ſecularis vigore potenti cæteros antecellens, omnibus glorioſior apparebat. Erat autem ei vxor ex illuſtri orta progenie, quam rex ipſe vehementi diligebat affectu: quippe quæ pro humanæ carnis forma tanta eſſet pulchritudine, vt faciei & corporis elegantia mentes alliceret ipſam aſſpectantium. Hi verò filiam genuerant, decoris venuſtate matri valdè conſimilem, meritis & nomine Dympnam, vt ipſo vocabuli præſagio poſtmodùm Deo digna fore indicaretur. Quæ in domo patris nobiliter educata, cùm annos pueritiæ tranſegiſſet, chorearum aſſultus & ioculatorias cantilenas, & quæ illa ætas expetit, & poſcit celſitudo regalis, mente deſpiciens, occultè baptiſmum ſuſcepit, & ſe corde & corpore Chriſto deuouit perpetuò ſeruituram. Intereà matre eius regina defuncta, cùm rex ea cauſa ſuperuacuis doloribus laboraret, tandem conſilio ſibi aſſiſtentium per ſingulas regni ſui prouincias, & eidem propinquas nationes legatos miſit, qui virginem adoleſcentulam, genere ſpectabilem, & decore iam defunctæ ſimilem, tanto regi matrimonio coniungendam inquirerent, & ei cum honore adducerent. Milites ergo moribus & eloquentia præſtantiſſimi iter arripiunt, patrias peragrantes & vrbes, contemplantur nobilium facies puellarum. Cumque diù morando regiones plurimas circumîſſent, & quod optabant, minimè reperiſſent, rediêrunt ad regem: Et ingreſſi palatium, ſalutato eo, ſic fari cœperunt: O rex excellentiſſime, quod tua iuſſit maieſtas, longiùs profecti reperire nequiuimus. Sed, ſi placet, ecce filiam tuam Dympnam decoram valdè, & adeò matri ſuæ conſimilem,

15. Maij. quo die tranſlata eſt, & eius feſtum celebratur. Cap. 1.

S. Dympna clàm ſe curat baptizari.

Nefarium aulicorum conſilium.

milem,vt in eius imagine propemodùm reuixiſſe iam mortua videatur,iube tibi feliciter matrimonio copulari. Quid plura? Deteſtabile hoc verbum vix finierãt, cùm mox diabolus,qui ſanctam virginem ad idololatriam reducere volebat,regem amore inceſto & impudicitiæ facibus inflammauit.

Cap. 2. Eius pater vult eam habere coniugem.

Itaque cœpit rex molliter blandiendo puellæ votum ſuum detegere, & omnem mundi gloriam promittere,ſi eius matrimonio conſentiret. Audiens autem hoc virgo Chriſti,reſpondit illud ſe nunquàm facturam. Non eſt enim, inquit,neque iuſtitiæ, neque legibus conſentaneum,immò abominabile prorſus eſt, vt filia maculet torum patris.Cumque ille vehementiùs inſtaret precibus, & illa fortiùs negaret, tandem rex iratus dixit, eam vel ingratìs acquieſcere oportere. Tunc illa quaſi obtemperatura, quadraginta dierum petiuit ad cautelam inducias. Interim ornamenta & cætera,quæ ſpectabant ad cultum puellarem, ſibi dari depoſcit perinde acſi nitidiùs accurata, patri vellet gratioſior apparere. Rex hoc audiens,lætus efficitur,& omni ambitione iuſſit,quæ virgo poſtulauerat,procurari. Intereà virgo ſe Chriſto orationibus iugiter cõmendans,vt patris libidinem effugeret,patriam ſuam relinquere cogitabat. Erat tunc temporis in Hybernia eximiæ ſanctitatis & doctrinæ ſacerdos quidam, nomine Gerebernus,qui occultè in illa gentilitate, quos poterat,ad Dominum conuertebat, reginæque defunctæ, Chriſtum colentis in hac vita, genitricis ſanctæ Dympnæ,confeſſarius fuerat,ipſam quoque Dympnam pridem baptizauerat,&eam fidem catholicam ſacramque ſcripturam docuerat. Denique ab illo regina defuncta & Dympna eius filia ſacramentum Euchariſtiæ recipere conſueuerunt. Hunc accerſiens ſecretè beata virgo,quemadmodùm pater ſuus in horrendæ turpitudinis barathrum ipſam demergere conſtituiſſet,ei cum multis lachrymis explicauit. Tunc vir ſanctus conſuluit virgini, vt ad partes fugeret alienas, & pauper ſpiritu Chriſtum pauperem ſequeretur. Quid plura? Cùm horam fugæ opportunam nacta eſſet, virgo ſancta, adiunctis ſibi ſancto Gereberno & ioculatore patris ſui cum eius vxore,vt ſub ioculatorum ſpecie ſecretiùs proficiſci poſſent, propoſitum iter ingreſſa eſt: perueniensque ad portum, nauem conſcendit, & aurîs ac ventis proſperantibus ad quoddam caſtrum, quod Antuerpia dicitur, Cameracenſis diœceſis, applicuit: vbi aliquantulùm commorati, quærebant locum, vbi poſſent ſecretiùs Domino famulari. Nam ſtrepitus ſeculares ferre mens Chriſto deuota nequibat. Inde igitur abeuntes, per nemoroſa deuia ad pagum, cui nomen Ghele eſt antiquitùs impoſitum, peruenêre, atque illic locum vitæ ſolitariæ aptum inuenerunt.Porrò altera die pagum circumeuntes,vnicam repererunt eccleſiam, in honorem beati Martini pontificis dedicatam, in qua Dympnæ ſacrum corpus iam requieſcit. Et non longè ab ea eccleſia in loco,qui Zammale appellatur, conſtruendum ſibi habitaculum elegerunt,in quo per contemplationis dulcedinem Deo debitum redderent famulatum. Extirpatis igitur arboribus & ſpinis, domiciliũ ſibi congruum extruxerunt, in quo tribus menſibus commorantes, & ieiunijs & orationibus vacantes,vitam quodammodò angelicam ducebant. In prædicta autem eccleſia beati Martini,ſanctus ſacerdos Gerebernus Miſſas celebrabat.Excolebatur enim tunc temporis pagus de Ghele raro inhabitatore: quia erant in eo non niſi quindecim domus, eæque nemorum denſitate ferè per ſex milliaria circunſeptæ.

Gerebernus inſignis presbyter.

S Dympna fugit è patria.

Venit Antuerpiam.

Commoratur in pago Ghele.

Cap. 3.

Intereà rex pater virginis, qui filiæ nuptias cum gaudio expectabat, audiens fugam eius, turbatus eſt, & omnis aula cum illo: ſciſſiſque veſtibus,poſt gemitus & dolores diù repetitos, ambitione militum ſtipatus, filiam ſuam per ſeipſum requirere deliberauit. Itaque perquirens eam per ciuitates & montium ſolitudines, cùm non inueniſſet, mare adijt, & ad caſtrum,quod Antuerpiam nominant, peruenit cum ſuo multiplici comitatu. Egrediente autem illo de naui, fit concurſus populi, vt moris eſt, videre cupientis regem. Moram autem ibi faciens, legatos mittit per adiacentes prouincias, ſi fortè de filia ſua rumorem aliquem percipere poſſet. Proficiſcentibus igitur diuerſis per loca diuerſa, quidam illorum ad pagum rurenſem, cui Vueſterlo nomen eſt, peruenerunt: & cùm manè hoſpiti expenſas ſoluerent, ille nummos illorum inſpiciens,ait: Habeo nummos iſtis valdè conſimiles,quorum precium penitùs ignoro. Et requiſitus ab eis, à quo talem pecuniam recepiſſet, ipſe neſciens cur hoc peterent,reſpondit: Virgo alienigena,adſpectu & corpore pulcherrima, propè in deſerto habitans, quæ de Hybernia huc aduenit, venerandum ſacerdotem valdè ſenem, & ioculatorem cum eius vxore ſecum habens,pro emendis alimentis id genus nummos mihi ſemper mittit. Cumque illi ſe eò adduci curâſſent, ſanctam virginem protinus agno-

Pater eius eam perſequitur.

agnouerunt inter cęteros procùl ſtantem. Et Antuerpiam ſtatim regreſſi, viſa & audita regi cum gaudio retulerunt.

Tunc rex ſpiritu reuiuiſcens, iter cum ſuis arripuit ad locum, in quo virgo ſanctiſſima habitabat. Quam cùm reperiſſet, & comiter ſalutâſſet, cernens eius faciem nimis formoſam, libidinis igne accenſus, eam affari cœpit blandiſſimè, dicens: O vnica filia mea Dympna, amor meus, deſiderium meum & dulcedo: quæ te compulit neceſſitas, vt regali dignitate contempta, inter gentes extraneas habitares, & terram tuæ natiuitatis relinqueres, innatæque ab ipſa natura dilectionis oblita, patrem regem deſereres, iſtique ſeni ac decrepito ſacerdoti tanquam filia adhæreres, & ipſius in omnibus obtemperares mandatis? Cur regni Hyberniæ vnica hæres poſt patrem, aulam regiam ſpreuiſti? Noſtro igitur acquieſce conſilio, & nobiſcum ad Hyberniam reuertere: quoniam ſi paternis affectibus aſſenſum præbueris, diademate regali coronaberis, & ſuper omnes principes, matronas ac virgines regni mei principatum obtinebis. Inter deas quoq; tibi templū de marmoribus candidiſſimis ędificari præcipiam, & in eo ex auro & lapidibus precioſis effectam ſtatuam tibi collocari iubebo ab omnibus adorandam. Ad hæc cùm vellet virgo reſpondere, beatiſſimus Gerebernus reſponſionem eius anteuertens, regem dura ſeueritate redarguit, eum ſceleratiſſimū & abominabilem clamans, quippe qui propriam filiam fœdare vellet, quod etiam impuri ſcortatores ne cogitare quidem ſuſtinerēt. Monuit inſuper vir ſanctus virginem, ne vnquàm regi conſentiret, ne æterni regis, ſponſi ſui, cuius dulcedinem iam guſtâſſet, indignationem incurreret. Tum verò rex & omnes, qui cum eo erant, ſanctum Gerebernum morte dignum clamauerunt, tanquam fugæ virginis authorem, & illius euerſorem: amouentesque eum à virgine, omnes in eum irruerunt, manusque violentas ei attulerunt, & exagitatum iniurijs, peremerunt. Sic glorioſus martyr Domini ex tyranno triumphum referens, vitæ curſum capitis amputatione compleuit, & coronam martyrij à Domino accepit. Ita cultor Dei Gerebernus, forma iuſtitiæ, caſtitatis exemplū, inceſtas nuptias deteſtans, dum regem incredulum de inceſtu repræhendit: non odio, ſed amore, pro ſtudio caſtitatis regis iram & odium, & tandem mortem incurrit.

Cap. 4. — Inuentæ blanditur ſtimulante eū libidine — S. Gerebernus eū acerrimè repræhendit. — Sed mox interficitur ab impijs.

Tunc rex iterùm conuerſus ad virginem, roſeo decore nitentem, vt ſibi acquieſceret, acriùs inſtare cœpit, ſic dicens ad eam: O filia mea Dympna, cur pateris patrem tuum tantis angi doloribus? miſereri cur renuis, & illum ſpernis, quem allicit amor tuî? Tantummodo conſenti mihi, & quicquid petieris, dabo tibi: Inſuper & nomen tuum inter deas ſacratiſſimas per totius regni mei fines iubebo celebrari. Tunc virgo Deo deuotiſſima, quæ potius eligebat affligi pro Domino, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, patri cum indignatione reſpondit: Cur infelix tyranne promiſſis fallacibus à pudoris propoſito auertere me conaris? Putas miſer, quòd à ſtabilitate propoſiti reſiliam, corpusque meum polluendo, Chriſtum vnicum amatorem meum offendam? Tuas regales delicias tota mente contemno, & illas promiſſiones Domini mei Ieſu Chriſti, quæ cuncta ſuperant deſideria, iam totis viſceribus concupiſco. Pro dea haberi reſpuo, & honorem ſtatuæ vilipendo. Talem mihi deinceps noli fruſtrà adhibere ſermonem. Tunc rex animo ferus, libidini deditus, atque cultor idolorum præcipuus, quanto magis fidem Chriſti in ea feruere cognouit, tanto magis in eam totis viribus incurrit, dixitque ei: Vide malitioſa, ne decætero nos fatiges: ſtatim exple, quod opto, vel tui patris iram incurres, ſicut ille malignus doctor tuus Gerebernus: cui propterea caput amputatum eſt. Flori igitur parce iuuentutis tuæ, & mihi aſſenſum præbe: etiam dijs noſtris ſacrifica, aut certa ſis te morituram, tuæque mortis exemplo effecturam, ne regum filiæ paternis imperijs contradicere auſint. Tunc virgo Chriſto deuotiſſima reſpondit: Qua de cauſa, crudelis tyranne, occidiſti egregiū Domini ſacerdotē, nulli crimini affinē? Dei omnipotentis iudicium non euades. Deos deasq; tuas ego vt figmēta deteſtor, & Domino Ieſu Chriſto tota me deuotione cōmitto. Ille ſponſus meus, gloria mea, ſalus mea & deſideriū meū. Pœnas omnes, quas inferre potes, læta mente parata ſum pro Domino meo perpeti.

Cap. 5. — Rurſus pater blanditur filiæ. — S. Dympnæ egregia conſtantia.

Hæc audiens rex, quaſi demens effectus eſt, & nimio furore incenſus, ſuî fruſtrationem & deorum ſuorum iniurias vindicare volens, iuſſit eam celeriter decollari. Sed cum nullus eorum, qui erant in regis collegio, tam crudele præceptū exequi auderet, ne regis, poſteà fortaſſis dolituri, irā incurreret: ipſemet crudelis rex, antiquæ nobilitatis & regalis clementiæ oblitus, gladio, quo fuerat accinctus, ſacrum caput præclaræ virginis, diuinam implorantis miſericordiam, amputauit. Eam verò Dominus Ieſus Chri-

Cap. 6. — S. Dympna à ſuo parente iugulatur

Chriſtus ſponſus eius ſumma cum lætitia in cælis coronauit. Deinde rex impius, cum ſuo comitatu remeans ad propria, ſanctorum corpora volatilibus cæli & beſtijs terræ deuoranda reliquit. Cumque ea dies aliquot à feris & auibus intacta in nuda humo iacuiſſent, à quibuſdam iuxtà habitantibus, erga ſanctos martyres pia gerentibus viſcera, in ſpecu condita ſunt.

Cap.6. Poſt multa verò annorum curricula pro ſtupenda ſignorum exhibitione, quæ fiebant illic in morbidis & quibuſcunque languoribus occupatis, Clerus & populus congregati in loco ſepulturæ ſanctorum, eorum corpora quæſiêrunt. Res mira, & à nullo mortalium aliâs viſa vel audita. Cùm enim fodientes, terram eiecisſent, angelicis manibus præparatos niue candidiores ſarcophagos duos, è petra exciſos repererunt, cùm tamen non eſſent in regione illa tota, niſi petræ fuligine nigriores. Mirum in modum extractas ſine difficultate tumbas circunquaque accuratiùs contemplantes, nullum in eis vel iuncturæ vel fracturæ ſignum conſpiciunt, immò verò ſanas & integras comperiunt, ſanctorum corpora continentes. Tunc ea re valdè attoniti, conferebant inter ſe, quo pacto ſine vlla diſſipatione & lapidum læſione poni potuerint in eis reliquiæ precioſæ. At tandem angelorum opus id eſſe cognoſcentes, non hominum: per tumbas niue candidiores, ſanctorum caſtitatem ſignificari intelligunt. Ex eo tempore quiſquis illuc deuotus precator acceſſit, ſi quid mali patiebatur, protinùs ſanabatur.

Vide rem admiratione dignam.

Cap.8. Igitur cùm ad Xanthenſe oppidum, quod ad Rhenum ſitum eſt, fama virtutum & miraculorum huiuſmodi perueniſſet, eius incolæ quidam ad locum, vbi ſanctorum corpora aſſeruabantur, acceſſerunt: Factaque oratione, ſub peregrinationis prætextu ſitum loci ſagaciter explorantes, per aliquot dies coram ſanctis corporibus excubârunt, & illis, qui ſacras reliquias cuſtodiebant, aliorſum intentis, precioſa corpora cum tumbis lapideis imponentes quadrigæ, fugerunt. Quo comperto, incolæ de Ghele vehementer commoti, mox ad arma concurrunt, accenſiſque animis, à tergo viriliter inſequuntur. Sed vt ſonum immenſę multitudinis, qui fugerant, audiêrunt, exterriti martyrum geſtatores, rem videntes illis eſſe pro vita, duas illas tumbas, quas aſſumpſerant, de quadriga citiùs ſuſtulerunt, eaſque deponentes in terram, vnam ſolam redegerunt in fruſta, ſanam & integram relinquentes alteram, in qua erat corpus S. Dympnæ, & cum beato corpore Gereberni effugerunt. Cumq; ad Xanthenſe oppidũ propiùs acceſſiſſent, tam ex via quàm metu perſequentium delaſſati ſteterunt, & ciuibus proſperum aduentum ſuum per nuncium indicârunt. Qui confeſtim eis obuiàm exiêrunt, acceptiſque luminaribus cereorum, thuribulis ac cruce cum ingenti multitudine populi, corpus ſanctum, exultantes in Domino, cum hymnis & canticis ſpiritualibus ad eccleſiam deportauerunt, ibidemque honorificè collocantes, ad propria rediêrunt.

Xanthenſes auferunt ſacra corpora

Obſerua priſcam deuotionem.

Cap.9. Tunc ruricolæ Ghelenſes, qui inſecuti eos fuerant, accedentes ad locum, vbi iacebant reliquiæ precioſæ, fracta tumba B. Gereberni, S. Dympnæ tumbam lapideam abſque vllo læſionis ſigno repererunt. Quam cùm vellent ad propriam eccleſiam reportare, corpus ſtetit immobile quaſi lapis, nec vllo conamine potuit moueri, ac ſi fixum radicitùs teneretur in terra. Et cùm illi ignorarẽt, quid facto opùs eſſet, nocte quadam vox facta eſt ad quandam anum de pago illo, præcipiens, vt vitulum, quem habebat in ſtabulo, nouellum iungeret bigæ, & reduceret virginis corpus, quod multi, culpis eorum exigentibus, laborantes inuanùm, mouere non poterant. Cumque expergefacta eſſet mulier, & de his, quæ audierat, miraretur, manè facto ſurrexit, & vocato filio, viſionis ſeriẽ, quã in ſomnis didicerat, enarrauit, iubens ei, vt citiùs à Domino iuſſa compleret. Quod cùm puer audiſſet, matrem ſuam delirare credens, vt ſileret ea de re, illam deprecabatur, aſſerens, ſi hoc attentare velit, ipſos ambos in ridiculo fore apud omnes. Ei verò nolens obtemperare mater eius, ſtatim iuſſit vitulum nouellum, nondum cornua producentem, applicari. Sicque viam aggredientes, quæ ducebat ad locum, in quo Ghelenſes ad corpus afflicti adſtabant, peruenit. Sequebantur autem eam & magni & parui, delirare & deſipere eã exiſtimantes. Interim deridendo eã tacitè, rei exitum ſuſtinebãt. Quid plura? Perueniẽs tandem ad locũ, vbi tam ſuis, quàm equorũ viribus diffiſi, ſolã Dei clementiã inuocabant: ſalutatis illis, cum gaudio, quam in viſu noctis audierat, retulit iuſſionem, orans, vt bigæ ſuæ impoſitum venerabile corpus, debitæ venerationis ad locum celeriter reportarent. Ridebant nonnulli, atque eam deſpectui habentes, deſipere credebãt: ſed tandem victi precibus eius, ſine vllo grauamine corpus beatiſſimum ſuſtulerunt, & per vitulum, nulli aptum operi, cum magna leuitate

S. Dympna corpus loco moueri non poteſt.

Nota miraculum.

leuitate pondus ingens cum ſumma lætitia ad propriam eccleſiam reduxerunt. In qua per venerandæ virginis & martyris Dympnę merita quotidiè innumerabilia coruſcant miracula.

Poſteà verò nobiliores & ditiores incolæ Ghelenſes in vnum congregati, thecam ex auro & argento ac lapidibus precioſis conficiendam curârunt, in qua corpus venerabilis virginis reponeretur. Itaque epiſcopus Cameracenſis cum Clero & caterua populorum, & cum nobilibus perſonis vtriuſque ſexûs atque cum immenſo vulgi comitatu ſacrum corpus ſanctæ Dympnæ de tumba lapidea in thecam illam, ex auro & argento fabrefactam tranſtulit. Cùm autem aperiret tumbam epiſcopus, inuentus eſt in ea lapis ruber, iacens ſuper pectus venerandæ virginis, in quo ſcrip tum erat, Dympna: Per quem lapidem, ab Angelis Dei pectori ſanctiſſimæ virginis impoſitum, eius martyrium deſignatur. Prædicta autem corporis venerandæ virginis tranſlatio facta eſt decimaquinta die Maij, quo eius feſtum celebratur. Decollata verò fuit eiuſdem menſis die triceſimo. Et quoniam diuerſa conſcripta miracula, omni admiratione digna, quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus per hanc glorioſam virginem & martyrem ſponſamque ſuam dignatus eſt mundo oſtendere, longum eſſet enarrare, breuitatis cauſa omittuntur. Certè obſeſſi à dæmonibus, quotidiè per eam liberantur, cùm ad eius venerabile templum in Ghele afferuntur, vbi mortem perpeſſa eſt, & corpore requieſcit. Porrò ſuis deuotis cultoribus alia infinita impetrat beneficia apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſempiterna, Amen.

Cap. 10. Transfertur S. Dympnæ corpus in thecam magni precij. Multa eius miracula.

VITA SANCTI DOMNOLI EPISCOPI CENOMANENSIS, HADVINI PRAESVLIS IVSSV CONſcripta à quodam beatiſsimi Domnoli familiari amico. Stylum nonnihil emendauit F. Laurentius Surius, vbi viſum eſt expedire.

PROLOGVS.

SANCTAE & indiuidæ Trinitatis freti auxilio, omniumque ſanctorum precibus fulti, tum etiam pręcedentium patrum incitati ſtudijs, denique reuerendiſſimi præſulis noſtri Haduini hortatu confirmati, beatiſſimi patroni noſtri Domnoli, Cenomanicæ vrbis epiſcopi vitam illuſtrem, multorum vtilitati profuturam, ipſo nobis opitulante, ſcribendam ſuſcipimus. Non enim ſumus neſcij, veteribus id ſtudio fuiſſe, vt ſuæ ætatis egregios viros ſcriptorum ſuorum monimentis ad poſterorum notitiam tranſmitterent, eorum præclarè dicta & facta aut literis conſignarent, aut picturis exprimenda, aut æri inſculpenda, vel marmoris ſpectato opere repræſentanda curarent. Putabant enim ſe operæ precium facturos, ſi qua in ijs vel alijs vtilia, vel cognitione digna, vel ad imitationem præclara viderentur, ea ſua induſtria & labore poſteris innoteſcerent: vt ita neque ſuo ſeculo alieni à ſtudio religionis & pietatis, neque erga poſteritatem parùm officioſi cenſerentur. Quòd ſi verò hoc plerique ex illis non modò in ſanctos, ſed etiam in quoſdam alios ipſis charos homines declarârunt: quanto magis nos ſagaciter & accuratè ſanctorum res geſtas inueſtigare, atque ad aliorum quoque notitiam perferre debemus, vt eorum prouocati exemplis, doctrinaque informati, ad ea nos ſemper intendamus, quæ ſint grata & accepta Deo? Cauendum certè nobis eſt, ne militum Chriſti fortia facta & præclara trophæa, ea præſertim, quibus noſtra ætate inſignes & illuſtres fuêre, ſilentij carcere premamus: ſed potiùs quantùm ille dederit, qui eſt author omnis boni, qui ora mutorum aperit, & linguas infantium diſertas facit, quæ poſſint ſucceſſoribus noſtris eſſe vſui, ea vel mediocri ſtylo conſcribamus. Etſi autem nos eiuſmodi operi impares eſſe non ignoramus, quippe quibus eſt ingenij, eloquentiæ & eruditionis anguſta ſupellex: at tamen ſatius fore arbitrati ſumus vel exiliter dicere ea pauca, quæ nouimus, quàm cum ſeruo pigro & deſidioſo, pro retenta Domini pecunia, in damnationis diſcrimen adduci. Quæ igitur ab illis egregiè perpetrata ſunt, nos licèt indigni, ſaltem vtcunque commemoremus. Neque enim id facimus noſtra temeritate adducti, ſed, vt iam antè dictum eſt, voluntate & mandato venerandi pon-

Sanctorum hiſtoriæ ad poſteros tranſmittendæ. Sap. 10. Matth. 25.

di pontificis noſtri Haduini: qui nos beatiſſimi Domnoli Epiſcopi vitam iuſſit vel rudi exarare ſtylo. Cuius, tanquam vrbis noſtræ antiſtitis, iuſſioni libenter morem gerentes, eius fulti precibus, ad ſcribendum nos accingimus, ſuppliciter inuocantes beatiſſimi Domnoli habitatorem Spiritum ſanctum, vt qui illi gratiam largitus eſt miracula & admirandas patrandi virtutes, nobis copiam tribuat & facultatem eas enarrandi ad laudem & gloriam ſuam & fidelium ædificationem: vt facta eximij patroni noſtri, ſi tamen id fieri poteſt, dictis exæquemus, qui cum eo in hac vitæ mortalis peregrinatione plurimùm conuerſati ſumus: quanquàm ſanè tantæ eius virtutes ſunt, vt eum pro dignitate laudare humana fragilitas nequaquàm poſſit.

In vita S. Hilarionis.

Cùm ſit autem aliud, teſte Diuo Hieronymo, locis communibus laudare defunctum: aliud, defuncti proprias narrare virtutes: nos hoc opuſculum ad bonorum exemplum ab illo tempore auſpicabimur, quo nos glorioſo aduentu ſuo illuſtrare, nobiſcumque manere ex Dei prouidentia iuſſus eſt.

VITAE HISTORIA.

Maij 16. vt habent quædam Martyrologiæ: licèt obierit 1. Decembris.

ITAQVE beatiſſimus Domnolus, vrbi Cenomanicæ à Deo deſtinatus epiſcopus, virtutum omnium floribus redimitus, in alia regione ex generoſis parentibus, quod eius probi mores & nobilis conuerſatio teſtabantur, eſt procreatus. Vt enim ex radice fructus proficiſcitur, ita ex fructûs ſapore radicis natura intelligitur: & quemadmodùm fructus arboris, etiáſi procùl abſportetur, nõ tamen amittit ſuauitatem, quam ex radice accepit: ſic etiam hic ſacratiſſimus vir, vndecunque ſiue quibuſcunque ex partibus ad nos aduenerit, ſanctæ nobilitatis ſuæ dulcedinem nos celare non potuit. Etſi verò apud nos in Epiſcopum conſecratus non fuit, ad nos tamen in multorum ſalutem diuinitùs eſt tranſmiſſus. Nam ad imitationem Abrahæ patriarchæ, cui à Deo dictum eſt: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi: iam ordinatus alibi Epiſcopus, relicta patria & parentibus, cunctiſque rebus, quas poſſidere videbatur, Romam profectus eſt, limina beatiſſimorum Apoſtolorum orationis gratia viſitaturus. Vbi cùm animi ſui deuotioni feciſſet ſatis, poſt longa itineris emenſa ſpatia, Domino gubernante, ad Cenomanos appulit, quos propter obitum ſui pontificis magno offendit animi mœrore affectos. Iampridem enim beatus Innocens ad Dominum migrârat, & laboris ſui erat præmia conſecutus: in eius verò locum necdum alius ſubrogatus fuit. Cùm igitur hunc virum ſanctiſſimũ conſpexiſſent, eumque iam epiſcopum ordinatum didiciſſent, tam proceres & principes, quàm Clerus vniuerſus & populus non ſolùm vrbanus, ſed etiam ruricola, diuino id inſtinctu agente, vno ore eademque animi ſententia obnixè eum deprecabantur, vellet ipſos ipſorumque ciuitatem & patriam non inuitus gubernandam ſuſcipere. Quamuis autem ea in re valdè ſe difficilem præberet, ad extremum tamen aliud agere non potuit, quàm quod populus Deo inſpirante poſtulauit.

Gen. 12.

S. Dõnolus it Romam orationis cauſa.

Innocens Cenomanorum epiſcopus.

Cap. 2. S. Domnolus fit Cenomanorum antiſtes.

Suſcepit igitur, ſed ſanè inuitus & compulſus, epiſcopi miniſterium cum multa humilitate, Dominoque cooperante, toto vitæ ſuæ tempore, non parùm illis, quibus præerat, contulit. Denique qualem ſe quantumque illic præſtiterit, eius vitæ finis declarauit, in quo laus omnis tutò canitur. Erat verò hoc eius nobilitatis inſigne, quòd Chriſto die ac nocte alacri & iucundo animo gratam exhibebat ſeruitutem. Neque tamen vel à generis nobilitate, vel ab operum ſanctitate gloriolæ & laudis fumos captabat: ſed præclara de ſe præbens virtutum exempla, intra ſe ſuos theſauros depoſuit, & Dominum mundo corde complectens, pompam omnem mundi huius toto pectore contempſit. In conuerſatione erat humilitate conſpicuus, charitatis dulcedine feruens, caſtitatis ſplendore illuſtris, ieiuniorum pinguedini deditus. Diſciplinæ verò cæleſti adeò ſe totum addixit, vt pontificale miniſterium pro dignitate, & quidem piè & deuotè, ſit executus. Porrò autem ſocia charitate ac mutua beneuolentia coniunctus fuit Germano, ſanctiſſimo Pariſiorum antiſtiti: quem & creberrimè inuiſere conſueuit, & ab illo itidèm non rarò viſitatus eſt: cumque ſe inuicèm diuinis inflammarent adhortationibus, ſubiectis populis tam verbis, quàm exemplis haud vulgariter profuêre. Non enim immemores erant illius Dominicæ ſententiæ: Quòd ſi duo ex

Germanus Epiſcopus Pariſienſis magnus S. Domnoli amicus.

Matth. 18.

vobis

vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. itemque illius: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Ibidem.

Extruxit autem ſanctæ Eccleſiæ amator deuotiſſimus monaſterium quoddam in ſuburbio ciuitatis ſuæ, tum vt eius vrbis eſſet munimentum, tum vt poſſet Domino animas lucrifacere: idque in honorem ſanctorum martyrum Vincentij & Laurentij conſecrauit. Ipſi autem conſecrationi adeſſe voluit memoratum Germanum Epiſcopum, vt amborum ſolenni dedicatione ad maiorem populus deuotionem incitaretur. In eius verò conſecratione de rebus eccleſiæ ſuæ multa teſtamento ei legauit atque confirmauit, permittente & fauente Chilperico Francorum rege, eiuſque principibus, multis etiam id ei ſuggerentibus epiſcopis, inprimìs autem S. Germano, clero quoque populoque, vt id faceret, adhortante: quemadmodùm in eius actis annotatum eſt. Subſcripſit autem ſua manu & approbauit beatus Germanus, pluresque alij epiſcopi. Porrò in eadem eccleſia caput beati Vincentij martyris, & magnam craticulæ partem, in qua ſanctus Laurentius aſſatus eſt, honorificè repoſuit: monachos etiam ſub cura & moderatione Leuſi Abbatis, quem ipſe præfecit, ad regulæ præſcriptum illic degere, Dominoque ſeruire voluit. Tanto autem amore beatiſſimum Germanum epiſcopum complectebatur, vt in eaipſa ſanctorum Vincentij & Laurentij martyrum eccleſia, ſepulturæ locum ei præparârit: vbi tamen poſteà, ob certas quaſdam cauſas, non S. Germanus, ſed ipſemet dignè humatus eſt. Cap. 3. Conſtruit monaſteriũ.

Cùmque religionis monaſticæ propoſitum mirificè complecteretur, in ea cellula, in qua S. Iulianus, primus Cenomanorum epiſcopus corpore requieſcit, iuxta monaſterium Victurij, quod ſitum eſt ad flumen * Sartam, monaſticum inſtitutum, quod iampridem illic florere cœperat, mirificè augmentauit, adeò vt quinquaginta ferè monachos illic regulariter degere voluerit, eaque, quæ ad victum pertinent tam illorum, quàm peregrinorum & aduentantium, magnificè ſuppeditârit. Aliud quoque monaſteriolum & xenodochium vltra * Sartam flumen in honorem beatiſſimæ matris Dei & virginis Mariæ ſapienter ædificauit, atque ſuæ eccleſiæ rebus dotauit, accuratè conſtituens, vt illic pauperes & peregrini, egentesq; omnes, qui intra vrbem propter eius iugem cuſtodiam admitti non poſſent, reciperentur. Porrò monachos viginti quatuor illic ad regulæ monaſticæ præſcriptum viuere voluit, qui & perpetim ſeruirent Deo, & aduentantes pauperes recrearent, atque hoſpites comiter & congruenter acciperent. Ijs autem monachis quendam è ſuis probatiſſimæ vitæ virum, Paduinum nomine, eccleſiæ beatorum martyrum Vincentij & Laurentij per id tempus Præpoſitum, Abbatem pręfecit, locumque ipſum & ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſubditum eſſe debere decreuit, adhibita etiam adiuratione & deteſtatione, vt hoſpitale eius vrbis, perpetuis temporibus in Pontificum ditione eſſet. Cap. 4. Studiũ ſancti viri erga monaſticam religionem prouehendam.

Quanta autem apud nos degens vir ſanctus corpus ſuum abſtinentia affecerit, quàm ſe perpetuis confecerit vigilijs, quàm in præſtandis eleemoſynis liberalis & profuſus fuerit, ſolus ille ad plenum nouit, cui cognita ſunt omnia: nec puto quenquam mortalium facilè omnia explorare & indagare potuiſſe, quandoquidem eiuſmodi ille clàm potiùs, quàm palàm faciebat. Et vt paucis multa expediamus, qualis quantusque fuerit, quæ & quanta geſſerit, non poteſt mortalis lingua explicare, quòd ſupra hominem fuerit, quicquid ferè geſtum eſt ab eo. Macerabat ſe & vigilijs & continua inedia, adeò vt etiam fortiſſimi iuuenes eius parſimoniam ferre non poſſent. Ita corpus ſuum redigebat in ſpiritûs ſeruitutem, adeoque illud mortificabat, vt poſſet illud Apoſtolicum non immeritò illi accommodari: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Cùm equitaret in itinere, ſemper de Deo aut loquebatur, aut canebat. Curſum verò ſuum (ſic enim loquitur author) id eſt, penſum precum Canonicarum per horas legitimas perſoluens, reliquo diei tempore, quando opportunum videbatur, ſtudium pſallendi diuina eloquia, aut lectitandi, aut in preces incumbendi non omittebat. Ad menſam ipſo accedente, mox aderat lector, recitans diuina eloquia: vt inter epulas, quibus caro fouebatur, ſpiritalibus alimonijs potiùs conuiuæ explerentur. Nullum omninò ſibi tempus præterlabi ſinebat, quo non aut prodeſſet alijs, aut ad ſuos profectus aliquid adijceret. Quòd ſi quis eius facta curioſiùs inquiſierit, innumera magnarum virtutum miracula inueniet, è quibus nos vel pauca promemus. Cap. 5. Exercitia ſancti viri. Galat. 2.

Quodam die Dominico, cùm peracto officio ſolenni ad menſam pranſurus ex more ac- Cap. 6.

re accederet, allatamque aquam miniſter in eius manus infunderet, & lotis manibus malluuium abſportaret, cæcus quidam, Siagrius nomine, ei venit obuiàm, & aquam quæ de manibus pontificis defluxerat, ſibi dari petijt, ea ſuos oculos ablututus. Miniſter id paruipendens, dedit ei aquam, vt petierat. Ea cæcus ſuos perfudit oculos, & in Chriſti nomine, meritis S. Domnoli mox reſtituto viſu lætus abſceſſit. Quem quidem cæcum ſæpiùs ego vidi, multique è ſocijs noſtris: atque ab illo tum iſthuc, tum plura alia ſancti viri miracula didici. Perlata eſt autem huius rei fama ad multorum aures, & inuito pontifice longè lateque diffuſa. Erat enim ſanctiſſimus ille ſenex ſingulari præditus animi munditia & humilitate. Nec dubium, quin apud omnipotentis Dei ſingularem miſericordiam multum valeat humani cordis puritas & ſimplicitas, conuenienter illi ſententiæ Saluatoris: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

Cæcus ab aqua, qua manus abluit vir Dei, viſum recipit.

Matth. 5.

Cap. 7.

Vir quidam nobilis genere & opibus prædiues, regiusque conſiliarius, in villam eccleſiæ, cui vir Dei præerat, Tridentem vocabulo, ſitam in Condita Diablentica, obſtinatō animo inuaſit, eam ſibi vendicans. Crebrò autem illum admonuit vir ſanctus, vt à ſuis maleficijs reſipiſceret, & ad meliorem frugem ſe reciperet. Videns autem ſe nihil hac ratione proficere, ad precandum Dominum ſe contulit, vt res, pro expiandis peccatis olim à fidelibus eccleſiæ donatas, ipſi reſtitueret. Interim ſacrilegus rerum Deo dicatarum occupator, diuina vltione in eum animaduertente, febre corripitur, eaque continenter laborat. Sed neque ſic tamen res malè vſurpatas reddere voluit, vt eius pœna fieret cumulatior. Cùm autem ea febre dirè affligeretur, lecto decumbens, viſus eſt ſibi quadam nocte videre matrem Domini (cui res ab ipſo vſurpatæ, vnaque beatis martyribus Geruaſio & Protaſio dicatæ erant) ferreo malleo ipſum in fronte percutientem. Mox igitur multo terrore correptus, ad S. Domnolum miſit, qui eum rogarent, vt res ipſi ablatas cum fœnore reciperet: nec tamen potuit ſanitati reſtitui, donec S. Domnolus ad eum veniret. Vbi autem ille aduenit, omnia in duplum reſtituit eccleſiæ miniſtris, & poſt dies paucos meritis & precibus beati viri ſalus ei reddita eſt, ſed vulneris, eius fronti malleo impreſſi, quoad vixit, veſtigia permanſère. Quod idcircò factum eſt, vt ille ſuo exemplo à ſimili facinore alios abſterreret. Quas autem res ille duplicatas tum ſancto viro reſtituit, eas eccleſia noſtra hactenùs poſſidet.

Punitur diuinitùs vendicans ſibi res eccleſiaſticas.

Cap. 8.

Quodam Quadrageſimæ tempore in cellam Aniſolæ monaſterij vir ſanctus ſeſe abdiderat, Domino in ſilentio & ſolitudine vacaturus. Ecce autem Francus quidam, nobilis genere, regi valdè familiaris, quandam eius eccleſiæ villam, Bonallam nomine, in Pago Stadinſe ſitā ad ſe rapuit. Vbi Paſchalis ſolennitas præterijt, eam iniquitatem vir Dei moleſtè ferens, dolenſque ſe viuente ſuam eccleſiam nudari facultatibus ſuis, duos diaconos miſit ad Francum illum ſacrilegum & mirè iam obſtinatum: ſed diaconi nullum ab eo, quale vellent, retulère reſponſum. Tum verò ſanctus vir, corde compunctus, animo intrepidus, eò ſe contulit, vt res ſuæ fidei creditas recuperaret, fretus auxilio præpotentis Dei. Cùm igitur die quodam Francus ille ſolennes celebraret epulas in villa per ſacrilegium ablata, haberetque apud ſe parentes & amicos, nunciatum eſt ei præ foribus adeſſe ſanctum epiſcopum, reſque ipſi à Domino commendatas repetere. Id vt audiuit ille, valdè animo commotus, iuſſit eum à tota villa prorſus excludi & eijci. At Epiſcopus non recalcitrans, quemadmodùm Apoſtolus monet, dedit locum iræ: ſed ita vltio diuina in ſacrilegum excitata eſt.

Rom. 12.

Cap. 9.

Cùm enim nocte illa iuxta morem ſanctus Epiſcopus in oratione perſiſteret, ſacrilegum virum inuaſit febris, quæ infelicem animam altero manè extorſit ab illo: ſicque miſerrimè excedens è vita, abſq; luctu & ſine precibus in biuio ſepultus eſt. Et quidem dignus erat tali morte, qui ſanctum virum auſus fuit contriſtare. & oblationes fidelium reſque Deo dicatas ſibi vendicare. Factum eſt hoc meritis beati antiſtitis, vt cæteri ab huiuſmodi maleficio abſterreantur, ne ſimilia ipſis accidant. Cùm ſic autem ille perijſſet, multis eccleſijs res ipſarum reſtitutæ ſunt, quas tyranni iampridem per temeritatem inuaſerant. Nam timore perculſi, non fuerunt auſi retinere illas: atque ita vnius horrenda damnatio multis profuit ad reſipiſcentiam, reddiditque pœnitentia emendatos. Sic nimirùm omnipotens Deus per fidelem ſeruum ſuum ſuas reſtaurauit eccleſias, multique ſerui Dei ingentes Domino laudes & grates egere, iucundis vocibus cantantes: Adiutor & protector factus eſt nobis Dominus in ſalutem.

Horrenda mors bona eccleſiaſtica vſurpantis.

Multis eccleſijs res ablatæ redduntur.

Cap. 10.

Puerulus quidam, Rainarius nomine, à parentibus oblatus eſt ſancto viro. Is puer & cæcus

& cæcus & ſurdus & mutus & claudus erat. Vnxit autem eum vir Dei oleo benedicto, & crucis ſigno eum communiuit, & totus reualuit. Clericus quidam Oximenſis, Eleutherius nomine, videns tot admiranda fieri à ſancto viro, obtulit ei filium ſuum, quem diuturna febris vehementer affligebat. Miſericordia motus vir Dei, aquam iuſſit adferri, allatam, cùm priùs Chriſti nomen inuocâſſet, & eam cruce conſignâſſet, puero bibendam obtulit. Bibit ille, & Chriſto propitio, meritis epiſcopi continuò ſanus effectus eſt. *Oleo benedicto & Crucis ſigno ſanat cæcum &c.*

Vir quidam Andegauenſis, Stritius nomine, in maxilla mirè cruciabatur ex puſtula magna. Occurrit ſancto epiſcopo, petijt tanto malo medicinam: ſaliua ſua puſtulam tetigit vir ſanctus, & homo curatus eſt. Quodam die in villa noſtræ eccleſiæ, quam Baladonem vocant, ſancto Epiſcopo pontificale exequenti miniſterium Magnarius quidam oblatus eſt, qui die Dominico intra ipſius villæ fines ab opere ſe non abſtinens, Deo vlciſcente, luminibus orbatus fuerat. Vir ſanctus ſacroſanctam inuocans Trinitatem, expreſſo ſigno Crucis, cęcitatem depulit, viſum reformauit, monuitq́; hominem, ne quicquam eiuſmodi deinceps admitteret. *Cap. 11.* *Nota vim ſaliuæ eius.*

Exijt quandoque vir beatus extra vrbem noſtram, audiuitque damnatorum voces è carcere. Miſit itaque miniſtrum ſuum ad cuſtodem carceris, qui ei diceret, vt vinctos illos abſolutos pateretur abire. Reſpondit cuſtos, non ſe id auſum eſſe, ne ipſe cogeretur in illorum locum ſuccedere. Tum vir Dei cum lachrymis rogauit Dominum pro illis: & ecce die tertio ſua ſponte pateſcit carcer, exeuntq́ue qui illic detinebantur, & ad noſtram eccleſiam ſeſe conferunt. Clericus quidã, Ragnoinus nomine, venit ad ſanctum pontificem, rogans vt ſacerdotio initiaretur. Percõtatus eſt autem ex illo vir ſanctus, num caſtè viueret, & à fœminis ſe ſeruaret incõtaminatum. Illo cõſtanter reſpondente, ſe hactenùs impolluto corpore Domino ſeruijſſe, vir beatus ei & locum & tempus & mulierem, libidinis eius ſociam, indicauit. Cernens clericus, ſe latere hominem Dei non poſſe, propria conuictus conſcientia, ad pedes eius procidit, & culpam ſuam confeſſus eſt. Id vbi ad aliorum notitiam peruenit, multi ſacris initiandi, ab eius ſe conſpectu ſubduxêre, maleq́ue ſibi conſcij, non fuêre auſi ſacros ordines ab illo petere, certò perſuaſum habentes, non eum latere etiam ſecreta cordium. *Cap. 12.* *Carcerem ſuis precibus aperit.* *Aliorum occulta peccata nouit.*

Eſt villa eccleſiæ noſtræ, quam Criſiacum vocant. In ea cùm eſſet vir Dei, adducti ſunt ad eum duo dęmoniaci, rogabantq́; eum parentes eorum, vt ſuis precibus illos ſanaret. Sciſcitabatur autem ex eis ſanctus antiſtes, cur id ipſis accidiſſet, & per eorũ ora reſpondebant immundi ſpiritus, ſe torqueri ab ipſo, nec poſſe coram eo celare præſtigias ſuas. Rogabant autem eum, vt ſi ipſos inde vellet eijcere, ſaltem ſineret migrare in porcos. Permiſit hoc vir ſanctus, & Crucis ſigno edito, profligauit illos, ita vt omnes adſtantes laudarent Dominum, mirabilem in ſanctis ſuis. Sunt verò etiam multi alij, à dæmonibus obſeſſi, ab eo liberati. Hac autem miraculorũ aſſiduitate fama eius vbique diuulgabatur, & iam quadam die reuertenti ab expeditis quibuſdam negocijs, quę ad populi, ipſius curæ commiſſi, vtilitatem pertinerent, multa plebs ei occurrit, adducens ægros & malè affectos, diuerſiſque languoribus laborantes, qui omnes ab eo incolumes receſſêre. Etſi autẽ celebre eſſet nomen eius & ſublimis gradus honoris, at tamen maior erat & inſignior virtus eius. Seruiebat ſine offenſione ei, qui propè eſt omnibus inuocantibus eum in veritate, & qui voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit. Poteram quidem plura eius commemorare miracula, ſed multa prætermiſi, ne lectori faſtidium parerem. Magna autem in eo virtus inerat & multa verborum vis ex eius ore promebatur, cùm populis verbum Domini annunciaret. Vix quiſquam tam ferreo viſebatur pectore, quem eius conciones ad lachrymas non mouerent. Mirabantur auditores ſpiritales ſermones eius, qui plerunque adeò humanum captum excedebant, vt ab angelo proferri viderentur. *Cap. 13.* *Crucis ſigno curat dæmoniacos.* *Pſal. 144.* *Efficacia concionum eius*

In epiſcopatûs functione ita ſe geſſit, vt celebres maiores ſuos ipſe celebriori viuendi ratione etiam illuſtrârit: nec tamen vel ex generis ſplendore, vel pontificia dignitate eius animum vlla inflauit elatio. Spiritu pauper priùs moribus egit põtificem, quàm ad pontificis gradum eſſet euectus. Collatus honor tantus eum meritis conſpicuum non fecit, ſed inuenit. Virtute inſtructus erat antè, quàm eſſet ſacerdos: cum ſacerdotio virtus pariter ſua accepit incrementa. Tota eius in pontificatu vita talis fuit, quæ pontificis officium & verbo & exemplo præſtaret: nec culpa vacare putauit, iudicioque diuino obnoxium ſe fore timuit, ſi qui ſibi vni anteà priuatus vixiſſet, iam epiſcopus non viueret vniuerſis. Inde adeò factum eſt, vt ipſe ſemper *Cap. 14.*

aliquid adijceret ad virtutes ſuas, & Dominus ad coronam. Cantans itaque Canticum graduum, in eam curam intentus fuit, ne ad illam ſupernam ciuitatem ſolus aſſcenderet, ſed ſocios eò ſecum permultos adduceret. Atque in hac via ſeruus Dei ſimpliciter prudens & ſeueriter lenis, doctrinam vita, mores comitate ac manſuetudine, zelum legis ſcientia commendauit. Vnde factum eſt, vt illum populi fauor & gratia principum, ſermones verò illius non mediocris conſecuta ſit authoritas. Inter hæc autem ille humilis & ſibi conſtans permanebat, aduerſus ea omnia peruigil & circunſpectus, quæ ſuffurari ſolent animi benè compoſiti puritatem. Eodem vultu & immoto pectore inter proſpera & aduerſa perdurabat. Cum Apoſtolo caſtigabat corpus ſuum, ieiunijs & multiuaria illud afflictione perſequens, vnde & confirmari ſpiritus aſſueſceret, & caro carnis obliuiſci. Addebat his etiam ſacras vigilias, quarum perpetui fuère comites & alti gemitus, & fœcundarum gratia lachrymarum. Atque id genus ſtudijs potiorem noctis partem attribuens, in ſpiritu humilitatis & animo contrito pinguiſſimum Deo cremabat holocauſtum. Si quid interdiù minùs feciſſet, quàm par eſſe putaret, idque negocijs ſecularibus impeditus, noctu ſupplebat. Nox ſecretis precibus & diuinæ contemplationi accõmodatior, ad litandas eiuſcemodi hoſtias viro Dei optatam adferebat opportunitatem & copiam: diem autem vel ſacra concio, vel publica ſibi vendicabat vtilitas, ita tamen, vt & noctes & dies in eius expenderet obſequijs, qui & noctes & dies condidit.

Animarum lucris ſtudet

1. Cor. 9.

Cap. 15. *Semper ſecum in mēſa pauperes habuit.*

Nihil in eius actionibus cernebatur, quod ad Deum non pertineret: nihil in ſermonibus eius ocioſum percipiebatur. Ad altare rarò ſine lachrymis, ad menſam nunquàm ſine lectore, nunquàm ſine conuiuis pauperibus acceſſit. Periculosè corpus paſci arbitrabatur, niſi pariter & Chriſtum in eius membris paſceret, & ipſe intus verbo Dei paſceretur. Qualis verò putandus eſt fuiſſe erga proximos, qui ſuarum iniuriarum immemor, etiam inimicorum iniurijs dolebat? Quem ille vnquàm aut facto aut verbo læderet, qui etiam læſus vltrò ignouit, nec iratus ſolem vidit occumbentem? Quid illa anima manſuetius, quæ nulli obeſſe, omnibus prodeſſe cupiens, charitatis & pacis erat domicilium? Multa animi deuotione opera benignitatis & miſericordiæ proſequebatur, ſtudebatque adeſſe deſolatis, egentes alere, veſtire nudos, & ſi re ipſa non poſſet, prompta animi beneuolentia omnibus ferre opem. Conuerſans nonnunquàm cum ijs, qui gloriantur in malitia, & ſermones Domini proijciunt retrorſum, Chriſti bonus odor permanſit, vnus idemque perſeuerans ſiue cùm eis, vt ad meliorem ſe frugem reciperent, blandiretur: ſiue cùm obſtinatos ſeueriùs obiurgaret. Omnia ex charitate faciebat diſcipulus charitatis. Nihil illi cum peruerſorum vitijs rei erat, præter odium & caſtigationem vitiorum: quæ & animo inſectatus eſt, & pontificali authoritate correxit. Bonos & obſeruatores mandatorum Dei, ſancto & ſyncero complectebatur affectu, mutuiſque exhortationibus & profuit, & profecit.

Cap. 16.

Germano Pariſienſi ſanctiſſimo epiſcopo, vt iam antè dictum eſt, valdè familiaris fuit, crebroque & inuiſebatur ab illo, & ipſe illum viſitabat. In eorum colloquijs & actionibus nihil verſabatur, niſi quod ad animarum ipſis commiſſarum ſalutem pertineret. Inuicèm ſe Chriſti milites armabant, non ignorantes aduerſarium noſtrum diabolum circuire & quærere quem deuoret: cui reſiſtebant fortes in fide, veriti non ſe habituros pontificum merita, ſi de principe tenebrarum, de quo iam ipſi triumphârant, etiam alij per ipſos non triũpharent. Itaque viri illi miſericordiæ ſolicitè eò connitebantur, vt quotidianas infeſtationes & inſidias maligni hoſtis eliderent. Atque in hoc vterque totus erat, vt ſiue cum Martha ſedulò miniſtrarent, ſiue cum Maria ſederent ad pedes Ieſu, regnum diaboli imminuerent, & Dei ciuitatem augerent. Quam etiam ob cauſam B. Domnolus ex eiuſdem S. Germani conſilio, in ciuitatis ſuæ ſuburbio monaſterium conſtruxit, in quo & illi, quos tempeſtas huius maris magni & ſpatioſi iactauerat, monaſticæ tranquillitatis portum adepti, reſpirarent, & ipſe certis temporibus ſolicitudinis, quæ ex miniſterio ſuſcepto incumbebat, laborem, ſanctæ contemplationis ocio & refrigerio releuaret. Et, vt ſuprà quoque diximus, ei monaſterio de eccleſiæ ſuæ poſſeſſionibus quaſdam donauit, nihil ſe feciſſe exiſtimans, niſi illis, quibus domum orationis conſtruxerat, etiam vitæ degendæ res neceſſarias aſſignaret.

1. Pet. 5.

Monaſterium in ſuburbio cur extruxerit.

Cap. 17. *Obdormit in Domino*

Porrò autem militiæ certamine iam peracto, & impendente reſolutionis eius tempore, cœpit vir pius morbo laborare, nec tamen os eius morbi vis à laudando Deo potuit cohibere. Conuocans autem diſcipulos ſuos, diem & horam obitûs ſui illis prædixit im-

xit imminere, docuitq; eos, quemadmodùm antiqui hoſtis inſidias cauerent, & à malo
ſe abſtinẽtes, bonis operibus inhærerent. Deinde ipſis Calendis Decẽbris in ſenectute
bona vir beatiſſimus in pace quieuit, humatusque eſt à diſcipulis ſuis in eccleſia bea-
torum martyrum Vincentij & Laurentij, vbi longè antè ſepulcrum B. Germano ipſe
condiderat. Eo in loco meritis & precibus eius multi morbidi gratiam ſanitatis ob- Miracula
tinent. Nam tertio die tranſlationis eius, ad ſepulcrum eius energumenus quidam, ad ſepulcrũ
qui ſeipſum diſcerpebat, adductus eſt, & poſt triduum curatus, domum cum parenti- eius.
bus ſoſpes abſceſſit, multiſque annis nobiſcum ſanus permanens, Dei ſe deuotum ſtu-
duit exhibere cultorem. Deinde menſe Februario, die ſabbati cuiuſdam noſtræ eccle-
ſiæ famuli vxor, quartana febre diuexata, ad eius monumentum veniens, vt in ſomno
admonita erat, oranſque illic cum luminaribus & triduo excubans, meritis beati vi-
ri ſalutem impetrauit. Quarto etiam die cæci tres ad eius tumulum nobis adſpectan-
tibus venêre, atque inde luce redintegrata incolumes abiêre. Multos alios diuer-
ſis afflictos morbis ad eius ſepulcrum venire conſpeximus, eoſdemque beati viri me-
ritis ſanos inde recedere vidimus. Nimis autem prolixi erimus, ſi audita & viſa omnia
referre velimus. Poſſunt ea, quæ diximus, ad fidem faciendam fidelibus ſufficere: &
nunc obſecramus eundem beatiſſimum patronum noſtrum, ſanctum Domnolum, Author in-
vt pro ſuperioris vitæ peccatis noſtris Dei clementiam velit exorare, gratiamque no- uocat S.
bis ab illo impetrare, vt deinceps à malis nos abſtineamus: vt ſacroſanctæ Trinitati re- Domnolũ.
conciliati, etſi eius gloriæ participes eſſe non meremur, ſaltem peccatorum remiſſio-
nem adepti, ab impiorum conſortio ſeparemur: præſtante Domino noſtro Ieſu Chri-
ſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & glorificatur Deus per infinita ſecula ſeculo-
rum, Amen.

VITA S. VBALDI, EPISCOPI EVGVBINI ET CONFESSORIS, EX DVOBVS EXEMPLARIBVS MS. ALTERO *impreſſo, quòd in vtroque nonnulla deeſſent, quæ in altero habebantur, mutato ſtylo per F. Laur. Surium deſcripta. Videntur autem hæc deſumpta è Stephano Cremonenſi, qui huius ſancti viri vitam conſcripſit, quam necdum potuimus obtinere.*

BEATVS Vbaldus Eugubij natus, nobilis quidem fuit ge- Maij 16.
nere, ſed nobilior vitæ & morum integritate. Cùm etiam- Cap. 1.
num infantulus eſſet & in cunis vagiret, patre orbatus eſt:
ac deinde à patruo ſuo Vbaldo, cuius nomen acceperat, vi-
ro religioſo, diſciplina ordinis eccleſiaſtici imbuendus tra-
ditus eſt Priori eccleſiæ ſanctorum Mariani & Iacobi marty-
rum, quam alius maiorem vocat: vbi literarum ſtudijs ap- S. Vbaldus
plicatus, diuinas ſcripturas didicit. Accedente inde maiori puer diſcit
ætate & maturiori iudicio, vt vidit eius loci fratres parùm literas.
conuenienter viuere regulæ & inſtituto ſuo, ad eccleſiam S.
Secundi ſe contulit, atque illic aliquandiù honeſtiſſimè ver-
ſatus eſt. Videns autem beatæ memoriæ Ioannes * Grammaticus, Eugubinæ ciuitatis Videtur hic
* Epiſcopus adoleſcentis religioſam & benè moratam conuerſationem, ad ſuam ec- locus men-
cleſiam eum conatus eſt reuocare, paternaque beneuolentia eius vitæ grauitati con- doſus.
gratulans, crebrò illum apud ſe detinuit.

Porrò quidam ex cognatis adoleſcentis, carnali permotus affectu, aliquando ſe- Cap. 2.
cretò cum illo colloquens, cœpit eum ad contrahendum matrimonium inuita-
re, Proh dolor, inquiens, parentum tuorum facultates conſanguinei tui ſibi vſur-
pant, tu verò nihil inde capis emolumenti. Igitur animum adijcias ad ducendam
vxorem, quæ nobilitati tuæ impar non ſit, atque ita poteris recuperare hæredita-
tem tuam. At vir Dei Theobaldus huic conſultori reſpondit: Abſit, vt ego ſemel Non vult
Deo dicatæ virginitatis meæ iacturam faciam, & carnis integritatem atque mun- ducere vxo-
ditiam libidine victus proſtituam. Quòd verò ad bona hæreditaria attinet, portio rem poſt di-
mea Dominus eſt in terra viuentium, & pars hæreditatis meæ eſt Deus meus. catam Deo virginitatẽ.

Poſtquàm autem exceſſit adoleſcentiæ annos,& morum grauitas mirè eum omnibus commendauit in ea, quam diximus,eccleſia beatorum martyrum Mariani & Iacobi Prior creatus eſt,omnibus ſua vota in eum ſtudioſè conferentibus. Etſi autem ea functio per ſe honorifica ſatis & honorata eſſet, at tamen loci eius clerici moribus erant deprauatis. Nulla enim apud eos viſebatur ordinis & inſtituti Canonici obſeruantia,ſed religio omnis prorſus in obliuionem abijſſe cernebatur.

Cap.3. Diſſoluta vita quorundam è Clero.

Annua mercede conductus erat, qui horis diuino officio perſoluendo deputatis campanas pulſaret. Clerici verò in ſuis manebant ædibus proprijs, comeſſationibus & ſomno dediti, ita vt tota eccleſiaſtici cultûs obſeruantia in ſolo ferè campanarum ſtrepitu relicta videretur. In clauſtrum patebat aditus omnibus tum viris, tum fœminis, neque porta eius vnquàm claudebatur. Habebant ſinguli ſuas concubinas, & contempta ordinis eccleſiaſtici diſciplina, turpiſſimæ libidini vacabant. Quid hîc, quæſo, faceret vir pius? cuius ille vel conſilium vel auxilium imploraret? Videbat eccleſiæ ſuæ cymbam adeò diſſipatam & confractam, ſæuiſſimisque procellis miſerè quaſſatam vndique. Diſcruciabatur Deo deuotus animus, illis tempeſtatibus ſe videns implicatum, vt qui inter homines peruerſos degens, frater eſſet draconum, & ſocius ſtruthionum. Sed omnipotens Deus, qui euangelizantibus verbum ſuum dat virtutem multam,Vbaldo ſuo euidenter impertijt opem ſuam. Primò enim ex omnibus clericis illis, diuino fretus adiutorio, tres ſibi adiunxit, quos comiter & benignè adhortando eò perduxit,vt ad præſcriptionem Canonis cum ipſo viuerent,eique arctiùs adhærerent. Cum illis quoad potuit ita ſe geſſit,vt iubebat Regula,in clauſtro,in menſa,in dormitorio.

Pſal.67.

Cap.4. Viuit in monaſterio S. Mariæ S. Vbaldus.

Poſteà verò profectus eſt ad cœnobium beatæ Mariæ Portuenſe, vbi obſeruabatur honeſtè ſatis Apoſtolicæ inſtitutionis Canon vel Regula, & totius ſanctitatis ſplendor in omnibus refulgebat. Atque illic tribus menſibus verſatus eſt,fratrum illorum diſciplinæ ſe ſubijciens & accommodans, vt veritatis diſcipulus effectus, abſque errore poſteà doceret alios,quod ipſe priùs viſu & auditu didiciſſet. Inde autem diſcedens, canonici inſtituti Regulam ſecum attulit,eamq; fratribus omnibus proponens, Deo benè fauente id conſecutus eſt,vt cùm eam iuſſiſſet ab omnibus obſeruari, ab eo tempore cuncti ſic ſe gererent, vt illa mandabat, eique ſe religioſè conformarent. Accidit tum res luctuoſa ſanè,Eugubina ciuitate maxima ſuî parte conflagrante, & tremendo Dei iudicio, etiam ipſo beati viri cœnobio funditùs pereunte. Cuius rei dolore non mediocriter preſſus, ad Priorem eremi fontis auellanæ Petrum Ciriminenſem abijt, cuius tum mira vitæ ſanctitas & virtutum fama paſſim celebris habebatur. Indicauit autem ei,quòd & Prioratu ſe abdicare,& locum mutare conſtituiſſet. Sed ille blanditer eum obiurgans, & prudenter admodùm exhortans, docuit pios tanquam aurum in fornace probari tentationibus,nec coronatum iri,niſi qui legitimè certauerit,prorſusque graui culpa ipſum ſe obſtricturum, ſi curæ ſuæ commiſſos fratres illo tam triſti rerum ſtatu derelinqueret. Credidit ergo homo Dei Vbaldus tanti viri ſermonibus, ocyusque non ſine multa animi alacritate rediens, & combuſtam eccleſiam diuinitùs adiutus cœpit inſtaurare, & rerum amiſſarum damna vicinis incitantibus egregiè reparare: idque adeò,vt intra breue tempus illam eccleſiam non ſolùm reſtituerit, ſed etiam prædijs & poſſeſſionibus, cæterisque vitæ humanæ neceſſarijs rebus auxerit, vt incendium illud non aliquod attuliſſe detrimentum,ſed magnum potiùs emolumentum & religionis incrementum comparâſſe videretur.

Reformat ſui collegij fratres.

Sap.3. 2.Tim.2.

Cap.5.

Obſeruandum eſt autem,virum Dei cùm à cœnobio Portuenſi cum Regula, vt diximus,reuerteretur,in illo itinere licèt fatigatum nunquàm fregiſſe ieiunium. Contigit verò,vt tum in nemore quodam cum ſocio nonnihil ſomni captandi cauſa quieti ſe traderet,atque deinde expergefactus,rurſus itineri ſe daret,codice Regulæ illic obliuione derelicto.Erat tum pluuia vehemens,& valdè formidare cœpit, ne aut illa codicem corrumperet, aut aliquis viator eum aſportaret. Redijt verò ad locum, vbi codicem reliquerat,& eum licèt iuxta viam poſitum nec ablatum reperit,nec vllis pluuię aquis madefactum.Per id tempus exceſſit è vita beatæ memoriæ Peruſinus Epiſcopus, & in eius locum electus eſt Vbaldus. At ille fugam capeſſens, tantiſper in eremo delituit, donec alius ſubrogaretur. Fuit verò etiam alterius ciuitatis electus antiſtes, ſed Romam profectus pedes ad Honorium Pontificem, quatuor ſibi adiunctis Clericis, multa inſtantia & per ſe, & per quoſdam Cardinales amicos ſuos egit apud illum, vt ab eo munere abſolueretur. Annuit precibus eius ſanctæ memoriæ Pontifex, nolens

Nō ſine miraculo eius codex conſeruatur.

Recuſat duos Epiſcopatus.

nolens contriſtare habitantem in eo ſpiritum Dei.

Itaque diuina moderatione reſeruatus ciuibus ſuis, gaudens redijt Eugubium. Cap.6. Cuius vrbis Epiſcopus Stephanus pòſt deceſſit, & Eugubini Vbaldum voluêre habere ſucceſſorem. Sed cùm inter ſe non conuenirent eius loci clerici de præſule eligendo, Vbaldus Dei ſeruus cum quibuſdam abijt Romam, vt è Romana Eccleſia quempiam eligerent, quem Romanus Pontifex ipſis antiſtitem conſecraret. Ibi tum is, qui lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, fecit caput anguli: famulum Pſal.117. ſuum Vbaldum à ſuis quidem reiectum, à ſe verò, qui eius ſciret merita, electum, paſtorem conſtituit populi ſui. Cùm enim beatus Vbaldus & ſocij eius illos peterent à Pontifice, quos ille nulla ratione dare vellet, ipſe Pontifex diuinitùs inſtigatus Vbaldum eis nominauit Epiſcopum, iuſſitque vt illum ipſi quoque eligerent. Tam ergo ille honorificè electus, & honorificentiùs ab eodem Pontifice conſecratus, Eugubium redijt, & in Epiſcopi cathedra reſedit. Præficitur Eugubinis Epiſcopus.

Non mutauit autem in illo honor optimos ſuperioris vitæ mores, ſed cum augmento dignitatis creuit etiam virtus manſuetudinis & probitas omnis. Nam ſuprà quàm ferat humanæ vitæ conſuetudo, & mitis erat & humilis, tum quoque ſimplex, comis, humanus & affabilis. Porrò tanta ei inerat carnis mortificatio, tolerantia laboris, mundique contemptus, vt fidem excedere videatur. Summa eius erat patientia, & quæ hominum menſuram ſuperaret. Parcus erat ſermone, ſed isipſe ſale ſapientiæ ſemper conditus fuit. Victus modicus, & omnis inanis gloriæ expers. Cùm enim de omni genere ciborum quanuis parciſſimè ederet, vt cenodoxiam abſtinentibus inſidiantem euitaret, pane ſicco & arido magis vtebatur, vt & corpuſculum reficeret, & tamen eſcarum illecebris & delicijs non caperetur. Veſtitus ei erat tenuis & mediocris, & qui non tam arceret frigus quàm adduceret: eaque moderatione & mediocritate, vt nec magni eſſet precij, nec multa vilitate contemptus. Lectulum eius ornabat pauca palea, ſaccus paruus, & ſic ſatis vile & exiguum operimentum. Si frigoris aſperitate vrgeretur, caligas & femoralia ſibi imponebat. Tam illi erant preces aſſiduæ, vt omni tempore & quolibet loco ſibi oratorium conſtitueret. Vixit vſque ad Alexandri 4. tempora in Epiſcopatu, tanta vitæ ſanctitate & patientia præditus, vt etiam ab ipſis familiaribus ſuis ſibi irrogatas iniurias placidiſſimè toleraret. Excluſus aliquãdo fuit à ianitore ſuo, & etiam oſtio in fronte percuſſus, ſed eam iniuriam voluntaria obliuione contriuit, nihil de vindicta cogitans. Cap.7. Virtutes eius. Cibus. Veſtes. Lectus. Preces. Patientia inſignis.

Ciues quandoque inſtabant, vt quoſdam præter ius anathemate percuteret: cumque id ille facere nollet, clerici omnes vetiti ſunt ei inſeruire, adeò vt ad offerendum ſacrificium ne vnum quidem poſſet interdum miniſtrum obtinere: quod tamen tulit æquo animo. Reparabatur aliquando murus vrbis Eugubinæ iuxta vineam beati viri, ſed quippiam illic moliebantur cæmentarij, quod vineæ Epiſcopi detrimentoſum fore videbatur. Prohibuit igitur modeſtè, ne pergerent in illo iniurioſo opere exædificando. Ille autem, qui præerat ſtructuræ, prohibitionem eius paruipendens, & ſceleratè eum impellens, in calcem liquidam deiecit. Qua ille calce totus tinctus ſurrexit, humiliterque tacens, ſedatiſſimo animo domum reuerſus eſt, perinde ac ſi nihil perpeſſus eſſet. Eam iniuriam quidam eius affines & ciues vlciſci voluerunt, hominiſque illius ædes demoliri, bona eius omnia diripere, & illum extra vrbem procùl expellere: ſed vir ſanctus populum tumultuantem placidè compeſcuit, & tanquam acriùs ſe de viro illo vindicaturus, ſuo eum iudicio ſeruauit. Itaque adducitur coram epiſcopo, rogatur ab eo num velit iuſſis parere ſuis. Ille ſe facturum omnia pollicetur, etiamſi mortis ſententiam in ipſum Epiſcopus pronunciaturus ſit. Epiſcopus contrà aſſerit ſibi veriſimile non videri, pacatè illum excepturum ſententiam, quam ipſe præduram in eum laturus eſſet. Perſtat ille, & cum multa animi deuotione promittit ſe nihil eorum recuſaturum, quæ Epiſcopus in eum ſtatuere decreuiſſet. Admirantur omnes, ſuſpenſis animis expectant quid iacer antiſtes in eum promulgaturus ſit. Ecce autem alacer ille ſurgit è ſede ſua, propiusque ad hominem accedens, Præbe mihi, inquit, oſculum fili. Deus autem & hoc & cætera peccata tibi condonet. Cap.8. Non ſinit alios vlciſci iniuriã ipſi illatam. Raræ virtutis exemplũ

Orta eſt quandoque vehemens ſeditio in platea ciuitatis, & iam ad arma ventum fuit, ciuibusque inter ſe acriter confligentibus, non pauci hininde acceptis vulneribus extincti ſunt. Eius rei fama vbi ad beatum Vbaldum aduolauit, non mediocri ille Cap.9.

 dolore

dolore affectus, ad locum pugnæ anxius acceſſit: cumque nulla ratione commotos ciuium animos ſedare poſſet, in confertam dimicantium turbam curſu rapidiſſimo ſe intuſit, atque inter gladiorum ictus & lapidum imbres incedens, de induſtria humi ſe abiecit, tanquam qui lethalem accepiſſet plagam. Id cernens furibunda plebs, eum peremptum exiſtimauit. Itaque repentè proijciunt arma, vellunt pilos ſuos, & ad tanti patris, vt ipſi quidem putabant, funus non ſolùm viri ſed etiam fœminæ accurrunt: complent eiulatu aërem, & ſinguli eius cædem ſibi imputant, ſe parricidij reos clamant. Vt autem ſenſit vir Domini hac arte tumultum illum conſopitum, leniter ſeſe ſubrigens, nutu manûs ſignificauit nullum ſibi inflictum vulnus. Atque ita ſingulari Dei beneficio factum eſt, vt dum Epiſcopus ſe pro ſalute plebis in mortis præſens diſcrimen conijcit, & populus maneret incolumis, & epiſcopus non periret.

Suo periculo ſedat plebem tumultuantem.

Cap. 10. Solebat crebrò ad locum, qui Fontis Auellanæ dicitur, beatus antiſtes quietis cauſa ſecedere, & pro more quotidiè Miſſam celebrare. Eius loci æditúus vel cuſtos templi ad hanc rem diligentem ei operam nauabat, atque ea cauſa non mediocriter ab eo diligebatur. Accidit autem, vt aliquando eò veniente beato viro, cuſtos ille grauiſſimè decumberet, nec multùm ab ipſo mortis aditu abeſſet. Id audiens vir ſanctus, ad eum ſe contulit, eique priùs ſalutato dixit: Licèt, frater chariſſime, admodùm afflicta ſis valetudine, at tamen, niſi moleſtum eſt, iubeas nobis porrigi librum, veſtes & cætera Miſſæ celebrandæ neceſſaria. Ea poſtquàm accepit, ſub ipſa Miſſa rogauit Dominum pro monacho illo ægroto, isque adeò totus conualuit, vt priùs è lectulo ſurgeret, quàm Epiſcopus ad eum reuerteretur.

Sanat precibus hominē moribundū

Cap. 11. Equitante quādoque ſancto præſule cum ſocijs quibuſdam ad plebem ſancti Creſcentini, cæcus quidam ei venit obuiàm: qui vt ex præcedentium ſermone comperit virum Dei adeſſe, cum multa obteſtatione magnisque clamoribus rogauit eum, vt ſibi copiam faceret manûs ſuæ deoſculandæ. Eam ſimulatque cæcus oris oſculo attigit, lumen quo quadriennio caruerat, lætiſſimus recepit. Id ſentiens vir Dei, terribiliter ei interdixit, ne quoad ipſe ſuperuiueret, vlli mortalium id indicaret. Sed non potuit manere occultum, quod Deus ad ſerui ſui honorem voluit alijs innoteſcere. Fuerat is cæcus, aut certè alter quidam per viſum admonitus, vt pro recuperando lumine beatum Epiſcopum adiret. Alius cæcus venit quandoque ad eum, eius opem implorans: ſed vir ſanctus cognoſcens eius animæ ſaluti non expedire vt videat, optimis exhortationibus ad tantam patientiam illum adduxit, vt audiens pro luce corporea æternam ſibi in cælis promitti, nullo pacto viſum ſibi reſtitui voluerit. Alius quoque eodem affectus incommodo, cùm decem annis nihil vidiſſet, inuocato ſancti viri nomine, curatus eſt: remque totam illi exponens, audiuit ab eo, vt non ipſius meritis, ſed diuinæ bonitati id adſcriberet.

Cæcus lumē recipit.

Item alius.

Cap. 12. Cuiuſdam presbyteri digitus alterius manûs intumuerat, vnde tantus eum dolor & cruciatus inuaſit, vt quiete potiri non poſſet. Ei in viſione ſanctus præſul Vbaldus apparuit, ſignumque crucis exprimens ſuper digitum, eum ſanauit. Retulit is poſteà ad ſanctum Epiſcopum, quid ſibi contigiſſet, eique pro collato beneficio gratias egit. Ille verò acriter eum obiurgauit, & non ſine quadam commotione animi vetuit, ne talia poſthac dicere auſus eſſet.

Signo Crucis curat digitum presbyteri.

Cap. 13. Conſpirauerant inter ſe vndecim potentes ciuitates aduersùs Eugubinos, eorumque vrbem admotis caſtris obſidebant. Tantus autem exercitûs eorum fertur fuiſſe numerus, vt vix vnus ex Eugubinis poſſet illorum quadraginta opponi. Cernens id ſanctus Vbaldus, inſtituit proceſſiones, & triduo vrbem cum populo circumiuit, attentiſſimè Dominum pro grege ſuo deprecans. Vbi dies pugnæ aduenit, hortabatur populum vt benè ſperarent victoriam ipſis à cælo adfuturam. Eugubini antiſtitis ſui benedictione muniti, procedunt extra vrbem: Epiſcopus verò in murum vel locum editiorem aſcendit, & crucis ſignum contra hoſtes edidit. Itaque qui Moyſe orante Amelechitas aduersùs populum Iſraëliticum pugnantem proſtrauit & in fugam compulit, ille beato Vbaldo itidem deprecāte, Eugubinorum inimicos adeò perterruit, vt primo congreſſu mox omnes terga verterent, proiectisque armis aufugerent, & ne tum quidem formidare & tremere deſinerent, cùm ad ſuas eſſent reuerſi ædes, vbi intra cubicula ſeſe occultabant. Ex eorum ſpolijs Eugubini locupletati ſunt.

Exod. 17.

Item Crucis ſigno profligat hoſtes vrbem obſidentes.

Cap. 14. Fredericus Imperator è Germania cum exercitu Romam profecturus, Eugubium peruenit.

peruenit. Nitebantur autem Eugubinorum hoſtes eum concitare in illos: & ille quidem acceptis ab vrbe obſidibus, magnā pecuniæ ſummam exegit. At verò ſanctus Epiſcopus exijt ab vrbe, Fredericum pro ſuis deprecaturus, à quo ſanè, cùm eum intellexiſſet virum eſſe ſanctitate conſpicuum, honorificè & acceptus & habitus eſt, facileque quod voluit impetrauit. Obtulit etiam ei Imperator ſcutellam argenteam, atque ad eius genua ſe ſubmittens, illius precibus humiliter ſeſe commendauit, obſideſque liberos in oppidum remiſit. Fredericus Imper. eum honorificè excipit.

Multas vir ſanctiſſimus in hac vita afflictiones perpeſſus eſt & morbos graues. Bis crus fregit, & ſemel brachium. In eiuſmodi perpeſſionibus ille gloriabatur cum Apoſtolo, & tunc animo fortiorem ſe ſentiebat, cùm acrioribus corporis doloribus premeretur. Ex carne illius, præcipuè verò ex peſſimo lateris vlcere ſanies intolerabilis effluebat, nec tamen id impedimento ſibi eſſe voluit, quo minùs exerceret Epiſcopi munus. Ante obitum ſuum biennio ferè grauiſſimè laborauit aduerſa corporis valetudine, vt ſi quid fortaſſis terreni pulueris ei inhæreret, id clementiſſimi patris Dei caſtigatione aboleretur. Morte autem propiùs accedente, corpus planè viribus deſtituebatur: itaque factum eſt, vt decimo ante deceſſum ſuum die ab eccleſia S. Laurentij in ſuas ædes reportaretur. Sed iam antè die ſancto Paſchæ, duriſſima licèt preſſus ægritudine, ita vt vix è lecto ſubrigere ſe poſſet, orante populo precibus à Domino obtinuit, vt per ſeipſum nullius adiutus opera ſurgeret, Miſſam celebraret, & ad populum ſermonem haberet. Inde cùm eſſet eis benè precatus, ad lectulum redijt. Pridie Pentecoſtes ciues cum fœminis ad eum veniunt, cereos incendunt, eius exitum pijs animis præſtolantur. Toto illo ſabbato & ſequenti Dominico ſacræ Pentecoſtes die cumprimis reuerenter illum adire, colere, cuſtodire ſtuduerunt. Beatum ſe credidit, quiſquis eius vel manus vel pedes exoſculari potuit. Precibus eius omnes ſeſe commendârunt, & ſi quis meminiſſet ſe eum offendiſſe, obnixè rogabat errati veniam ſibi ab illo dari. Ingraueſcente interim morbo, vir ſanctus proxima inde nocte, eccleſiaſticis perceptis ſacramentis, orans & pſallens ſpiritum Domino reddidit 17. Calendas Iunij: apportatuſque in ædem beatorum martyrum Mariani & Iacobi, honorificè colitur & celebratur. Dilata autem eſt ſepultura eius vſque in feriam quintam Pentecoſtes, tum propter ægrorum, qui frequentes eò aduentabant, curationem, tum propter multorum deuotionem: nec tamen corpus eius vlla ex parte corruptum fuit, ſed ſuauiſſimo fragrans odore, ab aliquot Epiſcopis honorificè mandatum eſt ſepulturæ in canonica ſua iuxta muros ciuitatis, vbi vſque in præſens quieſcit prorſus incorruptum, & infinitis clarens miraculis. Cap. 15. 2. Cor. 12. Eccleſiaſticis munitus ſacramẽtis decedit è vita.

Miſerunt interim boni ciues Eugubini legatos ad eos, qui hoſtili in ipſos erant animo, orant ad tanti patris funus ſecuri accedant. Remittunt ſibi mutuas offenſiones. Quanta autem gloria in cælos admiſſa eſſet beati antiſtitis anima, per miracula, quæ ad exanime corpus fiebant, declaratum eſt. Cœpit enim diuinis coruſcare miraculis, qui pannis iacebat inuolutus. Mulier quædam, Maria nomine, diù contracta fuerat. Ea acceſſit ad locum, vbi eius corpus iacebat, petijtque ſibi exhiberi miſericordiam. Aberat tunc quippiam è veſtibus pontificalibus ad manum ſancti viri. Id vbi allatum fuit ab eius cubiculario, & manui appoſitum, infirmi curari, dæmones ex obſeſſis fugere cœperunt. Ea enim, quam diximus, fœmina poſtquàm ſancti corpus attigit, ſanata eſt, magna iam velocitate diſcurrens, cùm paulò antè vix teſtudineo potuerit gradu incedere. Qua cauſa laudatus eſt ab omnibus Deus, pulſatæ ſunt campanæ, beatus Vbaldus ſanctus prædicatus eſt, miraculis eius ſanctitatem declarantibus. Cap. 16. Miracula ad corpus eius.

Hoc quidem ab eius obitu primum fuit ſignum vel miraculum, quod multa alia ſunt conſecuta. Quatriduo enim illo, quo manſit inhumatus, cæcis viſum, auditū ſurdis, claudis ambulandi, mutis loquendi facultatē reſtituit, profligauit dæmones, multoſq; varijs affectos morbis curauit. Prædixerat ille adhuc viuus, quē eſſet habiturus ſucceſſorem. Eodem autē momento, quo fuit in monumento cōditus, in templum illo ingreſſus eſt, in eumque vota omnium ſic collata ſunt, vt nullus prorſus ab eius electione diſſentiret. Patuit inde non defuiſſe illi etiam prophetiæ ſpiritum. Inoleuit tum apud Eugubinos ciues conſuetudo, vt toto ferè anno cum candelis accēſis ad S. Vbaldum venirent tum viri, tum mulieres, idque cum proceſſione quadam. Si qui autem venire non poſſent, illi eò adducebantur. Perſonabant in vrbe cantantium voces, nox à lumi- Cap. 17. Prophetia eius. Magno ſtudio colitur ab Eugubinis.

à luminum ſplendore in diem verſa viſebatur, pulſis totius noctis tenebris. Quod d
Tob.13. Hieruſalem Tobias prædixit, per vicos eius cantatum iri Alleluia, id Eugubij iam im
pletum cernebatur, quando per omnes eius vicos & plateas laudes Domino prome
bantur. Deinceps verò omnium ore canitur Vbaldus, ſermone omnium Vbaldu
ſanctus prædicatur, nomen eius apud omnes celebratur. Eo defuncto, pacis abu
dantia & iuſtitia pauperibus exhibenda orta eſt, iuſtitia enim eius manet in ſeculu
ſeculi. Eodem enim anno inter Eugubinos & Comitatum pax reformata eſt, & di
Eugubinorũ inſignis liberalitas in pauperes. turnum bellum omninò conſopitum eſt. Tanta verò in pauperes benignitas & hu
manitas declarari cœpit, vt contra morem nō iam pauperes neceſſe haberent ſtipe
ab aliquo emendicare, ſed ipſi potiùs rogarentur, vti oblatam accipere ne recuſaren
Iucundum ſanè ſpectaculum erat, videre in eccleſia ducētos, trecentos, nonnunquà
quadringentos inopes alimenta accipere, & omnibus omnia, quibus egerent, affati
ſuppeditari. Afferebantur copioſè omnis generis eſcæ & reliqua tum ſanis tum ægr
neceſſaria ex pagis & caſtellis. Floruit ſanctus Vbaldus anno ſalutis milleſimo duce
teſimo decimo.

S. POTENTIANÆ VIRGINIS HISTORIOLA, EX MARTYROLOGIO, QVOD BEDAE *adſcribitur.*

19. Maij. ROMAE natale ſanctæ Pudentianæ vel Potentianæ virg
nis: quæ illuſtriſſimi generis, Pudentis, diſcipuli beati Pa
S. Potētianæ parētes. li Apoſtoli, filia erat. Cuius mater Sabinella, ſoror verò Pr
xedis, quas pater earum in omni religione Chriſti erudiu
virginesque Chriſto dereliquit: Quæ poſt obitum ſancti p
Sanctiſſima vita. tris in omni exercitatione pietatis ita excreuerunt, vt noc
dieque inceſſanter hymnis & orationibus cum familia
Domino inſeruirent, beato Pio Vrbis Epiſcopo cum eis
laudibus Dei participante. Remunerationem igitur p
pijſſimis laboribus ſuis percepturæ, poſt innumeros ag
nes, poſt multorum martyrum venerabiliter exhibitas
pulturas, poſt omnes facultates in viſceribus pauperum incluſas, Chriſtoque fidelit
commendatas, tandem de terris ad Chriſtum migrauerunt, Potentiana venerabi
Obitus. quartodecima Calendas Iunij, poſita in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria: Praxedis v
rò virgo æquè ſanctiſſima, duodecima Calendas Auguſti, & ipſa cum ſorore iuxta p
Ex Vſuardo trem ſanctum ſepulta. Eodē die beati Pudentis, patris ſupradictę virginis, qui ab Ap
ſtolis Chriſto inueſtitus baptiſmo, innocentem tunicam vſque ad coronam vitæ in
maculatè cuſtodiuit.

VITA S. DVNSTANI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, EDITA AB OSBERTO MOnacho Cantuarienſi. *Claruit is Osbertus Anno Chriſti* 1020.

PRAEFATIVNCVLA AVTHORIS.

Pſal.150. QVIA Deum in ſanctis ſuis mirabilem, prophetica voce laudare i
bemur, cum in his, quæ in B. Dunſtano, primæ metropolis Angl
rum pontifice, mirabiliter operari dignatus eſt, quorundam ſimp
cium in bono fratrum non deſpiciendæ voluntati obtemperante
vſitato more loquendi, ſtyli officio laudare decreuimus, ſcripti
quæ alio quodam elocutionis genere ipſa geſta commemorant, ſ
pientium virorum conſiderationi relictis.

VITA

VITAE HISTORIA.

Maij 19. Cap. 1.

BEATVS ergo Dunſtanus ex nobiliſſima gentis Anglorũ proſapia originem ducens, eo nobiliùs in huius mundi lucẽ prodijt, quo ſub materni ſinûs ipſo adhuc anguſtia clauſo, diuino miraculo deſignatũ eſt, pręclarum mundo per eum lumen oriturum. Cùm etenim mater eius eo grauida, ſpe prolis futuræ lætaretur, dies purificationis B. matris Dei feſtiuus illuxit. Multitudo ergo vtriuſque ſexûs hominũ, pro excellentia tantæ feſtiuitatis circunquaque coacta, fluxit ad eccleſiã, quæ antiquitùs Glaſconiæ de lignis miro opere ædificata, in honorem erat eiuſdẽ Dei genitricis conſecrata. In qua multitudine multos nobilitate dignitateq; præcellens pater ſancti Dunſtani, Herſtanus nomine, cum Chinedrita matre eius, ad Dei ſeruitium properabat, ambo cereos, quos pro ritu ipſius diei Deo offerrent, deferentes. Iam Miſſæ officium celebrari cœperat, & immenſus populus immenſa luminum claritate refulgens, in domo Dei laudibus diuinis intendebat. Tunc ſubitò in ſua ſerenitate cælo manente, admirantibus cunctis, cuncta ſimul luminaria extincta ſunt. Adſpiciunt igitur ſinguli ſuper ſe inuicèm, ac pro nouitate inſueti prodigij, metu nimio percelluntur. Verùm dum attoniti ſtarẽt, & quid certi de tali euentu ſentire deberẽt, ignorarent, erectis vultibus, intuentur flammã ignis cælitùs labi, & cereum, quem mater Dunſtani in manu tenebat, ex ea accendi. Qui ergo priùs de luminarium extinctione magnoperè fuerant admirati, nunc tam de cæleſtis flãmæ emiſſione, quàm & de cerei prægnantis mulieris accenſione, maiori ſunt admiratione perfuſi. Accedunt itaque ſinguli ad lumen cælo demiſſum, & inde recipiunt lumen amiſſum. Ex eo tempore cultus & reuerentia omnium circa Chinedritam ac virum eius magnificè aucta eſt. Nam ſicut eos nobilitate, diuitijs & gloria mundi inter homines eminere ſciebant, ita ſanctitate vitæ in conſpectu Dei ex ſigno, quod acciderat, enitere intelligebãt. De prole etiam, quę expectabatur, ſpe magni boni tenebantur, & Deum, vt in gaudium atque lætitiam parentibus ſuis & omnibus benè volentibus eam naſci, creſcere, dilatarique concederet, deprecabantur.

Feſtum Purificationis B. Mariæ.
S. Dunſtani parentes.
Ritus offerẽdi cereos.
Mira res.

Cap. 2.
Dunſtanus naſcitur.
Viſio parẽtum.

Dehinc inſtante partûs tempore, puer eleganti forma naſcitur, & poſt dies paucos ſacro fonte regeneratus, Dunſtanus, videlicet, montanus lapis, nuncupatus eſt. Is vbi teneros annos infantiæ exiuit, à parentibus ad præfatum ſacratiſſimæ virginis templum ducitur, ac pro vita eius atque prouectu Deo preces & munera offeruntur. Ob quæ deuotionis obſequia ipſis in loco pernoctantibus, apparuit vir quidam angelico ſpecioſus amictu, qui puerum coram eis per manum accipiens, & eum hincinde modeſto diſcurſu per atrium ducens, dixit illis: Sic ædificabitur locus iſte ad conuerſationem illorum, qui ſiue à pueritia in ſeruitio Dei nutriendi, ſiue à prauitate veteris vitæ in nouitatem gratiæ Chriſti per hunc puerum ſunt cõuertendi. Hæc illi videntes & audientes, valdè gauiſi ſunt, & miſericordi Deo vberes gratias ſuper admirabili gratia eius retulerunt. Deinde puero diligenti ſtudio in ipſa eccleſia ſub cura magiſtri commendato, tum vt literas diſceret, tum vt Dei ſeruitio ſedulus inhæreret, ipſi in ſua reuerſi ſunt. Dunſtanus igitur literis traditus, & eis vltrà, quàm ætas ſua ferre poterat, die ac nocte intentus, languore graui corripitur, & gemebunda in dies vexatione tortus, vſque ad exhalationem vltimi flatûs producitur. Sed cùm iam velut morti contiguus iaceret, & confluens cœtus vicinorum mortem potiùs, quàm vllum ſanitatis remedium expectaret: en circa mediæ noctis ſilentia per gratiam Dei viſitatur, & integræ ſanitati contra omnium opinionem donatur. Ilicò ſtupentibus cunctis lecto deſilit, domum exit, ad eccleſiam, pro reddita ſibi ſanitate Deo gratias acturus, impiger tendit. Cuius deuotioni diabolus inuidens, eumque à propoſito deflectere nitens, ſimulato teterrimorum canum globo, immani latratu ac terrifico impetu in eum ruit. At ille ſciens dæmonum eſſe figmenta, inuocato nomine Chriſti, ſigno ſe ſanctæ Crucis armauit, arreptamque virgulam, quæ fortè iacebat in via, contra illorũ malignorum incurſus vibrauit, & ſicut ventus fumum, ſic omnes à facie ſua fugauit. Poſt hæc ad eccleſiæ ianuas veniens, eam vndique obſeratam inuenit. Huc igitur illucque deambulans, & oratoriũ intrare deſiderans, ſcalam ad parietẽ templi erectam offendit, quę in ſuperiora tecti nitentibus aſſcẽdendi viam pręſtare ſolebat. Quã puer Domini neſcienter aſſcendẽs, atq; ad faſtigiũ eccleſiæ aſſcẽdendo pertingens, nullũ, quo

Adhibetur ſcholæ.
Diuinitùs ſanatur.
Profligat dæmones.

ingredi

ingredi poſſet, aditum reperit, indeque ſtatim ex altera tecti parte deſcendere cœpi-
Deus autem, qui delectabatur innocẽtia cordis eius, viam inter inuia ipſa diſponeba
greſſibus eius. Tunc repentè angelico miniſterio ſublatus, intra eccleſiã, omni ex pa
Vide mirã rem.
te clauſam, ipſo puero, quid circa ſe diuinitùs ageretur, ignorante, coram altari depo
ſitus eſt. Hi autem, qui priùs in domo ægrotanti deſeruiebant, ipſum egredientem ſ
cuti ſunt, contemplantesque rei euentum, fidele teſtimonium diuino miraculo pe
hibuerunt. Puer verò, cùm manè ante altare leui ſopore quieſcens inuentus, & qua
modo illuc veniſſet, qui ſerò morti proximus habebatur, interrogatus fuiſſet, hoc
neſcire pia ſimplicitate profeſſus eſt. Omnes ergo, qui tunc temporis rem audiẽr
mirati ſunt, & Deum, vt gratiam ſuam multiplicaret in puero, deuoto affectu depr
cati ſunt.

Cap. 3.

Iam adoleſcẽtiæ decus Dunſtanus induerat, & ipſe humilis atque ſubmiſſus omn
bus erat. Nam cùm illum omnes honorare, illi ſuum obſequium exhibere ſatagere
Humilitas egregij adoleſcentis.
& affabilitatem ſibi ab illo exhibitam magni æſtimarẽt, ille econtrà nihil in ſe dignu
honore, nihil alicuius dignum obſequio iudicabat: Immò quicquid affabilitatis
commodi quiuis exhibebat, gratiæ exhibentis, non ſuis meritis, aſſcribebat. Prompt
itaque erat ad miniſtrandum omnibus, & ipſe ad ſuſcipiendum aliorum miniſteriu
tardus. Inter hæc rogatur à ſuis, quatenùs in ſortem Domini tranſeat, & in quibus
uiat Chriſto, ſacros ordines ſuſcipiat. Annuit ipſe petentibus, atque vt liberiùs ora
rium frequentare, luminaria accendere, manibus ſacerdotum ac Leuitarum aqua
Minores ordines accipit.
fundere, vinum & aquã in Euchariſtiam corporis Chriſti ſubminiſtrare, legere atq
cantare in officio diei ac noctis poſſet, minores gradus ſuſcepit. Videres igitur illu
omnia mundi oblectamenta calcare, ludicra iuuenum fugere, maiorũ colloquijs
lectari, in fouendis pauperibus aſſiduum eſſe, & ad quæque pietatis opera ſolicitiùs
uigilare. Si autem aliquando, vt fit, à coætaneis ſuis ad mundi vanitates inuitabat
Declinat mundi vanitates.
obtendebat potiùs neceſſariò oportere ſe illis & illis eccleſiaſticis miniſterijs cur
adhibere, & ea, quæ in ſeruitio Dei legenda erant vel canenda, præuidere. Sic ſer
Dei ſe & à mundi contagijs purũ cuſtodiebat, & propoſita rationabili occaſione, n
Exercitia eius.
ſcandalum, nulli, in qua Deum quis offenderet, aliquã cauſam ſuggerebat. Summ
itaque ſtudium in oratione, in ſacra meditatione, in diuinorum librorum lectione
bebat: in ijs ſemper Deo adhærere, Deum in mente habere, quid voluntati Dei po
ſimùm placeret, ediſcere geſtiens. Vnde factum eſt, vt & quæ Dei ſunt inueſtigare
eius iugi conſideratione fretus, cuncta peccati inquinamenta deuitaret. Proximus
go ac familiaris Deo effectus, omnibus in ipſo piè viuentibus charus factus eſt &
ceptus.

Cap. 4.

Audita inter hæc fama venerabilis Athelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, fra
ſcilicet patris ſui, eum audire atque cum eo habitare diſpoſuit. Videns enim laſci
ſeculi, & iter adoleſcentis, viam vitæ retinere volentis, valdè lubricum, & laqueis v
1. Cor. 10.
que plenum, illudque Apoſtoli meditãs: Qui ſtat, videat ne cadat: timebat, ne ſi lo
quem laſciuijs & voluptuoſis delicijs affluere in circuitu ſuo, & hoc inter notos
videbat, non cederet, à ſtatu rectitudinis, aliquo euentu deceptus, miſerando caſu
Cõfert ſe ad Archiepiſcopũ Cantuarienſem.
cideret. Hac ergo intentione ductus, accepta à parentibus ſuis licentia, præfatum
tiſtitem adijt, & quô vitæ ſuæ qualitas ad modum cõuerſationis eius iugiter infor
retur, ſedulus ei adhæſit. Verùm cùm elapſo aliquanto tempore pontifex in mor
adoleſcentis omnia, quæ verę religioni cõgruerent, perciperet, & ex dono gratię
qua fuerat adſpiratus, Deũ multa ſuæ maieſtatis opera per eum in futuro facturũ
uideret, ipſum ad ſolatium regis Ethelſtani ſecum duxit, & ei magno affectu fouẽd
In aulã regis Angliæ adducitur, & illic religioſè verſatur.
necnon à cunctis aduerſis ſuo nutu protegendum, pio ſtudio commendauit. Q
ipſe benigna mente ſuſcipiens, iuuenem dulciter amplexus eſt, & multo ſynceri
ctûs amore percoluit. Dunſtanus itaque licèt in palatio regis terreni conuerſare
ac pro ſua induſtria & ad omnes affabilitate charus haberetur, nunquàm tamen
gionem, quam à puero conceperat, quemlibet defectum in ſuis actibus pati ſine
ſed quo labiliùs inter vitiorum fomẽta gradiebatur, eo firmiùs, ne ab ipſis aliquo
do deijceretur, præcauebat. Sciens quoque ocioſitatem inimicam animæ eſſe,
iſtis, nunc illis operibus intendebat, & diuerſitate eorum, ſubrepens faſtidium ſibi
lebat. Peritia nanque ſcribendi, pingendi, quicquid vellet, in cera, ligno vel oſſe
pendi, & ex auro, argento, ferro vel ære fabricandi ita claruit, vt à multis quamm
mè admirationi haberetur. Super hæc inſtrumentis muſici generis, quorum ſcie

non mediocriter fultus erat, non tantùm ſe, ſed & multorũ animos à turbulentis mũdi negocijs ſæpè demulcere, & in meditationem cæleſtis harmoniæ, tam per ſuauitatem verborum, quæ modò materna, modò alia lingua muſicis modulis interſerebat, quàm & per concordem concentum, quem per eos exprimebat, concitare ſolebat. Propter hæc igitur à multis frequentabatur, & ab eo multa fieri petebantur. Ille autem, quoniam erat ad omnes charitate diffuſus, nulli negabat, quod vellet ab alio ſibi concedi. Vt ſit vſus muſicis instrumentis.

Hæc inter opera ſua rogatur à quadam matrona, religioſa quidem & ſtudium habente placendi Deo, domum ſuam venire, & orarium ſibi, quod ad ornatum & miniſterium Eccleſiæ inaurare volebat, artificioſa, quã in auri opere imitaretur, arte præpingere. Iam Dunſtanus in manibus opus habebat, & cithara eius, quã ad domum veniens, ſecũ fortè detulerat, parieti affixa, iuxtà pendebat. Cœpit ergo ipſa cithara nullius hominis attactu pulſata, per ſe antiphonam iſtã diſtinctis vocibus reſonare: Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideò cum Chriſto gaudebunt in ęternum. Ad hęc admiratio non parua compræhendit omnes, qui in domo conſiſtebant. Singuli ergo deflexis oculis ab opere iuuenis, quò priùs intenderant, vultus & aures ad citharam erigebãt: & alij quidem ſimplicem vocem chordarum aure captabant: Dunſtanus verò, quid ſonus depromeret, quid' ve moneret, ſolus intelligebat. Intelligebat enim, in eo, quod citharizabatur, quia ſi cum Chriſto vellet in æternum gaudere, non formidaret, ſi neceſſitas vrgeret, pro eo ſanguinem fundere: nec anima eius gaudium in cælis adipiſceretur, ſi Chriſti veſtigia non ſequeretur. Itaque citharœdum iſtum, verè angelico modulamine adminiſtratum, ita accepit, quaſi ex ſenſibili præſentia Dei doceretur, quid ſibi deinceps foret agendum. Cap. 5. Nota miri quiddam.

His ita ſe habentibus, ij qui primò virum valdè ſe diligere demonſtrabant, & ei quaſi fidelem ſocietatem in cunctis conſeruabant, nunc prouectibus eius inuidere, & eum ſiniſtris artibus vti, ac manſuetum ad omnes habitum eius, hypocriſi & quorunque ſimplicium deceptioni magis, quàm alicui religioni inſeruire, conuiciari cœperunt. Ad cuius calumniæ firmamentum id, quod in cithara factum fuit, velut quoddam argumentum inducunt: adſtruentes in huiuſmodi inſtrumento nil tam inſolitum fieri potuiſſe, niſi conſtaret aliquo diabolico carmine ilicò per eum, cuius erat, anteà tactũ fuiſſe. Quid plura? Creſcit iſte nequiſſimus rumor, & indiès fit ſeipſo deterior. Spargitur per aulicos, & perducitur vſque ad principis aures. Rex ergo & multi ex primorib. qui hominem paulò antè magni pendebant, vultus ſuos, vtpotè ab illo, qui iam ipſis deſpectui eſſet, auertebant. Quod Dunſtanus aduertens, & ne in peius proficerent, nõnihil metuens, malignorum hominum iracundiæ ceſſit, & ad cognatum ſuum Elphegum Vuentanum epiſcopum, cognomine Caluum, profecturus, curia regali deceſſit. Quod præfatæ malitiæ commentatores agnoſcentes, viam obſeruant, eumque cum ſocijs compræhendentes, equo deijciunt, iniurijs multis afficiunt, & acriter flagellatũ ac vinctum, in horrido cœno præcipitatum relinquunt. Ne autem penitùs ab eis perimeretur, per gratiam Dei, quæ illum ſuis in poſterum reſeruauit, quædam ingens moloſſorum multitudo obſtitit, quæ ex inſperato in eos horridis latratibus irruens, adoleſcentem defendit. Quod ille percipiens, prauorum hominum miſeratus errorem, canes eis factos humaniores gemens, erubuit. Veruntamen Deo ſuper ineffabili gratia ex intimo corde gratias agens, ſenſu ipſo percepit, in ſe cantum citharæ nonnihil ſibi ſignificâſſe. Intereà vicini, prædicto moloſſorum latratu audito, perterriti accurrerunt, quid acciderit diſcere geſtientes. Et agnoſcẽtes quod factum eſt, illos nequam homines, iam fuga dilapſos, deteſtati ſunt, & Dunſtanum de cœno educentes, fouendum ad ſua perducunt. Cap. 6. Patitur obtrectatores. Rex ſe ab eo auertit. Ab æmulis multa patitur. Canes eum tuentur.

Profectus dehinc, venit ad memoratũ epiſcopũ, & aliquãto tẽpore degit apud ipſũ. Erat autẽ epiſcopus idem magnæ in Chriſto religionis, & apud omnes id locorũ conuerſantis magni nominis. Egit igitur induſtria, qua vigebat, vt Dunſtanus monachus fieret. Propoſuit ei inter alia, monachi vitam, viam eſſe perfectionis, de qua Dominus illi, qui ſe omnia legis mandata dixit ſeruâſſe: Vnum, ait, tibi deeſt. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Et adiecit: Ita fili, ſi vis, vt ea, quæ in te iam magni boni ſpem præſtant, perfectionis culmen attingant, neceſſe habes omnia, quæ in ſeculo poſſides, relinquere, & Chriſti veſtigia nudus ſequi. Ad hæc ille quædam, quæ ſibi rationis videbantur, cùm obijceret, nec ſubito aſſenſu his, quæ dicebantur, animum ſubmittere vellet, tamen non parùm in ipſo verba Cap. 7. Monachi vita, via perfectionis. Matth. 19.

Pontificis operata ſunt. De nuptijs quippe, quas ſe facturũ certò ſibijpſi antè promiſerat, iam vtrùm eas faceret, an non, dubius fluctuabat. In qua dubietate conſtitutum nutu Dei, valida febris inuaſit, & in tantùm corpus eius attenuauit, vt nihil minùs quàm de ducenda vxore cogitaret. Cùm iam aliquantùm ſopito languore, verba Pontificis, & duritiam ſui cordis, in ſe reuerſus, ad mentem reduceret, ſuſpirans grauiter erubuit, quòd potentior in eo fuit tertianæ febris igniculus ad extinguendam carnis ſuæ concupiſcentiam, quàm ille ignis, quem, vt in fidelium cordibus vehementer arde['] Lucæ 12. deret, Dominus venit mittere in terram. Verſa igitur vice, ardorem ignis diuini in ſe ſuccẽdens, carnalibus illecebris funditùs renunciauit, ſeq; perpetuò virginem perſeueraturum, diuinitatis confiſus auxilio, vouit. Mittens itaque, Epiſcopum fecit ad ſe venire, & apud eum pœnitentiam egit, quòd illi viam perfectionis ſuadenti, non ſtatim obtemperârit, quòd habitum religionis monaſticę ad verbum eius nõ ſuſceperit. Quibus antiſtes auditis, gaudio gauiſus eſt magno, & de conuerſione iuuenis immenſas grates perſoluit largitori omnis boni Deo. Dunſtanus ergo monachus ſine dilatione factus eſt, & deinde legitimo tempore per canonicas ſacrorum ordinum ſucceſſiones, etiam ad ſacerdotij gradum ab eodem Epiſcopo prouectus.

Lucæ 12.

Votum perpetuæ virginitatis Deo nuncupat.

Fit Monachus.

Cap. 8.

Poſt aliquantos nouæ conuerſionis ſuæ dies Glaſconiam Dunſtanus perrexit, & ibi iuxta Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, in qua lumen, vt ſuprà meminimus, cælitùs emicuit, ſibi domunculam adeò paruulam fecit, vt mirum habeãt, qui eam nouerunt, qualiter ibi viuus homo degere potuerit. Ipſemet enim eam menſus ſum, & nihil vltra quatuor pedes in longitudine, nec plus, quàm duos ac ſemis habet in latitudine. Altitudo autem ſtaturam hominis concipit. In medio oſtij, feneſtra eſt. illic ergo conuerſari, orare, pſallere, nonnulla, quæ loci anguſtia patiebatur, manibus operari, & vni Deo vt placeret per omnia & in omnibus, operam dare viſus eſt. Quibus eius exercitijs antiquus humani generis aduerſarius inuidẽs, ſicut eum à curia regis nuper expulit, ita qualiter à loco iſto expelleret, malignus ſolicitus fuit. Quadam igitur vice, cùm vir ipſe iam die aduesperaſcente fabrili intenderet operi, adſtitit feneſtræ ipſius dæmon vnus, humana effigie tectus, rogans ſibi neſcio quid operis ab homine fieri. At ille pietatis affectu ex more permotus, intermiſſis his, quæ faciebat, parabat ſe ad ſatisfaciendum poſtulanti. Interim is, qui venerat, formam ac verba mutare, vt nunc ſenis, nunc pueri, nunc laſciuæ puellę, æſtimares te vultus cum voce videre. Quod Dunſtanus audiens, protinùs quis eſſet cognouit: & ſedẽs, motus eius patienter ſe ferre ſimulauit. Sumptis intereà tenaculis, quibus calida ferra tenere ſolebat, fortiter ea igniuit, & candentia de fornace ſubitò proferens, monſtrum per naſum arripuit, & ſtrictiſſimè tenuit. Videres itaq; pulchrum certamen inter amicum Dei & inimicum. Ille ardorem ſentiens, ac detectis inſidijs, ſuperbiam ſuam deiectam non ferens, totis niſibus conabatur euadere: Iſte illum retinens, & intrò viriliter trahens, lætabatur quòd in nomine Chriſti poterat de inimico eius triumphare. Tandem cũ dedecore à viro abiectus, fugit, & per plateam currens, querula voce clamitabat, dicens: Væ, quid ille caluus fecit? Væ, quid ille caluus diabolus fecit? En me miſerum, miſericordiæ opus ab eo petentem, miſerè afflixit, & nil mali de eo merentem, ille malignitatis ſuæ longo cruciatu combuſſit. Has voces multi audientes, & eas manè viro referentes, ſciſcitati ſunt, quidnam hoc eſſe potuerit? Quibus ille: Dæmonum, ait, inſidiæ ſunt, qui ſuis fallacijs nos volunt inquietare, ſi poſſint. Sed ſi in ſeruitio Chriſti ſtabiles fuerimus, leuiter eos illius adiutorio deuincemus, & confuſi fugient à nobis. Hęc dixit, & ſecurus poſtmodùm in ſua domuncula habitauit. Nec enim in ipſo loco vnquã amplius eum inimicus aggredi auſus eſt, in quo talem belli apparatum in primo congreſſu ſortitus eſt. Ex eo igitur tempore, cum munditia cordis, tanta claruit in Dunſtano pudicitia corporis, vt omnes, qui vitam illius nouerunt, ſimilem angelo iudicarent. Vnde complures vtriuſq; ſexûs homines, tam diuites, quàm non omni ex parte locupletes, ad eum properare, eum de ſalute conſulere, ab eo de via vitæ feſtinabant informari. Ipſe autem ſingulis, prout quiſque opùs habebat, ſua verba diſpertiens, quenque ad voluntatem Dei inſtituebat.

In arctiſſima degit cellula.

Egregiè tractat dæmonem, ipſi illudere volentem.

Dæmones vt facilè vincantur.

Inſignis eius pudicitia.

Cap. 9.

Cùm hæc fiunt, venit ad eum mulier quædam Elſgina nomine, quæ ab ineunte ætate grata fuit & accepta regibus Angliæ, tum quia bonis moribus & caſtis actibus erat prædita, tum quia filios eorum educando & nutriendo, gnara fuit atque ſolicita. Hæc ergo, audito Dunſtano, habitationem ſibi prope oratorium ſanctæ Mariæ inſtituit, vbi ad eam Dunſtanus venire, eam de prouectu bonorum operum, de ſpe retributionis futuræ, de gaudio regni cæleſtis imbuere poſſet. Et factum eſt: quicquid ei

Dunſta-

Dunſtanus dixit, ita opere implere ſolicita fuit, ac ſi ab ore Dei corporeis auribus id accipere t. Quapropter diebus ac noctibus Eccleſiam frequentare, orationibus inſiſtere, egenis de facultatibus ſuis, quibus affluebat, largiter miniſtrare, & prorſus iis, quę Deo placere poſſe ſperabat, ſedula ſtudebat operam dare. Circa venerationem verò beatę Matris Dei, quàm deuota extiterit, ex eo aliquantùm aduerti poſſe putamus, quòd ipſa nonnullos clericos in templo eius fecit: quibus, vt die noctuq; ſeruitio ipſius liberè inuigilarent, omnia, † quorum opùs habebant, abundanter ſubminiſtrabat. Ipſa quoq; pia Domina pro fideli famula ſua multa faciebat, quando ab ea quippiam rationi conſentaneum poſtulabat. Verbi gratia: Rex Ethelſtanus cùm quadam vice Glaſconiam veniſſet, diuertit propter loci religionem ad præfatam ſanctæ Marię eccleſiam. Quod illa ſciens, rogat eum, quatenus dignetur in domum ſuam diuertere, & aliquantulùm quieti indulgere, ac modicum cibi potusque in vera charitate ſuſcipere. Concedit rex, licèt inuitus, nolens ſcilicet eam, quam & ſibi ex antiquo familiarem habebat, & nunc deuotam Deo nouerat, cõtradicendo in aliquo offendere. Lęta igitur non parùm effecta, ſe ad regium miniſterium totam impendit: & præuidens ea, quæ tali negocio conuenire ſciebat, nihil eorum, quæ volebat, minus eſſe aduertit, illo duntaxat potu excepto, qui medo vocatur, quo Angli quammaximè vti ſolebant. Verens ergò, ne huius inopia aliorum copiam obnubilaret, oratorium piæ Mariæ, ipſius ſuffragium de re poſtulatura, ingreditur. Et ſolo proſtrata, orat eam, quatenùs ſua prece à Deo obtineat, vt memorato liquori, vnde parum habebat, diuinæ ſuę benedictionis augmentum infundat. Mira res: Rex, magna ſuorum multitudine ſeptus, ad prandium ſedet, & prandentibus de pręfato potu copiosè hincinde defertur, ſemperq; vaſculum, vnde hauriebatur, ſolito plenum inuenitur. Factumq; eſt, vt rege à loco diſcedente, in vaſculo minimè appareret, quòd inde quicquam ſumptum fuiſſet. Hæc idcircò hic inſeruimus, vt quantum verba viri Dei conſiliaq; profecerint, huius exemplo intelligamus.

Elfgina religioſa fœmina optimè ab eo inſtituitur.

† quibus

Beatiſſima mater Dei auget potũ ad preces religioſæ matronæ.

Igitur cùm ipſius ſuæ famulæ merita Deus vellet æterna quiete remunerari, paterno eam verbere percuſſit, volens ſcilicet illam, hoc ordine ab omnis peccati macula caſtigatam, numero filiarum cæleſtis Hieruſalem celeriùs aggregare. Quam vbì Dunſtanus ægrotare cognouit, venit ad eam, ac de ſalute animæ eius, de gloria vitę æternæ, de pœnis gehennę & harum infinito fine ipſi locutus, illam ad ſectanda veſtigia Chriſti, nuncio remiſſo huic ſeculo & rebus ſeculi, exhortatus eſt. Ad quę illa: Cũcta, quæ mei iuris ſunt, Chriſto relinquo, atque vt ea diſtribuas, ſecundùm quod illi melius placere cognoueris, tibi impono. Nec enim in hac vita aliquẽ æquè charum habeo, nec alicui, ſicut tibi, per omnia credo. His ille auditis, omnia ferè, quæ in mobilibus ipſa habebat, pauperibus ſine mora diſtribuere cœpit, alijs interim ad eccleſiarum conſolationem pro temporum qualitate ſeruatis. Iam dies in veſperam declinabat, & Dunſtanus, ne à nocte extra cellulam depræhenderetur, illuc properabat. Ibatitaq; veſpertinum officium pſallens, & cùm ante fores eccleſiæ perueniret, nec eam intrare, quia clauſa erat, valeret, ſubſtitit, volens pro foribus perficere horam, quam inceperat. Tunc ſubitò ex dulcedine pſalmodiæ, vtì plerunque accidere ſolet, mente compunctus, oculos ad cælum ſubleuat, & conſpicit inde columbam miri cãdoris præpeti volatu deſcendere: quæ aëra ſcintillantis radij fulgore diuerberans, domum morientis matronę, ipſo conſiderante, ſubintrat. Ilicò reflexo greſſu, concitus redit, & ante cubiculi introitum ſtans, totum habitaculum incredibili videt [illegible]ctum nitore, eamq; interiùs audit cũm quodam de iucunditate patriæ cæleſtis ſermonem conferentem, & eidem innumeras gratias perſoluentem.

Cap. 10.

Cuius rei fine patienter expectato, tandem ingreditur, & præter eam neminem inueniens, quis fuerit? interrogat, cum quo loquebatur. Ille idem, ait, qui tibi ante fores eccleſiæ pſallenti, priuſquàm ad me venires, apparuit: ille, inquam, me viſitare dignatus eſt, & ſuæ mihi conſolationis gratiam prærogare. Quapropter dico tibi amicorum chariſſime, ne tu, vel aliorum quis de meo diſceſſu doleat: quia non pœna infernalis, ſed gloria me ſuſcipiet regni cæleſtis. Tantùm precor, vt cras manè ad me venias, & mihi cum ſacramento ſacræ inunctionis, viaticum Dominici corporis tradas. Annuit ille, & diluculo reuerſurus, triſtis ſimul & lætus in ſuam domunculam abijt. Humanitatis namque affectu contriſtabatur, quia tanto ſolatio deſtituebatur, ad præſens: ſed altera conſideratione magnam in corde lætitiam concipiebat, propterea quòd ipſam, cui æternam ſalutem vnicè concupiſcebat, eandem ſalutem apprehenſuram iam iamq; videbat. Manè igitur iuxta condictum reuerſus eſt, & ipſa ſacramẽ-

Cap. 11.

Pia matrona, certa de beatitudine, petit extremam vnctionem & Euchariſtiã

torum,quæ deſiderauerat,pro ritu Eccleſiæ compos effecta,beatum finem adepta eſt, & in ſæpè dicto oratorio decenter ſepulta. Poſt hæc Dunſtanus, non ſolùm de poſſeſſionibus,quas,vt diximus,ab ipſa matrona commendatas ſuſceperat, ſed & de illis, quas ſui parentes,de hac vita ad Chriſtum migrantes,ei,quem vnicum genuêre,dimiſerant,ſolicitus tractabat apud ſe,quemadmodùm Chriſti membra commodiùs poſſet ſuſtentare. Et his quidem,qui Deo ſub patrocinio beatæ Mariæ in eius Eccleſia ſeruiebant,vel ſeruituri erant,propinquiores terras perpetuo iure poſſidendas donauit: remotiores verò ad opus quinq; eccleſiarum,quas conſtruere diſpoſuerat, iuxta locorum poſitionem dandas reſeruauit.Quæ nimirùm Eccleſiæ poſtmodùm inſtitutæ, ac ſubſequenti tempore in tantùm ſunt mobilibus ac immobilibus rebus,illius inſtantia,auctæ,vt in ſingulis multiplex monachorum cœtus,ad nutum patris Dunſtani,ſub regularis vitæ cuſtodia militaret.

Quinq; monaſteria, Dunſtani opera, conſtructa & ditata.

Cap. 12.

Exinde vir Domini infatigabili deſiderio ad ſupernam patriam mentis obtutum dirigere,& ciuibus eius,quibus conuerſatione necdum poterat,iugi meditatione ſatagebat intereſſe.Vnde contigit,vt quadā die in contemplationis poſitus dulcedine, ſubitò raperetur ſuper ſe,& patris ac matris ſuæ animas inter choros angelorum conſpiceret in cælorum regno gaudere.De qua viſione valdè gauiſus,immenſas Deo omnipotenti gratias egit:& deindè,iuxta Apoſtolum,quæ retrò erant,obliuiſcēs in ea,quæ antè ſunt,quotidiè ſeſe extendit.Inde quoq; ſemper animo ſecum voluebat, ſe videlicet parentum ſuorum legitimum filium nullatenùs eſſe,ſi minùs illis voluntati Domini obſequendo,propter ſuam deſidiam perderet hęreditatem,quam eos viderat in terra viuentium acquiſiſſe.Hac meditatione quadam nocte illi vehementiſſimè occupato,apparuit iuuenis quidam vultu ſplendidus,amictu decorus, quem ipſe adoleſcens adoleſcētem olim nouerat,& ſancto ſancti amoris feruore multùm dilexerat. In quem oculos Dunſtanus defigēs,pauliſper expauit, ex antiqua ſcilicet notitia, quis eſſet,aduertens,ſed iamdudùm huic vitæ exemptum reminiſcens. Tunc ille hominē, ne timeret,hortatus,& ipſe ab eo de vita,in qua erat tunc,familiari alloquio rogatus, cœpit ei de gaudijs regni Dei multa diſſerere,ac demū ea,quæ illi erānt euentura,prædicere. Ait ergo,eum multas malignorum hominum aduerſitates & inſidias dæmonum plurimas perpeſſurum,ad ſummos Eccleſiæ gradus promouendum,multas populorum multitudines ſua prædicatione & exemplo Chriſto Domino acquiſiturum, cum quibus ſciret ſe poſt hanc vitam perennem gloriam adepturum.Quibus dictis,virum foras in atrium eccleſiæ ducit, eiq; locum quendam eatenùs incontaminatum oſtendens,dicit: Vt de his,quæ audiſti,omninò certus exiſtas,hoc in loco ante triduū presbyter vnus ſepelietur,qui nondum aliqua corporis infirmitate tenetur. Dixerat, & ab oculis eius euanuit. Manè facto,clericos ad locum Dunſtanus ducit, & eis quid de presbytero,inibi ſepeliendo audierit, edicit. Eadem die venit ad eoſdem clericos presbyter,qui dominæ,cuius actus paulò antè paucis tetigimus,in ſeruitio Dei aſſiduus eſſe ſolebat,conuentionem cum eis faciens,quatenùs eum in prædicto loco, cū defunctus eſſet,tumularent.Illis verò acquieſcentibus,ſanus & alacer domum reuerſus, ſtatim eſt infirmatus,ac ſequenti die defunctus,iuxta verbum ſerui Dei,in præſignato loco ſepultus eſt.Omnes ergo,qui rem geſtam audierunt,mirati ſunt,& opera Dei mira in Dunſtano prædicauerunt.

S.Dūſtanus videt in cælo parentes ſuos.

Philip.3.

Prædicuntur ei à quodam defuncto ipſi euētura.

Cap.13.

Sublato de hac vita rege Ethelſtano,ſucceſſit ei in regnum Edmundus frater eius. Hic poſt aliquot conſecrationis ſuæ dies,miſſis nuncijs, rogat Dunſtanum venire ad ſe.Sciens quippe,qua ratione,qua prudentia,qua omnis probi conſilij gratia præditus fuerit,magnoperè deſiderabat illum ſibi proximum eſſe,cuius induſtria fultus,tam ſe, quàm regnum ſibi commiſſum ſub ęquitatis virga faciliùs gubernaret.Dunſtanus itaque regi quaſi præcellenti,ſecundùm Apoſtoli præceptum,obediendum eſſe perpendens,regem adijt,& ſalua in omnibus reuerentia ordinis ſui, eius imperio ſe ſubiecit. Ipſe ſuo conſilio regni negocia diſponebat,ipſe lites & contentiones, ſi quando oriebantur,deſtruebat,ipſe pacem & concordiā inter omnes nutriebat. Nullus in qualibet cauſa vnquàm de iniuria ſibi illata conqueſtus eſt,niſi ad comprobandam iudicij ſententiam Dunſtanus mediator aut arbiter ſederet.Rex ipſe & Principes quiq; ita ei ſubmiſſi erant,vt cōtra id,quod ipſe iuberet, ordinaret, nemo quicquam faceret.Magnus itaq; habebatur à cunctis. Hæc omnium bonorū inuidus hoſtis attendēs, & quonam modo ea turbaret,ſua arte perquirens,inuenit quoſdam,quorum corda benè nouerat virum non ſyncerè diligere,ſed ei ſpecietenùs obſequij ſui amorem prętendere. Hos ad diſſipandum bona,quæ non amabat,ardenter contra virum inflammat,ac primò

1.Pet. 2.

S.Dunſtanus regi Edmūdo egregium ſe exhibet adiutorem.

mò clàm, poſteà palàm in detractionem eius illorum ora relaxat. Quid dicam? In tantam diſcordiam profecerunt verba malignantium, vt ſubuerſa omni pace, Dunſtanus non ſolùm priſtino honore priuaretur, ſed & curia depelleretur. Opera obtrectatorũ à regis aula pellitur.

Quo facto, die tertia rex in ſyluam venatum iuit. Sylua autem ipſa montẽ magnæ altitudinis occupat: Qui mons in ſummitate ſuî interruptus, ingens præcipitiũ & horridam abyſſum ſpectantibus offert. Cùm ergo fugitantem ceruum hac illacq; rex inſequeretur, ceruus ad præruptum montis hiatum perueniens, introrſum ruit, ac in partes diſciſſus interit. Inſectantes canes par ruina inuoluit. Equus, quem rex ſedebat, ruptis habenis effrenis effectus, obſtinato curſu regem poſt beſtiam portans, ad vltimam ſortem regi præceps patens barathrum intentat. Ille trepidat & anguſtiatur. Occurrit interim animo eius iniuria Dunſtano illata. Ingemit, & ſe quamcitiſſimè illam multiplici emendatione correcturum (ſolummodò imminentẽ ſibi mortem, eius meritis, ad horã Deus auertat) Deo celeri mentis ſponſione promittit. Cuius cordis præparationem auris Dei eueſtigiò audiens, illius miſertus eſt. Equus nanq; ilicò ſubſtitit, & regem à periculo mortis liberatum, valdè gratioſum Deo reddit. Inde ad hoſpitiũ Rex reuerſus, adunatis Principibus ſuis rei, quæ acciderat, ordinem pandit, & Dunſtanum cum honore & reuerentia adduci præcepit: actaq; coram eo pœnitentia pro iniurijs, quas ei intulerat, veniam ab eo cum humilitate poſtulat. Qua potitus, fidũ ſe amicum viro deinceps omni tempore futurum, nec vlteriùs cuiuſquã maledicis verbis de eo crediturum pollicitus eſt. At vt maledicorum ora inter eos perpetim obſtruerentur, ſcirentque omnes, quo vinculo, qua ſtabilitate amicitia eorũ copularetur, ei locũ, in quo natus fuerat atque nutritus, perpetuo iure poſſidendũ, dedit eo pacto, vt quod arbitrij eius tenor magis eligeret, inde potiſſimũ ordinaret. Et ſi (inquit) tibi placuerit illic tuæ profeſſionis viros multiplicare, tanta eis regia liberalitate per miſericordiã domini tribuam, vt multitudini eorũ ſemper ſuperabundet multitudo meorum donorum. Pro quibus Deo & regi Dunſtanus gratias agens, & Glaſconiam in dominium ſuum accipiens, ſecundùm exemplar parentibus ſuis ſibiq; oſtenſum, vt prædiximus, in augmentum maioris Eccleſiæ fundamenta iacere, clauſtra & officinas conſtruere, & quæq; poterant eſſe monachis, domino Chriſto ſeruientibus, accõmoda, inibi cœpit ædificare. Poſt quæ, plurimis fratribus ſibi ſociatis, loci ipſius Abbas effectus eſt. Creuit itaq; monaſterium ipſum intùs & extrà, tã in ſancta & monachali religione, quam & in multimoda terrenarum rerum poſſeſſione. Et quidam de poſſeſſione terrenarum rerum vſq; hodiè ſcitur, quòd ità ſit: de religione verò ex eo probatur, quòd ita fuerit, quoniã inde ad Epiſcopatus, ad Abbatias, ad quæq; officia Eccleſiaſtica perſonæ eligebantur, accipiebãtur, & ad eruditionẽ aliarum Eccleſiarũ conſtituebantur. Factumq; eſt, vt ſicut, quod ſuprà diximus, ex cereo matris Dunſtani totus Eccleſię cõuentus lumen amiſſum recuperauit: ita ex hoc loco ipſius Dunſtani doctrina inſtituto, omnes eccleſias Angliæ conſtet veræ religionis lumen ſumpſiſſe.

Cap. 14. Rex in ſummum diſcrimen adductus, vt euaſerit. Extruit monaſterium Glaſconiæ Dunſtanus, eiuſq; Abbas ſit.

Inter hæc vita & conuerſatio Dunſtani magnum contra ſe generabat odium diaboli. Qui gemens nequaquam inconuulſa manſiſſe ea, quæ per ſuæ voluntatis miniſtros in eum aduerſa coniecerat, per ſeipſum illum aggredi tentat, ratus vel ſic eum à bonis, quibus die ac nocte inſiſtebat, deterrendum. Quadam itaq; nocte, dum ſolus ex more oraret, in lupi effigiem demutatus, corã eo aperto ore & diſtectis dentibus ringens, horridus apparuit. In qua forma quoniã virum nec ad punctum quidem ab intentione ſua deflectere valuit, ſtatim in vulpeculam vertitur: & quò illum ad ſę intendere faceret, varijs anfractibus & iocoſis motibus huc illucque perlabitur. Tunc Dunſtanus modicum ſubridens: Verè, ait, oſtendis quod agere ſoles. Iocando nanq; blandiris incautis, vt eos deuores, vt tibimetipſi blandiaris. Sed iam diſcede miſer, quoniã Chriſtus, qui leonem & draconem conculcauit, ipſe te lupum & vulpeculam per me ſua gratia ſuperabit. Sentiens ergo Dunſtanus prophetiam amici ſui iam ex rerum euentibus partim demonſtrari veram eſſe, ſemper quaſi nouus accederet ad ſeruitutẽ Dei, ſtabat in timore, & præparabat animam ſuam ad tentationem, iugiter ad exequẽdam voluntatem Dei operam dans, nec vlla hora, vllóve momento ocio vacans. Vnde contigit vno dierum, vt intra cellam ſuam corde & opere intentus, ſubitò angelos Dei in ſublimi congratulando audiret pſallentes in hunc modũ, atque dicentes; Pax Anglorum eccleſiæ, exorti nunc pueri & Dunſtani noſtri tempore. Regina ſiquidem regi Edmundo filium, qui Edgarus appellatus eſt, eodem tempore peperit, atque hoc ipſum, ſimul & quòd pacis ſectator eſſet futurus, per angelicas voces atque concentus Dunſtano Deus innoteſcere voluit.

Cap. 15. Dæmon in lupi forma ei apparet, itemq; vulpeculæ. Angelorũ canticum audit.

Cap. 16. Per idem ferè tempus ſeruus Dei Bathonienſem Eccleſiam viſitare perrexit. V
poſt refectionem corporis in oratione detentus, leuatis in altum oculis, vidit anima
cuiuſdam iuuenis, quē ipſe à puero Glaſconiæ in ſancta conuerſatione nutrierat, m
tis angelorum fultam agminibus, in cælum deferri. Qui pro tanta gloria fratris vltr
quàm dici queat, exultans, & immenſas corde & ore Deo gratias agens, ſociis, quid a
ciderit, manifeſta voce expoſuit, & diem ac horā tranſitûs eius notari pręcepit. Illis
tem ad hæc obſtupeſcentibus, & verbis eius non ex toto fidem accōmodantibus, v
nerunt quidam ad patrem, qui & de fratris obitu & obitûs hora ſic, quemadmodū
xerat, accidiſſe teſtati ſunt. Dehinc ſanctus à loco digrediens, & ad regē, ſecum loc
deſiderantē, celeriùs tendens, in medio itinere diabolum ſibi obuiàm habuit. Qui n
mo ſimilis, corā eo ludere, ſubſilire, & multis modis cœpit lætitiæ frena laxare. Qu
Dunſtanus intuens, & quid tantum dæmonis gaudium portenderet, per ſpiritum p
uidens, iuſſit monſtrum tale ſe cunctis, qui ſecum erant, viſibiliter demonſtrare, qu
ſibi apparebat. Quod & factum eſt. Requiſitus ergo Dūſtanus, quid ſibi vellet illa la
uientis hoſtis lætitia? regem in proximo reſpondit moriturum, & regnum non mu
pòſt multas tribulationes perpeſſurum. Quæ ſententia veritas facta eſt, vt ea, quæ p
dicentur, declarabunt. Super hæc tamen, quæ vir Dei de petulante inimici gaudio
xit, vt alijs quibuſdam viſum eſt, nonnulla eiuſdem cauſa fuit, hoc ſcilicet, quia ſpe
bat defuncto rege, qui Dunſtanum in magna reuerētia ſemper habebat, alium reg
mox ſurrecturum, qui nec eum reuereretur, nec eius prudentem ſanctitatem, qua
& alios innumeros in Dei ſeruitio conſtringebat, regali prouidentia tueretur. Sed
hoc ad tempus deceptus eſt.

Videt animam monachi in cælum euntem.

Dæmon ei apparet petulanter exultans.

Cap. 17. Regi nanq; in palatio, antequam dies ſeptem tranſirent, occiſo, & à venerabili Du
ſtano Glaſconię, ſub immenſa populi lugentis frequentia honorificè ſepulto, ſuc
ſit in regnū Edredus frater eius, vir quidem egregius, & ad exercēda, quæ Dei ſunt,
uido mentis affectu ſubnixus. Hic Dunſtanum nō minori cęteris regibus amore pe
luit: immò vt ei maiora dilectionis ſigna monſtraret, operam dedit. Elphego ſiqu
Vuentano epiſcopo, cuius ſuprà meminimus, de hac vita tranſlato, multis eum pr
bus, vt in epiſcopatum ſuccederet, poſtulauit. Cui cùm ille nulla ratione acquieſc
vellet, rex non modico mœrore ſuffuſus, matrem ſuā Edginam reginam, reginam
co, omnis bonitatis titulo inſignem, de negocio cōuenit, atq; vt illa Dunſtano per
deret, quod ipſe nequiuerat, ſummo ſtudio deprecatus eſt. Tunc illa hominē ad ſe
catum, & ad prandium ſuum inuitatum, inter epulas de epiſcopatu ſuſcipiendo co
interpellare, & ne collum ſuum à iugo domini alienaret, multa ſuaſione inſiſtere.
ille perpendens, quid ſibi recondant, qui epiſcopatum loco proficui & honoris, n
officio tenent morū & pręedicationis: Obſecro te Domina, inquit, ne tali prece te a
pliùs fatigando, me fatiges. Nam reuerà noueris, quia in diebus domini mei, filij tu
gis, me pontificali cathedræ nemo præſidere videbit. Dicebat hæc, tum quia ſibim
pſi, ne ſub tanto onere deficeret, formidabat, tum quia impium fore iudicabat, ſi
rege, qui frequenti corporis languore vexabatur, propter Epiſcopatum elon
ret: maximè, quia totum regnum ſuum in illius prouidentia & diſpoſitione poſue

Edmūdi regis cædes.

S. Dūſtanus recuſat epiſcopatum.

Cap. 18. Et de Pontificatu nunc inter eos quidem res ita remanſit, & Elfinus quidam in
tificatu ipſius eccleſiæ ilicò aſſumptus eſt. At Dūſtanus, qui ex voce ſacri eloquij v
citer dicere poterat: Ego dormio, & cor meum vigilat: cùm ſequenti nocte quieti
dediſſet, vidit in ſomnis ſe Romam perrexiſſe, ac in ſua eccleſia beatiſſimum Petr
in ſua quoq; ſanctiſſimum Paulum adoràſſe, ac demum vrbe relicta, in patriam r
tum acceleràſſe. Itaq; cùm montem gaudij attigiſſet, apparuerunt ei Principes r
Dei, beatiſſimus videlicet Apoſtolorum princeps Petrus & ſanctus Paulus atque
dreas, ſinguli in manibus ſuis ſingulos gladios auro inſcriptos pręferētes, eiq; pro
nere Apoſtolicæ benedictionis conferentes. Et in gladio quidem beati Petri ſcript
erat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.
gladius Pauli, nomen Pauli: gladius Andreæ, nomen Andreæ, continebat. Beatus
Andreas in hominem blando intuitu oculos dirigens, modulata voce ex Euang
cecinit, dicens: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, &
milis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. A glorioſo autem principe A
ſtolorum, vt manum extenderet, iuſſus, lęuam extendit, & in palma leui ictu ab eo
ga percuſſus, ne vlteriùs abijceret iugum domini, ipſo eſt ſigno præmonitus. Ad qu
ictum ille expergefactus, fratrem, qui corā eo quieſcebat, interrogauit, quis ipſum
cuſſerit? Quo reſpondente: Nemo: iam à quo ſit percuſſus, ſcire ſe dixit, ſicq; reſidu

Cant. 5.

Viſio S. Dunſtani.

Ioan. 1.

Matth. 11.

no

noctis in ſeruitio Dei peruigil expendit. Manè narrauit regi, quæ viderat. At ille non modica admiratione permotus, & quid viſio ſignificaret, magna ex parte per ſpiritū edoctus, hoc modo reſpondit: Si, quemadmodum recepi, per gladium nonnunquam intelligitur verbum Dei, cùm tibi beati Apoſtoli gladios ſuos cōtulerunt, nimirū verbum Dei, quod acceperunt, vice ſua diſpenſandum tradiderunt. Et quoniam Epiſcopos vices Apoſtolorum ad erogandum verbum Dei agere ſcimus, epiſcopatûs honorere ſublimandum certiſſimè ſcias. Quòd autem in gladio beati Petri, In principio erat verbum, &c. ſcriptum accepiſti: fixum tene, quia ſicut ipſa verba nobis ſpecialiter innuunt filiū Dei, ita tu in ipſa eccleſia archiepiſcopatu ſublimaberis, q̄ ſpecialiter Cātuariæ dedicata ſubſiſtit in honorem ipſi⁹ filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti. In qua etiam vices eiuſdem Apoſtoli agendas ſucipies, & poteſtatem ligandi atque ſoluendi, quam ille a Deo ſuſcepit ſuper totum orbem terrarum, tu ab eo accipies ſuper omnes totius Angliæ prouincias & adiacentium inſularum. *Rex prudēter eā viſionem interpretatur.*

Poſt hęc Dunſtanus deſiderio videndi fratres ſuos, Glaſconiam adijt, ibiq́; aliquantos dies inter eos habitauit. Interea rex Edredus lethali morbo correptus, mandans rogauit ſub celeritate Dunſtanum venire ad ſe. Ille audito nuncio, ſuæ imbecillitatis, quam ex inedia atque vigilijs, necnon aliarum virtutum exercitijs cōtraxerat, oblit⁹, protinùs aſcenſo equo, ad ægrotum feſtinat. Iam ferè medium iter exegerat, & ſuis comitatus, reſiduum quod erat viæ, explere laborabat. Et ecce ſubitò audiuit vocem de cælo, quæ dixit: Rex Edredus in pace quieſcit. Ad cuius vocis ſonitum equus, cui vir Dei inſidebat, ſine omni inſidentis læſione, ad terram corruens, extinctus eſt. Stupefacti comites de ſubitaneo animalis interitu, quidnam hoc eſſe potuerit, perauidi percōtantur. Quibus Dunſtanus & de voce Angelica, & de regis obitu, quæ latebant, aperuit ac vt ſpiritum defuncti, vnà creatori omnium Deo commendarent, admonuit. Inde lugentis palatij mœnia ſubiēs, regem, quem ante paucos dies purpuratum, & toti Angliæ imperitantem reliquerat, modò inuenit cadauer ſtupidum, iam terræ puluere operiendum, & eſcam vermium mox futurum. His ergo, qui viuo aſſiſtere, viuum ſuis ſolebant ambitibus delinire, ſe ab exequis defuncti ſubtrahentibus, ille cum ſuis exanime corpus ſuſcepit, & decentiſſimè matri omnium terræ conſignauit. *Cap. 19.* *Edredi regis felicem obitum diuinitùs cognoſcit.*

Poſt hunc Eduinus, filius Edmundi regis, obtinuit regnū, corpore quidem iuuenis, ſed nulla qua regnum gubernaret, præditus induſtria mētis. Hic omiſſo ſenū conſilio, ſatellites ſibi & conſiliarios de adoleſcentibus fecit. Ibat ergo ſecundum deſideria cordis ſui, & iniqua gerens laudabatur à ſuis & benedicebatur. Vnde quid mali circunquaque ſuccreuerit, quàm infamis fama populorum aures & ora repleuerit, facile eſt & me tacēte videre. Ipſe nanq; poſſeſſiones quorunq; diripere, hos & illos ex hæredare, maiores natu, qui nequitijs eius aduerſabantur, proſcribere, totumq́; regnum, innumeris oppreſſionibus conturbare feſtinauit. Acceſſit his malis eius nimis deteſtabile malum. Matrem quippe, totius regni Anglici auctricem & nobilitatricem, Eccleſiarum conſolatricem, & ſuſtentatricem oppreſſorum, & inopum, Edginam dico, ſuprà memoratam reginam in immenſum afflixit, ac vaſtatis rebus ad eam pertinentibus, ab eo ſtatu, in quo eſſe ſolebat, ſæuus & crudelis deiecit. Gemebat Dunſtanus in iſtis, & eo ampliùs gemebat, quò correptionem ſuam rex non ſolùm non admittebat, ſed inſuper furioſi more, irrationabilibus eam obiectionibus contradicendo deridebat. Quid ergo circa talem hominem faceret ignorans, ad monaſterium ſuum Glaſconiam, cuncta relicta, receſſit. Ea tempeſtate ſtructura Eccleſiæ in fabrica tecti perficiebatur. Ad cuius tecti ſuſtentationem dum trabes vna prægrandis multiplicibus funibus in ſublime raperetur, ſubitò funes diſrūpi, & trabes deorſum vergēs, nōnullis cœpit interitū minitari. Tunc Dunſtanū, qui præſens aderat, ingenti ſtrepitu plebs inclamitās, vt extenſione dextræ ſuæ imminenti periculo obuiet, obſecrat. At ille ſtatim ſignum ſalutiferæ Crucis ruenti machinæ obijciens, eam ſine funibus, & ſine omni humano conamine in ſuperiora redire, ac in loco, in quem priùs cum magno labore trahebatur, iacere coēgit. *Cap. 20.* *Eduini regis infauſtū imperium.* *Vide inſignē miraculum, & vim ſanctæ Crucis.*

Inter huiuſmodi opera accidit, vt ipſe quadā die officinas monaſterij, ſociato ſibi vno ex monachis ſuis, circūiret, & quid in vnaquaq; domo ad ſupplēdas fratrū neceſſitates haberetur, diligēti cura proſpiceret. Quo facto, iter reflectens, ac iuxta oratorium tranſiens, repentè audiuit vocem de cælo clarè ſonantem, & fratrem, qui cum eo ibat, ex nomine hoc modo vocantem: Veni Elfſi, veni, veni. Ilicò Dunſtanus rem intelligens: Eia frater, ait, audiſti, quô vocaris? Præpara ergo te, quatenùs conuerſatione illa, vnde appellaris, quādo hinc migraueris, dign⁹ habearis. Nā pro certo noueris, *Cap. 21.*

quòd in hac vita nō diù manebis. Quæ viri verba velox fratris obitus, qui citò pòſt accidit, declarauit eſſe vera. In ipſo itaque loco, in quo vocem de cælo Dunſtanus audiuit, oratorium in modum turris non multùm porrectæ ſublimitatis ædificauit, & illud ſub patrocinio beati Iohannis Baptiſtæ fecit conſecrari. Hæc videns omnis boni inimicus diabolus, ingemuit, nō ob hoc ſolùm, quòd pro tantis virtutib. virum corā hominibus magnum haberi, ſed quia de die in diem videbat, tam ipſum, quàm & alios per ipſum, in Dei ſeruitium exinde promoueri. Licèt ergo iam ſæpè ab eo ſe cōfuſum & victum meminiſſet, cohiberi tamen ab eius infeſtatione nō potuit. Nam adhuc de ſuarum verſutijs artium confiſus, eum orantem in vrſi effigie hiſpidus aggreditur, & hianti rictu ſuper eum inſurgens, horrore ſuî ab oratione deterrere molitur. At ille zelo diuino correptus, arreptum baculum, quem manu ferre ſolebat, in hoſtem vibrat, & eum cædēdo, tādiù inſequitur, donec idem baculus in tres partes comminutus, cōfringeretur. Inter quæ hunc verſum miles Dei pſallere cœpit: Exurgat Deus, & diſſipētur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Tunc Dunſtanus videns baculum ſuum ſic inhoneſtè contritum, dixit: Si viuit Dunſtanus, ſcias inimice, huiuſmodi baculum faciet, vt, ſi amplius veneris, nequaquàm, ſicut iſte confractus eſt, pro ſua gracilitate aut imbecillitate confringatur. Fecit itaque ſibi alium ſcipionem craſſum & fortem, ac illius ſummitatem argento circunpoſito decorauit, quod argentū in ſuprema parte ſuî in modum concauæ ſphęrę formatum, dentem beati Andreę Apoſtoli geſtat incluſum. Quem dentem Dunſtanus inibì poſuit, tum vt inſuperabile munimen ſibi præſtaret, contra incurſus malignorum ſpirituum, tum quia præ cæteris ſanctis dulci affectu diligebat eundem Apoſtolum. Propter quæ ſæpiſſimè illius familiari fouebatur alloquio, muniebatur conſilio, & auxilio releuabatur. Sentiens ergo diabolus ſuam pugnam, qua Dunſtanum à bonis operibus arcendum putabat, ſemper ſibi ad confuſionem, & Dunſtano procedere ad gloriam & exaltationem, continuit ſe à corporali illius acceſſu, aliam viam ad conturbandum illum perquirens.

Dunſtanus verberat ſcipione diabolum.

Pſalm. 67.

Vide quantum tribuerit vir tātus reliquijs ſanctorum.

Cap. 22.

Erat in illis diebus mulier quædam ex magna & alta progenie nata, filiam adultam ſecum habens. Vtraſque, quantùm ad corpus ſpectat, formoſa ſpecies decorabat: ſed, quod pudicis mentibus non paruæ offenſioni erat, libidinoſus animus & habitus, qui iuxtà in eis operabantur, eandem ſpeciem valdè decolorabant. Hæ præfato regi Eduino aſſiduè adhærebant, ſuis blanditijs & nutibus illecebroſis pro viribus operam dantes, quatenùs vnam illarum ſibi in coniugium copularet. Ad quas ille impudico illiciti amoris deſiderio feruens, indecenti amplexu nunc hanc, nunc illam, neutrius ad ſpectum in hoc erubeſcens, deſtringebat. Præterea die quo ipſe Eduinus in regem eſt conſecratus, à loco conuiuij, in quo cū Archiepiſcopis, Abbatibus, totiusq; regni principib. ſedebat, iam pranſus exilit, & relictis omnibus, in cameram, vbì præfatæ fœminæ erant, ſolus ſecedit, capitiq; corona ſublata, ſe inter illas in medium iecit. Quod optimates agnoſcentes, oppidò indignati ſunt, & rem tractantes inter ſe, Odonem archiepiſcopum Cantuarienſem, qui dignitate cæteris eminebat, vnanimiter hortari cœperunt, quatenus viros, qui regem ſiue volentem, ſiue nolentem, feſtinè reducerent, deſtinaret. Ad quod agendū cū hi & illi, regi āirā metuentes, ſe excuſarēt, tandē ſuper Dunſtanū Abbatē & eius cōſanguineū Kinſinū epiſcopū ſentētia verſata eſt. Qui ex pręcepto ſummi Pōtificis & aliorū omniū ad regem ingreſſi, eum, vt dixi, in medio illarum duarū decubantē repererūt. Tunc Dunſtanus primo in ignominioſas mulieres aſperæ increpationis verba vultu & voce contorquens, laſciuias earū, ſicut verū caſtitatis amatorē docuit, deteſtatus eſt. Deinde regem, vt ſe tāti opprobrij exortē faceret, monens, ad proceres eum redire, eoſq; ſua præſentia exhilarare ſummiſſa voce precatus eſt. Qui animi ſui furore, ſimul & vultûs ſui robore perfuſus, dum ſe rediturum omninò negaret, Dunſtanus manū illius arripuit, & à loco violenter abſtractum, impoſito capiti eius diademate, ad conuiuantes introduxit. Quod mulieris ignominia nullatenùs æquanimiter ferens, ſæuis verborum inuectionibus in virum ſurrexit, & ſe eum confuſioni perpetuæ tradituram, garrula conteſtatione deuouit. Et hoc quidem deteſtabile votum, non tepeſcente malitia eius, facto exercere ſolicita poſtmodùm fuit. Effecit nanque apud regem, vt cuncta quæ in monaſterio Dunſtani habebātur, diripi, ac deuaſtari, & ipſum à regno eliminatum, in exilium pelli iuberet. Qua tempeſtate ſæuiente, contigit quoddam lachrymabile malum. Quidam enim ex fratribus monaſterij, qui virum contra omnes æmulos tueri, & ei vſque ad mortem more bonorum filiorum, obſequi deberēt, propria nequitia magis, quàm ipſius doctrina imbuti, ſe medios ad prouocandum regem contra illum clanculò iniecēre, & quò edi

Eduinus rex amatur.

Vide ſancti viri zelum.

S. Dūſtanus proſcribitur.

ctum

ctum de expulſione eius immobile faceret, quantùm poterant, inſtitêre.

Dehinc miniſtris impij principis in direptione rerum Eccleſiaſticarum, ſicut iuſſi fuerant, occupatis, & multis exinde graui mœrore conſternatis, audita eſt vox cuiuſdam in atrio templi, excuſſum riſum edentis, & more laſciuæ puellæ ſummo gaudio & exultatione perſtrepentis. Quæ Dunſtanus audiens, & dæmonem eſſe, qui pro ſuo diſceſſu petulanti lætitia iocabatur, aduertens, verſus ad illum, dixit: Eià, eià author & amice omnium malorum, modò de exilio meo lætaris, & pro tribulatione plurimorum, vnde me dolere conſpicis, iam gratularis. Sed abſque dubio fixum habere potes, quia nihil eſt gaudium, quod nunc habes me recedente, comparatione triſtitiæ, quam habiturus es me reuertente. In his verbis dæmon aufugit. At Dunſtanus videns ſuos in direptionem datos, pietate permotus, qua ſuprà quàm dici queat, fretus erat ad omnes, prout ſibi poſſibile fuit, exilium inire diſtulit, cogitans ne forte Deus cor principis aliquo modo tangeret, & à concepto furore mitigaret. Verùm vbi eos, qui ſe hoſpitio, vel officio aliquo humanitatis cõfouebãt, vidit in immẽſum affligi, deprędari, proſcribi, damnari, ratus eſt melius malignitati hominis cedere, quàm tot innocẽtes pro ſuo commodo indebita pœna vexari. Ponens itaque Eccleſiam Angliæ ſub tuitione regis omnium CHRISTI, mare petijt, ad ignotam ſibi regionem tranſiturus, nauem conſcendit, ductuque diuino, proſperrimo curſu in Flandriam venit. Igitur adhuc mulieris ira, in immanem veſaniam inſtinctu dæmonis acta, miſſis nuncijs, vbi Dunſtanus eſſet, perquiri fecit: & ſi compræhendi valeret, ſine vllo reſpectu miſericordiæ oculos ei erui præcepit. Sed Deus, qui ſua ſapientia & bonitate priuari nequit, priùs ſeruum ſuum per marinos fluctus placido lapſu euexit, quàm miniſtri crudelitatis, ad portum maris eum inſequendo pertingere poſſent. Cùm itaque Dunſtanus in Flandriam veniſſet, & principis terræ notitia potitus fuiſſet, magni habitus eſt, & ab eo valdè dilectus. Quem quoniam virtutis virum eſſe, mundique contemptum funditùs habere cognouit, Gandaui eum vt conuerſaretur rogauit, vtpotè loco, qui præcipua religione in omni ſua ditione eo tempore præditus eſſet. Venit ergo Dunſtanus ad locum, ibique in omni ſanctitate degens, omnibus eſt charus factus, & admirabilis. Exilium itaque in patriam ſibi verſum eſt. Tamen in hoc, animo ſæpè deficiebat, quod corpore remotus eſſet ab eis, quos in hac vita chariores habebat. In quo defectu conſtitutum, dilectus dilector eius B. Andreas Apoſtolus crebra viſitatione cõſolabatur, nec eum aliquo incommodo vltrà, quàm facilè ferre poſſet, grauari patiebatur.

Cap. 23. — Compeſcit dæmonis petulantiam. — Abit in Flandriam. — Vide ſæuitiam deteſtabilis fœminæ. — Gandaui degit vir ſanctus.

Præterea accidit, vt ipſe Dunſtanus quadam vice in oratione proſtratus, ingenti cordis contritione ſuos, quos in Anglia reliquerat, filios Deo commendaret. Et ecce dum orationis prolixitas tenditur, mœrore grauatus, ſomno opprimitur. Viſum ergo illi eſt, ſe Glaſconiæ in oratorio cum fratribus, veſpertinam horam pſallentibus, pro conſuetudine ſtare. Qui fratres cùm dicto euangelici cantico, antiphonam (Quare detraxiſti ſermonibus veritatis) ſubiunxiſſent, & eam vſque ad id, quod dicitur (Quæ cogitaſtis explete) percantâſſent, conticuerunt, nec vllo modo ipſa vltima verba dicendo, eam finire potuerunt. Quibus dum Dunſtanus vultu, voce, ſignis inſiſteret, vt parum, quod de Antiphona reſtabat, perficerent, & ipſi ècontrà muta voce confuſi ſtarẽt, audita eſt vox de tranſuerſo in ſublimibus, ita dicens: Nequaquàm, nequaquàm fiet hoc, vt quæ cogitauerunt, opere expleant. Neque enim vnquàm ſe à tua poteſtate Dunſtane euellent, aut te ab iſtius cœnobij pręlatione deponent. Ad hæc Dunſtanus euigilãs, intellexit viſionem: & quia nõnullos, quos verbis vitæ imbuerat, & de quibus nil mali ſe meruiſſe ſciebat, in ſuo damno ſtetiſſe aduertit, grauiter ingemuit, & eis Deũ propitium fore ſupplici prece orauit.

Cap. 24. — Viſio eius.

Poſt hæc miſertus eſt pius & omnipotens Deus gentis Anglorum, ac vt illis ad perpetuam conſolationem patrem ſuum Dunſtanum redderet, tali conſilio, dictante æquitatis, ac miſericordiæ ſuæ cenſura, vſus eſt. Excitauit quoſque potentes à termi nis magni fluminis Humbræ, vſque ad terminos fluminis Thamiſię, contra impietatẽ regis Eduini, & eum, quia talem ſe fecerat, qualem, vti diximus, regem neutiquàm eſſe decebat, vnanimiter perſequi, aut vita aut regno priuare moliti ſunt. Et ipſum quidem vltra Thamiſiam fugauerunt: nefandam verò meretricem eius iuxta ciuitatem Glauuornienſem mala morte, quod breuì & ſummatìm dictum accipiatur, perdiderunt. Quibus patratis, Edgarum fratrem illius ſuper totam terram à prædicto Hũbræ fluuio, vſque ad flumen Thamiſiæ regem fecerunt. Regnum itaque, quod prius erat vnum, in duo diuiſum eſt, Thamiſia ſuo illud alueo diſterminante, vnde freq̃uẽtes

Cap. 25. — Ecce tibi vltio diuina in regem & ſcortum impurum.

lites

lites, ſeditiones nonnullæ, varij conflictus hominum ſuborti, totam terram grauiſſimis tribulationibus concuſſerunt. Ex quibus omnibus patuit, verum eſſe, quod ſuprà diximus per laſciuum diaboli gaudium Dunſtanum intellexiſſe. Veruntamen Edgarus de die in diem erat in melius proficiens, & Eduinus econtrà in deterius quotidiè deficiens. Erat enim Edgarus ipſe ſtrenuus & prudens, ac mandatis Dei intimo corde adhærens, propter mala, quæ in Anglia per fratrem ſuum emerſerant, non modico mœrore tabeſcebat, eaq́; modis, quibus poterat, reſtringere geſtiebat. Hic itaq; percepta regali dignitate, prauos quoſq; & qui alios iniqua dominatione ſolebãt opprimere, poteſtate, qua gloriabãtur, cœpit priuare, atq; illos, qui ſuis reb. iniuſtè ſpoliati fuerant, fecit amiſſa recuperare. Omnibus ergo eccleſijs Angliæ, quæ in regno illius erãt, pax & concordia orta eſt, & iuxta quod vox diuina, ſicut ſuprà meminimus, hoc rege nato prænunciauit, donec ipſe vitæ præſenti ſuperfuit, in melius aucta & roborata eſt. Ad hæc, miſſis in Flandriam viris, Dunſtanum patriæ cum honore reſtituit ingenti, ac ſe ſuaque omnia eius ſapientiæ atque conſilio diſponenda commiſit. Deinde vt maior authoritas facta eius in cunctis comitaretur, eum Vuigornienſis eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcipere petijt, nec à precibus deſtitit, quoad eum ſuæ voluntati conſentaneum fecit. In ſummum ergo ſacerdotium conſecrandus, ex more Cantuariam venit.

Edgari regis encomion.

S. Dunſtanus reuocatur in Angliam.

Fit Epiſcopus Vuigorniens.

Cap. 26.

Regebat eo tempore Chriſtianitatem in Anglia paulò ſuperiùs nominatus Odo, ipſius ciuitatis Archiepiſcopus, vir equidem ſanctus, & magnatum virtutum prærogatiuis apprimè ornatus. Hic Dunſtanum in pontificatum † Vuinciorum conſecraturus, admirantibus, qui aſtabant, eum, omiſſo ipſius Eccleſiæ titulo, ad archiepiſcopatũ Cantuarienſem titulauit, & quaſi ſucceſſorem ſeu conſortem ſibimetipſi conſecrauit. Vnde à præſentibus, cur hoc faceret? rogatus, reſpondit: Non conſtringitur lege donum & vocatio Dei. Et vtique vir iſte ſcio, quis ſit, & ex dono gratiæ Dei video, ad quid eum Spiritus ſanctus elegerit. Ex quibus verbis meritum vtriuſq; turba, quæ circunſtabat, præclarum eſſe coram Deo aduertit. Inde vir Dei ad eccleſiam, ad quam primò electus fuerat, regreſſus, & ab ea præclarè ſuſceptus, ſummoperè nitebatur opere perficere, quod ſe ante exitũ ſuum de Anglia, meminerat exultanti diabolo ſpopondiſſe. Omnes ergo, in quorũ moribus aliquid eum habere intelligebat, arguere, monere, caſtigare, corrigere ſatagebat, nihil vſquàm à correctionis voce vacuũ relinquens, vnde gauderet aduerſarius, qui circuit, quærẽs quẽ deuoret. Nec vllius perſona in iſtis ab eo cõſiderabatur, ſed quiſq; iuxta meritum ſuum, obſeruata rationabili diſcretione, tractabatur. In omnibus itaq; & per omnia perquirebat Dei honorẽ & diaboli confuſionem. Interea Rex Eduinus vitæ præſenti ſubtractus eſt, & anima ipſius, Dunſtano orationibus occupato, à quibuſdã deterrimis hominibus curſim eueſtigiò eſt præſentata. Cuius miſeriã miſeratus, ſuarum iniuriarum immemor, pro liberatione eius immenſos omnipotenti Deo lachrymarum imbres effudit, nec ab eis deſtitit, donec ſe pro eo exauditum agnouit. Facto igitur non grandi interuallo, Mauri illi ad Dunſtanum ſua præda vacui redeunt: & quia ipſius iniurias ſuperuacuè vlciſci venerint, calumnioſa voce furibundi depromunt. Quorũ ille furores nihili pendens, Deo ſuper ineffabili miſericordia eius ineffabiles gratias egit.

Verum ſe præſtat epiſcopum.

Precibus ſuis liberat animam defuncti regis Eduini.

Cap. 27.

Poſthæc Edgarus partem regni, quam diximus Eduino remanſiſſe, obtinuit, regnumq́; ſuî vnitatem recepit, bellis ac ſeditionibus, quæ ex eius diuiſione emerſerãt, quaquauerſùm ſedatis. Exin defuncto Epiſcopo Londonienſi, quæſitum eſt, quis in epiſcopatum dignè ſuccedere poſſet. Et cùm in hoc aliquantulum temporis expenderetur, nec decens perſona & idonea reperiretur, tandẽ electio omnium ſuper Dunſtanum verſa eſt, & ipſe Pontificatum prædictæ Eccleſiæ ſuſcipere communi cunctorum conclamatione coactus eſt. Vtraq; igitur Eccleſia, Vuigornienſis videlicet & Londonienſis, eo præſule gloriabatur, quãdoquidem ipſe ſumma neceſſitate compulſus, vtriuſq; Pontifex per nonnullum temporis ſpatium erat, vtriq; ſolicitudinis ſuæ curam impendens, vtranque intùs & extrà ſua defenſione contra omnes æmulos muniens, in vtraque officium pontificale opportuno tempore ſedulus exequens. En viſio, quã ſuprà deſcripſimus in gladijs Apoſtolorum, partim impleta eſt, cùm in epiſcopatu Londonienſi, qui ex nomine beatiſſimi Pauli celebris habetur, cõfirmatus eſt. Profectò nanq; gladium ipſius Apoſtoli ipſi Eccleſiæ prælatus accepit, quia verbũ Dei, morem illius ſecutus, ſubditorum cordibus infudit excellenter, & poteſtate, qua ille in virtute Domini Chriſti gloriatus eſt, ipſe ad terrendum impios, ad demulcendum pios circunquaq; vſus eſt. Quod & in Eccleſia Vuigornienſi ſtrenuus egit, quã in

Creatur Londonienſis Epiſcopus.

gladio beati Petri regendam ſuſcepit. Siquidem epiſcopatus idem per id temporis in honorem ipſius Apoſtoli glorioſi fundatus habebatur. Sed Oſvualdus vir ſanctus & religioſus, quem in regimen ipſius eccleſię beatus Dunſtanus, Cantuarienſis antiſtes effectus, ſibi ſuccedere fecit, quia clericos ibi degentes nec à prauitate ſua cõuertere, nec inde, eò quòd nobiles iuxta ſeculum atque potentes erant, quibat eliminare, conſtruxit penè contiguam ipſi eccleſiæ eccleſiam beatæ Dei genitrici Mariæ, in qua ipſe cum monachis, quos ſe propoſuerat adunaturum, Chriſto ſeruiret. Quod & factum eſt. Religio itaque monachorum contemptum clericis peperit, & vulgi conuectum ab eis alienatum, ſibi aſſiduum fecit. Quid plura? Numerus clericorum paſſim minuitur, monachorum conuentus indies augetur. Quidam inſuper ex ipſis Clericis cõuerſi, numero illorum additi ſunt. Hoc modo ſedes pontificalis mutata eſt in Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper virginis. *Oſvualdus Epiſcopus vt correxerit clericos Vuigornienſes.*

Memorato itaque Odone Archiepiſcopo Cantuariorum ad perennis vitæ gaudia tranſlato, immenſum omnibus Anglorum Eccleſijs luctum ſuus tranſitus intulit, & innumeros populos acerbo mœrore percuſſit. Poſtulatus Dunſtanus Odoni in patriarchatum ſedis Anglorum ſuccedere, abnegat, ſuſcepti regiminis onus ſatis graue ſibi ad portandum, etiamſi maius non addatur, proteſtans. Vnde Belfinus, Vuentanæ ciuitatis antiſtes, per regni principes, quorum alios re præſentium, alios ſpe munerũ futurorum ad hoc ſibi fautores effecerat, archiepiſcopatum, rege annuente, obtinuit. Qui poſt aliquot adeptæ dignitatis dies Romam pro archiepiſcopatûs ſtola petens, in Alpibus nimia frigoris aſperitate correptus, vltimum flatum ibidem emiſit. Poſt quem ſubſtitutus eſt in ſummum Eccleſiæ Dorobornenſis pontificatum Bixtelinus Dorſetenſis populi præſul, vir totus ex manſuetudine, humilitate & modeſtia factus. Verùm vbi compertum eſt, nihil in corrigendis vitijs, nihil in exercendis Eccleſiaſticis diſciplinis, nihil deniq; virtutis ſeu conſtantiæ in eo eſſe ad tuendos bonos, vel coërcendos malos, ad eccleſiam ſuam redijt: & ita ſedes Cantuarienſis à Põtifice aliquãtis diebus vacua ſtetit. Itaq; vnanimis omniũ electio Dunſtanum inclamitat, illũ ſolũ ſe nôſſe vociferans, quem tanta ſedes dignè valeret habere rectorem, præſertim cùm à primæuo ætatis flore vitæ ſanctitas, morum grauitas, & cui nemo contrairet, eũ perluſtrauerit inuicta, conſtans & ſequenda authoritas. Hac ergo Dunſtanus acclamatione quaſi voce verè diuina conſtrictus, primatem totius Britanniæ ſedem regendam ſuſcepit, & in eam immenſa omnium adiacentium Eccleſiarum ac populorum exultatione & gloria deductus aſcendit. *Cap. 28.* *Dorobornẽſis ſedes eſt eadem, quæ Cantuarienſis.* *Fit Archiepiſcopus Cãtuarienſis.*

Poſt hoc, temporis opportunitate accepta, beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina petijt, & eum ſummæ ſedis Pontifex magno ſynceræ dilectionis affectu illò venientem excepit: ſecumque poſtea familiariùs agens, & agendo templum ſancti ſpiritûs eſſe cognoſcens, magnificè illũ honorauit, ac ſtola ſui Apoſtolatus, pro qua venerat, decentiſſimè decorauit. Sicq; delegata ei legatione Apoſtolicæ ſedis, gẽti Anglorum paſtorem, ac ſalutis eorum prouiſorem deſtinauit. Itaq; vir Dei Roma reuerſus, & in patriarchatum primæ ſedis Britanniarum receptus, in ipſum mundi principem quaſi gigas ſurrexit, & armaturam verbi Dei à dextris, & à ſiniſtris conſtanti virtute in eum vibrare, & membra eius circumquaque debellare & proſternere cœpit, & eneruare. *Cap. 29.* *It Romam.*

Inter hęc viſionem, quam ſibi in Apoſtolicæ armaturę oblatione dudum apparuiſſe deſcripſimus, mente reuoluens, & eam iam in adminiſtratione regiminis duarum Eccleſiarum, Vuigornienſis videlicet & Londonienſis, fermè impletam conſpiciens, dicendum exiſtimo, per quid archiepiſcopatus Cantuarienſis, qui hos dignitate præcedit, & in quo ipſe excellentiùs ſedit, ei pręſignatus ſit: nimirùm per verbum *Dei*, quod ſcriptum ſuſcepit in gladio beatiſſimi Petri, ſecundùm quod illud rex Edredus expoſuit, quando ei viſionem ipſam ipſe Dunſtanus, vt prædiximus, retulit. Sicq; gladius Petri, Eccleſiam Petri: & verbum Dei, Eccleſiam verbi Dei, quæ Cantuariæ ſita eſt, ſignificauit. Exin videtur rationi conſentaneum dicere, quid gladius beati Andreæ cum cæteris oblatus portenderit, quandoquidem ipſe in nulla Eccleſia, quæ ſub nomine ipſius Apoſtoli conſecrata ſit, ſicut in prædictis tribus Eccleſijs, ſedit. Quod quidem, quantùm attinet ad nos Anglos, quibus quid hoc ſit, luce clariùs patet, ſuperfluum reor dicto commemorare vel ſcripto. Propter externos tamen, ſi fortè aliquãdo iſta caſu ceciderint inter eos, breuiter dico, illũ meritò cum gladio Petri, verbo inſcripto Dei, gladium ſuſcepiſſe Andreæ: nam qui Eccleſiæ Cantuarienſi per pontificatum præſidet, Roffenſis Eccleſiæ, quæ ſub patrocinio B. Andreæ ſubſiſtit, per *Cap. 30.*

Epiſco-

Epiſcopi inſtitutionem,per horum & horum intus & extrà,cùm res exigit,diſpoſitionem,vtpote ſuo dominio præſidet. Quis ergo in cunctis, quæ religioni competunt, Dunſtanus fuerit,videlicet,cuius virtutis ad omnes omnium perſonarum iniuſtitias deprimendas,atque bona opera fouenda & munienda extiterit,vſque hodiè tota Anglia canit,nec opus eſſe arbitror,vt me illis ſcribendis fatiget grandis labor. Nonnulla tamen,quæ ab illis,qui ex eius tempore vſque ad nos per ſucceſſus ætatum fluxêre, accepimus,compendioſo relatu ſubijciam,quatenùs inde percipiatur veritas verborum,quæ propoſuimus.

Eximia virtus & conſtantia eius.

Cap. 31.

Coërcet hominem inceſtum.

Comes quidam præpotens cognatam ſuam illicito ſibi matrimonio copulauerat, & à Dunſtano ſemel,ſecundò & tertiò redargutus, inceſtum ſuum diuortio expiare nolebat.Quapropter gladio ſpiritusſancti à viro Dei percuſſus, à liminibus eſt ſanctæ Eccleſiæ ſeparatus.Qui typho tactus ſuperbiæ, regem adit, Dunſtanum immoderatæ & impiæ ſeueritatis accuſat,regia ſanctione ſe ab eius tyrannide liberum conſtitui querula voce precatur & obſecrat. Cuius verbis Rex acquieſcens, Dunſtano mandat, vt hominem cum ea,quam duxerat,in pace manerè ſinat, & à quibus ipſum ſuſpenderat,liminibus ſacris reſtituat.Miratur ille ad audita,& dolet religioſum regem per mendacem hominis linguam,ante rei inquiſitionem & examinationem, eſſe ſeductum.Ponit tamen hominem ad rationem,& tam pro commiſſo crimine, quàm & propter iniuſtam ſuî criminationem,apud principem terræ factam, paulò duriùs increpat,cupiens eo modo ad pœnitentiam & correctionem cor illius emollire.At vbi vidit ipſum non ſolùm verbis ſuis non conſentire, ſed inſuper contumaci ſpiritu contra ſe furere minarique, ſupra id, quòd eum ab ingreſſu domûs Dei ſuſpenderat,vt dixi,omnem ei communionem fidelium,donec à ſua prauitate diſcederet, interdixit.Tunc ille ſeipſo deterior effectus,immani eſt furore correptus:& nihil eorũ, quæ poſſidebat,alicuius eſſe momenti reputans,ad hoc ſolum ſe totum ſtudebat impendere,vt Dunſtano excitaret ſcandalum,& Chriſtianæ legis iugum, quo à ſua libidine coërcebatur,ſibi faceret alienum.Legatos itaque ſuos Romam deſtinat, & talibus aſſueta quorundam Romanorum corda & ora in ſuam cauſam largo munere largiori ſponſione permutat.Quid deinde?Præſul Apoſtolicæ ſedis Dunſtano,peccatori homini condeſcendere verbis ac literis mandat,& eum Eccleſiæ gremio integrè conciliare monet,hortatur,imperat.Ad quæ Dunſtanus ita reſpondet: Equidem cùm illũ, de quo agitur,ſuî delicti pœnitudinem gerere videro, præceptis domini Papæ libens parebo.Sed vt ipſe in peccato ſuo iaceat,& immunis ab Eccleſiaſtica diſciplina nobis inſultet,& exinde gaudeat,nolit Deus.Auertat etiam Deus à me, vt ego cauſa alicuius mortalis hominis,vel pro redemptione capitis mei,poſtponam legem,quam ſeruandam ſtatuit in ſua Eccleſia idem Dominus meus Ieſus Chriſtus filius Dei. Hæc ſibi relata ille audiens,& Dunſtanum ab his,quæ certò diceret, inflexibilem eſſe certiſſimè ſciens,& excommunicationis ſuæ pœna cum pudore hominum conſtrictus, tum timore periculorum,quæ talibus nonnunquàm accidere ſolent,perterritus,obſtinationem ſuæ mentis depoſuit,& abdicato illicito coniugio,pœnitentiæ ſibi cultũ impoſuit. Dunſtano nanque generale totius regni concilium de obſeruãtia Chriſtianitatis celebrante,ipſe ſui met oblitus,nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus,virgas manu ferens,Concilio ſeſe medium ingeſſit, & ante pedes Dunſtani gemebundus & eiulans corruit.Quo viſo,moti ſunt omnes,qui aderant, ad pietatem, & ipſe pater omnium,maiori præ cæteris pietate motus eſt. In vultu tamen ſeruato diſciplinæ rigore,vtpote hominem Deo reconciliare deſiderans,lachrymas eius ad horam ſeuerus ſuſtinuit:ac demum à toto Concilio poſtulatus,lachrymans & ipſe, culpam indulſit.Itaq; ab excommunicationis vinculo abſolutum, communioni fidelium,gaudentibus cunctis,eum reſtituit.

Excõmunicat eundem contumacem.

Redit ad ſanam mentẽ inceſtus.

Vide notabile exemplũ publicæ pœnitẽtiæ.

Cap. 32.

Alio tempore monetarij tres, qui in poteſtate viri erant,cum falſa moneta capti, ad ſubeundam pœnam,hominibus per totum regnum promulgatam, ſunt adiudicati.Quæ res Dunſtano abſcondi nõ potuit. Die ergo Pentecoſtes idem pater Miſſarũ ſolennia celebraturus,percontatur,vtrùm Dei populo ſtatuta iuſtitia de ipſis monetarijs facta fuerit,an non?Reſpondetur,eam,ob reuerentiam tanti diei,in alium diem eſſe dilatam.Nequaquàm,inquit,ita fiet. Monetarij namq;,qui falſos ex induſtria denarios faciunt,fures ſunt,& eorum furto nullum eſſe nocentius cognoſco. Nam in falſa moneta,quam faciunt,totam terram ſpoliant,ſeducunt,perturbant.Ipſi diuites, ipſi mediocres,ipſi pauperes in commune lædunt,&,quãtum ad eos pertinet, omnes aut in opprobrium,aut in egeſtatem,aut in nihilum redigunt.Quapropter noueritis, quia

quia ego hodiè ad ſacrificandum Deo non accedam, niſi primò illi, qui depræhenſi ſunt, eam, quam in ſeductione totius populi promeruerunt, ſubierint pœnam. Si enim in vltione tanti mali, cùm negocium me reſpiciat, Deum placare ſuperſedeo, quomodò illum de manibus meis ſacrificium ſuſcepturum ſperare queo? Sed hoc licèt crudelitati poſſit aſſcribi, Deo tamen patet intentio mea. Lachrymæ, gemitus, atque ſuſpiria viduarum ac pupillorum, clamor quoque vulgi totius mihi incumbit, & correctionem huius mali depoſcit. Quorum afflictionem ſi, quantùm in me eſt, mitigare non intendo, & Deum, qui gemitibus eorum compatitur, nimis offendo, & alios ad idem malum exercendum promptiores & audaciores facio. Dixerat, & pro pœna illorum, qui manus erant perdituri, pietate motus, lachrymis manat, vt ſatis eſſet videre, de quo fonte procedebat edictum, quod nonnullis videbatur crudele. Vbi verò audiuit præſtitutam iuſtitiam factã, ſurrexit, ac lota facie, ad oratorium exhilarato vultu abiens, ait: Quia dominum, obediendo ſtatutis iuſtitię legibus, audiui hodiè, confido quòd & ipſe per miſericordiam ſuam ſacrificium de manu mea ſuſcipiet hodiè. Cuius confidentiæ effectu priuatus non eſt. Eo quippe inter ſacroſancta Miſſarum ſolennia ſacras manus extendente, & Deum patrem omnipotentem, vt Eccleſiã ſuã Catholicam pacificare, cuſtodire, adunare & regere dignaretur toto orbe terrarum, interpellante, niuea columba multis intuentibus de cælo deſcẽdit, & donec ſacrificium conſũmptum eſſet, ſuper caput eius expanſis alis & quaſi immotis ſub ſilentio manſit. Inter hæc quid animi gereret ſeruus Dei, quo amore, qua dulcedine, quo deſiderio putas in Deo paſcebatur, qui ex præſenti gratia Dei, tali viſitatione fouebatur? Conſũmpto ſacrificio, columba eadem in Auſtralem altaris partem declinauit, & ſuper tumulum B. Odonis, cuius ſuprà mentionem fecimus, ſe reclinauit, alis ſuis hincinde illum cõplexans, & quaſi roſtro deoſculans. Quod B. Dunſtanus intuens, & exinde meritum iacentis appendens, in tanta eum deinceps reuerentia habuit, vt quoties ſepulchrum eius tranſiret, genua flecteret. Cognomine quoq; boni in materna lingua poſt hæc ſemper eum nominare cõſueuit, videlicet: Odo ſegode, quod Latinè ſonat, Odo bonus. Quo cognomine ex eo tempore vſq; ad hanc noſtrã ætatẽ ſolet ab Anglis, maximè tamen in Cantuaricis, nuncupari. Percantata miſſa, Dunſtanus ab altari digreditur. Miniſtris autem eius pro ſigno, quod acciderat, his & illis innuentibus, & alios ex fratribus miniſterio Põtificis affuturos ſuſpicantib. ipſi ſe in diuerſa tollunt, ac virum, immenſis adhuc ex præſentia gratiæ Dei lachrymarum imbribus madentem, ſolũ relinquunt. Et ecce dum caſulam, qua inter ſacra veſtiebatur, deponeret, nec vllus adeſſet, qui eam ſuſciperet, diſponente Deo, ſuſpenſa pependit in aëre, ne cadẽs in terram, ſeruum Dei à ſua turbaret intentione.

Nota ſeueritatem ſancti viri in eos, qui monetã adulterârant.

Columba cælitùs veniens, ſacrificantis capiti inſidet.

Nota.

Per id fermè temporis rogatus à quodam viro nobili & religioſo, dedicauit ei Eccleſiam vnam, quam ipſe in fundo ſuo conſtruxerat. Vbi ad miniſterium aqua deficiẽte, & ob hoc homini nonnulla mœſtitudine ſubripiente, famulus Dei præmiſſa prece terram baculo percuſſit, ilicoq; fons limpidiſſimus erumpens, omnes, qui præſentes erant, non modicum lætificauit. Qui fons vſque hodiè manans, Dunſtani nomen & meritum celebre facit. Idẽ pater à Cantuaria in remotiores villas ſuas opportunis ſpatijs hoſpitia ſua diſponens, apud Magaueldam, ſicut & in alijs hoſpitiorum ſuorum locis, ligneam Eccleſiam fabricauit. Quam ipſemet dedicans, dum ex more circumiret, & eam ad æquinoctialem ſolis ortu minimè verſam perciperet, fertur quòd tranſiens humero ſuo illam aliquãtulùm præſſit, moxq; mutatam à proprio ſtatu, in medium orientis tramitem pro voto conuertit. Quod ipſum facilè potuiſſe efficere, nemo ambigit, niſi qui verbis domini Chriſti, quibus fidem ſicut granum ſinapis habẽtibus promittit, quòd etiam montem dicto transferent, incredulus exiſtit.

Cap. 33.

Excitat fontẽ precibus è terra.

Matth. 17.

Inter huiuſmodi opera Dunſtanus Deum ſemper in mente habere, Deo, quicquid boni perficiebat, non ſibi, adſcribere: magnum humilitatis, minimum elationis cor per omnia & in omnibus poſſidere. Cùm autem à ſecularium negociorum occupationibus ei quies arridebat, modò contemplationi diuinæ & orationib. incumbebat, modò ſacrarum ſcripturarum lectioni & earum expoſitionibus intendebat, modò fratrum exhortationi, ſeu librorum emendationi ſedulus operam impendebat. In compũctione verò lachrymarum tanta gratia præditus erat, vt quoties eum ſacris altaribus ſiſti, vel aliquo officio Pontificali fungi conſpiceres, Spiritusſancti feruore mentẽ eius accendi, & quæ ipſe exteriùs adminiſtrabat, illum interiùs operari per indices ex oculis illius decurrentes lachrymas non dubitares. Hæc inter ſibi & ſucceſſoribus ſuis competentia, tam intra muros vrbis, quàm & in quibuſq; villis, ad archiepiſcopatum

Cap. 34.

Exercitia eius ab occupationibus vacui.

 perti-

pertinentibus,ædificia conſtitui,vel cõſtituta,ſi qua ex parte diruta eſſent,renouari faciebat,ſe ſcilicet in iſtis non modò ſibi,ſed & multorum vtilitati natum viuereq; perpendens. Præterea cunctarum eccleſiarum totius Britanniæ adiacẽtiumq; inſularum ſolicitudinem ſtrenuus gerebat,& earum cauſas,quæ ad eum, ſicut ad primatem & patriarcham quotidiè ferebantur,diſponebat. Et quia vigilanti ſtudio domino Chriſto per omnia famulabatur,ſæpè ciuium ſupernorum gaudijs atq; concentibus angelorũ, ad quos ſuſpirabat,miſcebatur,aliquando corpore vigilans,aliquando ſancto ſopore quieſcens,Quodq; fortaſſis nõ minùs ſtupeas,per viſum quædam à ſpiritibus didicit, quæ poſteà in ſeruitio Dei canenda ſuos edocuit.

Cap. 35. Viſio eius cæleſtis. Quadam etenim nocte,cùm membra quieti dediſſet, per viſum in ſuperna raptus eſt. Conſpexit itaque,& ecce mater ſua cuidam regi potentiſſimo in cõiugium ſub immenſa confluentium magnatum lætitia & exultatione copulabatur,reſonantibus vndiq; hymnis ac laudibus in gloriam eiuſdem regis,organis quoq; ac diuerſis melodijs concrepantibus in his regalibus nuptijs. Quibus dum ipſe magnificè delectatus intenderet,atq; ad ea totum ſui cordis affectum arrigeret,acceſſit ad eum iuuenis quidam, candidiſſimo tectus amictu,dicens illi: Cùm videas & audias iſtos lætantium ac iubilantium choros,cur te illis non copulas? cur laudibus eorum non commiſces laudes tuas? Et quidem ſi in deſponſatione matris tuæ à voce laudis & exultationis cuncti ſilerent,tu ſilere non deberes, nedum illis non tacentibus ſolus tacere. Ad hæc verba, quid in laudem tanti regis cantaret,ignorare ſe reſpondit. Sciſcitatur ergo iuuenis, an à ſe,quod decenter canere poſſet,inſtrui vellet. Quod cùm ſibi acceptiſſimũ fore profiteretur,docuit eum antiphonam iſtam: O rex,gentium dominator omnium,propter ſedem maieſtatis tuæ,da nobis indulgẽtiam,rex Chriſte,peccatorum,alleluia. Quam pater per viſum ſæpiùs repetens,& in laudem præfati regis frequentiùs canens, mira iucunditate paſcebatur. Expergefactus autẽ à ſomno,ſurrexit gemens,eò quòd à tantis gaudijs,tam ſubitò ſe in huius mundi ærumnis inuenit. Antiphonam verò ſtatim, ne obliuioni daretur,ſcribi præcepit,eamq; à ſuis poſtmodùm cantari ſæpiùs in ſua præſentia fecit. Ex qua etiam magnæ ſuauitatis feruor ob recordationem glorioſæ viſionis ipſi generabatur,& grande deſiderium pertingendi ad tantum bonum in animo illius multiplicabatur. Hanc viſionem,quæ pręter illam,qua olim patris ſui & matris animas inter choros angelicos vidit,ei apparuit,quidam,qui ante me de iſtis ſcripſit, vult myſticè referri ad matrem Eccleſiam,quæ Chriſto ſummo regi per bona opera deſponſatur,& ex qua Dunſtanus & quiſq; fidelium per ſacri baptiſmatis vndam renatus,alimentis paſcitur atq; nutritur. Quòd autẽ Dunſtanum angelus docuit à dominatore gentium petere indulgentiam peccatorum,oſtendit quid Pontifices agere debeant,quoties ad exorandam maieſtatem Dei pro ſuis populiq; delictis ſancta ſanctorum introëunt.

(Margin: Antiphonã diſcit diuinitùs. — Eccleſia vt Chriſto deſponſetur.)

Cap. 36. Alio quodam tempore rex in die Dominica manè venatum iuit, & Dunſtanũ, qui tunc fortè ſecum erat, Miſſam ſuam,donec veniret,differre petiuit. Appropinquante ergo hora tertia,vir Dei ad eccleſiam procedit,& indutus ſacris veſtibus, regem, ſicut ei promiſerat,expectabat. Stabat ergo cubitis innixus altari,orationi ac lachrymis deditus. Tum ſubitò ſopore leuiter preſſus,in cælum rapitur,& beatis angelorum agminibus aſſociatus,audit eos ſummæ Trinitati in laudem modulatis vocibus decantantes,Kyrie eleiſon,Chriſte eleiſon,Kyrie eleiſon. Quorum melodiam cæleſtium contemplator edoctus,ad ſe reuerſus eſt. Et conuerſus ad ſuos,interrogat, rex ne venerit, an non? At vbi eum nondum veniſſe accepit, ad ſuas preces ſeſe conuertit. Factoq; non grandi interuallo,iterum extra ſe ductus,audiuit in cælis altiſona voce dici: Ite, Miſſa eſt. Ad quod cùm, Deo gratias,reſponderetur: accurrentes clerici regis,regẽ adeſſe vociferantur,ſacerdotẽ vt feſtinantiùs Miſſam celebret,obſecrant. At ille verſus ab altari, Miſſam ſe habere pronunciat,& aliam ſe ea die celebraturum abnegat. Depoſitiſq; veſtibus ſacris,à ſuis de re inquiritur: quod latebat,aperitur. Ex hoc itaq; ſumpto ſermone,regem in diebus Dominicis deinceps à venatu prohibuit. Kyrie eleiſon verò,quod in cæleſtibus didicit,ſuos docuit,idq; multis in locis hodie ſancta Eccleſia inter Miſſarum ſolennia canit.

(Margin: Ecſtaſin patitur, & audit cęleſtia. — Iterũ rapitur ſpiritu.)

Cap. 37. Noctibus loca ſacra ambulit. Moris erat viro loca ſancta, quando Cantuariæ morabatur, vno tantùm fideli ſocio comitatus,noctu peragrare,& ſe inibi per compunctionem & contritionem cordis Deo mactare: Quadam igitur vice ad monaſterium beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli,in quo beatus Auguſtinus & alij nonnulli de patribus Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis tumulati ſunt,ex more circa medię noctis ſilẽtium perrexit, ibiq; Deo

ſe diutiùs in oratione proſtrauit. Egreſſus verò, ad oratorium beatæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, quod in orientali ipſius monaſterij parte ſitum erat, eadem facturus diuertit. Cui appropinquans, audiuit intus voces pſallentium atq; dicētium: Gaudent in cælis animæ ſanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideò cum Chriſto regnabunt in æternum. Ad hæc ille obſtupefactus, adſtitit oſtio, ac per rimas illius introſpiciens, (erat enim obſeratū) intuetur oratorium totum immenſa luce ſplendere, & quendam cuneum candidatarum perſonarum ipſam antiphonam lætis concentibus reſonare. Alio item tempore præfata paſtorum Eccleſiæ limina ſimili hora pari voto requirens, vbi inde diſceſſit, memoratam ſacratiſſimæ Virginis ædem, preces Deo illic fuſurus, adire cœpit. Ecce autem ipſa beatiſſima virginum Virgo, comitata numeroſo virginum choro, venienti viro occurrit, & ſummo cum honore ſuſceptum ad ſuam Eccleſiam, quô tendebat, ducere cœpit, præcinentibus duabus de choro puellis illud Sedulij carmen atq; dicentibus: Cantemus ſociæ domino, cantemus honorem: Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio. Quos verſus cùm chorus virginum reſumendo percantaret, prædictæ binæ præcentrices binos, qui ſequuntur in ordine, verſus proſecutæ ſunt: Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus: Sic homo cùm tumuit, primus ad ima ruit. Sicque donec vir Dei in oratorium perductus eſſet, virgineus chorus primos, & virgines binę binos, iuxta quod ſeries hymni ſeſe habet, verſus modulatæ ſunt. Propter hæc & horum ſimilia inſignis Pater Dunſtanus quanti honoris, quantæ reuerentiæ vel magnificentię apud omnes bonos extiterit, æſtimo, quòd qui talia Dei dona amplecti nouit, magna ex parte & me ſilente videbit. At his, qui potiùs in malitia, quàm in bonitate vitam agere ſatagebant, horrorem atque terrorem vultus eius incutiebat, vt ab eo fugere, quā ad eum accedere, mallent. Omnes verò, qui peruerſa acta ſua deſerere, & ad recta opera cupiebant tranſmigrare, veræ pietatis ac miſericordiæ viſceribus eum redundare ſentiebant, & vltra humanam æſtimationem conſilium ſimul & auxilium ſuæ ſalutis in eo reperiebant. A remotis itaq; terrarum partibus ad eum paſſim currebatur, & quo illum præminere notum erat, Spiritusſancti conſilium ab eo petebatur. Sed ad iſta, ſi diaboli odium & inuidia ſæuiebat, nulli mirandum. Sed quia ſe in perturbatione viri nihil poſſe, niſi quòd iam certò ignominiam ſibi, & illi maiorem gloriam adferret, ſciebat, ab ea, qua illum ſæpè fatigare ſolebat, impugnatione ſeſe cohibuit. Verùm, vt eum conturbatum redderet, Edgaro regi, quem multùm pro ſua reuerentia diligebat, laqueum miſerandæ deceptionis tetēdit, & irretitum grauis peccati næuo inuoluit.

Cæleſtibus afficitur cōſolationib. & viſionibus.

Malis aſpectus eius horrori fuit.

Cap. II.

Quadam enim vice idem rex in monaſterium virginum, quod † Vuiltoniæ ſitum habetur, venit, ibique captus in ſpecie cuiuſdam puellæ, quæ de nobilibus Anglorum nata, inter ſanctimoniales non velata nutriebatur, cuſtodiebatur, eam ſuo colloquio adduci ſecretiùs iuſſit. Illa cùm duceretur, timens pudori ſuo, raptum ab vna ſanctimonialium capiti ſuo velum impoſuit, eo modo ſe protegi ſperans, ſi fortè rex, quid inhoneſti à ſe exigere vellet. Quam ipſe velatam intuens: Quàm ſubitò, inquit, ſanctimonialis effecta es? Arreptumq; velum detraxit capiti eius, illa conatu, quo poterat, fruſtrà obnitente. Abuſus ſiquidem ea eſt, & graui ſcandalo quiq; per Angliam religioſi ex hoc mente vulnerati ſunt. Quod ſcandalum eovehementius fuit, quòd rex idem legitimam vxorem habebat, Elfledam videlicet, cognomine Candidā, Ordineri præpotentis orientalium Anglorum Ducis filiam, de qua & ſanctum Edvuardum genuerat. Vbi verò res Dunſtano innotuit, acerbo mœrore percuſſus eſt. Igitur cùm in re nō ſegnis ad regem veniret, & ille venienti pro more occurreret, eumque per manum ad ſolium ſuum perducere vellet, manum Dunſtanus turbato vultu retraxit, nec eam ab homine contingi paſſus eſt. Ad quod ille attonitus (non enim illum ſcire putabat, quod clanculò à ſe factum exiſtimabat) cur manum ſibi non dimitteret, inquiſiuit. Ait: Tu poſtpoſito omni pudore, adulterium commiſiſti: tu deſpecto Deo, ſignum caſtitatis non veritus, virgini ſuam integritatem præripuiſti: & cur manum, ſummo patri virginis filium immolantem, impuris manibus non tradam, quæris? Laua priùs per pœnitentiam manus tuas à ſordibus ſuis: & tunc demum, quò gratiæ Dei reconcilieris, honora & amplectere manum Pontificis. Territus ille ad hæc, terræ procumbit, pedes antiſtitis petit, ſe peccâſſe, gemitu verba interrumpente, cōteſtans. Quod Dunſtanus videns, tantum in rege humilitatis exemplum vehemēter amplectitur: Velociùs ergo illum erexit, & pacato vultu cum eo familiariter, quæ ſalutem animæ eius operarentur, loquens, ſeptennem ei pœnitentiam iniūxit. At ille pontificali abſolutione

† Mulumię.

Vir ſanctus grauiter caſtigat regis libidinem.

Vide ſeptennē pœnitentiā tāu regis

 potitus,

potitus, omni ſtudio iniunctę ſibi pœnitentiæ operam dare, & multa, quibus Deû placaret, pietatis opera ipſi pœnitentiæ, inſtinctu & conſilio patris ſui, ſolicitus cœpit ſuperaddere. Ipſe præterea omni ordini hominum, in ſuo regno conſiſtentium, legibus ſibi in Christiana religione ſancitis vti præcipiebat: ipſe ſecùs agentes indicta vindicta corripiebat: ipſe in prauitate perſiſtentes, cōdigno examine puniebat. Exempli cauſa: Ordo clericalis ea tempeſtate plurimùm erat corruptus, & canonici cum presbyteris plebium, voluptatibus carnis plùs æquo inſeruiebant. Quod malum Dunſtanus corrigere cupiens, authoritate Ioannis, Apoſtolicæ ſedis antiſtitis, apud regē obtinuit, quatenùs canonici, qui caſtè viuere nollent, eccleſijs, quas tenebant, depellerentur, & monachi loco eorum intromitterentur.

[illegible] pœnā [in]continentium Canonicorum.

Cap. 39. Præſidebat ea tempeſtate Vuentanæ eccleſiæ præſul Athelvuoldus, vir eximiæ ſanctitatis, & educatione patris Dunſtani non parùm inſignis. Hic cognita de canonicis eccleſiæ ſuæ, qui nimiùm ſeculares exiſtebant, voluntate Dunſtani, monuit eos ſemel & ſæpiùs mores & actus mutare, correctioris vitæ ſemitas, relictis fœminis, arripere. At impręſentiarum quidem id ſibi poſſibile eſſe negantes, voce coruina ſemper in craſtinum correctionem ſuî pollicebantur. Quod ipſe gnarus non diu ſuſtinuit. Paratis nanq; quamplurimis monachorum cucullis, die, quo Communio: Seruite domino in timore, cantabatur, chorum intrauit, veſtes, quas parauerat, ſecum deferri faciens. Et proiectis illis in medium, canonicis ait: Animaduertiſtis, quid modò cantaueritis? Animaduertimus, inquiunt. Igitur, inquit, ſi ſeruire domino in timore, & ei vultis exultare cum tremore, apprehendite diſciplinam, veſtem videlicet monachalem, ne pereatis, ſicut cantâſtis, de via iuſta. Ad quod illi obſtupefacti, more ſolito inducias petunt, id ſe facturos in futuro promittunt. Tunc ille: Mihi credite, ampliùs nō credam huic veſtræ ſponſioni coruinæ: ſed aut diſciplinam in præſenti appręhendetis, aut loci iſtius beneficijs & conuerſationi, hinc eliminati, iamiamq; cedetis. Itaq; nōnulli ex illis ſtatim, abiecto clericali habitu, monachi facti ſunt, cæteris verbo pontificis de eccleſia eliminatis. Cæterùm quia iſti, qui ita nouiter fuêre conuerſi, regularis diſciplinę normam ſine aliorum magiſterio doctè ſeruare nequibant, monachi de Abendonia illuc ab eodem pontifice adducti ſunt, qui monaſticæ inſtitutionis tramitem ibi docerent. Clerici verò, qui eiecti ſunt, citato greſſu regem adeunt, iudicium atq; iuſtitiam ſibi de expulſione ſuî fieri poſtulant. Refertur negocium ad audientiam Dunſtani, & ipſe eos æqua poſtulare pronunciat. Igitur ex præcepto regis & archiepiſcopi coit Vuintoniam nobilitas regni totius, & rex cum ſua coniuge adeſt, ad determinandas querelas negocij huius. Surgunt hincinde lites, quas Dunſtanus propoſitis rationibus deſtruit omnes. Rationabiliter quippe cunctis oſtendit, clericos, qui à ſorte Dei incorrigibiliter per prauitatem vitæ ſuæ diſſiliunt, nil per rectitudinem ſibi vendicare poſſe ex ijs, quæ eccleſijs data ſunt ad ſubſidium eorum, qui in clericatu pura conuerſatione ſeſe cuſtodiunt. Quibus auditis, omiſſa omnis controuerſia eſt, & rex atq; ex principibus plerique, clericorum precibus ad pietatem vſq; permoti, Dunſtanum interpellant, quatenus hac ſola vice parcat, & clericos iam, quid amodò, ſi ſe nō correxerint, incurſuri ſint, re ipſa edoctos, de eccleſia ſua reueſtiat. Silet ille ad iſta, quidq; potiſſimû de negocio ſit agendum, demiſſo capite, mente pertractat. Silentium ingens occupat omnes, & ſuſpenſi, ad reſponſum pontificis eriguntaures. Tunc ſubitò crucifixi Dei imago, ſigno Crucis in edito domus affixa, audientibus cunctis, dixit: Non fiet, non fiet. Iudicâſtis benè, mutaretis non benè. Tremefacto in his ſimul vniuerſo conuentu, intulit pater Dunſtanus, & ait: Quid ampliùs vultis fratres mei? Diuina ſententia definitum audiſtis negocium præſens. Aiunt: Audiuimus verè. Reſederunt ergo monachi Vuintoniæ ſecuri, & quoad clerici ipſi vixerunt, qui eos ſuper cauſa iſta inquietaret, nemo fuit.

Athelvuoldus ſanctus Epiſcopus Canonicos incontinentes mutat in monachos, cæteros expellit.

Ecce rem ſtupēdam.

Cap. 40. Illis autem huic vitę ſubtractis, filij eorum cupientes recuperare, quæ perdiderant in parentibus ſuis, in Scotiam miſerunt, & inde quendam pręgrandis, vt fama ferebat, eloquentiæ virum, Bernelinum nomine, magno conductum precio, in tuitionem ſuę cauſæ contra Dunſtanum adduxerunt. Conglobati ergo ſub vno clericorum filij, regem atq; Dunſtanum apud villam, quæ dicitur Calne, in quodam cœnaculo conſiſtentes reperiunt, & armati rhetore illo, qui ſuæ victorię ſpes maxima erat, antiquę calûniæ corā eis iurgia promunt. Ad quę Dunſtanus his verbis breuì reſpondit: Calumniā iſtam, quam mouetis, diuino ore olim definitā nouimus, nec eam nouo conflictu ampliùs in medium reuocandam exiſtimamus. Ego quoq; grandæuus ſum, & vitæ meæ reſiduum, quod pauci temporis eſſe non neſcio, in pace, ſi licuerit, tranſigere cupio.

Laboraui,dum potui:amodò totius laboris impatiens, domino Deo cauſam Eccleſiæ ſuæ contra inſurgentes hoſtes tuendā cōmitto. Dixit,& ecce ſolarium ſub pedibus eorū,qui aduersùs virum conuenerāt, eueſtigiò cecidit,omnesq; pariter præcipitatos, in ſuo caſu non modicùm læſit. Vbi verò Dunſtanus cum ſuis conſiſtebat,nulla ruina domûs,nullus emerſerat caſus. Hoc ergo modo calumnia clericorum eſt ſopita,& vſque hodiè monachorum conuerſatio in ipſa eccleſia ſtabilita. Eiecti nihilominùs per id temporis,& alij complures clerici horum ſimiles de ſuis eccleſijs ſunt, & monachi in locum eorum ſubſtituti. Aucta eſt igitur religio per Angliam in tantum,vt quadraginta & octo monaſteria monachis vel ſanctimonialibus inſtituerentur, cooperantibus B. Dunſtano in hoc viris venerabilibus,Oſvualdo videlicet,qui primò Vuigornienſis,poſteà fuit Epiſcopus Eboracenſis,& Atheluuoldo epiſcopo Vuintonienſi, quorum ſuprà meminimus. Vitam itaq; Dunſtani & actus formidabāt omnes, qui incedere volebant iuxta vias adinuentionum ſuarum.

En iterum rem admirandam.

48. monaſteria ſub Dunſtano inſtituta.

Inter hæc ſopito negocio,quod regem Edgarum,ne regio more coronaretur, detinuerat, Dunſtanus adunatis Epiſcopis, Abbatibus,& cæteris Principibus cū tota regni ingenuitate,coram eis adſtante innumera populi multitudine,impoſuit illi coronam regni,gaudentibus cunctis & iubilantibus Deo in voce laudis & exultationis. Ipſo autem poſt biennium,quo hæc facta ſunt, immatura morte præuento, Eduuardo filio ſuo totum regnum hæreditario iure reliquit. Qui Eduuardus cùm in regem conſecrari deberet,nonnulli de principibus terræ contraire,ne rex fieret,niſi ſunt: tū quia morum illius ſeueritatem,qua in ſuorum exceſſus acriter ſçuire cōſueuerat: tum quia matrem eius,licet legaliter nuptam,in regnum tamen non magis quàm patrem eius, dū eum genuit,ſacratam fuiſſe ſciebant. Sed Dunſtanus diſcretione & induſtria confiſus adoleſcentis,vnum non metuens,& obſeruato paternæ hæreditatis & teſtamenti iure,aliud contemnens,arrepto ſanctæ Crucis vexillo,medius conſtitit,& per rationem cunctis,quæ obijciebantur,eliſis, Eduuardum regem conſtituit, & conſtituto paternū affectum,conſilium & auxilium in omni negocio,dum vixit,exhibere curauit. Rex quoque ita mores ſuos in omnibus,& per omnia componebat,ita totum regnum ſanctis legibus diſponebat, vt & actus eius Deo placerent,& eò,quòd in ſuſcipiēdo regno ei contradixerant, ſibimetipſis quiq; diſplicerent. Sed illo poſt aliquot annos per fraudem nouercæ ſuæ interfecto, Ethelredus filius illius malæ mulieris,in regnum ſubſtitutus eſt,matris ignominia magis,quàm patris ſui ſolertia præditus. Cuius prouectio nō vſquequaq; ſedit Dunſtano: ideò tamen,quòd proximus regni hæres exiſtebat, compleuit ei ius regium,ſciens ſe inoffenſis legibus terræ atq; principibus id non poſſe trāſferre in quenquam alium. Attamen illum ſolio regali potitum,ſeuero quodam verborum tonitruo, quia per ſanguinem fratris ſui regnū obtinuerit,increpauit,& quòd in ſanguine victurus,& poſteri illius crudeli Barbarorum incurſu deuaſtandi, tota etiā terra per plurima ſecula ſæuo illorum dominatu foret depopulanda, prædixit. Quæ licèt ſe viuente euētura negârit,euētura tamen omninò eſſe,nimis veraci, vt & in Chronicis legimus,& hodiè videmus, prophetia aſſeruit. Accelerabit,cùm ſibi placuerit, omnipotens Deus,quam ſubſecuturam promiſit, liberationem per tanti vatis ſui merita & interceſſionem. Et quidem illum ſpiritu Prophetiæ claruiſſe,nō tantùm hinc, ſed & ex nonnullis alijs,quæ conſtat eum veraciter prędixiſſe,confirmamus,& id ſubiecto exemplo probamus.

Cap. 41.

Edgardus rex coronatur à Dunſtano.

Eduardus Angliæ rex à Dunſtano cōſtituitur.

Eduardi cædes.

Prophetia S. Dunſtani

Quodam tempore venit Cantuariam ſuprà memoratus Atheluuoldus Vuentanus epiſcopus,& aliquot diebus ibi detentus eſt. Detentus eſt etiam Roffenſis epiſcopus, qui illō ſimul venerat,detinente vtrunque patre Dunſtano charitatiua affectione,dulciflua vitæ perennis cōtemplatione, diuini verbi collatione,& ſacrorum morum exhortatione & inſtructione. Cùm autem ipſe Pontificum pater, comitatus ipſis duob. epiſcopis, Cantuaria decederet,& pariter longiùs remotos quenq; ab altero deſtinati hoſpitij via dirimeret,ambo Pontifices à Dunſtano benedici petentes,ab eo diuertere & ſuum iter cupiebant accelerare. Verùm ipſo manum extendente ad benedicēdum, ſubitò in lachrymas acerbas erupit,cœptæq; benedictionis verba ſingultus ſubſequēs interrupit. Illis verò grandi ad rem ſtupore perterritis, quidnam haberet, quòd tam anxiè fleret? ſciſcitati ſunt. Reſpondit: Fleo,quia vos,quos modò ſanos & alacres video,in hac vita non ampliùs me viſurum admodùm doleo. Nā in proximo eſtis morituri,& ad gaudia regni cæleſtis tranſeuntes,me in huius vitæ miſerijs relicturi. Cui cū ipſi dicerent: Ne,pater oramus,de noſtra morte ita loquaris: Fixum, ait, quod dixi, tenete: quoniam ſic eſt,& non eſt mutabile. In his dato altrinſecùs oſculo pacis, ab inui-

Cap. 42.

Prædicit mortē duorum Epiſcoporum.

cem diuiſi ſunt. Igitur antiſtes Roffenſis mox, vbi ſui pontificatus ciuitatem ingreſſus eſt, elanguit, & euolutis in infirmitate diebus paucis, defunctus eſt. Vuintonienſis verò, priuſquàm ad ſedem ſuam venire poſſet, languore corripitur, & iuxta verbum viri Dei, non longa mora interueniente, finitur. Ex cuius obitu grauis mœror Dunſtanũ corripuit, tum quia tanti viri ingens ſolatium amiſerat: tum quia cui potiſſimùm teneræ adhuc ſtatum eccleſiæ gerẽdum cõmitteret, dubius fluctuabat. Quos fluctus ingerebãt animo eius, hinc monachi nuper intromiſſi, hinc clerici ab eccleſia illa eiecti. Monachi quippe ſuę profeſſionis virũ habere epiſcopũ prętoptabant: clerici verò ſui ordinis hominẽ ſibi præfici deſiderabãt: illi videlicet per monachũ in eccleſia ſibi collata cupientes ſolidari: iſti per clericũ eccleſiæ ſibi ablata ſperantes reformari. Sed hæc prouidens ſapientia & ſapiens prouidentia Dei citiùs determinauit. Nam per B. Andream apoſtolum, cui ſpeciali quodam dilectionis affectu Dunſtanum adhærere Deus conceſſerat, Dunſtano mandauit, quatenùs nihil hæſitans Elphegum Abbatem Bathonienſem conſtitueret Vuentanæ eccleſiæ ſummum ſacerdotem. Lætatus eſt Dunſtanus in iſtis, & reddita Deo gratiarum actione pro ſuis beneficijs, in Elphego perfecit, quod ei per Apoſtolum ſuum Deus ipſe præcepit.

Elphegũ inſtituit Vuintonienſem Epiſcopum

Cap. 43.

Multa de hoc viro, iuxta quod multorum non ſpernenda teſtimonia ferũt, adhuc literarum memoriæ veraci ſtylo commendare poſſemus: verùm ne incultæ narrationis prolixitate quenquam grauemus, prætermiſſis illis, ad ſacrum tranſitum eius enarrandum cor & linguam præparemus. Sed quia noſtræ opis iſthuc non eſt, oremus, vt ipſo, de quo agimus, interueniente, perficiatur ab eo, cuius hoc donum & gratiam ſcimus eſſe. Dies igitur, quo dominus noſter Dei filius, deuicta morte cælũ victor aſcẽdit, celebris illuceſcebat, & Dunſtanus, expleto noctis officio, ſolus in eccleſia Saluatoris Cantuariæ, pro tanti gaudij conſideratione, Chriſto totus inhærebat. Intereà cõſpexit, & ecce innumera candidatorum multitudo virorum, coronas aureas in capite geſtantium, inæſtimabili fulgore micantium, per eccleſiæ ianuas irrumpens, coram ipſo conglobata conſtitit, & vna voce ei huiuſmodi ſalutationis alloquium perſoluit: Salue Dunſtane noſter, ſalue. Mandat tibi, quem piè deſideras, filius Dei, quatenùs, ſi paratus es, venias, & diem hanc, ad cuius gaudium vnica dilectione ſuſpiras, nobis aſſociatus, in ſua curia gratioſus & hilaris celebres. Ad quorum vultus & voces ille imperterritus manens, ſciſcitatus eſt, quinam eſſent? Cherubin, inquiunt, ſumus & Seraphin: quicquid velis, ad hæc reſpondeas volumus. Tunc ille ſacro cordis ac mentis affectu, cum ſupplici voce pro tanta gratia grates debitas agens: Hac, inquit, die, qui honor, quæ ſpes, quod gaudium in aſſcenſione domini Ieſu Chriſti omni generi humano prouenerit, ô ſancti & beati ſpiritus, nôſtis. Nôſtis nihilominus officij mei eſſe, oues ipſius domini mei mihi commendatas, hac die vitæ æternæ pane reficere, & eas, quo tramite illum ſequi debeant, quò proceſſit, informare. Cuius etiam rei gratia plurimi conuenêre, nec meum eſt in tali negocio illos decipere. Propter hęc, quò me inuitatis, non poſſum hodiè venire. Dixerunt: Eia prouide, vt die ſabbathi præſtò ſis hinc nobiſcum Romam tranſire, & coram ſummo Pontifice, Sanctus, Sanctus, Sanctus æternùm canere. Annuit ipſe dicto, & illi in inuiſibilia ab oculis eius dilapſi ſunt. Huius admirandæ viſionis preſbyter quidam, Elfgarus nomine, qui in excubijs domûs Dei aſſiduus eſſe ſolebat, quiq; poſtmodùm, ſicut referente ſcriptura accepimus, inſignis in Elinham epiſcopus claruit, conſcius eſſe promeruit. Nam nocte eadem peruigil ſacris meditationibus deditus, illuceſcente aurora, extra ſeipſum per viſum raptus eſt, viditque B. Dunſtanum cathedræ pontificali præſidere, & ei canonica iura clero dictanti, formoſorum iuuenum immenſum agmen aſſiſtere. Audiuit etiam ea, quæ proximè digeſſimus, eoſdem iuuenes ei dixiſſe, quæq; retulimus, ab eo illis reſpõſa fuiſſe. Quod vt reor, ea de re viro illi dominus patefieri voluit, quatenùs & gloriam tranſituri fideli teſtimonio commendaret, & ipſe ad eandem gloriam tanto indicio vehementiùs anhelaret, necnon antiſtes quandoque futurus, eam ſuis, vtpote cognitã, certiùs prædicaret.

Viſio iucũdiſſima S. Dunſtano oblata.

Vide ſanctiſsimi viri ſummam perfectionẽ

Cap. 44.

Dunſtanus itaq; de gaudio domini ſui, ac de imminente ſibi æterna felicitate ſecurus, gratulabundus in domino lætabatur, & ſpirituali ad omnes iucunditate replebatur. Iam diurni officij hora inſtabat, & Pontifex illud celebraturus, feſtiuus ad altare proceſſit. Populorum turba quaſi deitatis inſtinctu ad aliquid noui audiendum ſolito numeroſior aduolans, eccleſiæ parietes, vix multitudini ſufficientes, vndique complet. Lecto igitur ad Miſſam Euangelio, procedit epiſcopus populo prædicaturus, & regente cor eius & linguam Spiritu ſancto, locutus eſt, qualiter antè nunquam fuit locutus.

cunis R euerſus deinde ad altare,panem & vinum in corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti,immaculata benedictione conuertit. Vbi verò ad benedictionem ſuper populum ventum eſt,iterum populo prædicaturus,ab altari digreditur,& debriatus ſpiritu Dei, ſic de veritate corporis Chriſti,ſic de futura reſurrectione,& vita perenni tractauit,vt ipſius perpetis vitæ ciuem loqui putares,ſi perſonam loquentis cognitam priùs nō haberes. De obitu tamen ſuo nullam mentionem fecit inter loquendum,pia videlicet animi teneritudine & tenera pietate præuentus,nolens eis triſtitiæ malum duplicatum ingerere,quibus diem mortis ſuæ iudicabat ſimplici triſtitiæ malo poſſe ſufficere. Sermone finito,altare repetijt, & pontificalem benedictionem ſuper populum edidit. Intereà nimiùm mente vulnerabatur, metuens videlicet,ne chariſſimi ſui, quos deſerebat,improuiſo mortis ſuæ iaculo percuſſi,atrociùs dolerent , quàm,ſi antequàm adictum venirent,illud præuiderent. Vnde data benedictione,tertiò populum,cunctis ſtupentibus,adijt. Mox autem vt os ad loquendum aperuit, tanta claritate vultus eius reſplenduit,vt in toto illo conuentu nemo eſſet,qui radios oculorum irreuerberata acie in eum figere poſſet.' Tranſubſtantiatio. Nota, de veritate corporis Chriſti. Mirè ſplendet vultus eius.

Quæ ergo dulcedo,quæ ſuauitas,quæ iucunditas repleuerit corda & ora cunctorum,qui præſentes quæ dicebantur,meruerunt intelligere,verbo ſeu ſcripto exponere ſcio nulli eſſe poſſibile. Sed vbi ſeruus Dei inſtantem ſui obitûs diem detegere cœpit,omnis exultatio mœrore concutitur,& tali mœrore, vt ipſe pater,qui iam gaudijs perennibus inſerebatur,motus admiranda pietate,qua præditus erat, vnus de mœrentibus eſſe videretur. Verùm iniecta vi ſpiritui † ſancto,lachrymans,lachrymantes cōſolabatur,dicens inter alia,nequaquàm debere eos de tranſitu eius dolere,quem non labor aut pœna,ſed quies & gloria perpes exciperet. Dicebat enim neminem in veræ charitatis radice fundatum,qui magis ſuum temporale commodum, quàm proximi perpetuum diligeret emolumentum. Ad firmamentum quoq; conſolationis ipſorū promiſit in ſpe gratiæ miſericordis Dei,quòd licèt illis corpore abſens fieret, nunquā tamen eis præſentia ſpiritûs ſui abeſſet. Finitis eiuſcemodi dictis,commēdauit omnes Chriſto,& demum illis adhuc glorioſum vultum eius deſiderantibus,ad mēſam Domini vitam ſuam epulaturus aſſcendit. Ipſa die cùm à menſa ſumpto cibo ſurrexiſſet, venerando ſuorum cœtu ſtipatus,oratorium petijt,deſignatoq; loco, in quo ſepeliri volebat,ſepulchrum ſibi præparari præcepit. Inde iam languor ſacri corporis artus inuadit,& ſua Dunſtanus inualida membra quieti tradit. Itaq; ſexta ſequenti feria lecto decumbit,& inceſſabili mentis deuotione Deo intentus,omnes aduentātes ad ſectanda Ieſu Chriſti veſtigia incitabat. Cap. 45. for. † ſuo. Ecce nō deſunt ſancti nobis præſentia ſpirituali.

Sic dies ille defluxit,& laboris Dunſtani vltimus, beatæq; quietis primus dies illuxit. Confluit clerus & populus omnis,trepidi præſtolantes euentum,quem de ſe prędixerat paſtor communis. Etiam Dunſtanus gaudium Domini ſui intrare auidus,horā, angelica ſibi viſitatione prædictam,corpore Chriſti ſaginatus & ſanguine,lætus expectabat. Tunc ſubitò inuiſibili quadam deitatis virtute cum lecto,in quo iacebat, vſque ad domûs ſuperiora leuatus eſt: ſed trabibus,ne vltrà veheretur,obſiſtentib. leniter eſt ad terram demiſſus. Pauore percuſſi nonnulli circunſedentium, in diuerſa diſſiliunt. Sed illo iam demiſſo,cùm quaſi ad quieſcentem reuerterentur,iterum,ſicut priùs, ad trabes rapitur,eiſq; offenſis,ad ſolum demittitur. Hoc & tertiò factum eſt. Tunc pius pater, congregatos circa ſe conſpiciens filios ſuos,dixit: Fratres mei dilectiſſimi, oues paſcuæ Dei, voſipſi oculis veſtris intuiti eſtis,quô vocor,quô vadam. Nôſtis viam,qua inceſſi: nôſtis opera,quib⁹ inſudaui,dū vixi. ecce conſūmatio illorū in ſuperna me tollit. Quapropter breuiter monēs hortor & conſulo,ſi quô vado, vultis venire: via, qua inceſſi,non pigeat vos ire. Ipſe benignus Deus, qui direxit iter meum ad ſe, dirigat ad omnem voluntatem ſuam corda & corpora veſtra in pace. Et reſponſo à cunctis, Amen, tranſijt: & angelicis eum choris ducentibus,migrauit ad Chriſtum,qui ei fact⁹ eſt corona & perenne præmium. Cap. 46. Cū lecto in quo decūbebat, ſurſum tollitur. Migrat ad Chriſtum.

Sepultus eſt ſanè,in quo ipſe diſpoſuerat loco,loco ſcilicet, vbi quotidie diuinū officium à fratribus celebrabatur,qui fuit ante gradus,quibus ad altare Domini Chriſti aſcendebatur. Quod ab eo grandi pietatis affectu diſpoſitum non dubitamus. Volebat enim benignus pater filijs ſuis, quos veraciter diligebat, quoſque in mundi turbine poſt ſe relinquebat,etiam defunctus corpore iugiter intereſſe, quatenùs quæ vellent, ſicut viuo, fiducialiter coram eo depromere poſſent, cuius ſpiritum ex promiſſione, quam ipſis fecerat, ſemper affuturum non dubitarent. Et hoc quidem ita dixerim,ſecundùm quod ex eo tempore factum ſcimus,& vſque hodiè fieri à mona- Cap. 47.

chis ipſius circa ſacratiſſimum corpus eius conſpicimus. Quotidiè nanque de ſuis neceſſitatibus tam corporis quàm animæ leuamen deſiderantes, illuc currunt, & ſicut à pijſſimo patre inter eos corporaliter conuerſantes ſuffragia petunt. Vt autem iuſtæ petitiones alicuius coram eo fuſæ inefficaces exiſtant, & miracula, quæ poſt hæc de multis pauca ſcribimus, & ipſi, qui eius beneficia experiuntur ſingulis diebus, penitùs negant.

Inuocatur à multis, iiſque opitulatur.

Cap. 48. Non ergo dubitandum, hoc illum ante obitum ſuum preſciſſe, & idcircò ſe ſuis ſpiritu affuturum promiſiſſe, hiſque de cauſis corpus ſuum inter eos pietate plenum voluiſſe potiſſimùm poni. Miſeriam prætereà, quæ poſt deceſſum eius Angliam totam inuoluit, & inuoluendo peſſundedit, ſatis eſt in Chronicis, & in noſtris tribulationibꝰ, me tacente, videre. Vnde, cur quid inde ſcribam, non video, quoniam ſine omni litera res ipſa euidens eſt, vt veras miſerias non poſſit ibi cernere nemo. Finis illarũ quis, vel quando ſit euenturus, ignoro: ſed tantùm proculdubiò ignorare non queo, quòd omnia quæ fecit nobis Deus, in vero iudicio fecit, quia peccauimus ei, & mandatis eius non obediuimus. Quapropter quid aliud dicatur aut agatur (vis enim humana & conſilium omne ſublatum eſt) non intelligo, niſi vt humiliato corde rogetur Deus, qui nos cõtriuit, quatenùs det gloriam nomini ſuo, & faciat nobiſcum ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ, ac per merita & interceſſiones beatiſſimi patris noſtri Dũſtani, qui hæc euentura prædixit, eruat nos in mirabilibus ſuis. Quod ſiue, tu bone Domine & pie omnipotens Deus aliquando propter immenſam miſericordiam tuam feceris, ſiue propter inſcrutabilem iuſtitiam tuam minimè feceris, ſit nomen tuum Deus Iſrael benedictum in ſecula, Amen.

SEQVVNTVR ALIQVOT MIRACVLA, QVÆ POST OBITVM BEATISSIMI DVNSTANI, EIVS *meritis edita ſunt, quæ ab eodem Oſberto fuſiùs ſcripta, à F. Laurentio Surio in compendium redacta ſunt ob vitandam prolixitatem.*

Aliquot miracula hoc loco viſum eſt ſubijcere, quæ venerabilis Oſbertus, pæcedentis hiſtoriæ author fide dignus, partim ſcripto, partim veracium hominum relatu, partim ſuis oculis ſe didiciſſe teſtatur.

Cęcus lumẽ recipit. Cæcus quidam in ſomnis admonitus eſt, vt ad beatiſſimi Dunſtani ſacrum corpus ſe curaret adduci. Factum eſt ita. Manſit illic cæcus pernox in precibus: & ecce à monumento ſancti viri ſuauiſſimꝰ manat odor, loca amiſſorum luminum vehemens corripit pruritus, eaq; fricante cæco, mox recipit lętus viſum, quem ſe doluerat perdidiſſe. Id vbi repentè apud omnes peruulgatum eſt, Dunſtanus mundo reuixiſſe viſus eſt.

Item tres cæcæ. Tres inopes fœminæ pariter degebant, quas præter paupertatem cruciabat etiam perpetua cæcitatis nox. Aluerat illas inter cæteras beatiſſimus Dunſtanus, cùm eſſet adhuc in humanis. Vbi ad illas perlata eſt cæci eius, quem iam diximus, curatio, vnà properârunt ad ſepulchrum ſancti Dunſtani, & illic inter orãdum pariter ſe videre lumen cæli, gauiſæ ſunt.

Preſbyter quidam prædiues & nobilis totius corporis vexabatur paralyſi. Hortabãtur eum amici, vt ad tumulũ beati Dũſtani ſe iuberet deportari. Recuſabat ille, quòd indignũ ſe arbitraretur, ſi vir opulentus & nobilis, admixtus vili turbę, ſalutem illic ſibi reſtitui precaretur. Verũ doloris vi cogente, eò perlatus eſt. Altera luce ſenſit quendã ſurſum deorſum manus ducere per corpus ipſius. Itaq; cõfeſtim ſanatus, ſtetit exiliens, & alta voce laudans Deum. Non diu pòſt amplum conuiuium apparauit amicis & vicinis, vt ipſius ſaluti congratularentur. Inter epulas laudabãt illi Deum, quòd potentes non abijceret, ſed inter mites & pauperes illis quoque gratificaretur. Tum verò homo ſuperbiæ ſpiritu tumidus, non ferens ſe inter pauperes commemorari: ita ait: Non ſum ego inſtar inopis cuiuſdam curatus à Dunſtano. Nam etiam ſine Dunſtano mihi fuiſſet reſtituta ſalus. Vix ea verba miſer cõpleuerat, cũ ecce priſtinus morbus redit, & acerrima vi extorſit animam infelicem ab ingrato & inflato. Ea res effecit, vt

Paralyticus curatur.

cit, vt metus & reuerentia erga beati viri ſacras reliquias excreſceret, & ex longinquis etiam locis multi cò confluerent, tum vt morbis liberarentur, tum vt per eius merita veniam obtinerẽt peccatorum. In ijs iuuenis quidam & claudus & mutus ab ortu ſuo, & qui annis vndecim contractis ſcapulis, ſurſum reſpicere nequiuiſſet, poſtquàm ſepulchrum ſanctiſſimi viri attigit, totus ſanus effectus, excelſa clamauit voce: Gloria in excelſis Deo, alleluia. Sanata eſt etiam paruula quædam puella, quam mater cæcam ediderat in hanc lucem: ſed cùm aliquot dies fruſtrà in precibus conſumpſiſſet mater eius, tandem cùm fratres eius eccleſiæ cum illa pariter oràſſent, decimo die filia eius vidit. Recepit etiam lumen anus quædam, quod in iuuentute perdiderat.

Vide pœnã indignè de S. Dũſtano loquentis.

Morbidus ſanatur.

Epiſcopus quidam excommunicauerat hominem, libidine & arrogantia deprauatum, & miſer ille tradit⁹ ſatanę in interitum carnis, annis ſeptem toto corpore tremebat. Tandem ad ſepulchrũ beatiſſimi Dunſtani pertractus, dæmonem, qui illum occuparat, cum multo ſanguine euomuit, & integerrimæ ſanitati redditus eſt. Curatus quoque eſt Alfuuordus quidam, qui triginta annis contracto corpore humì reptabat: itemque alius, qui ligneo crure & pede vtebatur: & cæca virgo, & puella miſerè contracta, paruulus quoque à natiuitate claudus, & alius quidam, ſcipionibus vtens pro pedibus.

Multi curãtur.

Dum hæc miracula fierent, Lanfrancus, Cadomenſis cœnobij Abbas, vir præſtanti ſapientia pollens, Cantuarienſis epiſcopus creatus eſt: cumque 4. Calendas Septẽbris conſecratus fuiſſet, eccleſiam Cantuarienſem partim incendio, partim vetuſtate vaſtatam, à fundamentis auguſtiorem condere voluit. Indixit itaque triduanum ieiunium, & beatiſſimorum antiſtitum Dunſtani & Elphegi corpora tranſtulit in occidentalem eius eccleſiæ partem. Aderant illic duo eius milites, qui nuper occiderant nepotem Abbatis Stolandi. Ij coram frequentiſſima populi multitudine ad corpus beatiſſimi Dunſtani, ab Abbate illo cędis eius veniam precabantur. Ille negabat ſe daturum, negebant etiam fratres cæſi hominis, qui illic adſtabant. Aderat verò etiam mulier, ab infantia nihil audiens. Ea cùm S. Dunſtanum rogaret, non tam ſenſit illum inexorabilem, vt milites Abbatem, nam integerrimè ſanauit eam coram omnibus. Iam corpora ſacratiſſima Dunſtani & Elphegi decentiſſimè tumulabantur, & cùm dies totus feſtiuus duceretur, Abbatis duritia publicum gaudium interturbat. Sed ecce ſequenti nocte coram ſe videt quendam reuerendi habitûs ſacerdotem, irato vultu mandantẽ quibuſdam teterrimis viris, vt ipſum cum nepotibus eius iactarent in cacabum feruẽtem. Percontantibus illis, cur tam immani ſupplicio ſubijcerẽtur? reſponſum eſt: Vos furoris flamma accenſi, necem germani veſtri, pro Domini Dunſtani amore & reuerentia, condonare noluiſtis, atque his dictis, rapiuntur ad cacabum. Tum illi incredibili conſtricti anguſtia, edunt voces miſerabiles, promittunt ſe quamprimùm ad beati Dunſtani monumentum ituros, illatam ipſi iniuriam congrua ſatisfactione expiaturos: tantùm vt poſſint ipſius miſericordia præſenti miſeria liberari. Hac ſponſione facta, terrẽtur tetri illi miniſtri, & ad nutum ſacerdotis cum ſuis ignibus diſparent. Nõdum ſol terris ſe reddiderat, & Abbas cum ſuis nepotibus adit ſepulchrum ſancti viri, monachos eius loci lachrymabundus orat, velint celeriter ipſi opitulari: illiſq; accurrentibus narrat, quid viderit: remittitur militibus homicidium, & ab omnibus Deus laudatur in meritis ſancti ſui.

Lãfrancus fit epiſcop. Cantuariæ.

Surda audit

Abbatis viſio.

Alio tempore idem Abbas pridiè eius diei, quo ſancti Dunſtani feſtum colitur, hora veſpertina, erectis ſurſum luminibus, vidit ingentem ſplendorem cælitùs lapſum in eccleſiam Saluatoris, vbi ſacrum beatiſſimi patris corpus quieſcit, penetrare. Cumque id alijs quibuſdam indicàſſet, ijque pariter viderent, ait: Verè pius pater Dunſtan⁹, qui in ſuis ferijs intereſſe vult officio, quod hac nocte Deo, & ipſi perſoluent filij eius. Vera autem illum dixiſſe, experti ſunt fratres ex dulci & ſancto affectu, quo ea nocte in Deum & beatum Dunſtanum ferebantur.

Alia viſio eiuſdem.

Monachus iuuenis eius monaſterij quodã die legit euangeliũ ad Miſſam Lanfranci Archiepiſcopi. Cùm aũt dicta oratione Dominica, patenã ex more epiſcopo offerret, vidit coram ſe teterrimos dæmonum vultus. Itaq; vehementer exterritus, epiſcopũ inter manus ſacra tenentem, vtroque brachio ſtrictìm amplectitur, horrida voce clamans: Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. Ea res omnes perterruit, arreptumque iuuenem milites in pontificis cubiculum abducunt, iam dæmone plenum. Cùm autem communes pro illo preces fierent, & ab archiepiſcopo pro gratijs agendis (videbatur enim iam reſtitutus) ad ſepulchrum S. Dunſtani adductus eſſet, tota die illa quietum ſe præbuit inter fratres. Sed fratribus Completorium in Eccleſia perſol-

Monachũ iuuenẽ dæmõ occupat

perſoluentibus,ille cum impetu accurrit ad Priorem Hẽricum,manus illi iniecturus. At ille hominis manus corripuit, ducenſq; eum ad lectũ,tota nocte ſolicitus apud eum vigilauit.Sub mediam verò noctem horridis clamoribus omnia perturbat iuuenis ille,accurrunt fratres,ligatumque poſtridiè ducunt in valetudinarium,loris adſtrictum,vbi dies non paucos miſerè cruciabatur.Inuiſebant eum alij, ſed ſi quid haberẽt grauioris culpæ intra conſcientiæ receſſus,quod confeſſi non eſſent, id illis obijciebat,eoſque ſe pœnarum ſuarum apud inferos ſocios habiturum gratulabundus iactabat.Ea res quibuſdam non mediocrem attulit ignominiam,ſed mox à pura peccatorum ſuorum confeſſione remedium petebant.Accepta itaque abſolutione & ſatisfactione,redibant ad dæmoniacum fratrem.Tum ille tranſuerſim illos intuẽs:Vnde, inquit,vos venitis?quo lauacro tam citò expurgati,& à meo contubernio abſtracti eſtis?& hæc furibundus,ſpumans,& eiulans dicebat.Voluit ſanè Chriſtus hac re monachos eius eccleſiæ ad ſanitatem reuocare,quippè qui à tempore Danorum, à quibus beatus Elphegus peremptus fuit,remiſſa diſciplinæ ſeueritate,plus ſatis ſeculariter,et diſſolutè viuebãt.Iam ventum erat ad eã eccleſiæ partem inſtaurandam,ad q̃ memorata beatorum Dunſtani & Elphegi corpora tranſlata erant.Rurſus igitur omnes cũ feſtiua proceſſione reuerenter & honorificè eadẽ ſacra corpora aliò deportauim⁹:& eccè dum è regione oſtij,per quod inferenda erant,dæmoniacus iuuenis ille,toto corpore fortiſſimè colligatus,cum lecto deponitur, horrendos eminùs dat clamores,& cum ipſo exiliens,fugere volebat ſanctorum præſentiam dæmoni intollerabilem. Sed illatis ſanctis intra domum,illatus eſt etiam ipſe,& in medio poſitus.Ibi tum miſeriã videre erat.Cernebatur dęmon in vẽtre ei⁹ ſurſum deorſum curſitare, quaſi q, vel per os,vel per inferiores corporis partes fugam appararet.Adueniente interim prandij hora,fratres pranſum iêre,manſitque cum dæmoniaco vnus ex ſenioribus Elfuuinus nomine,qui ab infantia ſingulari quodam amore erga beatum Dunſtanum affectus fuerat.Is miſeratus vicem iacentis,crucem,quam B.Dunſtanus in corpore degẽs tanquam Archiepiſcopus coram ſe ferri volebat,dæmoniaco impoſuit, dicens cum lachrymis:Chare Domine,ſancte Dunſtane,miſerere. Mirum dictu:ilicò pulſo dæmone,æger leuatis piè ſurſum oculis,lachrymãs dixit:Gratias tibi ago piiſſime pater, gratias tibi quoque chariſſime frater:quia tuis meritis ſanctiſſime Domine,& tua frater benigna interceſſione hoſtis perterritus abſceſſit.Id vt ſenior audiuit, incredibili lætitia affectus,eius vincula diſſoluit.A prandio reuerſi eò fratres, vt viderunt eum ſuauiter quieſcentem,immenſas Deo & S.Dunſtano gratias egerunt. Is frater tandem ſancto fine migrauit à corpore.Eius caſtigatio plurimùm contulit illius loci fratribus ad vitæ emendationem.Nam priùs omni mundi gloria, auro, argento, varijs ijſque elegantibus veſtibus,lectorum precioſis operimentis,diuerſis inſtrumentis muſicis ſeſe oblectabant,equos,canes,accipitres alebant, denique Comitum potiùs quã monachorum inſtar vitam degebant,huius vnius flagello, Chriſti miſericordia id agente, & boni patris Lanfranci Archiepiſcopi induſtria cooperante, eò perducti ſunt,vt omnibus illis mundi pompis & vanitatibus, haud ſecus atque ſtercoribus quibuſdam propudiatis, planè Monaſticam viuendi rationem complexi ſint. Et nos quidem,qui nouimus earum rerum ſtatum,incunctanter affirmamus, haudquaquàm ad tam felicem,tamque repentinam mutationem eas perduci potuiſſe, ſi non accidiſſet illa horrenda,quæ omnes perterruerat, vnius fratris vexatio. Per idem ferè tempus Odo Comes Canciæ,idemque Baiocenſis Epiſcopus: fratri ſuo Vuilhelmo regi magnam pecuniæ vim promiſit,ſi daretur ipſi facultas exagitãdi Lanfrancũ Archiepiſcopum Cantuarienſem,eiq; propter bona & conſuetudines eccleſiæ Cantuarienſis contra morem ac leges terræ illius lites intentandi.Rege annuente, Odo è toto regno viros prudentiſſimos legum & conſuetudinum regni,ad certam diem Cãtuariam acciuit,eiſque mandauit,vt intrepidè,ipſo tutore ac patrono freti, Cantuarienſis eccleſiæ libertatem oppugnarent.Aduentante die,quo Lanfranco tam multis contra ipſum armatis reſpondẽdum erat,ille ad ſacratiſſimũ B.Dunſtani tumulũ preces fudit,vt eũ ſibi in tã moleſto negocio patronũ aſciſceret:ac deinde quieti ſe dedit. Dormienti apparet pater Dunſtanus,ita dicens:Lanfrance noli animo frãgi, propter hanc multitudinem,quę coacta eſt aduersùm me & te.Securus tuere cauſam eccleſiæ Saluatoris & meam,& ego ad omnia præſto tibi ero.Quod ſi non viceris eos, qui ſe tibi opponẽt,me Dunſtanum,qui tibi loquor,nec viuere,nec meorum negocia curare, nec vera tibi dixiſſe certò tibi perſuadeas. Expergefactus Lanfrancus, confirmatus eſt animo:inde venitur ad certamen, multæ querelæ in medium adferuntur, à tam multis

Vide cõfeſſionis ſacramentalis vim.

Dæmon nõ fert ſanctorũ reliquias

Dæmõ profligatur cruce & meritis S.Dũſtani.

Lanfrancus Epiſcopus à quodã ęmulo vexatur.

Viuunt ſancti,& curã gerunt rerũ noſtrarum.

multis è toto Angliæ regno. Procedit pater Lanfrancus, & diuinitùs armatus, omnia ipſi obiecta ita diluit, vt omnes obſtupeſcerent. Manſerunt igitur Eccleſiæ Cantuarienſis iura inconuulſa: ſi qua verò nonnullam haberent ambiguitatem, ea & irrefragabili ratione, & antiquorum exemplorum authoritate Lanfrancus in poſterum planè confirmauit.

Incidit poſtea idem antiſtes in morbum grauiſſimum, vt vita eius deſperaretur. Itaque iuſſit ad ſe venire præcipuos è fratribus, nolens ſine illis abire è vita, quos paterno amore proſequebatur. Decumbebat tum in villa quadam. Cùm iam multi eius obitū in forib. adeſſe putarent, ſub auroram leuiter obdormiens, videt permultos in albis equis coram ipſo binos tranſeuntes, vultu iucundiſſimo, & modeſta alacritate. Percontanti Lanfranco, cuius eſſet tam inſignis comitatus? reſponſum eſt, Magni ac præclari patris Dunſtani. Illo porrò interrogante: Et vbinam ille eſt? dictum eſt: Haud procul abeſt. Et ecce inter ſenes veneranda canitie ſpectabiles Dunſtanus cæteris ſublimior aduehitur: cuius cū pedē Lanfrācus oſculari vellet, & S. Dunſtanus pedem retrahere niteretur, interim Lanfrancus euigilat, & ſe ſentit integerrimæ ſanitati reſtitutum, cōſolanſque fratres lugentes, iuſſit eos ſeſe præparare, dicens, ſe ad Miſſam celebrādam, Deoq; & S. Dunſtano gratias agendas abire velle. Eius rei fama multos multo gaudio affecit. Curatus eſt eadem hora quidam Lāfranci clericus meritis S. Dunſtani, qui mēſibus octo quartana febre laborauerat. *Viſio Lanfranci.* *Lanfrancū ſanat S. Dūſtanus.*

Cùm iam autem, vt diximus, in eccleſia & monaſterio S. Saluatoris vita monaſtica eſſet reformata, multi clerici eò ſe contulêre, vt monachi fierēt. Inter eos aduenit etiam Eduardus quidam benè literatus, Londonienſis Eccleſiæ archidiaconus. Is propter multam religioſæ vitæ ſignificationem, paulò pòſt factus eſt templi cuſtos. In eo officio aliquantò maiorem adeptus libertatem, cœpit fieri negligentior & remiſſior. Cùm autem eum & publicè & priuatim fratres corriperent, qui ſcientia & dignitate ipſi eſſent impares, ęgrè tulit, & iam planè deliberauit aufugere, allecto iuuene quodam, qui ſe ſocium fugæ erat præbiturus. Pridiè verò illius diei, qui erat abitioni deſtinatus, fratribus à prandio quieſcentibus, ille in oratorio ex officio vigilabat, animoq; fluctuans, tamen ſtatuit non diſcedere, niſi permiſſu S. Dunſtani. Adijt igitur eius ſepulchrum: humì ſtratus, deponit apud eum querelas iniuriarum, orat velit ſuum iter paterna benedictione proſequi, pollicens ſe ſemper illius futurum, quòcunque perueniret. Inde è templo exiturus, à tergo chori videt monachum reuerendo vultu, toruos in ipſum oculorum radios vibrantem, ſcipioni innixum. Eo viſo, cùm neſciret, quis eſſet, expauit, ac nihilo minùs cœptū carpebat iter. At ille ſcipione obiecto: Quo vadis? inquit. Non ſolent autem monachi in eccleſia loqui. itaque digitis innuebat, illum loqui non debere. At contrà monachus: Quòd ego loquor, nihil ad te attinet: tu verò dic mihi quô tendas? Ait ille: Eo daturus operā ijs, quæ mea interſint. Monach⁹ dixit: Nihil eſt: redi ad ſepulchrum, vnde venis, & ora attentiùs, hac tua voluntate mutata. Stupefactus ille, redijt ad monumentum, ſed nihil mutauit priorem precandi formulam. Inde rediens, & monachum æquè, vt anteà, obuium habens, cùm iterum rogaret, quô tenderet, duriuſculè dixit: Quid hoc tua refert? Monachus autē: Permultum mea intereſt, vtì etiam tu ipſe breuì experieris, niſi te correxeris. At nunc vel ſecūdò admonitus, abi ad ſepulchrum, & mētem pariter cum prece muta. Ille verò potiùs progredi quàm redire nitente, monachus ſcipionem ſuſtollens, vibrabat in illum, compulitque vel inuitum redire. Multo igitur pauore perculſus, repetit priores preces ſuas: atque inde reuertens, non inuenit monachum. Arbitratus ergo, ſe iam rectè feciſſe, ad oſtium cœnobij properauit. Ibi tum ſtantem inuenit monachum vultu cōcitato, rurſuſque quô iret? ſciſcitantem. Sed & ipſe commoto animo, quis eſſet, vel cuius authoritatis? interrogat, qui hanc ſibi moleſtiam excitet. Reſpondit ille, qui monachus eſſe videbatur: Itáne ſcire vis, quis ſim ego? Dunſtanus ego ſum, prouiſor & Archiepiſcopus loci huius, amator & adiutor omnium bonorum filiorum Eccleſiæ huius. Tu verò peruerſa voluntate contrà, quàm deceat bonum filium, vis deſerere Eccleſiam matrem tuam, vis deſerere Deum patrem tuum, & ad hanc rem me tibi vis ſuffragari. Stultè id quidē, dum tibi de me talia perſuades. Ego tali via nō peruenio ad Deum. Monui autem te ſemel atque iterum, vt reſipiſceres, et noluiſti. Noueris ergo cum mea bona venia, nūquàm te hinc exiturum, ſed velis nolis, hîc te permāſurum, hîc etiam moriturum. Et quia me monētem audire noluiſti, ſenties re ipſa, te perperam feciſſe. His dictis ſcipione eum grauiter cecidit, atq; humi proſtrauit: moxq; diſparuit. Ita ille relictus eſt valdè debilis, & à fratribus in valetudinarium deportatus. *Vide num ſancti ignorēt res mortalium.* *Percutit S. Dunſtanus monachum fugere volētem.*

Acci-

Accidit hoc intra duo feſta Aſſumptionis & Natiuitatis beatiſſimæ Mariæ. Creſcebat autem dolor eius indies, & ſemper deteriùs habebat: nec quiſquam ſcire poterat, quo morbo laboraret, nec ipſe quid paſſus eſſet, cuiquam aperire volebat. Tandem ſacram vnctionem & Euchariſtiam percepit. Ipſis ferijs S. Martini in terram ſuper ſtratum cilicium, tanquam mox moriturus depoſitus eſt, & fratres ex more dicebant ſeptem pſalmos, quos pœnitentiales vocant, & litanias pro felici eius obitu. Cùm ventum eſt ad eum locum, vt fratres dicerent: S. Dunſtane, intercede pro anima eius, idque ſpe impetrandi auxilij, quam erga ſanctiſſimum illum patrem ſuauiùs conceperãt, iterarent, cœpit æger, iam propè animum exhalans, reſpirare, & circunſtantes piè intueri. Nos igitur, qui propiùs adſtabamus, inclinauimus nos ad illum, ſcire volentes, quid peteret. Tum ille: Ponite me, quæſo, inquit in lectum meum. Eo facto, Henricũ Priorem, cuius ſuprà meminimus, accerſit, ei rem totam explicat, malæ voluntatis ſuæ agit pœnitentiam, petit veniam & abſolutionem: dicit ſe nullo pacto mori poſſe, niſi id notum priùs feciſſet, & pœnitentiæ remedio atque abſolutione potitus eſſet. Prior admiratus Dei miſericordiam, eum abſoluit, & iniunxit pœnitentiam. Tunc ille mẽte exhilaratus, & quòd nihil peccati intra conſcientiam ſentiret, quod confeſſus non eſſet, Deo gratias agens, petijt vt iam ſibi liceret abire è corpore. Dixit autem ei Prior: Proficiſcere cum benedictione omnipotentis Dei: Comes itineris tui ſit beatus & pius pater Dunſtanus, & ſuſcipiat te in regnum ſuum filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. In his verbis priùs, quàm è lecto deponi poſſet, reddidit ſpiritum. Deinde Priore omnia in fratrum conuentu referente, iuuenis, quem fugæ ſocium delegerat Eduardus, ſurrexit, & humi ſtratus cum lachrymis confeſſus eſt, ſe in fugam quidẽ illi conſenſiſſe, ſed prorſus ignorâſſe, quid ei S. Dunſtanus feciſſet.

En quid cõferat inuocatio Sanctorum.

Monachus quidam eiuſdem loci nomine Egeluuinus, ea tempeſtate, qua, vt, diximus, Comitum potiùs more, quàm pauperum monachorum, nihil rei propriæ habẽtium, illi monachi viuebant, cum bona venia archiepiſcopi & fratrum, profectus eſt Hieroſolymam, commendans ſe beato Dunſtano, eiq; pollicens, ſi ſaluum ipſum duceret & reduceret, præcioſum pallium ſe illi empturum, ſecumq́; allaturum. Iuit proſperè: rediens per Conſtantinopolim, illic pallium magni precij emit. In Gallia ciſalpina incidit in exercitum Imperatoris: & honeſti quidem viri eum reuerenter ſalutabant: ſed vbi ad poſtremos venit, homines viles & ignauos, mula ſua cum ſarcinis ſpoliatus eſt: ſed ipſe cum ſocijs illæſus dimiſſus eſt. Valdè autem dolens ſibi pallium ereptum, Dunſtanum obnixè precabatur, ne illud auferri ita pateretur. Et ecçè tibi, vix ea prece finita, mula inter manus prædonum incipit ferocire, ore & pedibus eos lacerare, & tandem cum ſarcinis aufugere ad dominum ſuum, qui cum ea lætus redijt in patriam, & S. Dunſtano obtulit pallium, quod ex voto debebat. Cætera miracula, ne ſimus oneroſi, prætermiſimus.

Obſerua miraculum.

VITA BEATI PETRI CÆLESTINI, AVTHORE PETRO DE ALIACO, CARDINALE CAMERACENSI.

Primus liber ea continet, quæ ab ipſo Cæleſtino de prima ſua conuerſione & conuerſatione manu propria conſcripta, in eius cella reperta ſunt.

PROLOGVS PETRI ALIACENSIS.

CHaritatiuis quorũdam venerabilium patrũ veſtri ſacri ordinis, fratres chariſſimi, precibus inclinatus, timens licèt ac trepidus, ſcribere præſumo: quis de quo? Sanè Petrus de Petro, epiſcopus de epiſcopo: ſed paruus de maximo, infimus de ſummo, ſceleſtus quoq; ac peccator indigniſſimus, de cæleſti ac digniſſimo veſtri ſancti gregis paſtore primo atque præcipuo, immò totius olim Chriſtianæ Eccleſiæ ſanctiſſimo præſule Cæleſtino. Cuius vitam geſtaq; mirifica vniuerſum iam per orbem radiantia, dum literis commendare, verbiſque meis pollutis potiùs, quàm politis laudibus illuſtrare geſtio, rem vtiq; meis viribus, meis quoque imparem meritis aggredior: vereorque ne pondere laudis, quã meruit, obrutus, magis imbecillitatem ingenij mei, & eloquij ruditatem detegam, quã vir-

virtutes ſuas,ſicut æquum eſt,ræpræſentem.Sed de ſuperno confiſus auxilio, ſanctique
huius ac orationum veſtrarum ſuffragio, hiſtoriam ordior.

De ortu eius, & ſancta indole. Cap. 1.

FVIT itaque vir eximia virtute laudabilis, re ac nomine 19. Maij.
Petrus,in petra,quæ Chriſtus eſt,firmiter ſtabilitus, ſtabi-
literque firmatus.Qui ſuper huius ſolidæ petræ indiſſolu-
bili fundamento à puerilibus initijs per incrementa virtu-
tum proficiens,vſque in virum perfectum meruit perue-
nire.Hic ergo Abrutij in partibus Apuliæ natus, ſpiritu Patria S. Pe-
quàm carne,& animo quàm origine nobilior, ex paren- tri.
tibus mundana generoſitate humilibus, ſed Chriſtiana
virtute nobilibus ortus eſt.Fuerunt autem patri eius, An-
gelerio nomine,ex Maria vxore ſua,inſtar patriarchæ Ia- Parentes.
cob,filij duodecim. Vacabant deuoti parentes, quantùm
eis facultas erat, hoſpitalitati pauperum,& eleemoſynarum largitioni, alijs quoq; pijs
operibus: & Deo,vt de data ſibi ab eo prole vnum aliquem deligeret ſuis ſeruitijs ſpe-
cialiùs mancipandum,aſſiduis ſuſpirijs & indeſeſſis orationibus poſtulabant. Nec ſua
ſpe fruſtrati ſunt:quia non deſerit Deus ſperãtes in ſe. Hunc nempè ex duodecim fra-
tribus, velut alterum Ioſeph à Deo ſingulariter dilectum,& ſuis fore prælectum ob-
ſequijs,diuina prouidentia,ſapienter cuncta prouidens,multis indicijs,ſignis mirabili-
bus ac memorabilibus declarauit.Nã in natiuitate ſua matri eius,dũ puer egrederetur Signa futu-
ex vtero,quaſi quadam religioſa veſte indutus apparuit.Cumq; vix ſextũ attigiſſet an- ræ ſanctita-
num,tanta tamque mirabilis in eo diuina gratia relucebat, vt nihil ſanctum ac reli- tis eius.
gioſum auditu perciperet,quod in corde reconditum non ſeruaret.Vnde & de cordis
ſui theſauro bona proferens,matri ſuę ſæpè dicere ſolitus erat: Volo eſſe bonus ſer-
uus Dei.Sic ſpiritus libertatis vbi vult ſpirans, diuinam huic puero ſeruitutem ſuaui- Ioan. 3.
ter inſpirabat.Sic puer ſanctus proficiebat ætate,ſed ſupra ætatem,Spiritu ſancto coo-
perante, magis magiſque proficiebat ſapientia & gratia apud Deum & homines.
Quamobrem magnificabat mater eius dominum,& in Deo ſalutari ſuo ſpiritualiter
exultabat.

De ſchola eius, & diabolica aduerſùs eum inuidia. Cap. 2.

IAm verò defuncto patre ſuo in ſenectute bona,relicta vxore cum ſeptem filijs,(tũc
enim alij obierant)beata mater,& verè tali prole beata,filium hunc ſuum tradere
ſcholę ac ſtudio literarum decreuit.In ea autem nocte, qua priori die puer legere cœ-
pit,defunctus pater cuidam commatri ſuæ in ſomnis apparuit,dicens ei: Conſtituit v-
xor mea filium noſtrum Petrum literalibus tradere ſtudijs,O quàm benè mihi,ſibique
ac alijs multis! Dic ergo ei,vt ſi vnquàm me verè dilexit, nunc in hoc oſtendat, quòd
conſtanter perficiat,quod incepit.Nec hoc abſq; ſpeciali Dei prouiſione factum eſſe
credendum eſt.Nam humani generis inimicus,felicibus huius pueri ſucceſſibus inui-
dens,ſanctum matris propoſitum per ſe ſuoſq; miniſtros impugnare ſatagebat. Ten- Dæmonis
tabat inprimis puerum,ne ſtudio animum atq; operam daret.Tentabat etiam de inui- aduerſùs eũ
dia fratres eius,ſicut olim fratres Ioſeph,improperabantq; matri,quòd ipſis laboran- machina-
tibus,ille ocio vacaret & quieti.Tentabat rurſus quẽdam illius terrę diuitem,qui pue- menta.
ro blandiens,dicebat quòd ſuorum omnium eum hæredem conſtitueret,vt ſic per ſe-
cularia deſideria animum ab amore religionis abduceret.Tentabat deniq; matrem e-
ius per quendam diuinum,ſeu veriùs diabolicum virum,qui ſuadebat ei hunc à ſtudio
tollere,& alium minorem filium literis inſtruere,quia hic citò moriturus eſſet, nec
fieret,vt ipſa ſperauerat,ſeruus Dei.At nec ſic tamen potuit conſtans ac fortis mulier
à ſuo mutari propoſito.Recordabatur quippe atq; inde confortabatur,cogitabatq; ac
ſæpiùs animo reuoluebat,quæ dicta fuerant de puero,& verificabatur in ancilla,quod
de Domina Euangelium loquitur:Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens Luc. 2.
in corde ſuo.

De diuinis conſolationibus ac miraculis circa eum oſtenſis. Cap. 3.

FIdelis autem Deus,qui neminem vltrà,quàm poſſit ferre, tentari permittit, poſt 1. Cor. 10.
memoratas tentationes diabolicas,etiam diuinas cõſolationes adhibuit, deditque,
ſicut ipſe in ſcriptura promittit,cum tentatione prouentum. Si modum quæris, audi Ibidem.
mirum dictu,audituq; nouum atq; inſolitum.Erat puer iſte ſimpliciſſimus adhuc, &
iam primùm breui in tempore Pſalterium didicerat legere. Cùm beatiſſimam Virgi-

nem & ſanctum Iohãnem Euangeliſtam ſtantes iuxta crucem Ieſu ſæpè videret, viſus eſt ad ipſum deſcendere, eumque conſolando Pſalmos cum ipſo dulciſſimè decantare. Angelos quoque de cælo lapſos, velut pædagogos ſuos eũ inſtruendo, vidit in ſomnis ſibi aſſiſtere, et ſi quid fortè puerili more cum ſuis coætaneis minùs decens aut dicere aut facere à diabolo tentatus fuiſſet, ſuaui cum increpatione piaq; caſtigatione corripere. Vidit præterea mater eius in ſomnis, quòd puer iſte cuſtos erat multarum, ſicut nix, candidarum ouium: quod ipſa nimis literaliter intelligens, non paruæ turbationis ſibi primitùs cauſa fuit: ſed poſteà turbatio hæc in admirationem, & admiratio in conſolationem verſa eſt. Nam filius, cùm vix eſſet duodecim annorum, iam quaſi prophetico ſpiritu ſomnium ſpiritualiter exponens, ſe multarum bonarum animarũ futurum paſtorem eſſe prædixit.

Diuinis fruitur conſolationibus adhuc puer.

De miraculis in matre & filijs diuinitùs exhibitis. Cap. 4.

SEd nec ſilenda ſunt ſtupenda miracula, quæ ad conſolationem matris & filij Dominus facere dignatus eſt: fuerat mater triginta annorum ſpatio & ampliùs iam graui infirmitate detenta, quòd dexteri lateris debitum vigorem vſumq; perdiderat. Ipſa, vt Deo deuota & fide plena, ſpe curationis ad locum quendam ſanctum peregrè proficiſcitur, & vna nocte priori ſanitati reſtituta curatur. Hic quoq; filius eius, dum adhuc trium annorum puer eſſet, ligno acuto in dextero oculo percuſſus, excæcatur. Deſperantibus aũt medicis de naturali cura, nõ deſperabat mater de ſpirituali medicina: ſed de beata Virgine confidens, ad quandã eius eccleſiam puerũ deferens, ibi vna nocte vigilat & orat: & dum maternus oculus inter deuota precũ ſuffragia lachrymatur, oculus filij ipſo manè ſanus & abſq; macula reſtauratur. Quid plura? Alius etiã filius iã adultus, dum meſſem cõponeret, ariſta frumenti eius oculo inhærẽte, multis diebus huc atq; illuc diſcurrens, quærenſq; auxilium, & non inueniens, die ac nocte præ dolore nimio clamitabat. Cui mater compatiens, ad priorem medicam conuertitur, & vt huic filio, ſicut & alteri, medelam adhibeat, humiliter deprecatur. Et ecce adueniente diei luce, minor filius in fratris oculum reſpicit, & ariſtam, quæ erat in oculi medio, ſine vllo medicamine, ſolis eam apprehendens digitis, foras mittit, ſanitatemq; reſtituit. Rurſus deuota mater, quodam magnæ famis tempore deficiente ſibi pane, cùm pro ſua ſuorumq; ſuſtentanda vita nullum humanum ſupereſſet remedium, ad diuinum, & iam in ſe ac ſuis filijs expertum, refugit ſubſidium, conuertitq; ſe ad Dominum, & ſuppliciter orat, vt huic neceſſitati miſericorditer prouideat. Manè autem imperat filio, vt falcem tollat, & in agrum vadat: Recuſabat ille, dicens: Ad quid vadam? Meſſis quidem adhuc viret. nihil proficiam. Nondum enim tempus erat meſſis. Tandem tamen agrum ingreditur, matri obediens, in cuius medio tanta meſſis alba & matura, quanta eis erat neceſſaria, inuenitur. Nec prætereundum arbitror aliud memorabile, quod eidem mulierculæ contigit, miraculum. Cùm enim eſſet ad Dei ſanctos deuotiſſima, & eorum feſtiuitates magno cũ honore coleret, in feſto decollationis B. Iohãnis Baptiſtæ, quia ſequenti die panem facere opùs erat, ſero illo fermentum diſponere volens, cœpit cum timore aquam in farinam mittere. Et ecce tota farinæ maſſa ſubitò viſa eſt vermibus ſcatere. Tũc illa tremens, & in terram cadens, à Deo veniam precatur, & ſtatim farina in ſtatum priſtinum reuertitur. Magna ſunt hæc & mira opera tua, Chriſte, & ſiue matris, ſiue filij, ſiue (vt piè credimus) vtriuſque meritis facta ſint, ad tui nominis gloriam, & in huis ſancti reuerentiam, perpetuis erũt ſeculis prædicanda.

Oculus eius læſus, à matre Domini curatur.

Item fratris eius.

Miraculum

Vide quid accidit religioſæ fœminæ.

De vitæ ſolitariæ deſiderio, & abitione eius ad eremum. Cap. 5.

HActenùs ergo per^ctis pluribus annis, deinceps ad prouectioris ætatis geſta progredimur. Itaque puer ſanctus factus adoleſcens, adeò eremiticæ vitæ & ſolitudinis feruebat amore, vt cordi eius diuinitùs illud propheticum meritò crederetur inſcriptum: Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Et rurſus illud: Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Sed quia eo tẽpore nullus erat in patria ſeruus Dei, cum quo ſui propoſiti exequendi conſilium poſſet habere congruum, vltra viceſimum ſuæ ætatis annum æſtuanti deſiderio ſuo ſatisfacere diſtulit. Tãdem verò cuidam ſocio ſuo cordis ſecretum aperuit. Quid, inquit, facimus? Exeamus de patria noſtra, & relictis parentibus rebuſque omnibus, nudi nudum ſequamur Chriſtum, & ad ei ſeruiendum liberiùs, longinquam ſolitudinem adeamus. Verùm vt nihil temerè & ſine Eccleſiæ conſilio aggrediamur, Romæ ſedem Apoſtolicam conſulamus. His ſuaſionibus acquieuit ille, & cœperunt pariter

Pſal. 54.
Pſal. 83.

Hortatur Petrus ſocium ad vitã ſolitariam.

riter ambulare. Sed expleto vnius diei itinere, malè tenax propoſiti pœnituit, & ad patriam conſanguineosq; reuerti perſuaſit. Cur ita? Sanè quia non ſatis tractus erat ab eo, de quo veritas ait: nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Sed hic noſter Petrus, à patre cæleſti tractus & inſpiratus, inconſtanti ſocio conſtanti animo ita reſpondit: Confido in Domino, quia ſi tu me dimittis, ipſe me nō dimittet, qui ſperantes in ſe non deſerit. Solus ergo & humano deſtitutus, licèt non diuino, conſortio, propoſitum iter aggreditur: in quo poſt multos labores, terrores atq; pericula, vnum ei prę cęteris relatu dignum contigiſſe legitur. Erat in monte quodam eremita, ad quē dum lætus & gaudens accedere diſponit, eò maximè, quòd is Romam ſe iturum diceret, antequàm eremiticam cellam intraret, ſpiritus Domini illum prohibuit, ne ei cordis ſui ſecreta panderet, eiq; illius hypocritæ vitam inhoneſtam oſtendit, & ab eius cōſortio periculoſo prohibuit. In eodem verò loco altera quadam die, dum ſanctus adoleſcens, abſente eremita, cellam eius intrâſſet, & per noctem non ſine multo timore, quàm diu potuit, in oratione vigilâſſet, aggrauatus ſomno, in terram cadens, obdormiuit: & ecce ſubitò turba magna angelorum & ſanctorum ipſi adeſſe videbatur, & in ore cuiuſlibet eorum roſæ rubeæ apparebant, cæleſteſque modulos ſuaueſque cantus, ſupra modum delectabiles, reſonabant. Mira res: ſed quæ ſequitur, mirabilior. Ipſe nanq; huiuſcemodi cantus per aliquantum ſpatium, etiam poſtquàm à ſomno fuerat excitatus, audiuit, adeoq; lætus & ſecurus factus eſt, vt ſpirituali gaudio ſatiatus, duobus tantùm ſuſtentatus panibus duobusq; piſcibus, quos ſecum detulerat, ſolus ibidem decem diebus permaneret.

Ioan. 6.

Socius reſilit à propoſito.

Viſio eius.

De principio ſuæ conuerſionis, & prima eius habitatione in eremo. *Cap. 6.*

POſt hæc autem Deus, viarum eius cuſtos comesq; præcipuus, propoſitum itineris Romani diſtulit, oſtenditque illi in monte alio locum, in quo ſaxum magnum inuenit, & ſub eo fodit paruam, in qua tegeretur, foueam, quæ vix ad ipſum erigendum atque extendendum poterat ſufficere: & ibidem trium annorum ſpatium in magna vitæ auſteritate peregit. Hoc ergo in loco, inter multas diuinæ bonitatis conſolationes, vix crederes, quantas in ſuæ conuerſionis principio vigilando & dormiendo diabolicæ malignitatis tentationes inuictus miles pertulerit, & quàm patienter, velut alter Iob, ſicut bona de manu Domini, ita & mala ſuſcipiens, cum diuini nominis benedictione diuerſa & aduerſa mundi, carnis & dæmonis prælia ſuperârit. Sed omnia narrare longum eſſet, & ad alia feſtinat intentio.

Degit triennio in foſſula.

Iob 1.

De eius ſacerdotio, & tranſitu ad montem Muronis. *Cap. 7.*

HIs itaque tribus annis in loco memorato peractis, quibus ipſe tanquam aurum in fornace probatus eſt, ſuadebāt illi, qui eius nouerant ſanctitatem, vt ordinē ſuſciperet ſacerdotalem. Cuius rei cauſa Romam pergit, ibique Dei ſacerdos efficitur: ac deinde ad montem Muronis accedit, ibi quandam cryptam inueniens, in qua ei habitare complacuit. Cuius ſancti hoſpitis virtus mirabilis etiam ſigno mirabili declaratur. Nam cùm primò locum intrauit, ecce ſubitò coram eo magnus ſerpēs egreditur: qui virtutis eius non ferens præſentiam, ab eo loco diſcedens, penitùs diſparuit. Ibi ergo vir ſanctus per quinquennium manens, ab eo, cuius omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, plurima recepit munera gratiarum: & tamen ſe magis ac magis coram Deo humilians, & indignum peccatorem exiſtimans, aliquando cogitauit relinquere Miſſæ officium, tractare formidans tanti myſterij ſacramentum, exemplo ſummi eremitæ, quo inter natos mulierum non ſurrexit maior: exemplo quoque beatorum confeſſorum Pauli, Antonij, Benedicti, aliorumq; ſanctorum, quibus amica fuit eremi ſolitudo. Itaque eo ſępè & multùm hæc ſecum cogitante, vt ſalubre poſſet ſuper his accipere conſilium, Romæ ſedem Apoſtolicam adire diſpoſuit. Sed ecce appropinquante die, quo debebat iter arripere, de nocte venit ad eum in viſione quidam Abbas nuper defunctus, qui primò illi religionis habitum contulerat. Quem ille per Deum viuum adiurans, quid ſibi agendum ſit? humiliter poſtulat. Ipſe verò ei Miſſam cum timore & tremore dicere perſuaſit, & ita diſparuit. Eodē quoque die quidam ſanctus monachus, cui confiteri conſueuerat, idem quod Abbas in viſione dixerat, conſulens, eum ad ſacri myſterij celebrandi traxit fiduciam. Heu bone Ieſu, heu cum quanta cordis amaritudine & frontis erubeſcentia hæc meritò audituri ſunt, qui magnis adhuc vitijs obuoluti, tantum ſacramentum intrepidè miniſtrare præſumunt?

Romę ſacerdotio initiatur.

In crypta habitat quinquennio.

Matth. 11.

Viſio eius.

De eius ſcrupulo & perplexitate propter pollutiones nocturnas. Cap. 8.

SAnè ab hac temeraria damnabilique præſumptione quàm ſtudioſè ſibi præcauerit humilis ſeruus Dei, non ſolùm præmiſſa, ſed ea etiam, quæ ſequuntur, oſtendũt. Nam ob ſacri huius myſterij reuerentiam magna ei rurſus perplexitas oritur, quidnam ſibi agendum eſſet, cùm nocturna pollutione corpus ſuum maculari cõtingeret, licèt tamen animus eius mundiſſimus, tali immunditiæ pro viribus reſiſtere niteretur. Et cùm à religioſis fratribus quæreret conſilium, ſi eodem die celebrandum eſſet, vel à celebratione ceſſandum? nec eſſet vna omnium ſententia, alijs ſic, alijs aliter ſentientibus: pia mens eius in dubio fluctuans, ad auxilium recurrit diuinum. Et ecce in ſomnis aſſiſtere ei viſus eſt Chriſtus, huius dubietatis perplexitatem diſſoluens, eumque parabolica ſimilitudine inſtruens, quòd ſi aſinus ſuus, id eſt, brutale & irrationale corpus pro innata conſuetudine ſuam faceret immunditiam, non propter hoc rector eius, id eſt, rationalis animus, à conſenſu immundæ carnis illecebrę alienus, deberet ab aſſcenſu cæleſtium, hoc eſt, à contemplatione diuinorum, vel ab exercitio ſpiritualium myſteriorum torpere. Qua viſione conſolatus ſeruus Dei, mentis quietem ſpiritualemque lætitiam reſumpſit, intelligens ob inuoluntariam legique mentis ſuæ repugnantem carnis pollutionem, non eum oportere à diuini ſacramenti communione ceſſare.

Diuinitùs edocetur de nocturna inquinatione.

De diſcretione in nocturnis pollutionibus, exemplo ipſius, adhibenda. Cap. 9.

SEd hoc exemplum non ſine magna diſcretionis moderatione debemus ſuſcipere, quippe qui huic ſacerdoti ſanctiſſimo valdè diſſimiles ſumus, longeque à ſua perfectione & animi ſui puritate diſtamus. Quamobrem diligenter conſiderandum nobis eſt, quòd nocturna pollutio ex quadrüplici cauſa poteſt procedere. Aliquando ex crapula, aliquando ex peccati aliqua cogitatione præuia, aliquãdo ex ſuperfluitate vel debilitate naturæ, & aliquando ex diabolica illuſione. Et licet nulla iſtarum de ſe videatur eſſe peccatum, quia cùm in ſomnis ligatus ſit vſus rationis, nõ poteſt tunc propriè fieri peccatum, quod non eſt voluntarium. Aliquando tamen huiuſcemodi pollutio poteſt eſſe effectus, conſequens ad peccatum, ideò ſummoperè debemus in nobis aduertere, ſi in cauſa pollutionis inueniri poſſit aliquod peccatum præcedere, ſiue veniale, ſiue mortale. Veniale autem dicimus, ſi peccatum in ſola delectatione ſine cõſenſu deliberatiuo finitur. Mortale verò, ſi delectationi deliberatus conſenſus adiungitur. Hac igitur conſideratione præuia, triplex eſt à nobis regula obſeruanda. Prima, quòd quando certitudinaliter conſtat, vel etiam probabiliter dubium eſt, quòd pollutio ex peccato mortali ortum habet, tunc à communione abſtinendum eſt de neceſſitate. Secunda, quòd quando conſtat, aut veriſimiliter creditur, pollutionem non habuiſſe ortum ex peccato mortali, ſed ſolùm ex veniali, quia expreſsè inuenitur, non præceſſiſſe conſenſum in delectatione, tunc abſtinendum eſt de honeſtate, ita quòd non mortaliter peccat, qui communicat, ſed venialiter: niſi quando vrgens neceſſitas, vel alia rationabilis cauſa excuſat. Tertia, quòd quando certum eſt aut veriſimile, pollutionem ex peccato non conſurgere, ſed ex naturali debilitate, vel ſuperfluitate, vel diabolica illuſione, non conſentiente animo, ſed potiùs renitẽte: tunc in arbitrio eſt communicare vel abſtinere, ita quòd communicans non eſt vituperandus, ſed etiam abſtinens propter ſacramenti reuerentiã, laudandus eſt, & ſecuriùs agere videtur, quia non eſt facilè diſcernere ex qua cauſa procedat pollutio, & an ſine peccato acciderit, vel ex mortali, aut veniali peccato. Speciale tamen eſt in ſanctè & religioſè viuentibus, quemadmodùm hunc vixiſſe conſtat, de quo nobis ſermo eſt. Si enim tales ſentiant per feruorem pœnitentiæ & deuotionis cor ſuum à tali macula & eius ſequela, ſpiritualis guſtùs infectiua, purgatum non neceſſe habent dictis coarctari regulis, quò minùs ſalubriter valeant accedere ad altare. Si etiã ex illuſione diabolica cuiquam talium accidat pollutio, non præcedente in eo huius illuſionis cauſa, ſed magis præueniente cauſa contraria, & hoc ei frequenter acciderit, & illis præcipuè diebus, quibus maximè communicare tenetur, propter hoc à communione ceſſare non deberet: quia ſignum eſt, quòd diabolus fructum Euchariſtiæ, quem cõmunicando perciperet, auferre conatur. Et ad hoc trahendum eſt illud ſancti huius exemplum, quod ſuprà narrauimus: aliud quoque exemplum, quod de alio quodam ſancto monacho legimus in Collationibus patrum. Cui conſultum fuit in caſu præmiſſo communicare, & ſic diabolus videns intentum ſuum conſequi non poſſe, ab illuſione confuſus & illuſus ceſſauit.

Nocturnæ pollutionis ratio quadruplex.

Pollutio nocturna quã do impediat vel non ſacram cõmunionẽ.

Diaboli inuidia.

De eius migratione ad montem Magellæ, & loci eius aſperitate. Cap. 10.

HIs itaque, occurrente incidenter occaſione, interpoſitis, ad hiſtoriam reuertamur. Igitur vir ſanctus, peracto in monte Muronis quinquennio, quia adiacentes ſyluæ deſtructæ fuerant, & ab hominibus cultæ, maiorem ſolitudinem cupiens, ab eo loco ad montem Magellæ ſe tranſtulit, & ibi ſub quadam magna crypta habitare decreuit. Diſcedentibus autem ab eo duobus ſocijs, qui cum illo aduenerant, quia eis minimè placebat locus ille, ipſe nihilominùs ſolus remanſit. Illi verò poſt paucos dies, eum quem in Chriſto medullitùs diligebant, ſecuti ſunt: neq; id mirum. Quomodò enim non diligerent & ſequerentur eum, qui eos viceuerſa diligēs, ſi infirmi erant corpore, ſupportabat: ſi puſilli corde, cōfortabat: ſi pigri aut negligentes, excitabat: ſi obliuioſi aut improuidi, admonebat? O felix illa ſocietas, mutuæ charitatis vinculo copulata, cui cùm eſſet trinitas corporum, ei tamen erat vnitas animorum! Cui conueniebat illud Apoſtolicæ laudis præconium: Erat eis cor vnum & anima vna, & erāt eis omnia communia. Cui deniq; dignum erat pſallere illud Dauidicum: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. His ergo tribus fratribus in ſanctę Trinitatis nomine congregatis, non loci amœnitas, ſed animi charitas, habitationem illam deſertam fecit eſſe iucundam. Memoratam ſiquidem cryptam montis illius hiſpidi penitùs & prærupti, ſed vnde planum iter eis eſſet ad ſupernam patriā, nō faſtuoſo murorum ambitu, ſed humili clauſura, de faſciculis ex fruteris ſpiniſq; compoſita, vallauerunt, & in ea pauperrimum ac modicum ſibi fecerunt habitaculum, vt ex eo tandem ampliſſimum cæli palatium diuites ingredi mererentur.

S. Petrus deſeritur à ſocijs, ſed citò ad eum illi redeunt.

Acto. 4.

Pſal. 132.

Nota eius habitationē

De incendio cellæ eius & propoſiti ſtabilitate. Cap. 11.

SEd aduerſarius fraternæ charitatis diabolus nouam eis tentationis occaſionem ſuſcitare nititur: Nam menſe Iunio, dum terram illam feruida torruit æſtas, ecce nocte quadam viſum eſt viro Dei, totam cellam per circuitum igne ſuccendi. At ille fratres ſuos euocans: ſurgite, inquit, velociter, & omnia foras proijcite. Illi autem ſurgentes, & videntes cellam ardere, ſecum deferentes, quæ poterant, quantocyùs effugerūt, & rurſus aduerſùs eum murmurare cœperunt, quòd ad talem locum inhabitandum veniſſet. Credebant enim ignem ab alto montis vertice deſcendiſſe. Sed vir ſanctus à Deo confortatus, in corde ſuo propoſuit locum illum nullius aduerſitatis occaſione relinquere, etiamſi corpus eius ignibus aduretur. O magnum virtutis opus. Statim vt hic ignis charitatis in cordis eius ſecretò accenſus exarſit, alius ignis ab exterioris habitaculi loco, quaſi ſomnium fuiſſet, euanuit. Licèt autem plures ex deuotis amicis eius, cauſa ſpiritualis conſolationis eum quandoque viſitantes, habitationem illam, tanquam eis grauem & difficilē, diſſuaderent ſeruo Dei, ille tamen arguentes eum nō redarguens, ſed, vt erat mitis & humilis corde, vultu placido, mēte tranquilla per mitia verba eos temperans, reſpondebat: O chariſſimi, tunc ad hunc locum libenter & faciliter venietis, cùm veniendi voluntas ex magno deuotionis feruore proceſſerit. Quod verbum, quaſi à Spiritu ſancto propheticè dictum, efficaciter impletum eſt. Nam citò pòſt, multos ex ijs, tum etiam alios Deo deuotos tantus accendit ardor, vt certatim ad eremum, & ſacram illam ſolitudinem properarent, & ad eum, deinceps mundum relicturi, venirent. Qui licèt, quantùm poterat, eos ſuſcipere renueret, imperfectum ſuum humiliter allegans, & dicens ſe ad aliorum paſtorale regimen ſimplicem eſſe, minuſq; peritum, & ideò deſiderare ſemper manere ſolitarium: tamen charitate victus, aliquando aſſenſum præbuit, & quoſdam ad conſortium eremiticæ ac monaſticæ vitæ recepit.

Infeſtatio maligni dæmonis.

Eam conſtantia ſua vincit vir Dei.

Multi ad eū in eremo degentē cōfluunt.

De ſignis, quòd Spiritus ſanctus locum illum elegerit. Cap. 12.

MVltis autem magnis ac mirabilibus ſignis Spiritusſanctus declarare voluit, quòd locum illum, tanquam ſpeciale habitaculum, ſibi elegerit. Primùm ſiquidem, cùm fratres ibi habitare cœperunt, quædam columba apparuit, quæ ſemper cibum capere videbatur in eo loco, in quo poſteà altare oratorij poſitum fuit. Et ibi ſæpiùs habitans, etiam dum officium cantabatur, adeò fratribus erat domeſtica, ac ſi ab eis fuiſſet enutrita. Et vt hæc apparitio vera, non ſophiſtica crederetur, operante illo ſpiritu veritatis, qui ſupra Chriſtum in columbæ ſpecie apparuit, hæc columba non ibi paruo tempore, ſed trium annorum ſpatio, in ſanctę Trinitatis nomine ſub ea, qua dictum eſt, domeſtica conſuetudine permanſit. Nec hoc ſignum digno effectu caruit. Nam poſteà ad honorem Sācti ſpiritûs pulchrum ibidem oratorium conſtructum eſt, & ad impetranda eius ſpiritualia dona, illuc plurimi cum ingenti deuotione etiam de lon-

Miri quidam de columba.

Matth. 3.

ginquis partibus aduenerunt, quibus paracloeti conſolatio & munificæ largitatis eius gratia non defuit.

De aduentu fratrum ad eum, & miraculoſo ſono campanarum. Cap. 13.

QVanta verò & quàm munifica munera gratiarũ Spiritus ſanctus in eo loco poſteà contulerit, admirari magis poſſumus, quàm referre. Pauca tamen ex multis ſequens narratio declarabit. Quadam enim die, cùm aliqui de patria vicina ad dictum oratorium conueniſſent, & eis ſeruus Dei de verbo vitæ loqueretur, ſuperuenerunt quatuor viri de alia patria, in quorum aduentu tam vehemens in eo ſpiritus charitatis exarſit, vt ægrè ſe poſſet continere. Vnde velociter excluſis à ſe prioribus conuicinis, & illis, qui ſuperuenerant, receptis, cum fratribus ad reddendum Deo laudes oratorium pariter intrauerunt. Et dicentibus illis diuinum officium, ecce ſubitò audire cœperunt ſonum multarum & magnarum ac ſuauiter reſonãtium campanarum. Vndè illi valdè attoniti mirabantur. Erat enim locus ille ab omni hominum habitatione tam remotus, vt nullus inde campanæ ſonus poſſet audiri. Exeuntibus autẽ illis ab oratorio, erectis auribus & eleuatis oculis in cælum, tanta rei nouitate permoti, deuotas præ gaudio lachrymas fundunt, & Deo debitas gratiarũ referunt actiones. Quid plura? Poſt habita cum viro ſancto ſalutaris eruditionis colloquia, diſperſis & datis pauperibus omnibus bonis ſuis, Chriſtum pauperes ſecuturi, ſacræ religionis habitũ ſuſcipiunt. Sed nec illud eſt ſub ſilentio tranſeundum, quòd huiuſcemodi campanarum ſonus ac ſtrepitus non tunc, aut ſemel ſolùm, ſed ſæpenumerò nocte dieq́; horis præcipuè diuini officij, auditus eſt. Nec ſolùm ab illis fratribus, ſed à pluribus etiã alijs in vicinis vrbibus & adiacentibus locis. Nec æqualis ſemper. Nec ab omnibus æqualiter: ſed in maioribus feſtiuitatibus maior audiebatur pulſatio. In ipſa quoq; Dominici corporis eleuatione maior campana, & quæ dulciùs cæteris reſonabat. Et cùm tantus eſſet ille ſonus, & adeò repleret auditum, vt vix poſſet quandoq; ſine læſione tolerari: tamen, quod eſt dictu mirabile, quanto quis aures ei accommodabat attentiùs, tanto remiſſiùs audiebat. Vnde ſi vera ſunt hæc, immò quia vera ſunt, ſatis agnoſcere poſſumus ſonum illum non phantaſticum fuiſſe, ſed verè cæleſtem, diuinoq; formatum miraculo. Quod etiam ex hoc euidenter cognoſcimus, quòd per hunc ſonum conſtat aliquos à duplici, mentis ſcilicet & corporis, infirmitate fuiſſe ſanatos, & ab infeſtatione diabolica liberatos. O igitur verum, & veræ ac miræ virtutis ſonum! quia non ſolùm corporis, ſed etiam cordis aures, cæterorumq́; vires membrorum, animorum quoq; virtutes tam efficaciter penetrauit.

Campanarum ſonus diuinitùs editus.

Nota de cãpanarum ſono mira quædam.

De cantibus cæleſtium ſpirituum, & miraculoſa oratorij dedicatione. Cap. 14.

IAm verò nos, qui cæleſtium campanarum ſonos narrauimus, etiam cæleſtium ſpirituum voces ſilere non debemus. Audiebantur enim ibi ſæpiùs dulciſſimę voces, ſuauiſſimiq; cantus angelici, quandoq; in cella vna, quandoque in oratorio fratrum, ipſis diuinum officium cantantibus: quandoq; verò etiam ceſſantibus ipſis atq; pauſantibus, quaſi eis ferentes auxilium, fortiùs reſonabant. Vidit verò & audiuit vir ſanctus multa ſecreta cæleſtia, quæ ſingulatim exprimere longum eſſet. Sed vnum inter cætera iure ſubticeri non poteſt. Cùm enim ille quandoq; in aurora diei ſolitarius ſederet in cella, & aperta feneſtra in libro ſuo legeret, ecce ſubitò apparuerunt extra cellam complures ſpiritus glorioſi, qui euntes per circuitum loci, dedicationis officium decantabant. Quo finito, eorum viſio ſtatim euanuit. Poſteà tamen cuidam fratrum vir quidam ſplendidus apparuit, dicens: Scias, quia hoc oratorium à Deo ædificatum & dedicatum eſt. Et hoc tibi dabo ſignum in teſtimonium veritatis. Hoc enim manè, cùm ſacratum locum intraueris, lampas, quæ ante altare accenditur, nullo apparente, qui eam deferat, huc atq; illuc oleo plena mouebitur. Quod & factum eſt, videntibus & admirantibus fratribus vniuerſis.

Cantiones angelicæ audiuntur.

Viſio eius.

De odio diaboli aduerſus locum illum, & habitantes in illo. Cap. 15.

SEd ſicut locus iſte à Deo ſpecialiter electus & dilectus fuiſſe, præcedentibus ſignis pluribusq; alijs indicijs declaratur, ſic diabolo non ambigitur fuiſſe ſingulariter odioſus. Vnde plures fratrum ſæpè viderunt turbas dæmonum, in ſylua circa hunc locum rugientium, volentiumque, ſed non valentium, introire. In quadã inſuper Quadrageſima, cùm fratres multo ieiunio & orationi cæteriſq́; operibus bonis, quantùm poterãt, ſe dediſſent, tanto magis malignus ille ſpiritus tẽtabat eos ſubuertere. Sed adiuuante eos Spiritu ſancto, nullatenùs potuit preualere: cumq́; eos interiùs in corde lædere non poſſet, ſicut de beato Iob legitur, exteriùs ipſos lædere tentauit in corpore. Nam

Torquẽtur dæmones odio monachorum.

Iob. 2.

Nam Dominica in Paſſione de nocte,antequàm ad vigilias ſurgerent,apertè eis apparuit,nec facilè eſt exprimere quanto eos timore ac tremore affecerit. Vnus autem illorum euerſis manuum digitis,earum vſum perdidiſſe credebatur. Clamabat ille, & cũ illo cæteri. Non eis erat alicubi ſecuritas,non in cella,non in choro, non in eccleſia: quia vbique teterrima videbant dæmonia. Sed vir ſanctus hæc ſentiens, in cella ſua orans,miſit ad eos,dicens quòd in diuino perſeuerarent officio, nec his diabolicæ fraudis machinamentis ſuccumberent,ſed reſiſterẽt fortes in fide. Facto autem manè hęc omnia euanuerunt phantaſmata. Sic ergo diſpenſante optima Dei prouidentia, hi ſerui eius ad ſuæ probationem fidei & virtutis exercitium, inter varias Spirituſſancti coſolationes,etiam has aliaſque plurimas maligni ſpiritus tentationes perpeſſi ſunt,ſicut magnus Chriſti athleta,qui ait: Ne magnitudo reuelationum extollat me,datus eſt mihi angelus ſatanæ,qui me colaphizet.

Dæmõ fratribus infeſtus eſt.

Cur id permiſerit Deꝰ

2.Cor.12.

De fide præmiſſis firmiter adhibenda, idq́ eò magis, quòd ab ipſo ſcripta ſint. Cap. 16.

HAEC autem,quę hucuſque piè ac fideliter,Chriſto teſte,retuli,ideò certiori fide maiorique deuotione me reuereri fateor,quia ab hoc ſancto viro,non ad ſuî gloriam,ſed ad Dei laudem & proximi ædificationem, purè & ſimpliciter narrata hiſtoriæ veritate,ac propria ipſius manu ſcripta in cella eius inuenta ſunt. Non enim arbitror quenquam,qui vel tenuem ſenſum religionis habeat, tantum ſacrilegij crimen velle committere,vt putet eum in hoc ſcripto fuiſſe mentitum. Abſit à quolibet, qui ſub Deo viuit,iſta ſuſpicio: horreſcat hoc credere animus Chriſtianus,quia nõ eſt hominis vox iſta,ſed dæmonis. Neque enim vir iſte ſanctus hoc quæſiuit,aut indiguit, vt vel à ſe,vel ab alijs vllis mendacijs laudaretur. Nam licèt multa illius geſta innotuerint in mundo,quia non potuerunt celari: tamen innumerabilia eſſe dicuntur,quę,ſicut & de beato Martino legitur,dum ipſe iactantiam vitauit,occultauit,nec in hominum paſſus eſt notitiam peruenire: quippe qui humanam laudem ſupergreſſus, & mũdi gloriam calcans, virtutis ſuæ conſcientia,cælo teſte,frueretur. Cæterùm ſi fortè in his,quę ipſo authore de geſtis eius ſuperiùs memoraui,offendat aures quorundã nimiùm delicatas ſermo ruſticior, ſuper vos,fratres chariſſimi,mea erit excuſatio. Nã qui mihi tribuiſtis,huius ſancti geſta narrare,illud etiam concedere debuiſtis, vt mihi liceret,exemplo illius,ſermonum phaleras & verborum ornamenta contemnere.

Cur meritò fides ſuprà dictis adhibenda.

LIBER SECVNDVS, DE IIS, QVÆ AB EO VSQVE AD MORTEM GESTA SVNT, ET A *fratribus eius alijsq́ fide dignis authoribus approbata.*

PROLOGVS.

COgor nunc fratres,chariſſimi,et meritò compellor dicere cum propheta: Domine,audiui auditionem tuam, & timui. Audiui quippe Dominum ſapientis voce docentem,quòd non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Audiui rurſus per Prophetam peccatori dicentem: Quare tu enarras iuſtitias meas,& aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Audiui ergo, Domine Deus,hanc tuæ eruditionis atq; cõminantis auditionem,quam ſi cordis, ſicut corporis aure perceperim,nimirùm timui. Quomodo enim non timerem peccator indignus,cùm ſe timere aſſerat propheta ſanctus? Quomodo,inquam,non vehementer timerem, aut quomodo tam obliuioſus præmiſſorum auditor, vel meæ conditionis tã immemor eſſem,vt abſq; timore & erubeſcẽtia mihi temerè arrogarem huius ſancti Petri cõfeſſoris laudes exprimere,& illius,immò nimis glorioſi Dei in ſancto eius virtutes enarrare,qui multis & magnis oneratus peccatis,& adhuc carnis paſſionibus obnoxius,ſuauitatem ſpiritûs necdum ſenſerim,tantarum indignus ſapere dulcedinem? Ideò non immeritò propoſueram manum à calamo retrahere,& in his,quæ ſuperiori libello narrata ſunt,ſcribendi audaciam terminare. Sed iam video, dilectiſſimi fratres,quòd veſtris deſiderijs præmiſſus meæ narrationis ſermo nondum ſatisfacere valuit,niſi etiam illa ſcribam,quæ de hoc viro ſancto à deuotis eius fratribus,veridicis vtique ac fidelibus authoribus,tradita ſunt,& in veritatis teſtimonium etiam Apoſtolica authoritate firmata. In hoc ergo non meæ, ſed veſtræ voluntati, obtemperans,cui reſiſtere charitas vetuit,de veſtris etiam,non de meis orationibus & meritis, confiſus, ad illa ſcribenda ſecurus & audax, vtinam non præſumptuoſus & temerarius, progredior.

Habac.3.
Eccli 15.
Pſalm.49.

De frequentia & feruore orationis eius. Cap. 1.

Aſſiduitas precū eius.
Pſalm. 118.
† Pſalteriū.

SEd vnde potiùs exordiar, quā ab oratione, cuius in hoc ſancto viro tam feruens, & tam iugis & frequens fuit deuotio, vt eam magis mirari valeā, quàm referre? Vacabat enim nocte dieq; deuotis orationibus, & licèt terrā corpore, cælum tamen mente habitans, iā quaſi diuinis frui videbatur colloquijs. Surgebat media nocte cū Propheta, ad confitendū nomini Domini: & expleto matutinali officio, legebat † Pſalmos pœnitentiales cū litanijs & ſuffragijs quamplurimis, nec deerāt oris vocibus cordis gemitus, & abundantes fluuij lachrymarū. In aurora verò Miſſam tā deuotè celebrabat, vt etiā mentes adſtantium quodam ardore charitatis accēderet. Qua finita, iterū, vt priùs ad pſalmodiā & orationum ſuffragia recurrebat. Ac deinde ſingulis horis Deo debitū perſoluens officiū, non ſolùm ſepties in die, ſed quaſi continuè diuinis laudibus cū lachrymis & genuflexionibꝰ inſiſtebat. Si quid verò tēporis ſupereſſet, quo ab oratione ceſſaret, nō illud dabat ocio vel quieti, ſed aut neceſſitati naturę, aut vtili exercitio ac labori. Scribebat enim libros & cōpingebat, vel ſuebat veſtes ſuas, aut ſuorū confratrū vt tentator malorū diabolꝰ, in bonorum operū labore ſemper eū inueniret occupatū.

Miſſam deuotiſsimè celebrat.

Exercitia eius manuaria.

De vſitata eius abſtinentia & ieiunijs. Cap. 2.

Carnibus nunquàm veſcitur.

VT autem ſanctus vir Dei orationi ac contemplationi vacaret liberiùs, carnem ſuam miris modis ſpiritui ſubijci & ſeruire cogebat. Vnde eam velut hoſtem domeſticum totis viribus domare ſtudens, nec ſanus, nec infirmus carnibus veſcebatur. Vinum quoq; rariſſimè bibebat, ſic tamen aqua mixtum, vt videretur vini ſpeciē perdidiſſe. Semper etiam, niſi in Dominicis diebus, ieiunabat, nec ea, quæ guſtui ſaperent, ſed quæ vix debilitatem corporis eis ſuſtentarent, aſſumebat in cibum. Et cùm hæc ageret, quotidiè, ſpecialiter tamen ſexta feria arctiori ieiunio, in pane ſcilicet & aqua, carnē ſuam affligebat, in ſe compaſſionem exercens Dominicę paſſionis. Sed licet cibo & potu parciſſimo vteretur, de eis tamen, velut de magnis Dei beneficijs, deuotas & largifluas gratiarum actiones Domino exhibebat. Et vt corpus ſuum parcè, ſic animam abundanter paſcebat, eam ſacræ ſcripturæ & aliorum ſanctorum librorum lectione, velut ſpirituali cibo & potu, iugiter reficiens, illud firmiter gerens in animo: Nō ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Lectio eius.

Deut. 8.

De ſpeciali obſeruantia Quadrageſimalium ieiuniorum. Cap. 3.

Quatuor quadrageſimas obſeruat.

LIcèt verò ipſa, quam diximus, abſtinentia potuiſſet meritò ſufficere, ea tamen vir Dei minimè contentus, quatuor, annis ſingulis, quadrageſimas obſeruabat, in quibus vno tantùm inſipido ferculo vtebatur. Et in tribus earum in pane & aqua ieiunans, quandoque ſolis folijs caulium abſque pane, quandoque ſolis crudis fructibus veſcebatur: Nec enumerari facilè aut narrari poteſt, quanta auſteritate die noctuque maioribus ſe abſtinentiæ frenis conſtrinxerit, quibus humanam fragilitatem quaſi inhumaniter refrenans affligebat, ita vt inſectari ipſam mortem & rapere velle videretur. Vnum quippe ab eo geſtum traditur, quod plurimis fortaſſe, vt de Origene ait Euſebius, minùs perfecti ſenſûs eſſe videbitur, ſed perfectæ fidei indicium continens. Quodam enim Quadrageſimæ tempore, quaſi fortiora tormentorum genera excogitans, vt ieiunium auſteriùs adimpleret, & diuinæ contemplationi vacaret attentiùs, in foueam quandam deſcendens, ſolùm panes decem & octo cepas pro ſuſtentatione intulit. Et eccè cùm ibi imbrium & niuium frigoriſque nimia inualuiſſet aſperitas, veſtimenta eius glacierum tenacitate ſic adhæſerunt circunſtantibus foueæ parietibus, vt viginti diebus immobilis permaneret, in Dei laudibus tamen perſeuerans. Et expleta huiuſmodi Quadrageſima, cùm ſuperueniſſent quidam deuoti, qui pro ſancta eius benedictione accipienda ad eum tunc accedere ſoliti erant, ipſum quaſi ſemiuiuum repererunt. Et inde cum fletu & planctu eum trahentes, & accenſo igne refocillantes, adhuc ibi quinq; panes, qui ſuperfuerant, inuenientes, mirati ſunt. O quàm mirabiliter tanto tempore eum quinque panibus pauit in antro, qui multa hominum millia quinque panibus ſatiauerat in deſerto. Poſtea tamen audiuit vocem ſibi dicentem, eumq; diuinitùs docentem: Frater Petre, inquit, noli tam graue onus aſello tuo imponere: quia ſi eum perimis, inde coram Deo redditurus es rationem. Quo audito, ſe deinceps à tā grauibus & importabilibus corporeæ fragilitati oneribus aliquatenùs temperauit. Sed hîc te alloquor, ô mira Dei prouidentia. Qui enim cuncta ſapienter ſuauiterq; diſponis, cur huius ſerui tui animum, in tantam & tam immoderatam, vt ita dicam, pœnitentiam attrahere voluiſti, à qua eū poſteà tuo pio moderamine retrahere decreuiſti? Sanè hoc ideò, vt magnū fidei eius zelū oſtenderes, & per hoc arduū & magis

Nimio ſe rigore afficit vir ſanctus.

Matth. 14.

magis admirandum, quàm imitãdum, exemplum, nos molles nimis & deſides, ad qualemcunque pœnitentiam prouocares. Sic Abraham ad immolandum filium excitaſti, non vt immolando occideret, ſed vt occidere volendo, obedientiæ iuſtitia innoteſceret, & iuſti obedientia cæteris exemplum demonſtraret. Geneſ. 22.

De mira eius auſteritate in omni pœnitentiæ genere. Cap. 4.

NEc ſolũ fidelis Dei ſeruus in abſtinẽtia plurima, in ieiunijs indeſinentibus, in vigilijs penè iugibus: ſed etiã in rebus cæteris admirandam cunctis ſeculis pœnitẽtiæ auſteritatem obſeruare ſatagebat. Ipſe nanq; vilibus multùm & aſperis veſtimẽtis indutus, cilicijs de pilis equorum reticulatis & nodoſis vtebatur, ſicut Baptiſta Iohannes de pilis camelorũ veſtiebatur. Fuit ille magnus doctor & prædicator pœnitentiæ: iſte verò magnus eius imitator & diſcipulus. Magna tamen quædam de diſcipulo narramus, quæ de magiſtro non legimus. Hic nanq; ad nudam carnem catenam ferream, vel quandoq; ferreum circulum ferebat: hic ſtrati mollitiẽ ſpernens, ſuper terrã ac nudis tabulis, vel cancellatis craticulis, veſtitus cilicio, & præcinctus lumbos ferreo cingulo aut catena, dormiẽdo iacebat: et pro puluinari lignũ aut lapidẽ, vel aliquid huiuſmodi capiti ſupponebat. Et, quod mirum eſt dictu, etiam infirmus nunquam molliori lecto vſus fuiſſe perhibetur. Quid plura? Hic in quibuſdam prædictarum Quadrageſimarũ temporibus ſolo cilicio pro omni veſte vſus eſt. In quibuſdam verò cilicio, ſuperimpoſita lorica, cuius pondere caro eius per ſubintrantes cilicij nodos ſæpiùs vulnerata, ſanie & vermibus ſcaturiens putreſcebat. Quid hîc dicimus? Vnde tanta in mortali & fragili corpore fortitudo? Vnde tam fortis in homine debili tolerantiæ virtus? Sanè tã longum tamq; auſterum martyrij genus homo Dei ſupra hominem, nõ humana, ſed diuina virtute ſibi ſpecialiter aſſiſtente, tolerare potuiſſe credendus eſt. Ideoque fieri potuit, vt tam oneroſum iugum non ſolùm fortiter & libenter, ſed leuiter & ſuauiter toleraret illius gratia, qui ait: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Veſtes eius. Matth. 3. Lectus eius. Puluinar. Matth. 11.

De congregatione fratrum, & Apoſtolica eius Ordinis confirmatione. Cap. 5.

COngruebat igitur, vt lucerna hæc ardens & lucens nõ abſconderetur ſub modio, ſed ſupra candelabrũ poneretur, vt luceret omnibus, qui in domo ſunt. Ideoq; cũ aliquandiù latuiſſet in eremo, poſteà palã innotuit. Virtutum nanq; ſuarum ſplendor, & rutilans charitatis flãma, & odorifera, omnimodę ſanctitatis fama ita generaliter diſpergi, longeq; ac latè diffundi meruerunt, vt ad ſanctæ vitæ ſocietatem, eiuſq; imitationem multos allicerẽt. Vnde factũ eſt, vt tanta ad eũ multitudo fratrũ, ſuo ſubdenda magiſterio & exẽplo docẽda confluerer, vt ad eorũ conuenientẽ habitationem varia oportuerit loca cõſtruere. Quæ cùm pauperrima eſſent, non deſinebat vir ſanctus fratrum paupertatem ſua viſitatione conſolari, & beatæ paupertatis Chriſti eis documẽta atq; exempla proponere, cæteraq; præcepta & Euangelica conſilia, quę ipſe ſingula ſummo amore & ſtudio impleuerat, ſumma diligentia implenda docere. Et ne puſillus grex, quẽ ſic ouili Chriſti aggregauerat, diſperſus periret, cùm audiſſet vir Dei omnes ordines per Apoſtolicam ſedẽ non approbatos, debere caſſari, in generali Cõcilio Lugdunenſi, tunc ſub Gregorio Papa X. celebrando, ipſe vt pius & verus paſtor, animam ſuam ponens pro ouibus ſuis, non ſibi nec laboribus ſuis parcẽs, licèt debilis & confractus, nõ equitando, ſed pedibus eundo, aſſumptis ſecum duobus fratribus, iter illud lõgum & aſperũ cum magno vitæ ſuæ periculo arripuit. Sed Dei auxiliante gratia illuc perueniens, vltrà, quàm ſperabat, in oculis ſummi Põtificis gratiam inuenire meruit, & priuilegium cõfirmationis ſui ordinis ſub Beati Benedicti regula impetrauit. Quod benedictus Deus pia diſpenſatione fieri voluit, vt benedicta Benedicti patris regula, tunc multùm, & nunc magis à quibuſdam prohdolor ſolo nomine monachis conculcata, per nouam huius ſancti ordinis inſtitutionem releuata, in melius reformetur. Multi ſe in eius tradũt diſciplinã. Concilium Lugdunẽſe. Ordo eius cõfirmatur.

De augmentatione Ordinis, & monaſteriorum eius multiplicatione. Cap. 6.

NEc proſpero fine & fructuoſo euentu fruſtrata eſt regulatiſſima ordinatrix, & ordinatiſſima omnium ordinum regulatrix Dei voluntas atque diſpoſitio. Nã poſt immenſos illius itineris labores, poſt innumera viæ pericula, poſt latronum inſidias, à quibus miraculosè, miſſo diuinitùs nuncio in effigie militis, ſuper equum album ſedentis, & eius viam dirigentis, ereptus atque liberatus eſt, poſt alias quoque varias tribulationes & moleſtias, quas non ſolùm in ſe, ſed in ſua abſentia etiam in fratribus ſuis & eorum monaſterijs & bonis, à quibuſdam illorum locorum epiſcopis pertulit: poſt hæc, inquam, tam diuerſa & aduerſa laborum atque periculorum genera, tandem, diuina eum protegente gratia, ad propria reuerſus, cum ingenti gaudio & omni exultatione ſuſcipitur. Et citò pòſt, congregatis vndique fratribus ſuis, in monaſterio Seruatur à latronibus miraculosè.

Sancti Spi-

Sanctiſpiritûs de Magellis generale Capitulum celebrat: vbi eodem ſpiritu inſpira te multa cum eis de obſeruatione mandatorum Dei & dictæ regulæ pertractans, pl rima ſtatuta valdè ſalutaria ad reformationem monaſticæ diſciplinæ vtiliter ordin uit. Et extunc & deinceps multa loca & monaſteria, etiam quædam, quæ monacho nigrorũ fuerant, ſuo ordini mancipauit. Creuitq; adeò eius ſancta religio, vt in bre trigintaſex loca Domino dedicârit, in quibus ferè ſexcenti fratres ei oblati, cum mu ta deuota familia, varijs virtutum & bonorum operum exercitijs inſudabant. Et qu multi deuoti ſeculares, habitum religionis aſſumere non valentes, ſocietatẽ & partic pationem ordinis habere ſummoperè auebant, conſtituit quandam confraternitat in qua ſub certis ſalutaribus obſeruantijs, in pluribus ciuitatibus & locis, innumer vtriuſque ſexus multitudo in miſericordiæ aliarumq; virtutum operibus proficien Chriſto & membris eius pia exhibebat obſequia. Sic Deus nouellæ vineæ, quam pe ſeruum ſuum plantauerat, magnum in tam breui tempore dare voluit incrementur ſimulque multiplicauit gentem, & magnificauit lætitiã. Nam de huius religionis mu tiplicatione & magnificatione totus exultabat orbis, & virum Dei ac fratres eius, tan quam ſanctos vniuerſus exaltabat populus: Quippe cùm Deus non ſolũ per eũ, ſed eti ꝑ cõplures fratres eius multa & magna miracula ſua mirabili gratia edere dignaretur

Cæleſtinorum inſtitutum valdè proficit.

Confraternitas ab illo inſtituitur.

De magno eius zelo erga ſalutem animarum & ſubuentionem pauperum. Cap. 7.

NEc ſolùm ita, vt prædiximus, ſed alijs miris & inenarrabilibus modis fuit ei ma gnus charitatis zelus: non ſolùm erga ſuorum fratrum, ſed etiam erga cunctarum animarum ſalutem. Nec enarrare facilè eſt, quot de faucibus diaboli animas extraxerit, quot à via prauitatis ad viam pietatis, à vanitate ad veritatem, à cupiditate ad charitatem, à ſuperba elatione ad humilem ſubiectionem attraxerit. Vnde factum eſt vt eius doctrina & exemplo, viri & mulieres circumadiacentium locorum omnes penè religioſi viderẽtur. Quod inter eos lis aliqua aut diſcordia oriretur, ſi quod ſcãdalũ, ſi quid bonis moribus aduerſum naſceretur, eius authoritate & cõſilio quaſi diuino quodam oraculo territi, cogebañtur ad emendationem ſeſe conferre. Sed quis exprimere ſufficiat miſericordiæ zelum, quem ille ſpecialiter gerebat erga pauperes? Eos quippe non ſolùm ſpirituali, ſed etiam corporali refectione fouebat. Vnde cùm ad eũ vndique confluerent, eis vltrà, quàm dici poſſit, compatiens, eleemoſynas erogabat. Cumque multa ei & pauperibus eius fratribus donarentur, ipſe tanquam fidelis diſpẽſator, Prophetæ doctrinam ſecutus, diſperſit omnia & dedit pauperibus: & ideo iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Sic ergo omne, quod ipſe poſſidebat, omnium quaſi commune patrimonium erat. Nam vt inopibus alimenta, dotes virginibus, remedia infirmis, & oppreſſis ſubſidia largiretur, plerunque præcepit ſuis fratribus oues & boues, & alia monaſteriorum ſuorũ animalia, cùm audiret ea multiplicata, vẽdere: & ex ea pecunia & noua conſtruebat monaſteria, & pauperibus largiebatur. Argenteos autem calices & ſericas veſtes aliaq; precioſa eccleſiarum ornamenta vendi aut alijs eccleſijs donari curabat, ne fratres rebus precioſis delectarentur. Multa enim ei donabãtur, aurum, argentum, veſtes, cera, & alia complura: quæ ille per ſui ordinis monaſteria, aliorum quoque religioſorum & per ſeculares eccleſias ſolicitè diſtribuebat.

Multi per eum corriguntur.

Benignitas eius in pauperes.

Pſalm. 111.

De doctrinæ eius efficacia erga ſingulos hominum ſtatus. Cap. 8.

COnfluebant autem ad eum non ſolùm pauperes, ſed etiam diuites, & omnium ſtatuum homines, & Eccleſiaſtici, & ſeculares: quos pro ratione conditionis ſuæ deuotè, reuerenter ac humiliter ſuſcipiens, ſpirituali eleemoſyna, verbo ſcilicet ſanctæ doctrinæ, velut cibo ſpiritualis alimoniæ, paſcere & abundãter reficere ſatagebat. Et licèt vir ille ſimplex & rectus non multùm foret peritus, aut magna literarum ſcientia præditus, illa ſcilicet, quæ ſtultitia eſt apud Deum: quia, vt ait Apoſtolus, quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia: tamen diuina ſapientia repletus, omnes ſalubriter inſtruebat, ſingulos congruenter ſtatui eorum ſpecialibus monitis erudiens. Cumque non ſolùm ſimplicibus & popularibus, ſed etiam diſertis & ſapientib⁹ de diuinis rebus loqueretur, non tentabat verba proferre diſerta, ſed fortia: nec ad auditentiæ popularis illecebram fucata, ſed ad diuinam gratiam & gloriam conſequendam rudi veritate ſimplicia, & ſimplici puritate vtilia. Vnde quia doctrinæ ac vocis eius puritas, & pura ſynceritas non eloquentiæ viribus vtebatur ad virtutis argumenta, ſed rebus, ideò manifeſtè & euidenter aderat ei diuina gratia, per quam innumeros ſui imitatione ad virtutum opera prouocabat: quippe qui non ſolùm verbo, verùm etiam in opere conſummatę diſciplinæ prębere exempla. Hoc autem de eo ſingulariter

Multos ad ſe venientes optimè inſtituit.

1. Cor. 1.

ter admirãdum narratur, quòd nullus erat tot vitiorum irretitus, aut tantorum pecca torum pondere preſſus, qui ſancta facie eius proſpecta, & auditis eius verbis mellifluis, ad conſcientiæ compunctionem non rediret, vel ab eius præſentia abſque conſolationis gratia recederet. Et qui eum ſemel viderat, illum reuidere cupiebat ardentiùs. Ideoque tanta ad eum populorum frequentia concurrebat, quòd non erat ei omnibus loquendi facultas, ſed vt eius viſione conſolarentur, locum aliquem eminentiorem aſſcendebat, vt data ab eo benedictione recederent. Vbi quandoq; plures infirmi & dæmoniaci eius precibus & meritis ſanabantur.

Efficacia ſermonũ eius.

Miracula eius.

De abitione eius ad loca ſecretiora, vt frequentiam hominum fugeret. Cap. 9.

LIcèt autem vir Dei quarta & ſexta ferijs totius anni, ac in quatuor Quadrageſimis ab hominibus ſequeſtratus, Deo & ſibijpſi vacans, nullius admitteret colloquium: hoc tamen non contentus, illam, quam prædiximus, inquietudinem & popularis frequentiæ moleſtiam non ferens, ſed vt indeſinenter diuinis meditationibus inhęreret, vitam ſecretiorem habere deſiderans, deliberauit fugere multitudinem, & à communi conuentu fratrum, quem ipſe fundauerat, ad alium locum deſertum diſcedere. Quod cùm ille fratribus indicâſſet: Cur nos, inquiunt, pater deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? Ipſe verò eos flentes & gementes conſolans: Non vos, inquit, filioli relinquo, ſed quod facere diſpono, pro mea & veſtra vtilitate facio. Ego quippe ſenex ſum, & conſueta hactenùs onera portare non poſſum: ſed à vobis abſens, ſemper auxilio & conſilio præſens ero. Igitur cùm, aſſumptis ſecum paucis fratribus, ſeceſſiſſet ad locum ſecretiſſimum ſancti Bartholomæi de Legio, vbi credebat ſe ab hominibus ignoratũ iri, abſcondi tamen non potuit lucerna ſuper candelabrum poſita. Sed multò plùs, quàm antea, ibi à populo quæſitus & frequentatus, virtuoſæ lucis ſuæ opera mundo declarare compulſus eſt. Ipſe verò terrena faſtidiens, cogitauit adhuc ad locũ altiorem atq; difficiliorem aſſcendere. Et aſſumpto ſecum vno ſocio, ad mõtis Magelle verticem veniens, deſcendit ad quandam cryptam, ad quam ſine periculo nõ poterat haberi acceſſus, vt vbinam degeret, nullus agnoſceret, vel agnoſcens, illuc aſſcendere formidaret. Ibiq; ad honorem ſancti Iohannis Euangeliſtę conſtructò oratorio, pro ſe & duobus ſocijs cellas ædificans, per plures annos manſit. In quo loco multa per eum miracula Dominus oſtendere dignatus eſt. Cumque nec ſic latere potuiſſet, & maior illuc hominum multitudo concurreret, vt eorum laboribus parceret atque periculis, redire diſpoſuit ad montem Muronis, vbi primo ſuæ conuerſionis tempore manere conſueuerat. Quem loci illius incolæ, mentes eorum inſtigante Deo, cum innumera vtriuſque ſexus multitudine, cum proceſſionum ſolennitate, cum oblatione deuota munerum, ad Dei cultum pertinentium, cum iubilo laudum & exultationum, quaſi angelum de cælo miſſum, officioſè & honorificè ſuſceperunt.

Certis tẽporibus nulli loquitur.

Petit locũ ſecretũ, ſed latere non poteſt.

Aliũ ſecretiorẽ adit.

De electione eius in ſummum Pontificem, & vt eam effugere voluerit. Cap. 10.

IGitur vir ſanctus ibi in cella recluſus, pluſquàm vnquàm alibi, magna cum auſteritate viuebat, ſeque ad finem appropinquare conſpiciens, holocauſtum Deo odoriferum magis ac magis offerre ſtudebat. Sed cùm ibi per anni & menſis vnius ſpatium habitâſſet, placuit diuinæ prouidentiæ eum de cella extrahere, & ad noui certaminis campum dirigere, vt fortis athleta maioris gloriæ coronam perciperet. Nam cùm ſedes Apoſtolica poſt obitum Nicolai Papæ quarti, propter Cardinalium diſcordiam, biennio & ampliùs viduata paſtore vacâſſet, & ipſi apud Peruſium congregati, iterùm de celebranda electione tractarent, vnus eorum, qui primæ vocis honore fungebatur, fratrem Petrum de Murone, in ſummum nominauit Pontificem. Ad quam vocem cæteri ſtupefacti, inſpirante ac inſtigante ſpiritu ſancto, eum concorditer elegerunt. Quod rariſſimè aliàs contigiſſe legitur. Impedit quippe ſæpè huius electionis concordiam malignus ille ſpiritus diſcordiæ, qui cæca ambitione ſuperbos homines ad huius honoris culmen imprudenter ac impudenter deſiderandum impellit. Facta igitur illa tam mira & manſueta electione, cùm de ea ſinguli ingenti lætitia & inenarrabili gaudio exultarent, ſolus ipſe vir ſanctus nimio mœrore grandique lamento repletus eſt. Et cùm de hoc eius honore totus populus lætus, inſpirante Domino, proſiliret, humiliter ille recuſare ſatagebat, indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans, vt dign⁹ magis fieret. Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur, recuſat. Nec ſibi ſeſe excuſare ſatis erat, ſed latenter cum vno ſocio, cui cordis ſui ſecretum prodiderat fugam capere attẽtauit. Verùm ſubita populi multitudine circunuentus, cùm euadẽdi ſpes non eſſet, Papalem dignitatem, magis vi adactus, quàm voluntarius, acceptauit.

Eligitur in ſummum Põtificem.

Fugam capeſſit, ſed retinetur.

Non

Non enim tanquam idoneum ſe ad illud officium teſtabatur aſcitum, ſed velut indignum ab illa vitæ monaſticæ diſciplina querebatur expulſum.

De conſueta eius humilitate in ipſius etiam ſublimi ſtatu ſeruata. Cap. 11.

IPſe ergo à monachorum cœtu ad ſummum pontificium raptus, tanta diſtrictione omni æuo ſuo propoſitum ſolitudinis cuſtodiuit, vt nihil de præteritæ humilitatis tenore laxauerit, aut de adiecto ſibi honore blanditus ſit. Vnde cũ audita ei electionis fama, reges Siciliæ & Hungariæ veloci curſu ad eum perueniſſent, & relicta cella, ad monaſterium ſancti ſpiritus cum eis deſcendiſſet, & peractis ibi aliquot diebus, ire Romam diſponeret, non magnum equorum apparatum, ſed paruum aſellum ſibi adhiberi præcepit. Quod reges admirantes ac alij Cardinales, viæ eius comitantes veſtigia, ſuadebant ne hanc Eccleſiæ Dei inferret iniuriam. Sed ab incepto humilitatis propoſito eum fruſtrà conantur abſtrahere. Nam vſque ad ciuitatem Aquilæ ſuper aſellum ſedens, honorabili ac innumerabili turba comitatus acceſſit. Hoc autem ab eo factũ eſt, non quidem ſuperba ſingularitate, quaſi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit: ſed ſingulari humilitate, qua à ſanctæ ruſticitatis monaſtica conſuetudine, nec facilè, nec citò auelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus, ſiue in equis, ſiue in veſtibus ac alijs exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, à tempore beati Syluestri Papæ ſancti patris, non ſolùm ſummi Pontifices, ſed & alij minores Epiſcopi, non ad ſuam, ſed ad Chriſti, & Eccleſiæ eius gloriam extollendam introduxiſſe credendi ſunt: quos exteriùs cum temperantiæ moderamine obſeruare, interiùs tamen ſeruata humilitate, non eſt vanitatis aut vitij, ſed eſt virtutis ac meriti. Vnde grauiter increpandi ſunt illi; & præcipuè monachi, qui ſub prætextu humilitatis, propter huius conſuetudinis obſeruantiam, ſtatui epiſcopali ſuperbè detrahunt. Multa nanque in talibus decent Epiſcopos, quæ non decent Monachos, aut eorum Abbates vel Prelatos, ſicut B. Bernardus teſtatur, dicens: Alia equidẽ eſt cauſa epiſcoporum, alia monachorum. Scimus enim, quòd illi ſapientibus & inſipientibus debitores cùm ſint, carnalis populi deuotionem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Quòd autem Chriſtus illam ſingularẽ huius ſerui ſui humilitatẽ non ſibi ac Eccleſiæ ſuæ imputaret ad iniuriam, ſed ad honorem, ſingulari voluit declarare miraculo. Nam cùm multi poſt eum infirmi portarentur, vt ſaltem poſſent eius tangere fimbriã veſtimenti (erat enim totius populi mira erga eũ fidei deuotio) homo quidã filiũ ſuũ ambobus pedibus claudum, portans, cùm ad virum ſanctum præ multitudine nõ valeret accedere, aſello, de quo deſcenderat, puerum impoſuit: qui ſanitate recepta, ab illa hora firmiter ambulauit.

Vide humilitatem in tanto ſtatu.

Num liceat Põtificibus quodã magnificos præferre apparatus.

Nota miraculum inſigne.

De eius coronatione, & de his, quæ in Papatu geſſit. Cap. 12.

IN dicta igitur ciuitate Aquilæ, vocato Cardinalium cœtu, Pater ſanctus in feſto Decollationis S. Iohannis Baptiſtæ coronam, aliaque Apoſtolica ſuſcepit inſignia. Et quia in terris habitans, iam cœleſtis erat, & cum Apoſtolo verè dicere poterat: Noſtra conuerſatio in cælis eſt: in ſua coronatione, Deo (vt credimus) inſpirante, Cæleſtini nomen accepit. Ipſe quoque, vt verè Cæleſtinus, cæleſtem theſaurum Indulgentiarum, Apoſtolicarum liberaliter aperuit. Cumque prælati & principes eſſent ei ad petenda beneficia Eccleſiaſtica importuni, cogitauit non ſolùm diuitibus temporales, ſed etiã pauperibus ſpirituales diuitias impartiri. Deinde verò, cùm ad preces regis Siciliæ veniſſet Neapolim, ibi cum ſua curia aliquandiù reſidẽs, fecit ordinationem vnam duodecim Cardinalium: inter quos ex ſuo ordine duos fratres elegit, vt cum illis in pontificio ſpirituale haberet conſortium, cum quibus ab ipſo tyrocinio militiæ ſpiritualis ſeu in cœnobio, ſeu in eremo, contubernium ei fuit. Ipſe nanq; cœnobitica profeſſione & anachoreticæ ſublimitatis perfectione ita diligenter inſtructus atq; inflammatus erat, vt etiam in Papali camera & auguſto palatio cellam ligneam anguſtumq; ſibi & eremiticum fieri voluerit habitaculũ, vt in alto humilis, inter turbas ſolitarius, inter diuitias pauper viueret, ſicq; liberiùs orationi ac contemplationi vacaret.

Philip. 3.

Anno Domini 1294.

En ſtudiũ ſolitudinis.

De renunciatione Papatus, & eius commendatione. Cap. 13.

IBi ergo aſſiduè cogitare cœpit, qualiter huiuſmodi pontificali honore, velut importabili onere depoſito, abiectaque temporali ſolicitudine, ad antiquam ſolitudinem repedaret. Cumque peritorum conſilio id iure ac ſine animæ ſuæ diſcrimine fieri poſſe comperiſſet, ita in hoc cor ſuum, animumque firmauit, vt ab illo propoſito, nullus eum amouere potuerit. Quid plura? Cùm ipſe anno quaſi dimidio ſedi Apoſtolicæ præ-

præfuiſſet, tandem in vigilia ſanctæ Luciæ, celebrato fratrum ſuorum conſiſtorio, ibi liberè ceſſit Papatûs oneri & honori. Et depoſitis pontificalibus inſignijs, de alta Petri ſede deſcendens Cæleſtinus, vt cæleſtem ſedem conſcenderet, ad pedes eorum, quibus præfuerat, humiliter Petrus proſternitur. O humilitas ſingularis, rara vtique, ſed ideò meritò precioſa, nō ſolùm in cælis ſublimibus præmijs exaltata, ſed etiam in terris ſingularibus extollenda præconijs. Vnde vt inter executionem huius facti & ipſius laudē & admirationem, nulli dubio mentis iudicio fluitarent, miraculum, quod prima die poſt eius renunciationem Dominus per eum facere dignatus eſt, certum indicium fuit. Nam cùm poſt eius Miſſam quidam claudus membris contractis ſeſe ad pedes ipſius proſterneret, accepta ab eo benedictione, ſanus erectus eſt. Quod profectò non fieret, ſi quod ab eo geſtum erat, tanquam indignum Dominus reprobaret. Erubeſcāt itaque, qui huic humilitati ſuperbè detrahentes, temerariè dicere auſi ſunt, hoc non ex virtute, ſed ex vilitate animi, proceſſiſſe. Nam (vt ait Ambroſius) non vt dilectores huius ſeculi putant, parui cordis aut ſegnis eſt animi, terrenas opes ſpernere, honores occiduos faſtidire, nec ibi gloriam quærere, vbi laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ. Huius ergo præconis laude quis dignior Cæleſtino? Nam, vt quidam eleganter inquit, reliquerunt alij nauiculas ac retia, alij poſſeſſiunculas, alij telonium, alij etiam regna, vel regnorum ſpem, ſecutique Chriſtum, facti ſunt Apoſtoli & ſancti amici Dei, Papatum verò, quo nihil eſt altius, rem tam exoptatam, tamque mirabilem, vt ab admiratione ac ſtupore dictam ferant, quis vlla ætate, præſertim ex quo tanto in precio eſſe cœpit, tam mirabili & excelſo animo contempſit, vt Cæleſtinus iſte, priſtinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egeſtatem appetens, atque dum cælum proſpicit, terræ immemor? O dignam igitur Papatûs renunciationem, quæ quantùm ad ſolidam gloriam pertinet, multis papalibus dignitatibus præferenda eſt! O glorioſum virum, qui ſi nihil aliud dignum honore memoriæ geſſiſſet, hoc tamen facto tam admirando & à paucis prohdolor imitando, abundè ſe poſteritati commendâſſet! Multò plus ſiquidem commendationis & gloriæ reiecta, quàm recepta, dignitas attulit: & ei ipſa abiectio honoris, quàm acceptio, honorabilior fuit. Atque ideò felicior, quia non ſolùm temporali, ſed nec æterna mercede carere potuit. Heu heu vtinam hoc honorandæ humilitatis exemplum hi imitari meruiſſent, qui in hoc noſtro tam miſero tamq; luctuoſo tempore, ſuperbi honoris culmen inſectari niſi ſunt: non iam ferè triginta annis Eccleſia Chriſti eorum horrendo diſſidio ac nefando ſchiſmate lacerata maneret.

Abdicat ſe Pōtificatu.

Miraculum

Epiſtola 84. quæ putatur eſſe Proſperi Aquitanici.

De fuga eius ad cellam ſuam. Cap. 14.

SEd omiſſa nunc lachrymabili querela ſuper hoc miſerando pariterq; erubeſcendo ſtatu Eccleſiæ, ad propoſitum redeamus. Poſtquàm igitur Papali honori, quem miſeri ſuperbè rapere, aut adeptum retinere cupiūt, vir ille felix humiliter renunciaret cupida auiditate ſtuduerat, illo honore maximo, velut onere mortifero depulſo, ad ſuaue iugum Chriſti, in priſtina ſolitudine ferendum, lætus redire ſatagebat. Vnde, vt narrauerunt, qui viderunt, tanto ille fugiebat cum gaudio, tantaq; ſigna lætitiæ ſpiritualis oculis ac fronte geſtabat, dum ſibi redditus liber abſcederet, vt in vultu eius neſcio quid angelicum reluceret. Ideò, vt à quodam egregio dictum eſt: Eius aſſcenſus, quā mœſtus, quamque contra animū ſuum fuerit, deſcenſus lætus & ſpontaneus declarauit. Sed quàm indignam his tam dignis meritis ac moribus ſuis procellam exceperit, audiamus. Ille nanq; Bonifacius, qui ei in ſede Apoſtolica ſucceſſerat, quam non mœſtus, vt ipſe, ſed lætus, vtpote ambitioſus, aſſcenderat, & quem vir ſanctus ſibi ſucceſſurum prædixerat, cùm licentiam redeundi ad cellam ſuam, ab eo pedibus eius proſtratus reuerenter & humiliter poſtulâſſet, terribilibus ei verbis negauit. Timebat enim, ne fortè vir ſanctus à deuoto ſibi populo tanquam ſummus pontifex coleretur, maximeq; in dubium vertebatur, vtrùm ipſe Papatui reſignare potuerit. Igitur cùm ab illius timidi ac territi, ideoq; terribilis hominis conſpectu vir ſimplex & rectus à Neapoli clandeſtinè fugiendo abſcederet, vt propoſitū, quod ante renunciationem diſpoſuerat, implens, Deo pacificè ſolitarieq; deſeruiret, ne vel ipſe vel alius hanc fugā inobedientiæ aut alterius culpæ ream eſſe crederet, Deus per eum miraculū facere dignatus eſt. Nam in via, aſſiſtente ei Abbate monaſterij Caſſinenſis cum pluribus alijs, mulier quædam filiā ſuam, ambabus manibus paralyticam, lachrymosè clamans, eiuſque auxilium poſtulans, præſentauit. Cui ille, vt pius erat, miſericorditer compatiens, ſanctæ Crucis ſignum fecit. Et ex illa hora ſubitò ſanata, perfectum manuum ſuarum vſum recepit. Poſt hoc verò, cùm tandem ad cellam ſuam perueniſſet, coram altari humi-

Mira alacritate, proficiſcitur ad optatam cellulā ſuam.

Signo Crucis edito, ſanat paralyticam.

humiliter & deuotè proſtratus, Deo gratias referebat. Quem etiam ſinguli cum gratiarum actione, tantaq; exultatione & veneratione ſuſceperunt, vt eius præſentiã vel aſpectum quaſi cæleſte aliquod beneficium amplectentes, non minùs ei, quàm angelo, ſi è cælo delapſus, hominibus ſe offerret, venerationis impenderint.

De fuga eius à cella ſua, & illius perſecutione. *Cap. 15.*

AVdiens itaque Bonifacius ille tumidus, & tumore adeptæ gloriæ turgidus, & timore adimendæ turbatus: audiens, inquam, virum Dei, abſq; ſua licentia diſceſſiſſe, timuit, eum non ad cellam ſuam, ſed ad alium migrâſſe locum, ad Papatum, cui renunciauerat, reſumendum. Ideoq; properè miſit poſt eum Camerarium ſuũ & Abbatem Caſſinenſem, qui eum reperientes in cella rogauerunt, vt ad Papam citò rediret, ne eius indignationem incurreret. Ipſe verò proteſtationem allegans, quam ante renunciationem fecerat, ſupplex orabat, vt ſummus Pontifex eum in ſolitudine pacificè viuere permitteret, pollicitus ſe nulli hominum: niſi ſolis ſuis fratribus, locuturũ. Qua promiſſione recepta, Camerarius iſta Papæ relaturus diſceſſit. Sed ecce alius ſuperuenit nuncius, Apoſtolicas literas Camerario deferẽs, vt abſq; mora virum ſanctũ etiam inuoluntarium reduceret. Cumque idem Camerarius ad cellam nõ ſine impetu & furore rediret, hæc ille fide digno relatu præſentiens, abſcondit ſe & clandeſtinè fugit, exemplo Chriſti, qui Herodis perſecutionem fugiendo, in Aegyptum deferri voluit, & in Euangelio à Iudæis, ipſum lapidare volentibus, ſe abſcondiſſe legitur, & diſcipulos ſuos docuiſſe, vt cùm perſecutionem paterentur in vna ciuitate, fugerent in aliam. O miranda & miſeranda perſecutio: ipſe corporis viribus deſtitutus, & propter vltimam ſenectutem ocio & quieti, quàm itinerum labori, habilior, ad partes Apuliæ in obſcuram ſyluam, vbi quidam ſerui Dei habitare dicebantur, per loca abſcondita & ignota, vno tanquam fratre comitatus, latitandi cauſa fugere cogitur. Sed quod ſtupendum eſt, quanuis murato habitu conſueto, viliſſima chlamyde indutus, alijs quoque, quibus poterat, modis abſconditus incederet, tamen quôcunq; pergeret, agnoſcebatur: quandoque à pueris, quandoq; à prouectis viris, qui nunquam eum viderant, proprio nomine vocabatur. Cumq; in ſylua cum fratribus tempore Quadrageſimæ remanſiſſet, ſuperuenientibus illis, qui vt inuenirent & captiuum ducerent, perſequebantur eum, inde abire compulſus eſt. Et videns ſe in illis partibus occultari non poſſe, mare tranſire diſpoſuit: paratoq; vehiculo, ſed malè proſpero vẽto, cùm per quindecim milliaria nauigâſſet, ad terram iterùm impellitur, & iuxta ciuitatem, cui nomẽ Veſtia eſt, applicuit.

Matth. 2. Iohan. 8. Matth. 10. Res admiratione digna

De compræhenſione eius, & honore in via ei exhibito. *Cap. 16.*

POſtquàm verò circa maris littus aliquot diebus vir ſanctus fruſtrà tranquillum nauigandi tempus expectâſſet, Capitaneus dictæ ciuitatis hæc audiens, eum captũ detinuit, & hoc Papæ a pluribus principibus intimauit. Rex autem Siciliæ, tunc Romæ degens, à Papa mandatum accepit, vt de regno ſuo eum ad ſe venire, & ſecurè ac celeriter duci faceret. Ad quod exequendum, patriarcham Hieroſolymitanum & Priorẽ ſanctæ militiæ cum quibuſdam religioſis & nobilibus viris regia authoritate miſit. Ipſe verò, cùm tam reuerenter & tanto honore fungeretur, vbique etiam occurrente ſibi innumerabili multitudine, cum tanta cordis alacritate à cunctis ſuſcipitur, vt vix de die, obſtante populi importunitate, exire valentes, nocte media iter aggredi cogerentur: nec tamen ſic euadere poterant; quò minùs ante diluculum rurſus circundarentur à populo. Erant tunc multi, qui viro Dei ſuadebant, vt ſe Papam faceret nominari, dicentes eum de iure non potuiſſe renunciare Papatui. Ipſe verò conſtantis animi, & iuſti rectique indeclinabiliter tenax conſilij, licèt ſuper hoc iterùm deinde ac ſæpiùs interpellatus, firmus in propoſito perſtitit, aſſerens id, quod iuſtè fecerat, etiam ſi non feciſſet, voluntariè eſſe facturum. O vocem hominis verè conſtanter humilis, qui honorem, per quem tam contemptibilem perſecutionem euadere potuerat, perſeueranter contemnit, & ſummum ſibi honorem in ſumma humilitate conſtituit. Ideò Chriſtus, qui humiles exaltare promittit, ſeruum ſuum in hac perſecutione clarum fecit, ac multis miraculis glorioſum: quæ omnia hîc tacere contentus eſſem, niſi vnum me referre cogeret admiratio. Poſtquàm enim de regno Siciliæ exiuerat, poſtquàm à dictis regalibus nuncijs Camerario Papæ traditus, Campaniam intrauerat, de nocte occultiſſimè in Anagniam miſſus, propè Cameram Papæ in quadam domo arctiſſimè recluſus eſt. Quo in loco, vt quantus eſſet, qui ibi captiuus tenebatur, oſtenderet, voluit Dominus hoc eum miraculo declarare. Erat in illa Papę curia Archiepiſcopus

Ingens hominum erga eum ſtudium. Matth. 23. Arctiſſimè includitur.

pus Conſentinus, tam intollerabili dolore calculi variaq; grauatus infirmitate, vt eo à Medicis derelicto, ipſe & omnes, qui eum videbant, de ipſius corporali ſalute deſperarent. Iamq; familia eius & ſibi veſtes lugubres, & magiſtro ſuo parauerat exequias: dũ ille deuotas preces Deo fundens, per ſancti viri merita ſalutis auxilium poſtulabat. Et ecce ſubitò, oratione facta, perfectè ſanus effectus eſt, ac ita plenè conualuit, vt ſequenti die hoc domino Thomæ, quem pater ille ſanctus de ordine ſuo Cardinalem aſſumpſerat, ad Dei & ſerui ſui gloriam nunciaret.

Conſentini Archiepiſcopi repẽtina curatio.

De arcto eius carcere & mira eius patientia. Cap. 17.

SEd quem Chriſtus ſic honorauit & mundo glorioſum oſtendit, qualiter ille Chriſti vicarius inhoneſtè ac iniurioſè tractauerit, audiamus. Habuerat enim multa cũ viro Dei colloquia, & tam ſancta & humilia reſponſa ab eo receperat, vt meritò deberet ad eius compaſſionem moueri. Sed obduratus cæca ambitione animus, difficilè flectitur. Igitur in conſiſtorio Cardinalium fingebat conſilium quærere, quid de illo viro ſibi agendum eſſet. Cui cùm plures dicerent, vt ad cellam, quam ſemper deſiderauerat, eum, prout humiliter poſtulabat, liberè redire permitteret, ipſe non piæ charitatis, ſed propriæ crudelitatis vſus conſilio, deliberauit in arcto eum carcere detinere. Miſſus eſt itaque ad caſtrum Fumonis, & fortiſſima turri recluſus: & adhibitis ſex militibus, & alijs triginta ſatellitibus ad eius cuſtodiam, die noctuque ita tenebatur arctatus, vt nulli hominum ad eum patere poſſet acceſſus. Petijt autem, vt duo ſibi darentur fratres, cum quibus diuinum ageret officium. Qui ei conceſſi, illius carceris anguſtiam diù ferre non valentes, inde extrahebantur infirmi. Erat enim tanta ipſius turris arctatio, vt vir ſanctus, vbi habebat pedes, dum Miſſam celebraret, ibi caput reclinaret, dum dormiendo quieſceret. Sed prohpudor ſic Bonifacius ille, alter Herodes, Petrum ſeruabat in carcere: ſic iniuſtè decernitur vir innocens in carcerem, & talem carcerem cuſtodiri, qui nuper cuſtos erat & paſtor totius ouilis Chriſtiani. O verè horrenda ſententia, immò verè Herodiana ſæuitia! Qua igitur procella verborum tam impium nefas obrui meretur? Certè ad hoc monſtruoſum facinus inualida noſtra deficit lingua, ad quod etiam Ciceronis eloquentia non ſufficeret. Sed admiranda & ſummis laudibus extollenda eſt viri ſancti virtuoſa conſtantia, qui non ſolùm patienter, ſed etiam gaudenter huius carceris ignominiam multò magis, quàm anteà Papalis aulæ gloriam ſuſtinuit. Nec propter improbitatem cuſtodum, aut aliam moleſtiam murmur in eo aut querimonia reſonuit, vel aliud impatientię ſignum apparuit: ſed illud potiùs ſpiritualis lætitiæ verbum protulit: Cellam, inquit, deſideraui, cellam habeo. O ineffabilem virum, nec labore victum, nec morte vincendum: cuius virtus carcere, cuius patientia dedecore vinci non potuit! Sentiant igitur alij, quod libuerit: ego verò cenſeo, talem in tali viro carcerem, non indignè æquiparandum eſſe martyrio. Nec æſtimare queo in eo, qui tam horrendum opprobrium tam æquanimiter ferre voluit, etiam martyrium ſuſtinendi defuiſſe voluntarium animi propoſitũ. Et hoc, quàm illud, ei tolerabilius fuiſſe arbitror, quò breuem, quàm longum cruciatum eſt tolerare facilius. Itaque quid de eo rectiùs dixerim, quàm quod de alio ſanctiſſimo cõfeſſore ſcriptum legimus: Etſi ei gladius perſecutoris defuit, palmam tamen martyrij non amiſit?

In caſtro Fumonis vir ſanctus detinetur vi.

Præclara eius patiẽtia.

De glorioſa eius morte, & venerabili ſepultura. Cap. 18.

POſtquàm autem fidelis athleta diù ac legitimè certauerat, iuſtus & miſericors Dominus, volens ei pugnæ ſuæ palmam & victoriæ coronam reddere, hoc modo laboribus, quos per ſexagintaquinq; vitæ ſuæ annos pertulerat, finem imponere diſpoſuit. Conſueuerat vir ſanctus ab Aſſcenſione vſq; ad Pentecoſten, ob reuerẽtiam Spiritus ſancti, ieiunio, orationi atq; ſilentio inſtantiùs ſolito vacare, & ad omnem ſe deuotionem exercere feruentiùs. Quam obſeruãtiam etiam in illo carcere, quo decem menſium ſpatio arctatus fuerat, cuſtodiuit. Cumq; ita die ſancto Pentecoſtes Miſſam deuotiſſimè celebraſſet, milites, ad eius cuſtodiam deputatos, ad ſe vocari fecit, eiſque diſſolutionem ſui corporis infra proximam Dominicam imminere prædixit. Ab illa autem die cœpit grauiſſimè infirmari, & certus de morte, fecit ſibi miniſtrari extremę Vnctionis ſacramentum. Quo recepto, iacebat vir ſanctus non ſuper culcitram aut paleam, ſed ſuper tabulam ſolam, cum tapeto vili coopertus chlamyde. O mira in infirmo corpore ſani animi fortitudo! O fortis & inſuperabilis paupertatis & humilitatis dilectio! Appropinquãte verò mortis ſuæ agone, exitum ſuum pſalmis & orationibus, quantùm poterat, aduersùs diaboli inſidias munire ſtudebat. Et vt ſecum in eis aſſiduè

Prædicit obitũ ſuum

Accipit ſacram Vnctionem.

vacarent fratres ſuos inſtanter & humiliter hortabatur. Vnde cùm ipſi in diuinis pariter perſeuerarent laudibus, ipſo die ſabbathi hora veſpertina, eo dicente Pſalmum: Laudate Dominum in ſanctis eius: ſtatim completo verſu: Omnis ſpiritus laudet Dominum: cum flatu tenuiſſimo emiſit ſpiritum, cum ſanctis & beatis ſpiritibus Deum in perpetuum laudaturus. O beata mors! O felix glorioſusq; vitæ finis! immò verò nō finis vitæ ſuæ, ſed alterius melioriſq; initium. Nunc enim naſcitur, qui ſic moritur. Auditis igitur nouis de morte ipſius, Bonifacius Papa, licèt plurimùm inde gauiſus fuerit, triſtitiam tamen fingens, exequias eius in Eccleſia ſancti Petri de Vrbe cum Cardinalibus ſolenniter celebrauit. Miſitq; vnum Cardinalem & Camerarium ſuum, qui cum omnibus epiſcopis & plurimis religioſis de prouincia Campaniæ corpus eius ad Eccleſiam ſancti Antonij de Ferentino, quam ipſe nouiter conſtruxerat, honorificè tranſtulerunt: vbi iuxta maius altare cum debita veneratione ſepultum eſt. Non enim tantas ſancti illius reliquias iacere inhonoratas decuit, quem admiratio puræ ac ſynceræ vitæ adeò venerabilem fecit.

Pſalm. 150. *Feliciter excedit è vita vir ſanctiſſimus.*

De miraculis & eius canonizatione. Cap. 19.

VT autem vitæ eius ſanctitatem omnipotens Deus ſibi gratam & acceptabilem eſſe probaret, idipſum multiplici nobis inſinuauit miraculo. Sed ſolùm duo hic recitare ſufficiat, quæ eius comitata ſunt obitum. Primum: Quidam milites, qui eum cuſtodiebant in carcere, tam Papæ, quàm alijs pluribus retulerunt, quòd à feria ſexta vſq; ad horam mortis eius, viderunt ante ianuam camerulæ eius crucem coloris aurei, nō affixam alicubi, ſed mirabiliter pendentem in aëre. Quo miraculoſo crucis ſigno patenter oſtenſum eſt, pœnitentiam, quam ille per carnis mortificationem iugiter portauerat, Domino placuiſſe. Sed & quanti meriti apud Deum ſit, aliud miraculum declarauit. Erat enim diſcipulus quidam eius Robertus Salentinus, ille videlicet, cū quo vir ſanctus, dum primùm ad Papatum fuiſſet electus, fugam tentauit: ſed cùm euadere non valeret, ab eo quæſiuit, an ſe ad excelſa tractum & coactum ſequi vellet? Ipſe autem, qui à magiſtro didicerat mundum ſpernere, Chriſtum verò & ea, quibus ad Chriſtum peruenitur, diligere: Quæſo, inquit, vt & labori & periculo meo parcas, meque potiùs cellæ inopis & tuti ocij ſucceſſorem, quàm diuitis & ſolicitæ gloriæ participem velis. Quod & factum eſt. Nam illo Romam abeunte, iſte in ſolitudine perſtitit. Hic ergo dignus eius diſcipulus, non multò pòſt, beatam ipſius animā, è carcere gemino ereptam, ad ſidereas ſcandentem ſedes videre meruit. Qui tanto miraculo ſtupens, interrogauit, an ſe tunc etiam ſequi, an quid aliud agere iuberet? Ille verò, vt in ſolitudine maneret, admonuit: & ſic cælum petens, inter verba diſparuit. Hic autem conſilij memor, tandem longo confectus ſenio, poſt magiſtrū abijt, magna ſanctitatis opinione & mirabilium fama operum relicta. Alia verò penè innumera virtutum atq; miraculorum ſigna, quibus vir ſanctus ante & poſt mortem claruit, hîc narrare omittimus, & ad ea, quæ ſuper his diffuſè ſcripta ſunt, & diligenti examine certis authoribus & veridicis teſtimonijs approbata, lectorem remittimus. Ex quibus hoc concludere ſufficiat, quòd propter miraculorum ac meritorum claritatem, poſt longam de eius canonizatione facienda diſceptationem, tandem per Clementem Papam quintum, ſanctorum confeſſorum catalogo annumeratus eſt, Anno Domini 1313. tertio Nonas Maij, ab eius autem tranſitu, anno circitèr xj. Fuitq; eius feſtiuitas inſtituta 14. Calend. Iunij, qua die poſt labores huius vitæ, in Chriſti quieuit pace.

Multa poſt eius obitū fiunt miracula. *Solicita gloria.* *Anima eius viſa eſt cælos petere.* *Sanctorum Catalogo adſcribitur.*

De generali virtutum ac laudum eius recapitulatione. Cap. 20.

HAec igitur, auxiliante Deo, ad ſuam & glorioſiſſimi confeſſoris ſui laudem conſcripſi. Quicquid autem minùs dixero, neceſſe eſt ignorantiæ meæ potiùs, quàm illius gloriæ derogetur. Latiùs enim virtutum eius merita laudumq; præconia diffunduntur, quàm vt meo valeant ſermone concludi. Si verò quis voluerit eius opera honoreſq; operum, literarum tradere monimentis, certum eſt, quia tanta ſunt de eo ac talia, quæ & maius opus, & maiorem requirant opificem. Ego tamen hîc, quanta potui breuitate, inſerui pauca de multis, inter quæ etiam nonnulla ſunt, quæ penè veritatis fidem excedere iudicari poſſent, niſi ea vera ac certa teſtimonia approbâſſent. Sed vt huic operi finis in eius adhuc laudibus imponatur, ſingulos ſanctorum titulos, quos ſingulariter in ſe complexus eſt, breui ſub compendio colligamus. Igitur vt Apoſtolus, doctrinam Chriſti verbo & exemplo populis prædicauit: vt martyr, corporis tormenta carceriſq; ſupplicia pertulit: vt confeſſor, die noctuq; orationibus & pœnitentiæ operib. feruentiſſimè vacare ſtuduit: vt virgo, concupiſcentiā carnis robuſto ac integro

integro munditiæ ac ſanctimoniæ tenore calcauit. Quid plura? Vt pontifex & paſtor bonus, ouili Chriſti prodeſſe cupiuit, ſed præeſſe contempſit: Vt electus ſacerdos, dignum Deo ſacrificium obtulit: Vt doctor egregius, diſcipulorum mores ſalutaribus documentis inſtruxit. Denique vt eremita ſanctiſſimus, ſolitudinem, paupertatem atque humilitatem, pœnitentiæ quoque auſteritatem ſingulari feruore zelauit. In hoc autem vltimo cunctos ita præceſſit, vt cùm Aegypti monachos prædicari, laudari anachoretas, eremitas mirari audiam, hunc tamen ſemper excipere audeam, nec ei monachorum quempiam comparare. Ab infantia quippe, poſt prima fidei rudimenta, cùm maiorem perfectionis gratiam deſiderare cœpiſſet, in monaſtica diſciplina, † præpoſtera velocitate charitatis, penè cœpit antè perfectus eſſe, quàm diſceret. Denique tantam in ea perfectionem adeptus eſt, quam nullæ vnquam literæ dignis laudibus proſequentur. Qua in re cùm diſcurrere per ſingula & numerare cuncta, oneroſum ſit, ad probationem huiuſmodi perfectionis hoc ſolùm arbitror ſatis eſſe, quòd ſummum ſacerdotij gradum, ad quem Dei iudicio & cum vniuerſæ plebis fauore ſublimatus fuerat, ob amorem ſolitariæ & monaſticæ vitæ deſeruit. Illa tamen ſancta & contemplatiua ſolitudo, quam actiuæ ſolicitudini, optimam cum Maria partem eligens, prætulit, non ipſi ſoli, ſed plurimis profuit, totiq; Eccleſiæ Dei vtilem fructum fecit. Nam ex his, quos in ſolitudine ſpiritualiter genuit, durat hodiè religioſa ſucceſſio, quæ continuè non ſolùm numero, ſed & merito creſcens, fructuoſis virtutum operibus & exemplis, nedum militantem Eccleſiam paſcit & recreat, ſed etiam triumphantem lætificat. Ad cuius lætitiæ participationem ille nos peruenire concedat, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

† præpropera, legendū videtur.

Luc. 10.

Cæleſtinorum inſtitutum monaſticum.

VITA S. IVONIS PRESBYTERI ET CONFESSORIS, GRAVITER ET FIDELITER CONSCRIPTA, *adſtipulante ei Diplomate Clementis VI. Pontificis Maximi. Dictionem paßim mutauit F. Laur. Surius.*

TEMPORIBVS noſtris, in quos fines ſeculorum deuenerunt, nouam quandam ſtellam creauit Deus in firmamento cæli, cuius ſplendore ornarentur cæleſtia, illuſtrarentur humana: nempe ſanctiſſimum Iuonem presbyterum & confeſſorem, è Britannia minori ortū. Cuius præclaris meritis cæleſtis gratulatur Ieruſalem, Eccleſia militans triumphat, ſatanę poteſtas proteritur, humanum genus ſubleuatur, dum vbiq; terrarū eius egregia coruſcant miracula. Et quidē cùm adhuc inter mortales in terris degeret, illius meritis cœperunt ſalutis exēpla exiſtere, quēadmodùm & literis Pontificis maximi, & multorum Eccleſiæ prælatorū ac principum, cōpluriumq; aliorum Chriſtianorū fide dignis eſt teſtimonijs comprobatum. Fuère autem illi parentes nobiles, è quibus eſt legitimo matrimonio procreatus. Pater Ahelorus dicebatur filius Cācieti militis: matri, Azonis nomen fuit. Editus autem in hanc lucem eſt beatus Iuo in pago, quem vulgò Martini appellant, non longè ab vrbe Trecorenſi. Quàm verò Deo charus futurus eſſet, eius genitrici dormienti diuinitùs eſt reuelatū. A primis ætatis annis vſq; ad ſupremum vitæ diem, conuenienter doctrinæ Apoſtolicæ, ſobriè & iuſtè & piè vixit in hoc ſeculo.

Maij 19.

Cap. 1.

Clementē VI. dicit.

Parentes S. Iuonis, & patria.

Tit. 2.

Vbi ad quartumdecimum plùs minùs ætatis peruenit annum, diuinis literis cupiebat inſtitui, vt, quemadmodùm Propheta ait, in lege Domini poſſet meditari die ac nocte. Itaq; Pariſios profectus eſt, cauſa amoris Chriſti libenter carens parentum amicorumq; ſolatijs, & apud ignotos, & exteros degens. Neq; verò bonis literis oſcitanter incubuit, ſed cùm diligentem illis nauâſſet operam, neque contemnendos in ijs feciſſet progreſſus, vt ſacræ Theologiæ & Iuris Pontificij grauioribus ſtudijs ſeſe traderet, Lutetia Aureliam ſe contulit. Vbi ſanè vino & lautioribus ferculis, vitæq; huius oblectamentis & delicijs, quantum potuit, ſibi interdixit, corpuſq; ſuum varijs modis macerauit. Corporis & animi pudicitiam accuratè in ſe tueri nitebatur, ſecum penſitans illud Sapientis: In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Cùm autem in his ſtudijs iamdiu verſatus eſſet, à quodam Redonenſi Archidiacono accitus eſt, vt iudicis Eccleſiaſtici officio apud illum fungere-

Cap. 2.

Pſal. 1.

Pariſijs dat operā literis.

Abſtinet vino, &c.

Sap. 1.

tur. Ille verò memor illius Propheticę ſententiæ: Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore: eam functionem gratis in ſe recepit, & quæ facienda erant, benignè, amanter & abſque dilatione exequi conatus: nec tamē committere voluit, quin ſacræ Theologiæ prælectioni quotidiè intereſſet, & corpus ſuum multiplici abſtinentia afficeret. Orphani, afflicti, calamitoſi homines, eius fouebātur humanitate & patrocinijs: inter diſcordes conciliabat pacem & amicitiam: eos, qui carceribus tenebantur, hortabatur ad patientiam: & cùm proferenda ab ipſo eſſet in iudicio ſententia, ſine lachrymis id non faciebat. Eccleſiaſticam libertatem & immunitatem pro viribus tuebatur, in miſericordiæ opera totum ſe impendebat, iamq; toto pectore cœpit ea, quæ ſunt huius mundi, deſpicere, & ardenti deſiderio cæleſtibus ſemperq; manſuris bonis inhiare.

Pſal. 105.

Iudicis officio fungitur.

Cap. 3. Interim autem fama eius ad Trecorenſis Epiſcopi aures perlata, ab eodem Epiſcopo generalis eſt Iudex, ſiue Officialis, vt vocant, inſtitutus. Sed neq; ſic immemor fuit eorum, quæ antè diximus: immò verò ad ſublimiora pietatis ſtudia ſe accingens, ibat de virtute in virtutē, & ſemper ſeipſo melior euadere nitebatur. Cùm aūt id officij aliquandiù ſtrenuè & fideliter eſſet executus, cuperetq; totum ſe dare contemplationi rerum diuinarum, & viuendi perfectiorem ſectari modū, eo officio ſe abdicauit, atq; ad eccleſiam de Lohaneto, cuius erat moderator, ſe contulit, totumq; ſe diuinis mancipauit rebus, beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ illectus exemplo, quæ partem optimā elegit, & Dominum habuit ſui inſtituti approbatorem. Ibi tū veſtes molles & delicatas, quibus pro ratione ſui ſtatûs anteà fuerat vſus, ilico abiecit, pannoq; colorio ſiue albo, eoque rudi & exigui precij contentus, inſtar pauperum monachorum, ſculponeis vtebatur. Carnem verò edomabat cilicio, quod induſio craſſiſſimo tegebat, ne ſub cuiuſquā conſpectum veniret. Porrò ieiunia omnia ab Eccleſia inſtituta & indicta, ita obſeruabat, vt pane & aqua contentus eſſet. Eſcis delicatis ſemper abſtinebat, rudi cibario pane & pulmento viliſſimo veſcebatur. Quando erat domi, nunquam non orationi & contemplationi clàm vacabat, neq; tum alimenti alicuius corporei percipiendi vlla ei cura inerat, quemadmodum ſequentia docebunt.

Abdicat ſe iudicis functione.

Luc. 10.

Studet edomandæ carni.

Cap. 4. Accidit enim quodam tempore, vt in cubiculo ſuo ſeptem dies ſolus maneret, perpetuò in precibus perſeuerans, neq; vllum expetens, neq; ſumens cibum corporeum: ac nihilo minùs bona corporis habitudine & facie iucunda poſteà inde exiuit, perinde ac ſi diebus illis opiparè victitâſſet. Non patiebatur vllum ſibi præterire diem, quo nō ſummo cum deſiderio & animi deuotione ſacrificaret, niſi legitimè eſſet impeditus. Quodam die illo ſacrificium offerente, cùm ex more ſacram hoſtiam eleuaret, globus igneus magni ſplendoris ipſam ambiebat hoſtiam, caliceq; eleuato, ac rurſus depoſito, repentè diſparuit. Preces horarias, quas horas Canonicas vocant, ſtudioſè perſoluebat. Media nocte cū Propheta ſemper ſurgebat, preces nocturnas, quæ matutinę dicuntur, Deo offerēs, neq; à cęteris diurnis Canonicis precibus abeſſe volebat. Sōni erat parciſſimi, raro vel nunquàm illi indulgens, niſi vel lectione, vel itinere fatigatus: tunc enim neceſſitate adactus, detractis calceis, dabat membra quieti, cęteris veſtibus indutus. Cubabat autem vel in nuda humo, vel glebis, craſſis nodoſiſq; virgis vel ſtipitibus conſtratis: molliſſimum capiti ceruical ſupponens, nempe aut Biblia ſacra, aut ſaxum prædurum. Hoſpitalitatis erat præcipuè ſtudioſus, ita vt raro vel nunquam à menſa ſua pauperes & hoſpites abeſſe voluerit. Hominem quendam inopem cum vxore & quatuor liberis eius, plùs minùs nouem annis habuit domi ſuæ, ijsq; ea, quæ ad victum cultumq; corporis pertinent, benignè ſuppeditauit. Erat ſanè cumprimìs miſericors & liberalis, & ad præſtandas eleemoſynas valdè attentus. Ex quo benignitatis fonte manauit, quòd etiam alienigenas pauperes, item egenos, mala affectos valetudine, deformes, haud ſecùs atq; fratres ſuos humaniter excepit, affabilē, comem, familiarem ſe illis exhibuit, ad menſam ſuam ſibi aſſidere voluit, de cibis ſuis illis appoſuit, lectos apparauit, proprijs manibus illorum pedes abluit. Eiuſmodi autem pietatis officijs certas aſſignârat ædes, in quibus ijs ſemper vacare poſſet.

Septem diebus perpetuò orat, nihil comedens.

Pſal. 118.

Somnus eius.

Stratum.

Ceruical.

Studia erga pauperes & peregrinos.

Cap. 5. Et vt charitati, qua feruebat, abundè ſatisfaceret, ipſe ſibi vltrò ſubtrahebat vitę degendæ res neceſſarias, & vt pauperibus benignè faceret, veſtes & alimenta ſua illis impertiebatur. Accidit quandoq; illis in locis magna frumenti caritas, nec erat beato viro plus, quàm vnus panis. Quem cùm vellet pauperibus elargiri, vicarius eius rogauit eos, quos vir ſanctus inuitârat, ne id permitterēt, quòd nullum alium panem domi haberent. Vt ergo ſenſit vir Dei murmur vicarij ſui, mox dimidium panem dedit illi, reliquam partē pauperibus diſtribuit. Cùm iā ad menſam eundū eſſet, & vicarius dimidiū

panem

panem apponere vellet, quæſitum diligenter eo loco, quo eum repoſuerat, reperire nō potuit. Ecce aūt nutu diuino mulier cula quędā iličò adeſt, tres magnos apportat panes, offert eos ſeruo Dei, & eius menſæ imponit, nec vltrà à quoquam videri poteſt. Alio die complures inopes ab eo ſtipem petiêre: ſed cùm non haberet niſi paucos panes, diuino implorato auxilio, omnibus abundè ſatisfecit. Alio rurſus tempore cùm viro Dei non niſi vnus eſſet panis exigui precij, & multi ad eum cōfluxiſſent pauperes illo vno pane, diuina fauente gratia, omnibus fecit ſatis. Viſitabat quandoq; parœciā ſuam: occurritq; illi homo egentiſſimus, petens ab eo ſtipem. Sed cùm nihil haberet, quod illi largiretur, capitium ſibi detraxit, & pauperi dedit. Vix dimidij autē milliaris confecto itinere, capitium ſuo illud ſenſit capiti reſtitutum. Iniunxit quandoq; duob⁹ familiaribus ſuis, vt quandam ciſtam frumentariam in ſuos & pauperum Chriſti vſus ſeruarent. Poſteà autem illi apertam eam viderunt & ſeram prorſus amotam, parumque in ea frumenti relictum. Mox igitur ad beatum virum id referunt, qui ſic eis reſpōdit: Faceſſat timor: Deo benignè nobis opitulante, ſatis habebimus. Redeunt inde ad ciſtam, & eam conſpiciunt frumento plenam. Panes diuinitùs augentur. Item frumētum.

Multum compatiebatur vir pius ægrotis, præſertim pauperibus, eoſq; libenter viſitabat, & pro illis Deum fideliter deprecabatur. Matrona quædā nobilis malè valebat, nec potuit medicorū arte reſtitui. Itaq; nō parùm ſibi pollicens de precū & meritorū beati Iuonis efficacia, illum inuitat ad conuiuium. Cernens autem vir ſanctus eam cibum capere non poſſe, panem mittit in calice aquæ, vnde ipſe potabat: cumq; ad Deū fudiſſet preces, panem illum obtulit matronæ. Comedit illa, & vſqueadeò repēte conualuit, vt poſteà annis viginti ſuperuixerit. Cap. 6. Matronam precibus ſanat.

Alius quidam triennio grauiter laborauit, & à dæmone per illum loquente, mirè vexabatur. Eū igitur beatus Iuo ad ſe curauit adduci, & nocte illa apud ſe manere iuſſit. Manè ſurgens dæmoniacus, ſe liberatum ſentit, Deoq; & beato Iuoni gratias agit. Cōſolabatur vir Dei afflictos omnes pro viribus, eiſq;, quantum licuit, ſubueniebat. Volebant quidam pontem facere in flumine magno, quòd multi illud non ſine præſenti periculo quotidiè tranſirent. Iam trabes multæ & varia materia ex artificum conſilio comportata & præparata erat, ſed prorſus inutiliter. Vbi hoc reſciuit beatus Iuo, illorum damnis afflictus, preces fudit ad Dominum, & ecce ligna, quæ nullum viſa erant vſum habitura ad pontem efficiendum, mox apta & opportuna cernebantur. Cap. 7. Itē dæmoniacum.

Domum quandam vaſtabat flamma vorax. Accurrebant vicini & propinqui, vt adferrent remedium, ſed nihil efficere potuêre. Indicatur periculum viro Dei, & ille precibus furentes extinguit flammas. Pacis conciliandæ Eccleſiaſticæq; libertatis aſſerendæ fuit perquam ſtudioſus, adeò vt eius cauſa non dubitârit mortis adire diſcrimē. Maligno concitante dæmone, inter mulierem quandam & eius filium atrox emerſit diſcordia; nec vllis amicorum precibus potuit inter eos concordia ſarciri. Audiuit hoc vir ſanctus, mox ſacrificium offert pro pace inter eos reformādā: & ecce ambo ſe permittunt eius arbitrio & voluntati, ipſiuſq; opera pax redintegrata eſt. Cap. 8. Incendium precibus extinguit.

Venerunt quandoque miſſi à rege Franciæ ad vrbem Trecorenſem, qui ab Epiſcopo & eius collegio ſubſidij nomine quippiam extorquerent. Formidante autem Epiſcopo & Canonicis, ne eccleſiæ theſauros illi abſportarent, ſanctus Iuo ad ſacrariū ſe contulit, illos theſauros defenſurus. Cùm autem miniſtri regis ex epiſcopi domo equum abſtuliſſent, eumque vellent abducere, beatus Iuo illos adijt, equumque ex illorum manibus ereptum, ad antiſtitis ædes reduxit, cùm priùs acriter illos obiurgâſſet, quòd ea facerent; quæ ipſos minimè deceret. Abierunt autem illi, nec quicquam ex iis quæ diximus, tulêre ſecum. Pupillos & orphanos egregiè tuebatur, & eorū cauſa diuerſis in locis adibat iudicia patronū ſe illis exhibens: neque id tamen ſpe alicuius muneris aut premij, ſed pietate et iuſtitia permot⁹: immò verò ſuis impēdijs illorū cauſas defendebat apud iudices, vt poſſet à Domino audire: Quod vni ex minimis meis feciſti mihi feciſti. Inde adeò factū eſt, vt in illa regiōe meritò appellat⁹ ſit aduocat⁹ pauperū. Cap. 9. Eccleſiaſticā immunitatem egregiè tuetur. Matth. 25.

Fuit verò etiam inſignis concionator, & verbi Dei zeloſus imprimis ſeminator: neque in vna ſua parœcia, ipſius curæ commiſſa, ſparſit verbum Dei, ſed in tota illa regione. Ibat autem non ſublimis equo, ſed pedibus ſuis, Chriſti exemplo inductus, de quo ſcriptura dicit: Quàm pulchri pedes annunciantis & prædicantis pacem. Ibat quandoque cum famulo ſuo, per diuerſa loca diſſeminans verbum Dei. Venit autem ad quoddam magnum flumen, per cuius pontem tranſire ſolebat: ſed eum iam aquæ planè operuerant. Edit igitur Crucis ſignum, & aquæ ſe diuidunt, liberumque præbent iter tranſeunti cum famulo: ruſuſque ad priſtinum redeunt locum, poſtquàm Cap. 10. Eſa. 52. Crucis ſigno diuidit aquas.

illi à ponte abierant. Gentes autem eius regionis, cùm eius conciones audiuiſſent, conuerſæ ſunt.

Cap. 11. Erat præterea contemplator egregius. Non rarò accidit, vt cùm eum putarent alij rebus terrenis occupatum, animo totus eſſet ad cæleſtia ſuſpenſus. Sæpè etiam a beatis ſpiritibus viſitabatur. Sedebat quodam die ad menſam: ſuperuenit autem quidam, vt videbatur, pauper miſerabilis, vili habitu indutus: quem ille comiter & cum multa humanitate excepit, ſibique in menſa aſſidere atque ſua ſcutella cibum capere voluit. Sed cùm pauper ille parum ſumpſiſſet cibi, mox ſurrexit à menſa, & dixit: Dominus vobiſcũ, et ecce, qui viſus fuerat abiecto habitu & deformis, iam pulcherrimus & multa luce conſpicuus, candidaque veſte amictus conſpicitur, ita vt eius lumine tota illa ſplenderet domus, ſeq; eorum aſpectibus ſubducit.

Cap. 12. Alio die, ſedente beato viro in ſacrario Trecorenſis eccleſiæ, columba quædam aduolauit mirè illuſtris, cuius ſplendore tota eccleſia vnà cum ſacrario mirificè illuſtrabatur. Sedebat quandoque ad menſam cum multis pauperibus: & ecce inſidet eius capiti auis quædam exigua, ad pectus colore niueo, ad tergum viridi. Appræhendit autẽ eam vir ſanctus, & manibus blanditer demulcens, paulò pòſt dimittit dicens: Abi in nomine Domini. & illa confeſtim diſparuit.

Cap. 13. Philip. 1. Iam multis ieiunijs & laboribus intolerandis, cruciatuq; multiplici vir beatus corpus ſuum valdè extenuârat, cupiebatq; cum Apoſtolo diſſolui & eſſe cũ Chriſto. Itaq; diuinitus præſtitum eſt illi, vt obitùs ſui tempus antè præſciret. Quæ cauſa fuit, vt etiã tum, cùm ſe ſentiret plus ſolito viribus debilitari, nullum vellet remedium admittere, ſed perinde ac ſi rectè valeret, humi cubaret, non multis ſubſtratis paleis, verſuſq; ad Crucis imaginem, quam perpetuò in ſuo aſſeruabat cubiculo, cum multis lachrymis & ſuſpirijs Dominum precaretur. Cùm autem extremæ vnctionis ſacramentum percepiſſet, Crucis ſigno ſe muniuit, ſpiritumque ſuum præpotenti creatori humiliter cõmendans, deinceps nihil locutus eſt. Tota autem nocte ſabbati vſque ad diem ſequentem oculis apertis, & in Crucis imaginem defixis tacitus iacuit. Illuceſcẽte Dominica die, qui tunc fuit proximus ab aſſcenſione Chriſti, & incidit in decimum & nonũ Maij diem, ſpiritum reddidit, eiuſque ſacrum corpus in Trecorenſi eccleſia humatum eſt. Infinita autem poſt eius obitum facta ſunt miracula, Deo eius meritis eximia reddente teſtimonia: viſitaturque ſepulchrum eius quotidiè cum multa deuotione, etiam ab illis, qui aliunde ex diuerſis orbis regionibus ad illud confluunt propter multa beneficia, quæ ſancti viri meritis & precibus illic diuinitùs conferuntur. Surdi enim audiunt, cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur, leproſi mundantur, ad vitam mortui reuocantur, profligantur ex hominum corporibus nequam ſpiritus, ad pœnitentiam permouentur peccatores, res amiſſæ recuperantur, bella ſopiuntur, captiui ex infidelium manibus eripiuntur: in cuſtodias & carceres coniecti, ſubitò expediuntur: inter diſcordes ſarcitur pax, malignæ conſpirationes diſſipantur, qui nauigant mare, ad portum incolumes pertingũt. Nimiùm prolixi erimus, ſi particulatim omnia perſcribere velimus.

Accipit extremam vnctionem.

Excedit è vita.

Miracula ad ſacras eius reliquias.

Clemens eius nominis VI. Romanus Pontifex, eo tempore, quo Clemens V. & Benedictus XII. Romanæ eccleſiæ præerant, ſæpè diligentem nauauit operam, vt beatus Iuo in ſanctorum numerum referretur. Ei iter agenti apparuit vir ſanctus, ſcipionem manu tenens, iuſſitq; vt ſuſceptum illud negocium accuraret, & ad effectum perduceret. Itaque admodum ſolenni ritu poſtea acceſſit ad adſcribendum illius nomen catalogo Sanctorum, eumque pro ſancto habendum pronuncians, ſolẽniter, vt vocant, canonizauit, anno Saluatoris Chriſti 1347. die 19. menſis Maij. Graui tum morbo affectus erat nepos eius Pontificis, idemque Archiepiſcopus Narbonenſis, ſpemque vitæ eius medici & periti homines abiecerant. Sed cùm illius amici, Dei & beati Iuonis opem implorâſſent, certumq; votum beato Iuoni nuncupâſſent, ſtatim illi inſtaurata ſalus eſt.

Clemẽs VI. eum in ſanctos refert.

Permulta alia miracula ſtudio breuitatis prætermittimus.

VITA

VITA B. AVSTREGISILI ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS, AB EIVS QVODAM AEQVALI

conſcripta ſimplici ſtylo, quem propterea mutauit in gratiam lectoris F. Laur. Surius.

BEATVS Auſtregiſilus apud vrbem Bituricenſem patre Gundino natus eſt. Facultates ei mediocres fuêre, quæ ad vitam degendam abundè ſufficerent. In pueritia literis diſcendis admotus eſt: ſed cùm ei corporis vires accreuiſſent parens eum duxit ad Guntrannum regem, vt ei ſuam nauaret operam. Itaque tempus non exiguum in eius regis aula exegit, prudenter ſe gerens in iis, quæ ex officio ei facienda incumberent. Et erat ſanè regi gratiſſimus, eiq; manus abluenti offerebat linteum, quo eas extergeret: quò factum eſt, vt eum mapparium id temporis vocitarent. Erat quidem habitu adhuc ſecularis, ſed eleemoſynis, precibus, vigilijs die noctuque gnauiter incumbebat, atque ad cæleſtem patriam incredibili deſiderio anhelabat: iamque in ſeculo fideliter illi inſeruiebat, cui in cælis inſeparabiliter inhærere peroptabat. Cœperunt autem illi moleſti eſſe parentes de ducenda vxore, at ille pudicitiæ ſtudio & amore, nuptiarum onera & moleſtias deuitãs, differebat ſemper, & in aliud tempus reijciebat eius rei cogitationem, ita dicens: Hac in re Dei nobis inquirenda & expetenda eſt voluntas. Et incertum valdè eſt, bonámne, an malam habiturus ſim coniugem. Si bonam, metus erit, ne perdam: ſi malam, rurſus metus erit, ne non poſſim carere. Quid igitur in hunc me vultis ancipitem laqueum conijcere, eoque me adigere, vt inani cura & ſolicitudine ijs me implicem, vnde placeam mulieri? Cùm verò poſſim mea vti frui libertate, cur me in alterius redigitis ſeruitutem?

Maij 20. Cap. 1. — In aula Gũtranni regis degit. — Eius exercitia.

Audiebant hæc parentes, ſed non æquis animis: itaque etiam maiori contentione vrgebant, vt ipſis obſecundans, in matrimonium conſentiret. Ille verò ne eis mœrorem adferret, quos mallet hilaritate perfundi, ſe quod hortabantur facturum recepit, modò Dominum ita velle ſentiret. Cùm igitur in miniſterio, vt diximus, verſaretur, cœpit huius rei aliquam cogitationem ſuſcipere, ſecumque tractare quidnam ipſi potiſſimùm faciendum eſſet. Venit autem ei in mentem, haud procul habitare tres viros eiuſdem nationis & pari facultate. Eorum itaque nomina in tribus chartulis deſcripſit, eaſque altari impoſuit, palla eas operiens in baſilica S. Iohannis, quæ prope Cabilonenſem vrbem ſita eſt, ſimulque votum fecit, ſe tres noctes in precibus perpetuis exacturum, ac deinde manum miſſurum ad chartulas, & quam primam apprehendiſſet, eius viri filiam ſe ſibi coniugem petiturum, cuius in ea nomen exaratũ eſſet. Primam igitur noctem non difficulter ſine ſomno peregit: altera verò cœpit ſomno prægrauari, cumq; nocte intempeſta importunitatem eius ferre non poſſet, flexo poplite, ad aſſerem incubuit, & obdormiuit. Ecce autem per viſum aſſiſtunt ei ante altare duo ſenes decoro vultu, aitq; alter ad alterum: Cuius filiam hic Auſtregiſilus ducturus eſt vxorem? Reſpondit alter: Itáne ignoras, quia iam ſibi deſponſam habet? Cuiuſnam filiam? inquit alter. Reſpondit: Iuſti iudicis. Sub his verbis Auſtregiſilus expergefactus, cogitat ſecum, quis ille ſit iuſtus iudex, cuius filia necdum nupta ſit. Sed cũ certi aliquid conſequi non poſſet, animi dubius, ibat more ſuo ad aulam regis, perueniтq; ad diuerſorium quoddam, vbi hoſpites inuenit, ſenem pauperem cum vetula cõiuge. Dixit autem ad eum vetula: Subſiſte parùm, & referam tibi ſomnium, quod hac nocte habui de te. Videbar mihi audire magni cuiuſdã ſoni fragorem, quaſi pſallentiũ voces, & aio hoſpiti tuo: Quid eſt iſthuc, quod hîc audio? nũ feſtus hodie dies agitur à ſacerdotibus, & proceſſio ſolennis futura eſt? Ille verò dixit: Hoſpes noſter Auſtregiſilus vxorẽ ducet. Tum ego mirificè exhilarata, cũ multa alacritate progredior ad plateã, viſura vultũ ſponſæ tuæ. Cùm autem præterirẽt clerici in albis veſtibus, ferentes cruces, &c, vt fit in proceſſione, pſalmos canentes, tu poſtremus veniebas, teque à tergo ſequebatur populus: conſiderãte autẽ me curioſiùs, nulla ſe mihi obtulit noſtri ſexûs perſona, neq; potui videre puellã, quam te ducturum audierã. Dico ergo hoſpiti tuo: Vbi eſt puella Auſtregiſili futura coniûx? Reſpõdit ille: An nõ vides illã in manib. ei⁹?

Cap. 2. — Viſio eius dormientis — Proceſſiones iã ſolim cum crucibus, &c.

Cumq;

Cumq; reſpicerem, non potui quicquã videre in manibus tuis, præter Euangelij codicem. Intellexit itaque vir beatus tum ex viſione ſua, tum ex ſomnio mulieris, diuinitùs ſe ad ſacerdotij miniſterium vocari. Cùm verò ad palatium veniſſet, & pulſanti fores ianitor aperuiſſet, intrante ipſo ædes regias, magna voce dixit rex: Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo, & cætera quæ ſequuntur. Ex eo tempore confirmata eſt in eius animo ſententia ea, qua ſe credidit à Domino ad ſacerdotium vocari, cœpitq; enixiùs in bonis operib⁹ proficere, porrò nuptiarum cogitationem omnem ad ſolas terras relegare.

Pſalm. 20.

Cap. 3. Malignitas dæmonis.

Sed totius malitiæ architectus, liuiduſque humani generis hoſtis diabolus, cùm videret eum toto deſiderio ad illam veram vereque beatam æternæ patriæ gloriam adſpirare, fraudulentis machinationibus cœpit excitare ſcandala, quibus à ſancto propoſito Dei ſeruum retardaret. Erat per id tempus in palatio regis Betellinus quidam, homo potens, qui per fraudẽ ex fiſco regio quippiam ſibi magna temeritate vendicârat. Cùm autem eum argueret rex, ille per calumniam & mendacium in Auſtregiſilum culpam conferre nitebatur. Accerſitus ergo à rege Auſtregiſilus, & ea de re interrogatus, negauit ſe in culpa eſſe. Illis ita diſceptantibus, rex ira vehementer commotus, iuſſit eos duello inter ſe certare, vt fallax diuino iudicio demonſtraretur. Iam certaminis aderat dies, & Auſtregiſilus manè ſurgẽs, clypeũ cum iaculo per pueros ſuos miſit in agrum, vbi rex inter ſe confligentes expectare conſueuerat: ipſe autẽ ad ædem S. Marcelli precandi cauſa ſe conferens, pauperem obuiàm habuit, cui quid daret, præter trientem vnum, non habuit. Nam ſi qui alij priùs apud eum fuêre, in ſimilem vsũ expenſi erant. Succurrebat ei illud Propheticum: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus, & non tradet eum in animam inimicorum eius. Dato triente, ingreditur in baſilicam: factaque oratione, crucis ſe ſigno muniuit, quod eſt armatura Dei. Deinde fretus conſcientia innocentiæ ſuę, & nihil hęſitans adfuturum ſibi iuſtum iudicem Deum, imperterritus properabat ad certaminis locum: vbi cùm ſuſtineret aduerſarij aduentum, eccè quidam è Betellini miniſtris adeſt, nunciat regi anhelus & vultu lugubri, mortuum eſſe Betellinum. Rex tam celerẽ eius obitum certiùs indagare volens, ſciſcitatur ecquid ei acciderit? Reſpondit miniſter: Cùm Betellinus ſeruus tuus heſterno die ad palatium veniret, manſit quodam loco: die autem hodierno illuceſcente, equum manſuetiſſimum ſibi iuſſit apparari: quẽ vbi aſcendit, manſit equus immotus. Betellino autem calcaribus eius latera fodiente, velociſſimo curſu exiliens, ingenti impetu ſeſe contorſit, caputq; iungens pedibus, anteriores pedes ſurſum extulit, & eouſque Betellinum miſerandum in modum exagitauit atque concuſſit, donec ab alto præceps in terram rueret. Nec ſic tamẽ contentus fuit equus, ſed iunctis pedibus caput illius calcauit & protriuit, ita vt ſanguis è naribus & auribus erumperet, citiuſque animam efflaret, quàm poſſet leuari è terra. Accidit ergo illi, quod Propheta dicit: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. His auditis, rex Auſtregiſilum ad ſe vocat, dicitque ei, Deus omnipotens, cuius tu opem fideliter implorasti, pugnauit pro te. Mortuus eſt enim Betellinus, diuina eum vltione perſequente. At ille inimici interitu nequaquã lætabatur, ſed gratias agebat Deo, quòd ipſius manus ab eius hominis ſanguine ſeruâſſet impollutas. Sic ergo benigna Saluatoris potentia, famulum ſuum, quem dignum ſibi ſacerdotem delegerat, adhuc in ſeculari habitu degentem ab intentatis illi teterrimi dæmonis inſidijs liberauit.

Duello certare num liceat, lector Theologos conſulat.

Pſalm. 40.

Crucis ſignum armatura Dei.

Horrenda mors calũniatoris.

Pſalm. 5.

Cap. 4.

Creſcebat interim in amore Dei Auſtregiſilus, & bonis operibus quotidiana adijciebat incrementa, valdeq; cupiebat in Clerum adſcribi, ſed cuius opera id à rege impetraret, necdum compertum habebat. Erat autem apud regem inter alios aulæ proceres vir præſtantiſſimus, idemque prudentiſſimus, Aethereus nomine, cuius fidei arcana ſua omnia rex committere non dubitabat: qui tũc dignus quidem epiſcopatu, poſteà Lugduni, quæ eſt galliæ nobiliſſima ciuitas, epiſcopus ordinatus eſt. Is Auſtregiſilũ inprimis charum habebat, eumque rogauit Auſtregiſilus, vt ageret apud regem, quò eius permiſſu liceret ipſi in clerum tranſire. Egit ille cum rege, & rex aſſenſit. Acceptis inde literis, abijt Auſtregiſilus Antiſſiodorum, & à B. Aunario epiſcopo deciſa cęſarię clericus effectus eſt & ordinatus ſubdiaconus. Deinde ad memoratum Aethereũ profectus eſt, qui iam Lugduni factus epiſcopus, eum cum ingenti gaudio humaniſſimè accepit, presbyterumque & Abbatem B. Nicetij epiſcopi & confeſſoris ordinauit, atque in amoris teſtimonium & augmentum, de rebus Eccleſiæ quendã ei locum, quem Albianum vocant, attribuit.

Aethereus Lugdunenſis epiſcop⁹

S. Auſtregiſilus fit presbyter.

Cap. 5.

Quodam vindemiarum imminente tempore, cùm iam præcoquæ eſſent vuæ, abijt B. Au-

B. Auſtregiſilus ad vindemiam: ſed priùs iuſſit apparari vaſa, quibus vinum conderetur. Cùm autem muſto iam vas vnũ impletum eſſet, aliud quoddam vacuum ſupererat, quod ad viginti menſuras caperet. Eadem autem nocte ex torculari expreſſa eſt vini vna ferè amphora, quam iuſſit vir ſanctus in illud vas vacuũ infundi: ac deinde in cellam vinariam ingreſſus, poſt orationem ſignum Crucis expreſſit, atque manè ad eccleſiam abijt. Cuſtos illius vaſis, cùm veniſſet in cellarium, velletq; inſpicere, num vaſa à muſto ſalua eſſent, videt vas vacuum, inſtar aliorum, quæ muſto plena erãt, vſque: adeò redundare vino, vt permultùm in terram dilaberetur: Ille rei nouitate obſtupefactus, ilico cucurrit ad baſilicam, nunciauitque viro Dei, quid accidiſſet. Iuſſit autem vir ſanctus eam rem apud ſe tacitam habere, hominemq; à ſe dimiſit. Vinũ auctũ diuinitùs.

Cùm iam autem Dominus, quemadmodum decreuerat, manifeſtum vellet reddere ſeruum ſuum, eo tempore, quo erat cum beatiſſimo Aethereo epiſcopo in villa quadam Gebennenſis territorij iuxta lacum, haud procul ab ea villa aberat caſtellum quoddam deſertum, & omni habitatore vacuum. Erant verò illic etiam eccleſiæ quędam, ſed propè ſemirutæ. Ibat ergo B. Auſtregiſilus ad eum locum orandi cauſa, & cũ neque cuſtodem vllum, neque clericum illic reperiſſet vigilantem, patentibus oſtijs, ſed ſacrario obſerato, Miſſam in Eccleſia celebrare voluit. Deerat autem aqua, qua manus ablueret, & quam ſacrificio miſceret. Dixit igitur amico ſuo Marculpho, id tẽporis lectori, nunc verò Abbati eius baſilicæ, vbi corpus eius humatum eſt: Perquirite pauxillum aquæ, vt hic Miſſas celebremus. Quæſierunt illi, ſed nihil inuenerunt. Reuerſi autem ad eum in eccleſiam, viderunt oſtia ſacrarij aperta, quæ antè clauſa conſpexerant: cumque ingreſſi eſſent, inuenerunt ipſum virum Dei ſtantem, & coram ſe habentem duas crateras, alteram vino, alteram aqua plenam: quæ res non mediocri eos admiratione & pauore affecit. Cap. 6. Hic vides hiſtoriæ huius antiquitatem.

Tempus aderat, quo ad ſublimiorem honoris gradum eum Dominus ſubuehere voluit. Mortuo Bituricenſi Epiſcopo Apollinari, in eius locum omnium vnanimi conſenſu, rege quoque annuente, ſuffectus eſt Auſtregiſilus: quam functionem duodecim annis præclarè adminiſtrauit, quemadmodum ab angelo ei fuerat antè prædictum. Cùm enim vrbis Bituricenſis primos fines eſſet ingreſſus, nocte illa manſit in villa, quæ Germiniacum dicitur: porrò diluculo vocauit ad ſe Sulpitium diaconum, qui ei poſtea in epiſcopatu ſucceſſit, itemque Deſiderium diaconum, eiſq; dixit: Hac nocte Dominus mihi reuelare dignatus eſt, me annis duodecim ad huius eccleſiæ gubernacula ſeſſurum. Per id tempus mulier quædam in eiuſdem ciuitatis ſuburbio iamdiù laborabat membrorum ariditate, neruorumque contractione, ita vt mẽbrorum ferè omnium officio eſſet deſtituta, aliorumque manibus ad loca neceſſaria eam deportari oporteret. Ea ſe petijt à vicinis ad virum Dei deferri. Tulerunt illi eam ad altare: vbi cùm eam conſpicatus eſſet vir ſanctus, diuinum officium in eccleſia perſoluturus, audiuiſſetq; eam dicentem ſibi: Sancte Auſtregiſile, adiuua me: ita ait, Domini virtus & pietas ſanare te poteſt: ſublatiſque ad cælum oculis & manibus: Extende, inquit, ad me manum tuam. Illa reſpondente, ſe id facere non poſſe, ipſe manu eius appræhenſa primò digitos, deinde cætera eius membra extendit, tandemque in pedes erectam, integerrimæ ſanitati reſtituit, dixitque illi, vide ne in priſtina relabaris vitia, & deterius aliquid tibi accidat. Ferebatur enim mulier illa ante morbum impudicè & luxurioſè vixiſſe. Cap. 7. Bituricẽſis fit epiſcop. Huius Sulpitij vitã habes Tomo 1. die 17. Ianuarij. Contracta mulier fit ſana.

Eodem tempore apud Bituricenſes erat Bercoara, ſancta Chriſti famula, illuſtris genere, ſed mente longè nobilior. Ea cùm ſuo more ſnocturnas in precibus vigilias ageret, in platea ſub ſtillicidio domûs vidit hominem inopem iacentem, Beroaldum nomine, pannis obſitum, membris omnibus contractum. Miſerta hominis, perquiſiuit quid ita illic iaceret? Reſpondit ille: Morbo hoc iamdiù premor, nec eſt qui mihi opem ferat. Vellem libens ire ad eccleſiam, & me S. Auſtregiſili conſpectibus præſentare, ſed vires non ſuppetunt. Tum illa ingemuit, & erga afflictum commiſeratione permota, iuſſit pueris ſuis, vt eum à terra leuarent, & ſuppoſitis manibus, tanquàm funus exanime ferrent ad eccleſiam, deponerentque iuxta altare, vbi iam erat vir Dei: qui vt vidit hominem contractum, ſenſit in ſpiritu, propter peccatum accepta poteſtate, nequiſſimum ſpiritũ hoc mali ei intuliſſe. Iuſſit ergo eum aliò transferri, & aliquandiu in prece proſtratus, deinde ad pauperem acceſſit, &, ſi rectè memini, præcepit vt in balneum mitteretur: contrectanſq; eius membra & extendens, diuino implorato auxilio, eũ morbo liberauit, ita vt multis poſteà annis ſuperuixerit. Matrona quędã nobilis & religioſa, Paterna nomine, in miniſterio ſuo habuit puellã familiarem, quæ Cap. 8. Item cõtractus vir.

Augu-

Auguſta dicebatur. Ea cæca fuit. Scripſit autem Paterna literas ad B. Auſtregiſilum, orans vt à puella cæcitatem depelleret. Vir ſanctus viſa puella, ſuſpexit ad cælum, Dei opem implorans, oleumq; benedicens, cæcæ perunxit oculos: & mox oculis eius reddita lux eſt.

Cæca benedicto oleo curatur.

Cap. 9. Per idem tempus fuit illuſtris matrona Deoq; dicata Auſtreberta, coniunx quondam Cranoaldi illuſtriſſimi viri. Hæc referre ſolet, quod ipſa præſente geſtũ fuit. Vnus è piſtorib⁹ eius, Leodemarus, morbo atrociſſimo vexabatur. Habebat autẽ ipſa panẽ, à ſancto Auſtregiſilo benedictum, ipſique ab eo pro eulogijs tranſmiſſum. Seruabat ea hunc panem, vt ſi quis malè affectus videretur, illi integra fide ſumendum præberet. Rogauit ergo quoſdã, vt piſtorẽ hunc appræhẽderent, & in eius os ex illo pane aliquid inferrent. At ille prorſus recuſauit, nec quicquam eius ſumere voluit: ingeſtus eſt tamẽ ipſo etiam inuito in os eius panis, moxq; ille malum omne, quo cruciabatur, euomuit, & redditus ſanitati, hodieq; officium ſuum facit.

Vide effectum panis benedicti.

Molitor quidam Monulphus Dominico die voluit molam corrigere, magna temeritate ductus: arreptoque inſtrumento ferreo, cœpit terere molam. Et ecce diuina in eum ſeueritate animaduertente, manubrium eius inſtrumenti adeò manui eius adhæſit, vt nullus id inde poſſet amouere: prorupit verò etiã ſanguis inter digitos eius, qui computreſcens, fœtore ſuo nauſeam mouebat aſſpectantibus. Acceſſit autem ad B. Auſtregeſilum, & ab eo remedium petijt, neque id fruſtrà. Nam viro ſancto manum illius contrectante, & ferrum auferente, dolor omnis abſceſſit, & manus ſanata eſt.

Cap. 10. Friouala puellam parentibus chariſſimam, apud vicum Briodcrum, improbiſſimus dæmon valdè cruciabat, ita vt ceu phreneſi compræhenſa, noctu, diuque perpetuò vociferaretur, atque inde mente capta, nec ſe, nec parentes cognoſceret, diuerſaſque voces, auium garritus, boum mugitus horrido clamore ederet. Lugebant parentes, vicini condolebant, mirabantur omnes tantillam ætatem in tanta acerbitate durare poſſe. Adducitur tandem ad virum Dei. Ille ſentiens hoſtis verſuti vexatione puellam exagitari, iuſſit eam altari propiùs admoueri. Deinde cùm corpus Domini priùs ipſe confeciſſet atque ſumpſiſſet, etiam puellæ dedit. Et ecce ſumpta Euchariſtia, confeſtim clamare deſijt: porrò vir ſanctus veſtes eius benedixit, præcepitque parentibus, vt religioſo habitu eam induerent, ipſamque iuſſit à vino & carnibus abſtinere. Factũ eſt ita, atque ab ea hora, profligato dæmone, puella illa priſtinæ incolumitati reſtituta eſt, hodieque in monaſterio beatæ Bertoaræ incluſa, inter alias Dei famulas laudabili conuerſatione degit.

Vide vt tractet dæmoniacã puellam.

Cap. 11. Obitus eius. Iam tempus aderat, poſt labores quiete ſempiterna perfruendi. Itaq; ſeruum ſuum Chriſtus iuſſit è corpore exire. Cumque ſacrum eius corpus ad eccleſiam humandum deportaretur, iuuenis pauperrimus Leonaſtus, multo iam tempore contractus, ita vt plantæ pedum eius ad poplites adductæ cernerentur, ad eam eccleſiam allatus eſt, atq; ad viri Dei ſepulchrum ea nocte iacuit, membriſq; laxatis, ſuis pedibus ſanus domum reuerſus eſt. Non poſſumus non commemorare hoc loco, quod venerabilis presbyter Ianuarius refert, qui præſens interfuit, quando vir Dei à B. Taureco Epiſcopo ſepulturæ mandatus eſt. Cùm ex more tumulus eius iam humati componeretur, Taureco Epiſcopo ſtante ad pedes eius, presbyter Ianuarius vidit Auſtregiſilum ad dextrã Taureci Epiſcopi adſtare in candidis veſtibus, eleganti facie. Mirante autem Ianuario, quid hoc ſibi vellet, ſubitò ab eius oculis diſparuit. Longum eſt omnia beati viri miracula annotare, cùm eius precibus permulti ex diuerſis ſint erepti morbis: complures capite damnati & in carceres coniecti, magno miraculo à vinculis abſoluti, ad eccleſiam nullo reſiſtente confugerint: innumeri pauperes, viduæ, orphani, eius benignitate & eleemoſynis ſuſtentati ſint: Obijt autem plenus dierum in confeſſione bona. Ei⁹ interceſſione vtinam conſequamur, vt ſi meritis eius æquari non poſſumus, ſaltem imitatores eſſe conemur, præſtante illo, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus vnus per infinita ſecula, Amen.

Viſio Ianuarij presbyteri.

Miracula ſancti viri.

Cap. 12. Cùm adhuc in humanis ageret B. Auſtregiſilus, tanquam paſtor bonus curam eccleſiæ & plebis ſibi commiſſæ quotidiè peruigilem gerebat, atque eam à luporum faucibus ſeruare ſtudebat. Accidit autem, vt ex palatio Theodorici regis, ipſo rege permittente, ad vrbem Bituricenſem accederet Guarnerius homo ſæuiſſimus, auaritiæ & turpi lucro addictus, ſuperbia tumidus, ab ea vrbe pecuniã regis nomine, quã dare nõ conſueſſet, exactur⁹. Permoti ciues inſolito onere, omnes ad B. Auſtregiſilum cõfugiunt: orant, vt hãc vim ab ipſis propulſare velit. Vir ſanctus ad Deum ſe confert, diurnis, atque nocturnis precibus eius aures continenter pulſat, vt populum ſuum hac vexatione libe-

ne liberet. Iam ad vrbem aduentabat miſer ille Guarnerius,& ad eum exit ſanctus Epiſcopus,atq; pro commiſſa ſibi plebe murum ſe opponit,paratus etiam,ſi res ita poſtulet,Chriſti exemplo pro ouibus ſuis animam ponere. Dicit Guarnerio: Vnde venis homo improbe? Ecquid facere inſtituiſti? Non permittat Deus,vt in hanc intres vrbẽ & ciuiũ cenſum agas. Tum verò Guarnerius, acri ira cõmotus, quòd inuito epiſcopo non poſſet regis & ſuam explere voluntatem,furibundus ad regem abit, nunciat illi, renitente Auſtregiſilo epiſcopo,quod ipſe iuſſiſſet,ſe facere non potuiſſe. Intereà verò beato fine Auſtregiſilus quieuit in pace,eiusq; diaconus Sulpitius illi ſucceſſit. Non patitur plebem ſuam inſolita exactione premi.

Redit poſteà Guarnerius,executurus ſub Sulpitio, quod ſub Auſtregiſilo non poterat. Sulpitius verò anxius,ad Dominum confugit,ab illo conſilium rei benè gerendæ petens. Erat enim vir mitis & lenis,hominisq; violentiæ vt reſiſtere poſſet,non videbat. Deinde Guarneriũ adit:orat vt qui ſub ipſius deceſſore ab eiuſmodi onere immunes fuiſſent,illos etiã ſuis temporibus pateretur ſolita gaudere libertate. At Guarnerius homo ferus viri Dei preces contempſit. Dixit itaque illi Sulpitius: Si quidem contra ius & fas tua eris potitus voluntate,non diu tamen impunè feres. Ille verò in vrbem ingreditur,facit vt erat iuſſus,omnibusque pro voto expeditis,corpore, non animo,adit S. Auſtregiſili eccleſiam,tanquam preces illic oblaturus. Vt vidit autem monumentum ſancti viri à fidelibus Chriſtianis auro argentoq; mirificè exornatum, dixit arrogantiſſimè: Auſtregiſilus aurum ſuum & argentũ in pauperes erogare debuit, non iubere, vt ſuum ſepulchrum illo tegeretur. Non hoc ille dicebat,quòd ei curę eſſent pauperes:ſed inſtar Iudæ proditoris auaritia æſtuabat. Pòſt à ſepulchro viro Dei diſcedens,orationis cauſa altaria circumibat. Cumque in ipſa baſilica ambularet, lignum quoddam,ad quod vela ſuſpenſa erant,ab alto ruit ſuper caput eius. Manauit igitur ſanguis per oculos & barbam,& ad terram vſque defluxit. Et miſer ille clamauit voce,qua potuit: Auſtregiſilus,dum vixit,ſemper in me hoſtili animo fuit,& iam mortuus me propè interficit. Ita infelix nec culpam agnouit ſuam,nec à beato viro veniã petijt:immo verò feruens malitia, Auguſtudunum ire inſtituit, vt eius loci Epiſcopũ perderet. In ipſo autem itinere in pago quodam,cùm omnes recubuiſſent, ſurrexit à menſa,& ad exonerandum ventrẽ ſeceſſit. Interim ſomno correptus,obdormit: euigilans dicit aſſiſtentibus: Auſtregiſilus & Sulpitius hac hora vrceum aureum miſerũt mihi. Quis veſtrûm habet illum? Negantibus illis ſe quicquã eiuſmodi vidiſſe,ſua verba repetijt,neſciens quid diceret. Mox autem inteſtina eius & viſcera omnia in cloacam deciderunt,eaque nocte vitam perdidit. Ex eo tempore nemo auſus fuit regiorũ miniſtrorum ab vrbe Bituricenſi eiuſmodi pecuniam extorquere, abſterrẽte omnes tam diro interitu illius,qui talis exactionis primus author fuiſſet. Cap. 11. Etiam antiquitùs ornabãt ſepulchra ſanctorum. Horrenda mors hominis ſæui.

Poſteà cùm Pipinus Francorum Princeps aduersùs Eudonem Aquitaniæ principẽ pugnaturus,ad Bituricenſe oppidum veniſſet, Barbari in villa,quæ Carobeias dicitur, domum S. Auſtregiſili,in qua ille crebrò dormierat,inflammare voluerunt,nihil fracti admonitionibus vicinorum,qui illis dicebant, diuinitùs multa illic edi miracula. Sed ſimulatq; domum incenderunt,arrepti à dæmonibus,partim ſe in ipſas flammas iniecerunt,partim dentibus ſe laniârunt,partim membra ſibi corporis truncârunt. Vbi Pipinus id cognouit,exercitu eius ea re valdè exterrito, edicto cauit, ne quiſquam res aut villas S. Auſtregiſili attingeret. Non multò pòſt Eudo eandem vrbem obſidẽs, Agnum, virum primarium in monaſterio B. Auſtregiſili manere iuſſit. Ille verò res monaſterij omnes,illic repertas diſtribuit comitibus ſuis. Poſtquàm autem vrbs ſe Eudoni dedidit,eſſetque pax proclamata, Abbas eius monaſterij Bertradus cum muneribus profectus eſt ad Agnum,dixitq; ei: Accipe exiguum munus argenti,quod fratribus relictum eſt,miſericordemque te præbe ſeruis Dei, vt poſſint viuere, & pro te rogare Deum. At ille nimiùm ſuperbus, Abbatem irridens,ait: Eudo dominus meus iuſſit, vt teipſum vel in carcerem coniijciam, vel captiuum abducam,& tu me rogas pro monachis tuis? Redit Abbas ad fratres ſuos,narrat fruſtrà ſe rogâſſe Agnum: monet ad Dominum & S. Auſtregiſilum preces fundant. Eunt monachi ad ſepulchrum beati viri, cum multo dolore & lachrymis preces Deo offerunt,ita dicentes: Vides omnipotẽs Deus, res, quas dediſti nobis, vt tibi ſeruire poſſimus, improbũ hominẽ vſurpare ſibi. Interim Agnus omnes S. Auſtregiſili villas perluſtrans,quicquid inuenire poteſt,ſecũ abducit. Porrò iter agenti apparet S. Auſtregiſilus in ſomnis,dicitque ei: Cur tam inhumaniter me deprædatus es,& fratres meos tanto mœrore affeciſti? His dictis, grauiter eum verberat in capite. Euigilat miſer,altaque voce clamitat: Succurrite mihi, En Auſtregiſilus epiſcopus me cæcidit,nec mihi ſpes viuendi vlla relicta eſt. Ocyùs ite ad Eu- Cap. 14. Vide vltionem cęleſtẽ. Expilator rerum eccleſiaſticarum diuinitùs punitur.

donem principem,qui me iuſſit res S. Auſtregiſili occupare,rogetiſq; eum, vt me ſuis facultatibus redimat. Ego enim dum illi pareo, hac me calamitate implicaui. Eudo, his auditis,valdè extimuit,iuſſitq; omnia confeſtim reddi, quæ Agnus erat prædatus ex villis beati viri, vetuitq; ne quis deinceps quicquam ex eius rebus ſibi vſurparet. Deinde menſę aſsidens,memor Agni,miſit ad eum quoddam vaſculum argenteum, vt in ſcelerum ſuorum emendationem offerret Deo. Agnus autem vt vidit tam exiguũ munus,ait: Quantillum eſt hoc, vt offerã pro innumerabilibus maleficijs meis? & his dictis,expirauit.

Cap.15. Paulò pòſt è Monaſterio S. Auſtregiſili Fredegiſilus vnus ex proceribus Eudonis, abegit iumenta. Cumq; ea multamq; aliam prædam ad ſuas ædes adduxiſſet,iamq; homo ſuperbiſsimus ea inter ſuos partiri vellet, mox acri correptus febre, vitam deſperat ſuam. Venit autem illi in mentem, S. Auſtregiſilum monachos ſuos ab omni ſecularium hominum iniuria tueri ſolere,nec ferre, vt quiſquam impunè eos lædat. Itaq; Salomoni Abbati monaſterij & fratribus eius remittit ea,quæ abſtulerat, multumq; orat,vt Dominum pro ipſo deprecetur, vt & ſalutem corporis,& ſceleris ſui veniam obtinere queat. Abbas monaſterij cum eulogijs mox nuncios mittit ad eum, qui ei S. Auſtregiſili benedictionem offerant. Ille gratias agit, inuocat S. Auſtregiſilum,cũ multa reuerentia percipit ex ijs,quæ Abbas miſerat: ſtatimq; vigore recepto,à miniſtris ſe iubet deportari ad iumenta, vt ſuis manibus reddat ablata, quod cùm feciſſet, ilicò priſtina illi ſalus reddita eſt.

Item alius.

Cap.16. Per idem tempus Adroaldus, vnus ex Eudonis comitibus, Abbatem S. Auſtregiſili Bertradum captiuum detinuit, voluitq; vt auro & argento ſe redimeret. Compulſus Abbas, quicquid auri & argenti habere potuit, atque inſuper valdè inuitus calicem vnum aureum aliaque ſacrata vaſa ipſius cœnobij, illi dedit: atq; ita dimiſſus, ad fratres mœſtiſsimus redijt. Illi verò nocte ac die rogabant S. Auſtregiſilum, vt ablata curaret reddi. Et ecce magnus timor peruadit Adroaldũ, & neq; edere, neq; bibere, nõ dormire, non ſtare, non ingredi poteſt. Aderat illic ſeruus Dei Iulichannus, à quo petijt conſilium, quid agere deberet, cùm illi morbum ſuum aperuiſſet? Ille verò homo doctiſsimus & valdè ſapiẽs quæſiuit ab eo, num quid ex rebus S. Auſtregiſili vſurpâſſet iniquè? Fatebatur Adroaldus, ſe calicem aureum Auſtregiſili & permulta alia apud ſe habere. Tum ait ad eum vir Dei: Non audiuiſti, quemadmodùm S. Auſtregiſilus punit hoſtes ſuos? Si vis vel in craſtinum prorogari vitam tuam, actutùm reſtitue ablata illi. Adroaldus multo terrore correptus, remiſit omnia, & ſanitas redijt: ac deinde quoad vixit, vota B. Auſtregiſilo perſoluens, pro ſuî caſtigatione gratias illi egit.

Adroaldus eandem ob cauſam punitur.

Cap.17. Id temporis apud Bituricenſes erat quidam vir bonus, Lupus nomine, benè moratus, humilis, ſapiens, caſtus, ſobrius. Is ardenti deſiderio precandi cauſa Turones profectus eſt: vbi cùm diutiſſimè in baſilica beatiſſimi Martini in preces incubuiſſet, quidã Dei ſeruus eum ad ſe accerſit, quærit qui vocetur? vnde venerit? quid ſibi velit? Reſpondit ille: Lupus ego vocor: apud Bituricenſes dego, veni autem huc pro peccatis meis preces oblaturus. Dixit ei alter ille: Eſt quod indicatum velim monachis S. Auſtregiſili. Ego in Bituricenſi vrbe corpore nunquàm fui, ſpiritu autem fui per hos dies in eccleſia B. Auſtregiſili, vbi intra ſancta ſanctorũ vidi beatiſſimum Petrum Apoſtolum, inuitante B. Auſtregiſilo, ſtantem, & cum eo S. Sulpitium, & S. Laurianum, alioſq; multos eius vrbis incolas, & corpore illic quieſcentes. Procùl autem coram illis ſtabant Adroaldus, Bladegiſilus, Sophronius, Guntaldus & pleriq; alij, qui caſas Dei prædati fuerant & euerterant. Vidi autem B. Auſtregiſilum procedentem ad pedes S. Petri, ſicque dicentem: Vlciſcere nos, beate Petre, de hiſce malignis prædonibus, qui caſas noſtras diripiunt, & ſeruorum Dei faculates expilant. Tum B. Petrus iuſſit in eos omnes animaduerti, quoſdam verò æternis ſupplicijs addici. Ad extremum, Adroaldum virga, quam manu geſtabat, in capite percuſſit, volens eũ interficere. At B. Sulpitius, quippe vir mitis, orauit ne occideretur. Sed ei ſe opponens S. Auſtregiſilus: Itáne, inquit, æquum tibi videtur, frater, vt negligamus preces fratrum noſtrorum, qui iniuria affecti ſunt? His dictis, viſio illa ablata eſt à me. Cùm autem Lupus hæc audiuiſſet, ad Bituricenſes reuerſus, expoſuit cuncta fratribus monaſterij S. Auſtregiſili. Porrò Adroaldus, quem diximus, poſteà immani febre correptus, è vita exceſsit: reliqui ſine emendatione malè periẽrunt.

Viſio cuiuſdam boni viri.

Cap.18. Eudo princeps, cuius ſuprà mentio habita eſt, ad monaſterium S. Auſtregiſili precãdi gratia venit. Abſolutis precibus, cœpit expoſtulare cum fratribus, ita dicens: Quis veſtrûm, ô domini, de Auſtregiſilo feret ſententiam? Ego illi fidem habui, & cũ hoc in

loco

loco Cuchianus mihi ſacramentum diceret, S. Auſtregiſilum fideiuſſorē accepi. Ait porrò Eudo ad ipſum beatum virū: Sanctè Auſtregiſile, tu de teipſo profer ſententiā. Si tibi fidem non adhibuiſſem, non fugiſſet Cuchianus à me. Tu igitur iuſtum in illū exerce iudicium, & ego fratribus monaſterij tui multa largiar. (Cuchianus iſte, cū ad S. Auſtregiſili ſepulchrum iurâſſet Eudoni, in Franciam ad Carolum principem tranſfugit) Eodem ergo tempore, quo Eudo contra illum appellauit S. Auſtregiſilum, lethaliter percuſſus eſt, & exclamauit: Propter fidem Eudoni ad monumentum ſuum datam & poſteà falſam, Auſtregiſilus me multis modis excruciat. Et, niſi fallor, ſeſe dētibus lacerare voluit, ſi non fuiſſet catenis conſtrictus. Tandē cum multo cruciatu vitam finiuit. Alia beatiſſimi viri miracula, ne ſimus lōgiores, cōmemorare nolumus. *Aduerte quid poſſint ſancti à nobis inuocati, itemq; pœnā periuri.*

VITA S. BERNARDINI SENENSIS, PROFESSIONE FRANCISCANI, AB EIVS QVODAM CONTEMPORANEO *fideliter conſcripta: ſed ſtylum F. Laurentius Surius mutauit.*

IN Senenſi vrbe, quæ Virginis ciuitas dicta eſt, vt ait author, ex nobili familia Albizeſchorum ortus Tollus eſt, vir humanus, ſimplex, prudens, & bonæ exiſtimationis. Is in iuuentute ad Maſſanam vrbem ſe contulit, quæ in Senenſium ditione ſita eſt. Cernens autem eius loci ciues erga familiam ſuam & maiores ſuos amico eſſe animo, (Patruus enim eius Tollus ter eius ciuitatis præſes fuerat cum bona ciuium gratia) ibi ſedē fixit, charus omnibus, & curabat argentum erui ex Maſſanis fodinis, vti plerique alij egregij mercatores. Erat tum illic miles generoſus, iam grãdæuus, Bindus nomine. Is vt vidit Tolli mores ingenuos vitamque honeſtam, Neram filiam ſuam illi deſpondit, cupiens illum habere hæredē, cùm alios liberos non haberet, Præter Dianam filiam, Neræ ſororem, quæ ante complures annos alteri nupſerat. Sicut ergo Domino placuit, ita factum eſt. Non diu poſt Bindus obijt. Tollus autem & Nera erga Deum & Deiparam Virginem deuoti & religioſi, ac Deum timentes, maſculam ſibi prolem diuinitùs dari optabant ad honorem Dei, nec fruſtrati ſunt ſpe & expectatione ſua. Ediderunt enim in hanc lucem filium die octauo Septembris, (in quem incidit etiam natalis dies beatiſſimę matris Dei) anno Chriſti 1380. quo anno ſanctiſsima virgo Catharina Senēſis migrauit ad cælos, dictuſque eſt Bernardinus. Nera mater eius anno ætatis ſuæ viceſimo ſecundo obijt, qui erat annus ab orbe redempto 1383. cùm Bernardinus iam trimulus eſſet. Tollus autem pater eius pijſsimus & Diana matertera, quantùm ea potuit ferre ætas, bonis eum inſtruebant moribus, excitabātq; eius animum ad deuotionem concipiendam erga ſacratiſſimam Virginem, Chriſti Ieſu matrem. Interim Tollus moritur, anno Saluatoris 1387. Bernardino filio ſexenni relicto: cuius curam itemq; facultatum eius ſuſcepit Diana matertera, & haud ſecùs atq; filium eum enutriuit annis quinque, magnoq; opere & bonis moribus & deuotione erga Chriſti matrem eum imbuere conata eſt. Etſi autem inſtar puerorum in quibuſdam etiamnum pueriliter ſeſe gerere videretur, attamen cæteros condiſcipulos in multis excellebat, in Grammaticis inſtitutionibus & literis perdiſcendis longo poſt ſe interuallo eos relinquens: eratq; ea indole & ingenio etiam ad ea conficienda, quæ arte & manu fiunt, vt Maſſani omnes eum admirarentur, certoq; ſibi perſuaderent illum in virum inſignem euaſurum. *Maij 20. Cap. 1.* *Parentes S. Bernardini.* *Vtroq; parente orbatur.*

Singulari autem ſtudio ferebatur ad præſtandas eleemoſynas, nec vlla re adhuc puer magis delectari videbatur, quàm ſi poſſet pauperibus benignè facere. Caſu quandoque accidit, vt parum in ædibus Dianæ relictum eſſet panis. Eum autem ipſum pauperi mendicanti Diana dare nolebat. Dixit ergo illi pius puer: Quæſo, demus pauperi ſtipem: alioqui ego hodiè neque prandium, neque cœnam ſumpturus ſum. malo enim pauperem refici hoc pane, quàm me. Lætabatur valdè Diana ea pueri bonitate & optima indole. Cœpit verò etiam ad ieiunia eum prouocare, quantùm quidē illius ætatis fragilitas patiebatur. Etſi autem annis tener eſſet, attamen ad honorē beatiſſimæ matris Dei diebus ſabbathi ieiunauit, & quandiù laicus fuit, illud ieiunium nunquam intermiſit. *Cap. 2. Mira pueri beneuolentia erga egenos.*

Cap. 3. Cùm ad tertium decimum ætatis perueniſſet annum, & in Grammaticis ſic ſatis profeciſſet, à neceſſarijs amicis Chriſtophoro & Angelo Albizeſchis fratribus Senas accitus eſt, vbi ſub cura Chriſtophori & honeſtiſſimæ coniugis eius, re & nomine Piæ, vixit: quæ matrona, cùm nullas haberet proles, haud ſecùs eum atq; filium dilexit, eiuſq; mores confirmauit: porrò in ſcholis triuialibus pręceptorem habuit Onuphriũ, miraq; diſcendi celeritate ſuperauit omnes coætaneos ſuos, omnibus affabilis & charus, honeſtus quoque & pius ac deuotus. Aras ſibi in teneriori ætate ſemper extruebat domi, easque vt potuit ornabat. Ductus interdum à Pia ad ſacras conciones, cùm domum reuertiſſet, conuocabat pueros, eiſque tanquam pro concione puerili ſimplicitate dicebat, quæ ex auditis ſermonibus memoria retinere poterat. Faciebat autem hoc ea ratione & ea dexteritate, vt multi iamtum animis præſagirent, eum quandoq; eccleſiaſten fore. Poſtquàm autem Senas venit Iohannes Spoletanus, totius honeſtatis ſpeculum, & moralis philoſophiæ præceptor egregius, (qui licèt grandæuus, eſt tamen etiamnum ſuperſtes) integerrimus adoleſcens Bernardinus, virtutis, & doctrinæ auidus, ad illum ſe contulit, nec ab eius, quantum licuit, latere, vnquam diſceſſit: hęſitque apud illum annis aliquot, & mirabiles habuit in literis progreſſus, ita vt ab eodem Iohanne, quondam etiam præceptore meo, crebrò audierim, è ſuis ſcholis nunquàm quenquam Bernardino doctiorem prodijſſe, nec vidiſſe ſe vnquàm ſtudioſum vllum, qui tam omni eſſet honeſtate & integritate præditus, quippe ex cuius ore nunquã ſermo turpis profectus eſſet, & qui neq; verbo, neq; nutu, neq; ſigno, aut vlla ſignificatione quicquam præ ſe ferret aliud, quàm puriſſimam honeſtatem.

Pietas puerilis. *Iohannes Spoletanus* *Pudicitia Bernardini.*

Cap. 4. Teſtantur verò etiam eius coæui literarum ſtudioſi, ea morum probitate & honeſtate eum fuiſſe, vt ſi quid audiuiſſet turpiter dici, adeò commotus fuerit, vt rubore haud aliter in vultu perfunderetur, quàm ſi quis colaphum ei infregiſſet. Inde factũ eſt, vt ſi fortè pueri & adoleſcentes inter ſe de rebus parùm honeſtis verba miſcerent, viſo Bernardino, mox dicerent: Faceſſant hi ſermones. ecce enim Bernardinus adeſt: vſqueadeò ab omnibus ille quoddam honeſtatis & integritatis exemplar habebatur. Ciuis quidam non infimæ conditionis, turpe verbum quandoq; ad illum protulit. Sentiens autem pudiciſſimus adoleſcens quorſum ille tenderet, ſub mento grauiter illum percuſſit, cùm alioqui ſtatuiſſet in facie illum cædere. Tanto autem impetu eum percuſſit, vt procùl etiam ſonus audiretur. Ciuis itaq; ille coram adſtantibus tum propinquis, tum alijs indigenis pudefactus, repentè ab eius conſpectu ſe ſubduxit. Poſteà verò cùm iam multi eſſent euoluti anni, eodem loco Bernardino ad populum concionem habente, vidi ego huncipſum ciuem adeò corde compungi, & vbertim lachrymas fundere, perinde ac ſi duris eſſet flagellis cæſus.

Cap. 5. Alius quidam improbus ciuis per idem tempus erga Bernardinũ adoleſcentẽ verbis & nutibus inhoneſtis ſuum indicauit impurum & nefarium animi deſiderium, idque non ſemel, ſed crebrò ſanè. Itaq; Bernardinus rogat quoſdam ſuæ ętatis honeſtos adoleſcentes, vt ipſi eſſent adminiculo, quò ab illius ſceleſti hominis vexatione ſe excuteret. Communicato autem inter ipſos conſilio, monet eos, vt lapides ſibi colligãt. Deinde inquirunt hominem illum: quem cùm inueniſſent loco parùm opportuno, Bernardinus iuſſit eos dare operam, vt poſſet aliò pertrahi. Vt autem miſer ille vidit Bernardinum, nefanda cupiditate commotus, multos ei aureos oſtendit, vt alliceret pudiciſſimum adoleſcentem. Tum ille annuit, vt è platea excederet. Quod cùm ille feciſſet, ilicò exclamat Bernardinus: Inique, ſceleſte, flammis exurende: Ad eum, ad eũ, ad eum: ſimulq; illum percutere cœpit. Mox ſocij eius iungunt voces ſuas, pariterq; lapides in eum conijciunt. Ille ita ſe accipi cernens, in pedes ſe conijcit, illis eum inſequẽtibus, donec ab eorum oculis euaneſceret. Ita demum eius praua voluntas compreſſa eſt, & Bernardinus ea moleſtia abſolutus eſt. His autem rebus effectum eſt, vt tantum apud omnes virtutis, pudicitiæ & integritatis eius fama crebreſceret, vt non ſolùm nihil ipſo audiente quiſquam ex domeſticis eius auderet impudicè eloqui, ſed etiam omnes eum venerarentur, nemo turpe aliquid circa illum attentare vellet. Etſi autem ſemper iucundum, alacrem, affabilem, commodum, officioſum omnibus ſeſe exhiberet, non tamen niſi bonis, maximè autem ſpiritalibus & religioſis viris familiaris eſſe voluit, idq; tam in ſcholis, quàm alibi. Poſtquàm autem adoleuit, relictis ſcholis triuialibus & ſtudijs philoſophicis, in quibus præ cæteris excellebat, ad ſacros Canones diſcendos ſe contulit, in eoq; ſtudio triennio accuratè verſatus eſt. Plurimùm vero delectabatur ſacris literis: quas vbi deguſtare cœpit, alia ferè ſtudia ſua omnia pro nihilo putauit, nec quicquam ei iam ſapiebat extra ſcripturas diuinas.

Impurum quendam ciuem pugnis & lapidibus lautè accipit. *Memorabile ſanè eſt iſthuc.*

Vbi

Vbi decimum & ſeptimum ætatis annum attigit, Tobiam conſobrinam ſuam crebrò viſitabat. Erat illa filia Dianæ, quam ſuprà diximus Neræ matris Bernardini ſororem fuiſſe: excedebat autem Tobia Bernardinum annis ampliùs triginta, eratq; vidua tertij ordinis beatiſſimi patris Franciſci, cuius maritus fuerat vir nobilis, Guido de Ptolomæis. Porrò ob morum integritatem ſtudiumque deuotionis & pietatis Tobia hæc omnibus venerationi erat. Perpetuis enim ieiunijs, vigilijs, corporis caſtigationibus vacabat, ſemper in ſuis cubabat veſtibus, alijsq; exercitijs ſeſe continenter macerabat. Ipſa fœminarum peregrinarum, quæ aduerſa laborarent valetudine, ſæuiſſima illa peſte graſſante, curam ſuſcepit in domo hoſpitali de la Scala. Illi ipſi Bernardinus, anno ætatis ſuæ triceſimoprimo Senîs peſte laborãs, cùm iam Medici ſpem ſalutis eius omnem abieciſſent, in ipſo propè mortis articulo confeſſus eſt, ſe corporis integritatem prorſus inuiolatam ſeruare. Huic vni Bernardinus loqui ſolebat, cùm aliarum fœminarum colloquia deuitaret. Deniq; eius animam ad cælos proficiſcentem vidit Bernardinus, cùm Mediolani primo Quadrageſimæ die ad populum concionaretur. Quæ illi cauſa fuit eam concionem præter morem ſuum abrumpendi. Sciſcitantibus enim poſteà alijs, cur id feciſſet? primò quidem dicere noluit: deinde verò compulſus, rem, vt erat, explicauit. Miſſi autem ſunt Senas, qui de obitu Tobiæ cognoſcerent: cõpertumque eſt, eadem hora, qua dixerat Bernardinus, eam ridentem migrâſſe è corpore.

Cap. 6.

Tobiæ virtutes.

Bernardinus fœminas vitat.

Cum hac igitur Tobia Bernardinus adoleſcens crebrò ſermones conferebat, eamque identidem inuiſebat, haud aliter enim inter ſe diligebant, atq; ſolent mater & filius. Contigit igitur Bernardinum quãdoq; dicere Tobiæ: Ibo viſum amicam meam. itemq; rurſus alio die: Adibo amicam meam, ſanè pulcherrimam. Tobia hæc cũ per iocum dicere putabat: at nihilo minùs percontabatur ex eo, quænam illa eſſet ipſius amica, & vbi moraretur. Reſpondit ille: Amica mihi eſt longè formoſiſſima, cuius ego amore planè captus ſum, eſt autẽ extra portam Camolliæ, eamq; ego quotidiè ſoleo reuiſere, nec videor mihi ſomnum poſſe capere, niſi priùs mihi conſpecta ſit. Tobia hæc audiẽs, cœpit quadam ſuſpicione teneri. ſed cùm cerneret Bernardinum creberrimis ſe afficere ieiunijs, quotidiè ſacrificio intereſſe, vacare precibus & deuotioni, veſtibus indutum ſe dare quieti nocturnæ, multaque alia de ſe dare haud obſcura probitatis ſigna, non exiſtimabat ſiniſtrè propter ea verba de illo ſentiendum eſſe. At rurſus contemplans adoleſcentis formam egregiam, dæmonis verſutias, carnis fragilitatem & hominis in deteriora propenſionem, verebatur ne fortaſſis captus eſſet amore alicuius mulieris, maximè quòd extra Camollię portam eſſet cœnobium fœminarum. Itaq; acerbo intrinſecùs animi dolore cruciabatur, metuẽs ſe laborem ſuum omnem perdidiſſe, quem ei optimè inſtituendo diu impenderat. Vt autem rem certiùs exploratam haberet, altera luce abijt extra illam portam, manſitq; in loco quodam, vnde Bernardinum conſpicere ipſa poſſet, ſed ab illo minimè videri. Ecce autem aduenit Bernardinus ſolus, & coram imagine beatiſſimæ matris Dei, quæ ſupra portam illam elegantiſſimè picta habetur, nuda curuat genua, eiq; pijſſimas offert preces, ijsq; completis, mox domum redit. Mirabatur Tobia, ſed non contenta ſemel vidiſſe, redit ſecundò, & idem conſpicatur. At nec ſic animo ſuo ſatisfactum ſentiens, mittit tertiò fidiſſimam ſociam ſuam: quæ cùm idem omninò ſuis oculis eſſet intuita, quod ſemel atq; iterùm Tobia: iam è ſuo pectore prorſus amouit ſuſpicionem omnem Tobia, dixitq; læta ad Bernardinum: Pridem dixiſti mihi fili chariſsime, te amore captum eſſe: quæſo mihi rem certam exponas, nec me in dubio hærere patiaris. Reſpondit Bernardinus: Quando ſic iubes, dicã tibi, quod hactenus nulli alij indicare volui: Captus ſum amore beatiſsimæ Virginis & matris Dei Mariæ, quam ſemper amaui, in qua poſt Deum omnes meæ ſpes collocatæ ſunt. Illam vnicè diligo, illam inquiro, illam videre cõcupiſco: quod cùm in hac vita non liceat, conſtitui eius amore quotidiè inuiſere eius imaginem, quæ in Camollia eſt, quòd ea mihi & cæteris huius vrbis elegantior, & eius maieſtate dignior videatur. Itaq; illam quotidiè accedo, flexis genibus beatiſsimæ Virgini me commendo, ſperans per eam me conſecuturum gratiam & miſericordiam, quam præcipuè expeto. Hæc eſt igitur amica illa mea & ſpes mea, pijſsima Virgo Maria. Hæc vt audiuit Tobia, cum lachrymis illum complexa, dixit: Reuerà, fili mi, nõ obtinuit mentem meam ſiniſtra vlla de te ſuſpicio, ſed nonnihil cœpi hæſitare propter fraudes & machinas antiqui ſerpentis, quas debemus modis omnibus cauere. Sed tu filia Deo benedicte, egregiam tibi & inſignem delegiſti amicam, optimum ſalutis tuæ præſidium, peccatorum omnium nequaquam dubiam ſpem. Illam quæras, illam ſequaris,

Cap. 7.

Amicam ſuam dicit beatiſſimã matrẽ Dei.

Flexis genibus quotidie orat coram imagine matris Dei.

Amat impẽſè beatiſſimam Virginem.

quaris,omniquè animi deuotione illi confidas. Nullum enim poſt Deum ſalutis tuæ fulcimentum validius habere potes,quam ipſam pietatis & miſericordiæ matrem, à qua nemo vnquam,qui illi benè confideret,vacuus receſſit. Perſeuerauit autem Bernardinus in hac imaginis huius viſitatione multis annis,& cùm iam in monaſtica religione conſenuiſſet,teſtibus eius ſocijs,non raro inuiſit eam. Potuit ſanè ex multis euidentiſſimis argumentis colligi,eum toto vitę ſuę tempore ſingulari erga matrem Dei deuotione fuiſſe:& certè ego ipſe,concionem illo habente Senîs de illa, anno Chriſti 1427.in die natiuitatis eius,ita eum audiui dicentem:Ego frater Bernardinus ſemper fui deuotus beatæ Virgini. In die enim natiuitatis eius ego natus ſum,eodem die baptizatus ſum,illo ipſo die monaſticum habitum indui, itemq; profeſſus ſum monachū, & primum ſacrificium feci. Eodem die cupio exire ex hac vita.Ita ille. Ego verò hoc affirmare poſſum, nunquàm quenquam me audiuiſſe de beatiſſima hac virgine deuotiùs, libentiùs,feruentiùs concionantem.

Cap. 8. Fraternitas diſciplinatorum.

In iuuentute ſua,cùm adhuc laicus eſſet,vt poſſet piam Deo impendere ſeruitutē, ſuaque pietatis ſtudia augere,adſcribi voluit in ſpectatæ religionis ſodalitatē benè moratorum,quam vulgò vocant Confraternitatem diſciplinatorum beatæ Mariæ virginis,quæ eſt in domo hoſpitali de la Scala.Non admittuntur autem in eam ſodalitatē, niſi quorum fama eſt integra & bona exiſtimatio. Fuit enim locus ille multo tempore ſpeculum & exemplar Deo deuotorum ſecularium hominum. Itaque Bernardinus fratrum omnium conſenſu & prompta voluntate,tanquam valdè idoneus, hilariter receptus eſt,preceſque,corporis flagellationes,aliaque tum iucunda,tum aſpera exercitia,noctu diuq; illic vſitata,præ cæteris ipſe copioſiùs ſectatus eſt. Hic nimirū vetuſtus ille locus eſt,ex quo omnes ferè Italiæ benè moratorum,ſiue, vt author vocat,diſciplinatorum laicorum piæ exercitationes,vel deuotionis ſtudia manârunt.Ex illo complures ſancti viri prodière:putà Iohannes Columbinus, primus ille, idemq; feruentiſſimus Ieſuatorum inſtitutor,& eius chariſſimus ſocius Frāciſcus Vincētinus: itemque ordinis Montis olitueti fundatores:Beatus Petronius de Petronijs,poſtea Carthuſianus effectus:Andreas de Galleranis ſpeculum ſanctitatis, alijq; permulti ſublimes contemplatores,& innumeri ferè religioſi,vel monaſticæ vitæ profeſſores, vt mirum non ſit,Bernardinum,beatiſſimæ matri Dei deuotiſſimum in eius domo illis adiungi voluiſſe,ex qua domo tot præclaras ſtellas,totq; diuinos nouerat extitiſſe viros: tametſi eandem ipſam domum præ alijs omnibus ipſe præclariùs illuſtrauit. Cùm autem feruenti eius deuotioni necdùm ſufficerent exercitia domûs huius, quemadmodùm fide digniſſimo relatu didici,ob macerandum & edomandum corpus ſuum, longo tempore flagellis è funiculis confectis ſe cæcidit,crebrò etiam vrtica & cilicio ſe affligebat.Quæ quidem licèt ſanctus iuuenis faceret occultiſsimè,ſoli Deo ea nota eſſe volens:attamen, diuina efficiente prouidentia,non de induſtria,ſed prorſus ab improuiſo ad aliorum,qui etiamnùm ſuperſunt,notitiam peruenère.

Encomion Domûs hoſpitalis de Scala. Ieſuati. Ordo montis Olineti. Cædit corpus ſuum.

Cap. 9. Catalogus virtutum eius.

Multis annis in veſtibus ſuis dormiuit non tam in lecto, quàm ſcamno vel capſa. Cibus & potus eius communis quidem,ſed parcus erat,neq; inuenio vel in delicatis eſcis exceſſum,vel in vilibus ſingularitatem. Iucundus,hilaris, affabilis, humilis ſemper fuit,omnibus ſe accommodans,triſtitiæ,torporis,ignauiæ hoſtis. In actione ſtrenuus & aſſiduus,iraſci malo animo nunquàm viſus eſt,veritatis amicus,charitate præcipuus,erga miſeros miſericors,prudens in omnibus & circumſpectus valdè:nec videbatur mœrori vllus relictus locus,vbi Bernardinus aderat.Ante omnia autem,vel maximè in eo excelluit laus pudicitię & honeſtatis,quam præ ſe ſemper ferebat nutibus, verbis & factis,ita vt nullus hac in parte adoleſcens ei poſſet æquiparari, & ipſe non tam carneus quàm ſaxeus eſſe videretur.Habitu vtebatur, quo ſolent ſcholaſtici, & quidem honeſto.

Cap. 10.

Sæuiente illa peſte terribili & generali,anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo, in quem incidit Iubileus,innumeri peregrini,Romam euntes atque inde redeuntes, ad celeberrimam illam toto orbe Chriſtiano domum hoſpitalem beatiſſimæ Mariæ Virginis,quæ Senîs eſt,& de la Scala dicitur, confluxère, augebaturque valdè numerus ægrotorum,è quibus plurimi moriebantur,ita vt tribus menſibus & dimidio quotidiè ampliùs duodecim,tredecim,quatuordecim,quindecim,interdùm octodecim, vel etiam viginti,è vita decederent,præter quos ex eius domûs familia obièrunt fratres vigintiduo,octodecim fœminæ pauperibus mulieribus inſeruientes, nouem ſacerdotes,quinq; clerici,ſeptem pharmacopolæ,qui morbidis medicamenta parabāt, pueri triginta ſex,in ea domo enutriti,& famuli ſexaginta, ægrorum miniſterijs deputati.

Sæuiſsima peſtis,eaq; generalis.

putati. Cùm autem tam multi illic & morbo correpti iacerent, & è vita abirent, locus ille propter fœtorem intolerabilem omnibus inſpectantibus horrori erat, nec quiſquã ferè reperiri potuit, qui quãuis magna propoſita mercede, ægrotãtibus illic inſeruire vellet. Ita fiebat, vt tum vel maximè locus ille neceſſaria miniſtrorum opera deſtitutus eſſet, cùm maior incũmberet neceſſitas. Magiſter quidẽ & gubernator dom⁹ illius Iohannes Landaronus erat vir optimus, multa beneuolentia & charitate præditus, & quem nemo dubitaret virginem eſſe: & licèt ſenio grauaretur, non ceſſabat tamen pro viribus præſtare quicquid poſſet. Sed cùm ignem peſtiferum iam omnia vaſtantem cerneret, valdè affligebatur, metuens idoneos miniſtros neque pecunia, licèt larga eſſet manu, poſſe comparari, quòd nemo peſtis contagionem reformidet. Rogabat ergo Deum & beatiſſimam Virginem, domûs eius conſeruatricem, vt pauperibus miniſtri mitterentur.

Itaque pijſſimus Deus excitat Bernardini animum, qui iam ferè viceſimum agebat ætatis annũ, vt in illa pijſſima domo ægrorum & pauperum miniſterium ſuſcipiat. Vt vidit enim ſummam neceſſitatem, maximo incitatus zelo, peſtiferam contagionem nihil metuens, imò verò etiã vltra morti ſe offerre cupiens, modò poſſet Christo gratum exhibere in eius pauperibus ſeruitium, multis hebdomadibus ægris illis accuratiſſimè & officioſiſſime miniſtrauit. Cernens autem ad tantam morbidorum multitudinem ſufficere non poſſe tam paucos miniſtros, duodecim religioſos & pios adoleſcẽtes ad ſe vocat: hortatur illos, velint vnà cum ipſo curare pauperes Chriſti: dicit eos, qui pauperi ſeruiant, ipſi Chriſto ſeruire: & ſi tali occaſione decedant è vita, pro Chriſto eos mori: nihil verò homini Chriſtiano debere eſſe antiquius & optatius, quàm Chriſti cauſa vitam ſuam profundere, cùm ille ſuam noſtra cauſa profuderit: deinde addit: Simus omnes fratres: Deus ſua ope aderit nobis. Videtis fratres ignem accenſum eſſe, iam penè orbis illo conflagrat, ſecuris arbori admota eſt, falx meſſem ſollicitat: quid nobis de vitæ noſtræ prorogatione polliceri poſſumus, cùm & alios quotidiè videamus mori, & pleroſque etiam intimos ſodales propemodùm antè exire è corpore, quàm morbo correpti videantur? Nos ſi in his charitatis officijs obierimus, ad Dominum euolabimus: ſin autem ſuperſtites manſerimus, quoad victuri ſumus, ſemper lætabimur, nos Deo noſtro in eius pauperibus hæc officia præſtitiſſe, memores ſententiæ illius: Nullum opus bonum apud Deum ſua carere mercede, vel irremuneratum abire. Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, non poſſumus Deo ſeruiendo non lucrari.

Cap. II. Seruit in domo hoſpitali tempore periculoſiſſimo.

His Bernardini perſuaſionibus allecti adoleſcentes, in eius mox ſententiam iêre: è quibus ſanè hodieque nonnulli ſuperſunt: cumq; eſſent confeſſi ſua peccata, & ſacrã Euchariſtiam ſumpſiſſent, ita Bernardino conſulente, iucundis animis & magno feruore curam ægrotorum cum Bernardino, ipſorum magiſtro & capite, ſuſcipiunt. Porrò hoſpitalis domûs moderator ſtatim totius penè domûs claues tradidit Bernardino, commiſitque ei munus morbidos & peregrinos aduentantes curandi, & omnes ferè eleemoſynas diſtribuendi, adeò vt propemodùm pro ſua voluntate omnia diſponeret ac diſpenſaret, perindè ac ſi ipſe eius domûs dominus eſſet. Eius autem & ſociorum feruor & charitas ſuo exemplo permultos alios ciues & adoleſcentes inuitauit ac permouit ad ſeruiendum morbidis illis, licet non pauci ex illis è vita decederent. Itaq; Bernardinus charitate feruens, domum illam ita moderatus eſt, vt officia, miniſteria, exercitia, laborum vices pro ratione loci, temporis, & perſonarum opportunè & congruenter diſtribuerit. Dabat verò operam, vt quoad eius fieri poſſet, ipſe ſemper omnibus coram adeſſet. Adſtabat diù noctuq; ægrotantibus, pharmaca parabat, cibos pro ſingulorum qualitate porrigebat, ſordes omnes in illis neceſſariò ferendas, ipſe ante omnes ſua voluntate amouendas ſuſcipiebat: non labore, non vigilijs, non intolerandis fœtoribus, non incommodis vllis frangebatur: ſed ea ſemper alacritate & ſpiritus viuacitate illis ſeruiebat, ac ſi vel parentes, vel fratres aut filij eius eſſent. neque id ſanè mirum. Cùm enim Dei amor horum omnium faciendorum ac perpetiendorum præcipua ei eſſet ratio, Deo vtique ſeruiebat, qui patre, fratre, liberis omnibus potior nobis eſſe debet. Aegrotis ex animo condolebat, adeò vt etiam cum illis vnà ploraret: interdum verò etiam ridebat, canebat, blandiebatur, talemque ſe illis exhibebat, quemadmodum pro illorum conſolatione expedire putabat. Nihil autem ferè illius charitati ſatis ad vota ab alijs curatum videbatur, niſi omnia ipſe vidiſſet & contrectâſſet. Cùm erant ex hac vita migraturi, ſacramenta vt illis porrigerentur effecit: vita functos, veſperi ſepulturæ mandabat. Peregrinis ferè innumeris ad

Cap. III. Duodecim pios adoleſcentes ſibi ſocios eius miniſterij aſciſcit.

Vide eximiam eius charitatem.

veſperam aduentantibus cibos & lectos apparabat: ſi lecti, alioqui multi, non ſufficerent, ſternebat humi pannos, ita vt nulli deeſſet commodus captādæ quieti locus: crebros quoque excitabat ignes & ſuffitus grati odoris, ſpargebat multum aceti in tota ferè domo, vt corruptus aër ſaltem aliqua ex parte corrigeretur, libentiuſq; miniſtri ſuam operam ęgrè affectis nauarent. Non eſt autē paſſus benignus Deus, vt inter tot labores, vigilias, incommoda infinita Bernardinus vnquàm aduerſa laboraret valetudine ſed ſemper promptus, alacer, vigil & indefeſſus, dictis & factis cōfirmabat tum ægros, tum illorum miniſtros.

Mirè ſeruatur à Deo.

Cap. 13.

Cùm iam autem menſibus quatuor & eo ampliùs in ea domo ſedulò miniſtraſſet, peſtiſque ſopita eſſet, domum ſe recipit. Ecce autem, quemadmodum ipſe Chriſtum Dominum in pauperibus eius morbo laborantibus, ſicut diximus, crebrò viſitârat: ita Chriſtus, bonus & pius Dominus, rurſus illum viſitat. Nam vbi ab hoſpitali illa domo receſſit, paulò pòſt acerrima cœpit exerceri febre, idque deimprouiſò in ædibus nobilis viri Hildebrandini de Manetis, qui ei erat amore & beneuolentia coniunctiſſimus: vbi ſanè ad menſes quatuor decubuit, patientiſſimè eam morbi moleſtiam, vel potiùs Domini Ieſu viſitationem ferens: in qua hoc præcipuam ei moleſtiam adferebat, quòd videret alios ipſi miniſtrantes moleſtia affici, licet illi promptiſſima charitate ei inſeruirent: Inter quos Tobia, tanquam pia mater, & Iuſtina de Manetis, matrona nobilis, ab eius latere ferè nunquàm receſſêre. Cùm eſſet autem ea febre liberatus, non remiſit ſtudium pietatis & humanitatis. Amita eius Bartholomæa, matrona venerabilis, vxor quondam nobilis viri Trogliardi de Ptolomæis, iam propè nonagenaria, & cæcitate & neruorum diſſolutione laborabat, nec ex lectulo ſurgere poterat. Hanc vt cognouit obitu cuiuſdam pij ſocij ſui neceſſaria opera & miniſterio deſtitutam, religioſus & delicatæ alioquì habitudinis iuuenis ſtatuit illi ſuis manibꝰ neceſſaria officia impendere: id quod re ipſa quoque præſtitit, nullaque habita ratione earum rerum, quæ nauſeam ſibi & tædium adferre poſſent, tanquam parenti ſuæ officiosè illi in omnibus inſeruiuit. In quo miniſterio anno integro & eo ampliùs verſatus eſt, donec optima matrona, perſoluto naturæ debito, migrauit ad cælos. Fuit hæc Bartholomæa cumprimis veneranda, ſpiritalis, & Deo deuota fœmina, quam etiam multi pro ſancta haberent. Vixit longo tempore in S. Auguſtini inſtituto & regula, ieiunijs, vigilijs, precibus & ſui corporis macerationibus vacans, Deoque perpetim gratias agens. In ſacris concionibus cùm audiret nomen IESV exprimi, non potuit cōtinere ſeſe, quin crebrò illud mellitiſſimum nomen repeteret cum ſingultu, rauca voce, accentu ſtridulo. Quamuis eſſet ſapientiſſima, at tamē videbatur nonnunquam præ ſpiritûs feruore quaſi inſanire ad recordationem nominis Ieſu, qui illi ſemper in corde, ſemper in ore erat, cui etiam ſæpè in lecto iacens, laudes alta & clara voce promebat. Sunt plerique in ea ſententia, quemadmodùm lachrymis beatæ Monicæ S. Auguſtinus conuerſus eſt ad Dominum: ita huius à Deo benedictę mulieris preces & lachrymas, quas multis annis pro Bernardino ipſi chariſſimo fudit, id diuinitùs impetrâſſe, vt in via Dei magis ille proficeret, magiſque confirmaretur. Hortabatur eum ſemper, vt monaſticum inſtitutum complecteretur, præſertim Eremitarum, ſub regula beati Auguſtini Chriſto militantium in cœnobio valdè religioſo, quod de Lereto vocant, in quo erāt patres venerandi & ſpiritales. Porrò Bernardinus eius admonitionibus illectus, cum illis religioſis viris libenter conuerſabatur, placebantque ei vſqueadeò mores illorū & vita laudabilis, vt probabilis coniectura ſit, eum monaſticum habitum apud illos induturum fuiſſe, niſi illum retinuiſſet amor erga hanc Bartholomæam: quam, donec eſſet in humanis, dilexit vt matrem, nec eam deſerere voluit.

Corripitur febre acerrima.

Bartholomæa egregia fœmina.

Eius preces quid Bernardino contulerint.

Cap. 14.

Poſtquàm autem illa vita functa eſt, Bernardinus ad ſanctiorem viuendi rationem adſpirans, cùm nec dum deliberâſſet, quod genus monaſticæ religionis potiſſimùm deligeret, decreuit habitare ſecum, vt ita priuatim commodiùs & certiùs experiretur ea, quæ oporteret non ignorari ab eo, qui regularem, vt vocant, vel monaſticam Deoque magis gratam vitam eſſet amplexurus. Elegit autem domum quādam iuxta portam de Triſis, & in loco occulto ſacellum exiguum ſibi conſtituit, poſuitque in eo altare cum imagine Chriſti à cruce pendentis. Ibi precibus, vigilijs, ieiunijs, flagellorum ictibus, cilicio, alijſque pietatis exercitijs ſeſe afficiens, idq; & crebriùs & ſeueriùs, quàm antea cōſueuiſſet, accuratiſſimè vires explorauit ſuas, etiam vſq; ad herbarum victum & aquæ potum ſeſe periclitās. Lectiones eius, cùm ferè omnes ſtudio haberet, in ſacris libris deuotione plenis, conſummabantur: illis lætabatur, illas iā toto pectore complectebatur. Piorum hominum, quorum eſſet ſpiritalis conuerſatio, plùs ſolito cō-

Priuatim periclitatur vires ſuas multis modis.

ſuetudine delectabatur, illorum inprimìs, in quibus virtutum exempla relucebant. Interim ſæpè animo pertractans, ad quod vitę genus ſe potiſſimùm conferre deberet: non rarò toto corpore proſtratus, crucifixum Dominum rogauit, vt ipſi largiretur gratiam, viam & vitam potiorem deligendi, quam eius benigno fretus fauore ſectaretur. Puto autem planeq; mihi perſuadeo, ita ei reſpondiſſe crucifixum: Fili Bernardine, en tuipſe cernis hic me nudum à cruce ſuſpenſum. Si ergo amas me & me imitari vis, affigaris & ipſe nudus cruci tuæ, ſicq; me ſequaris: meq; hauddubiò inuenies. Atq; hoc ille intelligens, & ſæpiùs expendens, cùm aduerteret Chriſti crucifixi hoc longè optimum eſſe conſilium, quo nullum aliud melius, nullum ſalubrius poſſit reperiri, illud toto pectore ſtuduit in opus conferre. Cùm autem Seraphicum illum patrem Franciſcum, Chriſti nuditatem, paupertatem & crucem excellentiſſimè ſectatum nō ignoraret, ſub eodem beatiſſimo patre, Chriſto militare conſtituit.

Sub hac autem mentis deliberatione adhuc poſito, cùm necdùm certò perſpiceret, quam vitam ingredi deberet, piiſſimus Saluator, qui confugientes ad ſe non deſerit, ſed ad ſalutarem deducit viam, poſt ſolitas preces ſerotinas obdormienti hanc viſionem obtulit: Videbatur ſibi Bernardinus apud fontem quendam, extra vrbis muros non longè à patrum Franciſcanorum cœnobio diſtantem, videre palatium quoddam valdè elegans & amplum, feneſtris luculentum, in ipſoq; intus ignem accenſum, qui omnia ferè palatij viſcera inflammaret, perque feneſtras omnes flammas erumpentes, vna duntaxat dempta feneſtra, quæ ſola cum vno cubiculo ſeruata videbatur. Tum prætereà per feneſtram illam videre ſibi viſus eſt intus virum quendam S. Franciſci habitu indutum, eumque, vt ignis præſens periculum deuitaret, ad feneſtram accedentem, & ex illa præcipitare ſe volentem: porrò ob ingens præcipitij diſcrimen clamantem magna voce: Franciſce: ſicque ſecundò & tertiò intrò reuertentem, rurſuſq; ad feneſtrā venientem, & præcipitio dare ſe volentem, ſed præ timore minimè auſum, clamantem: Franciſce. Ad extremum vidit totum illud palatium ignibus abſumptum, præter cubiculum & feneſtram illam, ad quam vir ille Franciſcum inclamitans, ſaluus manſit. Hanc viſionem ſecum penſitans Bernardinus, ſic eam interpretatus eſt, quòd Dominus ea id ſignificare voluerit, poſſe ipſum beatiſſimi patris Franciſci ope ſubnixum, carnis, mundi & dæmonis flammas euadere. Cap. 15. Viſio Bernardini.

Per id tempus fuit Senis quidam admodū reuerendus pater Franciſcanus, Iohannes *Piſtorius, vitę ſanctitate illuſtris. Is iā antè triginta annis in Boſnę prouincia aduersùs hæreticos deſudârat, è quibus multos conuerterat: ſacra etiam Hieroſolymorum loca viſerat, & pleraque alia non ſine multa animi pietate: iamque grandæuus domum erat reuerſus, fuitque inſtitutus cuſtos Franciſcanorum Senenſium. Multa enim pollebat ſapientia, noueratque prudenter conſulere. Bonus erat odor famæ ſanctitatis eius. Ad eum properè acceſſit Bernardinus, aperuit ei totum pectus ſuum, rogauit obnixè vt ipſum ad ſuam ſodalitatem admitteret. Cap. 16. *Triſtorius Bernardinus petit admitti in ſodalitem Frāciſcanorum.

Lætabatur his grandæuus pater & exultabat: quippe qui multa didiciſſet de optimis moribus eius, cerneretque tyronem CHRISTI ætate iuuenem, robuſtum corpore, facie formoſum, non mediocriter omni literatura inſtructum, fide integrum, ſpiritu feruentem. Quibus etiam permotus, non defuit precibus eius. At Bernardinus incredibili affectus hilaritate, totum ſe eius conſilio & voluntati permiſit, diſtraxitq;, vti dictum eſt ſuprà, omnes opes ſuas, contempſit generis nobilitatem, ſanctaque armatus paupertate, nudus pro Chriſti amore deuium Aegypti iter reliquit, & in ſanctæ religionis eremum ſeſe abdidit, cupiens cum Chriſto tollere crucem in humeros ſuos.

Accepit autem ab eo, quem diximus, patre habitum monaſticum in cœnobio Senenſi Franciſcanorum, anno Domini milleſimo quadringēteſimo, quarto, ætatis ſuæ viceſimo ſecūdo, tota ciuitate Senēſi multum inde & ædificationis & admirationis capiente. Cùm autē pater ille ſenex vili eū habitu indueret, & horrida reſti cingeret, diuinitùs doctus propheticè de illo corā omnibꝰ dixit clara voce: Adiunctus eſt ad nos homo ſtrenuus & gnarus miles, qui multas comportabit fruges in horrea Domini, eritque Ordinis noſtri decus & ornamentum. Non diu poſt ſentiens Bernardinus ſe illo in loco non poſſe Deo tranquillo animo ſeruire conuenienter Regulæ ſancti Franciſci, quòd homines ſeculares quotidiè eò aduentarent, & quædam aliæ cauſæ rationabiles ipſi ſuppeterent, ex conſilio memorati Patris exceſſit è patria ſua, eiuſque fretus benedictione, ad eos obſeruantes iucundiſſimo animo commigrauit, qui in Columbarij antiquo monaſterio degebant, quod ſitum erat haud procul Cap. 17. Prophetia de illo. *Pro, flam, lege Senn.,)

procul ſtans in obſcuro nemore, ab omni mundi ſtrepitu ſeparatum, iis inprimis accommodum, qui vitam vellent contemplationi deditam conſectari, & S. Franciſci inſtitutum experiri. Morabantur illic ſanè viri admodum religioſi & ſancti, Deo nocte ac die ſeruientes: quales tunc rari valdè erant in Italia ob miſerè collapſam eius Ordinis monaſticam diſciplinam.

Cap. 18. Degit in Columbarij cœnobio. In eorum ſodalitatem cupidiſſimè ſe recepit Bernardinus, & cum illis carnem ſuam crucifixit cum vitijs & concupiſcentijs, virgiſque & flagellis aſperis caſtigauit. Summoperè connitebatur perfectè exprimere vitam Euangelicam, & propter Chriſtum alienæ ſe ſubmiſit voluntati. Primo anno probationis nihil prorſus habere voluit, præter cucullum, ſubligaculum & cingulum nodoſum: adeoque magnos habuit in virtutibus progreſſus, vt quamuis omnium poſtremus eſſet, ardentem lucernam & totius ſanctitatis ſpeculum fratribus ſeſe exhiberet. Virtutes eius. Erat monaſtici Canonis obſeruantiſſimus, moribus fuit optimis & modeſtiſſimis non mediocriter eo nomine charus fratribus vniuerſis. Mirabantur illi pœnitentiam & aſperitatem vitæ eius, ſingularem manſuetudinem, & erga omnes humilitatem. Nullum tam moleſtum aut vile & contemptibile fuit opus, quod Bernardinus ſuis manibus non libenter exequeretur. Inſeruiebat ægrotis fratribus, ferebat ſuis humeris emendicatas panis & vini eleemoſynas, nudis interim incedens pedibus etiam longiſſimo itinere.

In ædibus ſacris inſtar angeli ſeſe gerebat, laudans, cantans & obſecrans Deum ſine tepore vllo, nocte ac die. Non ſolùm ea ſeruabat ieiunia, quæ præſcribit Regula, ſed quaſdam iis addebat Quadrageſimas alias, interdum ſolo pane & aqua in iis contentus, corpus ſuum vigilijs & flagellis edomans. Ieiuniamulta. Vigiliæ. Propter Dominum IESVM vir humilis cuilibet ſe morigerum & obſequentem præbebat, ſeipſum peccatorum omnium, qui in terris eſſent, viliſſimum atque deterrimum exiſtimabat. Atque ea cauſa cum infinitis ſuſpirijs & gemitibus precabatur veniam coram imagine crucifixi Saluatoris, magnas illi gratias agens, quòd ad hoc vitæ inſtitutum ipſum vocaſſet, in quo poſſet ei tranquilla conſcientia, firmaque ſpe & fiducia ſeruire. CHRISTI paſſionem tam acerbè deplorabat, vt præ dolore moriturus videretur. Condolentia erga vitã & paſſionẽ Chriſti. Cum multa condolentia commemorabat eius vitam, peregrinationem, famem, ſitim, æſtus, frigora, vincula, flagella, contemptum, cruciatus. Valdè mirabatur illum præ immenſo amore pro nobis ferentem crucem, nudum à cruce manibus pedibuſque confixum miſerè pendentem, miſerandum in modum vulneribus ſaucium, & in tantis cruciamentis noſtra cauſa morientem. Doloris gladio cõficiebatur, cùm ſecum reputaret triſtiſſimam illius matrem exanime corpus eius excepiſſe in ſinum ſuum. Eiuſmodi pijs & ſalutaribus cogitationibus & meditationibus inflammabatur animus eius ad ardua & corpori moleſta ac dura exercitia & opera amplectenda.

Cap. 19. Adeò verò ſtudioſè in ea incumbebat opera, quæ mundo humilia & deſpicabilia videntur, ſeipſum planè contemnens, & generis ſui nobilitatem pro nihilo ducens, vt homines plebei, qui antè eum nouerant, non alio quàm inſani & ſtulti loco eum haberent: quò ille impenſiùs lætabatur, ſciens dictum ab Apoſtolo: 1. Cor. 3. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud DEVM. Cùm adhuc nouitius aliquando cum ſocio fratre inuiſeret Tobiam cognatam & ſpiritualem matrem ſuam, quendam illic offendit conſanguineum ſuum, moleſtiſſimè ferentem, quòd factus eſſet Franciſcanus, multaque ipſi conuicia & probra inferentem, & inter cætera ſic dicentem: Sperabamus nos te honeſtè in ſeculo victurum, & fœcundam vxorem quandoque ducturum, proleſque ex ea elegantes procreaturum, noſtramque familiam opibus & honoribus aucturum. Iudicium huius mundi de monachis. Ecquid verò aliud eſt cucullatus monachus, quàm porcus saginarius, & qui ſine cura vlla otio & deſidiæ deditus alienis laboribus ſe ſaginet? Audiebat hæc ſedatiſſimo animo vir ſanctus, tandemque ei reſpondit comiter & modeſtè de ſeipſo vaticinans: Equidem fallacem hunc contemno mundum cum omni faſtu & pompis eius, ac nihilo minùs tantum ex me honoris accedet generi noſtro, vt in hac vrbe nulla vnquam familia extiterit, quæ cum noſtra poſſit honore, ſublimitate & famę celebritate comparari. Inde valedicens cognatæ ſuæ, ad cœnobium redijt, magis expetens propter Deum ignominia affici, quàm populi prædicatione efferri.

Eun-

Eunte illo quandoq; cum fratre per plateas vrbis Senenſis, petulantes pueri à tergo illudebant ei, & in eius nudos calcaneos lapillos iactabant. Nudis enim ingrediebatur pedibus, & tunica non attingebat tibias, vt plus ex frigore moleſtiæ caperet. At ille ne ſemel quidem reſpiciens, nec quicquam omnino commotus, pergebat itinere ſuo, perinde ac ſi ſurdus ac inſenſilis eſſet. Socius verò id indignè ferens: Non aduertis, inquit, quod iſti inſolentes pueri faciant? Reſpondit vir ſanctus: Faciant illi quicquid libitum erit eis: materiam nobis exhibent, vnde ſempiternæ gloriæ coronas nobis texamus. Dum enim affligunt nos, exercendæ patientiæ nobis occaſionem ſuppeditant: qua patientia poſſidemus animas noſtras, & cælorum regna promeremur. Cap. 20. Contēnit iniurias petulantium puerorum. Luc. 21.

Anno autem probationis exacto, ipſo Natiuitatis beatiſſimæ Mariæ ſolenni die palàm & ſolenniter profeſſus eſt monaſticam vitam, in manibus præfecti ſui, quem Guardianum vocant, promittens ſe omnibus diebus vitæ ſuæ ad præſcriptum Regulæ ſancti Franciſci in obedientia, paupertate & caſtitate victurum. Coactus deinde fuit etiam ſacerdotio initiari, primumque ſacrum fecit in matris DEI natalitio die, tanquam eius legitimus capellanus, ac deinceps quotidie Miſſam celebrauit cum multa animi deuotione & ardenti charitate. Mirè enim diuino erat amore incenſus, Sitiebatque mortalium omnium ſalutem, accuratè ſecum penſitans, quare Deo poſſet in hac vita gratiſſimam operam nauare. Initiatur ſacerdotio.

Cùm autem ſic ſecum ipſe commemoraret, quanta hominum cauſa feciſſet CHRISTVS, quantoperè in eam incubuiſſet curam, vt homines à peccatis retraheret per ſeipſum, per Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, vt eorum bonis exemplis & inſtitutionibus ad pœnitentiam & vitæ emendationem incitarentur: grauem ille crucem hanc in ſuos recepit humeros, vt omnium animas lucrifaceret: feruentique ſpiritu egreſſus è monaſterio, ad propinquum caſtrum rebus pauper acceſſit, populoque prædicauit pœnitentiam non ſubtili ſermonis curioſitate, ſed ſancti ſpiritus virtute, imitans beatiſſimum patrem ſuum Franciſcum. At tamen præ eximia animi humilitate nec auſus fuit aſque Superioris permiſſu concionandi munus obire, nec etiam vt id ipſi permitteretur expetere. Sed cùm non poſſit abſcondi ciuitas ſupra montem poſita, ſuperior eius, quem Ordinis Miniſtrum vocant, cognita eius excellenti ſanctitate, inſigni deuotione, præclara in diuinis literis eruditione, concionandi prouinciam ei demandauit. Quam ille humiliter ſuſcepit, non ignorans Deo pergratum eſſe, vt ſalutiferis ſermonibus ad eum miſeros mortales reduceret, quos ab illo hoſtis tartareus ad omne genus flagitiorum & ad mundi huius voluptates abſtraxiſſet. Primam concionem ſuam habuit ipſis ferijs Natiuitatis præſtantiſſimæ Virginis in honorem illius, ſub primo ſacrificio ſuo. Cap. 21. Ardet deſiderio ſalutis animarū. Matth. 5.

Cùm autem experientia didiciſſet, execrabilem ſatanam multos ipſi tendere laqueos, quibus in ſagenam ſuam eum adduceret, niſi multa vteretur vigilantia & circunſpectione: egregiè aduersùs eius inſidias ſeſe communiuit, cum Apoſtolo caſtigans corpus ſuum nec aliquid de vitæ eius aſperitate remittens, ne alijs prædicans, ipſe reprobus efficeretur. Non deerant tum, qui à ſuſcepto hoc concionandi ſalutari ſtudio & opere illum reuocare niterentur propter corporis eius teneritudinem, quæ non fineret eum ad loca diuerſa proficiſci: itemque vocis raucedinem, quæ procul audiri non poſſet. Cap. 22. 1. Cor. 9.

Et ille quidem propemodum ijs aſſenſurus videbatur, niſi conſcientia reclamaſſet, cui obluctari non debuit Valdè enim abſurdum & ab omni ratione alienum fuiſſet, ſi pereunti mundo Dei verbum ſubtrahere voluiſſet. Interim animi dubius, quid potiſſimùm ſequeretur, ad Deum confugit, ſublatiſque in cælum oculis, obnixè eum rogauit, ſi quidem gratum ipſi foret, vt in concionandi functione permaneret, vt propter Sanctiſſimæ matris ſuæ merita ſanaret vitium gutturis ipſius, quod voci eius magnum afferebat impedimentum. Quando autem facilè à Deo obtineri poteſt, quod ab illo præordinatum eſt, &, vt D. Gregorius ait, *diuina prouidentia ſic conſtituit, vt electi DEI amici precibus impetrent, quod ille ab initio dare eis decreuit*: DEVS ob interceſſionem matris ſuæ ingenti miraculo è Sententia eſt nō ipſa verba S. Gregorij.

gur-

gutture eius depulit vitiū illud immiſſo in guttur ignito globulo, quo linguæ raucedo excocta & curata fuit.

Cap. 23. Inde verò tanto animi ſtudio nouum ille concionandi munus executus eſt, vt nulla ratione ſatis id explicare queam. Amabat ille ſummoperè corporis caſtimoniam & integritatem, id quod ſine inſano liuore ſerpens tortuoſus ferre non potuit. Erant tum Senis duo honeſti coniuges, qui illum mirè diligebant. Senſit hoc tartareus impoſtor, & alterius, id eſt, fœminæ amorem corrupit, vt ſanctum virum libidinosè diligeret. Ait enim S. Bernardinus, nullum in hac vita reperiri, etiamſi eximius ſit ſanctitate & perfectione, cui non impuræ quædam cogitationes incidant: ſed noſtri arbitrij eſt, vel reſpuere vel aſſentiri. Cùm ergo Bernardinus quandoque panis emendi cauſa exijſſet, hæc fœmina illum ad ſe accerſiuit: eoq́; ingreſſo fores clauſit, & ait: niſi te accommodes iam voluntati meæ, equidem inſigni te ignominia afficiam, dicamque te mihi vim afferre voluiſſe. Tum Bernardinus in eas ſe anguſtias coniectum cernens, tota animi deuotione intra ſe rogabat Dominum, vt in tam præſenti periculo ipſi non deeſſet. Facinus enim illud valdè execrabatur. Non neglixit Deus preces ſerui ſui: ſuggeſſit mox conſilium, vt diceret mulieri, ſi vellet ita fieri, vt ſe veſtibus nudaret. Dixit hoc ille, nec mulier diſtulit. Interim profert ille flagellum, quod apud ſe habebat, apprehenſamque fortiter fœminam, egregiè cædere cœpit, nec deſtitit, donec ardor libidinis in ea extinctus eſt. Ea cauſa impenſiùs deinceps mulier amauit ſanctum virum, itemque maritus eius, vbi is comperit rem ab eo geſtam.

Fœminam ipſum libidinosè amantem egregiè coercet.

Cap. 24. Poſteà Bernardinus à præfecto domus hoſpitalis ſancti Honofrij, quod eſt extra muros Senarum, petijt locum aliquē ſibi donari, in quo pro ſe & fratribus ſuis paruam habitationem extrueret. Conceſſit ille, de Pontificis Maximi & domûs hoſpitalis cōſenſu locum Bernardino, vbi is monaſterium condidit, quod vſq; in præſens illic cernitur commoda ſtructura, cum eleganti templo & alijs ædificijs. Huius cœnobij primus ipſe Guardianus ſiue præfectus fuit, gnauiter portans onera die ac nocte, potiuſque in ſe recipiens, quàm in alium transferens labores. Apportabat ligna, lapides, calcem, nihil parcens tenero corpuſculo ſuo. Libens quoque exibat ad petendas eleemoſynas. Quando domi erat, ſemper cum fratribus ad templum acceſſit ijs horis, quibus diuina officia peragebantur. Quòd ſi adeò eſſet occupatus, vt ijs adeſſe non poſſet, preces Canonicas cum ſocio fratre admodum reuerenter & deuotè perſoluebat. Crebrò totas noctes duxit inſomnes, in ſecreta quædam loca ſeſe abdens, atque illic vacans deuotioni ſuæ. Perpetuò aut legendo, aut meditando, aut orando, aut diuina contemplando occupatus erat. Sæpè pugnis ſuum tundebat pectus, vilem peccatorem ſe pronuncians. Dirè cruciabat corpus ſuum, & humum lachrymis madefaciebat, vt peccatoribus Deum propitium efficeret. Non raró attentiſſimè & ſummo animi dolore contemplans Chriſti ignominioſam mortem, pretioſumque ſanguinem fuſum pro nobis, in crucis formam ſe humi extendebat, vt cum Chriſto foris & intus ſeſe crucifigeret. In adhortationibus ſuis, publiciſque concionibus, magno ſemper ſtudio excitabat auditores, vt ſe gratos exhiberent, paſſioni & morti Saluatoris, deuotionemque & reuerentiam præſtarent ſanctiſſimo nomini, IESV, quod eſt ſuper omne nomen, & in quo omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: neque aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Extruit monaſterium.

Exercitia eius.

Philip. 2.
Act. 4.

Cap. 25. Pſalm. 67. Præpotens Deus, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, in viro hoc & per virum hunc, dum in terris inter homines verſaretur, mira operatus eſt, & admirandum in modū ad vitę cæleſtis gaudia deguſtanda eum ſuſtulit. Cùm enim concionādi onus iam ſuſceptum proſequi cœpiſſet, tanto animi feruore & ſtudio conciones habuit, vt nomen eius non ſolùm in Italia, ſed toto etiam orbe celebraretur, tam ille efficacibus & grauibus vtebatur verbis, vt facilè poſſet animaduerti, ſpiritum Dei loqui per os eius. Cōciones ſuas ſolebat in tres aut quatuor diſtribuere partes. Peroptabant autem ſinguli eius habere conciones, & beatiores ſe exiſtimabāt, ſi daretur copia eas deſcribendi. Libelli eius per regiones omnes ſpargebantur, per Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Hyberniam, Scotiam, Germaniam, Hungariam, Cyprum, Aſiam, Græciam, per Orientem quoque & exteros populos: qui acumen ingenij, intellectus perſpicacitatem, ſenſus ſublimes & vitæ eius ſanctitatem nō mediocriter admirabantur. Vbiuis locorū eius fiebat mentio, & ſe longè lateque diffuderat fama eius, quam Dominus præclaris miraculis confirmabat.

Feruor & pondus cōcionū eius.

Cap. 26. Ita ille ſancti ſpiritus perfuſus rore, feruentiſſimus Dei præco factus eſt in Italia, & Gal-

Actorum 9.

& Gallia Ciſalpina, in nouæ lucis euectus montem. Cernens autem multam eſſe meſſem, ſed proh dolor operarios paucos, vrbes, caſtella & pagos omnes peragrauit, annuncians pigris & deſidioſis mortalibus ſanctiſſimum nomen IESV: quod nomen vas electionis Paulus portauit coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael: vt per hoc ſalutiferum nomen à Deo gratiam impetrarent & miſericordiam, quò per veram pœnitentiam corrigerent malam vitam ſuam. Ea tempeſtate tota Italia iam planè iacebat obruta vitijs & flagitijs, oblita piarum adhortationum, quas olim acceperat. Omnes in id totò incumbebant pectore, vt poſſent multas ſibi coaceruare opes. Nulla cernebatur deuotio in religioſis & eccleſiaſticis, nulla fides in plebeis, nulla miſericordia, modeſtia & diſciplina morum nulla. Iactabant alij in alios maledicta, obſtinatis animis odio & liuore ſe inuicem proſequebantur, in duas factiones diſtracti. Intercluſa erant itinera à latronibus, mare infeſtum piratæ habebant. Guelphorum & Gibellinorum immodica inſolentia paſſim adeò ſæuiebat & graſſabatur, vt fraterno ſanguine plateæ maderent. Ecquid verò poſſit atrocius commemorari? Parentes ſuas iugulabant proles, lætabanturque ſe illos, qui diuerſæ eſſent factionis, laqueo præfocaſſe. Tanta exiſtebat infidelitas & impietas, vt inſtar ethnicorum plus deferrent tempori, quo eſſent ſtructuri domos, quàm Dei præceptis obſeruandis. Mũdus plenus erat veneficijs & incantationibus, damnataque curioſitate futura cognoſcendi, & ſanandi morbos. Quæ ſi quis reprehendere voluiſſet, miſerè conſpuebatur & irridebatur. Rarò feſtis diebus ibatur in templum, vt Miſſa audiretur. Nemo verebatur leges, quibus alearum ludus interdicitur. Properabant omnes ad loca illa, vbi alearum ferebat iactus. Internoſci non poterant dies profeſti vel operarij à feſtis, quòd feſtis diebus plures irent per plateas oſcitabundi & vagabundi. Omnibus his malis magnam anſam, multaque fomenta præbebat ſchiſma, quod tum in ſancta Eccleſia ad annos quadraginta durauerat.

Prædicat vbique nomen IESV.

Peſſimus Italiæ ſtatus.

Cap. 27.

Hæc autem conſpiciens Sanctus Bernardinus, valdè miſerabatur pereuntis mundi pericula. Itaque fiducia ſua in Deo collocata, ibat per regiones & ciuitates, annuntiabat hominibus virtutes & vitia, gloriam & pœnas ſempiternas. Tanta autem diuinæ gratiæ largitate perfundebatur, vt diligeretur ab omnibus & honoraretur, & cum multa reuerentia exciperetur & auſcultaretur, haud ſecus, atque quidam CHRISTI IESV Apoſtolus. Tantus hominum cœtus ad eum audiendum confluere ſolebat, vt ſummo manè ad concionis locum properarent, quò commodum ſibi poſſent locum vendicare: quodq; eo maius eſt, nonnunquam aduentabant complures à triginta miliaribus, incredibili deſiderio incenſi audiendi conciones eius. Quotidiè verò ante concionem cum multa deuotione Miſſam celebrabat, animo in Deum ſubleuato. Properabant omnes, & ſacris initiati & laici ex pagis & oppidis, vt eum audirent concionantem: ſperabantque ſancti ſpiritus gratiam in ipſos deſcenſuram, vt olim in Apoſtolos & credentes.

S. Bernardinus dũ ſtrenuè cõcionatur, omnibus venerationi eſt.

Acto. 2.

Neque id ſanè mirum, quando ille præco Dei admirabilis, ſancti ſpiritûs vnctus gratia, adhortabatur ſuſpirabundos auditores ingenti voce, vt agerent pœnitentiam, Deumque iratum ieiunijs & lachrymis ſibi conciliarent. Verba eius & ſuauia erant, & efficacia, inſtar radiorum igneorum penetrabilia, corda omnium ipſum audientium emollientia, omnemque animorum duritiam conterentia. Vox eius admodum ſonora & clara fuit, ita vt & propè & procul poſſet diſtincte percipi. Sermones illius haudquaquam inanes erant, aut mundani vel mendaces & ridiculi: ſed diuina pleni fœcunditate, quibus lapidea quæuis pectora colliqueſcerent, atque emollirentur ad agendam cùm acerba animi contritione veram pœnitentiam: pij verò omnes diuino amore inflammarentur. Penetrabat enim ſpiritus eius mortalium omnium intimos pectorum receſſus.

Vis verborum eius.

Cap. 28.

Hinc fiebat, vt ſua peccata cum multa contritione confiterentur, digneque & reuerenter perciperent ſacroſanctam Euchariſtiam, qui multo tempore nunquam ad ſacram communionẽ acceſſerant. In ſumma, dicendo nemo conſequi poſſit, qui fructus ex ijs beati viri concionib. enati ſint apud homines Chriſtianos. Nec facilè ſcripto comprehendi queat, quot vrbes, reſpublicas & homines odio & liuore prorſus obturatos, ad pacem, tranquillitatem & concordiam reduxerit: quot petulantes adoleſcentes & laſciuas fœminas, è fœdiſſimis carnis voluptatibus, quibus computruerant, ad honeſtam & caſtam viuendi rationem reuocârit. Iubebat, vt feſtos dies, quibus ſolebant vacare manuum laboribus, ad Canonum præſcriptionẽ obſeruarent.

Fructus concionũ eius.

Docebat populum, vt ſacras ædes & ſacerdotes in ijs miniſtrantes venerarentur. Multas honeſtas, ſed inopes puellas curauit matrimonio tradendas, apud locupletes à ſe conuerſos id efficiens, vt bona dote afficerentur.

Videre licebat inueteratas inimicitias ad mutuam conſenſionem & beneuolentiam redigi, quod alioqui incredibile videbatur vlla via vel conſilio quenquam conſequi poſſe. Cernere erat fœminas pias & Deo deuotas, mundi pompis & vanitatibus hactenùs deditas, ponere torques & catenas aureas, abijcere ſpecula & vnguenta, negligere capillorum compoſitionem, reſpuere ornamenta, quibus anteà, ceu laſciuæ & impudicæ mulieres, pernicioſiſſimè in ſuî damnationem abuſæ fuerant. Inſtrumenta omnium ludorum vetitorum, tabulas luſorias, taxillos, laruas, & id genus alias mundi vanitates maximo numero ad ſanctum virum adducebāt, vt faceret illis pro ſuo arbitratu. Ille verò in foro igne extructo, ea omnia combuſſit. Fœminas in lupanaribus flagitioſè viuentes ad pœnitentiam ſuis ſermonibus permouit, quibus ad contrahenda matrimonia è communi ærario dotes liberaliter tribuebantur. Vſurarij, piratæ & latrones ad meliorem frugem ſe recipientes, agebant pœnitentiam, reſtituebantq; malè parta, quorum ſumma nonnunquā excedebat mille aureos ducatos.

Meretrices conuertuntur. Item vſurarij, &c.

Cap. 29.

Adeò tum Princeps mundi huius extrudebatur è regno ſuo, & Chriſtiana religio exaltabatur. Condebantur Xenodochia, defendebantur viduæ & pupilli, res omnes præter ius faſque conquiſitæ reſtituebantur. Multi viri & fœminæ, contempto mundo & fallacijs eius, abiectiſq; non paruis facultatibus ſuis, crucem pœnitentiæ complectebātur, in paupertate & diuerſis monaſticis inſtitutis Domino ſeruiētes. Multa quoque noua extruebantur monaſteria, collapſa inſtaurabantur, tum intus, tū foris. Quis verò certum poſſit inire numerum, partim nobilium & præclarorum adoleſcentum, partim matura ætate & barbatorum virorum, qui ſe in cœnobia receperunt, vitam ſectaturi religioſam, vt Deo fideliorem poſſent exhibere famulatum? Franciſcanorum ſanè ab ipſis fundamentis non pauca, eaque elegantia condebantur cœnobia, in quibus Regula ſancti Franciſci ſub Bernardino obſeruaretur. Quæ quidem obſeruantia ex eius odorifera ſanctitate vſqueadeò magna illo viuente accepit incrementa, vt viginti parua monaſteria in quibus tota Italia plùs minùs centum viginti fratres morabantur, cùm hæc obſeruantia ſub Bernardini primis monaſticæ vitæ initijs inſtaurata eſt, ſub finem vitæ eius in tantum aucta fuerint, vt trecenta numerarentur cœnobia, & in ijs fratres ampliùs quinquies mille, præter eos, qui illo ſuperſtite deceſſerant è vita, in ſola Italia, quorum non erat minor numerus. Quòd ſi verò ea quoq; cōmemorare velim monaſteria, quæ reges, principes, & alij potētes viri toto orbe pro fratribus Obſeruantibus exædificanda curàrunt, in quibus era[t] copioſiſſimus fratrum numerus, rem aggreſſurus ſum, quæ vires meas longè ſupe[ra]ret. Habitant enim Obſeruantes fratres non ſolùm apud Chriſtianos, ſed etiam inte[r] Barbaros & infideles canes, orbem vniuerſum lucidis exemplis ſuis illuſtrantes. Atqu[e] hinc perſpicuum fit, completum vaticinium reuerendi patris illius, qui Bernardi[n]um monaſtico habitu induit, quando ait ingentes eum fructus in ſancta Eccleſi[a] allaturum. Surrexit enim tanquam alter Elias, quaſi ignis, & verbum ipſius, quaſi fa[x] cula ardebat, torpentia corda diuino inflammans amore, vt peccatorum omniu[m] remiſſionem conſequerentur, & Chriſti vitam & doctrinam imitarentur. Elegit eu[m] Dominus, populoque exemplum propoſuit, & ſignum conſpicuum, in quod intend[e]rent, cuique ſeſe imitando conformarent.

Trecenta monaſteria Franciſcanorum in Italia ſub ipſo.

Eccli. 48.

Cùm autem Hieroſolymam miſſus fuiſſet vir ſanctus, factus eſt eius loci & etia[m] in Bethleem Guardianus, & terræ ſanctæ Commiſſarius. Eo verò tempore, quo fu[it] Prouincialis Vicarius Tuſciæ, multa reformauit cœnobia, nouaque ſuſcepit, tota[m] Italia fratrum augens numerum concionibus & optimis moribus ſuis. Sub eius viſitati[o]ne quædam cōſtructa fuère S. Claræ monaſteria primæ Regulæ, multaq; alia ſecund[æ]. Quæ antea ceu indomitæ vixerant ſanctimoniales, eius cura reformatæ ſunt. Qua[n]do è Tuſcia profectus fuit, vt verbum Dei prædicaret Venetijs, in ditione Medio[la]nenſi, Genuæ, Veronæ, Mantuæ, Placentiæ, Parmæ, & in toto Ducatu Ferrarie[n]ſi, alijſque locis, paſſim in vrbibus condebantur noua fratrum de Obſeruantia m[o]naſteria, totoque orbe mirè propagati fuère Sancti Franciſci tres ordines, ſiue t[ria] inſtituta. Etſi autem probè ille eruditus erat omni ſeculari ſcientia, philoſoph[ia] morali, & iuris cognitione, attamen vltra modum illuſtrabatur diuinæ ſapien[tiæ] lumine, ita vt quæſtiones & argumenta omnia ſapientiſſimè diſſoluere, prudenter [ex]ponere, & intelligentia comprehendere poſſet. Quando autem hominum maligr[...]

Cap. 30. Mittitur in terram ſanctam.

tum ſæua importunitas nunquam otioſa eſt, ſed edaci percita liuore, innocentibus compatat laqueos & inſidias, & dente canino rodit illos: contigit aliquando Bernardinum cum multo ſpiritus feruore habere ſermonem apud populum, multoſque eo ſermone conuerti: qua re lætabatur ille non minimùm, Deum laudans pro gratia illius. Solebat autem ſub finem concionum ſuarum populo tabellam ſpectandam proponere, idque inprimis religioſè ac piè, in qua pictum erat dulciſſimum nomen IESV literis aureis, ſolis radijs vndique cinctum: porrò populus illud ſacratiſſimum nomen flexis genibus deuotiſſimè adorabat. Id verò conſpicati quidam æmuli eius, diuino honori & ſaluti animarum inuidentes malitia deprauati & peruerſi, quotidiè ad eius conciones veniebant acti & incitati nequitia & malignitate ſua, vt quippiam ex eius ore raperent, vnde ei poſſent accuſationem ſtruere, & apud ſummum Pontificem falsò illum deferre. Annotârunt autem per calumniam falſas quaſdam ſententias, quas ab illo e ſuggeſtu prolatas fingebant de ſuauiſſimo nomine IESV ſecus, quàm habeat fides Catholica. Patitur æmulos & obtrectatores malignos.

Adiungebant ijs falſa quædam commenta vel interpretationes, vt coram Pontifice in hæreſis crimen eum vocarent. Quod quidem etiam factum ab illis eſt coram Martino V. adhibitis ad ſua commenta etiam malignis & falſis teſtibus quibuſdam. Atque ea cauſa ſtatim accerſitus eſt à Pontifice Bernardinus, iſque nihil cunctatus, cum multo populo Viterbio profectus eſt Romam. Vbi mox ad Pontificis pedes humiliter ſe abiecit, plenus multa erga DEVM fiducia. Pontifex autem acriter in eum inuectus, ait, ſi quidem res ſic ſe haberent, vt de illo relatum ſit, non eum impunè id laturum, ſed benè acriter caſtigatum illum iri, tanquam temerarium Eccleſiaſten, & peſtiferæ hæreſis propagatorem. Interdixit quoque illi ſacris concionibus, & ne nomen IESV populo oſtentaret, donec re examinata, certi aliquid compertum eſſet. Intereà multi docti viri, & ſacræ Theologiæ magiſtri, in omnes libros eius, quos ex diuinis literis collegerat, accuratè inquiſiêrunt, num quæ ijs lateret hæreſis, nôſſe cupientes. Alij quidem Franciſcani doctores Theologi acutis diſputationibus Bernardinum tuebantur: ſed ille tam immanem iniuriã cauſa amoris Chriſti patientiſſimè tolerabat. Cùm autem in ſcriptis eius nulla poſſet reperiri hæreſis, Pontifex probè animaduertens omnem illam accuſationem odio & liuore in Bernardinum comparatam, quippe qui in verbis ſuis inculpatus & verax depræhenſus eſſet, illum ad ſe acciuit, & poſtquam ad quæſtiones omnes audiuit humiliter reſpondentem, copioſiſſima eum impertijt benedictione ſua, authoritateque Pontificia clementer ei copiam fecit liberè prædicandi, circumquaque verbum Dei, dulciſſimumque nomen IESV populis oſtentandi, & palam geſtandi. Atque ille poſt hæc manſit aliquandiu Romæ prædicans, & non mediocres in populo fructus producens. Aemuli verò eius, qui eum conati erant in diſcrimen capitis vocare, cum magno dedecore inde abiêrunt, & qui præcipuus inter illos erat, Dei iudicio ſubitanea & improuiſa morte extinctus eſt. Defertur apud Pontificem. Examinantur ſcripta eius. Pontifex pro eo fert ſententiam.

Venit quandoque Bernardinus in oppidum quoddam, viditque hominem tabulas luſorias conficientem. Sciſcitabatur igitur ex eo, calleret´ne aliam artem, qua ſibi victum pararet? Illo negante, ait ad eum: Si vis facere quod dicturus ſum, habebis vnde te ſuſtentes. Ego verò, inquit ille, faciam equidem ac lubens. Tum Bernardinus circino expreſſit circulum, atque in eo nomen IESV pinxit, ſole circundatum: deinde ait ad virum: Tu fac ſimiliter, fili, & habebis res vitæ degendæ neceſſarias. Fecit ille, & Deo fauente, populus magno cœpit ſtudio complecti id genus nomina Ieſu, pluſque inde lucri acceſſit homini, quàm ex damnatis illis tabulis luſorijs. Cap. 11.

Diligenter ſanè Bernardinus animo ſuo affixerat ſalutarem illam doctrinam, quã Apoſtolus Timotheo diſcipulo ſuo propoſuit, ſcribens in hęc verba: Pręedica verbum: Inſta opportunè, importunè argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Itaque dedit operam, vt ipſe quoque ſic faceret. Pulchrè autem vita eius cum doctrina conſentiebat, & è diuerſo verba eius vitæ aſtipulabantur. Nemo vnquam vllum ex eo potuit capere offendiculum: neque aliter docebat ore, quàm ipſe opere præſtaret, Chriſti inſtitutionibus conuenienter ſe gerens, de quo ſcriptum eſt: Cœpit Ieſus facere & docere. Nouerat ille omni hominum generi & conditioni ſuos accõmodare ſermones, & dicere ſingulis quæ ipſorum ſaluti cõducerẽt. Optabat enim ille homo Dei iuuenes & ſenes, locupletes & inopes reuocare à peccatis, & ad veram ſalutis æternę ſemitam perducere. Ea cauſa tam fuit celebre toto orbe nomen eius, ita vt nemo non cuperet audire eum, & obtemperare illi, eiuſque conſilium expetere. Amabant Cap. 12. 2. Tim. 4. Efficaciſsimũ docendi genus. Actor. 1. Scopus concionũ eius.

bant eum omnes,& venerabantur, tollebantque ſupra ſidera, tanta cum reuerentia ſermones eius excipientes,ac ſi diuina eſſent oracula. Et ille quidem in vinea Domini ſtrenuè laborans,ſtudebat prodeſſe omnibus, tempuſque ſuum cum multo lucro piè ac ſanctè traducere. Inde fiebat, vt ſemper quippiam boni actitaret, nunquam otio ſe dederet: ſed vel componeret ſermones, vel libros ſcriberet, quoties ei licebat eſſe ſoli. Eam ob rem poſt abſolutas nocturnas preces,quas Matutinas vocant, non ſolebat ſomnum capere, tametſi vtplurimùm primus ante omnes ad illas preces accedebat. Poſt gallicinium cum Sancto Petro lugebat peccata hominum, & manè orto ſole, cum Magdalena quærebat reſurgentem è ſepulchro Saluatorem. Quotidiè vna hora ſuæ vacabat deuotioni: atque interim nulli patebat ad eum acceſſus, nec regi, nec principi, nec vlli quantumuis potenti dynaſtæ: ſed cogebantur expectare omnes, donec ſatisfeciſſet deuotioni ſuæ. Inde ſumebat corpori neceſſaria: ijs perceptis, omnium expectationi faciebat ſatis. Eſt hodieque Senis bibliotheca arctiùs cuſtodita, in qua ſeruantur codices, quorum magnam partem Bernardinus intra duos aut tres annos ſua conſcripſit manu, vt accepi ab illis, qui eos viderũt. Vnde poteſt animaduerti, quã diligens & ſedulus ille fuerit.

Certa hora ſoli Deo, & ſibi vacat.

Cap. 13. Egregia humilitas eius

Humilitas, omnium virtutum decus & ornamentum, ſpiritaliſque ſtructuræ firmum fundamentum, lapiſque angularis Deo nos coniungens, adeò ſibi Bernardinum deuinxerat, ſuoque ſeruitio ſubdiderat, vt de ſeipſo prorſus nihil ſentiret, ſed planè ſe contemneret atque odio haberet. Mores eius, actus & verba omnino ſimplicia & humilia erant. Omnibus ſe gratia & virtutibus inferiorem exiſtimabat. Non ſua nitebatur ſapientia, ſed ſemper petebat conſilium etiam ab illis, qui eo inferiores erant. Nullum præ ſe ferebat ſuo inceſſu animi tumorem aut turgidum pectus. Non tollebat in ſublime oculos, non iactabat eruditionem & nobilitatem ſuam: ſed ibat maturè ſummiſſo capite, eaque ſimplicitate & comitate, ac ſi rudis & imperitus quiſpiam eſſet, vaſque inane, parum gratiæ nihilque ſcientiæ continens. Et talis quidem habebatur ab ijs, qui eum non nôrant. Tam verò erat ſermone potens & efficax, tam natura patiens, vt flagitia palam admodum ſeuerè reprehenderet: ſed cùm eſſet priuatim, neminem niſi blanditer & comiter obiurgare vellet. Etſi autẽ multa eius humanitas & humilitas omnibus perſpecta erat, magis tamen innotuit eo illuſtri, quod iam referemus, miraculo.

Vitia palã ſeueriter caſtigat & taxat.

Cap. 14.

Exierat quandoque vir ſanctus cum fratre, vt Mantuæ concionaretur. Transmittenda autem ei erat aqua, vrbem illam attingens. Rogauit nautam quendam, vt cauſa Dei ipſum traduceret. Nauta mercedem à Deo expectandam negligens, naulum exegit, exiſtimans illum latenter ſub cucullo habere loculos nummis refertos, vt quidam ſolebant ex illis, quos Conuentuales vocant. Bernardinus ait, ſe Dei amore facultates ſuas omnes contempſiſſe, iterumque orat, vt pro Dei amore ipſum cum ſocio tranſuehat, eadem hora in vrbe illa concionem habiturum, recuſat nauta, & dicit: Etiamſi omittenda tibi concio ſit, ego te in nauim meam non recipiam, niſi naulo perſoluto. Sentiens vir Dei non poſſe ſe hac via traijcere in vrbem, benè confidens Domino, qui humiles & timentes ſe cuſtodit, qui imperat ventis & aquis, qui ſedare nouit tempeſtates omnes, & ſuper mare graditur, ſic compellat ſocium ſuum: Frater mi, ſatis ne fidis Domino? Reſpondet ille: Planè pater. Et Bernardinus: Potes, inquit, imitari, quod me facere videris? Illo dicente, ſe poſſe: Bernardinus palliolum ſuum expandit ſuper aquas, primuſque ipſe calcat illud, ſocius ſequitur, atque ita ambo flexis genibus, oculis & manibus in cælum ſublatis, diuinam iugiter implorantes opem, in alteram aquarum partem ſine vllo metu & cura incolumes euasêre, cùm nauis necdum medium eſſet emenſa ſpacium. Cernentes id tum qui in naui erant, tum qui ſtabant in littore, alta voce pariter implorabant Dei miſericordiam, tam inſigni miraculo obſtupefacti. Poſtquam autem terram attigit Bernardinus, nulla viſus eſt aſperſus aqua, nec pallium madefactum fuit. Hoc ego miraculum didici a quodam ſene presbytero, cui in iuuentute ſua cum Bernardino magna interceſſerat conſuetudo & familiaritas, qui cum ſuis oculis ita, vt diximus, viderat aquas tranſmittentem.

Nautæ cuiuſdam inhumanitas.

Magno miraculo pedibus calcat aquas.

Cap. 15. Trium ciuitatũ recuſat Epiſcopatũ

Fama autem virtutum eius, magis magiſq; ſeſe in regiones omnes diffundente, tres celeberrimæ Italiæ ciuitates eum ſibi Epiſcopum obnixè petierunt, Senæ, Ferraria, & Vrbinum, nõ mediocriter eo nomine inſtantes apud Eugenium eius nominis quartũ Pontificem. Sed Chriſti ſeruus, qui temporaria omnia & ambitionem omnem eius

amore reſpuebat,malens cum pauperibus penuriam perpeti,quàm cum multa incūm ditare & dignitate inter opulentos antiſtites & optimates efferri & honorari, vt poſſet maiori fide reddere Deo vota ſua,& quæ illi debebat: apud Pontificem Eugenium quanta potuit maxima cura,humilitate,ſtudio ſe excuſauit. planè inidoneum ſe exiſtimans & aſſerens, qui tot curis obnoxiam ſuſciperet functionem: oſtendens etiam multò Deo gratius eſſe toto orbe homines ad eum conuertere, quàm intra vnius Epiſcopi diœceſim prædicare: denique adiungens, ſe hac ratione fruſtratum iri lucris ſuis, & animas hominum ſalute ſua. Inſtante autem Pontifice, & compellere eum volente, mitramque ſuis manibus in eius caput imponente, vir ſanctus ſumma contentione rogauit eum,ne ſineret hac occaſione ſe impediri à concionandi munere, & multis Domino animabus lucrandis. Eius verbis valdè ædificatus Pontifex, cum à ſe dimiſit.

Interrogatus aliquandò fuit Franciſcanus quidam egregiè doctus & celebris eccleſiaſtes, quid cauſæ eſſet,cur non eam ſermones eius vim & energiam haberent in populo,quàm Bernardini, quem ipſe doctrina & eloquentia ſuperaret? Reſpondit ille: Ego comparari poſſum carboni calido, ſed non ignito, cui ſi alij carbones apponantur, ignem non concipiunt. At Bernardinus ſimilis eſt carboni ardenti, diuino inflammatus ſpiritu: cui carboni ſi alij frigidi admoueantur, ignem ab illo colligent & incaleſcent. Rogauit quandoque religioſus quidam Bernardinum, quo pacto vitam ſpiritalem ad felicem poſſet exitum perducere & promouere, ſemper maiora virtutum capiendo incrementa. Ei autem Bernardinus ilicò ſic reſpondit, vt ſe coram illo pronum humi proſterneret: hoc ipſo id ſignificare volens, ſi vellet ad faſtigium & perfectionem vitæ ſpiritualis pertingere, neceſſariò collocandum eſſe in terra ſolidum & firmum ſanctæ humilitatis fundamentum. Eiuſmodi ſermonibus ſolebat ille vnicuique admodum benignè & placidè ſatisfacere pro cuiuſque deſiderio, Christi paruulos ſuauiſſimis paſcens exhortationibus, vt ſolent matres nutrire infantes ſuos lacte vberum ſuorum.

Cap. 16.

Cuiuſdam magni Theologi ſententia de Bernardino

Ad culmen perfectionis vt pertingatur.

Frater quidam ſciſcitabatur ex eo, qua ratione conſequi poſſet, vt apud populum eius fructuoſæ eſſent conciones,multaſque Domino animas lucrifaceret? Cui Bernardinus, Ante omnia, inquit, opera tua quæras regnum DEI & gloriam eius, cunctoſque actus tuos ad eius referas laudem & honorem, in fraterna dilectione perſeuerans: priuſque facias opere, quod populum docere vis. Ita fiet, vt ſpiritus ſanctus doceat te intus omnem veritatem, quæ tibi & populo ſit neceſſaria, detque tibi os & ſermonem,cui non poſſint reſiſtere aduerſarij tui. Hoc ſalutare conſilium vir ſanctus in ſeipſo expreſſerat,vti poteſt aduerti ex ſuprà dictis, & pòſt dicendis.

Cap. 17.

Quemadmodum autem ſpiritus ſanctus dona ſua ſpiritalia ei inuiſibiliter infuderit, eique illapſus, ignito ardore ſuo linguam eius facundam & diſertam reddiderit, miraculum ſubiectum luculenter demonſtrabit. Volebat ille in quodam Eccleſiæ Concilio generali Græcos,qui ei intererant, veram ſalutis & veritatis viam docere: ſed magno animi dolore cruciabatur, quòd illorum non calleret idioma. Secum autem cogitans admiranda DEI opera, & vt ille ſuis Apoſtolis contulerit, vt poſſent omnium gentium linguis loqui: obnixè rogabat eum, largiretur Græcis intelligentiam eorum, quæ dicturus eſſet ad illos. Mox feruenti ſpiritu multa in Deum fiducia fretus, aſcendit ſuggeſtum,Græcèque concionatus eſt de Catholica fide Græcos ſummo ſtudio erudiens, ita vt mirarentur omnes, dicerentque eum non minùs probè nòſſe Græcè, quàm ſi in Græcia natus eſſet. Sed Deus mouebat linguam eius,& loquebatur per eum. Cùm enim à ſuggeſtu deſcendiſſet, & omnes laudarent eius Græcè dicendi facultatem & copiam: ille Deo ſoli honorem omnem tribuens, manſit expers Græcæ linguæ, vt antea fuerat.

Cap. 18.

Actor. 2.

Concionatur Græcè ad Græcos, cùm neſciret Græcè.

Omnes mundi huius opes planè pro nihilo putabat. Si ei teſtamento legatæ eſſent magnæ eleemoſynæ, quibus cœnobia ſua extrueret, pecuniam eiuſmodi nec aſpicere, nec contrectare, nec conſeruare volebat. Concionabatur aliquando Mediolani præſente Duce, in eiuſque arrogantiam ſeuerè & fidenter admodum inuehebatur, quòd eius literæ ita acciperentur, vt propemodum diuinus quidam cultus eis impendi videretur. Hortabatur autem populum, vt mundum & eius inanem gloriam nihili penderet. Dux verò id ſentiens, grauiſſimè in illum commoueri cœpit, aitque niſi ab eiuſmodi ſermonibus abſtineret, ſe omni ſuppliciorum

Cap. 19.

genere excruciatum illum è medio ſublaturum. At Bernardinus ea re mirificè exhilaratus, retulit ad populum quid Princeps ipſi minatus eſſet, orauitque ne ipſum defendendum ſuſciperent, paratum ſe dicens ad perferendum pro veritate martyrium: rurſuſque palàm illum morem reprehendit. Ea ſancti viri conſtantia fractus & perterritus Princeps, non auſus fuit vllas porrò minas ei intẽtare. Aderat tum illi Principi quidam non bonus conſultor, qui diceret ei: Si vis Bernardinum corrumpere, mitte illi poculum nummis aureis plenum: quos ſi receperit, poteris dicere populo, docere Bernardinum amplectendam paupertatem, & opes contemnendas: ſed illum tamen id non præſtare, quippe qui multam à te pecuniam acceperit. Placuit ſummoperè id cõſilium Principi. Itaque exploraturus, num opere faceret, quod verbo doceret Bernardinus, miſit ei poculum, in quo inerant aurei nummi, quos ducatos vocant, quingenti. Affertur à nuncijs Ducis pecunia illa Bernardino, aiunt ex deuotione eam mitti à Principe, vt vtatur ea ad res neceſſarias ſibi comparãdas, et prout libitum ſibi fuerit. Bernardinus verò noluit eam recipere, iuſſitque dici Principi, ſe ea opus non habere. Refertur ergo pecunia ad principem, ſed rurſus verſutus ille conſultor inſtigat eum, vt denuò eam mittat Bernardino, mandetque, vt ſi ad priuatos eam accommodare nolit, conferat in fratrum ſuorum vſus, & ad monaſterij ſtructuras. Redeunt cum aureis nuncij ad Bernardinum, explicant mandata Ducis. Ille reſpuit planè. Aiunt illi: Quid ergo his faciemus, quando Princeps iuſſit ne ad ipſum illos reportemus? Tum Bernardinus: Si ita, inquit, ſe res habet, & mihi pecunia hac licet vti pro meo arbitratu, ſequamini me præeuntem. Ducit ergo eos ad carceres Senenſes, quibus tenebantut ære alieno preſſi: rogat ex ſingulis quantum debeant, iubet tantundem illis numerari è pecunia Ducis. Id cùm factum eſſet, omnes liberati ſunt, demptis duobus, ad quos redimendos pecunia non ſufficiebat. Tum illi miſeri cœpere lachrymas fundere, Bernardini amplecti genua, rogare ne ipſis deſit. Flexus ea re vir pius, motuſque miſericordia non ſine lachrymis ait ad illos: Quæſo, chariſſimi, ne vos animi dolor occupet. En ego polliceor vobis me daturum operam, vt liberi hinc recedatis, quod ſi non poſſim, me locum veſtrum ſubiturum. Id vbi plebs reſciuit, plerique multa permoti miſericordia, captiuos illos è cuſtodia dimiſerunt. Dux autem videns non redire pecuniam ſuam, ait ad aulicos ſuos: Frater iſte dicit ſe pecuniam ducere pro nihilo, at re ipſa aliud teſtatur. Nuncij autem cùm reuertiſſent, vt Duci referrent quo pacto illi aurei à Bernardino expenſi eſſent, omnem de Sancto viro malam ſuſpicionem, odium & inuidentiam prorſus à ſe reiecit, mundique contemptorem & laudauit egregiè, & maiori deinde reuerentia proſecutus eſt.

Contemnit minas. *Tentatur eius integritas.* *Reſpuit magnã aureorum ſummam.* *Redimit captiuos.* *Vide eximiam eius charitatem.*

Cap. 40. Quicquid moleſtiæ, incommodi, penuriæ ſancto viro accidiſſet, tranquillo animo placidè ferebat, ſemper laudans Deum & illi gratias agens. Aduerſa correptus valetudine adeò ſe patientem exhibuit, vt ægrè poſſet animaduerti, ſanú ſne an ægrotus eſſet. Laborauit quandoque dyſenteria ad annos quatuordecim, nec tamen idcircò deſijt prædicare verbum Dei. Poſteà conſulente Pontifice Eugenio, factus eſt Vicarius generalis fratrum de Obſeruantia in locis Ciſmontanis, inſtituente cum reuerendiſſimo in Chriſto patre, fratrum Minorum Miniſtro generali, & Pontifice Eugenio ſuis literis confirmante. Atque ita primus ille declaratus eſt Vicarius generalis fratrum de Obſeruantia, cuius ipſe author fuerat. In gubernandis autem & viſitandis fratribus & ſororibus, eius curæ commiſſis, multa vtebatur prudẽtia, ſic que ſe gerebat, vt laude non mediocri dignus haberetur, creuitq; indies ſub illius ſigni grex ille ſpiritualis. Nolim ego hic tacitus præterire facinus eximium, ab illo Aret diuina prouidentia perpetratum. Extra mœnia vrbis eius fons antiquus fuit, iam olim temporibus illis, quibus idololatria regnabat, impuris dæmonibus dicatus. Solebar cô ciues Aretini & alij circumquaq; vicini tanquam ad oraculum Apollinis conflu re, reſpõſa petentes ad occultas quæſtiones ſuas, & morborum ſuorum curationes. I verò animaduertens Bernardinus, verus Chriſtianæ religionis cultor & amator, a uerſùs hunc dæmonum cultum fortiſſimè ſeſe erexit, & primò quidem concione a populum habita & abſoluta, magnoperè omnium confirmatis animis, hortat eſt eos ſequi ſe ad demoliendam impuriſſimorum dæmonum habitationem, pro ſuſque abolendam. Mox verò arrepta ſecuri vel malleo, cum populo egreſſus ad fontem: cumque ad fanum dæmonis perueniſſet, primus ipſe ictibus cœpit cõru dere, eueritque aram, & fontem lapidibus penitùs obturauit. Eodem autẽ loco ple inſignem condidit ædem in ſanctiſſimæ Virginis Mariæ honorem, quæ illic quo

Admirãda eius patientia. *Fons dæmonibus dicatus.* *Eum vir ſãctus prorſus deſtruit.*

dien

die magna edit miracula: roganteq; Bernardino, Eugenius Papa quotannis in Natiuitate eiuſdem Virginis magnas illi condonationes ſiue indulgentias contulit.

Referam hoc loco aliud quiddam memorabile. Concionante aliquando Bernardino Mediolani, peracta concione venit ad eũ quidam egregiè ſtrenuus miles, Chriſtophorus nomine, qui Mediolanenſi principi duodecim equis militarem nauabat operam: petijtq; ab eodem ſancto viro, quid ipſius ſaluti exiſtimaret conducibilius, vitámne ſectari religioſam & monaſticam, vel ſuo more fidum Principi exhibere miniſterium. Ait autem ad eum Bernardinus: Præſtat, mi Domine, longeq; magis expedit ſaluti animæ tuæ, ſeruire ſummo regum regi, quàm mortali principi. Iis verbis Chriſti ſpiritus compunxit illius nobilis viri pectus, idq; adeò permouit, vt ad ſancti viri pedes aduolutus, obnixè rogaret ab illo ſe recipi in Franciſcanorum ſodalitatem. Examinauit autem vir ſanctus eius vitam, propoſuitq; ei, deinceps viuẽdum eſſe in paupertate, caſtitate & obedientia, in ieiunijs, in pœnitentia, multiſq; corpori incommodis & moleſtijs. Ad ea verò ſe promptiſſimum illo offerente, illud ex Euangelio attulit Bernardinus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me. Id quoque vir nobilis ſe ait libentiſſimè facturum. Tum Bernardinus manus ſuas eius vertici imponens: Abi, inquit, & quod dicis, re ipſa confirmes: Nam Dei gratia quandoque eris Chriſti deuotus & fidus miles atq; miniſter. Cùm autem Bernardinus eum veſtiret habitu monaſtico, ex contactu manuum eius, quas illius capiti impoſuerat, tantum intus & foris ſenſit ardorem & deuotionem, ac ſi manus & brachia eius vſque ad cor igni liquefacta diffluerent, ſicut ipſe teſtatus eſt. Fuit verò idem vir nobilis etiam tum, cùm militiæ daret operã, moribus honeſtis & corpore caſtiſſimus: nunquàm luſit aleam, nunquàm per Deum aut ſanctos eius temerè iurauit, quemadmodum ipſe de ſe indicauit quibuſdam familiaribus amicis ſuis, qui hæc ſcripto prodiderunt.

Cap. 41. | Quidã ſtrenuus miles fit Franciſcanus. | Matth. 19. | Raræ probitatis exemplum in milite.

Signa admiranda & præclara miracula, à Bernardino quotidiè patrata, eximiã eius declarabant ſanctitatẽ & concionum veritatem. Ex iis quædam annotabo, omiſſis plurimis, ob nimiam vitandam prolixitatem. Fecit quandoq; ſermonem apud Reatinos, & populo ad eum audiendum concurrente, vir quidã, Ioãnes Antonij dictus, filiam habens anniculam, in cuius corpore duo erant ſæua vulnera, omnem chirurgorum operam eludentia: ex altero enim erumpebat flatus ex vbere, & per alterum viſebantur inteſtina: eam ipſam filiolam poſt concionem attulit cum vxore ſua ad cœnobium Franciſcanorum, quod eſt in vrbe illa, vbi ſuum Bernardinus hoſpitium habebat: procidenteſque ambo in genua, filiolam coram Bernardino deponunt, vulnera & miſeriam eius illi oſtendunt, orantes ſummoperè eius vt miſereatur, & feruentibus precibus ſuis eam ſanet. At vir ſanctus dolens vicem infantulæ & afflictorum parentum eius, oculis ſurſum placidè erectis, cruce conſignat infantulam, aitque parentibus eius, vt benè fidant Deo: fore enim, vt Dominus ei propitius fiat. Quod etiam ita euenit, nã poſtridiè manè incolumis apparuit, ſolis vulnerum cicatricibus in corpore remanentibus. Itaque gratias illi egerunt Deo & ſancto Bernardino.

Cap. 42. | Crucis ſignõ ſanat puellam miſerrimam.

In ciuitate Pratenſi tota Quadrageſima gratiſſimas ad populum habuit conciones, iamque ad Paſcha aliò volebat proficiſci, docturus verbum Dei. Ecce autem totius oppidi Pratenſis ciues frequentiſſimo numero veniunt ad eum præ ſingulari erga illum amore & deuotione, vt vltimam eius percipiant benedictionem: adeo verò cingunt illum vndiq;, vt extra vrbis portas non poſſet egredi. Ita ergo intra extimã & intimã portam cõcluſo illo, bos quidam indomitus, tanta populi multitudine exterritus, proſilit è ſtabulo, & ad portam contendens, multos pedibus & cornibus humi proſternit. In iis autem adoleſcentem Nicolaum Laurentij tam ferociter inuaſit & cornibus appetijt atq; contudit, vt pro mortuo è terra ſublatus ſit. Repentè exiſtit clamor populi, adoleſcentem hũc à boue peremptum. Audiens id Bernardinus, multùm ingemuit & ait: Quicquid boni in hac vrbe Deus effecit, tartareus dæmon hac hora corrumpere & deſtruere vult, motuſque commiſeratione acceſſit ad locum vir ſanctus, vbi adoleſcens ceu mortuus iacebat: ſurſumque verſis luminibus, orauit Deum pro illo, crucis ſignum ei imprimens, dicenſq; ad turbam circunſtantem: Deo benè fauente, ſoſpes erit hic adoleſcens, tollite eum hinc. Nec ſecùs euenit, atq; ille prædixit. Nam cũ inde receſſiſſet, adoleſcens ſurrexit incolumis.

Cap. 43. | Precibus & Crucis ſigno reſtituit penè exanimem.

Quando primùm Romæ concionari cœpit Bernardinus, Andrea mulier mira de illo referri audiuit. Habuit autẽ nepotem, cuius ipſa erat auia. Quinquẽnis fuit is puer, admodum laborans morbo regio. Auia autem eius non mediocriter confidens ſancti

Cap. 44.

viri meritis, attulit ad eum puerum hunc, orans vt Deum pro illo deprecaretur, & ſanitatem ei obtineret. Paucis ei reſpondit Bernardinus: Quod tu petis à me, id præſtant homines ſancti & amici Dei, at nihilominùs eas tu cum proximis huius pueri cognatis, & confiteamini peccata veſtra. Inde reuertaris ad me, & ego Dominũ rogabo pro puero. Poſtquàm ergo confeſſi fuêre peccata ſua Andrea & cõſanguinei pueri, poſtero die rediјt mulier cum puero ad Bernardinum in cœnobium Aræ cæli, vbi hoſpes degebat apud Minoritas. Tum verò primũ obtulit Deo preces, Deinde Crucis ſignũ in puerum edidit, isq; quamprimùm virtute Dei & S. Bernardini meritis perfectè reualuit, nec vnquam poſteà recidit in morbum illum.

Item puerũ regio morbo afflictũ.

Cap. 45. Spoletij fœmina quædam fuit ex multa corporis ægrotatione contracta, ita vt nec manu poſſet cibum in os inferre: atq; interdum tam immanes ſentiebat corporis cruciatus, vt furore aut inſania correpta videretur. Ea ergo ad Bernardinum ſe contulit, à quo ſigno Crucis munita, repentè conualuit, & per ſe à terra ſurrexit. Præbuit ea res occaſionem laudandi Deum Spoletinis vniuerſis.

Miraculum

Cap. 46. Aretij aliquando tota Quadrageſima prædicante Bernardino, & populum docẽte de ijs, quæ ad illorum ſalutem æternam pertinerent, contigit vt quodam die ſermonẽ habere vellet in æde ſanctiſſimæ matris Dei, quæ eſt extra vrbis portam, ſed ob nimiũ populi concurſum cogeretur in cœmeterio ſub dio concionari. Vbi cũ in media iã verſaretur concione, largiſſimi è cælo lapſi imbres populum coëgerunt ſub tectum confugere, illo ſolo in ſuggeſtu remanente. Hortabatur ergo plebem, vt vnà ſecum rogarẽt Dominum, quò poſſet inchoatum abſoluere ſermonem. Cumque versùs cælum Crucis ſignum expreſsiſſet, mox pluuia repreſſa eſt, rediјtque plebs ad audiendum eũ. At poſtquam ſermonem pertexuit, & populus in oppidum reuerſus fuit, confeſtim magna pluuiæ vis ruit è cælo, tanquam ſi vrnis aquæ effunderentur. Aiebant tum homines, ſancti viri meritis frenatos fuiſſe imbres, donec dicendi finem feciſſet.

Signo Crucis coercet imbrem.

Cap. 47. In ciuitate Aquila vicus eſt, qui S. Crucis dicitur, in eoque locus quidam S. Mariæ appellabatur. In eo concionem quandoque piјſsimam habuit Bernardinns de illa ſingulari Virgine & Domina noſtra coram Dynaſtis quibuſdam & Principibus & Ducibus, ingentique populi turba. Intererat huic concioni etiam Alphonſus Aragonenſis & Siciliæ rex Thema huius ſermonis ſibi propoſuerat vir ſanctus in honorem matris Dei verba illa ex 12. capite Apocalypſis Ioannis Euangeliſtæ: Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Quæ ille verba aptiſsimè accommodauit ſenſu ſpiritali ad ſacratiſſimam Virginem, multa eam prædicatione efferens, & duodecim ſtellas interpretans totidem principales virtutes & chariſmata, quibus illa ornata fuit. Cumque primam ſtellam exponeret eius virgineam & immaculatam † puritatem, ſole ardentiſsimo, & radiantiſsimo viſa eſt ſupra caput Bernardini ſtella mirè elegans & luculenta, quæ etiam ſolis ſplendorem ſuperaret. Ea conſpecta, valdè territus eſt populus, neſciẽs quid portenderet. Videbant enim illam ſuos radios in ſancti viri faciem vibrare, adeò vt ille ſplendere videretur. Tandem non abſq; magna plebis admiratione euanuit. Fuit autem illa ſignum illud magnum, quod apparuit in cælo Chriſti Ieſu mater Maria, ineffabili charitate reſplendẽs, indicare volens hunc ſanctum Dei hominem, ſuumq; peculiarem miniſtrum, totius religionis & ſpiritalis vitæ exemplar eſſe, & vas atq; ſpeculum virtutum omnium: qui paulò pòſt in ea vrbe diem eſſet clauſurus extremum, & in æterna beatitudine ſublimiter coronandus & exaltandus foret: quod quidem etiam ſic euenit, vt pòſt dicturi ſumus.

† nobilitatẽ

Stella illuſtris viſitur ſupra caput eius concionantis.

Cap. 48. Ea tempeſtate Sigiſmundus electus Romanorum Imperator, vt à Pontifice coronam acciperet, Romam profectus eſt. Cumq; veniſſet Senas, vbi tum erat Bernardinus, ſummo tenebatur deſiderio eius videndi, & cum illo amicitiam contrahendi, quippe de cuius ſanctitate permulta accepiſſet. Itaq; quotidiè inuiſebat eum, aut eius audiebat concionem, vel Miſſam, vel ad ſe illum euocabat. Quòd ſi diem vnum ſine illo fuiſſet, eum ſibi perdidiſſe videbatur. Fuit autem idem rex à Senenſibus honorificentiſſimè acceptus, manſitq; illic ad nouem menſes perpetuos, quòd necdum inter Pontificem & ipſum omnia ſatis tranſacta eſſent. Sed præter alios magnos Principes & Dynaſtas, etiam ipſi Senẽſes ſuos ad Pontificem legatos miſerunt, ſummoq; ſtudio effecerunt apud illũ, vt certũ præſtitueret diẽ, quo vellet ipſe Sigiſmundũ electum ceu legitimum Romanorũ Imperatorẽ coronare. Atq; eo nuncio percepto, Sigiſmundus Romã abiјt, aſſumpto ſecũ Bernardino, quo mirificè delectabatur. Cũ autẽ ab Aquila exiret cum Sigiſmundo Bernardinus, quidam tector vidit eum ex tecto per vicum e-

Sigiſmundus Imperator quanti illum fecerit.

qui.

quitantem,altaq; voce clamitãs & ſanctum virum irridẽs. Quônam,inquit,iter habet noſter Pontifex? Vix autem ea prolocutus,magno flãte vento,decidit à tecto in terrã, non mediocriter quaſſato & læſo corpore. Ad ſe autem reuerſus,agnouit culpam ſuã, iubensq; ſe apportari ad Bernardinum,rogauit eum vt Cruce ſe conſignaret. Fecit id vir pius,& ſtatim abijt incolumis tector ille. Vltio in irriſorem tanti viri.

Poſtquam coronatus fuit Sigiſmundus Imperator,Bernardinus Senas redijt, multosq; compoſuit pios libros,Chriſtianis omnibus vtiles & ſalutares. Fuerat ille à puero in bonis operibus educatus,ſemperq́; virtutum ſtudioſus in finem vſq; permanſit. Nunquam auertit pedem extra vias rectas,nec à primo tepuit propoſito:porrò ſuprà quàm dici queat ſemper in id animum intendit,vt corporis & animæ puritatem integram conſeruaret. Itaque cùm in vrbibus concionaretur,ferre non potuit, vt viri & fœminæ inter ſe pariter conſiderent,ne qua libidini præberetur occaſio.ſed ſedere cogebantur ſeparatim,atque inter vtrosq; ingens ſuſpendebatur tapetum, ne alij alios reſpicerent,ſed ad ſermonem animos attentiores adhiberent. Cap.49. Vide zelum caſtitatis.

Concionabatur aliquando vir ſanctus apud Senenſes,ſedebantque hûc in modum ſeiuncti viri ac mulieres,eum auſcultantes:at tamen quidam laſciuus adoleſcens illo inuito ſtabat tali loco,qui eſſet fœminis oppoſitus,vt vel animo ſuas expleret libidines.Senſit id vir Dei,hortatusq; eum eſt,vt aſſideret inter mares. At ille contempſit hoc,manſitque confidenter in loco ſuo.Eum contemptum optimæ inſtitutionis ſuæ non ferens vir ſanctus,ait palàm ad eum: Ecce ego dico tibi,adoleſcens, qui iſthic ſtas impudenter & audacter,auratis indutus veſtibus,non parum vereri me mala morte te periturum.Idque ſic accidit,quando poſteà ob ſua flagitia & maleficia tanquam latro apud Anconam capite plexus eſt. Cap. 50. Predicit malam mortẽ laſciuo adoleſcenti.

Fœmina quædam inſanabili laborans morbo,præ magna erga S. Bernardinum deuotione cupiebat tangere veſtes eius,ſperans ſe earum contactu ſanatum iri. Expectabat igitur eum clàm loco quodam,quo erat tranſiturus: videnſque illum, mox ſe ſubmiſit ad pedes eius,volens tangere extremam oram cuculli eius. At vir Dei,qui nullã vnquam fœminam ad ſe propiùs accedere pateretur,nec cum vlla fœmina, demptã confeſſione,ſolus colloqueretur,primò equidem turbatus fuit eius inopinato tactu, ſed comperta eximia fidei eius deuotione,tulit moderatè:moxque illa mulier ſic reſtituta eſt,ac ſi nunquàm malè habuiſſet. Cap. 51. Inſigne miraculum.

Apud Peruſinos certis temporibus ludi quidam execrabiles quotannis ab armatis hominibus exercebantur. Communiebant ſe ciues,eo ludo inter ſe congreſſuri,armis loricis,thoracibus ferreis,galeis,diuerſiſque alijs rebus,nec pauci in eiuſmodi conflictu moriebantur,pœnas daturi ſempiternas. Vbi Peruſiam venit S. Bernardinus,deteſtabatur hoc exitiale certamen, curauitq; omne genus armorum,quibus in illo vti cõſueuerant,prorſus conterendum atque conſcindendum:& ex conſenſu publico conſtituit,magnis propoſitis pœnis in immorigeros,ne deinceps in ea vrbe eiuſmodi ſatanica certamina fierent.In eadem vrbe alio tempore acerbiſſima inter ciues extitit diſcordia. Eam animaduertens Bernardinus,maximoperè hortabatur populum ad mutuam pacem, ita dicens: Dominus Deus videns diſſenſionem veſtram , quam ille valdè odit,me vt angelum ſuum miſit ad vos,vt annunciem in terris pacem hominibus bonæ voluntatis. Deinde quatuor ad illos habuit conciones,quibus ad animorum ſuauiſſimam conſenſionem eos incitabat,in vltima concione eiuſcemodi vtens verbis: Quotquot bona ſunt præditi voluntate,& cum proximis ſuis pacifici degere cupiunt,ad latus dextrum ſe conferant:cæteri qui dictis nolunt parere meis,ad ſiniſtrum tranſeant. Tum verò plebs omnis Deo volente ad dextram ſe recepit: vnus ſolus nobilis & præpotens adoleſcens cum famulis ſuis manſit in parte ſiniſtra, acerbè muſſitans aduersùs virum Dei,& eius ſalutares admonitiones floccipendẽs. Eius animum malè obſtinatum & peruicacem ſuperbiam cernens Bernardinus, ſic eum compellauit: En tu ſolus iſthic ſtas,ſuperba obſtinatione tua contemnens id,quod ego verbis Dei populo conſului. Iterùm ergo Dei nomine hortor te,vt proximis tuis ex animo remittas,quicquid illi vel in te vel in familiam vnquàm perperàm commiſerunt, recedasq; hinc in partem dexteram. Quòd ſi mihi non obtemperaueris,certus eſto non te viuum reditu rum in domum tuam. Irriſit ille ſancti viri vaticinium , delirare eum dictitans,qui ei velit adhibere fidem:nec voluit ſe accommodare dictis eius. Ecce autem vt calcare cœpit limen domûs ſuæ,nihil veritus diuinam vltionem, morbo eum inuadente repentè extinctus fuit abſq; Eccleſiæ ſacramentis, cùm necdum ingreſſus eſſet intrò in ædes ſuas,vti ei Bernardinus antè prædixerat. Cap. 52. Peruſiæ tollit abuſum quendam. Alteri adoleſcenti prędicit mortẽ ſubitaneã. ni reſipiſcat

Cùm

Cap. 53. Cùm aliquando Romæ concionaretur vir ſanctus, eſſetq; corporis admodum in
becilla valetudine, pia quædam matrona miſit ei aromata vel confectiones, quibus p
ctus ſuum corroboraret. Ille verò ſeuerus corporis ſui caſtigator, qui illud affliger
quàm fouere eiusque commodis ſtudere mallet, nuntio aromata afferenti dixit: Eg
his rebus non indigeo: ſed eas in vicum, & quæras hominem ex afflictiſſima valetu
ne decumbentem, dicasque ei verbis meis: Frater Bernardinus mittit tibi hæc arom
Præclarum miraculum ta ipſi miſſa, vt tu ijs in nomine I E S V vtaris, teque confirmes. Mira res. ſimulatq
guſtauit æger ille aromata, è lecto ſanus ſurrexit. Nimia prolixitate oneroſus e
ſi cuncta eius miracula ſingulatim enumerare velim, quæ tamen populo circu
quaque ſunt notiſſima, certisque teſtimonijs confirmata. Neque enim ille v
quàm, donec in viuis erat, aut ab operibus bonis, aut à miraculis patrandis otio
fuit.

Cap. 54. Poſtquàm autem Deo viſum fuit laboribus eius finem imponere, extremo an
vitæ illius hanc ei adſpirauit cogitationem, vt inuiſeret patriam ſuam, ciuesq; & ſo
les ſuos, eorumq; animos excitaret ad amandum Deum, & eius mandata ſeruanda.
nit ergo Maſſenam, vbi natus fuerat, ſicut ſuprà dictum eſt, & tota Quadrageſima
docens è ſuggeſtu verbum Dei, cum multo labore, nihil ſibi parcens, populum cæl
manna ſatiauit, & ſitim eius potu ſalutis expleuit, ſpiritalibusque eos conſolatio
bus abundè refecit. Factum autem tunc ibi diuinitus eſt ſingulare quoddam mira
lum, vt ſempiterna apud illos Bernardini memoria conſeruaretur. Cùm enim
quando prædicaſſet populo, repeteretque hoſpitium ſuum, Hiſpanus quidam le
admodùm horridus & deformis ei obuiàm venit, viſendi eius cupidus. Ciues aut
moleſtè ferebant illum hominem ire per oppidi ſui plateas: itaque bonis verbis ex
vrbem eum educebant. At ille poſtridiè clàm rurſus venit in vrbem, rogauitque
militer Bernardinum, vt calceos ipſi daret, quibus pedes tegeret, cogebatur en
Singularis benignitas eius in leproſum. præ inopia ire nudis pedibus, qui valdè intumuerant & morbidi erant. Motus
ſericordia erga miſerum hominem vir ſanctus, dedit ei calceos ſuos, à ſuis pedi
detractos, verum diſcipulum & legitimum filium ſeſe hocipſo declarans patris
Franciſci, qui ſe nudauit, vt pauperem militem veſtiret: quod quidem etiam i
lijs ſæpè fecit ſimiliter, cum ſancto Martino libenter de ſua paupertate impertien
lijs. Larga enim miſeratio erga inopes & calamitoſos homines ab infantia creu
cum illo. Sed audi iam, quid leproſo contigerit. Cùm illis calceis ſuos induiſſet
des, mox ab oppido egreſſus eſt, parumque progreſſus, ſenſit calceos plenos calc
vel ſilicibus, quibus ſaucij pedes eius attererentur. Soluens ergo illos à pedibus,
purgare voluit, & ecce videt eos plenos tanquam piſcium ſquamis, pedesque
Sanatur leproſus à pedibus vſque ad genua. vſque ad genua ſanatos. Impenſe igitur laudans Deum, iucundiſſimo animo
perexit, calceis ad pedes alligatis rurſusque paruo emenſo viæ ſpatio, videbatu
bi calceos arena & lapillis refertos habere, ijsque pedes compungi. Denuò e
exuit calceos, cernit ſquamas, vt anteà, ſeque vſque ad renes curatum. Vber
Mox vſque ad renes. inde concepto gaudio, adiungit calceos pedibus, lætabundus & D E O gratia
gens, ſanctique Bernardini meritis ſe commendans, cœptum iter proſequitur
Deus ſempiterne & immortalis, quiſnam poſſit ſatis eſſe tuis enumerandis be
cijs! Tertiò cogitur vir ille poſt breue itineris ſpatium detrahere ſibi calceos, &
Totus reualeſcit. cutere ſquamas. Tum verò ſenſit ſe integra ſanitate potitum, atque inde inc
bili lætitia affectus, redijt ad vrbem, totoque pectore ingentes Bernardino gra
egit, quòd eius meritis à lepra repurgatus eſſet. Audiens hoc ſeruus Chriſti Ber
dinus, D E O concedens honorem, eius inexhauſtæ miſericordiæ & bonitati
tias egit, præcepitque homini reſtituto, vt Deum in eius operibus laude & pr
catione efferret, nec cuiquam vnquàm, dum ipſe viueret, hoc miraculum in
ret.

Cap. 55. Poſteà vir Dei reuerſus eſt Senas, habuitque conciones feruentes, præſertim de i
tia & bona politia eius ciuitatis: & cùm benè precatus eſſet eis in virtute Dei, eis v
dixit, ſciens ſe deinceps nunquam apud illos concionaturum. Poſtera luce cœpit
ficiſci ad regnum Neapolitanum: veniensque ad Reatinos, diuinis illos pauit ſer
nibus, ijsque itidem benè precatus, inde receſſit, peruenitque ad aliam vrbem, in
Vltima concio eius. poſtremò concionatus eſt manè ſexta feria ante Chriſti Aſcenſionem. Ibi, inqu
mellitiſſimi eius ſermones finem habuêre. Dicebat enim ille, moleſtum curſur
graues labores ſuos iam conſummatos eſſe: ſatisque nôrat ex Sancti ſpiritus r
latione, ocyus ſe à terra emigraturum. Abijt autem ex eo loco aſello ſubue
& c

& cùm ad quandam veniſſet plateam, vbi magna erat populi frequentia, auidiſſimus quidam erat pro concione illos docendi, ſed virium imbecillitas id non patiebatur. Poſtridie mane admodùm, morbo plùs plusq; ingraueſcente, multa inſtantia petijt ſe Aquilam vehi. Non recuſabant fratres, ſed ob nimium ventris fluxum non potuit illo die Aquilam peruenire: manſit autem cum fratribus in pago S. Syluestri. Dominico die, morbo ſemper incrementa capiente, Aquilam introductus eſt, & magna populi deuotione & gratulatione exceptus: perductusq; in S. Franciſci cœnobium, cellulā accepit Ioannis Capiſtrani, qui tū ob expediēda quædā negocia extra vrbē egreſſus fuerat, & in eius lecto repoſitus eſt. Illo autem iubente, euocati ſunt ad virum Dei Medici peritiſſimi, quotquot haberi potuerunt, qui omnes de vita eius deſperantes, aiebāt filium mortis eum eſſe. Nulla enim ratione fluxum illum ventris coercere potuerūt. Sciens quoq; vir Dei mortem ſibi imminere, pridiè Aſcenſionis Domini cum multa præparatione & deuotione ſacramentis Euchariſtiæ & extremæ Vnctionis ſe cōmuniuit. Morte aduentante, cùm loqui non poſſet, quibus potuit ſignis indicauit fratrib. vt ipſum è lecto in terram deponerent, ab hac lachrymarum valle receſſurum. Itaq; fratres a lecto in cellæ pauimentum aſſeribus ſtratum eum depoſuerunt, vbi ille ſurſum erectis luminibus, ſpiritum ſuum in Dei manus commendauit, feliciterque è corpore exceſſit † viceſimo menſis Maij die, pridiè Aſcēſionis Domini, anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimoquarto, cùm in Veſpertinis precibus fratres concinerent illam ad Magnificat Antiphonam: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi: nunc autem pro eis rogo, non pro mundo: quia ego ad te vado, alleluia. Vixit in terris annis ſex & ſexaginta. Viginti duobus annis in ſeculo, reliquis in monaſtica profeſſione degit: quadraginta multo labore Dei verbum prædicauit paſſim per regiones omnes, nullo vnquàm tædio retardatus. Ita ergo felix illa anima, quæ ſemper magno arſerat deſiderio ex corporis huius vinculis emigrandi, & cum Chriſto æternum regnandi, vitæ temporariæ nexibus expedita eſt, atque ex mundi huius inopia ad illas cæleſtes opes, ex hac miſeria ad infinitam beatitudinē, ab hac morte corporis ad illam ſemper duraturam euolauit vitam, O virum ſanctum! cuius anima paradiſum obtinet, lætantibus angelis, gratulantibus archangelis, ſanctis omnibus iubilantibus, virginibus deniq; clamantibus: Mane nobiſcum in ſempiternum.

Spem vitæ eius medici abijciunt.

Obdormit in Domino

† 22.

Morte eius non mediocriter mœrebant fratres, acerbè lugentes quòd ſe deſtitutos cernerent ſuauiſſima præſentia eius: nec minùs tamen ſe cōſolabantur, quòd tam ſanctè obijſſe eum cernerent. Preparabant autem res neceſſarias corpori eius ſepeliendo, illud pro veteri more lauabant, alio eum cucullo induebant, veſtem verò, qua ſolebat vti, mittebant ad monaſterium de Capriola, quod eſt extra Senas, vbi eius libri & alia, quibus pro magna neceſſitate vti conſueuerat, aſſeruabātur: vbi etiam eius eſt bibliotheca, cuius codices ſua manu ipſe conſcripſit, vt eſt ſuprà commemoratum. Quo loco multa fiūnt quotidiè miracula in iis, qui illic eum viſitant, eius implorant opem, & veſtes attingunt. Apparabatur a fratribus arca, in qua conderēt corpus eius, illudq; Senas veherent. Quod vbi à non paucis animaduerſum eſt, in vrbe proclamarunt, ſanctum virum Bernardinum ſuum diem obijſſe. Moxq; in monaſterium accurrerūt ſinenumero viri, fœminæ, pueri, vt ſacrū eius corpus viderent & exoſcularentur. Magiſtratus verò vrbis Aquilę corpus illud è fratrum manibus quamprimùm abſtulerunt, extractumq; ex arca, in qua iam repoſitum fuerat, vt Senas aſportaretur, egregiè exornârunt, & quibuſdam fidis ciuibus cuſtodiendum tradiderunt, vt poſtero die coram omni populo illud in templo ſpectandum proponerent: miſeruntque ad vrbis Epiſcopum, rogantes eum, vt cum toto Clero ſuo velit intereſſe ſancti viri exequijs. Adduxeruntque ipſo Aſcenſionis Dominicæ die corpus eius in Eccleſiam ſanè quàm honorificè, vbi plebs omnis collecta erat ad illud conſpiciendum & deoſculandum. Tot autem edebantur illic ſtupenda miracula per merita & preces eius, vt de eius gloria nemo dubitare auſus eſſet: præpotentis Dei benignitate mirificis operibus ſuis ſatis declarante, animam ſerui ſui admodùm ſublimiter apud ſe in cælis exaltatam

Cap. 56.

Miracula ex contactu veſtiū eius.

Aquilini non ferunt corpus eius ſibi auferri.

Eadem hora, qua corpus eius in æde ſacra repoſitum fuit, priuſquàm Clerus ad eius exequias adueniret, puer nouem annorum, Paſchalis nomine, filius Pauli Matthæi, celeriter eò properauit, flexisq; humiliter ad extremas illius partes genibus, ſic precatus eſt: Credo firmiter, ſancte pater Bernardine, te cum ſanctis à Deo exaltatum. Ego miſer meipſum commendo tibi omni qua poſſum deuotione, orans ſum miſè, vt per merita tua mihi in anima & corpore opituleris. Solebat is puer cum cereis ſedere præ foribus templi, miſerè contractus & claudus. Poſtquàm autem has ſuas compleuit preces,

Cap. 57.

Puer contractus fit ſanus. ces, confeſtim præter omnem expectationem, vtroque pede ſanus ingreſſus eſt. Id verò conſpicatus Antonius Bagnenſis, ciuis Aquilinus, à primo ortu cõtractus & claudus in corpus exanime incubuit, videbaturque ei contractius crus ipſius admodùm exten-

Item vir quidam. di: mox rectus inceſſit pedibus ſuis, nihil prorſus claudicans, populum inuitans ad beati Bernardini venerationem. Vbi autem horum miraculorum fama in vicinas vrbes diuulgata eſt, grandi numero aduolârunt Aquilam iuuenes & ſenes, mares ac fœminæ, præ multo gaudio lachrymantes & dicentes: Adſis nobis S. Bernardine, & in omni neceſſitate tuere nos. Tanta autem fuit aduentantium frequentia, ſeſe comprimentium, & perſtrepentium atque clamãtium, vt Epiſcopus cum clero ſuo ægrè poſſet diuina officia peragere. Id verò cernens oppidi magiſtratus, de communi ſententia ſtatuit, vt ſacrum corpus extra ædem Franciſcanorum, quæ anguſta erat, per ciuitatem & forum ad S. Maximini primarium templum efferretur. Sequebatur funus ingens hominum turba, quibus plena erat vrbs illa inſignis, quæ vna eſt ex præcipuis eius regionis ciuitatibus. Accendebantur faces & cerei circum corpus, cùm pro ſe quiſque certatim vellent cohoneſtare funus: omneſque eius terræ homines gratias agebant Deo pro eius ineffabili gratia, & ſingulari ipſis dato patrono. Continebat Clerus, lamẽ-

Effectus iſte ſatis declarat eius ſanctitatem. tabatur populus præ gaudio, inter omnes coibat pax & conſenſio, qui tamen antè inter ſe acerbiſſimè diſſenſerant, ita vt ſeptem ex primarijs eius oppidi viris trucidati eſſent. Eam diſcordiam ab animis hominum aboleuit hæc incredibilis exultatio, & per beati Bernardini merita inſtaurata eſt inter illos amicitia & mutua beneuolentia, ita vt gratias agerent Deo, qui deſolatæ ipſorum ciuitati tam fidum contuliſſet ſequeſtrũ & interceſſorem.

Cap. 58. Reportatum inde corpus eius eſt ad S. Franciſci Eccleſiam, nec tamen terra illud condere voluerunt, ſed depoſuerunt in ſacello ferreis cancellis munito, adhibitis excubitoribus, qui nocte ac die illud cuſtodirent, donec arca ferrea, duodecim inſtructa ſeris pararetur, atque in eam illud imponeretur. Aduentabant autem diuerſi omnis generis afflicti morbis ex locis diuerſis, vt ſacro propinquantes corpori, beati viri meritis reualeſcerent: id quod multis præſtitum fuit. Contigit illo die inter alios ægros fratrem Benedictum à Marſito Minoritam adeſſe, membrorum officio deſtitutũ, dextra aure ſurdum & ingentes ſonos ac ſtrepitus tanquam moletrinæ aut malleorum incudem tundentium illic ſentientem. Is arripuit pannũ, quo exanime beati viri corpus poſt lotionem deterſum fuerat, illoq́; ſe inuoluens, poſtquam diligenter confeſſus erat peccata ſua, humiliter flexit genua ad pedes ſancti viri, orans ſibi ſanitatem reſti-

Surdo redditur auditus & vires. tui. Redijt ilicò auditus, ſenſuſque & vires inſtauratæ ſunt. Per illos dies quotidiè crebrò pulſabantur campanæ ciuitatis, populus ſuprà quàm dici queat lætabatur, cerei & faculæ ardebant nocte ac die in æde S. Franciſci, vbi cæleſte illud ſeruabatur pignus, vrbs tota exultabat. Homines mechanici ceſſabant ab operibus, agricolæ non colebãt

Obſerua rẽ miram. agros, ſed omnes pariter feſtos celebrabant dies. Atque eum in modum manſit ſacrũ corpus inhumatum ad dies ſex & viginti, nõ ſolùm nihil malè olens, ſed ſuauiſſimos etiam ſpirans odores coram omni populo.

Cap. 59. Interim autem, dum ſic in arca lignea iaceret corpus non ſepultum, magna extitit diſſenſio inter ſcabinos & ſenatores atque plebem vrbis illius. Vulgus enim in magi-

Seditio horrenda Aquilæ. ſtratum ſeditione excitata, alios poſt alios ad quæſtionem vi abripuit. Inſaniebat præ malitia furens populus aduersùs magiſtratum, nec vllam admittebat rationem: ſed lata ſententia, rectores ſuos & nobiles dominos, perinde ac tetros nebulones & cruentos latrones quam primùm iuſſit capite truncari. Non potuit magiſtratus aduersùs plebem ſe tueri, nec purgare ſe apud illos, qui nulla ratione ducerentur. Itaque ceu fures è carcere producuntur proceres, & ad cædis locum perducuntur: obligantur eorũ oculi, flectunt genua, anxiè ſuſtinentes carnificis ictum. Illo ſuum præparante enſem, auditur pueri vox, in aëre terribiliter clamantis. Ceſſate ab effundendo innoxio ſanguine, ſed ocyùs ite ad Franciſcanorum templum, affatim illic reperturi, quod tã perniti oſè expetitis. Stupent omnes ad hanc vocem, carnifex iubente plebe retrahit manum ſuam, proceres eleuat, diligenter eos cuſtodit, ne quà elabantur. Territus populus ob flagitioſum animi ſui propoſitum, rapido curſu contendit ad ædẽ S. Franciſci,

Stupendo ſanè miraculo ſedatur tumultus. & ecce vident omnes è naribus exanimati corporis ſancti Bernardini tanta copia manare ſanguinem, ac ſi è duobus fontibus largiſſima aqua proflueret: arca corpus continens tam erat plena ſanguine, vt corpus ipſum in illo nataret, ſanguiſque redundans operimentum arcæ eleuaret, veſtes quibus corpus indutum erat, cruentæ eſſent, ſanguiſque magis ac magis circuncircà difflueret, donec populus cum ingenti humilitate &

te & deuotione veniam & miſericordiam peteret ob id immane facinus. Ex eo autē ſanguine multi collegerunt in pocula vel vitra, eoq; diuerſi morbi admirabiliter curati ſunt.

Poſteà verò per omnē Italiam & Galliam togatā de ſancti viri deceſſu & quotidianis miraculis fama volitante, omnes eum non alio quàm ſancti cum Deo manentis loco habuêre: atq; in vrbibus, in quibus anteà concionatus fuerat, honorificè inprimìs eius celebratæ ſunt exequiæ coram omni populo & magiſtratu, ita vt potiùs videretur feſtus agi dies, quàm iuſta funeri perſolui. Plebs omnis multa in eum deuotione incendebatur: qui in longinquis erant regionibus, ſacrum corpus illius ſe viſuros vouebant. Cap. 60.

F. Iohannes Capiſtranus, ſocius viri Dei, & Vicarius generalis fratrum de Obſeruantia, doctor Iuris, concionator feruidus, cùm in Sicilia eſſet de Pontificis voluntate ob quædam conficienda negotia, vt cognouit patrem ſuum S. Bernardinum in cælos abijſſe, celeriter Aquilam redijt, vt eum curaret eleuandum & in ſanctorum catalogo adſcribendum. Poſtquam eò venit, ſocij eius viderunt micantem ſtellam illam media die, quæ iam antè viſa fuerat, cùm illic concionē haberet de ſacratiſſima Virgine Bernardinus. Mirabantur omnes, & alij alijs eam demonſtrabant. Vacabat tum lectioni in cella ſua Capiſtranus, concioni ſe præparans, videns autem admirabundos fratres, ſciſcitabatur quid rei iſthuc eſſet? Dicebant illi, ſe ſtellam videre luculenter radiantem, quæ olim ſupra caput Bernardini ſplenduiſſet: ſimulque oſtendebant eam illi. Vnde mirè exhilaratus, laudabat Deum & ſanctiſſimam matrem eius, ſpe bona fretus proſperè ceſſuros labores, quos ſuſceperat pro obtinenda Bernardini in ſanctos relatione, quibus tum non mediocriter occupatus erat. Poſtridiè iturus Romam ad Eugenium Pontificem cum ſocijs ſuis, itineris ducem habuit ſtellam illam, quæ prælucebat ei ſemper magna itineris parte. Porrò miracula, quæ quotidiè fiebant, teſtibus confirmata, in libros & inſtrumenta referebantur, & à multis Cardinalibus examinata, tandem à Pontifice & tota Eccleſia approbabantur. Permoleſtum autem & lectori & mihi fuerit, ſi vel partem eorum cōſcribere velim: impoſſibile verò ea omnia memoria retinere. At tamen pro maiori erga hunc ſanctum virum excitanda deuotione, tria aut quatuor ex præcipuis annotabo. Cap. 61. Videtur ſtella media die. Miracula eius approbantur.

Apud Aquilam ciuis fuit, filium habens menſes natum octodecim. Mater eius Buturella quandoque inuiſere voluit Mariam Burgenſem vicinam ſuam. Currebat autē poſt eam puſio iſte. Illa in domum ingreſſa, puer manſit ad fores, vbi ſtabat vas aqua plenum, ad duos vel tres cubitos profundè depoſitum in terra. Incumbente autē puero ad oſtium, verſo oſtio, cadebat puer in vas illud, neque videns aliquem, nec vllum edens clamorem: atque ita ab aqua præfocatus, manſit illic capite depreſſo, pedibus ſurſum verſis ad dimidiam horam, priuſquàm quiſquam id perſentiret. Loquebatur interim diù mater eius cum vicina ſua, exiſtimans filiolum ſuum cum alijs pueris ludere in platea. Domum reditura inclamabat puerum, ſed non veniebat, nec quiſquā nouerat vbinam eſſet. Perquirebat in angulis & vicis, num quis vidiſſet ipſius filium. Quærebat cum illa pariter etiam Maria, de qua diximus: cumque præteriret vas illud, vidit pannum in aqua eminentem: eum extrahere volens, cernit pedes pueri extra aquam extantes. Eo ſpectaculo mirè perterrefacta, matrem eius accerſit, dicitque ei: En filiolus tuus hìc extinctus iacet in vaſe. Repentè igitur extrahunt paruulū, ſed is iā planè ater & exanimis erat, ab aqua tumefactus, nihil vitæ præ ſe ferens. Ea re dolore incredibili confecta mater, miſerandum in modum eiulat, vellens pilos ſuos, & genas lacerans vnguibus haud ſecùs, quàm ſi faciem diſcerpere velit. Accurrunt ad eam vicinæ aliæ, & multùm dolent vicem eius. Aderat tum etiam inter alios Dominicus Vaſanus, tertium ſancti Franciſci inſtitutum vel regulam profeſſus. Is diuino inſtinctu permotus, hortatur populum, vt in honorem Dei & S. Bernardini pariter dicant precationem Saluatoris: poſſe, inquiens, Deum ſancti Bernardini precibus flexum, puero vitam reſtituere. Et prece completa, puer cœpit oſcitari, manabat à corpore eius aqua per oris, naſi & alios meatus, ſurrexitque benè ſanus & incolumis. Cap. 62. Redit ad vitam extinctus puer.

Baſileæ ciuis quidam Iohannes cum vxore ſua Margareta proficiſcebatur Aquilā, ſimulque illic commorabantur in S. Ludouici domo hoſpitali. Mulier puero grauida, laborare cœpit adeò, vt è vita abitura timeretur. Obſtetrix ſedulam illi nauabat operam, & primò quidem videbantur pedes infantis, ſed quantumcunque ſudaretur, reliquæ partes non ſequebantur. Prodijt tandem puer vſque ad collum mortuus, ſed caput præfocatum hærebat, nec potuit vlla ratione ei ſubueniri. Obſtetrix cum alijs Cap. 63.

fœminis inuocabat ſanctum Bernardinum, vt matrem viuam conſeruaret, & à partu abſolueret. Mox fœmina prolem enixa eſt coram omnibus illis mulieribus, ſed nulla in ea vita cernebatur. Rurſus pia obſtetrix, diuinæ fidens potentiæ, ſciens non abbreuiatam manum eius, reliquas fœminas hortabatur, vt toto pectore rogarent ſanctum Bernardinum, vt infans mortuus reuiuiſceret, & baptiſmi gratiam poſſet adipiſci. Faciebant id omnes, cum gemitibus & lachrymis ſancti Bernardini opem implorantes. Inde caleſcens puer, cœpit ſeſe commouere. Mox aquã obſtetrix accipiens, baptizauit eum in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Tum verò magis etiam ille cœpit recuperare ſpiritum, & oculos aperire. Lætabatur mater, & fœminæ ei congratulantes dicebant: Reuerà filius tuus viuit. Et manſit ille viuus, quotidiana capiens vitæ incrementa.

Eſa. 50. & 59. Item infans mortuus.

Cap. 64. Sæpè opitulatus eſt Bernardinus in partu laborantibus, illum tum inuocantibus, aut quippiam ex eius reliquijs apud ſe habẽtibus. Cùm adhuc nobiſcum in terris degeret, quatuor vita functos ad vitam reuocauit. Puer annorum decẽ, Carinus nomine, Aquilæ natus, triticum ferebat ad molam aquariam, vt moleretur. Abiturus inde, de improuisò calcauit pede molendini rotam, cùm ea circumageretur, ceciditq́; in foueam. In ipſo caſu inuocans S. Bernardinum: Subueni mihi, inquit, S. Bernardine. Extractus inde eſt ex aquis, quæ erant ſub rota. admotusq́; igni vt calefieret, ſurrexit, & incolumis domum abijt, gratias agens Deo, & S. Bernardino.

Miraculum

Cap. 65. Dominus Nicolaus Galiardinus filium habuit Benedictum, annos natum quindecim, valdè à peſte, febre, & alijs exitialibus morbis afflictum, ita vt Medici omnẽ ei viuendi ſpem præciderẽt. Allatum eſt ad eum de panno, quo opertum fuerat S. Bernardini corpus. Eo panno ad corpus ſuum appoſito, fricabat malè affecta menbra: ſtatimque in lecto ſe erigens, Gratias, inquit, Deo & S. Bernardino: liberatus ſum à morbis omnibus, & totus rectè valeo. Impoſuerunt deinde pannum illum capiti eius, moxque arctiori eum complectente ſomno, obdormiuit, cùm iam multo tempore nulla potuiſſet quiete potiri. Medici eò manè aduenientes, vt lotium inſpicerent, ſanum conſpiciunt, quem pridiè penè mortuum reliquerãt. Ita ille adoleſcens Dei ope & S. Bernardini meritis integra ſalute potitus eſt.

Mira vis pãni, quo tectum fuit corpus eius.

Cap. 66. Puella quædam Spoletina, cui nomẽ erat Polonica, in pectore habebat vulnus immedicabile, vnde totũ corpus multo dolore afficiebatur. Adhibebatur quidẽ à chirurgis curandi ſtudiũ non abſq; grãdi eius cruciatu, ſed nihil effici potuit: immò verò peius habere viſa eſt, vt iam non longè à morte abeſſet. Manè autẽ dixit ad eam mater eius: Filia chariſſima, commendes te S. Bernardino. Fecit hoc illa toto animo, ita dicens: O ſancte Dei Bernardine, libera me ab hac infirmitate mea. At ille miſericors miſerorũ & oppreſſorum omnium conſolator non ei ſuam negauit opem. Cũ enim nocte media vigilaret illa, apparuit ei S. Bernardinus, viſusq́; illi eſt crucem exprimere in vulnus ipſius, tenens eam per humeros. Deinde euanuit. Mox illa admodùm territa & ſtupefacta, matrem ſuam accerſiuit, aitq́; ei: Non ſentis, mea mater, miram odoris fragrantiam? nõ vidiſti fratrẽ illum, qui ſterit ad humeros meos? Mater verò putans illã ſomniâſſe, dixit ei: Dormi, filia, dormi. At illa non ſomniabat, ſed alta & lætabunda voce clamabat: Laus Deo & S. Bernardino: ecce enim ſana effecta ſum.

Sanatur vulnus fœminæ immedicabile.

Cap. 67. Fuit Senis in S. Hieronymi monaſterio ſoror quædam de tertia regula, quæ in puteum decidit, altum cubitos quadraginta: atq; interdum capite, nonnunquam pedibus eminebat extra aquam. Inter cadendum, memor illuſtrium miraculorum eius, S. Bernardinum inuocabat. Venientibus autem quibuſdam ad hauriendam aquam, apprehendit funem, & ſic ſurſum attracta eſt nihil læſa, adeoq; & corpore & veſtibus ſicca, ac ſi aquas non attigiſſet, nec quicquam aquæ euomuit ex ore ſuo.

Rarum miraculum.

Cap. 68. Ioannes Antonius Tornanus quodã veſpere in gutture & ſiniſtra ſcapula mortiferis fuit affectus vulneribus, ita vt nulla eius vitæ ſpes relicta videretur, nec vlla pharmaca vel cataplaſmata quicquam ei conferrent. Sed vbi humanum nõ ſuppetit auxiliũ, non ſolet deeſſe diuinum. Miſer iſte tam immaniter vulneratus, vt ægrè ſpiritum traheret, præ doloribus nocte mortem impendentem expectãs, viſus eſt ſibi ſentire quẽdam manu ipſum in latere percutientem, dicentemq́;: Non audiuiſti miſer, quàm præclara & ſtupenda Deus perpetret miracula per S. Bernardini merita? Cur ergo eius nõ imploras opem? ille hæc verba diligenter auſcultans, ſibijpſi animum addidit, commendauitq́; ſe S. Bernardino, orans feruenter ſibi ſalutem reſtitui. O mirabilem Deum in ſanctis ſuis! Audiuit pium hominis deſiderium & bonæ voluntatis propoſitum. Dixit enim æger: Si ſanus ſurrexero, ſancte Bernardine, viſam corpus tuum & ceream imagi-

Nuncupãs votũ S. Bernardino reualeſcit.

imaginem offeram. Vix ea dixerat,cũ ecce ſentit cieri corporis fluxum quendã tetri & concreti ſanguinis,qui ab inflicto manârat vulnere,ſanitatem eius impediens. Attulit ille fluxus cordi eius leuamentum quoddam & robur,cœpitque habere meliùs. Perſtitit ergo in implorando S. Bernardino,promiſitque ſe profecturum ad ſepulchrum eius in veſtibus lineis. Tum verò etiam plus noxij humoris à corpore diffluxit,ſurrexitque homo confeſtim ſanus,exiguis in corpore relictis vulneris cicatricibus. Abijt ergo ocyùs in lineis veſtimentis ad ſepulchrum beati viri,obtulitque illic effigiem viri ccera confectam,narrauitque populo omni miraculum,quod in ſe expertus fuerat, laudibus efferens Deum,& S. Bernardinum.

Iacobus quidam ſurdus & mutus à primis vitæ initijs, poſtquàm peregrè venit ad monumentum S. Bernardini,ilicò & audire & loqui potuit:quod quidem etiam multis alijs ſurdis & mutis præſtitum fuit. Cap. 69.

Præclara & magnanima Senarum vrbs,quotidiè percipiens miracula ſtupenda ciuis & patroni ſui Bernardini,vt grata eſſet Deo pro gratia & beneficijs eius, coacto procerum & plebis grandi ſapientiq́ue concilio, de veritate illorum miraculorum cœpit inquirere,miſſo Aquilam ciue honeſtiſſimo,qui accuratè exploraret, num ſic ſe haberent omnia, vt fama vulgaretur. Qui vir nobilis & Senenſium Orator Aquilã veniens,comperit miracula omnia probè in ſcripta relata: & ipſe quoque ſuis oculis multa edi conſpexit,eaque annotauit. Cumq́; de omnibus certas literas, notariorum manu & ſigillis munitas accepiſſet,Senas redijt. Senenſes lætiſſimis animis miracula illa cognoſcentes, inſignem legationem ad Pontificem Eugenium Romam miſerunt,qui ei miracula referrent,& de Bernardino ſanctorum catalogo inſerẽdo admonerent. Idem vrgebãt Aquilini, itemq́; rex Siciliæ & Aragonenſis Alphonſus, ſancto viro admodum addictus & deuotus. Eugenius Pontifex licèt crebrò rogatus, at ſtudioſior veritatis propalandę,quàm regibus,principibus & populo placendi, diù multumque de hac re deliberauit cum ſuis. Et iam quidem recitatis coram illo & alijs ampliùs centum miraculis,certorum hominum teſtimonio confirmatis, totus propenſus erat cum omnibus Cardinalibus,ad præſtandum id,quod petebatur,ſed morte illũ è medio auferente,res ad exitum perduci non potuit. Succeſſit autem Eugenio Nicolaus V. qui poſt accuratas easq́ue crebras conſultationes, cùm in dies plura referrentur miracula, tandem anno ſalutis milleſimo,quadringenteſimo,quinquageſimo, ſacro Pentecoſtes die in ſancti Petri æde Romæ Bernardinum coram frequentiſſima plebe in ſanctis Confeſſoribus numerandum pronunciauit, anno ſexto vel ſeptimo ab obitu illius. Ea res omnes Italiæ vrbes & pagos incredibili lætitia affecit,ita vt nullus,quamlibet exiguus,tota Italia pagus eſſet,vbi non præ ſpiritali exultatione proceſſio fieret,& eius feſtus dies celeberrimè coleretur. Aquilini verò in honorem eius,tanquam patroni ſui, inſigne templum vnà cum monaſterio condiderunt, atque à Sixto IIII. Pontifice impetrârunt,vt ex æde ſancti Franciſci corpus eius in nouum hoc templum transferre ipſis liceret. Idq́ue factum eſt, Pontifice annuente,anno Chriſti milleſimo,quadringenteſimo,ſeptuageſimoſeptimo,die decimoſeptimo menſis Maij,multis fratribus Franſciſcanis præſentibus, impensè lætante & Clero & populo. Illic hodieq́ue aſſeruatur ſacrum corpus illud, honorificè eleuatum & diligenter communitum. Primò enim impoſitum eſt capſæ cryſtallinæ,quæ pauciſſimis oſtenditur. Ea verò capſa incluſa eſt arcæ argenteæ, miro artificio & ſumptu fabricatæ & ornatæ. Hanc autem vndique munit thecâ ferrea,firmiter obſerata,quemadmodum mihi retulerunt, qui ſuis oculis hæc intuiti ſunt.

Cap. 70.

Vide quàm non temerè agant Pontifices, cùm eſt aliquis in Sanctos referendus.

S. Bernardinus ſanctus declaratur.

Laus & honor ſit præpotenti Deo in ſecula ſeculorum, Amen.

DE HOSPITIO RECLVSO, EX GREGORII TVRONEN. HISTOR. FRANCORVM *Lib.6.cap.6.& 7.*

Maij 21.

Vide rarã abſtinentiã Hoſpitij.

FVIT autem apud vrbem Nicenſem eo tempore Hoſpitius recluſus magnæ abſtinentiæ, qui conſtrictus catenis ad purum corpus ferreis, indutus deſuper cilicio, nihil aliud, quàm purum panem ſumebat cum paucis dactylis. In diebus autem Quadrageſimæ de radicibus herbarum Aegyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus ſibi illas negociatoribus, alebatur. Et primùm quidem ius, in quo coctæ erant, hauriens, ipſas ſumebat in poſterum. Magnas autem per eum Dominus virtutes dignatus eſt operari. Nam quodam tempore, reuelante ſibi Spiritu-ſancto, aduentum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit: Venient, inquit, Longobardi in Gallias, & deuaſtabunt ciuitates ſeptem, eò quòd increuerit malitia Gallorũ in conſpectu Domini: quia nullus eſt intelligens, nullus eſt qui faciat bonum, vt ira Dei placetur. Eſt enim omnis populus infidelis, periurijs deditus, furtis obnoxius, in homicidijs promptus, à quibus nullus iuſtitiæ fructus vllatenùs gliſcit. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hoſpitio recipitur, aut cibo ſufficiente ſatiatur: ideò hæc plaga ſuperueniet. Nunc autem dico vobis: congerite omnem ſubſtantiam veſtram intra murorum ſepta, ne à Longobardis diripiatur, & voſipſos firmiſſimis communite in locis. Hæc eo loquente, omnes obſtupefacti, & valedicentes, cum magna admiratione ad propria ſunt regreſſi. Monachis quoque dixit: Abſcedite & vos à loco, auferentes vobiſcum, quæ habetis. Ecce enim appropinquat genus, quod prædixi. Dicentibus autem illis: Non relinquemus te, ſanctiſſime Pater, ait: Nolite timere pro me. futurum eſt enim, vt inferant mihi iniurias, ſed non nocebunt vſque ad mortem.

Longobardorum in Gallias aduentus ab eo prædicitur.

Diſcedentibus autem monachis, venit gens illa: & dum cuncta, quæ reperit, vaſtat, peruenit ad locum, vbi ſanctus Dei recluſus erat. At ille per feneſtram turris oſtendit ſe eis. Illi verò circumeuntes turrem, aditum, per quem ingrederentur ad eum, inuenire non poterant. Tunc duo aſcendentes, detexerunt tectum, & videntes eum cinctũ catenis, indutumq́; cilicio, dicunt: Hic malefactor eſt, & homicidium fecit: ideò in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoq́; interprete, ſciſcitãtur ab eo, quid mali fecerit, vt tali ſupplicio arctaretur? At ille fatetur ſe homicidam eſſe, omniſq́; criminis reum. Tunc cùm vnus extraxiſſet gladium, vt caput eius tolleret, dextera eius in ipſo ictu ſuſpenſa diriguit, nec eam ad ſe potuit reuocare. Itaq́; gladium laxans, terræ deiecit. Hæc videntes ſocij eius, clamorem in cælum dederunt, flagitãtes à ſancto, vt quid agi oporteret, clementer inſinuaret. Ipſe igitur impoſito ſalutis ſigno, brachium ſanitati reſtituit. Ille autem in eodem loco conuerſus, tonſurato capite, fideliſſimus monachus nunc habetur. Duo verò duces, qui ſanctum audiêrunt, incolumes patriæ redditi ſunt. Qui verò contempſerunt præceptum eius, miſerabiliter in ipſa prouincia ſunt defuncti. Multi autem ex ipſis, dæmonijs correpti, clamabãt: Cur nos ſancte & beatiſſime ſic crucias & incendis? Sed impoſita ipſis manu, ſanabat eos.

Signo Crucis ſanat brachium.

Cap. 7.

Poſt hæc homo erat Andegauenſis incola, qui per nimiam febrem loquelam pariter auditumq́; perdiderat. Et cùm febre conualuiſſet, ſurdus permanebat ac mutus. Igitur Diaconus quidam ex prouincia illa Romam directus eſt, vt beatorum Apoſtolorũ pignora, vel reliquorum ſanctorum, qui vrbem illam muniunt, exhiberet. Qui cùm ad parentes infirmi illius perueniſſet, rogant vt eum ſibi comitem itineris ſumere dignaretur, confiſi, quòd ſi beatiſſimorum Apoſtolorum adiret ſepulchra, protinùs poſſet aſſequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum, vbi ſanctus Hoſpitius habitabat. Quo ſalutato ac deoſculato, cauſas itineris Diaconus pandit, ac proficiſci Romam indicat, ſeſeq́; his, qui ſancto viro de naucleris amici eſſent, commendari depoſcit. Cumq́; ibi adhuc moraretur, ſenſit vir beatus per ſpiritum, Domini adeſſe virtutem. Et ait Diacono: Infirmum, qui comes tui nunc eſt itineris, rogo vt meis conſpectibus repræſentes. At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, inuenitq́; infirmum febre plenum, qui per nutum aures ſuas dare tinnitum indicabat. Eleuatumque

Oleo benedicto, inuocatione que diuini no-

duxit

duxit ad ſanctum Dei. At ille appræhenſa manu cæſarie, attraxit caput illius in feneſtram. Aſſumpto verò oleo benedictione ſanctificato, tenens manu ſiniſtra linguam eius, ori verticiq; capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti aperiantur aures tuæ, reſeretq; os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille verò clara voce ait: Sic dicor. Cùm hæc vidiſſet Diaconus, ait: Gratias tibi immenſas refero, Chriſte, qui talia per ſeruũ tuum dignaris oſtendere. Quærebam Petrum, & quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos, qui Romam proprio cruore illuſtrant: hîc omnes reperi, hîc cunctos inueni. Hæc eo cum maximo fletu & admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanã vitans gloriam, ait: Sile, ſile, dilectiſſime frater. Non hæc ego facio, ſed ille, qui mundum ex nihilo condidit, pro nobis hominem ſuſcipiens, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis præſtat eloquium, qui leproſis cutem priſtinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis affluentem medicinam indulget. Tunc Diaconus gaudens & valedicens, abſceſſit cum omnibus ſuis.

minis adhibita, ſurdũ & mutum curat Marc. 9.

Quibus diſcedentibus, homo quidam Dominicus (ſic enim erat viro nomen) à natiuitate cæcus, aduenit ad iſtius miraculi veritatem probandam. Qui dum in monaſterio duobus aut tribus menſibus reſideret, orationi ac ieiunijs vacans, tandem vocat eũ ad ſe vir Dei, & ait: Vis recipere viſum? Cui ille: Voluntas, inquit, mea erat ignota cognoſcere. Nam quæ ſit lux, ignoro. Vnum tantùm ſcio, quòd ab hominibus collaudatur. Ego autem ab initio ætatis meæ videre non merui. Tunc cum oleo benedicto ſuper oculos eius Crucem ſanctam faciẽs, ait: In nomine Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri, aperiantur oculi tui. Et ſtatim aperti ſunt oculi eius, & erat admirans cernenſque mirabilia Dei, quæ in hoc mundo videbat. Dehinc mulier quædam, vt ipſa declamabat, tria habens dæmonia, ad eum adducta eſt. Quam cùm tactu ſacro benedixiſſet, atque ex oleo ſancto Crucem fronti eius impoſuiſſet, eiectis dæmonibus, purgata diſceſſit. Sed & aliam puellam, à ſpiritu immundo vexatam, benedictione ſanauit.

Oleo benedicto & Crucis ſigno vide quę faciat.

Cùm autem iam dies obitûs eius appropinquaret, vocauit ad ſe Præpoſitum monaſterij, dicens: Exhibe ferramentum, & irrumpe parietem, & mitte nuncios ad Epiſcopum ciuitatis, vt veniat ad me ſepeliendum. Die enim tertio ab hoc egredior mundo, & vado in requiem deſtinatam, quam mihi Dominus repromiſit. Hæc eo dicente, miſit Præpoſitus ad Epiſcopũ ciuitatis Nicenſis, qui ei hæc nunciarent. Poſt hæc Creſcẽs quidam venit ad feneſtram, & videns eum catenis vinctum, & vermibus plenum, ait: O domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare potes? Cui ipſe ait: Confortat me ille, pro cuius nomine hęc patior. Dico autem tibi, quia iam abſoluor ab his vinculis, & vado in requiem meam. Adueniente autem die tertio, depoſuit catenas, quibus vinctus erat, & proſtrauit ſe in orationem: & cùm diutiſſimè cum lachrymis orâſſet, collocans ſe ſuper ſcamnum, extenſis pedibus, eleuatiſq; ad cælum manibus, gratias agens Deo, tradidit ſpiritum. Et ſtatim omnes vermes illi, qui ſanctos artus perforabãt, euanuerunt. Adueniens autẽm Auſtodius Epiſcopus, beatum corpus ſtudioſiſſimè ſepulturæ mandauit. Hæc omnia ab eius ore cognoui, quem ſuperiùs mutum & ſurdum ab eo ſanatum expoſui. Qui multa mihi & alia de eius virtutibus narrauit. Verùm ea non recenſui, quia audiui vitam eius à multis fuiſſe conſcriptam.

Feliciter abit ad requiem ſempiternam.

De eodem Hoſpitio, ex eiuſdem Gregorij Turonenſis libro de Gloria Confeſſorum, Cap. 97.

FVIT in regione Nicenſi Hoſpitius, magnus Dei famulus, qui multis virtutibus præditus, ab hoc mundo migrauit. Cumque ſepeliretur, quidam iuxta ipſum ſepulchrum manum ponens, parum pulueris eleuauit: quod in linteo inuoluens rudi, ſecum tulit. Progreſſuſq; poſtridiè, nauem, quæ Maſſiliam ire parabat, offendit in littore: ſed hic Lirinenſe monaſterium expetere cupiebat. Viri igitur, quorum erat nauis, Iudaica erant à ſtirpe progeniti. Qua exiſtente cauſa, noluit vir indicare naucleris, quæ ferebat. Deniq; poſtquàm progreſſi, cõtra Lirinenſe monaſterium deuenerũt, nauis in medio pelagi reſtitit, flantibuſq; ventis, nulla mouetur in parte. Stupentibus verò Iudæis, quid hoc eſſet? homo ille veritatem aperuit, dicens: Reliquias beati Hoſpitij mecum habeo, & nunc Lirinum adire deſidero: quod vobis indicare metui. Nunc autem ſcio, quia eius virtute retinetur nauis veſtra, nec hinc moueri prorſus poterit, niſi conſenſum illuc præbeatis, quô ego ire diſpoſui.

Nota quid poſſint ſancti.

Quod audientes viri,ſtupore permoti,mutatis velis,flante vento ſecundo,iam viro in inſula Lirinenſi depoſito,quò voluerunt,liberè abierunt.

VITA S. GVIBERTI CONFESSORIS, FVNDATORIS AC PATRONI MONASTERII GEMBLAcenſis, *edita à Sigeberto, eiuſdem cœnobij monacho.*

CAP. I.

Maij 29. Patria S. Guiberti. Parentes.

INSIGNIS pater Guibertus in pago Germienſi feliciter natus, hominibus illius temporis ad exemplum creditur eſſe datus. Cuius auum Redingum,& auiam Giſlam, Patrem quoq; Lietoldum & matrem Oſburgam omnes, qui huius antiquitatis retinent notitiam, fatentur longam antiquæ nobilitatis traxiſſe lineam. Porrò mater eius Oſburga abutens Apoſtolica indulgentia, qua dicitur: Melius eſt nubere, quàm vri: (1.Cor.7.) poſt mortem prioris mariti Lietoldi, de quo ſuſceperat dominum Guibertũ & Remundem eius germanam, dum gaudens polygamia, ſecundi, tertij,& etiam quarti mariti non refutat copulam, ex multis maritis prolem genuit numeroſam: Helluinum ſcilicet, Oilbaldum, Raginardum, Dodam, præter eos, quorum nomina obliterauit obliuio. Quorum longè lateq; pullulante proſapia, ſe penè tota repleri & nobilitari gaudet Lotaringia. Siquidem ex proſapiæ numeroſitate, accreſcebat poteſtatis eminentia: ex poſſeſſionum multiplicitate, rerum affluebat opulentia: per quas cumulari & prouehi ſolet mundanæ nobilitatis potentia. Hoc tamen in ſeruo Dei nullus ducat ſatis prædicabile, cùm ſecundũ Dominicam vocem, (Luc.12.) non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his, quæ poſſidet: & ſecundùm Apoſtolum, non eſt perſonarum acceptio apud Deum. (Rom.2.) Sed hoc in eo nimis debet eſſe commendabile, quia cùm veritas dicat, Facilius eſt Camelum per foramen acûs tranſire, quàm diuitem in regnum cælorum intrare: (Matth.19.) hic tanquam gibbi ſarcina ſuperexcreſcente terrenæ nobilitatis & facultatis depoſito tumore, hoc hominũ impoſſibile, per pronam animi voluntatem redegit ad poſſibile.

CAP. II.

HIc ergo iuſtus plantatus,& fidei firmitate radicatus in domo Domini, iam inde à teneris annis flores virtutum emittere cœpit, in atrijs domûs Dei noſtri eminens vt palma altitudine nobilitatis, vtq; cedrus Libani, multiplicandus ſuaueolenti vbertate ſanctitatis. At poſtquàm de floribus bonæ eius indolis pulchritudo & ſuauis odor pietatis ſe longè lateq; effudit, & tempore primi Henrici, glorioſi & victorioſi regis, in fructuum gemmas erupit, tandem circa tempus Otthonis primi, quaſi oliua fructifera in domo Domini vbertim matureſcere cœpit. Qualis autem per prima ætatis incrementa eius vita fuerit, non eſt diſcutiẽdum nobis. Nam ſuperfluè quæritur de arbore, qualis ſit radix eius, quæ latet humo obruta, cùm ex ſolo ſapore fructûs, cognoſcatur arboris natura. Veritatis etiã voce dicitur: (Luc.6.) Vnaquęq; arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Non enim de ſpinis colligunt ficus, neq; de rubo vindemiant vuam. Hæc ergo arbor in agro Domini plantata, nec ſpina, nec rubus fuit: de qua nulla punctionis aſperitas, nulla amaritudinis acerbitas, proceſſit: ſed tanta dulcedo fructûs effluxit, vt prouẽtus eius etiam nunc in Eccleſia Dei fructificet. Siquidem fratribus eius de carnalis poſteritatis prouentu cogitantibus, ſolus ſanctæ memoriæ Guibertus ſpiritualis generationis hæredes ſuſpirabat, benè monitus ab Apoſtolo: (1.Cor. 7.) Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Ideò de patrimonio ſuo non quæſiuit carnalis copulæ ſponſam dotare, ſed matrem ſuam Eccleſiam vnico affectu ditare: quæ ſibi non fratres breuì victuros aleret, immò cæleſtis filiationis prolem nunquam moriturã augeret, quam nec cum dolore pareret, nec cum dolore amitteret, ſed quæ eum æternali gaudio filio Dei cohæreditaret. Militabat interim mundo ſpecietenùs, ſed quantũ patiebatur huius negocij vſus, à militiæ vitijs erat extraneus. (Militiæ vacat inculpatis moribus) Et, ne curram per ſingula vitiorum genera, à quibus Deo auxiliante deſtitit, aut per ſingula virtutum officia, quibus diligenter inſtitit: hoc in eo egregiè præter cætera laudabile fuit, quòd cùm huius generis hominibus familiare ſit, res alienas & maximè pauperum & eccleſiarum Dei inſolenter rapere, hic profectò neſciuit aliena diripere violenter, qui ſua tam hilariter pauperibus & Eccleſijs Chriſti nouit diſtribuere.

CAP.

CAP. III.

POſtquàm ergo diu ſub chlamyde militaris habitus latuit, quia lucerna ſub modio poſita, diutius latere non debuit, nodum & impedimentum diuini ſeruitij à ſe quãtocyus diſſoluit, & militiæ ſecularis cingulum depoſuit. Ita mundi veteranus, terrenæ militiæ rude donatus, cœpit eſſe nouus Chriſti tyrunculus, & longæuus mundi ſeruus, per vindictam diuinæ libertatis factus ſuus, effectus eſt Dei libertus. Igitur poſt multiformes ſpatioſæ viæ anfractus ad anguſtam vitæ portam directus, vt cantaret nudus viator coram huius mundi latronibus, deliberauit etiam à cunctis nociuæ poſſeſſionis ſe expedire oneribus. Ne enim poſt plenam legalium præceptorum obſeruãtiam cumulo ſuæ perfectionis deeſſet illud vnum Dominicæ ſententiæ: Vade, & vẽde omnia, quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me, & habebis theſaurum in cælo: hic omnia ſua non quidem vendere, ſed fideli debitori Chriſto commendare ad vſurã ſtuduit, gaudens quòd eius fœnerator exiſteret, de quo non dubitaret, quin ſibi fideliter menſuram ſolueret. Vt enim vnus eſſet illorum, de quibus Apoſtolus dicit: Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes: volebat ſua habere, & non habere. Habere, benè diſpenſando: non habere, auarè conſeruando. Fidelis nanq; & prudens ſeruus, conſtitutus à Domino ſuper familiam ſuam, tam prouidè & lucroſè ſategit locare peculij ſui ſummam, vt cùm nihil ſibi de ſumma decreſceret, de mercede tamen fœnoris ſumptum eximeret, vnde conſeruis ſuis in tempore tritici menſuram erogaret. Quid enim lucroſius fideli œconomo, quàm ſua in ſeruos Domini profundere, quę ipſe Dominus gratanter dignatur refundere? Præterea & alio Dominicæ vocis hortatu incitabatur, vt & alios exemplo & auxilio ad benè agendum illiceret, dum non negligenter dictum à Domino recoleret: Qui recipit prophetam vel iuſtum in nomine prophetæ vel iuſti, mercedem prophetæ vel iuſti accipiet. Et illud Danielis: Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellę in perpetuas ęternitates. Vndè vt mercedem iuſtitiæ multorum acciperet, non ſatis eſſe viſum eſt ſibi, ſi ipſe ſolus ad iuſtitiam tenderet, niſi & alios ſecũ currere ſuo exemplo & hortatu moneret, & ipſe cauſa ſalutis multorum fieret, & duplicem coronam remunerationis acciperet.

Renunciat militiæ. Matth. 19. 2. Cor. 6. Luc. 12. Matth. 10. Dan. 12.

CAP. IIII.

HIc frattum amator, qui ex alto cordis ſuſpirio ad Deum clamare poterat cum Eſaia: A facie tua Dommine concepimus & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ, quem fecimus in terra: quod cogitando conceperat, & quaſi longo deliberationis æſtu parturiuerat, piam animi peperit beneuolentiam, per quam Deo filios ſalutis faceret ſuper terram. De proprietate ſiquidem hæreditatis ſuæ fundum Gẽmelaus dictum delegit, & Deo, & Apoſtolorum principi Petro, ſanctoque Exuperio martyri glorioſo, ad conſtruendum in eorum honorem monaſteriũ, deuotiſſimè delegauit. Hîc tabernacula dilecta Deo, & delectabilia hominib. cõſtruens Domino virtutũ, vt paſſer humilitatis volatu directus, inuenit ſibi domũ, & vt turtur zelo caſtitatis & gemitu compunctionis animatus, poſuit ſibi nidum, vbi reponeret pullos ſuos, ſub alis matris Eccleſiæ confouendos. Ibi monachorum collecta caterua, per eorum obſequium diſponebat immolare Deo laudum ſacrificia, & reddere altiſſimo vota ſua: qui ſeminantes ei ſpiritualia, ſua meterent carnalia. Hos ad rectam morum volẽs informari regulã, ad apoſtolicæ vitę dirigi fecit lineã, per quam in initio fidei fundatã primitiuam compererat Eccleſiam. In quibus illud præcipuum erat, vt nulla eis propria, ſed omnia eſſent communia: vt quorum conuerſatio iam erat in cælis, angelicã quodammodò vitam degerent in terris. Porrò ipſe ad eorum, tanquam ad Apoſtolorum, pedes ponens omnia, quæ habebat, vt vſibus eorum ad omnem ſufficientiam neceſſaria ſuppeterẽt, ſolicita paternitate diſponebat. Vnde legali traditione tradidit eis villam ſuperiùs nominatam Gemmelaus, & omnia ad eandem appendentia, & alia multa, vndecunque in parte vel ſorte ſua iure hæreditatis cedentia.

Eſa. 26. Monaſteriũ extruit ex bonis ſuis. Pſalm. 83. Ei confert facultates ſuas.

CAP. V.

AD hoc opus felici auſpicio inceptum, animabatur non ſolùm diuinitatis gratia, ſed etiam nobiliſſimæ & Chriſtianiſſimæ auiæ ſuæ Giſlæ pia conniuẽtia, quæ dulciſſimum nepotem ſuum videns viam veritatis inſiſtere, collaborabat magnoperè, vt amoto ei impedimento à cœpto pietatis itinere, viam mandatorum Dei dilatato cor depoſſet currere. Quia non enim, vt Eſau piloſus, venationũ vanis, aut nociuis exercitijs inſeruiebat, ſed vt lenis Iacob domi habitans, ſimplicitati & innocẽtiæ ſtudebat, totam ſe in eius dilectione trãsfuderat. Quippe quem exemplo fidelis Abrahæ de terra & de cognatione ſua iamdudùm animo exiſſe cognouerat, ei terram repromiſſionis

Gen. 25. Gen. 12.

Giſla auia eiusmulta ei largitur.

competere credebat: nec tamen volebat ſuo deſtituere ſubſidio, quem perpendebat per omnia dirigi diuino auxilio. Ideo ſalubri reperto conſilio, omnes res hæreditatis ſuæ, quas ſibi vir ſuus Redingus dotis gratia impenderat, vel quas ipſi pari ęquitatis induſtria addiderant patrimonio ſuo, ad præſidium Deo placitæ conſtructionis contulit legaliter chariſſimo nepoti ſuo.

CAP. VI.

Erluinus S. Guiberto eſt adiumēto.

AD hæc omnia non parum ſolatij Diuinitas fideli ſuo Guiberto contulerat, quòd in his omnibus doctorem & patronum quendā venerabilem virū, Erluinum nomine, præuiderat, qui & ipſe canonicam, quam viuebat, regulam ad monaſticam vitam conuerterat. Is pio patrono noſtro in omnibus vtilium rerum conſilijs exequendis, in eccleſia ædificanda, & officinis clauſtri conſtruendis, in fratribus ad ouile Dei cō uocandis & regendis aderat adiutor opportunus & vnanimis.

CAP. VII.

ALij ad perfectionis culmen tendenti ſufficere videtur à malo declinaſſe, mundi pompis abrenūciaſſe, ſua omnia pauperibus erogaſſe. At dominus Guibertus, q̄ retrò ſunt oblitus, in anteriora ſe extendere nitebatur, ſemetipſum arguens imperfectionis, niſi argumento Dominicæ manûs ad vnguem expoliretur. Audiens nēpe Dominum dicentem: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: totum hoc imperium traxit ad ſe: abnegans ſemetipſum, tulit crucem mortificationis Ieſu in corpore ſuo, caſtigans corpus ſuum, & in ſeruitutem redigens, ne fortè alijs prædicans, ipſe reprobus inueniretur. Tulit crucem etiam fraternæ compaſſionis, quando erutus de cribro diabolicæ tentationis, ipſe aliquando cō uerſus, confirmabat fratres ſuos, pro quibus Chriſtus ipſe biberat calicē paſſionis. Igitur accepto rationis clauo, poſt rerum ſuarum iacturam nudus enatauit de mundi huius naufragio, & tandem potitus monaſticæ quietis portu, ancoram ſtabilitatis de alto pectoris ſui iecit in clauſtralis vitæ profundo. Videbat enim, quòd nuſquam alibi tutius perfugium eſſet fugienti à mundi periculo, cùm in clauſtris monaſterij, eremi nō deſit ſolitudo, & ſi quem aliquo modo diabolicæ incurſionis titillet inquietudo, præſtò adſit prompta fraternæ conſolationis fortitudo. Videbat etiam, quòd non altiùs poſſet aſſcendere, ſi poſſet illum religionis gradum attingere, ad quem omni quidem ordini Eccleſiaſtico, omnique terrenæ poteſtati liceat accedere, à quo nulli omninò, nulla omninò occaſione liceat impunè recedere. Præterea vir prudens, antè & retrò oculatus, nihil temerè & improuidè ſibi agendum eſſe attendebat diligentiùs. Vt enim athleta ſtadium ingreſſus, ſolicitè qualitatem loci circumſpicit, ne quod offendiculum ſibi pugnanti vel currenti obſit: ita & hic noſter athleta opportunitatē & qualitatem loci, vbi propoſitum ſuum ſecurè exequeretur, cautè diſpexit, ſcilicet vbi nec indulgeret ſibi diſciplina remiſſior, nec pro intuitu notæ nobilitatis, malè blādiretur ſibi honorificentia impenſior. Timebat enim ne ſibi diceretur à Domino: Vtinam calidus eſſes, aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Timebat enim, ne ſicut ille, qui contra flantem ventum flores portat, etiam ipſe, inanitate elationis inflatus, collectos virtutum flores perderet, & quaſi pulueris ſqualore, fœditate apoſtaſiæ ſorderet & cæcutiret.

Luc. 9.

Monaſticę ſe vitæ tradit S. Guibertus.

Apoc. 3.

CAP. VIII.

DEniq; columba Chriſti, nolens diutiùs inuolui mundanis fluctuationibus, dum nō inueniret, vbi requieſceret pes eius, adijt arcam paratā à Deo multorū ſaluti, clauſtrū ſcilicet Gorzienſis cœnobij. Id cœnobiū olim vir magni nominis, Pipini regis ex ſorore nepos, Crodegandus Metēſis epiſcopus conſtruxit, & ad æternum ſanctitatis ſuæ monimentum opibus ditauit, &, quod maius eſt, religionis gratia decorauit. Sed proceſſu temporis crebreſcente bellorum malitia, & per hæc crudeſcente malorum miſeria, & quia leges ſilent inter arma, ideò inualeſcente quaquà terrarū iniuſtitia, etiā ibi per notā temporis & pręlatorū incuriam, diſciplinę regularis cœpit emolliri cenſura. Et hæc cæleſtis iræ permiſſio tamdiu permanſit, donec tandem diuinę miſerationis oculus ſuper inhabitātes terrā proſpexit, qui & infidelitatis tenebras amouit, & lumen veritatis reuocauit. Adhæc inter primos à Deo miſſus eſt Adelbero, primus huius nominis Metenſis epiſcopus, qui nobilium Chriſtianiſſimus, & Chriſtianorum nobiliſſimus, (erat quippe frater Friderici Ducis) in hoc primum regiminis ſui dedit exercitium, vt & ſeculari potentia & epiſcopali cenſura exturbaret à ſua Diœceſi irreligioſitatis vitium. Huius bonæ intentionis oculum intendens primùm ſuper monaſticam diſciplinam, elaborat eā ad Apoſtolicæ vitæ redigere normā. Et incipiens

Gorzienſe cœnobium à quo extructum.

Adelbero Metenſis epiſcopus monaſticā diſciplinā inſtaurat.

cipiens à Gorzia, quæ cæteris monaſterijs erat præſtantior in ſua parochia, vbi inſtitutæ religionis vix ipſa apparebãt veſtigia, non priùs deſtitit, q̃ monaſticæ vitę profeſſores, à ſeculi vanitate retractos, rectæ viæ reddidit, & ante omnia radicem malorũ, & malam monachorum nouercam, ſcilicet proprietatum concupiſcentiam, mucrone paſtorali extinxit, & qui in ſeculi compitis patebant luporũ morſibus, Dominico ouili incluſit. Collaborabat ſibi ad hoc pius Gorzienſis Abbas Agenoldus, reſtaurandæ ſanctæ religionis adiutor opportunus. Itaq; extirpatis nociuis radicibus de Dominici horti areola, Adelberone epiſcopo plantante, Agenoldo rigante, Deo autem incrementum dante, creſcebant ſolito vberiùs virtutum plantaria. Quicunque ergo abrenunciantes ſeculo, ſuaue iugum Chriſti tollere volebant, quàm mites & humiles corde exemplo Chriſti eſſe deberent, hîc ediſcebant. Quicunq; ex militari habitu in timore Domini fortitudinem ſuam mutabant, hîc quaſi in campo diuini tyrocinij experimentum ſui capiebant. Quicunque ex clericali ſorte ad altiorem humilitatis gradum optabant aſcendere, hic cum Iacob non in ſomnis, ſed re vera ſcalam cælos attingentem merebantur videre, per quam angelos aſcendentes & deſcendentes poſſent videre. Cùm ergo hic tantus ſanctæ religionis feruor tam longè & tam latè caloris ſui diffunderet flammas, huc ad diſciplinam Domini omnis confluebat nobilitas, omnis dignitas, omnis ſine perſonarum diſcretione profeſſio concurrebat & ætas. Nec quiſquam vel initium conuerſionis ſe credebat arripuiſſe, cui non contigerat Gorzienſi regulę initiatum eſſe. Hic inueniebatur lac, quod paruulus ſugeret: hic ſolidus panis, quẽ perfectus manderet, & aliquando quaſi nutrix in corpus ſuum traijceret, vt & alios rudes vel infirmos inde paſceret. Inter eos hic noſter patronus Guibertus non vltimæ nobilitatis, immò non vltimæ humilitatis & ſanctitatis, ſpiritu Dei agente, eſt adductus: vt qui iamdudum renunciauerat ſuis omnibus, hic etiam ſibimetipſi renũciaret, vt Chriſto perfectiùs adhæreret. Seipſum ergo & omnes, quos Chriſto lucrifecerat, venerandi patris Agenoldi committens manibus, adhærebat ei ſtudioſiùs, & ab ore eius pendebat intentiùs: vtpotè qui ex doctrina eius non ſolùm paſci habebat, ſed & de micis ex ea collectis per ſe Chriſti pauperibus ferre ſatagebat. Et vt id, ad quod venerat, diligentiùs exequeretur, ſingulorum gratias ſolerter contemplabatur, & aliquid inde ad ſeipſum traijcere nitebatur. Erudiebatur illius patientia, accendebatur iſtius orandi inſtantia, alterius delectabatur obedientia: Iſtius humilitatem, illius imitabatur ſobrietatem: In hoc actiuæ vitæ laborem, in illo contemplationis mirabatur ardorem. Fiebat proinde miro modo, vt dum ipſe de ſingulorum virtutibus aliquid decerpit, quod ſibi ſit pro exemplo, ipſe ſolus omnibus eſſet exemplo. Vt enim, ſecundùm Salomonis prouerbium, ferrum ferro acuitur: ita alter ab altero ad benè agẽdum exacuebatur: & vt homo confundit faciem amici ſui, ita & eos pia fraternæ æmulationis mouebat confuſio, niſi alter alterum quiret imitari.

Gorzienſe cœnobium præclarè reformatũ.

Geneſ. 28.

S. Guibertus degit in illo

Prouer. 27.

CAP. IX.

IPſe ergo qui mundi renunciauerat vanitatibus, timens ne iterùm illiceretur voluptatibus, dum ſub obtentu diſponẽdarum eccleſiaſticarum rerum adhuc ei deſeruiret ſpecietenùs: ad hoc etiam timens illud Apoſtolicum, doctorem non debere eſſe neophytum, ne elatus incidat in iudicium diaboli: induxit in animum, venienti morbo quantocyùs occurrendum. Venerabilem, cuius ſuprà meminimus, Erluinum, virũ Deo placitum, hominibus acceptum, in gymnaſio ſanctæ religionis laudabiliter exercitatum, lucrandis Deo animabus intentiſſimum, amicitijs principum terræ & maiorũ Eccleſiæ glorioſum, exequendis rebus Eccleſiaſticis per omnia idoneum, hunc talẽ virum, vtpotè patrem & intimum ſuum, conuenit amicabiliter, in eum ſe reiecit q̃ familiariter, in eo, quaſi in reclinatorio animę ſuæ tantùm incumbit fiducialiter, ei ex ordine velle ſuum aperiens, ei ſeipſum magis, quã ſibi credens: communicato cũ fratribus conſilio, eum Abbatem ſibi deligit, & fidelibus Chriſti adnitentibus, Dominico ouili præfici facit. Ille tanquàm bonus paterfamilias, doctus de theſauro ſuo proferre noua & vetera, ſciens ſic adimpleri legem Chriſti, ſi alter alterius portet onera, ſuppoſuit humiliter humerum ad ſuſcipiendum onus, ſatis quidem graue, ſed Deo ſibi cooperante, portabile: animatus illo prouerbio, quod per Sapientẽ dicitur: Frater qui à fratre adiuuatur quaſi ciuitas, quæ non expugnatur. Ita vir ſanctus Guibertus, ſtrenuo cooperatori ſuo Erluino Marthæ miniſterio delegato, ipſe cum Maria ſedens ad pedes Domini pro audiendo ipſius verbo, elegit optimam partem, quæ non auferetur ab eo. Nam ad aluearium monachorũ, ſcilicet Gorziam, regreſſus, ieiunijs, vigilijs & orationibus intentus contemplationis virtuti vacabat liberiùs.

Humilitas ſancti viri.

1. Tim. 3.

Galat. 6.

Prouer. 18.

Luc. 10.

CAP.

CAP. X.

IAm in laude Dei nouella plantatio fructificauerat, iam agricola precioſum fructũ terræ expectans, patienter ferebat: quia temporaneum & ſerotinũ ſe accepturum non diffidebat. Iam creſcebat Chriſti gloria, iam illorum, per quos benedicebatur nomen Domini, multiplicabatur gratia: quando de Gemmelaus, nouellæ ſcilicet cõſtructionis cœnobio, boni odoris longè lateq; exibat fragrãtia, quòd ibi ſanctæ religionis feruente flamma, & iuſti de virtute in virtutẽ indiès proficiebant, & iniuſti ab erroris tortitudine cõuerſi, iam in directũ ibant. Ex hac boni odoris ſuauitate repleta erat tota domus Eccleſiæ, & attigerat iam ipſa culmina imperialis aulę: vbi cunctis palatinis

Exemplo S. Guiberti, multi ſedãt vitæ monaſticæ. in ore erat pia nobiliſſimi viri Guiberti ad Deum conuerſio, & de eius cõuerſione nõ minima in tota Dei Eccleſia ædificatio, quòd eius exemplo multi renunciãtes ſeculo ſanctæ religionis ſe ſubijciebant propoſito. Sed inuidia vbi deſit, q̃ nec in paradiſo deliciarum, nec in ipſo quoq; cęlo defuit? Quidã, qui bona fidelis Chriſti Guiberti obliquo

Defertur apud Imperatorem. oculo limabant, aures Cæſaris aduersùs eum appellant, & inuidioſè ei derogantes, cõtra rempublicam eum egiſſe accuſant, qui Gẽmelaus regalem fiſcũ, maioribus ipſius munificentia imperiali loco beneficij attributum, in partem proprietatis ſuæ vſurpauerit, & iniuſſu regis, fundato ibi cœnobio, in ſortem Eccleſiaſtici iuris iniuſtè trãsfuderit: quod fieri nullo modo lex publica ſinit. Pius conſtructor, & ſanctus prouiſor loci noſtri ad cauſam dicendam eſt dicto regis inuitatus: cauſa proponitur: de iniuſtitia expoſtulatur, in deliberanda ſententia alius alij variè aſſentitur. Diſcipuli euangelij à Domino docti: Cùm ſtabitis ante reges & præſides, nolite cogitare, qualiter aut quid

Matth. 10. loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non ſophiſticã quærunt argumentationem, ſed ſimplicitatis Chriſtianæ prætendunt humilitatem. Scientes enim, quia periculoſum eſt contra torrentẽ brachia tendere, nec ignorantes ſententiã

Rom. 13. Apoſtoli: Qui poteſtati reſiſtit, reſiſtit Dei ordinationi: pedibus Imperatoris ſe humiliter prouoluunt, & ne in ſe & in pauperes Chriſti terrena ſua potentia abutatur, ſuppliciter expoſcunt: dicentes, gaudendum eſſe maieſtati Imperatoris, quòd temporib. imperij ſui diuina miſeratio oſtium miſericordiæ ſuæ voluerit patefacere, dum tales aliquot viros dignatur mundo tranſmittere, qui digni ſint exaudiri orãtes pro ſtatu reipublicæ: poſſe Imperatorem de alieno fundamento laudẽ mereri, ſi ab alijs in honorẽ Dei conſtructa loca, ſua regali potentiã velit tueri: alieno labori eum poſſe participare, ſi res ab alijs Deo iure hæreditario legatas, dignetur authoritate imperialis manûs corroborare: dignum eſſe, vt apud Imperatoriam cenſurã plùs valeat Deo placita veritatis æquitas, quã ſuſurronũ & bilinguiũ calliditas, vel adulantium doloſitas, de quib9

Eccli. 28. Sapientia dicit: Suſurro & bilinguis maledictus: multos turbauit pacẽ habentes: & lingua tertia (hæc lingua adulantiũ intelligitur) multos cõmouit. Hæc & alia in hunc modũ locuti, à bona ſpe, quã in Deum habebant, non ſunt fruſtrati, illud Sapiẽtis dictum eſſe verum experti: Beatus, qui loquitur in auribus ſapiẽtis. Pius enim rex Ottho, verè

Imperator ratam vult eſſe Guiberti donationem. ad reſtaurandam rempublicam & reparandam Dei Eccleſiam directus à Deo, his ſalutis monitis aurẽ aduertit gratãter, & petitionẽ fideliũ Chriſti accepit dignãter. Annuit enim communi Palatinorum conſilio, & regali cenſuit edicto, vt rata & inconuulſa permaneret nouella Gemmelacenſis cœnobij conſtructio: & quicquid illi eccleſiæ ab ipſo domino Guiberto, vel etiã aliorum venerabilium virorum largitione fuerat cõceſſum, vt nullus infideliũ vel aliquis hæredũ eius infringere audeat, omninò eſt interdictũ. Inſuper permiſſa eſt eis poteſtas aduocatũ & regularẽ Abbatem cum imperio

Immunitas cœnobij Gẽblacenſis. regis eligendi, caſtellum conſtruendi, mercatum, percuſſuram monetæ, materiam faciendi. Ipſe locus ab omni omnium ſeruitio immunis eſt redditus in ciuitate, in caſtello, in villa, ſuper aquas, in pontibus, in omnibus imperij ſui locis, ab omni telonio & tributo eſt abſolutus, ſub ſolo regiæ defenſionis munimine ſubiectus.

CAP. XI.

OMnis res iam compoſita videbatur, omnia iam in tuto eſſe credebantur, nihil ex aliqua parte metuebatur. De reb9 eccleſiæ traditis, & de libertate ipſius loci charta conſcripta, imperiali erat edicto cõfirmata, & annuli impreſſione imperialis authorizata, quæ authorizatio facta eſt ſolẽniter Leodij xij. Calen. Octob. anno Dominicæ incarnationis Nongẽteſimo, quadrageſimoſexto, indictione iiij. regni domini Otthonis primi, anno vndecimo, cathedrã Traiectenſis eccleſiæ regente Vhogone. Ad hanc cõ-

for. + Agapeto II. firmationem imperialis poteſtatis, acceſſit etiam Apoſtolicæ ſedis authoritas, dum à * Benedicto VII. huius nominis Papa, decretum eſt, vt rata eſſet in perpetuum Gemmelacenſis cœnobij prærogata immunitas. Decretum eſt etiam, vt de alio monaſterio ibi

rio ibi Abbas non conſtituatur: ſed ipſi ſerui Dei, ſecundùm S. Benedicti regulam viuē tes, ex ſua propria congregatione Abbatem eligendi poteſtatem habeant, & vt Abbas ipſe ſpriuilegijs ſedis Apoſtolicæ, infulis decoretur, & vt ipſum monaſterium, ſub iuriſdictione S. Romanæ Apoſtolicæ ſedis cōſtitutum, nullius alterius eccleſiæ iuriſdictionibus ſubmittatur, interminando ex authoritate B. Petri Apoſtolorum principis ſub diuini obteſtatione iudicij ac validis anathematis interdictionibus, vt nulla aliquādo vel parua vel magna perſona aliquid de rebus vel poſſeſſionibus, ad idem monaſteriū pertinentibus, auferre, vel alienare præſumat. Hoc ſcriptum per manum Bonifacij notarij regionarij atq; ſcriniarij S. Romanæ Eccleſiæ, Datum eſt viij. Calend. Aprilis per manus Stephani epiſcopi ac Bibliothecarij S. ſedis Apoſtolicæ, anno Pontificatus domini * Benedicti VII. Papæ * nono, imperante Otthone à Deo coronato, magno ac pacifico Imperatore anno xvj. qui eſt annus Domini * 953. for. * Agapeti II. * ſexto * 951.

CAP. XII.

ITa aliquandiu arridente ſereno cælo proſperitatis, derepentè inhorruit maxima immiſſio diabolicæ tempeſtatis. Siquidem Heribrandus de vico Mauiuolt, qui inter nobiles Bratuſpantium genere & diuitijs eminebat, cuius nobilitatem alia nobilitas augebat. ei quippe Rembidis, germana nobiliſſimi ſenioris noſtri Guiberti nupſerat. Hic iniuſtitiæ gladio accinctus, cupiditatis armis confiſus, clamat Gēmelacenſem fiſcum hæreditaria lege ex matrimonio vxoris ſuæ Rembidis ſibi competere, affinē ſuum Guibertum non legaliter egiſſe, qui ſub obtentu religionis vxorem ſuam, germanam ſcilicet illius, voluerit iniuſtè exhæredare. Contempta ergo imperialis curiæ authoritate, contempto Apoſtolicæ cenſuræ anathemate, iunctis ſibi complicibus ſuæ iniuſtitiæ, non timet Abbatiam inſolenter inuadere, & ſubſtantiam fratrum violenter diripere. In officinis clauſtri equi ſtabulantur, per loca, monaſticæ ſolitudini cōpetentia, ſecularis perſonæ militiæ vagantur, fratres per latibula ſanctuarij quomodo cunque ſeſe tutantur, & in tantæ tribulationis articulo ſubſidium diuinæ pietatis præſtolantur. Videbatur nempe maleuolis implendę iniuſtitię opportunum eſſe tempus, quia ipſe ſanctus vir Guibertus mundo iam mortuus, & ab eis longè remotus, excuſſerat ſe à cunctis ratiocinijs mundani tumultùs. Porrò Abbas Erluinus recens oculis priuatus, reſtaurandis rebus perditis putabatur eſſe minùs idoneus. Hic ſiniſter rumor vt perculit aures ſancti viri, cuius conuerſatio iam erat in cælis, quid ei tunc fuerit animi, non opus eſt exprimere verbis: cui quamuis indignum videretur de ſtiua Dominici aratri, oculos retrò conuertere, & graue eſſet, ſe emeritum militia, bello mundanæ ſolicitudinis iterum inuoluere, non diſtulit tamen pro conſolandis fratribus iter accelerare, qui pro illis paratus erat etiam animam ponere. Veniens ergo deſideratus ad deſideratum locum, qui teſtimonium erat ſuæ deuotionis, triſtes & deſolatos fratres confirmat verbis conſolatorijs, & quibus potuit armis humilitatis & modeſtiæ occurrit aduerſarijs, & feritatem, & cupiditatem eorum mitigare laborabat monitis ſuaſorijs. Illi præſentiam ſanctitatis eius aliquantulùm reueriti, & aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habentes, ceſſerunt ad tempus eius voluntati, ſe intuitu affinitatis eius ab iniuſtitia iſta ceſſaturos polliciti.

Ab affine ſuo viri ſancti infeſtatur monaſterium.

CAP. XIII.

SAepè nominatus & ſæpè nominandus nobis dominus Guibertus, tam gratioſus fuit Deo, vt dignus fuerit etiam Apoſtolicæ prædicationis miniſterio. Gens ſiquidem Hungarorum, quæ quibuſdam munitiſſimis cluſis remota, nec ad meridianam, nec ad occidentalem plagam exeundi habuerat facultatem, per Arnulphum Imperatorem, ruptis cluſis emiſſa, mortuo Arnulpho Imperatore, totam Italiam, totā Germaniā, vt fera tempeſtas, vario vaſtationis genere depopulata eſt per annos circiter quinquaginta. Hæc gens etiam tempore primi Otthonis aggreſſa Lotaringiam, deducta eſt à duce Contado vſq; ad ſyluā Carbonariā, & virtute Dei apud Lobienſe cœnobiū oſtenſa, prohibita vltrà prodire, redijt impunè. Hungaris ergo & eundo & redeundo per vicū Gemmelacenſem tranſeuntibus occurrit vir Dei Guibertus, non clypeo aut galea materiali protectus, ſed tantū gladio verbi Dei accinctus, paratus bibere calicē paſſionis, & ponere animam ſuam propter ſaluandas fratrum animas, qua, vt dicit veritas, non eſt maior charitas. Et primò miles Chriſti ſecundùm præceptum Euangelij offerens illis verbum pacis, ingreſſus eſt viam prædicationis, & paulatim mitigata eorum rabie, cœpit iam agere de eorum ſalute. Nec deſtitit illis idololatriæ ſpurcitia ſordentibus pādere fidei dogmata, & regis æterni myſteria, donec aliquos eorū à regno diaboli abſtraxit, eoſq; abiurantes ſacramenta diabolicæ militię, tranſſcripſit in nouum

Hungari populantur Italiam & Germaniā.

Iohan. 15.

S. Guibertus Hungaros quoſdam conuertit.

nouum nomen Chriſtianæ militiæ. Benedictus Deus per omnia, qui Guiberto ſub ſignis ſuis militanti adfuit, ciq; ciuicam coronam tribuit.

CAP. XIIII.

PRæuidens vir Deo plenus, non eſſe paratum ſibi à Deo patre, vt biberet primum calicem paſſionis, animum appulit, vt mereretur bibere ſaltem ſecundum calicem confeſſionis: & ideò tentus in hoc, vt conſulendo ſibi, conſuleret etiam alijs, excogitauit opus, quod non ſibi ſolùm, ſed etiam alijs prodeſſet. Nam amplectens ſuper omnia charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, & plenitudo legis: & ob hoc maximè, quod hoc ſpeciale mandatum eſt Domini, dicentis: Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicèm diligatis: cœpit agere cum pluribus deuotis & Dei fidelibus, vt per vnum mutuæ charitatis conglutinati amorem, fraternalem inter ſe ſtatuerent ſocietatem: vt cùm omnes vnum in Chriſto eſſent, vnum ſaperent, vnum diligerent: vnum in Chriſto vellent, vnum nollent: nihil diabolica æmulatione contractum, odio condignum, vel contrarietate inueniretur diuerſum, vt verè pacifici mererentur beatitudinem filiorum Dei. Ad hæc etiam, vt ſecundùm Iacobi præceptum, peccata ſua alterutrum confiterentur, & orando pro inuicèm ſaluarentur, & ſicut veritas ait: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: ita loti baptiſmo alterutræ confeſſionis, lotis pedibus, quibus non poteſt ſine labe terra calcari, id eſt, expiatis actibus humanæ vitæ, quæ vix aut nullatenus ſine næuo peccati poteſt tranſigi, per fraternæ orationis auxilium redderentur toti mundi, eleemoſynis, ieiunijs, pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, ad hoc conſtitutis, ab inuicèm expiati. Delectabat enim eos illud beati Auguſtini, qui in laudem charitatis prorumpens, ait: Dulcis ſonus, charitas eſt: dulcis res & delectabilis, charitas eſt, quæ præſentes & abſentes in vnum colligit fratres.

Coloſſ. 3. Rom. 13. Iohan. 13. Iacob. 5. Iohan. 13.

CAP. XV.

SIc vir Dei tactus quodam præſagio futurorum, quòd propediem tendendum ſibi eſſet ad ſupernæ vocationis brauium, præuidit ſibi in futurum: vt quando depoſito carnis onere ingrederetur viam vniuerſæ carnis, aciem huius fraternæ ſocietatis hinc inde locaret in ſubſidijs, quæ tartarearum cateruarum incurſus perturbaret orationum telis. Huius negocij perficiendi ſecundas partes relinquens fideli vicario ſuo Abbati Erluino, cauens ſibi per omnia, ne ſub obtentu alicuius rei exequendæ quantulumcunque iterum implicaretur ſeculo, vltimum vale dicens fratribus & amicis, & dilectionis memoriam relinquens eis, maturauit viam ad amicam optabilem pacis & dilectionis ſibi quietem Gorzienſis ſolitudinis. Sicut enim piſcis extractus ab aqua, non poteſt viuere, ita ipſe timebat de vita animæ ſuæ, quoties à contemplationis extrahebatur requie. Poſt tot & tantos labores, dum iamiamque expectaret dari ſibi à Deo deſideratam miſſionem militiæ ſuæ, tandem rex regum lætatus, militem ſuum diù pro caſtris ſuorum viriliter ſtetiſſe, tempus eſſe duxit ei præmia laboris reddere, & capiti eius coronam laudis imponere.

Vir ſanctus redit ad Gorzienſe monaſterium.

CAP. XVI.

ET iam inſtante tempore reſolutionis ſuæ, cœpit langueſcere. Summus enim artifex, qui ſemper inuenit in opere ſuo, quod adhuc tundat & poliat, electum ſuum tanquam aurum in fornace probabat, vt excoqueret ad purum ſcoriam peccatorum eius. Gemmelacenſes vt audiêrunt dominum & patrem ſuum ad mortem infirmari, non potuerunt ſuo temperare dolori. Hunc eorum dolorem nimis exaggerabat, ſi eum in terra peregrinationis ſuæ, ipſis abſentibus, contingeret obire. Vnde qui ex his maiuſculi eſſe videbantur, ſine mora Gorziam tendunt, & dominum ſuum viuentē inueniunt: & aliquantulùm diſſimulato dolore, agunt cum eo de reportando eius corpore. Ille accerſito ad ſe Abbate ſuo, cui nomen erat Oilbaldus, aperit ei ſuum ſuorumque deſiderium, & hoc ab eo vltimum expetit beneficium, vt liceat ſuis defuncti corporis ſui glebam referre ad Gemmelacenſe cœnobium. Abbas ex conſilio reſpondit, vt pater filio: Mi fili dulciſſime, anguſtię mihi ſunt vndique: ſanctitatem uereor, animam tuam ad Deum euntem ſcandalizare vereor: ſed timeo ne illi ſuper hoc ſcãdalizentur, qui te vt patrem venerantur, & amorem, quem exhibuerunt tibi viuenti, vellent exhibere præſentialiter etiam morienti. Ecce voluntatem meam poſtpono tuæ voluntati, ſi adſpirauerit tibi & tuis voluntas Dei. Si ſuppetit tuis facultas implendi deſideriũ ſuum, non nego meum aſſenſum. Tãdem vir Dei conſummatus in virtutum gratia, quod maius eſt, quàm ſi claruiſſet miraculorũ gloria: (miraculis quippe nonnunquàm virtutes obfuſcantur, miracula verò ſolis virtutibus commendantur.) decimo

decimo Kalen. Iunij reddidit ſpiritum fatigatum, nec victum fructuoſis laboribus, & ad patres ſuos appoſitus, qui ſeminauerat in benedictionibus, meſſuit etiam in benedictionibus centuplum, & vitam æternam, ſecundùm Domini promiſſionem, eſt adeptus. Gemmelacenſes læti, ab inuitis domini ſui corpus ſuſcipiunt, & ſe votiuo operi accingunt. Qui præcauentes, ne æſtiui caloris nimietas faceret iniurias ſancto corpori, interiora corporis eijciunt, ibiq; terræ infodiunt: cadauer verò ſale & varijs pigmentorum odoribus conſpergunt, quæ putredini corporeæ corruptionis repugnare poſſunt. Vnus autem eorum, nomine Adecho, qui ſemper familiariùs fuerat obſecutus ſancto viro, ac per hoc etiam ſancto corpori adhuc obſequebatur inſtantiùs: hic cõparato carro cum bobus, ſuperponit ſanctum corpus, non quo honore dominum decuit, ſed quo amore ipſe debuit. Iam præceſſerant longiuſculè, & ecce omnis Gorzienſium populus exarſit in ira & furore, ęgrè ferentes corpus illius abſportari, cuius meritis ſe credebant à Deo adiuuari. Ergo facto grege, perſtrepunt populari more, & paucos multi inſequentes, conclamant. Ad clamorem concurrentium Gemmelacenſes obſtupeſcunt, & tacito cordis clamore auxilium Dei quærunt. Et qui pro filijs Iſraël pugnauit contra inſequentes Aegyptios, pugnauit etiam pro iſtis. Subitò enim orta tempeſtate, aër inhorruit, & clara die nox aliena incubuit. Concrepant tonitrua, micant fulgura, cadunt fulmina. Illos tenebræ palpabiles ab itinere reuocant: iſti vno itinere gradientes, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinabãt. Ita illi diuinitùs exterriti, retrocedunt: iſti adiuti diuinitùs, liberè incedunt. Tã prædicabili miraculo ſanctus Dei Guibertus illuſtratus, cum multa omnium veneratione ad Gemmelacenſe cœnobium eſt relatus, & cum honore debito in Eccleſia ſancti Saluatoris, ſanctiq; Petri Apoſtoli ſepultus, ſe cum Deo viuere oſtendit inuocãtibus. Credunt enim ſe eius tuitione protegendos perpetualiter omnes, qui inuocant eum præſentialiter. Obijt autẽ hic ſanctus Dei anno Dominicæ incarnationis, nongenteſimo ſexageſimoſecundo, decimo Calend Iunij.

Feliciter reddit ſpiritum. *Matth. 19.* *En quanti olim fiebãt Sanctorum reliquiæ.* *Exod. 14.*

MARTYRIVM SS. DONATIANI ET ROGATIANI GRAVITER CONSCRIPTVM, INCERTO QVIdem authore, ſed adſtipulantibus ei antiquiſsimis Martyrologijs:

SALVBRE eſt Catholicis lectoribus, de Martyrum triumphali certamine glorioſa geſta referre, & ſitienti populo de tam piè fuſo ſanguine quædam vitæ pocula propinare, dum alij rebus cognitis veneranda ſolennia fideliùs complectuntur, alij deſiderijs incitantur, aduertentes quale pro Chriſto mori ſit lucrum. Igitur cùm Diocletianus & Maximianus Romanæ vrbis apicem gubernarent, & eorum præceptis in Chriſtianorum nomen beſtialis feritas deſæuiret: vt gratiam religionis Catholicæ gentili ſub lege calcarent, miſſis epiſtolis ad præſidem Galliarum, decreto ſanxerut, vt ſimulachra Iouis vel Apollinis, nõ deorum, ſed dæmonum, quaſi diuino cultu deberet vniuerſitas venerari: ea ratione præfixa pollicentes, vt is, qui eorum cæremonias coleret, vel ſacrificia deuotus offerret, publico ſe cognoſceret ſtipendio munerandum: quò faciliùs humanam mentem cupiditatis laqueus traheret in errorem: vt deciperetur munere, qui ratione vinci non poſſet. Eorum verò, qui Chriſtiani nominis in confeſſione perſiſterent, poſt illata tormenta iubent capitalem ſubire ſententiam, quò terrore compulſi magis, à recto tramite crudeliter deuiarent. Erat autem in vrbe Nãnetica iuuenis quidam, nomine Donatianus, clarus genere, multo tamen clarior fide, qui acerbitatem inquietis adoleſcentiæ domans, freno maturioris animi temperabat, qui in ipſo iuuentutis ſuæ tempore migrauerat in eum, quaſi in ſenẽ: & inter procellas ſpiritalis nequitiæ, ne lapſum incurreret, timor Domini ſemper proſperè eum gubernabat. Qui deſpectis idolis, cũ ad Catholicæ fidei gratiam conuolaſſet, baptiſmatis vnda purgatur: myſterio religionis imbutus, doctrina diuinitatis armatur, & ſine metu aliquo triumphum Chriſti oris ſui buccina miles fortiſſimus in populo decantabat, nolens credita talenta negligendo infodere, ne culpa abſconditæ pecuniæ non careret: ſed quaſi bonus agricola

Maij 24. Cap. 1. *Fallacia mali dęmonis.* *Donatianus egregius iuuenis.*

in gentilium pectora fruges beatæ fidei ſeminauit. Qua ſancti viri opinione florente, germanum eius Rogatianũ, adhuc in cultu idololatriæ conſiſtentem, ſuauiſſimi oris blandus odor flagranter impleuit. Qui ad fratrem, licèt ætate minorem, ſeniorem tamen credulitatis ordine, feſtinus accurrit, deprecans, vt antequam perſecutionis colluctatio appropinquaret, Chriſtiani baptiſmatis munere dotaretur: ne tam felix certamen adhuc paganum vel catechumenum inueniret, vt à fratre nihil minus in pugna, nihil minus obtineret in palma. Quod ad præſens ne ſuſciperet baptiſma, audita perſecutione, fecit ſacerdotis abſentia fugitiua: ſed quod de fonte defuit, martyrij cruor fuſus impendit.

Rogatian⁹ à fratre iuniore ad Chriſtum adducitur.

Cap. 2.

Intereà Nannetenſem ciuitatem, gentilium turba fauente, perſecutor cum inſtrumento iniquitatis ingrediens, ab vno ex circunſtantibus ciuibus his verborum ſtimulis incitatur: Moderatiſſime iudicum, opportunè venis, ad deorum religionem reducens eos, qui poſt crucifixum à Iudæis viſi ſunt aberrare. Noueris itaque Donatianum eius eſſe doctrinæ ſequacem, in quem debeas ſeueritatis tuæ ſententiam promulgare: qui non ſe tantummodò à deorum cultura ſuſpendit, verumetiam germanum ſuum iiſdem vaniloquijs pertinaciter immutauit, vt Iouem vel Apollinem, quos inuictiſſimi Imperatores venerantur, & ab orbe terrarum adorari prouidi cenſuerunt, & eorum feſta ita contemnant, vt dij noſtri, noua religione ſuccedente, deiecti ſint. Quorum interrogatione rei veritas, cùm iuſſeris, certiùs aperietur. Tunc Præſes dolore commotus, virum beatiſſimum ſuis præcepit aſpectibus præſentari. Ad cuius inquiſitionem talibus verbis exorſus eſt: De nomine tuo, Donatiane, currente relatione, cõperimus, quòd Iouem vel Apollinem, qui nobis vitam naſcentibus contulerunt, & creſcentibus hucuſque cuſtodiunt, non ſolùm contumaciter adorare recuſes, ſed etiã blaſphemijs ac conuicijs proſcindas, ac prædicatione inani populum ſaluari commemores, dum in crucifixi interitum credere diuerſos compellis. Donatianus reſpondit: Inuitus veritatem locutus es, me cunctos errore peruaſos, ad eius velle culturam reducere, cui ſoli competit vniuerſa ſeruire. Præſes dixit: Aut prædicationi ſuperfluæ moderatum finem impone, aut ſi nolueris, iubeo vitam tuam celeri fine concludi. Donatianus reſpõdit: Minas quas mihi prætendis, in eas caſurus es: & laqueum, quem mihi promittis, incurres. Qui dum falſa perſuaſione occupatus, tenebras lumini præfers, iuſti lumen Chriſti tenebroſus non adſpicis. Hinc Præfectus furore ſuccenſus, iubet ſanctum compedibus vinctum, in cuſtodiam retrudi, vt tormentorum violenta feralitas, aut perferentis fidem frangeret, aut expectantes, ne in Chriſtum crederent, impediret.

Donatian⁹ ſiſtitur coram Præſide.

Truditur in carcerem.

Cap. 3.

Tunc eius germano, in conſpectu populi conſtituto, cœpit Præſes ſub blandimenti dulcedine perſuaſionis iniquæ venena miſcere, vt quia virtute nõ cederet, oblectationis arte colla laxaret. Quem molliter appetens, ad hæc verba prorupit: Audio, Rogatiane, à deorum cultu te velle inconſultè recedere, qui tibi dignati ſunt viuendi munera largiri, & vberis ſapientiæ multiplicia dona conferre. Vnde non ſine noſtro pudore fit, ſi poſt cauſas huius intelligentiæ noua proferens, incipias inſanire. Illud itaque tibi eſt maximè præcauendum, ne confeſſione vnius Dei, plures deos in tuam perniciem ire compellas. Sed quia adhuc neſcio quo baptiſmate non teneris infectus, ſi voluntas obſtinata te non decipit, deorum indulgentia conceſſa recipies, vt in Imperatorum palatio & aula deorum, poſſis cum vitæ commercio ſortiri dignitatis augmẽtum. Rogatianus reſpondit: Optimè promittis peruerſa, cũ ſis ipſe peruerſus: qui primùm polliceris Imperatorum gratiam pòſt deorum. Sed qua ratione in arce diuinitatis colendi ſunt, qui ipſis hominibus videntur eſſe poſteriores ordine, licet habeatis inter vos participationem miſeriæ, cùm illi ſint de metallo, vos ad meliores habitus ſurdi: illi ſpiritu careant, vos ſenſu? Siquidem qui in ſaxis religionem ſuam conſtituit, non aliud fit ipſe, quàm quod colit. Tunc iudex miniſtris imperans, dixit: Et hic inſenſatus, cum doctore inſipientiæ in carcerem detrudatur, vt ſequenti die deorũ ac principum illata iniuria, vltore gladio cenſura publica vindicetur. Sic tenebrarum in lecto duo fidei luminaria recõduntur: ſed plùs carcer illuſtrabatur ex gloria, quã martyres grauarentur ex pœna. Beatus autem Rogatianus ſine baptiſmatis gratia ſe præuentũ eſſe contriſtatur: ſed hoc ſibi ex fide credidit eſſe pro lauacro, ſi fratris ſui catholici oſculum mereretur. Quo comperto, beatus Donatianus pro germano his verbis fudit preces ad Dominum, dicens: Domine Ieſu Chriſte, apud quem hoc obtinent prõpta vota, quod facta quia vbi non potuiſſe impedit, ſufficere creditur voluiſſe: cùm nobis donaſti eligere, tibi ſoli poſſe ſeruaſti: ſit famulo tuo Rogatiano pura fides donum baptiſma-

Rogatiano blanditur Præſes.

Rogatian⁹ ducitur in cuſtodiam.

Precatio Donatiani.

ptiſmatis,& ſi contigerit craſtina die nos feriente gladio interire,ſanguinis effuſio fiat ei chriſmatis ſacramentum.

Qua oratione completa corde & voce vigilijs noctis tranſcurſis, ſimul lumine cũ die relato,& carnificis vulnera,& præmia Domini ſui expectabant. Sequenti verò die Præſes pro tribunali reſidens,confeſſores Chriſti in conſpectu populi præcepit aſſiſti. Educitur intereà de carcere lugubri gaudium cæli, de ſterili ſede fructus Eccleſiæ, de ſpinarum germine flos coronæ.Conſtricti vinculis,liberi erant votis,quos in Chriſto ipſa tormenta reddiderant fortiores. Quibus coràm poſitis, affatus eos eſt Iudex : Cũ indignatione,inquit,ordior,ne, dum vos molliter alloquor, ſeueritatis publicæ vis frangatur: qui deorum religionem aut non colitis ignorando,aut (quod eſt grauius) non neſciendo calcatis.Tunc martyres reſponderunt.Scientia tua, quæ deterior eſt totius ignorantiæ ſtultitia,ſimilis ſit dijs veſtris,quos in metallis ſenſu carentibus adoratis. Nos verò pro Chriſti nomine parati ſumus excipere, quicquid terroris inueneris:quia non hic vita noſtra diſpendium patitur,ſi illi reddatur, à quo ſumpſit exordium,& in futuro multiplicatæ lucis fœnore muneretur.Tunc dolore Præſes impulſus, iuſſit eos in eculei cataſta ſuſpendi : vt etſi animos eorum non mutaret,tamen membrorum lineamenta ſoluerentur in pœna:credens furori ſuo ſe conſulturum, ſi carnifex,licèt ad animam non perueniret,vel per tormenta corpus mactaret:ad hæc miniſtris imperans,vt poſt expenſa ſupplicia à ſpiculatore eorum capita truncarentur. Tunc lictoris inſania,vt de crudelitate iudici complaceret,vel magis vt creſcerent ornamenta martyrij,lancea militari perfoſſas ceruices beatiſſimorum, gladio vibrante præcidit. Sic ad Chriſti gloriam venientes, dum beatus Donatianus lucratur germanum, & meruit germanus martyrium:iſte fit illi cauſa ſalutis, ille fit iſti palma mercedis : & multiplicis gratiæ pignore redundante, conſummatione felici, ſpe remunerationis ſuffulti,ad æterna præmia meruerunt accedere,per vulnera laureati : Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum,Amen.

Cap. 4.

Iudex terret martyres, ſed fruſtrà.

Cæduntur capite martyres.

VITA S. ZENOBII EPISCOPI FLORENTINI, AVTHORE IOHANNE ARCHIPRESBYTERO *Aretino.*

PROLOGVS AVTHORIS AD IOHANNEM RECTOrem eccleſiæ S. Michaëlis.

CVM non ſolùm eccleſiæ tuæ adminiſtrationem, Iohannes pater optime,omni cura & diligentia & ſolertia proſequaris,nec eorum quicquam omittas,quę ad preſbyterij tui officium ſpectant:verùm tanta etiam ſacerdotum antiquorum,à quibus prima eccleſiarum inſtituta ſuſcepimus,laude inflammaris, vt nihil eorum abſconſum,nihil obſcurum,nihil denique ineptè ſcriptum iacere patiaris:qua de re,cùm Græci pro concilio celebrando ad hanc Florentinam vrbem conueniſſent,laudes quaſdam & geſta beatiſſimi patris noſtri Zenobij ab illis penè incognita extorſiſti.Cuius vitam inclytam licèt ex noſtris aliqui conſcripſerint,quia tamen ex his,quæ à ſingulo recitantur, quilibet digna etiam relatu omittit,aliaque gratiſſima ex Græcis habeantur,quæ eorum nullus cõſcribit:viſum eſt tuæ charitati,me quidem inexpertum cogere,vt ea omnia recto ordine & vnico ſermone contexam. Et quia negare nequeo,quicquid iniungis nimia tua ductus dilectione, experiar quæ hortaris. Malui enim excipere ruborem pudoris, quàm non exequi iuſſionem tuam,cuius precibus nonnunquam ipſe pater Zenobius, à Deo per te poſtulata impetrando,obedire videtur:nec immeritò,qui eius virtutes ab ineunte pueritia imitari conatus es.Agam ergo exemplo legentium lapides,qui cùm paulatim eos coëgerint,in vnam ſtructuram domûs componunt omnes atque coaptant. Verùm ſi non tale huiuſmodi opuſculum videris,quale ipſum fore putabas,non mihi aſcribas, ſed tibijpſi,qui bono operi miniſtrum minùs idoneum ſubrogaſti.Scio tamen,quòd hocipſum,quodcunque eſt,tibi dicatum,gratiſſimè ſuſcipies,& auidiſſimè perleges, cùm ad hoc maximo rapiaris ſtudio, nec eorum quicquam te præterire cupias, quæ ſacerdotes ſancti in hac vita geſſêre.Animaduerteſq; profectò admirabilem huius pontificis in regimine eccleſiæ curam,laborem inuictum, & ſingularia ſanctitatis inſignia

Aetas Authoris hiſtoriæ huius.

quæ vſq; ad vitæ tuæ vltimum, non ambigo, coimitari conaberis. vale pater optime, & Deum pro me rogabis.

Maij 25. Cap. 1. CLARAM beati Zenobij extitiſſe progeniem, ſiue paternam, ſeu maternam intuearis, ſcriptorum vitæ ſuæ omnium literæ atteſtantur. Is Luciano patre, claro inter Florentinos ciue, & Sophia inſigni fœmina natus eſt matre, vj. Kalend. Februarij, anno ab Domini incarnatione tricenteſimo, * triceſimoquinto, pontificatûs Syluestri Papę anno * xvij. & imperij Conſtantini xxij. Qui cùm delicatiſſimè enutriretur, à teneris pueritiæ ſuæ annis literarum ſtudijs à parentibus traditus, Grammaticam primùm & Poëticam atque Dialecticam & Rhetoricam miro complexus eſt ingenio. Et quanquàm permulta cõſpicaretur ante oculos ſuos obiecta vitiorum exempla, & quaſi mundanæ cupiditatis fomitem, tamen virili animo conſiderans virtutum acquiſitionem à vitijs ſolere intercipi, ab his vitijs, quibus illa ætas adoleſcentiæ in illa plurimùm patria ſolet implicari, integerrimus manſit.

Patria & parentes S. Zenobij. for. * 37. for. * 13.

Caſtiſsimè viuit. Nec vllo vnquàm turpi amore pellectus, ſed pernitioſa quæq; prorſus abijciens, corporis ſui integritatem ſummo ſtudio ſeruauit. Nam nulla magis vires induſtria firmat, quàm Venerem & cæci ſtimulos amoris auertere, vt Poëta inquit clariſſimus.

Virgil. 3. Georgic.

Cuius potentia, dicebant Gentiles, patris ſummi tela Typhoëa temnit, & iubet cælo ſuperos relicto, vultibus falſis habitare terras. Sed quòd Zenobius futurus eſſet Chriſti robuſtiſſimus miles, euidentiſſima ſuæ indolis ſigna præbuerunt: quippe qui puer adhuc tantam in moribus verecundiam & vultu modeſtiam habuiſſe traditur, vt ne ſemel quidem effuſè riſiſſe conſpectus ſit: quod in omni ætate dedecere, gẽtiles etiam aſſeruerunt, cùm riſu ſoluto nihil ineptius eſſe dicat Catullus, & Socrates riſum incontinentem eſſe dementis indicium.

Riſus quàm dedeceat.

Quibus contigit, vt non ſolùm ingenij felicitate polleret, ſed ſuæ patriæ adoleſcentes anteiret, euaderetq; intelligentia facilis, ingenio acer, ſermone diſertus, lectione aſſiduus, diſputatione acutus, moribus ornatiſſimus. Et præter hæc omnia inerat illi egregia quædam indoles, & ingenita vultus hilaritas, atque oculorum gratia, qua omnes homines mirum in modum ſuî amore ac ſtudio capiebat.

Cap. 2. Fit catechumenus. Et cùm iam octauum decimum Zenobius contingeret annum, catechumenus, conſẽtientibus parentibus, à beato Theodoro epiſcopo Florentino ſtatuitur. Quo tempore Athanaſius patriarcha Alexandrinus, vir doctrina & ſanctitate admirabilis, ingentes ab Arrianis pro fide Chriſti perſecutiones patiebatur, Romamq; cõfugiens, ad Iuliũ Pontificem Maximum venerat. Zenobius verò, vt diuina informari diſciplina cœptus eſt, illi toto incumbens animo, Poëtica cuncta atque gentilia, quibuſcum in teneris annis ludere ad eruditionem decuerat, abijcienda omninò à ſe curauit, dijudicans ſequentem ætatem alios exigere mores, vt Chriſtiana quæque expeteret. Intereà cùm viceſimum ætatis ſuæ annum ageret, parentes eius puellam præſtantiſſimæ formæ, prudentem virginem & ſanguine claram deligunt, quam magna cum dote Zenobio deſponſare tractauerant. Quam rem, vt primùm Zenobius compertam habuit, protinùs in Theodori per id temporis, vt diximus, Florentini antiſtitis ſinum gremiumque confugit. Cui mentem ſuam ac deſiderium ſeruiendi Deo ſeque totum inſinuans, vt virgo permanens, quæ Dei ſunt, liberè cogitare valeat, nec impedimentis detineretur vxoris: nil ſe magis abhorrere, quàm mulierum conſortium & ſocietatem enarrat, atque inſtanter ſacras baptiſmatis vndas expetit.

Baptizatur. Quod eius ſanctum deſiderium ſacer antiſtes haudquaquàm remoratus impleuit, ac protinùs omni clero Florentino ad ſe accerſito, Zenobium proprijs manibus honorificè ac celebriter terna baptiſmatis merſione conſperſit, anno Pontificatûs Iulij xj. Quo tempore Donatus epiſcopus Aretinus, ſanctitate vitæ & miraculorum claritudine in Aretio, vrbe propinqua Florentiæ, florebat.

Donatus epiſcopus Aretinus.

Cap. 3. Id præclarum facinus vbì ad parentes Zenobij famæ ipſius celeritate delatum eſt, e veſtigiò amicorum & conſanguineorum agmine facto, ſtipatiq; famulorum cuneis, Zenobium quæſituri, Theodorum epiſcopum adeunt, atq; Zenobium vnà cum præſule Theodoro atq; canonicis eccleſiæ cathedralis in Chriſti viſceribus aggregatum offendunt. In quos, ob rei nouitatẽ ira & furore perciti, ſummis conuicijs & contumelijs exarſerunt. Nam optabant Zenobiũ poſt contractas nuptias in longũ differre baptiſma, cùm & illi ętate iam decliui nondũ ſancto lauacro regenerati eſſent. At Zenobius

bius paternum furorem lenire cupiens, Epiſcopi benedictione atque licentia impetrata, & ſigno Crucis edito, pios in cælum oculos ſuſtulit: cuius linguæ Sanctus ſpiritus tantam extemplo eloquij vbertatem infudit, vt parẽtes ipſius, impio furore depoſito eum, quem paulò antè in filio baptiſmum culpauerant, ipſi mox nuda humo proſtrati ad pedes ſacri antiſtitis, ſumma prece contenderent: quem ilicò conſecuti, benedicentes atque Zenobium, cum ſummo gaudio ac propè lætitia domum regreſſi ſunt. Zenobium verò ſanctus antiſtes vnico ac ſingulari affectu diligebat, neque illum tempore vllo, quo id licuit, à ſuo latere diuelli paſſus eſt. Ac primùm Clericum, deinde Canonicum cathedralis eccleſiæ, poſtremò Subdiaconem ordinauit. Cuius vita cùm & religione in Deum, & charitate in homines indies excreſceret, ſemperq; ſeipſa fieret auctior, Archidiacono Florentino per id temporis vita hominum functo, atq; ad meliora tranſlato, Zenobius, Theodoro epiſcopo inſtituente, vicem illius ſortitus eſt anno ætatis ſuæ triceſimo ſecundo. *Ordinatus Subdiaconus.* *Fit Archidiaconus.*

Quo anno ſynodus illa magna octingentorum epiſcoporum, ferè omniũ Arrianorum, procurante Conſtantino Imperatore, apud Ariminum celebrata eſt, in qua antiqua patrum fides damnata eſt. Et Hilarius epiſcopus Pictauienſis, Arrianorum factione in Phrygiam pulſus, libros de noſtra religione conſcripſit. Et cùm penè omnes eccleſiæ toto orbe ſub nomine pacis Conſtantij tunc regis, Arrianorum conſortio pollueréntur, eſſetque multitudo non parua hæreticorum in ciuitate Florentiæ, vir Dei Zenobius, diuini verbi diſſeminator & hereticorum fortiſſimus oppugnator effectus, aduersùs illos quotidianis vel prædicationibus, vel fortiſſimis diſputationibus acriter inſiſtebat. Neque verò minùs opere quàm verbo catholicum populum inſtruebat. Nam ſibi exiguo admodùm victu & tenui reſeruato, quicquid ex reditibus ſupereſſet, in vſus pauperum diſpertiebatur. Verùm anno poſt illius promotionem elapſo, Conſtantius Arrianus Imperator moritur, & ad imperium Iulianus execrabilis tyrannus ſublimatur. Qui relicta maiorum fide, & Conſtantini magni virtute, illius pietatem impietatis magnitudine ſuperare contendit: ac per id iura omnia Chriſtianis abſtulit, perſecutionemque, etſi non publico edicto, blandam tamen & peſtiferã contra Chriſtianos exercuit, alliciens potiùs, quàm ad ſacrificandum dijs impellens. In qua multi ex noſtris voluntate propria corruerunt, & alij quidam ſecretò interfecti, vt Iohãnes & Paulus: qui beatiſſimæ Conſtantiæ, Conſtantini filiæ, eunuchi fuerant: illius amicitiam ob Chriſti amorem reſpuentes pariter & munera, Romæ in eorum domo per Terentianum campiductorem martyrio coronantur. Et Gallicanus vir patritius & conſularis, ex Oſtia ipſius Imperatoris præcepto diſcedens in deſerta Aegypti, pari modo per Auricianum comitem templorum gladio percuſſus, Chriſti martyr conſecratur. Tum verò Zenobij ſumma virtus enituit. Nam illius perfidiæ impietatem, ingentemq; nequitiam publicis & priuatis prædicationibus increpare non verebatur: & non modò commiſſas nõ perdebat oues, verùm ex paganis & hæreticis plures quotidiè Chriſti Eccleſiæ accreſcebant. *Cap. 4. Synodus Ariminea.* *Iuliani Apoſtatæ perſecutio.* *Iohannes & Paulus, martyres.* *Gallicanus martyr.*

Intereà mortuo iam tyranno, vir ſanctus Ambroſius ad epiſcopatum Mediolanenſem aſſumptus, fama & crebro rumore Zenobianæ ſanctitatis excitus, Florentinam vrbem Zenobij viſendi ſtudio aduolauit: cui vera & ſingulari amicitia & Chriſti glutino deuinctus eſt. Inde cùm recto itinere ad Damaſum, maximum Chriſtianorũ Pontificem, qui tunc aſſumptus fuerat, Ambroſius proficiſceretur, ſibi & vniuerſæ Eccleſiæ gratulatus eſt, quòd Chriſtiana religio tali viro, qualis Zenobius erat, eſſet ornata, atque mores illius & inſtituta, vitamque omnem ſibi enarrauit. Et cùm per dies corã Pontifice fama eius magis increſceret, iuſſit Damaſus ad ſe acciri virum. Qui quoniam obedientiſſimus erat, cum Ambroſio ad eum concitè properauit: & cùm illum benigniſſimè Pontifex ſuſcepiſſet, ſecumque detineret, plura multò atque maiora tum ſanctitatis, tum etiam diuinarum atq; humanarum literarum eruditionis in eo comperiſſe teſtabatur, quàm fama ipſa detulerat. Qua de re non multò pòſt renitentem eum ac diutiùs reluctantem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac ſedis Apoſtolicæ diaconem prorſus inſtituit anno ætatis ſuæ xxxviij, & principio ſecundi anni Pontificatûs Damaſi. Ea dignitas calcaria quædam ac ſtimuli augẽdæ ſanctitatis Zenobio fuit. Cùm enim alios moribus & ſanctimonia anteà viciſſet, ſeipſũ in ea dignitate vicit. Quod etiam Dominus, lucernam ſub modio vltrà non paſſus, manifeſtis miraculis per Zenobium confectis oſtendit. Nam die quadam ad eccleſiam S. Mariæ trans Tyberim cum Damaſo ibidem celebraturo contendens, à filio præfecti, qui fortè paralyticus lecto iacebat, protinus accerſitur. A quo ſumma prece ac multis lachrymis exoratus, vt ægrota- *Cap. 5. S. Ambroſius inuiſit S. Zenobium.* *S. Zenobius accitur à Damaſo.*

grotationi ſuis ſanctiſſimis precibus illum eriperet, Zenobius primùm humiliter recuſare cœpit, indignum ſe aſſeuerans, per quem Dominus miracula ederet. Inde verò precum improbitate laceſſitus, ſeſe in orationem dedit. Vnde ſimulatque ſurrexit, manu ægrotum cepit, & ſigno Crucis edito ſuper ægroti corpore, ſanum hilaremque leuauit.

Crucis ſigno ſanat paralyticũ.

Cap. 6.

Alio quoque tempore, cùm in Orientis partibus hæreſis quædam exorta fuiſſet, ad illam ſedandam à Damaſo Pontifice Maximo Zenobius Conſtantinopolim legatus mittitur, qui & acerrimis diſputationibus, & vitæ ſanctimonia, etiam ſequentibus miraculis (nam duos à dæmonibus miſerabiliter obſeſſos, coram omni populo ſua oratione liberauit) errorem illum ita repreſſit, vt nemo eam hæreſim admodùm aſſerere per omnia tempora auſus fuerit. Quibus ritè peractis, Romã reuerſus eſt. Intereà Theodoro Florentino epiſcopo luce mortalium functo, magna inter ciues hæreticorum quorundam factione de eligendo antiſtite controuerſia & concertatio naſcitur. Ad quam ſedandam & comprimendam à Pontifice Damaſo Zenobius veluti conciuis dirigitur. Honorificentiſſimè à Florentinis excipitur, adeò vt illo viſo tanta apud eos authoritate claruerit, vt à ciuitatis ingreſſu vſq; ad diuerſorij locum, à cunctis tam fidelibus, quàm hæreticis viris & mulieribus ad vnum mira concordia Zenobius epiſcopus acclamaretur. Fertur Thebanus Crates, ciuibus inter ſe diſſidentibus, in concionẽ veniſſe, orationeq; de pacis laudibus habita, lites omnes contentionesq; ſedaſſe. Sed iſtud profectò dignius tantoque nobilius fuit, quantò non paucos ciues, vt ille, ſed omnem patriam, non fucatis verbis, ſed ſanctitatis in eius conſpectu claritate lucente: non pecuniarum aut priuatæ cuiuſpiam ſimultatis gratia, ſed fidei ac religionis cauſa diſſidentem populum, pacatiſſimum reddidit. Verùm hæc pax illi, qui mentẽ in ſummo humilitatis locauerat, contraria inimicaque videbatur, & graui curarum æſtu atque animi fluctuatione perculſus, illorum precibus omninò diſſentiens, regreſſus Romam, authoritatem ſuam nil apud conterraneos valuiſſe Pontifici Summo referebat.

Mittitur à Damaſo Cõſtantinopolim.

Cap. 7.

Florentini ſtatim legatos viros duos Romam mittendos deſignant, qui Damaſo Papæ nunciarent, ſeſe præter Zenobium præſulem admiſſuros neminem. Damaſus quanquàm ægrè ferebat optatiſſimo Zenobij conſortio ſe priuari, & indignum proclamabat matrem Eccleſiam Romanam à filia ſpoliari: explorato tamen Florentinorum deſiderio, & ſancta illorum victus pertinacia, ſuo cum mœrore atq; angore, quem (neque enim immeritò) de Zenobij ſeparatione capiebat, eumipſum, ſeſe indignum proclamantem, in Florentinum epiſcopum conſecrauit, & totius Tuſciæ metropolitanum, vt atteſtatus eſt Simplicianus, inſtituit, anno ſuę ætatis xlj. & ab Domini noſtri Ieſu Chriſti incarnatione tricenteſimo * lxxvj. imperantibus Valentiniano & Valente, & Damaſi Pontificis Maximi anno ferè 4. Qua tempeſtate doctiſſimi & ſanctiſſimi viri floruerunt. Ex quibus hi plurimo ſermone prædicabantur: Hilarius epiſcopus Pictauienſis, qui ſequenti anno mortuus eſt: Euſebius Vercellenſis epiſcopus, qui primus, vt Ambroſius in epiſtola ad Vercellenſes enarrat, in Occidentis partibus monaſterij continentiam & diſciplinam Eccleſiæ, diuerſa inter ſe, vt ille ait, coniũxit: vt & in ciuitate poſitus, inſtituta monachorum teneret, & eccleſiam regeret ieiunij ſobrietate. Hic ſecundo anno poſt Hilarium moritur. Florebat & tunc Didymus Alexãdrinus, qui multa de noſtro dogmate per notarios eſt commentatus. Nam poſt quintum ætatis ſuæ annum luminibus orbatus, elementorũ quoque, vt Hieronymus ſcripſit, fuit ignarus. Gregorius Nazianzenus, cui à theologia cognomen fluxit, Pontum eo tempore profectus, vnà cum Baſilio, qui epiſcopus fuit eccleſiæ Capadociæ, viro ſanctitate & doctrina admirando, philoſophabatur. Gregorius epiſcopus Nyſſenus, ipſius magni Baſilij frater. Epiphanius Cyprius epiſcopus Salaminæ. Ipſe beatiſſimus Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus, cuius, vt ait Hieronymus, omnes ſententiæ, fidei Eccleſiæ & omnium virtutum firmæ ſunt columnæ. Florebat & tunc Baſſianus epiſcopus Laudenſis, vir omni ſanctitate præditus, atque magno Chriſti glutino Ambroſio deuinctus: de quo ipſe Ambroſius in epiſtola ad Felicem meminit. Erat & tunc Hieronymi presbyteri nomẽ per vniuerſum orbem celebre. Auguſtinus verò adhuc in Manichæorum hæreſi perſiſtebat. Alijq; complures erant, quorum illa ætas fertilis magis ac magis erat.

Cõſecratur Florẽtinus epiſcopus.

for. * 70.

Eius ætatis viri inſignes.

Epiſt. 32.

Cap. 8.

Sed redeamus ad Zenobium noſtrum, cui Papa Damaſus præclarum munus, duo corpora ſanctorum, videlicet Abdon & Sennen, dono dedit, quaſi mutuæ inter ſe amicitiæ futurum poſteris monimentum. Quæ in maiori eccleſia, videlicet ſancti Sal-

uatoris, ſub altari Zenobius capſa plũbea collocauit. A Florentinis verò tanta lętitia, animo geſtienti exultatione ſanctus epiſcopus exceptus eſt, vt ab eius ingreſſu ob ingẽtem lætitiam plures dies feſtos ſolenneſque agerent. At ſanctus Zenobius quantò magis à Domino exaltabatur, tantò ſtudioſiùs ſeipſum humili cogitatione deprimebat. Corpus etiam longa inedia, multis vigilijs, aſſiduis orationibus, hiſpidis hirſutiſque cilicijs ſub clericali habitu, maiori, quàm vnquam caſtigatione macerabat, priuatis lectionibus, confeſſionibus, conſilijs, publicis prædicationibus, atque aduersùs hæreticos publicis diſputationibus incumbebat. Omnes denique cathedralis eccleſiæ prouẽtus, præter exiguum ſui ac familiæ cõdecentem victũ, in Chriſti pauperes diſtribuebat. Habitabat autem iuxta eccleſiam ſancti Saluatoris, vbi & paſtorale officium exercebat. Sed cùm à publicis curis & populari tumultu pro tempore, vt quietiùs orationibus vacaret, ſe reuocare voluiſſet, ad baſilicam quandam paruam, versùs Septentrionem, tunc parumper à ciuitate diſtantem, accedere conſueuerat, quę ſub honore beati Laurentij martyris ab Ambroſio, vt atteſtatur Laurentius epiſcopus Melphitanus, effuſa Florentinorum fidelium celebritate, dedicata fuerat, & ipſa Ambroſiana vocabatur. In qua pro eo tempore vitam penè eremiticam ducens, duobus, Eugenio Archidiacono, & Creſcentio Subdiacono, comitibus in Chriſto ſolabatur. Quorum conſortio Ambroſius ipſe pluries admixtus interfuit, & multa ibidem per vtrunq; Ambroſium videlicet atq; Zenobiũ, æqualis vitę, nec diſſimilis meriti, Dominus miracula fecit. Et, vt refert B. Simplicianus, ab eodem Ambroſio ea eccleſia donata fuit corpore beatiſſimi Marci Papę. Quod cũ à Damaſo Pontifice Maximo magnis precibus impetraſſet, in lignea capſula ſub altariolo, ad Orientem diſpoſito, quod ipſe idem in honore Vitalis & Agricolę conſecrauerat, magna deuotione condidit. In eadẽ baſilica in ingreſſu contra Meridiem, corpus Panſophij Panſophię filij requieſcit, quem Simplicianus olim ſe pręſente Ambroſium à mortuis ſuſcitaſſe enarrat, & capiti eius ſuppoſitũ fuiſſe libellum affirmat, quẽ Ambroſius, illius vitã ſalutiferis inſtituens documẽtis, ei conſcripſerat, atq; ipſius matrem ibidem tumulatã, cuius vitam caſtã ſanctamq; fuiſſe affirmat. In eadẽ baſilica poſt tranſitũ Ambroſij ex humanis, ſcripſit Paulinus, Nolanæ eccleſiæ ſanctiſſimus epiſcopus, Zenobiũ noſtrum animam illius ad altare pro Florẽtino populo, vt illis petentibus ſe viſitaturũ promiſerat, Deum orantem pluries vidiſſe. Nam Paulini verba hæc ſunt: In Thuſcia etiam ciuitate Florentina, vbi nunc vir S. Zenobius eſt epiſcopus, quia promiſerat Ambroſius, ſe, petentibus illis, eos ſæpiùs viſitaturum, frequenter ad altare, quod eſt in baſilica Ambroſiana, quæ ibidem ab ipſo cõſtituta eſt, viſum orare, ſancto viro ſacerdote Zenobio referẽte, didicimus. Hoc vir ille charitate plenus, de Ambroſio & Zenobio noſtro teſtimonium retulit, quẽ in humanis adhuc degentem, ſanctũ appellare non dubitauit. Nec immeritò, cùm vitam ille duxerit angelicam, & ſtupenda per illum in hac vita Deus operatus ſit miracula.

Corpus ſuũ vt afflixerit

Baſilica Ambroſiana S. Laurẽtij.

Panſophius à S. Ambroſio excitat.

In Vita S. Ambroſij.

Nam cùm mulier quædã pagana, illuſtris, & diues valdè, in hac Florentina ciuitate mortuo viro, duos ſuperſtites haberet filios, quos delicatiſſimè enutrierat, & ad perfectam illi iam perueniſſent ætatem, quodã die in iram verſi, matrem propriam pluribꝰ verberibus enormiter flagellatunt. Quod ſcelus ipſa impatienter abhorrẽs, corpora illorũ horrendis imprecationibus deteſtata fuit, genibuſq; procũbens & terram manibus pulſans, Erynnen cæteraſq; infernas peſtes in rabiem filiorum magno cũgemitu inuocat. Exaudiunt dæmones ab imis tenebris: iuuenes congrediuntur, illos in furias exagitant. Qui ſtatim vt rabidi canes mordaciter adinuicem ſua membra corrodunt. Concurrunt famuli, fit clamor ingens. Alij funes, alij catenas ferunt. Ligãtur iuuenes, nec rabie contineri valent. Iam mater pietate commouetur in filios, iam facti pœnitet, & tantæ calamitatis euentum deflet: plangit, nec quid inde agat, cogitare valebat. Interim occurrunt memoriæ, quæ de Zenobio audierat, & accepto cõſilio ſpeq; pro filijs recuperandæ ſalutis, licèt pagana ſit, tamen credula ad Zenobiũ filios adduci procurat. Cuius ipſa pedibus prouoluta, fatetur rem geſtam, Deum ſuum exorare dignetur precibus & lachrymis fideliter orat. Ille infelicem iuuenum captiuitatem miſeratus, pieque commotus, ait ad mulierem: Conſtanter age mulier, & crede, quod Dominus noſter Ieſus, qui illos modò poſt orationem meam ſanitati reſtituet, verus eſt Dei filius, & omnium creator & Dominus. Et ſtatim in baſilica Saluatoris, vbi aderant, coram vexillo Crucis ſe proſternẽs componit: vbi cũ duabus horis in oratione iacuiſſet, hoc eſt, à prima diei hora, qua illi aduenerant, vſque in horam tertiam, ſurrexit ab oratione, & iuuenes ſigno Crucis benedicens, dæmones ab illis prorſus effugauit, vt in eo compleretur, quod ſcriptum eſt: Perſequar inimicos meos, & compræhen-

Cap. 9.

Vltio in filios matrẽ verberãtes.

Zenobius precibus & ſigno Crucis depellit dæmones.

Pſalm. 17. hendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Affligam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſub pedibus meis: quia præcinxiſti me virtute ad bellum. Illi verò ſaniſſimi effecti, vnà cum matre & omni familia conſtituto tempore baptiſmi gratiam ſuſceperunt: qui vſque ad Simpliciani tempora, ipſo atteſtante, in feruore fidei magna ſanctitate durabant.

Cap. 10. Nec multo tempore pòſt, mulier quædam Gallica, nobilis & generoſa, Romam magno comitatu contendens, rumore admirabilium Zenobij virtutũ excita, ad eum inter iter agendum viſendi ſtudio venit. Cuius ſanctiſſimæ vitæ meritis ædificata, vnicum filium ſuum ex itinere debiliorem factum, iter inceptum peragens, viro Dei ſtudioſiſſimè commendauit. Caſu venit in natali die Apoſtolorum Petri & Pauli, cùm de more Chriſtiano ſanctus Dei Zenobius vnà cum clero ſuo & fideli populo ad eccleſiam ſancti Petri maioris, ordinaria proceſſione commeâſſet, præfata mulier inclyta reuerſa ex itinere, eadem hora, per quam ſanctus abfuerat, filium ſuum vita exceſſiſſe cognouit. Ilicò muliebres panduntur crines, fit lanea veſtis: cum fletu & eiulatu dolor fœmineus vberes diſtillat in lachrymas. Quæritur Zenobius. Cui tandem redeunti cum clero & Chriſtiano populo à præfata eccleſia magnis plangoribus ſe dat obuiam, atque pro pedibus ipſius puerile cadauer exponitur, & pro filio mortuo rediuiuus non minùs fideliter quàm humiliter à pia matre repoſcitur. Nanque pro ſui exaggeratione doloris, vnicum fuiſſe ſibi filium prætendebat, nobilem genere, honeſtiſſimum patrimonio, conſanguinea numeroſitate potentem. Quem præter omnium ſuorum mentem ſecum aduectum fuiſſe aſſerebat: vnde, niſi per ſanctum vitæ redderetur, nunquàm ſe ab integro viſuram patriam, ſed ibidem perpetuo luctu & ſqualore permanſuram ſeſe, firmabat iuramento. Sanctus verò rei nouitate, & mulie bri lamentatione tanquam attonitus ac ſtupidus hæret, neſcio vtrùm magis miſeratus, an matris collachrymantis gemitum, an apud ſe depoſiti pignoris interitum. Quæ res etiam ardentiùs ſanctum pro defuncto filio ad orandum impuliſſe debuit, ne videlicet pignus, quod à matre acceperat, repetenti ſibi quoquo modo deterius redderetur. Itaq; Deũ oraturus, versùs Oriẽtem genua ſacra deflexit, & iunctis duplicibus palmis atq; in cælũ extenſis, oculis etiã in ſuperna porrectis, pias orãdo lachrymas fudit: & ſuper defuncto puero ſigno Crucis formato, manu puerum cepit, atq; ab oratione ſurgens, illũ pariter rediuiuum erexit. Quo viſo miraculo, populus omnis ſtupore pariter & timore perculſus, Deum vna voce collaudans & dicens: Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula, qui per ſanctos tuos mirabilia operari non ceſſas: Epiſcopum domum vſq; ſunt comitati. Illa verò nobilis mulier vnà cum puero, cæteriſq; itineris ſui comitibus, pluribus diebus apud ſanctum Dei virum ſumma iucunditate peractis, in Galliam ſumma cum lætitia reuerſa eſt.

Oratione & Crucis expreſſo ſigno mortuum vitę reddit.

Cap. 11. Zenobius interim parentibus ſuis è corpore commigrantibus, quæcunque ſibi hæreditario iure debebantur, vendita, in pauperes erogauit, præter eas poſſeſſiones, quæ apud Paſtinianum habebat agri Florentini, diœceſis verò Feſulanæ locum. Eas enim non vendidit: ſed amplo ibidem conſtructo cœnobio, duodenarium in eo numerum monachorum inſtituit, qui ſepti clauſtris, vitam ſub Abbate cœnobiticam ducerent. Sed nec illud tacendum eſt, quòd quidam multos annos cæcus, qui pro foribus templi mendicare ſolebat, quadam die Zenobio eccleſiam egrediente, vt ſui miſereretur, exorabat. Sanctus verò ad eum conuerſus, ſciſcitabatur, an lumine ſibi reddito, Chriſtianam fidem profiteri vellet. Ad quem ille: Libentiſſimè, inquit, atque gratiſſimè. Tũc ſanctus ſignum Crucis effinxit ſuper cæci oculos, & reſtituta integrè luce corporea, interiorem quoque lucem fidei, qui vtroq; cæcus extiterat, per baptiſmi gratiam conſecutus eſt. Tempus autem omne, quod accepto baptiſmo ſuperuixit, diuinis (ne ingratus conſecuti muneris haberetur) dedicauit obſequijs. Nec minùs eius mater & ſoror ſimilem ob hoc gratiam ſunt conſecutæ.

Cœnobiũ extruit.

Signo Crucis cæcum ſanat.

Cap. 12. Quodam tempore cùm ad viſitandam Ambroſianam eccleſiam, prope muros ciuitatis versùs Septentrionem, vt diximus, poſitam pedibus iret, fortè illi data eſt obuiàm multitudo ciuium, funus adoleſcentis cuiuſdam nobilis efferentium. Quam cùm ſanctus Dei declinare vellet, citiùs præuentus nequiuit. Extemplò enim aſſunt, & circa ſanctum corona facta, vt conciuem reſuſcitaret, qui peregrinæ mulieris filium vitę reddiderat, conclamare cœperunt. Sanctus vt euitaret arrogantiæ & præſumptionis maculam, multa excuſatione indignum ſe obtendebat, qui Apoſtolorum ſanctorumque miracula conſequi quoquo modo poſſit. Suſcitatum verò Gallicæ mulieris filium, non ſuis meritis, ſed matris fidei adſcribendum dicebat. Quam illi excuſationẽ

cùm nullo pacto acciperent, ſanctus eorum fide perſpecta, ſeſe in orationem dedit. Et primò admonitis, vt Kyrie eleiſon pia voce clamarent, ipſe contra Orientem flexis de more genibus, coniunctis manibus, luminibus in cælum erectis, Deum intentiùs exorauit. Oratione completa, ſanctus pariter cum adoleſcente & ſtupore, omnium conſurgit. Abijtque adoleſcens in pace, & laudans Deum, longo tempore ſuperuixit. Excitat defunctum.

Quis etenim illud ſilentio præteribit, quòd concedens ſanctus præſul quodam tempore quandam trans Alpes eccleſiam conſecraturus, quibuſdam obuiauit quàm miſerabiliter flētibus? Quos cùm pater ſanctus, quanam gratia flerent, interrogaret, eorum relatu cognouit, miſſos illos à Sancto Ambroſio præſule cum martyrum reliquijs quibuſdam, ſanctorum Vitalis & Agricolæ, Nazarij & Celſi, atq; Geruaſij & Prothaſij ad ſe perferendis: & vnum eorum, nomine Simplicium, qui inter illos videbatur eſſe maior, ex vaſtiſſima * in miſerabile præcipitium, vnà cum equo delapſum, atque horrenda morte defunctum eſſe: quem illi ipſi ita magnoperè flerent. Quo audito, Zenobius pater ſubitò ab equo deſcendens, magna veneratione reliquiarum capſulam proprijs manibus ſuſcipiens, piè deoſculabatur. Deinde eorum deuotis precibus commotus, vt qui ad ſe miſſi fuerant, remiſſos incolumes ille reciperet, cum lachrymis in oratione ante Dominum ſupra defuncti corpus ſe proſtrauit, & orationi tam diu defixus inhæſit, quouſq; exurgens viuum illum & omninò liberum ſecum erexit: nec vlla colliſionis ſigna in eius membris, ac ſi nunquā fuiſſent, penitùs videbātur. Quod alij proſpicientes, ſimulq; tanto ſtupentes miraculo, in laudes Dei proruperunt, ſteteruntque diebus plurimis cum beato Zenobio, atque læti deinde ad B. Ambroſium redierunt. Cap. 13. Item alium.

Sed quoniam de Eugenio & Creſcentio, miniſtris S. Zenobij mentionem fecimus, quos vt ſanctiſſimo præſuli miniſterium, ita virtutes animi & cæleſtiū gratiarum magnificentia concordabat: non ingratū forè putaui, de illorum conuerſatione & vita, q̄ à Simpliciano & alijs ſparſim cōſcripta comperi, vero ordine & noſtro ſermone hoc loco contexere. Nam opera magna fuerunt illis & virtutes multæ, ſignaque plurima & prodigia fecit per illos Dominus: de quibus quæ cum B. Zenobio operati fuerunt, aliqua enarrabimus. Habuit enim illos Zenobius non ſolùm ad altare miniſtros, ſed & in alijs prodigijs magnis coadiutores. Eugenius igitur, genere Florentinus, locupletibus & generoſis parentibus natus eſt: primùm ſecularibus literis eruditur: Deinde cùm eius pater, Clarus nomine, in familiaritatem, amicitiamque beatiſſimi Ambroſij deueniſſet, illi eccleſiaſticis diſciplinis erudiendus traditur. Nam quodam tempore, dum Mediolanum Clarus ob negocia propria petiturus eſſet, ad Zenobium, vt eius patris benedictione muniretur, acceſſit. Cui cùm cauſas etiam ſui itineris explicaſſet, adiecit interrogans, ſi ſancto epiſcopo Ambroſio per ſe aliquid portandum, dicendum' ve iuberet? Cui pater Zenobius: Cupio illum iterum atque iterum reuiſere, atq; illius ſacris eloquijs ſæpiſſimè recreari, quo haud iniuria ſatiari non poſſum. Verùm cùm ad illius ſanctitatis conſpectum intraueris, omni veneratione ſalutem ex me dicito, atque vt promiſſa implere non differat. Manumq; deinde extendens, benedixit illi: & abijt in pace. Cùm ergo Clarus Mediolanum peruenit, ſtatim ad epiſcopalem Ambroſij domum properat. Et quia vir erat nobilis & probus, conſtanter, humiliterque ad epiſcopum ingreditur. Et ex more Chriſtiano, benedictione primùm impetrata, magna deinde cum reuerentia, quæ à Zenobio acceperat, ſancto præſuli enarrabat. At ille vbi Zenobij nomen audiuit, vultu exhilaratus, Clarum ipſum quàm iucundiſſimè ſuſcipiens, & plura ſuper Zenobio rogitās, cùm omnia pro voto audierat, illum, ne alibi, quàm in epiſcopali domo ſecum omni tempore, quo degeret Mediolani, hoſpitaretur, benignè coegit. Et per illum deinde, cùm ſuis peractis negocijs Florentiam rediret, pulcherrimam Zenobio direxit epiſtolam. Cap. 14. De Eugenio Archidiacono, & Creſcentio Subdiacono. Eugenij hiſtoria.

Contigit non multo pòſt tempore Ambroſium, cùm fortè Romam peteret, Florentiam aduentaſſe, & ad Clari domum, multo ipſius rogatu, multiſque precibus adſtrictum, conſentiente etiam Zenobio, diuertiſſe. Quem ille, vti talem decuerat virum, magnificentiſſimè ſuſcipiens, in pignus amoris, & firmiſſimæ amicitiæ fœdus, vnicum filium ſuum Eugenium ſibi, clericalibus diſciplinis, diuiniſque mancipandum, penitùs elargitur. Quem Ambroſius, inſpecta adoleſcentis egregia indole & docili natura, non abſque coniectura futuræ ſanctitatis, gratiſſimè ſuſcepit. Nam vigent acerrimè ſanctorum ingenia, & ipſa animi puritas ad coniectanda, quæ futura ſunt, ex minimis licèt indicijs, felicitate tamen animi atque ſapientia, rerum ſolet euentus Cap. 15. Eugenius à parente traditur S. Ambroſio.

exituſ-

exituſque colligere. Illum ergo ſecum duxit Mediolanum, & ſanctiſſimis documentis vitam illius inſtituens, Clericum primùm fecit, atque ſacris lectionibus plurimùm erudiuit. In quibus tanta induſtria, cura, ſtudioque inuigilauit, &, in ſingulis ita illius patris vitam æmulatus eſt, vt ab omnibus penè alter Ambroſius diceretur. Nam erat largitate diuini muneris fultus, & in operibus ſuis ac verbis prudens valdè, atque humilitate & contritione cordis admirabilis, in ieiunijs ſedulus, in vigilijs intentus, in oratione ſolicitus, nunquàm penitùs omittens, quo ſpiritalis gratiæ maiora munera ſectaretur. Denique tam præclarum atque fulgentem conuerſatione eius animum Ambroſius cernens, mirum in modum eum dilexit, & ſuum deinde Subdiaconem ordinauit, atq; illum, cū ad clericos ſermonem haberet, exemplū edixit. Et in quadā epiſtola ad Marcellinam ſororem, etiam de illo teſtatus eſt: Imitare Eugenium, ſequere illum, & inſtituta illius obſerua: quia & Chriſti diſcipulus, ac vir prudens ac cæleſtis habetur. Poſt quatuor verò à tempore ſuæ ordinationis in Subdiaconem annos, rogatu plurium Florentinorum, cùm Florentiam Ambroſius peteret, ſecum eum duxit. Quem ſui conciues ſummo cum honore ac lætitia ſuſceperunt, & pater filium ſibi perſpiciens tot muneribꝰ decoratum, incredibili geſtiebat gaudio. Quid plura? Nunquàm ceſſauit, quin ſuis inſtantiſſimis precibus ab Ambroſio impetraret, illum Zenobio Pontifici & Florentinæ eccleſiæ ſubdiaconem tradi. Cedit Ambroſius voluntati patris & ciuium: traditur Zenobio Eugenius. Quem pius pater magna alacritate & gaudio ſuſcipiens, pro eo orauit ad Dominum, dicens: Memento, Domine, ſtudiorum famuli tui, & ne auertas miſericordias tuas ab illo: ſed creſcant in illo miſerationes tuæ perpetuò, & viuat. Et tractu temporis, cùm iam triceſimum ætatis ſuæ annum duceret, & per omnia vir ſanctus haberetur, Florentinæ eccleſiæ archidiaconem ordinauit. Quod officium B. Eugenius incredibili ornauit religionis decore, & quibuſdam quaſi virtutum gradibus ad perfectæ fidei conſtantiam aſſcendere videbatur: vt non ſolùm eccleſiaſtica ſuę eccleſię negocia, ſed etiam conuicinarum vrbium diuino quodam eloquio tractare videretur.

Eugenij virtutes. *Eugenius fit Florentinus Archidiaconus.*

Cap. 16. *Creſcentius ordinatur ſubdiaconꝰ.*

Eodem ferè tempore Creſcentium canonicum ſuum B. Antiſtes Zenobius in ſubdiaconem elegit, virum verè ſanctum, & plurimis virtutibus atq; miraculis illuſtrem. Quippe qui erat potentiſſimus fide, præditus innocentia, humilis conuerſatione, intellectu prudentiſſimus, & bonis moribus atque diſcretione perfectus. Omni namque virtute præſulem ſuum æmulari nitebatur, & diuino igne ſuccenſus, meditabatur in lege Domini diebus ac noctibus. Plantatuſque in domo Domini, florebat vt palma, & multiplicabatur, ſicut cedrus Libani, fructus eius. Nam cùm Mediolanum ſemel peteret, vt Ambroſium viſitaret, plures à dæmonibus obſeſſos ſua oratione liberauit, paralyticos aliquot diuerſis temporibus in ciuitate Florentiæ penitùs curauit, & duobus omninò cæcis, pluribus adſtantibus, luminis claritatē reſtituit. O verè felix ætas, in qua Dei Eccleſia tot clariſſimis terſiſque luminibus valuit illuſtrari! Fuerant priùs Imperatores pagani, qui vbique contra Chriſtianos perſecutionum procellis deſæuiebant, & innumerabiles penè martyres in toto orbe per varia & exquiſita ſupplicia vſq; ad mortem in Chriſti nomine perdurarunt, nec minùs fidelium multitudo per omnia loca cingebatur. Poſt perſecutionem verò Diocletiani, & Maximiani crudeliū principum, plenitudo gentium, vt diuinitùs præordinatum fuerat, intrauit in mūdum, & fœcunditas Eccleſiæ cœpit fructus ampliſſimos exhibere. Nam qui ætate illa in Chriſto credebant, conſiderātes martyrum paſſiones, et eorum ſyncerum circa Chriſtum confeſſionis affectum, cœperunt & ipſi per gratiam Domini ſanctorum vitam, conuerſationemq; ſectari, & huius inſtitutionis fieri, vt in nullo prorſus antiquiſſimis patribus inferiores exiſterent. Aequiparantes etiam merita illorum, qui pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti certauerūt vſq; ad ſanguinem: quippe qui inuiſibilium hoſtiū molimina ſuæ vitæ integritate omninò deſtruxerunt. De quibus ait Apoſtolus: Non eſt nobis colluctatio aduerſùs carnē & ſanguinē, ſed aduerſùs principatꝰ & poteſtates, cōtra rectores tenebrarum harum, cōtra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibꝰ, quorum multiformes illi præcauētes incurſus, & caput ſerpētis antiq fortiter cōterentes, ſempiternis præmijs ſunt beatè potiti. Hinc illi, Alexander, Athanaſius, Nicolaus, Donatus, Martinus, Ambroſius, Zenobius, Auguſtinus, Epiphanius, Paulinus, Eugenius, Creſcētius & mille alij ſanctiſſimi Epiſcopi & Leuitæ, qui eadem penè ætate florentes, fructus vberes mundo non ſolùm ſanctiſſima doctrina, ſed mirificis etiam prębuerunt exemplis. Creſcebat indies fidelium multitudo, & per omnia loca mirabiliter augebatur, nec non eccleſiæ quamplurimæ & martyrum memoriæ conſtruebantur.

Martyres. *Cōfeſſores.* *Epheſ. 6.*

Imp-

Impenſiùs hinc monachorum cateruis ſolitudines & deſerta decorabantur loca. In ſolitudinibus erant errantes & montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ. Quietem denique ſolitudinis appetentes, gaudia ſalutis propriæ ac fidem, diuino ſunt munere conſecuti, cæteriſque mox exempla ſublimioris vitæ ſacratioriſque præbuerunt. Omnibus enim terrenis exuti negocijs, adhuc morantes in corpore, angelorum æmulati ſunt ſanctitatem, perq́; faſtigia ſcandentes celſa virtutum, vltra admirationem enituere mortalium. Nam erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè poſita, qui magni Eliæ & Eliſæi, necnon & S. Iohannis Baptiſtæ exiſtens æmulator, ſecreta interioris eremi, ſtudio ſectatus eſt ſingulari. Cui ſanctus Athanaſius, ciuitatis Alexandrinæ antiſtes, proprio ſtylo teſtimonium perhibuit, dignus ſanè relatione conuerſationis Antonij, qui fratrum precibus, vitam illius pro multorum vtilitate deſcripſit. In quo opere S. Ammonis meminit, à quo, Deo dante, primùm iacta fuerũt fundamenta conuerſationis millium ſanctorum monachorum, qui in monte Nitriç commorabãtur. Necnon & Theodori, ſancti admodũ viri, qui cum ſene præfato fuerat, vt idem nobis pontifex indicauit: quẽ ſingulari ac perfecto propoſito & fide nõ ficta Deo ſubditum, multiplicia retulit diaboli machinamẽta ſuperaſſe. Quid de Paulo primo eremita dicemus? Cuius vitã à B. Hieronymo deſcriptã cũ legimus, inimitabilẽ pene ab humanis iudicamus. Quid de Hilarione? Cuius geſta ſi Homerus intelligeret, vel inuideret materiæ, vt ait B. Hieronymus, vel ſuccumberet. Hinc innumerabiles pene in omnibus regionibus ſanctorum monachorum fluxerunt turbæ, quorum nomina deſcripta ſunt in cælis. Vt id tunc non ſolũ de ſanctiſſimis pontificibus, ſacerdotib. & Leuitis, qui in ſeculo degentes, monachorum continentiã & eccleſiaſticam obſeruabant diſciplinam: ſed & de monachis & Chriſtianis penè omnibus impletũ videretur, quod in pſalmis canitur: Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eã. Sed proh dolor noſtris temporib. penè defecerunt omnia. Iã nõ niſi auaritia, luxuria & ambitio regnãt. Iam in fæce ſeculorum cõſtituti videmur, & inter paucos religio Chriſtiana ſeruatur. Sed hæc hactenus, nunc ad geſta ſanctorum reuertamur.

Cap. 17. Monachi & Eremitæ. S. Antonius. S. Ammon. S. Theodorus. S. Paulus. S. Hilarion. Pſalm. 64.

Cùm puer quidam delicioſè enutritus atq; vnicus matris viduç, annorũ quinq; in via iuxta cathedralem ſancti Saluatoris eccleſiam ludẽs, puerili ter verſaretur, caſu auriga prætereunte, boues in furias agitati, in puerum irruerunt. Quorũ impetu oppreſſus puer, & à rota plauſtri miſerabiliter contritus, expirauit. Quem caſum vbi mœſtiſſima mater reſciuit, lamentabili planctu deplorans puerum ſuſtulit, & pannis inuolutum ad Diaconem Eugenium accurrens, attulit: ipſumque vt ſanctiſſimo patri Zenobio vitæ reſtituendum offerret, luctuoſiſſima prece obſecrabat. Eugenius verò, viduæ fide inſpecta, pietate magna commotus, oblatum puerum cum lachrymis ipſe benigne ſuſcipiens, pedibus ſancti præſulis vnà cum mortuo puero ſe expoſuit, & vt matri viduæ atque fideli miſereri velit, puerumq́; magna cum fide oblatum ſuſcitet, exorabat. Tunc pius pater Zenobius, conuocato etiam Creſcentio ſubdiacono: Oremus, inquit, fratres, vt mulieris huius fidem precibus ſeruorũ ſuorũ reſpiciat Deus, & pietatis ac miſericordię ſuæ meritum illi oſtendere dignetur. Quod, cùm ab oratione ſurgerent, factum eſt. Nam eleuatus puer, ita ſanus factus eſt, vt nullum in eo læſionis veſtigium penitùs videretur: & matri, quæ pro foribus cum pluribus cunctabatur, ab Eugenio viuus puer pro mortuo ac ſaniſſimus redditur. Tunc qui cum ea triſtes aduenerant, & quem mortuum attulerant, viuum conſpicientes, exclamare cœperunt: Gloria tibi Domine, qui mirabilia per ſeruos tuos operari dignatus es. Gloria ſit tibi & laus in ſecula ſeculorum, Amen. Verùm ante Zenobium prçſulem hi duo eius ſanctiſſimi miniſtri Eugenius & Creſcentius, & duobus ante Creſcentium annis Eugenius, vt perpetuò cum Chriſto quieſcerent, morbo intercipiente, naturæ debitum reddiderunt: Et, vt quidam ferunt, tempore mortis Eugenij, Ambroſium Florentiam aduocatum, alij verò fortè affuiſſe deſcribunt. Sed qualitercunque hoc contigerit, compertũ eſt, patrem Ambroſium tempore tranſitûs ſui Eugenij adſtitiſſe. Nam cùm B. Eugenius, vir per omnia magnificus, graui morbo in lectulo detineretur, & propinqui cuiuſdam abſque pœnitentia & cæteris ſacramentis mortem audiſſet, grauiter commotus, cœpit illicò contriſtari valdè & mœſtus fieri. Cuius religioſæ affectioni præſul Zenobius pie compatiens, aquam cum ſale iunxit: quam benedixit & dedit Eugenio, atque præcepit, dicens: Fili, confeſtim ſurge, & accelera ad domum amici defuncti, atque hanc aquam ſuper illius corporis membra conſperge, vt in nomine Ieſu ſtatim ille reuiuiſcat, & Deo gratias agat. Quo audito, acſi in nullo pateretur, ſtatim exurgens ſanctus miniſter, atq; iniuncta exequens, ſuper defuncti cadauer aquam effudit. Qui cõfeſtim,

Cap. 18. Puerum rota currus cõtritum, ad vitam reducit S. Zenobius. Duo inſignia S. Zenobij miracula.

vt à ſomno excitatus, à mortuis reſurrexit, & cum Eugenio ad domum epiſcopi adueniens, gratias dedit ingentes Deo & B. Zenobio, cuius meritis & miniſtrorum eius, nō permiſerat Deus animam ſuam in barathrū damnationis immergi. Sed Eugenius cū primùm domi applicuit, morbo ſtatim regrauatus, ſuper lectulū ſe compoſuit, & adſtantibus Zenobio & Ambroſio, diem ſui tranſitûs edixit. Qui licet illi de requie ac gloria cum Chriſto congauderent, tamen quia ſolatio tanti viri pro eo tempore priuabantur, quem ad Eccleſiæ regimen ſuperſtitem ſibi optauerant, non poterant non mœſti fieri. & cum Creſcentio ac alijs quamplurimis clericis pſallentes, hoc pſalmo iam cœpto: Ad te Domine leuaui animam meam: cùm illud decantarent, Deus meus in te confido, nō erubeſcam: illius puriſſima anima, à corpore diſſoluta, ad Chriſtum factorem ſuum piè migrauit 5. Calend. Decembr. Anno ab Domini incarnatione, CCCC. XXI. Cuius ſanctiſſimum corpus Zenobius & Ambroſius honorificētiſſimè intra ciuitatem in baſilica Saluatoris ſepelierunt, & triceſimo à tranſitu illius die, eccleſiam ſuo nomine, ſeptimo ab vrbe Florentina milliario, parte Orientali, in prędio cuiuſdam probi viri conſecrārunt. Eodem anno & pijſſimus pater Ambroſius ad Dominum commigrauit. Et poſt duos à tranſitu B. Eugenij annos, ſanctus Creſcentius ex mortali hac & corruptibili vita ad præſtantiorem immortalemque tranſlatus eſt, cuius hîc vix vel vmbra vel imago ipſa inueniri queat, 12. Calend. Maijas. Cuius corpus Zenobius in eadem Saluatoris baſilica iuxta Eugenium honorificè ſepeliuit.

Pſalm. 24.

Eugenij felix obitus.

Cap. 19.

Cùm ergo Zenobius hos ſuos miniſtros, & alios complures diſcipulos perfectæ cōuerſationis ad Chriſtum antè præmiſiſſet, & certus iam, quòd talenta ſibi credita minimè prorſus abſcondiſſet, diem feſtum cum ingenti gratiarum actione ſuper tantis ac talibus fructibus læta mēte celebrauit. Et poſt annum tranſitus Creſcentij ipſe quoque B. Zenobius, iam dierum plenus & bona ſenectute, infirmatus eſt. Et morbo ingraueſcente, cùm iam certum ſuę reſolutionis diem inſtare clericis miniſtrantibus prædixiſſet, & fama de hoc non ſolùm per ciuitatem totam, ſed ad vſque vicinas vrbes confeſtim conuolaſſet, accurrit clerus ſuus, accurrūt pontifices ex propinquis vrbibꝰ, accurrit & religioſus populus. Inter quos multi aduenerant, qui diuerſis languoribus oratione illius fuerant liberati, aliqui ex mortuis ſuſcitati. Plorant omnes, deflent ſe priuari tanti regimine patris. Recordantur adinuicèm beneficiorum & doctrinæ ſibi impenſæ flent & geſtiunt illum ſaltem ante diſceſſum ex hac vita poſſe videre. Et qui propinquiores lectulo adſtabant, amplexabātur eum quaſi iam de ſeculo receſſurum. Alij ſanctos illius oſculabantur pedes, alij manus, alij lectulum illum, in quo iacebat, poſſe contingere ſolabantur: omnes benedictionem paternam ante ſeparationem animæ expetunt. Et ille, quanuis eſſet toto corpore attenuatus valdè ac debilis, & modicus iā calor teperet in pectore, nec præter ſenſum viui hominis quicquā ſupereſſet, faciem tamen habebat hilarem atque fulgentem, vt diuinum quid in illius mēte verſari videretur. Et potens adhuc apertis oculis loqui, iubet lectulum aliquantulùm ex ſuperiori parte eleuari, & ſic omnes alloquitur: Ego quidē, chariſſimi, viā patrum ſecurus ingredior. nam video me à Domino protinùs euocari. Vos autem mementote eorum, quæ antè frequenter audiſtis, & ſoliciti in precibus, ſobrij eſtote in operibus veſtris. Nulla vobis ſit penitùs cum Arrianis coniunctio, nulla cum Meletianis, aut quibuſcunque hæreticis & ſchiſmaticis. Cuſtodite piam fidem in Chriſto atque religioſam patrum traditionem, quam ex ſanctis ſcripturis & crebrò meæ paruitatis admonitu didiciſtis. Obedite prælatis veſtris, & poſt diſceſſum meum, quia ad clerum & populum ſpectat, ſine contentione epiſcopum vobis eligite, qui poſt Deum præſit omnibus, & curam veſtrarum gerat animarum. Iam Zenobius veſter ad Deum ſuum migrat, cui crebras pro vobis propinquiùs preces effundet, & iam non erit ampliùs in præſenti ſeculo vobiſcum. Et eleuata aliquantulùm manu, omnes benedixit, rogauitque adſtantes epiſcopos, vt ſacratiſſimis ſuis manibus eum Crucis ſigno communirent. Et paululùm extendens pedes, mortem lætus adſpexit, annorum ferè nonaginta, 8. Calē. Iunij, anno ab incarnatione Domini CCCC. XXIIII. Pontificatûs Innocentij primi anno 8. imperij verò Honorij & Theodoſij anno X. Tunc pontifices qui aderant, cum electis clericorum illius ſacratiſſimum corpus curantes, conditum aromatibus impoſuerunt ferretro, & ceruicem ſubijcientes ipſi, ad eccleſiam Ambroſianam, vbi ſe velle ſepeliri prædixit, portauerunt & pſallentes pſalmos & hymnos, honorificentiſſimè in marmorea capſa ſepelierunt.

Oratio S. Zenobij ſub vitæ finem.

Videtur eſſe mendum in numeris annorū, id quod facilè accidit.

Cap. 20.

Poſt Zenobium verò Andreas vir ſanctus & Florentinus ciuis, ad epiſcopatum aſſumitur. Qui videns miracula, quæ à Domino ob Zenobij merita in Ambroſiana

fie

fiebant eccleſia,& hunc honorem eccleſiæ maiori potiùs deberi iudicans,quinto prę ſulatûs ſui anno,conſilio cum clericis & maioribus ſuæ vrbis communicato, ſtatuit beatiſſimum Zenobij corpus ex Ambroſiana B.Laurentij ad cathedralem ſancti Saluatoris transferre. Et conuocatis ex vicinis vrbibus epiſcopis,totoque ſuo clero,diem feſtum 7.Kalend.Februar.cum præcedente ieiunio populo indixit: quò ſcilicet ſanctiſſimum Zenobij corpus magna celebritate ad maiorem tranſportaret eccleſiam. Quo adueniente die,capſula cum corpore beati Zenobij ornatiſſimè ſuper quodam lectulo componitur,illamque ſoli pontifices deportant, præcedunt clerici & ceroferarij,quorum erat multitudo non parua.Sequitur fidelis populus, primùm primi ciuitatis ac viri omnes:poſt quos mulieres ſequũtur ac pueri: Hymni,pſalmi & cantica tam à clericis,quàm à deuoto populo decantantur. Quinetiam mulieres atque pueri cantilenas,eius impenſa beneficia recenſentes, mira vocis modulatione cantabant. Omnia in Dei laude reſonare videbantur. Proceduntque pontifices, & ad plateam, quæ eſt iuxta baſilicam Baptiſtæ Iohannis,deueniunt. Multus illuc populus aduenerat, & ſtatim viſo feretro, extollunt in iubilo voces.Conatur quiſque pro viribus loculũ ipſum ſaltem contingere. Quo contigit,vt pontificibus portantibus ex nimia fieret deuotione compreſsio:cecidiſſentque cum ſancto corpore,niſi arida quædam & antiqua vlmus,cui cum loculo adhæſerunt,illos ſuſtentaſſet: quæ à tam ſacratiſſimo corpore contacta,admirata gratiam,exultauit,& videntibus omnibus, ſtatim viruit, miſitque folia & flores. Et indies cùm à deuoto populo per fruſta decerperetur, Florentini ciues,in tantę rei memoriam,marmoream cum Cruce in eodem loco columnam erexerunt,quæ in hodiernum diem vſque perdurat. Adiuti igitur epiſcopi & ſeipſos reſumentes,corpus ſanctiſſimum ad eccleſiam deferre contendunt. Sed cùm ipſius eccleſiæ ianuam introire procurant,neſcio qua diuina impediti virtute, illud omninò in eccleſiam inferre nequeunt, nec qualibet via connixi, valuas eccleſiæ ingredi poſſunt. Extolluntur clamores in populo:quidam hoc cauſam putant,quidam illud. Alij reportandum ad Ambroſianam eccleſiam proclamabant. Sed Andreas epiſcopus, vir ſanctus,magna animi fluctuatione perculſus,ad optimum confugit orationis remedium,& coram omni populo procumbens genibus,& tenſis duplicibus palmis, oculiſque in cælum ſuſpiciens,piè orauit ad Dominum, ne contriſtaretur populus ille:ſed liceret cum beatiſſimo corpore eccleſiam ingredi,& illud ſtatuto loco componere. Atque pro tanto beneficio duodecim ibidem conſtituere clericos vouit, qui in honorem ſanctiſſimi pontificis diuinis obſequijs perpetuò vacarẽt. Et oratione completa conſurgens,ſubmittit & ipſe ceruicem feretro, hortaturq; alios pontifices vnà ſecum ingredi eccleſiam. Qui Deum laudantes,omni ceſſante impedimento,cum iubilo totius populi Chriſtiani,eccleſiam Saluatoris intrârunt:& celebratis Miſſarum ſolennijs,beatiſſimum Zenobij corpus iuxta corpora Eugenij & Creſcentij miniſtrorum eius in quadam eiuſdem eccleſiæ catatumba honorificentiſſimè locauerunt. Vbi & idem Pontifex Andreas altariolum ſub ipſius nomine mira deuotione conſecrauit. Ad quod plures diuerſis oppreſſi languoribus, quotidiè concurrentes, continuò ſanabantur.

Inſigne miraculum.

Voto nuncupato, patet aditus in templũ.

Inter quos à cuncto populo ſpectatus fuit puer quidam à dæmone miſerabiliter obſeſſus:qui cùm ad liberãdum duceretur,nullatenùs eccleſiam intrare permittebatur. Nam hic,cùm olim febribus laboraret,& ob contractam ſitim,matre offerente poculum,quadragies in nocte vna bibiſſet,feſſa iam illa & ſomno oppreſſa, cùm iterùm à puero excitaretur,indignanti animo & irato poculum cùm illi porrigeret, inquit: Vnà cum hoc diabolum bibe:quo nec minus ſecutum eſt. Præſtò affuit diabolus, illius corpus obſedit,& miſerabiliter contorquebat. Et cùm plura inuanùm adhibita fuiſſent remedia,tandem à religioſa quadam fœmina edocta mater,vnà cum patre puerum Florentiam ad ſepulchrum beati Zenobij deferunt,& cùm religioſorum quorũdam clericorum orationibus adiuti,illum tandem in eccleſiam intuliſſent, perduxiſſentq; ad altare Zenobij,tumefacto primùm mirum in modum vtero, poſt temporis modicum cum fœtore horribili euanuit dæmon,nec vnquàm,quoad vixit, ad illum reuerti auſus fuit.

Cap. 21.

Vide imprecationẽ crudelis fœminæ.

Dæmon expellitur.

Interim mortuo Andrea viro ſancto,ad epiſcopatum aſſumitur Mauritius Florentinus presbyter, vir multa ſanctitate præditus,& à pluribus creditur ſub Totila martyr effectus:ſicque mortuus, in catatumba beati Zenobij iuxta Andream ſepultus fuit. Poſtquam longis temporibus plures fortè in hac Florentina eccleſia fuerunt epiſcopi,de quibus nulla apud nos mentio habetur,tandem anno ab incarnatione Domini

Cap. 22.

Catalogus Florentinorũ antiſtitũ

Iohannes. 988. ad epiſcopatum fuit aſſumptus Iohannes Velletrenſis, vir magnæ prudentiæ & conſilij: qui quindecim in epiſcopatu perdurans annis, moritur, & in baſilica beati Iohannis Baptiſtæ iuxta puteum ſe ſepeliri ordinauit. Cui beatus Podus, natione Longobardus, omni ſanctitate præditus, in epiſcopatu ſucceſſit, & plura oppida eiuſdem diœceſis muris cinxit, ſicut patet in tabula marmorea: moriturque duodecimo præſulatûs ſui anno, & in catatumba Zenobij, iuxta alios in capſa Zenobij ſepelitur. Poſt hũc Gerardus Burgundus epiſcopatum geſſit, vir multæ ſcientiæ, prudentiæ & bonitatis. Is quinto ſui præſulatûs anno in Romanum Pontificem fuit aſſumptus, anno videlicet ab Dominica incarnatione * 1020. fuitq; vocatus Nicolaus ſecundus. Cui in epiſcopatu ſucceſſit Petrus Florentinus, cathedralis eccleſiæ Canonicus, homo verſutus & Simoniacus, apud quem nemo vir bonus viuere poterat. Nam hic B. Iohannem Gualbertum de eccleſia ſancti Mimatis ſupra collem, quæ Florentinæ adſtat vrbi, ignominioſè expulit. Sed ſuorum citò ſcelerum pœnas dedit. Nam à præfato Nicolao Pontifice Maximo priuatus epiſcopatu, vitam priuatam ac miſeram duxit. Poſt hunc Rodulphus Archidiaconus Florentinus, vir optimus, epiſcopatum piè & caſtè multo tempore geſſit. Cuius temporibus cùm quidam cathedralis eccleſiæ Canonicus, in Medicina peritus, ſeruulum haberet dilectum, & is caſu ægrotaret, pro illo ad altare beati Zenobij ſæpiùs ſolitus erat orare, nec tamen minùs quicquam artis Medicinæ obmittebat, quin nimia fortè curioſitate, quæ excogitauerat, illi remedia impenderet. Et cùm hoc diffidentiæ diuini adiutorij habeatur indicium, exaudiri non merebatur. Sed cùm indies magis ac magis ingraueſceret puer, omni remediorum curioſitate abiecta, ad Zenobium multa deuotione & prece confugit. Qui cùm poſt deuotam orationem aliquantulùm corriperetur ſomno, vidit Zenobium adſtantem ſibi, & dicentem: Quia in Domino cogitatum tuum iactâſti, ſanatus eſt ſeruus tuus. Surge & vade, atque in Domino confide. Et excitatus à ſomno, ſic reperit vt audiuit.

*Margin: Podus. — Gerardus. — * 1059. iuxta Onuphrium. — Rodulphus — Seruum medici S. Zenobius ſanat.*

Cap. 23. Reinerus. Poſt Rodulphum verò Reinerus Canonicus, multa prudentia & ſanctitate præditus, aſſumitur ad epiſcopatum anno ab incarnatione Domini 1063. Hic longo tempore geſſit præſulatum, voluitque ſepeliri in baſilica B. Iohannis Baptiſtæ, iuxta locum, vbi Bartholomæi Apoſtoli eſt imago. Cuius ſepulchrum verſibus quibuſdam adhuc perdurat inſignitum. Huic ſucceſſit epiſcopus, nomine Iohãnes. Quem ſecutus eſt Gabriel. Poſt quem Nicolaus. Poſt hunc Iohannes alius. Cuius tempore reliquiæ brachij ſancti Philippi Apoſtoli in eccleſiam B. Iohannis Baptiſtæ fuerunt delatę, anno ab incarnatione Domini 1204. Huic ſucceſſit Iulianus, qui quadraginta annis vixit in epiſcopatu. Poſt quem Hardingus, qui 30. Poſt quem Iohannes de Mangiatorum familia, qui 13. annis geſſit epiſcopatum. Cui ſucceſſit Iacobus Florentinus ſimiliter, & ex ordine Prædicatorum fratrum, qui in epiſcopatu vnico vixit anno. Poſt quem Andreas de Moreijs Canonicus, qui ſimiliter vnico vixit anno. Et illum ſecutus eſt Lotarius de Toſignorum familia, archidiaconus in ipſa cathedrali eccleſia, electus anno ab incarnatione Domini 1288. vixitque in epiſcopatu annis 8. Quem ſecutus eſt Franciſcus de Bagnoria, in ea eccleſia tunc archipreſbyter. Præſulatûs cuius anno ſecundo, videlicet ab Dominica incarnatione 1298. iacta ſunt fundamenta nouæ cathedralis eccleſię iuxta illam Saluatoris, vt non ſolùm intra ſe eam contineret, ſed & initia templi admirandi de ſe oſtentaret: quo nec minus ſecutum eſt. Nam eleuatis per tempora firmiſſimis parietibus, vbi ad reuolutionem principalis rotundæq; teſtudinis deuentum eſt, non videbatur humano artificio poſſe compleri. Et cùm multa inuanùm excogitata fuiſſent remedia, ſolus Philippus quidem Brunelleſcus Florentinus ciuis, id ſuo ingenio & architectoria arte potuit perficere. Nam imitatus antiquos, ſine aliqua lignorum ſeu alterius materiæ ſtructura, ingenioſiſſimis artificijs, quibus ingentes lapidũ moles commodè eleuabat, ædificium perfectè ad cõplementum deduxit. Franciſcus verò cùm in epiſcopatu tredecim annis duraſſet, morbo confectus, naturæ debitum reddidit.

Margin: Iohannes. — Gabriel. — Nicolaus. — Iohannes. — Iulianus. — Hardingus — Iohannes. — Iacobus. — Andreas. — Lotarius. — Franciſcus.

Cap. 24. Antonius. Poſt quem Antonius de Vrſis epiſcopus Fæſulanus, ad Florentinorũ epiſcopatum fuit tranſlatus. Cuius tempore clericorum quoddam hoſpitale opportunum per multa tempora multis initiatum fuit, cui ipſe plurimùm adiutor & fautor extitit. Hunc ſecutus eſt Franciſcus de Cingulo, electus ab Dominica incarnatione anno 1323. vixitq; in epiſcopatu annis 21. Hic caput beatiſſimi Zenobij ab alijs membrorum oſſibus ſeparans, ac de marmorea capſa extrahens, pulcherrimè, vt nunc videtur, exornauit, atque ipſam cathedralem eccleſiam aliquibus alijs ornamentis, quæ in hodiernum

Margin: Franciſcus.

vſq; diem perdurant, quàm magnificentiſſimè decorauit. Huius etiã præſulatûs tempore clericus, cùm iudicio Guidonis Aretini Medici clariſſimi, mortem ob natum in gutture apoſtema vix per diem vnicum euadere poſſet oratione ad ſepulchrum B. Zenobij ac prece fideli exhibita, cum ſtupore omnium ſtatim liberatus euaſit. Simile cuidam ſacerdoti, nomine Lapo, ipſi patri Zenobio dicatiſſimo, contigit. Qui cùm eius feſtum in vigilijs ſolicitè prępararet, renes caſu confregit: & domum deportatus, magis ſe huiuſmodi feſtiuitate priuari, quàm ſuorum renum confractione dolebat, nec ob hoc à fletu vſq; in horas noctis matutinales ceſſare poterat. Qua hora per ſomnium vidit B. Zenobium ſe eleuantem & dicentem: Surge, fili, & matutinales in eccleſia Horas, vt optabas, decanta. Qui incolumis cum clericorum omnium ac ſuorũ admiratione conſurgens, priſtinæ penitùs ſanitati reſtitutus euaſit. Miraculum Aliud.

Poſt Franciſcum verò de Cingulo, ad epiſcopatum aſſumitur Angelus Acciarolus, ex ordine fratrum Prædicatorum. Qui duobus ferè annis à ſuo præſulatu elapſis, mortem obijt, & ad epiſcopatum Franciſcus Tudertinus aſſumptus fuit, in quo 14. annis vixit. Cuius tempore mulier quædam formoſiſſima, à proprio viro iniuſtè derelicta, qui in eius inuidiam in Angliam vſque, non ampliùs, vt aiebat, eam reuiſurus perrexerat, in feſtiuitate ſancti Zenobij ad eius altare cum lachrymis & multa prece confugit, & ne conſortio viri indignè priuaretur, magiſque ipſius meritis reducem exciperet, piè exorabat. Quod vt poſtulauerat, euenit. Nam eadem die compunctus vir conſcientia peccati, & in amorem vxoris reductus, iter pro reditu ſtatuit, reuerſuſque magna ſecum & charitate deuinctus, atque ex ea dulces natos vtriuſque ſexûs pluresque ſuſcepit. Poſt hunc verò, anno ab Chriſti incarnatione 1358. cepit præſulatum Philippus de Lãcella, cathedralis eccleſiæ Præpoſitus, qui reliquias precioſiſſimi digiti ſancti Sebaſtiani Roma ad ſuam detulit eccleſiam, vixitque in epiſcopatu annis tribus. Quem ſecutus eſt Petrus Corſinus, electus anno 1363. Qui poſt ſeptimum ſui præſulatûs annũ in Eccleſiæ Romanæ Cardinalem fuit aſſumptus, & illi in præſulatu Florentino ſucceſſit Angelus de Rica ſolis: Cuius adhuc fratres extant viri clariſſimi, & nepos ex fratre Guidactio, nomine Angelus, iuuenis quidem miræ humanitatis & modeſtiæ, liberalibuſq; diſciplinis eruditus, & mihi dulci amicitia deuinctus, quo non minùs præſul, quàm hic præſulis nomine illuſtratur. Cap. 25. Angelus. Franciſcus. Præclarum miraculum Philippus. Petrus. Angelus.

Poſt hunc Angelus Acciarolus tenuit pręſulatum, nec multò pòſt in Romanæ Eccleſiæ Cardinalem fuit aſſumptus. Quem ſecutus eſt Bartholomæus Patauinus, qui ſimiliter à Bonifacio IX. in Romanæ Eccleſiæ Cardinalem fuit aſſumptus. Illumq; Onuphrius ex fratribus, qui ſancti Auguſtini vocãtur, ſuo tempore in theologia clariſſimus in epiſcopatùs honore ſecutus eſt. Cui ſucceſſit Iacobus de Teranco. Poſt quem Franciſcus Zabarellus de vrbe Patauia, qui paulò pòſt Romanæ Eccleſiæ Cardinalis aſſumitur. Hunc ſecutus eſt in epiſcopatu Americus Corſinus ex vrbe Florentiæ, anno ab Domini incarnatione 1411. Cuius tempore Martinus Papa quintus, poſt longum ſchiſma in Concilio Conſtantienſi ad Pontificatum maximum omnium obedientia aſſumptus, Florentiam deuenit, honorificentiſſimeque à populo ſuſceptus, epiſcopalem Florentinam ſedem Archiepiſcopalem ſtatuit, deſignauitq; illi ſuffraganeos Fæſulanum & Piſtorienſem epiſcopos. Quo tempore præfatus Philippus Brunelleſcus fabricæ maioris eccleſiæ tunc primùm architector effectus, amplam illam teſtudinem pulcherrimo proſecutus eſt artificio, & ad complementum clauſura firmiſſima deduxit, anno ab incarnatione Domini 1433. Quo anno Eugenius quartus, Pontifex Maximus, Roma Florentiam venit, & Americus Archiepiſcopus moritur, vacauitq; archiepiſcopatus circiter duos annos. Nam ſummus Pontifex Eugenius, cùm apud Florentiam degeret, voluit eo tempore huiuſcemodi eccleſiam regere, quam in plurimis reformauit. Et inter cætera, ſtatuit pueros clericos 33. qui in Miſſarum ſolennijs & veſperis eccleſiæ quotidiè deſeruirent, præeſſetque illis magiſter presbyter & vir delectus, qui Grammatica eos atque Muſica inſtitueret. Et pro magiſtro centum aureos quotannis, & puerorum ſingulo nouem dari ex reditibus quibuſdã publicis ordinauit. Demum ad Archiepiſcopatum promouit Iohannem Vitelleſcum de Corneto, qui & titulum etiam Alexandrini patriarchatûs obtinebat, nec multò pòſt in Romanæ Eccleſiæ Cardinalem aſſumpſit. Huius tempore præſulatûs ab Domini incarnatione 1436. menſe Martij, die annunciationis B. Mariæ Virginis, præfatus Eugenius ſanctiſſimus Pontifex, baſilicam nouam magna celebritate conſecrauit, & ſequenti anno, menſe Octobri, idem Eugenius Ludouicum Patauinum cubicularium ſuum ad Archiepiſcopatum promouit. Cuius tempore corpus B. Zenobij ex loco, ob diuerſam nouæ eccle- Cap. 26. Angelus. Bartholomæus. Onuphrius Iacobus. Franciſcus. Americus. Florentia fit metropolis. Iohannes. Ludouicus.

ſitæ diſpoſitionem ignobiliori ád digniorem aptioremq́; magno apparátu tranſlatum fuit. Nam cùm forma & diſpoſitio magnificentiſſimi templi ad complementum redacta fuiſſet, & Eugenius Pontifex Concilium pro Græcorum vnione celebraret, cōueniſſetque Iohannes Palæologus Græcorum Imperator, Demetrius Deſpotus eius frater, Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, magna Archiepiſcoporum Græcorum & Latinorum, atque epiſcoporum multitudo, viſum fuit Iohanni Spinellino, cathedralis eccleſiæ Præpoſito, viro clariſſimo, canoniciſq́; & ciuibus, eo potiſſimùm tempore tranſlationem corporis beatiſſimi Zenobij celebrare, & conuenienti illud ac præparato loco diſponere.

Cap. 27. Trāſfertur ſummo cū honore corpus S. Zenobij.

Statuto igitur die 6. Calend. Maias, ab Domini incarnatione anno 1439. conuenerunt in maiori baſilica Cardinales omnes, qui curiam Eugenij ſequentes, ad Cōcilium venerant: & ornatiſſimè in medio eccleſiæ choro varijs tapetis & aulæis præparato, dexteram versùs altare partem Cardinales inſederunt. Poſt quos Patriarcha Hieroſolymitanus, & Patriarcha Gradenſis, aliaq́; ingens archiepiſcoporum & epiſcoporum, Græcorumq́; & Latinorum multitudo pulcherrimo ordine diſpoſita ſtabat. Ad ſiniſtram verò ſedebat primus Demetrius Deſpotus: poſt quem legati diuerſorum Principum & Comitum, Protonotarij Latinæ Eccleſiæ, nobilium Græcorum ac Latinorum multitudo non parua. Tunc Ludouicus Archiepiſcopus in veſte pontificia & mitra redimitus, cum ſex alijs delectis epiſcopis, & canonicis populoque innumerabili, ad antiquam procedens catatumbam, marmoream capſulam, in qua oſſa erant beatiſſimi Zenobij, aſſumunt, & ſuos humeros ſex illi pontifices ſubijcientes, conſequente Ludouico Archiepiſcopo, cum totius populi iubilo, organiſq́; ac tibijs atque diuerſis muſicorum generibus, Dei laudem per totam eccleſiam reſonātibus, magna cum omnium deuotione & reuerentia ornatiſſimo altari ſuperimpoſuerunt: Et interim dum Miſſarum ſolennia celebrarentur, digniſſimi omnes Florentinæ vrbis ciues, accenſos cereos in manibus geſtantes, incedenteſq́; conſpicuo atque ampliſſimo ordine, magna deuotione venerari beatiſſimum corpus adueniunt, atq́; omnium primi hi fuerunt, qui ex eadem progenie cum Zenobio in hac Florentina ciuitate perdurant, viri vtplurimùm clariſſimi ac nobiliſſimi, de Hieronymis hodierno tempore vocitati. Poſt hos ciuitatis primores ampliſsimo, vt ſolent, apparatu cōueniunt, quos cæteri magiſtratus, necnon alij pleriq; ciues præſtantiſſimi ſubſequebantur. Demum peractis ſacris, aſſumunt capſulam ijdem illi, qui priùs, pontifices ſacri, & ſequentibus Archiepiſcopo cum canonicis ac innumerabili populo, in noua catatumba, quæ apud primam eius eccleſiæ capellam, vt hodierno tempore nominantur, ſuo nomine conſecratam, magno cum honore locauerunt. Quo videlicet in loco poſt paucos admodùm dies marmoreā capſam cum reliquijs integris beati Podi, prænominati iam epiſcopi Florentini, ſoli canonici cum præpoſito & preſbyteris aliquibus, pauciſq́; ciuibus, & me præſente, tranſtulerunt.

VITA S. ALTHELMI EPISCOPI SCHIREBVRNENSIS, CVIVS ETIAM BEDA PRAECLARE MEminit, *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglorum lib. 5. cap. 19. Eſt autem hæc, vt opinor, non niſi quædam Epitome vitæ eius, quam multi conſcribendam ſuſcepêre. Stylum paſſim nonnihil correxit Fr. Laurentius Surius.*

Maij 25. Cap. 1. Pater S. Althelmi.

BEATVS Althelmus ſplendidiſſimo Anglorum ſtemmate ortus eſt, cuius ataui reges fuiſſe feruntur. Patrem habuit Kentenum, virum Deo deuotum, & Inæ occidentalium Saxonum regis fratrem germanum. Althelmus, Latinè poſſit dici vetus galea: pulchreq́; ſic ille dictus eſt, quod galea ſalutis protectus, optimam ex hoſte antiquo victoriam in cælos reportarit. Cùm iam pueritiæ annos exceſsiſſet, liberalium diſciplinarum ſtudijs eſt admotus, in quibus tātos breui tempore progreſſus fecit, vt ipſis etiā magiſtris, quos Græcos Latinosq́; habuit, anteponendus videretur. Poſteà verò in Meldunenſi monaſterio, quod nunc Malmeſberiam vocant, primò monachus, deinde preſbyter atq; etiam Abbas effectus, ci-

Mirè proficit in literis

Fit monachus.

bopo.

bo potuq; parcè vtens, in preces & vigilias incumbebat. Interim creuit fama eius, multis præconijs illuſtrata, vtraq; mare ſe transferens, & ipſas etiam Alpes excedens, Romam vſq; perlata eſt. Ea verò incitatus Sergius Romanus Pontifex, ſcriptis eum ad ſe acciuit, venientemq; honorificè ſuſcepit.

Cùm autem quodam die in Lateranenſi eccleſia ſacrificaſſet ſiue Miſſam celebraſſet, caſulam exuens, porrexit eam retrò ſe, exiſtimans alicui ex miniſtris eam ſe tradere. Nemo autem miniſtrorum illic aderat; ſed non aberat diuina prouidentia. Mox enim radius ſolaris per feneſtram penetrans, caſulam illam diù ſuſtinuit: in cuius miraculi memoriam caſula illa hactenùs in Meldunenſi eccleſia aſſeruatur. Cap. 2. Miraculum.

Per idem tempus puer quidam ex inceſtu genitus, Romani Pontificis famam non-nihil contaminauit, quòd vulgus, vt fieri ſolet, ſparſo rumore vano, malè perſuaſus, eũ Pontificem habere patrem exiſtimaret. Anxius igitur Althelmus, multumq; dolens Pontificem, haud vulgari amicitia ſibi deuinctum, eiuſmodi infamia fœdari, puerum non niſi nouem habentem dies, exhiberi iubet, eiq; in virtute & nomine Ieſu Chriſti imperat, vt edicat, num Sergius Pontifex eo ſe ſcelere obſtrinxerit? Reſpondit infans abſolutiſſimo ſermone, Pontificem nequaquàm illi crimini affinem eſſe, nihil illum cum fœmineo ſexu commercij habere. Atque ita Althelmus & ab amico Pontifice depulit infamiam, & ſibi gratiam cumulauit. Cap. 3. Infans 9. dierum loquitur.

Cùm in cœnobio ſuo beatiſſimæ Mariæ Virginis eccleſiam conſtrueret, trabes vna neceſſaria, cæteris breuior reperta eſt. Fudit ille preces ad Dominum, & mox pro voto trabem longiorem intuitus eſt. Ea tempeſtate à Berthuualdo Archiepiſcopo ad colloquium aſſcitus, cùm ad littus maris iter haberet, nautæ quidam, quòd ſordido viderent habitu indutum, illum habere ludibrio atque contemptui non verebantur. Ecce autem aduerſo ſpirante vento mare intumeſcit, horrida tempeſtas ſæuit, & in ſummum vitæ diſcrimen nautæ illi conijciuntur. Cùm iam nihil niſi mortem expectarẽt, culpam ſuam cum lachrymis confitentur, ſanctiq; Althelmi ſuffragia implorant. Ille pro ferenda ope ſcapham ingreditur, quam ſimulatque corpore ſuo preſſit, ad omnẽ tranquillitatem iam pacatum mare ſe compoſuit, nautasq; cum naue ad littus incolumes appulit. Cap. 4. Vltio diuina in S. Viri contemptores.

Conſtruxit etiam vir ſanctus cœnobium iuxta flumen, quod From appellant, vbi etiamnum perdurat eccleſia in honorem ſancti Iohannis Baptiſtæ ædificata. Porrò tertium monaſteriũ extruxit apud Bradeford: ſed ea monaſteria poſteà à Danis euerſa ſunt. E monaſterio ſuo nunquàm, niſi magna neceſſitate adactus, egrediebatur: pecuniarũm minimè fuit auidus: omnia ipſi collata, in pauperes & vſus vtiles expendebat. Vt verò carnem ſuam edomaret, in fontem monaſterio proximum, qui fons ſancti Althelmi dicitur, humerotenùs ſe immergebat, nihilq; acerrimo frigore abſterritus per noctes illic durabat, totum pſalterium abſoluens. Cap. 5. Vt carnem domaret.

Quodam tempore Roma ſecum attulit altare ex marmore candido, ſex pedũ craſſitudine, quatuor longitudine, trium palmorum latitudine. Iam ad Alpes peruenerat, & iumentum illud ferens altare, ob itineris prærupta loca cecidit, contritumq; eſt iumentum, & altare in duas ſciſſum partes. Id vt vidit vir ſanctus, ad Deum preces fudit, & cùm benedictionem impertijſſet, ſalus iumento reddita eſt & marmor, non directa linea, ſed flexuoſo anfractu diruptum, redintegratum eſt: ſed ita tamen, vt in miraculi memoriam, etiamnum rupturæ eius veſtigia appareant curioſiùs inſpicienti. Fertur autem hoc altare marmoreum nunc eſſe in prouincia Somerſitana in quodam Canonicorum, vt vocant, Prioratu. Cap. 6. Miraculum.

Tandem verò Vueſtſaxonicæ plagæ epiſcopatus in duas parochias diſtributus eſt, præfectusq; eſt Daniel Vuintoniæ, porrò Althelmus apud Schireburniam ſubrogatus eſt Heddæ Epiſcopo, qui vtriq; loco præſederat. Deinde Althelmus in ſenectute bona, plenus virtutibus & ſanctitate, migrauit ad Dominum octauo Calend. Iunij, & in monaſterio ſuo Meldunenſi cum magno honore tumulatus eſt. Eius autem obitum S. Eguuinus, qui vitam eis conſcripſit, diuinitùs cognouit, ſicut ipſe in quodam ſuo ſcripto teſtatur his ferè verbis: Poſt duos annos Althelmus religioſus epiſcopus migrauit ad Dominum: quod ego per reuelationem agnoſcens, conuocatis fratribus, exceſſum venerandi patris eis aperui: concitoq; gradu ad locum, vbi ſacrum corpus iacebat, quinquaginta ferè millibus vltra Meldunenſe monaſterium poſitum deueni, & ad ſepulturam adduxi, honorificeq; ſepeliui: mandauique, vt quibuſcunque locis ſacrum corpus, dum abſportaretur, quieſceret, ſacræ Crucis ſigna ſtatuerentur: quæ quidem adhuc permanent, nec vllam vetuſtatis ſenſêre iniuriam, poteſtq; ex ijs vnum etiam- Cap. 7. Fit epiſcopus. Moritur. Sacræ Cruces antiquitùs erectæ.

num videri in cœnobio. Obijt autem vir ſanctus anno Domini ſeptingenteſimo nono, cùm iam Abbas fuiſſet annis quatuor ſupra triginta, & Epiſcopus quatuor. Porrò anno Chriſti 949. eleuatum eſt ſacrum eius corpus è terra, & in capſa magno cum honore collocatum.

Cap. 8. Beda venerabilis, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ gentis Anglorum lib. 5. cap. 19. ita ſcribit de hoc viro beato: Althelmus, cùm eſſet adhuc presbyter & Abbas monaſterij, ſcripſit, iu

Scripta eius & eruditio. bente ſynodo ſuæ gentis, librum egregium aduersùs errorem Britonum, quo vel Paſcha non ſuo tempore celebrant, vel alia perplura Eccleſiaſticæ caſtitati & paci contraria gerunt: multosq; eorum, qui occidentalibus Saxonibus ſubditi erant, Britones ad Catholicam Dominici Paſchæ celebrationem huius lectione perduxit. Scripſit & de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulij geminato opere, & verſibus hexametris, & proſa compoſuit. Scripſit & alia nonnulla, vtpote vir vndecunq; doctiſſimus. Nam & ſermone nitidus, & ſcripturarum, vt dixi, tam liberalium, quàm Eccleſiaſticarum erat eruditione mirandus. Hactenus Beda.

VITA S. AVGVSTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS, QVI MISSVS A BEATO GREGORIO PAPA, *primus genti Anglorum Chriſti Euangelium prædicauit, authore venerabili Beda presbytero in Hiſtoria Eccleſiaſtica eiuſdem gentis Lib. 1. cap. 23. &c.*

Maij 26. Lib. 1. ca. 23. ANNO ab incarnatione Domini D.LXXXII. Mauricius ab Auguſto quinquageſimusquartus imperium ſuſcipiēs, viginti annos tenuit. Cuius anno regni decimo Gregorius, vir doctrina & actione præcipuus, pontificatum Romanæ & Apoſtolicæ ſedis ſortitus, rexit annos tredecim, menſes ſex, & dies decem: qui diuino admonitus inſtinctu, anno quartodecimo eiuſdem principis: aduentûs verò Anglorum in Britanniam anno circiter centeſimo quinquageſimo, miſit ſeruum Dei Auguſtinum, & alios

Auguſtinus mittitur cū ſocijs in Angliam. plures cum eo monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum. Qui cùm iuſſis pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpiſſent, iamque aliquantulum itineris confeciſſent, timore inerti redire domum potiùs, quàm barbaram, feram, incredulamq; gentem, cuius nè linguam quidem nôſſent, adire cogitabant, & hoc eſſe tutius communi conſilio decernebant. Nec mora, Auguſtinum, quem eis epiſcopum ordinandum, ſi ab Anglis ſuſciperentur, diſpoſuerat, domū remittunt: qui à B. Gregorio humili ſupplicatu obtineret, ne tam periculoſam, tā laborioſam, tam incertā peregrinationē adire deberent. Quibus ille exhortatorias literas dedit, ac in opus eos verbi,

Epiſtola S. Gregorij ad illos. diuino confiſos auxilio, proficiſci ſuadet. Quarum videlicet literarum iſta eſt forma: Gregorius ſeruus ſeruorum Dei, ſeruis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quia melius fuerat bona nō incipere, quàm ab ijs, quæ cœpta ſunt, cogitatione retrorſum redire, ſummo ſtudio, dilectiſſimi filij, oportet, vt opus bonum, quod auxiliante Domino cœpiſtis, impleatis. Nec labor vos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: ſed omni inſtantia omnique feruore, quæ inchoatis, Deo authore peragite, ſcientes quòd laborem magnum maior æternæ gloria retributionis ſequitur. Remeanti autem Auguſtino præpoſito veſtro, quem & Abbatem vobis conſtituimus, in omnibus humiliter obedite: ſcientes hoc veſtris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus ſua vos gratia protegat, & veſtri laboris fructum in æterna me patria videre concedat: quatenùs etſi vobiſcum laborare nequeo, ſimul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare ſcilicet volo. DEVS vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi filij. Data die decimo Calendarum Auguſtarum, imperante domino noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto, anno tertiodecimo poſt conſulatum eiuſdem domini noſtri, indictione iiij.

Cap. 24. Miſit etiam tunc iſdem venerandus Pontifex ad Aethereum Arelatenſem Archiepiſcopum, vt Auguſtinum in Britanniam pergētem, benignè ſuſciperet, literas: quarū iſte eſt tenor: Reuerendiſſimo ac ſanctiſſimo fratri Aethereo coëpiſcopo, Gregorius ſeruus

ſeruus ſeruorum Dei. Licèt apud ſacerdotes, habentes Deo placitam charitatem, religioſi viri nullius commendatione indigeant, quia tamen aptum ſcribendi ſe tempus ingeſſit, fraternitati veſtræ noſtra mittere ſcripta curauimus, inſinuantes, latorem præſentium Auguſtinum ſeruum Dei, de cuius certi ſumus ſtudio, cum alijs ſeruis Dei, illuc nos pro vtilitate animarum, auxiliante Domino, direxiſſe: quem neceſſe eſt, vt ſacerdotali ſtudio ſanctitas veſtra adiuuare, & ſua ei ſolatia præbere feſtinet. Cui etiam, vt promptiores ad ſuffragandum poſſitis exiſtere, cauſam vobis iniunximus ſubtiliter indicare, ſcientes ea cognita, tota vos propter Deum deuotione ad ſolatiādum, quia res exigit, commouendos. Candidum prætereà presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimonialis Eccleſiæ noſtræ tranſmiſimus, charitati veſtræ in omnibus commendamus. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data die calendarum Auguſtarum, imperante domino noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto, anno quartodecimo, poſt conſulatum verò eiuſdem domini noſtri anno tertiodecimo, indictione iiij.

Alia epiſtola S. Gregorij.

Roboratus igitur confirmatione beati patris Gregorij Auguſtinus, cum famulis Christi, qui erant cum eo, redijt in opus verbi, peruenitq; in Britanniam. Erat eo tempore rex Edilberthus in Cantio potentiſſimus, qui ad confinium vſque Humbri fluminis maximi, quo meridiani, & ſeptentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperij tetenderat. Eſt autem ad orientalem Cantij plagam Tanetos inſula non modica, id eſt, magnitudinis iuxta conſuetudinem æſtimationis Anglorum milliarium ſexcentorum, quam à continenti terra ſecernit fluuius Vantſumu, qui eſt latitudinis circiter trium ſtadiorum, & duobus tātùm in locis eſt tranſmeabilis. Vtrunq; enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit ſeruus Domini Auguſtinus & ſocij eius, viri, vt fertur, fermè quadraginta.

Cap. 25.

Inſula Tanetos.

Acceperunt autem, præcipiente beato Papa Gregorio, de gente Francorum interpretes, & mittens ad Edilberthum, mandauit ſe veniſſe de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui ſibi obtemperantibus æterna in cælis gaudia, & regnum ſine fine cum Deo viuo & vero futurum ſine vlla dubietate promitteret. Qui audiens, manere illos in ea, quam adierant, inſula, & eis neceſſaria miniſtrari, donec videret, quid eis faceret, iuſſit. Nam & anteà fama ad eum quoque Chriſtianæ religionis peruenerat, vtpotè qui & vxorem habebat Chriſtianam de gente Francorum, nomine Bertham. Quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ritum fidei & religionis ſuæ cum epiſcopo, quem ei adiutorem fidei dederat, nomine Luidhardo, inuiolatam ſeruare licentiam haberet.

Regis Edilberthi humanitas.

Poſt dies ergo aliquot venit ad inſulam Rex, & reſidens ſub diuo, iuſſit Auguſtinum cum ſocijs ad ſuum ibidem aduenire colloquium. Cauerat enim, ne in aliquam domum ad ſe introirent, vetere vſus augurio, ne ſuperuentu ſuo, ſi quid maleficæ artis habuiſſent, eum ſuperando deciperent. At illi non dæmoniaca, ſed diuina virtute prædiri veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam: litaniaſque canentes, pro ſua ſimul & eorum, propter quos & ad quos venerant, ſalute æterna Domino ſupplicabant. Cumque ad iuſſionem regis reſidentes, verbum ei vitæ vnà cum omnibus, qui aderant, eius comitibus prædicarent, reſpondit ille, dicens: Pulchra ſunt quidem verba & promiſſa, quæ affertis: ſed quia noua ſunt & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis eis, quæ tanto tempore cum omni gente Anglorum ſeruaui. Verùm quoniam huc de longè peregrini veniſtis, &, vt ego videor mihi perſpexiſſe, ea, quæ vos vera & optima creditis, nobis quoque communicare deſideratis, nolumus moleſti eſſe vobis: quin potiùs benigno vos hoſpitio recipere, & quæ victui ſunt veſtro neceſſaria, miniſtrare curauimus, nec prohibemus, quin omnes, quos poteſtis, fidei veſtræ religionis prædicando ſocietis.

Nota hæc de Cruce argentea & imagine.

Dedit ergo eis manſionem in ciuitate Dorouernenſi, quæ imperij ſui totius erat Metropolis, eiſque vt promiſerat, cum adminiſtratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abſtulit. Fertur autem, quia appropinquantes ciuitati, more ſuo cum Cruce ſancta, & imagine magni regis Domini noſtri Ieſu Chriſti, hanc litaniam conſona voce modularentur: Deprecamur te Domine in omni miſericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua à ciuitate iſta, & de domo ſancta tua: quoniam peccauimus tibi, alleluia.

Auguſtino cum ſocijs fit copia prędicandi.

At vbi ſibi datam manſionem intrauerunt, inceperunt Apoſtolicam primitiuæ Eccleſiæ vitam imitari: orationibus videlicet aſſiduis, vigilijs ac ieiunijs ſeruiendo, verbum

Cap. 26. Vita eorum Apoſtolica.

bum vitæ,quibus poterant,prædicando, cuncta huius mundi velut aliena ſpernendo. Ea tamen,quæ victui neceſſaria videbantur,ab eis,quos docebant,accipiendo: ſecundùm ea,quæ docebant,ipſi per omnia viuendo, & paratum ad patiēdum aduerſa quæque,vel etiam ad moriendum pro ea,quam prædicabant,veritate,animum habendo. Quid mora? Crediderunt nonnulli,& baptizabantur,mirantes ſimplicitatem innocētis vitæ,ac dulcedinem doctrinæ eorum cæleſtis.

Erat autem prope ipſam ciuitatem ad Orientem eccleſia in honore ſancti Martini antiquitùs facta,dum adhuc Romani Britanniam incolerent: in qua Regina, quam Chriſtianam fuiſſe prædiximus,orare conſueuerat.In hac ergo & ipſi conuenēre primò,ibique pſallere,orare,Miſſas facere,prædicare,& baptizare cœperunt, donec rege ad fidem conuerſo,maiorem prædicandi per omnia, & eccleſias frabricandi vel reſtaurandi licentiam acciperent. At vbi etiam ipſe inter alios, delectatus vita mundiſſima ſanctorum,& promiſſis eorum ſuauiſſimis, quæ vera eſſe miraculorum quoque multorum oſtenſione firmauerunt,credens baptizatus eſt, cœperunt plures quotidiè ad audiendum verbum confluere,ac relicto gentilitatis ritu, vnitati ſe ſanctæ Chriſti Eccleſiæ credendo ſociare. Quorum fidei & conuerſioni ita congratulatus eſſe rex perhibetur,vt nullum tamen cogeret ad Chriſtianiſmum, ſed tantummodò credentes arctiori dilectione quaſi conciues ſibi regni cæleſtis amplecteretur. Didicerat enim à doctoribus auctoribuſque ſuæ ſalutis,ſeruitium Chriſti voluntarium, non coactitiū, debere eſſe. Nec diſtulit,quin etiam ipſis doctoribus ſuis locum ſedis, eorum gradui congruum,in Dorouernia Metropoli ſua donaret,ſimul & neceſſarias in diuerſis ſpeciebus poſſeſſiones conferret.

Miſſas faciunt,&c. *Rex credit.*

Ex cap. 27. Intereà vir Domini Auguſtinus venit Arelas,& ab Archiepiſcopo eiuſdem ciuitatis Aethereo,iuxta quod iuſſa ſancti patris Gregorij acceperat, Archiepiſcopus genti Anglorum ordinatus eſt:reuerſuſque in Britanniam, miſit continuò Romam Laurētium presbyterum,& Petrum monachum,qui beato Pontifici Gregorio,gentem Anglorū fidem Chriſti accepiſſe, ac ſe Epiſcopum factum eſſe, referrent, ſimul & de ijs, quæ neceſſaria videbantur, quæſtionibus eius conſulta flagitans. Nec mora, congrua quæſtionibus reſponſa recepit.

S. Auguſtinus fit archiepiſcopus.

Epiſtolam verò,quam ſe pro adiuuando in opere Dei Auguſtino, Arelatenſi epiſcopo feciſſe commemorat,ad Virgilium Aetherei ſucceſſorem dedit: cuius hæc forma eſt.

Cap. 28. Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Virgilio coepiſcopo,Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Quantus ſit affectus venientibus ſponte fratribus impendendus,ex eo,quòd plerunque ſolent charitatis cauſa inuitari,cognoſcitur. Et ideò ſi communem fratrē Auguſtinum Epiſcopum ad vos venire contigerit,ita illum dilectio veſtra, ſicut decet,affectuosè,dulciterque ſuſcipiat,vt & ipſum conſolationis ſuæ honore foueat, & alios,qualiter fraterna charitas colenda ſit,doceat. Et quoniam ſæpiùs euenit,vt ij qui de longè poſiti ſunt,priùs ab alijs, quæ ſunt emendanda, cognoſcant: ſi quas fortaſſe fraternitati veſtræ ſacerdotum vel aliorum culpas intulerit, vnà cum eo reſidentes, ſubtili cuncta inueſtigatione perquirite,& ita vos in ea,quæ Deum offendunt, & iracūdiam prouocant,diſtrictos ac ſolicitos exhibete,vt ad aliorum emendationē,& vindicta culpabilem feriat,& innocentem falſa opinio non affligat. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater Data die x. Calend.Iul. Imperante domino noſtro Mauricio Tiberio pijſſimo Auguſto,anno xix.poſt conſulatum verò eiuſdem domini noſtri anno xviij.indict.iiij.

Alia S. Gregorij epiſtola.

Cap. 29. Præterea idem Papa Gregorius Auguſtino Epiſcopo, quia ſuggeſſerat ei multam quidem ſibi eſſe meſſem,ſed operarios paucos: miſit cùm præfatis legatarijs ſuis plures cooperatores ac verbi miniſtros,in quibus primi ac præcipui erāt Mellitus, Iuſtus, Paulinus, Rufinianus:& per eos generaliter vniuerſa,quæ ad cultum erant,ac miniſterium eccleſiæ neceſſaria, vaſa videlicet ſacra,& veſtimenta altarium: ornamenta quoque eccleſiarum,& ſacerdotalia vel clericalia indumenta, ſanctorum etiam Apoſtolorum ac martyrum reliquias,necnon & codices plurimos. Miſit etiam literas,in quibus ſignificat ſe ei pallium direxiſſe: ſimul ei inſinuat,qualiter epiſcopos in Britannia conſtituere debuiſſet. Quarum literarum iſte eſt textus:

Vide ſtudiū ſanctiſſimi Papæ Gregorij.

Epiſtola S. Gregorij. Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Auguſtino epiſcopo,Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Cùm certum ſit, pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reſeruari, nobis tamen eis neceſſe eſt honorum beneficia tribuere, vt in ſpiritalis operis ſtudio ex remuneratione valeant multipliciùs inſudare. Et quia

noua

noua Anglorum eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente & te laborante, perducta eſt, vſum tibi pallij in ea ad ſola Miſſarum ſolennia agenda concedimus, ita vt per loca ſingula xij. epiſcopos ordines, qui tuæ ſubiaceant ditioni: quatenus Londonienſis ciuitatis epiſcopus ſemper in poſterum à ſynodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta & Apoſtolica, cui Deo authore deſeruio, ſede percipiat. Ad Eboracam verò ciuitatem te volumus epiſcopum mittere, quem ipſe iudicaueris ordinare, ita duntaxat, vt ſi eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque xij. epiſcopos ordinet, & metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque, ſi vita comes fuerit, pallium tribuere, Domino fauẽte, diſponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubiacere. Poſt obitum verò tuum ita epiſcopis, quos ordinauerit, præſit, vt Londonienſis epiſcopi nullo modo ditioni ſubiaceat. Sit verò inter Lundoniæ & Eboracæ ciuitatis epiſcopos in poſteris honoris iſta diſtinctio, vt ipſe prior habeatur, qui primus fuerit ordinatus. Communi autem conſilio & concordi actione, quæque ſunt pro Chriſti zelo agenda, diſponant vnanimiter: rectè ſentiant, & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepando, perficiant. Tua verò fraternitas non ſolùm eos epiſcopos, quos ordinauerit, neque hos tantummodo, qui Eboracæ per Epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Britaniæ ſacerdotes habeat, Deo Domino noſtro Ieſu Chriſto authore, ſubiectos. Quatenus ex lingua & vita tuæ ſanctitatis, & rectè credendi, & benè viuendi formam percipiant, atque officium ſuum fide ac moribus exequentes, ad cæleſtia, cùm Dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerendiſſime frater. Data die decima Calend. Iulij, imperante domino noſtro Mauricio Tiberio pijſſimo Auguſto, anno decimonono, poſt conſulatum eiuſdem domini anno decimooctauo, Indictione iiij.

Vſus pallij antiquiſſimus.

Abeuntibus autem præfatis legatarijs, miſit poſt eos beatus pater Gregorius literas memoratu dignas, in quibus aperte quàm ſtudioſè erga ſaluationem noſtræ gentis inuigilauerit, oſtendit, ita ſcribens. Dilectiſſimo filio Mellito Abbati, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Poſt diſceſſum congregationis noſtræ, quæ tecum eſt, valdè ſumus ſuſpenſi redditi, quia nihil de proſperitate veſtri itineris audiſſe nos contigit. Cùm ergo Dominus omnipotens vos ad reuerendiſſimum virum fratrem noſtrum Auguſtinũ perduxerit, dicite ei, quod diu mecum, de cauſa Anglorum cogitans, tractaui: videlicet quòd phana idolorum deſtrui in eadem gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt, idola deſtruantur. Aqua benedicta fiat, in ijſdem phanis aſpergatur, altaria cõſtruantur, reliquiæ ponantur: quia ſi phana eadem benè conſtructa ſunt, neceſſe eſt, vt à cultu dæmonum in obſequio veri Dei debeant commutari: vt, dum gens ipſa eadem phana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens ac adorans, ad loca, quæ conſueuerat, familiariùs concurrat. Et quia boues in ſacrificio dæmonum multos ſolent occidere, debet eis etiam hac de re aliqua ſolennitas immutari: vt die dedicationis vel natalicijs ſanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem eccleſias, quæ ex phanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conuiuijs ſolennitatem celebrent: nec diabolo iã animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe, dubium non eſt: quia & is, qui ſummum locum aſcendere nititur, gradibus vel paſſibus, nõ autem ſaltibus, eleuatur. Sic Iſraelitico populo Dominus in Aegypto quidem innotuit, ſed tamen eis ſacrificiorum vſus, quos diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſeruauit: vt eis in ſuo ſacrificio animalia immolare præciperet: quatenus cor mutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent: vt & ipſa eſſent animalia, quæ offerre conſueuerant, vero tamen Deo, & non idolis immolantes, iam ſacrificia ipſa non eſſent. Hæc igitur dilectionẽ tuã prædicto tuo fratri neceſſe eſt dicere, vt ipſe in præſenti illic poſitus, perpendat qualiter omnia debeat diſpenſare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime fili. Data die 15. Cal. Iul. imperante domino noſtro Mauricio Tiberio pijſſimo Auguſto, anno xix. poſt conſulatum eiuſdem domini anno xviij. Indictione iiij.

Cap. 10. *Aliæ S. Gregorij literæ.* *Nota de aqua benedicta, &c.*

Quo in tempore miſit etiam Auguſtino epiſtolam ſuper miraculis, quæ per eum facta eſſe cognouerat: in qua eum, ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, his verbis hortatur: Scio frater chariſſime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula oſtendit. Vnde neceſſe eſt, vt de eodem dono cæleſti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas. Gaudeas

Cap. 11. *Auguſtinus magnis claret miraculis.*

deas videlicet, quòd Anglorum animę per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: Pertimeſcas verò, ne inter ſigna, quæ fiunt, infirmus animus in ſui præſumptione ſe eleuet, & vnde foras in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminiſſe etenim debemus, quia diſcipuli, cum gaudio à prædicatione redeuntes, dum cæleſti magiſtro dicerent: Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis ſubiecta ſunt: protinùs audierunt: Nolite ſuper hoc gaudere, ſed potiùs gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. In priuata enim & temporali lætitia mentem poſuerant, qui de miraculis gaudebant: ſed de priuata ad communem, & de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur: In hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Non enim omnes electi miracula faciunt, ſed tamen nomina eorum omnium in cælo tenētur aſſcripta. Veritatis etenim diſcipulis eſſe gaudium nō debet niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent. Reſtat itaq;, frater chariſſime, vt inter ea, quæ operante Domino, exteriùs facis, ſemper te interiùs ſubtiliter iudices, ac ſubtiliter intelligas, & temetipſum quis ſis, & quanta ſit in ea gente gratia, pro cuius conuerſione etiam faciendorum ſignorum dona percepiſti. Et ſi quando te creatori noſtro, ſeu per linguam, ſeu per opera reminiſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memoriam reuoces: vt ſurgētem cordis gloriam memoria reatûs premat: & quicquid de faciendis ſignis acceperis vel accepiſti, hæc non tibi, ſed eis deputes donata, pro quorum tibi ſalute collata ſunt.

Luc. 10.

Remedium aduerſùs inanem gloriam.

Miſit & idem Papa beatus Gregorius eodem tempore etiam regi Edilbertho epiſtolam, ſimul & dona in diuerſis ſpeciebus perplura, temporalibus quoque honoribus regem glorificare ſatagens, cui gloriæ cæleſtis ſuo labore & induſtria notitiam perueniſſe gaudebat. Exemplar autem præfatæ epiſtolæ hoc eſt: Domino glorioſiſſimo atq; præcellentiſſimo filio Edilbertho regi Anglorum, Gregorius epiſcopus. Propter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad regimina populorum perduxit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona ſuę pietatis impendat: quod Anglorum gēti factum agnouimus. Cui veſtra gloria eſt idcircò præpoſita, vt per bona, quæ vobis conceſſa ſunt, etiam ſubiectæ vobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideò, glorioſe fili, eam, quam accepiſti diuinitùs gratiam, ſolicita mente cuſtodi, Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina, zelum rectitudinis tuæ in eorum multiplica conuerſione, idolorum cultus inſequere, phanorum ædificia euerte, ſubditorū mores ex magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando ædifica: vt illum retributorem inuenias in cælo, cuius nomen atque cognitionem dilataueris in terra. Ipſe enim veſtræ quoque gloriæ nomen etiam poſteris glorioſius reddet, cuius vos honorem quæritis & ſeruatis in gentibus. Sic etenim Conſtantinus quondam piiſſimus Imperator Romanam Rempublicam à peruerſis idolorum cultribus reuocans, omnipotenti Deo Domino noſtro Ieſu Chriſto ſecum ſubdidit, ſeque cum ſubiectis populis tota ad Deum mente conuertit. Vnde factum eſt, vt antiquorum principum nomen ſuis vir ille laudibus vinceret, & tantò in opinione præceſſores ſuos, quantò & in bono opere ſuperaret. Et nunc itaq; veſtra gloria cognitionem vnius Dei patris & filij & ſpiritusſancti regibus ac populis ſibimet ſubiectis feſtinet infundere: vt & antiquos reges ſuæ gentis laudibus ac meritis tranſeat, & quantò in ſubiectis ſuis etiam aliena peccata deterſerit, tantò etiā de peccatis proprijs ante omnipotentis Dei terribile examen ſecurior fiat. Reuerendiſſimus frater noſter Auguſtinus epiſcopus in monaſterij regula doctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis authore Deo operibus præditus, quæcunque vos admonet, libenter audite, deuotè peragite, ſtudioſè in memoria reſeruate. Quia ſi vos eum in eo, quod pro omnipotente Deo loquitur, auditis, iſdem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celeriùs exaudiet. Si enim (quod abſit) verba eius poſtponitis, quomodo eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in feruore fidei ſtringite, atque anniſum illius virtute, quam vobis diuinitas tribuit, adiuuate, vt regni ſui vos ipſe faciat eſſe participes, cuius vos fidem in regno veſtro recipi facitis & cuſtodiri. Præterea ſcire veſtram gloriam volumus, quòd ſicut in ſcriptura ſacra ex verbis Domini omnipotentis agnoſcimus, præſentis mundi iam terminus iuxtà eſt, & ſanctorum regnum venturū eſt, quod nullo vnquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent, quæ antea non fuerunt, videlicet immutationes aeris, terroreſque de cælo, & contra ordinationem temporum, tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terræmotus per loca: quæ tamen non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt no-

Literæ S. Gregorij ad Edilberthū regem.

Præclarum de Conſtantino magno teſtimoniū.

Laus Auguſtini Epiſcopi Anglorū

Luc. 21.

noſtros dies omnia ſubſequentur. Vos itaq; ,ſi qua ex ijs euenire in terra veſtra cognoſcitis, nullo modo animum veſtrum perturbetis: quia idcircò ſigna de fine ſeculi præmittuntur, vt de animabus noſtris debeamus eſſe ſoliciti, de mortis hora ſuſpecti, & venturo iudici in bonis actibus inueniamur eſſe præparati. Hæc autem, glorioſe fili, paucis loquutus ſum, vt cùm Chriſtiana fides in regno veſtro excreuerit, noſtra quoque locutio apud vos latior excreſcat, & tantò plus loqui libeat, quantò ſe in mente noſtra gaudia de gentis veſtrę perfecta conuerſione multiplicant. Parua autem xenia tranſmiſi, quæ vobis parua non erunt, cùm à vobis ex beati Petri Apoſtoli fuerint benedictione ſuſcepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam ſuam, quam cœpit, perficiat, atque vitam veſtram, & hîc per multorum annorum curricula extendat, & poſt longa tempora, in cæleſtis vos pàtriæ congregatione recipiat. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat, domine fili. Data die x. Calend. Iul. Imperante domino noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto, anno xix. poſt conſulatum eiuſdem anno xviij. indict. iiij.

Cap. 33.

At Auguſtinus vbi in regia ciuitate ſedem epiſcopalem, vt prædiximus, accepit, recuperauit in ea, regio fultus adminiculo, eccleſiam, quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuiſſe didicerat, & eam in nomine ſancti Saluatoris Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacrauit, atque ibidem ſibi habitationem ſtatuit, & cunctis ſucceſſoribus ſuis. Fecit autem & monaſterium non longè ab ipſa ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edilberthus Eccleſiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli à fundamentis conſtruxit, ac diuerſis donis ditauit. In qua & ipſius Auguſtini & omnium epiſcoporum Dorouernenſium, ſimul & regum Cantij, poni corpora poſſent: quam tamen eccleſiam non ipſe Auguſtinus, ſed ſucceſſor eius Laurentius, conſecrauit.

Eccleſia Saluatoris.

Eccleſia Petri & Pauli.

Primus autem eiuſdem monaſterij Abbas, Petrus presbyter fuit, qui legatus in Galliã miſſus, demerſus eſt in ſinu maris, qui vocatur * Anſleat, & ab incolis loci ignobili traditus ſepulturæ. Sed omnipotens Deus vt, qualis meriti vir fuerit, demonſtraret, omni nocte ſupra ſepulchrum eius lux cæleſtis apparuit, donec animaduertentes vicini, qui videbant ſanctum fuiſſe virum, qui ibi eſſet ſepultus, & inueſtigantes vnde & quis eſſet, abſtulerunt corpus, & in Bononia ciuitate iuxta honorem tanto viro congruũ, in eccleſia poſuerunt.

** Ampleat*

Lib. 2. ca. 2.

Intereà Auguſtinus, adiutorio vſus Edilberthi regis, conuocauit ad ſuum colloquium epiſcopos ſiue doctores proximæ Britonum prouinciæ in loco, vbi vſque hodie lingua Anglorum Saxonum, Auguſtineizat, id eſt, robur Auguſtini appellatur, cœpitque eis fraterna admonitione ſuadere, vt pace catholica ſecum habita, communem euangelizandi gentibus pro Domino laborem ſuſciperent. Non enim Paſchæ diem Dominicum ſuo tempore, ſed à quartadecima vſque ad vigeſimam Lunam obſeruabant. Quæ computatio 84. annorum circulo continetur: ſed & alia plurima, vnitati eccleſiaſticæ contraria, faciebant.

Errores Britonum.

Qui cùm, longa diſputatione habita, neque precibus, neq; hortamentis, neq; increpationibus Auguſtini ac ſociorum eius aſſenſum præbere voluiſſent, ſed ſuas potiùs traditiones vniuerſis, quæ per orbem ſibi in Chriſto concordant, eccleſijs præferrent: ſanctus Auguſtinus hunc laborioſi ac longi certaminis finem fecit, vt diceret: Obſecremus Deum, qui habitare facit vnanimes in domo patris ſui, vt ipſe nobis inſinuare cæleſtibus ſignis dignetur, quæ ſequenda traditio, quibus ſit vijs ad ingreſſum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atque omnibus ſequenda credatur. Quod cùm aduerſarij, inuiti licet, concederent, allatus eſt quidam de genere Anglorum, oculorum luce priuatus: qui cùm oblatus Britonum ſacerdotibus nil curationis vel ſanationis horum miniſterio perciperet: tandem Auguſtinus iuſta neceſſitate compulſus, flectit genua ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, deprecans, vt viſum cæco, quem amiſerat, reſtitueret, & per illuminationem vnius hominis corporalem, in plurimorum cordibus fidelium ſpiritali gratia lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac verus ſummæ lucis præco ab omnibus prædicatur Auguſtinus. Tum Britones cõfitentur, quidem intellexiſſe ſe, veram eſſe viam iuſtitiæ, quam prædicat Auguſtinus: ſed non poſſe ſe abſq; ſuorum conſenſu ac licentia priſcis abdicare moribus.

Pſalm. 67.

Auguſtinus cæcum illuminat.

Vnde poſtulabant, vt ſecundò ſynodus pluribus aduenientibus fieret: quæ cùm eſſet ſtatuta, venerunt (vt perhibent) ſeptem Britonum epiſcopi: & plures viri doctiſſi-

Synodus in Anglia.

ctiſſimi, maximè de nobiliſſimo eorum monaſterio, quod vocatur lingua Anglorum Brancornaburg, cui tempore hoc Dinoth Abbas præfuiſſe narratur: qui ad præfatum ituri concilium, venerunt primò ad quendam virum ſanctum ac prudentem (qui apud eos anachoriticam ducere ſolebat vitam) conſulentes an ad prædicationem Auguſtini ſuas deſerere traditiones deberent? Qui reſpondebat: Si homo Dei eſt, ſequimini illum. Qui dixerunt, Et vnde poſſumus probare hoc? At ille, Dominus ait: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergo Auguſtinus ille mitis eſt & humilis corde, credibile eſt, quia iugum Chriſti & ipſe portet, & vobis portandum offerat. Sin autem ſuperbus eſt, conſtat quia non eſt de Deo: neque vobis eius ſermo curandus. Qui rurſus aiebant: Et vnde vel hoc dinoſcere valemus? Procurate, inquit, vt ipſe prior cum ſuis ad locum ſynodi adueniat, & ſi vobis appropinquantibus aſſurrexerit, ſcientes quia famulus Chriſti eſt, obtemperanter illũ audite. Sin vos ſpreuerit, nec coram vobis aſſurgere voluerit, cũ ſitis numero plures, & ipſe ſpernatur à vobis.

Matth. 11.

Fecerunt, vt dixerat. Factum eſt autem, vt venientibus illis, ſederet Auguſtinus in ſella. Quod illi videntes, mox in iram verſi ſunt, eumq; notantes ſuperbiæ, cũctis, quæ dicebat, contradicere laborabant. Dicebat autem eis, quòd in multis quidem noſtræ conſuetudini, immò vniuerſalis Eccleſiæ contraria geritis: & tamen ſi in his trib⁹ hîc mihi obtemperare vultis, vt Paſcha ſuo tempore celebretis, vt miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, iuxta morem Romanæ ſanctæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ compleatis, vt genti Anglorum vnà nobiſcum verbum Dei prædicetis: cætera, quæ agitis, quanuis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum ſe facturos, neq; illum pro Archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant: conferentes adinuicem, quòd ſi modò nobis aſſurgere noluit, quanto magis ſi ei ſubdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet? Quibus vir Domini Auguſtinus fertur minitans prædixiſſe, quòd ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi. Etſi nationi Anglorum noluiſſent viam vitæ prædicare, per horũ manus vltionem eſſent mortis paſſuri: quod ita per omnia, vt prædixerat, diuino agente iudicio patratum eſt.

Britones cõtemnunt Auguſtinũ

Ille eis prædicit diuinã vltionem.

Siquidem poſt hoc ipſe, de quo diximus, rex Anglorum fortiſſimus Edilfridus, collecto grandi exercitu, ad ciuitatem Legionum, quæ à gente Anglorum Legaceſtir, à Britonibus rectiùs Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ ſtragem dedit. Cũque bellum acturus, videret ſacerdotes eorum (qui ad exorandum Deum pro milite agente bellum conuenerant) ſeorſum in tutiori loco cõſiſtere, ſciſcitabatur, qui eſſent hi, quidve acturi illô conueniſſent? Erant autem plurimi eorum de monaſterio Bancor, in quo tantus fertur fuiſſe numerus, vt cùm in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi Rectoribus monaſterium diuiſum, nulla harum portio minùs, quã trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum viuere ſolebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem peracto ieiunio triduano cum alijs orandi cauſa conuenerant, habentes defenſorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus, à barbarorum gladijs protegeret. Quorum cauſam aduentûs cùm intellexiſſet rex Edilfridus, ait: Ergo ſi aduerſùm nos ad Deum ſuum clamant, profectò & ipſi, quanuis arma nõ ferant, contra nos pugnant, qui aduerſis nos imprecationibus perſequuntur. Itaque in hos primùm arma verti iubet, & ſic cæteras nefandæ militiæ copias non ſine magno exercitûs ſui damno deleuit. Extinctos in ea pugna ferunt de his, qui ad orandum venerant, viros circiter mille ducentos, & ſolùm quinquaginta fuga lapſos. Brocmalius ad primum hoſtium aduentum cum ſuis terga vertens, eos, quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladijs reliquit. Sicque completum eſt præſagiũ ſancti Auguſtini, quanuis ipſo iam multo antè tempore ad cœleſtia regna ſublato, vt etiam temporalis interitùs vltionem ſentirent perfidi, quòd oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreuerant.

Monaſteriũ Bancor monachos pluri mos habuit.

Anno Dominicæ incarnationis ſexenteſimo quarto, Auguſtinus Britanniarum archiepiſcopus ordinauit duos epiſcopos, Mellitum videlicet & Iuſtum: Mellitũ quidem ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonum: qui Thameſi fluuio dirimuntur à Cantio, & ipſi orientali mari contigui: quorum metropolis Londonia ciuitas eſt, ſuper ripam præfati fluminis poſita, & ipſa multorum emporium populorum, terra mariq; venientium. In qua videlicet gente tunc tẽporis Sabarethus, nepos Edilberthi ex ſorore Ricula regnabat, quanuis ſub poteſtate poſitus eiuſdem Edilberthi, qui omnib. (vt ſuprà dictum eſt) vſq; ad Hũbri fluminis terminos, Anglorum gentibus imperabat.

Cap. 3.

Londinum iam olim celebre emporium.

Vbi

Vbi verò & hæc prouincia verbum veritatis, prædicante Mellito, accepit, fecit rex Edilberthus in ciuitate Londonia Eccleſiam ſancti Pauli Apoſtoli: in qua locum ſedis epiſcopalis & ipſe & ſucceſſores eius haberent. Iuſtum verò in ipſo Cantio Auguſtinus ordinauit epiſcopum, in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorum à primario quodam illius, qui dicebatur Rotſcheſter, cognominat. Diſtat autē à Dorouerni millibus paſſuum fermè quatuor & viginti ad Occidentem: in qua rex Edilberthus eccleſiam beati Andreæ Apoſtoli fecit: qui etiam epiſcopis vtriuſq; huius eccleſiæ dona multa, ſicut & Dorouernenſis, obtulit. Sed & territoria ac poſſeſſiones in vſum eorum, qui erant cum epiſcopis, adiecit.

Eccleſia S. Pauli Londini conſtruitur.

Defunctus eſt autem Deo dilectus pater Auguſtinus, & poſitum corpus eius foras, iuxta eccleſiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli: cuius ſuprà meminimus: quæ necdum fuerat perfecta, nec dedicata. Mox verò, vt dedicata eſt, intrò illatum, & in porticu illius Aquilonari decenter ſepultum eſt. In qua etiam ſequentium archiepiſcoporum omnium ſunt corpora tumulata, præter duorum tantummodò, id eſt, Theodori & Berethuualdi: quorum corpora in iſta eccleſia poſita non ſunt, eò quòd prædicta porticus plura capere nequiuit. Habet autem in medio ſuî penè, altare in honorem beati Gregorij Papæ dedicatum: in quo per omne ſabbatum à presbytero loci illius, Agendæ eorum ſolenniter celebrantur. Scriptum verò eſt in tumba eiuſdem Auguſtini epithaphium huiuſmodi: Hic requieſcit dominus Auguſtinus Dorouernenſis archiepiſcopus primus, qui olim huc à beato Gregorio, Romanæ vrbis Pontifice, directus, & à Deo operatione miraculorum ſuffultus, & Edilberthum regem, & gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit, & completis in pace diebus officij ſui, defunctus eſt vij. Calend. Iunij, eodem rege regnante.

Obitus S. Auguſtini.

Altare in honorem S. Gregorij dedicatum.

DE S. IOHANNE PAPA, EX DIALOGO S. GREGORII LIB. III. CAP. II.

Maij 27.

GOTTHORVM tempore dum Iohannes, vir beatiſſimus, huius Romanæ eccleſiæ Pontifex, ad Iuſtinianum ſeniorem principem pergeret, in Corinthi partibus aduenit: cui neceſſe fuit, vt in itinere ad ſedēdum equus requiri debuiſſet. Quod illic vir quidam nobilis audiens, equum, quem pro magna manſuetudine eius coniunx ſedere conſueuerat, ita ei obtulit, vt cùm ad alia loca peruenēti aptus equus potuiſſet inueniri, deberet ille quem dederat propter ſuam coniugem retranſmitti. Factumque eſt, & vſque ad certum locum prædictus vir equo eodem ſubuehente perductus eſt. Qui mox, vt alium reperit, illum quem acceperat equum retranſmiſit. Cumq; eum prædicti nobilis viri coniunx ex more ſedere voluiſſet, vltrà non valuit: quia poſt ſeſſionem tanti Pontificis mulierem ferre recuſauit. Cœpit nanque immenſo flatu & fremitu, atque inceſſanti totius corporis motu quaſi deſpiciendo prodere, quia poſt membra Pontificis, mulierem ferre non poſſet. Quod vir eius prudenter intuitus, hunc ad eundem venerabilem virum protinùs retranſmiſit, magnis precibus petens, vt equum ipſe poſſideret, quem iuri ſuo ſedendo dedicaſſet. De quo etiam illud mirabile à noſtris ſenioribus narrari ſolet, quòd in Conſtantinopolitana vrbe ad portam, quæ vocatur aurea, veniens, populorum ſibi turbis occurrentibus, in conſpectu omnium roganti cæco lumen reddidit, & manu ſuperpoſita oculorum tenebras fugauit.

Præclarum miraculum.

Cæco reſtituit lumen.

DE EODEM PONTIFICE, EX LIB. 17. PAVLI DIACONI, AD EVTROPIVM ADIECTO, *vbi de Iuſtino agit.*

Huius Germani animam vidit S. Benedictus ferri in cælum.

ANNO ab incarnatione Domini quingenteſimo octauodecimo, punito Anaſtaſio hæretico, Iuſtinus catholicus Auguſtali potitus eſt ſolio. Ad hunc, ob cauſam redintegrandæ fidei, directus ab Hormiſda Pontifice vir ſanctitate præcipuus, Germanus Capuanæ vrbis Epiſcopus, dignè ſuſceptus eſt, multorumque dubia corda in fide ſolidauit. Eo tempore apud Africam defuncto Traſamundo Vuandalorum Rege Arrianæ perfidiæ, Huldericus eius filius ex captiua Valentiniani principis filia ortus, adeptus eſt regnum: qui non patrem hæreticum, ſed matris catholicæ monita ſequens, rectæ fidei cultor enituit. Hunc pater Traſamundus ad mortem veniens, quia cernebat eum catholicæ parti fauere, ſacramenti nodis aſtringere curauit, ne vnquam in ſuo regno Catholicis conſuleret. Qui mox vt ſuus genitor vita caruit, priuſquàm etiam regni iura aſſumeret, vniuerſos epiſcopos, quos Traſamundus in exilium coëgerat, regredi fecit, eiſque eccleſias reformare cœpit, ſeptuaginta iam & quatuor euolutis annis, ex quo à Gēſerico primitùs apud Africam eccleſiæ fuerant deſtitutæ.

Relegati erant in Sardiniã 220. Epiſcopi, quos Symmach9 Papa ſuſtentauit.

At verò in Orientis partibus, dum adhuc eo tempore per loca ſingula Arriana hæreſis vigeret, Iuſtinus ardore orthodoxæ fidei omnimodis ſatagere cœpit, vt hæreticorum nomen extingueret: ſtatuitque, vt vbique eorum eccleſias catholica religione conſecraret. Quod dum in Italia rex Theodoricus Arriana lue pollutus audiſſet, Iohannem Papam, ſimulque cum eo Theodorum, Importunum atque Agapetum conſulares viros, aliumque Agapetum patritium Conſtantinopolim ad Iuſtinũ principem dirigit, mandatque per eos interminitans, vt niſi quantocyùs hæreticis eccleſias ſuas redderent, eoſque in pace degere ſinerent, vniuerſos Italiæ populos ipſe gladio extingueret. Qui peruenientes ad Auguſtum, cùm ab eo dignè, vt competebat, ſuſcepti eſſent, magnis eum de ſua ſuorumq; ſalute ſoliciti fletibus poſtulant, vt ſuæ legationis ſeriem, quanquam eſſet iniuſta, libenter exciperet, Italiæque perituræ conſuleret. Quorum fletibus Iuſtinus permotus, eis quod petebatur, conceſſit, Arrianoſq; ſuo iuri reliquit.

Symmachi & Boëthij cædes.

Dum hi in itinere demorantur, Theodoricus rabie ſuæ iniquitatis ſtimulatus, Symmachum exconſulem ac patritium, & Boëthium ſeniorem & exconſulem catholicos viros gladio trucidauit. His diebus extincto à Francis Alarico Vuiſigotthorum rege, Theodoricus per Ippam ſuum comitem plusquam triginta millia Francorum cædēs, Thiodem ſuum armigerum poſt mortem Alarici, tutorem Amabarici nepotis conſtituit. Iohānes verò Pontifex reuertens à Conſtantinopoli, dum cum iis, cum quibus ierat, profectus ad Theodoricum Rauennã fuiſſet, Theodoricus ductus malitia, quòd eum Iuſtinus catholicæ pietatis defenſor honorificè ſuſcepiſſet, eum ſimul cum ſocijs carceris afflictione peremit. Sed hanc eius immaniſſimam crudelitatem mox animaduerſio diuina ſecuta eſt. Nam nonageſimo octauo poſt hoc facinus die, ſubita morte defunctus eſt, cuius animam ſolitarius quidam apud Liparam inſulam vir magnæ virtutis aſpexit inter Iohannem Papam & Symmachum deduci, & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi.

Item Papæ Iohãnis &c.

Idem habet S. Gregorius Papa lib. 4. Dial. c. 30.

VITA

VITA BEATISSIMI GERMANI, PARISIENSIS EPISCOPI, AVTHORE FORTVNATO PICTAuorum epiſcopo. CAP. I.

BEATVS Germanus Pariſiorum Pontifex, territorij Auguſtudunenſis indigena, patre Eleutherio, matre quoque Euſebia, honeſtis honoratiſq; parentibus procreatus eſt. (Maij 28. S. Germani patria & parentes.) Cuius genitrix pro eo, quòd hunc poſt alterum intra breue ſpatium concepiſſet in vtero, pudore mota muliebri, cupiebat ante partum infantem extinguere. Et accepta potione, vt abortiuum proijceret, dum nocere non poſſet, incubabat in ventrem, vt vel pondere præfocaret, quem venena lædere non valerent. (Mater eum vult, nec poteſt extinguere.) Certabat mater cum paruulo, renitebatur infans ab vtero. Erat ergo pugna inter mulierem & viſcera. Lædebatur matrona, nec nocebatur infantia. Obluctabatur ſarcina ne mater fieret parricida. Vnde id actum eſt, vt ſeruatus incolumis, ipſe illæſus procederet, & matrem redderet innocentem. Erat ſanè hinc futura prænoſcere, antè illum feciſſe virtutem, quàm naſci contingeret.

CAP. II.

DEinde dum à Vallone caſtro ſimul cum Stratidio propinquo puer adhuc ſcholis excurreret, mater parentis, vt illius hæreditatem ſibi acquireret, de adoleſcentis (Item auia.) fallitura nece tractauit. Quæ temperatam potionem in ampullam condidit, vinum quoque in alteram poſuit, præcipiens puellæ, vt venientibus ambobus, illi porrigeret de vino, iſti de maleficio. Sed ignorans miniſtra, ampullam pariter mutat & pocula: vinumq; ſancto Germano, venenum verò dat Stratidio: & dum inſonti præparatur interitus, author cadit in laqueum. Quo mater eius cognito, puellam increpat cum fletu, ſibi eam extinxiſſe filium. Cui Stratidio ſolicitè impēſo ſtudio, facto de ipſis maleficijs vario, etſi mors vitam non abſtulit, tamen ſignum mortis infixit.

CAP. III.

HInc ad parentem ſuum ſanctum Scopilionem Lauſiam ſe conferens, moribus honeſtis apud illum alitus & inſtitutus eſt. Qui cùm ferè mille paſſus lōgè ab eodem viro conſiſterent, iugiter ad matutinos currebant, ducti calore fidei, per tempeſtatem, per hyemem. (Fit diaconus, inde presbyter.) At dominus Germanus intra terni luſtri ſpatium à B. Agrippino Diaconus inſtituitur & ſequenti triennio Presbyter ordinatur. Dehinc à venerabili pontifice Nectario Abbas ad ſanctum Symphorianum meritò dignus aſſciſcitur. (Item Abbas) Sed quanta inibi abſtinentia vixerit, quantiſq; vigilijs continuando durauerit, quis enarrabit?

CAP. IIII.

SAc etenim quibus illic eleemoſynis profuſus extiterit, illa res vna teſtis eſt, cùm iā rebus reliquis pauperibus erogatis, nec panis ipſe reſideret, quatenus fratres reficeret: (Eius eleemoſynæ.) inſurgentibus aduersùm ſe illis, retrudens ſe in cellulam, amarè fleuit & doluit. Inter hæc autem, ipſo orante, quędam Anna nobilis matrona duorum cum pane ſaumariorum dirigit onera. Sequenti etiam die cum annona deſtinauit plena nihilominus carpenti vehicula, ita videlicet, vt exinde monachi cùm ſaturarentur cibo, terrerentur miraculo. Cuius bonis operibus inflammatus epiſcopus, ſanctum virum, neq; adhuc iſta recuſantem, quem etiam prædicabant dæmonia, in cuſtodiam truſit. Cui fateor nutu diuino aperiebatur ergaſtulum, ſed non hinc egrediebatur, niſi * ſupplex & (for. * ſupplici.) epiſcopalis daretur benedictio.

CAP. V.

HIs ita celeber intentus officijs, non deſijt prædicandis manifeſtari miraculis. Igitur quadam die, dùm cibum feſſus acciperet, ingrediente Amando monacho in fœnile cum lumine, carbone decidente, flamma fœnum corripuit, & arida nutrimenta vorax ignis allambit. Concurrentibus autem reliquis, nec tamen ſuccurrentibus, tardiùs ipſe proſiliens, rapta de foco cucuma, aſſcendit ſuper fabricam, concinens *Alleluia*: fundenſque paululum aquæ in Crucis imaginem, extinxit mox incendia, ac de (Extinguit incendium) manu ſancti imbre mox ſedata eſt ignis vnda, quam multa vix extinguerent flumina. Quod tamen poſtero die, cuius inſidijs actum fuit, hoſtis ipſe confeſſus eſt.

CAP. VI.

Kariulphus quidam Francus partem villæ, eiuſdem baſilicæ res obſtinatus inuaſerat. Quem cùm vir Dei ad reddẽdum aliquatenus commoneret, nec tamen proficeret, ad orationem ſe contulit, nec fides vindictam diſtulit. Statim denique ex vicino ferus vrſus exiliens, tres præfati hominis equos interfecit: nec ſic idem à duritia reſipiſcit. Sequenti verò nocte duplicauit vltor perniciem: ſex iumenta interemit: nec ſic quoque pœna ſufficit. Tertia verò nocte nouem proſternit vehicula triplicato cadauere: ſicque labor creſcebat in cladem. Deinde ad beatum virũ tardiùs dirigit puerum, & dum agrum reformat inuaſum, calamitas eius à Domino compeſcitur: idque actum eſt, vt beſtia caſtigante, homo ſenſum acciperet, & daret non intelligenti bellua rationem.

Vltio diuina in vſurpantẽ res eccleſiaſticas.

CAP. VII.

Dehinc beatus Agricola Cabilonenſis epiſcopus, habens cubicularium grauiter vi febrium feſſum, qui deſtinato iam animo totus pendebat in tranſitu, dirigit ad ſanctum virum intercedendi ſuffragio. Qui delegatis ſibi perceptis apicibus, ad ſancti Symphoriani ſepulchrum progreditur: præterea vir iuſtus orationi incubuit, terram corpore premens, & ſidera mente tranſcendens, & quaſi ante ſe habens præſentiam Domini, pro voto ſupplicis obſecrator accedit. Nam mox vicini redemptoris auribus exauditur: & adhuc iſto recubante in puluere, ægrotum cæleſtis medicina perfundit, ac iuſto iacente in pauimento, languidus ſurgit de lectulo, antè currẽte me dela, quàm peroret, qui ſupplicat: ita vt portitori redeunti obuiàm puer occurreret, cui parabantur exequiæ, & non eſſet ambiguum, eadem hora languidum ſaluti fuiſſe redditum, qua vir beatiſſimus humo fuſus oraſſe comperitur.

Agricola Cabilonen. epiſcopus.

Pellit febrẽ.

CAP. VIII.

Nec illud omitti conuenit, quod ad domum Ebronis pro fide iuſti collatum eſt: cuius, ingrediente domum Germano, Anna eius matrona, rem mirabilem ſe videre proclamat. Et inquiſita à coniuge, quid eſſet quod inſpiceret? ait: Ecce beatus Germanus cornuta facie mihi videtur incedere, & quod penè vix valeo aut intueri lumine, aut ſermone conferre, ſanctum video virum nouo more cornibus radiantem. Conſternataque mirabatur mulier hominem noſtro tempore in figura Moyſi potuiſſe conſpici. Credendum tamen, quòd & iſte pro colloquio Domini meruit cornu exaltatus agnoſci. Ebro verò eadem die iuxta ſanctum ſedere nullatenus præſumpſit, duplici pro cauſa, honoris pariter & terroris.

Nota viſionem.

Exod. 34.

CAP. IX.

Contigit autem, vt pro villis Auguſtudunenſis eccleſiæ Theodeberto regi Cabilone occurreret, memorque S. Symphoriani, in ingreſſu palatij ita, ſpiritu Dei in ſe redundante, piè locutus eſt, vt antè rex annueret, quàm verba petitor explicaret. Cui & ore prophetico finem dixit de tranſitu. Nam paucis interim diebus, dum Rhemis remearet, in ipſo itinere rex extrema ſorte defecit, quaſi ſancti viri ſermo dictus fuiſſet ab angelo.

CAP. X.

Et quoniam beatiſſimo viro erat familiare, in baſilica S. Symphoriani ſolum vigilias ducere, euntem eum aliquando monachus Syluester proſequitur. Ingreſſiq; pariter ad ſancti martyris tumulum, circa noctis medium ab altari tumultum frequentantem rumoris accipiunt, tanquam ſi ad rapinam collecta curreret multitudo. Credens enim vir Dei verſari latronum incurſum, imperat monacho ante ſepulchrũ pſallere: ipſe verò accedit ad altare. Deinde illa turba ad monachum, qui pſallebat, alacriter properat. Quo mactato grauiter, & in terram proiecto, ac ſemiuiuo relicto, velociùs effugiunt. Qui vix voce flebili cladem ſuam replicans, à dęmonibus ſe cæſum graui congreſſu confeſſus eſt.

Vigiliæ eius

CAP. XI.

Accidit, vt cuiuſdam Sabarici famulus, Eſarius nomine, ad virum, de quo loquimur, iniuriam paſſus confugeret, ſupplicans, vt quolibet precio eum de inſolentis domini ſeruitio liberaret. Quod indignatus Sabaricus, pro Eſario & coniuge vel vnico eius filio octoginta ſolidos precij nomine petijt, quò minùs famulos ſeruili ditione laxaret. Tamen non dubitauit miſericordia iuſti hoc vel perquirere, vel donare. Quo precio perſoluto, contigit vt ante baſilicam S. Symphoriani idem Sabaricus præteriret, nec tamen orationi, adhuc moleſtus, occurreret. Qui domum ſuam ingrediẽs, ſtatim vexatus affligitur, ligatur, & catenis vinctus ad ſanctũ perducitur. Neq; ſicà

Vide ſancti viri humanitatem.

ſicà pio viro miſericordia tollitur: ſed ſtatim miſſa prece, eius obtinente fide, purgatur. Tunc adiecit Sabaricus adhuc viginti aureos ad precium, quod acceperat, & ſic de centum ſolidis crux ad ſepulchrum B. Symphoriani ab ipſo ſuſpenſa eſt: quæ vſque in hodiernum diem res eſt in teſtimonium. Qua occaſione eius filij vel filiæ ita ſanctè cõuerſati ſunt, vt per monaſteria nunc, Chriſto diſponente, regant agmina monachorum. Sicq; hæc cauſa tam modo mirabili profuit patri vel germini, vt videlicet paruũ genitoris flagitium, poſteris etiam tranſiret in lucrum. Crux aurea

CAP. XII.

IN pago Aliſienſi res geſta eſt. Coniunx namq; illuſtris viri Vulfarij de Staſia nomine, vitalis ſpei deſtituta ſolatijs, ac linguæ carens officijs, per biduum muta ſpiritu quoq; deficiente decumbens, apparatis exequijs, iam palpitabat exanimis Cui eulogijs à ſancto per presbyterum ſuum directis, ac violenter adapertis præmortuæ dentibus, in os tranſiectis, mox vt fauces ſemiuiuæ liquor benedictionis introijt, incipit mulier vitæ flatibus anhelare, atque oculi nece præcluſi, lumen diei requirere, ita vt poſt funereum pallorem facies in ruborem trãſiret, donec, cunctis ſtupentibus, viuificata cõſurgeret, & circunſtantes authoris muneris gratiam prædicarent. Quæ ſingulis annis tributum ſancto vitæ ſoluit pro precio. Penè exanimis matrona, curatur.

CAP. XIII.

CAeterùm reuelationum ſuarum quis ſcrutator introëat? Cui etiã ante quatuor fere annorum curricula, ipſa epiſcopatûs ſui cauſa non eſt abſcondita. Itaque poſitus in ſopore, inſpicit à quodam ſene claues ſibi portæ Pariſiacæ porrigi. Sed interrogans: Quid hoc fieret? accepit reſponſum, Vt ſaluos eos faceret. At pòſt ciuitatis epiſcopo decedente, dum præcellentiſſimo regi Childeberto occurriſſet, in eius electione mox effectum illa vox cæleſtis promeruit. Ordinatus verò Pontifex, qualem quantumque ſe geſſerit, hoc expedire lingua mortalis non ſufficit: quoniam ſupra hominẽ fuit omne, quod edidit. Deniq; adeptus gradum curæ paſtoralis, de reliquo monachus perſiſtebat immotus. Hinc ſe frequentibus exercebat vigilijs, inde continuis macerabat inedijs. Pernoctabat algida ſenectus per hyemem, ſuſtinens dupliciter frigus, ætatis & temporis, quod nec etiam tolerare poſſent * potulenti iuuenes: ſeq́uẽ ipſum pene obliuiſcens, pro victoria ſic ſatagebat corporis, tanquam ſi ſimul acceſſiſſent dignitas & neceſſitas. Præuidet ſe fore epiſcopum. Fit Pariſienſis epiſcopus. Exercitia eius.

CAP. XIIII.

QVæ verò eleemoſynæ tam de rebus eccleſiæ, quàm populi oblatione, vel regio munere per manus eius ſanctificatæ ſint, ſolus ille, qui omnia ſcit, nouit & numerat. Denique quadam vice præcellentiſſimus Childebertus rex, cùm ei direxiſſet ſex millia ſolidorum, pauperibus eroganda, expendens tria millia, reuertitur ad palatium. Interrogatusq́ue à rege, ſi adhuc reſideret, quod egenis tribueret? reſpondit, medietatem reſediſſe, nec inueniſſe ſe inopes, quibus mox totum expenderet. Cui rex inquit: Domine, dona quod reſtitit: nam, Chriſto largiente, quod donetur, non deficit. Incidens igitur aurata miſſoria, ac argentea vaſa comminuens, quicquid primum habuit, dat ſacerdoti, ne perderet. Erat ergo ſpectanda contentio inter ſacerdotem, & principem. Faciebãt apud ſe de miſericordia pugnam, & de pietate certamen: theſauros videlicet vt ſpargerent, & de ſuis talentis egeni diteſcerent: vt feſtini ad futura lucra, * brateum ſemen ſererent, & poſt meſſores accederent aurulentam per ſegetem: vt & ſacerdos locupletaretur regalibus theſauris, & in rege floreret gratia ſacerdotis, qui ſolùm ſuum hoc eſſe credidit, quod nudus aut egenus accepit. Eleemoſynæ. Nota præclarum in rege exemplum.

CAP. XV.

SEd reuertamur ad ordinem. Quidam in Exona vico de fiſcalibus famulis, Chilſdomerus nomine, cùm die Dominico quiddam operatus ſit, ita contrahitur digitis, vt vnguium acumen partem tranſiret in alteram. Qui Pariſijs ſancto viro occurrit in oratorio, & oratione data, manuque peruncta oleo, vngues ſtatim de palma retracti ſunt, digitis redditur organum, & in antiquum officium neruorum tela retexitur. Quem clericum pòſt effectum, vt integrum ſanum faceret, peſte liberauit & crimine. Miraculum

CAP. XVI.

RVrſus quædam mulier, nomine Fauonia, in vrbe Pariſiacâ per nouem dies percipiens nihil præter pulticulam, ore aperto hians, ſancto viro oblata eſt. Hæc velut ferro oppoſito, nulla lege poterat iungere dentes aut labia. Quam in oratorio ſacro perungens oleo, palpato vndiq; capite, ſine tarditate ſaluti reſtituit. Sacro oleo ſanat fœminam.

CAP. XVII

Item aliam.

ACcidit, vt puella quædam de domo Medardi Miglidunenſis familiæ, filans die Dominico, contracta manu, damnaretur ſupplicio. Qua à ſancto viro contracta oleo, ilicò virtus infudit remedium. Hinc ſtupentes digiti vigorem priſtinum recipiunt, oblitumq; artis officium reducti meditantur articuli, manus ramoſa diſtenditur, atq; purgata vitio, dextera ſaluti reducitur.

CAP. XVIII.

Sanatur dæmoniacus.

REctè creditur inſerendum illud quoque miraculum. Bobolinus quidam de vico Nouiomo, vehementer inimici peruaſus inſidijs, ad hominem Dei vinculis nexus adducitur: rebelli quoq; ſpiritu rotatus excutitur, nec laſſatur. Qui, exorante ſancto viro, quaſi de longo itinere ad ſe ſuamque mentem ſeptimo die reuertitur. Igitur dum fugit vmbra de ſenſibus, catena cadit de manibus: ſicque dupliciter liberatus, ſanus redditur & ſolutus.

CAP. XIX..

Vide pœnã præceptum ſancti viri negligentis

HOc etiam memoriæ iure perpetuò eſt tradendum. Quidam ex Nantharici familia, ſeparatis ab inuicem maxillarum iuncturis, ore aperto ad beatum virum perducitur. Quem ſigno Crucis impreſſo ſanitati redditum, vetuit ne acciperet vini potũ, aut carnis edulium. Qui præcepto poſtpoſito, ad normam ſui languoris ſtatim reuertitur. Sed ne præuaricantis negligentia iuſto ſubtraheret gloriam, in Spedoteno villa rurſus ei oblatus eſt: cuius maxillarum loca ſancto perungens oleo, ac beatis manibus mentum perſtringens & labia, inuocato Chriſti nomine, concuſſa ſanctis digitis ad ſe iunctura reuertitur, & ſuæ fidei merito ſaluus languens domum reducitur.

CAP. XX.

Opera Dei, pro, opus Dei.

ITem quidam faber Ligerius nomine, turbulenti dæmonis arreptus inſania, ſic beſtiali feritate proruperat, vt catenis collo manibusque reuinctus, vix ad beati viri traheretur præſentiam: inde miſerabilior factus, vt qui ſuſtinebat ab hoſte violentiã, ipſi adderetur & altera pœna per vincula. Quem tamen ſacerdos Dei apud ſe imperat detineri: & ſicut ſeptimo die Deus cuncto quieuit ab opere, ita & opera Dei, tranſacta hebdomada, eripitur à dæmone: ſicque in propria redire ſecurus meruit, liberatus ab hoſte.

CAP. XXI.

GVaddo vir illuſter ac conſilij regis particeps, typhum dupliciter incurrens, febris & frigoris, expurgandus ſancti viri præſentatur obtutibus. Intereà hora ſolita febre concuſſus grauiſſima, vt refrigeraretur, vel aquam inſtanter expoſtulat. Qua ſibi denegata, in ſancti pontificis inſoleſcit iniuriam. Vir tamen Dei hoc ſolo contentus, vt obtineret victoriam, oratione explicita, potum ei donans in calida, hominem reuocauit ſalutem ad priſtinam: & imminens periculum tali curauit antidoto, febrem ſcilicet curans per calidam.

CAP. XXII.

NEc illud eſt prætereundum ſimilis cauſæ miraculum, Reginæ Chrodoſindis miniſter, Vlphus nomine, & ipſe typho vexabatur grauiſſimo, poſcensq; ſuffragia medelæ, perrexit ad pontificem. Quem vir Dei compræhenſum, conſtanter ducit ad baptiſterium: ſed exorante ſancto, cœpit affligi grauius, liberandus in proximo. Poſtulat ardens & æſtuans aquæ modicum, ſed negatur illi. Tunc felle amaritudinis ſuſcitatus acerrimè, balteum ſuum ad ſancti veſtigia proiecit, clamans: Tu me, domine, interficis, cùm ſanare debueras. Sed & hoc tibi notum ſit, quia per te morior. Vita etenim mea à te erit requirenda à rege vel parentibus. Interdum verò nimio præ calore per baptiſterij pauimentum volutabatur: ſed orante ſancto, in ſoporem mox conuertitur: hincq; aliquantulùm poſt ſomnum excitatus, ab ipſo in omnem incolumitatem reformatur. Inquiſitus autem à pontifice, cur tantum locutus ſit ad iniuriam ſui? reſpondit ſolùm, ei gratias referens, nihil ſe de ſuis verbis recordari.

CAP. XXIII.

Pauperis vox plus apud illum valet, quam regis.

PRæcellentiſſimus deniq; rex Childebertus, cùm equum neceſſarium ad beati viri ſellam donaſſet, rogat vt eum ſibi retineret, nec cuiquam alteri tribueret. Interim beatus vir, poſtulante captiuo, equum donat in precio: quoniam apud Põtificem plus fuit, quã illa regis, vox pauperis. Iubet igitur, vt quindecim eum tantùm venundaret ſolidis. Quem pauper ipſe cùm duceret, negociator occurrit, emitq; prædictum equũ duodecim aureis. Quo empto, duxit ad ſtabulum. Sed quoniam minus dedit, quàm vir Dei præceperat, equus eadem ſub nocte moritur, ne ſancti verbum iret in caſſum.

Vnde

Vnde ſequenti die ſellarem iunctis bubus retraxit emptor mortuum: qui verſa vice capiſtro, non capite, ſed pedibus alligatus educitur.

CAP. XXIIII.

EST operæprecium illud etiam memoriæ tradere, qualiter ſacerdos Chriſti ſolitus erat de ipſis quoque regibus triumphare. Igitur cùm ad glorioſum Clotarium regem occurriſſet, nec tamen de ſancto viro, ſtante ante palatium, ei fuiſſet indicatum, mora facta ante veſtibulum, non præſentatus, domum reuertitur. At ſequēs nox, conſuetis in oratorio vigilijs ducitur, rex dolore atque febris infeſtatione torquetur. Vix primo diluculo ad domum pontificis à proceribus concurſatur, pœna regis exponitur, & vt ſua viſitatione regi doloris vim mitiget, optimates deprecantur. Moxque apud pietatis virum iniuriæ cauſa poſtponitur, & qui antè nec nunciabatur, intrat iam honoratus, & exoratus palatium viſitat. Tunc rex vix aſſurgens de lectulo, cæſum ſe diuino flagello conqueritur, allambitque ſancti palliolum, ac veſtem ſacerdotis deducit gaudens per loca doloris. Culpam nanque confeſſus eſt criminis, & ſic dolor omnis fugatur. Idque actum eſt, vt cuius incurrerat de contemptu periculum, ſentiret de cōtactu remedium.

Deus vleiſcitur contemptum epiſcopum.

Rex ſanatur.

CAP. XXV.

IN pago Pariſiaco vico nouo res geſta eſt. Quidam enim in eodem loco impetu lupi rabidi laceratus & extra ſenſum effectus, beato ſacerdoti eſt miſerabiliter oblatus. Hic ad illa ſuæ artis recurrens ſuffragia, mox brachio olei benedicti liquore circumlito, & ſacris digitis medicabiliter attrectato, peſtis illa, quæ viſcera dolore graſſante peruaſerat, loca fugit obſeſſa, iamque putredine reſoluta. Sicque vigori priſtino reſtituto ſine cunctatione, velut experrecto de ſopore, dolor omnis receſſit, mens rediit.

Olei benedicti vis.

CAP. XXVI.

ITem de vico Mantola, Vualdulphi cuiuſdam ancilla, anno & nouem menſibus graui cæcitate percuſſa, per ſoporem admonita eſt, vt fimbriam ſancti ſi tangeret, mox viſum reciperet. Ita prorſus conſtrictis luminibus, vt vnde oleum intus benedictum ſanctus iniiceret, luminum aditus non præſtaret. Attamen perungens palpebras deſuper, & per reliqua capitis loca, oratione data, ac pane, & ſale ſignato, mulieri præcepit ad manſionem ſe condere. Ipſe vero à primo conſiſtebat ſomno in oratorio peruigil. Circa medium itaque noctis mulier clamat hoſpiti, ſe lachrymari profusè. Tum accēſo lumine, ab oculorum eius compage multum cernit manare ſanguinem. Quæ cum eodem cruore manè ad ſanctum rediit, ſed cum aqua ipſo palpebras eiuſdem fouente & abluente, orationibus additis, oculus vnus apertus eſt. Deinde altero peruncto, mulier domum rurſus reuertitur. Hinc eadem ſub nocte nimiùm fuſo ſanguine, appropinquante die, iterum ſacerdoti ſe obtulit. Qui cùm de regis occurſu domum reuertens, ingreſſus oratorium eſſet, ſtatim mulieri oculus alter aperitur. Et ſic præſtante Domino, gemello ſe lumine videre gratulabatur.

Cęca videt.

CAP. XXVII.

MAgnefledis quædam puella, cùm talibus decepta illuderetur inſidijs, vt quoties ad eccleſiam voluiſſet accedere, greſſum facere non valeret, ſeruo Dei in villa, quæ dicitur Sauara, præſentata eſt. Confeſtimque vt ſancti manus ſuper caput puellæ titubantis imponitur, tali inueſtigatione occultus hoſtis detegitur, & ſe ibi diù latuiſſe, multo gemitu confitetur, nec in beati clamat præſentia proprio ſe poſſe celare præſtigio. Ergo ita ſe proditum & egreſſurum, graui miſer ardore conqueritur. Sed interim non ceſſante ſacerdote manu Crucis ſignum depingere, expectantibus omnibus, in muſcę ſimilitudinem prorumpens cū ſanguine, de naribus mulieris inimicus egreſſus eſt. Quam ſanitati reſtitutam, ac monachali veſte mutatam, Dei eam ſeruitio tradens, bis triumphare fecit, hoſte victo vel ſeculo.

Vide vſum & vim ſignI ſanctæ Crucis.

CAP. XXVIII.

QVid illud, quòd ſine mora curauit debilem dexteram? Cùm igitur ad feſtiuitatem S. Martini Turones acceſſiſſet, egreſſo eo de monaſterio, offert ſe mulier barbara manu neruis contracta, poſtulans medicinam. Quam vir Dei ſub caſulam dignanter receptam, ſuoque ſputo illitam, velut ſparſum farinæ collectum commacerat. Hinc ſudante dextera, digitos tendit, & replicat, atq; torporem veteratum ad viuacitatem reſuſcitat: & priuſquam veniret ad B. Martini ianuam, digitis ſuis extenſam reddidit incolumem dexteram: quam mox ſentiēs eſſe directam, mulierem à ſe repulit, ingreſſus baſilicam.

Feſtum S. Martini.

CAP. XXIX.

Saliua & oleo mancã ſanat.

DEinde egrediens à prædicta domo, cùm ſe ad manſionem ſeruus Dei reciperet, offert ſe manca altera, palma digitis affixa. Quæ priùs ab eo tacta de ſaliua, atque dehinc oleo peruncta, peregrinæ ſanitati de præſenti eſt reddita.

CAP. XXX.

Vide ſancti poteſtatem in dæmones.

ERat ſanè mirabile, quia quoties famulus Dei Auguſtudunum voluiſſet accedere, mox ad S. Symphorianum hoc dæmones nunciabant: & occurrentes per Moruinnum cum fletu gemituque clamabant: Vir ſancte, ſi de locis cultis nos inconſideratè repellis, vel habitare concede per ſyluarum ſolitudinem, vt liceat, miſeros ſaltem per deſerta ſecuros errare. Ante tuos enim oculos nec corpora nos celant, nec nemora. Qui deflẽtes & ſancti non tolerantes præſentiam, admota eius dextera, de obſeſſis corporibus paſſim vertebantur in fugam, & de ſalute populi, proiecta lamentabantur dæmonia.

CAP. XXXI.

Erga captiuos commiſeratio.

PRoducatur in medium nobile illud miraculum. Cùm enim regrederetur aliquando de S. Symphoriano, caſtello Auallone iter agens ingreditur, vbi reorum multitudo tenebatur in ergaſtulo. Hinc humiliter à Nicaſio, eiuſdem loci Comite, inuitatus ad prandium, ſtatim vir Dei cœpit cum eo de miſericordia habere colloquium, vt videlicet datis fideiuſſoribus, qui tenebantur, laxarẽtur de vinculo, atq; partim culpæ cederet pietatis intuitu. Quod ille facere diſtulit obſtinato admodum ſpiritu. Vnde, antequam perpranderent, ſe de menſa ſanctus proripuit, & carceri, vt erat, ſubterraneo iniectus, diutiùs orauit cum fletu, vt diuino conferretur auxilio, quod à temporali iudice non fuiſſet obtentum. Sic curſus ille lachrymarũ ſurgit in cælum, & gemitus peruenit ad votum. Itaq; angelus deputatur ad effectũ. Dehinc vir venerabilis ſpẽ promittẽs, incluſos hortatur: nec ei⁹ pdit ſermo, quod loquitur, & fides geſtis impletur. Eo nanque diſcedente, mox catenarum bacæ franguntur, vinctis ianuæ reſerantur, dies obſcurum in carcerem reducitur, damnati è tenebris in lucem procedunt: nec diutiùs pœna tenuit, quos torqueret. Sic erepti, Pariſijs ſancto occurrerunt pontifici, qui nuper Auallone caſtro tenebantur incluſi. Qui etiam, vt culpabilibus aliquid plus pietatis conferret, à rege, quicquid fiſco pro his debebatur, obtinuit.

CAP. XXXII.

Nicaſium Comitem ſanat.

DEhinc ad ſanctum virum huius facti cauſa idem Nicaſius cùm vellet occurrere, iam præſentatus, grauiſſimo ſubitò caſu in terram proſtratus corruit, omnibus pene ſalutis deſtitutus ſolatijs. Sed ipſo ſancto intercedente, homini deſperato mox virtus & ſenſus regreditur. Tunc balteum, quo cingebatur, ac ſpatham pro munere beato Dei viro contradidit: quod tamen, dato precio, pòſt redemit. Actumque eſt, vt quod priùs incarceratis concedere diſtulit, hinc duplicato fœnore debitor compenſaret, & aucta dote, damna ſarciret, priùs videlicet pro eis differens, & pòſt ſeipſum redimens: antè non illis pius, modò de ſe trepidus. Qui verè didicit caſu proprio ærumnis ſuccurrere alienis.

CAP. XXXIII.

Crucis ſigno vrſos interficit.

PRorſus illud ſtuporis retexatur in pagina. Eunte itidem ſancto viro ad beati martyris Symphoriani occurſum, cùm de vico Ceruedone in Moruinnũ progreditur, habitatores loci occurrentes, ſuggerunt vt ſegetẽ Panitiæ mulieris viduæ, nihil habentis reſidui, quæ ab vrſis vaſtabatur, viſitare præciperet, vel ſancto ſuo aduentu illa beſtialis repelleretur incurſio. Et concitus, miniſtris quidem irridentibus, ad locum perducitur, & oratione data, deſuper fecit Crucis ſignaculum. Hinc itaq; inſtinctu diuino in parentalibus ſolito aduentantibus beſtijs, feralis ira ſuccenditur, odium naſcitur in affectu, in pace pugna committitur. Ergo furore bis armantur, & ſtatim præfocatur vnus vrſus ab altero. Ipſe verò, qui reſtiterat, dum vellet egredi, ilicò ſepis palo transfoditur. Sic vtriq; vaſtatores vno perimũtur momento, atq; ſibi arma mortis effecti ſunt. Poſt hæc autem ipſi redeunti mulier pelles vrſorum obtulit ex ſtudio, quaſi victori ſuum repræſentans ſpolium: quod omninò idem recuſauit accipere. Tunc qui priùs riſerant, pœnitere cœperunt, factum videntes miraculum.

CAP. XXXIIII.

Non debet eſſe moleſta miraculorũ commemoratio.

ET quoniam de Dei dono non debet eſſe faſtidium, illud etiam breuiter dignum ducimus explicandum. Beretrudis quædam mulier, Monſonithi cuiuſdam matrona, dum tempore litaniarum præcæcatis oculis non poſſet ire cum populo, audiens chorum pſallentium, cum lachrymis domini Germani implorat auxilium. Tertia ve-

tia verò hinc ſequenti nocte, per ſoporem viſus eſt ei idem vir beatiſſimus prope lectulum, & quaſi cæcis eius oculis Crucis feciſſe ſignaculum. Euigilans mulier, marito narrat quæ geſta ſunt. moxque ſtillante ſanguine, dies oculis reducitur, ac diuturnum poſt nubilum lumina ſereno radio micuerunt. Clareſcente quoque die, ad Miſſam cũ populo progreditur mulier in proceſſu, ita vt ſancti viri, ſic viſa per ſomnium, illi eſſet imago remedium. Miſſa. Proceſſio.

CAP. XXXV.

ADeſt nec minùs laudabile, reddita vita infantulæ. Cùm itaque in Turonico illuſtris cuiuſdam viri, nomine Pientis, matrona expoſitæ filiæ lamentaretur extrema, & obſeratis iam oculis, nec anhelitum mobilem reſpiraret infantula, ad ſancti viri præſentiam tota inde committit præſidia. Qui per miſſum celeriter inuitatus, quantùm valet, ad conclamatæ puellæ cadauer properat. Exceptus igitur multis fletibus, vtpote omni deplorante familia, appropinquat ſubſellio, in quo rigebat infantula, cælo vim placidis faciẽs conqueſtibus. Ferè tranſacto inter hæc quaſi vnius horæ ſpatio, mobili ſingultu flatus puellæ reducitur, ac viſcerum vitalis calor per membra diffunditur. Dehinc paulatim animata, potũ poſcit, vt biberet. Tunc à beato viro pane ſignato vel calice deguſtato, infantula reuocata de funere, tota vertitur in ſalutem. Quę etiã pòſt in monaſterio beatæ Radegundis felicioris vitæ terminum conſummauit. Redit ad vitam infantula.

CAP. XXXVI.

QVidam clericus de iuxta monaſterium beati Sylueſtri Internodorenſe, cùm die Dominico, vt loquimur ex conſuetudine, caligas circinaſſet, debilitatem manuum ac pedum incurrit. Sed per beatum Sylueſtrum greſſuum recepit officiũ. Deinde per ſoporem admonitus, occurrit Pariſijs S. Germano, poſcens reliquum ſalutis compendium. A quo interrogatus, cauſam culpæ confeſſus eſt. Tum imperat ſanctus clericum clamare per populum, ne quis temerè die Dominico operaretur. Cui quinto die tranſacto, ſuperfuſo oleo, debilis palma erigitur, & ſic ad propria cum libertate eundi dimittitur. Pœna violantis Dominicum diẽ.

CAP. XXXVII.

IN pago Amonienſe quod geſtum eſt, replicetur, vbi ei in Rotegiaco, villa Pariſiacæ eccleſiæ, ſeptem viri debacchãtes oblati ſunt. Quibus curatis, vnus, qui quaſi grauiore vexabatur ſpiritu, dum exire cogeretur, homini Dei profeſſus eſt, expulſum ſe de illo loco, grauem Pariſiacis lamentationem facere. Tunc maligna fugata peſtis, de ſancti viri tranſitu famam fudit per populos, & paſtoris pro obitu gregem mouit in fletum. Qui fallax etſi ſeminauit mendacium, expulſus tamen, non ſibi defendit obſeſſum. Rumor falſus ſparſus per dæmonem.

CAP. XXXVIII.

ET quia iuſti opera creſcere cogebant miracula, item in prędicto loco offertur ei paralyticus, membris diſſolutus, carpento ſubuectus, greſſu omni deſtitutus & actu. Quem ſanctificati olei liquore perfundens, dum cutis ſumma tetigiſſet, ſtatim vigor medullas introijt. Dehinc rediuiuæ manus ad vſum mobilem redeunt, thorax pectoris vitali appulſu fit fortior, genuum columnaris imbecillitas roboratur, plantæ pedũ ſolidata baſi ſubriguntur. Inter hæc tota membrorum fabrica reparatur. Qui ſanitate recepta, redeunti ſancto viro occurrit in itinere cum præparato xenio, gratias ſimul Chriſto referens de ſibi reddito corpuſculo. Sacro oleo pellit paralyſin.

CAP. XXXIX.

NEc hoc prætereundum, qualiter ſimili modo claruit virtus in altero. Igitur Emmegiſilus de vico Bucciaco, quidam puer admodum paruulus, ac mẽbris omnibus paralyticus, in ſella Pariſios ad ſanctum virum manibus baiulantium delatus eſt, nec dextera vigens mobili, nec planta ſurgens ſtabili, nec lingua ſonans volubili, totiuſq́; debilitatis marcore captiuus, quodammodò ſine naturæ ordine, in rerum videbatur naturam profuſus. Quem ſanctus continuatim per triduum ſacro liniens oleo, ſanitati reſtituit, vno quidem ſub momento, voce, manu pariter & veſtigio. Vnde cunctos vehemens ſtupor amplectitur, clamor in cælum educitur, omnem videlicet Medicorum artem ſanctum ſuperaſſe Germanum. Rurſus ſacro oleo vtitur.

CAP. XL.

ITem de eodem vico quidam ei homo occurrit Pariſijs, ita duntaxat manu contracta, vt vnguium acumen illi palmam iam foraret intimam. Quo tantummodò vir iuſtus oris ſui ducta ſaliua pollice, neruorum facta diſtenſione, manûs ſtatim reformat imaginem. Item ſaliua ſua.

CAP.

CAP. XLI.

RETinet eius laureas & pagus Bituricus. Igitur paſtor bonus cùm de vico Nouigento ad vicum nouum viſitandi greges cura ſolita perueniſſet, offert ſe quædam vetula, annorum bis quaterna gerens in cæcitate curricula. Cuius ſuper oculos ſignum noſtræ redemptionis ſacerdos imponens, imperat, vt ſequens iret, quà ipſe pergeret. Altera quoq; die cùm prædicto occurreret pontifici, ex improuiſo ſanguine manante de lumine, quaſi largo fonte, ſalutem ſuam oculi lachrymabāt. Quæ inter reliquos adſtantes à ſancto viro conſpicitur. Qui tollens ſe de conſeſſu, mulierem, vt pote cæcā, trahit in diuerſorium, in quo ſibi tunc fortè inerat cubiculum. Cuius luminum orbes aqua tepida ſuis manibus abluens, diem refudit in oculos. Quæ mox lucem inſpicit, & ſancti viri digitos, veluti inſatiata gaudio, oſculando quaſi ſuas mergebat in fauces, pariter miniſtris præ cōpunctione flentibus ac dicentibus, videre ſe hominem, qui cæcis pro pecunia in dono lumina diſpēſaret. Sed & hæc in cubiculo, pręſente me, geſta ſūt.

Cæca recipit viſum.

Fortunatus S. Germani contemporaneus.

CAP. XLII.

CVm aliquando ad poſſeſſionem matris eccleſię, id eſt, Pariſienſis, quę dicitur Methe, ſacerdos Chriſti accederet, quidam ei accurrens fit obuius. Quem inquirens de quanam villa præteriret? ille ſe ſolum incolumem eſſe reſpondit, vniuerſos verò coaccolas graui tædio laborare. Cuius eulogijs ad infirmos partitis, ſtatim ab eis languor omnis fugatus eſt, & primo guſtu eulogiarum morbus cum pane cōſumptus. Sic enim fuit ab illa turba cum eſca ſanitas manducata.

CAP. XLIII.

ITem cùm Pariſijs ad baſilicam ſanctæ Crucis, in ſuburbio eiuſdem ciuitatis poſitam, vir Dei proceſſiſſet, mulier quædam paruulum in albis adhuc vltimo flatu palpitantem & iam migraturum, ante ſanctum expoſuit, dicens: Pie pater, ſi velles ad lamentantem reſpicere, mater flebilis non orbarer, neque hinc diſcedere malles plenam gemitu vacuatam de fructu. Et niſi, ait, feſtines ſuccurrere, vides infelicem, extorquente morte, rapi natum ab vbere. Aut ergo filium reſtitue, aut pariter cum ipſo funeraturā me obtine. Indulge paſtor miſeræ, quam ſuus dolor audacem facit. Qua ſic flebiliter poſcente, mox vt beati dextera ſuper expirantem ſignū Crucis impreſſit, quaſi vigil de ſopore, infans lac matris expetijt, qui iā manifeſtè rigebat in funere. Ita momento tēporis, & filius de mortis fauce, & mater tollitur de mœrore. Hinc circunſtans populus ſtupore concutitur, fragor in partes attollitur, gratias creatori referentium de præconio ſacerdotis præcipui, à quo morbis iugiter & mortibus imperaretur.

Baſilica S. Crucis.

Signo Crucis reddit vitā infanti.

CAP. XLIIII.

DEinde accedente illo in Brandeiam, vicū Pariſiaci, Miſſa ibi celebrata, ei in ſecretarium cathedra deportata eſt. Tunc offertur paralytica, vniuerſorum membrorum damnata gerens officia, nullum vigorem retinens plantæ vel dexteræ. Moxque vir Dei habens in eo fiduciam, qui dona ſibi larga præſtabat, eam vt vitalis olei benedictione ſuperliniuit, morbus omnis excluditur, atque ſalubris vigor illabitur: recreatiſque viſceribus, meliùs renaſcitur ſaluti, quàm germine: plus acquirens ex munere, q̄ ſumpſiſſet origine: ita vt poſteà ſuis manibus tunicam ſancto faceret, & offerret, quaſi medicinæ acquiſitæ tributaria.

Miſſa celebrata.

Vitale oleū.

CAP. XLV.

TRadidi memoriæ, quod viuat in laude. Itaq; Andegiſilus, Maior domûs regiæ, cū quartano febrium typho grauiter angeretur, occurrit beato viro, fidens de beneficio. Quem homo Dei ſtatim in ſuam cellam deputans, cum vno ſolo diacono reſidere iubet incluſum. Tunc anxius & ieiunans miniſter quid faceret? Excogitat trepidus, vnde curaretur infirmus. Idcirco febricitantem virum, Dei ſerui rachaēna vndique obuolutum, diligenter componit eius in lectulo. Quo facto, eadem die tactu veſtis nobilis, quaſi impetu fluminis, ille quartanæ febris ignis omnis extinctus eſt. Et redeunte iam ſancto de prandio, ac reſerato cubiculo, ſanus homo ſurrexit è lectulo, exultante pariter miniſtro pro ſanitatis præmio, tuncque ſibi reſoluto ieiunio. Sic tactu beatæ veſtis, ſalutem operatus eſt abſens.

Nota de ſancti veſte miraculū.

CAP. XLVI.

EXequamur arrepti itineris viaticum. Deinde cùm Pictauis vir Dei ad beatū Confeſſorem proficiſceretur Hilarium, quædā mulier, Baudefeiſa nomine, de Secorbiaco villa, inter duos vix aducta & repręſentata eſt, quæ erat muta, clauda vel māca. Lingua rigebat immobili, & anhelitu vix palpitante: pars erat iam tota quaſi de funere pēdens, vt videntibus oculis, reliquum eſſet cadaueris. Super quam miſericorditer vt ſignum

gnuſanctæ Crucis expreſſit, cõfeſtim omnis vigor per mẽbra diffunditur, venarum flexuoſi riuuli ſuſcitantur, neruorum imbecillis ſtupor excutitur, atq; naturali motu ad vitalem vſum tota fabrica renouatur. Linguæ quoq; plectrum reſoluitur, digitorum glomi tenduntur, pedum baſes ſolidantur: totamq; viſcerum molẽ hoc fuit apud ſanctum viuificare, quod tangere. Quæ conualeſcens tali medela, tertia die ad ciuitatem, ſancto gratias agens, ſuis occurrit veſtigijs. Signiſanctę Crucis vis.

CAP. XLVII.

OPeræprecium creditur etiam illud inſerere curationis præconium. Pagum quoq; Vindocinenſem vir beatus dum prætereiret, in Rauſidonem manẽdi gratia declinauit. Vbi in eo tantum robur benedictionis inualuit, vt ſtipulã lectuli, in quo ibidem requieuit, quiſquis fideliter abſtulit, donum medelæ ſecum portaret, & de ſemine paleæ frugem meteret medicinæ. Nota lector de lectuli ſtipula.

CAP. XLVIII.

REddat hîc teſtimonium nobilis facti vrbs Nannetum. Quò vir Dei accedens, religioſo admodum exceptus eſt obſequio, occurritq; ei Tecla, Damiani cuiuſdã matrona, hominis prompti negocijs, ſupplicãs vt eundem virum ſuũ, aut ipſe paſtor, aut ſui miſſi requirerent. Qui, quia illi tunc fuit acceſſus difficilis cum chriſmarijs, ſuũ illuc diaconũ direxit. Qui percurrens ad hominem, vt ſibi iuſſum fuerat, infirmi viſcera tangit. Altera quoq; die exoratus, ipſe accedit ad debilẽ, qui adhuc duplici ſub tortore, hinc preſſus valetudine, inde podagræ vulnere cruciabatur, liberãdus ad præſens. Tum ſacerdos altiſſimi infirmum oleo benedicto perunxit, eoq; momento debilis ſtatim manibus directis, longinquo de languore greſſu ſolidato proſiluit. Oleum benedictum.

CAP. XLIX.

SEd vt duplicaretur in vna domo myſterium, & quæ præceſſit in patre medela, perueniret ad prolem: (Habebat enim filiam) hæc offertur ei puella Maria, cæca, ſurda & muta. Exponunt nanque quaſi viuum cadauer ante ſancti veſtigia, dicentes: Bone paſtor adhuc quod medicinę reſtat, huic languidę impende. Nam tibi credimus ex hoc reſeruatum, vnde teneres præconium: vt videlicet nunc reſtituta familia acquirat à ſacerdote, quod amiſit de germine. Tunc pietas inſignis aduocatur in lachrymas: moxque ad militiæ ſuæ belliger arma conuertitur, & ad obtinendam victoriam preces offert fortis orator. Deinde ſurgens ab oratione, ac oleo benedicto loca capitis puellæ perungens, in Trinitatis nomine trinum ab ea depulit languorem. Nam ſtatim patefactis aurium oculorumque meatibus, muta loquax efficitur, vniuerſis plaudentibus. Quo facto, negociatores ciuitatis Nanneticæ, quiſque ſui remedij pecuniam, vt potuit, ſancto viro diſpenſandam pauperibus, deuotè vel obtulit, vel direxit. Rurſus adhibet ſacrũ oleum.

CAP. L.

LEudegiſilus quidam, vir illuſtris, iuxta quod ipſe profeſſus eſt, cùm aliquis ex familia ſuæ domus incurreret typhum cuiuſcunque febris, aut aliquid frigoris, ſtatim lauans illas literas, quas olim in ſubſcriptione, manus ſancti depinxerat, aquã languenti bibere dabat, & quamplures ſuos hac medela ſaluti reſtituit. Vide rem reuerãadmirandam.

CAP. LI.

BReuiter his perſtrictis, proſequamur ex reliquis. Chuſinus quidam incongruè dũ die Dominico equo curam impenderet, miſſa manu in vuulnus, ilico digitus eius intumuit. Sed hinc graſſante feruore, tota pars brachij relaxatur putredine. Qui per Belſam ſancto itinerante, vt ad domum ſuam diuerteret, precibus fuſis obtinuit. Mox eius brachium vir Dei aqua calida confouit, inſuper & oleo benedicto perungẽs, ſuperpoſitis caulis folijs, mirificus medicus alligauit. Sicq; quicquid inerat vlceris, pretioſa huiuſmodi cura reſtrinxit. Pòſt verò ipſe gratias referens, ſancto viro occurrit, tali curatus malagmate. Sanatur brachium putreſcens.

CAP. LII.

ITem ſeruus matris eccleſiæ, Libanius nomine, die Dominico ſepem inconſultè dũ clauderet, manus ei contractæ ſunt in vltione præſenti. Qui ad ſanctum virum Pariſios, morbo caſtigante, percurrit. Quem olei benedicti liquore perfuſum, ac myſterij potiùs vnguento reſperſum, addita oratione, incolumitati reſtituit. Vltio in laborantẽ die Dominico.

CAP. LIII.

PEr ſingulorum compendia currant rerum miracula. Nanque Andulphus, eccleſiæ Pariſiacæ clericus, dum die reſurrectionis in vineola ſua nuces ab arbore excuteret, pro eo, quòd operatus in die illuminationis fuit, meritò cæcitate percutitur, & vultu

Paſcha, dies illuminationis.

& vultu tenebroſus perſtitit anni ſpatio. Dehinc verò pōtifici oblatus, & ſancto ab eo vnguine perfuſus, dici rurſus eſt redditus. Sic ſacerdotis ſerenum, clerici purgauit nubilum: & quicquid miniſter amiſit, medicabilis Præſul obtinuit.

CAP. LIIII.

Dæmoniacū purgat.

ET quia creſcunt genera miraculorum per tempora, cùm aliquando regi præſentandus vir beatus occurreret, in villa Rotegiaco clericus ei quidam, nequitiæ ſpiritu vexatus, adducitur. Vndè expulſo aduerſario, videntibus circunſtantibus, velut auis paruula, de capite energumeni vmbra fugata egreditur. Quam cùm reliqui per domum volitantem inſequerentur, ipſe ſanctus ſuis eam contriuit veſtigijs. Sed cùm pede comprimeretur, conuerſus eſt repentè fallax in ſanguinem, geminato viri præconio, vt nec quidem calcaretur, & ſui caſus indicio, multifarius artifex fieret ſanguis, reus idem ſanguinum.

CAP. LV.

Cæca illuminatur.

PRoducit & pagus Oximenſis inter noſtra, quod ſuum eſt, ne teneatur in obſcuro poſteritati res luminis. Siquidem vir ſanctiſſimus ad villam Taſiliacum dum declinaſſet, poſitus in itinere, offertur ei mulier, cui duplex inerat morbus, inde vetuſtas, hinc cæcitas. Hæc enim ſibi ſalutem deprecari verbis trementibus incipit. Qua ſupplicatione idem motus, ſenis ſcilicet mulieris & debilis, oratione præcedente ac oleo ſuperfuſo, mox lucernæ oculorū reddunt luminis radios, & datis ſpecularibus, tenebræ fugerunt. Qua illuminata, Deo reddentes gloriam, per quem ſanctus operabatur, adſtantes, illius quoque digna præconati ſunt merita.

CAP. LVI.

Hydropicus reſtituitur.

DInumerandi ſunt morbi, vt prædicetur fons medici. Daningus etenim, Arnulphi filius, ita capite, oculis, & totus hydropis morbo tenſus erat viſceribus, vt in vtris ſimilitudinem totus venter eſſet: & penetratis iam vitalibus, velut vitrum perluceret infecta cutis intrinſecùs. Qui à medicis deſperatus, ad beati viri in extrema ſorte confugit remedium. Quo mox veſtibus exuto, ac ſacris manibus peruncto, hydropos incluſus liquor liquore conſumitur, & aqua infuſione olei ſiccatur. Sic modo admirabili (nec enim humor ille foras egreſſus eſt, nec intus languor retentus) arte prædicabili humorem ex humore ſiccari.

CAP. LVII.

En quanti facit vir ſanctus ſacras reliquias.

ITidem cùm ad baſilicam beatiſſimorū Geruaſij & Prothaſij vigilaturus accederet, quidam cæcus inſtitit miſericordiam poſtulare: Cui vir Dei præcepit, inter altare & ſanctorum reliquias vt iaceret. Quo peracto, primo diluculo mox vt ſuper oculos eius ſignum Crucis intulit, lux effulſit. Et ſic totus labor medici curam infirmo per virtutem Crucis impendit.

CAP. LVIII.

Occurrere reliquijs nolens mulier punitur.

MVlier quoque de ſupradicto pago Oximenſi venit, petens redemptionem à ſancto viro, quæ fortè nihil accipere meruit. Dehinc Britannus quidam preſbyter pro infirmitate rectoris patriæ ſuæ benedictionem ſanitatis, necnon & ab eo reliquias expetijt. Qui peracto negocio, iter ſuum lætus regrediens, fortuitò manſionem in villa, qua prædicta mulier habitabat, obtinuit. Quam maritus alloquitur, vt ſicut alij, & ipſi ad reliquias domini Germani occurrerent. Quæ ire deſpexit, pro eo quòd ei ſanctus vir olim poſtulatam redemptionem non dederat. Sed ſtatim in loco, quo ſtetit, velut fixa ſtipite, greſſum mouere non potuit, manibuſque contracta, ad reliquias ſancti, manu mariti deportata eſt. Inter hæc autem dicti pœnitens, miſerante pio viro, ſaluti reducta eſt, confitens eius deſpectu ſibi hoc repentinum acceſiſſe periculum.

CAP. LIX.

Nota inſigne miraculum.

ET quoniam ſuo merito ſemina ſalutis vſquequaq; diſperſa ſunt, cōtigit vt venerabilis Flamerus Abbas de Canone Turonico, manu ſancti ſubſcriptam accepiſſet epiſtolam. Qui cùm ſuum monachum per duos ferè annos febribus decubantem ad lectulum viſitaret: requirit infirmus, vnde veniſſet pagina? Cui reſpondit Abbas, à domino Germano ſibi fuiſſe directam. Quam ilicò petijt ſibi porrigi, & cùm de ſubſcriptione eius lingua detergeret literam, ſalus deſcendit in viſcera, ac atramenti pictura cuncta mox deuicit vnguenta. Et approbatum eſt languido recuperato, vt dicamus fideliter, de ſancti ſubſcriptione illum ſibi ſalutem linxiſſe.

CAP.

CAP. LX.

DEhinc cùm ad Carnonam caſtellum accederet, quidam ſe ei ingerit manu contracta debilis, pro eo, quòd die Dominico aliquid operatus ſit. Quem præcepit in villam Cariacum poſt ſe feſtinum accurrere. Quo accedente, dum digitos eius ſacro perungeret oleo, ſubitò ſicca palma reuireſcit ex altera, & adſtricta cutis oſſibus, intercurrēte humore, mox relaxauit articulos: iuncturæ verò iam penè diſiunctæ, retendūtur in digitos, ariditas diuturna ſuffuſa refloreſcit in vena. Sicque vulnere clauſa dextera, inter manus Medici ſana redditur & diſtenſa. Manus contracta reparatur.

CAP. LXI.

ACcidit vt itidem ſanctus olim remeans de Nannetico, domum cuiuſdam illuſtris viri, nomine Munichij, ſuo ſacro illuſtraret veſtigio. De cuius veſte eiuſdem viri matrona rapto fideliter filo, recondit in oratorio. Quæ non multò pòſt valetudinem irruit: ſed vigilijs in honore ſancti eodem in oratorio deuotè celebratis ac Miſſa, de præſenti curata eſt. Ita beatiſſimus non ſolùm manu ſanauit, quod tetigit, ſed etiam abſens nominatus, languentium ſæpè curas ſparſit. Ecce antiquorum deuotionem.

CAP. LXII.

ATtila vir illuſtris, ac regalis aulæ domeſticus, corruens in balneum, læſit grauiter brachium. Iamque computruerat ipſa quoque manus ab humero. Qui dehinc Medico adhibito, dum curam ſibi vellet impendi, rupta vena viſcerum, penè omnis in momento vitæ ſanguis effuſus eſt. Nunciatur autem pontifici, hominem eſſe in funere. Nec mora: pietatis impulſu occurrit ſenior. Quem lachrymis conclamatum, ſine vlla videndi ſpe oculis iam clauſis oppreſſum inuenit atque expoſitum: cuius tamen vix adaperit fauces cum cultelli manubrio. Et oratione priùs data, intulit ei in os paululum aquæ frigidæ ſemel, ſecundò vel tertiò. Interim expectans, quis eſſet rei exitus, aſſcendit circa lectulum: tranſactaque ferè hora, rediuiuo ſingultu exanimatus concutitur, ac molli motu anhelitus euocatus reducitur, faucium quoque meatus, relaxatis viſceribus, ſpiritu intercurrente recluditur. Itaque ſic conualeſcens, vita de morte reuertitur. Dehinc quaſi de ſopore expergefactus, interrogat, ad caput eius quis fuerit? Adeſſe quippe dominum Germanum, à circunſtantibus dicitur. Quo audito, poſtulat mox manū ſancti ſibi dignanter porrigi, ita cū incipiens alloqui: Domine, tu me reuocaſti longo euntem itinere: tu vitam donaſti, tuque perditam mihi loquelam pius paſtor reformaſti. Statimque obtulit ei ſaccum plenum pecuniæ, & balteum ampli ponderis, quod pauperibus erogaret, mercedem vitæ vel gratiæ. Mortuus redit ad vitā.

CAP. LXIII.

PErgensque Auguſtudunum vir ſanctus, Rotegiacum dum peruenit, comperit ab Abbone quoſdam illuc retruſos in carcerem. Igitur pro abſoluendis ſupplex Tribuno ſuggerit, ſed ille nimis durus, non annuit. Hinc ipſe cauto conſilio dum dicit ſe campum circumire, currit deuotus ad carcerem, atque ad exorandum prouolutus ſternitur. Itaque tempore nocturno ibi catenę diſcuſſæ ſunt, ac validus tormenti rigor ad fragmenta redigitur, ſera grauis illiditur, poſtis è cardine vellitur, feralis carcer recluditur, & damnati ad vitales auras quaſi redeunt de ſepulchro. Itaque fit, vt ei Rotegiacum matutino tempore ingreſſi occurrerent, & qui ſancto non præſtitit, pro abſolutis reis Tribunus ipſe reus effectus eſt. Captiui liberantur diuinitùs.

CAP. LXIIII.

IGitur cunctorum ſaluti ſemper inſtans ſolicitus, cùm Bituricas acceſſiſſet pro ordinatione Felicis epiſcopi, prædicante illo, Sigericus quidam Iudæus, fidei ſacramento percepto, conuerſus eſt. Habebat enim in Iudaiſmo coniugem, Mammonam nomine. Hæc de ſui conuerſione dum nec mentionem quidem reciperet, ſæpiùs per miſſos beati admonita: ſed cū magis refugeret, facta ad eam vigilia doctor ipſe profectus eſt. Quæ cùm beatum virum nec etiam viſu vellet intendere, decantato curſu Tertiæ, manum ſuam pontifex ad mulieris frontem dignanter admouit pietatis ex opere. Statim à circunſtantibus de mulieris naribus, quaſi ſcintillante igne, fumus egredi viſus eſt, vt cunctis clarum fieret, eiecto inſidiatore, mulierem vſq; tunc repugnaſſe ſaluti ſuæ per obſidem. Tum exonerata inimici faſce, reſpirans confeſſa eſt, nunquam ſe priùs faciem beati viri potuiſſe conſpicere. Inde petens ac humiliter ſupplicans, cū propria domo meruit effici Chriſtiana. Nam & exinde quaſi capite ſubdito, exemplo eorum multi Iudæorum ad fidem conuerſi ſunt. Nota. Decātato curſu Tertiæ. Obſidem, id eſt, obſeſſorem.

CAP. LXV.

Siagrius Auguſtudunēſis epiſcopus.

DEcet hîc illud inſerere, qualiter peregrinola ſit reuocata lux oculi. Itaque pergens Auguſtudunum pro ordinatione Siagrij epiſcopi, illuc inter reliquos aduētantes ciues, Florentinus quidam vir illuſter pro conſenſu ſuorum delatus eſt. Erat enim habens næuum in oculo, qui ſpecioſitati eius derogaret aliquantulùm, ne florens idem haberetur in vultu. Intereà dum laudes acclamātur Epiſcopo, ille à quodā ignorante ex improuiſo percutitur eodem in oculo. Euulſuſque de loco, cœpit ſupra maxillam dubio pendére cum viſu. Qui curſu propero beatum Germanum cum clamore proſequitur, multa ſecum concrepitans, vt loqui ſolet calamitas. Tunc ſancti manu lumen in locum reducitur, atq; interim ab eo ad S. Symphorianum dirigitur. Qui pro ipſo demum tam diù vigilijs inſtitit, donec amiſſus oculus, purgata priſtina macula, hoc adito beneficio, integrior redditur, & melior, inquam, redit poſt vulnera, quàm quod natus fuerat per naturam. Qui Florentinus deinceps Matiſcone ordinatus eſt epiſcopus.

Florētinus Matiſconē. epiſcopus.

CAP. LXVI.

QVanta verò fuerit virtus eius ſignaculi, adeſt inter reliqua, res iſta teſtimonio: quæ producitur in ſequentibus. Cùm igitur de baſilica S. Martini ad villam quandam Seueriacum recurreret, adiungit in itinere quendam Amantium iuuenem, quem etiam depręhendit à Iudæis duci nexum in ferreis. Requirit ergo, quid fecerit? Puer autem reſpondit veraciter, ob hoc ſe duci in vinculis, quia recuſaret legibus ſubdi Iudaicis. Tunc imperati diſſimulabant cum claui ijdem Iudæi vincula ferri reſerare. Sed dū illi huiuſmodi moras innecterent, facto à ſancto viro deſuper Crucis ſignaculo, mox ferri ſera euellitur, atque puer illæſus abire iubetur.

Imperati, id eſt, iuſsi.

CAP. LXVII.

ITem cùm Pariſijs ad baſilicam ſanctorum Geruaſij & Protaſij orandi cauſa proceſſiſſet, ianuis obſeratis, ingreſſus illi negatus eſt. Tunc requiſitis clauibus, nec tamen ipſis aperientibus, ſic ille reſerauit peſſulum facto ſignaculo Crucis. Stupor nanque animos inuaſit præſenti miraculo, aperiri ſcilicet potuiſſe de virtute, quod claui duce non potuit. Hæc quoq; veneranda, præſente me, geſta ſunt.

Signo Crucis fores aperit.

CAP. LXVIII.

ET quia beato viro nullum obſtitit metallum, cùm ligna, ſaxa, ferramenta etiam ante ipſum ſoluta ſint, accidit vna dierum Pariſijs, orationem vt daret ad oſtium carceris, & ſequenti nocte intruſis ſubitum appareret lumen eodem in carcere. Vbi viſus eſt idem beatus eos admonere vt foderent, quatenus inde foras procederēt. Qui dicentes ad inuicem, dominum Germanum ſe vidiſſe, hæc eadem ſigna ſinguli referunt. Tunc inuenta ſolummodò ſecum coſta de pecude, fodientes amouent lapidem, atq; prædicto occurrunt ad eccleſiam matutino tempore, cùm tunc paulatim rediret ad requiem. Sic etiam multis cauſa ſalutis fuit imago pontificis, & ad vicem B. Petri, dedit ſæpè noſtri ſacerdotis ipſa figura remedia.

Apparet captiuis.

Act. 5.

CAP. LXIX.

DEhinc illis ereptis, Tribunus ciuitatis ſæuire cœpit in milites, deputans eorum fuiſſe negligentiam, quod viro ſanctiſſimo dignè deputatur ad gloriam. Et conuerſa in cuſtodes iracundia iudicis, qui ſolebant aſſeruare, tradidit ſeruandos in carcerem. Ablatiſq; clauibus, iudex fit cuſtos cuſtodibus. Interim vir beatus Tribunum vocat ad prandium: ac dum pariter ſederent in conuiuio, ad menſam occurrunt & ipſi, qui fuerant miſſi pro eis in compedes. Claues verò habens in manibus, cū Tribunus de ereptis vix crederet, quod videbat, agnoſcit ſe tandē ſic cuſtodiſſe, ſicut & milites, carcerē. Dataq; viciſſim venia, culpa tranſit in gratiam.

Nota miraculum.

CAP. LXX.

INferat Aurelianis nobile viri præconiū. Qua de ciuitate vir Dei progrediens, damnatorum voces exaudiuit è carcere, quo certè ſubterraneo habebantur ergaſtulo. Quod ſuperaſſcendens, ac proſtratus accubans, orationem dedit amicus Chriſti cum lachrymis, hinc prorſus obtentu oraculi. In ſequenti nocte, carcere pateſacto, ad baſilicam ſancti Aniani confugiunt liberati. & ita beatus pontifex poſt ſe reliquit ſuffragium.

Carcerem aperit precibus.

CAP. LXXI.

NOn faſtidium ſit, audire, quod Chriſtus ſuis præſtitit fidelibus, dum miraculorū ſimul virtus creſcit & numerus. Itaq; ſanctiſſimo occurit quidam Pariſijs, cuius, quaſi pugnus, extuberauerat oculus, qui etiam vergere iam videbatur in ruinam poſt vulnera

vulnera. Quo ſuppliciter rogante, vir Dei tantùm de ſaliua oris ſui eundem oculum li niens, medelam lumini mox reuocauit & gratiam. Saliua ſua ſanat oculũ

CAP. LXXII.

REferatur paruum, & huic ſimile, miraculum. Mulier quædam, Maoberta nomine, apud eandem vrbem inflationis puſtulam habens in brachio, cruciata doloribus, occurrit beato viro. Quæ ſtatim pari medicamine, tactu ſcilicet ſaliuæ, curata, gaudens domum receſſit.

CAP. LXXIII.

SEd ſi exequamur miraculorum ſingula, quæ ſuis geſtis in præſenti floruerunt vita, hæc ſine fine ſunt cœpta, nec eſſet modus in pagina: quia quâcunq; pontificis ſe cõuerterit præſentia, nulla morborum generibus defuit medicina: & quotquot ſe obtulerunt languentium vulnera, tot ſalutis fudit ſemina. Quænã ergo prima pontificis exequamur vel vltima, cùm vtiq; per ſaliuam oris ſui multa curata vlcera, purgata ſint energumena? Ante quem quanuis occultè veniſſet hoſtis nequitię, ſtatim tamen ſe manifeſtauit fraudulenta fallacia, ac de conſpectu ſancti viri, quia celari nõ poterant, nec eius tolerabant præſentiã, eiecti, terribili eiulatu ſua gemebãt incendia, paſſim per loca volutati, exponebantq; ſua crimina ſuſpenſi per aëra: frequenter nec interrogati confitebantur & nomina, cùm etiam ſæpè ſuo impulſu currebant ad ſanctum virum crucianda ipſa dæmonia. Cuius miniſter * quo locum eius tangebat baculo, illic energumenus pendebat relegatus aëreo vinculo, & quaſi clauis affixo tenebatur veſtigio. Infinita eius miracula. Nota de ſaliua eius. for. * quem

CAP. LXXIIII.

ET quoniam ſancto viro ſæpè inimici tendebantur inſidiæ, vt aut equus illius lapſũ incurreret, vel allidens eum ramus arboris tangeret, aut aqua vallis ſeu glacies illi periculum generaret, mox qui, aut quales, vel qualiter, totum energumeni à ſe factũ, omnem etiam confitebantur & numerum. Cùm verò pedem efferret de domo vel eccleſia, videres ſtrages dæmoniorum ante tanti pontificis ac triumphatoris obtutus. Cadebãt enim cateruatim circa ſancti veſtigia, diuerſis modis effuſa: hæc muta, illa clamantia: illa fixa, hæc lubrica: & velut ante iudicem dum ſua referunt geſta, eiecti propria non effugiebant tormenta. Sed ad ſancti præconium quanta hæc laudatio, cùm ineffabiliter multa & ſtupenda ab eo fierent ſub momento? Nota.

CAP. LXXV.

CAeterùm quantùm eleemoſynis fuerit prodigus, explicari non poterit, nec ſi totius populi vox in vnum ſe conglutinet. Qui frequenter poſt iuge cilicium, contentus vna tantùm caſula vel tunica, quicquid erat reſidui, nudo pauperi tribuebat, vt inops calefieret, largitore algente. Largitas eleemoſynarum. Veſtes eius.

CAP. LXXVI.

QVanta etiam per illum fuerit redemptionis effuſio, nullatenùs explicabitur vel loco, vel numero. Vnde ſunt nobis adhuc contiguæ gentes in teſtimonium, Hiſpanus ſcilicet, Scotus, Brito, Vaſco, Saxo, necnon & Burgundio, dum ad nomen beati concurrerent vndiq; liberandi iugo ſeruitij. Cùm verò aliquatenus quod daretur, nihil eſſet præ manibus, triſtis ſedẽs & anxius, ſeuerior in vultu, auſterior erat alloquio. Tum ſi fortaſſis ab aliquo inuitaretur ad prandium, compellebat conuiuas & miniſtros proprios, vt conferentes pariter agerent, vnde vel vnum captiuum ſeruitio liberarent, & ſic aliquantulùm ſacerdotis reſpirabat animus ex mœrore. Captiuorũ redemptio.

CAP. LXXVII.

QVòd et ſi Dominus aliquid per manus ſancti diſpenſandum, aliunde dirigeret, mox in ſpiritu præuidens, ſolitus erat dicere: Gratias agamus diuinæ clementiæ: nam vnde fiat redemptio, ecce appropinquat. Continuò autem eius ſine ambiguitate ſermo præſenti probabatur effectu. Quod dum acciperet in manus, reſoluta mox ruga frontis, vultu florebat ſerenior, greſſu pergebat alacrior, lingua fluebat iucundior: vt videlicet crederes hominem pro redimendis alijs ſeipſum ſeruitutis vinculo liberare.

CAP. LXXVIII.

QVis verò dignè repetat, quanta virtus verborum ob ore rotabatur, dum prædicabat in populo? ita duntaxat, vt omni literaturæ naſceretur ſtupor, & fieret in commune generalis compunctio, atque omninò ex ore dicentis crederes, quòd verba ſancto formarentur ab angelo, dum plùs quàm homo loqueretur, tranſlatus in mentis exceſſum, & abraſis vitiorum maculis, ſynceritate dogmatis pectora plebis cogeret diuinis effragrare pigmentis. Concionũ eius efficacia.

CAP. LXXIX.

Curſum dicit preces horarias. Lectio ad menſam.

QVi equitans in itinere, ſemper de Deo aliquid aut verbo cõtulit, aut cantauit. Curſum nudo capite dicens, etiamſi nix aut imber vrgeret. Cùm verò venit ad menſam, confeſtim recitans adfuit miniſter diuina colloquia, vt inter cibi fercula, animi paſtus alimento, plùs ſaturaretur conuiua: nullumq́; tempus interpolans, quo non aut alijs prodeſſet, aut non ipſe proficeret.

CAP. LXXX.

Vigiliæ.

QVantam verò vigiliarum curam ſemper impenderit, quis enarret? aut quis toleratos algores ardore fidei prædicet, cùm frequẽter in lectulo, antequàm reliquos de ſopore commoneret aſſurgere, quinquaginta pſalmos vel ampliùs indefeſſus in tẽplo ſui pectoris Domino decantaret? Aut quis illud felix furtũ vel auditu ſentiret, vel viſu depræhẽderet, cùm ipſe de lectulo ſępè etiam ſine caligis, ne ſentiretur ab aliquo, perrexit in oratorium, nullum ſibi in hoc cupiens præter Chriſtum occurrere? Qui celebrata vigilia, remeans ad lectulum, quaſi nil egerit, tunc primùm reliquos excitabat.

CAP. LXXXI.

Conſtantia in perſoluẽdis precibus canonicis.

PRæterea longum eſt dicere, quanta ad pſallendum fuit illi conſtantia, dum velut ferri rigore gelu indurata eius caro ſubſiſteret, cùm videlicet ſaxa frigus decruſtaret, & aquas in cruſtam verteret. Qui cum ſuis viſceribus ſic dimicaret ac vinceret, penè ſeipſum obliuiſcens, ac domeſtico tormento ſuperato corpore, de ſe triumphum, in pace factus martyr, acquirebat. Nam & ſe mutantibus clericis, ſine viciſſitudine ipſe decantandi modulamina finiebat.

CAP. LXXXII.

Nota de Curſu ex Canone abſoluendo.

DEniq; cùm penè incredibiliter dicitur hoc, quod ſcitur: tertia noctis hora ingrediens eccleſiam, non eſt egreſſus vlteriùs pſallentium ab ordine, donec clareſcente iam die, decantatus ſolenniter Curſus vniuerſus, conſummaretur ex Canone. Tum verò ſi domum regrederetur, fatigatus ætate vel frigore, aut illata eum diuerſorum inquietabat ſuggeſtio: aut certè ab ipſo requirebatur, vbi præberet ſuffragium: vt prorſus ad requiem reclinanti vel paululùm, de querelis occurrentium afflictorum vel pauperum crux pararetur in lectulo: poſtponensq́; ſuas iniurias, ne videlicet ſuggerentem premeret illata neceſſitas, paratus pro miſericordia, ſemper currens pro venia, pater & paſtor populi ad ſe alienas cauſas transferens & querelas, aut pro parte mitigabat dolores compatiens, aut quantùm poſſet, ex toto curabat, corde ſubueniẽs.

CAP. LXXXIII.

Obitus feliciſſimus ſanctiſsimi viri.

INtantùm igitur ſacris amplificatus prouectibus, etiam diem beati ſui tranſitùs ita prædixit, vt ſubdimus: Ante aliquot dies vocans ad ſe notarium, imperat in cubiculo ſupra lectulum ſuũ ſcribere hoc tantummodò: Quinto Calendas Iunias: omnibus neſcientibus, quid hoc eſſet. Pòſt tamen eius ſanctus diſceſſus de ſeculo, manifeſtauit. Neque enim hoc ei Dominus ſibi familiari animæ abſcondere pertulit. Denique eadem die poſt peractum prælium beatus migrauit ad Chriſtum. His & conſimilibus ſtudijs, dum vixit, occupatus & ſemper intentus, ferè octogenarius, per orbem mirandis actibus Apoſtolis aggregandus, ſanctis omnibus glorificandus, meritis coronandus, raptus corporeo vinculo, immaculato ſpiritu, ac beatæ fidei dotibus perpetualiter victurus, victor euolauit ad cælos: Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt gloria, honor & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBVS, SISINNIO, MARTYRIO ET ALEXANDRO, AVTHORE S. VIGILIO, *Epiſcopo Tridentino & martyre.*

DOMINO SANCTO AC VENERABILI PATRI, bonis omnibus præferendo Simpliciano, Vigilius epiſcopus Tridentinæ eccleſiæ, ſalutem.

QVANVIS facta martyrum mentione, non verbis merita, ſed verba meritis commendentur, potiusq́; ſit conſtantiæ ſilentio præterire, quibus eſt probata virtus: tamẽ quia me ſuggerere cauſas, loca, pugnasq́; martyrij pietas impulit, admonuit debitum, coëgit officium, trepidantem mœrore linguam paginæ non negaui: quia nec abſcondi poterat lucerna ſub modio, nec vox pij ſanguinis reticeri. Poſt multos nanq; patientiæ gradus & ſedulas pugnas, recens perfidiæ acceſſit iniquitas. Quibus miniſtri in eccleſijs, quę nuper fundatæ fuerant, laceſſiti ſunt, ac martyrij titulos comparauerunt, parati ad omnia, libenter omnia ſuſtinentes, nulli dantes occaſionem, occaſione gloriæ gloriam meruerunt. Quorum vita, vt ſumma rerum faſtigia referam, propter ſcientiæ notitiam fuit tam ſolicitudinis, quàm propoſiti ſingularis. Nam omnes liberi nexu coniugij, Deo immaculatas animas, vt ſanctas hoſtias, præſtiterunt. Denique primus, vocabulo Siſinnius, nouam Chriſtiani nominis pacem intulit Barbaræ nationi: quam per annorum ſeriem, quod in ſe fuit, iugiter cuſtodiuit, nullum conſortium pollutæ hoſpitalitatis agnoſcens, velut Loth Sodomis ſtupendo timore reuerentiam ſeruauit: ſed ouis tota, quanuis in luporum medio conſtituta, ouile quæſiuit, quod, impenſis puſillæ fidei votis, munificus primus in illa regione fundauit. Cuius miniſter, ſi me eum recenſere dignaris, per hoc velut ex debito eſſe promeruit, ſenex vt æuo, ita merito præceſſerit. 29. Maij. Siſinnius Ethnicis Chriſtum prædicat. Gen. 19.

Lector quoq; Martyrius, eius adminiculo ſociatus, iam nominis pignore commendante eum, religioſæ profeſſionis exordia poſt militiam temporalem catechumenus induit. Nam proiecto à ſe cingulo, reiectoq; parentũ vel fratrum carnalium cœtu, intelligens ſeſe verę lucis authore Deo gratiam conſecutum, inter Lectoris officium ſociatus, diuinæ laudis canticum auribus primus ſurdæ regionis intonuit, attentus operibus iugiter ſpiritalibus, laſſatus ieiunijs continuis, lectioni ſuæ pædagogus, in lucrandis animabus anxius, quàm breui temporis impendio tantum fœnus antè præmiſit, vt illi corona meritò crederetur. Quid liberatas animas referam, in ſinum Abrahæ plena luce profectas, quas ſuperſtitio perfida, dierum obſeruantia, alienato iure naturæ, crudeli morte damnabat? Verùm ille ſubductis maternis vberibus lacte turgentibus, peregrinus nutritus, condecentem ſemper matri quærebat affectum, reſurrectionem exemplis prædicatam, viuentibus oculis dicaturus. Hęc ſunt pauca de multis. Martyrius Lector, anteà miles.

Alexander quoque Martyrij conſanguinitate germanus, tertius Trinitatis hoſtiam complens, parem confeſſioni ianuam reſerauit. Nam patriam, inquam, deinde peregrinus, parentesq́; deſeruit, comes in probationibus fidus, fide magnanimus, miſeratione propenſus. Et ſi teſtimonio meo vtcunq; creditur, non ſunt, niſi ipſi ſibi, altrinſecùs præferendi: quos commendari non opùs fuit, niſi fortè quòd decuit. At verò hactenus ſunt alleuata faſtidia, ſi adhuc auribus libenter admittitis. Nam fumoſa gentilitas contra vaporem fidei zelo diaboli, flamma furoris incaluit, & inde iam lentum fomitem ſerpens, quòd opibus (vt dixi) fidei, paupertate deuota, primus id loci diaconus eccleſiæ tabernaculum poſuiſſet. Acceſſit quoq; iuſtæ ad titulos cauſæ, quòd quõdam hoſtias diabolo de Chriſtiana domo fideli miniſterio prohiberet, & luſtri feralis vexillo præferri vexillum meruit paſſionis. Nam inuitata ſub vno præmio manus, ad ſanguinem conualuit, ac matutinis horis ſe, nimiùm antecedentis diei vulneribus fatigatum, nec aliter lectulo depræhenſum, emerita quiete ſepeliuit. Lector quoq; haud vnquam impigrè Deo ad miniſterium antelucanum ſeruiebat, cui in ſacrificio diaconus famulabatur, & medicinam vulneribus memoratus Martyrius exhibebat, quam opere, quo depræhenſi ſunt, compleuerunt. Siquidem ſecedens ad hortum lector, qui eccleſiæ cohærebat, captus, vitæ ſuæ arborem à radice plantauit. Oſtiarius etiã paſſioni Alexander, frater Martyrij. Miniſteriũ antelucanũ

 adiun-

Reddunt animas ſancti martyres

adiunctus eſt: hoſpitio depræhenſus, animam ſuam vt non obtulit, non negauit. Verũ omnes in vnum collecti, per aliquot ſpatia tracti, Deo animas expirarũt. Et duorum quidem ductum eſt corpus exanime: tertius verò, quo tenaci vita, ita fuit pœna ſenſibili. Nam vnius ſuas expectauit exequias. Præparatus eſt de ſacris eccleſiæ culminibus ſeu trabibus rogus. Hæc flamma martyres velauit. Reuertẽte autem voto, cogitamus nobiſcum, vt id loci baſilica cõſtruatur, vbi primum fidei glorioſæ teſtimonium meruerunt. Nunc me immeritum, in vtroq; conſortem, paterno amore conſolare, & cũ iiſdem ſanctos apud ipſos exorator accede, quatenus poſſim die illa fimbriam aut ſacerdotum aut martyrum, iam omnibus ſepoſitis, peccator attingere. Salutamus ſpeciali ſeruitio ſanctitatem tuam: quæſo, vt mœrorem meum Domino commendare digneris. Item alia manu: Denegare nõ potui, quod tuum in nobis erat, glorioſius fieret ſuſcipientis merito, non gratia largientis. Dies autem paſſionis ſanctorum, quarto Calendas Iunias, ſexta feria, luce naſcente.

EORVNDEM SS. MARTYRVM, SISINNII, MARTYrij, & Alexandri hiſtoria, ab alio quodam aliquantò explicatiùs conſcripta, idq; grauiter & eruditè. Habetur in antiquis MS. codicibus.

Maij 29.

IN diebus illis, præſidente cathedræ ſanctæ eccleſiæ vrbis Tridentinæ ſancto ac venerabili Vigilio Epiſcopo, qui poſt modùm ipſam ſedẽ glorioſa effuſione ſui ſanguinis decorauit: dum quandam regionẽ ſibi vicinam, cui vocabulum eſt Anagnia, quæ vigintiquinq; millibus à ſupradicta ciuitate abeſt, error gentilis vetuſta caligine obcæcatam detineret, tres viros in locum præfatum antiſtes direxit, à quibus Deus prędicaretur ignotus. Ex quibus vnus fuit Siſinnius nomine, in quo erat venerabilis ſenectus, ciuis Cappadociæ, genere Græcus. Cui etiam Diaconatûs credidit officium, nec immeritò: vt miniſter altaris miniſteriũ verbi Euangelici conſummaret: qui etiam proprijs ſumptibus eccleſiam in ſupradicta regione, in vico, cui nomen eſt Metho, fabricauit. Cui coniuncti ſunt Martyrius & Alexander, & ipſi aduenæ illis temporibus, nunc autem domini ciuium & patroni. Ex quibus vnus Lectoris, alter Oſtiarij ſortiti ſunt gradum: vt recipientes verbum Chriſti, ab vno vocarentur, & ab altero intra aulam regiam reciperentur.

Siſinnius diaconus.

Martyrius lector, Alexander oſtiarius.

Igitur dum per temporis prolixa ſpatia facti cultores eccleſiæ, cuius ſtructores, paulatim ſemen verbi diuini ſpargerent, indignè tulit turma gentilium eccleſiæ culmen erectum, hæc cauſa odij prima fuit. Cumque ſæpè turbarum clangoribus excitata fuiſſet truculenta gentilitas, vt aduersùs ſanctos Dei pugnatura conſurgeret, (in hoc autem fuit ſanctis perfecta victoria, omnia patienter ſuſtinere, & priuata manſuetudine publicum ſuperare furorem) dum quodam ritu gentilitas phantaſiam ſuam protenderet, atque agrorum ſpatia circumirent, veluti prodeſſe ſibi credẽtes diaboli ludum, luctuoſis ornatibus & diuerſorum pecorum pompis erectis, nuper de gente ſua conuerſum victimas dare cogebant operibus tenebrarum. Quod cùm vidiſſent Dei miniſtri, in defenſione ouis Eccleſiæ adſtiterunt. Tunc verò & ipſi appræhenſi, operibus cõfuſis communicare iubentur. Quibus reluctantibus, tanta ſanctorum membra cęde funeſta ſunt dilaniata, vt meritò coronam martyrij conſummarent. Vna interim nocte dilata, mox peruenitur ad præmium. Nã ſanctus Siſinnius in capite tuba percuſſus atque ſecuribus confoſſus eſt, lectulo iam penè exanimis decumbens. Cæteris verò matutinis horis hymnum Deo canentibus, iam aurora erumpente, conſpirata ſubitò gentilium manus colligitur, armata ſecuri atque præuſtis ſudibus. Quibus ingredientibus, fit ſæua direptio, prophanantur omnia diuina myſteria, ſaxorum moles à ſenſibilibus hominibus diruuntur.

Cæduntur atrociter.

Sanctus igitur Martyrius, qui nominis ſui natalem meritis conſummauit, circa curam S. Siſinnij depræhenditur: & dum penè exhalanti ſpiritum aquæ calicem propinaret, in horti ſecreta, qui contiguus erat eccleſiæ, receſſit, non fide infirmus, ſed meritis ſe iudicans inferiorem. Tunc verò à virgine, cuius erat ipſe hortus, proditur * Nam hæc virgo typum futuræ Eccleſiæ præferebat. prodit eum, quem amittere nolebat: vt qui corpore & nomine iam martyr extiterat, corona capitis non priuaretur. Nam cõpræhenſus, ſtetit intrepidus, agens gratias vulneratus cæſo capite, lotus iterùm baptiſmate proprij cruoris: nemoque illum ſequi meruit de inſequentibus, qui fugere putabatur.

* Non

Martyrij cædes.

trabatur. Nam ideò martyr ſeceſſit, ne in eius gloria perſecutor deperiret. Transfoſſus ergo ſtipitibus, ad idolum ducebatur: in quo itinere precioſam gemmā reddidit Chriſto, & antè victima promeruit eſſe, quàm ad aram diaboli perueniret.

Tunc ergo ſtudioſè à militibus quæſitus, Alexander compræhenditur. Nam zelo ſi dei ſatis omnibus notus, vt in tribus viris Trinitatis perfecta gratia compleretur, familiarem inuenit aditum confeſſionis (Non enim pòſt venit ad gradum honoris: ſed magis ad eccleſiæ ianuas indeſinenter excubans, illuſis ſæpè gentibus, Chriſti notus diſcipulis) viuaciore pœna. (Nam grauior eſt mors expectat , quàm illata) Vt quē gradus quaſi inferiorem dictabat, confeſſio auctior faceret coæqualem. Nam quòd in cæteris furor gentium tormenta non diſtulit, hunc per lenta tormenta curſu velociore poſt comites ſuos continua gloria ſuſcipiendum tranſmiſit. Tunc verò appræhendentes corpora ſanctorum, atque ad collum S. Siſinnij tintinnabulum ſuſpendentes, velut animal trahebant, inſultantes, atque dicentes: Nunc vindicet te Chriſtus. Nam & in his non defuit myſterium, vt vox illa rauca Chriſti dictaret præconem. Rauca enim, nō per dubietatem fidei, ſed ſurdis clamando: necnon etiam vt verbum Dei indicem approbaret: quia ipſe primùm verbum religioſæ vocis in his locis increpuit.

Alexander compræhēditur.

Inter quos etiam viuus Alexander vinctis pedibus trahendus apponitur, vt per ſcopuloſa itinera palpitantium membrorum partes dimitteret, donec ad vitæ terminum perueniret. At verò poſt hæc ventum eſt ad templum prophanum veteris Saturni, in quo igne copioſo conſtructo, & ſanctorum præmiſſis geminis corporibus flagellatis, Alexander iterum confeſſurus ſtatuitur, vt ſi vellet euadere flammam præſentem, dæmonijs obediret. Verùm vir ille impiorum munera reprobans, atque calorem fidei amplectens, glorioſæ paſſionis promeruit palmam. In tribus his impletum eſt myſterium Trinitatis. Nam maxima fidelium non defuerunt ſpectacula, quo nomine & à gentilibus ſunt increpati: qui etiam ſorte conſimili pati potuiſſent, niſi trino nomine cuncti cenſerentur.

Trahitur S. Alexander per loca aſpera.

Occiditur.

Taliter ergo, vt diximus, ſanctorum conſummata victoria eſt, atque illis in cæleſti ſede collocatis, non defuit terror impijs. Nam cùm hæc ſexta feria completa fuiſſent myſteria, vt pridem in Saluatore actum eſt, vmbra quædam nigræ nubis totam texit regionē proximam terræ, fulmina diſcurrunt, coruſcationis rutil⁹ ignis emicuit, vt eā ipſi impij non iniuſtè pro ſanctorum nece ſe ſentirent ſuſcipere vindictā. Sed Apoſtolica in myſterijs vox in veritate completa eſt, vt vbi abundarent tunc in hoc loco diuerſorum ſimulachrorum portenta, ſuperabundarent nunc ſanctorum martyrum templa: & oues, quæ in errore poſitæ, paſtorem non agnouerunt, poſtmodum paſtoris ſanguine ditarentur. In quo etiam loco in ſanctorum memoria baſilica conſtituta, atque fidelibus ad eorum limina concurrentibus, vt quis capacitatem fidei detulerit, tātorum vulnerum lauacra & medicinam conquireret. Acta ſunt hæc ſub die quarto Calendas Iunias, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſecula ſeculorum, Amen.

Vltio diuina.

Abundant martyrum templa.

VITA S. MAXIMINI, EPISCOPI TREVIRENſis, *authore Lupo, qui eam ſcripſit anno Chriſti octingenteſimo, triceſimonono.*

PROLOGVS AVTHORIS AD VALDONEM.

LVpus Valdoni amico ſalutē. Amicos honeſtis certare officijs, ſeq; inuicē velle ſynceris præuenire obſequijs, inter præcipua humanæ vitæ negocia nō immeritò deputatur. Quippe noſtra imbecillitas, mutuis freta ſubſidijs, cooperante diuina gratia, nec lætis inaniter extollitur, & par effecta triſtibus, ab eis haudquaquam facilè ſuperatur. Huius tantæ rei ſubtilis conſideratio me tibi, Valdo chariſſime, ſuaſit morigerari, & quod iamindc ab initio noſtræ cognitionis magnoperè flagitaſti, ne tibi negarem, effecit: ſcilicet vt vitam beati Maximini meo ſtylo elucubrarem, & quæ res ad nos vſque qualibuſcunq; literis decurrerunt, accuratiori ſermone conuenienti reſtituerem dignitati. Huc acceſſit, quòd memoratum virum clemēti apud Deum interceſſione mihi plurimùm confido profuturum, ſi eius actus quanta poſſum diligentia, celebrans, proponam neſcientibus imitandos. Verùm in hoc opere illud me admodùm coarctat, quòd multis, quæ, dum adhuc viueret, egit, vt palàm eſt, ſilentio ſuppreſſis, vix parua geſtorum illius monimēta extant, & in his ipſis quædā fabuloſis inueniūtur ſimilia. Quò fit, vt ampliſſimi viri opinatiſſimæ maieſtati auguſta ſcribēdi materia parū reſpōdere videatur. Omiſſis

Interceſſio ſanctorum.

itaque

itaque his, quæ fidem cæteris poterãt derogare, non ingenij mei, verùm diuinæ gratiæ fiducia, digna duntaxat memoratu hinc narrare aggrediar.

VITÆ HISTORIA.

29 Maij. Cap. 1. Patria S. Maximini.

MAXIMINVS vrbis Aquitanicæ Pictauorum indigena, clariſſimis eſt ortus natalibus. Siquidem antiquam proſapiam, à maioribus ſenatorij ordinis deductam, eius parentes ſortiti, Maxentium, atq; hunc Maximinũ felici auſpicio procrearunt. Qui nobiliter educati, ſacris pariter literis inſtruebãtur, futuri quandoq; Chriſtiani dogmatis egregij defenſores. Sed proceſſu temporis Pictauorũ eccleſia Maxentium ſibi vendicauit pontificem, eamq; idem poſt eà florentiſſimè gubernauit. Maximinus autem diuino inſtinctu genitale ſolum relinquens, atq; in Belgicam Galliam commigrans, in Treuirorum vrbe ſubſtitit, & ſpectati præſulis Agritij magiſterio ſe informandum ſubmiſit. In quo tãta vbertas gratiæ ſpiritualis eminebat, vt apicẽ dignitatis titulo ſanctitatis ornaret. Cuius rei fama tum & alios diuerſis ex partibus, tum etiam hunc Maximinum acciebat. Ergo ad notitiam tanti viri deductus, & eccleſiaſticis moribus aliquãdiu diligenter aſſuefactus, clericatùs honore donatus eſt. Cumque augmenta virtutum illi pararẽt incrementa conſequentium dignitatum, Quiriacus quidam, mira ſanctitate præditus, beati Eucharij eccleſiam nocturno tempore oratum de more ingreſſus, obuerſantem ſibi angelum, non per quietem, ſed vigilando intueri promeruit, eiuſque vocem corporeis hauſit auribus, præcipientis, vt Maximinum ex diuina iuſſione redderet certiorem, quòd Agritio epiſcopo ad ſuperna gaudia intromiſſo, mox eſſet ipſe paſtorale miniſterium ſubiturus. Id Quiriacus properè dum compleuiſſet, beatus Maximinus huic honori modis omnibus ſe imparem fatebatur. Ita quem iam ſecretorum inſpector probauerat, fragilitatis propriæ rigidus æſtimator, de ſe vilia ſentiebat. Hoc vtinam homines nunc & intueri vellent & imitari: profectò nunquam eccleſiaſticos honores, qui ſanctis et eruditis tantummodò competunt, corruptelis vitiorum obnoxij, oraculorumq; cæleſtiũ neſcij, pecunia mercatum irent, humeriſq; ſuis, velut grauem ſeque oppreſſuram ſarcinam nolentes ac reclamantes, nequaquam prorſus imponerent. Verùm vt ab his, quò paululũ deflexit, noſtra reuocetur oratio, quòd ſemel beatum Maximinum diuinitatis immutabile conſilium populo ſuo præficiendum decreuerat, Agritio per miniſterium reuelatur angelicum, vt ſibi eum inſtituat ſucceſſorẽ. Qui abſq; retractatione diuino parens imperio, ſuis benedictionibus confirmatum, poſt ſe futurum deſignat pontificem. Nec multò pòſt Agritius quidem momentaneã mortem ſempiternæ vitæ felicitate mutauit, & in confeſſorum glorioſiſſimum cœtũ commigrauit, Idibus Ianuarij.

Maxentius Pictauorũ epiſcopus.

Maximinus venit Treuiros ad S. Agritium.

In ambitioſos.

S. Agritius decedit.

Cap. 2. Ei ſuccedit S. Maximinus.

Sanctus autem Maximinus, conſenſu ſacrorum ordinum, totiuſque plebis adniſu, à vicinis epiſcopis pontificali eſt excellentia ſublimatus. Iam verò quàm ſtrenuè ſit eo functus officio, ſummi authoris Hieronymi teſtimonio, qui aut contemporalis ei, tametſi puer, fuit, aut proximè illius ætatem acceſſit, licet agnoſcere. Nanq; is in præclaro Chronicæ opere, cùm à ſecundo anno Conſtantini, Conſtantij atq; Conſtantis Auguſtorum, Arrianam impietatem, præfati Conſtantij regis fultam præſidio, perſecutã exilijs, carceribus & varijs afflictionum modis primùm Athanaſiũ, deinde omnes nõ ſuæ partis epiſcopos declaraſſet, paucis interiectis, ſexti anni, ſi quæ fortè fuiſſent, res memorabiles notaturus: Maximinus, inquit, Treuirorum epiſcopus clarus habebatur.

Cap. 3.

Hic ſi quis inſpiciat inſaniam Arriani principis tum quam maximè efferbuiſſe, facilè intelligit, perſecutionibus, quæ vulgò veris importabantur præſulibus, ſanctũ quoque Maximinum alacriter participatum, ac violatæ fidei non declinaſſe modò contagia, ſed etiam aſſertorum eius peruerſis ac violẽtis molitionibus obuiaſſe. Nec adeò fuerat operoſum eas celeriter penituſq; ſubuertere, niſi merito execrabilis impietatis miſerabiliter excæcati illius nefarij ſceleris vel inuentores, vel defenſores, lumen rationis nequaquàm admittere conſenſiſſent. Nam quis vnquam, quæſo, de conſubſtantialitate patris & filij, vel per quietem ſit auſus dubitare, niſi qui illam euidentiſſimam Dei ſententiam ſurda prætererit aure: Ego & pater vnum ſumus? Vnum dixit, tantùm ſe profectò volens intelligi, quantus pater eſſe cognoſcitur: ſcilicet myſteriũ baptiſmatis in nomine patris, & ſuo, ac ſancti ſpiritûs non aliter tradi iuſſiſſet fidelibus, niſi æquè, vt patri ſanctoque ſpiritui, ſibi quoq; voluiſſet deferri. Verùm quis illos ferret

Iohan. 10.

ferret non minùs ſtultos,quàm impios? Denique cùm ipſe filius dicat: Vt omnes hono rificent filium, ſicut honorificant patrem: in tantam imperitiſſimi homines prorupe rant audaciam, vt minorem patre filium eſſe contenderent. Hi callidis argumentorū commentis ſua nitebātur adſtruere: contrà, per Athanaſium atque Maximinum, cæteroſque propugnatores ac duces clariſſimos, Apoſtolicę doctrinę ſemper ſuperabat authoritas. Laborioſè mendacium exquiſitis ornabatur ſententijs: per ſe ſatis decora, ſimplex veritas eminebat. Poſtremò poteſtas humana fortiſſimis bellatoribus turbulentum minaxque bellum conflauerat: diuina maieſtas animum, vires, arma, quibus illi vincerent, miniſtrabat. Iohan.5.

Ex his, quæ præmiſimus, beati Hieronymi verbis, etſi pauca ſint, tamen ſatis Maximini ſanctitas poterit æſtimari. Sed eis ille non contentus, rem intulit maximis, meo iudicio, laudibus proſequendam. A quo, inquit, hauddubium, quin Maximino, Athanaſius Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus, cùm à Conſtantio quæreretur ad pœnam, honorificè ſuſceptus eſt. O virum beatiſſimum, ſummiſque principibus Eccleſiæ meritò coæquandum, qui regiæ poteſtatis iniuſtum ſpreuerit impetum, & cum periculo, ſi nō vitæ, certè dignitatis, amplexus ſit cuſtodiā mandatæ diuinitùs charitatis! Fac enim Imperatorem furiata mente proditionis præmia proponentem, ſi opinari potuiſſet fore aliquem, qui cùm valeret, nō ſolùm Athanaſium minimè proderet, ſed etiam ſtudioſè celaret, quas proſcriptiones, quæ exilia, q̄ tormēta minaturus fuiſſet, deprǽhenſoq; poſtmodum illaturus? & liquidò apparebit, quantum pondus iuſtitiæ tribui debeat huic ſancti Maximini conſtantiæ. Profectò fiducia, ex diuinis eloquijs concepta, docuit, quatenus ſit ſecularibus poteſtatibus obſequendum. Neque enim ipſe Deus iuſta præcipientes contemnendi hominibus, aut quenquam Imperatores iniuſta iubentes audiendi poteſtatem fecit. Nam etſi præſcripſit, vt Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei, reddamus: quòd tamen id citra violationem ſuorum fieri voluerit mandatorum, Apoſtolus declarauit, qui dicturus, Regem honorificate: Deum timete, præmittendum curauit. Sed ô noſtri temporis mores degeneres! Omnes penè iam nerui priſtini roboris conciderunt: leuibus terroribus fracta ceſſit conſtantia: pluris pecunia, quàm iuſtitia, æſtimatur. Quis iam Imperatoribus diuinorum præceptorum reſerare ſalutarem ſeueritatem non reformidet? Quis eis ſua pericula, zelo diuini timoris accēſus, abſq; fuco adulationis aperiat? Ego planè non ſum dubius, aut neminem, aut rarū nunc eſſe, qui ſi quemlibet, vt quondam magnus fecit Athanaſius, iniquos motus Imperatorum fuga declinantem videret, ei, vt Maximinus, gremium charitatis, Deo fiſus, aperiret: immò latebram præſtare vel remotiſſimus quiſque refugeret, ne, dum alium tegere moliretur, ſemetipſum laqueis calamitatis exponeret. At Maximinus in celeberrima, eademque tunc regia ciuitate fortiſſimum excipiens confeſſorem, dum eius ingenuè communicauit periculo, participium ſibi peperit gloriæ ſempiternæ. Cap. 4. Athanaſius venit ad Maximinum. Matth.22. 1.Pet.2.

Quanto autem ſtudio pro conſeruanda integritate fidei excubaret, aliàs etiam demonſtrauit, cùm Agrippinæ ſynodali euocato conuentu, Euphratam epiſcopum, hæretica prauitate corruptum, cum his, qui frequentes conuenerant, pontificibus gradu mouit, Eccleſiaſtica vſus cenſura. Is enim inſanis accedens hæreticis, Ieſum Chriſtum non eſſe verum Dei filium prædicabat. Nec miraculorum gratia defuit ſancto Maximino, quibus editis, ſuæ prædicationis fidem tardioribus faciebat. Siquidem cæcis lucem infundebat optatam, & paralyticorum ſolutos artus in priſtinum reformabat vigorem, & eos, qui dæmonum perſuaſione humanam mentem exuerant, fœdo prorſus dominio liberabat. Quod ſi cui incredibile videatur, ex his, quæ multa ad eius memoriam hactenùs fiunt, poterit confirmari. Cap.5. Synod. Colonienſis contra Euphratam. Miracula S. Maximini.

Erat ei ſolennis conſuetudo, ſanctorum luſtrare memorias, eorumque opem ſummis precibus flagitare. Cuius rei gratia cùm Romam tenderet, opinatiſſimum confeſſorem Martinum conuenit: iunctiq; ſummi pontifices, diuinis rebus intenti, laborem itineris non, vt alij, ſentiebant. Illis itaq; in vlteriora progredientibus, fortè aſellum, qui ſarcinas beatorum ferebat, vrſus offendit, eumq; protinus deuorauit. Hîc Maximinus in nomine Domini feræ dicitur imperaſſe, vt quia iumentum non abegerat, ſed conſumpſerat, ipſa iumenti onus aſſumeret. Mira res valdè eſt, illam eueſtigiò ſucceſſiſſe oneri, & quoad reuerſi ad locum, qui Vrſaria villa dicitur, deuenirent, ſubuectioni manſuetiſſimè famulatam. Ibi deniq; à ſancto viro priſtinam vagandi poteſtatem recepiſſe, priùs tamen licentia quēquam lædendi erepta. Verùm quia vt praui ſibimet ſunt graues, ita boni ſuo ſemper delectantur conſortio, ſanctus Maximinus beatum *Martinum* Treuirorum vrbem ſecum coēgit inuiſere, ſuoque populo duplicata benedictio. Cap.6. Nota tanti viri conſuetudinem.

S Martinus Treuiros inuiſit.

dictionis reuexit commercia. Ibi Martinus ſpiritualem ſibi filium Lubentium Maximino erudiendum commiſit. Cuius ille parens voluntati, & eum ſacris inſtruxit literis, & impoſito gradu preſbyterij, in vico, cui Cubrino vocabulũ eſt, præfecit. Ipſe autem piè memor propinquorum, patriam repetiuit, ſuorumque vſus contubernio, non multò pòſt ibi vita exceſſit, ſanctorumq; laborum ſuorum fructum, cumulata mercede, à Domino eſt conſecutus.

Obitus S. Maximini.

Cap. 7.

Paulinus ei ſubrogatur

Succedēs in epiſcopatum Paulinus, qui fidei ſuæ veritatem exilij perpeſſione firmauit, communicato cum clero & populo Treuirorum conſilio, ſanctum Maximinum ab Aquitania, vbi ſitus fuerat, reuehendum conſtituit. Itaque facto agmine, Clerus populuſque Aquitaniam versùm tendentes, emenſis prolixis viarum ſpatijs, tandē haud longè à loco, vbi ille claudebatur theſaurus, admodum fatigati ſubſtiterunt. Ibi cæteris corpora curātibus, quidam ſeniorum proſtratus Domino ſupplicabat, vt illius exoptabilis loci, quem ipſe cum ſocijs penitùs ignoraret, aliquod mererentur indicium. Vix orationis verba finierat, cùm puer gregem ouium ſequens, nomine beati Maximini iuratiuè aſſumpto, ouem, ſi quò ipſe nollet, accederet, ictu repellendam minatus eſt. Hic ſenior ſtupefactus, vbinam, quem nominaſſet, Maximinus requieſceret? percōtatur. Atqui puer viciſſim quiſnam eſſet, qui tam clari viri memoriam neſciret? admirando perquirens, poſtquàm reſciuit aliundè aduentantes, eos ad locum deſideratū vſq; perduxit. Ita illi laudantes Deum beatumq; Maximinum, etiam angelica reuelatione certiores effecti ſunt, illic, vbi monſtratum fuerat, inueniendum quod quærerēt. Verùm cuſtos eccleſiæ ſuſpicatus id, quod euenit, vt eadem eccleſia excederēt, qui aduenerant, & euentum rei celauerant, imperauit. Mox celeberrima fama rem diſſipante, immanis excitata manus Aquitanorum, Treuiros moliebatur loco arcere: potuiſſetque committi facinus peſſimum, nî Treuiri Chriſtianitatis fraternitatem opponentes, orandi tantùm ſtudio ſe conueniſſe firmaſſent. Aquitani Treuiros ſuî timore perculſos arbitrantes, hinc remiſſi lætitia, vino indulgent, & quod erat conſequens, ſomno grauiori ſoluuntur.

Cap. 8.

Intereà beato Lubentio, cuius eſt mentio ſuperiùs facta, imperat angelus, vt clauem eccleſiæ ad caput cuſtodis accipiat, & abſq; ſtrepitu eccleſiam introgreſſus, exoptatum theſaurum abſportet. Ille cœtu aliorum preſbyterorum adiūcto, ſumma cum properatione paret, ac proſpero comitāte ſucceſſu, clauis vnde ſumpta fuerat, citò refertur, & cateruis expectantibus quod tantoperè cupiebant, infertur. Treuiris abitum maturantibus. Aquitani primò eos metu diſceſſiſſe dictitant. At vbi rei veritatem comperiunt, coacto exercitu, recedentes triduo inſequuntur. Cumq; intra mutuum conſpectum vterq; populus conſtitiſſet, Aquitani crebris coruſcationibus tonitruiſq; atq; frequenti emiſſione fulminum, quorum nihil Treuiros contingebat, repulſi, non ſine rubore ad propria rediēre. Treuiris cœptum iter carpentibus, cæcus quidam ſpe recuperandi viſùs deduci ſe flagitabat ad feretrum. Cuius vt eum vmbra tetigit, mox caligo inolitæ cæcitatis abſceſſit. Ita vnius incolumitate gaudium multi ceperunt.

Treuirēſes ex Aquitania abſportārreliquias S. Maximini.

Cæc⁹ videt.

Cap. 9.

Paralyticus curatur.

Cumq; Moſomagum caſtellū perueniſſent, paralyticus quidā beato Maximino ſaluādus offertur. Nec irrita vota fuēre fidelium. nanq; vt ſine dilatione optatę redditur ſanitati, ſpecioſiſſimum ſpectaculū intuentibus præbuit. Vtq; gratiam referre viderentur ei⁹ loci habitatores, eccleſiā Deo ſub honore B. Maximini, vbi eius ſacræ reliquiæ fuerant poſitæ, condiderunt. Euiouium vocatur caſtellum, ad ditionē iam pertinens Treuirorū. Hoc ingreſſis * exequiarum baiulis, quædā fœmina maligno ſpiritu obſeſſa, querebatur, quid ita Treuirorum populus beatum illuc Maximinum deportaſſet, cùm ei poſſent ſufficere ſancti Dei Eucharius, Valerius, & Maternus, necnon Agritius, quos dæmones vt violentos paterentur tortores? Nec diù teterrimus hoſtis miſeræ infelicitate lætatus eſt. Siquidem poſt præmiſſas voces, meritis beati Maximini exire compulſus, ludibrij ſui poteſtate priuatus eſt. Inde ad caſtellum quod * Barlonis dicitur, ſancti perlatis reliquijs, duo accedentes leproſi, iam quantùm valeret Maximinus, felici fama edocti, eius implorauēre credula mente ſuffragium. Nec ſpes eos ſua fefellit. Denique mox diuinam experti medicinam, adepti ſunt integram ſoſpitatem.

for. * reliquiarum.

* Arlonis

Cap. 10.

Tot ac tantis diuinis celebratis miraculis, Treuirorum quondam pontifex Maximinus, tunc autem apud Deum certiſſimus iam patronus, vrbi, quam olim egregiè rexerat, propinquabat. Iam verò vix credibile fuerit, quanta tunc ad eum multitudo confluxerit. Obuiàm præſuli tota ſe ciuitas effudit, ruſticorum ex agris frequens turba cōuenit: multi quoque ex vicinis vrbibus occurrerunt. Compulerat hæc agmina in vnū veneratio Maximini, quæ Paulinus totius ſignifer pietatis ſua glorioſa decorabat præ-

ſen-

ſentia. Cremabantur precioſi odores, cereorum copia reſplendebat, diſtinctæ ſacrorum acies ordinum, feſtiua cantica perſonabant. Ita exceptum deductumq; ſacratiſſimum Maximinum inſignis confeſſor Paulinus in eccleſia beatiſſimi Iohannis Euangeliſtę magnificè ſepulturæ tradidit. Huc poſteà cæcus quidã à natiuitate, ex territorio Beneuẽtano deductus, Creton vocabulo, monitũ ſe à principe Apoſtolorũ Petro, dum Romæ ſpe recuperãdi luminis moraretur apud eius memoriam, fatebatur, vt Belgicã Galliam peteret, vbi ſanctus requieſceret Maximinus, quòd illius meritis poſſent ei optatæ ſanitatis gaudia prouenire. Qui pergẽs, venit ad locum: & dum cuſtodi narraſſet eccleſiæ, nomine Goſberto, ad ſepulchri penetralia intromiſſus eſt: vbi ſe cõfeſtim lucis commercium reperiſſe miratus eſt. Poterat beatiſſimus Petrus cæco ſumma facilitate, quod petebatur, præſtare: verùm gloriam miraculi transferre ad Maximinũ maluit, vt meritorum eius euidenter cunctis panderet qualititatem. Vide priſcorũ Chriſtianõrum erga ſanctos deuotionem. Cęcus à natiuitate recipit lumen.

Præterea in crypta, vbi oſſa venerandi pontificis condita fuerant, interiectu temporis aqua ad latitudinẽ vnius cubiti excreuit: dictuq; mirabile, ita ſepulchrum omne ſuo ambitu cinxit, vt tamẽ ab eius crepidine abſiſtens, non paruum intuentibus ſtuporem iniiceret. Igitur venerabiles epiſcopi Hildulphus, Clemens atq; Goſbertus, conuenientes in vnum, & quod euenerat, diligenter examinantes, transferenda beati viri oſſa ex memorata crypta, & in loco, vbi nunc ſunt ſita, iudicauêre ponenda. Quod quoniã ex diuina voluntate decreuerant, procedens exitus indicauit. His, vt opinor, non inconuenienter adijcitur, quòd quædam fœmina, Franca natione, domique nobilis, Rodoara vocabulo, cui tibiam atq; pedem humor noxius areſecerat, ad memoriam beati viri acceſſit, ibiq; preces magna cum obſtinatione continuans, ita vt à ſuis ad deſperationem obtinendæ ſanitatis impulſa, vt inde recederet, moneretur, diu deſperatam ſanitatem, ſtupentibus cunctis recuperauit. Cap. 11. Tranſlatio reliquiarũ ſancti Maximini.

Iam verò illud quàm eſt mirabile, quod Carolo principi obtulit? Nanq; is, cùm lõga febrium vexaretur moleſtia, & cibi potuſq; faſtidio, vitæ periculum incurriſſet, ei beatus Maximinus capienti ſomnum apparuit, vtque ſe ad ſuam abeuntẽ ſequeretur memoriam, demonſtrauit. Expergefactus Carolus ſatellitem, qui ſibi fortè aſſiſtebat, percontatur, ſi videret beatum Maximinum, qui ſecum paulò antè cõtuliſſet ſermonem? Illo verò negante: Modò, inquit, foras egreditur, atq; imperauit, vt ſe continuò ſequerer, apud eius tumulum ſalutis compos futurus. Ita illò lectica deportatũ, & in ſoporem reſolutum, ſanctus Maximinus iterum alloquitur, ſeq; pro illo Domini poſtulaſſe clementiam oſtendit: illum verò, ne ſe vltrà dedat vitijs, admonet. Mox igitur, vt euigilauit Carolus, exurrexit, & pro votis promiſſis in ſacrarium ſeceſſit, ſibiq; offerendos cibos popoſcit, qui triginta diebus proximis, ſumendorum alimentorum ſibi poſſibilitate ſublata, vix vitam ſolius aquæ hauſtu, retinuerit. Eſcis itaq; ſumptis, amiſſas redire vires perſenſit: huiuſq; non immemor beneficij, cœnobium ſancti Maximini prædijs auxit: quorum vnum * Patrioſala, aliud Vuitmaris eccleſia, tertium Commiciacus vocatur. Sancto autem Petro Andaclanam obtulit villam. Cap. 12. S. Maximinus per viſũ iubet Carolũ principẽ ire ad reliquias ſuas. Carolus prędia largitur monaſterio.

Apud ſæpedictam memoriam etiam duæ fœminæ, quarum altera Vueltrudis, altera dicebatur Elithildis, olim manuũ atq; pedum debilitate inutiles, interuẽtu glorioſiſſimi confeſſoris, communia receperunt officia. Vir quidã oriundus * Friſo, cui nomen Ibbo fuit, ſe ſuamq; ſubſtantiã B. Maximino donauit. Quo facto, cùm fratrum vtilitatibus deſudaret, neceſſe fuit, vt negociandi gratia tranſmarinam peteret regionẽ. Ita claſſi ſex nauium ſociatus, ingreſſus eſt mare. In altum aũt cùm proceſſiſſent, tẽpeſtas repentè oborta, eaſdẽ ſex naues quaſſauit, ac vndę tumẽtes protinùs ſolutas inuoluerunt. Hoc Ibbo depręhẽſus, neceſſitatis articulo nautas hortatus eſt, vt ſecum S. Maximini ſuffragium implorarent. Quibus, vt par erat, id ſubmiſsè agentibus, Ibbo virum inſtar ſolis ſplendentẽ, & ſupra mare non infuſis pedibus ambulantẽ, ſubitò adſpexit. Qui fiduciã confitenti reſumere iubens, cùm formidinẽ voce pepulit, tum etiã ſua pręſentia tranquillitatẽ reduxit. Sic facti reduces, authori tam manifeſtæ ſalutis Deo ſanctoq; Maximino laudes cum ſumma exultatione fuderunt. Maxima ſunt hęc, & Deo, qui per ſeruos ſuos operatur, digna miracula, atq; celebri præconio ad poſteros tranſmittenda. Verùm illud ſcrupuloſiùs eſt conſiderandum, quod præter tantam vbertatẽ virtutum, perindè quaſi ſpeciali gratia, fugandorum dæmonum poteſtas beato Maximino permiſſa eſt: quod ex conſequentibus facilè apparebit. Dixerint hinc meliùs alij, quos vitæ ſynceritas cæleſtium fecit conſcios arcanorum: cæterùm meæ tenuitati videtur, hunc virum ea cauſa illud priuilegium meruiſſe, quòd dum communem ageret vitam, ab his præcipuè fuerit vitijs alienus, quibus apoſtatæ ſpiritus elege- Cap. 13. * Freſco. Sedatur maris tẽpeſtas, apparẽte S. Maximino. Eius poteſtas in dæmones.

elegerunt inconuertibiliter mancipari, ſuperbia videlicet & inuidia: æquumq; viſum fuiſſe diuino conſilio, vt qui ſuperbiam humilitate deiecerit, inuidiamque charitate contriuerit, dominium poſſideat illorum, qui ſuo deprauati arbitrio, ad memoratas virtutes nunquam adſpirare conſentiant.

Cap. 14. Itaque rex Pipinus, magni Caroli genitor, quēdam ſuum clericum, qui Brunco vocabatur, impuris obſeſſum ſpiritibus, per Hellarium Archidiaconum ad tumulum beati Maximini deſtinauit. Is per diuerſas reliquorum ſanctorum fuerat circunductus memorias, nec illa horribili paſſione meruerat liberari. Porrò vt beati viri limina tetigit, ilicò purgatus, Dei circa ſe clementiam glorificare, & ſancti Maximini potentiā cœpit prædicare.

Dæmoniaci liberātur. Idem Pipinus denuò Ericum, genere Alemannum, eadem paſſione laborantem, qua ſuprà, direxit. Quem cùm catena vinxiſſent, eamque perfacilè alienis viribus cōfregiſſet, vix arte cohibitum, clariſſimo confeſſori obtulerunt curandum. Ita diu fratribus pro miſeri ereptione certantibus, quadam die, cùm rem diuinam agerent, ille confracta catena prorupit ſe ad tumulum ſacri antiſtitis: & non videtis, inquiens, aduerſarios, qui me ſibi vendicauerant, vt in fugam verſos beatus Maximinus perſequitur? Hic ei finis proceſſit inſaniæ. Eiuſdem Pipini regis ex filia nepos, nomine Cunibertus, atrociter à dæmone vexatus, multis antè locis circumitis, vltimò ad ſanctum virum perductus, tandem ab ea peſte purgatus eſt.

Cap. 15. 37. dæmoniaci ſanantur vno die. Et, vt à ſingulis ad turbam liberatorum tranſeamus, quondam ad feſtiuitatem beati pontificis (ſiquidem tunc maiorem depromit potētiam) trigintaſeptem homines oppreſſi à dæmonibus confluxère: qui omnes eodem die curati ſunt. Ex eodem numero fœminam illam fuiſſe accepimus, quæ ferebatur quadraginta ſeptem annis polluto ſubiecta ſpiritui. Hac tandem tam diutina excluſus poſſeſſione, ipſe verò cruciandus igni, ſimulatum oculis adſtantium obiecit incendium, ita vt putaretur tota domus cōflagrare: ac digno ſe odore, hoc eſt, ſulphureo, templum reſperſit. Tā ſpecioſa ſuæ præſentiæ meritique monimenta præclarus ille angelus dereliquit. Sequenti anno eadem ſolennitate viginti & duo mundati ſunt: porrò tertio anno tredecim à ſancti viri cœnobio ſalutis gaudia retulerunt. His, vt arbitror, legere volentes ſatis ſuperq; inſtruximus, quam efficax in ſacratiſſimo viro pellendi ſpiritus perditos ſit gratia, & emineat ſemper potentia. Cæterùm ſi velimus & hac & multiplici aliarum virtutū ſpecie quoties floruerit vſq; ad hunc annū, quo ſcribimus, hoc eſt, ab incarnatione Domini octingenteſimum triceſimumnonū, ſtyli officio deſignare, nec modum libri tenebimus, & erudito lectori minùs erimus grati, dum ſimilia frequenter narrabimus. In fine igitur noſtri opuſculi, in commune beati Maximini clementiam flagitemus, vt qui ſubinde ab alijs infirmitates depulit corporum, multò magis liberare nos dignetur à languoribus animarum: oſtendens etiam in hac parte, quantùm præualeat: quò nunc peccatorum veniam conſecuti, quandoque illius gloriam conſpicere, gaudentes etiā propria ſorte, mereamur, Amen.

Item 22. & 13 alijs duobus diebus.

MARTYRIVM BEATISSIMI MARTYRIS ANDREAE DE CHIO, QVOD CONSTANTINOPOLI

obijt, anno primo Pauli II. Summi Pontificis, à Georgio Trapezuntio ſcriptum.

29. Maij. Cap. 1. QVANDO iam triennio è Creta Conſtantinopolim nauigaſſem, vniuerſam illam vrbem cū Galata ſimul in admiratione atque gaudio reperi non paruo, propter ſingulare & inauditum multis temporibus Andreæ de Chio, pro Ieſu Chriſti * paſſione martyrium. Fuit enim paulò antè mirabili conſtantia per gratiam Dei geſtum. Nam ego quidem menſe Nouembri applicui, anno ab incarnatione Domini, M. CCC. LXV. Andreas verò martyr Chriſti præcipuus 29. die menſis Maij, eiuſdem anni coronam martyrij miſericordia Chriſti cōſecutus, in cælos aſcendit ad eum, pro quo multos cruciatus ſuſtinuit. Verùm quod admirabilius ritè conſideranti videbitur, illud eſt, quòd niſi Andreę martyrium di-

for. * profeſſione.

ſium diuinitùs deſtinatum diuina gratia Chriſtianis opem tuliſſet, & animos eorum firmaſſet, magna in eos clades, ab ærumna ingens ab inimico generis humani, procellæ in morem fuiſſet effuſa. Quidam enim, quem honoris cauſa non nomino, ex Trapezuntana ortus vrbe, Peripateticorum Philoſophiæ profeſſor, ſiue ſua ſponte, vt multi aiunt, ſiue impulſus, neſcio, nec, ſi ſciam, dicere auſim, Crucem Domini negauit, & Mahumeto adhæſit. Quidam abnegat fi. dē Chriſti.

Quare Turcarū rex elatus, virum quendā, cuius nomen me fugit, ipſumq; Trapezūtium militiæ peritiſſimum in carcerem coniecit: dignum ratus, vt Philoſophum conciuem ſuum volens noléns ue imitaretur. cupiebat enim eius opera vti in re militari. Cumq; Chriſtiano non confideret, ad Mahumetum intrudere cupiebat. At ille animo martyr: Philoſophus, dicebat, in delicijs educatus, maiore ſpe ipſarum, Chriſti crucē negauit: ego autem, qui pro Imperatore meo mortali tot tantosq; labores, cum Scythis bella gerens tuli, vulneraq; excepi, (dixit, & aperto pectore, cicatrices oſtēdebat) pro Imperatore cæleſti mortem timebo? abſit à me tanta inſania. Quæ mens præterea eſſet mea, vel potiùs, quæ ſtultitia, veritatem doloris fugiendi cauſa prodere, ac æterna cæleſtiaq; regna repudiare, Mahumetoq; adhærere, vt bellorum labores ſubeam, pericula magna pro Imperatore mortali ſuſcipiam, gladios in Chriſtianos Chriſtianus ipſe natus diſtringā? & deniq; in mortem ruere, quam fugiendam cēſuit Philoſophus, vt in æternam ac veram mortem deferar præceps? Hæc ille. Cap.3. Conſtantia cuiuſdam Chriſtiani.

Verùm dum hæc Conſtantinopoli fierent, Andreas febribus grauiter laborabat cœlibemq; ſe perpetuò fore Reginæ miſericordiæ Virgini vouit, ſi euaderet. Sedatis illicò febribus, paulò pòſt quaſi ex morte ſurrexit, & albis ſe veſtimentis induit, vt ſcilicet nunquàm obliuiſci poſſet munditiem corporis, quam Creatoris obtulit Matri. Conſtantinopolim deinde petijt, non vt mercator, aut vagus quidam magnarum vrbium viſendarum cupiditate: ſumma enim in iuuene viginti & ſeptem annorum grauitas atq; conſtantia illucebat: rarò quis inane verbum ab ore ipſius excidiſſe audiuit: à ioco enim penitùs erat alienus. Cur igitur iuit? A gratia Dei, vt ego arbitror, ad martyrium vocabatur, vt & ipſe in cælis Chriſti cū alijs martyribus aſſiſteret, & omnibus prodeſſet, qui Philoſophi ſiue leuitate, ſiue terrore fuerant conturbati. Statim cùm in vrbem applicuit, accuſatus fuit, quòd cum Chriſtianis conuerſaretur, eccleſiasque viſeret, quaſi Chriſtianus ſumma cum religione ac deuotione homo, qui crucem Alexandriæ negauit, cōculcauit, ſputis fœdauit, & demum in ſtercora proiecit. Hæc mercatores Aegyptij, qui tunc in vrbe aderant, ad iudicem detulerunt, ſeq; ipſos vidiſſe eū negantem, confitentemq; quòd Mahumeto adhæreret, audiuiſſe atteſtabantur. Capit. Voti effectus. Integritas & probitas Andreæ. Falsò defertur ab Aegyptijs mercatoribus.

Trahitur in iudicium Andreas iniquum, accuſationeq; recitata, nunquā ſe à Chio, vbi natus, educatusq; fuit, niſi tunc receſſiſſe affirmabat, idque multis teſtibus approbabat, vniuerſamque Chij ciuitatem hocipſum ſcire aiebat. Iudex iniquus hac in re non eſſe audiendos Chriſtianos cenſebat. Tunc Chriſtianorum multitudo, quæ circūfuſa ſtabat, Si, inquit, Chriſtianorum teſtimonium in huiuſmodi cauſa refutandū eſt, Mahumetiſtarum quoque ſimiliter non recipiendum. Nam ſicut nos Chriſtianū falſo accuſatum iuſtè defendimus, ſic Mahumetiſtæ accuſationem ſuorum veram eſſe contendunt. Quare prætermiſſis teſtibus, res ipſa quærenda eſt. Nō aliter igitur, quàm Iudæi ſecundùm Moſaicam legem circuncidi ſuos Propheta veſter iuſſit: quare ſi genitalia huius membra ſimili nota læſa ſunt, morte iure plectetur: ſin minimè, cum ipſa re cauſa determinetur ſua, & nil ambiguitatis hominum animis remanebit. Spoliatur interea miles Chriſti, nudusq; à tanta multitudine aſpicitur: nullum in eo indicium, nulla circunciſionis macula, nullum Mahumetiſtarum apparet veſtigium. Exclamāt ex lætitia Chriſtiani, confunduntur aduerſarij, & victi penitùs proſternuntur: niſi diabolico aſtu adiuti, expoſuiſſent moris eſſe in Aegypto, minoris homines ætatis circūcidi, maioris, ſi ad Mahumetum Dei prophetam conuertantur, circuncidi ſi volunt: ſi vero abhorrent circunciſionem, nullo cogi modo poſſe, quoniam melius ſit lucrari animam hominis, ex toto nobis corde adhærentem in cæteris omnibus præter circūciſionem, quàm reijcere, quoniam circūciſionem reformidet. His rationibus, vel magis, quia ſectæ fauebat ſuæ, confuſus Iudex, nullam pronuntiare ſententiam velle in re tanta dixit, niſi Regem conſuluerit. ita enim moris eſt in cauſis ambiguis & arduis. Cap.4. Conuincuntur mendacij accuſatores eius.

Regem igitur, in carcerem coniecto milite Chriſti, conſultum adijt: cui omnia cùm retuliſſet, interrogatus de ætate ipſius, habituq; omni corporis, Iuuenis, inquit ipſe, animo inuictus, atq; magna ſtatura, grandibus oſſibus atq; neruis conuallatus. Rex tales homines habere in militia cupit: Vade, inquit, & primùm illi, ſi noſter voluerit eſſe, Cap.5.

Tt offeri.

Turcarum princeps eũ allicit oblatis honoribus.

offerimus centurionatum in militia noſtra: deinde, prout in virtute ipſum valere conſpexerimus, ad maiora prouehemus. Quòd ſi beneficijs non commouebitur, minis atque terrore ipſum concutias: & ſi neutra poteris præualere via, capite plectas. Alterò igitur die, producto ipſo, primùm Regis pollicitationes proponuntur mirabili cum amplificatione, quòd caput ſtatim eris, Andrea, centum militum, & à priuatorum tractus conditione, cum Principibus connumeraberis: quòd facilè virtus & diligentia tua

Item alij hoſtes Chriſti.

extollet te ad maiora. Verùm cùm martyr Chriſti, nihil reſpondendo, contemnere oblata videretur, qui circunfuſi erant veritatis hoſtes, alij argentum atque aurum, alij veſtes, alij ſuppellectilem variam pollicebantur: cumq; in ſilẽtio acriùs perſeueraret, Quid, inquiunt, ne verbis quidem tuis nos dignos putas? Digni quidẽ, ait, vos eſtis mul-

Ille omnia contemnit.

tò maioribus, quàm ego dicere aut excogitare queam: ſed res, quas offertis, nullà reſponſione ſunt dignæ. Quid enim caducam hanc vitam atque mortalem putatis magni aliquid habere, quo cæleſti ſit præponenda? Erras, ipſi reſpondent: nam nos, & ad illam tibi viam aperire ſtudemus, & hanc inſuper tibi felicem reddere conamur. Non cohærent, inquit, caduca æternis, non felicibus miſera, non profana beatis. Sed quid opùs eſt verbis? Ego felicitatem huius ſeculi nihili facio: ego crucem, paſſionem, ſepulturamque Chriſti mei nunquam, auxilio illius fretus, negabo. Statuite in me quicquid malueritis: vnum rogo, ne me verbis ampliùs tentetis.

Cap 6. Mittitur in carcerem.

His dictis, coniectus ilicò in carcerem, vinculis catenatus, pedibus atque manibus aliligatus, ad meridiem ſequentis diei, qui fuit XX. Maij, iacuit. Poſt meridiem ſtatim protrahitur, & in partem vrbis, quæ Orientem ſpectat, prope mare, ducitur, vbi ad palum nudus alligatus, flagellis atque loris cæditur, acriusque quàm dici poſſit: principio fla-

Cæditur flagellis.

gellorum & verberum contremuiſſe dicitur, & manibus ad pectus contractis, ac digitis in pugnum compreſſis, magna exclamaſſe voce: Virgo Maria adiuua me. Inde pedibus altero ad alterum adductis, ſtetit rectus in eiſdem veſtigijs, mirabile dictu, vſque ad Solis occaſum. Intereà dum miles Chriſti his cruciatibus exercẽtur, Trapezuntius ille, de quo ſuprà retuli, è feneſtra turris, in qua fuerat incluſus, prominens clamabat: O felicem Chriſtianum, ô beatam quæ te genuit inſulam, ô nobiliſſimum atque omni laude dignum genus, vnde ortus es: Vtinam iſthic eſſem tecum, vt eadem paterer pro Chriſto. Hæc aliaque vociferabatur, martyrij coronam, vt arbitror, deſiderans. Carnifices autẽ Andrea reducto, multis pretioſa membra flagellis, loriſque fœdè dilacerata,

Magna cura adhibetur vulneribus eius.

vngunt vnguentis, cibum quoq; atq; potum ad fulciendã in corpore animam de Medicorum conſilio, quorum multi ac peritiſsimi aderant, obtulerunt, ac aquam, in qua non paruum defæcati auri pondus bullierat, conducunt ad bibẽdum. Id faciebant, quò longior vita eius aliquid ad negationem Crucis afferret, ſimul & oſtenderent, quanti vitam facerent eius: Fortè etiam, quoniam cum Chriſtianis enutriti ſunt, & nonnulli eorum Chriſtiani fuerint. Nec ignorabant, quomodò martyres Chriſti olim in die cruciabantur, & in nocte conualeſcebãt. Quare timentes, ne id diuinitùs eueniret, medicamentis ſuis occultare veritatem ſtudebant.

Cap. 7. Vnguibus ferreis laceratur.

Vigeſima prima eiuſdem menſis die rurſus producitur, denudatuſque ferreis vnguibus tergora, quæ pridie eius diei fuerant flagellata, dilacerantur, nec quicquam aliud fecit, dixitque miles Chriſti, quanquàm priùs contremuit in principio, manuſque ad ſe adduxit, digitos in pugnos contraxit, pedes in iiſdem veſtigijs tenuit, magnáq; voce clamauit: Virgo Maria iuua me. Sic Trapezuntius etiam eadem, quæ pridiè vociferabatur, è turri iterùm atque iterùm repetebat. Adueniente nocte, vnguẽtis illinitur, ſimiliter & medicamentis atque aquis, in quibus magna virtus auri fuerat infuſa, ſuſtẽtatur, quaſi charam Crucis hoſtes ſalutem eius haberent, magnam ijs rebus ineſſe virtutem prædicantes, Spiritûs ſancti gratiam in Medicorum peritiam, cibique ac potûs

Curatur diuinitùs.

cõmoditatem deriuantes. Illuceſcente namque die, ſanus omninò martyr Chriſti apparuit, quæ res medicamentis fieri non poteſt: quæ cùm naturaliter agerẽt, longiore indigent tempore, frequentationeq; cõueniente, ne digeſta in dubiũ aliquid conferant: quod tamen minimè facere poſſunt, ſi denuò corpus ac ſepiùs exagitetur, ſiue etiam atrociùs crucietur. Quæ virtus opem afferre poteſt præter diuinam? Profectò nulla.

Cap. 8. Atrociſsimè cruciatur.

Vigeſima ſecunda, eiuſdem menſis die, producitur ſimiliter poſt meridiem, ac manus & pedes ſic torquentur, vt ne digitorum quidem articuli, nec cubitus, nec genua in locis ſuis remanerent, ſed locis ſuis omnia ſalirent: qui dolor maximus omniũ eſt. Cætera ſimiliter geſta dictaque, non ab ipſo ſolùm, qui tamen nihil aliud, niſi: Virgo Maria iuua me, in principio dolorum, idque ſemel clamabat: verùm etiam à Trapezuntio

zuntio

tuntio illo, qui martyrium ſic expetebat, vt multis, etiam Mahumetiſtis, audientibus ſæpiùs repeteret, quæ dicta ſuperiùs ſunt. Medicorum quoque diligentia ſimiliter, imò etiam maior fuiſſe dicitur. Vigeſima tertia die incolumis ſanuſque non Medicorum arte, ſed illius primi martyris, & Domini omnium Ieſu Chriſti productus Andreas, nouo genere cruciatûs vexatur: humeros carnibus per gladios denudant, ſtudentes ſemper, ne celerior mors ipſum inuaderet. Sperabãt enim, ſi non acerbitate ac magnitudine dolorum, attamen diuturnitate ſe victuros, ſed deriſi tandem iacuerunt. Declinato die reducitur, ſicuti ſuperioribus diebus, dictis factiſque medicamentis quoque non aliter quàm priùs adhibitis. Die vigeſima quarta eiuſdem menſis, eodem modo ſiunt omnia, eodemque in loco, quo in die clunes carnibus nouaculis ſpoliantur, non ſubitò, ſed cùm mora, vt doloris acerbitas magis ſentiretur. Cætera omnia ſimiliter acta, vt in ſuperioribus diebus, dictaque eodem modo etiam à Trapezuntio martyre animo atque voluntate, qui illis diebus, quibus Andreas patiebatur, ſimiliter è turri clamitabat. Die vigeſimaquinta, partes pedum, quæ inter genua cluneſq; ſunt, carnibus ſimiliter denudantur: cætera eodem modo dicta geſtaque fuerunt. Vigeſimaſexta die, ſuræ, id eſt, carnoſæ partes pedum, quæ ſunt intra genua & poplites, ſimiliter carnibus denudantur. Cæteraq; facta, dicta, procurata ſimiliter fuerunt. Vigeſimaſeptima die, femur, quæque circa ipſum ſunt, corporis partes excoriãtur. Vigeſimaoctaua die, totum corpus à capite ad pedes verberibus cæditur, vt doloribus renouatis, tandem moueretur. Maxilla quoque vna vno ictu denudata carne fuit, quam Chriſtiani rapientes ſeruarunt, fuitque in monaſterio beati Franciſci inuſitato fragrans odore atque mirabili.

Ecce tibi iam manem crudelitatem.

Item aliam.

Rurſus alias, ſuper alias.

Nota de maxilla eius.

Vigeſimanona eiuſdem menſis die, anno primo Pontificatûs Papæ Pauli ſecundi vltimò producitur Andreas de Chio, martyr Chriſti præcipuus in locum ſolitum, ad orientalem vrbis partem, prope mare, ſanus, viuax, vultu læto, decora facie. Mahumetiſtæ his rebus moti, medicamentorum virtute ſic factum aſſerebant, & ingratitudinem illius accuſantes: Non vides, clamabant, Andrea? Tuę vitę cura nobis habita eſt: noſtro ſtudio, imò Regis ipſius, incolumis es, & virtute medicamentorum, & Mahumeti gratia, qui te vult deliramenta Chriſtianorum de cruce ac paſſione Ieſu deſpicere: quæ beneficia quoniã ingratus nõ ſentis, morte morieris. Nõ eſt mors, ſic mors, ait, ſed vita. Quare nolite putare, me verbis veſtris terreri poſſe: nec medicamenta profuerunt, quippe quæ vel in minimis vulneribus vix poſt multos dies aliquid afferre poſſunt. Me autem Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Virgo Maria ad hunc diem conſeruauit atque reſeruauit. His dictis ſecuri caput ſuppoſuit, & ad cæleſtia regna euolauit.

Cap. 9.

O rem admirandam!

Securi percuſſus abit è vita.

Tunc mortis eius miniſtri, vt Iudex iuſſerat, caput & truncũ corpus trahere velociter ad mare conantur. Exclamant Chriſtiani, qui lachrymis effuſis circunſtabant, quorum magna erat multitudo, ſepeliendum eſſe mortuum, non in mare proijciendum. Illis reſiſtentibus, Regiam aiunt maieſtatem eſſe conſulendã, ſepelirine velit ipſum iam mortuum, an in mare proijci? Hoc audito, ipſe Iudex ad Regem procurrit, (nec enim licet Iudicibus, quando Regem conſulendum eſſe audiunt, quicquam facere vlteriùs, niſi Regi priùs referant.) Sed Chriſtianorum quoque Primates, quàm velociter poterant Regem adeũt: qui cùm percepiſſet, quibus cruciatibus, & quandiu vexatus fuit Andreas, efferbuiſſe ira dicitur, & verbis in Iudicem ſic atrocibus vſus fuiſſe, vt exanimis ne mutiret quidem Iudex iniquus. Sed ea ira, & illæ ingentes minæ ſimul cum verbis euanuerunt. Chriſtianis deinde iubet, vt Andream honorificè, ſicuti decet virum fortem, ſepeliant. Qui appoſito capite corpori ſuo, ad Galatã deportarunt. Aderat autem vniuerſus vtrarumque vrbium, Galatæ atque Conſtantinopolis, populus, viri ſimul ac mulieres, pueri atque puellæ, liberi & ſerui, nec Chriſtianorum ſolùm, verùm etiam Mahumetiſtarum multi admiratione commoti, non pauciores quàm decies decem millia: qui omnes, alij lachrymantes, alij laudes eius prædicantes, & alij conſtantiam ac robur animi, alij prudentiã atq; grauitatem, alij contemptum humanarũ rerum: multi fidem in Ieſum Chriſtum, in crucẽ & paſſionem eius, & in immaculatam Virginem deuotionem narrantes. Tandem in Galatæ partem extremam verſus Ortum mari contiguam deuenerunt, vbi eſt Eccleſia Virgini Mariæ, ſi rectè memini, dicata: ibi depoſitus iacet.

Cap. 10.

Rex Turcarum iubet eum honorificè ſepeliri.

His ita geſtis, magna Rex exarſit cupiditate Trapezuntij viri illius, de quo ſuprà diximus, liberandi: ſed quia honeſtè id facere, niſi rogatus, poſſe non iudicabat, per quaſdam, vt dicebatur, mulieres effecit, vt vxor illius pro marito ſupplicaret ſuo. Sic mors

Cap. 11.

Effectus martyrij eius.

Andreæ atque martyrium illum quidem palàm, ſed multos quoque alios à periculo liberauit, multos in fide orthodoxa confirmauit, eos, qui ante martyrium ſuum quauis ratione Mahumeto adhæſerunt, pudore confudit, mœſtitia affecit, ac inani deniq; pœnitentia & vexauit & vexat. His omnibus ego vehementer commotus, ardebam deſiderio videndi corpus eius: ſed niue, frigore glacieque detentus, hyemis mariſque tempeſtate, illic fui vix menſe Februario. eam mihi orãti gratiam Deus interceſſione martyris conceſſit: vidiq; ipſum iacentem in ſepulchro nimiùm profundo, ſitu horrido, ea tamen integritate membrorum omnium, eo totius corporis colore, & dignitate formæ, tali vultûs ſplendore & habitu, vt non animum expiraſſe, ſed dormire mihi leuiter ſub vmbra videretur, ac qui iacebat loco ita humido, vt omnibus iam indumentis, quibus erat inuolutum corpus, putrefactis, nudum totum conſpiceretur, præterquàm quòd genitales partes fragmento lini obtegebantur: exarſi cupiditate deſcendendi, tangendi, oſculandi pedes, manus, faciem præcipui martyris, nec tantùm loci humiditas, deſcendendique difficultas, quantùm verba presbyteri cuſtodis, & ſpes poſſe id aliàs commodiùs facere, detinuerunt. Conſilium deinde iniui cum presbytero. N. furto inde Romam reliquias illas deferre ſanctas, resque iam ordinabatur: ſed neſcio, quomodò ille, deterritus, ſententiam fidemque mutauit ſuam.

Res admiratione digna

Cap. 12

Ego cùm inde decimooctauo Martij die ſoluiſſem, ſtatim primo die, imò in ipſa ſoluendi hora, non in paruum incidi periculum cum nimbis contrà flantibus, inque ſaxa nauem depellentibus. Imploraui ſubitò martyris auxilium, promiſique, ſi ad meos Romam incolumis deuenirem, martyrium eius ſummatim Latina lingua me conſcripturum. Euaſi maris & latronum pericula, quodque miraculo eſt, ſenex ægrotusque hinc receſſi, iunior ſanusque ac multò robuſtior remeaui, nec maris fluctuatio, nec terrarum itinera nimiùm aſpera, quæ à Brunduſio Romam æſtatis tempore perducunt, mihi obfuerunt. Huc verò delatus, martyris quidem nunquàm fui oblitus, ſed nocte ac die cum ipſo fui, eius memoria fruebar, atque oculis aſpicere putabam non ſolùm dormiens, verùm etiam vigilans iacentem ipſum in ſepulchro. Promiſſionis autem meæ nunquàm mihi venit in mẽtem, niſi poſt annos duos, dum Georgij martyris memoria celebratur. Nam cùm ea die recolerem Georgij dolores, quos ille pro Chriſto Domino noſtro ſubijt, ilico pupugit animum promiſſionis memoria. Nec enim minora tolerauit Andreas, ne dicam multò etiam maiora, propter conditionem temporum, in quibus multo iuuantur exemplo, qui Chriſtum amant: adeò in tenebris charitas intruſa marceſcit. Itaque ſtatim eo ipſo die calamum accepi, & promiſſionis debitum iam ſolui. Tu verò præcipue martyr Chriſti precor intercedas ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro Eccleſia vniuerſali, ac amplificatione ipſius, pro ſummo Pontifice Paulo ſecũdo, cuius tempora martyrio tuo decoraſti, perpetuaque feciſti: & ſicut in Græcia perfidiam deieciſti, ſic inſurgentes in Italia Platonicos interceſſione tua reprime.

Author nũcupat votũ martyri, & liberatur à periculis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS CANTO, CANTIANO ET CANTIANILLA SERMO, QVI INTER *Ambroſianos eſt 75. Videtur autem potiùs eſſe Maximi Taurinen. epiſcopi.*

Maij 31.

HODIE beatiſſimorum Canti, Cantiani & Cantianillæ natalis eſt. Quàm benè & iucundè tres martyres vno penè vocabulo nuncupantur? Nec mirum, ſi ſimiles ſunt nomine, qui ſunt ſimiles paſſione: ſi vna eſt illis apud homines appellatio, quibus apud Deum vna eſt vocatio. Vniter enim vocati ſunt à Domino, non interpoſito tempore aliter & aliter paſſi: ſed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiua quadã Chriſto affectione conceſſum eſt, vt congruerent meritis, qui vocabulis concordabant: & qui erant cõſanguinitatẽ fratres, fierẽt etiam ſanctitate germani: & quorum membra vnius corporis ſubſtantia vegetabat, eorũ animas eiuſdẽ fidei cõfeſſio coronaret.

Refert autē de beatis ſupradictis hiſtoria, quòd tempore paſſionis, cū eos perſecutor inquireret, aſcēſo vehiculo, iunctis mulabus, eos ſecedere voluiſſe: & cū non longè ab vrbis mœnibus iter agerent, vnū animal de ſubiunctis ſubitò corruiſſe, atque ita illos à perſecutoribus cōpręhenſos, tentos ad pœnā. *Sancti martyres cōprehenduntur.* Quod factū quàm glorioſum ſit & à diuinitate diſpoſitū, debemus aduertere. Semper enim Deus quos elegit, hos victores ſubiectione ſublimi in aulā regni cæleſtis inducit. Nā ſicut Elias curru applicito quaſi aſcēdit ad cælum, (4.Reg.2.) ita & iſti vehiculo admoto ad martyriū peruenerunt: & quadriga ſicut illum euexit ad requiem, ita hos portauit ad gloriam. Et quamuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habenda eſt: quia illa vnum geſtauit Prophetam, hæc tres martyres ſuſtentauit. Sed dicit aliquis: Glorioſius eſt geſtari quadriga ignea quàm terrena? Nec hoc planè defuit ſanctis viris. Nā ſicut Eliam ignea quadriga portabat: ita & martyres fides ignea iam ferebat. Ferebat, inquam, illos Chriſtus, qui lumen eſt, qui ignis eſt, de quo ſcriptum eſt: Dominus noſter ignis conſumens eſt. (Deut.4. Hebr.12.) Ergo cùm beatos, de quibus loquimur, perſecutor vrgeret, vehiculum conſcenderunt. Qua cauſa? vt fugerent? Abſit: non vt fugerent, ſed vt ad martyrium citiùs peruenirent: non vt latitarent, ſed vt Chriſtianos ſe cunctis tranſeuntibus manifeſtiùs approbarent. Cæterùm occultiùs inter plures in ciuitate latêre potuerant, tutiùs per diuerſa ſinguli fugæ præſidium cōmendare. At verò vbi quis cōgregatione habita, ſtratis vehiculis, apparatu diſpoſito per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda eſt, ſed profectus eſt. Sancti enim viri hoc facto velut in triumphali curru poſiti, conteſtabantur, dicentes: Ecce perſecutor, ecce proficiſcimur, ecce præcedimus: quid reſides? quid moraris? Subſequere noſtra veſtigia. Nolumus enim videri inuiti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

S. PETRONILLAE HISTORIAM QVAERE SVPRA XII. *Maij in Martyrio SS. Nerei & Achillei, &c.*

FINIS MENSIS MAII.

IVNIVS.

CERTAMEN SANCTORVM MARTYRVM PAMPHILI, VALENTIS, PAVLI, SELEVCI, PORPHYrij, *Theoduli, Iuliani & ſociorum, ex Simeone Metaphraſte, quem illud ex Euſebio Cæſarienſi deſcripſiſſe ſatis apparet.*

1. Iunij. Cap. 1.

TEMPVS inuitat ad omnibus enarrandum magnum & glorioſum ſpectaculum Pamphili & ſociorum, virorum admirabiliũ, cum eo conſummatorum, & qui oſtenderũt multiplicia certamina pietatis. Atque cùm plurimi quidem in nobis cognita perſecutione ſe fortiter geſſerint; eorum, de quibus agimus, rariſſimum certamen, quod nos cognouimus, cõſcripſimus: quod in ſe ſimul omne genus ætatis & corporis & animi vitæq; diuerſorum ſtudiorum eſt complexum, varijsq; tormentorum generibus, & diuerſis in perfecto martyrio fuit coronis exornatum. Licebat enim videre quoſdam adoleſcentes & pueros, atque adeò planè infantes ex ijs, qui erant cum ipſis alios autem pubeſcentes, (cum quibus erat etiam Porphyrius) corpore ſimul vigẽtes & prudentia: nempe mihi chariſſimum Iamnitem Paulum, Seleucumq; & Iulianum, qui ambo orti erant ex terra Cappadocum. Erant autem inter eos ſacris quoq; canis & profunda ornati ſenectute, Valens quidam, Diaconus eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & cui verum nomen obtigerat, Theodulus. Atque hæc quidem fuit in eis ætatum varietas. Animis autem inter ſe differebant: nam alij quidem erant rudiores, vtpotè pueri, & quibus erat ingeniũ adhuc tenerius ac ſimplicius: alij verò ſeueri & morum grauitate præditi. Erant autem inter eos quoque nonnulli diſciplinarum ſacrarum non ignari. Aderat verò omnibus congenita inſignis & admirabilis animi fortitudo. Veluti autem quoddam in die reſplendens luminare in aſtris fulgentibus, in medio eorum emicabat meus dominus. non eſt enim fas mihi, aliter appellare diuinum & planè beatiſſimum Pamphilum. Is enim & eruditionem, quæ habetur apud Græcos in admiratione, non modicè attigerat, & in diuinorum dogmatum & diuinitùs inſpiratarum ſcripturarum eruditione, ſi quid audaciùs, ſed verum, dicendum eſt, ita erat exercitatus, vt nullus æquè ex ijs, qui erant ſuo tempore. Quod autem erat his longè maius & præſtantius, habebat donum, nempe domi natam, vel potiùs ei à Deo datam intelligentiam & ſapientiã. Et quod ad animum quidẽ attinet, omnes ita ſe habebant.

Θεόδουλος, Dei ſeruus.

Pamphili eruditio & ſapientia.

Cap. 2. Pamphili genus & functio.

Vitæ autem conditionis & conuerſationis erat inter eos plurima differentia: cùm Pamphilus quidem duceret genus ſecundùm carnem ex ijs, qui erant honeſto loco nati, fuiſſet autem inſignis in repub. gerendis in patria ſua. Seleucus verò fuiſſet inſigniter ornatus militiæ dignitatibus: alij autem nati eſſent ex mediocri & communi loco. Non erat autem eorum chorus nec extra ſeruilem quidem conditionem. Nam & ex Præſidis domo in eorum numerum relatus fuerat Porphyrius: qui ſpecie quidem erat Pamphili famulus: is autem ipſum affectione habebat loco fratris, vel germani potiùs filij. vt qui nihil omitteret, quò minùs in omnibus imitaretur dominum. Quid aliud? Si quis dixerit in ſumma, eos eccleſiaſtici cœtùs typum eſſe complexos, is non procul abfuerit à veritate: cùm inter eos presbyterio quidem dignatus eſſet Pamphilus, Valens verò diaconatu, & alij ſortiti eſſent locum eorum, qui è multitudine cõſueuerunt legere, & confeſſionibus per fortiſſimam flagrorum tolerantiam diù antè in martyrio præclariſſimè ſe geſſiſſet Seleucus, & militaris dignitatis amiſſionem fortiter accepiſſet: & reliqui deinde per catechumenos & fideles, reliquam implerent ſimilitudinẽ innumerabilis Eccleſiæ, vt in parua imagine. Sic adſpexi admirabilem tam multorum & talium martyrum electionem: qui etſi nõ eſſent multi numero, nullus tamen aberat ex ijs ordinibus, qui inueniuntur inter homines.

Porphyrius

Valens Diaconus eccleſiæ Hieroſolymitanę.

Cap. 3. Quomodò autem lyra, quæ multas habet chordas, & ex chordis conſtat diſſimilibus, acutis & grauibus, remiſſisq; & intenſis & medijs, arte muſica concinnè adaptatis omnibus: eodem modo etiam in his, adoleſcentes ſimul & ſenes, ſerui ſimul & liberi,

eruditi & rudes,obſcuri generis homines,vt multis videbatur,& gloria inſignes: fideles ſimul cum catechumenis,& Diaconi ſimul cum preſbyteris.Qui omnes tanquam à ſapientiſſimo muſico,nempè Dei verbo vnigenito,variè pulſati, & quæ erat in ipſis potentiæ,vnuſquiſq; per tormentorum tolerantiam,hoc eſt,confeſſionem oſtendentes virtutem,& clariſſimos numeroſoſq; & cõcinnos ſonos edentes in iudicijs, vno & eodem fine inprimis piam & longè ſapientiſſimam,per martyrij conſummationem, Deo vniuerſorum impleuerunt melodiam.

Cap.4. Martyres hi omnes duodecim.

Operæprecium autem eſt admirari virorum quoque numerum, qui ſignificat propheticam quandam & Apoſtolicam gratiam. Contigit enim omnes eſſe duodecim, quo numero Patriarchas & Prophetas & Apoſtolos fuiſſe accepim^9.Non eſt autẽ prætermittenda vniuſcuiuſq; ſingulatim laborioſa fortitudo, laterum lacerationes, & cũ pellis caprinis laceratarũ corporis partiũ attritiones, & flagella immedicabilia,multipliciaq; & varia tormenta,graueſq; & toleratu difficiles cruciatus,quos,iubente Iudice,manibus & pedibus infligentes ſatellites, vi cogebant Martyres aliquid facere eorum,quæ erant prohibita. Quid opus eſt dicere memoriæ perpetuò mandandas voces virorum diuinorum, quibus,labores nihil curantes,læto & alacri vultu reſpondebãt Iudicis interrogationibus,in ipſis tormentis ridentes viriliter, & bonis moribus ludificantes eius percontationes?Cùm enim rogaſſet, vndenam eſſent? mittentes dicere, quam in terris habebant ciuitatem,oſtendebant eam,quæ verè eſt eorum patria,dicẽtes,ſe eſſe ex Hieruſalem.Indicabant verò eadem ſententia Dei quoque cæleſtem, ad quam tendebant,ciuitatem: & alia,quæ ſunt eiuſmodi,ignota quidem & quę non poſſunt perſpici ab ijs,qui ſacras literas non guſtarunt, eis autem ſolis & qui à fide diuina ſunt inciſtati,aperta,adducebant. Propter quę Iudex indignatus & valdè animo cruciatus,& planè quid ageret,dubius,varia,ne vinceretur,in eos machinabatur. Deinde cũ à ſpe cecidiſſet,conceſſit vnicuique auferre præmia victoriæ. Erat autem varius modus eorum mortis,cum duo quidem,qui erant inter eos catechumeni, conſummati ſint baptiſmo ignis:alius verò fuerit traditus figurę ſalutaris paſſionis:qui autem erat mihi charus,fuerit diuerſis brauijs redimitus.

Conſtantia eorum in tormentis.

Cap.5. Pãphili encomion.

Atque hæc quidẽ dixerit quiſpiam, horum magis vniuerſam faciens mentionem. Singulatim autem vnumquenque perſequens,meritò beatum pronũciarit eum, qui in choro primum locum obtinet.Is autem erat Pamphilus,vir reuerà pius,& omniũ, vt ſemel dicam,amicus & familiaris,re ipſa nomen ſibi impoſitum verum eſſe oſtendens,Cæſarienſium eccleſiæ ornamentum.Nam preſbyterorum quoque cathedram cum eſſet preſbyter,honeſtabat,vt qui ſimul ornaret miniſterium,& ex eo ornaretur. Quin etiam alijs quoq; erat diuinus, & diuinæ particeps inſpirationis:quoniã tota ſua vita fuit maximè inſignis virtute, multùm quidem iubens valere delicias & copiam diuitiarum,cùm ſe totum dedicaſſet Dei verbo, renuncians quidem ijs,quæ ad ipſum redibant à maioribus,nudis,mancis & pauperibus omnia diſtribuit: ipſe autem degit in vita,quæ nihil poſſidebat,per valentiſſimam exercitationem, diuinam perſequens philoſophiam.Atque ortus quidem erat ex Berytenſium ciuitate, vbi in prima ætate educatus fuerat in ijs,qui illic erant,ludis literarijs. Poſtquam autem eius prouidentia ad virilem perueniſſet ætatem,tranſijt ab his ad ſacrarum literarum ſciẽtiam. Aſſumpſit vero mores diuinæ & propheticæ vitæ, & ipſe ſe verum Dei martyrem exhibuit etiam ante vltimum vitæ finem.Sed talis quidem erat Pamphilus.

Patria eius.

Cap.6. Valẽs martyr.

Secundus autem poſt ipſum, acceſſit Valens ad certamen,qui ſenili,& quæ decet Sacerdotem,erat ornatus,canitie,ipſoq; aſpectu venerãdus & ſacroſanctus ſenex:quin etiam diuinarum ſcripturarum ſciens,vt ſi quis alius, eas quidem certè ita erat cõplexus memoria,vt à lectione nihil diſcreparent,quæ † memoriæ mandatæ ab eo conſerebantur ſacroſanctorum diſcipulorum promiſſiones. Erat autem Diaconus,etſi eſſet huiuſmodi,eccleſiæ Elienſium.

† id eſt, nouerat eas expeditè citare memoriter.

Cap.7. Paulus Iamnites.

Tertius in eorum numerum relatus erat Paulus, qui vir acerrimus & ſpiritu feruẽs, agnoſcebatur ex ciuitate Iamnitarum: qui etiam in martyrio per cauterij tolerantiã ſuſceperat certamen confeſſionis. His in carcere duobus annis contritis, martyrij occaſio fuit Aegyptiorum aduentus,qui etiam cum eis fuère conſummati. Ij autem cùm vel ſic valdè afflicti, in metallis vſque ad loca perueniſſent,domum reuertebãtur. Qui cum in ingreſſu portæ Cæſarienſium interrogati eſſent à cuſtodibus,quinam eſſent & vnde venirent,& nihil veri celaſſent: dixiſſent autem,ſe eſſe Chriſtianos: perinde ac malefici in ipſo furto depræhenſi, vincti ſunt & compræhenſi:erant verò quinque numero. Ad Præſidem autem adducti,& coram eo liberè locuti, in vincula quidem ſta-

Martyres quinque Aegyptij.

tim conijciuntur: die autem ſequenti, qui erat ſextusdecimus menſis Peritij, more verò Romano quartusdecimus Calend. Martij, hos ipſos cum Pamphilo & ſocijs adducunt ad Firmilianũ. Ille autem Aegyptiorum ſolùm periculum fecit ante tormenta, omni ratione eos exercens. Atque eorum quidem principem cùm adduxiſſet in mediũ, rogauit quiſnam eſſet, & vnde? Qui cùm pro proprio nomine quoddã propheticũ audijſſet, (hoc autem fiebat ante alia, vt qui pro patrijs eis impoſitis idolicis nominib⁹ ſibi prophetica nomina impoſuiſſent, vt qui Eliam & Hieremiam, Eſaiam, Samuelẽ, & Danielem ipſi ſeipſos nominarent, & qui eſt in occulto Iudæum & germanũ Iſraelitam, non ſolùm factis, ſed etiam vocibus propriè enunciatis indicarent.)

Cap. 8. Nota reſpõſum martyris. Cùm tale ergo nomen Iudex audijſſet à martyre, vim autem nominis non attendiſſet, ſecundò rogauit, quænam eſſet eius patria? Ille verò cæleſtem Hieruſalem dixit eſſe ſuam patriam, illam intelligens, de qua dictum eſt à Paulo: Quæ ſurſum eſt Ieruſalem, eſt libera, quæ eſt mater noſtra. Et: Acceſſiſtis ad mõtem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtem. (Galat. 4. Heb. 12.) Et hic quidem hãc cogitabat: ille autem humi ſuam abijciens cogitationem, quęnam hęc eſſet, & vbi terrarum ſita eſſet? accuratè perſcrutabatur, atque adeò ei etiam inferebat tormenta, vt verum fateretur. Hic verò dum torqueretur, ſe verum dixiſſe affirmabat. Deinde eo hæc rurſus & ſæpè ſciſcitante, quænam eſſet, & vbi ſita eſſet dicta ciuitas Hieruſalem? ſolùm dicebat eam eſſe patriam Chriſtianorum: nullos enim alios præter eos eſſe eius participes. ſitam autem eſſe ad Orientem, & ad ipſam lucem & ſolem. Atq; hic quidem rurſus per hæc mẽte ſua philoſophabatur, nihil ſentiẽs eos, qui circumcircà ipſum tormentis afficiebant. Tanquã autem carnis expers & incorporeus, nihil videbatur pati moleſtum. Iudex verò animi dubius, odio cruciabatur, & exiſtimans Chriſtianos hanc ſibi ciuitatem, quæ eſſet infeſta Romanis, conſtituiſſe, valdè vrgebat tormentis, & curioſè ſcrutabatur eam, quæ dicta fuerat, ciuitatem, & quæ eſt in Oriẽte, inquirebat regionem. Cùm autẽ adoleſcentem diu cæſum flagellis, videret non poſſe dimoueri ab ijs, quæ priùs dixerat, ſtatuit in eum ferre ſententiam capitis. (Adoleſcentis fortitudo.) Et in eum quidem res hoc modo proceſſit: reliquos autem Aegyptios cùm ſimili palæſtra exercuiſſet, ſimilem quoq; in eos fert ſententiam. Deinde cùm ab his tranſijſſet ad Pamphilum, accepit quòd ij iam priùs eſſent plurima experti tormenta. Abſurdum autem eſſe arbitratus, eoſdem ijſdem rurſus afficere tormentis, & fruſtrà laborare, hoc ſolùm eſt percontatus, an nunc ſaltem obedirent? Cùm verò ab vnoquoque eorum audijſſet vltimam vocem martyrij, in eos ſimiliter fert ſententiam capitis. (Pamphili cædes, &c.)

Cap. 9. Nondum autem dictum vniuerſum abſoluerat, & alicũde exclamat quidam adoleſcens ex familia Pamphili: & ex media turba accedens in medium eorum, qui circunſidebãt, iudicium, alta voce corpora eorum petijt ſepulturæ. Is autem erat beatus Porphyrius Pamphili germanum pecus, nondum totos octodecim annos natus, rectè ſcribendi ſcientiæ peritus, modeſtia verò morum has laudes celans, vt qui à tali viro fuiſſet inſtitutus. (Porphyrius adoleſcens inſignis.) Is poſtquam aduersùs dominum latam cognouit ſentẽtiam, exclamauit ex media multitudine: Corpora, rogo, vt humi mandentur. Ille autem nõ homo, ſed fera, & quauis fera agreſtior, neque honeſtam & rationi conſentaneam admittens petitionem, neque iuuenili ætati dans veniam, cùm hoc ſolùm intellexiſſet, eum fateri, ſe eſſe Chriſtianum, iubet tortoribus, vt totis viribus in eum vterentur. Cùm verò eo iubente ſacriſicare recuſaſſet vir admirandus, non vtique tanquam carnes hominis, ſed tanquam lapides & ligna, aut aliquid aliud inanimum, vſque ad ipſa oſſa & ima viſcera iubet eum torquere & corpus eius cædere. (Immaniſſimè torquetur.) Cùm autem hoc diu fieret, agnouit ſe hoc fruſtrà aggredi, cùm propemodum mutum & inanimum effectum eſſet corpus generoſo Martyri. Perſeuerans verò Iudex in ſæuitia & inhumanitate, iubet latera tormentis exagitata, pilorum textis ampliùs atteri. Deinde cùm ſic eum cepiſſet ſatietas, & furore eſſet exatiatus, pronunciat ſententiam vt tradatur lento & molli igni. Atque hic quidem, cùm ante Pamphili conſummationem poſtremus acceſſiſſet ad certamen, prior & corpore exceſſit ad Dominum.

Cap. 10. Præclariſſimũ virtutis exemplum. Licebat autem videre Porphyrium non ſecus affectum, quàm victorem in ſacris certaminibus, qui in omnibus pugnis euaſerat ſuperior, corpore pulueruleñtum, vultu lætum, audenter & exultando ad mortem progredientem, re vera plenum diuino ſpiritu. Philoſophico autem habitu, ſuo indumento amictus inſtar ſuperhumeralis, ſurſum adſpiciens, & omnia humana deſpiciens, ſicut vitam mortalem, quieto animo accedit ad rogum, cùm iam flamma ei appropinquaret, & tãquam nihil ei adeſſet moleſtũ, ſana mente & nulla affecta perturbatione, de rebus ſuis mandauit ſuis neceſſarijs, adhuc

adhuc vultum & vniuerſum corpus lætum conſeruans & immutatum. Poſtquam autem notos ſuos ſatis allocutus, eos valere iuſſit, iam decæterò contendebat ad Dominum. Cùm vero rogus ſatis longo ſpatio diſiunctus, circa eum eſſet accenſus, hinc & illinc ore flammam arripiebat, ipſe ſeipſum incitans ad iter propoſitum. Hoc autem faciebat, nihil aliud quàm Ieſum inuocans. Tale eſt certamen Porphyrij. Cùm eius autem conſummationis Pamphilo nuncius fuiſſet Seleucus, dignus habetur, cui ſors eadem cum eis obtingeret.

Cùm primùm itaq; renunciaſſet Pamphilo exitum Porphyrij, & vno oſculo ſalutaſſet Martyres, comprehendunt eum milites, & ducunt ad Præſidem. Ille autem per-inde ac vrgens, vt ipſe abiret ſimul cum prioribus, iubet eum affici ſupplicio capitis. Erat ex regione Cappadocum. cùm autem militiæ ſe pręclarè geſſiſſet, ad nō paruos gradus dignitatum peruenerat in Romano exercitu. Quinetiam ſtatura, viribuſq; & magnitudine corporis, reliquos omnes lōgè ſuperabat: ipſo quoq; adſpectu erat omnibus ſuſpiciendus, & tota forma corporis planè admirabilis, tam propter magnitudinem quam propter pulchritudinem. Atq; in principio quidem perſecutionis, per flagellorum perpeſſionem clarus extitit in certaminibus confeſſionis. Poſtquam autem fuit liberatus à militia, ſeipſum conſtituens æmulatorem eorum, qui ſe exercent in pietate, efficitur Chriſti germanus miles, orphanorum deſertorum, & viduarum, quę carebant præſidio, eorumque qui paupertate opprimebantur & imbecillitate, tanquā epiſcopus quiſpiam & procurator, curam gerens, & inſtar diligentis & ſoliciti patris, omnium, qui abiecti erant, labores recreans & afflictiones. Quamobrem meritò Deo his magis lætante, quàm quæ per fumum & ſanguinem fiunt, ſacrificijs, dignus fuit habitus conſummatione, quæ fit per martyrium. Hic decimus athleta cum ijs, qui dicti ſunt, conſummatus fuit vno & eodē die: in quo, vt eſt conſentaneū, maxima Pamphili martyrio porta cælorum aperta, facilis & expeditus ei fuit aditus regni cælorum.

Cap. 11. Seleucus cōprehēditur. Eius encomion.

Seleuci inſtitit veſtigijs Theodulus quidam, venerandus & pius ſenex, qui primum honoris locum obtinuerat inter ſeruos Præſidis, & morum & ætatis gratia, & quòd trium filiorum eſſet pater: & maximè propter beneuolentiam, quam cōſeruabat in hos. Is autē, cùm ſimiliter feciſſet atq; Seleucus, & quendam ex martyribus ſalutaſſet oſculo, adducitur ad Dominum. Quem cùm magis ad iram irritaſſet quàm alij, ſalutaris paſſionis cruci traditus ſubijt martyrium.

Cap. 12. Theodulus ſenex eximius. * tertiæ progeniei. Crucifigitur.

Cùm poſt hos vnus adhuc reſtaret, qui inter eos, qui dicti ſunt, numerum impleret duodecimum, eum impleturus aderat Iulianus. Is cùm ea ipſa hora redijſſet ex peregrinatione, ne ingreſſus quidē ciuitatem, ita vt erat ex itinere, hoc audito profectus ad videndos martyres, poſtquam adſpexit ſanctorum corpora humi iacentia, gaudio repletus vnumquenque amplectitur, omnes ſalutans oſculo. Eo autem hoc adhuc agente, eum comprehendunt lictores, & adducunt ad præſidem. Impius verò ſuo inſtituto faciens conſentanea, eum quoque tradit lento igni. Sic itaque Iulianus lætans & exultans, & magna voce Deo, qui tantis bonis eum erat dignatus, agens gratias, aſſumptus fuit in choros martyrum. Erat autem is quoque genere quidem Cappadox, moribus plenus quidem pietate, plenus & fide, vir mitis & manſuetus, & alioqui vir bonus, & ſpirans bonum odorem ſancti ſpiritus. Tanta turba comitatus, dignata fuit conſummatione martyrij cum beatiſſimo Pamphilo.

Cap. 13. Iuliani pręſtans virtus. Cōburitur.

Et quatuor quidem dies & totidem noctes, iuſſu Firmiliani, ſanctiſſima martyrum corpora expoſita fuerunt beſtijs carniuoris. Cùm autem Dei prouidentia nihil ad eos acceſſiſſet, non fera, non auis, non canis, non aliquid aliud, ſed ſalua permanſiſſent & integra, iuſtum & conuenientem honorem conſecuta, conſuetæ mandata ſunt ſepulturæ, repoſita in pulchris templorum ædibus, & ſacris tradita oratorijs ad perpetuam memoriam, vt honorarentur à populo, ad gloriam Chriſti veri Dei noſtri. Cui gloria & potentia ſimul cum patre & ſancto ſpiritu nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen,

Cap. 14. Corpora ſanctorum honoranda.

DE

DE IISDEM MARTYRIBVS, EX EVSEBII PAMPHILI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIB. VIII.

capite xxj. interprete Iohanne Chriſtophorſono: quæ eandem quidem habent hiſtoriam, ſed magis luculentam, & aliquot locis copioſiorem.

1. Iunij.

TEMPVS iam eô me vocat, vt illuſtre quaſi theatrum martyrum, qui cum Pamphilo, cuius nomen mihi ſemper optatiſſimũ fuit, mortẽ oppetiuerunt, in hoc ſermone ante oculos cuiuſq; ad intuendum proponam. Duodecim quidem erant, & non modò quodã prophetico dono, aut potiùs Apoſtolico, ſed Apoſtolorum etiam numero dignati: quorum coryphæus, & princeps ſolus Pamphilus presbyterij dignitate Cæſareæ ornatus, extitit: vir toto vitæ curſu omni virtutum genere eximius, abiectione & contemptu ſeculi inſignis, facultatum in pauperes largitione magnificus, ſpei, quæ in caducis mundi rebus defigi ſolet, deſpicientia mirus, ratione viuendi & conſuetudine vero Philoſopho digna ſingularis: quinetiam ardenti diuini eloquij & ſacrarum literarum ſtudio præter cæteros noſtræ memoriæ homines egregius, attentiſſima & propè inexhauſta in eas res induſtria & aſſiduitate, quas apud animum propoſuerat, præſtabilis, & in cognatis omnibuſque propinquis iuuandis perliberalis. Cætera virtutis eius officia & rectè facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in ſeparato & proprio volumine, de eius vita perſcripto, inq; tres libros diſpertito, iampridem pluribus verbis tradidimus. Eos ergo, qui acri illius vitæ, & virtutum in ea elucentium, pleniùs cognoſcendarum cupiditate incẽduntur, eô amandamus: nos autem illis ſolùm in præſentia inſiſtemus, quæ ad martyres cum eo ad ſupplicium adductos pertinent.

Pamphili virtutes & encomion.

Euſebius, tribus libris cõplexus eſt Pamphili vitam.

Secundus poſt Pamphilum in certamen deſcendit veneranda canitie honoratus Valens, Aeliæ ciuitatis Diaconus, ipſo aſpectu ſenex grauiſſimus, diuinarum ſcripturarum, ſi quiſquam alius, inprimis peritus. Nam tantam illarum memoriam in pectus eius incluſerat, vt ſi quando aliquem locum citare vellet, perinde expeditè illud poterat abſque ſcripto efficere, atque ex ſcripto legere. Tertius Paulus, pietate maximè inflammatus, & ſpiritu non minùs feruidus, ex ciuitate Iamnitarum, in qua famâ percelebris fuit, prognatus: qui ante martyrium, cauteriorum exuſtiones perpeſſus, egregium certamen pro fidei confeſſione confecit. His in carcere toto biennij ſpatio commorantibus, fit martyrij dilatio. Intereà fratrum Aegyptiorũ, qui cum illis vnà martyrium ſubierunt, acceſſio facta eſt. Iſti Aegyptij ſimulatq; confeſſores illos, qui erãt ex Cilicia, ad metalla vſq;, quæ ibi erant, produxerunt, domũ redierunt. Qui ſimiliter apud ipſos portarum Cæſareæ introitus à cuſtodibus (Barbari autem iſti erãt & moribus agreſtes) quinam eſſent, & vnde veniſſent, interrogati? cùm veritatem occultare nõ poſſent, tanquam malefici in ipſo facinore manifeſto pręhenſi, tenebãtur. Quinque erant numero, qui quidem ad tyrannum deducti, & coram illo liberè fidem confeſſi, ſtatim in carcerem contruduntur.

Valens Diaconus.

Paulus.

Poſtridiè, hoc erat decimoſexto die menſis Peritij, id eſt, ſecũdùm Romanos, ad decimumquartum Calen. Martij, hi pariter cum Pamphilo & reliquis eius ſocijs, quos ſuprà poſuimus, ex mãdato ad iudicẽ producuntur. Iſte primùm inexpugnabilis Aegyptiorũ conſtantiæ & firmitatis animi diuerſis cuiuſquemodi tormentorum formis, nouis peregrinarum & variarum machinarum inuentis periculum facit. Et ſimulac illũ, qui inter eos omnes principatum tenuit, his certaminibus exercuerat, quiſnam eſſet? primùm ſciſcitatus eſt. Deinde vbi pro proprio nomine, prophetæ cuiuſdam nomẽ ab eo acceperat (Hoc enim ab illis factitatum erat, quòd pro nominibus idolorum, quæ erant fortè à parentibus ipſis impoſita, noua nomina, facta mutatione, ipſi ſibi aſciuiſſent: Eliæ enim, Hieremiæ, Eſaiæ, Samuelis & Danielis nomine ſeipſos nuncupaſſe, & germanum ac verum Dei Iſraelem, qui Iudæis erat in occulto, non ſolùm rebus ipſis, ſed nominibus propriè & ſignificanter explicatis, commonſtraſſe audire potuiſſes) vbi, inquam, tale nomen à martyre acceperat Firmilianus, nõ in verbi vim & ſignificationem animum omninò intendens, ſecundo loco eum interrogauit, quę illius patria eſſet? Ille nomen priori aptè reſpondens effert, Hieruſalem ſuam patriam eſſe ait: eam certè intelligens, de qua apud Paulum dicitur: Quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm. Item alio loco: Acceſſiſtis ad montem Sion, & ci-

V. Aegyptij martyres Prophetica ſibi nomina imponunt.

Galat. 4. Hebr. 12.

& ciuitatem Dei viuentis, cæleſtem Hieruſalem. Is quidem planè hanc intellexit: Sed Firmilianus cogitatione ſua humi abiecta, quæ tandem ciuitas illa eſſet, & vbi terrarũ ſita: accuratè & curioſè diſquirit. Vnde cruciatu illum affligit, vt verum fateretur. Hic manibus à tergo vinctis, obtortiſq;, & pedibus machinamentis peregrinis inuſitatiſque diuulſis excruciatus, verum ſe dixiſſe conſtanter aſſeuerat.

Deinceps iudice rurſus ſæpè quærente, quiſnam eſſet, & quo loco ciuitas illa, quam dicebat, locaretur? eam affirmat piorum ſolùm patriam eſſe, neq; alios præter hos ſolos fore illius participes: illamq; ad Orientẽ, vbi Sol primo manè ſuos radios fundere incipit, poſitã. Atq; in iſtis denuò proferendis ſeorſum apud animũ ſuum ita diuinitùs philoſophatus eſt, vt eorũ, qui illum vndiq; tormentis diuexabant, nullã prorſus rationẽ duceret: ſed tanq̃ carnis corporiſq; expers, ne minimũ quidẽ videretur doloris ſenſum percepiſſe. Iudex animo hæſitãs, intra ſe tumultuari cœpit, putabatq; Chriſtianos eam ciuitatem, de qua martyr locutus fuiſſet, infeſtam omninò & inimicam Romanis effecturos. Multũ igitur de ea re ſeculari, & vbinam tandem illa regio, quę in Orientem ferebatur, exiſteret; admodum conquirere. Poſtquã autem adoleſcentulũ verberibus ſæpiùs dilaniatum, & tormentis cuiuſq; generis diſcrutiatum, firma & immutabili mẽtis conſtantia illis, quæ antè dixerat, adhæreſcere animaduertit, ad extremum mortis ſententiam, vt ſecuri percuteretur, contra eum protulit. Tãdem igitur is velut vitæ ſuæ peregit fabulam. Cęteri eius ſocij paribus certaminibus à iudice exagitati, pari mortis genere è vita ceſſerunt.

Mẽte degit in cęlis martyr, tormenta contemnens.

V. Aegyptij pro Chriſto trucidãtur.

Poſtea demũ Firmilianus, quanquã propè defatigatus erat, & fruſtrà viros illos ſupplicio affici cernebat, ſua tamen cupiditate eorum morte exaturata, ad Pamphilũ & eius ſocios ſe contulit: & cùm ſatis expertus erat, quàm inflexibilem in fide tenẽda cõſtantiam etiam iam anteà in tormentis oſtendiſſent, iterum interrogat: vtrùm deinceps modò illi morẽ gererent? Atq; cùm à ſingulis eorum definitũ & poſtremum reſponſum de fidei confeſſione, quæ eſt martyrij propria, excepiſſet, ſimilem cum prioribus pœnam & ſuppliciũ illis irrogat. Quibus ad exitum perductis, adoleſcẽtulus quidã ex famulis Pamphili, qui ita erat excultus inſtructuſq;, vt dignus ingenua talis & tanti viri educatione & diſciplina meritò videretur, ſimulatq; iudicis ſententiam cõtra dominum ſuum pronuntiatam intellexit, è media hominum multitudine exclamat, & vt illius aliorumq; ſociorũ corpora, cùm è vita decederẽt, terræ mandarẽtur, poſtulat. Iudex vero non hominis, ſed belluę aut ſi quid ſit bellua immanius, naturam ſecutus, neq; adoleſcentulo quidem ætatis cauſa quicquam veniæ tribuit: ſed vt primùm eũ rogarat, eſſetne Chriſtianus? ipſeq; ſe eſſe reſponderat, iracundię æſtu intumeſcens, quaſi telo ſaucius, tortoribus in mandatis dedit, vt omnes ſuas vires & impetus contra eũ exercerent. Poſtquam verò, cùm immolare ei iuſſum eſſet, recuſantẽ videbat, non vt homine carne circundatũ, ſed vt ſtatuã ex lapidibus, aut ligno, aut alia re quapiam confectã ad oſſa vſq; & intimos viſcerũ receſſus, acriter & abſq; vlla remiſſione deradi dilacerariq; præcepit. Quo ſupplicij genere diu ſuſtentato, iudex cùm illum nec vocẽ emittere, nec ſenſum doloris vllum præ ſe ferre vidit, idq; cùm parũ abeſſet, quin illius corpus eſſet omninò inanimatũ, & tormẽtis penè contritũ exhauſtumq; ſe fruſtrà illũ torquere perſpexit, tamẽ animo duro, ferreo & omnis humanitatis experte pręſtans, cõfeſtim igni pedetentim exardeſcente & remiſſo comburi decernit. Hic igitur adoleſcẽtulus poſtremus, ante Pamphili mortẽ, qui erat dominus eius ſecundùm carnẽ, in certamen ingreſſus, ante illũ è corporis vinculis ſolutus fuit, propterea quòd qui erant in alijs trucidandis occupati, tardare videbantur. Licuerat ergo Porphyriũ videre (Hoc nanq; adoleſcentulo nomen erat) iam in omni genere certaminum exercitatum, incredibili ſtudio et ardore, more hominis pro auguſta et ſacra victoria decertantis, incẽſum, corpore puluere quidem conſperſo ſordidatum, ſed decoro oris habitu eximiũ, erecta & generoſa animi elatione poſt tantos cruciatus ad mortem gradientem, diuino ſpiritu reuerà completum, habitu philoſophico, quo vti ſolebat, hoc eſt, indumento ad modum pallij humeros ſolùm obtegentis veſtitum, familiaribus ſuis, quid illos eius cauſa facere vellet, modeſto & tranquillo animo præcipientem, nutuq; ſignificantem, & cùm iam ad palum eſſet alligatus vultũ ſplendidum & hilarem ſeruantẽ: quin etiã cùm rogus longo interuallo ab illo tanquã in ambitũ orbemq; exardeſceret, hinc illincq; flammam ore ad ſe arripientẽ, & poſt hæc verba, quæ iam flammarum incendio primùm corpus attingente clara voce profundebat, nempè Ieſum filium Dei eius adiutorem fore, conſtantiſſimè cum ſilentio omnes cruciatus ad extremum vſq; ſpiritum tolerantem. Tale Porphyrij in martyrio certamen fuiſſe conſtat.

Porphyrij adoleſcẽtis eximia virtus.

Crudeliſſimè excarnificatur.

Lento igni cruciatur.

Conſtantiſſimè pfert omnia & decedit.

Cuius

Cuius vitæ exitum Seleucus confeſſor quidam ex militum numero, Pamphilo nũtiauit: qui, vt par erat, eiuſmodi nuntij miniſtro, quamprimùm fuit eadem ſorte cum illis martyribus dignatus. Nam mox vt mortem nuntiauerat Porphyrij, & vnum ex martyribus oſculo ſancto ſalutauerat, cum milites quidam comprehendentes, ad prę ſidem deducunt. Iſte tanquam eius profectionem maturans, quò Porphyrio comes itineris ad cælum ſuſcepti adiũgeretur, extemplò capitis ſupplicio mulctari iubet. Hic in Cappadocia natus, præ delecto iuuenum globo, qui in exercitu Romano militabat, præque illis, qui erant apud Romanos in amplis dignitatum gradibus locati, non exiguum honorem adeptus eſt. Aetate enim florente, robore, proceritate, firmitateque corporis plurimùm omnibus militibus antecelluit: adeò vt aſpectus eius celebris, & omnium ſermone prædicatus exiſteret, tota corporis forma ac ſpecie tum ob magnitudinem, tum ob pulchritudinem & aptam membrorum compoſitionem admirabilis. Qui in ipſo perſecutionis initio, plagarum perpeſſione in certaminibus pro fidei confeſſione ſuſceptis admodum enituit: & vbi militiæ munere, quo fungebatur, ſpoliatus fuit, eorum qui aſcetæ, id eſt, pietatis cultores vel monachi, † qui dies noctesque diuinis meditationibus ſe exercent, æmulum ſe & imitatorem effecit: orphanis deſertis, viduis omni ope deſtitutis, hominibus inopia & corporis infirmitate afflictatis, inſtar patris alicuius indulgentis & curatoris, benignè proſpexit & opitulatus eſt. Vnde meritò quidem, cùm Deus ab eiuſmodi pietatis officijs plus capiat oblectationis, quàm à victimis fumo redundantibus, & ſanguine aſperſis, ad inſigne & eximium martyrij decus per eius gratiam accerſitus fuit. Hic decimus athleta inter eos, quos ſuprà oſtendimus, vno eodemque die mortem oppetijt: quo certè, vt apparet, maxima quaſi cæli porta Pamphili martyrio decora illa quidem & congruens patefacta, tum illi, tum alijs qui cum eo erant, in regnum cælorum aditum dedit perfacilem.

Seleucus egregius martyr.

ἀσκηταί.
† videtur deeſſe, dicũtur, aut quippiã eiuſmodi.

Theodulus item grauis quidem & religioſus ſenex, vnus ex præfecti Firmiliani familia, & ab eo plùs quàm cæteri omnes domeſtici honoratus, partim prouectæ ætatis cauſa (Proauus enim erat, id eſt, tertiæ progeniei pater) partim propter beneuolentiã & fidelem animum, quem erga ipſum ſemper ſeruauerat, iiſdem veſtigijs cum Seleuco inſiſtens, & facinus illius facinori haudquaquam diſſimile admittens, ad Firmilianum dominum ſuum deductus fuit: eiq; maiorem bilem quàm ſuperiores cõmouẽs, tandem crucis afflictationi addictus, idemq; martyrij genus, quod Seruator olim, lubẽs perpeſſus eſt.

Item Theodulus ſenex

Cruci affigitur.

Deinceps quoniam vnus adhuc reſtabat, qui inter martyres commemoratos locũ duodecimum expleret, idcircò Iulianus, eum expleturus acceſſit. Qui peregrè iam cò aduentans, & locum adhuc minimè ingreſſus, ſimulac inter vias de eorum morte intellexerat, extemplò ad inſigne martyrum ſpectaculum rectà ſe contulit: atque vt humi poſita ſanctorum vidit corpora, ſolido expletus gaudio, ſigillatim ea complexus ſalutauit. Quod dum faciebat, lictores & cædis miniſtri eum præhenſum ad Firmilianum ducunt. Qui ea, quæ ſibi erant, ſuæq; crudeli naturæ conſentanea, executus, lento & remiſſo igni eum cremandum tradit. Iulianus ergo præ lętitia exultare, valdeque geſtire, atque clara voce gratias agens domino, qui eum talibus præmijs, tamque inſigni ſplendore afficere dignatus fuerat, præclara martyrum corona donatur. Erat hic quidem Cappadocum genere ſecundùm carnem oriundus, moribus & vita ſanctiſſimus, fideliſſimus & maximè ingenuus: & cùm in alijs rebus ſpectatus, tum diuino ipſius ſancti ſpiritus afflatu imbutus.

Admirãda Iuliani alacritas.

Igni crematur.

Talis erat caterua eorum, qui per Dei gratiam in martyrij ſocietatem cum beato Pamphilo aſciti fuerunt. Sacra autem, ſancta reuerà illorum corpora ex impij prę ſidis mandato quatuor diebus, totidemque noctibus, vt à beſtijs auibuſque carniuoris deuorarentur, ſub dio ſeruabantur. Verùm vbi tanquam miraculo quodam nulla neque beſtia, neque volucris, neque canis ad ea accedebat, rurſus per diuinæ prouidentiæ diſpẽſationem integra illęſaque inde ablata fuerunt: & exequiarum iuſtis potita, ſepulturę, vt moris eſt, honorificè commendantur.

Corpora Martyrum non attinguntur à beſtijs & auibus.

Porrò dum ſæuitia aduersùm iſtos vſurpata, in omnium ore & ſermone verſabatur, Adrianus & Eubulus ex regione, quæ Manganæa dicitur, ad reliquos confeſſores Cæſaream versùs accedentes, ad portas vrbis cauſam ſui itineris cò ſuſcepti rogantur. Deinde rei veritatem ingenuè confeſſi, deducuntur ad Firmilianum. Iſte nulla dilatione aut mora interpoſita, poſt multa tormenta, quæ in eorum latera impegerat beſtijs dilaniandos condẽnat. Biduo autẽ interiecto, Adrianus quinto die menſis

Dyſtri

Dyſtri, hoc eſt ad tertium Nonas Martij, die feſto quo natalicia Fortunæ Cæſareenſiũ, (ſic enim putabatur) celebrari ſolent, leoni primùm ad diſcerpendum proiectus fuit: deinde gladio iugulatus, obijt mortem. Eubulus autem perēdino die ad meridiem ipſis Nonis Martij, qui eſt ſeptimus dies Dyſtri, cùm iudex illum admodùm rogaret, vt hoſtias immolaret idolis, quò libertate eorum legibus decreta potiretur, glorioſam mortem pro pietate ſuſceptam huic vitæ breui & caducæ præpoſuit: & poſt beſtiarum laniatus gladio, vt ſocius ante illum, trucidatus fuit: omniaq; martyrum certamina Cæſareæ confecta ſuo ſanguine poſtremus obſignauit.

Adrianus martyr, paſſus 5. Martij

Eubulus 7. Martij.

Cæterùm operæprecium eſt hoc loco commemorare, quo pacto tandem, non idq; longo tempore pòſt, cæleſtis & diuina prouidētia eos impios magiſtratus cum ipſis tyrannis vlta ſit. Nam Firmilianus, qui tam petulanter & contumelioſè in Chriſti martyres debacchatus fuiſſet, cum alijs eiuſdē ſceleris participibus extrema ſupplicia ſubiens gladio finem viuendi fecit.

Firmilianus, præfectus gladio cæditur.

Item ex eiuſdem libri octaui capite xvij.

INter quos (martyres) erat Pamphilus, omnium neceſſariorum meorum mihi maximè deſideratus, vir ex omnibus martyribus noſtri temporis, propter cuiuſque generis virtutem facilè præſtantiſſimus. Huius in dicendi facultate & Philoſophorum diſciplinis Vrbanus primùm periculum fecit: deinde impulit ad ſacrificãdum. Quem vt penitus renuentem, & minas pro nihilo putantem vidit, ad extremum bile & furore commotus, aſperioribus tormentis illum cruciari mandat. Quare immaniſſimus ille & maximè crudelis Prçſes, continua acutarum nouacularum inciſione, martyris latera acerbè pungente, iam ferè ſatiatus, & tandem pudore ſuffuſus, in carcerem, vbi reliqui confeſſores erant, concludi iuſſit. Verùm qualem mercedem Vrbanus ob tantam ſæuitiam & crudelitatem, qua tantopere in ſanctos Dei & Chriſti martyres inſultauit, ex iuſta Dei vltione & vindicta poſt mortem habiturus eſſet, ex ſupplicijs illi in hac vita inflictis, quæ erant tanquam futurorum prooemia, facilè licebat animaduertere. Nam non longo tempore poſt facinora, quæ in Pamphilum nefariè conſciuerat, diuina vltio, dum adhuc præfecturam gerebat, eum ex inopinatò adorta eſt ad hunc modum. Qui iamdudum in ſublimi & excelſo ſedens ſolio iudicia dabat, qui ſatellitio militari ſtipatus, qui vniuerſæ Palæſtinorum gentis præfectus, qui conuictor tyranni, tanquam ei intimus, qui eiuſdem menſæ cum illo particeps erat, vindicta Dei vna nocte non ſolùm fuit tantis dignitatis ornamentis orbatus, ignominiæ & dedecori corã illorum oculis, qui eum vt principem admirati fuiſſent, expoſitus, timidus & ignauus factus, adeò vt voces muliebres turpiter funderet, & abiecto animo vniuerſæ genti, cui præfuerat, ſupplicaret: verùm etiam Maximino, de cuius gratia anteà inſolens & ſuperbus arroganter ſe extulerat, (quippe eum egregiè prçter cæteros ob facinora in nos crudeliter edita amplexabatur) duro & crudeli iudice vſus eſt, adeò vt poſt turpem ignominiam, quam pro ſceleribus, quorum erat conuictus, ſubibat, ſentētia ab eo pronunciata morti addiceretur.

Pamphilus durè cruciatur.

Deus vlciſcitur crudeliſſimum Præſidem Vrbanum.

VITA S. PROCVLI MARTYRIS BONONIENSIS, EX LIBRO PRIMO HISTORIAE BONONIENſis, à Carolo Sigonio viro doctiſſimo conſcriptæ: quam accepi à præſtantiſſimo Cardinali Gabriele Palæoto, Epiſcopo Bononienſi.

THEODORICVS rex Italiæ, perfidia Arriana corruptus, Arrianos à Iuſtino orientis Imperio pulſos, indignè paſſus, & ipſe orthodoxos in Italia vexare inſtituit, dimiſſis in omnes ciuitates quæſitoribus, alios bonis, alios patria, alios vita mulctando, atque in eorum templa miſerè ſæuiendo. Atque huius quidem tam diræ calamitatis procellã ciuitas inprimis Bononiæ pertulit, cũ Marinus quidã eiuſmodi quæſtionibus præpoſitus ibi adeſſet, atque incitatis in orthodoxos hæreticis, pro poteſtate omnia in ipſos grauiſſimarum iniuriarum genera exerceret. Verùm neque diu, neque impunè hæc ei poteſtas ſtetit. Inuentus eſt enim in ciuitate miles, nouo non ſolùm pietatis, ſed etiam fortitudinis robore ſeptus, nominè Proculus, cum vetere nimirùm Romano Mutio comparandus. Qui

1. Iunij.

Theodoricus rex perſequitur Catholicos.

indignum ratus veros Chriſtiani nominis cultores tam indignè tractari, conſilium vt periculorum, ſic inſignis futurum ad poſteritatem exempli cepit. Securi nimirùm ſumpta, eaque ſub veſte recondita, ſub noctem domum quæſitoris adit, ſeque habere ſignificat, quæ cum eo remotis arbitris agat. Admiſſus, vbi cuſtodes longè abſceſſiſſe ſecuros animaduertit, ſermone, quem de induſtria inſtituerat, intermiſſo, ſecurim extractam repentè quæſitoris in caput adigit: atq; eo proſtrato, ſine vllo cuiuſquam impedimento tacitè abit.

Proculus interficit Marinum tyrannum.

Paulò pòſt Marini nece comperta, magnus inter cuſtodes clamor ac rixa eſt excitata. dolebat quippe neminem reperiri, qui tanti patratorem facinoris indicaret. Coniecturis inde omnibus collectis, ſubit animum ſuſpicio de Proculo, quòd & orthodoxus, & manu præ cæteris promptus eſſet, & quod ipſum vehementiùs vrgebat, ſumma cum cura ſecreta paulò antè à quæſitore colloquia poſtulaſſet. Itaque quæſitus poſtridiè, atque indicio cuiuſdam Hebræi depræhenſus, ab lictoribus ad tribunal magiſtratûs perducitur. Ibi de cæde Marini interrogatus, haudquaquàm ſe eius authorem abnuit: verùm palàm, vt omnes exaudire poſſent, ſibi gloriæ ducere dixit, quòd dexterā ſuam tam impij ac ſcelerati hominis ſanguine imbuiſſet: ſimul illud adijciens, ſe quo animo necem ei attuliſſet, eodem pro Chriſto tormēta mortis omnia ſubire paratum eſſe, quæ ab ijs multò antè in ſe intentata eſſe non ignoraret. Quibus vocibus vehemētiùs Præfectus accenſus, lictorem confeſtim gladium expedire, ac lege in eum agere iuſſit. Ita Proculum, dum pia ſe & patriam ſuam precatione ſuppliciter Deo commendat, lictor adacto in collum gladio obtrūcauit. Ille autē (res auditu mirabilis) cùm iam ab omnibus humi iacens efflaſſe animam crederetur, viuens adhuc ſurrexit, ac caput ſuum de terra collectum, manibus ſuis intra vrbis mœnia reportauit anno, qui fuit à Chriſto nato quingenteſimus decimusnonus. Vnde poſteà à Pontifice conſecratus, atque ædem in eo vrbis loco, vbi caput ſuum repoſuerat, ac diem quo ſupplicio affectus erat, ſibi à Bononienſibus dicatā, adeptus, inſignem Bononienſis religionis gloriam ſacrorum martyrum aucto numero cumulauit. Ea deinde monachis Caſinatibus Benedictinis eſt attributa.

Non negat ſe id feciſſe.

Capite cæditur.

Inſigne miraculum.

VITA S. CAPRASII ABBATIS MONASTERII LIRINENSIS, EXCERPTA EX VETVSTO ANNOSOQVE *codice eiuſdem Monaſterij, & ad nos fideliter tranſmiſſa.*

Iunij 1.

VIDEMVS quamplurimos homines gentilium libros ſtudioſè perlegere, fabulas poetarum commœdiasque & carmina perſcrutari: alios cernimus Ethnicorū geſta, quibus iuxta huius mundi ſtultitiam aliquid ſtrenuè geſſiſſe cernuntur, curioſè perquirere, tenacique memoria retinere: quoſdam etiam perpendimus talium perditorum hominum libentiùs hiſtorias allegare, quàm ſanctorum doctrinas, virtutes & exempla referre: cùm tamen ſanctorum vitam & merita recitando, quam maxima cunctis immineat vtilitas. Nā in hoc, (vt Propheta admonet) Dominum laudamus in ſanctis eius, qui in illis ſemper mirabilis apparet. Inſuper eius propitiationis gratiam, ſanctorum interuentione promeremur, & eorum conſideratione virtutum, nobis incitamenta præparamus. Omiſſis igitur ſtultorum hominum ſtudijs, glorioſi Patris noſtri Capraſij, cuius hodiè feſtum colimus, virtutes ac merita ad memoriam reuocemus.

Sanctorum vitæ, quantum afferāt legentibus vtilitatis.

Fuit itaque beatus Capraſius ingenuus ac ſpectabilis genere, ſed, quod laudabilius eſt, virtute mentis excelſus: à primæuo iuuentutis flore Philoſophiæ artibus imbutus, miroque claruit ingenio. Sed tandem diuina præuentus gratia, prudenter attendens quia iuxta Apoſtoli dictum: Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, & quia ſciētia inflat, charitas autem ædificat: elegit potiùs ſtultus ab hominibus reputari, vt apud Deum ſapiens mereretur habere, illa ſecreta ſapientiæ diuinæ adipiſci cupiens, quæ Pater cæleſtis abſcondit à ſapientibus & prudentibus, ſed mira dignatione paruulis, id eſt humilibus & ſimplicibus, reuelauit: nec ſuo eſt deſiderio fraudatus, nam pius & miſericors Deus, qui tam ſalubre propoſitum cordi eius inſpirauit, gerendi gratiā & perficiendi virtutem miniſtrauit.

1.Cor.3. & 8

Matth 11. Luc.10.

Beatus

Beatus igitur Capraſius verus Chriſti diſcipulus, mundanam illam relinquens Philoſophiam, Euangelicam aggreſſus eſt diſciplinam. Inprimis poſſeſſiones, & quæcunque in hoc ſeculo habere poterat, amore Chriſti cõtemnere, pauperibusq́; diſtribuere diſpoſuit. Euangelicã ergo illis expeditus aggreditur paupertatem, onusq́; mundanæ ſolicitudinis deponit, & iuxta Apoſtoli doctrinã, quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quę anteriora ſunt, ſe extẽdit. Omnia huius ſeculi * concupiſcibilia arbitratus eſt vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret: & vt ſoli Deo liberiùs vacaret, non ſolùm corde, ſed etiã corpore ab hominum aſpectibus & ſęculi conuerſatione receſſit, & in quadã arcta aridaq́; ſolitudine monaſticã vitam ducere, ſolitariamq́; inſtitutionem aggredi deliberauit. In qua nimirùm eremi ſolitudine ad tantum virtutum apicem prouectus eſt, vt nõ ſolùm ſibiipſi proficeret, ſed etiam quamplurimorũ Deo militantium monachorum Pater & dux efficeretur, qui eius exempla ſectantes pariter & doctrinam, latam viam & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem, deſerentes, arctam quæ ducit ad vitam æternam, Chriſto authore, ingredi contendebant.

S. Capraſius diſtribuit ſuam ſubſtantiam pauperibus.
Phil. 3.
Phil. 5.
* Corruptibilia.
Attrahit multos ſuo exemplo, ad vitæ melioris inſtitutum.
Matth. 7.

Intereà eius magiſterio ſe ſubdidit ille Chriſti Præſul, virtute, ſacerdotio & nomine Honoratus, Lirinenſis monaſterij Pater, qui poſtmodùm Arelatenſi eccleſiæ præfuit Epiſcopus: cui etiam adhæſit precioſiſſima illa gemma interno ſplendore perſpicua, beatus videlicet Venantius, eiuſdem S. Honorati frater, qui ambo præfatum ſanctum ſenẽ Capraſium pro ſuo vitæ merito & eximię ſanctitatis pręrogatiua (Domino ſic ordinante) tanquam Patrem & Ordinatorem in Domino, atq; cuſtodẽ ſuæ adhuc teneræ ætatis elegerunt. Qui videns prædictos egregiosq́; duos Iuuenes Chriſtum ſitientes, Honoratum videlicet atq; Venantium, patriã ac parentes pro Chriſto velle relinquere, eorum approbans propoſitum, per terras mariaq́; eos aſſiduè comitatus eſt, licet iam eſſet ætatis grauitate confectus. Tranſcurſis igitur, è Nicomedia immenſis terræ marisq́; ſpatijs, vir Domini Capraſius cum duobus regalibus geminis, Honorato ſcilicet & Venantio, Ciſalpinam ingreſſus prouinciam, talibus lampadibus, fidei igne fulgentibus, ſanctam inſulam Lirinenſem illuſtrauit. In quorum aduentu illa ſacra Lirinenſis inſula diuino mox eſt cultui mancipata, ſummæ religionis priuilegio decorata.

Vide vitam S. Honorati 16. Ianuarij. fol. 371.
B. Venantius S. Honorati frater.
S. Capraſius Ciſalpinam ingreditur prouinciã.

O felix virtutũ magiſter, qui tantos ac tales meruit habere diſcipulos! O laudabilis paſtor animarũ, qui talium gloriatur in Chriſto ſpiritualium propagine filiorũ! Quãti putamus fuiſſe meriti, quantæ virtutis virum hunc, qui, vt ita dicam, Magiſtrorum valuit eſſe Magiſter? Quam felix & beata habitatio illius ſanctæ Lirinenſis inſulæ, quæ tã præclaris eſt munita patronis, per Dei prouidẽtiam ad multorum vtilitatem de tam longinquis ignotisq́; regionibus adductis.

Vir ergo Domini Capraſius feruidus erat charitate, humilitate deiectus, mitiſſimus pietate, in ſpe firmiſſimus, modeſtus in inceſſu, obedientia promptus, abſtinentia ſingularis, adſpectu ſerenus, cõtemplatione ſublimis, longanimitate fortis, orationis inſtantia continuus, nihil in hoc ſeculo conſolationis quærens, nihil deſiderans, niſi Chriſtum, quem ſolum deſiderando aſſequebatur, beatam quærendo vitam, beatam agebat. Optabat à peccatoribus ſegregari: & iam non ſolùm à peccatoribus, ſed etiam à peccatis ſegregatus erat. Omne in Dei laudibus tempus habere volebat: & toto tempore Deo vacabat. Appetebat ſanctorum congaudere cœtibus: atq; etiam in præſenti adhuc vita poſitus ſimiliter gaudebat. Chriſto frui cupiebat: mente & ſpiritu fruebatur. Vir iſte beatus pro virtutum magnitudine tantæ fuit opinionis & famæ, vt multi ſanctorum Doctorum ſuæ tempeſtatis, eius dignæ conuerſationi teſtimonium perhiberent, ac de ipſo in ſuis tractatibus memoriam facerent.

Attende quantis virtutum generibus fuerit decoratus S. Capraſius
Quantę fuerit ſanctitatis Capraſius, Doctorum ſcripta teſtantur.

Vnde præcipuus ille Lugdunenſis eccleſiæ antiſtes Eucherius, in fine libri, quem de Eremi laude conſcripſit, cùm de ſanctis Lirinẽſis inſulæ incolis loqueretur, hunc virũ Dei inter reliquos præcipuè nominauit, ita dicens: Hæc, videlicet Lirinẽſis ſancta inſula, nunc poſſidet venerabilem grauitate Capraſium, veteribus ſanctis parem. Hæc nũc habet ſanctos ſenes illos, qui diuerſis cellulis Aegyptios patres noſtris Gallijs intulerunt. Et beatus Hilarius, in ſermone, quem funebrem in ſancti Honorati laudem habuit, Beatum Capraſium perfectę conſummatæq́; grauitatis fuiſſe, angelica in inſulis conuerſatione degiſſe, & inter Chriſti amicos connumeratum deſcribit.

Cum ergo beatus Capraſius annoſus plurimùm grandæuusq́; eſſet atque decrepitus, & tempus ſuę reſolutionis inſtaret, (vt legitur) apparuit ei ſanctus Michaël Archãgelus, atq; ſuum felicem exitum poſt biduum imminere, diuino nutu reuelauit. Nec incongruè quidem, vt angelico viro migraturo ex hac vita, angelica legatio occurre-

S. Michaël Archangelus apparet ei ante mortem.

 ret,

ret, quæ ſanctam illam animam, & ab hoſtili improbitate defenderet, & cæleſtium ciuium gloria ſublimaret. In eius igitur extremis conuenerunt glorioſæ & inclytæ memoriæ Sacerdotes, Fauſtus ſcilicet, Theodorus, Maximus & Hilarius, cuius mentionem iamdudum fecimus. Qui beati viri Capraſij conſcius meritorum, ſuæ pontificalis dignitatis oblitus, ad eius pedes reſidens, ipſius ſe orationibus commendabat, atque vt ſui memor eſſet, grandi cum humilitate efflagitabat, non indignum reputans tanto eremi incolæ obſequium impendere, ipſiusq; eximiæ ſanctitati dignitatem ſacerdotij ſubſternere.

Interſunt eius obitui multi ſacerdotes, eius ſuffragia expoſtulãtes.

Quid igitur officij nos peccatores & indigni huic beato viro iam cum Chriſto regnanti poterimus exhibere, cùm audimus tantum Pontificem eius adhuc in terris poſiti ſuffragia tanta cum humilitate depoſcere? Eius ergo interceſſionis opem ardenter imploremus, auxilij eius beneficia poſcamus, illius vitam atque mores pro noſtræ modulo virtutis imitemur, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA S. SIMEONIS, MONACHI TREVIRENSIS, AB EVERVVINO ABBATE MONASTERII *Doleienſis conſcripta. Stylum hincinde modicè elimauit Fr. Laurentius Surius, nihil mutata ſententia.*

PRAEFATIO AVTHORIS AD POPPONEM Treuirorum Archiepiſcopum.

DOmino ſancto & venerabili Popponi Archiepiſcopo, frater Euervuinus, Abbatis nomine indignus, deuotos vtriusq; hominis famulatus. Mones, immò iubes, ſanctiſſime Pater, vt inops ingenio, ſtultus eloquio, aliquid de vita & conuerſatione ac obitu viri Dei Simeonis, & de miraculis, quæ per eum Dominus operatur, ediſſerã, multisq; ad laudem & gloriam Ieſu Chriſti deſiderantibus ſcire, notum faciã. Fateor, magnũ onus mihi infirmo imponis, maximè cùm toto corpore debilis, tremendum Dei iudicium pertimeſcam, ſi aliquid falſitatis confingam. Confiſus igitur de Dei adiutorio, tuis iuſſionibus vt tremens obtemperabo, plano, breui & ſimplici ſermone deſcribens, quæ vel ipſe ex ore eius audiui, vel à fidelibus viris ab ipſo audita, ſiue de miraculis viſa didici. Tui igitur examinis eſt iudicare, num iſtud tantillũ opus iubeas in publicum venire, ſiue tuis ſcholaſticis corrigendum, exornandum, dilatandúmue tribuere. Quicquid enim in me reprehenditur, tibi potiùs præcipienti, quàm mihi obedienti, neceſſariò imputabitur.

Fides hiſtoriæ huius.

VITÆ HISTORIA.

Iunij 1. Cap. 1. Parentes & patria Simeonis.

IGITVR vir Dei Simeon patre Græco Antonio, matre Calabrica in Sicilia ciuitate Syracuſana progenitus, & nobiliſſimis & Chriſtianis parentibus, Chriſtianè eſt educatus. Cùm verò bonæ indolis puer ſeptem annorum eſſet, à patre, qui militaturus erat, Cõſtantinopolim deducitur, ibique eruditiſſimis viris ſacris literis imbuendus traditur, & in timore Domini diligẽter enutritur. Adultus itaque, incrementis virtutum indiès cœpit augmentari, vidensque quoſdã ex noſtris partibus deſiderio infatigabili currere ad ſepulchrum Domini, deſiderabat & ipſe pro nomine Chriſti peregrinus fieri. Deſpectis ergo cunctis mundi vanitatibus, abiectis deſiderijs carnalibus, domum, patriam, parentesq; relinquens, & pauper pauperem Chriſtum ſequi cupiens, ſanctorum gratia viſitandorum locorũ Hieroſolymã venit: vbi deſiderio, quo venerat, loca paſſionis, reſurrectionis atq; aſcẽſionis ſæpiùs frequẽtando, aliquandiu manſit. Poſt hæc cum quodam Hilario ſanctiſſimo viro, qui hac de cauſa in Lycaonio habitabat, per ſeptem annos ductor peregrinorum fuit. Iam verò in amore Chriſti totus fundatus, perquiſiuit ſi illis in locis aliquis inueniretur, qui pro nomine Chriſti ſolitarius degeret, cuius inſtrui moribus, cuius

Studet puer Conſtantinopoli.

It Hieroſolymam religionis ergò

ius ſubdi inſtitutionibus poſſet. Audiuit autem quendam ad ripam fluminis Iordanis in quadam turri incluſum commorari, virtutibus præclarum, ſanctitate conſpicuum. Illum ergo tota mentis intentione ſitiens, illius alloquio atque conſortio frui concupiſcens, requiſitum reperit, inuentum dilexit, eiq; tota voluntate inhæſit, & inquantùm potuit, deuotiſſime miniſtrauit.

Viuit apud quendam eremitam.

De illo Chriſti ſeruo vir Dei Simeon multa ſolitus erat narrare, & quòd prophetiæ ſpiritum habuiſſet, pleniùs his verbis edicere. Cùm quodam die in inferioribus eiuſdẽ turris partibus habitarem, & mulierculas, quæ camelos & cætera animalia in flumine adaquatum venerant, inaniter & laſciuè per feneſtrã adſpicerem, per ſpiritum, quicquid vanitatis in corde retinerem, vir Dei in ſuperioribus manens, & me omninò videre non valens, cognouit, factoq; ſigno in locum, vbi verba loquẽtis audire poſſem, euocauit, mihiq; ſtupenti, quæ cogitaueram vel egeram, increpando retulit, atque tali ſermone dulciter corripuit: Quid tibi prodeſt, fili, patriã & facultates reliquiſſe, ſi mũdi deſideria & carnis illecebras in corde vis retinere? Si ergo cupis diſcipulus Domini fieri, nòn debes deinceps mundi vanitatibus implicari. Decet enim ſeruum Dei ſpirituali virtute eſſe circunſpectum, ne callidus tentator decipiendi inueniat aditum. Cũque inter hos & id genus alios ſermones verecundo me videret perfuſum rubore: Noli, ait, noli timere. bonam ſpem per Dei gratiam concepi de te. Tuum eſt contra hoſtem pugnare, Dei eſt auxilium præbere, vt poſſis vincere. Credo in Deo meo, quia maiora tibi parantur certamina: ſed confide, quia præſens diuina aderit clemẽtia. Inter cætera Deus retribuat tibi, chariſſime, pro ſeruitio, quod mihi per hos annos officioſe impendiſti: ego verò frequentiam populi ampliùs ferre non poſſum. Cõcedendum eſt mihi aliò, vbi ſecretiùs poſſim viuere. Inter turbas enim huc aduentantium, meum non poſſum implere propoſitum. Cumque multis lachrymis eum rogarem, vt quôcunq; iret, ſequi poſſem, non aſſenſit: ſed me ad alia occupato, aufugit, meque ignorantem, quô abiret, occultè reliquit.

Cap. 2 *Eremita indicat Simeoni, quid cogitauerit*

Igitur Simeon tanto patre orbatus, cogitare cœpit quid ageret, anxius quô ſe verteret, nec erat, qui nutantem animum conſolaretur: vnde magis magiſq; turbabatur. Iã nunc eremiticam & ſolitariam vitam concupiſcebat, ſed quomodò inciperet, necdũ perſpectum habebat. Igitur vitas Patrum frequenter legens, intellexit nullum in eremo ſibi præeſſe poſſe, niſi priùs in monaſterio didicerit ſubeſſe: nec perfectum aliquẽ fore in contemplatiua, qui exercitatus non fuerit in actiua vita. Conſolatione ergo accepta, Bethleem, natiuitate Chriſti præclaram ciuitatem, adijt, ſeq; in monaſterium ſanctæ Mariæ admitti expetijt: quod & obtinuit. In omni verò monaſterij diſtrictione probatus, atque diaconi officio functus, poſt duos annos ad aliud monaſterium, quod eſt ſitum ad radices montis Sinai, in eo ſcilicet loco, vbi ſanctus Moyſes ardentem vidit non ardere rubum, ſeceſſit: vbi ab Abbate receptus, per aliquot annos in ſeruitio fratrum permanſit. Creſcente autem perfectioris vitæ deſiderio, Abbatem humiliter rogauit, vt liceret ei in aliquo ſecretiori loco commanere, & impetrauit. Ad oram igitur rubri maris paruulam ſibi ſpeluncam in quadam rupe inuenit, vbi per duos fermè habitauit annos ſolus. De monaſterio verò pro numero dierum Dominicis diebus numerus ei mittebatur panum. Aqua ſtillans de rupe, ſitienti hauſtum præbebat. Hoc paſtus edulio, in eodem aliquandiù manſit loco.

Cap. 3. *Degit in monaſterio montis Sinæ.* *Viuit in ſpecu.*

Cùm verò à nauigantibus, vel etiam ab his, qui propter varios vſus ſanitatum oleũ colligebãt, quod de firma petra prope ſpeluncam illius fluebat, viſitari cœpiſſet, fratrẽ quoque qui panem adferebat, frequẽtatione & longioris itineris fatigatione triſtem vidiſſet, ſciensq; ſe homines latére non poſſe ampliùs, ad monaſterium redijt, & iuxta cuiuſdam viri ſancti habitationem cellulam ſibi acquiſiuit. Cuius fidei ſe totum commendans, & magiſtrum eum poſt tantos labores adoptans, illius viuebat imperio: quippe qui eum aliquando ob oratione, lectione vel opere vacantem paternè repræhenderet, & quaſi recèns conuerſum inſtanter argueret. In vertice autem montis Sinai, eo videlicet loco, in quo Moyſes gloriam Dei vidit, & legem in tabulis lapideis ſcripſit, aliud monaſterium erat, quod propter incurſantes Arabes, qui per illam eremum ſemper vagantur, omni habitatore deſertum remanſerat. Eô poſt hæc exercitia vir Dei Simeon mittitur, & vt ibi moraretur, præcipitur. Implet quod iubetur, & noua machinamenta antiqui hoſtis perpetitur. Nocturnis horis vt Miſſam celebret, dæmon hortatur. Ipſe nec planè dormiens, nec perfectè vigilans contradicit, non debere ſine presbyterij ordine aliquem hoc miniſterium implere. Contrà inimicus inſtat, ſe Dei legatum eſſe, Chriſtum hoc velle, nec decere ſanctum locum miniſterio ta-

Cap. 4. *Monaſteriũ in vertice Sinæ montis.* *Tẽtationes dæmonis.*

li diutiùs priuari. Renitentem ergo & contradicentem, adiuncto ſibi conſortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare iam vigilantem ſtatuunt, albâ induunt, de ſtola vtrinque altercantur, hoſtis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat ſibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad ſe reuerſus, virtute orationis & ſigno Crucis inimicum repellit, ſeq; deluſum ingemiſcit. Poſt hæc ad monaſterium regreditur, ſuo magiſtro iterùm ſubditur: cui confitens perpeſſas inſidias diaboli, diſtrictiori ſe continentia conſtrinxit, per aliquot hebdomadas in die tantùm Dominica cibum ſumens. Regula autem monaſterij talis erat, vt non prohiberetur, quicunque ieiunare vellet.

Mira abſtinentia.

Cap. 5.

Dignum ergo duxi huic operi adiungere, quod ſuis temporibus in eodem monaſterio mihi retulit contigiſſe. Per totam Aegyptum orta eſt fames valida, ita vt in ſola ciuitate Babylonia mortuorum corpora numerarentur vſque ad centum millia, ciuibus refertis auro, gemmis, cæteriſq; ornamentis, morientibus præ inopia panis. Fratres igitur monaſterij hac calamitate cõſtricti, ex toto corde Deũ inuocant, vt qui filios Iſraël in eodem deſerto pauerat pane cæleſti, ſeruorum ſuorum dignaretur miſereri. Sicq; habito conſilio, cum hymnis & orationibus ad tumulum, quod ſuperfuerat, frumenti accedunt, & quia ab Abbate in mandatis acceperant, vt vnuſquiſque, quô vellet, abeundi copiam haberet, vnanimiter ſe conſolantur, vt quamdiu granum vnum ibi reperiri poſſet, nullus recederet. Mira res. Ab illa die vſq; ad nouas fruges nõ defecit illud frumentum, cùm quotidiè inde ſumeretur, & non ſolùm victui fratrum pararetur, verũ etiam Arabibus, qui cum mulieribus & paruulis ſepta monaſterij obſidebant, abundãtiſſimè diſtribueretur. Sed ad propoſitum redeamus. Vir itaq; Dei Simeon omnes ſuos labores, quaſi pro nihilo ducens, & amore ſolitudinis interiùs ardens, de monaſterio cautè exiens, eremum peruagatur, & vbi ſine humano auxilio ſolus viuere poſſit, diligẽter inquirit & ſpeculatur. Igitur itineris ſui veſtigia molli ſabulo impreſſo, arte, qua poterat deſtruebat, ne aliquis eum inſequi poſſet vel inuenire. Panem, quem portabat, laſſus frequenter reijciebat: ſed recogitans ſe diù non poſſe viuere ſine cibi ſuſtentatione, gaudens reſumebat. Tandem de altiſſimis rupibus deorſum proſpectans, paruiſſimam planitiem contra morem eremi raro germine virentẽ reſpicit, ſeq; illuc nõ ſine magno periculo deponit. Paruum fontem inuenit, Deo gratias reddit, ibiq; manere diſponit. Deliciæ, quas ſecum detulerat, erant Pſalterium, ſanctum Euangelium, vas ad potandum, panis, ſemina caulium. Præter pauca veſtimenta, nil aliud poſſidebat. Sata ſemina poſt triginta dies iucundum ſine igne præbuerunt victum. Cum capreolis & alijs eremi beſtiolis, ne ſibi caules auferrent, cùm pabulatũ venirent, frequens habebatur prælium.

Nota famẽ ingentem in Aegypti Babylonia.

Egregium miraculum

Viuit in loco valdè ſolitario.

Cap. 6.

Poſt multos ergo dies ab Abbate requiritur, vbi frater Simeon habeatur? Reſponſum eſt à quodam fratre, in eremo illum eſſe ſe ſcire, ſed vbi locorum, neſcire. Ad requirendum ergo frates circunquaq; mittũtur, & vt ad monaſteriũ reuertatur, per obedientiam mandatur. Diù requiſitus, vix poſt aliquot dies inuenitur, & ſecundùm Abbatis præceptum, ad monaſterium regreditur. Interea fratres aliquot, pro neceſſitatibus loci in occidentales partes directi, moriuntur. Pecunia, cuius cauſa fratres abierãt, quæ de terra Richardi Comitis Nortmannici monaſterio debebatur, ab ipſo diligenter conſeruatur, vtq; aliquis fidelis mittatur frater, qui eam ad monaſteriũ perferat, per legatos mandatur. Communi conſilio id negocij famulo Dei Simeoni committitur. Ille priùs renuere, dicere aliud ſibi in animo eſſe, multũ obeſſe ſibi vanitatibus huius ſeculi denuò immiſceri, propoſitum, quod retineret animo, vt id liceret re ipſa implere: quibus poterat verbis, humiliter precari cœpit. Cùm verò prædicaretur illi, non ſuam voluntatem, ſed præpoſitorũ ſequi ipſum debere, aſſenſum præbuit, dicens, ſe doctum per viſionem, illud iter inutile fore, multaq; aduerſa in via ſe perpeſſurum: quod & contigit. Nam cùm paraturus, quæ ad nauigandum neceſſaria eſſent, Babyloniam veniſſet, ab ianitoribus tenetur, & tanquam ignotus & patriæ delator cum ſua ſuppellectili ad palatium trahitur & per calumniam defertur. Expurgatus deinde ab ijs, quæ falsò ei obiecta erant, liber abire iubetur: ianitor, quòd virum innocentem ad ſedem regiam detuliſſet, tũditur, colaphizatur, propellitur. Famulus ergo Dei Simeon libertate donatus, per aliquot dies in ciuitate moratur.

Redit iuſſus ad monaſterium.

Comprahẽditur Babyloniæ ceu explorator.

Cap. 7.

Interà nauis Venetijs cum mercibus aduenit: hanc compoſitis rebus, cum quodam fratre monacho intrat. Cùm itaque proſperis ventis per Nilum nauigatur, fortè aliæ naues obuiant, & illis in locis piratas ad prædam congregatos nunciant, illorũ gladios non poſſe euadere, niſi per aliquod tempus dum ſegregentur, libeat eis nauigationem ſuſpendere.

ſuſpendere. Cumq; aliæ atque aliæ naues eadem referrent, & nauclerus in ſua confiſus virtute & armis, non attenderet, famulus Dei Simeon proprio eum vocans nomine, dixit: Frater, ſi Dominus Chriſtus de cælo angelum miſiſſet, tu territus, adſpectum illius ferre nō poſſes: nunc verò, quia hodie, heri, & nudiuſtertiùs nō vnum, ſed plures legatos miſit tuî ſimiles, legationē Dei non negligenter ſuſcipere deberes. Crede cōſilijs meis, & vel per tres dies iſtos expecta: fortaſſis ab iſto periculo liberabit nos miſeratio diuina. Quod ſi non feceris, & te & nos perdis. Ille verò modis omnibus non acquieſcens, ſequenti die in latrones incidit, ab hora diei tertia vſq; ad nonam ferè, vtrinq; acriter certatur. Sed cùm latrones viderent ſe pugna nihil proficere, ad dolos conuertuntur, vt in nauim recipiantur, pugnaturi aduersùs alios latrones, humiliter expoſcunt. Contradicente Simeone famulo Dei, in nauim recipiuntur. Depoſitis itaque armis, & omnibus quaſi poſt laborem quieſcentibus, (prædones autem nouem erant) vnanimiter inſurgunt, gladios impiè ſtringunt: fit pugna atrox, inimica cædes exercetur. Ipſi nauclero primùm caput amputant, cæteros duriter mactant, omnes pariter occidunt & iugulant. Solus Chriſti famulus in puppe ſtat, illum, qui non deſerit ſperātes in ſe, toto corde exorat: ab omnibus acclamatur, vt inimicus conſultor perimatur: vt caput amputetur, ferus hoſtis adeſt. Ille reiecta veſte, proijcit ſe in flumen. Multa poſt illum iacula mittuntur: ſed non poteſt perire, quem Chriſtus vult ſaluare. Per profundum graditur, pſalmus in corde ruminatur: In mari via tua Deus, & ſemitę tuę in aquis multis. Ergo per vices natando, per vices in fundo gradiendo, in littore tandē valde laſſus, nudus exponitur.

Nota fraudem & ſæuitiam piratarum.

Vir ſanctus mittit ſe in flumen.

Pſalm. 76.

Poſt hæc ad vicum, qui proximus erat, tendit: homines illi Chriſtiani ne, an Pagani eſſent, ſcire non potuit. Inſtructus Aegyptia, Syra, Arabica, Græca & Romana eloquētia, linguam gentis illius intelligere non poterat. Biduo ita nudus manſit. Tertia die quidam ex illis hominibus miſeratus, viliſſimum illi veſtimentum proijcit. Quo indutus, per multas tribulationes & anguſtias Antiochiam venit: vbi à fidelibus viris amāter ſuſceptus, induitur, amplexatur & honorificè ſuſtentatur. In breui Patriarchæ & ipſis principibus habetur notiſſimus. Omnes enim, qui eum nouerant, quaſi dulciſſimum patrem venerabātur & diligebant. Ea tempeſtate contigit, Richardum Abbatē virum perfectis viris imitabilem, piæ deuotionis gratia Hieroſolymæ velle videre loca. Dum ergo iter per Antiochiam haberemus, ibiq; neceſſitate itineris cogēte, aliquādiu moraremur, famulus Dei Simeon iunctus eſt nobis amicitia, prædictum Richardū Abbatem adoptans ſibi in patrem. Cui cùm expoſuiſſet per ordinem, quę ſibi iniuncta eſſent, vel quæ contigiſſent, addidit, nullis periculis vel anguſtijs ſe retineri poſſe, quò minus Abbatis ſui mandata exequatur pro viribus. Imus ergo & redimus, eumque nobiſcum paratum inuenimus. Cumque in comitatu eſſet noſtro, frequenter iniurijs atque flagellis affectus, ceu ouis manſuetiſſima, patienter tulit. Peruenientibus autem nobis vſque ad ciuitatem Bellegradum, quæ eſt in confinio Bulgarorum atq; Hungarorum, à ciuitatis infeliciſſimo principe prohibitus eſt nobiſcum tranſire. Igitur flens & Deo gratias reddens, reliquit nos triſtes atque flentes. Per multas denique anguſtias & latronum inſidias reuertitur vſque ad mare. Quo tranſito proſperè, iter faciens per Romā, venit in Franciam. A quodam igitur ſibi noto comite benignè ſuſcipitur, & apud eum aliquandiu moratur. In illis ergo partibus monachus, vir ſanctiſſimus, comes eius, quem ſecum de Antiochia adduxerat, moritur: vnde multùm contriſtatur. Cùm recogitaſſet autem, quia nihil fit ſine diſpoſitione Dei, poſt multas lachrymas ſe ſe conſolatur. Deſtitutus verò omni humano auxilio, totam ſpem ſuam ponēs in Domino, ſolus venit Rothomagum, quæ eſt ciuitas Nortmannorum nobiliſſima, ſancti Audoëni epiſcopi & confeſſoris corpore & meritis valdè præclara. Vbi cùm Richardū Comitem iam mortuum comperiſſet, de pecunia & cenſu, qui de terra illius pro eleemoſyna ſuo monaſterio debebatur, nullus ei reſponſa redderet, mœſtus aliquantulùm, non pro ſuo labore, ſed quòd locus Sinai fruſtratus eſſet tanta vtilitate, toto corde conuerſus ad Dominum, quid ageret, quærit conſilium. Occurrit autem animo, vt ſuum patrem chariſſimum, Richardum ſcilicet Abbatem, noſque ſuos comites inuiſeret: quod & fecit. Per longum autem tempus moratus eſt nobiſcum: & vt breuiter concludam, quandiù apud nos manſit, irrepræhenſibiliter vixit.

Cap. 8.

Venit Antiochiā, & illic honorificè habetur.

Patientia eius.

Rothomagum venit Sanctus.

Cap. 9.

Interea dominus Archiepiſcopus Poppo, ſanctæ Treuirenſis ciuitatis ſtrenuus prouiſor, audiens Prophetam dicentem: Et erit ſepulchrū eius glorioſum: gratia oratiōis Hieroſolymam venit, huncq; famulum Dei eundo & redeundo ſecum conuiatorem habuit:

Poppo Archiepiſcopus Treuiren.

Eſa. 11.

habuit: cui poſt reditum in ſuo epiſcopatu, ſi vellet, manendi facultatem præbuit, & libentiſſimè conceſſit. Ex reuelatione igitur Dei proſpectans ſibi locum idem famulus Chriſti, vbi ſolus poſſet vacare orationi, in turri, quę antea nigra porta vocabatur, paruulum tugurium expetijt, vbi dominus pręſul, pręſente Clero & populo, in feſtiuitate ſancti Andreæ illum incluſit, & quaſi mortuum vt verè erat, ſeculo, deuotiſſimè ſepeliuit. Recluſus igitur, vt verè credimus, vir Dei ſilentio & ieiunijs attenuauit corpus ſuum: inprimis aliquando ſolo pane, aliquando autem reficiebatur aqua, infuſo legumine. In noſtra quidem terra, propter infirmitatem ſtomachi, vſus eſt ſemper modica potione vini. Illo etiam tempore non defuerunt graues tentatoris inſidiæ. Per noctes enim audiebat rugitus leonum, vlulatus luporum, grunnitusque porcorum, cæterarumque beſtiarum duras infeſtationes: quæ quaſi impetum facientes, vt eum deuorarent, illud tugurium, &, vt verius dicam, ſepulchrum immenſis clamoribus replebant. Etſi autem voces audiret & gemitus ſentiret, nihil tamen cernere valebat. Expanſis denique manibus, ſtans in oratione, cùm ſe nec inclinare, nec vertere auderet, nec etiam ſomnum capere poſſet, fideli mente conuerſus ad Dominum, dicebat orans: Domine, etiamſi totum corpus meum eſt traditum his feris deuorandum, credo tamen, quia tu miſereberis animæ meæ, quam tuo redemiſti ſanguine. Confidentem ergo in te, ſcio, quia viuum me non extrahent ex hac incluſione. Quicquid autem diſpoſuiſti de me, fiat mihi ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ.

S. Simeon apud Treuiros in turri degit ſolitarius.

Tẽtationes dæmonis.

Cap. 10.

Reſpectu igitur diuinæ miſericordiæ liberatus ab hac infeſtatione, ſenſit in proximo ſibi aliam adeſſe. Videbatur nanque ei, vultures, coruos, aquilas, miluos, & omnes cæli volucres ad ipſum per feneſtras certatim irrumpere velle. Sed cùm ſæpiùs facto impetu nihil præualerent, ingenti clamore locum illum complebant. Voces igitur ille audiens, nihil penitùs videbat. Certus itaque à diabolo hæc monſtra immitti, vt terrorem ipſi incuteret, attentiùs orabat, & ſupra vires ieiunabat. Liberatus verò etiam ab hac tempeſtate, quadam nocte dum peruigil in oratione maneret, ſenſit totam fabricam illius turris funditùs concuti, & quaſi facto terræmotu, in profundum mergi. Recognoſcens verò inſidias diaboli, fidutialiter pſallere cœpit: Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcẽdero in infernũ, ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et ſic illa quoque cõmotio quieuit. Alia etiam nocte, cũ expergefactus oculos aperuiſſet, vidit cellam ſuã immenſo lumine fulgere. Et primò miratus, cũ recordatus eſſet illius ſentẽtię Apoſtolicæ, etiam ſatanã trãsfigurare ſe in angelum lucis: Domine Ieſu Chriſte, ait, non iſtud lumen quæro in terris, ſed tuum, quod eſt in excelſis. Sicque clauſis oculis in oratione vſque ad diem permanſit. Corporalibus quidem oculis ipſum antiquum hoſtem teterrimum & multiformem adſpiciebat, eumque ſæuientem multis modis, oratione & ſigno Crucis repellebat. Sed cùm inimicus nullatenùs per ſe nocere illi poſſet, inſidias aduersùs Dei famulum per ſua membra ei tetendit. Ea tempeſtate, exigentibus peccatis noſtris, nimia aquarũ abundantia exercuit. Eius mali cauſa Simeoni imputabatur ab omnibus, dicentibus, eum maleficum eſſe: pro eius ſceleribus hanc mundo cladem imminere, vt deponatur à pontifice, populus acclamabat quotidie. Ex vrbe tandem concurſus agitur, tugurij feneſtras obruunt, Simeonem lapidare contendunt. Vidimus, fateor, feneſtram fractam, ſed athleta Chriſti Simeon fundatus ſupra firmam petram, immobilis perſiſtebat, atque Deo gratias reddens, pro perſecutoribus cum gaudio orabat. Quantas poſtea cruces, quantas ibi pertulerit moleſtias, quis dignè explicet? Solus hæc nouit ſcrutator cordium, qui illi fuit viuere, ſicut mori lucrum.

Dæmonis præſtigiæ.

Pſalm. 138.

2. Cor. 11.

Signo Crucis & precibus profligat dæmonem.

Patientia ſancti viri in perſecutione atroci.

Cap. 11.

Intereà voluuntur anni, & vir Dei reſolutionem præuidet corporis. Denique dominum Epiſcopum rogat, vt expenſas & operarios qui ſibi lectum componant, mittat: ipſe in parte ſui diuerſorij locum ſepulturæ parat: hæc, inquiens, requies mea in ſeculum ſeculi: hîc expectabo diem Domini. Paucis poſtmodùm tranſactis diebus, ipſum ego humilis adij vocatus, & qui pedum illius oſculo eram indignus, in cellam ab eo ſum intromiſſus. Poſt orationem, amplexus, oſcula & fletus, conſedimus. Referuntur inprimis multa de theſauris ſacræ ſcripturæ, de orthodoxa fide, de ſalute animæ. Poſt hæc: Reuelante Deo, inquit, diſſolutionem corporis mei adeſſe cognoui: peto humiliter, vt hoc corpuſculum meum his veſtibus exuas, iſtas, quas mihi ad hoc parati, ordinatim induas, & in hoc locello componas. Cui cùm obſtupefactus reſponderem: Quid ſi dominus Præſul ad domum ſancti Petri, vel ad aliud monaſterium te velit ſepe-

Prædicit obitum ſuũ.

pelliti? reſpondit: Iudica illi ex noſtra parte, vt pro Chriſti nomine hæc peregrina mẽbra conſentiat hic putreſcere, & me permittat hic diem Domini expectare. Cùm aũt porrò interrogarem, Quid ſi præſens non fuero? Eris, inquit, eris, & ſic, vt diſpoſui, de me ordinabis. Cumque valdè tremens, attentiùs vultum intenderem, ſenſi, fateor, odorem de corpore eius fragrantem, omnibus aromatibus ſuauiorem. Miratus multũ, alia ſecreta ex illius ore audiui, quæ hîc ſcribere nolui. Interpoſitis ergo centum & quinque diebus, in octauis Pentecoſtes ægrotauit.

Stephano autem, qui ei miniſtrabat, iniunxit, vt per aliquot dies requiẽ ipſi daret, quò plùs ſolito contemplationi vacare poſſet. Ille vnum diem expectat, & tertia feria ad veſperam ſigno facto, corbem cum pane ad feneſtram ſuſpendit: manè autem, ſicut miſerat, intactum reperit: multùm anxius ad eum aſcendit. Interrogatus, hoc ſolùm reſpondit: Quid vis? vade in pace. Ille timens, Gothelino clerico, qui viro Dei ſatis familiaris erat, per ordinem pandit, dominũ Simeonem valdè laborare, nec ſibi vt ſolitus erat, loqui. Clericus feria quinta illum viſitat: famulus Dei nullum reſponſum dat. Sed tandem de manu eius potum ſuſcipit, ſeque in lectum ſuum recolligit. In die octauo, dum reuiſit illum diluculo, in extremis reperit, mihique notum facit. Concitus cucurri infirmus toto corpore, & maximè debilis pedum inualetudine, quaſi ſanus aſcendi ſine dolore. Inueni adhuc viuentem, & iam vltimum ſpiritum trahentem. Exequias, quæ pro abſolutione animæ celebrantur, cum ſolis duobus fratribus, qui mecum aduenerant, prout potuimus, peregimus. Sicque animam ſanctam hora tertia, Calendis Iunij, benigniſſimo, cui ſemper ſeruierat, reddidit creatori. Subitò fit concurſus omnium, monachi, clerici, Deo ſacratæ, vulgus promiſcui ſexûs, quicunq; audire poterant, ad tanti viri funus properabant. *Cap. 12.* *Excedit è vita.*

Igitur, ſicut ipſe diſpoſuerat, immò prædixerat, corpuſculum more ſuæ patriæ componimus, & cum pſalmis & laudibus Dei in ſepulchro collocamus. Quod apertum dimittentes, qui in vigilijs & obſequijs deſeruirent, deputamus. In craſtino tota ciuitas quaſi vir vnus congregatur, interior domus ornamẽtis eccleſiaſticis decoratur. Dum ergo exequiæ communiter celebrantur, ſancti viri corpus, ſicut ſolent homines in calidis balneis, ſudare cœpit. Miramur omnes. Aliqui ſudorem extergebant, viuere eum credentes. Sed cùm multis modis probatum eſſet, quia non è viuo corpore ille ſudor procederet, nec ſine prouidentia Dei iſthuc fieret, viſum eſt omnibus vt illud tanti viri corpus nõ negligeretur, ſed à Clericis per proximos triginta dies viciſſim cuſtodiretur. Deputatis igitur illis, poſt horam nonam ſepulchrum diligenter clauditur. Cùm autem Clerici per vices in cellula, vbi humatum erat corpus viri Dei, pſalmos canerẽt vnus negligentior, dormitare cœpit. Qui graui depreſſus ſomno, audiuit quaſi cælitùs ingentem ſonitum eo loco exiſtere. Quo territus, alijs excitantibus eſt expergefactus. Oculis verò apertis, vix ſenſum recepit: ſed per aliquot horas linguæ officium perdidit. Admonitus ergo ab alijs, vt quam non poſſet ſermone, confeſſionem corde faceret, ante ſepulchrum viri Dei veniam poſtulat, pectus tundit, atque eius meritis abſolutionem linguæ obtinuit, & quæ ipſi contigerant, narrauit. Cumque eadem accidiſſent iterùm dormienti, omnibus nimio perterritis terrore, extra cellam ad pedes viri Dei pſallere placuit. Credimus ſiquidem angelicam viſitationem illuc aduenisse, quã mortalia corpora ferre non poſſent. *Cap. 13.* *Corpus eius exanime ſudat.* *Pœna negligenter canẽtis pſalmos ad corpus eius.* *Miraculum.*

Triceſimo deinde viri Dei Simeonis die, multus populus cum cereis atque alijs donis ad ſepulchrum cœpit confluere. Quædam anus de ciuitate, multis annis curua, vt ſe penitùs erigere non poſſet, cum reliqua multitudine aduenit, & cæteris aſcẽdentibus ad ſepulchrum viri Dei, & ipſa, ſi aſcendere poſſet, tẽtauit. Erecta igitur toto corpore, aſcendit, viro Dei Simeoni gratias reddidit, ſicq; mirantibus, qui eam nouerant, ciuibus, ſana & incolumis domum remeauit. Multi etiam alij varijs doloribus & morbis affecti, eo ipſo die ſunt liberati. Ex eo tempore ſepulchrum viri Dei populus veneratur & inuiſit. Cùm autem commodus aſcẽſus in ædificio turris pararetur, quoddã lignum à multis trahebatur: & cùm in altum iam eſſet ſublatum, rupto fune, multitudini, quæ conuenerat & ſubtus ſtabat, mortem cœpit minari. Exterritis omnib9, atque: vir Dei Simeon, adiuua nos: inclamantibus, mirabile dictu, quaſi manibus ſuſtentaretur, fluctuando paulatim deponitur, atque multitudine perterrita vtrinque locũ dante, ad terram ſine periculo ſubmittitur. Qui periculum euaſerunt, Chriſto laudes referunt, & Simeoni tanti miraculi miniſtro gratias reddunt. *Cap. 14.* *Mulier contracta fit ſana.* *Præclarum miraculum.*

Hic duo miracula placuit inſerere, quæ iidem ipſi, qui ſanati ſunt, teſtificantur in eius vita eſſe patrata. Cùm per longum tempus quædam fœmina acri corporis ægri- *Cap. 15.*

ægritudine vexaretur, & præ nimia valetudine oculorum viſu omninò priuaretur, quadam nocte in ſomnis admonetur, ſi de manu viri Dei Simeonis cibum ſumeret ab illo morbo liberam ipſam fore. Manè virum interrogat, quis Simeon ille ſit? Saluti vxoris congaudens maritus, cœpit diligenter inquirere de viro Dei Simeone. Dictum eſt autem ei à quodam Gothelone clerico, quia is eſſet, qui cum domino Epiſcopo de Hieroſolymis veniſſet. Deo gratias ille refert, viſionem ſuæ vxoris refert, & vt de manu eius cibum capere ei liceat, humiliter precatur. Clericus per ordinem viro Dei nũciat, & quod petebatur, vt impleat, multùm rogat, ſed vix impetrat. Cùm ergo panem & piſcem, à viro Dei cum benedictione tranſmiſſum, iam deſperata & penè mortua mulier ſuſcepiſſet, panem comedit, de piſce oculos inunxit, atque ita obdormiuit. In gallicantu expergefacta, & cum lumine oculorum plena corporis ſanitate recepta, ad opus reſedit. & mirantibus amicis, Ieſu Chriſto gratias egit, qui per merita ſui famuli Simeonis perfectam ſanitatem ipſi conceſſiſſet.

Mulier cæca & penè exanimis curatur.

Cap. 16.

Item hydropicus.

Quidam puerulus, hydropis morbo miſerabiliter diſtentus, cùm etiam à Medicis deſperaretur: (venter enim, virilia & quęq; interiora ita intumuerant, vt vix incedere, vix ſtare vel ſedere valeret) petijt ſe ad virum Dei Simeonem deduci, dicens, quod Medici non poſſent, illum poſſe. Adductus igitur, per tres dies de potu illius bibens, quarta demum die cœpit meliùs habere: ſicque oratione viri Dei reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati.

Cap. 17.

Quædam mulier, quæ manum dexteram, digitis palmæ adhærentibus, aperire nunquàm poterat, ad ſepulchrum viri Dei venit, manum cum fide ſuperpoſuit, moxq; digitis extentis, meritis viri Dei ſanam retraxit.

Cap. 18.

In feſtiuitate ſancti Petri ad vincula, alia mulier, quæ ſiniſtrum brachium cum manu contractum habebat, ad ſepulchrum beati Simeonis venit: quæ extẽſis venis & rupta cute, ſub omni celeritate medelam promeruit. Eodem tempore puer quidam mutus ad ſepulchrum viri Dei adductus, officio linguę eſt reſtitutus. Alius ſimiliter mutus puerulus ad viri ſancti ſepulchrum mittitur, in via loquitur: domum reuerſus mutus, ſicut anteà, efficitur. Iterum cum votis ad ſepulchrum reuerſus, perfectè ſanatur.

Cap. 19.

Quadam die Dominica dum quædam puella, cuius brachium ventri inhærebat, ad ſepulchrum famuli Dei Simeonis veniſſet, brachium, quod, excreſcente carne vix videri poterat, præſente populo exiliuit, & perfectam ſanitatem, quam petebat, promeruit. Alia Dominica mulier cum paruula filia, quę cęca à natiuitate fuerat, venit ad beati viri ſepulchrum. Dum ergo Miſſa celebratur, puella illuminatur. Matrem reſpicit, ſed non cognoſcit. Illa interrogans, quid ſibi eſſet? cognoſcit quòd filia ſua videret. Gauiſa, factam in ſe miſericordiam populo nunciat. Populus verò virtutem Chriſti in meritis ſancti Simeonis laudat. Sed cùm Clerus magnitudinem tanti miraculi non crederet, ſubitò parentes illius mulieris & miniſtri de villa adueniunt, qui illam à natiuitate cæcam fuiſſe teſtabantur. Mox tota eccleſia Chriſtum laudat, qui famulum ſuum Simeonem tot miraculis illuſtret.

Cęca viſum recipit ſub Miſſa.

Cap. 20.

Quidam Adalmannus ciuis Treuirenſis, iter faciens, hoſpitatus eſt in domo cuiuſdam, qui filium habebat cæcum. Suaſit ergo illi, vt filium ad ſepulchrum hominis Dei duceret, miſericordiam inuenturus. Ille votum faciens, cenſum aliquot annorũ viro Dei promittit reddendum, moxq; in domo eius puer lumen recipit. Videntem itaque ad ſepulchrum adducit, & gratias ſancto viro Simeoni reddit. Quædam mulier per multos annos viſu oculorum priuata, dum ſepulchrum beati confeſſoris per aliquot dies frequentaret, meritis illius illuminata eſt. Ad idem ſepulchrum quædam dæmoniaca perducta, quæ, quos poterat, dentibus mordebat & manibus laniabat, per noctẽ ligata manſit. Manè facto, dęmone liberata, incolumis remeauit ad propria.

Item cæcus puer, &c.

Cap. 21.

Arida ſanatur manus.

Quidam ſeruus Palatini comitis habuit ancillam, cuius manus vna arida, imbecillis & tam exilis erat, vt ad nullum opus valeret. Cùm ergo non eſſe vlli vſui, tradidit eã ad ſepulchrum viri Dei Simeonis. Eadem nocte miro modo ipſa manus intantùm creuit, vt alteri non diſſimilis eſſet. Quidã miles quandã habuit famulã, adeò paralyſi corpore diſſolutã, vt nec de lecto ſurgere, nec in latus alterum ſe conuertere poſſet. In cophino igitur ad viri Dei ſepulchrum deportata, per aliquot hebdomadas ibi hoſpitata eſt. Cum ergo in feſto quodã populũ videret ad Miſſas cõcurrere, & ipſa ſubitò de lecto exiliens, cũ eis cœpit ambulare. Ad ſepulchrum igitur viri Dei veniens, & ſua vota coram populo nuncupans, quæ apportata fuerat aliorum manibus, ſana & incolumis proprijs repedauit pedibus.

Paralytica reualeſcit.

In Calendis Nouembris cùm placuiſſet domino Archiepiſcopo in ædificio turris,

ne, vbi corpus viri Dei ſepultum erat, altare in honorem omnium ſanctorum conſtituere, multus vndique populus confluxit. Dum ergo apparatus fit, & dominus epiſcopus expectatur, quidam puerulus contractus ante ſepulchrum viri Dei ſanus erigitur. Eodem die quidam iuuenis, cùm ad tantam diei lætitiam aſſcendere vellet cum reliqua multitudine, nullo modo valet. Impingitur itaque à populo, trahitur & portatur: ſed vires portantium deficiunt, & ipſe toto corpore ſanus, magis magiſque fit ponderoſus. Conſulentibus quibuſdam, peccatorum ſuorum confeſſionem facit, & tandem ad veſperam leuis factus, aſſcendit, emendationem vitæ ſancto Simeoni promittitque, lætus domum redit. Alio tempore quædam meretrix cùm aſſcendere ad ſepulchrum viri Dei vellet, quaſi à quodam repellente reiecta, de gradu cecidit, & facta exanimis, cùm putaretur à populo ſtatim moritura, foras trahitur. Sed cùm ex illo ædificio exportata eſſet, quaſi nil mali paſſa, in pedes conſtitit, & de illa ciuitate ocyus aufugit.

Nota iſthuc de Confeſſione peccatorum.

Item de meretrice.

Cap. 23.

Quidam ruſticus cùm debile corpus ac penè diſſolutum, manibus atque genibus rependo, miſerabiliter traheret, & per quinque menſes viri Dei ſepulchrum indeſinenter frequentaret, quadam die profuſis lachrymis cum his vocibus interpellare cœpit: Eia, ſerue Dei Simeon, quàm durum & immiſericordem te mihi præbes: quotidiè te requiro, quotidiè te inuoco, & tamen ad miſericordiam non flecteris, mihiqúe ſoli negas beneficium, quod alijs impendis. Certè deinceps ad te venire recuſo: iamiam deſperans, domum repeto. Sed quid dicam amicis, propinquis & vicinis meis? Noli noli ſancte Dei tam immiſericorditer me ſolum dimittere, ſaltem aliquid mihi largire. Toto ergo animo turbatus, ad hoſpitium ſe retrahit, deliberat vt in craſtinum ad patriam reportari poſſit. Interim præ nimio dolore graui ſomno oppreſſus, poſt gallicantum quaſi in ecſtaſi factus, vidit quendam venuſto vultu cum magno lumine aſſiſtere, hiſque verbis ipſum blanditer affari: Quid iaces, homo? Surge velociter, & ad viri Dei Simeonis ſepulchrum citò accede. Cumque reſponderet, non poſſe ſe ire, ſe iam antè illuc veniſſe, & nihil profeciſſe: ille ait: Ego te adiuuo, ego ſuſtento: noli tardare: præſto ſum vt auxilium tibi feram. Excitatus ergo, ſenſit membrorum virtutem rediiſſe: ſicque, qui ſolebat curuus atque proſtratus infirmis repere manibus, ad ſepulchrum viri Dei, mirante populo, toto corpore erectus, ſolidatis aſcendit pedibus.

Inſtauratur corpus miſerabile ruſtici.

Cap. 24.

Ea tempeſtate, cùm Treuirorum ciuitas, tantis polleret miraculis, ad domini Simeonis ſepulchrum apportatus fuit puer octo annorum, cui morbus ambulandi eripuerat officium, pro quo iam triduo Simeonem interpellarat deuotio parentum. Forte erat apud nos de Alemannia monachus non mediocriter liberalibus inſtitutus diſciplinis, verùm tantis non benè credens miraculis: qui etiam tunc præſens aderat, cùm ibidem Dei effulgent miracula, & exorabile beati Simeonis meritum votis adſpirat adſtantium. Puer vtriſque manibus altari adhærebat, donec membrorum reſoluta compage, ſano adſtitit erectus in corpore. Itaque ingreditur pedibus, ſed tremuli titubant inceſſus, quos nondum naturæ docuerat vſus. Tandem ſanus rediit: iſque de quo diximus, viſis credidit, Deum laudauit, hæcque commemorans, lætus abſceſſit.

Puer claudus ambulat.

EX CHRONICIS HIRSAVGIENSIS MONAſterij, Iohanne Abbate Spanheimenſe authore.

EOdem anno (nempe 1035.) S. Simeon monachus & incluſus Treuiris moritur Calendis Iunij, qui tantis mox coruſcauit miraculis, vt à Benedicto Papa I X. Poppone Archiepiſcopo petente, ſtatim poſt mortem ſit canonizatus.

ILLV.

ILLVSTRE CERTAMEN CLARISSIMORVM MARTYRVM APVD LVGDVNVM GALLIAE, PHOTINI

vel Pothini, eius vrbis Epiſcopi, Sancti diaconi, Epagathi, Maturi, Attali, Blandinæ, &c. quemadmodum illud luculenter deſcripſere Chriſtiani Viennenſes & Lugdunenſes: quorum verba hic ſubijcimus ex Euſebij Cæſareenſ. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 5. cap. 1. & 2. interprete Iohanne Chriſtophorſono, Angliæ doctiſsimo Epiſcopo.

Iunij 2. Ex cap. 1.

SERVI Ieſu Chriſti, qui Viennam & Lugdunum Galliæ incolunt, fratribus in Aſia & Phrygia, qui eandem nobiſcum redemptionis fidem & ſpem habent: Pax, gratia, & gloria à Deo patre & Chriſto Ieſu Domino noſtro ſit vobis. Deinde cùm in Epiſtolæ exordio alia iſtis deinceps adiecerint, his verbis initium narrandi faciunt: Magnitudinem afflictationis, quæ hoc loco ingraueſcit, ingens gentilium odium contra ſanctos incitatum, ſupplicia, quæ beati martyres placidè ſuſtinuerunt, neque nos dicendo accuratè exprimere, neque ſcribendo facilè à quoquam compræhendi poſſunt. Nam aduerſarius noſter aduentum ſuum (in quo audacter ac liberè Eccleſiam Chriſti oppugnaturus ſit) iam quaſi proluſione quadam ac procemio breui futurum prænunciās, omnibus viribus, vt dicitur, Chriſtianos adortus eſt: atque adeò vbique graſſatus, ſuos conſuefecit, & ad bellum contra ſeruos Dei gerendum vſu & exercitatione mirè inſtruxit. Quapropter non ſolùm ædificijs publicis, balneis & foro nobis interdictum eſt: ſed etiam, ne quiſquam noſtrûm vſquam locorum in conſpectum prodeat, ab illis vetitum. At gratia Dei pro nobis cū diabolo decertauit, & hos, qui ſunt paulò remiſſiore animo, eripuit è periculo: illos autem, qui patientia armati, tanquam firmæ fidei columnæ, non modò impetum hoſtis noſtri diaboli, facilè laturi videbantur, verùm etiam in ſua ipſorum capita eundē quodammodo prouocaturi, ex aduerſo oppoſuit: qui tum in acie fortiter cum aduerſario conflixerunt, omne opprobrij & ſupplicij genus toleranter ſuſtinendo: tum celeri gradu maturarunt ad Chriſtum, ea mala, quæ erant ingentia & grauia, exigua, & penè nulla exiſtimando: perſpicueq; reuerà oſtenderunt: quòd non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Perſecutio immanis in Gallijs.

Martyrum inuicta fortitudo.

Roma. 8.

Ac primùm cruciamenta, quæ confertim erant, & tanquam cumulo à multitudine in illos coaceruata, viriliter & magno animo ſubiērunt vociferationes, plagas, violentos tractus, dilacerationes, lapidum proiectiones, carceres, & quicquid denique ab agreſti & furioſa multitudine contra nos, velut contra hoſtes & inimicos, fieri ſolet. Quotquot igitur erant à Tribuno plebis alijſque magiſtratibus, qui ciuitati præerant, in forum deducti, cùm coram vniuerſa multitudine eſſet ab illis de fide quæſitum, & eam liberè ipſi confeſſi fuiſſent, vſque ad Præſidis aduentum in carcerem coniecti, cōcluſique erant. Deinde cùm ducerentur ad Præſidem, & ille in iudicando omni crudelitatis genere contra nos noſtroſque vteretur, Vetius Epagathus, vnus ex fratribus, immenſo charitatis erga Deum & proximum ardore inflammatus, (qui quidem cūm non modò ad omne officium erga proximum ſedulò exequendum impiger & propēſus eſſet, verùm etiam flagranti Dei amore & ſacroſancto Spiritûs inſtinctu exardeſcens, in omnibus Domini præceptis & iuſtitiæ æquitatiſque inſtitutis integrè incederet, adeò ſanè accuratè vitam inſtituiſſet, vt quanuis eſſet adoleſcens, eodem tamen teſtimonio, quod ſcriptura ſeni Zachariæ ſacerdoti tribuit, dignus videretur) hic Vetius, inquam, iudicium tam temerè & iniurioſè contra nos pronunciatum, non poterat omninò æquo animo ferre: ſed ſupra modum ſuccenſebat, poſtulabatque vt poteſtas ei daretur, liberè in illo conſeſſu pro fratribus reſpondendi, ſeq; perſpicuè probaturum dicebat, nihil ſceleris, nihil ve impietatis in nobis omninò poſſe reperiri. Contra quē cùm multitudinis frequentia, quæ tribunal circunſiſtebat, admodùm vociferata fuiſſet, (erat enim inter illos illuſtris atque eximius) cumque Præſes etiam iuſtam ab eo propoſitam poſtulationem minimè poſſet tolerare, ſed ſolùm iſtud ab eo quæreret, vtrùm

Mittuntur in carcerē.

Vetius Epagathus Chriſtianorum aduocatus.

Luc. 1.

Martyribus Epagathus adiungitur.

trùm eſſet Chriſtianus: ille tum ſimulatq; erat clariſſima voce hoc ipſum confeſſus, in ſortem & numerum martyrum relatus eſt, ac deinceps aduocatus Chriſtianorum appellatus: nec planè immeritò. Habuit enim aduocatum Ieſum in animo commorantem, & Spiritum ſanctum multò, quàm Zacharias, feruentiorem: quem per ingentem charitatis quaſi cumulum, quo adductus, adeò alacri & ardenti ſtudio pro fratrū propugnatione ſuam ipſius vitam profudit ſatis perſpicuè oſtẽdebat. Chriſti igitur & eſt & fuit verus & germanus diſcipulus, qui agnum quòcunq; eat, ſequitur. Inde igitur inter reliquos Chriſtianos facilè internoſcebatur: nam martyres, qui videbantur cęteris facilè præſtare, in publicum prodibant, ſe paratos ad omnia tormenta oſtendebant: omni denique animi alacritate confeſſionem illam, quæ eſt martyrij propria, cumulatè pleneq; explebant.

Decem à Chriſto deficiunt.

Sed extabant alij imparati, inexercitati, & animo fracto, qui acrem certaminis impetum ferre non poterant: ex quibus circiter decem numero, animis ignauè & muliebriter conciderunt. Qui profectò non modò magnum dolorem mentibus noſtris & immenſam acerbitatem inurebant: verumetiam aliorum, qui hactenùs non comprehendebantur, quique martyribus etiam in acerbiſſimo cuiuſque generis cruciatu iacentibus præſtò ſemper aderant, & eos non aliquando deſertos eſſe paſſi fuerant, alacritatem penitùs retuderunt. Omnes igitur id temporis, propter incertum confeſſionis euentum, eramus graui metu perculſi, non plagas quidem & ſupplicia, quæ illis poſt infligerentur, veriti, ſed ancipiti confeſſionis exitu mente præuiſo, magnoperè extimeſcentes, ne quis præ languida animi infractione prorſus ſuccumberet. Quotidie tamen, qui digni corona martyrij habebantur, ad illorum numerum ſupplendū, præhenſi erant, vſque adeò, vt ex duabus hiſce eccleſijs omnes pij & ſtudioſi viri (quorum virtute & doctrina inprimis ſtatus illarum ritè adminiſtrari ſolet) eximerentur. Quidam etiam Ethnici, noſtrorum ſerui, vnà capiebantur, (ſiquidem Præſes omnes nos paſſim perquiri præceperat) qui tormenta, quæ ſanctos tolerare cernebant, reformidantes contra nos, militibus ſatanæ impulſu illos ad hoc idem incitantibus, Thyeſtæas cœnas, & inceſtus Oedipodis, falsò commenti ſunt, & alia, quæ nobis nec eloqui, nec cogitare quidem fas eſſe iudicatur: quin tale facinus aliquando inter homines admiſſum fuiſſe, ne credi quidem propemodùm debet. Quæ ſanè cùm eſſent fama & ſermone hominum paſſim diſſipata, omnes, velut immanes belluæ, contra nos furere cœperunt: ita vt ſi qui anteà propter neceſſitudinem moderatè ſe erga nos geſſiſſent, tunc veluti rabie quadam incitati, dentibus frendere, inſanireque prope viderentur: atque id adeò, quod à Domino noſtro prædicebatur, in eo eſſet impletum, tempus venturum, in quo omnis, qui vos occiderit, videbitur obſequium præſtare Deo. Vnde decæterò ſancti martyres maiora quædam cruciamenta, quàm quæ poſſunt oratione explicari, (idque, ſathana in illud pro viribus incumbente, vt aliquid blaſphemiæ contra Chriſtum ex eorum ore educeret) ſufferre cogebantur.

Calumniæ in Chriſtianos.

Iohan. 16.

Sanctus, diaconus. Maturus. Attalus. Blandina.

Supra modum igitur lethale multitudinis vniuerſæ, Præſidis & ſatellitum odium in diaconum, nomine Sanctum, Viennæ prognatum, & in Maturum etiam, recens quidem baptizatum, ſed generoſum tamen Chriſti athletam, efferbuit: in Attalum porrò, genere Pergamenum, columnam & ſtabilimentum continuum eccleſiarum, quæ hic ſunt: in Blandinam denique, per quam Chriſtus euidenter oſtendebat eos, qui apud homines, viles, deſpecti & contempti videantur, apud Deum propter charitatem erga illum, nō ſpecie iactatam & ſimulatione, ſed vi & virtute declaratam, magno ſplendore & gloria donari. Nam cùm non nos ſolùm pertimeſceremus, ſed etiā hera illius ſecundùm carnem, (quæ etiam ipſa vnà in martyrum pugna dimicauerat) ne cùm in certamen deſcenderet, præ corporis imbecillitate non liberè & ingenuè fiduciæ ſuæ confeſſionem proloqui pergeret: Blandina tanto animi robore & virtute imbuebatur, vt tortores, qui illam viciſſim omni ſuppliciorum genere à primo manè ad veſperam vſque afflixiſſent, propè labore defeſſi langueſcerent, ſeque tum ab illa victos, tum nihil ampliùs habere cruciamenti reliquum, quod ei irrogarent, faterentur: atque adeò magnopere mirarentur, quo pacto, cùm totum eius corpus ita dilaceratum eſſet, perſeuerans ſpiritum duceret: palamque teſtarentur, vnum tormenti genus ſatis habuiſſe virium ad vitam ei eripiendam, nedùm tam multis & varijs opus fuiſſe. Verùm beata martyr, ſicut generoſum athletam decet, in ipſa fidei confeſſione vires colligebat, atque prolato iſtorum verborum: Chriſtiana ſum, &: Nihil apud nos admittitur ſceleris: erat dolorum, qui eam vrgebant, ſumma leuatio, fomen-

Blandinę egregia conſtantia.

tum cruciatûs, & cuiuſque moleſtiæ depulſio.

Item Sancti Diaconus ille, Sanctus nomine, ſuprà quàm credibile eſt, & ſupra omnē humanum captum, verbera à carnificibus impacta toleranter ſuſtinens, cùm ſcelerati illi carnifices propter aſſiduitatem & magnitudinem tormentorum, quæ ei infligebant, ſperarent ſe aliquid, quod indecorum & eius profeſſioni parùm conſentaneum videretur, ab eo audituros, ipſe tanta animi celſitate & conſtantia illis ex aduerſo reſtitit, vt ne nomen quidem vel ſuum, vel gentis, vel ciuitatis, vnde fuit: neq; vtrùm ſeruus an liber, illis vellet dicere: ſed ad omnia rogata, ita Latino ſermone reſponderet, Chriſtianus ſum: iſtudq; pro nomine, pro ciuitate, pro genere, & deniq; pro re quaq; iterùm ac ſæpiùs eloqueretur: aliam autem vocem gentiles ab eo eligere audíreq; non poterant. Vnde tam graui & acerba bile animus cùm Præfecti, tum tortorum contra illum inflammabatur, vt cùm nihil haberent ſupplicij, quod ei deinceps imponerent, ad extremum laminas æneas feruentes & ignitas tenerrimis corporis membris affigerent. At ille, quanquàm corporis membra exurebantur, firmus tamen, conſtans & immutabilis in fidei confeſſione perſtitit: quippè qui diuino & cæleſti fonte aquæ vitális, quæ ex Chriſti ventre profluit, tanquam rore cùm aſperſus, tum roboratus erat. Corpus autē teſtimonio fuit eorum, quæ ipſi acciderant: vtpotè vulneribus & vibicibus totum cruentatum, quod quidem ſic in rugas erat contractum, vt exteriorem hominis formam prorſus abieciſſet: in quo Chriſtus, afflictationis particeps, res præclaras ad ſuam ipſius gloriam geſſit, cùm aduerſarium profligando, tum cæteris præclarum exemplum oſtendendo, nullum eſſe metum, vbi Dei patris charitas, nec vllam moleſtiam, vbi fides Chriſti viget. Nam quanquàm impij carnifices paucis diebus poſt, cū martyrem denuò torquerent, putabant, ſi corporis membris ſuperiore iam cruciatu tumidis, & inflammatione quadam efferueſcentibus, eadem ſupplicia accumularent, vel ſe illum facilè euicturos, præſertim cùm nec manuum propè tractationem perferre iam poſſet: vel illum tormentis tandem extinctum, grauem reliquis horrorem incuſſurum: tamen tantùm abfuit, vt in illo aliquid eiuſmodi contingeret, vt etiam præter omniū hominum opinionem, corpus in illis poſterioribus tormentis recreatum, & in integrum reſtitutum, formam priorem atque vſum membrorum recuperaret: adeò vt ſecunda illa carnificina, non inflicta pœna, ſed medicina per Chriſti gratiam adhibita videretur.

Nulla ab eo vox extorqueri poteſt, niſi: Chriſtianus ſum.

1.Ioan.4.

Vide mirā Chriſti virtutem.

Porrò Biblidem, vnam ex eorum numero, qui fidei confeſſionem pernegaſſent, cū iam diabolus à ſe prorſus abſorptam putaret, cupiens etiam per blaſphemiam in Deum, condemnationem eius augere, ad ſupplicium deducendam curauit, eamq; velut fractam & ignauam, impia in nos & flagitioſa probra loqui impulit. Illa tamen in tormento rediјt ad ſe, atq; (vt ita dicam) ex profundo ſomno excitata eſt, præſenti ſupplicio quodammodò ſubmonita, vt de æterna gehennæ pœna feriò cogitaret. At contrà, quàm diabolus expectabat, maleuolis Chriſtianorum obtrectatoribus ex aduerſo ſic reſpondet: Quomodò eiuſmodi viri liberos ſuos deuorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem ſit ſanguinem animalium ratione carentiū comedere? Et ab eo tempore ſe Chriſtianam ingenuè confeſſa eſt, & ſorti numeroq; martyrum adiuncta. At cùm tyrannica crudeliaque illa ſuppliciorum genera per beatorum patientiam, Chriſti virtute firmatam, fruſtrà impoſita irrogataq; viderentur, diabolus alias quaſdam machinas deintegrò contra illos excogitauit, nempe vt in carcerem coniecti, interdum in locis horrida caligine obſitis, & plenis moleſtiarum, miſerè iacerent: nonnunquàm illorum pedes in craſſas compedes impoſiti, diſtenderentur: aliquando vexarentur alijs plagarum modis, quos rabidi diaboli miniſtri, illiusq; maleuolentia ſuffuſi, hominibus in carcerem concluſis incutere ſolent, vſqueadeò, vt complures, quos Dominus eo pacto è vita exire volebat, ibi ob fœtidum odorem & loci anguſtiam penitùs ſuffocarentur. Quinetiam non pauci (in quibus illic Dei gloria perſpicuè oſtentata erat) quanuis ita acerbè excruciati fuiſſent, vt nulla curatione adhibita, viderentur ampliùs poſſe vitam protrahere, in carcere tamen ſuperſtites manebant, omni humana quidem cura & ſubſidio orbati ac deſtituti, à Domino tamen tum corporis tum animæ viribus ita roborati confirmatique erant, vt cæteros & ad fidem conſtanter tenendam tuendamque incitarent, & grato admodùm ſublcuarent ſolatio. Alij autem modò capti, & recentes in carcerem contruſi, (quorum corpora ante hac tormentis ſubeundis callum haud contraxerant) pondus carceris & grauitatem minimè poterant ferre, ſed intus breui mortem oppetebant.

Biblidis reſipiſcentia & conſtantia.

Moriuntur quidā præ carceris fœtore.

Beatus

Beatus item Pothinus, cui Lugdunenſis epiſcopatûs miniſterium erat cõcreditum,
cùm nonageſimum ſuę ætatis annum præterijſſet, & corporis imbecillitate ita langue-
ſceret, vt vix poſſet, propter virium infirmitatem, qua diſtinebatur liberè ſpirare, ſpiri-
tûs tamen alacritate propter ardentem, qua flagrabat martyrij cupiditatẽ, plurimùm
recreatus, ad tribunal geſtabatur: & tametſi corpus eius iam pr⁊ decrepita ætate & cru
ciatu morbi penè exhauſtum eſſet, anima tamẽ in ipſo ſeruabatur integra, vt per eam
Chriſtus glorioſè triumpharet. Qui quidem ad tribunal, magiſtratibus ciuitatis cum
comitantibus, & vniuerſa multitudine varias cuiuſquemodi vociferationes contra il-
lum, vtpotè Chriſtianum, edente, à militibus deductus, præclarum fidei teſtimonium
perhibuit. Cùm enim à Præſide rogaretur, quis eſſet Chriſtianorum Deus? reſpondit:
Si tu ea re dignus ſis, cognoſces. Inde igitur aſperè & immiſericorditer raptatus, vari-
as plagas excepit, cùm ab his, qui ſtabant in proximo, qui nihil eius ætatem reuerẽtes,
manibus pedibusq́; in illum contumelioſè inſultabant: tum ab illis, qui longiùs erant
remoti: qui, quod ſinguli habebant in manibus, illud in illum coniecerunt: idq́ue pro-
pterea, quòd omnes permagnæ culpæ & impietatis loco ducebant, ſi quiſquam petu-
lanter illum inſectari vlla ex parte omitteret. nam deorum ſuorum cauſam ita ſe vin
dicaturos arbitrabantur. Ille vix iam ſpiritum ducens, in carcerem coniectus fuit, ac bi
duo pòſt efflauit animam.

Pothini Epiſcopi martyrium.

Ibi verò ſingularis Dei prouidentia apparuit, & infinita Ieſu ſeruatoris miſericor-
dia patefacta eſt: quæ ſanè talis fuit, qualis quidem rarò inter fratres Chriſtianos con-
tigiſſet, à diuina tamen Chriſti virtute ac potentia non omninò aliena. Nam qui, vt
primum erant compræhenſi, fidem inficiati fuiſſent, non modò in carcerem cum cæ-
teris condebantur: (nihil enim illis, vt tempus ferebat, negatio attulit adiumenti) ve-
rum etiam ſuppliciorum eorundem erant facti participes: atque ſicut illi, qui ingenuè
fatebantur ſe eſſe, quod erant, nullo alio crimine obiecto, niſi quòd Chriſtiani eſſent,
tradebantur in cuſtodiam: ſic iſti, qui fidem pernegarant, de reliquo in carcere tanquã
homicidæ & ſcelerati detinebantur, duplo grauiore cruciatu & angore, quàm cæteri,
afflictati. Illos enim ſubleuabat lætitia ex martyrio percepta, ſpes promiſſorum, cha-
ritas in Chriſtum, ſacer Patris ſpiritus: hos magnum & graue conſcientiæ pondus ad-
modùm vexabat, vſqueadeò, vt dum per hominum frequentiam palàm gradieban-
tur, ipſo vultu ab omnibus alijs facilè internoſcèrentur. Illi enim hilares in publicum
progreſſi ſunt, in quorum vultu decor quidam, gratia & venuſtate multa adſperſus, e-
nituit, ſic vt vincula etiam, quibus velut ſponſa, aurearum fimbriarum varietate deco-
rata, mirè erant illuſtrati, egregium quendam ornatum illis adieciſſe viderentur: tam
ſuauem item & fragrantem, ex ipſo Chriſto egredientem, efflarunt odorem, vt non-
nullis artificioſo quodam vnguento & manu compoſito delibuti putarentur. Hi au-
tem demiſſi, abiecti, adſpectu horridi, turpi ignominiæ labe deformati, à gentilibus
porro, velut ignaui effœminatiq́ue, probris contumelioſè affecti, ac denique cùm ho-
noratum, glorioſum & ſalutare nomen Chriſti amiſiſſent, perinde ac ſi homicidij rei
fuiſſent, homicidæ iam appellati. Iſta vbi cæteri coràm adſpexiſſent, magnoperè
roborati erant & animo conſtabiliti. Qui enim præhendebantur, omni memo-
ria diabolicæ cogitationis ex animo depoſita, abſque hæſitatione fidem ſuam profi
tentur. Iſti porrò, paucis verbis obiter interiectis, rurſus, quæ ſequuntur adiun-
gunt.

Mala conditio fidei deſertorum.

Obſerua vt Chriſtus cohoneſtarit martyres iſtos.

His igitur rebus confectis, de reliquo martyria, quæ in ipſorum vitæ exitu ſuffere-
bant, in quæque ſuppliciorum genera diſpertiebantur. Siquidem vnam coronam bea
ti martyres ex vniuerſis & varijs cuiuſque generis floſculis contextam complicatam-
q́ue Deo patri obtulerunt. Quocircà par erat, generoſos & inſignes Dei athletas, vbi
multiplex & varium martyrij certamen ſubierant, illuſtremq́ue ab hoſtibus reporta-
rant victoriam, præclara immortalitatis corona decorari. Maturus ergo, Sanctus, Blã
dina & Attalus, die cum beſtijs dimicandi in noſtrorum hominum cruciatum de in-
duſtria præſtituta, ad beſtias ducebantur, quò publicum & commune gentilibus ſpe-
ctaculum, plenum inhumanitatis & ſæuitiæ, exhiberent. Atque Maturus & Sanctus in
amphitheatro omne genus tormentorum denuò ſubeunt, perinde ac ſi nihil crucia-
tûs anteà fuiſſent omninò perpeſſi, immò verò vt athletæ, qui modò aduerſarium per
varias certaminum vices ſtrenuè profligaſſent, et pro corona vitæ ipſis propoſita po-
ſtremum iam certamen haberent in manibus ad conficiendum, deintegrò tum ver-
berum traiectiones, quibus homines illic plecti ſolent, ſuſtinent: tum crudeles ferarũ
tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera, quæ inſana & furioſa plebs alij ali-

Maturus & Sanctus denuò immaniter cruciantur.

undecum vociferatione illis infligi poſtulabant,tum ferreas deniq; cathedras & ignitas illorum membris ſuppoſitas,quibus corpora miſerè frixa & exuſta erant: & quanquàm gentiles peſtifero illorum nidore non abſque moleſtia ſaturabantur, tamen ne ea quidem re deterriti,ab inſania ſua deſiſtunt:ſed pergunt adhuc magis magiſq; furere,quandoquidem illis in optatis erat,eorum patientiam prorſus euincere.Cæterùm ab ipſo Sancto nihil aliud elicere poterant,præter illam vocem,quam ab initio de fidei ſuæ confeſſione proferre conſueuiſſet.Iſti autem martyres,quoniam in hoc ingēti certamine vita adhuc in ipſis reſidebat,ſingularium certaminum loco,quæ magna cum varietate ibi fieri ſolebant,illo die ſpectaculum vniuerſo populo præbētes, ad extremum ſecuri percutiuntur.

Securi cæduntur.

Blandinæ præclara virtus.

At Blandina trabi ligneæ ſublimis affixa,præda beſtijs incurſantibus obijcitur: quæ quoniam & in crucis ſpecie ſuſpenſa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem iniecit:quippe in ipſo certamine, ex ſorore cruci ſuffixa,ipſum Chriſtum,qui pro nobis crucifixus eſt,oculis corporeis quodammodò videbant,vti credentibus in illum pro certo perſuaderetur, quòd qui pro eius gloria quicquam perpetiatur,hæreditatis ſit cum Deo viuente conſors & particeps futurus. At cùm nulla beſtia eius carnem tangere vellet, à trabe mox abrepta, in carcerem iterùm truditur,& ad aliud reſeruatur certamen: vt per varia concertationum genera victrix facta,tum tortuoſum ſerpentem condemnationi, quam ab ſe auertere non poſſet,iure addiceret,tum fratres pariter ad conſtantiā incitaret: quælicet humilis,imbecillis & propè abiecta virgo eſſet,armatura tamē Chriſti fortis athletæ induta,non ſolùm per multas cruciamentorum vices aduerſarium ſuperauit, verū etiam per illuſtre illud certamen,coronam immortalitatis tandem aſſecuta eſt.

Attali certamen.

Attalus item,clarus & magni nominis vir,importuno multitudinis rogatu ad ſupplicium euocatus,ob rectè factorum conſcientiam (ſiquidem ingenuè in Chriſtiana inſtitutione & diſciplina exercitatus,fidelis ſemper apud nos & conſtans veritatis teſtis extitiſſet)alacri animo certamen ingreditur. Ac cùm vndiq; per amphitheatrum circunduceretur,tabula,in qua Latinis literis hæc inerat inſcriptio, Hic eſt Attalus Chriſtianus,illum præcedente:cumque in eum admodùm petulanter populus inſultaret,Præſes,vbi Romanum eſſe didiciſſet,mādauit vt in carcerem denuò cū reliquis, qui in eodem erant,concluderetur:de quibus literas ad Cæſarem ſcripſit, eiuſque expectauit de illis ſententiam. Tempus verò,quod intereà intercedebat,illis quidem neque ocioſum,neq; infrugiferum fuit:ſed per mortem eorum dilatam,immenſa Chriſti clementia,quaſi lumen ſuum propalàm profudit. Nam intermortua Eccleſiæ mēbra,viuorum ſubſidijs fuerunt ad vitam reuocata,& qui fidem confeſſi fuiſſent,ijs, qui eandem pernegaſſent,magna beneficia detulerunt:atq; ideò permagna lætitia matri & virgini Eccleſiæ exorta eſt,cùm eos,quos ab ortu tanquam mortuos eieciſſet, viuos & incolumes recuperaſſet.Illorum enim hortatu & exemplo complures,qui fidē negaſſent,erant tanquam in vtero matris Eccleſiæ iterùm concepti,iterùm in membra formati,iterùm ad vitam reducti,iterùm denique ad fidem ſuam confitendam perducti. Atq; cùm ad vitam eſſent reſtituti,& viribus confirmati, ſuauitatem Dei(qui non vult mortem peccatoris,ſed pro ſua benignitate eum ad pœnitentiā inuitat) animis haurientes,ad tribunal ſpontè accedunt, vt iterùm à Præſide de fide denuò rogarentur. Nam cùm Cæſar reſpōſum per literas miſiſſet,illos,qui fidem Chriſti confiterentur,tympanis eſſe torquendos: hos autem,qui eandem inficiarētur,in principio mercatûs(qui hîc celebrari ſolet,quiq; eſt,propter frequentiam hominum,ex omnibus cōgentibus commeantium,multorum ſermone nobilitatus) liberos dimittendos, Præſes beatos martyres,tanquam ſpectaculum & glorioſam pompam de illis multitudini præſtaturus,ad tribunal deduci iubet,iterùm in quæſtionem vocat, datq; ſententiā, vt qui municipes Romani eſſent,ſecuri percuterentur: reliqui autem amandarentur ad beſtias.Chriſti verò gloria in his, qui anteà fidem abnuerant, tunc tamen præter Gentilium opinionem,eandem ingenuè cōfitebantur,magnopere illuſtrata fuit. Etenim illi cùm priuatim in quæſtionem dati eſſent,quaſi pro certo abſoluendi, tamen ſe Chriſtianos verè confitentes,martyrum choro adijciebantur. Alij autem falſi Chriſtiani,à fide penitùs lapſi,qui neq; veſtigium aliquando fidei,neq; ſenſum & ſignificationem veſtis ſponſalis,neq; cogitationem timoris Dei in animis inſidentem habebant,ſed per nequam eorum conuerſationem,viam veritatis contumelijs affecerant, hoc eſt, filij perditionis,foris extra Eccleſiam permanſerunt: cæteri vniuerſi fuère in Eccleſiam denuò aſſcripti.

Reſipiſcūt qui à fide exciderant.

Ezech.18.& 33.

Mercatus Lugdunen.

Conſtantia corū,qui antea defecerant.

De

De quibus cùm haberetur quæſtio, Alexander quidam genere Phryx, arte & ſcientia Medicus, multis annis in Gallia commoratus, omnibus ferè propter charitatem erga Deum, & liberam in verbo prædicando alacritatem cognitus, (non enim doni & muneris Apoſtolici expers erat) cùm adſtaret tribunali, & illos fratres nutu ad fidei cōfeſſionem hortaretur, (ijs, qui vndique tribunal circunſiſtebant, videbatur tanquam parturiens) populi multitudo confeſſionem eorum, qui antea inficias iuiſſent, ægrè ferens, contra Alexandrum, tanquam eius rei caput & authorem, vociferari cœpit. Vbi verò Præſes inſtabat, ſciſcitabaturque quiſnam eſſet? reſpondet ſe Chriſtianum eſſe. Vnde Præſes ad iracundiam prouocatus, illum condemnat ad beſtias. Poſtero autem die eandem cum Attalo dimicationem (Præſes enim, quò populo gratificaretur, Attalum denuò beſtijs obiecit) Alexander ingreditur. Hi duo in amphitheatro omnes machinas ad eorum cruciatum excogitatas, tanquam præteruecti, maximumque certamen perpeſſi, ad extremum gladio feriuntur. Alexander autem neq; ingemuit, immò vero ne gry quidem ore extulit: ſed interiore mente & cogitatione quaſi cum Deo ſermones contulit. Attalus, vbi in ferrea cathedra iam candenti eſſet impoſitus, & eius incendio ambuſtus, quando nidor & fumus è corpore in ſublimi ferebatur, Latino ſermone multitudinem ſic affatus eſt: Ecce ecce, hoc, quod vos præſtatis, eſt homines vorare. Nos quidem neque voramus homines, neque aliud quicquam ſceleris patramus. Rogatus tamen, quod nomen Deus haberet? reſpondet, Deum nomen non habere more hominum.

Alexandri virtus & martyrium

Quibus omnibus confectis, poſtremo die ſingularium certaminum aduentante, Blandina & adoleſcens Ponticus, circiter quindecim annos natus, (hi autem quotidie introducebantur ad reliquorum ſupplicia contemplanda) in amphitheatrum inferebantur, vrgebanturque per gentilium idola iurare. Ac quoniam illi perſtabant conſtantes, & ea deſpicatui ducebant, veſana multitudo contra illos aſperè & ferociter ſæuiebat: adeo, vt neque adoleſcentuli commiſerarentur ætatem, neque mulierem omnino reuererētur. Omnibus igitur tormentis eos obiectare, & per quoduis ſupplicij genus vndiq; agitare cœperunt, & ſine intermiſſione nunc hanc, nunc illū per ipſorū deos iurare impellebant. Cæterùm hoc nullo modo poterant efficere. Nam Ponticus, qui ita à ſorore erat exuſcitatus, vt gentes eam eſſe animaduerterent, quæ illum cohortata fuiſſet, confirmaſſetque, poſt omnia cruciamentorum genera, viriliter, & magno animo tolerata, extremum ſpiritum edidit. Beata Blandina omnium poſtrema, tanquam nobilis & generoſa mater, vbi liberos animauerat ad pœnam, & victores ad Chriſtum Regem præmiſerat, ipſa eoſdem cum liberis certaminum curſus remenſa, ad eoſdem lætitia geſtiens, ac de ipſo vitæ ſuæ exitu permagno gaudio exultans, properabat, non quaſi ad beſtias crudeliter proiecta, ſed ad cœnam ſponſi amicè inuitata. Atque poſt verbera, poſt beſtiarum laniatus, poſt ſartaginis exuſtionem, ad extremū in rete inuoluta, tauri rictibus obiectatur. Quæ cùm ab animali illo diù multumq; icta exagitataque fuiſſet, ac nullum ſenſum cruciamentorum, quę hactenùs ei obrigiſſent, partim propter ſpem, qua Dei promiſſis firmè adhæreſcebat, partim propter colloquia, quæ intra ſe cum Chriſto conferebat, omninò haberet, tandem enſe iugulata fuit. Vnde gentes ipſæ palàm teſtabantur, mulierem apud ſe nunquam tot tamq; acerba tormenta tam conſtanter pertuliſſe.

Blandinæ & Pontici pueri martyrium.

Enarratum ſupplicij genus Blandinæ aliubitū.

Verùm eorum rabies & crudelitas in ſanctos, non ita exaturata fuit. Nam ab immani & furioſa bellua, diabolo, immanes illæ & barbaræ gentes exagitatæ, vix aut ne vix quidem à furore ſuo aliquando acquieuerunt, immò verò in corporibus martyrū ſuā de integro contumeliam cœperunt & maleuolentiam exercere. Nam quamuis martyrum conſtantia penitùs eſſent ſuperatæ, tamen quia omnem humanam rationem omnino exuiſſent, illorum amentia minimè fuit retardata repreſſaq;: ſed acerba bilis cùm Præſidis, tum populi (qui quidem in nos lethale odij ſui virus euomebant) tanquam immanis belluæ magis magiſque incenſa, ſic vt ſcriptura verè impleretur: Impius adhuc impiè agat, & iuſtus iuſtificetur adhuc. Etenim corpora eorum, quos carceris peſtifer odor & cruciatus ſuffocauerat, canibus laceranda obijciunt, ſtudioſeque noctu dieque obſeruant, ne quiſquam è noſtris illa tumulis mandet. Tandem verò martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec beſtiæ adhuc vorârant, nec ignis abſumpſerat, partim minutatim dilaniata, partim inſtar carbonum ambuſta, quinetiam ſecuri percuſſorum capita vnà cum corporum truncis collecta, dies cōplures ſimiliter militū excubijs inſepulta cuſtodiunt. Porrò alij fremere, & dentibus contra eos frendere cœperunt, toto animo connitentes aliquam grauiorē in ea exercere

Apoc. 22.

Corpora ſanctorum obijciuntur canibus.

contumeliam. Nonnulli irriſione ludere,& ſalſos cachinnos tollere, ſummaq; commendatione & præconio idola ſua efferre,quibus quidem,tanquam authoribus, pœnam & vltionem Chriſtianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quanquàm factis aliquantò modeſtiores erant,& de illorum afflictatione aliquantùm condoleſcere videbantur,verbis tamen acerbè eos vexare ad hunc modum: Vbi iam illorum Deus? Quid illis hæc profuit religio,quam ſuæ ipſorum vitæ præpoſuerunt?

Non ſinuntur ſanctorum corpora ſepeliri.

Quæ ad gentilium crudelitatem pertinebant,talem habebant varietatem. Quæ autem ad nos, videbantur ſanè magnum mœrorem propterea in ſe cōplecti, quòd martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præſidij,neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces vlla ex parte placare poterant:ſed nulla non ratione & via corpora illa erant aſſiduè ab illis obſeruata,& id quaſi in magno lucro deputatum, ſi penitùs inhumata iacerent. Paulò pòſt etiam iſta addunt. Martyrum corpora, ſex dies continuos ſub dio iacentia,& maxima ignominia affecta,pòſt autem ab impijs illis & facinoroſis carnificibus exuſta,inque cineres redacta,in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit,ſpargebantur,quò nullæ quidem illorum reliquiæ ampliùs ſuper terrā reſtarent. Iſta eo conſilio patrabant,quòd Deum ſe poſſe vincere, & illis regenerationem corporum prorſus eripere arbitrati ſunt: quò ne vlla quidem (ſic enim dicebant) ſpes reſurrectionis reliqua fieret illis:qua freti (inquiunt) non ſolùm peregrinam quandam & nouam nobis induxerunt religionem, verumetiam neglexerūt penitùs tormenta, & prompto atq; alacri animo ad mortem properarunt. Iam videamus, vtrùm ſint reſurrecturi,& vtrùm illorum Deus ipſos iuuare,& è manibus noſtris eripere poſſit. Eiuſmodi perſecutionis tempeſtas,regnante Imperatore,de quo docuimus, iſtis Chriſti eccleſijs obtigit. Vnde certè,quænam fuerint in reliquis prouincijs eodem tempore factitata,coniectura aſſequi poterimus.

Antoninū Verū dicit.

CAP. II.

ILlas item voces,ex eadem epiſtola depromptas,in hunc ſermonem includere operæprecium arbitramur,quibus modeſtia & ſingularis martyrum,quos diximus, benignitas hoc ferè modo deſcripta ſit. Iſti verò ipſius Chriſti (qui cùm in forma Dei eſſet,non rapinam arbitratus eſt,ſe eſſe æqualem Deo,ſed ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens) tam verè æmuli & imitatores erant, vt quanuis in tali gloria & ſplendore locarentur,& non ſemel & iterùm,ſed ſæpiùs,vt martyres decet, pro fidei confeſſione acerba tormenta perpeſſi,beſtijs obiecti,ab eiſdem denuò ablati, ignito ferro exuſti,vibicibus liuidi,vulneribus vndique inflictis excruciati:non tamen ſe ipſi martyres eſſe prædicarent,neque cuiquam noſtrûm copiam facerent illos eo nomine appellandi:ſed ſi quiſquam noſtrûm eos vel per literas, vel per ſermonem vt martyres fortè ſalutauiſſet,grauiter eum reprehenderunt. Libenter enim martyris appellationem Chriſto fideli & vero martyri,primogenito mortuorum, duci & authori vitæ, quæ eſt ex Deo,conceſſerant: martyrum etiam, qui iam ad Chriſtum ex hac corporis cuſtodia migrauiſſent,nos non grauatè in memoriam redegerunt, dixeruntque: Illi iam verè ſunt martyres, quos Chriſtus propter fidei confeſſionem ad ſe recipere dignatus eſt,& quorum martyrium ipſo præclaro vitę exitu,tanquam ſigillo certiſſimo obſignauit: nos autem tenues ſolùm & abiecti Chriſti nominis confeſſores: atque fratres obſecrabant cum lachrymis, vt preces pro illis ardenter & obnixè Deo funderent, quò ipſo diſceſſu è vita opus,quod Deus tam benignè in illis incepiſſet, cumulatè expleretur. Et quanuis non modò libera reſponſa gentilibus dando, ſed etiam patientia,maganimitate, fidenti animi robore contra omnes cruciatus ſe generoſos ac ſtrenuos palàm oſtendendo,vim & virtutem martyrij perſpicuè declaraſſent, tamē timore Dei referti, martyrum appellationem, qua fratres illos donare voluiſſent, ab ſe repellere ſtudebant. Et iterùm, paucis verbis interiectis, ſequuntur iſta: Humiliauerunt ſe ſub manu potenti,qua iam ſatis exaltati ſunt. Dum in vita manebant, defendere omnes,neminem accuſare,omnes è vinculis eripere,colligare neminem conabantur. Pro illis,qui ſupplicia eorum corporibus inflixerant, exemplum Stephani perfecti martyris imitati,benignè orare,dicentes: Domine,ne ſtatuas illis hoc peccatū. Quòd ſi pro eis,qui ipſos tam contumelioſè torſiſſent, precabantur: quanto magis pro fratribus idem ipſum præſtiterunt? Hæc item, paulò longiùs ſermonem producētes,adnectunt: Grauiſſimum autem bellum ab illis,propter ingenuā erga fratres charitatem,cum ipſo diabolo ideò ſuſceptum erat,quòd tantoperè nitebantur, vt voracē illius,tanquā malæ beſtiæ,gulam ſtringendo,eos viuos denuo euomere cogerēt,quos prius

Philip.2.

Nota inſignem martyrum modeſtiam.

Act.7.

Diabolus cur eos tam atrociter inſectatus ſit.

pius tanquã mortuos, ſe penitùs deuoraſſe putauerat. Non enim illi fratrũ imbecillorum lapſu gloriabantur, ſed quæ dona ipſis per Dei gratiam affatim ſuppetebant, alijs qui maioris opis indigerent, benignè largiebantur: atque adeò velut matris indulgentis miſericordia commoti, multas lachrymas pro eorum ſalute in conſpectu Dei patris profundebant, vitam illis flagitabant: vitam conceſſit Deus, vitam etiam cum proximis communicarunt, victores in omnibus, ad Deum profecti ſunt, pacem amplexati: pacem nobis commendarunt, cum pace denique ad Deum deceſſerunt, non matri Eccleſiæ moleſtiam & angorem, non fratribus bellum & ſeditionem, ſed gaudium, pacem, concordiam & charitatem reliquerunt.

MARTYRIVM SS. MARCELLINI ET PETRI, GRAVITER CONSCRIPTVM. ADSTIPVLANTVR EI *antiqua Martyrologia, & habetur in vetuſtis MS. codicibus. Stylum aliquot locis nonnihil correxit F. Laur. Surius.*

BENIGNITAS Saluatoris noſtri, martyrum perſeuerantia comprobata, euſque proceſſit, vt & fidei amicos coronaret, & inimicos eorum ex ipſis inferorum clauſtris erueret. Denique cùm Romæ à paganis teneretur Petrus, Exorciſtæ officium gerens, & multis vicibus cæſus, miſſus in obſcuriſſimam habitationem, maneret in vinculis ferreis immotus, cuſtoſque carceris Arthemius Paulinam vnicam filiam ſuam virginem, quam impenſiùs amabat, à dæmonio vexari quotidie plangeret, dixit ad eum vir Dei Petrus Exorciſta: Audi conſilium meum, Arthemi, & crede in vnigenitum filium Dei viui Ieſum Chriſtum, qui eſt liberator omnium in ipſum credentium. Si enim verè credideris, mox erit ſalua filia tua. Reſpondit Arthemius: miror valdè imprudens conſilium tuum, quòd cùm te ipſe Deus tuus liberare non poſſit, in ipſum licet credas, & quotidiè pro eius nomine plagas & vincula perferas, mihi perſuadere vis liberaturum illum filiam meam, ſi ego in eum credidero. Dixit ei Petrus: Poteſt me liberare Dominus meus & de his vinculis, & de pœnis omnibus: ſed non vult impedire coronam meam. Vult autem, vt perficiam curſum meum perferendo hos cruciatus temporarios, vt poſſim adipiſci gloriam ſempiternam. Arthemius ait: Si vis me tuo credere Deo, da operam vt fiat quod dicturus ſum. Ecce ego hodiè duplicabo ſuper te catenas, & clauſtra carceris omnia communiam, teque in ima hac & obſcura cuſtodia ſolum includam: & ſi ex his omnibus te eripuerit Deus tuus, credam equidem in illum, ſed tunc demum, cùm videro incolumem filiam meam.

Iunij 2.

S. Petrus crebrò cæſus, mittitur in obſcuriſſimum carcerem.

Tum beatus Petrus ſubridens, ait: Infirmitas fidei tuæ poterit curari, ſi hoc, quod dicis, feceris? Arthemius dixit: Credam planè in illum, ſi & te his vinculis abſoluerit, & meam filiam curauerit. Petrus ait: Vade in domum tuam, & præpara mihi manſionem, & ego, neque abſoluente me his vinculis, neque oſtium aperiente, neque per iter deducente, ad te perueniam in nomine Domini mei Ieſu Chriſti. Cumque eò venero, palpabunt me manus tuæ, conſpicient me oculi tui, atque hos eoſdem ſermones tecum conferam. Et ſi vel ſic credideris, habebis ſanam filiam tuam. Hoc verò fiet nõ pro libidine tentationis tuæ, ſed ad declarandam diuinitatem Domini mei Ieſu Chriſti. Hæc vt ille dixit, Arthemius caput agitans: Hic homo, inquit, nimijs confectus afflictionibus, delirat & aliena loquitur: ſicque diſceſſit. Veniens autem domum, narrauit ea Candidæ vxori ſuæ, quæ dixit ei: Miror te illum hominem exiſtimare inſanum, qui & tibi ſanitatem promittit, & noſtræ filiæ ſoſpitatem. An verò longum ille tempus tibi præfixit? Hodie dicit ſe venturum. Id ſi factum fuerit, quis dubitet Chriſtum verum eſſe Deum, in quem ille credit? Arthemius dixit: Horrori eſt mihi fatuitas tua. Ipſi dij ſi de cœlo deſcendant, non eum abſoluent à vinculis: immò ſi vel Iupiter ipſe ad eum veniat, aperire illi carcerem non poterit. Candida reſpondit: Nimirùm idcirco magnus habebitur Deus eius, & credendum illi erit, ſi hoc fecerit, quod nec ipſe, vt ais, Iupiter facere poſſit.

Videtur delirare cuſtodi carceris Arthemio.

Hæc & pleraque alia cùm inter ſe loquerẽtur, & occumbente diei lumine, nox ini-

tium ſuum ſtellarum ortu indicaret, adeſt homo Dei Petrus, Arthemio, & Candidæ ſe offerens, candidis indutus veſtibus, trophæum Crucis tenens in manu ſua. Mox igitur ad eius veſtigia corruunt Arthemius & Candida, exclamantque, dicentes: Verè vnus eſt Deus omnipotens Ieſus Chriſtus. Statimque filia eorum Paulina virgo, ab immundo vexata ſpiritu, Deum confitens, & ad pedes eius procidens, purgata eſt, ita vt dæmon clamaret in aere: Virtus Chriſti, quæ in te eſt, Petre, me ligauit & expulit à virgine. Cumque hæc fierent, omnes, qui in domo Arthemij erant, crediderunt. Peruenit autem fama ad eos, qui in vicinia morabantur, & conuenére viri ampliùs trecenti, plures verò fœminæ: qui omnes vna voce clamabant: Præter Chriſtum, non eſt alius Deus omnipotens. In conſpectu enim illorum, & à dæmonibus obſeſſi liberabantur, & infirmi omnes ſanabantur. Cumque omnes qui ad ædes Arthemij confluxerãt, cuperent fieri Chriſtiani, abijt vir Dei Petrus, & adduxit ſanctum Marcellinum presbyterum, à quo omnes in domo Arthemij baptizati ſunt. Porrò Arthemius ingreſſus ad eos, qui erant in vinculis, dixit eis: Si quis vult credere in Chriſtum, exeat liber, veniatque ad domum meam, & fiat Chriſtianus. At illi omnes promittentes ſe in Chriſtum credituros, egreſſi ſunt: venienteſque ad ædes Arthemij, à ſancto Marcellino presbytero baptizati ſunt, & ſancta conſecratione illuminati. Intereà dum hæc agerentur, peſtilentiſſimus Iudex Serenus in morbum incidit, & toto ſpatio ægritudinis eius datum eſt tempus baptizatis omnibus, vt ſermone quotidiano Marcellini & Petri in fide Domini confirmarentur, per quadraginta & eo ampliùs dies.

Miro modo è carcere venit ad Arthemium. Paulina ſanatur.

Multi crediderũt in Chriſtum.

Poſt hæc Commẽtarienſis miſit ad Arthemium cuſtodem carceris, indicauitq; ſeſſurum eſſe vicarium, eumque iuſſiſſe, vt nocte proxima præſtò ſit ipſe cum illis, qui erant in carcere. At ille baptizatorum omnium oſculabatur manus, dicebatque eis, ſi quis vellet venire ad martyrium, faceret id intrepidus: ſi quis verò mallet recedere, abiret illæſus. Cùm ergo ad primum pullorum cantum ſederet Serenus vicarius, iuberetque perſonas audiendas intromitti, ingreſſus Arthemius, coram omnibus dixit: Petrus Exorciſta Chriſtianorum, quem cæſum & tortum ac ſemiuiuum in carcere ſeruari iuſſiſti, in nomine Dei ſui omnium vincula ſoluit, oſtia omnia patefecit, cunctoſque efficiens Chriſtianos, quò vellent, eis fecit abeundi poteſtatem. Ille verò cum Marcellino presbytero nuſquam abſcedere voluit: ſed quoties ego eum cuſtodire volui, non comparuit. Tunc Serenus immani furore incenſus, iuſſit Arthemium plumbatis cædi, & trudi in cuſtodiam: ſanctos autem Dei martyres Marcellinum & Petrum, intromitti ſub voce quæſtoria, iiſque intromiſſis, ait: Mitiùs vobiſcum agerent carnifices, ſi ſacrilegos religionis veſtræ ritus abijceretis, neque homines noxios & criminum reos è carcere egredi iuſſiſſetis. Marcellinus presbyter dixit: Tamdiu criminum reus manet in ſuis criminibus, quamdiu in Chriſtum non credit: porrò ſimulatque crediderit, mox omni culpa ablutus & abſolutus, ſummi Dei filius appellatur. Cùm hæc & his ſimilia diceret Marcellinus presbyter, iuſſit eum Serenus pugnis cædi in arterijs. At vbi cædentes defecerunt, præcepit ſeparari Marcellinum à Petro, & mitti nudum in carcerem, illicque vitrum contritum ſpargi, ſicque vinctum incluſum relinqui, lumenque & aquam ei negari.

Arthemius cæſus, truditur in cuſtodiam.

Marcellinus cæditur, & dnè cruciatur.

Ad Petrum inde conuerſus, ait: Nolo te exiſtimes eculeo & lampadibus iterum eſſe torquendum: ſed ad palum cras ligaberis, ferarumq; morſibus laceratus, vitam amittes, ſi hodiè dijs ſacrificare contempſeris. Reſpondit Petrus: Cùm ſis Serenus nomine, totũ te tenebroſum & tetrum atque nubilum factis oſtendis: & cùm homo ſis mortalis, pœnas atroces intentas, minis & terroribus te perturbaturum ſperans immortalem fidem, quæ regnat in mentibus Chriſtianorum. Tum etiam ſummi Dei ſacerdotem Marcellinum, quem te rogare oportebat, vt tui miſereretur, & oraret pro te, vt incredulitatis tuæ criminibus poſſes abſolui, pugnis cædi voluiſti, & diro carceri mancipaſti: quo quidẽ nomine ille gloriatur & gaudet, te autem luctus excipiet ſempiternus. His dictis, etiam Petrum iuſſit Serenus in vincula conijci, & pedes eius in cippo arctiſſimè conſtringi. Cùm ſic autem abinuicem ſeparati eſſent, & Marcellinus quidẽ nudus in vitreis fragmentis iaceret, Petrus verò in cippo teneretur: angelus Domini apparuit Marcellino oranti, induitque eum veſtimentis ipſius, & dixit ei: Sequere me. Sequens ergo angelum, ingreditur cum eo, vbi Petrus in cippo & ferro vinctus aſſeruabatur: & cùm illum quoque abſoluiſſet angelus, iuſſit ambos ſe ſequi: atque ita pariter venerunt in domum illam, in qua baptizati omnes vnanimiter in preces incumbebant. Dixitque angelus ad eos, vt diebus ſeptem confirmarent populum, qui per ipſos crediderant: ac deinde oſtenderent ſe Sereno vicario.

Petrus in carcerem ducitur.

Angelus amboſ liberat.

Poſtero

Poſtero die mittuntur quidam ad carcerem, & neque Marcellinum neque Petrum inueniunt, ſuque Iudici renunciant. Tunc Iudex acciri iubet Arthemium & vxorem eius Candidam cum filia Paulina virgine: cumque veniſſent, vrgere eos cœpit, vt dijs ſacrificarent. At illi dixerunt: Nos Dominum Ieſum Chriſtum confitemur, filiũ Dei viui: & ideò nulla ratione poſſumus ſacrificiorum veſtrorum ritu nos polluere. Eos igitur omnes Serenus iubet via Aurelia immenſa ruderum mole obrui.

Ea autem hora, qua ad paſſionem ibant, in eodem loco Chriſtiani omnes occurrerunt ſanctis Marcellino & Petro. Vidẽtes autem officiales & carnifices tam multum populum, fugerunt: currebant verò poſt eos quidam iuniores è populo Dei, tenueruntque eos, & blandis ſermonibus inuitabant ad fidem. Sed cùm nollent credere, tãdiu à populo retenti ſunt, donec Miſſas faceret S. Marcellinus presbyter in crypta, in qua puniendi erant ſancti. Cumque completa eſſent, quæ Dei ſunt, iuſſu presbyteri omnis populus abſceſſit: factoq; ſilentio, ſancti Marcellinus & Petrus dixerunt ad eos, qui credere nolebant: Ecce in poteſtate noſtra fuit, vt læderemus vos, neque tamen id fecimus: in poteſtate noſtra fuit, vt toleremus è manibus veſtris Arthemium & Candidam, filiamque virginem, nec fecimus. Eſt etiam in poteſtate noſtra, vt ſi velimus, hinc abire, poſſimus, Dei gratia id agente: ſed neque hoc facimus. Quid vos igitur ad hæc? Tum illi frementes in homines Dei, Arthemium gladio percuſſerunt: porrò Candidam & Paulinam per præceps in cryptam impellentes, lapidibus oppreſſerunt. Marcellinum autem presbyterum & Petrum Exorciſtam manibus retrò ad arborem alligauerunt, donec referrent de ijs ad vicarium. Qui, vt res geſtas cognouit, iuſſit eos duci in ſyluam nigram, quæ hodiè in honorem illorum ſylua Candida appellatur, atq; illic ambo pariter decollari. Vbi ad mediam ſyluam ventum eſt, ipſi ſuis manibus mũdauerunt locum à ſpinis: ac deinde orantes, & pacis oſculo inuicem ſe ſalutantes, flexis genibus capite plexi ſunt. Qui autem eos decollauit, teſtatus eſt, ſe vidiſſe animas eorum exeuntes è corporibus, tanquam virgines auro & gemmis ornatas, veſtibus indutas ſplendidiſſimis, angeliciſque manibus in cælum ſublatas, per auras iuiſſe gaudentes.

S. Marcellinus Miſſas facit.

Arthemius cũ vxore & filia perimũtur.

Marcellinus & Petrus capite puniuntur.

Per id tempus Lucilla & Firmina, Chriſtianiſſimæ fœminæ, propinquæ S. Tiburtij martyris, cuius nobilitas inter Senatores inſignis fuit in terris, & inter martyres illuſtrior eſt in cælis, amore beati martyris à ſepulchro eius non recedebant, ſed conſtructo illic cubiculo, die noctuque ibi permanebant. Ijs ergo in viſu apparuit S. Tiburtius cum his duobus martyribus, edocuitque eas, quemadmodum corpora eorum è nigra ſylua abſportata, iuxta ipſum in parte inferiori in crypta ſepelire deberent. Fuerunt autem eis adiutorio Acolythi duo eccleſiæ Romanæ. Hæc omnia Damaſus, cùm lector eſſet, puerulus didicit ab eo, qui eos decollauerat: & poſtea factus Epiſcopus in eorum ſepulchro his verſiculis * declarauit.

* limina decorauit.

Marcelline tuos, pariter Petre, noſce triumphos.
Percuſſor retulit Damaſo mihi, cùm puer eſſem,
Hæc ſibi carnificem rabidum mandata dediſſe,
Sentibus in medijs veſtra vt tunc colla ſecaret,
Ne tumulum veſtrum quiſquam cognoſcere poſſet.
Vos alacres veſtris manibus * mundaſſe ſepulcra.
Candidulo occultè poſtquam iacuiſtis in antro,
Poſteà commonitam veſtra pietate Lucillam,
Hic placuiſſe magis ſanctiſſima condere membra.

* fodiſſe

Is verò, qui eos decollauit, nomine Dorotheus, poſteà ſub ſancto Iulio Pontifice publicam egit pœnitentiam, & omni populo indicans, quæ vidiſſet, baptizatus eſt in ſenectute ſua, & per bonam confeſſionem peruenit ad miſericordiam Saluatoris, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

Dorotheus baptizatur.

DE

DE TRANSLATIONE EORVNDEM SS. MARTYRVM MARCELLINI ET PETRI LIBRI IIII. AVTHOre *Einhardo ſeu Eginhardo, qui fuit Cancellarius Caroli Magni Imperatoris, & poſtea monachus Benedictinus, & primus Abbas Selgenſtadienſis in monaſterio horum martyrum, quod Imperatoris Ludouici Pij, & ipſius impenſis conditum eſt circa annum Domini 821. Eſt opuſculum eruditum, & hactenus, quòd ſciam, typis non excuſum. Nos capita ad marginem adiecimus.*

PROLOGVS AVTHORIS.

VEris veri Dei cultoribus, & Ieſu Chriſti Domini noſtri, Sanctorumque eius non fictis cultoribus, Einhardus peccator. Qui vitas & facta iuſtorum ac ſecundùm diuina mandata conuerſantium hominum literis ac memoriæ mandauerunt, non aliud mihi efficere voluiſſe videntur, niſi vt ad emendandos prauos mores, & collaudandam Dei omnipotentiã, *Scopus ſacrarum hiſtoriarum.* per eiuſmodi exempla, quorũcunq; animos incitarẽt. Feceruntq; hoc, nõ ſolũ, quia liuore carebant, ſed quia charitate, quæ omnibus cupit eſſe conſultum, granditer abundabant. Quorum laudabile propoſitum quia tã in propatulo eſt, vt præter ea, quæ dixi, nihil aliud eos moliri voluiſſe lucidiſſimè clareat, cur à multis imitari nõ debeat, omninò nõ video. Ac proinde quia mihi conſcius ſum, quòd libri, quos de trãſlatione corporum beatorum Chriſti martyrum, Marcellini & Petri, ſigniſque ac virtutibus, quæ *Cur Einhardus hos cõſcripſerit libros.* per eos Dominus ad ſalutem credentium fieri voluit, qua potui facultate conſcripſi, eadem ſunt voluntate atque intentione compoſiti, eoſdem edere, ac Dei amatoribus ad legendum offerre decreui. Arbitror enim, quòd hoc opus non ſolùm inane ac ſuperuacuum cuilibet fidelium videri non debeat: ſed etiam fructuosè atque vtiliter me laboraſſe præſumo, ſi efficere potuero, vt in laudẽ ſui conditoris anima illa legentis aſſurgat.

LIBER PRIMVS.

Cap. 1. CVm adhuc in palatio poſitus, ac negotijs ſecularibus occupatus, otium, quo aliquando perfrui cupiebam, multimoda cogitatione meditarer, quendam locũ ſecretum atq; à populari frequentia valdè remotum nactus, atque illius, cui tunc militaueram, principis Ludouici liberalitate conſecutus ſum. Is locus eſt in ſaltu Germaniæ, qui inter Neccarum & Mœnum fluuios medius interiacet, ac moderno tempore ab incolis & circũmanentibus * Odanuuald *(* Odonouuald)* appellatur. In quo cùm pro modo facultatum ac ſumptuum non ſolùm domos & habitacula ad manendum, verùm etiam baſilicam, diuinis officijs cõgruentem, non indecori operis ædificaſſem, dubitare cœpi, in cuius potiſſimùm ſancti vel martyris nomine atque honore dedicari deberet. Cumque in hac animi fluctuatione plurimum temporis eſſet euolutum, contigit vt quidam Diaconus Romanæ Eccleſiæ, nomine Deuſdona, pro ſuis neceſſitatibus regis opem imploraturus ad palatium veniret: ibique aliquandiù moratus, cùm peracto, propter quod venerat, negotio Romam redire pararet, quadam die humanitatis cauſa velut peregrinus ad prandium noſtræ paruitatis à nobis eſt inuitatus: ibique inter prandendum plura locuti, eouſque ſermocinando peruenimus, vt de tranſlatione corporis beati Sebaſtiani ac neglectis martyrum ſepulchris, quorum Romæ ingens copia eſt, mentio fieret. Inde ad dedicationem nouæ baſilicæ noſtræ ſermone conuerſo, percontari cœpi, quonam *Romæ plurima martyrum monumenta.* modo ad id peruenire poſſem, vt aliquid de veris Sanctorum reliquijs, qui Romæ requieſcunt, mihi adipiſci cõtingeret? Hic ille primò quidem hæſitauit, & qualiter id fieri poſſet, ſe neſcire reſpondit. Deinde cùm me de hac re ſolicitum ſimul & curioſum eſſe animaduerteret, altera die ſe percontationi meæ reſponſurum eſſe promiſit.

Cap. 2. Poſt hæc cùm iterum à me fuiſſet inuitatus, protinùs è ſinu libellum mihi porrexit

porrexit, rogans vt eum ſolus perlegerem, ſibique de his, quæ in eo ſcripta erant, quid mihi placeret, indicare non dedignarer. Accepi libellum, & vt ille petijt, ſolus ſecretè perlegi. Continebatur in eo, eſſe ſibi domi plurimas Sanctorum reliquias, eaſque ſe mihi dare velle, ſi meo fultus adiutorio Romam reuerti potuiſſet: compertum ſibi fore, quòd duos mulos haberem, quorum ſi alterum ſibi darem, ac ſecum hominem meum fidelem mitterem, qui illas reliquias ab illo reciperet, mihique deferret, ſtatim eas mihi eſſe miſſurum. Complacuit mihi ſuadentis conſilium, ſtatuiq; fidem ſponſionis incertæ celeriter experiri: ac proinde dato quod petebat iumento, addita propter viaticum pecunia, notarium meum nomine Ratleicum, quia & ipſe orandi cauſa Romam eundi votum habebat, cum eo pergere iuſſi.

Igitur de Aquiſgrani palatio profecti (Nam ibi eo tempore Imperator cum ſuo comitatu erat) Auguſtam Sueſſorum venerunt: ibiq; cum Hildoino Abbate in monaſterio S. Medardi locuti ſunt, quia memoratus diaconus ei pollicitus eſt, ſe efficere poſſe, vt corpus beati Tiburtij martyris in eius veniret poteſtatem. Quibus ille promiſſionibus illectus, miſit cum eis quendam presbyterum, hominem callidum, nomine Hunum, iubens vt acceptū ab eo memorati martyris corpus deferret, inde iter ingreſſi, Romā quanta potuerunt celeritate, perrexerunt. Contigit autem, poſtquam Italiam intrauerunt, vt puer notarij mei, nomine Reginbaldus, tertiana febre correptus, non modicum profectioni eorum ſuis laboribus faceret impedimentum: quoniam his horis, quibus ille febrium æſtibus tenebatur, iter agere non potuerunt. Erant enim pauci, & per hoc ab inuicem ſeparari nolebant. Cumq; hoc incommodo iter illorum non mediocriter fuiſſet retardatum, illi tamen prout poterant illud accelerare contenderent, tribus diebus priuſquam ad vrbem venirent, apparuit in viſu illi febricitanti quidam homo in habitu Diaconi, perquirens ab eo, quam ob rem dominus ſuus Romam ire feſtinaret? Cui cùm ille & promiſſa Diaconi de reliquijs ſanctorum mihi mittendis, & de his quæ Hildoino Abbati pollicitus eſt, prout illi comperta erant, exponeret: Non ita, erit, inquit, ſed longè aliter, ac vos exiſtimatis, cauſarum propter quas veniſtis, exitus adimplebitur. Nam Diaconus iſte, qui vos Romam venire rogauit, aut parùm aut nihil de his, quæ vobis promiſit, facturus eſt: ac proinde volo ſequaris me, atque ea quæ tibi oſtenſurus atque dicturus ſum, mente ſolicita cures aduertere.

Cap. 3. Hildoinus Abbas. Viſio famuli cuiuſdā.

Tunc manu comprehenſum, vt ſibi videbatur, montis præcelſi cacumen ſecum conſcendere fecit: in quo cùm ſimul poſiti conſiſterent: Conuertere, inquit, ad Orientem, & ſubiectos oculis tuis campos intuere. Quod cùm feciſſet, & campos, de quibus ſibi dixerat, fuiſſet intuitus, videt in eis molis immenſæ fabricas, in modum magnę cuiuſdam ciuitatis extructas: & interrogatus ab eo, ſi ſciret quid hoc eſſet? ſe neſcire reſpondit. Tum ille: Roma eſt, inquit, quod vides, ſtatimque addidit, Dirige oculos in vlteriora ciuitatis, & contemplare ſi aliqua tibi in his locis appareat eccleſia. Cumque ſibi quandam eccleſiam apparere dixiſſet: Vade, ait, & Ratleico nuntia, quoniam in eccleſia, quam modò vidiſti, illa res eſt recondita, quam ille domino ſuo debet adferre: & ideò det operam, vt eam quantò celeriùs fieri poteſt, accipiat, & ad dominum ſuum reuertatur. Cumque ille diceret, quod nemo de his, qui ſecum venerant, in huiuſmodi re fidem dictis ſuis eſſet habiturus, reſpondit & dixit: Tu noſti, quòd omnes, qui tecum hoc iter agunt, tibi conſcij ſunt, quia complures dies in febre tertiana laboraſti, & nondum te ab illis vllam habuiſſe remiſſionem. Et ille, Ita eſt, inquit, vt dicis. Quapropter, ait, volo vt pro ſigno tibi ſit, atque his, quibus verba quæ dixi, relaturus es, quoniam ex hac hora, febre, qua vſque modò detinebaris, ſic per Dei miſericordiam cariturus es, vt te vlteriùs in hoc itinere non contingat. His dictis expergefactus, omnia quæ ſibi vidiſſe vel audiſſe videbatur, Ratleico referre curauit. Quæ cùm Ratleicus presbytero ſecum pergenti expoſuiſſet, viſum eſt ambobus, vt experimentum ſomnij ex veritate promiſſæ ſanitatis approbarent. Nam eadem die iuxta qualitatem febrium, quibus laborare conſueuerat, febricitare debebat is qui ſomniū viderat. Et vt non vana illuſio, ſed potiùs vera reuelatio fuiſſe oſtēderetur, neque illa die, neque cæteris, quæ illam ſecutæ ſunt, vllum in corpore ſuo conſuetarum, febrium ſenſit indicium. Sic factum eſt, vt & viſioni crederent, & fidem Diaconi promiſſis non haberent.

Cap. 4. Viſionis eius veritas. ab illis, ſub. audi febribus. Febricitans in viſione curatur.

Igitur Romam venientes, iuxta baſilicam beati Petri Apoſtoli, quæ dicitur Ad Vincula, in domo ipſius, cum quo venerunt Diaconi hoſpitium acceperunt, manſeruntque cum eo per aliquot dies, opperientes promiſſorum eius adimpletionem.

Cap. 5.

Sed ille, qui ſuas pollicitationes perficere non valebat, ipſum quod non poterat, quibuſdam procraſtinationibus palliabat. Tandem locuti cum illo, cur eis illo modo vellet illudere? percontati ſunt: rogãtes ſimul, ne ſe diutiùs fallendo detineret, & reuerſionem ſuam vanis ſpebus impediret. His ille auditis, cùm cerneret ſe huiuſmodi calliditate eis iam ampliùs non poſſe imponere, primò notarium meum certum fecit de reliquijs mihi promiſſis, quòd eas habere non poſſet, eò quòd frater ſuus, cui & domum, & cuncta quæ habebat, inde abiens commendauerat, negotiandi gratia Beneuentum eſſet profectus, ac ſe penitùs ignorare, quando eſſet reuerſurus. Et quia ei reliquias illas, ſicut & cæteram ſupellectilem ad ſeruandum commiſerat, nec omninò ſe ſcire poſſe, quid de his feciſſet, quoniam eas in eadem domo nuſquam inueniſſet: proinde videret quid faceret, quia de parte ſua nihil reſtaret, quod ſperare poſſet. Poſtquã hæc notario meo dixit, & ille ſe ab eo illuſum ac malè ſibi impoſitum quereretur, neſcio quibus vanis ac friuolis etiam & presbyterũ Hildoini allocutus, ſpe ſimili animatum à ſe fecit abſcedere.

Cap. 6. Poſtridiè verò cùm valdè triſtes videret, hortatus eſt vt ſimul cum illo ad cœmeteria ſanctorũ pergerent, videri ſibi quòd in eis aliquid tale inueniri poſſet, quo eorum deſiderijs ſatisfieret: nec fore vllam neceſſitatem, vt in patriam vacui reuerterentur. Cumq; eis hoc conſilium placuiſſet, vellentque vt quantocyùs id, ad quod faciẽdum eos hortabatur, inchoarẽt, more ſolito negotium diſſimulauit, & eos, quorum animi tunc paululùm erant erecti, in tantam deſperationem hac dilatione deiecit, vt, omiſſo illo, ſtatuerent in patriam quanuis infecto negotio reuerti. Sed notarius meus recolens ſomnium, quod puer ſuus viderat, cœpit comitem ſuum hortari, vt ſine hoſpite ſuo irent ad cœmeteria, ad quæ viſenda ille eos ſe ducere velle promiſit. Itaque inuento atque conducto duce, locorumque monſtratore, primò ad baſilicam beati Tiburtij martyris, in via Lauicana, tribus ab vrbe paſſuum millibus diſtante, veniunt, martyriſque tumbam quanta poſſunt diligentia contemplantur, & vtrùm ſic, vt alij non ſentirent, aperiri poſſet, cauta circunſpectione conſiderãt. Deinde in cryptam eidem baſilicæ contiguam, in qua beatorum Chriſti martyrum Marcellini & Petri corpora erãt tumulata, deſcendunt, atque explorata etiam illius monumenti qualitate diſcedunt, æſtimantes hoc factum hoſpitem ſuum poſſe latere. Sed aliter euenit, atque arbitrati ſunt. Nam licet ipſi neſcirent, quibus indicijs, citò tamen ad illum huius facti notitia peruenit: verituſq; ne ſine illo voluntati ſuæ ſatisfacere debuiſſent, ſtatuit conſilium eorum feſtinando præuenire. Et quia ille eorundem locorum plenariam atque omnimodam notitiam habebat, blandè illos alloquitur, hortaturq; vt illuc ſimul veniant, & ſi Deus votis eorum fauere dignaretur, communi conſilio facerẽt, quicquid eis videretur faciendum.

Baſilica S. Tiburtij.

Cap. 7. Aſſenſi ſunt eius voluntati, tempuſque id aggrediendi pari conſenſu conſtituunt. Tunc peracto ieiunio triduano, noctu ad locum nullo Romanorum ciuium ſentiente perueniunt: ingreſſique baſilicam S. Tiburtij, primò altare illud, ſub quo ſacrum eius corpus ſitum credebatur, aperire tentauerunt. Sed parùm ſucceſſit eorum voluntati molitio operis inchoati. Nam monumẽtum duriſſimo marmore extructum, inermes id aperire conantium manus facilè repellebat. Igitur, omiſſo illius martyris ſepulchro, ad tumbam beatorum Marcellini & Petri deſcendunt, atque ibi inuocato Domino noſtro Ieſu Chriſto, & adoratis ſanctis martyribus, lapidem, quo ſummitas ſepulchri tegebatur, de loco ſuo leuare moliuntur. Quo ſublato, vidẽt ſacratiſſimum ſancti Marcellini corpus in ſuperioribus eiuſdem ſepulchri partibus poſitum, tabulamque marmoream ad caput poſitam, quæ titulo, quem continebat, euidens indicium dabat, cuius in eo loco martyris membra iacuiſſent. Quod, vt par erat, cum ſumma veneratione ſuſcipientes leuant, & munda ſindone inuolutum Diacono ferendum atque ſeruandum tradunt. Ac ne vlla ſublati corporis indicia remanerent, lapidem loco ſuo reponentes, in vrbem ad hoſpitia ſua reuertuntur. Diaconus autẽ corpꝰ beatiſſimi martyris, quod acceperat, iuxta baſilicam B. Petri Apoſtoli, quæ vocatur Ad Vincula, vbi & ipſe domum habebat, ſe ſeruare velle ac poſſe affirmans, fratri ſuo nomine Luniſoni ad cuſtodiendum commiſit. Arbitratuſque notario meo hoc ſatisfactum eſſe, cœpit illum hortari, vt accepto corpore beati Marcellini, rediret in patriam.

Vide antiquã reuerentiã erga reliquias ſanctorũ.

Adoratio hic pro veneratione accipitur.

Cap. 8. Sed ille longè aliud meditabatur ac mente voluebat. Nam, vt mihi poſteà retulit, videbatur illi nequaquam ſibi licere cũ ſolo beati Marcellini corpore in patriam regredi, quaſi nefas eſſet, vt corpus beati Petri martyris, qui ei ſocius in paſſione fuerat, & per

& per quingẽtos & eo ampliùs annos in eodem ſepulchro vnà cum illo requieuerat, illo inde tranſeunte ibi remaneret. Atque hac cogitatione mente concepta, tanta animi ſui parturitione ſimul ac perturbatione laborabat, vt nec cibum capere, nec ſomno acquieſcere dulce ſibi videretur atque iucundum, niſi martyrum corpora, ſicut in paſſione ac monumento coniuncta fuerant, ſic etiam peregrè profectura iungerentur. Sed de hoc qualiter fieri poſſet, vehementer ambigebat. Nouerat enim neminem à ſe Romanum inueniri poſſe, qui ſibi ad hoc vllum ferret auxilium: ſed ne talẽ quidem, cui hæc animi ſui ſecreta auderet oſtendere. In hac cordis anxietate conſtitutus, reperit quendam monachum peregrinum, nomine Baſilium, qui ante biennium de Conſtantinopoli Romam venerat, atque ibi in mõte Palatino apud alios Græcos, qui eiuſdem profeſſionis erant, cum quatuor diſcipulis ſuis hoſpitium habebat. Hunc adijt, atque ei quam patiebatur ſolicitudinem aperuit. Tum conſilijs eius animatus, & orationibus fretus, tantam accepit in corde ſuo conſtantiam, vt ſtatueret rem quanuis cum periculo capitis ſui celerrimè experiri. Vocatoq; ad ſe comite ſuo Hildoini preſbytero, cœpit cum eo tractare, vt iterùm ad baſilicam beati Tiburtij, ſicut priùs fecerant, clanculò pergerent, ac tumbam, qua martyris corpus reconditum credebatur, aperire denuò molirentur. Monachi Græci Romæ in monte Palatino.

Placuit conſilium, aſſumptisque, quos ſecum adduxerant, pueris, hoſpite eorum penitùs ignorante quò irent, clàm noctu profecti ſunt. Cumque ad locum ventum eſſet, votis pro re proſperanda ante ædis ianuam factis ingrediuntur: diuiſisq; ſocijs inter ſe, preſbyter ad corpus beati Tiburtij quærendum in ipſius baſilica cum aliquibus remanſit, Ratleicus cum reliquis in adhærentem eidem eccleſiæ cryptam ad beati Petri corpus acceſſit: apertoque ſine vlla difficultate ſepulchro, ſacra ſancti martyris membra nullo prohibente ſuſtulit, & ſerico puluino, quem ad hoc parauerat, recepta diligenter incluſit. Intereà preſbyter, qui corpus beati Tiburtij quærebat, magno labore fruſtra conſumpto, poſtquam ſe vidit nihil poſſe proficere, relicto opere, in cryptam ad Ratleicum deſcendit, & quid ſibi faciendum eſſet, ab eo quęrere cœpit. Cui cùm ille arbitrari ſe diceret, quòd S. Tiburtij reliquiæ eſſent inuentæ, eiq; id de quo dicebat oſtenderet: Nam paulò antè, quàm idem preſbyter ad eum in cryptam veniſſet, reperit in eodem ſepulchro, in quo ſanctorum Marcellini & Petri ſacra corpora iacuerũt, foramen quoddam rotundi ſchematis trium fermè pedum longitudine introrſus excauatum, pedali amplitudine patens, & in eo minuti pulueris non modicam portionem repoſitam. Viſum eſt ambobus, quòd hic puluis de corpore beati Tiburtij oſſibus inde ſublatis remanere potuiſſet: & ob hoc, vt difficiliùs inueniretur, medio loco inter beatum Marcellinum & Petrum in eadem tumba fuiſſet repoſitus: conuenitq; inter eos, vt eum preſbyter ſumeret, & pro reliquijs beati Tiburtij ſecum deferret. Cap. 9. Tollitur corpus B. Petri martyris.

His ita tranſactis atq; diſpoſitis, cum rebus, quas repererunt, ad hoſpitia ſua reuerſi ſunt. Poſt hæc Ratleicus cum hoſpite ſuo locutus, rogat vt ſibi ſacros beati Marcellini cineres, quos ei ad ſeruandum commendauerat, reddat, ſeque in patriam redire volẽtem nulla non neceſſaria dilatione detineat. Cui ille non ſolùm quod repetebat ſine mora reſtituit, verũ etiã de ſanctorum reliquijs in vna ligatura collectis, haud paruam portionẽ mihi deferendã obtulit: & requiſitus de nominibus eorũ, mihi ſe illa dicturum, quando ad me veniſſet, reſpõdit. Monuit tamen, vt eadẽ veneratione, qua cæterę ſanctorũ martyrũ reliquiæ colerentur, eò quòd nõ minoris apud Deũ eſſent meriti, quàm B. Marcellinus & Petrus: & hoc me eſſe crediturũ, cùm primũ ad me nominũ illorum notitia perueniſſet. Suſcepit ille munus oblatũ, atq; id, vt ſibi perſuaſum erat, ſanctorum martyrum corporibus ſociauit. Initoq; conſilio cum hoſpite ſuo, ſacrum illum ac deſiderabilem theſaurum in ſcrinijs reconditum atq; ſignatum, per Luniſonem fratrem eius, cuius ſuperiùs fecimus mentionem, necnõ & preſbyterum Hildoini, qui ſecum venerat Papiam vſq; deportari fecit: ipſe cum eodem hoſpite ſuo Romę ſubſtitit, opperiens atq; auſcultans per continuos ſeptem dies, ſi de ſublatis ſanctorum corporibus aliquid ad notitiam ciuium perueniſſet. Cumq; vidiſſet nullam à quolibet extraneo de hoc facto fieri mentionem, latere illud exiſtimans, poſt eos, quos præmiſerat, ſumpto ſecum hoſpite ſuo profectus eſt. Quos cùm * Ticenis apud baſilicam B. Ioannis Baptiſtæ, quæ vulgò Domnanæ vocatur, ac tunc ex beneficio regum ad meam pertinuit poteſtatem, aduentum eorum præſtolantes inueniſſent, ſtatuerũt etiam, vt & ipſi aliquot diebus ibi morarentur, & propter iumentorum, in quibus venerant, refectionem, & propter ſeipſos ad longiorem viam præparandos. Cap. 10. Reliquiarũ ſacer & deſiderabilis theſaurus. for. * Ticini

In hoc morarum ſuarum articulo fama exijt, legatos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ à Ponti- Cap. 11.

Pontifice ad Imperatorèm directos, illò breui eſſe venturos. Itaq; veriti de aduentu illorum aliquid ſibi incommodi, vel etiam impedimenti accidere poſſe, ſi ſe ibi deprehenderent, decreuerunt vt quidam ex eis abeundo, aduentũ eorum feſtinando præuerterent, alij in loco remanerent, & re, de qua ſoliciti erant, diligenter inueſtigata, poſt eorundẽ legatorũ abſceſſum ſocios ſuos, quos præmiſerant, ſequi properarent. Cũ ita inter eos de hac re cõſtitiſſet, Deuſdona cũ preſbytero Hildoini legatos Roma venientes præceſſit, & Auguſtã Sueſſorum, vbi Hildoinũ eſſe rebatur, quanta potuit feſtinatione contendit. Ratleicus verò cũ theſauro, quem ſecũ habebat, Papiæ remãſit, expectans donec legati ſedis Apoſtolicæ præterirent: vt illis Alpes tranſgreſſis, viã ſuam ſecuriùs carpere potuiſſet. Veritus itaq;, ne preſbyter Hildoini, qui cũ Deuſdona præceſſerat, quiq; omniũ, quæ apud eos geſta vel tractata fuerant, plenariã atq; integrã notitiam habebat, quia vafer ac lubricæ fidei videbatur, aliquid impedimenti ſibi in via, qua ire diſpoſitũ habebat, machinari debuiſſet, altera ſibi eundũ iudicauit: miſſoq; ad me procuratoris noſtri Aſcolfi puero cũ literis, quibus me & de reuerſione ſua, & de allatione theſauri, quẽ diuinitùs adiutus inuenerat, certum efficeret: ipſe poſtquàm Romanos ex coniectura manſionum, quæ eis parabantur, Alpes ſuperaſſe putauit, Papia relicta, ſexta die ad S. Mauritium venit. Ibiq; comparatis, quæ ad hoc neceſſaria videbantur, ſacra illa corpora loculo incluſa, feretro impoſuit, atq; inde promouẽs, palàm & apertè cum adiutorio populi occurrentis portare cœpit.

Cap. 12. Vbi autem locum, qui Caput laci vocatur, prætergreſſus, biuiũ, quo itinera in Franciam ducentia dirimuntur, attigit, dexteriorẽ viã ingreſſus, per Alamannorum fines vſq; ad *Solodorum Burgundionum oppidum venit. Ibi obuios habuit, quos ego poſt indiciũ aduentûs illius mihi factum, de Traiecto ei occurrere iuſſi. Nam ego tunc temporis iuxta Scaldim fluuium in monaſterio S. Bauonis erã, quando literæ notarij mei per puerum procuratoris noſtri, cuius ſuperiùs mentionẽ fecimus, mihi redditæ ſunt: ex quarum lectione de aduentu Sanctorum certior factus, ilicò vnum ex familiaribus noſtris Traiectum ire, ibiq; preſbyteros atq; alios clericos, necnõ & laicos ſecũ ſumere, ac Sanctis veniẽtibus vbicunq; primùm potuiſſet, obuiã feſtinare præcepi. Et is nihil moratus, cũ his quos ſecum duxerat in loco memorato, poſt paucos dies his, qui Sanctos adferebãt, obuiauit: iunctiq; ſimul, comitantibus iã atq; hinc inde cõcurrentibus hymnidicis populorum turmis, cum ingenti omnium lætitia Argentoratum vrbem, quæ nunc Stratburgus appellatur, celeriter veniunt. Inde per Rhenum ſecunda aqua nauigãtes, cùm ad locum, qui Portus vocatur, veniſſent, orientalẽ fluminis ripã egreſſi, quinta manſiõe ad locum Michilunſtat nuncupatum cum immodica hominum in Dei laudibus exultantium multitudine perueniunt. Is locus eſt in eo ſaltu Germaniæ, qui tempore moderno Odonouuald appellatur, & diſtat à Mœno flumine circiter leugas ſex. In quo cùm baſilicam nouiter à me conſtructam, ſed nondum dedicatam inueniſſent, in hanc illos ſacros cineres intulerunt, & velut ibi perpetuò permanſuros depoſuerunt.

*Solodorũ

Traiectũ ad Moſam dicit.

Obſerua quanta veneratione Maiores noſtri ſacras reliquias proſecuti ſint.

Cap. 13. Cumque id mihi fuiſſet allatum, confeſtim illuc quanta potui celeritate venire feſtinaui: vbi cùm triduo poſt aduentum noſtrum exacto, quidã puer Ratleici iubente eo, officio veſpertino cõpleto, cæteris exeuntibus ſolus in eccleſia remanſiſſet, & clauſis ianuis, iuxta illa ſacra corpora in parua ſellula quaſi vigilaturus conſediſſet, ſubitaneo ſomno depreſſus, vidit quaſi duas columbas per dexteriorẽ abſidæ feneſtram volando intrare, & in culmine lecti ſuper ipſa Sanctorũ corpora cõſidere. Quarum altera tota alba, altera cani & albi coloris mixtura varia videbatur. Cumq; in eodẽ culmine diutiùs deambularent, & conſuetum columbis gemitum viciſſim velut colloquentes ederent, rurſus per eandem feneſtrã egreſſæ, non cõparuerunt: ſecutaq; vox ſupra caput pueri ſonuit: Vade, inquit, & dic Ratleico, vt indicet domino ſuo, quia iſti ſancti martyres nolunt, vt eorum corpora in hoc loco requieſcant. Alium enim elegerunt, ad quẽ celeriter migrare diſpoſitum habent. Huius vocis author ab eo videri non potuit: qua tamen finita, euigilauit, ſomnoq; excitus reuerſo ad baſilicam Ratleico quid vidiſſet indicauit. At ille in craſtinum vbi me primùm conuenire potuit, quid ſibi puer ſuus retuliſſet, mihi nunciare curauit. Ego autem, licet huiuſce viſionis arcanum ſpernere nõ auderem, ſtatui tamen operiendum alicuius ſigni certioris indicium: atq; interim illos ſacros cineres de linteis, in quibus ligati venerant, ſublatos ſericis ac nouis puluinis inſuere feci. Cumq; in eorũ inſpectione reliquias B. Marcellini minoris quantitatis, quàm ſancti Petri eſſe cernerem, arbitratus ſum eum in ſtatura corporis ſui minoris fuiſſe menſuræ, quàm S. Petrum. Sed hoc aliter ſe habere, furtum poſt eà patefa-

Viſio cuiuſdam apud ſacras reliquias.

pate factum approbauit: quod vbi, vel quãdo, vel à quo, vel qualiter admiſſum ac proditum ſit, ſuo loco dicturus ſum. nunc ordo narrationis inchoatæ texendus atque tenendus eſt.

Cap.14

Nota qui fecerint olim ſacras Reliquias.

Igitur poſtquam illum magnum atq; mirabilem, omniq́ue auro pretioſiorem inſpexi theſaurum, loculus, in quo idem continebatur, propter vilitatem materiæ, de qua compactus erat, cœpit mihi oppidò diſplicere. Quem emendare cupiens, quadam die poſt completum veſpertinum officium præcepi vni ex æ dituis, vt menſuram loculi virga collectam mihi afferret. Cùm ille hoc facturus cereum accenderet, & circũpendentia pallia, quibus idem loculus tegebatur, ſubleuaret, animaduertit loculum mirũ in modum humore ſanguineo vndiq; diſtillantẽ: & rei nouitate perterritus, hoc quod viderat propere mihi nuntiare curauit. Tum ego cum eis, qui aderant, ſacerdotibus acceſſi, & illud ſtupendum atque omni admiratione dignum miraculum aſpexi. Nam vt columnæ atque abaci vel ſigna marmorea pluuia inſtante ſudare ac circumfluere ſolent: ſic loculus ille, qui ſacratiſſima corpora continebat, vero cruore madens, & ex omni parte perfuſus inuentus eſt. Terruit nos inſolita & nunquam priùs audita miraculi ſpecies. Quapropter inito conſilio, triduanum ieiunium cum ſupplicationibus facere decreuimus, vt ex reuelatione diuina ſcire mereremur, quid ſibi vellet, quidue faciendum moneret magnum illud & ineffabile prodigium. Itaq; peracto illo triduano ieiunio, cùm iam aduesperaſceret, humor ille cruoris horrendi ſubitò cœpit areſcere, ac mirum in modum, qui per continuos ſeptem dies more perennis aquæ ſine intermiſſione diſtillabat, ſic intra pauciſſimas horas exiccatus eſt, vt eo noctis tempore (Nam Dominica erat) quo ſigno dato, ad antelucanum officium celebrandum eccleſiam intrauimus, nullum iam in loculo veſtigium illius poſſet inueniri. Lintea verò, quæ circa loculum pendebant, vt eodem fuerunt humore reſperſa, ita vt erant ſanguineis maculis infecta ſeruare iuſſi: in quibus adhuc magnum illius inauditi portenti paret indicium. Conſtat enim humorem illum ſaporis fuiſſe ſubſalſi, ad lachrymarũ videlicet qualitatem: & tenuitatẽ quidem aquæ, colorem aũt veri ſanguinis habuiſſe.

En ſtupendum miraculum.

Aliud admirandum miraculum.

Cap.15.

Viſio cuiuſdam.

Eadẽ nocte cuidã ex pueris noſtris, nomine Ruodlando per quietem duo iuuenes viſi ſunt adſtitiſſe, qui ei, vt ipſe teſtatus eſt, de transferẽdis Sanctorũ corporib⁹ multa mihi dicenda mandauerunt, & ad quem locum, vel qualiter id fieri deberet, oſtenderunt: & vt hoc mihi ſine mora fuiſſet nuntiatum, terribiliter comminando præceperunt. Qui mox vt me adire potuit, omnia quæ iuſſus fuerat, mihi intimare curauit. Quibus auditis, curis ingentibus æſtuare, & quid mihi eſſet agendum, animo tractare cœpi: vtrùm iterùm ieiunia & ſupplicationes celebrandæ, ac Deus rurſus pro noſtra curioſitate ſollicitandus: an aliquis Deo deuotè ac perfectè ſeruiens eſſet quærẽdus, cui anxietatem cordis noſtri & curarum noſtrarum querimonias indicare, quemq́ue rogare potuiſſemus, vt orationibus ſuis à Deo nobis huius rei manifeſtationem impetraret. Sed vbi vel quando ille talis Chriſti famulus à nobis poſſet inueniri, præſertim in illa regione, in qua tametſi quædam cœnobia ab eo loco, in quo eramus, haud longè poſita eſſe cõſtabat, tamen propter rudem in his locis eius conuerſationis inſtitutionem, aut rarus aut nullus erat, de cuius ſanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur. Intereà dũ his anxius curis ſanctorum martyrum ſuffragiũ imploraſſem, atq; omnes qui vnà nobiſcum erant, vt idem facerent, ſedulò commonuiſſem, factum eſt vt per continuos dies nulla nox præteriret, in qua vel vni vel duobus, vel etiam tribus ſociorũ noſtrorũ in ſomnis reuelatum nõ fuiſſet, quòd illa Sanctorum corpora de eo loco in alium eſſent transferenda. Ad extremum autem cuidam presbytero de his, qui ibi nobiſcum erant, nomine Hildfrido, apparuit in viſione, vt ipſe fatebatur, vir quidam habitu ſacerdotali, canitie veneranda conſpicuus, candida veſte indutus, qui cum talibus verbis compellauit: Cur, inquit, Einhardus tam duri cordis, tantæq́ue obſtinationis eſt, vt tot reuelationibus non credat, ac tot monita ad ſe diuinitùs miſſa arbitretur eſſe contemnenda? Vade & dic ei, quia hoc quod beati martyres de ſuis corporibus fieri deſiderãt, infectum remanere non poterit, quanuis ille hactenùs voluntatem eorum in hac re facere diſtuliſſet. Et iam nunc, ſi non velit vt huius facti meritum ad alium tranſeat, feſtinet eorum adimplere iuſſionem, & ad locum, quem ipſi elegerunt, corpora illorũ deportare non negligat.

Crebræ diuerſis viſiones offeruntur.

Cap.16.

Poſt has aliasq; multimodas ad me perlatas admonitiones, viſum eſt mihi illam ſacrorum cinerum tranſlationem non eſſe diutiùs differendam: ac proinde inito conſilio, decreuimus vt id quantò celeriùs fieri potuiſſet, perficere certaremus. Igitur omnibus, quæ ad hanc deuectionem neceſſaria videbantur, raptim & cum ſummo ſtudio

Reliquiarũ ſacer & ineſtimabilis theſaurus.

præparatis, prima luce poſt completum matutinum officium, ſacrum illum & ineſtimabilem theſaurum cum ingenti luctu ac mœrore illorum, qui in loco erant remanſuri, ſuſtulimus, atq; iter ingreſſi portare cœpimus, comitante nos pauperum turba, quæ illò per eos dies ob eleemoſynam accipiendam vndecunq; confluxerat. Nam circà manentes populi quid apud nos ageretur, penitùs ignorabãt. Erat cælum graue ſordidis nubibus, & quæ in ingentem pluuiam citò reſolui poſſent, niſi id diuina virtus fieri prohiberet. Nam tota nocte illa intantùm ſine intermiſſione pluebat, vt nobis iter illud ea die inchoari poſſe minimè videretur. Sed illam noſtram dubitationem, ex infirmitate fidei venientem, ſuperna gratia per ſuorum merita Sanctorum longè aliter, atq; exiſtimauimus, habere ſe fecit, quando viã, per quam inceſſimus, in aliam quàm ſperabatur qualitatem vidimus fuiſſe commutatam. Nam & luti parum inuenimus, & riuos, qui in tam grandi ac iugi pluuia, vt ea nocte erat, creſcere ſolebant, penè nihil creuiſſe reperimus. Vbi verò de ſaltu egreſſi, proximas villas acceſſimus, frequentibus obuiorum ac Deo laudes dicentium turbis excipimur: qui nos per octo ferè leugarum ſpatium comitati, nobis ac noſtris & in ſacro onere ferendo deuoti adiutores, & in diuinis laudibus dicendis impigri fuère concentores. At vbi vidimus, quòd ea die ad locum deſtinatum peruenire non poteramus, diuertimus ad villam Oſtheim appellatã, quæ viæ noſtræ contigua cernebatur: & inclinante iam veſpera, in baſilicã B. Martini, quæ in eadem villa eſt, ſancta illa corpora intulimus: & ſocijs noſtris ad excubias ducendas ibi dimiſſis, ego cum paucis ad locum quò tendebamus, feſtinando præceſſi, & ea, quæ ad receptionem ſanctorum corporum vſus poſtulabat, per noctem præparaui.

Priſca Germanorum erga Sãctos deuotio.

Cap. 17.

Reliquiarũ ſacroſanctus theſaurus.

Ad baſilicam verò, in qua illorum ſacroſanctum theſaurum dimiſimus, ſanctimonialis quędam paralytica, nomine Ruodlang, de monaſterio Macheſbach, qđ ab eadem eccleſia vnius leugæ ſpatio diſparatum erat, ab amicis ſuis ac propinquis in carro adducta, cùm iuxta feretrum Sanctorum inter cæteros vigilans atq; orans pernoctaret, recepta omniũ membrorum ſanitate, proprijs pedibus nullo ſuſtentante, vel quolibet modo adminiculante, ad locum vnde venerat, in craſtinum regreſſa eſt. At nos albeſcente cælo ſurgentes, ſocijs noſtris venientibus obuiàm ire perreximus, habẽtes nobiſcum immodicam vicinorum noſtrorum multitudinẽ, qui fama aduentûs Sanctorum exciti, ad hoc primo diluculo pro foribus noſtris conſtiterunt, vt vnà nobiſcum Sanctis obuiàm procederent. Et occurrimus eis in eo loco, vbi Gaſpentia fluniolus Mœno miſcetur. Inde pariter incedentes, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordiam collaudantes, ſacras illas beatiſſimorum martyrum exuuias ad * Mulinheim ſuperiorem (Sic enim moderno tempore locus ille vocatur) cum magna omnium, qui ibi adeſſe potuerunt, lætitia & exultatione detulimus: ſed præ nimia populi multitudine, quæ præcedens cuncta compleuerat, neq; eccleſiam adire, neq; feretrum in eam inferre valuimus. Idcircò in campo adiacente, atq; in loco editiore altare ſub diuo ereximus, ac feretro ponè altare depoſito, Miſſarum ſolennia celebrauimus. Quibus expletis, ac multitudine ad ſua recedente, in eccleſiam à beatis martyribus iuſſam, eorum ſacratiſſima corpora intulimus: ac feretro propter altare locato, iterùm Miſſam celebrare curauimus: ibiq; inter celebrandum puer quidam annorum circiter quindecim, nomine Daniel de pago Portiano, qui illuc inter alios pauperes mendicando venerat, atq; ita curuus erat, vt niſi ſupinus atq; iacens cælum aſpicere nequiuiſſet, ad feretrum acceſſit, ac ſubitò velut ab aliquo impulſus corruit: cumq; diù velut dormienti ſimilis iacuiſſet, correctis omnibus membris, & recepta firmitate neruorum, coram oculis noſtris ſurrexit incolumis. Facta ſunt hæc decimoſexto Calendas Februarias, & erat eius diei tanta & tam clara ſerenitas, vt æſtiui ſplendorem ſolis adæquaret: atq; ipſius aëris tam mitis atq; iucunda tranquillitas, vt veris temperiem apricitate blanda præcederet.

Paralytica ſanatur.

** Mulhein.*

Puer miſerè contractus reualeſcit.

Cap. 18.

Poſtridiè verò ſacra beatorum martyrum corpora, nouo loculo recondita, in abſida baſilicæ locauimus, & ſicut in Francia mos eſt, ſuperpoſito ligneo culmine, linteis ac ſericis pallijs ornandi gratia conteximus, apponentes altare, ac duo vexilla Dominicæ paſſionis, quæ in via feretrum præcedere ſolebant, hinc atque inde erigentes, locum illum diuinis officijs celebrandis pro modulo paupertatis noſtræ idoneum atque aptum facere curauimus: Ordinatiſque clericis, qui inibi aſſiduè & excubias ducerent, ac diuinis laudibus dicendis curam ſolerter impenderent, ipſi non ſolùm noſtra ſponte, ſed etiam regali diplomate, quod nobis in via obuiàm venerat, euocati, Domino iter noſtrum proſperante, ad palatium ſumus cum magna exultatione regreſſi.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Cap. 1.

TRanſactis admodùm paucis, poſtquàm ad comitatum venerā, diebus, ego ſecundū conſuetudinē aulicorum maturiùs ſurgens, primo mane palatium petij. Ibi cùm ingreſſus, Hildoinum cuius libro ſuperiore mentionem feci, ante fores regij cubiculi ſedentē, atq; egreſsū principis opperientē inueniſſem, ex more ſalutatū ſurgere, atque ad quandam feneſtrā, de qua in inferiora Palatij proſpectus erat, mecū accedere rogaui. Ad quā pariter ſtando incumbentes, de tranſlationē ſanctorum martyrum Marcellini & Petri, necnon & de miraculo, quod in fluxu æquoris, quo loculum eorum ſeptem diebus ſudaſſe commemoraui, oſtenſum eſt, mirando multa ſumus locuti. Cumq; ad id loci ſermocinādo veniſſemus, vt etiam de veſtimentis, quæ cum corporibus eorum inuenta ſunt, mentio fieret, atq; ego miræ ſubtilitatis veſtem B. Marcellini fuiſſe dicerem, ille velut, qui rem æquè vt ego notam haberet, vera me de veſtibus dixiſſe reſpondit. Hîc ego ſtupefactus atq; admirans, percontari cœpi, vnde illi hæc veſtimentorum, quæ nunquàm viderat, notitia cōtingere potuiſſet. At ille me intuitus, paululùm ſiluit: ac deinde, Satius, inquit, eſſe arbitror, vt per me cognoſcas, quod me tacente, tamen per alios celeriter es cogniturus: & ego illius rei ſim proditor ſimplex, quam fortaſſe alter ſi prodiderit, nō ſimpliciter enuntiabit. Neq; enim poteſt: quia ſic natura cōparatum eſt: vt hoc quiſquā veraciter dicere nequeat, cuius notitiam non per ſeipſum, ſed aliorum relatione fuerit aſſecutus. Tuæ tantum fidei committo, qualiter inde mecum acturus ſis, poſtquàm meo relatu omnem rei geſtæ veritatem agnoueris.

Veſtes repertæ cum Sanctorum corporibus.

Cap. 2.

Cui cū me nō aliud acturū, quàm quod inter nos cōueniret, breui ſermone reſpōdiſſem: Preſbyter, inquit, ille, qui ad deferēdas B. Tiburtij reliquias Romā meo iuſſu profectus eſt, cū id, propter quod illò venerat, ita vt volebat perficere nequiuiſſet, iamque notarius tuus acceptis, de quibus loquimur, ſanctorū martyrum reliquijs domū redire ſtatuiſſet, inijt cum illo conſiliū, vt illo Romæ paululùm moras faciēte, ipſe cum Luniſone fratre Deuſdonę & cum hominibus eius, qui illos ſacros cineres ferre debebāt, Papiā vſq; pręcederet, ibiq; illius ac Deuſdonæ pręſtolaretur aduētum. Placuit ambobus iſta cōuentio, illiſq; Romæ ſubſtantibus, preſbyter cū Luniſone ac pueris reliquias ferentibus Papiam proficiſcitur. Quò cùm eſſet peruētum, ſcrinia ſacros cineres continentia in eccleſia tua ponè altare ſunt poſita, atque ab excubantibus in eadem baſilica clericis ac laicis diligenti ſolertia cuſtodita. Quadam verò nocte, cū & ipſe inter cæteros ad eaſdem excubias in eccleſia vigilaret, cōtigit, vt ipſe aſſerit, circa mediam ferè noctem, vt obripiente paulatim ſomno, vniuerſi qui intra candē baſilicam vigilandi gratia cōuenerant, præter ſe ſolū obdormirēt. Tum ſibi in mentem veniſſe, viſumq; fuiſſe nō ſine magna quadam cauſa factum, vt tot hominibus tam ſubitaneus ſopor obrepſerit: ratuſque ſibi oblata occaſione vtendum, ſurrexit atq; accenſo lumine, ad ſcrinia ſilenter acceſſit. Tum filis ſigillorum admota cerei flama crematis, ſcrinia ſine claue celeriter aperuit, ac de vtroq; corpore portionē, quę ei videbatur accipiēs, ſigilla vt erāt integra filorū crematorum ſummitatibus annectit, nulloq; id factū ſentiente, in loco ſuo reſedit. Poſt hæc ſublatas tali furto Sanctorum reliquias, cùm ad me fuiſſet reuerſus detulit: primoq; illas non S. Marcellini vel Petri, ſed ſancti Tiburtij eſſe aſſeuerauit. Deinde cùm neſcio quid vereretur, ſecretè mecum locutus, quorū Sāctorum eſſent reliquiæ, quoq; modo eas fuiſſet adeptus, patenter aperuit. Habemus illas apud S. Medardum in loco celebri honorificè collocatas, vbi ab omni populo cum magna veneratione coluntur: ſed vtrùm eas nobis habere liceat, in tuo manet arbitrio.

Diligenter cuſtodiuntur noctę ſacræ reliquię

Cultus reliquiarum.

Cap. 3.

His auditis recordatus ſum quid in itinere, quo proximè ad palatium proficiſcebar, à quodam hoſpite meo audierim. Qui inter cætera, quæ mecum loquebatur, Nunquid noſti, ait, qualis de S. martyribus Marcellino & Petro per hanc regionē fama diſperſa ſit? Cumq; id me neſcire reſponderem, tum ille, Dicunt, inquit, qui de S. Sebaſtiano veniunt, quòd preſbyter quidam Hildoini Abbatis, qui vnà cum notario tuo Romā profectus eſt, cùm inde reuerterentur, & in quodam loco cōmuni diuerſorio vterentur, ſocijs tuis omnibus ebrietate ac ſomno depreſſis, & id, quod agebatur penitùs ignorantibus, ſcrinia quibus Sanctorum corpora cōtinebantur, aperuiſſet eaq; inde ſuſtuliſſet, atq; abiēs Hildoino detuliſſet, & modò apud S. Medardum ſint: in ſcrinijs verò tuis parū quiddam ſacri pulueris remanſiſſe, quod ad te per notarium tuum perlatum ſit. Horum reminiſcens, eaque cum his, quæ ab Hildoino dicebantur, conferens, nō modica mentis perturbatione commotus ſum: ob hoc præcipuè, quia nondum inuentū habebam conſi-

Rumor falſus aſtu diaboli ſparſus de reliquijs SS. Marcellini & Petri

conſilium,quo illam execrabilem atq; aſtutia diaboli vbiq; diuulgatam famam extin gucre,ac de cordibus deceptæ multitudinis depellere potuiſſem. Illud tamen optimũ iudicaui,vt Hildoinum rogarem idipſum mihi reddere,quod de meis ſcrinijs ſublatum,& ad ſe delatum atque à ſe receptum poſt illam ſpontaneam confeſſionem negare non poterat.Quod etiam quanta potui inſtantia facere curaui:& licèt ille paulò durior ac difficilior,quàm optaueram,in aſſenſione fuiſſet,victus tamen eſt ſedulitate precum mearum,ceſſitq; improbitati meæ,qui ſe paulò antè nullius iuſſioni, in hac præſertim cauſa,ceſſurum pronuntiauerat.

Cap.4. Intereà miſſis ad Ratleicum & Iuniſonem literis(Erant enim in eo loco,vbi martyrum corpora collocaui)qualis per totam penè Galliam de iiſdem ſanctis martyribus fama eſſet,eis indicare curaui:commonefaciens eos, vt cogitarent ſi aliquid tale vel ſimile his,quæ Hildoinus de facto preſbyteri ſui aſſerebat,in via eorum aduertere vel reminiſci potuiſſent.Qui ſtatim ad me in palatium venientes,valdè diſparem his,quæ Hildoinus dicebat,fabulam detulerunt.Nam in primis omnia,quæ preſbyter ille Hildoino retulerat,falſa eſſe teſtati ſunt,neque vllam poſteaquàm Roma exierũt,vel illi preſbytero vel cuilibet alteri datã fuiſſe occaſionem, per quam ad eiuſmodi facinus perpetrandum aditum habere potuiſſet.Sed hocipſum,quod de ſacris martyrum cineribus aliter atque debuerat accidiſſe conſtabat,Romæ in domo Deuſdonæ per auaritiam Iuniſonis & vafritiam memorati preſbyteri contigiſſe:eo videlicet tempore, quo corpus beati Marcellini de tumba ſua ſublatum,in domo Deuſdonæ ſeruabatur: modumq; facti talem fuiſſe dixerunt.Memoratus ille Hildoini preſbyter ſpe, quam

Vt nõnihil ablatũ fuerit de reliquijs S. Marcellini.

de S.Tiburtij corpore adipiſcendo cõceperat,fruſtratus,ne omninò vacuus ad dominum ſuum reuerteretur,quod fide non poterat,fraude aſſequi molitus eſt.Nam Iuniſonem aggreſſus,quia pauperem ac proinde cupidum eſſe cognouerat,oblatis ei quatuor aureis nummis,quiniſq; argenti ſolidis,ad proditionem faciendam illexit. Accipiens enim oblatã pecuniam,arcam in qua corpus beati Marcellini erat à Deuſdona depoſitum atq; incluſum aperuit,& illi nequiſſimo nebuloni auferendi ex ea , quod vellet,qualem ipſe optauerat poteſtatem fecit.Nec ille in ea rapina parcus fuit: nam tantum de ſacris beati martyris cineribus ſuſtulit,quantum vas ſextarij menſuram habens capere poſſe videbatur. Hoc eo modo factum eſſe,ipſe qui id cũ memorato preſbytero machinatus eſt Luniſo,pedibus meis prouolutus flendo teſtatus eſt. Tum ego rei veritate comperta,Ratleicum ac Luniſonem eò vnde venerant redire præcepi.

Cap.5. Ac deinde cum Hildoino locutus,conuentione inter nos facta,quando ſacræ mihi reliquiæ redderentur,duos clericos de domo noſtra,Hiltfridum videlicet ac Filimarũ (Alter preſbyter,alter * ſubdiaconus erat)ad recipiẽdas eas Auguſtam Sueſſorum pergere iuſſi:mittens per eoſdem ad locum,de quo eædem reliquiæ auferendæ erant,benedictionis gratia nummos aureos numero centum.Qui vbi ad monaſterium S. Medardi in die Palmarum veniſſent,per triduum ibi morati ſunt:& recepto illo,propter quem miſſi fuerant,incomparabili theſauro,comitantibus ſecum duobus ex eodem monaſterio fratribus,quanta potuerunt celeritate ad palatium reuerſi ſunt. Reliquias tamen non mihi,ſed Hildoino detulerunt.Quas ille recipiens, in oratorio domûs ſuæ fecit cuſtodiri,vſque dum tranſactis Paſchalis feſti occupationibus vacuum tempus haberet,quo mihi id,quod reddendum erat,priusquàm redderet oſtendere potuiſſet.Completiſq; poſt ſanctum Paſcha octo vel eo ampliùs diebus,cũ rex venandi gratia de palatio fuiſſet egreſſus,Hildoinus ſecundùm quod inter nos cõuenerat, memoratis reliquijs de oratorio ſuo,vbi ſeruabantur,ſublatis atq; baſilicæ ſanctæ Dei genitricis illatis,altariq; ſuperpoſitis,me vt eas ſuſciperem fecit acciri.Tum capſam,in qua reliquiæ continebantur,aperiens,oſtendit mihi vt viderem quid eſſet, quod & ille redderet,& quod ego reciperem . Exin ſublatam de altari eandẽ capſam manibus meis impoſuit,dataq; oratione competenti,præcentoris etiam officio functus, antiphonã laudi martyrum conuenientem clericis ad pſallendum paratis impoſuit,noſque cum illo inæſtimabili theſauro recedentes,vſque ad oſtium baſilicæ concinendo proſecutus eſt.Proceſſimus inde paulatim cum crucibus & cereis, laudantes Domini miſericordiam,vſq; ad oratorium,quod erat in domo noſtra vili opere conſtructum , eique quia aliud ibi non habebatur,illas ſacras reliquias intulimus.

* diaconus

Nota quãti olim fecerunt ſacras reliquias etiam viri graues.

Inæſtimabilis reliquiarum theſaurus.

Cap. 6. In illa verò proceſſione noſtra,quã de baſilica vſq; ad oratoriũ noſtrum nos feciſſe dixi,quid miraculi acciderit,cenſeo non eſſe tacendum.Egredientibus enim nobis de eccleſia , laudemque Domino Deo noſtro excelſa voce canentibus, tanta vis ſuauiſſimi odoris eam partem vici Aquenſis, quæ ab eccleſia ad Occidentem reſpicit , totam

Nota de odore mirifico ſacrarũ reliquiarũ.

tam impleuit, vt illa fragrantia penè omnes eiuſdem partis habitatores, itemque vniuerſi, qui pro quibuſlibet cauſis atq; negotijs eadem in parte fuerant conſtituti, ita diuinitus cōmonerentur, vt omiſſis quæ in manibus habebantur operibus, cuncti curſu rapidiſſimo primò ad eccleſiam, deinde quaſi per veſtigium ad oratorium noſtrum, in quod illas reliquias illatas eſſe audierant, ſummoperè feſtinarēt. Fit immodicus intra ſepta noſtra exultātis ſimul atq; admirantis populi concurſus: & cùm magna pars eorū, qui confluxerant, id quod agebatur q d eſſet ignoraret, gaudio tamē & exultatione repleti, Dei omnipotētis miſericordiā collaudabant. Poſtq̄ autem fama crebreſcēte diuulgatū eſt, reliquias S. Marcellini martyris in eū locum eſſe delatas, non ſolùm de eodē vico Aquenſi, & vicinis atq; adiacentibus villis, verùm etiam de longinquioribꝰ locis ac pagis adeò frequens atq; immanis multitudo congregata eſt, vt nobis ad officiū in eodem oratorio celebrandum, p̄ter veſpertinas horas atq; nocturnas, haud facilis pateret introitus. Adducebantur vndiq; debiles, & varij affecti languoribꝰ circa oratorij parietes à propinquis ſuis atq; amicis collocantur. Videres ibi penè omnia infirmitatum genera per virtutem Chriſti Domini, & per meritū beatiſſimi martyris in omni ſexu & ætate curari. Cæcis viſus, claudis inceſſus, ſurdis auditus, mutis ſermo redditur: paralytici etiam & qui totius corporis viribus deſtituti, alienis manibus apportati ſunt, ſanitate recepta, proprijs pedibus ad ſua reuertebantur.

Permulti curantur morbidi ad ſacras S. Marcellini reliquias.

Cap. 7.

Hæc vbi ad regias aures relatione Hildoini ꝑlata ſunt, ſtatuit primò, vt ad palatiū regreſſus, oratoriū noſtrū in quo hæc fiebant, martyrem venerabūdus accederet: ſed ne id faceret, eodem Hildoino ſuggerente prohibitus, ad maiorem baſilicā reliquias deferri præcepit: ibiq; delatas, humili ſupplicatione veneratus eſt: celebratiſq; Miſſarū ſolennijs, obtulit beatis martyribꝰ Marcellino & Petro quoddam prædiolum, ſitum iuxta fluuium Aram, vocabulo Ludolueſtropf, habens manſos quindecim, & vinearū aripennes nouem. Obtulit & regina cingulum ſuū, ex auro & gemmis factum, penſans libras tres. Quibꝰ expletis, relatæ ſunt reliquiæ ad locū ſuū, in oratorium videlicet noſtrum, fueruntq; ibi diebꝰ quadraginta vel eo ampliùs, vſq; dum Imperator palatio egrediens, venandi gratia ſolenni more ſyluas peteret. Quo facto, & nos cōparatis, quę ad profectionē noſtrā neceſſaria videbantur, cum eiſdem reliquijs de vico Aquenſi promouimus. In ipſo aūt noſtræ egreſſionis articulo, cùm Miſſarum ſolennia celebrarentur, anus quædam in palatio notiſſima, annorum circiter octoginta, neruorum cōtractione laborans, in conſpectu noſtro curata eſt. Quæ, vt ipſa narrante didicimus, ꝑ quinquaginta annos hoc morbo detenta, more quadrupedum genibus manibuſq; nitendo officium ambulandi reptando impleuerat.

Ludouici Imperat. deuotio erga Sanctorum reliquias.

Contracta anꝰ fit ſana.

Cap. 8.

Inde iter ingreſſi, ſuffragantibꝰ Sanctorū meritis * ſextodecimo die Mulinheimū vicū, in quo ſacros beatorū martyrū cineres ad comitatū ꝓfecturi dimiſimꝰ, Domino adiuuante peruenimus. In quo itinere quantum gaudij, quantumq; lætitiæ de illarū aduentu reliquiarum populis in eadē via conſiſtentibꝰ acceſſerit, neq; mihi ſilendum eſt, nec tamē ita vt fuit, plenè dici atq; enuntiari poteſt. Dicēdum tamē eſt, ne res ad Dei laudem maximè pertinens, quaſi per deſidiā ſilentio ſuppreſſa videatur. Ac primùm quidem geſtit animus id referre, q̄ palatio egreſſi, in multorum p̄ſentia nos vidiſſe reminiſcimur. Vurmius dicitur fluuiolꝰ, duobꝰ ferè paſſuum millibus ab Aquenſi palatio diſtāte habens pontē. Ad quem veniētes, propter multitudinem, quæ nos eouſq; de palatio proſequebatur, iamq; redire volebat, vt orandi locum haberet, parumper cōſtitimꝰ. Ibi q̄dam de orantibꝰ cum alio ad reliquias accedens, ſociumq; reſpiciēs, Propter amorē, inquit, atq; honorē huiꝰ ſancti ære alieno, propter quod te mihi obnoxium eſſe nō ignoras, abſoluo. Debebat enim ei, vt ipſe fatebatur, dimidiā argenti librā. Itemq; alter ſocium ſuum manu comprehenſum ad reliquias trahens, Patrē, ait, meum occidiſti, ac proinde inimici eramus adinuicem. Nunc autē propter amorē atq; honorē Dei, & huius ſancti, depoſita ſimultate, fœdus tecum iungere atq; inire volo, vt abhinc in futurum perpetua inter nos amicitia permaneat: ſitq; hic ſanctus condictæ in inuicē charitatis teſtis, & vltor in eum, qui hanc pacem prior irrumpere tētauerit. Hîc illa turba, quæ nobiſcum de palatio fuerat egreſſa, adoratis atque oſculatis ſacris reliquijs, cum multis lachrymis, quas præ nimio gaudio continere non poterat, domum reuertitur: alia multitudine, quæ ibi nobis obuiauit, nos comitante atque Kyrie eleiſon ſine intermiſſione cantante, vſque ad eum locum, in quo ſimili modo ab alijs occurrentibus excipiebamur. Quæ tunc ſimiliter, vt prior, ſupplicatione facta ad ſua reuerſa eſt.

* ſexto demum.

Res ſanè memorabilis.

Obſerua priſcorum deuotionem.

Cap. 9.

Hoc modo ꝑ ſingulos dies à prima luce vſq; ad veſperā comitātibꝰ, ac Domino Chriſto laudē dicētibꝰ populorū turbis ab Aquenſi palatio vſq; ad memoratū Mulinheim

vicum, Domino iter noſtrum proſperante, peruenimus. Atq; ibi illas reliquias ſup̄ altare, ponè quod loculus ſacros martyrum cineres continēs poſitus erat, gēmata capſa reconditas collocauimus: fueruntq; ibi ſic poſitæ, vſq; dum nos menſe Nouēbrio ad palatium ire parātes, per reuelationē admoniti ſumus, ne priùs de illo loco proficiſceremur, quàm eas corpori, de quo ſumptę erant, coniūgerem⁹. Qualiter aūt reuelatum fuerit, vt hoc fieri deberet, non eſt ſilentio tranſeundum: q̄a nō ſolùm ſomnio, vt fieri ſolet, ſed etiā ſignis quibuſdam ac terroribus ad vigilantium curā ꝑtinentibus, oſtenſum eſt beatos martyres omnimodis voluiſſe, vt in hac re iuſſio illorum fuiſſet adimpleta. Erat vnus de clericis, q̄ ad excubias baſilicæ deputati fuerunt, nomine Landolphus, cui tunc ſigni tangendi cura commiſſa fuerat, habens ſtratum ſuum iuxta auſtralē baſilicæ ianuā. Qui cùm ſecundùm conſuetudinē nocturni ac matutinalis officij ſolenni more ſurgeret, ſignumq; moueret, completoq; ante lucē eodē officio, rurſum dormire vellet, clauſis eccleſiæ forib⁹, corā ſanctis martyrum cinerib⁹ ſupplicandi gratia ſe proſtrauit. Ibi cùm pſalmum quinquageſimum, vt ipſe aſſerit, dicere inciperet, audiuit iuxta ſe in pauimento velut ſonitum pedū hominis, huc atq; illuc ibidē deambulātis. Conſternatusq; pauore nō minimo, erexit ſe paululùm in genua, & in omnē partem circūſpicere cœpit, æſtimans aliquem de pauperib⁹, clauſis eccleſiæ ianuis, in quolibet angulo delituiſſe. Cumq; nullum alium, q̄ ſe ſolum intra parietes baſilicæ eſſe cerneret, iterum ſe ad orationem inclinauit, ac pſalmum quē priùs inchoauerat, repetiuit: ſed antequam vnum eius verſum complere potuiſſet, capſa quæ altari impoſita ſacras beati Marcellini reliquias continebat, repentino crepitu tam vehementer inſonuit, vt quaſi malleo percuſſa diſſiluiſſe putaretur. Duo quoque oſtia baſilicæ, q̄ iam clauſa erant, occidentale videlicet atq; auſtrale, velut aliquo pulſante, atque impellente, ſimili modo ſonuerunt.

Gemmata capſa reliquiarum.

Martyr indicat ſe velle ſuas reliquias coniungi.

Cap. 10.

Quibus exterritus ac ſtupefactus, cùm quid ſibi agendum eſſet penitùs ignoraret, ſurgit ab altari, & in lectum ſuum ſe pauitando proiecit: ſubitoq; ſopore depreſſus, vidit ſibi quendā ignoti vultus virum aſſiſtere, qui ſe talibus verbis compellaret: Certúmne eſt, ait, Einhardum ſic ad palatium properare velle, vt reliquias S. Marcellini, quas huc detulit, priùs in locum de quo ſublatæ fuerant, non reponat? Cùm ille ſe huius rei ignarū eſſe reſpondiſſet, Surge, inquit, primo diluculo, eiq; ex authoritate martyrum præcipe, ne hinc abire vel alicubi pergere p̄ſumat, anteq̄ reliquias illas loco ſuo reſtituat. Expergefactus ſurrexit, & vbi me primùm conuenire potuit, hoc ꝙ ſibi fuerat imperatum, mihi intimare curauit. Sed neq; ego ſegniter in huiuſcemodi negotio aliquid agēdum arbitratus, imò id ꝙ iubebatur, ſine vlla morarum interpoſitione adimplendum eſſe iudicās, ipſa quidē die ea, q̄ ad hoc neceſſaria videbantur, ꝑparare iuſſi: Sequēti verò ſacras illas reliquias corpori, de quo ſumptæ fuerant, cum ſumma diligentia ſociare curaui. Quod factum quàm gratum beatiſſimis martyribus foret, atteſtatione miraculi ſubſequentis liquidò cōprobatur. Nam proxima nocte cùm ad matutinum officium in baſilica ſolenniter ſederemus, ſenex quidam greſſuum officio deſtitutus, genibuſq; ac manibus nitens reptando ad orationem intrauit. Is coram omnibus nobis ꝑ virtutē Dei, & merita beatiſſimorū martyrū eadem, qua ingreſſus eſt, hora ita ꝑfectè curat⁹ eſt, vt ad incedendum ne baculi quidem ſuſtentatione vlteri⁹ indigeret. Qui etiam & ſurdum ſe per continuū quinquennium fuiſſe, ſimulq; cum officio pedum auditū ſibi redditum affirmabat. His ita peractis, ad comitatum, ſicut ſuperiùs me facere voluiſſe retuli, ibidem hyematurus multa mecum reputando profectus ſum.

Viſio cuiuſdam.

Surdus & claudus ſenex reſtituitur.

LIBER TERTIVS.

Præfatio Authoris.

SCripturus virtutes atq; miracula, quæ beatiſſimi martyres Chriſti Marcellinus & Petrus, poſtquàm, eorum ſacratiſſima corpora de Roma in Franciam delata ſunt, per diuerſa loca fecerunt, imò quæ per illorum beata merita & pias orationes ipſe rex martyrum Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſalutem hominum operari dignat⁹ eſt: neceſſarium iudicaui breui pręfatione ꝑſtringere, ꝙ ex his q̄ ſcribere diſpoſui, maior pars ad notitiā meā aliorum relatione ꝑlata eſt: quib⁹ tamen vt fidem haberē, ex his q̄ ipſe vidi & coràm poſit⁹ agnoui, tam firmiter mihi perſuaſum eſt, vt ſine vllo dubitationis ſcrupulo vera eſſe crederem, q̄ ab his dicebantur, q̄ ſe illa vidiſſe teſtati ſunt, tametſi perſonarum, à quib⁹ hæc audieram, aut paruā, aut nullā eatenùs notitiam haberem. Cæterū de his omnib⁹ ea primū ſcribenda videntur q̄ in eo loco geſta, & à meipſo viſa ſunt, ad quem ſuos ſacratiſſimos cineres ijdē beatiſſimi martyres transferri præceperunt. Deinde illa, quæ in Aquenſi palatio ſub ipſis

Sacratiſſimi martyrum cineres.

aulicorum obtutibus facta memorantur. Tum ea quæ per diuerſa loca, ad quæ religioſis viris petentib⁹ ac me tribuente, ſacræ illorum reliquiæ delatæ ſunt, geſta referuntur, cenſui eſſe ponẽda: vt hoc ordine in relatione ſeruato, nihil remaneat ex omnibus ſignis atq; miraculis, quæ ad noſtræ paruitatis notitiam peruenire potuerunt. Sed iam nunc præfatione completa, ipſa quæ dicenda ſunt, miracula proferamus.

POſtquam ſacra beatiſſimorum martyrum corpora, ſicut iam in ſuperioribus demonſtratum eſt, ipſis iubentib⁹ & nobis morẽ gerentibus ad locum, in quo nunc requieſcunt, cum ingenti fidelium populorum exultatiõe plata, & celebratis in cãpo Miſſarum ſolẽnijs, manib⁹ ſacerdotũ, quorũ ibi tunc nõ paruus numer⁹ erat cõgregat⁹, in baſilicã deportata ſunt, feretrũq; quo vehebãtur iuxta altare poſitũ eſt, & iterum aliud officium ibidẽ celebrari cœptũ: ſubitò quidam adoleſcens renũ diſſolutione affect⁹, atq; ideo curuus ac baculis innitẽs, de media circũſtantis populi multitudine ꝓrupit, ſeq; ad adorãdum inclinare cupiens, in genua procubuit: ſed mirum in modum velut aliquo ſe reuellente, vel potiùs retrahente, ſupinus cecidit, ſimiliſq; dormienti diutiſſime iacuit. Tum quaſi euigilans, in ſeſſum ſe erexit: ac deinde poſt paululum, nullo adminiculante ſurrexit, ſtanſque in medio circũfuſæ multitudinis, vnà cum cęteris de recepta ſanitate gratias agendo, Dei miſericordiam collaudauit. Hic ſe de pago Portiano cum alijs pauperibus ac peregrinis illuc veniſſe, Danielemque vocari nobis percontantibus indicauit. Eadem ferè hora, eodemq;, vt ita dicam, momento, quo is, de quo nunc diximus, intra eccleſiam & corã ipſo altari per virtutem Chriſti & interceſſionem martyrum ſanitatem eſt cõſecut⁹, mulier quædam paralytica, & penè omnium membrorum officio deſtituta, pro foribus eccleſiæ iacens, in auxilium ſui ſanctos martyres inuocauit, & mox cunctis cernentibus, qui circà ſteterant, cœpit commotis viſcerib⁹ velut nauſeabunda concuti, ac deinde magnã vim phlegmatis ac bilis vomẽdo proijcere. Quo facto, paululũ aquę frigidæ ſumens, de loco in quo iacebat, ſe leuari rogauit, & baculo nitens baſilicam introiuit, adoratiſq; martyribus ac recepto membrorum vigore, ad propria repedauit.

Cap. I.

Adoleſcens contractus curatur.

Item paralytica.

Intereà quidam homo Vuillibertus nomine, haud longè à baſilica, in qua nunc beatorum martyrum corpora requieſcunt, domum habens, inter cæteros, qui ad venerationem Sanctis exhibendã conuenerant, ad feretrum acceſſit, & quaſi pro dono quadraginta denarios obtulit. Qui cùm à nobis fuiſſet interrogatus quis eſſet, quidq; ſibi vellet huiuſce muneris oblatio, retulit ſe ante paucos dies, grauiſſimo languore correptum, ad extrema fuiſſe perductum, adeò vt ab omnibus, qui ſe viderant, deſperatus admoneretur, vt omnes facultates ſuas pro remedio animæ ſuæ celeriter erogaret: ſeq; ita feciſſe. Iamque omnibus quæ habebat, ad quæ pia loca danda forent diſpoſitis, vnum ex ſeruis ſuis cum ingenti gemitu fuiſſe conqueſtum, quòd perperam ac valdè negligenter ab eis factum eſſet in eo, quòd nihil de bonis eius Sanctis nuper de Roma venientibus datum eſſet. Tum ſe circũſtantes interrogaſſe, ſi aliquid de rebus ſuisipereſſe ſcirent, quod ad martyres mitti potuiſſet. Erant * enim adhuc in Michilunſtat, & nondum aliquibus ſignis inclaruerat, quòd inde migrare deberent. Tum quendam reſpondiſſe, quoniam de omnibus rebus eius vnus tantùm porcus remanſiſſet, & non eſſe deputatum, quò dari deberet. Tunc ſibi complacuiſſe, ſeque præcepiſſe, vt venundaretur, & poſt obitum ſuum pretium illud ad martyrum luminaria mitteretur. Quibus verbis expletis, tam ſubitam ſe aſſerit ſenſiſſe medelam, vt protinùs omni dolore fugato, etiam edendi deſiderium habuerit, ciboque ſumpto in tantùm breui confortatus ſit, vt in craſtinum ad omne opus, quod rei familiaris neceſſitas poſtulaſſet, procurandum vel faciendum percommodè ire potuiſſet. Poſt hoc porcum illum fuiſſe venditum, & hoc eſſe pretium eius, quod ex voto beatis martyribus offerebat.

Cap. 2.

* autem.

Miraculatio hominis iã deſperati, poſt votum martyribus nuncupatũ.

Reliquas virtutes atq; miracula, quæ per eos Dominus ad ſalutem hominum operatus eſt, quoniã quo ordine dicantur nihil referre video, ita vt memoriæ occurrerint, cenſui deſcribenda: quia in earum relatiõe magis quid & quare, quàm quãdo aliquid geſtum ſit, conſiderandum eſt. Collocatis igitur in eadem baſilica more ſolenni beatorum martyrum reliquijs, cùm ſecundùm eccleſiaſticæ inſtitutionis conſuetudinem ſacra Miſſarũ ſolẽnia quotidiè celebrarentur, cõtigit vt quadã die, cũ diuina res ageretur, & nos in ſuperiorib⁹ eiuſdẽ eccleſiæ locis conſtituti, ſuper ſubiectũ atq; in inferioribus conſtitutũ populum intenderemus, clericus quidam ſeminudus q inter cęteros ad idem

Cap. 3.

ad idem officium venerat,atque in media multitudine conſiſtebat, tam graui ruinâ ſubitò collapſus eſt,vt mortuo ſimilis in pauimento diutiſſimè iacuiſſet. Quem cùm ſtertentem aliqui ex circunſtantibus leuare atq; erigere conarentur,tanta vis ſanguinis ex ore & naribꝰ erupit,vt tota anterior pars corporis,id eſt,pectus & venter,& vſq; ad veſtem,qua inguina tegebantur,hac eſſet exuberatione perfuſa. Qui cùm allata aqua fuiſſet refocillatus,reſumptis viribus clarè locutus eſt. Nam poſtmodum à nobis interrogatus,teſtatus eſt ſe ab infantia ſua vſque in præſens neq; audire aliquid,nec loqui potuiſſe. Patriam ſibi eſſe Britanniam,ſe natione Anglum, matrem ſuam viſitandi gratia,quæ Romæ peregrinaretur,iter arripuiſſe, atq; ita inter cæteros peregrinos, qui vnà Romam ire volebant,in illum locum perueniſſe:ſed ſocijs ſuis abeuntibus ſe ſubſtitiſſe,ipſumq; diem,quo ſanus factus eſt,ſeptimum eſſe ex quo in locum illum venerat. Cumq; ab eo nomen eius quæreremus,reſpondit ſe nomē ſuum penitùs ignorare,pro eo,quòd ex eo tempore,quo obſurduit,nunquam nomen ſuum audierit.

Clericus ſurdus & mutus fit incolumis.

Cap. 4.

Exin poſt aliquot dies,cùm more ſolenni ad veſpertinum officium in eccleſia fuiſſemus congregati,puella quædam ſurda & muta , quam de pago Biturigum pater eius ac frater ſalutem quærendi gratia per multa Sanctorum loca trahentes, tandem illuc perductā inter cęteros in eadem eccleſia ſtare fecerunt,ſubitò velut inſania quadā excitata,tabulas,quarũ crepitu ad eleemoſynam petendam vtebatur, quanta potuit virtute concuſſit,atq; in populum ante ſe conſtitutum,furibunda proiecit. Tum ad ſiniſtrum eccleſiæ parietem accurrens,velut in eundē aſcenſura,trium vel eo ampliùs pedum ſaltu in altũ dato,ſupina corruit:& cùm ibi paululùm mortuo potiùs q̃ dormiēti ſimilior iacuiſſet,atq; eruptione ſanguinis, qui ex ore ac naribus nimius profluebat, eſſet penè tota reſperſa,à circunſtantibus ſublata, atq; in medium baſilicæ deportata eſt. Cumq; & ibi aliquandiu iacuiſſet,velut de graui ſomno experrecta reſedit:ac deinde manus his qui aſtiterant porrigēs,vt in pedes erigeretur quibus poterat nutibus orauit. Erecta ad altare deducitur: vbi cùm Ratleicum inter alios clericos,q iuxta altare cōſtiterāt,ſtantem ac ſe reſpicientē cerneret,protinùs in hęc verba prorupit: Tu es, inquit, Ratleicus: tu,ait,hoc nomine vocitaris:tu es ſeruus horum ſanctorum. Quam cùm ille percōtaretur vnde hoc ſciſſet,vel quis ei nomen ſuũ indicaſſet: Sancti,inquit, iſti,qui hîc requieſcunt,quando velut dormiens iacui, acceſſerunt ad me,& miſerunt digitos ſuos in auriculas meas,dixeruntq; mihi: Cùm ſurrexeris,& ad altare acceſſeris, clericus ille iuuenis,quem coram te aſſiſtere,ac te intēdere videris,ſcito quòd ille Ratleicꝰ vocatur,& ille ſeruꝰ noſter eſt.nā ipſe eſt,q ad hũc locum corpora noſtra detulit. Et reuerà ita erat. Siquidem ipſe erat, quem propter ſanctorum reliquias à quodam Diacono recipiendas, nobiſque deferendas Romam nos miſiſſe in primo libro memorauimus. Et hæc quidem hoc modo coram nobis per virtutem beatiſſimorũ martyrum depulſo infirmitatis ſpiritu,integerrimam corporis ſui ſanitatem eſt conſecuta: quam pater ac frater qui eam illò deduxerunt, à tempore natiuitatis ſuæ ſurdam & mutam ſemper fuiſſe teſtati ſunt.

Per viſum Sanctiſ fœminā ſurdā & mutā ſanāt.

Cap. 5.

Miraculum autem,quod nunc narraturus ſum,ego ipſe nō vidi, ſed verbis eorum, quorũ hoc relatione mihi compertũ eſt,non minùs quā proprijs oculis credere poſſum. Ideoq; nō vt auditũ,ſed potiùs vt à meipſo viſum,incunctāter,ac ſine vlla dubitatione proferre decreui. Mercatores quidā de ciuitate Moguntiaca,qui frumētum in ſuperioribꝰ Germanię partibꝰ emere,ac per fluuium Mœnum ad vrbē deuehere ſolebant,cæcũ quendā natione Aquitanum,nomine Albricum,mercedis à Deo promerēdæ gratia naui ſuæ impoſitum,ſicut ipſe petiuerat,ad baſilicā beatorũ martyrum deduxerunt. Qui cùm ibi egreſſus,atq; in domo cuſtodis eccleſiæ eſſet hoſpitio receptus,ſeptē vel eo ampliùs dies ibidē moratus eſt. Habebat enim præter cæcitatē, q̃ ei propter quod oculis carebat,& naturalis iam eſſe videbatur,horribilē ac fœdā totius corporis infirmitatem. Erat enim omnium mēbrorum ingens tremor,q eundē tam graui quatiebat incōmodo,vt proprijs manibus cibum ori ſuo porrigere penitùs nō valeret. Is cùm die quadam horis antemeridianis in hoſpitio iacens obdormiſſet,vidit per ſoporem quendam ſibi aſſiſtentē,ſeq; monentē vt citò ſurgeret,atq; ad eccleſiā feſtinaret: tempus dicens aduenisse,quo de illa miſerabili paſſione per virtutē ſanctorum liberari deberet. Expergefactus,atq; ad eccleſiā ductus,pro foribꝰ in quodā lapide conſedit. Agebatur tunc in eccleſia more ſolenni diuinum officium,& expletis orationibꝰ quę ſacram Euangelij lectionem præcedere ſolent,ipſum legi cœptum eſt. Cuius cùm vix duo verſus fuiſſent legendo cōpleti,ecce repentè velut vim patiēs,tremuloſus ille vociferatus eſt,dicens: Adiuua me,ſancte Marcelline. Quo clamore tametſi omnes,

Viſio hominis miſerabilis.

qui

qui in eccleſia erant, haud parua forent perturbatione commoti, maiore tamen parte propter reuerentiã euangelicæ lectionis in loco remanente, plures ad videndum quænam cauſa huiuſce clamoris exiſteret accurrerunt: & vt poſteà teſtati ſunt, inuenerunt eundẽ in eo, quo conſederat loco, extento ac reſupinato corpore iacentẽ, mentumq́; ac pectus cruore ex naribus profluente inundatum. Qui cùm ab eis erectus, & paululũ aquæ frigidæ ſumens fuiſſet recreatus, retulit ſibi viſum fuiſſe tunc, cùm illam vocem emiſerat, quòd aliquis eum pugno in ceruicẽ percuſſiſſet, atq; ideò beati martyris auxilium imploraſſet. Cęterùm hunc ictum tã ſalutarem ei fuiſſe conſtat, vt ex illo temporis momento nullum illius fœdæ agitationis veſtigium in eius corpore vlteriùs appareret. Is poſteà p duos ferè annos in eodem loco mãſit, & vt ipſe teſtatus eſt, nulla nox in hoc biennio fuit, in qua p ſomnium eoſdem, qui eum ſaluum fecerunt, martyres nõ vidiſſet, multa quoq; ab eis audiſſet, quæ alijs dicere iubebatur: ex quibus pleraq; nunc impleri cernimus, quæ ille tunc futura eſſe prædixit.

Redditur ei incolumitas à S. Marcellino.

Cap. 6.

Poſt paucos dies vidimus & alium quendam ſimili morbo implicitum, in eadem baſilica per eorundem ſanctorum merita non diſſimili modo curatum. Nam quadã nocte cum ad matutinum officium celebrandum, & diuinæ legis lectiones audiendas in eccleſia ſederemus, intrauit quidam habitu clericali, trementib⁹ mẽbris: baculoq; nitens, titubãtia veſtigia ægrè gubernabat. Cumq́; ſe iuxta parietẽ ad orãdum inclinaret, ingenti voce emiſſa, repentino caſu cernuus ruit, ac parua temporis mora interpoſita, ab eo quo tenebatur incõmodo ſan⁹ ſurrexit. Is, cùm ab eo quæreremus, ſi aliud aliquid præter quod nos omnes videre potuimus, ſibi viſum fuiſſet ea hora, qua ſalutẽ eſt conſecutus: dixit ſe paulò antè, quàm baſilicã fuiſſet ingreſſus, ad eccleſiam veterem, quæ Occidentem versùs a noua baſilica, in qua martyres tunc quieſcebant, paruo ſpatio diſtabat, orandi gratia veniſſe, & cùm eã clauſam offendiſſet, pro foribus oraſſe. Deindè cum ſe erexiſſet, & ad eccleſiam ire cœpiſſet, vidiſse quendam clericum veneranda canitie, ſtola alba indutum, eò quò & ipſe ire volebat ſe præcedentẽ. Quem, vt ipſe aſserit, ſecutus eſt vſq; ad oſtium baſilicæ: quò cùm ambo veniſsent, is qui præcedebat ſubſtitit, ſiniſtro poſti ſe applicans, quaſi vellet vt ille priùs ingrederetur, quem ipſe paulò antè præceſſerat: cunctantiq́; vt ante ſe intraret, annuendo imperauit. Qui cùm intraſset, & ad orãdum ſe inclinaſset, poſt tergum eius ſtetit, & eum pugno in ceruicem percuſſit atque proſtrauit, & confeſtim euanuit. Quem tamen nemo alius, niſi ſolus ille qui ſanatus eſt, videre potuit.

Sanitas reſtituitur etiã alteri morbido.

Viſio eius.

Cap. 7.

Sub idem ferè tempus, cùm quadam nocte ſurgentes, ad eccleſiam iremus, inuenimus pro foribus eccleſiæ quendam puerũ in porticu iacentem, adeò miſerabiliter contractũ vt mento genua iungerentur. Qui vnum ex his, qui nos ſequebantur, rogauit vt ſe in eccleſiam deportaret, & ille miſericordia motus ſuſtulit eum, & in eccleſia iuxta cancellos iacere fecit. Qui cõfeſtim irruente ſopore, vbi iacuit obdormiuit, nec priùs euigilauit plenè, quàm de illa miſerabili contractione per ſuffragia Sanctorum, ita perfectè ſanatus eſt, vt euigilans per ſe de loco, in quem alio portante delatus eſt, ſurgeret, atque ad altare Deo gratias acturus accederet. Is tamen vbi dies illuxit, & nos cum eo loqui potuimus, retulit ſe tribus vicibus, priùs quã ſignum eccleſiæ ſonuiſset, à quodam ſibi ignoto clerico excitatum, atque admonitum, vt nequaquã prætermitteret, quin tempore matutini officij in eccleſiam veniret. Se quoque ita feciſse, ac poſtea, ſicut nos vidimus, in eccleſia dormientem integram ſui corporis ſanitatem recepiſse. Et hic quidem annorum circiter quindecim eſse videbatur.

Puer miſerè contractus reualeſcit.

Cap. 8.

Aliũ itidẽ vidim⁹, non puerum, vt hic erat, ſed valdè ſenẽ atq; decrepitũ, pari morbo affectum, eodẽ in loco, ſimili modo ſimili in tẽpore curatum. Quẽ & ipſum nocte quadã, cùm propter matutinũ officium celebrandũ ad oſtium eccleſię veniſſem⁹, in ipſo limine reperim⁹. Qui genib⁹ nitens, duob⁹ ſe baculis ſuſtẽtabat, ac ſic illo tardiſſimo motu ad ingrediendũ nos morabatur. Cumq́; poſt tergũ ei⁹ cõſtituti, illã pigrã promotionẽ pręſtolaremur, tanta ſuauiſſimi odoris fragrãtia de baſilica procedens nares noſtras impleuit, vt omnium aromatũ ac thymiamatũ artificioſã cõpoſitionem ſua pſtãtia ſuperaret. Intrauit tãdem, & corã nobis iuxta cãcellos quaſi ad dormiendũ procubuit: nos quoq; baſilicã ingreſſi, noſtris locis cõſtitim⁹, ac ſimul cũ alijs pſalmos, q dicebãtur, ſolenni more cantauim⁹. At vbi prima lectio recitari cœpta eſt, audiuim⁹ eundẽ ſenẽ gemere, & quaſi qui vim pateretur, auxilium implorare, ac deinde interiecto parui tẽporis ſpatio, vidimus in ſeſsum ſe erigere, ac protinus baculis, quibus inceſsum regere ſolebat, aſsumptis etiã in pedes conſtitiſse. Et nos quidem hæc vidimus: ipſe aũt fatebatur ſibi viſum fuiſse, quòd ſe iacentem quaſi duo quidem apprehendiſsent, vnus p humeros

Odor ſuauiſſimus ſentitur.

Senex contractus erigitur.

meros & brachia, alter per crura & pedes, ac ſic trahendo, neruos ſuos qui contracti erant extendiſſent. Et quia præter hoc contractionis incommodum etiam ſurdum ſe fuiſſe aſſerebat, dixit ſibi cũ in ſeſſum fuiſſet erectus, velut ictũ pugni validiſſimè ferientis in caput ſuperueniſſe, vocemq; ſimul vt in futurum audiret imperãtis audiſſe. Hic ſenex hoc modo ſanatus, de pago Heluetiorum qui nunc Aragaouin vocatur, ſe veniſſe, & natione Alamannum eſſe teſtatus eſt.

Cap.9. Alius autem ſimili modo neruorum contractione debilitatus, qui ſe de vico Leodico, vbi S. Lambertus corpore requieſcit, veniſſe dicebat, quadam Dominica nocte poſt peractum matutinale officium nobis iam de eccleſia regreſſis, cùm propter eos, qui de longè venerant, & ad ſua redire feſtinabant, hoſtiæ ſalutaris ſacramẽta presbyter ex more celebraret, coram omnibus qui aderant in pauimentum cecidit, ibiq; paruo temporis ſpatio velut ſoporatus iacuit. Dein quaſi de ſomno expergefactus, nemine ſe ſubleuante ſurrexit. Cumq; vnus ex circunſtantibus baculos, quibus ante vti ſolebat, & cùm caderet, de manibus eius elapſi procul iacebant, ſumeret, eique porrigeret, renuit dicens: Abſit à me, vt eos vlteriùs attingam. Sed & iſte ad hunc modum curatus, in patriam repedauit, de qua reptando potiùs quàm incedendo, ad martyrum limina peruenerat.

Redit ſalus etiam alteri contracto.

Cap.10. Nec multò pòſt, cùm ego menſe Nouembrio ſecundùm cõſuetudinem in palatio hyematurus, ad comitatum ire diſponerem, iamq; iter ingreſſus, tranſmiſſo flumine Rheno, in villam regiam, cui Sinciacus vocabulum eſt, ad manendum venirẽ, & poſt cœnam, quæ aliquam noctis partem occupauerat, in cubiculi ſecretum, vbi quieturus eram, cum familiaribus meis me recepiſſem, miniſter qui potum nobis porrigere ſolebat, quaſi noui aliquid nuntiaturus feſtinãter intrauit. Quem ego intuitus: Quid tu, inquam, narrare vis? Nam vt video, habes neſcio quid, quod ad noſtram vis perferre notitiam. Tum ille, ſigna, inquit, duo coram nobis modò facta ſunt, quę vobis indicare veni. Cumque eum quicquid vellet dicere iuſſiſſem: Modò, ait, cùm de cœna ſurgẽtes hoc cubiculum intraſtis, ego cum ſocijs meis deſcendi in cellarium, quod huic cœnaculo ſubiectum eſt. Vbi cùm ceruiſiã miniſtris petẽtibus diſtribuere cœpiſſemus, ſuperuenit puer miſſus à quodam conſeruo noſtro flaſconem ferens, quem ſibi impleri flagitabat. Qui cùm eſſet impletus, petijt vt etiam ſibi de eadem ceruiſia quantulũcunq; daretur ad bibendum. Datum eſt in vaſe, quod caſu vacuum ſupra cupã, in qua ceruiſia erat, poſitum fuerat. Sed vbi hoc hauſturus ori admouit, cum ingenti admiratione vinum hoc, non ceruiſiam eſſe clamauit. Cumq; eum is, qui & flaſconem impleuerat, & idipſum, quod illi datum fuit, de eodem foramine traxerat, mendacij cœpiſſet arguere: Sume, inquit, & guſta, & tunc me nõ falſum, ſed potiùs verum dixiſſe probabis. Sumpſit ille atq; guſtauit, ſibiq; ſimiliter vinum hoc, non ceruiſiam ſapere teſtatus eſt. Tunc tertius & quartus cæteriq;, qui aderant, ſingillatim guſtando & mirando, totum quod in vaſe fuerat, ebiberunt. Quotquot autem inde guſtauerunt, meri, non ceruiſiæ id ſaporem habuiſſe teſtati ſunt. Intereà cùm in huius ſigni admiratione attoniti ſtuperent, contigit vt cereus, cuius lumine ibidem vtebantur, & tunc proptèr cupam parieti affixus ardebat, nemine cõtingente in madens humore pauimentũ caderet, atq; ita eſſet extinct⁹, vt ne paruiſſima quidẽ in eo ſcintilla remaneret. Quẽ vn⁹ eorum arripiens, ad oſtium cucurrit, ſed horrore tenebrarum permotus, priuſquã egrederetur, in ipſo limine ſtans, Sancti, inquit, martyres Marcellinus & Petrus nos adiuuent. Ad quam inuocationem cereus ille, quem manu tenebat, accenſus eſt. Hæc vbi audiui, confeſtim Deo omnipotenti, vt par erat, laudem dixi & gratias egi, qui ſanctos ſuos ſemper & vbiq; glorificat, & nos famulos ſuos, qui ſacras eorum reliquias tunc nobiſcum habebamus, de tantis virtutibus lętificare dignatus eſt. Illum autem, qui hac mihi nuntiauit, expleta narratione ad manſionem ſuam ſecedere iuſſi. Cæterùm cùm me ad quieſcendum in lectulo collocaſſem, cœpi mecum multa voluendo tractare atque mirari, quidnam ſibi vellet, quidve portendere poſſet illa ceruiſia in vinum, id eſt, deterioris potionis in meliorem facta mutatio: aut cur in eo loco, id eſt, in regia domo, ac non potiùs in eo, vbi beatorum martyrum, qui hæc prodigia per virtutẽ Chriſti fecerunt, ſacratiſſima corpora recondita ſunt, huiuſcemodi miraculum eueniſſet. Sed licèt ad huius quæſtionis certam indaginem longa ac ſolicita cogitatione peruenire nequirem, certum tamen habui & certum ſemper habebo, illam diuinam atq; ſupernam virtutem, per quam hæc atque alia huiuſmodi miracula fieri creduntur, nihil vnquam ſine cauſa vel facere vel fieri ſinere in creaturis, quas ad ſuam prouidentiam & gubernationem pertinere non dubito.

Ceruiſia mutata in vinum.

Cereus diuinitùs accenditur.

Igitur

Igitur inde digreſſus, ſicut ſuperiùs dixi, ad comitatum perrexi. Nam Imperator Ludouicus eo tempore Aquiſgrani palatio conſiſtens, conuẽtum procerum ibi fieri media ferè hyeme præceperat: vbi & ego inter cæteros adeſſe iuſſus, quia de vicinia beatorum martyrum abeſſe cogebar, parùm iucundas in palatio moras faciebam. Ideoq; poſt vnum, ex quo illò veneram, menſem exactum, miſi quendam ex noſtris, nomine Ellenhardum, præcipiens ei, vt ad limina beatorum martyrũ quanta poſſet celeritate feſtinaret, viſitatisq; fratribus noſtris, quos inde digrediens ad diuinum ſeruitium faciendum ibi dimiſeram, atq; omnibus, quæ ibidem agerentur, diligenter exploratis, ad nos citò recurreret. Qui cùm illuc veniſſet, tribus ibi manſit diebus. Quarto verò cùm iam ad nos reuerti diſponeret, cæcus ille, nomine Albricus, cuius in ſuperioribus fecimus mentionem, detinuit abire parantem, affirmans eum non priùs iter ſuum ingreſſurum, quàm tale ſignum fieri vidiſſet, cuius relatione me lætum atq; oppidò gaudentem efficeret. Addidit etiam, beatiſſimos martyres præterita nocte ſibi in ſomnis apparuiſſe, atq; hoc in mandatis dediſſe, vt perquireret quendam pauperem, nomine Giſalbertum, immani gibbo depreſſum ac proinde curuũ & breuibus baculis innitentem, atq; inuentũ in cœnaculo, quod ſupra porticum baſilicæ eſt, tempore matutini officij iuxta reliquias, quæ ibi erant, collocaret, eò quòd ibi per merita & virtutem Sanctorum, quorum illæ reliquiæ eſſent, de illa gibbi deformitate atq; curuitatis incõmodo liberari deberet. Paruit ille ſuadenti, atq; iter, quod aggredi parauerat, diſtulit in craſtinum. Ac cæcus ille iuſſum pauperem perquirens inuenit, & vt ſibi præceptum erat, in ſuperioribus eccleſiæ partibus iuxta prædictas reliquias officij matutini tẽpore collocauit. Erant autem illæ reliquiæ, quod nondum noueramus, beati Marij martyris, & vxoris ac filiorum eius, Marthæ videlicet, Audifacis & Habacuc. Quæ vtique ſimul cum ſanctorum Marcellini & Petri corporibus, & in eodem loculo ad nos perlatæ ſunt: ſed is qui eas detulit, cuius eſſent reliquiæ neſciuit. Nam ille, qui eos mihi miſerat, promiſit ſe ad me eſſe venturum, ac nomina Sanctorum, quorum hæ reliquiæ forent, per ſemetipſum mihi indicaturum, quod poſteà factum eſt. Pauper verò, qui iuxta illa memorato cæco fuerat collocatus, cùm ſecunda lectio ad nocturnũ officium ex more legeretur, edito ingenti clamore, non modicum pauorem audientibus incuſſit. At quem cùm nõnulli clericorum vnà cum illo, qui hoc ibi opperiri iuſſus fuerat accurriſſent, inuenerunt eum pronum atque extentum propter altare iacentem, pauimentumque quod ori eius ſubiectum erat, plurimo ſanguine madens. Quem leuantes, & allata aqua refocillantes, ſanum & rectum, neque vlla camelinæ illius tortitudinis ſigna retinentem in inferiores eccleſiæ partes gratulabũdi deduxerunt. Quo miraculo in hunc modum peracto, is quem illuc miſeram, ad me cum ſumma feſtinatione regreſſus, cùm ea quæ viderat retuliſſet, magno nos gaudio atque exultatione repleuit.

Cap. 11. *Conuentus procerum Aquiſgrani.* *Sancti martyres apparent cuidã.* *Reliquiæ Marij, Marthæ, Audifacis & Habacuc martyrum.* *Gibboſus & curuus ſanatur.*

Nec multò pòſt Ratleicus, qui ſacros martyrum cineres, ſicut in ſuperioribus demonſtrauimus, Roma detulit, vt ipſe aſſerebat, iuſſus venit, deferens libellum complura capitula continentem. Cuius rationem talem eſſe retulit, dicens ſibi cæcum illum, cuius modò fecimus mentionem, ex authoritate martyrũ præcepiſſe, vt ea capitula deſcriberet, mihique deferret, ac diceret vt ea ſuſciperem, atque Imperatori legenda offerrem. Suſcepi ab eo libellum atque perlegi, emendatumq; ac nouiter ſcriptum Imperatori, vt iuſſerat, obtuli. & ille quidem ſuſcepit atque perlegit: ſed de his, quæ per hunc libellum facere iuſſus vel admonitus fuerat, perpauca adimplere curauit. Quid autem illa capitula continerent, aut quid ab eo factum, quidue dimiſſum ſit, alio potius in loco, quàm in iſto, commemorandum eſt. Illud tamen non ſolùm non prætereundum, quinimmò apertè ac dilucidè cenſeo cõſcribendum, qualiter reuelatum & iuſſum ſit, vt libellus ille fieri, atque regi dari debuerit. quæ Ratleicus hoc modo contigiſſe retulit. Ante paucos, inquit, dies cùm in eccleſiam ad agendum nocturnum officium ex more conueniſſemus, adijt me cæcus ille, quem noſtis, rogans vt in partem aliquam ſecretiorem cum illo ſecederem. Feci vt volebat, & cum eo cellulam, in qua quieſcere ſolebam, ingreſſus ſum. Tum ille prior, Hac, inquit, nocte paulò antè quàm ſono ſignorum excitati ſurgeremus, apparuit mihi per viſum quidam vir canitie venerabilis, veſte candida indutus, virgam auream manu tenens, ac talibus me verbis compellauit: Vide, inquit, Albrice, vt cuncta quæ tibi dixero, benè intelligas, eaque adeò tenaci memoria retineas, vt etiam alijs, qui illa ſcripturi ſunt, exponere valeas. Volo enim vt ſcribantur, & Ludouico Imperatori ad legendum per ſeniorem veſtrum oſtendantur. Sunt quippe valdè neceſſaria non ſolùm ad

Cap. 12. *Libellum quẽdam iubent martyres Ludouico Imper. offerri.* *Viſio eiuſdam.*

lùm ad cognoſcendum, verùm etiam ad faciẽdum principi, in cuius regnum iſti martyres diuina iuſſione venerunt. Tunc incipiens, duodena vel eo ampliùs capitula per ordinem pronuntiauit, mihique præcepit, vt tibi & alijs quatuor, quos tibi dicturus ſum, illa enumerem atque exponam. Et poſt hæc tu libellum facias, eumque ſeniori tuo, qui nunc in palatio moratur, deferas, eique ex martyrum authoritate præcipias, vt eundem quantò celeriùs poſſit, Imperatori offerat. Deinde ſubiungens, Noſtine, inquit, quis ego ſim, qui tibi iſta præcipio? Tum ego nihil hæſitans, ſanctum Marcellinum eum eſſe reſpondi. Et ille, Non ita eſt, inquit, vt opinaris: ſed Gabriel Archangelus ego ſum, perſonamque ac formam Marcellini idcircò aſſumpſi, quia Dominus Deus omnium rerum atque cauſarum, ad iſtos martyres pertinentium, curam mihi commiſit: & nunc veni, vt hæc tibi indicarem, quæ ſcribere præcepi: quoniam diuinæ voluntatis eſt, vt ea ex authoritate eorum ad notitiam regis ſine morarũ interpoſitione perueniant. Tu verò ſicut tibi præcepi, primo diluculo poſt completum matutinum officium nuntia quæ audiſti his, quibus ea nuntiare iuſſi. Tum ego, Nemo eſt, inquam, qui credat, quod Angelus mecum locutus ſit, aut me iſta nuntiare mandauerit. Non erit, inquit, ita, ſed dabo ſignum, quod facias coram eis: quo viſo, nullam vltrà dubitationem habebunt de his, quæ ad eos ex mea iuſſione pertuleris. Proinde volo dicas Ratleico, vt exhibeat tibi duos cereos nouos, qui nondum accenſi fuiſſent: & vnum ex eis dextra, alterum ſiniſtra tenens, ſta coram altari: & cùm omnia quæ tibi præcepi, narrando compleueris, dic eis qui hæc audiunt, vt in hoc credant vera & ab Angelo Dei eſſe mandata, quæ dixiſti, ſi hi cerei in manibus tuis ſine adhibitione ignis viſibilis fuerint videntibus illis illuminati. Quo facto, ſcriptus eſt libellus, mihique allatus, ac per me regi oblatus, ab illo quoque acceptus atque perlectus eſt. Idcircò viſum eſt mihi, inter cætera miracula libelli huius facere mentionem: quia per occaſionem, qua ille ſcribi iubebatur, contigit illa mirabilis & inuſitata cereorum accenſio, quam per merita beatorum martyrum fieri debere ipſe, qui eos illuminauit, Angelus prænuntiauit.

Euidenti ſigno viſionis veritas comprobatur.

Cap. 13.

Sub idem ferè tempus, cùm Ratleicus à nobis ad baſilicam martyrum regreſſus eſt, allatus eſt nobis inde alter libellus, continens verba & ratiocinationem cuiuſdam dæmonis, qui ſe Vuiggonem nominauit: quæ facta eſt ab eo coram multis teſtibus ante altare, iuxta quod ſacri martyrum cineres repoſiti ſunt, ad interrogationem presbyteri, qui exorciſmum ſuper energumenum legerat: quod hoc modo contigiſſe narratur. Prædium eſt in pago Nithagonne, vocabulo Hecgſtat, pertinens ad monaſterium S. Nazarij: de quo puella quędam annorum circiter ſedecim, ab eodem erratico ſpiritu poſſeſſa, ad baſilicam martyrum à parentibus ſuis adducta eſt. Quæ cùm ante tumbam ſacra corpora continentem veniſſet, & presbyter ſuper caput eius exorciſmum ſecundùm conſuetudinem perlegiſſet, ac deinde dæmonem qualiter & quando in eam fuiſſet ingreſſus percontari cœpiſſet: non barbara lingua, quam ſolam puella nouerat, ſed Romana locutione presbytero reſpondit. Cumque presbyter miraretur atq; interrogaret, vnde illi Latinæ linguæ notitia, cùm parentes eius, qui ibi præſentes aſtabant, huiuſcemodi ſermonem penitùs ignorarent, Parentes, inquit, meos nunquã vidiſti. Tum presbyter, Tu ergo, inquit, vnde es, ſi iſti non ſunt parentes tui? Et dæmon per puellam, Ego, ait, ſum ſatelles atq; diſcipulus ſatanæ, & multo iã tempore apud inferos ianitor fui: ſed modò per annos aliquot cum ſocijs meis vndecim regnum Francorum vaſtaui, frumentum & vinũ, & omnes alias fruges, quæ ad vſum hominum de terra naſcuntur, iuxta quod iuſſi eramus, enecando deleuimus, pecora morbis interfecimus, luem ac peſtilentiam in ipſos homines immiſimus: omnes quoq; aduerſitates & cuncta mala, quæ iamdiù pro meritis ſuis patiuntur, nobis facientibus atq; ingerentibus eis acciderunt. Hîc cùm presbyter ab eo quæreret, quanam de cauſa ei fuiſſet huiuſmodi conceſſa poteſtas: Propter malitiam, inquit, populi huius, & multimodas iniquitates eorum, qui ſuper eum conſtituti ſunt: qui munera & non iuſtitiam diligunt, qui plùs hominem quàm Deum metuunt: qui pauperes opprimunt, viduas & pupillos ad ſe vociferantes exaudire nolunt, nulli iuſtitiam niſi mercanti faciunt. Præter hæc ſunt & alia multa ac penè innumerabilia, quæ tam ab ipſo populo, quàm à rectoribus eius quotidiè committuntur: vt ſunt periuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ: quæ nemo fieri prohibet, & cùm facta fuerint, non eſt qui vindicet. Potentiores quiq; turpibus lucris inſeruiunt, & loco ſuperiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad ſuperbiam & inanem gloriã abutuntur: odium & inuidiam non tã inter extraneos, quàm inter propinquos & affinitate coniũ-

Diabolus per obſeſſã puellã multa Latine loquitur.

Vide cõcionatorem dæmonem, carpentem vitia, quorum ipſe incentor eſt.

ctos

ctos exercent: amicus amico non credit: frater fratrē odit: pater filiū non diligit. Rari ſunt, qui fideliter ac deuotè decimas dent: rariores, qui eleemoſynas faciunt. Et hoc ideo, quia quicquid Deo vel pauperibus dare iubentur, id ſibi perire arbitrātur. Iniquas menſuras & iniuſta pondera contra Dei præceptum habere non verentur: fraude ſe alterutrum circumueniunt, falſa teſtimonia dicere nō erubeſcunt. Dies Dominicos ac feriatos non cuſtodiunt: ſed in his, ac ſi in cæteris, prout voluntas eorum tulerit operantur. Propter hæc & alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus vt facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis eius inobediens effectus eſt, permiſſi, immò iuſſi ſumus ea facere in reb⁹ humanis, quæ ſuperiùs enumeraui, vt perfidiæ ſuæ pœnas luant. Sunt enim perfidi atq; mendaces, cùm hoc ſeruare non curant, quod in baptiſmo promiſerunt. Hæc omnia dæmon per os barbaræ puellæ Latinè locutus eſt. Et cùm preſbyter imperando vrgere cœpiſſet vt exiret, Exibo, inquit, non propter tuum imperium, ſed propter Sanctorum poteſtatem, qui me in illa diutiùs manere non permittunt. His dictis, puellam in pauimentum proiecit, atq; ibi aliquantulùm velut dormientem prono corpore iacere fecit. Poſt paululum verò illo recedente quaſi de ſomno euigilans, per virtutem Chriſti & merita beatorum martyrum puella cunctis, qui aderant, cernentibus atq; mirantibus ſana ſurrexit, nec poſt exactum à ſe dæmonem Latinè loqui potuit: vt palàm poſſet intelligi, non illam per ſe, ſed dæmonē per os eius fuiſſe locutum. Heu proh dolor ad quantas miſerias tēpora noſtra ſunt deuoluta, in quibus nō boni homines, ſed mali dæmones doctores ſunt: & incētores vitiorū, ac perſuaſores criminū, de noſtra nos correctione cōmonēt. *Sanctorum poteſtate coactus dæmō exire è puella.*

Eodem ferè tempore ſanctimonialis quædam, nomine Marethrudis, de pago Vuetareiba, quæ dira paralyſis ægritudine per decem annos tam immaniter tenebatur, vt tanto temporis ſpatio penè nullo ad humanos vſus corporis officio fungeretur: etiā à parentibus ſuis erat deſperata, quoniam ad omnia Sanctorum loca, ad quæ ipſi poterant peruenire, eandem deduxerant. Sed tandem ab eiſdem tunc ad baſilicam martyrum adducta, & tempore nocturnalis officij iuxta cancellos poſita, per merita & interceſſionem eorundem Sanctorum diù deſiderata ſanitate ſine mora donata eſt adeò integrè atque perfectè, vt omnium membrorum firmitate recepta, quæ illuc lecticā venerat, pedibus ad propria remearet. Sed vbi domum redire cœpit, in ipſo itinere eadem, quà liberatam ſe gaudebat, infirmitate corripitur. Itaque reuerſionis ſuæ pœnitentiam agens, iterùm ſe ad martyrum limen reduci rogauit. Moxq; vt reducta eſt, quam diſcedendo amiſerat, ſanitatem ſine vlla dilatione recepit. Voto igitur facto, vt ſua ſponte de Sanctorum obſequio iam ampliùs diſcedere non deberet, paruam ſibi cellulam haud procùl ab eccleſia ad manendum conſtruxit: ac deinceps religiosè cōuerſata, in obſequio beatorum martyrum cum magna deuotione permanſit. *Cap. 14* *Paralytica deſperata integerrimè reualeſcit.*

Aliam quoq; fœminā conſtat nō multò pòſt per eoſdē beatiſſimos martyres magno incommodo liberatam: quæ res hoc modo geſta eſſe cognoſcitur. In pago Nithagonne fundus eſt, Vrſella vocatus, qui à baſilica martyrum ſex ferè leugarum interuallo dirimitur. In quo mulier quædā cùm manè facto de ſomno euigilans in lecto ſuo reſideret, & iuxta conſuetudinē expergiſcentium protenſione brachiorū & aſſidua oſcitatione ad diſcutiendum marcorē ſe extēderet, os paulò diductiùs, quàm debebat, aperuit, diſiunctiſq; iuxta aures maxillarum coagmentis, hians rictus conſtitit immobilis: nec iam os claudere valens, perſonæ quàm homini ſimilior effecta, grauiſſimas incautæ oſcitationis pœnas luebat. Hoc vbi mulierculis in eodē fundo habitantibus innotuit, accurrunt, herbiſq; & friuolis incantationibus malè habēti ſuccurrere moliūtur. Sed non habuit effectū vana ac ſuperſtitioſa præſumptio, vexabatq; potiùs laborantē atq; lædebat, quicquid imperitæ manus velut ſtudio medendi eidē adhibuerunt. Interea frater mariti eiuſdē mulieris ſuperuenit, ſalubriq; conſilio rogauit, vt ad baſilicā martyrum ſine mora duceretur, ibi affirmans eſſe ſanandam, ſi vnquā foret receptura ſanitatem. Statimq; iumento impoſitā ducere incipiunt: appropinquantes autē baſilicæ, de iumento depoſitā pedibus incedere faciunt. Cumq; eo loci ventū eſſet, vt iā turricula, quæ ſigna baſilicæ continebat, ab eis conſpicui potuiſſet, eiq; vt ad eam vidēdam oculos leuaret hi, qui eam ducebant, imperarent, aſpexit, vidit, ac ſine vlla interpoſita mora ſanitatē recepit. Ibi omnes pariter in terrā corruunt, diuinam miſericordiam, quibus valent laudibus extollūt, ſurgenteſq; ad baſilicā properanter pergunt: & adoratis ſanctiſſimis martyribus, ac votis pro modo facultatum perſolutis, ad propria cum multa exultatione reuertuntur. Vidimus nos eandem fœminam, & cum illa locuti ſumus, & ea quæ circa illam geſta fuerunt, ipſa narrante didicimus. *Cap. 15.* *Signa baſilicæ, campanas dicit.* *Admirāda curatio fœminæ cuiuſdam.*

Cap. 16. Nunc illud referre volo, quod ipſe in die natalitio beatorum martyrum contigiſſe vidi. Puer quidam ſurdus & mutus, qui ante triennium illuc venerat, & in domo cuſtodis eccleſiæ oſtiarius ab eo fuerat conſtitutus, feſto die iam finito, & officio veſpertino conſummato, cùm iuxta oſtium ſederet, repentè conſurgens baſilicam intrauit, & à dextris altaris pronus corruit. Cumque eum æditiuus, qui candelabrum cum cereo ante altare ponebat, ibi iacentem inueniſſet, continuò mihi hoc indicare curauit. Nos autem, qui tunc vnà eramus eccleſiam celeriter ingreſſi, eundem ſicut ab æditiuo repertus eſt, iacentem inuenimus. Quem cùm leuare iuberemus, velut grauiſſimo ſopore depreſſus excitari non potuit. Tandem igitur quaſi euigilans erexit ſe, cernenſque nos circunſtantes ſurrexit, atque ad eos, qui propè ſibi aſſiſtebant, Latinè locutus eſt. Sunt quidam ex noſtris, qui dicunt eundem puerum ferè ante ſex menſes, cùm in cuiuſdam hominis noſtri domo noctu dormiſſet, duo quædam verba per ſoporem fuiſſe locutum, & auditum, quo eatenùs itidem vt loquela carebat, in illa hora recepiſſe. Quod ita factum inde conijciebatur, quia poſtquàm de illo ſomno experrectus eſt, cuncta quæ ei à quolibet imperabantur, acſi intelligeret facere curauit. Sed hoc videtur in hac virtute præcipuum, quòd idem non Latinè ſed barbaricè ſibi loquẽtem intelligebat: curatus autem, non barbaro, ſed Latino ſermone loquebatur. Qui etiam beatos martyres ſe vidiſſe, & multa quæ alijs dicere deberet, ab illis ſe audiſſe narrauit. Sed cùm ea velut in craſtinum dicturus, in præſenti referre diſtuliſſet, intantùm illi per obliuionem deleta ſunt, vt nihil de his omninò ſe audiſſe recoleret. Hunc ego, quia nomen ſuum ignorabat, propter proſperum virtutis effectum Proſperem vocari iuſſi. Qui adhuc ſupereſt, & apud cuſtodem eccleſiæ in eodem, quo priùs fuerat, permanet officio.

Puer ſurdus & mutus, cùm neſciret Latinè, poſtquã ſanatus eſt, ſic locutus eſt.

Cap. 17. Pridiè verò quàm hic Proſper loquelam recepiſſet, hoc eſt, in vigilia eiuſdem feſtiuitatis venit quidam iuuenis, ſimiliter ſurdus & mutus in baſilicam: & cùm ſupplici geſtu opem Sanctorum imploraret, adiuuante Domino, & ipſe plenariam de vtroq; morbo meruit recipere ſanitatem. Hunc itidem, vt priorem, quia nomen ſuum nunquàm audierat, Godeſcalcum appellaui. Is tamen, non vt Proſper, ſed vt ſibi gentilitiũ erat, barbaro ſermone loquebatur, poſtquàm ei per merita Sanctorũ copia fandi conceſſa eſt.

Alius curatur ſurdus & mutus.

Cap. 18. Cùm me quædam neceſſitas ſecundùm conſuetudinem comitatum regis adire cõpelleret, menſe Decembrio in ipſis, ſi benè recolo, Calendis de loco martyrum promouens, ſequenti die ad caſtrum, quod moderno tempore Vuiſibada vocatur, ibi manſionem habiturus adueni. Ibi cùm propter ſaltum, qui eidem loco contiguus eſt, commodiùs tranſeundum ſolito maturiùs ſurgeremus, profecti ſunt pueri, qui nos cum impedimentis præcedere debuerunt. Sed poſtquàm de vico, in quo manſimus, egreſſi viam carpere cœperunt, tanta eos terræ noctis caligo circundedit, vt quò ſe vertere deberent, omninò ſcire non poſſent. Erat præterea frigus ingens, & tecta pruinis terra, videndæ viæ copiam denegabat. Ipſa quoque montium iuga, per, quæ eundum erat, nubibus obſeſſa, quàm longè vel propè eſſent videri non poterant. Acceſſit ad hæc etiam vallibus inſidens nebula, quæ ſua craſſitudine viſum impediens, iter moliri cupientes remorabatur. Qui cùm tot obſtaculis ſe impediri cernerent, nec quid agerent in promptu haberent, equis deſiliunt, & viam quam videre non poterant, palpãdo quærere tentant. Sed vbi hoc parùm ſucceſſit, aſcenſis denuò equis, errori quem abominabantur, ſe potiùs committere, quàm moras facere decernunt. Igitur paululùm per tenebras procedentes, ad Crucem, quæ in via, per quam ituri erant, ob memoriam beati Marcellini erat poſita, perueniunt. Cauſa autem eiuſdem Crucis ibi ponendæ erat, quòd in eo loco habitatores vici, in quo eadẽm nocte manſimus, mihi ante biennium de palatio reuertenti, & reliquias beati martyris Marcellini, quæ tunc mihi redditæ fuerunt, deferenti occurrerunt, eamque ob recordationem huius facti ad venerationem beati martyris, quaſi pro titulo vel monimento ponere curauerunt. Quò cùm prædicti pueri errando potiùs, quàm iter agendo perueniſſent, inierunt conſilium, vt ibi ſocios ſuos qui ſequebantur operiri deberent, eoſque ne aberrarent, ſonitu buccinæ ad ſe congregarent: ac deinde cùm ſimul eſſent, beatos martyres ad opem ſibi ferendam inuocarent, ſublatiſque in altum vocibus Kyrie eleiſon ter decantarent. Quo facto, tantus ſuper eos totidem vicibus cælitus emiſſi luminis fulgor emicuit, vt diurnæ claritatis candorem adæquaret. Quæ coruſcatio tantum eis commodi ad iter ſuum agendum attulit, vt conſumpta nebula tenebriſque diſcuſſis, via quoque qua ire debebant, clarè conſpecta, iter ſuum, quanuis per

Crux in S. Marcellini memoriam poſita in via publica.

Illuſtre miraculum ad inuocationẽ martyrum.

ſyluas & opacos nemoribus montes, abſque erroris impedimento vſque ad ortum au roræ peragerent. In prima ſiquidem coruſcatione tantus calor vnà cum illo lumine venit, vt cum ſe velut accenſæ fornacis vaporem ſentire faterentur. Cuius afflatu non ſolùm nebula, verùm etiam illa, quæ tum & montes totamq; ſyluam operuerat, pruina ita conſumpta eſt, vt tertia corruſcatione peracta, nullum illius algoris veſtigium penitùs appareret. Hæc nobis ad veſperam eiuſdem diei, poſtquàm ad manſionem venimus, hi qui viderunt atq; experti ſunt, narrauerunt. Quorum verbis fidem adhibentes, Dei omnipotentis miſericordiam cum gratiarum actione laudauimus, eò quòd nos per merita Sanctorum ſuorum in omnibus neceſſitatibus noſtris adiuuare & conſolari dignatus eſt.

Quanquàm omnia magna ſint, & ad diuinam debeant referri potentiam, quæ propter mortalium ſalutem ex meritis beatorum martyrum geſta cognouimus: in eo tamen miraculo, quod nunc memoriæ mandare decreui, tam patenter Dei omnipotentis virtus clarè cognoſcitur, vt nulli dubium relinquatur, quin in omni creatura ſua quicquid voluerit facilimè poſſit efficere. Suntiligna dicitur villa in pago Nithagouue, in qua preſbyter quidam, nomine Vualtbertus, tenebat eccleſiam. Is mēte captus magno ſuorum mœrore, ad baſilicam martyrum adductus eſt. Ex quibus tres erāt fratres eius, vnus preſbyter & duo laici: quartus erat monachus propinquus ipſius de monaſterio Hornbach, in quo & ipſe preſbyter à parua ætate fuerat educatus. A quibus cùm requirerem, ſi adhuc aliquid medelæ à quolibet Medico eidem fuiſſet impēſum, Statim, inquiunt, cū eum hac paſſione cōperimus fuiſſe correptum, ad monaſterium in quo nutritus fuit, à nobis adductus eſt. Vbi cùm ei Medici ſecundū artis ſuæ peritiā multa feciſſent, nec morbum ab eo depellere potuiſſent, ſuaſerunt nobis amici noſtri, vt eum ad horum Sanctorum miſericordiam duceremus. Confidimus enim, quòd illum ſaluare poſſint, ſicut alios multos accepimus hîc fuiſſe ſaluatos. Poſt hæc hoſpitio recepti, quatuor diebus fuêre nobiſcum, ducentes eum quotidiè ad eccleſiam, & coram ſacris martyrum cineribus iacere facientes. Quinta verò die, frater eius preſbyter, & monachus qui cum eo venerat, petierunt vt eum cum duobus fratribus ſuis laicis reciperem, donec ipſi reuerterentur. nam poſt triduum ſe dicebant eſſe reuerſuros. Feci, vt voluerūt, eumq; preſbytero noſtro Hilfrido commendaui. Is cùm à preſbytero receptus, & cellulam in qua ipſe manebat, fuiſſet inductus, circa veſperam eiuſdem diei commota vehementiùs, qua tenebatur, inſania, vnum è fratribus ſuis, qui eum cuſtodiebant, arrepto cultro, quod furenti caſus obtulerat, voluit occidere: ſed ille necem fugiendo declinauit, & noſtris hominibus, qui propè erant, de veſania illius indicauit. Tum preſbyter, cui cura eum cuſtodiendi à nobis erat iniuncta, ſuggeſſit mihi ſimulque perſuaſit, vt eum vinciri permitterem. Vinctus igitur catenis ferreis, in lecto collocatur, obſeratiſque foribus, ſolus in cubiculo relinquitur. Excubant ante oſtium fratres eius, & velut erumpere valentem peruigili cura cuſtodiunt. Cæterùm vincula quibus tenebatur adſtrictus, eiuſmodi erant, vt dum in his eſſet, non in dextrum aut ſiniſtrum latus ſe cōuertere, neque aliter niſi ſupino corpore iacere potuiſſet. Dormiuit itaque, vt ipſe teſtatur, neque ante mediam noctem euigilauit. At vbi galli cantare cœperunt expergefactus, vidit ſe non ſolùm vinculorum nexibus ſolutum, verùm etiam morbo inſaniæ, quo laborauerat, liberatum: ſtatimque ad laudes Deo dicendas tota mente conuerſus, pſalmis & hymnis, quos præ nimia gratulatione tametſi ſolus erat, ſatis clarè decantabat, omnes in vicinia eiuſdem cubiculi dormientes excitauit. Tum ſurgens, ad oſtium acceſſit, fratreſque ſuos, qui ibi excubabant, vt ſe ad requiſita naturæ foras exire permitterent, rogauit. Illi autem hunc inſanientis dolum rati, nequaquàm ei aſſentire auſi ſunt: ſed accerſito hoſpite ſuo, qui eum ibidem incluſerat, vt cum eo loquatur exorant. Qui poſtquàm cum eo locutus eſt, atque ex ratione reſponſionum ſuarum ſanæ mentis eſſe intellexit, aperto oſtio quò volebat ire permiſit. Reuerſumque recipiens, quid de vinculis, quibus eum oneratum incluſerat, factum eſſet inquiſiuit. Et ille, Catena, inquit, qua me vinxiſti, ſalua eſt: & ſi vis ſcire vbi ſit, quære eam & inuenies. Accenſo itaque lumine, inuenerunt eam ante lectum, in quo ipſum quieſcere fecerant, iacentem eo modo compoſitam, atque eiſdem nodis adſtrictam, quibus tunc fuerat, quando eum cum ea in eodem lecto collocârunt, ac ſolum in eodem cubiculo dimiſerunt. Quis hoc feciſſe credendus eſt, niſi ille, qui de nihilo creauit omnia, & qui in rebus quas condidit, talia poteſt facere, quæ nec intellectu comprehendi, nec humanis poſſunt ſermonibus explicari? Quis enim aut cogitatione conijcere, aut verbis valeat enarrare, qualiter il-

Cap. 19.

Fruſtrà Medici conantur mente capto mederi.

Stupendū in modum vinculis abſoluitur & ſanatur homo mentis inops.

Vide rem admiratione digniſſimam.

le preſbyter his vinculis fuerit abſolutus, cùm nobis certiſſimum ſit neminem eſſe, qui ſe ſolus poſſit eiuſmodi nexibus exuere, ſi eis fuerit ſimili modo conſtrictus, ſicut idem preſbyter fuit, quando ſolus in illo cubiculo incluſus eſt? Hi verò, qui eum ibidem dimiſerunt, poſtquàm reuerſi ſanum & mentis ac memoriæ ſuæ compotem inuenerunt, læti & laudantes Deum ſimul cum eo ad propria regreſſi ſunt. Hoc ita geſtum, non quorumlibet teſtium relatione didicimus, ſed ipſi per nos, quia ibidē tunc eramus, Deo volente cognouimus: atque ideò fidutialiter ſcribimus, quod nos contigit oculata, vt dicunt, fide cognoſcere. Verùm quia cuncta, quæ de martyrum virtutibus ſcribenda ſuſcepimus, nequaquàm poſſunt præſenti ſermone compleri, hic liber iſte finem accipiat, vt ea quæ reſtant, ab alio rurſus exordio commodiùs inchoentur.

LIBER QVARTVS.

Cap. 1. IN relatione ſignorum atque virtutum, quas me in hoc libro ſcribere velle propoſui, illæ in capite ponendæ videntur, quæ in palatio factæ, non ſolùm ad plebis, verùm etiam ad ipſius principis ac procerum eius, omniumque, vt ita dicam, aulicorum peruenêre notitiam: & non tantùm propter hoc, ſed etiam propter illud, quòd in oratoriolo noſtro, vbi eadem miracula geſta ſunt, nō aliæ tunc tēporis, quàm beatorum Marcellini & Petri reliquię fuerunt: vt quicquid ibi ſanitatum atque ſignorum factum eſſe cognoſcitur, ſingulariter ac propriè ad illos pertinere ac referri debeat, quorum ſolas conſtat ibi fuiſſe reliquias. Fecerunt ijdem beatiſſimi martyres, ſicut in ſequentibus demonſtrabimus, in aliorum Sanctorū locis multas virtutes atq; miracula, quæ quibuſdam velut communia illis cū his Sanctis, in quorum baſilicis facta ſunt, nō immeritò videri poſſunt, ob hoc præcipuè, quoniam qui apud Deum æqualis creduntur meriti, non abſurdè putantur in patrādis miraculis communiter operari. Sed hoc aliter eſſe ea ratione cōuincitur, qua liquidò demonſtratur nullas in his locis factas fuiſſe virtutes, antequàm in illa memoratæ beatorum martyrum eſſent delatæ reliquiæ. Sed iam nunc vt promiſimus, ea quæ in prædicto palatio ſunt geſta miracula proferamus.

Cap. 2. *Drogus Erat quidam iuuenis inter cubicularios regis, natione Græcus, nomine *Drogo: qui febre correptus, aut negligentia ſuorum, aut inſcitia medicorum iam per aliquot mēſes longa atq; aduerſa valetudine laborabat. Is poſteaquàm Hildoinus Abbas reliquias beati Marcellini, ſicut in ſecundo libro demonſtratum eſt, nobis reddidit, admonitus in ſomnis, vt ad oratorium noſtrum veniret, ibiq; cereum quatuor denarijs emptum accēderet, ac ſanctum Marcellinum martyrē, cuius caput ibi eſſe aſſerebat, ſibi in adiutorium inuocaret: ſciretq; ſe ſi hoc faceret, ea qua iamdiù laborauerat infirmitate citò eſſe cariturum: credidit admonenti, & id quod imperatum fuerat, quanta potuit celeritate compleuit. Statimq; ſanus factus, & receptis membrorum viribus, proprijs pedibus ad ſua regreſſus eſt. *Redit bona valetudo diù febricitanti.*

Cap. 3. Erat ibidem alter æquè iuuenis, nomine Gerlacus, de vrbe Rhemorum, inter eos, qui propter ædificia palatij conſtruenda iuſſi de illa ciuitate venerunt. Is ante dimidiū ferè annum in eodem vico tam valida atq; immani neruorum contractione correptus eſt, vt pedes natibus & genua mento cohærerent. Hunc ſocij atque propinqui in vlnis ſuis ferentes, ad memoratum oratorium detulerunt, & quia aliter non poterat, pronum iacere fecerunt, ſanctumq; martyrem, vt ei ſanitas redderetur, cum magna deuotione rogauerunt. Dies erat Dominica, atq; hora diei tertia, quando illuc allatus eſt: iacuitq; ibi vſq; ad horam nonam. Cumq; officium eiuſdem horæ à clericis eſſet ſolenniter impletum, ecce de capſa, quæ ſacras beati martyris reliquias continebat, tāta ſuauiſſimi atq; inſueti odoris fragrantia egrediens ſic totam oratorij cellulam impleuit, vt in admirationem eius omnes, qui aderant, incunctanter aſſurgerent, ac ſe mutuò an idem omnes æqualiter ſentirent, curioſa interrogatione perquirerent. Cū ſubitò vident eum, qui iuxtà iacebat, velut à quibuſdam tenentibus trahi, & membra quæ morbo erant contracta extendi: intelligentesq; diuinam adeſſe virtutem, tulerūt hominem & coram altari collocauerunt. Qui cùm ibi poſitus cū multis lachrymis diuinum imploraret auxiliū, cunctis cernentibus ita correctus eſt, vt qui manibus alienis ſubuectus in oratoriū venerat, proprijs pedibus de oratorio procederet. Teſtimoniū tamen quam perpeſſus eſt paſſionis, adhuc in ſuo corpore circunferre cognoſcitur. Nā crure ac pede ſiniſtro ſic poſteà claudicauit, vt ad regendum inceſſum baculo ſemper indigue-

Mira odoris ſuauitas è capſa reliquiarum.

Vide miraculum.

indiguerit. Hoc cur non ſit percuratum, dicant qui velint. Ego enim id me video non aliter poſſe conijcere, niſi vt exiſtimem interiori eius ſaluti competere, vt aliqua in eo exterioris debilitatis veſtigia remanerent.

Iuliacus vocatur antiquum municipium, à vico Aquenſi octo leugarum ſpatio diſparatum. De cuius territorio puella quædam ſimili morbo, ſimiliq; modo affecta, à matre atque alijs propinquis ſuis ad memoratum oratorium adducta, cùm præ multitudine hominum, qui tum fortè propter Miſſarum audienda ſolennia illuc conuenerant, introferri non poſſet, extrinſecùs eam ad orientalē oratorij feneſtram collocarunt, expectantes opportunitatem, vt recedente populi frequentia, faciliùs oratorio inferri potuiſſet. Sed vbi ad medium ferè officium ventum eſt, & expleto Euangelio, hoſtiæ ſalutaris oblatio peracta eſt, cernunt eā anguſtijs affici, & erumpente per totum corpus ſudore, velut in ſomnum labi. Quibus ſignis diuinam adeſſe virtutē haud inaniter cōijcientes, de illo loco leuatam quadro lapidi, qui propter iacebat, ſoporatæ ſimilem ſuperponunt. Ibi coram omnibus, qui huius miraculi conſpiciendi gratia concurrerunt, integerrimam omniū membrorum ſanitatē in vnius horæ momento Domino opitulante recepit. Erāt ibi inter cæteros ſpectatores & Iudæi, quorū vnus Dauid nomine poſt hui⁹ ſigni expletionē ad feneſtrā cubiculi, in quo ego tunc eram, celeriter accurrens, meq; compellans, miraculū quod viderat indicauit, gratias agēs Deo, qui per martyres ſuos tanta miracula ad ſalutem mortaliū operari dignatus eſt. Cap. 4. Sanatur puella miſere contracta.

Erat in eodem vico cæcus quidam prouectæ ætatis, qui vt ipſe aſſerebat, ante triennium ſubita cæcitate percuſſus, inter alios pauperes ſtipē oſtiatim mēdicare ſolebat. Is cùm in tuguriolo ſuo dormiret, vidit per ſoporem quendam ſibi aſſiſtentem atque dicentem, vt ſi videre vellet, ad oratorium noſtrum iret: ibi eſſe medicum, qui ei rogāti lumen reddere potuiſſet. Renuit ille, & lumen quod offerebatur abominatus, Quid, ait, mihi nunc cum viſu, quem iam olim perdidi? meliùs mihi eſt, ſi eo caruero, quā ſi habuero. Modò mendicantem omnes exaudiunt, & ea quæ neceſſaria ſunt, præſtant. Nam videntem mendicare non decet. Senex autem & debilis operari non poſſum. Tum ille qui cum eo loquebatur, Vade, inquit, & noli morari. nam velis nolis viſum recepturus es. Paruit ille imperāti, perrexitq; ad oratoriū, atq; in eo pernoctauit, Et cùm illa nocte nihil eſſet factum, ad tugurium ſuum reuerſus eſt. Cui denuò is qui priùs, per ſoporem apparuit, & ſimiliter vt antè imperauerat, ad oratorium pergere præcepit. Fecit ille, vt iuſſus fuerat, ſed ne tunc quidem aliquid actum eſt. Tertiò verò commonitus venit, & vbi coram altari ad orandum ſe proſtrauit, viſum recepit. Hunc nos dum adhuc cæcus eſſet, inter alios pauperes ac debiles multoties in domo noſtra mendicantem vidimus. Ideoque alium illuminationis eius teſtem non quæſiuimus, quia ſufficere nobis credebamus teſtimonium non fallentis cōſcientiæ noſtræ. Cap. 5. Viſio cæci. Item altera. Rurſus tertia. Videt cæcus.

Cùm ex his alijſque compluribus virtutum operationibus per circumpoſitos vicos & pagos ſalutaris fama crebreſceret, mulier quædam de pago Ribuarenſi multo iam tempore cæca, viſum recipiendi & deſiderium ſimul & fiduciam habens, ad memoratum oratorium ſe rogauit adduci. Cumq; illò veniſſet, tres totos dies, totidemque noctes ibidem orando & ieiunando continuauit. Sed cùm ad præſens nullum in ſe exoptatæ ſanitatis ſenſiſſet indicium, domum reducta eſt. Paucisq; interpoſitis diebus, ſpe recipiendi luminis haud vanè cōcepta, iterùm ſe ad ſacras reliquias deduci rogauit. Quò cùm ab vno puero duceretur (Nam qui priùs eam illò deduxerunt, ſpem eius velut inanem ac ſuperuacuam iudicantes, vlteriùs cum illa ire noluerunt) & vbi ad cœmeterium Aquenſis palatij, quod in monte, qui eidem vico ab orientali parte imminet, ſitum eſt, eodem comitante atq; ducēte peruenit, ibi quaſi obuiante ſibi diuina gratia, diù deſideratū lumen recepit. Tum mirans atq; attonita conſtitit, puerоq; ducenti vt ſequeretur imperauit: Hactenus, inquiens, quo tu præcedens ducebas ſecuta ſum: modò autem tuo ductu non egeo: quia viam qua ire debemus, video, & hunc vicum in quo ſacræ reliquiæ ſunt, ad quas venire diſpoſui, Domino adiuuante conſpicio. Tu tantùm vide & cura, vt me recta via ad oratorium martyrum in ipſo vico adducas. His dictis ad oratorium perrexit, gratias egit, factique in ſe miraculi nobis indicium fecit, videnſque & gaudens ad propria remeauit. Cap. 6. Cæca recipit viſum.

Aſcuilarem vocant fundum regium ab Aquenſi palatio quatuor leugarum ſpatio diſtantem. In quo quidem homo erat diutina præcordiorum infirmitate detentus atque laborans: iamq; à ſuis eo modo deſperatus, vt non aliter niſi cauterio curari poſſe videretur. Quæritur ad hoc medic⁹, & vſtioni nō profuturæ dies cōſtituitur. Cap. 7.

Intereà cuidam fœminæ in eodem fundo habitanti in ſomnio reuelatum eſt, non debere illum ad ſuam curationem eiuſmodi medelam admittere, quæ & pro ſui moleſtia vix tolerari poſſet, & quia ſuperuacua eſſet, ſalutem patienti non afferret. Cæterũ ſi ſanus fieri vellet, ad Aquenſe palatium iret, oratorium noſtrum inquireret, inque eo ſe collocari faceret, & ante triduum completum inde non recederet: hoc modo plenariam eum conſecuturum ſanitatem. Quod vbi ei annuntiatum eſt, conuocatis amicis ac proximis, petijt vt erga ſe illius reuelationis iuſſa complerent. Qui mox iumento impoſitum, ad oratorium adducunt, atque in eo vt iuſſum fuerat, collocātes, abeūt poſt triduum reuerſuri. Ille autem ibidem dimiſſus per tres dies & noctes Domino pro ſalutis ſuæ recuperatione haud inaniter ſupplicans, ita perfectè ſanatus eſt, vt nullum in ſuis viſceribus morbi, quo multo tempore tenebatur, aſſereret remanſiſſe veſtigium. Suis igitur ſicut promiſerant ad ſe reuerſis, ac ſanum ſicut optauerant inuenientibus, non dorſo iumenti vt venerat, ſed pedum ſuorum officio ad propria cum ingenti & ſua & illorum gratulatione atque lætitia regreſſus eſt.

Per viſum monetur æger viſere ſacras reliquias.

Sanitas illi reſtituitur.

Cap. 8.

Eſt item fundus regius in pago Moſano, octo circiter leugis ab Aquenſi vico diſparatus: Gangluden habitatores appellant. In quo mulier quædam, quæ octo ferè annorum filiam dira paralyſis ægritudine adeò confectam habebat, vt iam ex longo tempore nullum penè membrum ad officium ſuum mouere potuiſſet: audita virtutum fama, ſpem de recuperanda filiæ ſalute pio corde concepit: Protinuſque ſublatam vlnis proprijs, ad memoratum oratorium deportare curauit. Quæ cùm illò antemeridiano tempore, hora videlicet prandij perueniſſet, & clericorum neminem ibidem inueniſſet (Nam reficiendi cauſa paulò antè diſceſſerant) tamen introgreſſa, filiam iuxta ſe in pauimento collocauit. Ipſa autem præparuum cereum, quem pro munere detulerat, accendens, ante illam in eodem pauimento poſuit, ſeq; ad orādum coram ſacris cineribus cum ſumma deuotione proſtrauit. Quo facto, ſine vlla interpoſita mora puella per ſupernam gratiam omnium membrorum ſanitate ac firmitate recepta, matre non ſentiente ſurrexit, cereumq; qui coram ſe iacebat ſuſtulit, ac poſt tergum iacentis conſtitit. Quæ cùm oratione completa caput de pauimento leuaſſet, & nec cereum, nec filiam in eo quo poſuerat, loco eſſe vidiſſet, ſurrexit, cōuerſaque filiam ponè ſe cum cereo ſtantem Deum laudans ac lætabunda conſpexit. Igitur cùm nullum ibi cui de virtute q̃ geſta fuerat referre poſſet, adeſſe videret (Nam præter pauperes, qui ibidem mendicandi gratia excubabant, nemo intra oratorij parietes, excepta ſe ac filia ſua, tunc erat, quando illud miraculum factum eſt: votis cum gratiarum actione ſolutis, domum cum filia ſana atq; incolumi repedauit. Cuius virtutis inditium qualiter ad nos perlatum ſit, paucis expediam. Geruuardus palatij bibliothecarius, cui tunc temporis etiam palatinorum operum ac ſtructurarum à rege cura commiſſa erat, de Nouiomago veniens, palatium Aquenſe petebat. Is cùm in memorato fundo quadam nocte manſiſſet, quæſiuit ab hoſpite ſuo, ſi aliquid noui de palatio nuper audiſſet. Cui ille, Nihil, inquit, modò apud aulicos tam celebre eſt, quàm ſigna & virtutes, quæ fiunt in domo Einhardi per quoſdam ſanctos, quorum reliquias in oratorio domûs ſuæ habere dicitur. Ad quarum venerationem omnes vicini noſtri quotidiè feſtinant, & quicunq; infirmus illò fuerit adductus, ilicò curatur. Cœpitq; ei de filia mulieris illius, qualiter ante paucos dies ſalua facta ſit, intimare. Tum Geruuardus: Vade, ait, & eandem mulierem adduc ad me, vt ipſa mihi dicat, quod audire deſidero. Venit mulier, & omnia prout geſta erāt, patenter expoſuit. Geruuardus verò, cùm in craſtinum ad regem veniſſet, ea quæ de hoc ſigno reuelatione illius fœminę compererat, eidem indicauit. Rex autem cùm ego ſecundùm conſuetudinem ingreſſus, coram illo ſtarem, quid ſibi Geruuardus de hoc miraculo retuliſſet, tam mihi, quàm cæteris ſibi aſtantibus, diuinam miſericordiam atq; potentiam admirando ſimul atque laudando, inſinuauit. Sic nos contigit ſignum, quod nobis ignorantibus in domo noſtra geſtum eſt, ex huiuſmodi relatione cognoſcere.

Puella liberatur dira paralyſi.

Palatij Cæſarij bibliothecarius.

Obſerua veterem deuotionē erga Sanctorum reliquias.

Cap. 9.

Hæc de miraculis beatorum martyrum, quæ in palatio geſta ſunt, in præſenti opere commemoraſſe ſufficiat. Nunc ad eas virtutes veniendū eſt, quæ in his locis factæ ſunt ad quæ religioſis viris petentibus, ac me largiente, venerandæ corundē martyrum reliquiæ venerunt, & in quibus hactenùs cum magna reuerentia coluntur. Quas primus omnium Georgius presbyter & rector monaſterij S. Saluij martyris, quod in pago *Fanomartenſi in vico Valentianas appellato in ripa Scaldis fluuij ſitum eſt, me dante ſuſcepit, & per quendam Diaconum ad memoratum monaſterium de Aquenſi palatio deſtinauit. Is vnum tantùm comitem ſecum habens, cùm in pago Halbanio ad

** Sanomartenſi.*

vicum

vicum regium, quem Vualidium vocant, veniſſet, atque in prato, quod vico proximum erat, reficiendorum iumentorum gratia deſcendiſſet, ecce vnus de habitatorib loci gibbo depreſſus, maxillis etiam ex nimio dentium dolore, quem vt ipſe dicebat, diutinum patiebatur, nimio tumore diſtentis, furcã ferratã in collo ferens, idẽ pratũ furibundus intrauit, & cur pratum ſuum depaſcerentur, ſtomachando percontatur. Cui Diaconus, qui reliquias martyrum ferebat, & eas tunc in ſummitate virgæ, quam ob hoc in eodem loco fixerat, ſuſpendere parabat, Melius, inquit, tibi eſt, vt coram his Sanctorum reliquijs, quas hîc in manibus habeo, proſternaris, Deumq; roges, vt te per merita eorundem Sanctorum de dolore, quem pateris, liberare dignetur. Nam tumor, qui in facie tua videtur, teſtatur aliquem magnum in ore tuo eſſe dolorem. Ad hæc homo proiecta furca, quã manu ferebat, ante reliquias pronus corruit, &, vt Diaconus ei ſuaſit, pro ſalute ſua Domino ſupplicauit. Nec longa interpoſita mora ita ſanus ab oratione ſurrexit, vt nec tumor in facie, nec dolor in dentibus, nec gibbus, quo premebatur, remaneret in dorſo. Ac proinde concito gradu vicum ingreſſus, omnes propinquos ac vicinos ſuos in eodem loco conſtitutos ad laudem Deo dicendam, & gratias Chriſto Domino referendas inuitauit. Confluxit in pratũ ingens populi multitudo, & pro eo qui ſanatus fuerat, gratias actura circuniacentis regionis turba cõgregata eſt. Rogãt omnes Diaconum, vt illam noctem ibi moraretur: nec ille eis hoc negare poterat, quia parati erant, niſi aſſentiret, etiam inuitum detinere. Ducunt deinde peruigilem noctem, & in Dei laudibus tota regio reſonabat. In craſtinum autem cùm Diaconus iter ſuum capere cœpiſſet, omnis illa congregati populi frequentia abeuntem cum ingenti deuotione comitata eſt, nec antè vel ſubſiſtere vel diſcedere voluit, quam ab alijs, quos miraculi huius fama commouerat, obuiàm ſibi veniẽtibus fuiſſet exceptus. Hoc modo ſacræ martyrum reliquiæ ex huius occaſione miraculi à populis illarum regionum exceptæ, & ad baſilicam S. Saluij, quò eas memoratus Georgius miſerat, Domino ducente perlatæ ſunt. Hoc ſignum ipſius Georgij relatione conſtat mihi eſſe compertum. De cæteris autem, quæ nunc dicenda ſunt, ab eo libellum accepi, cuius ordo vel ſeries hunc modum habere cognoſcitur.

Homo gibboſus & dẽtes dolens mirè ſanatur.

En priſcã religionem.

Anno quartodecimo, Chriſto propitio, imperij Ludouici Auguſti, cùm ad corroborandam Chriſtiani populi fidem, ſicut in initio naſcentis eccleſię ſigna & prodigia in ipſo regis palatio per merita Sanctorum ſuorum Dominus dignaretur oſtendere: petijt & obtinuit Georgius preſbyter Aquiſgrani palatio ab Einhardo Abbate reliquias beatorum Chriſti martyrum Marcellini & Petri, quorum corpora ipſe de Roma per homines ſuos allata nuper acceperat: eaſq; in capſa, quam auro & gẽmis decenter ornauerat, reconditas per Diaconum ſuum, nomine Theothardum ad baſilicam S. Saluij martyris, quam ipſe tunc temporis per beneficium regis tenebat, dirigere curauit. Qui Diaconus cùm ad villam regiam, quæ Vuaſidium vocatur, veniſſet, occurrit ei homo gibberoſus, & ex dentium dolore ita vexatus atq; confectus, vt iã per dies quindecim nullum alium victum quàm ſolam aquam poſſet aſſumere. Qui cùm hortante Diacono coram reliquijs, quas ille ferebat, ſe ad orandum proſtrâſſet, & Dominum Chriſtum vt ſui miſereretur, deuotè ac ſuppliciter inuocâſſet, per interceſſionem ſanctorum Marcellini & Petri cuncta corporis incommoditate depulſa, ſanus ab oratione ſurrexit. Factum eſt hoc miraculum tertiodecimo Calendas Iulij quod à me ſuperiùs pleniùs eſt enarratum: quia ego illud iuxta relationem memorati Georgij conſcribere curaui.

Cap. 19.

Capſa reliquiarũ, auro & gẽmis ornata.

Diaconus autem cum reliquijs tertia die Valentianas veniens, cùm eas in baſilicã S. Saluij, ſicut ei fuerat imperatum, reuerenter & honorificè inferret, quidam iuuenis de villa regis, quæ Liſtina vocatur, Dominicus nomine, qui eo morbo, quem Græci ſpaſmum appellant, iam per annum integrum ſic vexabatur, vt manus eius dextera penitùs contineri non poſſet, ſed agitatione continua, quaſi qui molam verteret, moueretur in gyrum: ſtatim in ipſo introitu per merita beatorum martyrum coram omni populo ita curatus eſt, vt poſt hæc nullum illius horrendæ agitationis pateretur incommodum.

Cap. 11.

Curatur ſpaſticus.

Exinde die quarta, in feſtiuitate videlicet B. Ioannis Baptiſtæ, anus quædam nomine Gerrada, quæ ſe annũ vnũ cæca fuiſſe teſtata eſt, dum Miſſarum ſolennia celebrarẽtur, inuocatis beatis martyribus lumen, quod ex fide petierat, cunctis qui aderant videntibus, per illorum merita recepit. Similiter in feſtiuitate ſancti Saluij, quæ euenit ſexto Calendas Iulij, quidam homo ſurdus & mutus inter ſolennia Miſſarum per ſuffragia Martyrum & auditum & loquelam recipere meruit. Eadem die anus

Cap. 12.

Redditur lumen cæcæ.

Surdus & mutus curatur.

Itē cæca.* die anus quædam de pago Laudunenſi Rodeltrudis nomine, quæ per tres annos lumen cæli non vidit, in eadem celebratione Miſſarum viſum recepit. Quinto Calēdas *Domitianus. Iulij puer quidam annorū circiter ſeptem, * Donitianus nomine, qui fuit cæcus à natiuitate, dum diuinum celebratur officium, per merita beatorum martyrum illuminatus eſt.

Cap.13. In vigilia verò beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, id eſt, quarto Calendas Iulij, puella quædam parua, nomine Theotbalda, habēs ætatis annos, vt putabatur, nouē, q̄ tribus annis nihil viderat, tempore ſalutaris officij in media populi multitudine conſtituta, martyrum ſuffragantibus meritis, lumē amiſſum ex diuina miſeratione recepit. Eadem die quidam homo, nomine Dado, de villa Pōticuli vocata, qui annos ſex Item alia cæca. curuus erat, & ad cælum ſe erigere non poterat, ideoq; breuibus anticulis ſuſtentandi ſe gratia ſub axillis poſitis cernuus incedebat: is eadem hora, eodemq; in loco per miſericordiam Dei & per merita beatorum martyrum erectus ac ſanus effectus eſt. Contractus ſanatur.

Cap.14. Die quarto Nonarum Iuliarum quædam vidua, nomine Adalrada, quæ annis quatuor oculorum lumine priuata nihil videbat, audita virtutum fama, ſpem viſus recipiēdi non vana fide cōcepit, arreptoq; baculo, ſola ſine ductore ad Valentianas ire cōtendit. Cumq; vico appropinquare cœpiſſet, viſum eſt ei, quòd velut vnum ſolis radiū oculo dextro conſpiceret: ac proinde diuinam clementiam puro corde deprecata eſt, vt per interceſſionem Sanctorum ſuorum eccleſiam beati Saluij ſe videre permitteret. Statimque exaudita eſt, & quod optauerat, Domino miſerante, ſine mora eſt cōſecuta. Ipſa quoq; die, altera quædam fœmina de pago Nouiomenſi, nomine * Ruoitla, quinquennio cæca, inter Miſſarum ſolennia lumen quod amiſerat, Chriſto Domino per merita Sanctorum ſuorum donante recepit. Duæ cæcę illuminātur. *Ruoida

Cap.15. In octauis Apoſtolorum, id eſt, pridiè Nonas Iulij, quidā homo Gunthardus nomine, de eodem pago, velut paralyſi percuſſus, ad baſilicam S. Saluij à ſuis adductus eſt: q, vt dicebant, iam vnū annum habebat in eadem infirmitate, & tam vehementer in ſiniſtra parte corporis ſui debilitatus eſt, vt nec manū ad os ducere, nec ſe vel lauare vel calceare valeret. Hic per miſericordiā Dei, meritaq; Sanctorum tēpore matutinalis officij in ipſa ſolennitate ſanus effectus eſt. Similiter & alius homo, nomine Hildebonus, veniens de monaſterio, quod ad duos Gemellos appellatur, cùm ab infantia cæcus eſſet, ac lumen cęli in tota vita ſua nō vidiſſet, in celebratione Miſſarum eadē die Multi alij curantur. in eadem baſilica per eoſdem Sanctos, eodem Domino miſerante atq; auxiliante, viſum recepit, & omnia quæ priùs nō vidit, clarè videre meruit. Die verò Nonarū Iuliarum puella quædam paruula, nomine Reginlindis, quæ non ampliùs quàm ſeptennis eſſe videbatur, cùm tribus annis oculorum ſuorum lumine caruiſſet, & inter cæteros in baſilica ad diuinum officiū audiendū conſtitiſſet, interuenientib9 Sanctorū meritis corā omni multitudine illuminata eſt. Quarto Idus Iulij cæca quędā, nomine Alagia, quæ duob9 ferè annis viſu carebat, intra ſacra Miſſarum ſolennia, ſuffragantibus ſibi Sanctorum precib9, à Domino Ieſu Chriſto illuminata eſt. Eadē die cæcus quidā valdè ſenex de villa Gauliacas, Ermenuuardus vocabulo, qui annis quatuordecim nihil videre potuit, ad veſpertinum officium eccleſiam ingreſſus, beatos martyres inuocauit: ac ſtatim cæcitate depulſa, diù deſideratam lucem Domino adiuuante recepit. Septimo Calendas Auguſti puella quædam, quæ ab immundo ſpiritu vexabatur, in baſilicā adducta, dum ſacræ oblationis officiū celebratur, per virtutē Chriſti & merita beatorū martyrū fugato dæmōe, integerrimā mētis & corporis meruit recipere ſanitatē.

Cap.16. Hæc ſunt miracula atq; virtutes, quas Dominus noſter Ieſus Chriſtus per merita ſanctorum martyrum ſuorum Marcellini & Petri in vico Valētianas ad ſalutem humani generis operari dignatus eſt. Quæ memoratus Georgius preſbyter breui libello collecta nobis mittere curauit, & nos huic operi noſtro cenſuimus inſerenda. Hic eſt Georgius Veneticus, qui de patria ſua ad Imperatorem venit, & in Aquenſi palatio organum, quod Græcè hydraulica vocatur, mirifica arte compoſuit.

Cap.17. Alter libellus mihi oblatus eſt de monaſterio S. Bauonis, q ſitum eſt iuxta Scaldim in loco Ganda vocato, vbi idem amnis Legiæ flumini cōiungitur, à fratrib9 ibidē Deo ſeruientib9. Quorū rogatu reliquias memoratorū Chriſti martyrū ad idē monaſteriū miſi, in quo hæc per ordinē geſta reperta ſunt. Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti octingēteſimo viceſimooctauo venerunt reliquiæ ſanctorū Chriſti martyrū Marcellini & Petri ad monaſteriū S. Bauonis die quinto Nonar. Iul. feria ſexta, Indictione vj. Tertia verò die, id eſt, Dominica proxima, q̄ fuit tertio Nonas Iulias, q̄dā puella cæca, nomine Hartlinda, de villa quæ * Furſenum appellatur, quam pater & *Furſerium mater teſtati ſunt octo annis oculorum officio caruiſſe: cùm ante altare ſuper quod

ſacra

ſacræ martyrum reliquiæ erant poſitæ, fuiſſet adducta, coram omnibus qui aderant viſum Domino miſerante recepit. Inde poſt dies octo, id eſt, quarto Idus Iulij adducta eſt altera puella ſimiliter cæca, nomine Helmrada, de villa Magle nuncupata: cuius parentes de ea retulerunt, quòd octaua die poſtquam baptizata fuit, ſubita cæcitate percuſſa ſit. Quæ & ipſa ſtatim coram ſacris martyrum cineribus lumen, quod iamdudum perdidit, Domino ſibi reddente recepit. Exin die tertia, quod fuit pridie Idus Iulij, venit illuc puella quædam curua, nomine Blidrada, de villa Boderenio, quæ pertinet ad monaſterium ſancti Vedaſti. Quæ cùm ante memoratas Sanctorum reliquias pro reſtitutione ſalutis ſuæ Dominum Chriſtum ſuppliciter inuocâſſet, coram omnibus qui aderant erecta eſt, & integrum corporis ſui ſtatum in momento temporis recipere meruit. *Multa miracula facta Gandauia ad martyrum horum reliquias.*

Poſteà verò duodecimo die Calendarum Auguſtarum fœmina quædam, nomine Eddela, ancilla Sancti Amandi, de villa Baceroda vocata, quæ plurimis annis oculorum lumine caruiſſe dicebatur, ibidē fideliter orans viſum recepit. Eodem die ſeruus quidam S. Bauonis, Eberaldus vocabulo, de villa Millinio, qui & ipſe per plures annos lumen cæli non vidit, cunctis qui aderant cernentibus, eodem in loco diù deſiderata luce donatus eſt. Ipſa quoque die duæ viduæ, quæ plurimis annis cæcæ fuerant, ibidem illuminatæ ſunt: quarum altera nomine Bliduuara de villa Accinio, altera Rieberta vocata, de villa Vuerminio fuiſſe narratur. Deinde poſt dies vigintiquinq; id eſt, in feſtiuitate Aſſumptionis S. Mariæ, fœmina quædam vocabulo Angarihilda, de villa Goiaco, coram ſacris martyrum reliquijs omni populo cernente, & id, quod euenerat admirante ita incuruata eſt, vt penitùs ſe ad cælum videndum erigere non poſſet. Eademque ſequenti die, id eſt, decimoſeptimo Calendas Septembris in eadem eccleſia cùm Euangelium legeretur, eodem populo teſte ita erecta, atque in ſtatum priſtinum reſtituta eſt, ac ſi nunquam per vllam corporis ſui læſionem ad terram fuiſſet inclinata. Poſteà verò ſecunda & viceſima die mēſis Septembris, id eſt, decimo Calendas Octobris homo quidam de pago Texandria, ex villa quæ Appēnia nominatur, vocabulo Liodoldus, qui propter ſiniſtri cruris ac pedis imbecillitatem duobus ſe baculis ad incedendum ſuſtentabat: ita ibidem in conſpectu populi perfectè curatus eſt, vt vltrà iam in ambulando baculorum adminiculo non egeret. *Cap. 18. Item alia miracula.*

Quarta verò die poſt patrationem huius miraculi, id eſt, ſeptimo Calendas Octobris, iuuenis quidam ſurdus & mutus, ſiniſtra quoque manu contractus, nomine Hunvualdus, de villa Coruio nuncupata, cùm ante ſacras martyrum reliquias veniſſet, atque ibi ſuppliciter oraſſet, ſtatim per virtutem Chriſti depulſis vniuerſis, quibus afficiebatur incommodis, ita ſanus effectus eſt, ac ſi nunquam aut ſurdus, aut mutus, aut ex contractione neruorum in manu fuiſſet aliquo modo debilitatus. Sequentiq; die, hoc eſt, ſexto Calendas Octobris, fœmina quædam, nomine Engilgarda, quæ per multos annos dira paralyſis paſſione tenebatur, eadem in baſilica per merita beatorum martyrum coram omni populo eſt curata. Erat eadem ancilla pertinens ad Epiſcopium Tornacēſe, de villa quæ Vuerecundia nominatur. In craſtinū verò, id eſt, quinto Calendas Octobris, altera quædam fœmina, nomine Ramburga, de villa Bettringaheim, ſimili paſſione in inferiori corporis ſui parte valdè debilitata, cunctis qui aderant videntibus, coram eiſdem Sanctorum reliquijs perfectam membrorum ſuorum firmitatem recepit, atque à morbo, quo per decem annos laboraſſe ferebatur, Deo volente in momento temporis liberata eſt. Eadem die vir quidam cæcus, nomine Germarus, de villa * Schaltheum, quæ iuxta oſtium Scaldis fluminis in maritima Friſonum regione poſita eſt, cùm ibi pro calamitate, quam patiebatur, Domini miſericordiam & beatos martyres inuocaſſet, diù negatum lumen cum lętitia recipere meruit. Quarta autem die, poſtquam hoc ſignum Domino volente contigit, id eſt, pridiè Calendas Octobris quędam ancilla S. Bauonis, vocabulo Gundrada, de villa Aldingaheim, quæ tribus ferè annis ſolem non viderat, vbi ſe coram altari ad orandum proſtrauerat, lumen quod amiſerat, Chriſto Domino per merita Sanctorum ſuorum largiente recepit. *Cap. 19. Surdus & mutus abit incolumis. Item paralyticæ duæ. * Schaleheim. Cæco redit lumen. Itemque cæcæ.*

Tertium quoque libellum detulerunt mihi fratres de monaſterio S. Seruatij cōfeſſoris, quod ſitum eſt in ripa Moſæ fluminis, in vico qui hodieq; Traiectus vocatur, & diſtat ab Aquenſi palatio octo circiter leugas, eſtq; habitantium & præcipuè negotiatorum multitudine frequentiſſimus. Cuius textus ſi benè recolo, in hunc modum videtur eſſe compoſitus. Aduentus Sanctorum Chriſti martyrum Marcellini & Petri ad vicum Traiectum contigit pridiè Nonas Iunij. Nam ipſo die venit eis obuiàm *Cap. 20. Antiqua et-*

deco-

de eodem vico immanis multitudo populi ad ſuſceptionem illorum congregata, laudans & benedicens Deum ſuper immenſa atque inenarrabili miſericordia ſua, qua per tantos patronos populum in ſe credentem & confidentem viſitare dignatus eſt. Cumque his laudibus, & lætitia ſpiritali vſque ad baſilicam beati Seruatij peruentum eſt, celebratiſque cum magna omnium gratulatione Miſſarum ſolennijs, & vniuerſis ad ſua reuerſis, feretrum quo ſacri cineres aduecti ſunt, à dextris altaris iuxta cancellas collocatum eſt: totuſque ille dies cum ingenti eodem in vico conſiſtentis populi exultatione atque iucunditate conſummatus eſt. Cumq; ad veſpertinum officium iuxta conſuetudinem celebrandum, eandem baſilicam fuiſſemus ingreſſi, aderat inter cæteros puer quidam, nomine Berngiſus, quem propinqui ſui de pago Cundenſio ante paucos dies illuc venientes, adduxerunt cæcum à natiuitate. Qui ſubitò coram omnibus in pauimentum cecidit, ibique aliquandiu velut ſopore depreſſus iacuit: moxque apertis oculis lucem, quam nunquam antè vidit, Chriſto Domino per merita Sanctorum ſuorum donante conſpexit. Exin quinta die, id eſt, ſexto Idus Iunij homo quidam cognomento Hildimarus, qui ſurdus erat & mutus, coram eiſdem ſacris Sanctorum reliquijs, & auditum pariter & loquelam per virtutem Chriſti recepit.

[margin: ga Sanctorũ reliquias deuote. — Cæcus ab ortu inuiſam intuetur lucem.]

Cap. 21. *Alia miracula.* Eodem quoque die puella quædam, de familia S. Lamberti, nomine Adallinda, quæ non ſolùm ſurda & muta, ſed etiam cæca, totoque corpore tam miſerabili modo ex neruorum contractione erat complicata, vt genua pectori iungerentur: iuxta ſacras martyrum reliquias à ſuis poſita, & viſum & auditum, loquelam etiam omniumque membrorum rectitudinem ac ſalutem coram omnibus, qui aderant, mirabili celeritate diuino munere conſecuta eſt. Poſtridiè verò, id eſt, quinto Idus Iunij quidam ſeruus regius, nomine Berohadus de villa Creſciaco, in dextera ſui corporis parte per totum ex neruorum contractione debilitatus & inutilis factus, cùm ante memoratas Sanctorum reliquias veniſſet, ſtatim erectus, & ſanitati quam deſiderabat, ſine mora eſt redditus. Similiter & puella quædam de ipſo vico Traiecto, vocabulo Theothildis, cuius dextera manus erat ſimili contractione intantùm complicata atque diſtorta, vt ad omnem vſum eſſet inutilis: hæc eadem die ante eaſdem Sanctorum reliquias pari modo curata eſt. Quibus viſis, populus in baſilica congregatus cœpit præ nimia exultatione atq; lætitia in hymnis & litanijs, ſublatis in altum vocib^9, laudes Domino decantare. Cùm ſubitò intrauit puer quidã ſurdus, atque in media plebis multitudine ſtupefacto & attonito ſimilis conſtitit. Ac deinde cũ ante altare ſancti Saluatoris, quod in media eccleſia poſitum eſt, perueniſſet, erumpente protinùs de naribus eius ſanguine, quo diù priuatus fuerat, auditûs officio donatus eſt. In craſtinum autem, id eſt, quarto Idus Iunij viſum eſt nobis, vt feretrum quod ſacros martyrum cineres continebat, altiùs eleuari deberet, ad hoc videlicet, vt aliquantò eminentius eſſet, quàm altare cui appoſitum erat, & faciliùs ab accedentibus cerni potuiſſet. Idque nobis facientibus, & inter faciendum litanias cum Dei laude canentibus, puella quædam de familia S. Seruatij à natiuitate ſua pedibus ex contractione diſtortis, manibus etiam ex neruorum diſtenſione, diſſolutis, inſuper & muta, quam paulò antè in baſilicam ſui detulerunt, & coram feretro poſuerunt, ſubitò ſanitati eſt reddita, ita vt eadem hora & loqui, & incedere, & manibus ad omnia neceſſaria perfectè vti potuerit.

[margin: Viſis miraculis plebs lætabunda laudat Deũ. — Multiplex malũ curatur in puella vna.]

Cap. 22. Fœmina quædam de ipſo vico Traiecto, cùm haberet ancillam cæcam, nomine Adalgardam, ingreſſa baſilicam tradidit eam ſanctis martyribus Marcellino & Petro, vt per eorum ſuffragia viſum recipere mereretur, ibiq; dimiſit. Quæ cùm poſt peractum veſpertinale officium in eadem eccleſia ſubſtitiſſet, ſubitò velut ab aliquo impulſa in pauimentum cecidit, atque ibi diù volutata, tandem cum ingenti circunſtantis populi ſtupore atque admiratione clarè videns ſurrexit. Contigit hoc Idibus Iunijs ad veſperum, ipſo noctis incipiente crepuſculo. Homo quidam de Prouincia Burgundia ex territorio Gennauenſi, nomine Theotgarius, ea paſſione laborans, quam medici Græco vocabulo ſpaſmon appellant, Latinè autem ab aſſidua membrorum agitatione, tremuloſa non incongruè vocari poteſt: venit in baſilicam, atque in media populi turba, quæ ad audienda Miſſarum ſolennia, vt in die Dominico moris eſt, fuerat congregata, conſtitit. Cumque poſt recitatam Euangelij lectionem Chriſtianæ credulitatis ſymbolum recitaretur, tremuloſus ille ſubitò ad terram corruit, & dum diuinum officium peragitur, penè immobilis ac mortuo quàm viuenti ſimilior iacuit: multoque ex naribus eius ſanguine manante, poſt completum ſacrum officium, cũ magna inſpectantis populi admiratione ſanus ac ſine vlla trepidatione ſurrexit. Factum eſt hoc miraculum decimooctauo Calendas Iulij die Dominico, ſicut ſuperiùs compre-

[margin: Cęca videt. — Spaſticus fit ſanus.]

comprehenſum eſt. Quarta autem feria, id eſt, decimoquinto Calendas Iulij puer quidam, nomine Folchardus, de monaſterio quod Meldradium vocatur, qui erat cruribus ac pedibus miſerabili contractione diſtortus, eodem in loco coram omni populo curatus eſt. Vndecimo Calendas Iulij venit quidam homo ad eccleſiam, & inter cæteros intrauit, cuius dextra manus ſimul cum brachio modo mirabili mouebatur in gyrum, ac ſi molam vertere deberet, idque inceſſanter agebat. Is dicebat ob hoc ſibi hãc inquietudinem accidiſſe, quia die Dominica contra vetitum moleret: & iam annum integrum euolutum eſſe, ex quo huiuſmodi pœna mulctatus eſt. Qui cùm ad ſacras martyrum reliquias appropiâſſet, ibiq; fideliter eos inuocâſſet, molaris illa cõmotio ſubitanea quiete ſopita eſt. Hic homo de monaſterio Scotorum, quod Foſſæ vocatur, ſe veniſſe, Dothiumq; appellari dicebat.

Item contractus.

Alius quoque malè affectus.

Cap. 23.

In vigilia S. Iohannis Baptiſtę, quæ eſt die nono Calendarum Iuliarum, venit quidam vir Traiectum ad baſilicam S. Seruatij, qui ſe de ciuitate Tornaco eſſe fatebatur. Is, vt ipſe aiebat, fuit ab infantia ſurdus & mutus: ductusque à ſuis ad S. Sebaſtianum, cœpit ibi & audire & loqui, ſed inefficaciter, quoniã verba eius vix intelligebãtur: ipſe quoque cùm alij ad eum loquerentur, tenuitatem auditûs ſui diſſimulare nõ poterat. Qui vbi ad matutinum officium venit, coram ſacris reliquijs procumbens obdormiuit. Nec multò pòſt velut aliquo excitante euigilans, quis os ſuum pugno percuſſiſſet, à circunſtantibus perquiſiuit. Cui cùm omnes, neminem hoc feciſſe, reſpõdiſſent, ſurrexit: eademque hora ſanus factus perfectè, ſine vllo impedimento & audiuit & locutus eſt. Eadem die dum ſacra Miſſarum ſolennia celebrantur, fœmina quædam, nomine Adallinda, duos cereos ad lumen in eccleſia faciendum detulit: quorum vnum dextra manu cuidam ex cuſtodibus vt accẽderetur porrexit: alium autẽ interim quaſi de illo poſteà illuminandum, manu ſiniſtra retinuit. Sed mirum in modum, dum cuſtos ſibi datum accendit, ille qui in manu fœminæ remanſit, cunctis cernentibus diuinitùs accenſus eſt.

Surdo & muto redditur incolumitas.

Nota rem miram.

Cap. 24.

Monaſterium ſanctimonialium, Eike vocabulo, ſitum ſuper Moſam fluuium eſt. In quo quædam Deo ſacrata, nomine Saliga, toto corpore, excepto dextro brachio, diro paralyſis morbo diſſoluta iacebat. Huic per quietem quidam ex vicinis ſuis aſtitiſſe, ac tali ſermone eam compellâſſe viſus eſt, vt diceret, Quid agis? Cui cùm illa non aliud, quàm ſe in lecto ſuo quieſcere reſpondiſſet, Audiſtine, inquit, aliquid de Sanctis, qui in Traiecto ad S. Seruatium venerunt? Cui cùm nihil de his ſe audiſſe reſpondiſſet, Surge, ait, velociter, atque illuc properanter venire contende. Nam ibi es omniũ membrorum tuorum receptura ſanitatem. Sed cùm expergefacta nihil de his facere curâſſet, iterùm ſequenti nocte ab eodem ſimili modo eſt admonita, vt Traiectum pergeret. Illa tamen, vt priùs, ſpreta monentis voce, quò iubebatur diſtulit proficiſci. Tertia verò nocte vidit eundem ſibi aſtare, & cum quadam ſeueritate cur monita ſua contempſiſſet interrogare, baculoque, quem tunc manu tenere videbatur, latus eius percutere, atque vt Traiectum velociter pergeret, imperare. Nec illa iam auſa trinæ viſionis authoritati reſiſtere, accitis ad ſe propinquis & amicis, Traiectum vt ſibi iuſſum erat deducitur, & in baſilica beati Seruatij iuxta ſacros martyrum cineres collocatur. Cumque ibi promiſſæ ſanitatis præſtolaretur euentum, quinto demum die poſtquàm illuc venerat, cum magna omnium admiratione perfectam totius corporis ſui meruit recipere ſanitatem. Reſtant adhuc duo valdè præclara miracula, quæ non ſolùm tegenda ſilentio non cenſeo, quin potiùs illorum conſcriptione conuenientiſſimum quarto volumini, quod in manibus habetur, finem me facturum eſſe confido. Et licèt eadem ſigna beatis martyribus Marcellino & Petro cum alijs Sanctis poſſint videri communia, ex eo quòd vnum ex his in aduentu reliquiarum ſanctorũ Prothi & Hyacinthi, & iuxta ipſas reliquias geſtum eſt, alterumque in die natalitio S. Hermetis ſub ipſius reliquijs contigiſſe certum eſt: ideò tamen ipſis præcipuè adſcribẽda videntur, quoniam in ea baſilica facta ſunt, in qua eorum ſacratiſſima corpora requieſcunt. Geſtorum autem fides ad nos pertinet, qui præſentes fuimus, & quibus ea diuina pietas videre conceſſit. Ac proinde omiſſa prę fatione, ad ipſa quæ dicenda ſunt miracula veniamus.

Paralytica integrã recipit ſoſpitatem.

Cap. 25.

Gregorius Romanæ vrbis Epiſcopus, qui Eugenio ſimulque Valentino in Pontificatus honore ſucceſſit, cùm titulum S. Marci Euangeliſtę, in quo presbyter fuerat, ampliare, & in eo monaſterium vellet extruere, quæſiuit per cœmeteria & eccleſias longiùs ab Vrbe conſtitutas, ſicubi Sanctorum martyrum corpora poſſet inuenire: Inuẽtaq; titulo, quem opere magnifico extruxerat, curauit inferre. Caſu igitur factum eſt, vt eo

Gregorius Papa 4. auxit & ornauit titulum S. Marci.

vt eo tempore, quo ſepulchrum beatiſſimi Hermetis erat aperturus, & ſacrum illius corpus inde fuerat ſublaturus, vnus ex noſtris, qui eodem anno ſupplicandi gratia, vt moris eſt pœnitentibus, Romam venerat, congregatæ ad baſilicam martyris multitudini cum cæteris peregrinis intereſſet. Is negotio, quod agebatur, diligēter inſpecto, ſpem adipiſcendarum memorati martyris reliquiarum, licèt corde ſimplici, non tamen ſine cauſa concepit: & Deuſdonam Diaconum, cuius in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens obnixè rogauit, vt ex his quantulūcunq; à cuſtodibus loci acciperet, mihiq; deferendum ſibi præſtaret. Qui confeſtim precibus eius annuens, id ſe ſine mora facturum pollicetur. Datoq; cuſtodibus pretio, non ſolùm S. Hermetis, ſed etiam ſanctorum Proti atq; Hyacinthi, quorum in eadem baſilica corpora erant poſita, reliquias accepit. Et illas quidem per quendam familiarem ſuum, cui Sabbatino cognomen erat, ſimulq; & noſtrū, qui ei vt hoc faceret perſuaſit, mittere curauit. Quod autem de corpore beati Hermetis potuit adipiſci, ipſe ad nos veniēs, pro ingenti munere detulit. Cùm autē de aduentu reliquiarū ſanctorum Proti & Hyacinthi nobis eſſet indicatum, obuiā illis proceſſimus, easque, vt par erat, honorificè ſuſcipientes, atq; baſilicæ cum hymnis & orationibus inferentes, propter corpora beatorum Marcellini & Petri cum feretro quo venerant, collocauimus. Vbi cùm in craſtinum mulier quædā de proximo prædiolo, quod Baldradeſtat nūcupatur, dæmone poſſeſſa cum cætero populo fuiſſet ingreſſa, cœpit nequam ſpiritus fremere, ac proſtratam in pauimento collidere, ſuamq; malitiam coram omnibus confitendo publicare. Cumquè à presbytero ſe exorcizante fuiſſet interrogatus, quis eſſet, vnde veniſſet, quando & cur in eā intrâſſet: ad ſingula reſpondit, ſeque non ſolùm dæmonē, ſed etiam omnium viuentium peſſimum eſſe teſtatus eſt. Et cùm presbyter ab eo cauſam tantæ nequitiæ requiſiſſet, malā voluntatem hanc ſibi tribuiſſe fatebatur. Rurſus cùm ab eo quæreret, ſi vnquam in cælo fuiſſet: in cælo ſe fuiſſe, & inde propter ſuperbiam deiectum eſſe confeſſus eſt. Eidem percontanti, vtrùm Chriſtū Dominū, nec ne vidiſſet, ait in inferno eū à ſe viſum tempore, quo pro humani generis ſaluatione mori, atq; illuc deſcēdere dignatus eſt. Vbi verò ad id ventū eſt, vt eū interrogaret, ſi nomina martyrū nôſſet, quorum reliquiæ pridiè eidem eccleſiæ illatæ ſunt, Notiſſima, inquit, mihi ſunt eorum nomina: quia quando paſſi ſunt, præſens aſtabā, ac de eorum ſempiterna gloria ingēti torquebar inuidia. Quos etiā hîc modò patior infeſtiſſimos. cruciāt enim me tormento incredibili, atq; inuitū de hoc vaſe, in quo diù latitabam, exire compellunt. Cui presbyter, Cùm exieris, inquit, quò perrecturus es? Ego, ait, in viam peſſimā perrecturus, & longinquas deſertasq; regiones petiturus ſum. Poſt hæc cùm & occaſionē & modū ingreſſionis ſuæ iubente presbytero expoſuiſſet, conuerſus ad fœminā, Ego, inquit, infœlix mulier, antequā exeam, oſſa tua collidā atq; confringā, teq; debilē ac noſtræ ſocietatis memorem relinquam. Et cùm illa velut infirmitatis ſuæ conſcia, cœpiſſet voce ſupplici atq; ſubmiſſa Sanctorū auxilium implorare, ille ſtatim per os ipſius cū ingenti auſteritate fremens & increpitās, loqui volenti ſilentiū imperauit. Erat enim nobis, qui præſentes eramus, ad videndū valdè mirabile, quòd ille ſpiritus immundus per os eiuſdē mulierculæ tā diuerſo modo loquebatur, & nūc maſculinæ, nunc fœmininæ vocis qualitatē ſic ad purum exprimebat, vt nō vna ſed duæ in ea acriter altercantes, ſeq; adinuicē conuicijs laceſſentes perſonæ eſſe viderentur. Et reuerà duæ erāt, diuerſa inter ſe voluntate diſſidentes: dæmonis vna, poſſeſſum à ſe corpus collidere cupientis: mulieris altera, hoſte quo tenebatur, liberari deſiderantis. Quæ diuerſitas volūtatum ex diſparitate vocum ac diſſimilitudine verborū, quæ inter ſe iactabant, ſatis clarè atq; apertè poterat intelligi. Cōpleto igitur iuxta conſuetudinem myſterij cæleſtis officio, nobisq; ad curanda corpora de baſilica egredientibus, iuſſimus fœminā cum cuſtodibus ibidem, donec reuerteremur, opperiri, fidutiam habentes, quòd per virtutē Chriſti & merita martyrū ſuorum perfidus poſſeſſor eius citò foret exiturus. neq; nos ſpes noſtra fefellit. Nā poſt refectionem ad eccleſiā regreſſi, exacto dæmonio ſanā illam & incolumem, ac per omnia mentis ſuæ cōpotem, atq; in Dei laudibus exultantem inuenimus. Et hoc quidē ſignum in aduentu reliquiarum beatorum Chriſti martyrū Proti & Hyacinthi iuxta modum à nobis cōprehenſum conſtat eſſe completum: illud autem, quod S. Hermeti adſcribitur, quo ſit ordine geſtum, præſenti narratiōe clarebit.

Honorificè accipiuntur reliquiæ Proti & Hyacinthi.

Martyres cruciant dæmonem, & cogunt deſerere obſeſſam.

Diuerſæ voces ex vno ore.

Cap. 26. Colonia metropolis eſt in finibus Ribuariorum, ſuper Rhenū poſita. Ex qua fœmina quædā erat à renibus deorſum diutina neruorū diſtēſione in tantū debilitata, vt negato ſibi crurum ac pedū officio, nō aliter quàm ſedens, porrectis in anteriora pedib⁹, ac manibus in terram poſitis innitens, ſeq; hoc modo promouens, vicem ambulandi explere

explere potuiſſet. Hæc auditis miraculis atque virtutibus, quas Dominus per ſanctos martyres ſuos Marcellinum & Petrum in curatione infirmorum atque debilium operatus eſt, ad baſilicam eorum venire geſtiuit. Et quoniam aliter commodè nequiuerat, in naue mercatorum, qui illò ad feſtiuitatem eorundem Sanctorum ibant, aduecta eſt. Venitq; illuc ad diem natalitium, atque ibi ſpe recuperandæ ſaluris aliquandiù morata eſt. Sed vbi vidit curationem ſuam eſſe dilatam (& reuerà dilata erat, non negata, quia non alibi, ſed ibi: neque tunc, ſed alio tempore fieri debuit) ſtatuit Moguntiacum proficiſci. Erat enim in proximo feſtiuitas S. Albani martyris, cuius apud eandem vrbem & baſilica & percelebre monaſterium eſt. Quò cùm veniſſet, & apud memoriam martyris pro reſtitutione ſaluris ſuæ Domino ſupplicaſſet, vidit per ſoporē quendam iuuenem clericum ſibi aſſiſtentem, ac nouos calceos manu ferentem, atque vt eos acciperet pedibuſq; indueret imperantem: ſe quoque ita feciſſe. Illum deinde præcepiſſe, vt his calceata ad locum, vndè illò venerat, reuerteretur, ibiq; aduentum Medici præſtolaretur, qui eam eſſet proculdubiò ſanaturus. Quæ vbi euigilauit, viſioni fidem accommodans, quanta potuit celeritate ad Sanctorum martyrum ſalutifera limina reuerſa eſt: ac per duos menſes in eodem loco inter alios pauperes conuerſata, pollicitationem viſionis opperiebatur. Cùm interim circa medium ferè mēſem Auguſtum Deuſdona Diaconus, cuius in primo operis huius libro crebram fecimus mentionem, Roma veniens, vnum articulum digiti beati Hermetis martyris pro magno nobis munere detulit. Quem accipientes, capſula reconditū in ſuperiori parte baſilicæ ſupra ipſum occidentalem eccleſiæ introitum collocauimus. At fœmina, quæ, vt dixi, viſione diuinitùs admonita illuc venerat, & duobus iam exactis menſibus, nihil promiſſæ opis ſibi aduenifſe cernebat, deluſam ſe vano ſomnio exiſtimans, reditū in patriam meditari cœpit. Statuitq; cum negotiatoribus, qui ſe reducerent, vt proxima Dominica, quæ quinto Calendarum Septembrium die ſimul cum anniuerſaria S. Hermetis ſolennitate erat futura, nauem eorum in regionem ſuā reuerſura conſcenderet. Iamq; inſtante nocte, quæ diem profectioni condictum erat, ſine dubio præceſſura, cùm nos ſecundum conſuetudinem completo nocturnali officio, ad quieſcendum fuiſſemus egreſſi, cæteris exeuntibus, fœmina illa introire volens, in ipſo limine cōſedit: ibiq; coram omnibus ſtupore quodam oppreſſa, parumper obticuit. Ac deinde erumpente ex omnibus pedum vnguibus aliquanto ſanguine, ad ſe reuerſa, manū circunſtantibus porrexit, erectaq; in pedes, ad ſepulchrum martyrum ambulare cœpit. Quò cùm perueniſſet, ad orationem coram altari proſternitur, ibiq; tandiù iacuit, quoadusq; hymnus, quem exultantium ſimul atq; mirantium multitudo Deum laudans deuotiſſimè cantabat, compleretur. Quo finito, ſana ſurrexit, ſed in patriam vlterius redire noluit. Meritò igitur miraculum iſtud beato Hermeti adſcribitur, cuius die natalitio, & ſub cuius reliquijs geſtum eſſe cōſtat. Sed nequaquàm ſanctiſſimi martyres Macellinus & Petrus eiuſdem operis exortes eſſe poſſunt, in quorum baſilica patratum eſt, & quos ipſa, quæ curata eſt, fœmina toto peregrinationis ſuæ tempore, vt ſe adiuuarent, ſemper inuocauit.

Monaſteriū S. Albani Moguntiæ percelebre.

Patienter ſuſtinenda curationis dilatio.

Fœmina miſerè contracta ſanatur.

Cap. 27.

Hæc ſunt, quæ de innumeris Sanctorū virtutibus aut à nobis viſa, aut fidelium veraci relatione cōperta, literis ac memoriæ mandare decreuimus, quæ Chriſti amatorib⁹, ac martyrū eius veneratorib⁹ ad legendū grata fore nō ambigo: quoniā nihil eis videtur impoſſibile, quod vt fiat, Deo omnipotenti placuerit. Incredulis aūt ac Sanctorum gloriæ derogantibus, quia faſtidioſa eſſe non dubito, ne omninò legere velint, ſuadendum cenſeo: ne fortè vilitate noſtri ſermonis offenſi, blaſphemiam & inuidentiam deuitare non valeant, ac ſic Deū & proximū, quos amare iubentur, ſe odiſſe declarent.

IN EODEM VETVSTO MS. CODICE, VNDE HAEC DESCRI*pſimus, ſequebatur eorundem beatiſſimorum martyrum hiſtoria Iambico carmine, licet non admodùm exacto, conſcripta, non addito Authoris nomine. Qui cum mihi videatur eſſe idem Eginhartus, qui ſuperiora ſcripſit, tum propter maiorem hiſtoriæ fidem, tum propter Authorem ipſum eam hoc loco ſubiungere voluimus.*

ERat quidem exorciſta, Petrus nomine,
Qui doctrinam magni Petri ſecutus Apoſtoli,
Veram fidem Ieſu Chriſti prædicauit gentibus,
Malignorum adiurator fuit iſte dæmonum,

S. Petrus exorciſta.

Atque atros verbo potens effugabat ſpiritus,
Perque ſignum ſanctæ Crucis ægros ſanos fecerat.
Quem pagani comprehenſum duris nectunt vinculis,
Ac per multa laniatum tormentorum genera,
Ad extremum tenebroſo mancipârunt carceri:
Imprudentes arbitrati, quòd per artus corporis
Pœna inflicta prævaleret Chriſti fidem tollere.
Sed cor cælo fixum manens neſcit flagris cedere.
Cui cuſtos deputatus præfuit Arthemius,
Qui reorum turbam diris conſtringebat vinculis,
Atque clauſtra caligoſi ſeruabat ergaſtuli.
Erat cui chara valdè nata* Virgo nomine,
Quæ inuaſa præferoci vexabatur dæmone,
Et paterna ſæua pœna cruciabat pectora.
Quod cùm Petrus comperiſſet, compellat Arthemium,
Monens ſimul & exhortans Chriſti miles inclytus,
Mercaretur ſancta fide vt ſalutem filiæ:
Deum, dixit, crede Chriſtum, qui creauit omnia,
Qui cælum terramque ſua continet in dextera,
Et qui miti potentatu protegit quod poſſidet.
Hæc beato proferente Petro Chriſti famulo,
Cuſtos ille tenebroſi carceris Arthemius,
Plura dicta contrà refert, ſed eadem friuola:
Non eſt, inquit, verum Petre, neque veriſimile,
Meam tuus poſſit Chriſtus vt ſaluare filiam,
Qui nullum exhibet ſuis ſolamen cultoribus.
Ferret, puto, ſi valeret opem ſuis famulis.
Sed hoc illum non valere produnt illa verbera,
Quæ tu dudum propter ipſum tolerando deficis.
Ad hæc Petrus vultu læto pauca verba referens,
Chriſtum, inquit, confitemur, & in ipſum credimus,
Qui eſt ſolus ſeculorum ſaluator & dominus.
Ipſe valet, quicquid ſibi placuerit, facere,
Tam cælo terraque potens, quàm & ponti fluctibus,
Cui ſeruit totum ſuis cælum cum ſideribus.
Ille poteſt quandocunque ſibi placet ſoluere
Duros nexus catenarum, quibus vinctus teneor,
Et de cunctis tormentorum pœnis tutum reddere.
Sed meum credo quòd nolit impedire brauium,
Quin peccatis depurgatum peruenire faciat
Per tormenta paſſionis ad perennem gloriam.
Vellem tamen, ô Arthemi, faceres periculum,
Verum ſiet, anne falſum, quod de Chriſto credimus,
Quodque illum tam potentem omnes eſſe dicimus.
Ad hæc antri carceralis cuſtos nondum credulus,
Fiat, ait, quod hortaris, hodieque clareat,
Valeat quid Chriſtus tuus, quem me rogas credere.
En ego nunc tuis vinclis ſuperaddam vincula,
Teque ipſum tenebroſo clauſum linquo carcere:
Atque antri poſtes ſeris ſtringam firmioribus.
Si te tantis innodatum liberârit nexibus
Chriſtus veſter, ac ſolutum ſoſpitem reddiderit:
Credam illum, atque Deum colam ſine dubio:
Ea tamen ratione, ſi redemptam videro,
Ipſo Chriſto faciente, meam charam filiam
Ab illius dominatu, quo vexatur, dæmonis.
Tunc ſubridens fortis ille Petrus Chriſti famulus,
Fides, ait, imbecilla confirmari poterit,
Si quę verbis promiſiſti, factis adimpleueris,

Comprehẽditur & cruciatur à Paganis.

for. à Paulina. Sic enim in alia Hiſtoria vocatur.

Cur Chriſtus non ſeruet ſuos martyres à pœnis.

Meque

Meq́ue humana ſine ope atque adminiculo,
Iſto tetro quo includor, liberatum carcere.
Domùs tuæ limen pede penetráſſe videris:
Et non tantùm contemplatu, ſed palmarum tactibus
Explorando comprobabis ipſum tibi aſſiſtere,
Quem incluſum dimiſiſti tenebroſo in carcere.
Ad hæc verba crebrò caput agitans Arthemius,

Arthemius delirare putat S. Petrũ, dum pollicetur grandia.

Et non credens Deum poſſe tanta bona facere,
Tali Petro ſeruo Chriſti reſpondet affamine:
Homo, inquit, mente captus, aliena loqueris,
Quod ex multis accidiſſe reor paſſionibus,
Quas tu diù propter ſectam Chriſtianam ſuſtines.
Iſta dixit, & abſceſſit, ſeq́; domum contulit,
Coniugiq́; cuncta ſuæ cognomento Candidæ
Valdè ſtupens atque mirans dicta Petri retulit.
Cui coniux dubitanti corde fatur credulo,

Coniux Arthemij reprehendit eum.

Se mirari quòd inſanum voluiſſet dicere,
Quem audiſſet ſoſpitatem ſibi nunc promittere:
Nec hoc diù differendum eſſe quod promiſerat,
Sed præſenti ſe facturum fateretur tempore,
Et quod dixit ac ſpopondit, hodiè clareſcere.
Ille verò contrà nitens, vxorem increpitat,
Cur his verbis fidem daret: & appellat fatuam,
Quia Chriſtum Deum Petri tam potentem crederet.
Non eſt, ait, numen vllum, ſed nec ipſe Iuppiter,
Quod eundem ſic concluſum poſſit vinclis ſoluere,
Vel ex antri tetro lacu liberum dimittere.
Illa Petri verbis credens, quibus ſe promiſerat
Per virtutem Ieſu Chriſti mira poſſe facere,
Tali ſibi reſiſtentem repulit elogio:
Hoc eſt, inquit, quod augebit Dei ſui gloriam,
Cùm per illum erit factum, quod patrare nequeunt
Illa magna quæ à nobis nunc coluntur, numina.
Hæc dum ſimul ac viciſſim alternando conferunt,
Atq́; ſolis orbe merſo, ſtellæ noctem proferunt:

S. Petrus diuinitùs ſolutus, venit ad illos.

Ecce Petrus, vt promiſit, adeſt admirantibus,
Signum Crucis manu geſtans, veſte fulgens candida:
Seq́; verum Chriſti ſeruum, & non falſum aliquid
Eſſe monſtrat, tum multorum contrectatur manibus.
Hæc cernentem ſtupor ingens arripit Arthemium:
Atq́; Petri ſine mora pedibus aduoluitur,
Deum ſolum verum Chriſtum magnis clamans vocibus.

Arthemius credit in Chriſtum cum ſuis.

Hoc & coniux, hoc & cuncta conſonat familia,
Eſſe nullum, niſi Chriſtum, rerum potentiſſimum,
Quem beatus prædicâſſet Petrus atq́; coleret.
In aduentu cuius ipſum, quod eorum filiam
Diù malè poſſidendo vexabat, dæmonium

Filia Arthemij liberatur à dæmone.

Fugit ſtatim, & inuitus Dei virum prædicat,
Vt in alto malum atrox audiretur aëre:
Virtus, dicens, Chriſti Petre, in te manens pepulit
Me de illa, quam tenebam vſq́; modò virgine.
Hæc tum Petro faciente per virtutem Spiritûs,
Fama velox per vicina ſtatim loca volitans,
Multos valdè congregauit viros atq́; fœminas.
Nam non minùs quàm trecenti conuenêre maſculi,
Mulierum quoq́; maior numerus conſluxerat:
Simul omnes admirantes ſanctam Chriſti gloriam.
Etenim cernebant cuncti, quòd in Chriſti nomine
Omnes morbi ſanarentur per ſupernam gratiam,

Perque ſacra Petri iuſſa pellerentur dæmones.
Et videntes, corde puro capere deſiderant
Fidem Chriſti ſalutarem: ſimul atque flagitant,
Vt in ſacri mererentur vnda fontis ablui.
Huc ſtatim vocante Petro venit Chriſti famulus,
Magnus martyr & confeſſor Marcellinus preſbyter,
Vt nouellum confirmaret baptiſmate populum.
Quæ dum eſſent adimpleta competenti ordine,
Nutu Dei quaterdeni dies euoluti ſunt,
Per quos Sancti nouæ gentis nationem roborant:
Vt in Chriſto permanentes, creaturas colere
Nolint, vitam neque iſtam velut magni quippiam
Amplectantur: immò velint propter ipſum perdere.
His exactis, adeſt ſæui miſſus lictor Iudicis,
Iubens omnes, qui fuiſſent tetro clauſi carcere,
Ad conſpectum nocte prima arbitri aſſiſtere.
Quod extemplò cùm audiſſet atri cuſtos carceris,
Blandis vinctos, qui aderant, vocibus alloquitur,
Irent cuncti, quoquouersùm vellet quiſq; pergere:
Qui ad palmam, inquit, regni peruenire cogitat,
Ille mecum ad Sereni Iudicis præſentiam
Pœnas ibi ſubiturus pergere non hæſitet.
Si quis verò nondum vitam mundialem ſpernere
Valet, atq; tormentorum eſt pauore territus,
Eat liber, quò voluntas illum ſua tulerit.
Ecce autem Iudex primo noctis gallicinio
Surgit vigil, ac furenti voce iubet noxios
Suis omnes alligatos exhiberi viſibus.
Huic præſtò tenebroſi cuſtos aſtans carceris,
Petrus, ait, exorciſta, quem puniri iuſſeras,
Per virtutem ſui Chriſti cunctos vinctos ſoluerat,
Et catenis abſolutos, ire iuſſit liberos.
Ipſe tamen Marcellinum quendam ſecum retinens,
In qua ſemel iuſſus erat, permanet cuſtodia.
Hæc dicentem furibundus imperat Vicarius
Plumbo cæſum, atq; vinctum carceris Arthemium
In obſcuram atq; arctam recipi cuſtodiam:
Sanctos verò Marcellinum atq; Petrum martyres,
Quæſtionem habiturus de illorum actibus,
Suo iubet ſæuus Iudex tribunali aſſiſtere.
Quos vt toruis coràm ſtantes conſpicatur vultibus,
Blandis primò compellandos arbitratur vocibus:
Vt eorum permutaret mentium propoſitum.
Pœna, dixit, vos minore plecti poſſe dicerem,
Niſi cunctos criminoſos, qui vobiſcum carceris
Antro clauſi tenebantur, effugiſſe cernerem,
Et hoc factum veſtro nôſſem Chriſtiano dogmate,
Per quod malè miſerorum mentibus illuditis,
Faſcinantes ac fallentes magicis verſutijs.
Cui magnus Chriſti martyr Marcellinus preſbyter,
Forti pectus pietatis plenum gerens ſpiritu,
Pauca quidem, ſed non parua verba contrà reddidit:
Non eſt, inquit, criminoſus, nec dicendus noxius,
Qui omiſſo paganiſmo, Chriſto cœpit credere,
Atq; illi ſana mente ſeruiendum iudicat.
Hoc qui facit, Dei ſummi filius vocabitur,
Et a cunctis peccatorum abſolutus ſordibus,
Verè eſſe, quod vocatur, Deo dante viſitur.
Hæc dicentem Marcellinum imperat minaciter

Multi ad Chriſtũ accedunt.

Iubente Iudice plumbatis cæditur Arthemius.

S. Marcellinus reſpondet Iudici.

Sæuus

Sęuus Iudex ſub duorum pugnis cæſum ſubigi,
Et in locum, omni luce qui careret, proijci.
In quo vitrum ſuper humum fecit fractum ſpargier,
Ac deſuper aſſertorem veri nudum ſternere,
Atque vinctum voluturi illis in fragminibus,
Omni victu abſtineri Chriſti iubens famulum:
Vt his pœnis enecatus, interiret properè,
Cui fidem extorquere ſe non poſſe viderat.
Tum deinde Petrum videns, talibus alloquitur:
Nolo, inquit, arbitreris iterùm eculeo
Te torquendum, vel ignitis exurendum faculis.
Immò nôris, quòd nectendus nodis fortioribus,
Stipitique applicatus luce ſtabis craſtina,
Ac ferarum laniatu vitam breui finies.
Tum beatus reſpondendo Petrus forti pectore,
Iram volens contumacis concitare Iudicis,
Tali voce ſæuientem prouocat inſaniam:
Cùm Serenus vociteris, miror validiſſimè,
Cur tam tetro vultum geras obfuſcatum nubilo,
Vt menſuram peruidere propriam non valeas.
Eſſe nanque te mortalem vniuerſi nouimus,
Et tu velut quiddam magnum in te vigens lateat,
Grandes pœnas minitaris Chriſtiano populo,
Stulta nimis ac feroci confidens audacia,
Immortalem Chriſti fidem de credentum cordibus
Exturbari vnquam poſſe pœnis temporalibus.
Sacerdotem quidem Chriſti, quem rogare poteras,
Vt pro tuis exoraret plurimis exceſſibus,
Pugnis cæſum atque vinctum mancipâſti carceri:
De quo tamen triſti facto vero lætus gaudio,
Magnus ille martyr Chriſti modò nihil queritur:
Immò rerum conditori dignas refert gratias.
His auditis, efferatus tormentorum arbiter,
Petrum iubet catenarum comprehenſum pondere
Oneratum, in obſcuram recipi cuſtodiam.
Et in cippo furibundus præcipit arctiſſimo
Plantas ſimul atque crura pretioſi martyris,
Ne abire præualeret, includendo comprimi.
Sed cùm eſſent iſto modo ſeparati martyres,
Celſo miſſus viſitator cæli venit culmine
Ad beatum Chriſti teſtem conſolandum Angelus.
Qui dum ſanctum inueniſſet vitro ſuperpoſitum
Marcellinum ſine veſte nudo vinctum corpore,
Chriſto Deo ſupplicantem, ſicut erat ſolitus,
Soluit ſtatim, & opertum indumentis proprijs
Quoquouerſùm præcedentem ſe ſequendum imperat,
Eo dicens perducendum, vbi Petrus fuerat.
Cumque eſſet illò ventum, verus Dei nuntius,
Petro ſtatim abſoluto, Marcellino præcipit,
Vt ſe ambo præcedentem ſequerentur pariter.
Quem ſequentes intrauerunt domum quandam ſubitò,
In qua erat congregatus Chriſtianus populus,
Qui per ipſos ad diuinam doctrinam peruenerat.
Tum præcepit ille magnis Angelus martyribus,
Vt cæteruam congregatam confirmare ſtudeant
Per ſeptena proximorum dierum volumina:
Ac tum demum ſæuienti ſe tyranno proferant,
Oſtendantque parùm poſſe illius potentiam
Contra Dei continentis cuncta prouidentiam.

Cæditur pugnis, &c.

S. Petri mira conſtantia.

S. Petrus vinctus catenis truditur in carcerem

Angel⁹ ſoluit Marcellinum & Petrum, & educit è cuſtodia.

Tum ſequenti luce iuſſit Iudex crudeliſſimus,
Vt miniſtri viſitarent loca, quibus martyres
Clauſos ſimul & ligatos cuſtodiri iuſſerat.
Cumque ibi non repertos referentes dicerent,
Ire iuſſit, & adduci vnà cum Arthemio
Eius quoque mulierem cognomento Candidam,
Atque natam eorundem, nuncupatam Virginem,
De qua Petrus exorciſta dæmonem expulerat,
Et purgatam regi Chriſto credulam reddiderat.
Hos adductos ille truci intuitus oculo,
Dijs iuſſit, immò tetris vt litarent laruulis,
Atque ſacram Chriſti fidem abnegando linquerent.
Et cùm nolle peruidiſſet imperata facere,
Iuſſit ſæuus in ingenti ruderum congerie, *Sentẽtia in Arthemiũ & coniugẽ ac filiam eius.*
More preſſi noxiorum, necarentur pariter.
Qui cùm vincti ducerentur viam per Aureliam,
Vident ſimul Marcellinum atque Petrum martyres.
Et cum eis multam valdè populi frequentiam.
Quibus viſis, profugiſſe tremefactos aſſerunt,
Qui beatos confeſſores catenarum pondere
Prægrauatos ac depreſſos puniendos traxerant.
Quos vt pij fugientes turba vidit populi,
Præcurrendo feſtinauit præuenire pauidos:
Ac mulcere cor furentum verbis cœpit mitibus.
Sed non valens quod volebat pia plebs perficere,
Loco fixos retentauit, donec Chriſti famulus
Marcellinus obtuliſſet ſalutarem hoſtiam.
Nam in ſpecu, quo futura ſperabatur paſſio, *Miſſa celebrata a S. Marcellino in ſpecu.*
Martyr Chriſti celebrauit Miſſarum ſolennia.
Quis completis, abſceſſerunt quos abire iuſſerat.
Tum conuerſi Marcellinus atque Petrus martyres,
Ambo ſimul perfidorum alloquuntur populum,
Atque tali furibundos compellabant famine:
En vidiſtis quòd in noſtra ditione fuerat,
Vt vos modo, quo vellemus, valeremus lædere,
Et quos vinctos tenebatis, vi ereptos tollere,
Sed hoc nolle Chriſtiana fecit patientia,
Quam ſuorum ſerendo famulorum ſenſibus,
Suo mites ac modeſtos Chriſtus facit munere.
Et nunc quidem nos, ſuperna ſuffragante gratia,
Hinc abire poteramus, ſi hoc ferret animus.
Vos contrà quid poſſitis, tandem palàm dicite.
Tum frendentes ac frementes ſatanæ ſatellites,
Primò ipſum, quem trahebant, trucidant Arthemium, *Arthemius decollatur.*
Enſe duro ferientes effecerunt martyrem:
Cuius neci coniunxerunt coniugem ac filiam.
Quas per cryptæ liminare præceps datos obruunt *Eius vxor & filia ſaxis obruuntur.*
Saxis ſimul atque magnis arenarum molibus.
Tum beatos aſſertores veritatis alligant
Marcellinum atque Petrum auidos martyrij:
Annectuntque catenatos arborum ſtipitibus,
Donec tetro nuntiarent tormentorum arbitro,
Atque ipſo comperirent decernente Iudice,
Quali morte magni forent conſumendi martyres.
Qui dum cuncta cognouiſſet geſta, quæque iuſſerat,
Nigram iubet intra ſyluam ſanctos duci martyres,
Et inibi capitalem capere ſententiam.
Quò cùm eos deduxiſſent dæmonum ſatellites,
Illi læti & alacres, laudanteſque Dominum,

Locum

Locum ſuæ paſſioni largiorem faciunt:
Nam & ſpinas atque vepres euellebant manibus
Ipſi ſuis, vt purgando terram puram redderent,
Sacrum erat quæ illorum exceptura ſanguinem.
Tunc orantes, atque pacis ſibi dantes oſculum,
Genu flexo percuſſorem patienter perferunt,
Ac proiecta graui petunt cælum carnis ſarcina.
Quorum ipſe, qui eoſdem magnos Chriſti martyres
Ferro iuſſus, iugulauit, ſe vidiſſe faſſus eſt
Carnis vinclis abſolutos euolâſſe ſpiritus
Forma quaſi virginali, tectos veſte fulgida,
Auro quoque radiantes ac gemmarum lumine,
Angelorum coruſcantum circundatos agmine,
Lætabundos cum immenſa lucis affluentia,
Supra cuncta penetrando celſa mundi ſidera,
Subleuatos ad æterna cæli regna ſcandere.
Duæ quædam referuntur Romæ natæ fœminæ,
Vna dicta eſt Lucilla, Firminaque altera,
Veram puris retinentes Chriſti fidem cordibus
Quæ propinquæ ter beati martyris Tiburtij,
Ad illius ſacroſanctum aſſidentes tumulum,
Deo gratas vigilando ducebant excubias.
Quibus ipſe cum beatis ſemet comitantibus
Marcellino atque Petro manifeſtè retulit
Per ſoporem, vbi ſacra iacuiſſent corpora
Eorundem electorum atque ſimul admonet,
Vt euntes abſque mora, illa ſtatim auferant,
Et in crypta ſuum prope curent corpus ponere.
Qui præceptis obſequentes, Nigram ſyluam adeunt,
Sublatoſque beatorum inde portant cineres,
Et in ſpecu deponentes, iuſſo loco tumulant.
Quas ad iſta peragenda adiuuiſſe referunt
Duos quoſdam de ſacratæ ſedis Apoſtolicæ
Clericis, quos ordo ſacer nominat Acolytos.
Hæc vt geſta referuntur, retuliſſe aſſerunt
Illum ipſum, qui eoſdem interemit martyres,
Et ab illo didiciſſe Damaſum Pontificem,
Cùm ætate puerili, per eadem tempora
Sub magiſtro miniſtraret, & ad magnum creſceret
Rerum culmen, tunc Romana lector in eccleſia.
Poſt hęc cuncta memorâſſe, ac mandâſſe literis,
Cùm illius almæ ſedis obtineret apicem,
Et in tota principatu polleret Eccleſia.
Ille autem, qui beatos martyres percuſſerat,
Dorotheus cognomento, per diuinam gratiam
Ad baptiſmi ſacramentum perueniſſe dicitur:
Sacram ſedem tunc regente Iulio Pontifice,
Publicam ſimul puramque geſſit pœnitentiam:
Atque morum probitate conſequi promeruit
Sempiterni Saluatoris ſalutarem gratiam,
Per illorum, quos percuſſit beatorum martyrum
Nunc & ſemper memorandam miram patientiam.
Qui de mundi triumphantes principe diabolo,
In ſupernis collocati ſemper gaudent ſedibus
Coram Chriſto per æterna ſeculorum ſecula.

Marcellinus & Petrus plectuntur capite.

S. Tiburtius cũ Marcellino & Petro apparet Lucinæ, &c.

Damaſus Pontifex ſcripſit hiſtoriam Marcellini & Petri.

PAS.

PASSIO SS. PERGENTINI ET LAVRENTINI FRATRVM MARTYRVM. HABETVR IN ANTIQVIS

M S.codicibus,ſed per F.Laur.Surium ſtylus mutatus eſt,& pleraque reddita compræhenſiùs.

Iunij 3.

IMPERANTE Decio Cæſare, grauis fuit perſecutio Chriſtianorum. Multa tum proponebātur edicta, vt qui Chriſtum colerent,nec ſacrificare dijs vellent, varijs pœnis interficerentur. Cùm autem regiones peragraret Decius cum miniſtris ſuis, & Aretium veniſſet, habebat apud ſe vnum ex conſiliarijs ſuis,Tiburtium nomine,crudeliſſimum Chriſtianorum perſecutorem. Ibi tum ethnicus quidam ita ait: Sunt hic duo germani fratres Pergentinus & Laurentinus,nobiles genere, qui ſe Chriſtianos profitentur,& quotidiè ſcholas adeuntes, literis inſtituuntur, vt poſſint Chriſti doctrinam plenè cognitam habere. Quos ſi vos ita pergere ſinetis,cedet id in exitium vrbis huius,& populum omnem ad Chriſti religionem traducent. His auditis,Tiburtius furore percitus, iuſſit eos coram ſe adduci. Cùm autem à militibus ducerentur,dixit Pergentinus ad Laurentinum : Iam noſtrum propinquat certamen . Reſpondit Laurentinus : Frater mi,non formidemus hęc tormenta: illa verò potiùs ęterna timeamus ſupplicia & noſtrum redemptorem, qui nos iuſſit non timere eos,qui corpus occidunt,animam autem non poſſunt occidere. Pergētinus dixit: Eamus animo virili,& perſtemus in fide, nihil tyranni iuſſa formidantes. Sed tu iudici reſponſa reddes, qui me ad dicendum & reſpondendum inſtructior es.

Deferuntur ſancti Martyres ad Tiburtium. — *Matth.10.*

Vbi ad Tiburtij conſpectum venêre,ait illis: Cur vos relinquitis deos, quos colunt piiſſimi Imperatores,& adhæretis Chriſto,quem Iudæi occiderunt? Reſpondit beatus Laurentinus : Nos præter Chriſtum viuentis Dei filium , alium Deum prorſus ignoramus. Ille enim fecit cælum & terram, mare,& omnia quæ in eis ſunt. Quos verò tu deos dicis,eos nos ſcimus omni turpitudine inquinatos,tum etiā ſurdos & mutos,nulla vel videndi vel audiēdi facultate præditos: quos niſi perdere velitis,ſeruare vos oporteat,& ne fortè cadant,ferro & plumbo cōfirmari neceſſe ſit: deniq; qui nec ſibi,nec alijs vllam poſſint ferre opem. Tiburtius ait: Propter generis veſtri nobilitatem in præſens parco vobis. Abite igitur,& ab hac vana religione vos reuocate. Nam ſi denuò ad me delati eritis,multiuarijs vos ſupplicijs excruciatos interficiam.

Conſtanter reſpondent Iudici. — *Dimittuntur à Iudice.*

Abierunt igitur ex eius conſpectu , magis etiam in fide Chriſti inflammari,quotidieque rogabant Dominum,die noctuque in genua incumbentes: creſcebatq; indies fides illorum in operibus multis, & exhortationibus ſuis non paucos ad Chriſtum adducebant. Quod vt ſenſere infideles,permoti rebus mirabilibus, quas per illos efficiebat Chriſtus, multorumque ad fidem conuerſionem moleſtè ferentes, illos comprehenſos ad Tiburtium adduxerunt, ita dicentes: Nihil apud hos valuit iuſſio tua. Nam non ſolùm te non audiunt,ſed etiam magicis artibus totum euerterunt populum. Tum ait ad illos Tiburtius: Quid ita vos comparatis, vt nec piiſſimum Cæſarem, nec me propitium habere velitis? S. Pergentinus reſpondit: Nos propitium habemus Chriſtum. Vos autem propitios illi optent, qui Chriſtum propitium habere non merentur: & terrores veſtros illi formident,qui regem æternum non metuunt. Tum verò Tiburtius è ſede exiliens, ſcidit veſtimenta ſua,& ait: Ego vobis inducias dedi, vt reſipiſceretis quandoq;: & ecce etiam me præſente Chriſtum veſtrum prædicatis. Iuſſit porrò leuari eos,& fuſtibus diutiſſimè cædi. Inter verbera autem pſallebāt ſancti: Domine Deus in adiutorium noſtrum intende: Domine ad adiuuandū nos feſtina. Subitò ergo brachia cædentium areſacta ſunt,ſtupenteque Tiburtio, clamabant miniſtri præ dolore: Rogamus vos ſerui Dei, vt oretis Deum veſtrum pro nobis : & , ſi nos ſanauerit,credemus in eum. Sanctis orantibus,brachia eorum reſtituta ſunt , multique id videntes,ad Dominum conuerſi ſunt vnà cum miniſtris illis, ſimulq; omnes dixêre: Non eſt alius Deus præter illum,quem prædicant Laurentinus & Pergentinus ſerui eius. Dixit verò Pergentinus ad eos: Audite nos fratres, & baptizemini, ſicque eritis liberi ab omni nexu peccati.

Multos ad Chriſtum conuertunt. — *Rurſus accuſantur.* — *Cæduntur fuſtibus.* — *Multi credunt.*

Hæc

Hæc cernens Tiburtius, pertimuit, iuſſitque Pergentinum & Laurentinum in carcerem trudi, & neque panem, neque aquam illis porrigi. Illi verò Dominum inuocabant in carcere, & cùm triduo ieiuni permanſiſſent, angelus Domini ſub noctis medium attulit eis panem cæleſtem, dicens: Surgite, & comedite panem, vobis à Chriſto tranſmiſſum. Splendore autem angelico totus illuſtratus eſt carcer, & cuſtodes carceris præ terrore pene exanimati ſunt. Interim ſancti pane illo refecti, pſallebant: Miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Deinde illi qui crediderant, vna cum Pergentina ſorore eorum, munera attulére ad cuſtodes carceris, rogaturi vt ipſis copiam facerent ad ſanctos ingrediendi: & ecce carcerem apertum conſpiciunt, & cuſtodes velut mortuos. Ingreſſi igitur ad ſanctos, ad eorum pedes ſe abijciunt, rogantque cùm lachrymis, quandoquidem pateret carcer, vt inde exirent. Vita enim veſtra, aiebāt, nobis adhuc neceſſaria eſt, & debemus de Chriſti nomine diligentiùs edoceri. At illi reſponderunt: Abſit à nobis, fratres, vt hanc rem faciamus, & coronam, quam fide noſtra promeruimus, perdamus. Vos autem facite, quod dicturi ſumus: Eſt hic Cornelius presbyter, qui Tiburtij timore latitat: ſed vos eum inquirite, & ſi eū inueneritis, nunciate ei omnia, & quæ in nobis Chriſtus operatus eſt. Ille enim & nos & parentes noſtros & ſororem noſtram docuit de Chriſti nomine, noſq; baptizauit. Ille & vos baptizabit: vos autem vndis ſalutaribus expiati, in fide permaneatis. Accipiunt panē ab angelo ſancti martyres. Pſalm. 110.

His dictis, iterùm ſe ad pedes eorum abiecerunt, & cùm diutiſſimè lachrymati eſſēt, rogauerunt vt pro ipſis Chriſtum deprecarētur, vt poſſent ſalui fieri. Itaq; ſancti illis prædicabant, haſque ad Deum fudére preces: Domine Deus rex immortalis, qui nobis id contuliſti, vt crederemus in te: præſta, vt etiam iſti pertingant ad miſericordiam tuam. Et cùm eos conſignâſſent, à ſe dimiſerunt. Illi verò quærebant ſanctum Cornelium presbyterum, & cùm inueniſſent, quę Pergentino & Laurentino cōtigiſſent, ei indicârunt. At ille magno perfuſus gaudio, in fide priùs inſtituens eos, baptizauit circiter ſexaginta viros. Vbi hæc ad Tiburtij notitiam perlata ſunt, iuſſit repentè ad ſuum conſpectum ſiſti Pergentinum & Laurentinum, ijſq; dixit: Maleficijs veſtris totam hanc vrbem euertiſtis. S. Laurentinus illi reſpondit: Nō ſunt hæc maleficia, ſed beneficia Dei: neque nos malefici ſumus, ſed ſerui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tiburtius ait: Quid multis apud me verbis vtimini? Aut ſacrificabitis Deo Ioui, aut varijs vos pœnis affectos tollam è medio. S. Laurentinus reſpondit: Tu cum tuis adora Iouem: nos Chriſtum adoramus. Tiburtius ira incenſus, iuſſit adferri prunas, & ſanctos nudis pedibus illis inſiſtere. Fecerunt hoc ſancti, & mox prunæ extinctæ ſunt: quæ res populum magis accendebat ad credendum in Chriſtum. Poſt catecheſin baptizantur viri 60. Sancti martyres plātis ſuis extinguūt prunas.

Tum verò gentiles dixére ad Tiburtium: Cernis te nihil proficere. Si ergo eos diutiùs ſuperesse paſſus eris, & vrbem hanc & omnem eius populum perdes. Iuſſit ergò Tiburtius Iouis ſtatuam coram ſe adduci, dixitque ad ſanctos: Sacrificate deo Ioui. Reſpondit ei ſanctus Pergentinus: Iam nos videbis ſacrificantes. Acceſſeruntque ad idolum. Populus verò murmure excitato, putabat eos Ioui ſacrificium facere. At illi flexis genibus diutiſſimè adorârunt Dominum: & cùm ſuſtuliſſent capita, mox idolum inſtar ceræ liquefactum eſt. Rurſus autem illi in terram ſe proſternentes, gratias egerunt Chriſto. Extitit verò magnus clamor in populo, crediderùntque in Chriſtum viri ampliùs ducenti. Gentiles itaque in ſanctos facto impetu, eos atrociter mactatos ac cæſos diutiſſimè, ſemiuiuos reliquerunt. Porrò Tiburtius ſtatim in eos mortis tulit ſententiam: cumque extra ciuitatem eſſent educti, rogârunt milites vt parumper ſinerentur orare. Sub ipſis autem precibus in terram proſtratis, miles quidam caput amputauit, reuerſique milites ad dominum ſuum Tiburtium, rem, vt erat geſta, illi expoſuerunt. Chriſtiani autem cum Pergentina ſorore eorum noctù corpora martyrum ad mille ferè paſſus extra Aretium condiderunt. Paſſi ſunt beatiſſimi martyres Aretij 3. Nonas Iunij ſub Decio Imperatore, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Cæduntur capite.

VITA

VITA S. LIPHARDI PRESBYTERI ET ABBATIS, AB INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED VT *apparet, non dubia fide edita: porrò per Fr. Laur. Surium redacta in compendium, ſed ſine hiſtoriæ detrimento.*

Iunij 3. Patria S. Liphardi. Eius in iure dicendo æquitas.

BEATVS Liphardus apud Aurelianos inclyta ortus proſapia, in ipſa iuuentute ad iudicis eſt dignitatem euectus pro ſua prudentia & legum cognitione. In quo ſanè munere adminiſtrando ita eſt rationem & æquitatem ſemper ſecutus, vt à iuſtitiæ rectitudine non deflexerit. Multa eum omnes veneratione proſequebantur, quòd dignus Deo ſine querela inter homines verſaretur: moribus integer, ſermone ſuauis, vultu inſignis, ab omni fellis acerbitate alienus, denique inter homines cùm degeret, perfectorum Clericorum vitam in ſe exprimens. Anno autē ætatis ſuę quadrageſimo, diuino permotus inſtinctu, loci eius epiſcopum adijt, & vt in Clerum admitteretur, orauit. Cernens antiſtes magnum eius erga religionis cultum feruorem, primò eum adſcripſit in Cleri album, ac deinde honorem cumulans, Leuitæ ei miniſterium mandauit. Quo honore auctus vir Deo plenus, terrenarum rerum abiecta ſarcina, verum monachum profiteri cœpit.

Fit Diaconus. Mox monachus.

Eſt mons apud Aurelianos, quem incolæ regionis illius Magdunum vocant, in quo antiquitùs erat extructum caſtrum, quod Vuandalica barbaries ad ſolum vſq; diruit. Ita nullo illic manente habitatore, nemoribus excreſcentibus, locus ille quondam celebris, in ſolitudinem verſus eſt. In eius verò abſtruſos receſſus Liphardus penetrans, vno ſolo contentus comite, eoq; ſuo diſcipulo, apud fluuium Maluam cellulam ſibi ex virgis conſtruxit, cœpitq; illic habitare ſolitarius, vt ab hominum turbis & mundi honoribus ſeparatus, liberiùs ad diuinæ ſeſe legis præſcriptum accommodare poſſet. Quanta verò illic conuerſationis eius ſanctitas extiterit, nemo verbis aſſequi poteſt. Corpore degebat in terra, animo inter ſupernos cæli ciues verſari videbatur. Operib⁹ Deo dignis vacans, ſtabat ſuccinctus & paratus ad confligendum aduersùs aëreas poteſtates. Tanta verò eius erat abſtinentia, vt panis hordeacei, quem ſuis ipſe manibus conficiebat, nō niſi vnciam vnam in cibum ſumere diceretur: & cùm præter aquam, nullum omninò alium potum admitteret, ea ipſa tertio duntaxat die parciſſimè vtebatur. Veſtes eius, ſaccus & cilicium: nam elegantiam & mollitiem omnem in veſtitu planè aſpernabatur: aſperitatem contrà & vilitatem amplectebatur. Sicut autem anteà hominum ſecularium, inter quos vixerat, mores & vitam ſanctis ſtudijs longè ſuperârat: ita iam monaſticen complexus, in ſanctiſſimorum monachorum veſtigijs, vitæ perfectione conſectanda, conſtantiſſimè inſiſtebat.

Viuit ſolitarius ſanctiſſimè. Mira eius abſtinentia. Veſtes eius.

Nec defuerunt ei miracula, quæ ſanctitatis eius non dubia eſſent documenta. In eremo illa, vbi morabatur, immanis erat ſerpens: nec longè fons aberat, gratiſſimas fundens aquas, ſed ad quas hauriendas præ huius beſtiæ metu nemo auſus eſſet accedere, præter Chriſti athletam Liphardum & eius diſcipulum Vrbicium. Is ſerpēs, malo eum perurgente dæmone, ſumma feritate ad viri Dei habitaculum properabat, cū planè perditurus. Non latebat id hominem Dei. Accitum ergo Vrbicium mittit ad eum locum, vbi iam nouerat eſſe ſerpentem, nec tamen indicat, cur ipſum eò mittat, vt eius fidem probaret. Vrbicius citò eò abiens, horridiſſimum ſerpentem ſibi cernit venire obuiàm, nimioque terrore correptus, in pedes ſe conijcit, refertque ad virum Dei, quid in via viderit. Tum Liphardus placidè ſubridens: Cur timuiſti, inquit, modicæ fidei? deditque illi virgam, iubens vt imperterritus illam ſub ſerpentis adſpectu humi defigeret. Abijt ille, Crucíſque ſigno munitus, fecit quod iuſſus erat. Porrò Liphardus ad preces ſe conferens, rogabat Dominum, vt teterrimum draconem perimeret. Exaudiuit orantem Dominus. Simul enim vt adſpexit draco virgam, furibundus accurrit, oſque ſuum ad caput virgæ attollens, eamque mordens, connitebatur confractam in ſolum deijcere. Sed precibus viri Dei id effectum eſt, vt nullo pacto incuruare eam poſſet: cumque immanis bellua ita penderet, propter vaſti corporis graue pondus, ilicò crepuit. Id vbi cognouit vir Dei, cum diſcipulo ſuo abijt viſum belluam, & pro tanto miraculo gratias Chriſto egit. Habitauerant autem in illo ſerpente multi dæmo-

Immanem draconem ſuis precib⁹ interfecit.

dæmones, qui illo extincto, terribiles dabant per aëra clamores, ita vt vicini ruris habitatores exterriti, inter ſe perquirerent, quidnam hoc eſſet. Timebant autem draconē è ſuo antro progreſſum, omnia vaſtaturum venire. Cùm autem arrigerent aures, nôſſe cupientes, quæ voces ederentur, audiunt Liphardi nomen appellari: moxque ad ſolitudinem aduolant, taciti Liphardum requirunt. Verebantur enim, ne à dracone, ſi is ſupereſſet, ferirentur. Vt autem inuenerunt ſanctum virum ſolitis precibus intētum, & draconem extinctum, omnes fleuêre præ gaudio, & in Dei laudes prorumpentes, dicebant cælitùs ſibi impenſam ſalutem excidio draconis, diemque illum duxêre celeberrimum.

Intereà Marcus Aurelianenſis antiſtes, in vico Clariaco, qui ab Magdunenſi oppido tribus diſtat milliaribus, ob certas cauſas tum reſidens, cùm viri Dei virtutes didiciſſet: Non potuit, inquit, Leuita Dei, ſanctis pollens operibus, diutiùs occultari. Declarant eius res geſtæ, quanti ſit meriti apud Deum, moxq; exurgens, ad domicilium viri Dei properè acceſſit: & poſt ſalutaria colloquia, eodem die ſacerdotio eum initiauit, atque templum exiguum illic extruxit, quod hodieq; extat. Creuit hinc fama ſancti viri, & in regionem illam omnem propagata eſt, ita vt mirè eum venerarentur, ei iis meritis à dracone ſe dicerent liberatos, eius precibus ſe apud Dominū muniri confiderent. Permulti quoque mundo valefacientes, ei adhæsêre, vt eius diſciplinis inſtituerentur. Accidit autem, vt hyeme quadam, ſæuiente frigore, quidam in ſupradicti montis latere ſua abſcondens indumenta, à viro Dei nudus veſtem peteret. Sed iam diuinitùs reuelata erat illi hominis nequitia. Miſit itaq; vnum è ſuis, qui veſtimenta illius adferret: locum ei indicans, vbi eſſent abſcondita. Ea allata dedit ei, qui veſtem ſibi dari petebat, ita dicens: Cur voluiſti miſer per mendacium tentare Chriſti ſeruum? An non præſens aderam, quando hoc facinus deſignâſti? Ille verò ſe deprę̀henſum ſentiens, pudefactus abſceſſit: & qui viro Dei illudere voluit, ſe ſenſit illuſum. Initiatur ſacerdotio. Multi ſe ei adiungunt. Nota.

Quædam puella nobilis, manus aridas & debilia habens genua, ad eum venit, cadensq; ad pedes eius, ſalutem ſibi reſtitui petijt. Ille humi ſe proſternens, Dominum rogat: inde ſurgens, manus & genua puellæ benedicto oleo perungit. Illa Chriſti benignitate mox reualeſcit. Nec mirum, potuiſſe hoc tam facilè à Chriſto obtinere virum Dei, cuius pectus ceu gratiſſimum eius templum, donis gratiæ eius exuberabat. Oleo benedicto ſanat puellam.

Non eſt autem prætermittendum, quòd cùm Theodemirus Abbas Miciacenſis monaſterij è corpore eſſet abiturus, beatus Liphardus in ſomnis eſt admonitus, vt ad officia funeris illi patri præſtanda properaret. Euigilans ergo, vno ſecum è ſuis aſſumpto, ad monaſterium illud profectus eſt: cumque ad eius fores perueniſſet, videt cæleſtium agminum choros ſanctæ illi animæ pſallentes occurrere, eamq; cum ineffabili gaudio ad cælum deducere. Cantabatur autem hic pſalmi verſus: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis. Mox vir Dei in cellulam ingreditur, vbi corpus ſancti Abbatis exanime iacebat, fratribus debita officia decantantibus, eiusq; funus curat. Peracto ſepulturæ miniſterio, beatum Maximum, defuncti Abbatis nepotem, in eius locum ſubſtituit, fuſaq; oratione ad Dominum, ad cellam ſuam reuerſus eſt: & cū tandem ſui quoque obitûs diem imminere cognouiſſet, conuocatis diſcipulis eum antè prædixit: ſimulque eos optimis ſermonibus confirmans, hortabatur vt abſtinerent à carnalibus deſiderijs & mundi oblectamentis: vt ſeruarent præcepta euangelica: contenderent intrare per anguſtam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam: reſiſterent diabolo, & mille eius nocendi artibus, haud ſecùs atque cruentis belluis: non deficerent in tentationibus, ſed memores eſſent ſcripturæ, dicentis: Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronā vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. His alijsq; id genus ſermonibus cùm diù apud illos vſus eſſet, Vrbicium accerſit, eumque coram omnibus ſibi deſignat ſucceſſorem. Nocte proxima inter preces & lachrymas ſancta illa anima feliciter è rebus exceſſit humanis. Id verò poſtquàm epiſcopo innotuit, celerrimè ad eius funus accurrit. Iam in medio ſacrum corpus poſitum diſcipuli triſtes luctuoſis officijs proſequebantur, illudq; epiſcopus vnà cum illis magno ſtudio tradidit ſepulturæ. Deinde Vrbicius, ab eodem antiſtite in ſua functione confirmatus, poſt obitum ſancti viri, eius monaſterij ſtructuram fecit ſublimiorem: vbi hactenùs pro meritis beati Liphardi multa diuinitùs ſigna eduntur: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Anima Theodemiri it in cælos. Pſal. 64. Matth. 7. Iacob. 1. Obdormit in Domino S. Liphardus.

MARTYRIVM S. QVIRINI EPISCOPI SCISCIANI, EX QVODAM EGREGIO MS. CODICE DEſcriptum.

Authoris nomen non extat ibi, ſed eſt hiſtoria grauiter conſcripta, atque antiqua ſanè, vt equidem ſentio. Sunt qui eum Laureacenſem Epiſcopum vocent.

Iunij 4.

CVM mundi iſtius principes ad cruciandas animas diabolus cõmouiſſet, & vbiq; Domini eccleſias diuerſis perſecutionum tempeſtatibus ventilaret: ſuſcitatis regum amicis, per quos ampliùs aduersùs Dei populum prælia commouerat, agebat quotidiè ſuæ incrementa ſæuitiæ. Pari merito itaq; Maximiani Imperatoris legibus Christianus infeſtabatur exercitus. Per Illyricum verò Diocletianus ſacrilegis præceptis in Chriſti populum ſæuiebat, addito tyrannidi ſuæ Maximiano in regno participe, qui & ſuam rabiem & Diocletiani per omnem * Illyrim oſtenderet. Ferè tamen ad omnes prouinciarum iudices nefandorum principum ſacrilegi apices mittebantur, vt in templis dæmonum immolare cogerent Chriſtianos: (Chriſti eccleſiæ claudebantur) Chriſti ſacerdotes & miniſtros vt parerent legibus publicis, & cõfiterentur deos eſſe: quibus ſi thura nolint accendere, ſupplicijs diuerſis & mortibus ſubiacerent.

Dira perſecutio Chriſtianorum.

* Illyricum

Inter multos autem, qui in Chriſti exercitu triumphabant, beatus Quirinus Epiſcopus Sciſcianus à Maximo Præſide iuſſus eſt comprehendi. Quem cùm ſtudioſè quærerent, & beatus id ſenſiſſet Epiſcopus, egreſſus eſt à ciuitate: & fugiens comprehenſus eſt & deductus. Cumque à Maximo Præſide interrogaretur quò fugeret, Quirinus Epiſcopus reſpondit: Non fugiebam, ſed iuſſum Domini mei faciebam. Scriptum nobis eſt: Si vos perſequentur in vna ciuitate, fugite in aliam. Maximus Præſes dixit: Quis hoc præcepit? Quirinus Epiſcopus reſpondit: Chriſtus, qui verus eſt Deus. Maximus dixit: Et neſcis, quia vbiq; te Imperatorum præcepta poterant inuenire, & hic quem dicis Deum verum, comprehenſo tibi ſubuenire non poterat: ſicut & modò fugiens comprehenſus es & deductus? Quirinus Epiſcopus reſpondit: Semper nobiſcum eſt, & vbicunq; fuerimus, Dominus quem colimus ſubuenire poteſt. Et modò cùm apprehenſus eſſem, mecum erat: & hîc mecum eſt, confortans me, & ipſe de meo ore tibi reſpondet. Maximus dixit: Multa loqueris, & loquẽdo magnorum regum inſtituta diffamaueris. Lege ergo diuinos apices, & fac quod iuſſum eſt. Quirinus Epiſcopus reſpondit: Ego Imperatorum tuorum iuſſionem non audio: quia ſacrilega eſt, & contra Dei præcepta iubet ſeruos Chriſti immolare †. Quibus ego non ſeruio, quia nihil ſunt. Deus autem meus, cui ſeruio, ipſe eſt in cælo & in terra & in mari. Ipſe eſt in omni loco: omnibus autẽ ſuperior, quia intra ſe cõtinet omnia: quoniam per ipſum cuncta facta ſunt, & in ipſo conſtant vniuerſa.

S. Quirinus dum fugit comprehenditur.

Matth. 10.

Præclara ſententia.

† deeſt, idolis, vel, dæmonibus.

Maximus dixit: Per nimium tempus viuendo quaſdam fabulas didiciſti. Supponũtur tibi thura, & diſce Deos eſſe quos neſcis. Non paruum conſecuturus es munus intelligentiæ, ſi præceptis obediens eſſe volueris. Quòd ſi ipſe tibi non ſuaſeris, vt deuotus appareas, cognoſce te ſubijciendum diuerſis iniurijs, etiã morte terribili vitam tuã finiendam. Quirinus Epiſcopus reſpondit: Iniurias quas mihi minaris, gloria eſt: & promiſſa mors, ſi merear, vitam dabit æternam. Propterea Deo meo deuotus eſſe cupio, non regibus tuis. Neq; enim deos credo eſſe, qui non ſunt, & aris dæmonum thura non pono, quia ſcio aram eſſe Dei mei, in qua apta ei ſacrificia boni odoris incendi. Maximus dixit: Video, quia te inſania cogit ad mortem. ſacrificia dijs. Quirinus Epiſcopus reſpondit: Non ſacrifico dæmonijs, quia ſcriptum eſt: Omnes dij gentium dæmonia. &: Qui ſacrificant dijs, eradicabuntur. Tunc Maximus Præſes iuſſit eum fuſtibus cædi, cui & dixit: Reſpice & agnoſce potentes eſſe deos, quibus Romanorum ſeruit imperium. Propter quod conſentiens, eris ſacerdos magno deo Ioui. Alioquin ad Amantium Præſidem primæ Pannoniæ dirigeris, a quo dignam mortis ſententiã excipias. Ergo ab ſtultitia tua reuerſus, acquieſce. Quirinus Epiſcopus reſpõdit: Verè modò ſacerdotio fungor: verè modò ſacerdos effectus ſum, ſi meipſum Deo vero ſacrificium obtulero. Et hoc, quòd corpus meum cæſum eſt, delector, nullum ſentiens dolorem. Ideoq; offero me maioribus ſupplicijs, vt me quibus præpoſitus fui in hac vita, ſequan-

Pſal. 95.

S. Quirinus fuſtibus cæditur.

Nullũ ſentit dolorem

ſequantur ad illam æternam vitam: ad quam per huiuſmodi iter facilè peruenitur.

Maximus Præſes dixit: Claudatur in carcere, & grauetur catenis, donec ſuperatus efficiatur. Quirinus Epiſcopus reſpondit: Non expaueſco carcerem, credens Deum meum mecum eſſe in carcere, qui ſemper eſt cum ſuis cultoribus. Cumq; ligatus fuiſſet, recluditur in carcerem Quirinus Epiſcopus, & mittens ſe in orationem, dixit: Gratias tibi Domine, quia propter te hæ mihi illatæ ſunt contumeliæ: & rogo, vt qui in hoc carcere detinentur, ſentiant me cultorem veri Dei eſſe, & credant, quia non eſt alius Deus, niſi tu. Media autem nocte, apparuit ſplendor magnus in carcere: quem cùm vidiſſet Marcellus cuſtos perſonarum, aperuit carcerem, & proſtrauit ſe ad pedes beati Quirini Epiſcopi, dicens cum lachrymis: Ora pro me Dominum, quia credo nõ eſſe alium Deum, niſi quem tu colis. Multùm autem hortatus eſt eum beatus Epiſcopus, & conſignauit eum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Poſt triduum autem Maximus Quirinum Epiſcopum iuſſit ad Amantium Præſidem ad primam Pannoniam deduci, vt pro contumacia, quam in leges Imperatorum exhibuerat, vltimam ſententiam ſuſtineret.

Ducitur in carcerem.

Cumq; deductus fuiſſet beatus Quirinus ad primam Pannoniam, & per ſingulas ciuitates vinctus catenis ad Præſidis Amantij iudicium traheretur: (ſiquidem ad ripam Danubij ad ſingulas ciuitates †) Amantio eodem die reuertente de ciuitate Scarabentẽ, offertur ei beatus Quirinus Epiſcopus: quem Præſes ad vrbem Sabarienſem ad audiendum cenſuit repedari. Tunc ingredientes ad S. Quirinum Epiſcopum Chriſtianæ mulieres, cibum potumq; obtulerunt ei. Quarum fidem intuens beatus Epiſcopus, dũ ea quæ offerunt benedicit, catenæ quibus ligatę manus eius & pedes fuerant, ceciderũt. Accepta igitur eſca, regreſſis mulieribus, hi qui eum cuſtodiebãt, Sabariam duxerunt. Quem Præſes Amantius per officium ſuum offerri ſibi iuſſit in theatro. Qui cùm oblatus fuiſſet, Amantius Præſes dixit: Requiro te, ſi ea quæ in tua ſuperbia apud iudicẽ Maximum geſta monſtrantur, vera ſunt. Quirinus Epiſcopus reſpõdit: Apud Sciſciã verum Deum confeſſus ſum. Ipſum ſemper colui, ipſum corde teneo: nec me ab eodem, qui vnus Deus & verus eſt, homo poterit ſeparare. Amantius Præſes dixit: Ætatem tuam dolemus maculare verberibus: tamen ſenſum tuũ optamus emendare ſermonibus, & præmio promiſſę vitę corrigere, vt reliquum ſenectutis tuę tempus iuxta legum Imperialium ſanctionem dijs ſeruiens perfruaris. Beatus Quirinus Epiſcopus dixit: Quid de ætate dubitas, quam † inuiolatã reddere poteſt, omnibus ſupplicijs fortiorem? Nec tormentis frangitur mea confeſſio, nec vitæ præſentis delectatione corrigitur, nec timore mortis quamuis acerbæ mentis meæ ſoliditas perturbatur.

† Videtur deeſſe, duce batur, aut quippiam tale.

Sabaria, Auſtriæ, id eſt, Pannoniæ primę vrbs eſt.

† deeſt (opinor) Chriſtus, aut ſimile.

Amantius Præſes dicit: Cur inſtans es ad mortem, vt dijs Romani Imperij appareas indeuotus, & contra humanum morem vitam tibi eligas denegandam, dum hi qui euadere mortem cupiunt, negando quæ geſſerunt, tormenta deludunt? Tu autem dicis vitæ tuæ dulcedinem otioſam, & feſtinus curris ad mortem, Imperatoribus contradicis. Propter quod adhuc te hortamur, vt viuas, & vitam tuam redimas, & cultorem te legibus Romanis exhibeas. Quirinus Epiſcopus dixit: Allocutio iſta fortè flectat animos ſeniles, qui longioris vitæ ſpatia ſuſpirant. Ego autem didici à Deo meo, vt debeã ad illam vitam peruenire, quæ poſt mortem, mortis iam interciſione non clauditur: & ideò ad temporalem huius vitæ terminum fidelis accedo. Non enim ſimilis ſum noxiorum, ſicut poteſtas tua loquitur. Illi enim dum viuere cupiunt, negando Deum veremoriuntur. Ego autem ad æternitatem vitæ confitendo peruenio: nec veſtris legibus acquieſco, quia Chriſti Dei mei legitima, quæ fidelibus prædicaui, cuſtodio. Amantius Præſes dixit: Diù te ad obedientiam regalium præceptorum inclinare voluimus, ſed quia rigore mentis domari non potuiſti, eris in exemplum omnium Chriſtianorum, vt formam tuæ mortis qui viuere cupiunt expaueſcant. Tunc inter cæteras, quas pertulit, paſſiones iuſſit ſancto Dei ſacerdoti vel famulo molam ad collum ligari, & vnda demergi. Cumq; de ponte præcipitatus fuiſſet in fluuium, & diutiſſimè ſupernataret, & cum ſpectantibus locutus eſt, ne ſuo terrerentur exemplo, vix orans vt mergeretur obtinuit. Cuius corpus non longè ab eodem loco, vbi demerſum fuerat, inuentum eſt: vbi etiam locus orationis habetur. Sed ipſum ſanctum corpus in baſilica ad Scarabentenſem portam eſt depoſitum, vbi maior eſt pro meritis eius frequentia procedendi. Paſſus eſt beatus Quirinus Epiſcopus Sciſcianus, martyr Chriſti, ſub die pridiè Nonarum Iuniarum, & coronatus eſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui honor & gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

Verè moritur, qui Deum negat.

Ligato ad collũ ſaxo molari, in flumen deijcitur vir ſanctus.

Facta autem incurſione Barbarorum in partes Pannoniæ, populus Chriſtianus de

Corpus eius Romam transfertur. Scarabatẽſi vrbe Romam fugiens, ſanctum corpus Quirini Epiſcopi & martyris afferentes ſecum deduxerunt. Quem via Appia milliario tertio ſepelierunt in baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli, vbi aliquando iacuerunt, & vbi S. Sebaſtianus martyr Chriſti requieſcit, in loco qui dicitur Catacumbas: ædificantes nomini eius dignam eccleſiam, vbi præſtantur beneficia eius, vſque in hodiernum diem.

Peri Stephanôn Hymno 7.

DE EODEM S. QVIRINO EPISCOPO SCISCIANO ET MARTYRE, HYMNVS AVRELII *Prudentij.*

Iunij 4.

INſignem meritis virum
Quirinum, placitum Deo,
Vrbis mœnia Sciſciæ
Conceſſum ſibi martyrem
Complexu patrio fouent.

Hic ſub Galerio Duce,
Qui tunc Illyricos ſinus
Vrgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illuſtrâſſe per exitum.

Non illum gladij rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant:
Sed lymphis fluuialibus
Gurges dum rapit, abluit.

Nil refert, vitreo æquore,
An de flumine ſanguinis
Tingat paſſio martyrem:
Aequè gloria prouenit
Fluctu quolibet vuida.

A ponte traditur in flumen vir ſanctus, nec poteſt mergi.

Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Epiſcopus
In præceps fluuio datur,
Suſpenſum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.

Deiectum, placidiſſimo
Amnis vertice ſuſcipit,
Nec mergi patitur ſibi,
Miris vaſta natatibus
Saxi pondera ſuſtinens.

Spectant eminùs è ſolo
Doctorem pauidi greges:
Nam Chriſti populus frequens
Riparum ſinuamina
Stipato agmine ſepſerat.

Sed Quirinus vt eminens
Os circuntulit, heu, *ſuos
*Extemplò trepidos videt,
Nil ipſe proprij memor
Inter ſtagna periculi:

* ſuo
*Exemplo

Natans in vndis confirmat fideles.

Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu conſtans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.

Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vndis:
Nec ſubſtrata profunditas
Saxoque, & laqueo, & viro,
Audet ſpontè dehiſcere.

Senſit martyr Epiſcopus
Iam partam ſibi præripi
Palmam mortis & exitûs,
Aſſcenſúmque negarier
Aeterni ad ſolium patris.

Ieſu cunctipotens, ait,
Haudquaquàm tibi gloria
Hæc eſt inſolita, aut noua,
Calcare & fremitum maris,
Prona & flumina ſiſtere.

Scimus diſcipulum Petrum,
Cùm veſtigia tingeret
Mortali trepidus pede, Matth. 14.
Dextræ ſubſidio tuæ
Subieciſſe ſalum ſolo.

Iordanem quoque nouimus
Tortis vorticibus vagum, Ioſue. 3.
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retrò
Confugiſſe meatibus.

Hæc miracula ſunt tuæ
Virtutis Domine, vt modò
Suſpendar, leue prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cùm collo ſcopulum traham.

Iam plenus titulus tui eſt
Et vis prodita nominis,
Qua gentilis hebet ſtupor.
Abſoluas, precor, optime
Huius nunc animæ moras.

Quid poſſis, probat amnicus,
Qui vectat ſilicem, liquor.
Hoc iam quod ſupereſt, cedo,
Quo nil eſt precioſius,
Pro te Chriſte Deus mori.

Orantem ſimul halitus
Et vox deſerit, & calor:
Scandit ſpiritus ardua:
Fit pondus graue ſaxeum,
Corpus ſuſcipiunt aquæ.

MAR.

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS BONIFACII, EX SIMEONE METAPHRASTE.

Iunij 5. ſed Romanum martyrologium habet eũ 14. Maij.

ET aliorum quidem Chriſti martyrum certamina magnũ lucrum viris bonis afferunt: nam & cõmunis naturæ maxima & quæ naturam ſuperant, facta oſtendunt: & vincẽtem quidem Chriſtũ, apertè autem victũ & probro ac dedecore affectum inimicum. Prętereà impios quidẽ maniſeſtiſſimè arguũt: pios verò magis cõfirmant & corroborant, & ad ſpiritalẽ decertationẽ acriores reddũt & vehementiores. Et hæc quidẽ in illis, in quibus reliqua quoque vita cõgruit cum martyrio, & à pueris eis coaluit virtutis exercitatio. Si quis aũt ab initio quidẽ ignauã & diſſolutã vitam egerit: poſteà verò bonis adeò reſplenduerit, vt repentè martyrij coronam arripuerit, quidnã poteſt eſſe hac gratia præſtantius apud pios? Nã natura quoq; id, quod præter ſpem, boni euenit, eſt delectabilius eo, quod eſt cõſuetum. Eò tendit ouis quoq; perditæ à Domino inuentio. Talẽ ergo nouimus quoq; fuiſſe hunc inclytum Chriſti martyrem Bonifacium. cuius non æquum eſt deſpicere certationem: ſed eam literarum mandare monimentis. Sic autem habet: Luc. 15.

Cap. 1. Aglaïs mulier nobilis & opulẽta.

Erat Romæ mulier quædam nomine Aglaïs hoc autem nomen conſequebantur etiam alià congruentia, genus & ſpecies & diuitiæ, quæ ei magnum ſplendorem & decus afferebant. Nam genus quidem erat patritiorum, & eorum, qui proconſularẽ honorem ſunt aſſecuti: ſpecies verò cum iuuentute, quæ efficere poſſint, vt mulier ſit amori vehementiùs dedita: luculentæ autem diuitiæ, & quæ vel ad eis abutendum ſatis eſſent. His omnibus accedens libera viuendi poteſtas, ignem validè accẽdebat, & ad turpes amores incitabat. Cùm eſſet ergo adeò diues Aglaïs, & terræ bonis floreret, & proptereà incontinenter vteretur amoribus, ea cum quodam ex ſuorum bonorũ procuratoribus (is erat pulcher Bonifacius, non ingenij ſolùm ſolertia & in eam beneuolẽtia, ſed etiam ſpecie alios longè ſuperans) non honeſtis vtebatur congreſſionibus. non erubeſco enim hæc dicere, cùm paulò pòſt poſſim oſtendere verè diuinam & admirabilem mutationem. Alioqui autem à vino quidem & amoribus vincebatur ab initio: ſed & pecuniæ erat contemptor magnificentiſſimus, & ad eas egentibus diſtribuendas longè liberaliſſimus, & hoſpitalitati deditus, ſi vllus alius. Si quando ergo vidiſſet aliquos ex viatoribus, aut æſtu & ſiti eliquatos, aut niue & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipſe feſtinãs hilariter eis ibat obuiàm, & rogabat vt à labore requieſcerent: & cùm ceſſiſſent, in domum ſuam introductos hoſpitio benignè accipiebat, & verbis & factis eorum omnem propulſabat moleſtiam. Hęc etiam ante martyrium ornabant Bonifacium. Neq; eſt ille ſolummodò examinandus & ſpectandus ex aliis: ſed ſunt etiam coniungenda ea, quæ ſunt meliora. Bonifacius enim aliquid quidẽ voluptati, plurimam verò partem tribuens virtuti, & pulcherrima genera virtutis accuratè exercens, ne eſſet perfectus ex hoc ſolo prohibebatur, quòd nõ eſſet temperãs.

Mala & bona Bonifacij.

Eximia eius hoſpitalitas

Cap. 2.

Cæterùm non multo interiecto tempore, hæc quoq; labes, tanquam in toto mundo & pulchro corpore, eluitur, & quod ex vitio ſuſcipiebatur dedecus, tegitur longè maiori gloria. Non ſuſtinuit enim Dominus deſpicere animam, adeò omni ex parte pulchram, perpetuò inquinari vnius vitij turpitudine: ſed placuit omninò diuinarũ rationum diſpenſationi martyrico etiam ſanguine purpureum & regium ei colorem indere. Quonam modo autem hoc ſit effectum, & quodnam ſit iactum fundamentũ martyrij, parata eſt docere oratio. Adhuc quidem vigebat perſecutio in Chriſtianos, & profunda illa caligo ſimulacrorum totum ſimul occupabat Oriẽtem. Subit autem illius dominam ſalutaris cogitatio, & cor eius penetrat vehemens quoddam & inuictum deſiderium reliquiarum martyrum. Quoniam verò exiſtimabat Bonifacio nullum eſſe fideliorem, aut ad in his ſeruiendum diligẽtiorẽ, ei ſicut carnalem & turpem, ita etiam laudabilem & beatum amorem communicat, & eum ſeorſum accipiẽs: Scis, inquit, frater, qualibus ſimus coinquinati peccatis, nec nobis curæ eſſe aliquid, quòd expectamus futurum, vt ſiſtamur ante Deum, & pro his grauia ſubeamus ſupplicia. Cęterùm audiui à quodam viro pio, quòd ſi quis eos, qui propter Chriſtum paſſi & affecti ſunt martyrio, in honore habuerit & coluerit, magna quædam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio, & eadem, qua illi, fruetur beatitudine. Multi autem nunc quoque, vt aiunt, pro Chriſto pulchra adeunt certamina. Tu verò (etenim iam

Vehemens deſiderium reliquiarũ ſacrarum in Aglaide.

Nota quid antiquitas ſenſerit de reliquijs.

venit tempus, vt meus oſtendat Bonifacius, qua ſit in nos affectione) ad hæc mihi inſerui, & omni ſtudio eò vadens, propera ad me afferre aliquid è ſacris his reliquijs: vt cùm eas honorificè depoſuerimus, & ſacras ædes eis ædificauerimus, eos ſemper habeamus cuſtodes & ſeruatores.

Cap. 3.

Hæc cùm ei dixiſſet, & ſe lubenter id miniſterium promptoq; & alacri animo obiturum oſtendiſſet, tradit ei multum auri. Neq; enim licebat gratis accipere vllas Martyrum reliquias, ſed Chriſtianorum magnus in eas amor, erat impijs cauſa lucri, & efficiebat, vt non niſi magni eas emptas præberent. Ea de cauſâ mittit multum auri, & vt etiam haberet, quod diſtribueret pauperibus. Mittit autem cum eo equos quoq; duodecim, & vnguentum, & ſindonas, & quæcunq; alia vſui erant ad honorãdos ſanctos. Sed eſt attendendum. huc enim venimus, vbi eſt narratio iucundiſſima. Cùm iam Bonifacius eſſet iter ingreſſurus, ſtatim quaſi graphicè victoriam ſuam & coronam præſignificans: Vidiſti, inquit, ô domina, quemadmodùm cõtingit, vt hoc quidem cœpto fruſtreris: ſecunda verò, vt aiunt, nauigatio, meum ad te corpus afferat: fueritne hoc tibi mediocre tui inſtituti ac ſcopi ſolatium, & apud te habendum in honore? Et hæc quidem ille fortaſſe magis ludens apud dominam, quàm agens ſeriò: Deus autem id, quod erat futurum, prædixit per illius linguã. Aglais verò: Non eſt, ô Bonifaci, inquit, tempus ludendi, neq; horum verborum: à quibus abſtinentem iubeo, vt piè & honeſtè te geras. Nam ijs es inſeruiturus, quæ nos nõ ſolùm tangere, ſed etiam adſpicere indignos, nimiæ eſt audaciæ & temeritatis. Cùm his ſatis increpâſſet, & pudore affeciſſet, & pro ludo intempeſtiuo ad iuſtum & rationi conſentaneum metum illius animam traduxiſſet & dixiſſet: Deus, qui ſerui formam propter nos accepit, & ſuũ effudit ſanguinem, ipſe ad mea non adſpiciat delicta, & mittat Angelum ſuũ ante te, & dirigat greſſus tuos: deinde fauſtum ei precata reditum, eum emittit.

Cap. 4. Obſerua religionẽ hãc & reuerentiam Bonifacij.

Bonifacio verò non mediocriter quidem profuerunt verba dominæ, & vt res diuinas & religioſas reuereretur, effecerunt. Hinc factum eſt, vt in itinere nec carnes tangeret, nec vino vteretur. Subibat autem eius quoque mentem cogitatio, veluti quidã bonus pædagogus: Qualia ſunt, quæ feci: & qualia ſum impuris manibus portaturus? Propter hũc verò metum, ſenſim negligebat priſtinam ſuam in corpus affectionem, & vt ſibi attenderet, ſibi perſuadebat. Nam metus quidem eſt pater attentionis, attentio autem eſt mater tranquillitatis & quietis: ea verò parit conſcientiam: quæ facit, vt anima tanquam in pura aliqua & non turbata aqua, ſua intueatur dedecora: & ſic naſcuntur principia & radices pœnitentiæ. Iam tunc autem pulchrè conceperat Bonifacius, & iam apertè oſtendebat, ſe inclinare ad vitam perfectam & accuratam, vt qui à craſſis quidem & ſuperuacaneis, vt diximus, abſtineret alimentis: aſſiduis verò precibus & ieiunijs vacaret in itinere. Poſtquàm autem aſcendiſſet in Aſiam, & ad celebratam in Cilicia perueniſſet Tarſum, quo in loco etiam decertabant martyres, alijs quidem permiſit, vt ipſi & equi quieſcerent, apud quẽdam illic hoſpitio excepti: Ipſe verò ne viæ quidem excuſſo puluere, profectus eſt ad videndum deſideratos martyres: & cùm veniſſet in ſtadium, videt populi quidem magnam collectam multitudinem ad ea videnda, quæ fiebant: ſanctos autem varijs affici tormentis, & vnum quidem omnibus crimen obijci, nempe pietatem ac veram religionem, non eoſdem verò ſubire cruciatus: ſed tam multos, vt nemo ferè eodem damnaretur ſupplicio, etſi ſpiritu eſſent coniuncti, & ore nihilominùs eadem loquerentur. Nam alius quidem pendebat capite, ſubter verò ignis erat ſubſtratus: alius autem erat extenſus quatuor lignis. Alius ferra ſecabatur. Alius diſcerpentium manibus cõminuebatur: & illius quidem oculi effodiebantur, huius autem manus amputabantur. & huic quidem per collum palus transfactus terræ erat affixus: illi verò manus penè circumagebantur, pedes autem contrà improbè refringebantur. & vtriſq; ſic vinctis ſimiliter oſſa contereban tur. Alium (ô magnam impiorum inſaniam) licebat videre mutilatum manibus & pedibus, & humi inſtar globi deuolutum. Sed etſi hæc paterentur viri generoſi & fortes, tanquam non ſubirent aliquid violentum & moleſtum, ſed perinde acſi eorum renouarentur corpora, & ſuſtinerent quandam in melius mutationem, ſicut erat re vera, lætabantur, eis diuina virtute ferente auxilium, & confirmante ad certamen. nõ poterat enim aliter fieri, vt humana hæc pateretur natura, idq; cũ gaudio, niſi ſuperna eos manus tangeret.

Aſſiduis precibus & ieiunijs vacat in itinere.

Horrendi martyrum cruciatus.

Cap. 5. Vide in Bonifacio mi-

Hæc videns Bonifacius, & non ſolùm videns, ſed etiam ſedulò & diligenter ſingula conſiderans: & partim quidem ſtupens Martyrum conſtantiam, partim autem pares coronas conſequi deſiderans, totus deo afflatus, deſcendit in theatrũ: & cùm ſe feciſſet manife-

manifeſtū omnibus, Martyres, qui erant oēs viginti, ſingulatim amplectitur: Deinde etiā omnib⁹ audiētibus magna voce, Magnus eſt, inquit, Deus Chriſtianorū: Magnus eſt, qui athletas ſua ope adiuuit. Hæc cū dixiſſet, rurſus lætus adhærebat martyribus, cū magno deſiderio præhenſabat & amplectebatur pedes. Quibus autem deerant pedes, eas, quæ reſtabant, partes corporis: beatos quidem eos pronuncians propter animi fortitudinem, & propter ea, quæ paſſi fuerant, & quòd breue ſit id, quod eſt reliquum, & mox futura ſit liberatio à laboribus & æterna lætitia: pro ſe autem rogans, vt eſſet eis ſocius certaminum, & particeps coronarum, quas ſunt habituri à Chriſto. *ram mutationem*

Cap. 6.

Cùm autem fieri non poſſet, vt hæc laterent, maximè cùm vocem altiùs ſuſtuliſſet, Præſes per multitudinem acriùs defigens oculos, & videns Bonifacium: Quis hic eſt, inquit, qui nos vſqueadeò negligit & magnos deos? Ille ipſe ergo dicat, accedens propiùs. Poſtquam autem ille adfuit, rogatus, Sum quidē, inquit, Chriſtianus: Domini verò mei fretus virtute, ex cōſeruis fideles quidem diligo, te autem & tuos tanquā ingratos deſpicio. Præſes verò: Hæc quidem mitte dicere in præſentia. Dic autem nomen tuum & ſtudium. Bonifacius autem: Primum quidem mihi nomen, & quo maximè vocari gaudio, Chriſtianus. Quòd ſi vis etiam ſcire nomē mihi impoſitum à parentibus, Bonifacius. Præſes verò ſancto adhuc loquente, eum interpellans: Age ergo, inquit, ô Bonifaci, priuſquàm tangam carnes tuas, & oſſa, páre & fac imperata, & accedens ſacrifica dijs propitijs. hoc enim tibi multa bona conciliabit: deorum amicitiā, à rebus grauibus & aſperis liberationem, diuitiarumque & maximorum bonorum ſuppeditationem. Ad hæc Martyr: Ne tibi quidem, inquit, iuſtum eſt reſpondere: hoc tamen, inquit, dicam, quod ſæpè dixi. Sum Chriſtianus. hoc ſolum audi à nobis. Si hæc autem non feras, fac quod tibi libuerit. *Mira eius conſtantia.*

Cap. 7.

Hæc cùm dixiſſet, Præſes iubet eum ſuſpendi præcipitem, & fortiter quidem cædi: tormentum autem extendi, donec oſſa fiant manifeſta. Et hæc quidem, ſicut ille iuſſit, quamprimùm facta ſunt à lictoribus: Dei autem Martyr tanquam non dolens, quòd carnes diſtraherentur, ſed potiùs, quòd ſepararetur à ſanctis, in illos quidem defigebat oculos, ſimul & ipſam deſiderans viſionem, & tanquam ad pulchrum exemplar, intuens ad illorum propter Chriſtum certamina. Poſtquam ergo vidit eum Præſes hoc tormento nihil remiſiſſe de ſuo ſcopo, iubet eum paululùm relaxari: & rurſus interiecto aliquo interuallo aggrediens Martyrem, & hoc modo volens eum tentare: Sint tibi, inquit, ô Bonifaci, hæ perpeſſiones, documenta eius quod eſt melius, & intolerabiles hos iam expertus dolores, tandem ô infelix tui miſertus, propter ea, quæ te manent ſupplicia, accede ſacrificaturus. Sanctus autem: Mihi iubens ſacrificare, ô ſtolide, exiſtimas te ea aggredi, quæ poſſint fieri: Ego ad deos accedam, cùm vel ſola eorū appellatio ſit auribus intolerabilis? Ira rurſus intoleranda inuaſit Præſidem, & acutæ mox arundines ei transfixæ ſunt per vngues. Scio vos vel ad ſolum auditum exhorruiſſe. eſt enim tormentum longè grauiſſimum. Sed Martyr fixis oculis cælum intuens, perinde ac ſi totum ſenſum illic cum mēte poſuiſſet, ne minimùm quidem curabat cruciatum: ſed ferebat ipſe faciliùs, quàm præſes imperabat. *Cæditur crudeliſſimè.* *Fert patientiſſimè.* *Dirè cruciatur.*

Cap. 8.

Poſtquàm ergo impio hoc tormentum fuit inane & irritum, alium rurſum excogitat acerbū cruciatum ex immanitate & ex improbitate: & iubet Martyris ore aperto plumbum valdè candēs ei infundi. Poſtquam ergo hoc cognouit athleta, manus ſimul & animum extollens ad Dominum: Domine mi, inquit, Ieſu Chriſte, qui me feciſti fortiorem ijs, qui iam præceſſēre, cruciatibus, nunc quoque adſis mihi, qui es ſola mea conſolatio, me leuans dolore: & aperte oſtende te mihi opem ferre ad parandam victoriam aduersùs ſatanam & hunc Præſidem. Pro te enim & tua gloria, vt ſcis, decerto. Hæc dixit, & ſanctos ſimul rogauit, vt ei opem ferrent ſuis precibus ad decertationem. Atque illi quidem ei precabantur victoriam & finem martyrij. extitit autē tunc quoque Chriſti virtutis opus planè admirabile. Nam cùm tormentum iam eſſet paratum, & Bonifacius tanquam quidam ſtrenuus athleta ſtaret, expectans aduerſarium: alij verò martyres, vtpotè nō ſolùm decertatores, ſed eorum etiam, quæ in hoc fiebant, acres ſpectatores, & magis quàm ille animo anxij, ei quidem, vt diximus, ſimul precarentur victoriam: tunc quæ erat cōgregata populi multitudo, & alioqui ex ijs, quæ præceſſerant, mota erat miſericordia Martyrum: partim autē ægrè ferebat niminiam Præſidis crudelitatem, & propter vtraque hæc ſanctorum in rebus aſperis & grauibus non ſolùm tolerantiam, ſed etiam lætitiam ſtupebat, & ſic deducebatur ad fidem in Chriſtum, vniuerſa repentè ſimul tollit confuſum clamorem, & mente, & voce conſentientem: Magnus eſt, Deus Chriſtianorū: magnus es Rex Chriſte. omnes in te *Plumbum feruens in os eius funditur.* *Plurimi tranſeūt ad Chriſtum.*

in te credimus. Hæc & omnes clamabant, & ſimul aram quidem, quæ illic eſt, euertebant: Præſidem autem lapidibus appetebant. Ille verò timore affectus & ſuæ vitæ metuens, vt qui veniret in periculum, ne mox periret, fuga ſuæ ſaluti conſulit, turpiter dimiſſo theatro.

Præſes fugit.

Cap. 9. Hæc alium quidem quanuis efferatum & immanem, ira tamen placabilem, perſuaſiſſent eadem ſentire, quæ alij, & effeciſſent vt ad Chriſtum accederet: At non illũ ſceleratum & execrandum. Sed tantum abfuit, vt ipſe ex timore & ex hac admirabili populi conſenſione, aliquam acceperit vtilitatem, vt ſtatuerit etiam rem agere maiori contentione, & ira eum incitante, certamen inſtaurare. Manè ergo præſidens in tribunali, cùm curâſſet in ſuum cõſpectũ produci Martyrem, & illius exprobrabat pietatẽ, & quòd Dominus noſter fuiſſet crucifixus, ridebat. Cùm hæc autem non ferens Martyr, pergeret grauioribꝰ probris viciſſim inſectari Iudicẽ, pro veris & iuſtis verbis rurſus luit ſupplicium: & ſtatim lebes pice repletus & valdè accẽſus ſuſcepit Martyrem. Sed cùm hoc quoq; fieret, nõ neglexit Deus ex alto facere conſueta miracula. Nam cùm angelus è cælo deſcendiſſet, illius quidem corpus, ſicut etiam corpora trium puerorum, conſeruauit illæſum: flamma autem repentè in orbem circunfuſa, cùm appræhendiſſet quoſdam ex iis, qui adſtabant, infidelibus eadem fecit quæ olim Babylone. Tunc impius timens quidem Chriſti virtutem, ſed ne ſic quidem quidquam de impietate remittens, ſed tanquam ipſe quoque mutari erubeſcens, aut ampliùs ſanctum videre viuum, arguentem deorum illius imbecillitatem, eum morte condemnat, ſic dicens: Bonifacio, qui non paruit quidem legibus Imperatorum, verbis autem noſtris nequaquam ceſſit, & diis propitiis noluit ſacrificare, ſed crucifixum potiùs colere tanquam Deum, iubeo caput enſe amputari. Et ita eum aſſumentes ſatellites, è iudiciali educunt tribunali. Victoria autem inſignis Chriſti Martyr, gaudebat quidẽ tanquam non ad mortem, ſed ad vitam potiùs, ſicut etiam reuera ita habebat, proficiſceretur, cùm petiiſſet ab iis, qui ipſum adducebant, vt ei parum temporis concederent, ſtans ad Orientem precatus eſt: Domine mi, dicens, Domine Deus, citò me præueniant miſerationes tuæ, & nunc adſis mihi adiutor, ne mihi malignus aliquid afferat impedimẽti propter ea, quæ in inſipientia mihi præceſſerunt peccata: ſed ſuſcipe animam meam in pace, & inter eos, qui pro te ſanguinem effuderunt, & fidem vſque ad finem conſeruârunt, me quoque annumera. Libera autem tuo quoque precioſo ſanguine acquiſitum gregem, tuum populum mi Chriſte peculiarem, ab omni impietate & errore gentilium: quoniam es benedictus & manens in ſecula. Hæc eſt precatus, & preces ſtatim enſis eſt conſecutus, & amputatum fuit caput venerandum.

Mittitur in feruentem picem martyr, ſed nihil læditur.

Dan. 3.

Capite plectitur.

Cap. 10. Facit autem hic quoque Deus aliquod miraculum, & ſanguinem cum lacte facit fluere ex vulnere: adeò vt ille quidem eſſet naturæ, hoc verò piæ fidei: & ſic miraculũ, quod magnum viſum erat ad ſtuporem, maius fuit ad vtilitatem: quod quingentis & quinquaginta viris infidelibus perſuaſit, vt Chriſtum ſequerentur, & errorem ſimulacrorum abominantes relinquerent. Hic fuit exitus vitæ Bonifacij. Ita quod illi temerè venerat in mentem, accepit eum finem, quem ipſe prædixerat. Qui autem cum eo miſſi fuerant ad quærendas reliquias, hæc quidem ignorantes, totam verò ciuitatem obeuntes, quoniam quærentes ipſum non inueniebant, putantes eum nõ pulchris, vt ſolebat, operam dare voluptatibus: Certè ille (dicebant apud ſe) modò vel omninò coit cum mulieribus, aut in iis locis deſidet, vt id magna ex parte facit. Hęc animo verſantes, vt ipſi poſtremò explicârunt, occurrunt cuidam ciui, qui erat frater Commentarienſis, & eum interrogant, an vidiſſet aliquem hoſpitem illuc accedentem. Ille autem dicebat heri quendam hoſpitem in ſtadio martyricum decertâſſe certamen, & enſe fuiſſe conſummatum: ſe verò non certò ſcire, an is ſit, qui ab eis quæreretur. Sed dicite mihi, inquit, qualiſnam eſt adſpectu, & quæ ſunt eius formæ inſignia? Cùm autẽ illi hominem verbis deſcriberent, nempè quòd breue quidem eſſet ei corpus, flaui verò capilli, & alia, quæ ſatis erant ad exprimendam formam Bonifacij: Hic eſt ille, inquit, quem vos quæritis. Illi autem in initio quidem non credebant, & eum putabant eſſe deceptum, dicentes: Non nôſti Bonifacium, qualiſnam ſit ei vita, & quàm propẽſa ac procliuis ad voluptates, & quàm ex diametro vitæ repugnet martyricæ.

Res mira.

550. credunt in Chriſtũ.

Cap. 11. Cùm verò ille diceret, nihil obſtare, quò minùs ipſi accederent ad ſtadium, & corpus ipſum adſpicerent: Illi cedentes, accedunt quidem in locum, viro illo eos ducente. Qui cùm etiam eis corpus oſtendiſſet, illi coniectis in corpus oculis, quod iacebat ſine capite, vel ex hoc ſolo agnoſcebant Bonifacium. Deinde etiam cùm inueniſſent caput ſeorſum iacens, & eius corpori coniunxiſſent, illum ipſum eſſe credentes, obſtupuerunt:

Comites eiꝰ ignari cædis eius, veniũt ad corpus eius exanime

puerunt: & timore contractus fuit eorum animus. Timebant enim, ne eis aliquid ſuccenſeret, quòd eius mentem accuſâſſent, eum iudicantes ex eo ſolo, quod præceſſerat: & neſcientes, quali vitę principio qualem & quàm iucundum finem impoſuiſſet. Sed mox metum ademit Martyr, ſe placidè & benignè in eos gerens. Nam poſtquàm caput fuit coniunctum corpori, (Tu es omnium Dominus ô Chriſte Rex, qui glorificas eos, qui te glorificant) ſenſim quidem aperit oculos: eos autem intuetur amicè & placidè, loquentis ſpeciē præ ſe ferens, & oſtendens ſe eis benè velle, & probrorū, quæ in eum ingeſſerant, minimè meminiſſe. Illi verò acerbè flentes, & calidas lachrymas effundentes: Ne memineris, dicebant, ſerue Ieſu, noſtrarum iniquitatum, neque probrorum, quibus te diuinum & ſacroſanctum caput ſtultè ſumus inſectati. Cùm ſic ſibi ſanctum placâſſent, & eius reliquias, corpus, inquam, & caput quingentis aureis emiſſent, & odoriferis aromatibus & vnguentis vnxiſſent, & candidis lineis inuoluiſſet, & in honorifica capſa impoſuiſſent, Romam reuerſi ſunt, ſua nihil intereſſe arbitrantes accipere alterius martyris reliquias, cùm illum haberent, qui iam erat ſibi notus, & qui eos germanè & ſyncerè amplectitur, & dat eis fidele teſtimonium ſupernæ defenſionis. 1. Reg. 2. Inſigne miraculum. Nota precium corporis eius.

Interim autem, dum iſti domum proficiſcebantur, aduenit ad Aglaidem viſio, nempè Angelus è cælo, dicens: Suſcipe eum, qui aliquando quidem fuit tuus famulus, nunc autem eſt frater noſter & comminiſter: ſuſcipe eum qui priùs quidem erat famulus, nunc autem eſt tuus dominus, & eum piè honora: vt qui ſit tuæ quidem ſeruator animæ, cuſtos autem vitæ. Illa autem ſurgens tremebunda, & ex eccleſiaſtico choro aliquos inſignes aſſumens, & cum magno honore procedēs obuiàm corpori Martyris, id quidem ſuſcipit, & valdè honorificè deponit & magnificè, ſtadijs quinquaginta procul à Roma: ſacram verò ei ædem inſtruit, materia inſignem & pulchritudine, & talem, qualem omninò oportebat ſuſcipere corpus talis animæ: vt non ſpiritus ſolus haberet æternum tabernaculum, ſed illius quoque corpus frueretur domo conueniente: in qua in hodiernum vſque diem fiunt multa admirabilia: & dæmones quidem repentè fugantur, morbi verò expelluntur nutibus, qui non cadunt ſub adſpectū. Sunt autem nonnulli, qui cùm non ſint ſani animis, fide fiunt meliores. Cap. 11. Viſio Aglaidis. Priſcorum Chriſtianorum erga reliquias reuerentia. Miracula ad S. Bonifacij corpus.

Porrò autem beata Aglais, Martyre eius informante animam, cùm omnes ſuas facultates diſtribuiſſet, & diuiſiſſet pauperibus, de cæterò honeſte vixit & è virtute, non ſolùm temperantem & caſtam vitam amplectens, ſed etiam aſperrimam eligens exercitationem aduersùs præcedentem nequitiam, vt etiam digna haberetur dono miraculorum, & dæmones quos priùs habebat ipſam ſupplantantes, expelleret ex hominibus. Monaſtica autem eius vita durauit quindecim annis, & cùm pulchrum ſic ſomnum obdormîſſet, adiecta eſt Martyri. Talis fuit Aglaidis finis & Bonifacij. Sic fuit quidem pulchra eorum mutatio, vt qui carnis quidem affectionibus humanitùs ſeruierint: humanam verò ſuperârint naturam patiendo pro Chriſto, & aduersùs vitia ſe viriliter & fortiter gerentes: ad gloriam Patris & Filij & ſancti Spiritùs, quem decet honor & gloriatio nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen. Cap. 12. Aglais monaſticā ſectatur vitam.

VITA S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, GERMANORVM APOSTOLI ET MARTYRIS,

poſt Vuillibaldum primum Eiſtetenſem Epiſcopum, copioſè conſcripta, idq́ bona fide, à quodam docto viro, ſed qui nomen ſuum premere maluit. Vſus eſt autem pleriſq́ locis ſtylo ſimpliciori, quàm ferant huius ætatis homines. Itaque F. Laur. Surius in gratiam Lectoris ſuo ſtylo pleraque omnia deſcripſit, demptis Romanorum Pontificum & S. Bonifacij Epiſtolis, & quibuſdam alijs, in quibus ſtylus mutari non debuit.

PRAEFATIO AVTHORIS, SED STYLO MVTATO, & omiſſis quibuſdam, parùm huc facientibus.

TAndem precibus veſtris, Fuldēſes fratres, pro ſcietiæ meæ exiguitate morem geſſi. Petijſtis enim, vt ſancti patris noſtri Bonifacij vitā elegāter quidem à S. Vuillibaldo olim conſcriptam, ſed pleriſq; locis parùm eruditis adeò obſcuram, vt difficilè eius ſententiam poſſint aſſequi, ego ſermone aper- S. Bonifacij vita ſcripta à S. Vuillibaldo, primo Epiſcopo Eyſtetenſi.

apertiori, magiſque perſpicuo ſcribendā ſuſcipiam. Cū autem initio non mediocriter admirarer, cur tot doctis Patribus, tam apud vos, quàm alibi paſſim degentibus, hactenùs poſthabitis, mihi homini imperito & liberalium diſciplinarum ignaro, tam difficile & arduum munus demandaretis, preces veſtras (fateor) negligendas putaui. Sed cùm poſteà quidam ex veſtris mihi retuliſſet, etiam apud ſanctum Leonem Pontificem eius rei cauſa laboratum eſſe, ipſumque Pontificē libros aliquot, ex quibus poſſet certiùs edoceri, ab Egberto Abbate tranſmiſſos accepiſſe, eos autem libros, illo vita functo, opereque minimè abſoluto, illic remanſiſſe: quadam motus miſericordia, animum ad ſcribendum appuli, cupiens veſtræ parére voluntati, ſi ſcientia ſuppeditaret. Cùm autem diù & velle me ſentirem, & tamen perficiendi facultatem deeſſe mihi animaduerterem, at vos nihilo minùs, vt nôſtis, vrgere non ceſſaretis, eo vſi argumento, modò conſtans adeſſet voluntas, reliqua Dominum præſtiturum: tandem veſtris impulſus adhortationibus, cœpi facere quod voluiſtis, eius potiſſimùm auxilio fretus, qui dixit: Aperi os tuum, & ego implebo illud: quique ſicut non rarò paucis victoriam præbet, ita etiam imperitis ſcientiam ſuppeditans, vim ſuæ gratiæ declarat. Quæ quidem idcircò commemorata volui, ne quis fortaſſis tantum opus vltrò me per arrogantiam ſuſcepiſſe exiſtimet, aſſeratque cum multa temeritate coniunctum eſſe, quæ à quolibet ſancto viro vtcunque elaborata ſint, ea quemuis alium tanquam caſtigatorem, alio ſtylo exaranda ſuſcipere: quaſi nō etiam ipſa ſanctorum prophetarum, ſanctiſſimaque Euangelij volumina, multis obſcuritatibus inuoluta, à pleriſque in aliud idioma, vel apertiorem ſententiam, tranſlata ſint. His itaque contra obtrectatores omnes, quos nihil æquè iuuat atque dente canino lacerare alios, aliiſque laqueos ſtruere in via, qua ipſi nolint ingredi, breuiter præmiſſis, id lectorem meum admonitum velim, hoc in opere, id mihi, vel maximè ſtudio fuiſſe, vt quę priùs ab alio dicta fuére, verbis apertioribus redderem, ijs exceptis, quæ propter difficultatem & obſcuritatem aſſequi non potui. Nam quæ perſpicua ſatis viſa ſunt, ea interdum nihil mutatis verbis, ſecutus ſum.

Psalm. 80.

Porrò autem etiam hoc dilectioni veſtræ notum eſſe velim, in libro illo, quem me explicatiùs reddere voluiſtis, permulta tum miracula, tum Epiſtolas inſignes deſiderari: quæ ex alijs codicibus collecta, locis opportunis inſerere conatus ſum. Et fortaſſis ille venerandus vir, qui vitam ſancti Bonifacij primus ſcripſit, multas eius & virtutes & Epiſtolas neſciens omiſit. Mihi verò conſideranti Epiſtolas eas omnes, quæ extant apud vos, nulla re magis, quàm ijs ipſis ſiue ab illo ad alios, ſiue ab alijs ad illum ſcriptis literis, authoritas tanti pontificis doceri & confirmari viſa eſt. Ex ijs enim apertiſſimè licet intelligi, quanta veneratione primùm acceptus fuerit à Romano Pontifice, vt is cum ordinatum miſerit ad prædicandum cunctis Germaniæ populis, quo labore Germaniā ad Chriſti religionē traduxerit, vt non modò ab ethnicis & hæreticis, ſed etiam à pſeudochriſtianis & improbis ſacerdotibus, ceu à luporum morſibus, eam vindicârit, quanta gratia apud Francorum principes Carolomannum & Pipinum flagrârit (qui cùm eum Moguntinæ eccleſiæ antiſtitē deſignâſſent, pro illius amore & honore eandem eccleſiā, quę priùs alteri eccleſię ſubiecta fuerat, totius Germaniæ metropolim, annuēte Pontifice Maximo, eſſe voluerunt) tum prætereà, quot Epiſcopatus inſtituerit, quæ nonnullis eccleſijs priuilegia impetrarit: denique, quod veſtra quoque ſcire intereſt, vt locum ſui corporis, id eſt, veſtrum monaſterium, poſſeſſionibus & decimis quibuſdam auxerit & ſublimârit.

S. Vuillibaldum, diſcipulum S. Bonifacij dicit.

Moguntia quando facta Metropolis.

Fuldam intellige.

Tanti igitur viri tanta authoritas, licèt eam huius temporis ſacerdotes quidam eleuent & paruipendant, erit tamen certè eis in teſtimonium damnationis: quòd cùm non ignorent, terminos antiquos & ſanctorum patrum decreta tranſgredi nefas eſſe, ipſi nihilominùs egregiè ea tranſgrediuntur, obliti verborum Chriſti, quæ is dixit ad paſtores & doctores: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: quæ non ſolùm dicta ſunt ad ſuperiorum ætatum rectores, ſed ad illos etiam, qui vſque ad mundi conſummationem ſanctam Eccleſiam ſunt gubernaturi, non deſtructuri. Nam de peruerſis paſtoribus, qui Eccleſiam deſtruunt, idem Dominus ait: Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introîſtis, nec alios intrare permiſiſtis. & iterùm: Væ vobis hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & cyminum, & grauiora legis præcepta reliquiſtis, hoc eſt, iudicium, miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Luc. 10.

Luc. 11.

Matth. 23.

Verùm,

Verùm, quod dicere cœperam, literas omnes huius beati viri, quas inuenire potui huic operi neceſſarias, equidem diligenter collegi, ſperans æmulum aliquem earum lectione correctum iri. Et vos Fuldenſes fratres ex animo rogatos & admonitos velim, vt ſumma attẽtione eas lectitetis, Deum rogãtes, vt per eius preces, qui ſcripſitillas, quique, vt in eis habetur, ſanctam Germaniæ Eccleſiam ingenti labore à malis ſacerdotibus quondam vindicauit, nunc etiam à talium potentia vos locumque veſtrum tueatur. Duos autem libellos, adiuuante Domino, qui tum beatiſſimi viri vitam, tum memoratas epiſtolas contineant, ſcribere conſtitui: quorum prior explicet quis fuerit, quidque ante ſedis Moguntinæ acceptam dignitatem, in ſancta Eccleſia laborauerit: poſterior verò ea commemoret, quæ deinceps vſque ad obitum ſuum egit.

Quis ſim, qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam ſcitis, nolite precor dare multis.
Ne perſona mei vilis faciat mea ſperni.
Sit magis hoc ſtudium, vobis depoſcere Chriſtum,
Vt ſibimet placita maneant præſentia ſcripta.

Authoris ſunt hæc, volentis celari nomẽ ſuum.

VITAE SANCTI BONIFACII ARCHIEPIScopi *& martyris, Liber I.*

Iunij 5. Cap. 1. Anglia ſanctorum virorũ ferax.

CVM gens Anglorum ſub fidei iugum beatiſſimi Pontificis Gregorij ſtudio miſſa fuiſſet, & eius meritis ſuffragantibus, præ multis nationibus ſanctorum virorum ferax & fertilis inprimis eſſe cœpiſſet, quorum doctrinis tanquam luminibus quibuſdam hominũ pectora occæcata illuſtrarentur, inter illos etiam ſanctum Bonifacium, ceu Luciferum quendam, cæteris ſideribus illuſtriorem edidit. Is verò magna parentum cura educatus, magnarum quoque virtutum pro ætatis incremento factus eſt ſtudioſus. Et quidem cùm adhuc puellus eſſet, ſi quem fortaſſis ſiue Clericum, ſiue Laicum audiſſet verbi diuini notitiam adferentem, mox quantum ea permiſit ætas, ſecum expendere ſolebat, quidnam inde ad ſuos vſus & profectus accommodare poſſet. Cumque eiuſmodi meditatione diuturna ad ſuperna & cœleſtia appetenda ſe erigeret, patri aperuit mentem ſuam, orans vt ne deeſſet propoſito ſuo. Vt verò audiuit iſthuc pater, primò quidem obſtupuit: deinde eum obiurgans, nunc minis, nunc blandimentis ad mundi huius curas, conatus eſt pertrahere. & vt animum tenerum faciliùs à ſententia deduceret, promiſit ſe eum poſt obitum ſuum omnium facultatum & prædiorum ſuorum hæredem ſcripturum. Addidit etiam, lubricæ ætati & fragilitati humanæ tolerabiliorem eſſe vitam eam, quæ in actione, quàm quæ in contemplatione ducatur: ſatiuſque eſſe inter mediocres vel etiam infimos regni cæleſtis ciues ſtudijs facilioribus contubernium ambire, quàm ad ſublimia illa ac penè impoſſibilia perfectionis certamina primò quidem fidenter accedere, ſed poſteà difficultate abſterritum, à cœpto deficere.

Pater eum retrahit à vita monaſtica.

Cap. 2.

At puer ſanctus, iam virtute diuina plenus, quanto eum pater enixiùs reuocabat ad ea quæ ſunt mundi huius, tanto propoſito ſuo tenaciùs inhæſit, & ad ſacrarũ ſtudia literarum ardentiùs adſpirauit. Itaque miro diuinæ moderationis iudicio factum eſt, vt pater, qui ſolus reſiſtebat, repentino correptus morbo, à ſua ſententia diſcederet, puerumque per idoneos homines ad monaſterium, quod priſco vocabulo Adeſcancaſter dicitur, mitteret, commendans eum Vuolfhardo, venerabili eiuſdem monaſterij Abbati. A quo ſanè pro monaſticæ vitæ inſtituto, benignè ſuſceptus, fratribuſque commẽdatus, vniuerſa religionis exercitia, quæ illa ætas admitteret, & probè inchoauit, & in dies melius proſecutus eſt.

S Bonifacius fit monachus.

Cap. 3.

Vbi autem è pueritia exceſſit, vſqueadeò in venerabilium Patrum inſtituta & ſacram lectionem incubit, vt momentis omnibus ſua in illo virtutes capeſſerent incrementa, impleretur que illud propheticum: Ibunt de virtute in virtutem. Denique cùm inceſſabili ſanctarum ſcripturarum meditationi deditus, omnem regularis

Pſalm. 83.

laris vitæ diſciplinam ſub eius, quem diximus, Abbatis gubernatione annis non paucis ſectatus eſſet, nec tamen illic propter doctorum virorum penuriam, inexhauſto ſuo ſacras ſcripturas cognoſcendi deſiderio poſſet ſatisfacere, permiſſu Abbatis & fratrum ſuorum ad monaſterium, quod hodieque * Nutſcelle dicitur, ſe contulit, & beatæ memoriæ Vuinberti Abbatis, qui tunc illi præerat, magiſterio ſe ſubdidit. Ibi verò tum Grammaticæ & Poeſis, tum ſpiritalis intelligentiæ optata eruditione potitus, adeò cœpit haberi celebris, vt fama doctrinæ eius paſſim diffuſa, alios etiam allicerct, vt ſe in eius traderent diſciplinam. Interim ille tanta licet præditus ſcientia, nihil efferebatur animo, neminē, qui tenuiori eſſet ingenio, ſpernebat, ſed quãto maiori tũ eruditione, tum virtute præ cæteris diuinitùs afficiebatur, tanto humilior & deuotior atque promptior ad totius commiſerationis & ſubiectionis ſtudium ſentiebatur. Memor enim erat ſententiæ illius: Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

for. Noua cella.
Diſcedi cauſa, aliud petit monaſterium.
Eccli. 3.

Cap. 4.

Cùm igitur ſic ille alios humilitate ac ſubiectione anteuerteret, & illum alij, partim ſapientiæ eius opinione incitati, partim ſaluberrima eius doctrina imbuti, honore ceu patrem afficerent, cunctique eum laude & prædicatione efferrent, & ſingulis Eccleſiaſtici Ordinis gradibus dignum affirmarent, tandem ætatis ſuæ anno plùs minùs trigeſimo, ſacerdotio initiatus eſt. Eam verò adeptus dignitatem, qualem ſe exhibuerit vtriuſque hominis ſtudendo contritioni, vt ſacramenti cæleſtis participatione dignus foret, ex operum eius teſtimonijs certiùs ac meliùs, quàm vilis verborum indicijs colligi poteſt. Per id tempus regnante in Occidentali Angliæ regione Saxonum rege, nouus extitit tumultus, cuius compeſcendi cauſa iam dicti regis iuſſu & procerum eius conſilio Synodus ſeruorum Dei indicta eſt: ad quam cunctis confluentibus, & cõtrouerſiam nuper ortam dirimentibus, viſum eſt ſapientibus quibuſdam, vt quæ illic definita eſſent, ea omnia ad Berethuualdi vel Brichtuualdi Cantuarienſis Archiepiſcopi notitiam perferrentur. Placuit idem etiam Clero omni & laicis permultis: ſciſcitabatur autem rex, quiſnam huius rei cumprimis idoneus legatus videretur. Tum verò præcipuus inter eos Archimãdrita Vuinbertus, cuius antè meminimus, & Vuintra monaſterij Tiſſerburgenſis præfectus, itemque Beoruuardus, monaſterij Gleſtingaburgenſis moderator, tum prætereà alij plerique venerabiles viri, ſanctum Bonifacium ad ſe euocatum ad regem adducunt, eumq; aiunt tantæ expediendæ rei idoneum.

Fit ſacerdos.
Synodus Angliæ.

Cap. 5.
Legatione fungitur.

Itaque S. Bonifacius, eius legationis munere ſibi demandato, cum ſocijs aliquot profectus eſt, & Archiepiſcopo, ita vt edoctus erat, cuncta per ordinem ſapienter expoſuit: ac deinde poſt dies non multos reuerſus, ea legatione præclarè perfunctus, tũ Regem ipſum, tum illos, quos diximus, ſeruos Dei magno gaudio affecit. Ea autem re nomen eius tam apud eos, qui in Clero numerantur, quàm homines laicos adeò celebre euaſit, vt deinceps ſæpiſſimè rogatus ſit, vt ſe in ipſorum ſynodis præſentem exhiberet. Sed quia animo erat Deo deuotus & addictus, atque ab omnium hominum fauore abhorreſcens, cœpit tractare ſeriò, quemadmodum parentes & cognatos fugere, & ad loca remota Chriſti cauſa emigrare poſſet. Qua in cogitatione & deliberatione cùm diù & quidem accuratè verſaretur, eam tandem ſupradicto Abbati aperuit, & vt ipſi ea in re aſſentiretur, multa precum inſtantia ab eo impetrare contẽdit. Ille verò etſi talia eum moliri admiraretur, diuque poſcenti aſſenſum negaret, ad extremũ tamen, diuina agente prouidentia, preces eius admiſit, tantamq; tum Abbatis tum fratrum erga ſe beneuolentiam, ſtudium & curam Bonifacius ad optatum ſuſcipiendum iter expertus eſt, vt & neceſſarios ſumptus ab eis acceperit, multaſque pro eo preces cum lachrymis illi profuderint, Deum rogantes, vt Angelus Domini bonus ei comes vbique adeſſet, eiuſque iter proſperum efficeret: Tum etiam duos cum illo fratres, quorum & corporalibus & ſpiritalibus adminiculis fulciretur, vnà proficiſci permiſerint.

Humanos reſpuit fauores.

Cap. 6.

Ita ergo vtriuſque hominis ſolatijs inſtructus, proſpero curſu iter ingreſſus eſt, peruenitque ad locum, qui antiquitùs Angloſaxonum vocabulo dicitur Lundenuuic: nec multò pòſt abijt in Dorſtet: vbi aliquandiù moratus, die ac nocte debitas Deo perſoluit laudes. Ea tempeſtate inter Carolum Francorum principem & Ducem egregium, Friſonumque regem Ratbodum hoſtilis orta diſſenſio, populos vtrinq; perturbabat, & maxima pars eccleſiarum Chriſti, quæ in Friſia ditioni Francorum ſubditæ fuerant, Ratbodo perſequente & ſeruos Chriſti profligante, vaſtata & deſtructa eſt, dæmonumque cultus prophanis extructis fanis, miſerandum in modum inſtauratus. Cuius rei indignitate permotus vir Dei, ab illis locis receſſit, perueniensque

In Friſia Chriſti eccleſiæ deſtruuntur.

Trecht

Trecht,(ſic enim author habet,puto autem * Traiectum ea voce ſignificari) cùm aliquot dies ibi feciſſet,eò venientem regem Ratbodum allocutus eſt,orans,vt vel tandē à tanta impietate deſiſteret. * Plerique Vltraiectū vocant.

Deinde peragratis eius terræ locis, ſolicitè explorauit,num alicubi in ea prouincia prædicandi verbi Dei ſeſe opportunitas offerret. Vbi autem poſt multam inquiſitionem cognouit ſe fruſtrà illic ſementem facturum, vacua ſpiritali fertilitate arua relinquens,ad natale ſolum ſe recepit. Intereà monaſterij ſui pater migrauit à vita:cuius obitu valdè afflicti fratres,ſancti viri ſpiritalibus colloquijs recreati ſunt, hortantis eos,vt in monaſticæ diſciplinæ obſeruantia permanerent,& aliquem ſibi ſpiritalem patrem eligerent. Illi verò diligenter ea in re ab ipſo inſtructi, omnes eum vnanimiter precabantur,(per id autem tempus Vuinfridus dicebatur) vt paſtoris erga ipſos vice fungi ne recuſaret. At ille altiora animo volutans,non quidem illorum preces vllo ſuperbiæ faſtu contempſit,ſed animum ſuum illis expromens,ait ſe patriæ honoribus & facultatibus deſpectis,pro Chriſti amore & aliorum ſalute peregrinationes meditari. Quod vt illi audiêrunt,ſumma beneuolentia eius propoſito aſſensêre. Vt autem maior accederet authoritas,etiam loci eius reuerendum Epiſcopum Danielem adijt, petens ab illo, vt eius benedictione & literis commendatitijs, Romam iturus, frui mereretur. Epiſcopus libens annuit,& prouidi paſtoris officio fungens, Stephanum virum bonum orbatæ congregationi præficiendum curauit,& Bonifacium Dei ſeruum, longum iter peregrè ſuſcepturum, ad loca optata cum ſuis literis à ſe dimiſit. Cap. 7. Abbatis functionē recuſat.

Ea igitur benedictione fretus,mox valedicens fratribus,dat ſe itineri, terrarum & maris longa ſpatia & ignotas vias emenſurus. Collecta ſunt autem ad eum vndique non pauci ſerui Dei,eodem ſpiritu feruentes: cunctique vno animo quotidiè multa ſanctorum templa inuiſentes,rogabant vt diuinitùs adiuti, tutiùs Alpium iuga ſuperâre,& Longobardorum feros animos erga ſe lenes & humanos ſentire mererentur. Cumque ſæuiſſimæ gentis regiones citra diſcrimen vllum pertranſijſſent, beatiſſimi Apoſtoli Petri limina adiêrunt, Chriſtoq; prout par erat gratias agentes, peccatorū ſuorum abolitionem & itineris proſperos ſucceſſus petiêrunt,nec ſunt votis fruſtrati ſuis. Nam ſimulatq; vir ſanctus venerabilem Apoſtolicæ ſedis Præſulem Gregorium ſecundum allocutus eſt,eique tum cauſam aduentûs ſui,tum deſiderium,quo diù flagrârat,expoſuit,mox Pontifex hilari vultu eum intuens, percunctatus eſt, num quas Epiſcopi ſui literas commendatitias apud ſe haberet. Ille verò ſtatim chartam pro more inuolutam Pontifici obtulit. Qua perlecta,ſanctiq; viri comperto deſiderio, ſedulò cum illo deinceps ſermones contulit, illicque commorantem reuerenter tractans,quaſcunque petijt ſanctorum reliquias, illi donauit: tum etiam per omnem Germaniam prædicandi ei munus demandans, ſuas ei literas tradidit, quarum hoc eſt exemplar: Cap. 8. Venit Romam cum ſocijs. A Pontifice comiter accipitur.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei,Bonifacio religioſo presbytero. Exigit manifeſtata nobis religioſi propoſiti tui,piè in Chriſto flagrantis,intentio, & approbata ſynceriſſimæ fidei tuæ perlata relatio,vt ad diſpenſationem verbi diuini, cuius per gratiam Dei curam gerimus,te cōminiſtro vtamur. Experientes proinde,te ab infantia ſacras literas didiciſſe,profectuſque indolem ad augmentum crediti cælitùs talenti proſpectu diuini timoris extendere: videlicet gratiam cognitionis cæleſtis oraculi, in laborē ſalutiferæ prædicationis,ad innoteſcendum gentibus incredulis myſterium fidei inſtanti conatu expendere,collætamur fidei tuæ,& adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmiſſi conatûs pium affectum vſq; ad Apoſtolicæ ſedis modeſta prouiſione perduxiſti conſultum,vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares,capitiſque arbitrio humiliter te ſubmittens & eius directioni, iuſto tramite properans, ſoliditati compaginis plenitudo exiſtas: Ideò in nomine indiuiſibilis Trinitatis per inconcuſſam authoritatem beati Petri Apoſtolorum principis,cuius doctrinæ & magiſterio fungimur,& locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus atque præcipimus, vt in verbo Dei (quo igne ſalutifero,quem Dominus mittere venit in terram,enitere videris)ad quaſcunque gentes, infidelitatis errore detentas,properare Deo annuente potueris, myſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes, & per ſpiritum virtutis & dilectionis ac ſobrietatis,prædicationem vtriuſque Teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam denique ſacramenti, quam ad initiandos Deo prauio credituros tenere ſtudeas, ex formula officiorum ſanctæ noſtræ Apoſtolicæ ſedis, inſtitutionis tuæ gratia Cap. 9. Literæ Gregorij 2. ad Bonifaciū. Luc. 12. Prædicandi munus Pontifex ei demandat.

 præliba-

prælibata, volumus vt intendas. Quod verò actioni ſuſceptæ tibi deeſſe perſpexeris, nobis vt valueris, intimare curabis. Benè vale. Data * Idus Maij, imperante domino piiſſimo Auguſto Leone ſecundo, à Deo coronato, anno tertio imperij eius, Indictione 2.

* for. Idibus. Alij hunc Leonem 3. vocant.

Cap. 10. His igitur literis acceptis à venerabili Papa, profectus eſt inde ad Longobardorum regem Luitprandum. A quo honorificè ſuſceptus, aliquandiù apud eum hoſpitio vſus eſt. Porrò ab illo diſcedens, ardua & prærupta Alpium iuga tranſcendit, ignotosq; Baioariorum & Germaniæ fines perluſtrans, in Thuringiam peruenit, accuratè explorans vbique inſtar apis prudentiſſimæ, vbi poſtmodùm nectarea ſanctę fidei mella colligere & comportare poſſet. Cumq; dies aliquot in Thuringia hęreret, omnes interim illius prouinciç principes verbis ſpiritalibus alloquens, ad ſacram complectendam fidem & religionem inuitauit: Sacerdotes quoque, quos varijs deditos flagitijs comperit, ſermonibus Euangelicis ad inſtitutionis Canonicæ normam correxit. Audita autem Ratbodi Friſonum regis morte, qui per id tempus magnam in Chriſtianos perſecutionem exercuerat, multo affectus gaudio, in Friſiam nauigauit, ibique verbi Diuini ſemina ſpargens, permultos ab errore idololatriæ retraxit. Eodem tempore venerabilis Vuillibrordus, Traiectenſis eccleſiæ præſul, buccinam cæleſtis doctrinæ in Friſia inflauit: cuius ſtudijs ſanctus Bonifacius mirificè gratulans & adhærens, triennio apud illum fuit, ſuam illi nauans operam, tam in idolorum fanis deſtruẽdis, quàm extruendis eccleſijs, cæterisq; rebus diuinis exequendis. Erat autem Vuillibrordus ætate decrepita: ſuggerentibusque diſcipulis, ſenectuti ſuæ volens aliquod comparare leuamentum & ſolatium, hunc Dei ſeruum ad ſuſcipiendum Epiſcopi munus, regendumque populum ſuæ curæ commiſſum, obnixè rogauit. At ille humiliter recuſans, tanta functione ſe indignum aiebat, nè ſibi necdum maturam adepto ætatem, tam grande onus imponeret, modis omnibus obſecrabat, ſimul allegans ſe necdum quinquageſimum impléſſe ætatis annum, quem canonicæ inſtitutionis decreta huius gradùs culmini præfixiſſent. Vuillibrordo autem blandis illum verbis increpanti, & ad eum gradum ſuſcipiendum adhortanti, cùm multos vltrò citroque hac de re inter ſe ſermones habuiſſent, vir ſanctus in eas coniectus anguſtias, placido ore ita tandem ſe excuſauit:

Venit ad Thuringos.

Item in Friſiam.

Manet apud S. Vuillibrordum.

Recuſat Epiſcopatũ.

Cap. 11. Onus regiminis, quod mihi indigno ſancte Præſul imponere vis, in me recipere nõ audeo. Euangelizandi enim cauſa miſſus ſum à beato Gregorio Papa in Germaniam; & ea legatione functurus, in has barbaras nationes veniens, ſpõtè me tuæ ditioni ſubieci. Sed tanti Pontificis mandato poſthabito, aliud quoduis negocium in me recipere non ſum auſus. Itaq; venerande Pater rogatum te velim, vt in illas regiones, ad quas Pontifex Apoſtolicus me miſit, cum tua bona venia mihi liceat proficiſci. His auditis, S. Vuillibrordus illi benè precatus, abeundi à ſe fecit poteſtatem.

Cap. 12. At ille proficiſcẽs, venit Amanaburgum, Deum vbiq; habens itineris ſui comitem: cuius virtute & præſidio fretus, quocunq; peruẽit, ſalutaris doctrinæ ſemina iactauit: cumq; ingentem populum in Friſia Chriſto lucrifaceret, multiq; eius ſpiritali inſtitutione imbuti, ad veritatis cognitionem venirent, adeò vt eo, quem diximus, loco, cui duo fratres gemini præerant, Dietichus & Dierolphus, Domino auxiliante, obtento, non paucos fratres colligeret, & monaſterium ædificaret: ijs valefaciens, in Haſſiam ſiue Catthorum regionem, qui Saxonibus contermini ſunt, profectus eſt prædicandi cauſa. Cumq; ex ijs etiam plurimos conuertiſſet, & multa hominum millia vndis ſalutaribus tinxiſſet, quendam è ſuis fidelem, Binnam nomine, Romam cum literis miſit, indicans Apoſtolico Præſuli omnia, quæ per ipſum geſſiſſet Deus, & quantam hominum multitudinem, cæleſti gratia illuſtratam, ſacro baptiſmo abluiſſet: tum præterea de rebus varijs, quæ ad quotidianam Eccleſiaſticæ regulæ neceſſitatem populiq; recens conuerſi curam pertinerent, prudenter eum conſulens, perſcripſit. Nuncius autem ab eo miſſus Romam, omnia ipſi mandata fideliter exequens, Præſuli Apoſtolico literas eius obtulit, aliasq; ab illo, ad quæſtiones propoſitas reſpõſa continentes, magiſtro ſuo referens, celeriter receſſit.

Extruit monaſterium.

Multos in Haſſia conuertit.

Cap. 13. Poſtquàm autem vir ſanctus, lectis Pontificis literis, ſe inter cætera Romam acciri didicit, mox ad ſummum obedientiæ gradum contendens, fratrum agmine ſtipatus, Italiam petijt, conſpectisque Romanæ vrbis mœnibus, Deo gratias agens, beatorum Apoſtolorum patrocinio ſe commendauit. Vt autem eius aduentum didicit Romanus Pontifex, confeſtim illum ad ſe euocauit, ſalutatumque familiariter, honorifico xenodochio commendauit. Deinde opportuno ſe offerente ad colloquẽdum

Romæ Pontificem inuiſit.

dum die, ad beatiſſimi Petri Apoſtoli eccleſiam venire iuſſus eſt: cumque ſe inuicèm mutuis explêſſent ſermonibus, Pontifex de ſymbolo & fidei Catholicæ traditione ex eo ſciſcitatus eſt. Reſpondit autem vir ſanctus: Tantæ quæſtioni, Domine Apoſtolice, in ſermone familiari non facilè poſſim ſatisfacere. Oro itaque, vt fidei, quam à me exigis, conſcribendæ tempus mihi largiaris, ſicque eam ex ſcriptis poſſis habere perſpectam. Annuit Pontifex, & intra breue tempus vir Domini, ſanctæ & Catholicæ fidei ſententiam, congruenter & eruditè expreſſam, in ſcriptis Pontifici obtulit. Pontifex poſtquàm ea ſcripta perlegit, ſibi eum aſſidere iubet, vt eam fidem conſtanter retineat, & accuratè doceat, hortatur. Multa deinde de ſpiritalis vitæ religione cum illo conferens, ita vt nonnunquàm penè integrum diem mutua inter ipſos colloquia abſumerent, ad extremum quot populi idololatræ eius opera crediderint, ex eo percontatur. Vbi ad ea reſpondit vir ſanctus, Pontifex ei ſuam aperit voluntatem, quòd cum decreuerit Epiſcopum ordinare, vt eò maiori conſtantia errantes corrigere & ad viam veritatis reuocare poſſit, quò ſit ampliori Apoſtolicæ dignitatis authoritate ſuffultus: tantoque apud omnes conciones eius gratioſiores ſint, quantò certiùs conſtet, à Præſule Apoſtolico ipſum, vt concionetur, eſſe deſtinatum.

Fidei ſuæ profeſsionẽ ſcriptam offert Pontifici.

Cap. 14.
Pſal. 108.

Tum vir Dei omnia ſagaciter perpendens, metuensque ne illud Propheticum in ipſum competeret, Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: tantæ benedictionis gratiam minimè recuſauit. Vt autem adfuit dies ordinationis eius, qui fuit pridiè Calendas Decembris, id eſt, in ſancti Andreæ Apoſtoli ferijs, Pontifex eum & conſecrauit Epiſcopum, & Bonifacium deinceps dici voluit, cùm anteà Vuinfridus diceretur: & vt ad obedientiam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus exhibendam, omnemque ſacræ fidei traditionem obſeruandam arctiùs eum adſtringeret, iuramentum ab eo exegit & accepit: quod quidem in antiquis exemplaribus ita ſcriptum habetur: In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperante domino Leone magno Imperatore, anno ſeptimo poſt conſulatum eius: ſed & Conſtantini magni Imperatoris, eius filij anno quarto, Indictione ſexta: Promitto ego Bonifacius, Dei gratia Epiſcopus, tibi beate Petre Apoſtolorum princeps, vicarioque tuo beato Gregorio Papæ & ſucceſſoribus eius, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiuſdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in quo omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur: nullo modo me contra vnitatem communis & vniuerſalis Eccleſiæ ſuadente quopiam conſentire, ſed, vt dixi, fidem & puritatem meam atque concurſum tibi & vtilitatibus tuæ Eccleſiæ, cui à Domino Deo poteſtas ligandi ſoluendique data eſt, & prædicto vicario tuo atque ſucceſſoribus eius per omnia exhibere. Sed & ſi cognouero antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum Patrum conuerſari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem: ſed magis, ſi valuero prohibere, prohibeam: Si minùs, fideliter ſtatim domino meo Apoſtolico renunciabo. Quòd ſi, quod abſit, contra huius promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo ſeu ingenio vel occaſione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus proprijs fraudem facere præſumpſerunt. Hunc autem indiculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum corpus S. Petri, ita, vt præſcriptum eſt, Deo teſte & iudice, feci ſacramentum, quod & conſeruare promitto.

Cõſecratur à Pontifice Epiſcopus.

Iuſiurandũ S. Bonifacij nihil mutata phraſi.

Matth. 16.

Act. 5.

Cap. 15.

Poſtquàm eiuſmodi iuſiurandum apud Gregorium Pontificem dedit, ille viciſſim in omnibus eum iuuare, prouehere, & venerari ſtudit. Nam libellum, in quo ſacratiſſima Eccleſiaſticæ inſtitutionis iura, Pontificalibus digeſta conuentibus, habebantur, ei dono dedit, præcipiens, vt tam clerus quàm populus eius regimini ſubdendus, ijs inſtitutis imbueretur. Familiaritatem quoque Sedis Apoſtolicæ tum ipſi, tum omnibus eius ſubditis perpetuam, dato priuilegio, confirmauit: literasq; ſuas ei impertiens, non ſolùm Carolo illuſtri Duci, qui id temporis Francorum regnum moderabatur, ſed etiam cunctis viris eccleſiaſticis & Principibus Germaniæ eum tuendum commendauit. Literarum autem earum exempla hoc loco, quandoquidem ita res poſtulat, inſerere voluimus, primò illarum, quæ ad Carolum Ducem, deinde quæ ad Principes omnes ſcriptæ ſunt.

Domino glorioſo filio Carolo Duci, Gregorius Papa.

Cap. 16. Literæ Gregorij 2. ad Carolum Martellum.

COmperientes te, in Chriſto dilectiſſime, religioſæ mentis affectum gerere, in mul tis opportunitatibus, debito ſalutis præmiſſo, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præſentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, à nobis Epiſcopum conſecratum, atque inſtitutionibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui, Deo authore, præſidemus Eccleſiæ generali ſolicitudine, informatum ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diuerſis in Orientali Rheni fluminis parte conſiſtentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obſcuritatibus præpeditis, neceſſariò deſtinare. Pro quibus cum glorioſæ beneuolentiæ tuæ omnimodò commendamus, vt eum in omnibus neceſſitatibus adiuuetis, & contra quoſlibet aduerſarios, quibus in Domino præualetis, inſtantiſſimè defendatis, certiſſimè retinentes, Deo vos exhibere, quæcunque huic promptiſſimo impenderitis fauore: qui ſanctis Apoſtolis ſuis, ad lucem gentium deſtinatis, ſuſcipientibus eos ſe ſuſcipiendum prædixit: quorum inſtitutionibus per nos informatus præmiſſus antiſtes, in ſorte prædicationis procedit.

Iohan. 13.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis reuerentiſsimis & ſanctiſsimis fratribus coëpiſcopis, religioſis presbyteris ſeu diaconibus, glorioſis Ducibus, magnificis caſtaldis, Comitibus etiam vel cunctis Chriſtianis Deum timentibus.

Cap. 17. Item ad Epiſcopos & Principes &c.

SOlicitudinem nimiam gerentes pro ſpeculatione credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga Orientali Rheni fluminis, antiquo hoſte ſuadente, errare & quaſi ſub religione Chriſtiana idolorum culturæ eos ſeruire cognouimus: aliquos verò, qui necdum Dei cognitionem habentes, nec baptiſmatis ſacri vnda ſunt loti, ſed comparatione brutorum animalium pagani, factorem nō recognoſcunt: neceſſariò pro vtrorunq; illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei verbum harum literarum portitorem Bonifacium, reuerentiſſimum fratrem noſtrum Epiſcopum, ad eaſdem partes dirigere ſtuduimus, vt & illis prædicando verbum ſalutis, vitam prouideat ſempiternam, & ſi quos fortè vel vbicunque à rectæ fidei tramite deuiâſſe cognouerit, aut aſtutia ſuaſos diabolica, erroneos repererit, corrigat atq; ſuâ educatione ad portum reſtituat ſalutis, eoſque ex Apoſtolicæ ſedis huius doctrina informet, & in eadem Catholica fide permanere inſtituat. Cui, hortamur, ob amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum eius reuerentiam, vt in omnibus ſolatia exhibeatis, eumque in nomine Ieſu Chriſti recipiatis, vt ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis: Qui vos recipit, me recipit: prouidentes inſuper neceſſaria itineris eius, comiteſq; tribuentes, cibum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit, largientes: vt vno labore & ſocia voluntate opus ſibi creditum pietatis & negocium ſalutis, annuente Deo perficiatur, atque præmium laboris percipere mereamini, deque conuerſione errantium merces vobis adſcribatur in cælis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad illuminationem Gentiū ab hac Apoſtolica atque Catholica Dei Eccleſia deſtinato, aſſenſum vel concurſum præbuerit, exorantibus Apoſtolorum principibus, conſortium mereatur ſanctorum martyrum Chriſti Ieſu. Si quis verò, quod non optamus, aduerſari eius labori conatus fuerit, aut contrarius extiterit miniſterio ſibi credito, ſucceſſorumq; eius, in eundem laborem intrantium, ex ſententia diuina anathematis vinculo ligatus, perpetuę damnationi ſubiaceat. Data Calend. Decembr. imperánte domino piiſſimo Auguſto Leone, imperij eius anno ſeptimo, ſed & Conſtantini Imperatoris eius filij, anno 4. Indictione 6.

Iohan. 13.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Clero & plebi dilectiſsimis filijs in Domino ſalutem.

Cap. 18. Item ad Clerum & populum &c.

PRobabilibus deſiderijs nihil tarditatis præſtantes, fratrem iam & coëpiſcopum noſtrum Bonifacium vobis ordinauimus ſacerdotem: cui dedimus in mandatis, ne vnquàm ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neq; illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curiæ aut cuilibet cōditioni obnoxium notatumque, ad ſacros ordines permittat accedere: ſed ſi quos huiuſmodi repererit, non audeat promouere. Afros, paſſim ad Eccleſiaſticos ordines prætendentes, nulla ratione ſuſcipiat: quia aliqui eorum Manichæi,

chari,aliqui rebaptizati ſæpiùs ſunt probati. Miniſteria atque ornatum eccleſiæ, vel quicquid illud eſt in patrimonio eiuſdem,non minuere ſtudeat,ſed augerē. De reditu verò eccleſiæ vel oblatione fidelium,quatuor faciat portiones:quarum vnam ſibi ipſe retineat,alteram clericis pro officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis,quartam eccleſiaſticis fabricis nouerit reſeruandam: de quibus diuino erit redditurus iudicio rationē. Ordinationes verò preſbyterorum ſeu diaconorum, non niſi quarti,ſeptimi, & decimi menſis ieiunijs, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali atque medio veſpere ſabbati,nouerit celebrandas. Sancti autem baptiſmi ſacramentum non niſi in Paſchali feſtiuitate & Pentecoſte nouerit eſſe præbendum: exceptis his,quibus mortis vrgente periculo,ne in æternum pereant, talibus oportet remedijs ſubuenire. Huic ergo ſedis noſtræ præcepta ſeruanti, deuotis animis obſequi vos oportet, vt irrepræhenſibile placidumque fiat corpus Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum. Deus incolumes vos cuſtodiat,dilectiſſimi. Data &c. vt in Epiſtola præcedenti. Reditus eccleſiaſtici vt diſtribuendi.

Has quidem duas Epiſtolas generatim omnibus Germaniæ principibus, duas verò ſequentes ſpeciatim ad Thuringos ſcripſit is,quem diximus,Gregorius Papa.

Viris magnificis Aſolpho,Godolao,Vuilario,Gunthario,Alboldo & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Chriſtianis,Gregorius Papa.

INſinuatam nobis magnificæ fidei veſtræ conſtantiam agnoſcentes, quòd paganis compellentibus vos ad idola colenda,fide plena reſpōderitis,magis velle feliciter mori,quàm fidem ſemel in Chriſto acceptam aliquatenùs violare: repleti nimia exultatione,gratias debitas perſoluimus Deo noſtro & redemptori, bonorum omnium largitori,cuius gratia comitante,vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei veſtræ propoſitum,ſanctæ ſedi Apoſtolicæ religioſis mentibus adhærere,& prout opus popoſcerit ſacræ religionis,à memorata ſancta ſede Apoſtolica,ſpirituali omnium fidelium matre,ſolatium quærere, ſicut decet filios cohæredes regni. Miniſterio quoq; præſentis fratris chariſſimi Bonifacij,quem ad vos Epiſcopum conſecratū in ſorte prædicationis deſtinauimus, Apoſtolicis inſtitutionibus informatum ad inſtruendam fidem veſtram,in omnibus volumus & hortamur obedientes ei conſentire,ad complementum in Domino veſtræ ſaluationis. Cap. 19. Item ad Thuringos.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſo populo Thuringorum.

DOminus Ieſus Chriſtus filius Dei, Deus verus,qui de cælo deſcendit,homo factus eſt,pro nobis pati & crucifigi dignatus eſt,& ſepultus,tertia die reſurrexit à mortuis,& aſſcendit in cælum,diſcipulis etiam ſuis ſanctis ait: Euntes docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti: ipſe in ſe credentibus vitam æternam promiſit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiſcum gaudere, vbi finis nullus eſt,nec tribulatio,nec aliqua amaritudo,ſed gloria ſempiterna: ideò fratrē noſtrum ſanctiſſimum Bonifacium Epiſcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare & fidem Chriſti docere,& ab errore ad viam ſalutis adducere, vt ſalutem habeatis & vitam ſempiternām. Sed & vos ei in omnibus obedite,& ſicut patrem veſtrū, illum honorate,& ad eius doctrinam corda veſtra inclinate: quia illum non pro lucro aliquo temporali acquirendo direximus, ſed pro lucro animarum veſtrarum ad vos eum miſimus. Diligite ergo Deum,& in nomine eius baptiſmum ſuſcipite: quia Dominus Deus noſter,quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis aſcendit,præparauit diligentibus ſe. Iam recedite à malis operibus,& benè agite. Non adoretis idola,nec immoletis carnes,quia Deus non recipit iſta: ſed in omnibus,ſecundum quod vos frater noſter Bonifacius docuerit,obſeruate & agite, & ſalui eritis vos & filij veſtri in ſempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipſe pater veſter habitare: & eccleſias,vbi debeatis orare, vt Deus vobis indulgeat peccata veſtra,& donet vobis vitam perpetuam. Cap. 20. Item alia ad Thuringos. Matth. 28. Eſa. 64. 1.Cor. 2.

Gregorius Papa vniuerſo populo prouinciæ Altſaxonum.

SApientibus & inſipientibus debitor ſum,fratres chariſſimi. Ideoque volens vos ſcire,qualem ſolicitudinem habeam pro vobis,& pro his,qui verbum exhortationis fidei Ieſu Chriſti Domini noſtri ſuſceperunt,& qui adhuc ſuſcepturi ſunt, vt conſolentur corda veſtra in charitate & in omni plenitudine ſapientiæ: annuncio vobis, quoniam propè eſt regnum Dei, vt nemo vos ampliùs decipiat in ſublimitate verbo- Cap. 21. Item ad Saxones.

rum, aut in quocunq; metallo ſalutem veſtram quæratis, adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ęrea, lapidea, vel de quacunq; materia facta: quæ falſidica nomina à pa ganis antiquitùs quaſi dij facti ſunt, in quibus dæmones habitare noſcuntur: quoniam omnes dij gentium, vt ait ſcriptura, dæmonia ſunt: Deus autem noſter cælos fecit. Quicunque autem in vobis ſuſceperunt Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, in ipſo ambulent radicati & ſuperædificati & confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte, ne quis vos ampliùs decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam. Aſtutiores enim ſunt filij tenebrarum, quàm filij lucis. Diſcedite ab idolorum cultura, & accedite & adorate Dominum Deum veſtrum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt: & vultus veſtri non erubeſcēt. Vnus enim Dominus hominū, volucrum, quadrupedum & piſcium, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Expoliate vos ergo veterem hominem, & induite Chriſtum nouum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam: turpem quoq; ſermonem nolite de ore veſtro proferre. Iam enim aduesperaſcit dies ſeculi, & tempus tenebrarum appropinquat. Ideoque nolite eſſe otioſi, ſed potiùs operamini opus bonum, vt Chriſtus habitet in vobis: & quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri per ipſum: reſpuentes gentilitatis ſectam, ſcientes vos Dominum habere in cælis. Orationi inſtantes, ad ipſum Dominum cor erigite: quoniam magnus eſt Dominus noſter & laudabilis nimis, & terribilis ſuper omnes deos: qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hoc etiam cōmoneo, fratres, vt quicunq; ex vobis voluerit ad Chriſtum cōuerti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis ſculptilia adorare. Miniſtrum quoque & conſeruum in Domino, quem miſi ad vos, Bonifacium ac coëpiſcopum meum ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro ſuſcipite, vt à diabolica fraude liberati, mereamini adoptionis filijs aggregari.

Pſal. 95. Coloſſ. 2. Luc. 16. Pſal. 114. Coloſſ. 3. Pſal. 95. 1. Tim. 2.

Cap. 22. Tantarum itaq; literarum authoritate fretus ſanctus Præſul Bonifacius, proficiſcitur in Germaniam, veniensq; ad Carolum principem ſuprà dictum, literas Romani Pontificis ei attulit, ſeq; eius ditioni & patrocinio committens, illo annuente, ad Catthorum, quos Heſſos vocāt, quibus iam antè prædicare cœperat, regionem abijt. Quò cùm perueniſſet, complures illic reperit, Chriſtiana religione abiecta, in varios inciđiſſe errores. Alij enim lignis & fontibus clàm vel palàm ſacrificabant: alij haruſpicia, diuinationes, præſtigias & incantationes ſectabantur: pleriq; alijs nefandis ſacrilegijs erant addicti: pauci verò in via veritatis, quam ſemel didicerant, perſiſtebant: quorum quidem conſilio arborem quandam miræ vaſtitatis, quam priſca voce Iouis arborem nuncupabant, in loco, qui Geiſmere dicitur, ſeruis Dei ipſi aſſiſtentibus, excindere tentauit. Accurrit autem magna ethnicorum multitudo, illum tanquam hoſtem deorum ſuorum necare volentium. Sed cùm arbor paulùm cęderetur, mox quaſi diuinitùs agitata, in quatuor partes dirupta eſt. Quod cernentes ethnici illi, Dominum laudantes, fidem complexi ſunt. Sanctus autem Præſul communicato cum fratribus conſilio, ex illa ingenti vaſtæ arboris mole oratorium conſtruxit, in beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem illud dedicans.

Errores Heſſorum. Miraculum. Oratorium in honorē S. Petri.

Cap. 23. His ita geſtis, in Thuringiam profectus eſt, eiusque gentis principes, magna ex parte à Chriſtiana religione deficientes, corrigere ſtuduit. Cùm enim religioſi principes apud illos imperare deſijſſent, ſimul etiam religio vacillare cœpit, & quidam pſeudochriſtiani, Dorthuuinus, Bertherus, Eanberberthtus & Humedus, apud eos hoſpitio recepti, hæreſeos illis authores fuēre. Cumque iji ipſi impuri ſcortatores & adulteri ingens viro Dei certamen excitâſſent, ab illo egregiè confutati, dignam retulēre ſuæ veſaniæ mercedem, excommunicati & expulſi ab Eccleſia. Manabat interim longè lateque fama prædicationis eius, & credentium numero magnæ fiebant acceſſiones, templa inſtaurabantur, monaſteria conſtruebantur: atque in ijs etiam illud extructum eſt, quod eſt in Ordorff, in honorem ſancti Michaëlis Archangeli, congregata illic ſeruorum Dei multitudine, qui omnes Apoſtolico more viuentes, laboribus ſuis ea, quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt, ſibi comparabant. Quòd autem in honorem S. Michaëlis illud ædificatum fuit, eius hæc ratio eſt: Cùm vir Dei in Thuringia verſaretur, prædicans & baptizans, apud flumen Oraham tentorijs fixis quadam nocte permanſit. Tota autem nocte illa lux cælitùs ſparſa locum, in quo ille manebat, ambiuit: atq; in ipſa luce S. Michaël Archangelus ei apparuit, eumq; in Domino confortauit. Manè vir Dei laudans & benedicens Dominū, Miſſarū ſolēnia illic celebrat, ac deinde eodem

Hæreſis authores in Thuringia. Bonifacio S. Michael apparet.

eodem in loco prandium ſibi parari iubet. Dicente autem miniſtro deeſſe cibū, quo veſceretur, ille reſpondit: Itáne qui tot hominum millia in deſerto annis quadraginta pauit manna, mihi indigno ſeruulo ſuo non poteſt vnius diei alimoniam ſuppeditare? His dictis, iubet apponi menſam. Intereà quędam auis aduolat, & piſcem ore ferēs, qui illo die ad cibum ſufficeret, ante menſam deponit. Tum verò ſanctus Præſul gratias agit Deo, piſcemq; mandat ocyùs præparari. Cumque ex illo comediſſet, reliquias in flumen proijci iubet. Nota rem miram.

Inde cœptum carpens iter, Thuringiamque peragrans, accuratè perquiſiuit, cuius eſſet ille locus, vbi ea viſio ipſi fuit oblata. Cumque comperiſſet Hugonem ſeniorem eius eſſe dominum, petijt illum ſibi dono dari. Non recuſauit Hugo, primuſque apud Thuringos hæreditatem ſuam tradidit venerādo Præſuli. Poſt eum Alboltus, pluresq; alij prædia loco illi vicina donārūt: quibus adeptis, ſanctus Bonifacius frutices illic extirpari, terramque incoli mandauit, iactiſque fundamentis, templum extruxit. Hæc verò in quodā antiquo codice ſcripta, hîc inſerere volui, vt cognita cauſa, cur ſupradictum monaſterium conſtructum ſit, & locus ipſe & monaſterij fundator, angelica viſitatione digni habiti, maiori honore & veneratione afficiantur. Cap. 24. Templum conſtruit.

Interim vir beatus prædicans & baptizans apud Thuringos & Catthos ſiue Heſſos, vidit multam quidem illic extare meſſem, ſed operarios paucos, & qui tantæ credentium multitudini inſtituendæ non ſufficerent. Miſit igitur in patriam ſuam, acciuitq; non modò viros religioſos, & multiuaria eruditione præſtantes, ſed etiam fœminas. In ijs præcipui fuêre Burchardus, Lullus, Vuilliboldus, Vuinnibaldus, eius frater Vuitta & Gregorius: in fœminis autem religioſis, matertera S. Lulli Cunigildis, & filia eius Bertgitis, item Cunitrudis, Tecla, Lioba, & Vualtpurgis ſoror Vuilliboldi & Vuinnibaldi, S. Cunihildis & filia Bertgitis, liberalibus ſcientijs eruditæ, apud Thuringos magiſtræ ſunt conſtitutæ. Cunitrudis miſſa eſt in Baioariam, vt verbi diuini ſementem illic faceret. Teclam apud Moganum fluuium Kiſſingæ & Ochnofurti voluit manere. Liobam denique virginibus ſacris apud Biſchofeshemium præfecit. Cap. 25. Ex Anglia accerſit adiutores.

Cumq; multa hominum millia, tam per ſe, quàm ſuos conterraneos ad Chriſti religionem traducta, baptiſmatis vnda diluiſſet, defuncto beatæ memoriæ Gregorio II. ſedis Apoſtolicæ Pontifice, tertioq; Gregorio eandem ſedem obtinente, Romam legatos miſit, qui cum nouo Pontifice prioris amicitiæ fœdera renouarent, & priſtinam humanitatem atq; beneuolentiam eius erga ipſum expeterent: ab ipſo verò omnem obedientiam, Romanæ ſedi debitam, pollicerentur: deniq; plurimorum Germanorum ad fidem Chriſti adductorum cōuerſionem indicarent. Legati cùm Romam veniſſent & Pontifici ea retuliſſent, ille primùm Deo gratias egit: deinde nō ſolùm omnia amicitiæ & beneuolentiæ officia à Bonifacio expetita pollicitus eſt, ſed ea etiā, quæ nō petijt, largitus eſt, nempe Archiepiſcopi pallium, & literas, quibus ad eius quæſtiones multiuarias reſpondit. Earum literarum hoc eſt exemplum: Archiepiſcopi palliū mittitur S. Bonifacio.

Reuerentiſsimo & ſanctiſsimo fratri Bonifacio coëpiſcopo, ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circunquaque in vmbra mortis morantibus Gentibus, in errore conſtitutis, ab hac Apoſtolica ſede directo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

MAgna nos habuit gratulatio, lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ literis, cùm in eis relecta ſerie fuiſſet repertum, Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia plurimos te à gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia diuina inſtitutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque ſuiſſe lucratum, in talis commercij lucro cum tota plaudimus Eccleſia. Hinc iure tibi ſacri pallij direximus munus, quod beati Petri Apoſtoli authoritate ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo authore, præcipimus vt cenſearis. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſce. Itaq; dum Miſſarum ſolennia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quia verò turbas Domini gratia in eiſdem partibus ad rectam fidem aſſeruiſti conuerſas, ideoque nequire te occurrere omnibus, quæ ſalutis ſunt, impendere aut intimare, cùm iam longè lateque gratia Chriſti, eius fides in illis propagetur: præcipimus, vt iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ ſedis debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatûs. Presbyterum nanque quem prætterito aſſeruiſti Cap. 26. Literæ Gregorij 3. ad Bonifaciū. Matth. 25. Vſus pallij antiquus.

anno ad nos veniſſe, noſtroque iudicio fuiſſe à ſuis nefarijs abſolutum actionibus, credas, neq; nobis confeſſionem aliquam fecit, nec à nobis, vt ſuos expleat libitus, abſolutus eſt. Sed ſi eum errori deditum repereris, hunc Apoſtolicæ ſedis vigore, vt iuxta ſanctorum Canonum cenſuram corrigas & emendes, præcipimus, vel ſi quos forſan tales inueneris. Ille enim veniens, Presbyter ſum, ait, & commendatitias ad filium noſtrum Carolum literas expetijt. Nullã illi aliam conceſſimus licentiam: quem vitari, ſi prauè conuerſatur cum reliquis, volumus, eoſdemq; quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine ſanctæ Trinitatis, mandamus. Inter cætera agreſtẽ caballum aliquãtos cõedere adiunxiſti, pleroſq; & domeſticũ. Hoc nequaquam fieri deinceps ſanctiſſime frater ſinas, ſed quibus potueris, Chriſto iuuante, modis per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum enim eſt atque execrabile. Pro obeuntibus quoq; conſuluiſti, ſi liceat oblationes offerri. Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſq; pro ſuis mortuis verè Chriſtianis offerat oblationes, atq; presbyter eorum faciat memoriam: & quanuis omnes peccatis ſubiaceamus, congruit tamen, vt ſacerdos non niſi pro mortuis catholicis memoriam faciat & intercedat. Non enim pro impijs, quanuis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit. Eos etiam, qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui à presbytero Ioui mactãte, & immolatitias carnes veſcente baptizati ſunt, vt baptizentur præcipimus. Progeniem ſuã vnumquenque vſque ad ſeptimam generationem obſeruare decernimus: & ſi valueris, deuitandum doce, ne cui vxor obierit, ampliùs quàm duabus debeat copulari. De his verò, qui patrem vel matrem vel fratrem aut ſororem occiderint, dicimus, vt toto vitæ ſuæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico: abſtineãt etiã ſe à carnis *comeſſatione & potu vini, donec aduixerint. Ieiunẽt 2, 4, & 6. feria, vt ſic deflentes, poſſint diluere commiſſum ſcelus. Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixiſti, quòd quidam ex fidelibus ad immolandum paganis ſua venundent mancipia. Quod vt magnoperè corrigere debeas, frater, commonemus, nec ſinas fieri vltrà. Scelus enim eſt & impietas. Eis ergo qui hoc perpetrauerunt, ſimilem homicidæ indíces pœnitentiam. At quoties Epiſcopum conſecraueris, duo vel tres conueniant tecum Epiſcopi, vt Deo ſit gratum, quod geritur: & eis conuenientibus ipſiſque præſentibus conſecres. Hæc te frater chariſſime diligenter obſeruare volumus, & ſtudio pietatis cœptum negotium ſalutis exequi, vt de lucro apportato valeas à Domino Deo noſtro mercedem percipere in æterna beatitudine. Priuilegium verò iuxta quod petîſti, facientes, his iunctum direximus, optãtes te Domini Dei noſtri præſidio de conuerſione errantium pleniſſimum apportare lucrum. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater.

Sacrificia pro Catholicis defunctis.

Pœna parricidarum canonica.

Nota ſacrificia ethnicorum Germanorum.

Cap. 27. Redeuntes igitur nuncij, & Præſulis Apoſtolici tum ſcripta, tum munera optata reportantes, ingenti ſanctum Bonifacium gaudio afficiunt. Itaque ſicut par erat, Deo laudes grateſque agens, mox duas eccleſias conſtruxit, alteram quidem * Friſlariæ, in honorem S. Petri Apoſtolorum principis: alteram verò Amanaburgi, in honorem S. Michaëlis Archangeli: Duo quoq; monaſteriola duabus adiunxit eccleſijs, non minima illic adunata Deo ſeruientium congregatione: vbi etiam hactenùs laudis & cultûs diuini officia peraguntur. His ita cõfectis, S. Bonifacius Baioariorũ regiones, quib' per id tempus dominabatur Hugbertus Dux, inuiſit, prædicationiſq; munus apud illos ſtudioſiſſimè exercens, Ermuuolfum hæreticum peſtilentem, magno diuinæ æmulationis feruore incenſus, ex Canonum præſcripto damnauit & ab eccleſia eiecit. ac deinde ad ſuæ diœceſis homines reuerſus, omnia circumibat, inſtaurans ea, quæ eccleſiarum cura poſcere videbatur. Eo etiam tempore Romam ire decreuit, tum vt Pontificis Apoſtolici, quem ex facie necdum nouerat, conſpectu frueretur & colloquio: tum vt Apoſtolorum & aliorum illic quieſcentium ſanctorum ſeſe precibus commẽdaret. Itaque proficiſcens multa ſtipatus turba Francorum, Baioariorum, & Britannorum, vbi Romam venit, à Pontifice comiter acceptus eſt: porrò Romani omnes tanta cum veneratione proſecuti ſunt, vt ad ſalutarem eius hauriendam doctrinam non pauci confluerent, illumque apud ſe diù retinerent. Cùm autem diſcedere vellet, muneribus & reliquijs ſanctorum, quaſcunq; petijt, à Pontifice liberaliter & honorificè donatus eſt: quaſdam etiam ab eodem epiſtolas ad Epiſcopos, Abbates & omnes Germaniæ principes accepit, quarum exempla huc adſcribemus.

** in Fritiſlar*

Ermuuolfus hæreticus.

Rurſus Romam venit.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſsimis nobis omnibus Epiſcopis, venerabilibus presbyteris, religioſis Abbatibus omnium prouinciarum.

DOmino cooperante & ſermonem confirmante, præſens ſanctiſſimus vir Bonifacius, frater ac coëpiſcopus noſter, à deceſſore noſtro ſanctæ recordationis Gregorio Præſule in Germaniæ partes miſſus prædicare verbum Dei, poſt multum temporis orationis cauſa liminibus ſacris beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli præſentandus aduenit. Qui perfecta oratione, ad acceptum laborem, Angelo Domini præueniente, à nobis eſt abſolutus: cui veſtra omnium dilectio ſeu reuerentia & religioſitas propter Chriſti amorem iuuamina impendere dignetur: dum & agnoſcitis, quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus promiſit, dicens: Qui ſuſcipit prophetā in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui ſuſcipit iuſtum in nomine iuſti, mercedē iuſti accipiet. Et ſi forſan quis ex veſtris miniſtris ſeſe ipſi ſanctiſſimo viro in miniſterio exhortationis ſanctæ Catholicæque fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis chariſſimi: ſed magis concurſum præbete, & ex veſtro ouili adiutores tribuite, qui poſſint per Dei gratiā ſufficienter gentibus miniſtrare verbum prædicationis, vt omnipotenti Deo animas lucrifaciant: vt & veſtra communitas boni operis portionem ſortiatur, atq; illi mereantur Dominicā vocem audire: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.

Cap. 28. Epiſto. Gregorij 3. Matth. 10. Matth. 19.

Gregorius Papa vniuerſis optimatibus & populo prouinciarum Germaniæ Thuringis, & Heſsis, Bortharis & Niſtreſis, Vuedreuis & Lognais, Suduodis & Graueldis, vel omnibus in Orientali plaga conſtitutis.

QVoniam deceſſor noſter ſanctæ recordationis Gregorius Præſul, nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam, præſentium portitorem literarū Bonifacium, reuerentiſſimum fratrem noſtrum ac coëpiſcopum ordinans, ad vos vſque deſtinauit, cumq; regulam & normam Apoſtolicæ & Catholicæ fidei edocens direxit: & poſt temporum ſpatia orationis cauſa ad limina beatorum Apoſtolorum ſeſe præſentauit, & quæ ad ſalutem animarum pertinent, à nobis poſcit imbui: nos Deo fauente, vt ſacra docet ſcriptura eum educantes, ad vos chariſſimi remeandum abſoluimus: hortantes vos in Domino, vt dignè ſuſcipiatis ab eo verbum exhortationis, vt Epiſcopos vel presbyteros, quos ipſe ordinauerit per Apoſtolicam ſibi datam authoritatem, in Eccleſiæ miniſterio recipiatis. Et ſi quos forſan deuiantes inuenerit à rectæ fidei tramite, ſeu canonica doctrina, eoſque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur: & quod eis impoſitum fuerit, obediendo propter Deum ſuſcipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, ſibimetipſi damnationem acquirit. Vos autem chariſſimi, qui in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, abſtinete ab omni cultu paganorum, non tantùm voſmetipſos corrigētes, ſed & ſubditos veſtros. Diuinos autem & ſortilegos, vel ſacrificia mortuorum ſeu lucorum, vel fontium auguria vel phylacteria & incantatores, & maleficos, & obſeruationes varias, quæ in veſtris finibus fieri ſolebant, omninò reſpuentes atque abijcientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini, ipſum timete, adorate & honorificate, ſanctorum memorijs communicantes, vt ait Apoſtolus. Si enim fides veſtra iuxta Domini noſtri dicta, fuerit ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer, & transferetur. Item ipſe Dominus & Saluator noſter in ſuo ſacro eloquio docet, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. & iterùm: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cælis eſt. Item alibi promittit, dicens: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. &: Petite & accipietis: quærite & inuenietis. Pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Et vos chariſſimi, facite fructus dignos, vt in die aduentūs Domini noſtri Ieſu Chriſti ſidereas mereamini adipiſci manſiones.

Cap. 29. Alia eiuſdē Epiſtola. Galat. 4. Luc. 17. Matth. 22. Luc. 12. Iohan. 14. Matth. 7.

Dilectiſsimis nobis Epiſcopis, in prouincia Baioariæ & Alemanniæ conſtitutis, Vuigoni, Luidoni, Rudolto & Viuilo ſeu Addæ, Gregorius Papa.

CAtholica ſanctorum Patrum authoritas iubet, vt bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani, ſeu exhortatione adoptionis filiorum, ſynodalia debeant celebrari, vt cauſarum Canonicarum examinatio prouenire poſſit, atque vt neceſſitas vniuſcuiuſque popoſcerit, pia educatio agatur. Vnde ſecundùm Apoſtoli doctrinā admoneo &

Cap. 30. Alia epiſtola Gregorij 3. Epheſ. 4.

neo &

neo & hortor vos chariſſimi,per miſericordiam Dei, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis,vt miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Opportunũ nanque eſt vos nôſſe fratrem ac coëpiſcopum noſtrum,præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem,cum digno ac debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere, & miniſterium Eccleſiaſticum cum fide Catholica ſecundùm morem & normam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, cui (miſericordia Dei præueniente) præeſſe videmur,ſicut Apoſtolica authoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter teneatis,& gentilitatis ritum & doctrinam vel venientium Britonum, vel falſorum ſacerdotum & hæreticorum aut vndecunque ſint, renuentes ac prohibentes abijciatis,& vt populum vobis à Deo commiſſum pijs admonitionibus edoceatis, & à ſacrificijs mortuorum omninò abſtineatis, & iuxta quod fueritis à prædicto noſtro conſacerdote edocti,ita Catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes, Domino Deo Saluatori noſtro placeatis, & in quo vobis loco ad celebranda concilia conuenire mandauerit,ſiue iuxta Danubium,ſiue in ciuitate Auguſta, vel vbicunque indicauerit,pro nomine Chriſti parati eſſe inueniamini: quatenùs cognoſcamus per eius mandatum de veſtro conuentu,vt in die aduentûs Chriſti Ieſu, cum fructu boni

Eſa.8. operis ante eius tribunal aſſiſtere mereamini, dicentes: Ecce nos & pueri, quos dediſti nobis Domine:non perdidimus ex eis quenquam: vt & vos Dominicam vocem

Matth.25. audire mereamini dicentem: Venite benedicti patris mei,percipite regnum,quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

Cap.31. S.Bonifaci⁹ venit Ticinum,inde in Bauariā.

Hiſce literis Pontificis inſtructus Bonifacius,Roma diſceſſit,Ticinumque veniens, apud regem Longobardorum aliquandiù moratus eſt. Porrò inde recedens,ab Vtilone Duce inuitatus,Baioariorum terras viſitauit, manſitque apud illos diebus multis, verbum Dei prædicans,veræq; fidei ſacramẽta illic renouans.Inter quæ etiam quoſdam eccleſiarum deſtructores & populi euerſores profligauit, è quibus alij Epiſcopos ſe mentiebantur,alij presbyterij miniſterium ſibi vſurpabant,atque alij alia innumera improbè fingentes,magna ex parte populum ſeduxerant. Sed cùm tantam ſacerdotum fallaciam atque malitiam aliter arceri non poſſe cerneret, Baioariæ pro-

Bauariā in quatuor parœcias partitur.

uinciam, Vtilone Duce conſentiente,in quatuor parœcias diſtribuit, eiſque tres eximia virtute viros præfecit, cùm eos priùs epiſcopos ordinâſſet. Ex his primus fuit Iohannes,quem voluit Saliſburgenſis oppidi cathedram obtinere. Alter Erimbertus,qui Friſingenſi eccleſiæ præfectus eſt. Tertius Gouuiboldus Ratiſponæ, quæ eſt Baioariæ metropolis,antiſtes inſtitutus eſt. Viuilus verò, à Præſule Apoſtolico iam ordinatus,Patauienſi eccleſiæ epiſcopus datus eſt: ſed eius parœcia, quæ quarta erat, à S.Bonifacio inſtar aliarum diuiſa eſt. His ergo epiſcopis ita inſtitutis, correctiſque ijs,quæ in Baioaria emendatione digna videbantur, ad ſuas eccleſias ſe recepit: nec diù pòſt,quæ in Baioaria geſſiſſet,Romano Pontifici per literas indicauit. Ille verò eius facta approbans,hunc in modum ei reſpondit:

Reuerentiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio coëpiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

Cap.32.

DOctoris gentium egregij & beati Pauli Apoſtoli vox eſt, dicentis: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agnoſcentes itaq; in ſyllabis fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paga-

100000. Germanorū conuertit S. Bonifacius.

norum liberauit, & ad centum millia animas in ſinu ſanctæ matris Eccleſiæ tuo conamine & Caroli Principis Francorum aggregare dignatus eſt: ſed & in Baioariorũ prouincia quæ à te acta ſunt, agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro extenſis ad cælum manibus gratias retulimus: quia ianuam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperijs ad cognoſcendam viam ſalutis aperuit, & miſit angelum ſuum,qui præparabit viam tuam ante te. Igitur quia indicâſti perrexiſſe te ad gentem Baioariorum,& inueniſſe eos extra ordinem Eccleſiaſticum viuentes, dum Epiſcopos non habebant in prouincia,niſi vnum,nomine Viuilum, quem nos paulò antè ordinauimus, & quia cum aſſenſu Vtilonis Ducis eorundem Baioariorum ſeu optimatum prouinciæ illius tres alios ordinâſſes epiſcopos, & in quatuor partes illã diuiſiſti,id eſt,in quatuor parochias, vt vnuſquiſq; Epiſcopus ſuam habeat parochiã: benè & ſatis prudenter peregiſti frater, quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impléſti,& ſicut tibi præcepimus,ita egiſti. Itaq; non deſinas frater reuerentiſſime docere eos ſanctam, catholicam & Apoſtolicam Romanę ſedis traditionem vt illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia perue-

peruenire. Preſbyteros autem, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi, à quibus ſint ordinati, & dubium eſt eos epiſcopos fuiſſe, qui eos ordinauerunt, ſi bonæ actionis & catholici viri ſunt ipſi preſbyteri, & in miniſterio Chriſti omniq; lege ſancta educati, ab Epiſcopo ſuo benedictionem preſbyteratûs ſuſcipiant & conſecrẽtur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi verò, qui baptizati ſunt per diuerſitatem & declinationem linguarum gentilitatis, ſi tamen in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manûs impoſitionem & ſacri chriſmatis confirmari. Nam Viuilus epiſcopus à nobis eſt ordinatus. Hic ſi aliquid excedit extra Canònicam regulam, doce & corrige eum iuxta Romanæ Eccleſiæ traditionem, quam à nobis accepiſti. De concilio verò vt iuxta ripam Danubij debeas celebrare noſtra vice, præcipimus fraternitati tuæ Apoſtolica authoritate, te ibidem præſentari: & inquantùm Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, vt religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam frater, pro incepti laboris vtilitate, in vno morari loco, ſed confirmatis cordibus fratrum & omnium fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperijs partibus, vbi tibi Dominus aperuerit viam ſalutis, prædicare non deſiſtas, & vbi locum inueneris, ſecundùm Canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice, & Apoſtolicam atq; Canonicam traditionem eos tenere edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime frater, itinera carpere aſpera & diuerſa, vt Chriſtiana fides longè lateque tuo conamine extendatur. Scriptum nanque eſt: Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Operare itaque frater opus bonum quod cœpiſti, vt in die Chriſti Ieſu merearis dicere: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi: non perdidi ex eis quenquam. & iterum: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinq; ſuperlucratus ſum: vt ſubſequenter merearis audire vocem Domini, dicentis: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te cõſtituam: intra in gaudiũ Domini tui. Deus te incolumem cuſtodiat reuerentiſſime frater. Data 4. Calend. Nouembris, imperante domino pijſſimo Auguſto Leone, imperij eius anno 23. ſed & Conſtantini imperatoris eius filij anno 20. Indictione 8.

Matth. 7. Eſa. 8. Matth. 25.

Ea tempeſtate cùm Carolus Dux inclytus vitæ ſuæ curſum exegiſſet, & filij eius Carolomannus & Pipinus ei ceu patri ſucceſſiſſent in imperio, cùm ad nutum Carolomanni, qui erat maior natu, omnia paterni regni iura diſponerentur, S. Bonifacius eum acceſſit, & Apoſtolici Præſulis ſcripta offerens, modis omnibus petijt, vt Chriſtianæ religionis cultum, quem pater eius animo promptiſſimo inchoâſſet & exercuiſſet, ipſe quoque pro Dei amore, & regni ſui ſtabilimento, atq; pro omniũ ipſi ſubiectorum ſalute, eadem beneuolentia proſequeretur. Quibus ille verbis haud aliter atque diuino oraculo permotus & compunctus, omnes ſuæ ditionis homines, tum clericos, tum laicos, qui à Chriſtiana religione deflexiſſent, tam regia quàm Canonica authoritate ad viam iuſtitiæ reuocare ſtuduit: iuſſitq; vt coacta Synodo, omnia ad Canonum præſcriptum corrigerentur: cuius quidem Synodi decreta, quòd non modò ſecularibus, ſed etiam eccleſiaſticis rectoribus plurimum vtilitatis & ædificationis adferre poſſe videantur, ſicut ea in antiquis codicibus ſcripta reperimus, hic inſerere viſum eſt.

Cap. 33. Bonifacius adit Carolomannum

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ego Carolomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo quadrageſimoſecundo, vndecimo Calendas Maij, cum conſilio ſeruorum Dei & optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cum preſbyteris ad Concilium & ſynodum pro timore Chriſti congregaui, id eſt, Bonifacium Archiepiſcopum, Burchardum & Reginfridum, Vuittanum & Vuilliboldum, Dadanum & Adanum cum preſbyteris eorum, vt mihi cõſilium dediſſent, quomodò lex Dei & Chriſtiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum diſſipata corruit: & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animę peruenire poſſit, qui per falſos ſacerdotes hucuſq; deceptus eſt. Itaq; per conſilium ſacerdotum religioſorum & optimatum meorum ordinauimus per ciuitates epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt Miſſus S. Petri. Statuimus quoque per annos ſingulos ſynodum congregari, vt nobis præſentibus Canonum decreta, & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur. Fraudatas pecunias eccleſiarum, eccleſijs reſtituimus & reddidimus: falſos preſbyteros & adulteros vel fornicatores diaconos & clericos de pecunijs eccleſiarum abſtulimus & degradauimus, & ad pœnitentiam coëgimus. Seruos DEI per

Cap. 34. Synodus tẽpore Carolomanni.

S. Bonifacius Archiepiſcopus, legatus S. Petri.

per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere omninò prohibuimus: niſi illos tantummodò, qui propter diuinum * myſterium; Miſſarum ſcilicet ſolennia adimplenda, & ſanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt, id eſt, vnum vel duos Epiſcopos cum cappellanis presbyteris princeps ſecum habeat, & vnuſquiſque præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicere pœnitentiam poſſit. Necnon & illas venationes & ſyluaticas vagationes cum canibus, omnibus ſeruis Dei interdiximus, & vt accipitres & falcones non habeant. Decreuimus quoque vt iuxta ſanctorum Canones vnuſquiſq; presbyter in parochia habitans, ſubiectus ſit illi Epiſcopo, in cuius parochia habitat, & ſemper in Quadrageſima rationem & ordinem miniſterij ſui, ſiue de baptiſmo, ſiue de fide Catholica, ſiue de precibus & ordine Miſſarum, Epiſcopo reddat & oſtendat: & quandocunque iure Canonico Epiſcopus circumeat ad confirmandos populos, presbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet: & in Cœna Domini ſemper nouum chriſma accipiat ab Epiſcopo, & vt Epiſcopus ſit teſtis caſtitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius. Statuimus quoque vt ſecundùm Canonicam cautelam, omnes vndecunque venientes ignoti Epiſcopi vel presbyteri, ante probationem ſynodalem in eccleſiaſticum miniſterium non admittantur. Decreuimus, vt ſecundùm Canones vnuſquiſq; Epiſcopus in ſua parochia ſolicitudinem gerat, adiuuante grauiore, qui defenſor eccleſiæ eius eſt, vt populus Dei paganias non faciat, ſed vt omnes ſpurcitias gentilitatis abijciat, ſiue ſacrificia mortuorum, ſeu ſortilegos vel diuinos, ſiue phylacteria & auguria, ſiue incantationes vel hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines iuxta eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine ſanctorum martyrum vel confeſſorum, Deũ & ſanctos ſuos ad iracundiam prouocantes. *Statuimus ſimiliter*, vt poſt hanc ſynodum, quæ fuit vndecimo Calend. Maij, quiſquis ſeruorum Dei vel ancillarum Chriſti, in crimen fornicationis lapſus fuerit; in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et ſi ordinatus presbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, anteà flagellatus. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus, vnum annum pœnitentiam ibi agat. Decreuimus quoque vt presbyteri vel diaconi, non ſagis laicorum more, ſed caſulis vtantur ritu ſeruorum Dei, & nullus in domo ſua mulierem habitare permittat: & vt monachi & ancillæ Dei monaſteriales iuxta regulam S. Benedicti viuere ſtudeant. Statuimus quoque cum conſilio ſeruorum Dei & populi Chriſtiani, propter imminẽtia bella & perſecutiones multarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, vt ſub precario aliquam partem eccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitûs noſtri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus ea conditione, vt annis ſingulis de vnaquaque caſata ſolidus, id eſt, duodecim denarij, ad eccleſiam vel monaſterium reddatur eo modo, vt ſi moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit. Et iterùm ſi neceſſitas cogat, vt princeps iubeat, precarium renouetur, & ſcribatur nouum, & omninò reſeruetur, vt eccleſiæ vel monaſteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit. Similiter præcipimus, vt iuxta decreta Canonum, adulteria & inceſta matrimonia prohibeantur, & emendentur Epiſcoporum iudicio, & vt mancipia Chriſtiana paganis non tradantur.

*miniſteriũ

Nouum chriſma ſẽper in cœna Domini.

Pœna ſacerdotũ, clericorũ & monachorum in fornicationem labentium.

Cap. 15. Hæc nimirùm religionis decreta ſiue ſtatuta, à neophytis (ſic enim author loquitur) principibus tunc promulgata, ſi conferantur cum ijs legibus, quas hodiè condunt rectores quidam, à teneris annis vſque in ſenectutem omni Chriſtiana diſciplina imbuti & inſtructi, facilè licebit intelligi, quanto perfectiores neophyti iſti fuerint hiſce patribus doctiſſimis: qui non modò apud reges & principes locorum ſanctorum vtilitatem & commoda negligunt, ſed ipſi etiam loca ſancta ipſis commiſſa modis omnibus deſtruunt. O mores, omni lachrymarum fonte plangendos: O miſerandam nimis eiuſmodi morum mutationem, quando pueri ſenibus, cæci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religioſiores comperiuntur. Olim multis in prouincijs, vbi ſanctæ Eccleſiæ vineis recens plantatis, necdum vel notitia ſpiritalium fructuum ad omnes perlata erat, permulti viri ſeculares dicere ſolebant: Quandoquidem ob noſtram fragilitatem à mũdi voluptatibus, quibus aſſueuimus, necdum ipſi penitùs nos continere valemus, ſaltem alios congregemus, qui Deo ſeruiant, illoſque noſtris opibus ſuſtentemus, vt illi ſuis precibus alijſque ſtudijs ſpiritualibus nos foueant, ne pereamus. At nunc, quando virtutum omnium cognitio vel experientia, vel lectione com-

Nota priſcorum hominum de monaſterijs ſententiam.

comperta, penè omnibus innotuit, nec quiſquam è religione Chriſtianus dicere poteſt, nemo nos conduxit: tum clerici, tum laici permulti dicere ſolent: Quorſum attinet tot extare monaſteria, tot agmina monachorum? Præſtaret ea prædia, ex quibus monachi nullo fructu ſaginantur, noſtris ſeruitijs aſſignari. Hæc, inquam, non pauci verbis, plures re ipſa loquuntur: quaſi illorum improbitas & nequitia minùs ſit datura pœnas, ſi nullus ſuperſit monachus.

At illi, quem diximus, Carolomanno longè alia mens fuit: qui licèt, antequã eſſet S. Bonifacij concionibus inſtitutus, de Chriſtiana religione parùm ſciuerit: attamen illius adhortationibus in timóre & amore Dei celeriter ita perfectus eſſe cœpit, vt humana ſimul & diuina ſapienter diſponeret, nihilque iura ſecularia abſq; cultûs diuini adminiſtratione, cui monaſtica vita addicta eſt, proficere nõ ignoraret. Ita & Carolus Magnus, filius fratris eius Pipini, qui ab vrbe Romana vſq; in Phriſiam, ab Hungaria vſq; in Britanniam regna omnia ſibi ſubegit, cùm iis in ſuam ditionem redigendis eſſet occupatus, non aliter ſibi victoriam eſt auſus polliceri, niſi interim monaſteria omnia, in iis regnis extructa, aliquo beneficio augeret. Qua in re ſi quis parùm mihi credit, legat inprimìs geſta illius: deinde perluſtret monaſteria, quæ eius tempore fundata habuit Italia, Gallia, Germania, comperietq; ea aliqua Caroli liberalitate prouecta: alia quidem priuilegio quodam libertatis, alia prædijs, niſi fortè ea poſteriores reges vel Epiſcopi illis abſtulêre. Et certè reges aliquot, Caroli ſucceſſores, licèt alioquì præclaris moribus multisq; laude dignis ſtudijs floruerint, ea tamen in re non mediocriter peccârunt, quòd nonnulla monaſteria vel ipſi tum immenſa quadam officiorum exactione, tum prædiorum ablatione deſtruxêre: vel Epiſcopis, aut etiam laicis quibuſdam, nihil minùs, quàm monaſticam religionem curantibus, ea deſtruenda tradidêre. At Carolus noſter non ſolùm nihil horum feciſſe fertur, ſed contrà potiùs loca quædam etiam ad epiſcopi ditionem attinentia, prædijs duplicibus redditis, communi cõſilio ab Epiſcopi ditione abſoluiſſe, regiaque libertate extuliſſe: ſicut, verbi gratia, S. Emmerammi monaſterium: prophetico, vtì reor, ſpiritu præuidens, quod & nos cernimus, & maiores noſtri iam pridem completum viderunt, nempe loca ſancta, rebus neceſſarijs omnibus abundè inſtructa ab ipſis fundatoribus, poſtquàm Epiſcopis tradita fuerint, ad ſummam inopiam & totius regularis diſciplinæ euerſionem redactũ iri. Neque tamen hoc ita accipi velim, quòd ſentiam monaſteria omnia, quæ Epiſcopis ſubiecta ſint, deſtructa eſſe: ſed ſanè partem maximam. Quod quidem eo magis dolendum & miſerandum eſſe videtur, quòd non ab illis hæc fiant, qui legis diuinę præcepta ignorent, ſed à viris doctiſſimis, qui monaſteria ipſis commiſſa deſtruentes, non ſolùm ipſi peccant, ſed etiam laicis authores ſunt ad ſimilia perpetranda. Quis enim laicus ſibi putet non licere, quod clericos audere conſpiciat? Itaque in his omnibus Carolum nobis ceu quoddam exemplar proponere poſſumus. Nam ſicut inter reges ſucceſſores eius non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi: ita nullus eorum poſt eum tanta gloria tantaque potentia & imperij amplitudine potitus fuit, meritoque de illo dicitur: Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur a generatione in generationem. Quando ergo ſe obtulit occaſio, vt dum commemoramus, quanta ſub priſcis principibus religio floruerit, & quàm ea ſub illis, qui noſtra ætate fuêre, labefactata ſit, huiuſmodi contrarijs ſtudijs proponendis, (quo facilè, quid ſit melius, eluceſcit) quoſdam ad meliora prouocaremus: nemo, obſecro, putet hæc lectu vel auditu indigna: ſed potiùs ſeipſum inſpiciens & colligens, ſi hac in parte reum ſe nouit, reſipiſcere & emendare ſeſe conetur, dum veniæ tempus, Domino præſtante, ſuppetit, ne fortè ſubita occupati morte, pœnitentiæ ſpatia fruſtrà expetamus. Sed iam ad narrationem reuertamur.

Cap. 36. Carolomãni pietas. Caroli Magni potẽtia & religio. Liberalitas in monaſteria. Laus Caroli Magni. Eccl. 39.

Cùm ita, vt diximus, Carolomanno iubente, S. Bonifacio conſulente, Synodus haberetur, multi illic non ſolùm clerici quilibet, hæretica prauitate infecti, extra Eccleſiæ communionem pellebantur: ſed etiam Epiſcopi, capitalium criminum maculis infames, deponebantur. Totius autem erroris, qui tum in Germania graſſabatur, præcipui authores duo fuêre hæretici, Clemens & Aldebertus, de quibus poſteà cùm Epiſtolas ad Zachariam Pontificem datas protulerimus, opportuniùs dicetur. In iis enim illorum hæreſis exitialis commemoratur. Depoſitus tunc eſt etiam * Geruilio, Moguntinæ ſedis antiſtes. cuius quidem depoſitionis cauſa fuit hæc. Ea tempeſtate Saxonibus Thuringiam vaſtantibus, eius prouinciæ homines Carolomanni opem implorabant. Ille mox exercitum mittit, & cum eo Geroldum Moguntinum epiſcopum,

*Cap. 37. Clemens & Aldebertus hæretici. * Geuilio b*

Geruilionis patrem. In ipſo autem conflictu, Geroldus cum pleriſque alijs cæſus eſt. Geruilio verò filius eius, qui tum adhuc laicus in palatio verſabatur, in clerum aſciſcitur leniendi doloris cauſa, quem ex patris morte conceperat, eidemq; in Moguntino pontificatu ſubrogatur. Non diù pòſt Carolomannus rurſus colligit militem, proficiſcitur contra Saxones, Geruilionem ſecum ducit. Exercitu vtroq; vltra citraq; ripam fluminis Viſurgis (author vocat Vuiſaraham) conſidente, Geruilio iubet puerum ſuũ ire ad hoſtium caſtra, diligenter illic inquirere nomen eius, qui patrem ipſius interfecerat. Abit puer, diſcit ex quodam non longè abeſſe eum, quem quæreret: rogat, vt ad domini ſui colloquium properare velit. Venit ille, & aduentu eius denunciato, paratis equis Epiſcopus Geruilio ei procedit obuiàm, & cùm in medio flumine inter ſe colloquerentur, Geruilio clàm ferens gladium, hominem confodit, ita dicens: Accipe iàm ferrum, quo patrem vindico charum. Ille mox ex equo corruens, in flumine exhalat ſpiritum. Repentè autem eius comperta cæde, ſublato clamore vtrinq; ad arma concurritur, fit pugna atrox, Saxonibus victis, Carolomannus ad ſua ſe recipit, nemine tñ id, quod Geruilio fecerat, pro homicido ei imputante. Itaque reuerſus domum, perrexit ſolito more Epiſcopi munia obire. At ſanctus Præſul Bonifacius inter cætera hoc etiam in Synodo pronunciauit, neminem, qui hominis cæde pollutus ſit, ſacerdotio fungi poſſe. Tum etiam obiecit ei, ſuis ſe conſpexiſſe oculis illum cum auibus & canibus ludentem, quod Epiſcopo fas non eſſet. Geruilio his auditis, ſentiens ſe nullo pacto contra ſtimulum vel ſecularis potentiæ, vel Canonicæ authoritatis, quæ per S. Bonifacium in præſentes omnes proferebatur, calcitrare poſſe, omniũ de ſe calculis ſubſcripſit, & exauthoratus eſt. Eo autem depoſito, S. Bonifacius à Carolomanno & Pipino fratre eius Moguntinę ſedi præficitur, & vt eius dignitas eſſet eminentior, ſtatuerunt ijdem principes Eccleſiam Moguntinam, quæ tum alteri ſubiecta erat, in totius Germaniæ eccleſiarum metropolim prouehere: miſſaq; mox legatione, à Romano Pontifice id impetrârunt.

Geruilio fit Epiſcopus Moguntiæ. *Geruilio interficit Saxonem.* *S. Bonifacius primus Moguntinus Archiepiſcopus fit.*

Cap. 31. Præclara eius ſtudia.

Ea verò authoritate fretus S. Bonifacius, cœpit vbiq; ceu nouus quidam archimandrita plantare diuina, extirpare & profligare, quæ Satanæ ſunt, cœnobia & eccleſias cõſtruere, iiſdem eccleſijs paſtores ſolertiſſimos præficere. Nam præter multos iam antè ab ipſo inſtitutos Epiſcopos, in quibus fuêre Villiboldus Eiſtetẽſis, & Burchardus Vuirciburgicus ſiue Herbipolenſis antiſtites, etiam Gregorium Traiectenſi vrbi ordinauit Epiſcopum, & Lullũ ſibi adhuc viuenti in ſede Mogũtina ſubſtituit. Sunt verò & alia tum ab eo geſta in Germania, quæ non niſi in epiſtolis habentur ſcripta. Itaque libet ea cauſa literas tum à Bonifacio ad Zachariam Romanum Pontificem, tum à Zacharia ad Bonifacium, vel pro illo ad Germaniæ Principes datas, quas vndecunq; colligere potuimus, huc adſcribere, omiſſis illis, quas ad Britannos ſuos ſcripſit, ne lectori faſtidium adferamus alienis annotandis, cùm nobis noſtra ſufficiant. Noſtra autem ea dico, quæ pro Germanorum, patrum noſtrorum ſalute ſcripſit, vel ab alijs ſcripta accepit. Ex quibus ſanè literis facilè poteſt animaduerti, quanta cura, beneuolentia, humanitate proſecutus fuerit omnes illos ſanctæ Eccleſiæ filios, quos per Euangelium genuit, & vt omnibus omnia factus ſit, vt omnes faceret ſaluos. Quo fit ſanè, vt fidenter ego dicere non verear, eos Germanos, nempe filios eius, qui tanti patris laboribus ſiue ex ſcriptis, ſiue ex fama cognitis, non eum ſummoperè venerantur, eos negligere honorem illum, quem parentibus habere iubemur. Quòd ſi negligentia peccatum eſt, peccatum autem nullum manet impunitum, recte & negligentia pœnas dabit. Tum prætereà ſi iuxta Apoſtolum, patres carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: nónne multò magis obtemperabimus patri ſpirituum? Pater autem ſpiritualis non ſolùm Deus dicitur, ſed etiam illi omnes, quorum doctrina & exemplis ad veritatis notitiam perducimur, ad religionis cultum ſtabilem incitamur. Sicut ergo Abraham, pro fidei & obedientię merito omnibus imitando, dictus eſt pater omnium in Chriſtum credentium: ita etiam ſanctus Præſul Bonifacius, Germanorum omnium pater dici poteſt, quòd eos prædicationis verbo in Chriſto genuerit, exemplo confirmârit, denique animam ſuam pro illis poſuerit, qua charitate nemo poteſt præſtare aut exhibere maiorem. Quæ cùm ſit bonorum omnium origo & finis, nos eam prioris libelli huius volumus eſſe clauſulam, vt ad tempus remiſſo labore legendi, & lectores & auditores vires ſibi colligant & inſtaurent.

Heb. 12. *Geneſ. 17. Rom. 4.* *Johan. 15.*

VITÆ S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS, LIBER II.

LIbro ſuperiori pro ingenioli mei viribus,& veterum ſcriptorũ teſtimonijs,de conuerſatione,peregrinatione & prædicatione ſancti patris noſtri Bonifacij dixi:iam Deo nos benè iuuante, libello ſequenti explicare cupimus,quantùm,poſt Moguntinæ ſedis Pontificatum ipſi attributum,pro ſancta Eccleſia laborauerit,tum contra hæreticos,tum pſeudochriſtianos pugnando, & quali exitu cũ martyrij palma ex hac vita migrârit.Illud vnum de Epiſtolis dicendum videtur,ſatis in ijs multa eſſe explanata,neq; fas eſſe,vt omiſſis illis,quæ ſatis perſpicuè & eruditè prolata ſint,nos alia tanquam ijs potiora componamus:cùm id vitij nedum in ſacris,ſed etiam in prophanis literis meritò reprehendatur. His ita præmiſſis,nunc ad Epiſtolas,quas promiſimus,deſcribẽdas accedamus,primo loco illam collocantes,quam primam ipſe ſcripſit Zachariæ Romano Pontifici. Etſi autem ea miſſa fuit ante Synodum,quam ſuprà retulimus,quando tamen ad ſequentes epiſtolas partim pertinet,& vnius Pontificis tempore omnes poſteriores literæ ſcriptæ ſunt, nos omnes in hunc librum pariter conferemus.

Domino chariſsimo,ſummi Pontificatûs infula prædito,viro Apoſtolico Zachariæ,Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei.

COnfitemur domine pater,quia per nuncios referentes, quòd venerandæ memoriæ Apoſtolatûs veſtri præceſſor Gregorius ergaſtulo corporeo abſolutus,ad Dominum migrauit,quòd maiorem lætitiam non audimus, & expanſis ad æthera palmis Deo gratias egimus,quòd clementem Paternitatem veſtram altiſſimus arbiter canonica iura regere,& Apoſtolicæ Sedis gubernacula tenere conceſſit. Ergo nõ aliter, quàm vt ante veſtigia veſtra geniculantes,intimis flagitamus precibus, vt ſicut præceſſorũ veſtrorũ,pro authoritate S. Petri, ſerui ſubditi & ſubditi diſcipuli fuimus,ſic & veſtræ pietatis ſerui obediẽtes,ſubditi ſub iure canonico,fieri mereamur,optantes Catholicam fidem & vnitatem Romanæ Eccleſiæ ſeruare: & quantoſcunque audientes vel diſcipulos in iſta legatione mihi donauerit Deus, ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis inuitare & inclinare non ceſſo. Neceſſe quoque habemus indicare Paternitati veſtræ,quia per Dei gratiam Germaniæ populis aliquantulùm perculſis vel correctis, tres ordinauimus Epiſcopos, & prouinciam in tres parochias diſcreuimus,& illa tria oppida ſiue vrbes, in quibus & ordinati ſunt,ſcriptis authoritatis veſtræ confirmari & ſtabiliri precantes deſideramus. Vnam eſſe ſedem Epiſcopatis decreuimus in caſtello,quod dicitur Vuirtzburg: & alteram in oppido, quod nominatur Buriburg: tertiam in loco, qui dicitur Erpheſfurt, qui fuit olim vrbs paganorum. Hæc tria loca propria authoritate Apoſtolatûs veſtri roborari & confirmari diligenter poſtulamus, vt ſi Dominus voluerit,per authoritatem & præceptum S. Petri iuſſionibus Apoſtolicis fundatæ & ſtabilitæ ſint tres in Germania epiſcopales Sedes, & vt præſentes vel futuræ generationes non præſumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apoſtolicæ Sedis. Notum ſimiliter ſit P.V. quòd Carolomannus Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogauit, vt in parte regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, faciam Synodum congregari, & promiſit ſe de Eccleſiaſtica religione, quæ iam longo tempore, id eſt,non minùs, quàm per ſexaginta vel ſeptuaginta annos calcata & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter ſi hoc Deo inſpirante veraciter implere voluerit, conſilium & præceptum veſtræ authoritatis habere debeo. Franci enim, vt ſeniores dicunt,pluſquàm per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt,nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica iura alicubi fundabant vel renouabant. Modò autem maxima ex parte ciuitates & Epiſcopales ſedes traditę ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel clericis ſcortatoribus & publicanis ſeculariter ad perfruendum. Nam ſi per verbum veſtrum hoc negocium, Duce rogante ſupradicto, amouere & corrigere debeo,præceptum & iudicium Apoſtolicæ Sedis cum * canonicis eccleſiaſticis præſtò habere cupio. Si inuenero inter illos Diacones,quos nominant,qui à pueritia ſua ſemper in ſtupris,ſemper in adulterijs,& in omnibus ſemper ſpurcitijs vitam ducentes, ſub tali teſtimonio venerunt ad Diaconatum,& modò in Diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel

Cap. 1.

En quantũ defert Romano Pontifici vir tantus.

Epiſcopatus 3. à S. Bonifacio inſtituti.

Nota Ducis petitionem

Vir ſanctus ad reformãdos Francorum mores Pontificis Ro. voluntatem expectat & expetit.

plures noctu in lecto habentes, Euangelium tamen legere, & Diaconos ſe nominare nec erubeſcunt, nec metuunt: & ſic in talibus inceſtis ad ordinem Presbyteratûs venientes, in iiſdem peccatis perdurant: & peccata peccatis adiicientes, dicunt ſe pro populo poſſe intercedere, & ſacras oblationes offerre. Nouiſſimè, quod peius eſt, ſub talibus teſtimonijs per gradus ſingulos aſcēdentes, ordinãtur & nominãtur Epiſcopi: ſi, inquam, tales inuenero inter illos, rogo vt habeã præceptum conſcriptum authoritatis veſtræ, quid de talibus definiatis, & per reſponſum Apoſtolicum conuincantur & arguantur peccatores. Inueniuntur etiam quidam inter eos Epiſcopi, qui licèt ſe fornicarios & adulteros dicant non eſſe, ſunt tamen ebrioſi, vel venatores, & pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu ſanguinem hominum, ſiue paganorum, ſiue Chriſtianorum. Et quia ſeruus & legatus Apoſtolicæ Sedis eſſe dinoſcor, vnum ſit verbum & meum hîc, & veſtrum ibi, ſi contingat, vt ad iudicium authoritatis veſtræ pariter miſſos dirigamus.

Præterea de vna re neceſſe habeo & cõſilium quærere, & licentiam petere, eò quòd venerandæ memoriæ præceſſor veſter, ſicut audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit, vt presbyterum ante obitum meum, Deo volente, in Eccleſiaſtico miniſterio hæredē & ſucceſſorem conſtituere deberem. Et hoc mihi, ſi Dei voluntas eſt, placet. Sed modò dubito, & neſcio ſi fieri poſſit: quia poſteà frater illius auunculum Ducis Francorũ occidit, & adhuc ignoramus, qualiter iſta diſcordia pacificari & finiri valeat. Sed obſecro, vt authoritatis veſtræ licentia ſit, cum conſilio ſeruorum Dei de iſta electione facere, quod nobis in commune pro Eccleſiæ vtilitate, vel fructu ſpirituali & defenſione religionis optimum eſſe videatur: vt conſenſum veſtrum habeam de hoc facere, quod optimum mihi inſpirare dignetur Deus: quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius Princeps fuerit.

Obſerua ſancti viri erga Rom. Pontificem reuerentiã.

Præterea quærere & interrogare paternitatis veſtræ conſilium debeo de quadam confuſione, quæ nuper ad nos veniens, mentem noſtram conturbauit, & ſacerdotibus eccleſiarum verecundiam incutiebat. Nam laicus quidam magnæ perſonæ ad nos veniens, dicebat ſibi ab Apoſtolicæ Sedis Pontifice ſanctæ memoriæ Gregorio datam fuiſſe licentiam, vt in matrimonium acciperet viduam auunculi ſui, quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ipſa illo viuente diſceſſit ab eo, & iſti viro, qui nunc eam accipere deſiderans, affirmat ſibi licentiam datam, in tertia generatione propinqua eſſe dinoſcitur. Hæc etiam votum caſtitatis Deo vouens, velata fuit, & iterùm, abiecto velamine, maritata. Tale enim matrimonium ſupradictus homo ſibi ab Apoſtolica Sede affirmat eſſe conceſſum, quod non æſtimamus verum: quia Synodus & Eccleſia, in qua natus & nutritus fui, id eſt, in tranſmarina Saxonia Lundonenſis Synodus, quæ in primis à diſcipulis S. Gregorij, id eſt, Auguſtino, Laurentio, Iuſto, Melito Archiepiſcopo conſtituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium, maximum ſcelus & horribile flagitium ex authoritate ſanctæ ſcripturæ iudicabant. Quapropter Paternitas veſtra huius rei veritatem nobis indicare non dedignetur, vt Eccleſiæ ſacerdotibus vel populo Chriſtiano inde ſcandala & ſchiſmata nõ oriantur: quia carnales homines & idiotæ Alemanni, vel Baioarij, vel Franci, ſi iuxta Romanam vrbem aliquid fieri viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum eſſe putant, & nobis improperium deputant, ſibi verò ſcandalum vitæ accipiunt: ſicut affirmant ſe vidiſſe annis præteritis in Romana vrbe, & iuxta eccleſiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendæ Ianuarij intrant, paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes & cantiones ſacrilegas facere, & nullum de domo ſua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque, ſe vidiſſe ibi mulieres, pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachijs & cruribus ligatas habere, & publicè ad vendendum venales alijs offerre. Quæ omnia eò, quòd ibi à carnalibus & inſipientibus videntur, hîc, improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ efficiunt. De talibus ait Apoſtolus: Dies obſeruatis & tempora: timeo, ne ſine cauſa laborauerim in vobis. Et S. Auguſtinus dixit: Qui diuinationibus, & aruſpicijs, & phylacterijs, vel quibuſlibet augurijs crediderit, etſi ieiunet & oret, etſi iugiter ad eccleſiam currat, etſi largas eleemoſynas faciat, etſi corpuſculum ſuũ in omni afflictione cruciauerit, nihil ei proderit, quandiù ſacrilegia illa non reliquerit. Nam ſi iſtas paganias ibi paternitas veſtra in Romana vrbe prohibuerit, & ſibi mercedem, & nobis maximum profectum in doctrina Eccleſiaſtica acquiret. Epiſcopi quoque & presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu Epiſcopatûs vel presbyterij fornicationum nati filij arguunt, redeuntes ab Apo-

Angliam dixit.

Galat. 4.

Ser. de Tempore 241.

ab Apoſtolica ſede, dicunt ſibi Romanum Pontificem licētiam dediſſe, miniſterium Epiſcopale in Eccleſia vſurpare. Contra quos contendimus, quia Apoſtolicam Sedē contra decreta Canonum nequaquàm audiuimus iudicâſſe. Hæc omnia domine chariſſime propterea vobis nota fecimus, vt veſtræ authoritatis reſponſum talibus dare poſſimus, vt per cautelam veſtræ doctrinæ oues Eccleſiæ non ſeducantur, ſed lupi rapaces conuicti & ſuperati pereāt. Interea munuſcula parua vobis direximus, nō quia digna ſint paternitate veſtra, ſed pro indicio charitatis, obediētię, & deuotionis, id eſt, villoſam vnam, & argenti & auri tantillum. Dextera Domini protegente, incolumē valere & in Chriſto proficere beatitudinem veſtram in longitudine dierum optamus. Te Deus altithronus ſancta conſeruet in æde, Sedis Apoſtolicæ rectorem tempore longo. Melliflua gratum populis doctrina per orbem, Perficiatq; Deo dignum pia gratia Chriſti. Splendida percipiat florens ſua gaudia mater, Atque domus Domini lætetur prole fœcunda. Teſtimonium ſancti viri de Sede Apoſtolica.

Reuerentiſsimo & ſanctiſsimo fratri Bonifacio Epiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

SVſceptis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ literis per Denehardum preſbyterum tuum, quia te ſoſpitem, vt ſemper cupimus, eſſe cognouimus, omnipotenti ac miſericordiſſimo Deo noſtro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis proſperari dignatur. Magnam enim cordibus noſtris infundis lætitiam, quoties nobis ſanctitatis tuę ſcripta mittuntur, quando reperimus, quæ ad ſalutem reſpiciāt animarum, cùm quotidie in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ per tuam prædicationem noui populi adduntur, vbi & tres Epiſcopos per loca ſingula ſecundùm ſeriem ſyllabarum tuarum te ordinâſſe cognouimus, qui eidem populo, quem ſibi Dominus Deus noſter per tuam ſanctitatem aggregare dignatus eſt, præeſſe debeant: & petiſti, vt per authoritatem noſtræ Sedis Epiſcopales ibidem ſedes firmentur. Sed tua ſancta fraternitas pertractet mature, & ſubtili conſideratione diſcernat, ſi expedit, aut ſi loca aut populorum turbæ tanta eſſe probantur, vt Epiſcopos habere mereantur. Meminiſſe enim debes chariſſime, quod ſacris Canonibus præcipimur obſeruare, vt minimè in villulas, vel in modicas ciuitates Epiſcopos ordinemus, ne vileſcat nomen Epiſcopi. Sed nos tuis ſynceriſſimis atque dilectis ſyllabis prouocati, quæ popoſciſti, abſque mora concedimus, & ſtatuimus per Apoſtolicam authoritatem epiſcopales eſſe illic ſedes, & per ſucceſſionem epiſcopos teneri, qui populis præſint, atque verbum prædicationis ſubiectis inſinuent: vnam quidem in caſtello, Vuirtzburg: & alteram in oppido quod nominatur Buriburg: tertiā verò in loco, qui dicitur Erphesfort: ita vt nulli poſt hæc liceat eā, quæ à nobis ſancita ſunt, violare, & authoritate B. Petri Apoſtoli firma eſſe decreuimus. Cap. 2. Diſt. 80. per totum. Confirmantur à Papa Epiſcopatus à S. Bonifacio inſtituti.

De eo autem, quod nobis intimâſti, quia te Carolomannus filius noſter rogauit, vt in parte Francorum, in ſua ditione conſtituta, Synodum celebrares, eò quòd omnis Eccleſiaſtica regula ſeu diſciplina, ab eadem prouincia funditùs abolita eſt, nimis mœrendum eſt, quòd per ſpatia tanta temporum ibidem Synodus ſacerdotum minimè celebraretur. Vnde neque quid ſit ſacerdotium ab eis, qui ſe ſacerdotes eſſe exiſtimāt, cognoſcitur. Sed dum, iuuante Deo, quæ à præfato filio noſtro promiſſa ſunt, ad effectum perducta fuerint, tuaque fraternitas memorato Concilio conſederit cum eodē excellentiſſimo viro, ſi quos repererit epiſcopos, preſbyteros aut diaconos cōtra Canones vel ſtatuta patrum exceſſiſſe, id eſt, in adulterio, vel ſi plures vxores habuerunt, aut ſi ſanguinem Chriſtianorum ſiue paganorum effuderunt, vel etiam alijs capitalibus vitijs, quibus Canones obuiâſſe reperit tua ſanctitas, nulla ratione Apoſtolica authoritate permittat ſacerdotio fungi: quia tales a ſuo tantùm ore falsò nominantur ſacerdotes, & deteriores ſecularibus eſſe noſcuntur, qui ſe neque à fornicationibus, neque à nefarijs matrimonijs abſtinent, neque ab humani ſanguinis effuſione manus ſeruant innoxias. Aut quid inde ſentiunt, dicente Domino: Sacerdotes mei ſemel nubant: & Apoſtolus, Vnius vxoris virum, &c. Et hoc ante ſuſceptum ſacerdotium vti licitum eſt. Nam a die ſuſcepti ſacerdotij etiam ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt. Quomodo ſe ſacerdotio fungi conſiderant, qui talibus ſceleribus inuoluti monſtrantur, vt neque ſeculares fideles his facinoribus obuolutos optemus? Quomodò nō pertimeſcunt diuina myſteria contingere, aut quomodò ad orandum pro peccatis populi accedere præſumunt, dum ſacri Canones neque purum clericum, cui ſacerdotiū non eſt, ſecundis copulari nuptijs permittunt? Iſti verò econtrariò non ſolū poſt ſuſceptum A ſacerdotio qui ſint arcendi. 1. Tim. 3. Sacerdotibus non licet habere vxores.

ptum ſacerdotium ſe abſtinere nolunt ab vna vxore, immò luxuriæ dediti, peiorá ſæcularibus ſcelera committunt, vt plures vxores habere præſumant, quibus neque vnã conceſſum eſt poſt ſuſceptum miniſterium attrectare. Sed & iſta paruipendentes, atque Dominum ad iracundiam prouocantes, maiora committunt facinora, dum proprijs manibus Chriſtianos atque paganos necant, & fit, vt qui in remiſſionem peccatorum debuerunt lauacrum regenerationis impendere, & Chriſti ſacramenta donare alijs, ne in æternum perirent, eorundem ſacrilegis manibus extinguãtur. Quis enim ſapiens eos æſtimet ſacerdotes, qui neque à fornicationibus abſtinent, neque ab effuſione humani ſanguinis manus ſeruant innoxias? Quíſue eorum ſacrificijs Dominum eſſe credit placatum, dicente Propheta: Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus? Iſtos ergo, vt præmiſi, nec ſacerdotio fungi patiaris, neque Diuina contingere myſteria. Quicquid verò aliud eos contra Eccleſiaſticam regulam exceſſiſſe repereris, Canones ſiue inſtituta patrum præ manibus habeto, & ſicut in eis edoctus fueris, diſcerne.

Pſal. 5.

Quòd autem tibi ſucceſſorem conſtituere petiſti, vt te viuente in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam eſſe monſtratur: ſed volumus, vt tibi miniſtret, & ſit in Euangelio Chriſti adiutor, dicente Apoſtolo: Si quis benè miniſtrauerit, gradum ſibi bonum acquiret. Nimis enim repræhenſibile ac deteſtabile eſſe manifeſtum eſt, vt te viuente, tibi alium ſubſtituamus. Sed hoc admonemus, vt quandiù te diuina iuſſerit clementia ſupereſſe, ſine intermiſſione orare ſtudeas, vt tibi Deus illum ſucceſſorem concedat, qui ei poſſit eſſe placabilis, & populum, quem ad ſuam gratiam per tuæ ſanctitatis induſtriam vocare voluit, irrepręhenſibiliter regere, atque ad viam vitæ perducere valeat. Nam quomodò hæc, quæ popoſciſti, ſi etiam voluerimus, concedere poſſumus, dum nos fragiles homines, ſub conditione mortis conſtituti, ignoremus quid ſuperuentura pariat dies, & quis è nobis prior de præſenti ſeculo migret? Si autem eundem diuina voluerit clementia poſt tui tranſitus diem ſupereſſe, ſi eum aptum agnoueris, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de præſenti ſeculo migraturum cognoueris, præſentibus cunctis tibi ſucceſſorem deſigna, vt huc veniat ordinandus: quod nulli alij concedi patimur.

7.q.1. De eo autem. Vel: Petiſti, vt eum.
1. Tim. 3.
7.q.1. Petiſti vt eum noſtro.

De illo verò, qui viduam auunculi ſui, quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ſacrũ velamen habere monſtrata eſt, & à beatæ memoriæ præceſſore noſtro ſibi licentiam eſſe conceſſam diuulgauit, vt in pernicioſum matrimonium aſſumere debuiſſet: abſit hoc, vt deceſſor noſter iſta præciperet. Nec enim ab hac Apoſtolica ſede illa permittuntur, quæ contraria eſſe patrum ſiue Canonum inſtitutis probantur. Admonere & increpare eos, frater chariſſime, ne ceſſes, quatenùs à tam ſceleſto recedant matrimonio, ne in æternum pereant. Reminiſcantur ergo ſe Chriſti ſanguine eſſe redẽptos, & non ſpontè ſe contradant diabolicæ poteſtati: ſed magis omnipotenti Deo & Chriſto filio eius ſpirituique ſancto, in cuius nomine ab illius antiqui hoſtis erepti ſunt poteſtate. Labora igitur ſanctiſſime frater in eis, qui ſcriptum cognoſcis: Qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & ſuorum operit multitudinem peccatorum. Nos quoque ei pro hoc commonitoria ſcripta direximus.

Vide mendacium, de Ro. Pontifice conſictũ.
Iacob. 5.

De Calendis verò Ianuarij vel cæteris augurijs, phylacterijs & incantationibus, vel alijs diuerſis obſeruationibus, quæ gentili more obſeruari dixiſti apud B. Petrum Apoſtolum, vel in vrbe Roma: hæc & nobis & omnibus Chriſtianis deteſtabilia & pernicioſa eſſe iudicamus, dicente Domino: Non augurabimini. Et iterùm ſcriptura dicit: Non ſint auguria in Iſraël, nec obſeruatio in domo Iacob. Igitur & à nobis cauendum eſſe cenſemus, vt nullis augurijs vel obſeruationibus attẽdamus: quia omnia hæc abſciſſa eſſe à patribus edocti ſumus. Sed quia per inſtigationem diaboli iterùm pullulabant, à die, qua nos iuſſit diuina clementia, quanquàm immeriti exiſtamus, Apoſtoli vicem gerere, ilicò omnia hæc amputauimus. Pari etenim modo volumus tuam ſanctitatem populis ſibi ſubiectis prædicare. Nam & ſanctæ recordationis prædeceſſoris atque nutritoris noſtri domini Gregorij Papæ conſtitutione, omnia hæc piè atque fideliter amputata ſunt, & alia quamplura, quæ diabolo ſuggerente pullulabant in Chriſti ouili.

Leuit. 19.
Num. 23.

De ſacerdotibus verò falſis, qui falſa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores eſſe probantur, & ſibi ab Apoſtolica ſede indultũ eſſe teſtãtur, hoc nulla ratione credat ſancta fraternitas tua: ſed ſimiliter in eis canonicam exerce vindictã, quemadmodùm de his

de his, quibus ſuperiùs à nobis edoctus monſtraris. Non enim aliud te agere volum⁹, præter quod ſacri præcipiunt Canones, vel etiam ab hac Apoſtolica ſede inſtructus eſſe dinoſceris. Tuæ quoque ſanctitatis petitionem impleuimus, mittentes tribus Epiſcopis tuis ſingulas confirmationis epiſtolas, quas per ſanctitatis tuæ manus eis largiri volumus, & Carlomanno filio noſtro, alia ſcripta direximus, vt adminicula, quibus indiges, adimplere feſtinet. Iam, frater chariſſime, de omnibus ſuperiùs compræhenſis capitulis, vt Dominus donauit, reſpondimus, ad amputanda omnia diabolicæ fraudis ſcandala: tua verò ſancta fraternitas, ſi quid decæterò euenerit, vt ſacri docent Canones, ſtudeat emendare in plebibus ſibi à Deo commiſſis. Non enim aliud nobis cõuenit prædicare, præter quod à ſanctis patribus ſumus edocti. Si verò noui aliquid, inimici aſtutia agente, acciderit, quod tua ſancta fraternitas minimè per Canonum inſtituta diſcernere poſſit, hoc nobis non pigeat inſinuare: quatenùs, Deo iuuante, quæq; ad emendationem nouæ plebis eſſe poſſunt, tibi abſq; tarditate reſpondere curemus. Cognoſcat ergo tua ſancta fraternitas ita dilectionem tuam haberi in noſtris præcordijs, vt te præſentialiter quotidiè videre deſideremus, & ita te in noſtro conſortio habere, vt miniſtrum Dei, & diſpenſatorem Eccleſiarum Chriſti. Confortare itaque in Domino, frater chariſſime, & eſto robuſtus, & labora in opere, ad quod te diuina voluit clementia vocare. Magna etenim te ſpes remunerationis expectat, quam promiſit Deus diligentibus ſe. Et nos, licèt peccatores exiſtamus, tamen Dei noſtri immẽſam clementiam non ceſſamus exorare, vt qui cœpit in vobis, perficiat opus bonum vſq; in finem, & B. Petrus Apoſtolorũ princeps cooperetur tibi in omnib⁹ bonis, qui ei parére deſideras. Deus te incolumem cuſtodiat, ſanctiſſime frater. Data Calend. Aprilis, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, anno 24. Imperij eius, Indictione 11.

Epiſcopi confirmati à Papa.

Pontificis erga S. Bonifacium amor.

Reuerentiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio coëpiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Cap. 3.

VIrgilius & Sidonius religioſi viri, apud Baioariorum prouinciam degentes, ſuis nos literis viſitantes, intimârunt quòd tua reuerenda fraternitas eis iniungeret Chriſtianos denuò baptizare. Quod audientes, nimis conturbati ſumus, & in admirationem magnam incidimus, ſi habetur, vt dictum eſt. Retulerũt quippe, quòd fuerit in eadem prouincia ſacerdos, qui Latinam linguam penitùs ignorabat, & dum baptizaret, neſciens Latini eloquij linguam, diceret: Baptizo te in nomine patria & filia & *Spirituſſancti: ac per hoc tua reuerenda fraternitas iuſſerit rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille, qui baptizauit, non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt præfati ſumus, baptizans dixerat, non poſſumus conſentire, vt ab eo baptizati, denuò baptizentur: quia, ſicut tua benè nouit ſancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti, nullo modo rebaptizari debet, ſed per ſolam manûs impoſitionem purgandus eſt. Si ergo ita eſt, vt nobis relatum eſt, nolo ampliùs à te illis prædicetur huiuſmodi doctrina: ſed vt ſancti patres docent & prædicant, tua ſanctitas ſtudeat conſeruare. Deus te incolumem cuſtodiat reuerentiſſime frater.

* Spiritus ſancta:

Ab hæreticis collatũ baptiſma, non iterandum.

Romana Synodus ſub Zacharia Pontifice.

Cap. 4.

IN nomine Domini noſtri IESV Chriſti, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino Imperatore, anno 26. imperij eius, menſe Octob. die 25. Indictione 14. præſidente ſanctiſſimo Domino Zacharia Papa in patriarchio Lateranenſe, in baſilica, quæ appellatur Theodori: conſidentibus etiam cum eo ſanctis Epiſcopis Epiphanio Sylua candida, Benedicto Nomento, Venantio Præneſte, Gregorio Portuenſe, Nicera Gabijs, Theodoro Oſtienſe, Gratioſo Velitras: ſeu venerabilibus Preſbyteris, id eſt, Iohanne Archipreſbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone: Item Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Procopio atque Theophanio, propoſitis in medio ſacroſanctis Euangelijs, adſtantibus quoque Diaconibus, cunctoque Clero, Gregorius Regionarius & nomenculator dixit: Deneardus religioſus preſbyter, legatus Bonifacij ſanctiſſimi Archiepiſcopi prouinciæ Germaniæ directus ad veſtrum ſanctum Apoſtolatum, præ velo eſt, & petit ingredi: quid præcipitis? Dictum eſt: Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias ſanctus Papa dixit: Ante hos dies literas

reuerentiſſimi fratris noſtri Bonifacij Archiepiſcopi nobis detuliſti, per quas nobis, quæ opportuna ei viſa fuerant, indicauit. Quid ergo denuò noſtris ſecretarijs te ingredi poſtulâſti? Deneardus religioſus presbyter dixit: Domine mi, dum iuxta veſtri Apoſtolatûs præceptum dominus meus Bonifacius Epiſcopus, famulus pietatis veſtræ, in prouincia Francorum Synodum aggregaret, & reperiſſet illic falſos ſacerdotes, hæreticos & ſchiſmaticos, id eſt, Aldebertum & Clementem, ſacerdotio priuans, vnà cum principibus Francorum, retrudi fecit in cuſtodiam. Illi autem non in pœnitentia degunt, vt iudicatum eſt: ſed econtrariò adhuc populum ſeducunt. Pro quo & hanc epiſtolam præfati domini mei, quam manibus gero, veſtro ſancto Apoſtolatui miſſus offero, vt eam coram ſancto concilio legi faciatis. Dictum eſt: Suſcipiatur epiſtola, & coram noſtra præſentia relegatur. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & ſaccellarius, relegit in his ſermonibus:

Excellentiſſimo patri atque Apoſtolico Pontifici Zachariæ Papæ, Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

POſtquàm me ante annos propè triginta ſub familiaritate & ſeruitio Apoſtolicæ ſedis, annuente & iubente venerandæ memoriæ Antiſtite Apoſtolico Gregorio, anteriore voto conſtrinxi, quicquid mihi lætitiæ vel triſtitiæ acciderat, Apoſtolico Pōtifici ſolebam indicare, vt in lætis ſimul laudaremus Dominum, & in triſtibus eius cōſilio roborarer. Ita & nunc mihi liceat vobis indicare, precor, ſicut ſcriptum eſt: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. Notum enim ſit paternitati veſtræ, quia poſtquàm indigno mihi mandâſtis in prouincia Francorum, ſicut & ipſi rogârunt, ſacerdotali concilio & Synodali conuentui præeſſe, multas iniurias & perſecutiones paſſus ſum à falſis ſacerdotibus, & adulteris presbyteris, ſeu diaconibus, & fornicarijs clericis. Maximus tamen mihi labor eſt contra duos hæreticos peſſimos, & blaſphemos contra Deum & contra Catholicam fidem. Vnus, qui dicitur Aldebertus, natione Gallus eſt: alter, qui dicitur Clemēs, genere Scotus eſt: ſpecie quidem erroris diuerſi, ſed pondere peccatorum compares. Contra iſtos obſecro authoritatem veſtram, vt me defendere & adiuuare, & populum Francorum & Gallorum per ſcripta veſtra corrigere ſtudeatis, ne hæreticorum fabulas & vana prodigia ac ſigna præcurſoris Antichriſti ſectentur: ſed ad Canonica iura & ad viā veræ doctrinæ cōuertantur, & vt per verbum veſtrum iſti duo hæretici mittantur in carcerē, nulluſque cum eis communionem habeat, ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat, ſed ſegregati viuant, & iuxta dictum Apoſtoli, traditi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Et ſi Eccleſiam non audierint, ſint nobis, iuxta Euangelicum præceptum, ſicut ethnici & publicani. Propter iſtos enim perſecutiones & inimicitias & maledictiones multorum patior, & Eccleſia Chriſti impedimentum fidei & doctrinæ rectæ ſuſtinet. Dicunt enim de Aldeberto, quòd eis ſanctiſſimum Apoſtolum abſtulerim, patronum & oratorem, virtutumque factorem, & ſignorum oſtenſorem abſtraxerim. Sed pietas veſtra audiens vitam eius, iudicet ex fructu, vtrùm veſtimentis ouium indutus, intus lupus rapax fuerit, an non. In primæua igitur ætate hypocrita fuit, dicens quòd ſibi Angelus Domini in ſpecie hominis de extremis finibus mundi miræ, & tamen incertæ ſanctitatis reliquias attulerit, & exinde potuerit omnia, quæcunque popoſcerit, à Deo impetrare. Hac ergo ſimulatione, ſicut Apoſtolus Paulus prædixit, penetrauit multorum domos, & captiuas duxit poſt ſe mulierculas oneratas peccatis, quæ ducebantur varijs deſiderijs, & multitudinem ruſticorum, dicentium quòd ipſe eſſet vir Apoſtolicæ ſanctitatis. Prætereà conduxit Epiſcopos indoctos, qui ſe contra præcepta Canonum abſolutè ordinauerunt. Vnde in tantam ſuperbiam elatus eſt, vt ſe æquipararet Apoſtolis Chriſti, & dedignatus in alicuius Apoſtolorum vel martyrum honore eccleſiam conſecrare, in proprio honore dedicaret oratoria, vel, vt veriùs dicam, ſordidaret. Adhæc etiam improperans, cur voluiſſent homines viſitare limina ſanctorum Apoſtolorum, fecit eis cruciculas & oratoriola in campis, & ad fontes, vel vbicunque ſibi videbatur, & iuſſit ibi publicas orationes celebrari, intantùm vt multitudines populorum, ſpretis cæteris Epiſcopis, & dimiſſis antiquis eccleſijs, in talibus locis conuentus agerent, dicentes: Merita ſancti Aldeberti adiuuabunt nos. Vngulas quoque ſuas & capillos dedit ad honorificandum & portandum cum reliquijs ſan-

Marginal notes: Deut. 32. — Aldebertus & Clemens hæretici. — 1. Cor. 5. — Matth. 18. — Aldeberti hæretici hiſtoria breuis. — 2. Tim. 3.

ſancti Petri Apoſtolorum principis. Tantis itaque flagitiis innolutus, præſumpſit quoddam, quod maximum ſcelus & blaſphemia contra Dominum eſſe videtur. Venienti enim populo & proſtrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata ſua, dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occulta veſtra: ideoque non eſt opus confiteri ea. Securi ergo & abſoluti de peccatis veſtris præteritis, reuertimini ad domos veſtras cum pace. Hæc igitur atque his ſimilia, quæ ſanctum Euangelium hypocritas facturos eſſe teſtatur, idem Aldebertus ſuo habitu & inceſſu moribuſque ſolet operari. Nota de cõfeſſione peccatorum.

Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Eccleſiam, abnegans ſcilicet & refutans Canones ſacros, tractatus & expoſitiones ſanctorũ Patrum, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorij. Synodalia etiam iura ſpernẽs, affirmat ſe poſt duos filios, ſibi in adulterio natos, eſſe poſſe legis Chriſtianæ Epiſcopum. Præterea Iudaiſmum introducens, iuſtum iudicat eſſe Chriſtiano, vt, ſi voluerit, viduam fratris defuncti accipiat vxorem. Ipſe etiam contra fidem ſanctorum patrum contendit dicens quòd Chriſtus filius Dei deſcendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberâſſet, credulos videlicet & incredulos, necnon cultores idolorum. Multa quoque alia horribilia & contraria fidei Catholicæ, de prædeſtinatione Dei affirmat. Quapropter precor, vt literas veſtras de hoc hæretico mandare curetis Duci Carlomanno, vt mittatur in cuſtodiam, ne ſemina ſatanæ latiùs ſeminans, vna ouis morbida totum gregẽ polluat. Valere ſanctitatem veſtram & proſperis pro fectibus gaudere in longitudine dierum, optamus. Clementis hæretici hiſtoria ſuccincta.

Cumque lecta eſſet epiſtola, Zacharias Papa dixit: Audiſtis chariſſimi fratres, quid in iſta epiſtola lectum ſit * ex ſacrilegis illis, qui ſe ad ſuam condemnationem Apoſtolos nominare præſumpſerunt? Sancti Epiſcopi & venerabiles Preſbyteri reſponderunt: Audiuimus certè per omnia non Apoſtolos, ſed miniſtros ſatanæ & præcurſores Antichriſti. Quis enim aliquando Apoſtolorum vel quilibet ſanctorum ex capillis ſuis aut vnguliſpro ſanctitate populis tribuit, vt iſte pernicioſus agere conatus eſt Aldebertus? Sed hoc ſcelus à veſtro ſancto Apoſtolatu reſecandum eſt, tam de illo, quàm etiam de tranſgreſſore Clemente, qui ſacros Canones ſpernit, atque expoſitiones ſanctorum patrum, Ambroſij, Auguſtini, cæterorumque reſpuit. Ambo itaq; iuſtam dignamq; tranſgreſſionibus ſuis ſuſcipiant ſententiã. Zacharias ſanctus Papa dixit: Quia iam tardior hora eſt, venturo ſecretario de conſcripta vita & oratione, quam ſibi exponit Aldebertus, vel de cæteris eius geſtis, cùm nobis lecta fuerint, communi conſenſu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractemus. Cumq; in eodem die ſanctus Zacharias Papa, cæterique Epiſcopi, necnon Preſbyteri ſupradicti, alijque clerici conueniſſent in prænominatam baſilicam, Gregorius notarius regionarius & nomenculator dixit: Iuxta veſtri ſancti Apoſtolatûs præceptum, quod in præterito ſecretario iuſſiſtis, Denceardus religioſus preſbyter adeſt præ velo: quid præcipitis? Dictum eſt: Ingrediatur. Cumque ingreſſus eſſet, Zacharias ſanctus Papa dixit: Actus illius nefandiſſimi Aldeberti, ſiue cætera eius ſcripta, quæ præterito ſecretario in manibus gerebas, coram præſenti concilio porrige legenda. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & ſaccellarius, legit vitam illius, cuius initium eſt: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, incipit vita ſancti & beati Aldeberti Epiſcopi, ex electione Dei nati. De ſimplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei coronatus: quia dum in vtero matris ſuæ eſſet, ibidem gratia Dei cœpit in eo retineri, & antequam perueniſſet beatiſſima natiuitas eius, vidit genitrix eius per viſionem quaſi egredien tem vitulum de dextero latere ſuo. Qui nimirùm vitulus deſignabat illam gratiam, quam acceperat ab angelo, antequam exiret de vulua. *for. de Vita hæretici Aldeberti ab impoſtore quodam conſcripta.

Cumque hic libellus vſque ad finem lectus fuiſſet, Zacharias ſanctus Papa dixit: Quid ad hanc blaſphemiam reſpondetis ſanctiſſimi fratres? Epiphanius Epiſcopus Eccleſiæ ſanctæ Syluæ candidæ, dixit: Domine Apoſtolice, ex diuina profectò inſpiratione motum eſt cor veſtri ſancti Apoſtolatûs, vt prædictũ Bonifacium ſanctiſſimũ Epiſcopum & Francorum principes commoneretis, in partibus illis poſt lõga tempora concilium congregare ſacerdotum, ne hæc ſchiſmata & blaſphemiæ ſancto veſtro Apoſtolatui celarentur. Zacharias ſanctus Papa dixit: Si quid adhuc habet Deneardus religioſus preſbyter nobis porrigere legendum, porrigat. Deneardus preſbyter reſpondit: Ecce domine epiſtola, qua vtebatur Aldebertus, & quam diuulgabat eſſe Ieſu, ſibique de cœlo veniſſe. Et accipiens Theophanius notarius, legit. Cuius initium tale erat: In nomine Domini incipit epiſtola Domini noſtri Ieſu Chriſti filij Dei, quæ Vide impoſtorem

egregium, & fabulas aniles. quæ in Hieroſolymam cecidit, & per Michaëlem Archangelum inuenta eſt in porta Ephraim, & per manus ſacerdotis nomine Icoræ, ipſa epiſtola fuit exemplata. Et tranſmiſit ipſe eandem epiſtolam ad Germaniam ciuitatem alio ſacerdoti Thalaſio, & ipſe Thalaſius tranſmiſit illam ad Arabiam ciuitatem alio ſacerdoti Leoban, & ipſe Leoban tranſmiſit epiſtolam iſtam ad Verphaniam ciuitatem, & recepit eã Macrius ſacerdos Dei, & tranſmiſit in montem ſanctum Archangeli Michaëlis, & per manus Angeli Dei peruenit ad Romanam ciuitatem ad ſepulcrum S. Petri, vbi claues regni cœlorum conſtituti ſunt. Et duodecim Papati, qui ſunt in Romaná ciuitate, triduanas fecerunt vigilias in ieiunijs & orationibus, & cætera vſque ad finem perlecta. Zacharias ſanctus Papa dixit: Pro certo chariſſimi fratres, & prædictus Aldebertus in inſaniam conuerſus eſt, & omnes qui hac vtuntur commentata epiſtola, paruulorum more abſque ſenſu ſunt, & muliebri errore inſaniunt. Sed ne leuiores amplius decipiat, indiſcuſſam & abſque ſententia cauſam hanc relinquere non poſſumus. Sancti Epiſcopi & venerabiles presbyteri reſponderunt: Ex diuina illuſtratione cognoſcimus cor ſancti veſtri Apoſtolatûs illuminatum, & quæ à vobis dicta ſunt, ex adminiſtratione Sanctiſpiritûs emanârunt. Et idcircò vt à vobis præuiſum fuerit, in vtroſque ſententia promulgetur. Zacharias ſanctus Papa dixit: Non vt à nobis ſolis præuiſum fuerit, ſed pariter cum ſanctitate veſtra, vt Domino placuerit, in futuro ſecretario eſt pertractandum.

Cùm autem tertia vice in eodem die Zacharias ſanctus Papa, cæterique Epiſcopi, necnon Presbyteri ſupradicti, ſed & alij clerici conueniſſent in prænominatam baſilicam, Gregorius notarius regionarius & nomenculator dixit: Secundùm quod à veſtro ſancto Apoſtolatu præceptum eſt in præterito ſecretario, vt Deneardus religioſus presbyter hîc ſe veſtris præſentaret obtutibus, præſtò eſt præ foribus: quid præcipitis? Dictum eſt: ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias Papa dixit: Habes adhuc ex ſacrilegorum illorum conſcripto aliquid, quod coram concilio proferre debeas ad legendum? Deneardus religioſus presbyter reſpondit: Etiam domine mi orationem, quam ſibi Aldebertus componere niſus eſt: & ecce in manibus eã gero: iubete eam ſuſcipi. Moxque ſuſcepta eſt & lecta oratio, cuius initium tale erat: Domine Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & α & ω, qui ſedes ſuper ſeptimum thronum, & ſuper Cherubin & Seraphin: pietas magna & dulcedinis ſatis eſt apud te, pater ſanctorum Angelorum, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt: te inuoco & clamo & inuito ſuper me miſerrimo, quia tu dignus fuiſti dicere: Quodcunque petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. A te peto, ad te clamo, à Domino Chriſto confido animam meam. Cumque per ordinem legeretur, peruenit ad locum, vbi ait: Precor vos, & coniuro vos, & ſupplico me ad vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michaël, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel. Dum verò hæc oratio ſacrilega vſque ad finem perlecta fuiſſet, Zacharias ſanctus Papa dixit: Quid ad hæc ſancti fratres reſponderis? Sancti Epiſcopi & venerabiles Presbyteri reſponderunt: Quid aliud agendum eſt, niſi vt omnia, quæ coram nobis lecta ſunt, igni concrementur, authores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in ſua oratione Aldebertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaëlis, ſed magis dæmonum nomina ſunt, quos ad præſtandum ſibi auxilium inuocauit. Nos autem, vt à veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & Diuina tradit authoritas, non plùs quàm trium Angelorum nomina agnoſcimus, id eſt, Michaël, Gabriel, Raphaël. Zacharias ſanctus Papa dixit: Optimè prouiſum eſt à veſtra ſanctitate, vt conſcripta illius omnia igne concrementur: ſed opportunum eſt, vt ad reprobationem eius in ſcrinio noſtro conſeruentur ad perpetuam confuſionem. Nunc verò, quia omnia peracta ſunt, de vtrorunque ſententia, quorum ſuperiùs mentio facta eſt, pertractandum eſt. Vniuerſum concilium dixit: Aldebertus, cuius nobis actus & nefaria commenta lecta ſunt, & qui ſe Apoſtolum cenſuit nominari, & capillos & vngulas ſuas populis pro ſanctitate tribuit, quique ſub obtentu Angelorum dæmones in ſuum auxilium inuocat, ſit ab omni officio ſacerdotali alienus, agens pœnitentiam pro commiſſis, & ampliùs iam populum minimè ſeducat. Sin autem in his erroribus perſeuerauerit, & populum ampliùs ſeduxerit, ſit Anathema, & æterno Dei iudicio condemnetur, omniſque pariter, qui ei conſenſerit & eius doctrinam ſecutus fuerit, aut adiunctus fuerit. Similiter & Clemens, qui per ſuam ſtultitiam ſanctorum patrum ſtatuta omniaque Synodalia acta reſpuit, inferens etiam Chriſtianis

Oratio impij Aldeberti.

Iohan. 16.

O inſaniam.

Sententia Concilij in Aldebertũ.

Item in Clementem.

nis Iudaiſmum, dum prædicat fratris defuncti accipere poſſe vxorem: inſuper & Dominum Ieſum Chriſtum, deſcendentem ad inferos, omnes pios & impios exinde prędicat abſtraxiſſe, ab omni ſacerdotali officio nudatus ſit, & Anathematis vinculo obligatus, pariterque Dei iudicio condemnatus, & omnis, qui eius ſacrilegis conſenſerit prædicationibus.

Adnotatio Epiſcoporum, aliorumque ſacerdotum, pro excommunicatione hæreticorum Aldeberti & Clementis.

Zacharias Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ vrbis Romanæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi. Epiphanius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Syluæ candidæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Benedictus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Nomentanæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Venantius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Præneſtinæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Gregorius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Portuenſis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Niceta Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Gabinatis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Theodorus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Oſtienſis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Gratioſus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Veliternenſis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Iohannes Archipreſbyter tituli ſanctæ Suſannæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Gregorius humilis preſbyter tituli S. Clementis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Stephanus gratia Dei preſbyter tituli S. Marci, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Stephanus indignus preſbyter tituli S. Euſebij, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Dominicus humilis preſbyter tituli S. Priſcæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Theodorus humilis preſbyter tituli ſancti Laurentij, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Anaſtaſius indignus preſbyter tituli S. Mariæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Georgius humilis preſbyter tituli SS. Iohannis & Pauli, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Sergius humilis preſbyter tituli S. Potentianę, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Iordannes indignus preſbyter tituli S. Sabinæ, his geſtis atq; ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit. Theophanius humilis preſbyter tituli ſanctorū Coronatorum, his geſtis atq; ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Leo indignus presbyter tituli S. Anaſtaſiæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Gregorius indignus presbyter tituli S. Balbinæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Stephanus preſbyter tituli S. Chryſogoni, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Euſtathius humilis presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Leo humilis presbyter tituli S. Damaſi, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. Procopius indignus presbyter tituli S. Cyriaci, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Subſcribit huic ſententiæ Pontifex: deinde cæteri.

Dilectiſsimis nobis Reginfrido Rhothomagenſi Epiſcopo, Deodato Beluocanenſi Epiſcopo, Ramberto Ambianenſi Epiſcopo, Dauid Spironenſi Epiſcopo, Aethereo Toroacenſi Epiſcopo, Helyſeo Nouiomenſi Epiſcopo, Treuuarto Camerocanenſi Epiſcopo, Burchardo Vuirciburgenſi Epiſcopo, Folerico Tungrienſi Epiſcopo, Genebaudo Laudenſi Epiſcopo, Romano Meldenſi Epiſcopo, Agilolpho Colonienſi Epiſcopo, Hattoni Strasburgenſi Epiſcopo, & cæteris amantiſsimis coëpiſcopis, presbyteris etiam & diaconibus, cunctiſq; orthodoxis Eccleſiarum Dei clericis, Apoſtolicam doctrinam tenentibus, Zacharias diuina gratia præditus, Apoſtolicæ ſedis Pontifex, ſeruus autem ſeruorum Dei, in Domino ſalutem dicit.*

* Bellouacenſi.

Gratias ago Deo Patri omnipotenti & Domino noſtro Ieſu Chriſto, vnico filio eius, & Sancto ſpiritui, qui veſtrûm omnium corda inflammare dignatus eſt per diffuſam à ſe gratiam, vt in vnitate fidei & vinculo pacis ambuletis, & ſit ſplendor Domini Cap. 1

mini Dei noſtri ſuper vos, dilectiſſimi mihi, & abundans gratia pacis & charitatis, vt ſitis vnum corpus ſpiritualis matris veſtræ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, in qua Deo authore præſumus, implentes illud Propheticum dictum: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Quanuis enim pro itineris longitudine corpore ſimus abſentes, in ſpiritu tamen dilectionis ſemper ſumus vobis præſentes, habentes vos in viſceribus noſtris, & aſſiduè orantes, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus multò ampliùs confirmet corda veſtra in exhortatione Euangelij, in miniſterio quo fungimini, vt credita vobis plebs veſtris pijs admonitionibus adiuuante Domino, à diabolica fraude liberata, perſiſtat ſalua, voſque mereamini de eorum animabus in die Chriſti apportare lucrum. Obſecro ergo vos, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, vt decet ſanctos cum multa patientia, ſupportantes inuicèm in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritûs in vinculo pacis & charitatis: quia finis præcepti charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Gaudeo in vobis chariſſimi, quoniam fides veſtra & vnitas erga nos, precioſa eſt & manifeſta non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, dum ad fautorem & magiſtrum veſtrum à Deo conſtitutum, B. Petrum Apoſtolorum principem, benigniſſima voluntate conuerſi eſtis, & in hoc laudabilis eſt fides veſtra, quoniam idipſum ſapitis, quod oportet ſapere. Habetis itaque noſtra vice ad confortandam dilectionem veſtram ſanctiſſimum Bonifacium fratrem noſtrum Archiepiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatum, & noſtram præſentantem vicem. Sit ergo conſtantia veſtra aduersùs contentionem eorum, qui aduerſa ſapiunt, & nō quæ Dei ſunt: neq; terreamini à facie eorum, ſicut ſcriptum eſt, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs eum timete, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam. Fratres mei, in carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia, ſed ſpiritualia ſunt, ad deſtruendam omnem exaltationem, extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei. Confortamini itaq; in Domino & in potentia virtutis eius. Pax vobis & gratia à Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto miniſtretur. Amplectimur & oſculamur, ac ſi præſentes, charitatem veſtram in vnitate ſpiritûs, in vinculo pacis & charitatis Chriſti. Deus vos incolumes cuſtodiat.

Pſalm. 132. Epheſ. 4. 1. Tim. 1. Matth. 10. 2. Cor. 10. Epheſ. 6.

Zacharias Papa vniuerſis Epiſcopis presbyteris, diaconibus, Abbatibus cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus, per Gallias & Francorum prouincias conſtitutis.

Cap. 6. — Pontificis vice functus Bonifacius in Synodo.

REferente nobis reuerentiſſimo fratre noſtro Bonifacio Epiſcopo, quòd dum Synodus congregata eſſet in prouincia veſtra iuxta noſtram commonitionem mediantibus filijs noſtris Pipino & Carolomanno principibus veſtris, peragente etiam vicem noſtram prædicto Bonifacio, Dominus inclinâſſet corda veſtra cum principibus veſtris in prædicationem eius, vt omnibus commonitionibus eius obediretis, & ſchiſmaticos, & homicidas, & fornicarios à vobis expelleretis ſacerdotes: omnipotenti Deo gratias egimus, & pro vobis ſumus orantes, vt qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat vſq; in finem. Obſecro enim omnes vos coram Deo, vt eius commonitionibus firmiter obediatis. Ipſum nanque vice noſtra in partibus illis ad prædicandum conſtitutum habemus, vt vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus ſalui eſſe poſſitis. Habuiſtis enim, peccatis facientibus, nunc vſque falſos & erroneos ſacerdotes: vnde & cunctę paganę gentes vobis pugnantibus præualebant, quia non erat differentia inter laicos & ſacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim victoria dabitur, vbi ſacerdotes vna hora Dominica tractant myſteria, & Dominicum corpus conſecrant pro animarum ſuarum redemptione: & poſteà Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerant, aut paganos, quibus Chriſtum prædicare debuerunt, ſacrilegis necant manibus, & fit ſecundùm verbum Domini dicentis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Dum hæc ita ſint, & tales in vobis fuerint ſacerdotes, quomodò victores contra veſtros inimicos eſſe poteritis? Nam ſi mundos & caſtos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis ſacerdotes, vt ſacri præcipiunt Canones, & noſtra vice prædicat præfatus Bonifacius frater noſter, nulla gens ante veſtrum conſpectum ſtabit: ſed corruent ante faciem

Matth. 5. — Quantum proſint mũdi & caſti ſacerdotes.

ciem veſtram omnes paganæ gentes,& eritis victores:inſuper & benè agentes, vitam æternam poſſidebitis. Vos autem, fratres chariſſimi,qui eſtis veri ſacerdotes, vel ſub regulari diſciplina conſtituti,ſic vos exhibete, vt decet Dei miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei,vt non vituperetur miniſterium veſtrum,ne fiat in vobis,quod ſcriptum eſt: Erit ſicut populus,ſic ſacerdos. Nam ſi hoc fuerit,qualis vobis erit ab hominibus laus,aut qualis à Deo expectatur retributio? Quamobrem ſic vos corrigite, vt veri ſacerdotes,& tales ad ſacerdotium prouehite,vt & vobis & illis teſtimonium maneat bonum ab his,qui foris ſunt:quatenùs ab hominibus laudem, & à Deo præmium in æterna beatitudine percipere mereamini,eò quòd per vos ad rectam fidem perducti ſunt populi multi,Innoxios habentes ſacerdotes.Ad Synodum quoq; omni anno conuenite,ad pertractandam vnitatem Eccleſiæ,& vt ſi quid aduerſi acciderit,radicitùs amputetur,& Eccleſia Dei maneat inconcuſſa. Benè valete. Eſa.24.

Reuerentiſsimo & ſanctiſsimo fratri Bonifacio coëpiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Cvm nobis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ ſyllabæ delatæ fuiſſent, atque per ſingula legi feciſſemus,reperimus in earundem literarum ſerie,quòd peccatis noſtris facientibus,dum Dominici tritici ſemina quæreres elaborare ad augendam ſegetem ſpiritualem,ſubitò inimici ſuperſeminauerunt zizania,vt ſanctitatem tuam in bono opere impedirent.Sed tua ſancta fraternitas inceſſanter orationi inſtet pariter cum fratribus,qui tecum laborant,vt ſpirituali ſarculo eradicare poſſis zizania. Hoc opus ſi tibi ſemper erit in voluntate,Deus ſine dubio adiuuat,vt beatus Gregorius Papa: Bonum opus,inquit,nobis ſit in voluntate.nam ex diuino adiutorio erit in perfectione. Vnde chariſſime frater confortare in Domino,& ipſe erit adiutor tuus. De incurſione autem Gentium, quæ in tuis plebibus facta eſt,mœrendum nobis eſt, Sed hæc aduerſitas nullatenùs tuam fraternitatem conturbet:quia & Romana ciuitas ex accidētibus facinoribus ſæpiùs eſt depopulata,& tamen omnipotens Dominus dignatus eſt eam conſolari.Sic etiam credimus,quia & vos conſolabitur, ſi fideliter ad eum clamaueritis,& ieiunium ſupplicationesq; letaniarum in populis commiſſis agendas prędicaueritis. Nos quoque,licèt peccatores exiſtamus, precibus noſtris & conſacerdotū noſtrorum,inquantùm poſſumus,adiuuamus. De Synodo autem congregata apud Francorum prouinciam, mediantibus Pipino & Carlomanno excellentiſſimis filijs noſtris,iuxta noſtrarum ſyllabarum commonitionem peragente noſtram vicem tua ſanctitate,qualiter egiſſes agnouimus,& omnipotenti Deo noſtro gratias egimus,qui eorum corda confirmauit,vt in hoc pio opere adiutores exiſterent:& quia omnia optimè & canonicè peregiſti,tā de falſis Epiſcopis & fornicarijs & ſchiſmaticis, quàm etiam de reliquis nomine ſacerdotibus,contra Canonum inſtituta agentibus,vel contra Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam,de quibus ſecundùm tuam relationem reſpondemus. Cap. 7. Irruptiones barbarorū. Ieiunijs & litanijs placandus Deꝰ.

De eo verò,quòd ſuggeſſiſti,quia elegerunt vnam ciuitatem omnes Francorū principes,pertingentem vſq; ad paganorum fines & in partes Germanicarum gentium, vbi anteà prædicâſti,quatenùs ibi ſedem metropolitanam perpetuo tempore habere debeas,& inde cæteros Epiſcopos ad viam inſtrueres rectitudinis, & poſtmodùm tui ſucceſſores perpetuo iure poſſideant: hoc quia decreuerunt, nos læti ſuſcepimus, eò quod ex Dei nutu factum eſt. Quòd verò falſi ſacerdotes & ſchiſmatici hoc impedire conati ſunt, eorum vanum agonem Dominus diſſipabit,& illa faciet ſtabilita,quæ ſanctorum patrum ſtatutis videntur concordare. Et quia ipſi principes Francorum tibi etiam in hoc adiutores extiterunt, retribuat illis omnipotens Deus adiutorij huius præmium,& innumera largiatur bona. De Moguntia dicit.

De illo etiam falſo Epiſcopo,quem dixiſti,quòd adulterati clerici & homicidæ filius,in adulterio natus,& abſque diſciplina nutritus eſſet, & quòd ſui ſimiles ſacerdotes conſecrauit: de hoc meminit tua reuerenda fraternitas,quod etiam tibi ſæpè ſcripſimus,vt nullus homicida,nullus adulter,nullus fornicator ſacrum miniſterium debeat tractare:ſed neq; ex pœnitente quis,aut talis,qualem ſacri Canones prohibent eſſe ſacerdotem. Ad altaris miniſteriū qui non admittendi.

De baptizatis verò ab illis, ſeu eccleſijs conſecratis requirat tua fraternitas, ſi aut eccleſias in nomine S. Trinitatis conſecrauerunt, aut paruulos ſimiliter baptizauerunt:& tunc conſecratio eccleſiarum & paruulorum baptiſma ſit ritè confirmatum. Hoc etiam pariter retuliſti,quòd illi, qui antè proiecti ſunt, ſacerdotes,ſe à nobis abſolu-

abſolutos eſſe apud Francorum prouinciam diuulgarent. Quod tua ſancta fraternitas nullo modo credat: quia impoſſibile eſt, vt ſi hoc feciſſemus, non tuæ charitati per noſtras indicâſſemus literas. Impoſſibile ergo nullo modo credas, quia non aliud prędicamus, & aliud agimus, aut aliud dirigimus, vt illi garriunt: ſed auxiliãte Deo, illud, quod prædicamus, finetenùs obſeruandum cenſemus. Hoc autem ſanctitatem tuam firmiſſimè hortamur, vt teneas, vt ſanctorum patrum inſtitutis & conſultis ſacrorum Canonum omnimodò parére ſtudeas.

Conſtantia doctrinæ in Eccleſia Romana.

Quòd obſecrâſti, vt Francorum principibus ſcriberemus, ſcias à nobis eſſe geſtum. Per ſingula enim eis ſcripſimus vt petîſti, vt tibi amici ſint, & adiutores in Dominico opere exiſtant.

De cenſu verò expetendo, quòd impetrare à Francis ad reparandas eccleſias vel monaſteria plus non potuiſti, quàm vt vertente anno ab vnoquoq; coniugio ſeruorũ duodecim denarij reddantur, ex hoc gratias ago Deo, quia hoc potuiſti impetrare. Dum enim Dominus donauerit quietem, augentur & luminaria ſanctorum pro eo, quòd nunc tribulatio accidit à Sarracenis, Saxonibus vel Friſonibus, ſicut tu ipſe nobis innotuiſti.

De eis etiam, qui poſtquàm depoſiti ſunt pro capitalibus peccatis de gradu ſacerdotali, reperiuntur nec clerici eſſe velle, nec monachi ſub pœnitentia: ſed pergentes ad palatium regis Francorum, rogant vt eis loca tribuat eccleſiarum vel monaſteriorũ, vt diſpergant ſanctorum loca: de his, inquam, quid fieri debeat, Francorum principibus commonitoria direximus ſcripta. In alia quippe tua epiſtola reperimus contineri omnia, quæ contra te egerunt falſi & ſchiſmatici Epiſcopi, id eſt, Aldebertus & Clemens, in qua omnia acta eorum & impijſſimum errorem ſingulatim indicâſti. Nos autem congregatis conſacerdotibus noſtris, eorundem prauorum ſceleratiſſima acta in eorum præſentia legi fecimus: & cùm nobis coram concilio lecta fuiſſent, pio ſtudio omnes eadem ſchiſmatica dogmata & ſceleratiſſimam vitam, quam ſibi Aldebertus conſcribi fecit, vna voce decreuerunt vt igne cremaretur. Sed nos hoc non fieri rectũ iudicantes, pro eorum perpetua damnatione in ſcrinio ſanctæ Eccleſiæ reſeruari mandauimus. Ad hæc etiam dignam ſententiam contra eorum errorem ſcribi fecimus. Cuius exemplar epiſtolæ ad tuam direximus ſanctitatem, vt lecta in prouincia Francorum, omnis ſchiſmaticus audiens taliter à ſancta & Apoſtolica Eccleſia iudicatum, à ſenſûs ſui prauitate reſipiſcat.

In tertia verò epiſtola tua intimâſti nobis de alio ſeductore, nomine Geuuiliobo, qui anteà falsò Epiſcopi honore fungebatur, & quia ſine cõſultu ad nos properat. Hic dum aduenerit, vt Domino placuerit, fiet. Tua autem reuerentia vt auxiliante Domino cœpit, vice noſtra petimus perficere ſtudeat. Volumus nanq; omni anno tempore apto in prouincia Francorum concilium te celebrare, vt frequentia ſacerdotum per inſtituta ſacrorum Canonum correcta, illic nulla aduerſitas valeat pullulare: ſed magis Eccleſiæ ſanctæ vnitas & diſciplina Apoſtolica vbique in illis partibus dilatata exiſtat, & non ampliùs populi per falſos ſacerdotes deprauati, demergantur in interitum. Dum verò concilium aggregaueris, ſic tua fraternitas conflictum habeat cum metropolitanis, vt nullus ſine commendatitijs ſuſcipiatur epiſtolis. Pro eadem quippe cauſa & pro omnibus vtilitatibus ſanctæ Eccleſiæ Francorum principibus direximus literas, vt iam præfati ſumus. De ciuitate etiam illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, iuxta petitionem Francorum, per noſtræ authoritatis præceptum nomini tuo metropolim confirmauimus, & tuæ ſanctitati direximus eiuſdem metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem. Deus te incolumem cuſtodiat reuerẽtiſſime frater. Data pridiè Calend. Nouemb. Imperante domino Auguſto Conſtantino, anno 27. imperij eius, Indictione 14.

Geuuiliobus pſeudoepiſcopus.

Colonia fit metropolis.

Reuerentiſſimo Bonifacio coëpiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Cap. 7.

EGregius nos admonet Apoſtolus Paulus in eo, quod ait: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Hinc eſt ergo, quòd † ſpirituale charitatis vinculum, etſi corpore abſentes, ſpiritu tamen ſemper fraternitati tuæ ſumus præſentes, & in noſtris orationibus memoriam tuî agere non deſiſtimus, petentes immenſam Domini noſtri pietatem, vt ad peragendum ſuum te confirmet miniſterium, quatenùs in die aduentûs eius illam placabilem merearis vocem proferre: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi: non perdidi ex eis quenquam: vt cõtinuò cũ cæteris ſanctis illa ſupernæ vocationis dicta audias: Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab

1 Cor. 11.
† Videtur deeſſe, per
Eſa. 8.
Iohan. 18.
Matth. 25.

origine mundi. Agnoſcas igitur chariſſime, flagitâſſe à nobis Pipinum excellentiſſimũ Maiorem domûs gentis Francorum per ſuum hominem, nomine Ardobanum, religioſum presbyterum aliquanta capitula de ſacerdotali ordine, & quæ ad ſalutem animarum pertinent: ſimul etiam & pro illicita copula, qualiter ſeſe debeant cuſtodire iuxta ritum Chriſtianæ religionis & ſtatuta ſanctorum patrum, inquisîſſe. Et quanquã de hoc iam experta ſit tua ſancta fraternitas, quæ à nobis ſunt decreta, illius tamen votis aurem accommodantes, in breui elogio conſcripta Apoſtolica documenta direximus: quæ vt in ſacerdotali collegio pandantur, tuam ſanctitatem inibi euocari dedimus in mandatis. Cumq; pro hac re aggregatum fuerit concilium, ad medium deducantur illi ſacrilegi & contumaces Aldebertus, & Godalſacius, & Clemens, vt eorum denuò ſubtili indagatiõe crebretur cauſa. Quos ſi deuiãtes à rectitudinis tramite vſq; quaq; repereritis, & conuicti fuerint nolle ad viam rectam conuerti, vt bonum atque placitum vobis videtur, cum principe prouinciæ diſponite ſecundũ Canonum ſacrorum ſtatuta. Si autem in ſuperbia perſtiterint contumaciter, proclamantes ſe reos nõ eſſe, tunc cũ probatiſſimis & prudentiſſimis ſacerdotibus tribus vel duobus prædictos ad nos dirigite viros, vt profunda inquiſitione coram ſede Apoſtolica eorum inquiratur cauſa, & iuxta quod meruerint, finem ſuſcipiant. Age itaq; frater dilectiſſime in miniſterio tibi commiſſo, vt ab omnipotenti Deo præmium recipiens, æternam vitam conſequi merearis. Deus te incolumem cuſtodiat reuerentiſſime frater.

Pipinus princeps quid petierità ſummo Pontifice.

Reuerentiſſimo fratri Bonifacio coëpiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

SAcris liminibus beati Apoſtolorum principis Petri & noſtris obtutibus præſentatus præſens Burchardus, dilectus nobis Epiſcopus, ſanctitatis tuæ attulit affatus, per quorum ſcripta agnouimus magnum te habere certamen in prædicatione Euangelij Domini noſtri, & exhortatione ſanctæ fidei, quam per beatum Petrum & vas electionis Paulum cæteroſq; Apoſtolos traditam ſuſcepimus. Quibus agnitis, omnipotenti Deo immenſas egimus gratias, petentes eius ineffabilem diuinitatem, vt multò amplius confirmet atq; corroboret cor fraternitatis tuæ, & ſoſpitem corpore annuat permanere, vſquequò eius diuinitas te ſuperſtitem in hac iuſſerit eſſe vita, ad perficiendũ miniſterium tibi impoſitum, & ad portandum lucrum animarum in diem Chriſti Ieſu, vt illam merearis audire vocem deſiderabilem, quam dicturus eſt Dominus diligẽtibus ſe: Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Erant autem inſerta in eiſdem tuis affatibus diuerſa capitula, de quibus iudicium & conſilium atq; ſolatium ſedis Apoſtolicæ tibi dirigi flagitabas. Primùm capitulum pro Synodo prouinciæ, in qua natus & nutritus es, quam & ingentem Anglorum & Saxonum in Britannia inſula primi prædicatores ab Apoſtolica ſede miſſi, Auguſtinus, Laurentius, Iuſtus & Honorius, nouiſſimè verò tuis temporibus Theodorus, Græcolatinus antè Philoſophus & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio ſublimatus, ad Britanniam præfatam tranſmiſſus iudicabat & gubernabat. In illa tale decretum & iudicium demonſtratum eſſe dinoſcitur, vt quicunq; ſine inuocatione Trinitatis lotus fuiſſet, ſacramentum regenerationis nõ haberet. Quod omninò verũ eſt: quia ſi merſus in fonte baptiſmatis quis ſine inuocatione Trinitatis fuerit, perfectè non eſt baptizatus. Quòd autem per quoſdam affirmari ſcripſiſti, vt quamuis ſceleratiſſimus quiſq; hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut latro, vel fur, ſiue adulter baptiſmum iuxta regulam à Domino impoſitam in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti conſecraret, ſicq; homini petenti miniſtraret, tamen Chriſti eſſet baptiſmum, Euangelicis verbis conſecratum: & econtrà licèt miniſter iuſtus fuerit, & Trinitatem iuxta regulã à Domino poſitam, in lauacro non dixiſſet, verum baptiſma non eſſet, quod dedit: vtrunq; fraternitati tuæ notum eſt, quid de illis ſacrorum Canonum ſeries contineat, quod & tenere te firmiter hortamur. Scriptum quippe eſt, dicente Domino: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Quod ſuſcepiſti frater à noſtro præceſſore ſanctæ recordationis Gregorio, huius Apoſtolicæ ſedis Pontifice, in eo permane, & ab Euangelica & Apoſtolica doctrina nullo modo declines: ſed indutus loricam fidei & galeã ſalutis, viriliter contra nequitiam diabolicæ fraudis reſiſte. Scriptum nanq; eſt: Ecce dedi faciem tuam potentem aduersùs faciem eorum, & conſtantiam tuam confortabo aduersùs contentiones eorum, & erit fortior petra conſtantia tua. Eos autem, quos reperiſſe ſe affata eſt fraternitas tua, pſeudoſacerdotes multo maioris numeri, quã catholicos, qui nunquàm ab Epiſcopis catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, &

Cap. 8. Burchardus Epiſcopus.

Matth. 25.

De hoc Theodoro vide Bedæ Hiſtoriam Eccleſiaſt. gentis Anglorum.

Leuit. 11. &c.

Iere. 1.

Nota de falſis ſacerdotibus nõ ritè ordinatis

miniſteria Eccleſiæ confundentes, qui ſine Epiſcopo proprio arbitrio viuentes, populares defenſores habentes contra Epiſcopos, vt ſceleratos mores eorum non prohibeant, ſeorſum populum conſentaneum congregant, & illud erroneum miniſterium non in Eccleſia Catholica, ſed per agreſtia loca & per cellas ruſticorum, vbi eorũ imperita ſtultitia celari poſſit, perpetrant, nec fidem Catholicã paganis prædicant, nec ipſi fidem Catholicã habent, nec quærunt ab eis, quos baptizare ſtudent, abrenunciationẽ ſatanæ: ſed neq; ſignaculo crucis Chriſti eos muniunt, quæ præcedere debẽt baptiſmũ, ſed nec aliquam credulitatem vnius Diuinitatis & ſanctæ Trinitatis docent. Hos itaq; miniſtros ſatanæ, & non Chriſti, vbicunq; repereris, chariſſime frater, cõgregato prouinciali & ſacerdotali collegio, à ſacerdotio depoſitos ſub regula monachica & pœnitentia ſubmiſſos, vitam finire decernas, vt carne afflicti, quandoq; redeant ad viam ſalutis. Si verò non fuerint conuerſi, tuæ prædicationis merces non peribit.

Confortare ergo in lege & in Euangelio Chriſti & prædicatione Catholicæ fidei, quia ipſa glorificabit te. Tribulatio enim corporis noſtri, temporalis eſt & finem habet: merces autem, quæ pro hac tribulatione à Deo præparatur, ſempiterna eſt. Ideoq; conferamus mortem Ieſu in corpore noſtro, vt & vita Ieſu in corpore noſtro manifeſta fiat, ſicut per eius diuinam edocti ſumus doctrinam: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Matth. 5.* Conforta etiam dilectiſſimos nobis orthodoxos Epiſcopos & ſacerdotes atq; Leuitas, cæteroſque clericos, religioſos Abbates & monachos, pariterq; glorioſiſſimos Duces, cunctoſq; optimates Francorũ, vt nobis ſint adiutores contra aduerſarios Orthodoxæ fidei, omneſque hæreticos & ſchiſmaticos, quatenùs & ipſi de fructu boni operis gaudere mereantur in cæleſtibus regnis. Scripſit quoq; inter cætera reuerenda fraternitas tua, reperiſſe te quendam presbyterum genere Scotum, nomine Samſon, errantem à via veritatis, dicentemq; ſine myſtica inuocatione aut lauacro regenerationis poſſe fieri Catholicum Chriſtianum per Epiſcopalis manûs impoſitionem. *Error Samſonis Scoti.* Hic autem qui dicit hoc, vacuus eſt Spirituſancto & alienus à gratia Chriſti, conſortioque ſacerdotali abijciendus. Quis enim, niſi baptizetur iuxta præceptum Domini, in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti, & ſic per manûs impoſitionem, poteſt eſſe Catholicus? *Matth. 28.* Hunc nequiſſimum virum talia prædicantem, ab Eccleſia ſancta condemnatum, expelle. Illos autẽ viros, qui ab hæreticis baptizati ſunt, & neſcitur an in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti ſint baptizati, inquiſita rei veritate, ſi ab hęreticis ſacerdotibus baptizati ſunt, hos ſine dubio, iuxta prędeceſſoris noſtri beatæ memoriæ Gregorij Papę & ſacrorum Canonum traditum tibi mandatum, baptizari permittas, ne in æternum pereant, ſed potiùs Euangelica conſecratione ſaluentur. Intuiti autem ſumus & volumus à te directum vniuerſis Epiſcopis, presbyteris cæteriſq; religioſis de vnitate fidei Catholicæ ſcriptum. Quod valdè nobis acceptabile eſſe cognoſcas, quoniam per Spirituſſancti gratiam in te diffuſam hoc operari ſtuduiſti.

Cur Pontifex rogatus à Bonifacio noluerit mittere ſacerdotem in Gallias. Inter cætera ſanctitatis tuæ ſcripta petiſti, vt ſacerdos à nobis dirigatur in partes Frãciæ & Galliæ: quod implere omittimus, quia dum Deo propitio tua ſanctitas ſuperſtes exiſtit, qui ſedis Apoſtolicæ & noſtram illic præſentas vicem, alium illuc dirigere neceſſarium non eſt. Quos autem repereris, amantiſſime frater, habentes ſanæ doctrinæ ſcientiam vitæq; puritatem, hos mittere ſtude in quibus præuideris locis ad prædicandum verbum ſalutis. Concilia verò aggregatis Epiſcopis prouincialibus, vbi tibi rectũ videtur, celebrari procura, & quos deuiantes inueneris, confunde facies eorum ignominia, vt ſint coram omnibus ſine honore. Suſcepimus & chartam, de vera & Catholica fide conſcriptam, quam cum dilectiſſimis nobis Epiſcopis partis Francorum tua direxit reuerenda fraternitas. Hanc itaq; reſerantes, nimio gaudio ſumus repleti, innumerabileſq; gratias agimus Deo omnipotenti, quia vnanimitatem eorum ad ſocietatem noſtram reuocare dignatus eſt. Noſtra autem vice, chariſſime, omnes in oſculo pacis ſaluta. Intimatum eſt etiam à ſanctitate tua, quòd Virgilius ille, neſcimus ſi dicatur presbyter, malignatus aduerſum te, eô quòd arguebatur à te erroneus eſſe à Catholica doctrina, ſeminaret odium inter te & Otilonem Ducem Baioariorũ, dicens quòd à nobis accepiſſet licentiam, vt vnius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœceſim obtineret. *Otilo Dux Bauariæ.* Quod nequaquàm verum eſt: quia mentita eſt iniquitas ſibi. De peruerſa autem doctrina, quam contra Dominum & animam ſuã locutus eſt, quòd ſcilicet alius mundus & alij homines ſub terra ſint, aliuſq; Sol & Luna, ſi conuictus fuerit ita confiteri, hunc accito concilio ab Eccleſia pelle, ſacerdotij honore priuatum. Sed & nos ſcribẽtes prædicto Duci, euocatorias de prænominato Vir-

gilio

gilio mittimus literas, vt nobis præſentatus & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inuentus, Canonicis decretis condemnetur. Qui enim ſeminant dolores, metunt eos. Pro Sidonio autem & Virgilio ſupradicto presbyteris, quod ſcripſit ſanctitas tua, agnouimus. Et illis quidem, vt decebat, comminando ſcripſimus: tuæ autem fraternitati credulitas plùs quàm ipſis admittetur. Si autem Deo placuerit, vita comitante, ſedi Apoſtolicæ eos miſsis literis, vt prælatum eſt, euocabimus. Docuiſti enim eos, & non ſuſceperunt, & factum eſt in illis, ſicut ſcriptum eſt in libro Sapientiæ: Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſta arenam. Non ergo ad iracundiam prouocetur cor tuum frater, ſed in patientia, vbi tales repereris, admone, obſecra, increpa, vt conuertantur ab errore ad viam veritatis. Et ſi conuerſi fuerint, ſaluâſti animas eorũ: ſi verò in malitia permanſerint, mercedes laboris tui non perdes. Eccli.22. Iacob.5.

Alia deniq; ſcripta fraternitatis tuæ continebant, quòd iam olim de Agrippina ciuitate ſcripſiſti, quia Franci non perſeuerarent in verbo quod promiſerunt, & nunc moratur fraternitas tua in ciuitate Mogũtia. Petiſti etiam, vt cum noſtro cõſultu, superueniente tibi ſenectute atq; imbecillitate corporis, ſi inuenire potueris idoneum virũ ad ſedem Pontificalem, in qua præes, pro te valeas collocare. Pro qua petitione nos adiutore Deo conſilium damus tuæ ſanctitati, vt ſedem ſanctæ Eccleſiæ Moguntiacẽſis, quam pro ſalute animarum accepiſti, nequaquàm relinquas, vt impleas illud Dominicum præceptum: Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Si verò Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui poſſit curam animarum habere, illum ordinabis pro te Epiſcopum, eritq; in Euangelio tibi credito ad miniſterium Chriſti portandum in omni loco, requirens & confortans Eccleſiam Dei. Oramus itaq; Dominum & redemptorem noſtrum, vt ſacris interuentionibus ſanctæ ſuæ genitricis ſemper virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, orantem pro nobis ſanctitatem tuam ſoſpitem conſeruare dignetur. Data Calend. Maij, imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, anno 29. imperij eius, Indictione prima. Matth.24.

Reuerendiſsimo patri & dilectiſsimo domino, cum timore & honore venerando Apoſtolicæ ſedis infula ſublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus ſeruus veſter licèt indignus & vltimus, tamen legatus Germanicus deuotiſsimus, optabilem in Chriſto immarceſcibilis charitatis ſalutem.

PAternæ pietatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, vt hunc presbyterum meum, portitorem literarum præſentium, nomine Lul, grato animo clementer ſuſcipiatis. Habet enim ſecreta quædam mea quæ ſoli pietati veſtræ profiteri debet, quædam quidem viua voce dicens, quædam verò per literas oſtendens. De quibuſdã nanque neceſſitatibus meis inquirere & interrogare, mihiq; paternitatis veſtræ reſpõſum & conſilium ex authoritate ſancti Petri Apoſtoli ad ſolatium ſenectutis repræſentare debet, vt his omnibus auditis & conſideratis, ſi quæ ſint, quæ vobis placeant facta, Deo auxiliante * ſtudeam: ſi quid autem, vt timendum eſt, diſpliceat, ex præcepto ſancti Apoſtolatûs veſtri vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam perſoluam. Anteceſſor enim prædeceſſoris veſtri venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum fidei Germanicis gentibus miſit, ſacramento me conſtrinxit, vt canonicis & iuſtis Epiſcopis ac presbyteris in verbo, in facto, in conſenſu adſtipulator & adiutor fierem: quod cum diuina gratia implere ſtudui: falſos autem ſacerdotes, hypocritas & ſeductores populorum, vel corrigerem ad viam ſalutis, vel declinarem, vel abſtinerem à communione ipſorum. quod ex parte ſeruaui, & alicubi implere non potui. Spiritualiter autem impleui ſacramentum, quia in conſenſum & conſilium illorum non venit anima mea, dum veniẽs ad principem Francorum, cogente Eccleſiarum neceſſitate, tales ibi reperiſſem, quales nolui: ſed tamen in ſancta communione corporis Chriſti illis non communicaui. Præcepit quoque mihi præfatus Apoſtolicus Pontifex, vt populorum, quoſcunq; viſitâſſem, conuerſationem & mores Apoſtolico Præſuli indicarem: quod in Domino confido me feciſſe. De eo autem, quod iam præterito tempore de Archiepiſcopis & pallijs, à Romana Eccleſia petendis, iuxta promiſſa Francorum ſanctitati veſtræ notum feci, indulgẽtiam à vobis flagito: quia quod promiſerunt, tardantes non impleuerunt, & adhuc differunt, & quid inde perficere voluerint, ignoratur. Eſt præterea locus ſyluaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis, in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo monaſterium conſtruentes, monachos conſtituimus ſub regula ſancti patris Benedicti viuentes,

Cap.9. Hic Lullus ſucceſſit S. Bonifacio in ſede Moguntina. for.* gaudeam. Vitanda hæreticorum communio. Palliũ Romæ petendum. Fuldẽſe monaſteriũ cõſtructũ à S. Bonifacio.

uentes, viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino & ſeruis, proprio manuum ſuarum labore contentos. Hunc ergo locum per viros religioſos & Deum timentes, maximeque per Carlomannum principem Francorum iuſto labore acquiſiui, & in honore ſancti Saluatoris dedicaui. In quo loco cum conſenſu pietatis veſtræ propoſui aliquantulùm vel paucis diebus feſſum ſenectute corpus requieſcendo recuperare, & poſt mortem iacere. Quatuor enim populi, quibus verbum Dei prædicauimus, in circuitu loci huius habitare noſcuntur, quibus cum veſtra interceſſione, quandiù viuo vel ſapio, vtilis eſſe poſſum. Cupio quippe, veſtris orationibus intercedentibus, paritérq; opitulante gratia Dei in familiaritate Romanæ Eccleſiæ & veſtro ſeruitio inter Germanicas gentes, ad quas miſſus fui, perſeuerare, ac præcepto veſtro obedire, ſicut Eccli. 3. ſcriptum eſt: Iudicium patris audite filij dilecti, & ſic facite, vt ſalui ſitis. & iterùm: Ho- Ibidem. nora patrem tuum, vt veniat tibi benedictio à Domino.

Reuerentiſsimo fratri & coëpiſcopo Bonifacio, Zacharias Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei.

Cap. 10. BEnedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui diſperſa congregat, & cõgregata conſeruat, augetque fidem & fiduciam ſeruis ſuis ad prædicandum Euangelium Domini noſtri, cum eodem Patre & Spiritu ſancto viuentis in ſecula ſeculorũ. Iohan. 11. Ipſe enim dixit: Qui credit in me, vita viuet, & non morietur: quoniam ego ſum via, Iohan. 14. veritas & vita. Laudamus igitur & ſuperexaltamus ſanctum nomẽ eius, læti quòd per ſanctæ fraternitatis tuæ literas allatas ſuperſtitem in hac vita & in Domino te valere cognoſcimus, petentes immenſam Dei noſtri pietatem, vt ad prædicandum Euangelijatque ſanctæ fidei ſacramentum, te longæuum conſeruet, ſuaq; protectione à cunctis aduerſantium inſidijs te cuſtodiat. Suggeſſit itaque fraternitas tua in ſuis apicibus, quòd prædeceſſor noſter beatæ memoriæ Gregorius, huius Apoſtolicæ ſedis Præſul, dum ad prædicandum te miſiſſet in Germaniæ partes, verbo pollicitationis ab eo conſtrictus fuiſſes, vt Orthodoxos Epiſcopos ac presbyteros, vel quoſque reperire potuiſſes, in verbo exhortationis confirmares, & communicares eis: ſi quos verò ſeductores Epiſcopos aut pſeudopresbyteros, vel quoſque à recto fidei tramite deuiantes reperiſſes nulla tibi cum eis eſſet communio: quod te, Domino auxiliante, vſque in præſens ſpiritualiter ſeruâſſe confeſſus es. Si autem, cogente aliqua neceſſitate, ad principes gentis Francorum accedens, corporaliter ab eis abſtinere non valuiſſes, tamen in eorum conſilio & conſenſu communionis, anima tua non fuerit coinquinata. Propter hoc ergo, quòd cum eis conuerſatus es, non cõſentiens iniquitati eorum, nullum tibi eſt detrimentum coram Deo. Te enim prædicante, ſi obedirent, ſalui eſſent: Si autem in iniquitate ſua permanent, ipſi peribunt: tu autem iuxta prophetæ dictum, ſaluâſti animam tuam.

Pontifex cõſolatur Bonifacium. *Ezech. 33.*

Quod de principibus Francorum ſcripſiſti, quia in conſtitutione Epiſcoporum, quibus pallia miſimus, promiſſionem ſuam nondum impleuerunt, illis magis quàm tibi imputandum eſt. Si enim impleuerint verbum ſuum, habebũt ex eo laudẽ. Si verò aliter egerint, ipſi videant: nos tamen quod, Diuina gratia largiente, gratis accepimus, gratìs dedimus. Tua etiam bona voluntas mercede non priuabitur. Petiſti & hoc, vt monaſterium in vaſtiſſima ſolitudine & in medio gentium, quibus prædicas, conſtitutum atque in honore Saluatoris noſtri dedicatum, vbi & monachos ſub regula ſancti Benedicti degere feciſti, nomini tuo priuilegio ſedis Apoſtolicæ munire deberemus. Ideoque votis tuis acquieſcentes deſiderium & petitionem tuam implemus. Congruit enim, diuini miniſterij prædicatorem optimumq; miniſtrum ad deſiderata pertingere, & inchoatum opus bonum vſque in finem perducere. Præterea prædictus gerulus tuus Lul, cum cæteris ſuis comitibus, quæ iniuncta fuerant à tua ſanctitate, tã verbo quã ſcripto omnia innotuerũt: de quibus reſponſum dantes, tuę reſcribere ſtuduimus fraternitati. Continebatur enim in pittacio ab eis porrecto, quia nos flagitâſſes tibi innoteſcere, quæ recipienda vel quæ reſpuenda ſint, inprimìs de volatilibus, id eſt, graculis, corniculis atq; ciconijs, quæ omninò cauendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum: equi etiã ſyluatici multo ampliùs vitandi. De his igitur omnibus, ſanctiſſime frater, ex ſacra ſcriptura ſatis inſtrui poteris. De igne autem paſchali, quod inquiſiſti, ita ſtatutum eſt à ſanctis patribus, poſtquam precioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti Eccleſia eius dedicata eſt, vt quinta feria Paſchæ, quando ſacrũ Chriſma conſecratur, tres lãpades magnę capacitatis ex diuerſarũ eccleſiæ Iamdudũ oleo collectæ, & in ſecretiori loco eccleſię cõſtitutæ cũ magna diligẽtia ardeant, ita vt oleum ipſum ſufficere poſſit vſq; ad tertiũ diem

Innotuerũt actinè. more ſeculi illius.

diem, id eſt, ad ſabbatum. Tunc pro ſacri baptiſmatis fonte ſumptus ignis lampadum renouetur. De igne verò qui ex cryſtallis ſumitur, vt aſſeruiſti, nullam habemus traditionem.

De his etiam, qui regio morbo vexantur, inquiſiſti, ſiue homines, ſiue equi ſint, quid faciendum ſit de illis. Si ergo homines ex natiuitate aut genere huius morbi ſunt, extra ciuitatem conuerſari debent: eleemoſynam verò accipere à populo illis licet. Si autem contigerit magnum vel paruum quenquam non à natiuitate, ſed ſuperueniente ęgritudine vexari, non eſt proijciendus, ſed ſi poſſibile eſt curandus. Attamen dum ad communionem venerit in eccleſiam, poſt omnes accedere debet ad percipiendum ſacri muneris myſterium. Equi verò, qui præfato morbo fuerint coinquinati, ſi curari non valuerint, in puteos & foueas proijciendi ſunt, ne eiuſdem contagione cæteri coinquinentur. Animalia autem, quæ à furentibus vel rapidis lupis & canibus fuerint lacerata, oportet ea à cæteris ſeparari, ne furentes & mordentes cætera coinquinent.

Inquiſiuit & hoc fraternitas tua, ſi liceat ſanctimoniales fœminas, quemadmodùm viri faciunt, ſibi pedes abluere tam in cœna Domini, quàm in cæteris diebus. Hoc Dominicum præceptum eſt, quod qui per fidem impleuerit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres vnum Dominum habemus, qui in cælis eſt. Pro benedictionibus autem, quas faciunt Galli, vt nôſti frater, multis vitijs variantur. Nam non ex Apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per vanam gloriam, adhibentes ſibi damnationem, quia ſcriptum eſt: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod euangelizatum eſt, anathema ſit. Regulam itaque Catholicæ traditionis, quam à ſancta Romana Eccleſia, cui Deo authore deſeruio, accepiſti, omnibus prædica. Iohan. 13. Gal. 1. Catholica traditio ſeruanda.

Inquiſiſti etiam, ſi ante trigeſimum annum liceat ſacerdotem ordinare. Bonum & congruum eſt, chariſſime frater, ſi fieri poteſt, vt prouectæ ætatis & boni teſtimonij viri, iuxta ſacrorum Canonum decreta, ordinentur ſacerdotes. Si autem minimè reperiantur, & neceſſitas expoſcit, à 25. annis & ſupra, Leuitæ & ſacerdotes ordinentur, quemadmodùm in lege Domini continetur. Miloni autem eiuſque ſimilibus, qui Eccleſijs Dei plurimùm nocent, vt à nefario opere recedant, iuxta Apoſtoli vocem, opportunè & importunè prædica. Si acquieuerint admonitionibus tuis, ſaluabunt animas ſuas. Si verò non obedient, ipſi peribunt obuoluti peccatis ſuis: tu autem, qui rectè prædicas, non perdes mercedem tuam. Hoc ſimul inquiſiſti, poſt quantum tempus debeat lardum comedi. Licet pro hoc à patribus inſtitutum nobis non ſit, tibi tamen petenti conſilium prębemus, quòd non oporteat illud mandi, priuſquàm deſuper fumo ſiccetur & igne coquatur. Si verò libet vt incoctum manducetur, poſt Paſchalem feſtiuitatem erit manducandum. Sacerdotio qui initiádi. Num. 8. 2. Tim. 4.

Epiſcopus autem condemnatus, de quo inquiſiſti, qui pugnator & fornicator exiſtit, atque res Eccleſiæ poſt degradationem ſibi vendicare nititur: hic omninò reſpuendus eſt. Quæ enim portio infideli cum fideli, aut quæ cõmunio Chriſto & Belial? De ordinatione etiam presbyterorum & diaconorum, qui cogente neceſſitate & paupertate rogantium non legitimis temporibus ad te peruenerunt, ſi aliquam haberes offenſionẽ, inquiſiſti. Benè autem nôſti frater, quòd ſacri Canones docent, aptis temporibus ſacerdotes ordinandos. Attamen in eo, quod à te pro intentione bona actum eſt, à Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus. 2. Cor. 6. Aptis tēporibus ordinandi ſacerdotes.

De cenſu etiam Eccleſiarum quid agendum ſit, tibi dicimus: Nullam itaque hęſitationem habeas, ſolidum de caſa ſuſcipere: quia ex eo poteris eleemoſynam tribuere, & opus perficere ſanctarum eccleſiarum, iuxta Canonum inſtituta.

Si quis verò presbyteros, qui de laicis promoti fuerunt, & anteà capitalibus vitijs inuoluti, ſed celantes ea, ordinati ſunt, poſtmodùm autem manifeſtata ſunt: hos à ſacerdotali habitu priuatos, pœnitentiæ ſubmitte. Non enim odit Deus peccantem & confitentem, ſed peccantem & negantem.

Hoc etiam inquiſiſti à nobis, ſi liceat perſecutionem paganorum fugere, an nõ. Pro hoc igitur ſalutare conſilium tibi damus. Si fieri poteſt, & locũ inueneris, inſta ad prædicandum illis. Si autem ſuſtinere non valueris eorum perſecutionem, habes præceptum Dominicum, vt in aliam ingrediaris ciuitatem. Inquiſiſti etiam, quid faciendũ ſit de excommunicato Epiſcopo & Apoſtolicam authoritatem negligente. Hic ergo deteſtabilis eſt coram Deo & hominibus, & quicunq; eius condemnationi non communicauerunt, ipſi non condemnabuntur in die reuelationis iuſti iudicij. Matth. 10.

De Sclauis quoque, Chriſtianorum terram inhabitantibus, ſi oporteat cenſum acci-

 cipe.

cipere, interrogâſti frater. Hoc quidem conſilio non indiget, dum res eſt manifeſta. Si enim ſine tributo ſederint, ipſam quandoque terram ſibi quaſi propriam vendicabũt. Si verò tributum dederint, nôrunt dominatorem eſſe illius terræ.

Flagitâſti etiam à nobis, ſanctiſſime frater, vt in ſacri Canonis prædicatione quot Cruces in locis quibuſdam facere debeamus, tuæ ſignificaremus ſanctitati. Quam pe-titionem libenter implentes, in * rodulo dato prædicto Lul presbytero tuo, quot ſigna ſanctæ Crucis fieri debeant, infiximus. In his igitur & in omnibus rebus ſanctitatis tuæ vota amplectentes, diuinam clementiam deprecamur, vt ſuo te muniat & cõfortet auxilio, noſque annuat proſperitatis tuæ ſemper læta ſuſcipere nuncia. Data pridie Non. Nouemb. imperante domino Auguſto Conſtantino; imperij eius anno XXXII. Indict. V.

for. *rotulo

Zacharias Papa Bonifacio Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Moguntiæ perpetuam ſalutem.

Cap. 11. QValiter Dominus Deus noſter ſanctæ Eccleſiæ ſuæ propitiatus ſit, & laboribus ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ cooperator extiterit, per ſingula edicere longum eſt: tamen vt hæc, quæ obijcimus, confirmemus, quæ ex parte te narrante perſpeximus, enarramus. Igitur dum in Germania prouincia ſanctitas tua ad prædicandum fuiſſet directa à ſanctæ recordationis prædeceſſore noſtro Domino Gregorio Papa, & poſt inchoatum opus & ex aliqua parte ædificatum, Romam reuerſus ab eo Epiſcopus ordinatus, & ad prædicandum denuò remiſſus es, & elaborâſti, Deo præuio, nunc vſque per annos XXV. in eadem prædicatione, ex quo Epiſcopatum accepiſti: ſed & in Francorum prouincia noſtra vice concilium egiſti, & iuxta Canonum inſtituta omnes flexi ſunt tibi obedire: & dum in his pijs operibus occupata eſſet ſanctitas tua, nũc vſque Cathedralem ſedem ſibi minimè vendicauit. At vbi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluiſti, vt tibi Epiſcopalem eccleſiam vel ſucceſſoribus tuis cõfirmare debeamus, iuxta eorundem filiorum noſtrorum Francorum petitionem. Et idcircò authoritate beati Petri Apoſtoli ſancimus, vt ſupradicta eccleſia Moguntia perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has ciuitates, id eſt, Tungris, Coloniam, Vuormatiam, Spiratiam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen cognoſcere fecit. His à nobis definitis, per huius noſtræ confirmationis paginam in tua Eccleſia perpetuis temporibus pro ſui confirmatione hæc conſeruari mãdamus. Data pridie Non. Nouemb. imperante domino Auguſto Conſtantino, anno XXXII. imperij eius, Indictione V.

Mogũtia fit Metropolitana ſedes.

Zacharias Papa Bonifacio Epiſcopo, & per eum fratribus in monaſterio ab eo conſtructo.

Cap. 12. QVoniam ſemper ſunt concedenda, quæ rationabilibus cõgruunt deſiderijs, oportet vt deuotioni conditoris piæ conſtructionis oraculum in priuilegijs præſtandis minimè denegetur. Igitur quia poſtulâſti à nobis, quatenùs monaſterium Saluatoris à te conſtructum in loco, qui vocatur erga ripam fluminis Fuldæ, priuilegio ſedis Apoſtolicæ decoretur, vt ſub iuriſditione ſanctæ noſtræ, cui Deo authore deſeruimus, Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius eccleſiæ poteſtati ſubmittatur: Pro qua re pijs deſiderijs fauentes, hac noſtra authoritate id, quod expoſcitur, effectui mancipamus. Et ideò omnem cuiuſlibet eccleſiæ ſacerdotem, in præfato monaſterio ditionem vllam habere aut authoritatem, præter ſedem Apoſtolicam, prohibemus: ita vt niſi ab Abbate monaſterij fuerit inuitatus, nec Miſſarum ſolennitatem ibidem quiſquam præſumat celebrare, vt profectò iuxta id, quod ſubiectum Apoſtolicæ ſedi conſiſtit, inconcuſſè dotatum permaneat: locis quoque & rebus tam eis, quas moderno tempore tenet vel poſſidet, quàm quæ futuris temporibus in ius ipſius monaſterij diuina pietas voluerit augere ex donis & oblationibus decimiſque fidelium, abſque vllius perſonæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Conſtituimus quoque per huius decreti noſtri paginam, vt quicunque cuiuſlibet eccleſiæ præſul, vel quacunque dignitate prædita perſona, hanc priuilegij noſtri chartam, quam authoritate principis Apoſtolorum firmamus, temerare tentauerit, anathema ſit, & iram Dei incurrens, a cœtu ſanctorum omnium extorris fiat: & nihilominùs præfati monaſterij dignitas,

Exemptio Fuldenſis monaſterij.

gnitas,à nobis indulta,perpetualiter inuiolata pmaneat, Apoſtolica authoritate ſubnixa. Data pridie Non. Nouemb.imperante Domino Auguſto Conſtantino, Anno XXXII.imperij eius, Indictione V.

HVcuſque cum Epiſtolarum ſerie ſufficiat indicâſſe,quos labores, quáſve curas ſuſceperit ſanctus Bonifacius erga omnes illos, quos ad Chriſti fidem traduxit. Si quem verò moueat, perplures ex ijs literis, quarum fit mentio in ijs,quas nos poſuimus,hîc minimè haberi: nouerit ea cauſa id accidiſſe, quòd nullibi eas poterim inuenire. Iam porrò ante omnia commemoraturus ſum, qua deuotione erga Fuldenſe monaſterium fuerit Carlomannus princeps. Id enim rationi conſentaneum videtur,eam hîc deuotionem commemorare, vt non modò tanti viri declarentur beneficia,ſed etiam illorum profectui conſulatur, quos optima exempla ædificant: tum quoque, vt pudefiant illi, qui licèt optima quæque nôrint, videant, audiant, at nihilo minùs in ſua nequitia perſeuerant,ſolùm ore confitentes Deum, factis negantes: cordium aures libenter accommodantes ijs, quæ mundi amorem reſipiunt,porrò ad Dei præcepta eas occludentes. Princeps ergo ille,quem diximus, quanuis adiacentium regionum bellis infeſtaretur, non tamen ijs potuit à ſacrorum locorum & ſeruorum Dei procuratione retardari: nimirùm perſuaſum habens,arma ſpiritalia, quæ ſunt virtutes animi, multo eſſe potiora validioraque armis manufactis: neque vllam habens fiduciam in multitudine exercitûs, ſi virtutes ſpiritales abeſſent, conuenienter illi propheticæ ſententiæ: Non ſaluatur rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Itaque cùm omnia Chriſtianæ religionis iura, vt ex ſuperioribus poteſt animaduerti, tum pſeudochriſtianis, tum hæreticis profligandis,ad S. Bonifacij conſilium correxiſſet, illius etiam votis in Fuldenſi conſtruendo monaſterio non defuit. Cùm enim Abbas Sturmis locum illum,vbi nunc ſitum eſt idem monaſterium, cum fratribus quibuſdam incolere cœpiſſet, ſitumq; loci ſancto Bonifacio commendâſſet, vir ſanctus ſupplices Carlomanno preces obtulit, ita dicens: Pro perpetua remuneratione tua omnipotentem Deum exoro, ſi mihi cum bona venia tua liceat in orientali ditione tua monaſterium conſtruere, vitamque monaſticam inſtituere. Inuenimus enim locum in Buchoniæ ſolitudine apud Fuldam fluuium, ſeruire Deo volentibus benè opportunum,qui ſit tuæ ditionis,petimuſque vt tua pietas eum nobis donare velit,vt in illo Chriſto ſeruiamus.

Cap. 12. *Carlomãni erga eccleſias & monaſteria ſtudiũ & deuotio.* *Pſalm. 32.* *Sturmis Abbas primus Fuldenſis.*

His auditis,Carlomannus lætatus eſt,cunctiſque proceribus ſuis conuocatis, preces ſancti Epiſcopi eis expoſuit, & coram illis locum illum tradidit Epiſcopo, dicens: Quicquid eo in loco, quem petis, meæ eſt ditionis, ab hodierno die in ius Domini transfero, ita vt ab Occidente & Oriente, Septentrione & meridie ad tria millia paſſuum illi aſſignentur. Hac facta traditione, miſit nuncios, qui nobiles omnes Grapfeldenſis regionis conuocarent, eoſque obnixè precarentur, vt quicunque intra eos, quos diximus, limites iuris aliquid haberet, monaſterio à ſancto Bonifacio conſtruendo in Dei cultum largiretur. Vbi innotuit nobilibus Principis petitio, mox cum omni deuotione Deo & ſancto Bonifacio, venerandoque Abbati Sturmi quicquid illic iuris haberent, tradiderunt. Vt autem firma eſſet ad omnem poſteritatem ea traditio, Carlomannus,qui huius author erat,chartam ſuæ donationis ſcribi iuſſit, eiq; ſuum ſigillum impreſſit.

Cap. 14. *Fulden. monaſterio donata.*

Hæc & id genus alia faciens Carlomannus,cùm in Dei amore magis ac magis proficeret,nec tamen in habitu ſeculari eam poſſet,quam vellet, vitæ ſeruare integritatem, partem optimam elegit,quæ non poſſet ab illo auferri. Nam relictis omnibus mundi huius opibus & honoribus, ad Caſſinum montem, vbi tunc arctiſſima vitæ monaſticæ diſciplina vigebat, profectus eſt, ibique monachus factus eſt, Pipino fratri regni munia committens. Qui paterna fraternaque potitus dignitate, cùm eſſet Maior domûs, vt tunc dicebantur,eandem curam, ſolicitudinem, & deuotionem, quam eius frater,tam erga diuina quàm ſecularia negocia præ ſe tulit,per omnia ſe accommodans ad ſancti Bonifacij cõſilia. Vnde factum eſt,cùm ſe Deo,qui deponit potentes de ſede,& exaltat humiles,ſubmittere iugiter ſtuderet, vt ad regiam dignitatẽ euectus ſit. Nec tunc minùs,quàm anteà,S. Bonifacium & diligere & venerari perrexit.Itaq; fratris donationem ſuis literis confirmauit: quarum quidem exemplar hîc inſerere viſum eſt,vt fideles inſtruantur,raptores verò ſcelerati pudefiant.

Cap. 15. *Luc. 10.* *Carlomannus fit monachus.* *Luc. 1.*

Pipinus rex Francorum, vir illuſtris, Bonifacio Archiepiſcopo & Legato Germanico,

Cap. 16. *Literæ Pipini.*

[marg.: ...i regis ad S. Bonifaciũ] nico, ab Apoſtolica ſede directo: Quia veneranda paternitas tua noſtram excellentiã poſtulauit pro monaſterio, quod à te nouiter conſtructum eſt in ſolitudine Buchonia iuxta fluuium Fuldæ in loco, quem beatæ memoriæ Carlomannus germanus noſter legitima donatione tibi conceſſit, vt ſicut ex authoritate S. Petri principis Apoſtolorum, pro quo legatione fungeris, priuilegio ſedis Apoſtolicæ ſublimatus eſſe conſtat, ita etiam noſtræ authoritatis præcepto roboretur: placuit nobis, petitionibus tuis aſſenſum præbere. Et ideò hanc noſtræ præceptionis ſeriem, ob honorem Dei & venerationem ſancti Petri conſcribi iuſſimus, per quam priuilegium ſedis Apoſtolicæ, à beato Zacharia tibi collatum, cum conſenſu Epiſcoporum cunctorumque fidelium noſtrorum, per omnia roboramus: Præcipientes, vt nullus ſacerdotum in regno noſtro, diuinitùs nobis conceſſo, in præfato monaſterio ditionem aliquam ſibi vendicet, præter ſedem Apoſtolicam: ita vt niſi ab Abbate monaſterij fuerit inuitatus, nec Miſſarum ſolennia ibidem quiſquam præſumat celebrare: ſed iuxta id, quod ſubiectum conſtat Apoſtolicæ ſedi firmitate priuilegij, inconcuſsè roboratum permaneat: locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet vel poſſidet, quàm quas futuris temporibus iuris ipſius monaſterij diuina pietas augere voluerit ex donis & oblationibus decimiſque fidelium, abſque vllius perſonæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Si autem quiſpiam noſtræ authoritatis præcepto repugnare voluerit, ſententiam Apoſtolicæ diſtrictionis, quæ in priuilegio expreſſa eſt, experiatur. Et tamen hoc, quod ob amorem Dei & venerationem S. Petri authoritate noſtra firmauimus, ſtabile permaneat, manu noſtra roboratum, & tam annuli noſtri impreſſione, quàm fidelium noſtrorum adſtipulatione ſubnixum.

[marg.: Cap. 17.] Per idem tempus clericus quidam bonæ conuerſationis, Adalgerus nomine, S. Bonifacio adhæſit, eique fideliter miniſtrauit. Non diù pòſt morbo graui correptus, cùm ſe in extremis poſitum ſentiret, ex conſilio viri Dei prædia omnia, quæ ex paterna hæreditate ad ipſum deuoluta erant, S. Martino tradidit. Eo verò defuncto, fratres eius Aſpertus & Trutmundus omnia, quæ tradiderat ex Adamanaburgo, Breittenbrũnon & Seleheim, ſibi vendicârunt. Ea cauſa à defenſoribus Epiſcopi compellati, reſponderunt ſe cum iuramento aſſeueraturos, fratris prædia iurè ſe ſibi vendicâſſe. Ei autem iuramento Epiſcopus ſe promiſit adfuturum. Adueniente igitur ſtatuto die, cùm multos è ſua familia & cognatione adduxiſſent, vt iuramentum præſtarent, adfuit etiam vir Dei. Cùm autem eius iuriſiurandi ſocios ſecum ad altare traherent, dixit eis Epiſcopus: Vos ſoli iurate, ſi vultis: nolo, vt hi vobiſcum pariter pereant. At illi incunctanter iurârunt. Deinde ait ad illos Epiſcopus: Iurâſtis? Illis ſe iurâſſe affirmantibus, dixit Epiſcopus ad Aſpertum: Maior vrſus te occidat. Deinde ad Trutmundum, Nunquàm, inquit, ex te proles naſcantur. Vtrunque hoc ita euenit. Nam paulò pòſt Aſperto ad menſam ſedenti dictum eſt, ingentem vrſum per agrum diſcurrere. Tum ille aſcenſo equo, non expectatis ſocijs, cum venabulo cœpit vrſum perſequi. Sed ex equo delapſus, membris omnibus confractis, perijt, ita vt ſerui ad illum properantes, iam extinctum inuenirent. Id vbi Trutmundus audiuit, cernens viri Dei propheticam prædicationem in fratre completam, valdè pertimuit, moxque per nefas ablata prædia, ad altare S. Martini reſtituit.

[marg.: Credẽdũ eſt virũ ſanctũ non impætẽdi animo, ſed prophetico ſpiritu hæc dixiſſe.]

[marg.: Cap. 18.] Sentiens autem vir ſanctus verbi diuini ſemina, quæ intra Germaniæ & Galliæ fines iactâſſet, in cordibus credentium iam germinare & creſcere, nec ignorans corporis ſui diſſolutionem non longè abeſſe, cùm ardenti deſiderio cuperet apparere ante faciem Dei, conſtituit redire ad Friſones: quos olim quidem ad Chriſti religionem traduxerat, ſed fallente diabolo quoſdam ad ethniciſmi errores relapſos didicerat, quos cum Deo in gratiam reſtituere cupiebat, & ita in tam præclaro opere illic vitam finire: aut certè, ſi ſic Deo potiùs viſum eſſet pro eius nomine aduerſa & cruciatus omnes ibi fortiter tolerare. Sed antequam tam periculoſo ſe daret itineri, ſciẽs abſurdum id eſſe, ſi quis proprijs poſthabitis ouibus, alienas curandas ſuſcipiat: ſanctum Lullum qui prædicationum & laborum eius fidiſſimus comes extiterat, cuiuſque virtutes omni honore dignas nouerat, conſentiente tum Pipino rege, tum Epiſcopis, Abbatibus, Canonicis, & proceribus ad ipſius diœceſim pertinentibus, pro ſe Epiſcopum ordinauit: id quod iam antè à Romano Pontifice impetrârat. Deinde manu ſua appræhenſum, commendauit illũ cunctis principibus illic congregatis, vt ei tanquã patri obedirent, & in omni neceſſitate adiutores illi ſe præberent.

[marg.: S. Lullus fit Moguntinus Archiepiſcopus.]

[marg.: Cap. 19.] Poſteà ad Thuringos & Rheni accolas profectus, ſimiliter fecit. Poſtremò ipſum S. Lullum adhortans, ait: Quandoquidem reſolutionis meæ tempus appropinquat,

decre-

quas decreui proficiſci, quocunque diuinæ gratiæ viſum eſt me mittere. Tu ergo, fili chariſſime, animarum tibi creditarum curam age: tu populum ab errore reuoca: tu inchoatam monaſterij mei baſilicam apud Fuldam abſolue, & illic corpus meum, vbicunque tandem deceſſero, trade ſepulturæ. Tum præterea da operam, vt habeamus itineri noſtro res neceſſarias, & linteum, quo hoc decrepitum corpus poſt obitum obuoluatur, in librorum meorum theca repone. Hæc cùm vir ſanctus dixiſſet, tametſi Lullus ab imo pectore multa traheret ſuſpiria, & præ dolore nimio lachrymas cohibere non poſſet, non tamen auſus eſt quicquam illi ſe opponere. Paucis pòſt diebus nanim cum delectis ad illud iter ſocijs vir beatus ingreſſus, per Rheni alueum ad Friſonum regionem incolumis perlatus eſt. Ibi tum circunquaque progrediens, verbum Domini cum multa fidutia prędicauit, & eccleſias ingenti ſtudio extruxit. Tantam autem gratiam contulit ei Deus, vt intra breue tempus multa virorum ac mulierum millia cum ſuo ſocio Eobano baptizârit. Eum autem Eobanum, vt ſuæ ſenectuti aliquod pararet leuamentum, Epiſcopum Traiecti inſtituit. Aderant verò etiam ei preſbyteri tres & totidem diaconi, putà, Vuintrugius, Vualterus, & Adalherus, Struchaldus, Hamuntus & Boſo. Porrò Vuaccarus, Gunderharus, Vuilliherus & Adolphus profeſſione erant monachi, eumque ſequebantur. Atque hi omnes vnanimiter cum illo laborantes in prædicatione Euangelij, meruerunt etiam palmæ martyrij eſſe conſortes.

S. Bonifacius côcionatur apud Friſones.

Eobanũ ordinat Traiecti Epiſcopũ.

Cùm enim per latas Friſonum terras diſcurriſſent, & ad Bortnam flumen perueniſſent, quod eſt in confinio eorum, quos vulgari idiomate vocant Oeſter & Vueſterreiche, S. Bonifacius ſolis comitibus ſuis ſtipatus, iuſſit ibi tentoria figi, volens in eodem loco nuper baptizatorum ſuſtinere aduentum confirmationis gratia. Iam enim propinquabat dies eidem confirmationi deſtinatus. Is poſtquàm aduenit, ſole iam ſummos occupante gradus, omnes illi, qui haud aliter atque filij à patre expectabantur, indigni percipere gratiam Spiritûs ſancti, quæ illo die per ſacram confirmationem illis offerenda erat, ex amicis in hoſtes, & ex neophytis in lictores mutati, cum ingenti ſtrepitu armorum ad ſanctorum caſtra aduolant. Id cernentes famuli, ſumptis armis, contra illam furentis populi multitudinem ſanctos tueri nitebantur. At S. Bonifacius audito tumultuantis turbæ impetu, primò quidem ad ſpiritalis præſidij aſylum confugit, ſanctorum reliquias, quas ſemper ſecum circunferre ſolebat, arripiens: deinde accitis ad ſe clericis, è tentorio proceſſit, famuloſque ad reſiſtendum paratos compeſcuit, dicens: Nolite, quæſo, pugnare filij mei: nolite aduerſarijs bellum inferre, quando ſacræ ſcripturæ verbis docemur, non ſolùm malum pro malo non reddere, ſed etiam pro malis bona exhibere. Iamdiù optatus adeſt dies: iam tempus illud aduenit, quo de laborioſa ſeculi huius ærumna ad æternæ beatitudinis gaudia inuitamur. Cur ergo tantam gratiam, tantam gloriam à nobis excludere vultis? Immò verò confortamini in Domino, & oblata cæleſtis gratiæ munera gratis animis nos excipere patimini. Sperate in Domino, & ille nos à periculis omnibus eripiet. His & id genus alijs ſermonibus compeſcuit miniſtros ab armis hoſtibus inferendis. Deinde etiã Clericos cuiuſq; ordinis patria ac libera voce adhortans, Fratres chariſſimi, inquit, ſi qua diuini cura amoris, ſi qua apud vos mearum admonitionum reſidet memoria, hac hora iam declarate, in animum reuocantes illa verba Saluatoris: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Spei veſtræ ancoram in Deo defigite, qui poſt vitam hanc momentaneam perpetuæ ſalutis brauiũ vobis rependens, ad ciuium ſupernorum conſortium vos perducet. Nolite, obſecro, diuturna inuictarum mentium prælia in hoc temporis puncto amittere: nolite improbis gentilium blandimentis & adulationibus eneruari: ſed præſentiſſimum hoc mortis diſcrimen, quod nobis impendet, pro illius amore, qui noſtra cauſa paſſus eſt, conſtanter & viriliter perferte, vt cum illo æternùm gaudere poſſitis.

Cap. 10.

Sacramentũ Confirmationis.

Nota de ſãctorum reliquijs.

Rom. 12. 1. Petr. 3.

Matth. 10.

Necdum verò ſanctus Epiſcopus huius ſalutiferæ exhortationis verba abſoluerat, cùm ecce furens illa paganorum turba, cum gladijs & omnis generis infeſta armatura in eos irruit, cruentiſq; manibus barbara quadam feritate eos trucidat. Inde ad tentoria eorum properant, & tum libros, tum ſacrarum reliquiarum capſulas ſecũ auferunt, arbitrantes ſe magnos in eis argenti & auri theſauros reperturos. Mox ad naues aduolant, alimenta omnia exportant, & cùm aliquid vini illic reperiſſent, hilariter inde potitant. Poſteà inter ſe tractant de diuidundo inter ipſos theſauro illo, quem ſe inueniſſe falsò exiſtimabant. Cumque longa diſceptatione nihil inter ſe pacificè poſſent

Cap. 11. S. Bonifacius cũ ſuis trucidatur.

Obſerua cœleſtem vltionem in percuſſores eius. poſſent conſtituere, repentè inter eos immanis extitit diſcordia, quæ eouſque proceſſit, vt eodem furore, eadẽ veſania, iiſdemq; armis, quibus ſanctos martyres ſuæ ſalutis miniſtros iugulârant, mutuò ſe conficerent. Ea cæde peracta, qui ex iis ſupererant, iterùm ſpe pecuniarum incitati, ad thecas illas properant, iiſq; confractis, pro auro & argento codices & diuinæ doctrinæ chartas inueniunt. Tum furore & amentia perciti, codices illos partim per campi planitiem, partim per paludes diſpergunt, partim in loca incongrua abijciunt. *Preclarum miraculum.* Qui tamen beneficio Dei, vt cuius eſſet meriti vir ſanctus, innoteſceret poſt longa temporis ſpatia illæſi & inuiolati reperti ſunt, & ad eccleſias in quibus hodieque manent, à ſingulis eorum inuentoribus reportati. *Codex S. Euangelij.* In iis autem repertus eſt ſancti Euangelij codex, quem vir beatus pro ſanctitate ſua iugiter apud ſe ferre conſueuerat: qui licèt enſe acuto, vt etiamnum videre licet, per medium ſectus ſit, nulla tamen litera ea ſectione abolita eſt. Eum librum fertur ſanctus Epiſcopus tum, cùm in eius caput enſis vibraretur, ſicario obieciſſe, vel pro tuendo capite, vt tali in periculo fieri ſolet, vel pro ſpiritali clypeo. *Aliud inſigne miraculum.* Et eſt ſanè illuſtre miraculũ, quo & Dei virtus, & beati viri ſanctitas declaratur, in ſecto libro nullius literæ abolitionem videri. Fruſtrati autem ſpe ſua carnifices illi, domum triſtes abiêrunt. Vbi autem vicini Chriſtiani eam ſanctorum virorum necem percêpere, tetras latronum illorum armata manu inuaſerunt: & cùm ſe ad repugnandum homines impij compararent, ſed tanti ſceleris conſcientia preſſi, nihil poſſent, in fugam acti, à Chriſtianis interfecti ſunt. Cumque res illorum diripuiſſent Chriſtiani, ad ſua reuerſi ſunt. Ita qui ſalutis ſuæ miniſtros trucidare non ſunt veriti, duplici contritione contriti ſunt, corporis in hac vita, animarum apud inferos.

Cap. 22. Non diù pòſt Traiectenſis eccleſiæ Clerici corpus S. Bonifacij Traiectum deportârunt, & cum multa veneratione tumulârunt. Id poſtquàm reſciuit S. Lullus, conuocatis permultis, tam clericis quàm laicis, venerabilibus viris, indicauit eis necem S. Bonifacij & quemadmodum Traiecti humatus ſit: ſimul etiam exponens eis, quo in loco ſe adhuc viuens iuſſerit ſepeliri, petijt vt ad eius exequendam voluntatem ipſi velint adiumento eſſe. Permultis autem ſeſe ad eam rem promptiſſimos offerentibus, elegit ex eis magis idoneos, miſitque partim nauibus, partim equis ſubuectos, qui ſancti viri corpus à Traiectenſibus repeterent. Sed cùm Traiectenſes illorum cognito aduentu ſeſe illis opponerent, nec tamen tantæ multitudini ſe pares eſſe viderent, proteſtati ſunt, à Pipino rege iuſſum eſſe, ne corpus S. Bonifacij inde tolleretur. Quod cùm legati commentitium putarent, totis viribus id aggreſſi ſunt ad effectum perducere, cuius cauſa eò venerant, virtute diuina eos confirmante, vt ſui voti compotes fierent. Interim de corpore ſacro vtrinq; illis contendentibus, campana eccleſię, nullo mouente, inſonuit. Quod audientes incolæ, qui ad pugnam ſe parauerant, nutu diuino perterriti, ſancti viri corpus petentibus reddendum cenſuerunt. Atque ita venerabiles illi legati ſacrum corpus honorificè & ſine remigantium labore triceſimo ab obitu eius die Moguntiam attulerunt: ad quem diem, perinde acſi huic rei præſtitutus fuiſſet, multi vtriuſq; ſexûs etiam procùl degentes, confluxerant eo animo, vt legatos expectarent, vel occurrerent venientibus, nihil comperti habentes de ſancti corporis aduentu. *Corpus S. Bonifacij deportatur Moguntiã.* Pariter etiam è regia chorte aduenit venerandus præſul Lullus, licèt ignoraret reuertiſſe ſuos cum ſacro pignore. Factum eſt hoc diuinæ prouidentiæ diſpenſatione, vt pariter conuenientes illi, quibus amiſſio tanti patris & doctoris magnũ mœrorem attulerat, communi quoq; lætitia perfunderentur, quòd eum perpetuum apud Deum patronum eſſent habituri.

Cap. 23. Tanti igitur theſauri pignore accepto, permulti Moguntinenſes cenſebant illic humandum eſſe, vbi vir ſanctus Epiſcopum egiſſet. Aiebant id ius eſſe omnium eccleſiarum, vt apud ſedem ſuam condantur antiſtites. Et quidem vſqueadeò iſthuc affirmantium ſententia præualuit, vt propemodùm etiam S. Lullus ipſis conſentire videretur. Sed cuidam venerabili Diacono Otberto S. Bonifacius per viſum apparens, ait: Dic Epiſcopo Lullo, vt ſine vlla hæſitatione corpus meum ad monaſterium meum trãſferat. Multis autem huic viſioni fidem non commodantibus, Lullus Epiſcopus ad ſanctorum reliquias voluit Otbertum iurare, ſe non niſi vera loqui. Quod cùm ille incunctanter feciſſet, omnes mox in eam iêre ſententiam, vt ad monaſterium tranſferretur. Itaque alij naues adducebant, quibus ſacrum corpus veheretur, alij ſanctum funus litania, pſalmodia, alijſque ſacris carminibus & canticis proſequebantur. *Vide priſcorum Germanorum de nouo cem.* Atque alijs recedentibus, alij ex vicinis locis ſuccedebant, lętantes ſe illius ſacro corpori poſſe exhibere comites, quem non dubitarent apud Dominum ipſis ſuffragari. Quæ vero

lætitia

lætitia & animi compunctio de tanti viri patrocinio permultis oborta ſit, nos pro di-
gnitate ſcripto complecti non valemus. Et certè aliquot locis, vbi cum ſancto corpo-
re vel pernoctâſſent, vel meridiè fuiſſent, poſteà eccleſias in eius honorem ædificârũt.
Itaq; cum tali celebritate & gaudio perductus eſt in Fuldenſe monaſterium, vbi vir S. Bonifacius Fuldam transfertur.
ſanctus ſæpè optauerat ſepeliri, & vt id fieret, non ſemel beato Lullo mandârat. Atq;
ille preces eius modis omnibus exequi contendens, ea, qua par erat, veneratione ſa-
crum quidem corpus eius terræ mandauit, animam verò cœleſtibus ſociandam gau-
dijs multis precibus commendauit.

Ad eius autem tumulum, per merita eius multa congrua fide petentibus obtingunt Cap. 14. Miracula ad ſepulchrum eius.
beneficia vtriuſq; hominis: interioris quidem, dum ſuorum peccatorum veniam ob-
tinent: exterioris autem, dum ſe ſentiunt à morbis liberari. Si verò contingat ea be-
neficia illic non impetrari, nõ id imputandum eſt vel diuinæ inclementiæ, vel ineffi-
caci apud Deum S. Bonifacij patrocinio: ſed ijs potiùs, qui propter ſuam incredulita-
tem non merentur exaudiri: ſicut etiam de Domino Chriſto ſacrum teſtatur Euange- Matth. 13.
lium, quòd non fecerit virtutes multas in patria ſua propter incredulitatem illorum.
Quanquàm etiam ceſſant interdum miracula tum ob cultûs diuini neglectum, tum
ob incorrigibilem malitiam habitatorum: tum etiam quòd pro exhibitis miraculis
non ſolùm Deo & ſanctis eius debitæ laudes & grates non agantur, ſed nec memoriæ
commendentur. Vixit in epiſcopatu S. Bonifacius annos triginta ſex, menſes ſex, &
dies totidem. Paſſus verò eſt cum ſocijs ſuis Nonis Iunij, Anno peregrinationis ſuæ
quadrageſimo, incarnationis autem Dominicæ ſeptingẽteſimo quinquageſimoquin-
to, regnante eodem Domino: cui laus & gloria per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

VITA S. CLAVDII ARCHIEPISCOPI BISVNTINI, PER F. LAVR. SVRIVM MVTATO STYLO EX

quodam impreſſo codice deſcripta. Habetur etiam manuſcripta, ſed ea necdum peruenit ad manus meas. Puto autem eandem eſſe, quæ etiam excuſa habetur, licèt fortaſsis paulò copioſior ſit.

BEATVS Claudius fertur originem duxiſſe ex illuſtri Sa- Iunij 6.
linenſium principum ſiue Palatinorum familia. In paren- Cap. 1.
tum ſuorum domo vſque ad ſeptimum ætatis annũ in Dei
timore accuratè enutritus, poſteà diſcẽdis literis admotus
eſt, probatiſſimis traditus magiſtris: ſub quibus ille non ſo-
lùm diſciplinas liberales breui perdidicit, ſed etiam ſcripta
diuina & ſanctorum hominum res geſtas ſedulò perlegit.
Erat enim in illa tenera ætate præclaro & docili ingenio, Multũ in literis puer Claudius proficit.
feruenti animo, pijſque & ſanctis operibus valdè addicto,
ita vt nullum diem abſque bonorum operum ſtudio præ-
terlabi pateretur. Etſi autem ætate erat iuuenis, attamen
nihil in eius moribus aut factis puerile cernebatur. Nunquàm ille choreis ſe admiſcu- Maturitas morũ eius.
it, nunquàm mundanis interfuit ſpectaculis: ſed hominibus religioſis & honeſtis ſeſe
adiungens, de virtutum ſtudijs & exercitijs ſuauia cum illis miſcebat colloquia. Verba
autem illius ſapientiæ ſale condita, vſqueadeò rationi conſentanea & grata fuêre, vt
omnium in ſe ſtudia & affectus prouocaret. Atque ita fiebat, vt etiam viri prouectæ
ætatis & ſapientes non mediocriter illum amarent, tanquam puerum ſanctum & vir-
tutum ſtudioſum: alij vt affabilem, comem atque prudentem venerarentur. Homi- Vitat malorum conſortia.
nes improbos & ſcurilitati deditos reſpuens, illorum conſortia modis omnibus deui-
tabat. Fœminarum iuuencularum adeò declinabat colloquia, vt nunquàm ſine cau-
ſa rationabili illis loqui voluerit: nec vnquam in eo deprehenſus fuit qualiſcunque ſer
mo vel opus nefarium, non riſus inhoneſtus, non vlla animi leuitas aut diſſolutio.
Ante omnia autem templa frequentabat, Dominicis præſertim & feſtis diebus Miſſas
& preces Canonicas ſiue horarias, ſermoneſque diuinos ſumma animi deuotione au
ſcultabat.

Creſcente verò fama ſanctitatis eius, cùm iam viceſimum ætatis attigiſſet annum, Cap. 2.
contempta militia ſeculari, Biſuntinæ eccleſiæ factus eſt Canonicus. Itaque in dies

ſeipſo melior fieri ſtudens, precibus Canonicis tum nocturnis, tum diurnis interfuit, libros ſcripturæ diuinæ diligenter euoluit, & omni ex parte, ceu verus Dei ſeruus, in eam curam ſedulò incubuit, ne quid reprehenſione dignum admitteret: atq; intantùm breui temporis ſpatio, diuina illum adiuuante gratia, in ſanctis operibus & ſacra doctrina clarus euaſit, vt in tota Burgundionum ditione nullus ei par inueniretur, id quod perſpici facilè poteſt ex editis ab illo lucubrationibus, quæ vſque in præſens in Iurenſi monaſterio aſſeruātur. Quotidiè autem, demptis Dominicis & ſolennioribus diebus, non niſi ſemel edebat. Crebrò noctes orando, legendo, meditando peruigil exegit. Caſtum & mundum ab omni inquinamento ſe ſeruabat. Veſtitus ei erat mediocris, mores modeſti & humiles, ſermo verax, ſuauis & amabilis. Denique virtutum omnium tantus in illo cernebatur ornatus, vt iam verus monachus à cunctis haberetur. Anno autem duodecimo ſuſcepti canonicatûs eius, præſul Biſuntinus cœpit aduerſa laborare valetudine. Timens igitur beatiſſimus Claudius, ne, quod poſteà tamen euenit, Epiſcopus illic crearetur, ad tempus inde receſſit, atque ad parentes ſuos ſeſe recepit. Humaniſſimè autem ab illis exceptus, aliquandiù apud illos ſanctè & piè verſatus eſt.

Vt ſe geſſerit factus Canonicus. Eius ieiunia. Vigiliæ. Veſtitus.

Cap. 3. Interim memoratus antiſtes vitam cum morte commutauit, & inter clerum & populum Biſuntinum de ſubſtituendo ei ſucceſſore non minima extitit diſſenſio, alijs hunc, alijs alium eligentibus. Tandem vnanimes ad precandum Dominum ſe contulerunt, humiq; proſtrati, cum lachrymis obnixè rogârunt, vt ob merita ſanctiſſimæ matris ſuæ. & beati Iohannis Baptiſtæ patroni ipſorum, ſanctorumq; omnium clementer ipſis inſpiraret, quiſnam eccleſiæ Biſuntinæ paſtor eligendus eſſet. Atque in his precibus illis perſeuerantibus, vox cælitùs audita eſt, iubens eos omiſſis lachrymis beatum Claudium creare antiſtitem. Ea voce exhilarati Canonici, omnes in eam eunt ſententiam, vt Claudius ſit epiſcopus Biſuntinus: confeſtimq; mittunt honeſtiores è Clero & populo viros, qui eius conſenſum obtineant. Ille tandem multis precibus & lachrymis victus, ſciens ſe diuinę non poſſe reſiſtere voluntati, Biſuntium ducitur, imò verò trahitur, Archiepiſcopus conſecratur, à ſummo Pontifice eius electio canonica approbatur & confirmatur, anno à Chriſto nato ſexcenteſimo viceſimoſexto. Factus autem Archiepiſcopus, eandem, quam priùs humilitatem & morum grauitatem in omnibus ſemper ſeruauit, & vt fidelis ſeruus & prudens familiam Domini & creditas ſibi eccleſias feruenti zelo gubernauit, cauſas & controuerſias eccleſiaſticas horis opportunis comiter & placidè audiuit, & ad eccleſiaſticarum ſanctionum præſcriptum egregiè decidit. Nunquam ob quæuis tractanda negotia ſecularia, niſi euidēs neceſſitas aliud poſtularet, ab eccleſia ijs horis abeſſe voluit, quibus diuina peragebantur officia. Crebrò viſitabat diœceſis ſuæ eccleſias, & ceu bonus paterfamilias, iuxta Domini ſentētiam, de theſauro ſuo proferens noua & vetera, mellitiſſimis exhortationibus ſuis bonos & pios incitabat, vt ad meliora proficerent: lapſos verò & errantes ſolicitè admonebat, vt ad bonam ſeſe frugem reciperent. erat enim ſanè haud mediocriter literatus. Diuinæ contemplationi ſedulus vacabat, atq; interim ſpiritus eius mirum in modum eleuabatur. Nec tamen propter contemplationis, quæ Mariæ tribuitur, otium, Marthæ laborioſum neglexit miniſterium: imò verò ſeptem miſericordię exercendis operibus totis viribus incumbebat.

Creatur Epiſcopus Biſuntinus. Qualis fuerit in Epiſcopatu. Matth. 13.

Cap. 4. Cùm autem annis ſeptem eam gubernâſſet eccleſiam, diuino eum amore magis ac magis perurgēte, omnes mundi huius opes & pompas declinare cupiens, vt poſſet liberiùs diuinę ſe contemplationi tradere, cunctis in ſua diœceſi benè diſpoſitis, Epiſcopatu ſe abdicauit, & ab Angelo admonitus, ad monaſterium S. Eugendi, quod etiam Iurenſe dicitur, in Biſuntinæ diœceſis confinio ſitum ſe contulit, atque illic habitum & inſtitutum S. Benedicti complexus eſt. Tantę verò ſanctitatis & perfectionis fuit, vt omnium quæ in mundo ſunt, oblitus, ſolo omnipotentis Dei flagraret amore. Vigilabat in precibus, aſſiduus erat in ieiunijs, diligentem nauabat operam ſacris lectionibus & meditationibus, & vt canon monaſticus docet, verum & ſtrenuum ſeſe monachū exhibebat. Ad diuina celebranda officia omnes ipſe templi ingreſſu anteuertebat, poſtremus omnium è templo recedebat. Atque hac ratione adeò cunctos ad monaſticæ perfectionis prouocabat ſtudium, vt Iniurioſus, eius monaſterij tunc Abbas, vir ſanè eximia tum ſanctitate tum prudentia, cum multa humilitate & inſtantia monaſteriū illud regendum ei obtulerit: quod tamen vir ſanctus modeſtiſſimè recuſauit. At tamen poſt annos quinque Iniurioſo Abbate cum magna meritorum copia ad Dominum migrante, venerabiles eiuſdem cœnobij patres illum vnanimiter elegerunt ſibi Ab.

Relicto Epiſcopatu fit monachus. Fit Abbas licèt inuitus.

bi Abbatem, quibus ægrè tandem aſſenſus eſt. Ita Claudius quantò ſe in hoc mundo plùs abijcere voluit, tanto digniorem ſe & apud Deum & homines, qui exaltaretur, effecit. Quod quidem non abſque diuina diſpenſatione ita eueniſſe exiſtimatur, vt loco illi, in quo multi floruère ſanctitate conſpicui viri, etiam ſanctiſſimus Archiepiſcopus adiungeretur, atque inde locus ipſe inſignior redderetur.

Porrò autem complures ad beatum virum confluxêre non modò clerici, ſed etiam nobiles & ciues, ſanctitatis eius fama illecti, inſtanter ab illo monaſticum habitũ expetentes. Quos ille abſque perſonarum acceptione haud difficulter admittebat, & ad perfectionis capeſſenda faſtigia ſummoperè prouehebat. Cuiuſmodi autem filios ſpiritales illic enutrierit, id noſtram excedit dicendi facultatem: poteſt autem, quiſquis eum inuiſit locum ſanctum, facilè id colligere ex multitudine ſanctorum corporum, quæ illic venerationi habentur. Multas verò etiam temporales poſſeſſiones, quibus famuli Dei ſuſtentarentur, obtinuit conuenienter illi Chriſti promiſſioni, Omnis qui reliquerit domum, aut agros propter me, &cæt. centuplum accipiet. Dabantur enim ei à fidelibus regibus & principibus: in quibus Clodoueus rex, qui tum Franciç tenebat gubernacula, monaſterio eius annuos largitus eſt modios tritici quinquaginta, & hordei totidem, itemque quinquaginta denariorum argenti libras annuas. Pauperibus Chriſti vir beatus, itemque ſuperuenientibus hoſpitibus omnem humanitatem præſtandis eleemoſynis exhibuit. Ornamenta eccleſiæ, libros, calices, cruces, candelabra aurea & argentea, pannos ſericos, & alia ad diuinum cultum pertinentia egregiè augmentauit, Sanctorum reliquias in thecis pretioſiſſimis reuerenter repoſuit, monaſterij domos & ſtructuras ita vt decuit inſtaurauit.

Cap. 5. *Matth. 19.* *Multa donantur eius monaſterio*

Anno autem quarto Childeberti regis Francorum, cùm iam Claudius pater ſanctiſſimus annis quinquaginta ſeruis Chriſti in hoc monaſterio cum multa laude præfuiſſet, ſenex admodum & plenus dierum, totis viſceribus Dominum ſuſpirans, leui quodam morbo correptus eſt. Sciens ergo obitùs ſui tempus imminere, tertio die iuſſit conuocari fratres omnes monaſterij, ad eoſque præſentes luculentiſſimum ſermonem habuit, blandiſque eos exhortationibus inſtituit, vt nunquam quicquam diuino amori anteponerent, cuncta mundi huius oblectamenta præ deſiderio & amore æternorum planè contemnerent, nec quicquam abitione ſua dolerent. Cumque eos cerneret vbertim ab oculis lachrymarum riuulos fundere, motus miſericordia, qua multa ſemper præditus fuit, accepta ab omnibus pace, ad cellulas eos remiſit, totamque ſequentem noctem precibus exegit. Quarto verò die in oratorium veniens, ſacramentum pœnitentiæ & ſacroſanctum Chriſti corpus magno lachrymarum perfuſus imbre ſingulari deuotione percepit. Atque inde ad cellam ſuam reductus, corpus ſuum non alibi quàm in monaſterio ob euitandas mundi pompas ſepeliri iuſſit. Inde quinto die circa horam diei nonam, incumbens in ſcamnum, in quo legens aut orans ſedere vel ſtare conſueuerat, erectis ſurſum brachijs, iunctis manibus, oculis in cælum defixis, ſanctiſſimam animam reddidit creatori. Eius corpus vſque in præſens in illa S. Eugendi eccleſia cunctis aduentantibus incorruptum & integrum monſtratur, innumeris miraculis coruſcans. Feſtum eius celebratur octauo Idus Iunij.

Cap. 6. *Sub obitum munit ſe ſacramentis Eccleſiæ.* *Abit ad Dominum.*

VITA S. GVDVVALI ARCHIEPISCOPI ET CONFESSORIS, QVAM QVIDAM, SVPPRESSO NOMINE

ſuo, tribus libellis conſcripſit ante annos plùs minùs quingentos. Puto enim eam eſſe, quæ citatur in vita S. Bertulphi Abbatis, cap. 27. quam lector offendet Tomo 1. die 5. Februarij, iuſſu Abbatis Folcardi elucubratam. Vitandæ autem prolixitatis cauſa, hanc S. Guduuali vitam Fr. Laurentius Surius ſcripſit comprehenſiùs, ſalua hiſtoriæ & veritate & integritate, totam vno libello complectens. Nam author res non adeò multas multis verbis proſequitur.

Iunij 6. Cap. 1. Patria S. Guduuali.

SANCTVS Guduualus in Britannia ortus eſt. Parentes & cognatos habuit generis nobilitate inſignes. Eo aũt naſcente, diuinę iuſtitię ſeueritudo in clementiã mutata eſt, ceſſauitq́; gladius, fames & peſtis, quæ eã gentẽ afflixerant, vt quaſi pacis quendã filiũ Britanniæ editũ, ea rerum mutatio pręnũciare videretur. Ablutus inde ſacro baptiſmate eſt, & cũ ætatis progreſſu creuit in eo gratia Spiritûs ſancti, creuit etiã paulatim ſcientia & cognitio cæleſtium doctrinarum. Vbì autem ad viriles peruenit annos, cũ ita de eo ſentirent pleriq; omnes, domûs Dei illũ egregiã futurũ eſſe columnã, Leuita & ſacerdos ordinatus eſt. Tum verò

Initiatur ſacerdotio.

cœpit prodere ſapientię à teneris annis acquiſitę theſauros, ſtudere lucris immortalis regis ſui, & humana ſcientia & diuina ſapientia alios imbuere, ex inexhauſta Euãgelici fontis abyſſo ſitientibus hauſtus ſalutis ſuppeditare. Atque hac ratione quoſdã ita veri ſolis radijs inflãmauit, vt ipſi quoq; alijs & illuſtrandis & inflãmandis idonei facti ſint.

Cap. 2. Promouetur in Epiſcopum.

Reddidit autem præpotens Deus vicem tã præclaris eius ſtudijs, eumq́; ad principatũ Eccleſiaſticũ promouit. Factus igitur Epiſcopus, quo altiùs in populo Dei caput extulit, eo latiùs de ſe ſparſit ſanctæ conuerſationis odorem: & quandiù quidẽ ſacerdotio functus eſt, opus gratiæ ſuæ per illum magnificè declarauit Spiritus ſanctus, omni clero populoq́; lætante. Erat autem illi amplum patrimonium, ſed ille faſtidiens opes & copias omnes labentis vitæ, quicquid habuit facultatum, Eccleſiæ Chriſti largitus eſt. Cernens etiam cura paſtorali ceu catenis quibuſdã ſeculo ſe illigari, cùm primùm potuit, illa ſe penitùs expediuit. Itaq; ſummo inprimìs paſtori, & deinde idoneo ſubſtituto ſucceſſori eccleſiam commendans, ſuæ diœceſis quoddam monaſterium petijt, vitam illic monaſticam, immò angelicam viuens: vacanſq́; quieti & diuinarum rerũ contemplationi ſperabat breuì fore, vt locus votis ipſius opportunus diuinitùs ſibi reuelaretur. Interim cœpit etiam miraculis coruſcare. Accidit, vt cùm die quodam in eo monaſterio cæleſtia ſuo more tractaret, repentè latronum funeſta manus irrueret, & barbarica feritate res monaſterij diripere conaretur. Vbì id viro Dei innotuit, ad rogandum Dominum ſe contulit, humi proſtratus. Iam aduentabant, quibus ex officio id incumbebat, ad quos huius rei fama peruenerat, vt illorum nefarios conatus retardarent & comprimerent: ſed vltio diuina illos anteuertit. Magno enim terrore correpti prædones illi, in pedes ſe conijciunt, vnusq́; ex illis fratrem ſuum iugulat: mox furore perciti, ita ſe mutua cæde conficiunt, vt ne vnus quidem ſuperfuerit.

Abdicat ſe epiſcopatu & petit monaſterium.

Vltio diuina in prædones.

Cap. 3.

Erat autem monaſterio illi propinquum mare, in cuius ſinu rupem vaſtam extare vidit vir ſanctus, quæ cuiuſdam inſulæ habitabilis ſpeciem præferret. Cingebatur quidem vndiq; mari, ſed tumeſcentibus eius fluctibus nequaquàm obruebatur. Ea conſpecta, vir Dei gratias agit Chriſto, & locum ſuis votis reſpõdentem ſibi obtigiſſe gratulatur. Itaq; ſperans ſe illic ſecretiùs vni Deo vacaturum, & beatorum ſpirituum iucundiſſimam familiaritatem promeriturum, Crucis ſigno ſe communiens, vno tantùm comite contentus, eò ſe confert, & inſtar antiquorum eremitarum anguſtum ſibi in ipſa rupe domicilium excindit. Fratres verò monaſterij, quos iam ſalutari inſtitutione imbuerat, eius abſentiam non ferentes, vbique eum inquirunt pia ſolicitudine. Tandem repertum in foramine petræ, immò in Petra illa, quæ Chriſtus eſt, ſtudent etiam ipſi eius ſanctam ſimplicitatem & viuificam mortificationem hilariter imitari. Preſſi autem loci anguſtia, ferreis inſtrumentis aliquot ibi effecêre habitacula, quæ ſolis Chriſti ſeruis ſufficerent.

Viuit ſolitarius.

1. Cor. 10.

Cap. 4.

Non longè verò aberat ſeceſſus quidam, in quem mare tum certis horis naturali feruore

uore exæſtuans, tum incertis vi quadam concitatum magno impetu ferebatur, excidium ſedibus illis minitans. Ea res virum ſanctum non mediocriter anxium habebat: & cùm nulla humanitùs tanto malo remedia poſſent apponi, oculos ad cælum ſuſtollens, diuinæ miſericordiæ viſcera precibus pulſabat. Nec diſtulit pius Dominus admirabili quadam ratione præſens periculum amouere. Commouet piſces maris, & machinam magni roboris diuinitus præparatam, per ſpumantes pelagi fluctus ad illum receſſum apportant: cuius obiectu & impetus omnis inſanientis maris repreſſus eſt, & vir ſanctus periculo omni liberatus. Manet hoc præſidium in hunc vſq; diem, creatura ſuo creatori obſecundante. Nota miraculum.

Erat etiam aliud eius rupis incommodum, nempe quòd præ aquæ penuria ſerui Dei ſiti affligarentur. Sed dum caro deficit, fides proficit: proficiente fide, mens ſurſum erigitur. Ita & ſanctus Guduualus hac moleſtia ſentiens fratres affici, rurſus ad precandum Dominum ſe recipit: precantem mox proſequitur larga benedictio, ex rupe erumpunt aquæ, vt olim è petra in deſerto, quæ diſtillantes ſæpè cadendo excauant ſaxum, & locum inſtar dolij efficiunt laticis capacem: ſicq; ſalubri illo potu ſerui Dei ſitim facilè depellunt. Itaq; rupes quondam ſolitudine horrida, iam domus orationis, monachorum domicilium efficitur: vbi ſolennes agebantur excubiæ & cæleſtia concrepabant oracula in laudem Dei. Et vt vetuſtiora geſtorum eius exemplaria habent, diſcipulos ad centum octogintaocto illic vir ſanctus collegit: cui ſanctæ multitudini cùm loci anguſtia ægrè ſufficeret, vir beatus cum Deo tractans, & mirabilem erga illũ fiduciam concipiens, non præmiſſa, vt ſolebat, prece, ſed magna Dei fretus potentia, cum mare ſuo more recedens, vaſta illic arenarum ſpatia retecta relinqueret, omnis moræ impatiens, acceſſit properè, & virga quam manu geſtabat, certa arenis veſtigia imprimens, in Chriſti nomine præcipit vndis, ne illa vnquàm tranſgrederentur. Vidiſſes ad eas voces ſancti viri indomabile pelagus miteſcere, ſuos cohibere impetus, tumores remittere. Et certè in hunc vſq; diem leges ſibi præfixas mare tranſgredi nõ audet. Patet hinc, etiam noſtris temporibus veteris legis miracula non deeſſe. Moyſes diuiſit mare: noſter Guduualus frenos illi iniecit. Cap. 5. Exod. 17. Num. 20. 188. monachi apud S. Guduualu. Præclarum miraculum. Exod. 14.

Solebat vir ſanctus Miſſas aſſiduè celebrare. Quanta autem puritate ſe tanto miniſterio præpararet, diuinitùs reuelatum eſt. Ieiunijs, vigilijs, precibus præmiſſis, cùm ſacro altari virginitatis byſſo & charitatis purpura adſtaret indutus, atq; ad cæleſtia ſuſpenſus, cæli aperti ſunt, & viſio mirabilis ei exhibita eſt. Deſcendunt ad eum ſancti angeli, adſtant conſolationis gratia ſacrificanti, tremendis interſunt myſterijs, vnà cum illo laudes depromunt Deo cum ingenti reuerentia. Ille ceu ſplendida lucis columna ſtat ſancta ſanctorum tractans, agnum Dei immolans: iunguntur cæleſtia terrenis, terrena cæleſtibus, mortalibus immortales: pro tanta gratia, diuinitùs mortalibus collata, immortales gratulantur. Cap. 6. Sacrificanti apparent angeli.

His & id genus alijs à Deo affectus beneficijs, vir ſanctus magis ac magis ferueſcebat ſpiritu, cupiens ſe illis gratum exhibere. Iam mundo & omnibus, quæ hic mundus offerre poteſt amicis ſuis, valefecerat, planeq; mundo crucifixus erat, atq; adeò etiam animam ſuam perfectè oderat. Nec tamen his contentus, ſemper perfectiora meditabatur. Itaq; communicato cum fratribus conſilio, ex illa inſula peregrè conſtituit proficiſci. Interim ſeptem apparantur nauigia: quæ cum omnibus fratribus ingreſſus, dat ſe itineri. Inter nauigandum exit ipſe è naui, calcat pedibus fluctus maris, & Chriſti dexterâ, quæ olim Petrum Apoſtolum, ne mergeretur, erexit, ſuſtentatus, non ſolùm toto corpore incolumi, ſed etiam veſtibus ſiccis graditur in vndis multa alacritate perfuſus. Audita ibi vox eſt Domini (ſicut teſtantur fratres, qui huic rei interfuêre) ita cũ confirmantis: Conſtans eſto Guduuale meus: conſtans eſto electe meus: ne verearis: tecum ego ſum Deus tuus. Inter hæc ille Horis, Chriſti & Apoſtolorum eius authoritate (ſic enim author habet) inſtitutis, preces Deo perſoluturus, laudeſq; & gratiarum actiones oblaturus, cùm dixiſſet more Eccleſiaſtico, Deus in adiutorium meum intende; angeli ſubiunxerunt, Domine ad adiuuandum me feſtina: & ita totum officium alternis vicibus cum viro Dei expleuêre. Deniq; proſpero curſu omnis ille Domini exercitus ad terras delatus eſt. Cap. 7. Ambulat miro modo in mari. Matth. 14. Horæ canonicæ à quo inſtitutæ.

Egreſſi porrò è nauibus magna indigenarum humanitate excepti ſunt. Iam fama ſancti viri per omnem illam regionem diffundebatur. Ille verò locum ædificãdo monaſterio aptũ non ſine difficultate inquirit, nec tamen illa difficultate ab ſpe ſua deducitur, quippe quem ſuperiora Dei beneficia nõ ſinerent animo vacillare. Dũ igitur per deſerta & inacceſſa loca locũ opportunum inueſtigat, in agellum quendã incidit, non Cap. 8.

ſatis quidem ipſius propoſito congruum,ſed qui tamen aduenis ad neceſſitatem ſuffi-cere poſſe videretur.Ibi ergo labori ſe accingunt,ſed fruſtrà.Eorum verò labores miſeratus Deus,eos cõſolatus eſt.Cùm enim die quodam Nonæ horæ preces feſtiua laude perſoluerent,quidam vir præpotens regionis illius multo ſtipatus milite ſuperuenit,eosq; gaudio & ſtupore plenus reuerenter acceſſit.Cernens autem virum Dei Guduualum in medio illorum ceu angelum Dei ſtantem,pſallentem,& ad ſingulos verſus genua flectentem,corde compunctus,ſubmiſſo capite,terriò eum adorauit, accedensq; cum tremore & reuerentia,benedictionem illius expetijt.Ea percepta,ſic ei locutus eſt: Patriam tuam,inclyte athleta Dei,ego nôui,nec me fugit generis tui ſpectata nobilitas:gratulor etiam tibi hunc pro Chriſto ſuſceptum voluntariæ peregrinationis laborem:ſed quando hic locus nec monaſtico inſtituto, nec tantæ fratrum multitudini commodus eſt,fac quod tibi per me conſulit Deus. Eſt non valdè procùl locus alius,quem ſi velis excolere,laboris tui optato fructu perfrueris.Sed eas priùs cum aliquot fratribus exploratum: vbi eum propiùs inſpexeris, non dubito gratiſſimum fore. His auditis, vir ſanctus prorumpit in laudes Chriſti: deinde ducem itineris ſequens virum, quem diximus, abit viſurus locum. Eius autem tum amœnitate,tum commoditate lætatus, poſt gratias Chriſto dictas, complexus eſt locum, ſuæque habitationi planè deſtinauit. Mittitur inde ad fratres, vt eò omnes ſeſe conferant. Poſtquàm illi aduenêre, perpetuas illic ſedes figere conſtituunt, & monaſterium cõſtruere feſtinant.Ita locus agreſtis & ferarũ cubilia,mutantur in domũ orationis & diuinæ cõtemplationis domicilia. Fratres inſtar apũ ſedularum,diuinis feruent ſtudijs.

Extruit monaſterium.

Cap. 9. Apoc. 4.

Porrò beatus Guduualus inſtar animalium,quæ ſcriptura antè & retrò oculos habuiſſe commemorat,& præſentia & futura penſitans,ſecum cogitare & cum alijs tractare cœpit,num locus ille tam amœnus certum aliquem haberet poſſeſſorem. Dictumq; eſt illi, Meuorum quendam,Chriſtianæ religionis cultorem,illic paternas habuiſſe ſedes,ſed indigenarum id non ferentium infeſtatione compulſum repetere natiuum ſolum,ſicq; Corminiam pacis ſtudio ſe ſuamq; domum tranſtuliſſe.Tum verò B.Guduualus dixit: ſi ſic ſe res habet,fratres mei,etiam atq; etiam vidẽdum nobis eſt, quid agere nos conueniat.Cùm enim in cæteris,tum præſertim eiuſmodi in negocio, quæ ſancta & iuſta ſint,ſectari oportet.Non enim debemus ita nos comparare,vt charitas proximi per nos violata eſſe videatur.Itaq; fiat,quod dictat ratio,& ad fundi huius dominũ legati mittantur,qui eum amicè hac de re appellent.Spero enim in Domino,ſua illum gratia permoturum pectus Meuori,vt tam pro ſuæ animæ ſalute, quàm pro noſtra vtilitate,locum hunc nobis largiri haud difficulter velit. Mittamus quatuor ad eum fratres,qui hoc negocium prudenter & bona fide expediant. Aſſensêre illi fratres omnes,& electi ſunt quatuor,qui mitterentur.Tandemq; poſt longa itineris emenſa ſpatia,Corminiam illi veniunt, illuſtrem Meuorum adeunt, ſalutem dicunt,legationis ſuę ſummam explicant:aiunt patrem Guduualum in eius fines ingreſſum,non vt violentum inuaſorem,ſed quòd ſperaret in Chriſti ius ipſo concedente tranſituros.Iam ſedes tuas,inquiunt,Chriſtus hæreditauit,iam illic templum ſuo cultui prouidit,ſuos illic milites collegit.

Obſerua quàm ſit ſtudioſus fraternæ charitatis conſeruandæ.

Cap. 10. Meuorus illuſtris vir lætatur Chriſtum ſibi vẽdicâſſe ipſius fundũ.

Hæc vbi illuſtris Meuorus audiuit,magnas Deo gratias egit,quòd nec publica authoritate, nec inimicorum violẽtia eius præclara hæreditas eſſet occupata: ſed quòd Chriſtus potiùs eam ſibi dedicâſſet. Deinde fratres hoſpitio accepit,omnemq; eis humanitatem impendit. Nec mercede caruit ea hoſpitalis benignitas,& benigna hoſpitalitas. Iam nouem annis cum vxore ita vixerat,vt matrimonij quidem ea,quæ decet coniuges,inter ſe beneuolentia & charitate eſſent coniuncti,ſed cubiculis diſiuncti.Erãt verò ambo ſenes,nec eis vlla ex coniugio proles obtigerat. Hoſpites ea re cognita, non immemores inſignium operum,quæ per S.Guduualum fecerat Dominus, antequàm irent cubitum,hunc in modum illos ſecretò compellãt:Scimus à Domino directum eſſe iter noſtrum,& meritis patris noſtri cęleſti benedictione vos perfruituros.Noſtris igitur parete conſilijs,& hac nocte caſtum vos cubile pariter excipiat. Nos meritis patris noſtri preces noſtras iungemus,& benè ſperamus in miſericordia Dei,charæ prolis vobis munus adfuturum.Primò quidem illi opponunt ſenio graues annos, tandẽ tamen acquieſcunt. Et ecce intempeſtæ noctis ſilentio S.Guduualus in viſione adſtat matronæ illi,indicatq; ei naſciturum ex ipſa filium.Iubet autem, vt Simeonis ei nomen imponat,& ipſi illum tradat educandum,in diuino ſeruitio permanſurum. Manè proficiſci volentibus ſeruis Dei,qui hæc prædixerant,occurrit matronæ, gratias agit,viſionem exponit.Occurrit etiam Meuorus,Deumq; benedicens,ſpondet ſe filiũ,

S. Guduualus in ſpiritu apparet matronæ.

poſt-

poſtquàm natus fuerit, cùm omni hæreditate Deo & beato Guduualo ratis legib' oblatutum. His ita geſtis, fratres ad ſuum monaſterium proficiſcuntur, S. Guduualo ordine omnia referunt, & cum eo pariter benedicunt Deum. Et matrona quidem illa filium peperit, Simeonemque dici voluit.

Aliquot inde euolutis annis, memor beatus Guduualus ſponſionis Meuori, legatos ad eum denuò mittit: qui in ipſo itinere per vaſtiſſimam ambulantes ſyluam, ab improuiſo incidunt in latrones: qui in illos mox irruunt, prædam opimam ex illis captis ſibi fruſtrà pollicentes. Nam fratres imperterriti cœpto pergunt itinere, & pſalmos preceſque Deo offerentes, illius opem per Guduuali patris merita implorant. Et ecce teterrimi illi nebulones, tanquam vi quadam retrò repulſi, fuga dilabuntur, ſimulque oculorum lumen amittunt, frontibus in arbores oppoſitas impingunt, & quadam amentia laborantes, inconditos clamores edunt. Poterat ea res eis certum accire interitum, ſed fratres malum pro bono rependere volentes, pro illis Chriſtum rogant, & ſic redeunt ad ſanitatem: cumque Deo votum nuncupâſſent, etiam amiſſum illis lumen redditum eſt. Fratres autem tandem veniunt Corminiam, admonentque Meuorum & eius coniugem voti, quod Deo præſtiterant. Illi eos lauto accipiunt conuiuio. Simeon paruulus in medio ſtatuitur, Chriſto laudes grateſque aguntur. Proxima luce Meuorus cum illis proficiſcitur, iturus ad patrem Guduualũ, ſicut iam pridem optârat. Ecce autem nubes ſubitò denſantur, cælum omne nigreſcit, horrida imminet tempeſtas, imbres iam iamque ruituri ab aëre timentur. Sed fratres à ſuo magiſtro edocti in rebus aduerſis clamare ad Dominum, & de eius miſericordia benè ſperare, tertiò in genua ſe ſubmittunt, preces fundunt, ſacroſanctam Trinitatem, vt per merita S. Guduuali ſibi opituletur, orant. Iam cum impetu è cælo labebantur imbres, & omnia circunquaque inundabant: ſolos hos Dei famulos publica gradientes via, non fuêre auſi attingere, donec ad venerandi patris ſui præſentiam venirent. Ad quem ſanè illuſtris Meuorus reuerenter accedens, Chriſtum in illo manentem humi proſtratus adorat. Ille verò officioſiſſimè eum excipiens, diù optatam benedictionem & allocutionem ei impertit. Inter hæc Guduualus pius pater Meuorum haud aliter atque angelum hoſpitio exceptum amplectitur: Meuorus in Guduualo Chriſtum veneratur, Simeonem filium ſuum, bonæ indolis puerũ offert Chriſto, coram teſtibus omnem eius hæreditatem ſimul illi tranſcribens. Poterat tunc dicere Meuorus Domino: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Chriſtus enim in terra viuentium illorum fit hæreditas, qui in hac terra morientium illum volunt habere hæredem.

Cap. 11. — Latrones in fugam vertũtur & excæcantur. — Inſigne miraculum. — Pſalm. 141. — Pſalm. 15.

Confirmatus eſt autem regius ille fiſcus eccleſiæ, quam in ſua peregrinatione hic inclytus pontifex, præclarus eremita & cœnobitarum dux egregius fundauit, in qua etiam vſque ad ſupremum vitæ diem Deo ſeruire decreuit. Vbi ſanè degens, magna de ſe præbuit virtutum exempla præſentibus, odorem ſuauiſſimum ſanctæ exiſtimationis & famæ abſentibus. Quis verò explicet, quantus fuerit coram Deo in ipſis animi ſui penetralibus? Totus flagrabat diuini amoris igne, quo ſe intus ceu pingue quoddã & medullatum ſacrificium cremabat Deo.

Cap. 12. — Regius fiſco datur cœnobio S. Guduuali.

Cùm iam autem ferè abſoluiſſet ſtructuram templi, Dei & multorum auxilio fretus, non deerat ſatan: ſed præſentiens quæ illic damna eſſet accepturus, ad ſuas redit malignitatis artes, dat operam, poſſit vt ſanctum impedire opus. Inter hæc vnum ex artificibus è pinna templi agit præcipitem: qui miſerè contritus, animã exhalauit. At ſocij tanto eius incommodo afflicti, ad ſanctum virum accurrunt. Properat vir Dei, ſed ille priùs abijt è vita, quàm poſſet ad eum peruenire. Tum verò oratorium ingreſſus, Domino preces coram altari fundit. Inde redit ad hominem extinctum, iubet circunſtantes omnes abſcedere, incumbit pronus ſuper cadauer, alterum Eliſæum exhibens. Redit anima in corpus, & homo in priſtinum ſtatum reſtituitur. Viuum illum ſanctus pater nec vlla vulnerum veſtigia retinentem, ſocijs reddit. Soluuntur præ gaudio & admiratione in lachrymas oculi omnium, qui huic ſpectaculo intererant, & ad pedes viri Dei aduoluti, magnas edunt voces in cælum, ita dicentes: Verè ſanctus Dei es, verè amicus Dei es. Hoc loco author hanc ad S. Guduualum precatiunculã ſubiungit: Per hanc tantam gratiam, qua beatiſſime pater Guduuale animam reuocâſti in membra defuncti, ampliori gratia reuoca, quæſumus, animas diabolica captiuitate abductas. Vitæ morientes Chriſto viuifica & morti viuentes, mundo mortifica per eũ qui vera eſt animarum vita, & viuens permanet in ſecula.

Cap. 13. — 4. Reg. 4. — Excitat mortuum.

Proficiente deinde monaſticæ ſanctionis ordine, patrum authoritate & beati Guduuali

Cap. 14.

uuali diſpoſitione conſtituto, neceſſarij quidem vſus ratio poſtulare videbatur, vt hora nona peractis ſacramentorum Chriſti ſolennijs, fratres cibo corpora reficerent. At ſanctus pater productiori inedia Chriſto ſe victimam exhibens, illis edentibus, in oratorio precibus vacabat. Eadem autem hora fur quidam hortum monaſterij ingredi, herbaſque inde exportare ſolebat. Frater, cuius curæ is hortus commendatus erat, quotidiana laboris ſui diſpendia ferebat æquo animo, ſperans ſe hominem nequam ſua patientia in viam reuocaturum. Sed illo in dies peiora moliente, ad patrem Guduualum refert. Ille verò, vt erat mitiſſimus, Niſi hunc, inquit, ſumma compelleret neceſſitas, nequaquam hoc ſe ſcelere obſtringeret. Sed ſuſtine vſque in craſtinum, & gloriam Dei miraberis. Altera die redit fur ad ſua ſtudia, ſed diuinitùs tandem proditur omnibus. Apparuit enim illi perſona terribilis, ſacerdotij dignitate venerabilis, atque inter aſpera obiurgationis verba paſtorali virga ſiue pedo cædit improbũ. At ille propè amens effectus, dum fugæ præſidium captare vult, immani vociferatione ſe potiùs prodit: dumque ſepem tranſilire conatur, tanquam inuiſibili retentus catena, ſeſe loco mouere non poteſt. Fratres tanto clamore permoti, accurrunt ad hortum, & re perſpecta, Deum mirabilem prædicant. Tandem venerabilis Pater Guduualus cum grauitate quadam eò accedens, & hominem miſerum cõtemplans, Oportet nos, inquit, chariſſimi, huius erroribus compati. Frater enim noſter eſt in Chriſto. Oportet pro illo deprecari Dominum, vt vtriuſque hominis ei ſalutem reſtituat. Vt autem miſer ille ſanctum virum audiuit loquentem, vultûs eius gloriam non ferens, exanguis in terram collapſus eſt. Fratribus autem orantibus, vir Dei manum extendens, Dominus, inquit, erigit eliſos: Dominus ſoluit compeditos. Ad quas voces ille continuò ſurrexit incolumis, & omnes hæc videntes atque audientes, ad Dei celebrandam gloriam inuitauit.

Eius abſtinentia. *Fur mira quadam ratione diuinitùs caſtigatur.* *Pſalm. 145.* *Miraculum.*

Cap. 15. Mulier quædam fidelis filium habuit annos natum decem, ab ipſo primo ortu mutum. Hæc fide plena acceſſit ad virum Dei, qui tum fortè more ſuo cum fratribus de rebus vtilibus conferebat, dixitque illi: Homo Dei, ſcio quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. En habeo hic filiolum, iam decem annis nulla verba ſonantem: quæſo te, precibus tuis laxentur diuturna vincula, vt erumpat lingua in vocem laudis & gratiarum actionis. Reſpondit vir ſanctus: Tu ipſa Deum omnipotẽtem fideliter ora, qui ſolus poteſt virtute ſua ſanare filium tuum. Dixit hoc vir ſanctus, nõ quòd ſe in Chriſti nomine id pręſtare poſſe diffideret, qui ſe ſciret maiora feciſſe, ſed quòd ſtudio humilitatis vellet omnẽ miraculorum ſuorum gloriã in Deũ authorem refundi. At mulier multò etiã vehemẽtiùs cœpit inſtare, vt filioli ipſi9 miſereretur. Cernẽs igitur vir Dei fidei eius conſtantiã, digito tetigit linguã pueri, & ille mox in verba prorupit.

Mutum puerum ſanat.

Cap. 16. Habebat monaſterium viri Dei caulas ouium quibus lupi valdè erant infeſti. Accidit quodam die, vt ex ipſis penè faucibus lupi paſtor ouiculam ereptã, ad pedes ſancti viri deponeret iam præfocatam. Ille mox ad precandum Dominum conuerſus, prece abſoluta, paſtoralis virgæ extrema parte tangit ouem, & ipſo cõtactu reducit ad vitam. Quæ cùm ad ſuum gregem cunctis mirãtibus abijſſet, orauit vir ſanctus Dominum, vt lupum illum iuberet ad ſe venire. Et eccè aduentat lupus domeſtico cane blãdior, recentis adhuc prædæ ſanguine infectus, & malè ſibi conſcius, ad pedes hominis Dei ſe proſternit, tanquam pro maleficio ſatisfacturus. Stupent præſentes omnes, & erectis in cælum manibus, Deum laude & prædicatione efferunt. Tum vir ſanctus: Recede, inquit, cruẽta beſtia, & deſine eſſe infeſtus ouibus noſtris. Ilicò lupus tanquam in ouem mutatus, recedit mãſuetus, & qui priùs oues diripuerat, iam illis fit præſidio cõtra lupos & feras belluas, fortiter illas propugnans. Alium etiam lupum vir ſanctus in agro vidit ægerrimè incedentem. Miſertus beſtiæ ſciſcitabatur ex eo alta voce, quid ipſi mali accidiſſet. Lupus tanquam eius verba eſſet aſſecutus, vt potuit acceſſit venerabundus, pedemq; ſpina compunctum oſtendens, videbatur opẽ poſcere. Tum vir Dei pedum admouens pedi eius, quo ouem excitàrat, ait ad Dominum: Homines & iumẽta ſaluabis Domine: & eueſtigiò ſanatus eſt lupus. Iuſſit autem vir Dei, vt nullam deinceps creaturam infeſtaret: victum ſibi caperet ex fœno & ſiliquis, atq; ita ſeruata innocentia, tenderet ad commune mortis debitũ perſoluendum. Et certè poſteà permulti teſtati ſunt, ſe belluã ex eo tempore manſuefactam vidiſſe. En obediunt feræ belluæ ſanctis viris, & homines non modò illis nõ obediunt, ſed etiã ſuum cõtemnunt creatorem. Beſtiæ Deum in ſanctis venerãtur: homines & Deum & ſanctos eius deſpiciũt.

Ouem mortuam vitæ reſtituit. *Lupus manſueſcit.* *Pſalm. 35.* *Item alius.*

Cap. 17. Mendici quodam tempore ſtipem petituri, ad ſanctum virum in monaſterium venẽre. Motus ille miſericordia, perquirit, num quæ eleemoſynarum reliquiæ in monaſterio

ſterio ſuperſint. Vt audiuit nihil eſſe reliqui, (iam enim vir pius penè omnia elargitus erat) equum agriculturæ deſtinatum, iubet ocyùs adduci & dari pauperibus. Illi equũ hilariter accipiunt, demiſſo capite gratias agunt. Deinde hoſpitio recepti, humaniſſimè tractantur, & ea nocte illic dormiunt. Manè ſurgentes agricolæ, inter ſe conferũt de equo pauperibus dato, & tanto ipſis erepto laboris ſubſidio. Interim vident equum herbam in agro depaſcentem, per omnia illi ſimilimum, quem pridiè in pauperibus ſuis Chriſtus acceperat. Itur ad monaſterium. rogantur pauperes, num equum ſibi datum habeant apud ſe. Illi confeſtim equum oſtendunt. Mox tam inſigne miraculum longè lateq; diſſipatur, & omnes rei nouitate ſtupent: monachi, laici, populus omnis vtroq; conſpecto equo, tantam vtriuſq; ſimilitudinem impensè mirantur. Deniq; agricolæ equum prioris equi vicarium accipiunt, Deoque gratias agunt pro ſui laboris leuamento.

Equum diuinitùs accipit pro equo pauperibus dato.

Poſt hæc aliaq; miraculorum ſigna, quibus vir ſanctus maria nobilitauit, terras ſanctificauit, Eccleſiam Dei illuſtrauit & ſublimauit, optatiſſimum vitæ huius finem Deo reuelante, impendére cognouit. Nam cùm die quodam ſacroſancti Quadrageſimalis ieiunij, immolata iam in mẽſa altaris redemptionis noſtræ victima, ſignum crucifixi Domini noſtri ſupplex viſitaret, piiſſimamq; Chriſti paſſionem & mortem, quam ſuî mortificatione iam vtcunque in ſe expertus erat, & mẽte coleret, & laudibus celebraret, angelus Domini iucundo adſpectu illi ſe viſendum obtulit, hortanſq; illum ad cõſtanter in fortiſſimo virtutum certamine perſeuerandum, ait breuì illum cum palma victorię ſuo regi Chriſto occurſurum. Inde cęlos repetens, tantam illic odoris ſuauiſſimi fragrantiam reliquit, vt vir Dei & anima & corpore, quod totius ſeptimanæ inedia extenuârat, mirè recreatus, in Dei laudes deuotè prorumperet. Erat ea quædã prægustatio immortalis illius conuiuij, quod vir beatus ardenter ſuſpirabat: & iam magis ac magis æternas ille in ſe concupiſcentias excitabat, Chriſtumq; videndi deſideria acriùs incitabat: ipſumq; obitûs ſui diẽ, ad epulas cæleſtes, quas in regno patris ſui prædiues Chriſti benignitas ipſum diligentibus præparat, inuitatus, feruenti deſiderio expectabat.

Cap. 18. *Videt Angelum.* *Totius hebdomadę inedia reficit.*

Die autem decimo ante obitum ſuum, cùm ſacro altari adſtaret cæleſtibus intentus, beatiſſimus Michaël Archangelus ei apparuit, & certũ tempus ſuæ ex hac luce migrationis indicauit. Adhuc autem illo loquente, gloria accreſcit gloriæ, & gratiam cumulat gratia. Aduenjunt etiam præclari Apoſtoli Petrus & Paulus, cæleſti lumine circundati, confirmant Archangeli iucundiſſimum nuncium, propinquum imminere mortis diem etiam ipſi aſſeuerant: hortantur vt more ſuo ad illum diem hymnis, precibus, ieiunijs ſeſe præparet. Ita enim, inquiunt, coronam regni cæleſtis obtinebis. Eiuſmodi gratiſſimis nuncijs viro Dei tanquam in ecſtaſim rapto, illi redeunt ad cælos, & templum incredibili odoris ſuauitate complent. Ille verò anima & corpore eo odore optimè affectus, preces ardentiùs fudit ad Deum.

Cap. 19. *Apparet ei S. Michaël.* *Item SS. Petrus & Paulus.*

Altero autẽ die iubet fratres omnes ad ſe venire, recitat illis quæ vidiſſet & audiuiſſet, interim lachrymis ora rigans. Fratres, iis auditis, de eius quidem gloria exultant in Domino, ſed tanto patre ſe orbandos impenſiùs dolent. At ille iubet eos cohibere lachrymas, gaudere potiùs, quòd ſciãt illum proficiſci ad laborum ſuorum capeſſenda præmia: tum etiam ſuum deceſſum precibus ſuis tueri. Deinde morbo corripitur, & cùm ad extrema tenderet, conueniunt ad eũ fratres, cantica animæ eius è corpore abituræ congrua depromunt. Gaudebat ille in Domino, & optimis ſermonib⁹ eorum animas inſtruebat: hortabatur, vt mundum hunc contemnerent, & cæleſtis regni deſiderijs feruerent. Cumq; diuinis myſterijs iturum ſpiritum roboráſſet, vale vltimum eis dicẽs, lætus obdormiuit in Domino, viſaq; eſt à fratribus ſanctiſſima anima eius in columbæ ſpecie ad cælos euolare. Obijt vir ſanct⁹ octauo Idus Iunij, & ad ipſas ſacri corporis reliquias mirifica lux tota nocte reſplenduit, quæ omnes noctis tenebras profligans, cellam illam, vbi corpus ſacrum repoſitum erat, immenſa luce compleuit.

Cap. 20. *Obdormit in Domino.*

Ad ſacrum eius obitum inter cæteros aderat etiã venerabilis mater eius, aderant & ſorores eius, ſacris vigilijs cum gaudio communicãtes. Quæ quidem pio defuncti amore adductæ, in omnes preces deſcendunt, vt liceat ipſis corpus eius ad natale ſolum abſportare, vt illic in eccleſia ſua honore tanto pontifice digno ſepulturæ mãdetur. Principiò autem fratres ſe præbent inexorabiles, ſed tandem rem totam diuinæ voluntati permittentes, ſacrum corpus in loculo reponunt, & plauſtro imponunt. Per viam omnis generis homines obuiàm ſe effundunt, ſacro corpori debita officia impendere geſtientes. Interim ad collem quẽdam peruenitur, qui ob memorabile miracu-

Cap. 21.

Collis S. Guduuali.

raculum illic tum perpetratum, collis S. Guduuali, ab eius accolis appellatus eſt. In eo colle iumenta, quæ plauſtrum trahebant, adeò obriguêre, vt penitùs loco mouere ſe non poſſent, cogerentque ſimul conuentum illum omnem ſecum illic ſubſiſtere. Ad-

Res admirandę.

hiti ſunt adhuc duodecim boues, ſed etiam illi hæsêre fixis veſtigijs. Tum ad ſe reuerſi, dixerunt: Cur fruſtrà nitimur contra voluntatem Dei? Non noſtra de hoc ſacro corpore, ſed Domini volũtas fiat. Mox cõmuni conſilio iubent duos indomitos vitulos illo ſacro vehẽdo oneri deputari, eoſq; liberè ire, quò illos ducere viſum ſit diuinę prouidentiæ. Vituli adducti alia gradiuntur via, rectaque tendunt ad inſulam, quam Plet vocant: quæ, niſi tamen fallor, ea eſt, in qua ſanctus pontifex ex egregio cœnobita, præclarus anachoreta enituit. Atque ibi non ſine multa multorum admiratione illud ſacrum corpus tumulatum eſt, etiam accedentibus miraculorum ſignis. Nã cæcus quidam caſu feretrum tangens, mox viſum ſe recepiſſe mirum in modum lætabatur.

Viſum recipit cæcus.

Cap. 22.

Et hoc quidem in loco glorioſum inclyti præſulis corpus multo tempore conditum manſit, multis coruſcans miraculis. Poſteà verò barbaris incurſantibus, complures Britanni relictis auitis ſedibus, in exteras regiones diſperſi ſunt: & fratres monaſterij ſupradicti, abſportato ſacro corpore, mare, quod Britanniam à Gallijs ſeparat, transfretantes, in Franciam peruenêre: eamque perluſtrantes cum ſacro pignore, vnde odores mirifici fundebantur, tandem ad Monaſterioli caſtrum appulerunt. Sed quia illic non eo, quo par erat, honore afficiebatur, Arnulphus inclytus Marchio multorum ſaluti diuinitùs deſtinatus, Blãdinium illud transferendum curauit. Accerſito enim ad ſe reuerendo Abbate Gerardo, ſpectatæ religionis & induſtriæ viro, ex authoritate Epiſcopi ei hoc negotium demandauit. Abbas verò cum multa fide & tremore magno precioſi corporis theſaurum accipiens, vnà cum reliquijs, nullo precio æſtimandis, egregij confeſſoris Bertulphi, multa Cleri & monachorum frequentia ſtipatus, ad monaſterium beatiſſimorum Chriſti Apoſtolorũ Petri & Pauli, quod Blandinium appellant, deportauit. Conuenit autem eò vtriuſque ſexús populus innumerabilis, manibus plaudens, & Dominum benedicens, quòd eccleſiam illam precioſiſſimis illis gemmis ornaret. Facta eſt hæc tranſlatio 3. Nonas Decembris, Clotario apud Francos, ſceptra regni moderante. Atq; ita hoc in loco beatus Guduualus, glorioſus coram Deo in cælis, mirabilis ex Deo in terris, coniunctus præclaro Chriſti ſacerdoti Vuandregiſilo & ſocijs, omniuaria ſemper laude colendis, larga interceſſionum ſuarum impertit ſuffragia, & copioſa miſerationum Chriſti cum fide & deuotione quærentibus obtinet beneficia, ipſo largiente, qui in Trinitate & vnitate perfecta viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Sacrum corpus S. Guduuali cũ reliquijs S. Bertulphi transfertur Blandiniũ.

VITA NORTBERTI, ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSIS, ET PRIMI AVTHORIS ORDINIS PRAEmonſtratenſis, *à quodam eius æquali, &, niſi fallor, Hugone illo, qui ei proximè ſucceſſit in regimine monaſterij Præmonſtratenſis, vt colligi videtur ex Hiſtoriæ huius cap. 52. fideliter conſcripta. Vtrùm autem in ſanctos vir vitæ ſanctiſſimæ relatus ſit, necdum compertum habeo. Stylum ſubinde nonnihil elimaui in gratiam Lectoris.*

CAP. I.

Iunij 6.

FVIT in diebus Henrici iunioris Cæſaris Auguſti, Paſchali ſummo Pontifice ſedis Apoſtolicæ regimẽ adminiſtrãte, anno ab incarnatione Domini 1115. vir quidam nomine Nortbertus, natiõe Teutonicus, municipio Xanctis, quod antiquitùs Troia dicebatur, genere de illuſtri proſapia Frãcorum & Germanorum ortus, opibus auctus, forma decorus, ac paululum procerus, ætate adultus, inſtructus ſcientia, eloquio excultus, officio clericus, ordine Subdiaconus, vita & moribus pro ætate ſeculari conſuetudine admodũ leuis. Nomen patris eius Heribertus, & matris Hadevvigis. Quæ cùm eum geſtaret in vtero, audiuit per ſomnium dicen-

Patria Nortberti.

Parentes.

dicêtem ſibi: Aequo animo eſto Hadevuigis: Archiepiſcopus futurus eſt, quem geſtas in vtero. Deinde cùm in omnibus ei præſentis vitæ obſecundaret felicitas, inter cętera etiã in magnatum aulis celebris extitit. Primò quidem in aula domini Friderici Colonienſis Archiepiſcopi: deinde in aula Imperatoris: in hac quidem propter officiũ clericatûs & ſcientiam literatum, in illa verò propter generoſitatem animi & inſignẽ vrbanitatem: In vtraque autem propter raram affabilitatem & elegantiam morum. Hic clarus, ibi nobilis: ſtrenuus vtrobique. Dilectus & honoratus non minùs à domi- nis, quàm à familia vniuerſa: omnibus omnia factus, omnium, inter quos verſabatur, ſtudijs congruebat. Erat enim adſpectu hilaris, vultu ſerenus, ſermone iucundus, conuerſatione placidus, conuictu affabilis: In ſuos beneficus, comis erga extraneos. In manu conſilij ſui poſitus, & ante cogitationum ſuarum oculos conſtitutus, nihil ſibi denegans, neque quicquam intentatum relinquens. Tranſglutiens præterita, præſentia deuorans, futura pręoccupans. Ciuis egregius huius ſeculi & inclytus Babylonię colonus, neſciens quid ſuper eum diſponeretur in poſterum, & ignarus, quid ſibi craſtinus pareret dies: immò, quod deterius eſt, non curans: religionis & quietis impatiens, inquietudinis autem & impatientiæ ſeruus. Augebant verò in his omnibus ſpem votorum eius, & dilatabant deſideria cordis ſecundorum prouentuum temporalis ſucceſſio & aura fauoris humani, plauſu dulciſſimo, & homini ſic affecto voce melliflua acclamantium vndiq; & dicentium: Euge, euge.

Eſt celebris apud Principes, & charꝰ omnibus.

CAP. II.

HIs igitur exagitatus, circunferebatur Nortbertus in medio Babylonis, multiplicibus & tortuoſis anfractibus per vias difficiles & laborioſas, ſemper vadens & nunquam rediens, errans & neſciens, vagus & profugus, fluctuans nec ſentiens, periclitans & ſecurus, exhauriens ventum & aucupans vanitatem. Cùm ecce ſubitò & ex improuiſo ſermo velox & manus præpotens imminet dorſo fugitiui, deijciens aſſcenſorem, & erigens curuum. Tum verò ſenſim atque paulatim cœpit ab interioribus verſa vitæ reformare, quod vanitate fuerat deformatum, euellens & deſtruens, ædificans & plantans. Venitque repentè & mutauit ſylueſtrem & rapacem accipitrem in ſimplicem & manſuetam columbam. Factumque eſt, ſicut dicit Apoſtolus, vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundaret & gratia. Et quia nouerat ſpiritus modum & ordinem operationis ſuæ, poſtquàm inſpirauit amorem, addidit & aperuit intellectum, miſitq; in animum eius, vt tempus adhuc modicum & ſibi cõgruum ſuſtineret exterioris hominis exuendi cum actibus ſuis, locumque idoneum eligeret huic ſeculo publicè abrenunciandi. Iam igitur edoctus pugnare cum hoſte, retraxit continuò pedem ab aula, ac domi reſidens, expectabat, & quaſi tyrocinia quædam futuræ conuerſionis exercens, apud ſe diſponebat: quicquid paupertatis, quicquid afflictionum & certaminum accidere poſſet, infatigabili præmeditatione leuabat. Imbutus itaque noua interioris virtutis gratia, exterioris autem vetuſtatis tunica nondum exutus, demulcebat deſiderium ſuum ſpe vberioris fructûs, mâlens ſimul noui hominis indumentum pariter & ornamentum ſuſcipere, illud quidem in habitu religionis, iſtud verò in dignitate ſacerdotij, fierentque cumulata munera tanto iucundiora, quanto exiſterent ex mutua collatione potiora.

Admodùm huic mũdo deditus eſt.

Reſipiſcit nonnihil.

Rom. 5.

Diſcedit ab aula.

CAP. III.

CVmque diù optatum iam tempus adeſſet, & ſacri ordines forent ex more in eccleſia celebrandi: vir Dei pia exultatione repletus, feſtinanter & cum omni deuotione adijt dominum Fridericum Archiepiſcopum Colonienſem, petens ſe prima vice inter cæteros ordinari. Quo audito, Archiepiſcopus non mediocriter admirans, hominem per ſe petere, quod ab alijs ſæpè recuſâſſet oblatum: libenter tamen & læta reſponſione annuit ſe facturum, quod quærebat. Mox ille ſubiunxit: Diaconus ſimul & presbyter volo fieri. Ad hæc Archiepiſcopus vehementer ſtupens & pauens, quæſiuit quænam eſſet huiuſcemodi tã ſubitaneæ atq; inopinatæ volũtatis cauſa. Ille ait: Sic eſt in animo meo, nec poteris ſcire modò, ſcies autem poſteà. Cumque Archiepiſcopus cauſam ſcire volens, vehementer ex aduerſo inſiſteret, cogitans apud ſe vir Dei, quod per omnem modum honeſta & congrua eſſet perſona, cui poſſit & debeat ſecretorum ſuorum conſcientiam aperire: procidẽs ad pedes eius, cum lachrymis & gemitu peccatorum ſuorum veniam petens & accipiens, confeſſus eſt firmum & indeclinabile ſuæ voluntatis propoſitum. Videns autẽ Archiepiſcopus hominẽ apud ſe, quod petebat, firmiter deliberâſſe, ac metuens gratam ſibi familiaris ſui amicitiam violare

Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.

violare: conſiderans quoque bonum, quod poſſet de tam laudabili viro faciliмè prouenire, atque intelligens, quòd non ſine inſtinctu diuino talia contingerent, quanuis non liceret hos duos ſupremos ordines à quoquam ſimul recipi aut dari: admiſſa tamen pro cauſa & tempore diſpenſatione, tandem aliquando annuit. Facta itaq; hora celebrandi officij, & ſingulis, qui ordinandi erant, ſacris & albis veſtibus iuxta conſuetudinem eccleſiaſticam indutis, lociſq; diſpoſitis, affuit & Nortbertus in medio circunfluentium populorum. Spectantibus ergo cunctis & expectantibus, cùm ei cuſtos ſacrarij veſtes offerret benedictas, quas, vt cæteri, ad ordines ſuſcipiendos indueret: ille, in cuius pectore ſpiritusſanctus iam inchoauerat templum ſuum, conuertit manum ad vnum de famulis ſuis, qui erat ibidem iuxta eum, & innuit ſibi præſentari veſtem pelliceam agninam, quam ad huiuſmodi opus de induſtria iuſſerat præparari. Quaaccepta, & illis intuentibus exuit varium & multiplicem diabolum, indumentum ſcilicet miræ æſtimationis & magni precij, & videntibus vniuerſis, induit vniformē Chriſtum & ſimplicē, veſtem videlicet hominibus huius ſeculi, & maximè illius regionis apud nobiles prorſus inſolitam, viliſſimi precij, & nullius ferè momenti. Tunc cōuertit aliam manum ad ſacrarij cuſtodem, & induit oblatas ſibi veſtes, quibus in accipiendis ſacris ordinibus vteretur. Acceptis ergo ſacris ordinibus, conuertit continuò pedem, & contulit ſe ad Sigebergenſe quoddam, magnæ & præclaræ famæ monaſteriū, vbi inter religioſos ac deuotos in omni ſanctitate monachos, & accepti ſacerdotij addiſceret vſum, & certa religioſè viuendi capere documenta. Completiſque ibi diebus circiter quadraginta, rediens ad patrium ſolum, contulit ſe ad eccleſiam, vbi fuerat & erat canonicus ſecularis.

Vide quàm ſit efficax gratia Dei.

Degit aliquandiù in Sigebergen. monaſterio

CAP. IIII.

SEquenti verò die cùm obtuliſſent ei Decanus & concanonici ſui, vt maioris in cōuentu Miſſæ myſteria celebraret, ille humili reſponſione annuit ſe facturum. Temporis igitur hora inſtante, acceditur ad altare, & ſingula, prout res exigebat, vſque poſt euangelium ſolenniter peraguntur. Lecto itaque euangelio, vir Dei zelo diuini feruoris accenſus, incaleſcente in præcordijs eius igne ſpiritûs ſancti, verſus eſt ad veſtibulum eccleſiæ: ſubijcienſque verbo Dei miniſterium vocis & officium linguæ, cœpit, prout ei diuinitùs adminiſtrabatur, proferre de theſauris ſapientię & ſcientiæ Dei pia futuræ vitæ monita, & ſalutaria æternæ beatitudinis hortamenta: addens præterea & oſtendens, quàm ſint omnia vitæ huius oblectamenta fluida & caduca, breuia tempore, vilia æſtimatione, nec amore digna, nec poſſeſſione idonea: gloria labilis, ambitio cæca, diuitiæ fugaces, delectatio momentanea, requies infida, ſecuritas incerta, gaudia vana, proſperitas falſa: inflectens & retorquens totū negocij pondus in concanonicos ſuos, neminem tamen apertè deſignans. Poſt hæc autem reuerſus ad altare, incepta ſacroſanctæ Miſſæ myſteria ad finem vſq; perduxit. Craſtina rursùs die, cùm iam omnes ex more in Capitulo, vt vocant, reſediſſent, cœpit primò, accepto codice, alloqui Decanum, oſtendens ex verbis beatorum Gregorij atq; Iſidori, quorum ſe regulam tenere dicebant, quia ipſe, qui erat omnium præpoſitus & magiſter, deberet eos ad rectū honeſtę ac ſanctæ vitæ tramitem reuocare. Audientes hæc ſeniores & prælati, vtpotè ſapientes, rem taciti conſiderabant, & quia nullatenùs veritati & ſpiritui, qui loquebatur, reſiſtere præſumebant: Iuniores verò, quibus mos eſt, minùs, quæ Dei ſunt, attendere, ad alterutrum murmurantes, & ſeorsùm ſubſannantes, priſtinæ leuitati deputabant. Vndè factum eſt, vt inde recederent, exteriorem ei reuerentiam exhibētes, tum quia grauis erat inter eos authoritatis, tum quia ſignum & habitū præ ſe ferebat alicuius religionis. At ille ſingulorum aditus atq; diuerticula procùl quodammodò proſpiciens & attendens, in craſtinum rurſus, cùm iterùm conueniſſent, cœpit proclamare eos nominatim, de vnoquoque pronuncians, quis, quid, vbi, qua hora, cum quo, quod minimè liceret, egiſſet vel dixiſſet. Eo itaque in hoc per dies quampluriмos perſeuerante, cùm iam eis intolerabilis videretur, altiùs reptante in cordibus eorum ex occulta permiſſione Dei ſpiritu maligno, qui operatur in filios diffidentiæ, concitauerunt aduersùs eum quendam ignobiliſſimum clericum, vilis conditionis humiliſq; fortunæ. Hic dum temeraria audaciq; præſumptione obloqueretur ei, multis conuicijs proſcidit eum, atque etiam incredibili arreptus dementia, fœdauit faciem eius. Accepta vir Dei tanta contumelia, continuit ſeipſum, & conticuit: deterſaque facie ſua, ac peccatis ſuis deputans, maluit coram Deo lachrymis indulgere, quàm vltioni. Qua in re expertus eſt, quantum ſibi per Dei gratiam virium adeſſet ad maiora pro iuſtitia toleranda. Erat autem, vt ex relatu multorum cognouimus, clerici illius à quo per-

Cū multo feruore concionatur apud Xanctēſes.

In cōuentu Canonicorum vt ſe geſſerit.

Epheſ.2.

Ignominia vir ſanctus afficitur.

ſummam iniuriam conſputus fuit, talis perſona, vt ſi per cœnum trahi illum à cocis ſuis mandâſſet, nullus dicturus fuerit aliud, niſi rectè id eum iuſſiſſe.

CAP. V.

POſt hæc cùm ſe ieiunio & abſtinentia maceraret, die noctuque vigilijs & orationibus inſiſteret, contigit, illo in quadam crypta Miſſam ſolito more celebrante, vt in calicem iam conſecratum aranea laberetur. Quo viſo, ſtupuit ſacerdos, vitam & mortem ante oculos habens. erat enim aranea non modicæ corpulentiæ. Quid faceret homo, cuius fides iam in Domino ſolidata erat? Ne ergo aliquod ſacrificij præparati faceret diſpendium, magis elegit ſubire periculum, & totum quicquid erat, hauſit. Ergo peracto officio, ſe ſtatim moriturum præſtolabatur. Dum igitur nihil motus loco, ante altare exitum, quem expectabat, Domino precibus commendaret, pruritu narium prouocatus, dũ ſcalperet, ſubita ſternutationis commotione aranea integra per nares excuſſa eſt. Tantam autem inde adeptus eſt fidem, vt in ea omnibus diebus vitæ ſuæ, cunctis tunc temporis viuentibus, communi omnium iudicio facilimè præferretur. Vnde cùm quidã diceret, quis in quo illa tempeſtate excelleret, ait: In Nortberto eminet fides, in Bernardo Claraualleſi charitas, in Milone Taruanenſi epiſcopo humilitas.

Nota rem miram.

Præſtantia fidei eius.

CAP. VI.

PAtientiæ igitur clypeo protectus, & fidei fortitudine communitus, prædicans & annũcians verbum Dei opportunè, importunè, ſeſeq; quotidiè meliorem reddẽs, conuerſatus eſt per annos tres in eodem habitu. Cùm autem perſecutionem pateretur ab his, quibus erat eius prædicatio importuna, conferebat ſe iterùm ad Sigebergenſe quoddam monachorum cœnobium, quod tribus à Colonia diſtat miliaribus: aliquando in regularium canonicorum monaſterium, quod dicitur Roda: ſæpiùs autem ad quendam eremitam, nomine Lidulphum, miræ ſanctitatis & abſtinentiæ virũ, clericorum vitam agentem. Ad huiuſcemodi autem viros confugiebat cauſa recreandi ſpiritum, quotieſcunq; perſecutiones patiebatur ab his, quibus verba veritatis erant moleſta: tũ etiam, vt inter eos & ſanctę vitę addiſceret inſtituta, & ſpei cæleſtis ſuſciperet incrementa. Nonnunquàm verò domum ſuam, quæ erat Xanctis, rediens, cœptæ prædicationis ſtudijs inſiſtebat.

Lidulphus eremita.

CAP. VII.

HIs igitur ita ſe habentibus, accidit vt cõcilium quoddam fieret in Teutonicis partibus apud oppidum, quod dicitur Friteſlare, coram domino Cunone, ſedis Apoſtolicæ legato. Ex qua re occaſione accepta, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Abbates, alijque multi, qui negociorum ſuorum cauſas illuc conuenerant tractaturi, inito conſilio, vocauerunt hominem Dei. Quo præſente, cœperunt eum communi omnium aſſenſu coram præfato domino accuſantes redarguere, quòd prædicationis officium vſurpâſſet, ipſoſque in ſuis concionibus verbis & conuicijs acriter inſectaretur, cùm à nullo mitteretur, nec eorum princeps eſſet conſtitutus: tum etiam, quòd habitum religionis præ ſe ferret, cùm in nullo religio & proprietas conuenirent: denique quòd precioſas veſtes abieciſſet, cùm mos terræ id non haberet, maximè apud nobiles, qualis ipſe eſſet, vt quandiù verſantur in ſeculo, agninis ſeu caprinis veſtibus vtantur. Ad hæc omnia ſapiens à Deo edoctus, ſapienter reſpondebat, inuictuſque, adiuuante eum gratia diuina, receſſit ab eis, quia non erat conueniens teſtimonium illorum aduersùs eum.

Concilium Friteſlarienſe.

Vir Dei accuſatur coram legato Pontificis.

Egregiè ſe tuetur.

CAP. VIII.

OMni ergo deſtitutus ſubſidio, diuino tantùm fultus auxilio, orationibus & pſalmodijs iugiter incumbebat. Inde cùm propoſuiſſet totam noctem inſomnem ducere, & orando rogare Deum, vt ipſe, qui eſt dator recti conſilij, & bonorum operũ adiutor, ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ conſilium eius dirigeret & propoſitum adiuuaret: ac ſic in oratione pernoctâſſet, ſummo diluculo paululùm dormitauit. Et ecce aduerſarius affuit, ita inſultando & ſubſannando loquens: Eia, eia, multa propoſuiſti, ſed ad quem finẽ peruenire ſperas, qui nec in vnius noctis propoſito perſeuerare potuiſti? Expergefactus itaque homo Dei, & inſidias inimici non ignorans, reſpondit: Quis minis tuis crederet, cùm ab initio, teſte veritate, mendax ſis & pater mendacij? Taliter ergo ſpiritus malignus confuſus, receſſit ab eo. Videns autem homo Dei, quòd veritas, cui teſtimonium perhibebat, multorum mendacio ſuffocaretur, præſertim cùm peccatum eorum ex relatione verborum Dei ampliùs inualeſceret: intelligens etiam, quòd in ipſum vſque ad falſi criminis illationem irruerent,

Procax dæmon inſultat ei.

Iohan. 8.

eorũ detrimentũ ac perditionem potiùs, quàm quòd ſibi nocere poſſent, dolẽs ac metuens, venit ad Archiepiſcopum ſuum, & reſignauit ei, quicquid beneficiorum ac redditũum, quibus plurimùm abundabat, fuerat conſecutus in eccleſia. Venditis inſuper domibus ac cæteris omnibus, quæ vel ex patrimonio, vel aliũde iure hæreditario poſſidebat cum omni ſuppellectili ſua, & pauperibus erogatis, nihil ſibi retinens præter decem marcas argenti & mulam, ſacellumq; ad Miſſam celebrandam, aſſumptis duobus tantùm laicis comitibus itineris ſui, exemplo patriarchæ Abrahæ, ſpontaneã adijt peregrinationem.

Abdicat beneficia eccleſiaſtica. Vendit omnia ſua.

Gen. 12.

CAP. IX.

CVmq; veniſſet ad quoddam caſtrum, Hoyum nomine, ſuper Moſam fluuium ſitum, eadem ipſa, quæ ſibi retinuerat, ibidem pauperibus erogauit, ſolo ſacello ſibi retento ad ſacroſanctæ Miſſæ myſteria celebranda. Pede igitur nudo, tunica lanea & pallio ſibi ſufficiente, ſine tecto, ſine certo domicilio, virtute animi horrendas hyemes & aſperam glaciem ſuperans, ſolo Chriſto duce, cum duobus ſingularis propoſiti comitibus proficiſcitur versùs ſanctum Aegidium. Quò cùm perueniſſet, ibique gratia Dei ordinante, qui ſperantes in ſe non relinquit, Gelaſium Papam, qui ſucceſſit Paſchali, inueniſſet, confeſſus eſt ei voluntatem & propoſitum animi ſui, veniamque de hoc ſpecialiter, quòd duos ſimul ſupremos ordines contra Canonum inſtituta ſuſceperat, à præfato Pontifice poſtulans, impetrauit. Papa verò videns prudentiam eius & ſpiritum Dei habitantem in eo, voluit eum ſecum retinere. At ille rogans & obſecrãs, ne hac ipſum obedientia cogeret, exponebat qualiter ſeipſum totum in aulis regum ac pompis pontificum laſciuiendo diſſipâſſet, & quòd id, quò inuitaret eum, iuuentuti ſuæ vel aſſumptæ pœnitentiæ minimè congrueret. Quòd ſi canonicum, vel monachũ aut eremitam ſeu etiam peregrinum ipſum eſſe præciperet, libenter ac per omnia ſe obtemperaturum aiebat.

Vide aſperrimam vitã

CAP. X.

VIdens igitur Pontifex conſtantiam hominis & deuotionem animi bonam, necnon & perſecutionem, quam pro verbo veritatis pertulerat, dedit ei licentiam & liberam facultatem prædicandi verbum Dei, non ſolùm vbi priùs prædicauerat, verumetiam vbicunq; terrarum vellet & poſſet, idipſum ex perſona ſua monendo & præcipiendo iniungens. Prætereà eis, qui priùs ex inuidentia ei reſtiterant, inhibuit, nẽ ſaltem ſimplices prohiberent, ſi ipſi conciones eius ſuperuacaneas ſeu minùs ſibi vtiles iudicarent. Et hoc ipſum, vt ratum eſſet & ſtabile, authoritatis ſuæ literis ac ſigillo firmauit.

Gelaſius Papa ei facit concionandi poteſtatẽ

CAP. XI.

ACcepta itaq; prædicandi ex Apoſtolica iuſſione poteſtate, cœpit media horrendæ hyemis aſperitate & intemperie cum duobus ſocijs nudis pedibus remeare. Tanta quippe charitate flagrabat in Deum, vt eum nec frigoris aſperitas, nec inedia, nec corporis laſſitudo ab eo, quod cœperat, reuocaret. Pertingebant ei in itinere niues vſque ad genua aliquando, nonnunquam vſq; ad femora, nec tamen vno ſaltem die eũ poterant retinere. Cibus ab eo, niſi Quadrageſimalis & veſpertinus, præterquàm Dominicis diebus, minimè ſumebatur. Piſcibus autem ſeu vino rariſſimè vtebatur. Corpus eius non requieſcebat per diem: ſpiritus autem neq; noctù, neq; interdiù habebat requiem. Singularis enim fidei & miræ fortitudinis erat homo ille. Cùm ergo procedendo tranſiret Aurelianum, adiunxit ſe comitem eius Subdiaconus quidam: & ſic cum tribus ſocijs peruenit Valẽcenas ſabbato Palmarum. In craſtino ergo habuit ſermonem ad populum, & ita per gratiam Dei omnibus gratus fuit, vt cogerent eum feſſa membra ſibi paululùm recreare. Quibus cùm nulla ratione vellet acquieſcere, factum eſt per diſpenſationem Dei, vt ſocijs eius ſubita ægritudine oppreſſis, non poſſet inde tunc vlteriùs proficiſci. Remanſit itaq; homo, vt curaret infirmos ſuos: qui tamẽ ſequentibus intra octauas Paſchæ diebus, beato fine quieuerunt. E quibus duo laici cõditi ſunt in ſuburbio apud Valencenas in eccleſia beati Petri iuxta forum in ſiniſtro latere ad Occidentem. Subdiaconus verò monachus effectus, ſepultus eſt in eccleſia beatæ Mariæ, quæ in eodem oppido ſita eſt. Intereà dum ibi maneret, contigit dominum Burchardum Cameracenſem epiſcopum, piæ ac venerandæ memoriæ virum, tranſitum inde habere quarta feria, proximo die ante cænam Domini. Quo audito, vir Dei, quia cognouerant ſe mutuò, dum adhuc verſarentur in ſeculo, acceſſit ad colloquendum cum eo. Veniens ergo ad oſtium domùs, vbi hoſpitio receptus erat Epiſcopus, inuenit ibi ante fores per voluntatem Dei vnum de clericis eius ſtantem

Omnia vincit charitas.

Valencenis concionatur.

Burchardus Cameracẽſ. Epiſcopus.

ſtantem. Hunc igitur ſubmiſſa voce rogauit, vt introduceret ipſum ad Epiſcopum. Erat enim gelu ſuper terram, & ipſe nudis pedibus incedens. Ingreſſus igitur prædictus clericus, locutuſq; ad Epiſcopum, introduxit hominem. Qui paululùm inter ſe colloquentes, recognouerunt ſe continuò, memores priſtinæ familiaritatis. Epiſcopus autem intuens hominem, & intra ſe vehementiſſimè admirans ac ſtupens, collachrymatus eſt. non enim poterat ſe continere. Commota quippe ſunt viſcera eius ſuper eum. Et irruens in collum eius, ac pio eiulatu exclamans, cum ſuſpirio dixit: O Nortberte, Nortberte: quis vnquã talia de te crederet aut cogitaret? Stans verò prædictus clericus, qui eũ introduxerat, & affectum Epiſcopi videns erga hominẽ, minimè tamen ſermones eorũ intelligens, quia Teutonicè loquebantur, præſumens acceſſit, & interrogauit, quidnã hoc eſſet. Statim Epiſcopus: Iſte, quem ſic vides, inquit, in aula regis mecum pariter nutritus eſt, homo nobilis & delicijs affluens, intantùm vt epiſcopatum meum, cùm ei offerretur, reſpueret. Audiens hæc clericus, lachrymis ſtatim perfuſus eſt, tum quia dominum ſuum flentem videbat, tum quia mens & ſpiritus eius in amorem tanti hominis charitate melliflua redundabat. Erat etiam ipſe præditus voluntate relinquendi ſeculum, & huiuſcemodi viuendi modum, quem in homine illo cernebat, in corde ſuo iamdiù conceperat, cumq; nimia cũ deuotione per dies ſingulos conſequi optabat. Poſt hæc vir Dei graui infirmitate corripitur. Epiſcopus autem præſtolabatur, quem exitum infirmitas, quæ acciderat, haberet, & familiarem ſuum per Archidiaconum quendam & alios quoſdam ſuæ aulæ homines viſitabat. Prædictus verò clericus, vtrùm conualeſceret & quando, de die in diem ſolicitus inueſtigabat. Poſtquàm ergò conualuit, acceſſit ad eum, & cùm ei cõfeſſus eſſet votum & deſiderium animi ſui, ſeq; cum ipſo ſponderet iturum, extendens homo continuò manus ſuas ad cælum, & immenſas gratias agens, dixit: Domine Deus, hodie te rogaueră, vt dares mihi ſocium. Exiſtimabat enim, quòd ſtatim cũ ipſo remanens, nuſquam ad alia agenda digrederetur. At ille hoc non eo modo ſtatuerat: ſed primò volebat res ſuas diſponere. Itaq; cùm poſt hęc verba intuliſſet, velle ſe de rebus ſuis diſponere, cõtriſtatus eſt homo ad huiuſcemodi ſermonem, & ait: Eia frater, ſi eſt ex Deo, non diſſoluetur. At hæc ille continuò reſpondit: Vinculo indiſſolubili colligâſti me tibi pater. Ac ſic abiens, rebus ſuis conſtitutis, paulò pòſt reuerſus eſt, & deinceps perpetuò ſecutus eſt hominem Dei Nortbertum.

Nortbertus reſpuit epiſcopatum Cameracenſe.

CAP. XII.

Anno igitur poſt incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo decimooctauo, menſe Iunio, poſt comitum ſuorum ex hac vita deceſſum, acceſſit ei dominus Hugo, iam dictus clericus, (hoc enim erat nomen eius) qui proximo poſt eum loco ſucceſſit in regimine Præmonſtratæ eccleſiæ, piæ & ſanctæ conuerſationis homo. Gauiſus ea re vir Dei, & immenſas gratias agens Deo, animatur ad prædicationem. Et iam ſciens & præſumens de volũtate Dei, circuibat caſtella, villas & oppida, prædicans & reconcilians malè diſſidentes, & inueterata odia & bella ad pacem reducens. Securi erant de gratia Dei, qui ſeruis ſuis prouideret, quæ eſſent neceſſaria. Fixum enim in mente habentes, quia peregrini & hoſpites eſſent ſuper terram, nec vl laquidem nota ambitionis perſtringi poterant, quorum tota ſpes de cælo pendebat. In tanta igitur admiratione & dilectione apud omnes eſſe cœperunt, vt quocunque iter agentes ſe verterent, cùm villis aut caſtris propinquarent, etiam paſtores, relictis gregibus, concito curſu præuenirent, & populis ſeruos Dei aduenire clamarent. Tunc verò campanæ pulſabantur, tunc concurſus populi, omnis ſexûs, omnis ætatis, omnis conditionis cateruatim ad eccleſiam confluens, Miſſarum ſolennia libenter audiebat, & verborum exhortationes ac monita libentiùs ſuſcipiebat. Poſt ſermonẽ autẽ non modica facta collatione de confeſſionis frequentatione, de agenda pœnitẽtia, de coniugijs, de proprietatibus, & quomodò qui moriuntur in eis, debeant ſaluari: de omnibus his, inquam, dato & accepto reſponſo, ſub veſperam tandem ad hoſpitiũ ducebatur. Gaudebat verò non modicè, felicemq; ſe ac Deo dignum iudicabat, qui eũ hoſpitio ſuſcipere merebatur. Interdum autem alius trahebat aſellũ, alius rapiebat aſelli capiſtrum, alius vi detinebat iuuenem illum, quem ſolum habebant ad aſellum cuſtodiendum. Sic itaque vndiq; pertranſeundo, multos ab errore reuocabat, & pœnitentiam ſuadens, multos retrahebat à crimine, multos etiam diſcordantes ad concordiam reducebat. Propter hæc & his ſimilia tantum amorem & gratiam ad populum contulit ei Deus, vt viſu & alloquio eius vix ſatiari quis poſſet, & ipſe tanta populi charitate teneretur, vt multo tempore, relicto eccleſiarum hoſpitio, potiùs recipi vellet

Hugo ſocius, deinde ſucceſſor Nortberti.

Miro ſtudio omnes virũ Dei proſequuntur.

Multos ad bonam frugẽ reuocat.

in medio vrbium & caſtrorum, vbi omnes aduentantes benignè & comiter exciperet. Erat prætereà in his omnibus ſuprà, quàm dici vel credi poſſit, patiens in vigilijs, ſedulus in labore, gratioſus in verbis, gratus adſpectu, benignus in ſimplices, ſeuerus in hoſtes Eccleſiæ.

CAP. XIII.

Contigit quadam die, cùm tranſiret per quoddam caſtrum, Foſſas nomine, fieri concurſum hominum, tam clericorum quàm laicorum, inſolitum eius viuendi modum admirantium, & eò maximè, quòd quem ſocium acceperat, benè cognitum haberent. Intelligentes autem eum concordię & pacis ex collata ſibi gratia à Deo, eſſe adminiſtrum, obnixè rogare cœperunt, vt apud eos requiem pauliſper caperet, aſſerentes in eadem regione funeſtis odijs & atroci diſcordia quoſdam laborare, eaque cauſa non minùs ſexaginta eſſe peremptos, nec à quoquam, cùm à multis religioſis & potentibus iamdiù laboratum eſſet, potuiſſe ſarciri concordiam. Cumque multi hac de re multa loquerentur, non caſu æſtimandum eſt, ſed diuina diſponente gratia factũ eſſe, vt illàc tranſiret quidam, cuius frater eodem odio inſtigante illa ſeptimana interemptus erat. Quem cùm adſtantes cernerent: Ecce vnus, inquiunt, ex his, de quibus ſermo habetur inter nos. Quo aduocato, ſtatim homo Dei, brachijs collo eius circundatis, ſic ait: Dilecte mi, peregrinus ego ſum, hàc pertranſiens, & nihil à quoquam petij in iſtis partibus vel accepi. Sed quia te iuuenem bene armatum elegantemq; video, placet mihi primum munus à te expetere & accipere, quod pro perſpicua probitate tua rogo, ne mihi negare velis. Statim ille nutu diuino pietatis affectu permotus, & lachrymis obortis perfuſus, reſpondit: Quid eſt, reuerende pater, quod tibi à me, vel à quolibet poſſit negari? Qui cùm condonationem perempti fratris ab eo peteret, continuò impetrauit: nec ſolùm condonauit, ſed obſequium etiam viro Dei præſtitit, oſtendens opportunitatem acerba illa odia penitùs ſopiendi, & integram pacem conciliandi. Erat tum feria ſecunda, quando homini Dei primò hæc indicata ſunt. Sequẽti inde ſabbato ad villam, quæ Monaſterium nuncupatur, vtraq; pars aduerſariorum conuenit, populus etiam multus ex eadem vicinitate confluxit, partim vt hominem Dei, de quo rara quædam nunciabantur, viderent, partim vt diſſidentes, quorum odijs tota regio perturbabatur, ad conciliationem prouocarent. Cumque vir Dei intra cubiculum quoddam, clauſo oſtio, ferè vſque ad horam tertiam perſiſteret orando, populus tædio & curioſitate quadam affectus, cœpit mirari non minimùm, & murmurando alter ad alterum dicere: Qua cauſa conuenimus? Putabamus quòd exiret, & verbi Dei ſemina iactaret, & aquis fontis vitæ corda diſcordantium emolliret: & ecce in latibulis iacet dormiens, aut alia in re ſuæ voluntati indulgens. Cùm verò adeò impatientes vltrà ferre nollent, coëgerunt ſocium eius, qui ad illos egreſſus fuerat, vt ingrederetur & diceret ei omnes mox receſſuros, ſi non exiret. Ille ſciens eſſe eum in precibus, ne eum perturbaret, ingredi diſtulit. Importunitate tandẽ eorum compulſus, intrauit, & ſtans coram eo tremens, ſubmiſſa voce dixit: Pater, populus expectat te, & quia præſentiam tuam ei non exhibes, vult recedere. Et ille: Tace, inquit, fili mi: nõ eſt noſtrum ſeruire Deo pro voluntate hominũ, ſed pro voluntate Dei. At tamen nõ diù pòſt ſurgens ab oratione, eccleſiã ingreditur, & ſacris veſtibus præparatis, primò Miſſam beatæ Mariæ, vt in ſabbatis ſolet fieri, celebrat: deinde Miſſam illorũ defunctorũ, quorũ mors extitit cauſa odij, quod ſedare volebat. Quibus deuotiſſimè peractis, iuxta conſuetudinem exiuit ad faciendum ſermonẽ. Sed quia prandij hora iã tranſierat (erat enim ferè nona) multis ad reficiendũ egreſſis, paucos, quibus prædicaret, inuenit. Apud illum aũt hoc in more poſitum erat, vt ſic in paucis, ſicut in multis: ſicut in diuitibus, ſic in pauperibus ex abundãtis charitatis viſceribus, vnicuiq; pro modulo ſuo & facultate, faceret ſermonẽ. Porrò paululũ facta oratione, cùm cœpiſſet loqui & attraxiſſet ſpiritũ, miro & ineffabili modo ſpiritus ille charitatis, quaſi vox diffuſa, ſonus factus eſt in cordibus eorũ, qui prę tędio receſſerãt, & vt ad ſonitũ tubę vnuſquiſq;, relicta refectione, de locis & tabernis, in quibus cõſederãt, quaſi meliores epulas accepturi, ad eccleſiã conuolabant. Cumq; vir Dei repletã videret eccleſiã, abbreuiato ſermone, ſic eos alloquitur: Viri fratres, Dominus noſter Ieſus Chriſtus cũ diſcipulos ſuos ad prædicandũ mitteret, inter alia hoc eis mãdauit, vt in quamcunq; domũ intrarent, primùm dicerent: Pax huic domui. Et ſi ibi eſſet pax, hoc eſt, filius pacis, requieſceret ſuper eos pax eorum. Nos aũt non noſtris meritis, ſed ſuperabundanti gratia Dei ſola, imitatores eorum effecti, eandẽ pacẽ vobis denunciamus, quæ mente incredula neganda non eſt: nã ad pacem perpetuã pertingere facit. Vobis igitur incognitum nõ eſt, quã cauſa

Admodum ſtudioſus eſt conciliandæ pacis inter diſcordes.

Vide ſancti viri mirum artificium.

Populus aduerſùs eum muſſitat.

Res ſanè admiranda.

Luc. 10.

cauſa conuenerimus. Non eſt noſtrũ, nec ex noſtro, vtpote qui peregrinus ſum & aduena pertranſiens, ſed poteſtatis & voluntatis Dei eſt perficere: veſtrum eſt autẽ, volũtati illius integro & deuoto affectu acquieſcere. Ad hæc vox omniũ vna facta eſt: Præcipiat, inquiunt, per te Dominus nobis, ꝙ beneplacitum eſt ei: nõ habemus ei contradicere, quod, te ordinãte, in hoc negocio Dominus de nobis facere voluerit. Quid plura? Egreſſa eſt vtraq; pars aduerſaria foras in atriũ, reliqs in medio poſitis: Et paruo interuallo facto, abiurata eſt diſcordia & cõcordia cõfecta, paxq́; ſacramẽto cõfirmata.

Plurimùm ei defe[r]tur à quibuſdam diſcordantibus.

CAP. XIIII.

IN craſtinum ſummo diluculo conſurgens, ſeceſſit ad aliam villam, non longè poſitam, Gemblacum nomine, vt ſermonem faceret ad populum: vbi ſanè deuotiſſimè ſuſceptus eſt, quòd & verbi Dei præconẽ & placidæ pacis eum internuncium eſſe didiciſſent. In eadem regione duo principes mutuis conflagrabant odijs, &, vt fieri ſolet, rapina & incendijs tota regio in vaſtitatem & ſolitudinem redacta fuerat. Hoc vir Dei audiens, & populorum clamoribus permotus, miſeriçq́; & paupertatis miſertus, ipſos, quo potuit, labore adijt: cumq́; primum alloqueretur, dicens: Magnus es & potens, & ignorare non debes, tibi à Deo collatam poteſtatem, & me ſeruum eius eſſe, ad te miſſum. Me ergo, nõ pro me, ſed pro illius amore audire debes, qui pro tua & multorum ſalute ad te diuerti. Audi igitur pauperem & peregrinum, & Domini Dei tui mandata per me tibi allata ſuſcipe, vt ab eo tu quoque ſuſcipiaris. [illegible] emitte ei, qui tibi nocuit: dimitte, vt tibi dimittatur: tibiq́; ſit cõmodo, pauperibus & egenis ſubſidio: vt commodum tuum fiat peccatorum tuorum remiſſio, pauperum ſubſidium, rerum diſſipatarum reparatio. His auditis, princeps ille & homine inſpecto, vt erat vultu angelico, & conſiderata veſtitûs & habitûs humilitate, & facundia verborũ, totus intremuit, (cõmota quippe ſunt omnia viſcera eius) & pietatis affectu reſponſionẽ emolliens, dixit: Fiat, quod vis. Non eſt enim aliqua certè rationis oppoſitio, qua poſſit quis tuæ cõtradicere vel obſiſtere petitioni. Cùm ergo tali affectu ad effectum perduxiſſet, quod petẽbat, ab eo tranſiuit ad alium. Sed ſeminator diſcordiæ præueniens, cor eius ſic obdurauerat, & ſui ſeminis radicem in eo ſparſerat, atq; ita mentis oculos clauſerat, vt nullius veri luminis aditus in mente, nullius charitatis feruor eſſet in corde, quo viro Dei vel ad breue ſpatium placidè & humaniter reſponderet. Videns autẽ atrocitatẽ vultûs illius, & oculorum toruitatẽ atq; feritatem verborum & cordis duritiam, ne margaritas ante porcos iactaret, ſtatim conticuit: & verſus ad ſocium, quem ſecum habebat: Inſanit, inquit, hic homo: ſed futurum eſt breuì, vt retrorſum cadat, & detur inimicis ſuis ad capiendũ & illaqueandum & conculcandum. Hæc dixit, & in eadem ſeptimana verborum effectus ſubſecutus eſt. nam & captus ab inimicis, detẽtus eſt. Hæc ideò dicta nouerit lector, vt & in hoc vir Dei ſpiritum prophetiæ habuiſſe credatur.

Principem quendam hortatur ad pacem.

Is facilè cedit.

Sed aduerſarius flecti non vult.

Prophetico ſpiritu claret vir Dei.

CAP. XV.

ET procedens inde, venit ad proximam villam, quæ vocatur * Coteri. Et quia fama de eo iam vndiq; percrebuerat, populus de eadẽ vicinia ad audiẽdum ſermonem confluebat. Et poſt celebrationẽ Miſſæ audito finitoq́; ſermone, ſicut conſueuerat, de pace & concordia, &, ſi inter eos aliquod diſſidium eſſet, cœpit inquirere. Cùm aũt nominarent inter eos quoſdã diſcordantes, cœpit eos humili exhortatione à veteris odij rixis reuocare. Sed cùm vnus ex eis, multis rogatus precibus, nullatenùs petitioni eius & omnium circunſtantium acquieſceret, foras exilijt, aſſcendens equum ſuũ (miles enim erat) nitebatur fugere. Sed cùm calcaribus fortiter iterùm atq; iterùm vrgeret eũ, nullatenùs vel paſſum vnum potuit procedere. Exeuntibus autem cæteris, qui in eccleſia remãſerant, & vndiq; cõcurrentibus cum ſtupore & admiratione nimia, quidam ſubſannando clamare, quidã condolendo flere cœperunt. Omnes tamẽ vna voce Deum laudabant, qui in ſanctis ſuis glorioſus eſt, & ibidem hanc oſtendebat gloriã. Ille vero non minimùm pudefactus ad vocem clamantiũ, ad eccleſiam corã viro Dei redijt, & proſtratus veniã petens, quod priùs ab eo petebatur, quantocyùs libẽs annuit, & abſolutionẽ, quòd ſanctum virum Dei offendiſſet, petijt & accepit. Et ſic impletum eſt in eo, ꝙ ſcriptum eſt: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine.

* Colrois

Beati pacifici.

Vide miraculum.

Pſal. 82.

CAP. XVI.

EOdem anno contigit beatę memorię Gelaſium Papam, à quo prædicandi authoritatẽ acceperat, migrare à ſeculo: cui ſucceſſit Calixtus Viennenſis epiſcopus, piæ & ſanctæ conuerſationis homo, & dignę recordationis, quem conſtat apud Cluniacũ electum fuiſſe, & in ſede vniuerſalis Eccleſiæ poteſtatem, honoriſq; & dignitatis culmen cõmuni omnium electione ſuſcepiſſe. Trãſierat enim iam dictus Papa Gelaſius

Gelaſius Papa moritur & Calixtus ſuccedit.

cum ſaniori parte Cardinalium, vt ſanctam matrem Eccleſiam in membris viſitaret. Tanto deniq; patre orbati Cardinales, cæteriq; ſanctæ Eccleſiæ filij, qui ad exequias Gelaſij conuenerant, ab eo, qui dixerat, Non relinquã vos orphanos, conſilio quæſito & accepto, ad perficiendum, quod cœperat prædeceſſor, Calixtus Rhemis conciliũ conuocauit. Vbi & introitum ſuum Eccleſia cõfirmauit, & ipſe, quæ benè geſta erant, approbauit & corroborauit: & quæ ſiniſtra inuenta ſunt & corrigenda, authoritate Romana correxit. Audiens verò homo Dei Apoſtolicę ſedis dignitatem eſſe innouatã, (autumnus erat, quãdo primò brumale tempus hyemis incipit) Rhemos adijt: vbi ab Epiſcopis & Abbatibus, qui conuenerant, cum gaudio ſuſceptus eſt, nõ minimùm admirantibus ſuper excellentia verborum prædicationis & * reſponſionis eius. Et ne ab aliquibus oblatrantibus ſana eius doctrina in aliquo poſſet infirmari, literas Apoſtolicæ authoritatis, quas à Papa Gelaſio acceperat, iterùm renouari poſtulauit.

Iohan. 14.

Rhemenſis Synodus.

* reſponſis

CAP. XVII.

QVibus acceptis, dominus Papa venerabili Laudunenſi epiſcopo Bartholomæo præcepit, vt curam eius ſuſciperet. Erat enim ipſe homo, habens ex progenie matris eius quoſdam in epiſcopatu, & eorum inſtinctu ſubmonitus erat epiſcopus, humanitatis ei manum per aliquod tempus porrigere. Quo deducto, & finito concilio, Papa non poſt multum Laudunum deuenit. Tum verò Epiſcopus cum Papa conſilium inijt, quomodò eum retinere poſſet: atq; eo nomine obtulit ei eccleſiam B. Martini, quæ in ſuburbio ſita eſt: in qua pauci fratres erãt, ſub regula canonicæ profeſſionis degentes. At vir Dei modis omnibus renuebat. Tandem cùm cogeretur, ne ſummi Pontificis offenſam, & inobedientiæ notam incurreret, quod petebatur annuit, ſi tamen canonici illic commorantes, ea, quæ ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam inſtitutionem eos docturus eſſet, obſeruare non recuſarent. Sed cùm oſtenderet eis formam Euangelicæ inſtitutionis, quomodò imitatores Chriſti, contemptores mundi eſſe deberẽt, quomodò præceptis & regulis ſanctorum patrum obedientes: illi ſtatim ad verbum & adſpectũ eius perterriti, dixerunt: Nolumus hũc regnare ſuper nos, quia talem magiſtrum noſtra non nouit nec prædeceſſorum noſtrorũ conſuetudo. Liceat nobis noſtro more viuere: Caſtigare quidem Deus vult, non mortificare. Sic homo Dei & obediuit, & ab obedientia ſolutus, ab illa non receſſit. Manſit itaq; ibidẽ. Socius enim eius, de quo ſuperiùs mentio facta eſt, cũ Cameracenſi epiſcopo Burchardo profectus erat: Habebat enim de rebus ſuis, quas non ita pridèm reliquerat indiſcuſſas, quædam diſponere. Quæ quòd aliter quàm vellet diſtraherentur, (nouitius quippe erat) æquanimiter non poterat ſuſtinere. Intereà Epiſcopus diſſoluta ieiunio & frigore hoſpitis ſui mẽbra nitebatur reficere: ſed ipſe quotidiè ab hoſpite ſuo confouebatur ſpirituali & melliflua verbi Dei refectione. Ob hanc cauſam amore nimio & charitatis igne ſuccenſus, aſſiduè pulſabat eũ precibus quibuſcũq; poterat, vt in epiſcopatu ſuo vellet manere, quotidiè circunducens eũ & oſtendens, ſi qua foret eccleſia, quę ei placeret, ſiquę ſolitudines, ſi qua deſerta, ſi qua terra culta vel inculta ad ædificandum & commanendum. Victus tandẽ ipſius & multorũ aliorum tã religioſorũ quàm nobilium precibus, elegit locũ valdè deſertum & ſolitarium, qui ab incolis antiquitùs Præmonſtratum vocabatur: in quo, ſi quando daret ei Deus colligere ſocios, ſe manſurum ſpopondit.

Quidam nõ ferunt eum ſibi præfectum, dum coguntur ſeſe corrigere.

Præmõſtratũ ſibi deligit vir Dei.

CAP. XVIII.

TRanſacta igitur hyeme, niuiumq; & glaciei frigore vernali calore paululùm deterſo, vir Dei, vt erat ſolitus, virtute diuini ſolatij accinctus, ad pdicandum exijt, & ſolus Cameracum veniens, ſermonẽ habuit ad populum. Et ecce cecidit ſemen in terram bonã, ſcilicet in iuuenẽ Euermodum nomine: qui tanto rore ſpiritus ſancti perfuſus fuit in verbi Dei ſuſceptione, vt amoris eius cauſa ſtãs oraret ad Dominum Deum ſuum in eodẽ loco & in eiſdem paſſibus, vbi Dei hominem ſtare diligenter conſiderauerat in faciendo ſermone. Nec moras intulit, ſed ſtatim relictis omnibus, ſecutus eſt eum, tantoq; intimi amoris vinculo ei colligatus eſt, vt omni tempore vitæ eius ſpiritus viri Dei in eo requiem caperet, & poſt deceſſum ſuum locum ſepulturę ſuę ei commendaret. Perueniens aũt * Niuigellam, alium iuuenem Antonium nomine, à Deo ſibi datum recipit. Hi duo & tertius, quẽ priùs receperat, radices & fundamentum fuêre futurę multitudinis, quæ ſubſecuta eſt. Et intra Quadrageſimam illam tot ſocios obtinuit, vt in ſeptimana paſſionis Domini ante Paſcha cum tredecim reuerſus, prædictũ locum poſſederit.

Quidam illi ſe adiungũt

* Niuellam

CAP. XIX.

LOcato igitur fundamẽto in Chriſto Ieſu, paulatim de viuis & benè ſectis & politis lapidibꝰ creſcebat ædificiũ, & domus Dei ampliabatur. Sed non defuêre tentantis inim

Creſcit Præmõſtratenſis ſodalitas

nimici & aduerſantis hoſtis inſidiæ, qui plãtata eradicare, fundata euellere, cõgregata diſpergere, diſperſa morti tradere multiformi dolo laboraret. Nã in ſingulis ſingulas & proprias cõſiderãs affectiones, modis omnib⁹ ſe opponebat, & ad decipiẽdos nouos tyrones Dei, ſeſe in angelum lucis trãsformare nõ metuebat. Itaq; contigit quadã nocte cuidã ad matutinas ſtãti & contẽplanti, & de illa glorioſa & ineffabili Trinitate cogitanti, vt ille antiqu⁹ hoſtis viſibiliter adſtaret & diceret: O quàm felix es: ô quàm in tuo propoſito laudabilis, q & benè cœpiſti, & te perſeueraturum in tãta afflictione deliberas: idcircò ſanctam Trinitatem, ad quam toto mentis affectu ſuſpiras, videre mereberis. Et his dictis, apparuit tria geſtãs capita, Trinitatem ſe eſſe conteſtans. At ille expaueſcens & plurimùm admirans, paululùm tamen præmeditat⁹, cùm non ſibilũ auræ lenis, ſed ventum turbinis fœtidum ſentiret, dixit: O miſer & infelix & omnib⁹ creaturis deterior: tu, inquã, qui ſignaculum ſimilitudinis Dei fuiſti, quomodò arrogas tibi non tantùm te ſcire Trinitatem, ſed illam ipſam te eſſe? Recede, recede, & me tuis fraudib⁹ nõ obedientem, non p̃ſumas vlteriùs inquietare. Statim ille receſſit. Erat quidem frater ille ad obedientiam prõptus, in oratione deuotus, in ieiunio aſſidu⁹: ita vt p totum annum ieiunaret, tã æſtate quàm hyeme, & à nullo cogi poſſet, vt alterã interdiù pciperet refectionem, niſi dieb⁹ Dominicis: quib⁹ tamen non niſi crudum quid ſumebat, & non aliquam coctionem. Sed cùm id omnes mirarentur, & tanta ei⁹ abſtinentiæ & continentiæ virtus vbiq; in laudem eius p̃dicaretur, affuit iterùm ſatan, occultè ponens inſidias, vt nouum militem proſterneret. Nam quarta feria in capite ieiunij, cũ deuotione cunctorũ fidelium abſtinentia Quadrageſimalis indicitur, tãta fames & gulæ voracitas eum inuaſit, vt diceret ſe nullo modo poſſe ieiunare, planeq; ſe moriturum, ſi à lacte & caſeo cogeretur abſtinere. Cui cùm diceretur: Quid eſt, frater? ſacrũ & annuũ ieiunium eſt, & nõ eſt fas, alicui etiã ſeculari, bis reficere: ille toruo vultu & lupina rabie reſpondebat: Nunquid vult Deus hominẽ mori, ſubtrahẽdo illi quocunque tẽpore, quicquid ad vſus ei⁹ creauit, & neceſſitas ſumere cõpellit? Quid plura? Aberat pater Nortbertus, & fratres adhuc rudes, qui ad huiuſmodi inſultus arma ferre nõ conſueuerant, multimodis ſupplicationib⁹ hoc tandem ab eo impetrau erunt, vt bis & quantum vellet, cibum Quadrageſimalem comederet, timẽtes ne illud improperium in publicum exiret, quòd tã arcta & ſubita religio, vel ſecularium cõſuetudinẽ in ſuis conuerſis non ſeruaret. Cùm ergo tranſiſſent Quadrageſimales dies, & ad celebrandũ Paſcha homo Dei reuerteretur Prẽmonſtratum ad fratres ſuos, ad introitum ipſi⁹ vallis horror nimius inuaſit eum, & ventus turbinis circunuallauit eum, quaſi ventus veniens ab Aquilone: & ipſe ſtatim ſentiens, ſecum venientibus malignam prædixit adeſſe tentationem. Peruenienti autem fratres trepidi narrauerunt, quid actum eſſet. At ille dolens, &, Heu me, ingeminans, In meam, inquit, miſeriam & in detrimentum animę fratris, & ad traductionẽ noſtræ inſipientiæ hoc conſentire voluiſtis, atq; p hoc locum diabolo, niſi viriliter ei reſiſtatur, ad diſperdendum dediſtis. Vbi eſt, inquit, ille? Qui cùm adduceretur, vix ſe ſuſtentare præ nimia pinguedine poterat, & velut veſica turgens, edacitatis ſpiritu plenus, non niſi toruis oculis magiſtrum, quem ſuper omnia diligere ſolebat, reſpicere valebat. Videns ergo vir, cui Deus diſcretionem ſpirituum dederat, non eſſe infirmitatis humanæ, ſed tentationis diabolicæ, ſtatim vetuit omninò quicquam ei dari. Qui poſtquàm per aliquot dies ieiunauit, vbi reddita eſt ei quarta pars rudioris panis, & vas aquæ ad mẽſuram, pro ſummis delicijs computauit. Et ſic ad priſtinam conſuetudinem benè & moderatè viuendi, Deo per magiſtrum ſuum ſubueniente, redijt.

Diabolus in ficta ſpecie Trinitatis apparet cuidam.

Ezech. 18.

Vide machinas maligni dæmonis.

Diaboli fraudẽ diſſipat vir ſanctus.

CAP. XX.

POſt hæc homo Dei, vt erat ſolit⁹, ad prædicãdum egreſſus eſt, recepitq; ſociũ ſuum qui ad cõponendum res ſuas abierat: & quamplurimis in itinere diſcordia laborãtibus ad concordiã reuocatis, Niuigellã peruenerunt. Quia verò ab exordio prædicationis ſuæ in eodẽ oppido nimis char⁹ habebatur, ſtatim vt Præmõſtratum conceſſit, quidã ex eis conuerſionis gratia ad eum cucurrerunt: ſed aſperitatẽ ordinis & inſtitutionis impoſitæ, ferre non valẽtes, vt canes ad vomitum reuerſi ſunt. Qui ſuã nequitiã tegere volentes, ad opprobriũ hominis Dei, & vt conciones ei⁹ auerterent, zizania ſup̃ſeminauerunt, ita vt nec videre illum, nec ei⁹ conciones audire vellẽt. Sed ille hac re nullo modo expauit, confidẽs hoc magis fore materiã victoriæ contra dæmones, q ei⁹ p̃dicationi & ſaluti credentium, q̃ per eum operabatur Deus, nitebãtur obijcere impedimenta. Cùm ergo ob hanc cauſam in populo illo parui precij haberetur, ſuſcitauit

De Niuellẽſibus dicit.

Deus militi ſuo bellum,de quo,ipſius dono certando viriliter,aſſecutus eſt victoriam, amoriq; priſtino redditus,& non tantùm apud Niuigellēſem plebem,ſed etiam apud omnes hoc audientes,adeptus eſt ſuauiſſimi odoris fauorem & gratiam. Nam ibidem aderat pater cuiuſdam puellæ,quæ iam per annum à dæmonio vexata fuerat,& vinculis & carcere tenebatur. Qui grauiter flens & ſuſpirans,dolore filiæ affectus, cœpit rogare eum,vt ſaltem videre eam & tangere dignaretur. Magnum opus, ſed non diſpar fides in opere. Adducite eā,inquit,ad me. Adducitur puella iam duodenis, & plurima populi frequentia conuenit. Tunc igitur Dei ſacerdos tempus & locum & materiā videns,vt glorificaretur Deus,maiorem fiduciam concepit. Ita albis & ſtola veſtitus,exorciſmum agere aggreſſus eſt. Cœpitq; diuerſa legere euangelia ſuper caput illius. Ad quem dæmon reſpondit: Huiuſmodi lyras audiui frequenter, neq; pro omnibus iſtis hodiè recedam,neq; propter te è habitaculo iſto. Et propter quos tandem recedā? Columnæ Eccleſiæ ruerunt. Cùm autem ſacerdos multiplicaret exorciſmum, reſpōdit dæmon: Nihil agis:quia necdum per coruſcum ſanguinem martyrum me adiurâſti. Tunc igitur,vt verè ſuperbus eſt dæmon,ſcientiam ſuam volens oſtentare,Cantica cāticorum à principio vſq; ad finē per os puellæ edidit. Et iterās verbum ex verbo in Romana lingua,vſq; in finem interpretatus eſt. Et reiterans verbum ex verbo,in Teutonico totum expreſſit,cùm illa puella,dum adhuc ſana eſſet,nihil niſi Pſalterium didiciſſet. Nihilominùs Dei ſacerdos imminebat,& dum inſiſteret & præciperet,vt exiret à creatura Dei,coactus reſpondit dæmō: Si hinc me cōpellis exire,permitte me intrare in monachum illum. (Ibi quippe monachus quidā ſtabat,& nominauit eum.) Tūc verò Nortbertus exclamat in populum: Audite,audite malitiā huius dæmonis,qui vt infamaret,ſeruum Dei vexandum experijt,quaſi peccatorē & dignum hoc ſupplicio. Sed non ſit vobis iſthuc offendiculo. Ea eſt enim nequitia eius, vt bonis omnibꝰ velit derogare,& quantum poteſt infames eos reddere. Hoc dicto,iterùm cœpit acriùs inſiſtere officio. Tunc dæmon: Quid agis,inquit? Neq; propter te,neq; propter alium hominē exibo. Quòd ſi videris me exclamare,iā tantum venient de noſtris,id eſt,de nigris,ad bellū. Eia ad bellum,eia ad bellum: Eia iam faciā corruere arcus iſtos & fornices ſuper vos. Ad hoc verbum populꝰ diffugit: ſacerdos verò imperterritus & intrepidus māſit. Tunc illa iniecit manus ad ſtolā eius,vt proximè collum eius adſtringeret. Cumq; hi,qui aderant,vellēt manus eius dimouere: Nolite,inquit: permittite illam, ſi accepit à Deo poteſtatē,faciat quod poteſt. Tunc verò eius audacia hoc verbo perculſa,tanquā reuerentiā exhibens,manus ſponte relaxauit. Iam itaq; plurima diei parte conſumpta,pater Nortbertus conſiliū cepit,vt in aquam exorcizatam eam imponeret. Et ita factum eſt. Et quia flauis erat capillis,verens ſacerdos,ne occaſione crinium diabolus in ea poteſtatē retineret,tonderi eā iuſſit. Qua permotus dæmō iniuria, cœpit in ſacerdotē vlciſci,dicens: Peregrine de Francia, peregrine de Francia,q d tibi nocui? Quare nō ſinis me quieſcere? Omne malorū genus & caſus mali oēs in caput tuū incurrāt,q adeò me vexas. Iā veſpertina hora erat, & vidēs pater Nortbertus nō exiſſe dęmonē,aliquātulum cōtriſtatus,iuſſit eā reddi patri,& in craſtinū iterùm ad Miſsā adduci. Ipſe verò cœpit ſe expoliare alba & alijs indumētis. Cùm ergo hoc vidiſſet impius dæmō,cœpit inſultando plaudere manibꝰ & dicere: Ha,ha,he : modò benè facis, nec hodiè feciſti quicquā quod mihi ſic placeret: en hodiè conſumpſiſti diem,& nihil profeciſti. Ad hæc ſtomachando pater Nortbertus,contulit ſe ad hoſpitium,& obfirmauit in animo ſuo non guſtare cibum,donec illa ſanaretur. Et ita tranſegit diem & noctem illam ſine cibo. Iā craſtina dies aduenerat,& Dei ſacerdos parat ſe ad celebranda Miſſæ myſteria,turſuſq; puella adducitur,& iterùm fit multiplex concurſus populi,vt viderent agonem ſacerdotis & dæmonis. Tunc verò mandauit duobus fratribꝰ, qui ſecum erant,vt tenerent eam ibi iuxtà,haud procùl ab altari. Inchoato igitur miniſterio,ventum eſt ad Euangelium,& illa applicata ad altare,plurima euangelia ſup caput eius lecta ſunt. Et dæmon iterùm cœpit ſuas repetere ſannas,huiuſmodi lyras frequenter ſe audiuiſſe. Cùm ergo ventum eſt ad locum, vbi ſacerdos eleuat hoſtiam coram Domino,exclamauit dæmon: Videte,videte,quomodò Deiculum ſuum inter manus ſuas tenet. Fatentur dæmones: quod hæretici negant. Tunc verò Dei ſacerdos inhorruit, & concepto ſpiritu virtutis,in ipſa oratione ſua cœpit exagitare dæmonē & torquere. At ille coactus & tortus,per os puellæ exclamat: Volo exire, volo exire: dimitte me. At illi duo fratres fortiter tenuerunt eam. Sed ſpiritus immūdus nullas patiens moras,fætidiſſimæ vrinæ fœda relinquens veſtigia,aufugit,vaſq; poſſeſſum reliquit. Illa verò liberata a ſuo tortore,collapſa,lāguida delata eſt in domum paternam, & pau-

Procax dæmonis petulantia.

Malignitas dæmonis.

Nequiſſimi dæmonis putida inſultatio.

Nota, Fatetur dæmones, quod etiam noſtri hæretici negant.

& paulò pôſt accepto cibo, ex integro incolumis & compos ſui, perfectè ſanata appa ruit. Hoc itaq; publicè factum eſt, teſte omni populo, qui Dei laudes in commune prę dicabat, & patrem Nortbertum verè Apoſtolicum virum fatebatur. Expellitur improbiſſimus dæmõ.

CAP. XXI.

POſt hæc peruenit Coloniam, vbi & libenter ſuſcipitur, & libentiùs in ſermone & confeſſione auditur, quòd illum priùs & iuuenem nouiſſent, & iã mirabiliter mutatũ viderent. Et quia populus ferè ſolet imitari, ſi quid noui conſpiciat, multi ad verbum & exhortationem eius tam clerici quàm laici concurrẽtes, illum ſecuti ſunt. Habebat ille iamtunc in animo ædificare eccleſiã, in qua adunatos fratres reciperet. Atque ob hanc cauſam petiuit ab Archiepiſcopo Friderico & cæteris fidelibus ſanctarũ reliquiarum ſibi munera donari, quibus non minimùm ab antiquo repleta & inſtructa erat felix Colonia. Annuit Archiepiſcopus, annuit ceu iuſtæ petitioni clerus & populus. At ille fratribus ſuis, quos ſecum habebat, & quos ibidem Deus ei contulerat, ieiunio indicto, hoc precioſum donum Deo commendabat, vt venerabile patrociniũ ſibi faceret inueniri. Nocte verò eadem virgo quædam ex numero vndecim millium virginum, & nomen ipſius virginis, & locus, vbi iaceret, per viſionem cuidam deſignatus eſt, & in craſtinum ex ordine viſionis corpus ibidem quæſitum, integrum inuentum eſt. Quo cum hymnis & laudibus Dei & gratiarumactione ſuſcepto, de reliquijs etiam aliarum virginum aliorumq; quorundam martyrum, videlicet Gereonis, Maurorum, duorum Euualdorum duo vaſcula inſtar feretri ei impleta ſunt. Sequenti verò die, cùm à Præpoſito & Canonicis S. Gereonis ſimiliter ſibi dari reliquias ſupplicaret, conceſſum eſt ei, vt ſi quid, quod placeat ei in eccleſia eorum, vellet, id quæreret & acciperet. Gauiſus eſt homo Dei, & hoc promiſſum, vt erat ſolitus, Deo per totam noctem orando commendabat attentiùs. Manè autem facto, in medio monaſterio, vbi nullum alicuius ſepulcri patebat veſtigium, effodi præcepit: vbi corpus integrum abſque cerebro repertum eſt, honorificè & cum omni diligentia collocatum. Quod cùm canonici & plebs innumerabilis, quæ conuenerat, cernerent: Ecce, inquiunt, hic eſt dominus noſter Gereon, & noſtrum venerabile patrociniũ, quod à nobis & à prædeceſſoribus noſtris per multos annos quæſitum eſt, & peccatis noſtris exigentibus inueniri non potuit. Et exclamantes voce magna, cum gaudio immenſas Deo gratias agebant, hominem Deo dignum efferentes, per quem talis ac tantus theſaurus, diuq; deſideratus mereretur inueniri. Et ne quis dubitet ipſum eſſe, ſciat pro certo verum agnitionis eius fuiſſe indicium, quòd de morte & martyrio eius legitur, partem capitis, & non totum caput, eſſe abſciſſum. Hanc partem habebant, ſed reliquum corpus vbi eſſet, prorſus ignorabant. Suſceptum eſt itaque corpus ſanctum, vt dignè debuit, & eleuatum, parſque inde viro Dei data eſt: quod reliquum fuit, magnificè à Clero & populo repoſitum eſt. Aſſumptis non diù pòſt reliquijs, collectoq; fratrum tam clericorum quàm laicorum collegio, quos Deo per verbum prædicationis genuerat, redeundi iter aggreſſus eſt, & vbique in eccleſijs, in congregationibus, cum proceſſione magnificè ſuſcipiebatur. Audiens autẽ tranſitum eiꝰ nobilis matrona, Ermenſendis nomine, Namurcenſis Comitiſſa, velociter occurrit ei, orans vt ad collocandos illic fratres, quandam eccleſiolam in villa Floreffiæ, vellet ſuſcipere. Decreuerat etenim ipſa ex multo tempore pro remedio animæ ſuæ ac prædeceſſorum ſuorum in eadem eccleſia religionem propagare. Videns ille ſynceram mulieris deuotionem, ſuſcepit, quod petebat: ibidemque, altero reliquiarum vaſculo derelicto, feſtinauit Præmonſtratum, (erat enim inſtans natiuitatis dies) habens clericos & laicos circiter triginta nouitios.

Vir Dei venit Coloniã.

Felix Colonia ob multas Sanctorũ reliquias

Inuenitur corpus integrũ ſanctæ virginis.

Corpus integrũ S. Gereonis vir Dei inuenit.

Eccleſia Floreffiæ ei datur.

CAP. XXII.

COngregatis igitur clericis fermè quadraginta, & quamplurimis laicis, aſſidua conſolatione veſperè & manè fouebat eos, & multiplicibus ſermonibus hortabatur, ne deſiſterent à felici propoſito & ſpontanea paupertate, quam ſuſceperant: & quod docebat, velut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, operibus demonſtrabat. Cùm autem multi religioſi, tam Epiſcopi quàm Abbates, diuerſa conſilia darent, alius eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Ciſtertienſem ordinem aſſumendum ſuadentes: ille, cuius opus & conſilium de ſupernis pendebat, qui ſuum principium non ſibi, non hominibus, ſed ei, qui eſt omnium rerum initium, commendabat, in corde ſuo cuncta conferens, vt ſapiens velox ad audiendum, qui differt & reſeruat in poſterum, tandem ne profeſſioni canonicæ, cui etiam ipſe, & quotquot cum eo viuere volebant, intitulati fuerant ab infantia, inferre iniuriam videretur, regulã, quam beatus Prouer. 29.

beatus Auguſtinus ſuis inſtituit, afferri præcepit. Apoſtolicā enim vitā, quā in prædicatione ſuſceperat, iam optabat viuere, quam quidem ab eodē beato viro poſt Apoſtolos audierat conſtitutam & renouatā fuiſſe. Quam cùm allatam diligenter inſpexiſſet, in paucis compoſitam, in multis tamen diſpoſitam, ſtatim in die natalis Domini, quæ inſtabat, inſtar Dominicæ deſcriptionis, ſub eadem & ſtabilitatis in loco, & profeſſionis gratia, ad illam beatæ perennitatis ciuitatem ſinguli ſeipſos conſcripſerunt.

Amplectiturcum ſuis regulam S. Auguſtini.

CAP. XXIII.

Qvadam die cùm reuerteretur Rhemis cum quibuſdā ſocijs ſuis, & duobus nouitijs, quos de ſeculo traxerat ſermo diuinus ad eos factus, & incederent cū ſilentio per viam, de Deo ſuo meditantes, vox quædam de nube in auribus eorū in hunc modū inſonuit: Hæc eſt fratris Nortberti ſocietas. Ad quā vox altera ex altero latere reſpondit: Ex his duobus nouitijs alter non eſt de ſocietate eorum. Audiebat hoc homo Dei & alij, qui comitabantur eum, & rem taciti conſiderabant, nihil mali ſuſpicantes: ſed tamen quidnam portēderet, hæſitabant. At pater Nortbertus, cui maior incumbebat ſolicitudo, ſciens non ſuperuacuum eſſe, quòd ex permiſſione diuina hæ voces audirētur, perquirebat à Deo omni orationum inſtantia, quid ſibi vellent quæ audierāt, mores eorum & actus conſiderans de die in diem, de quibus fuerant prolata. Cumq; conſiderâſſet alterum eorum minùs deuotum in confeſſione, leuem in verbis, inquietū corpore, inconſtantem moribus, tepidum in oratione, negligentem in obedientia: (erat autem Anglus) Quid eſt, inquit, frater: quid eſt, quod geſtas in corde? Expone quod latet. Si Deum quæris, non eſt vlla creatura coram eo inuiſibilis: quia, vt ait Apoſtolus, omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Veritatē quærimus, & prout fragilitati humanæ conceditur, in veritate ambulare nitimur, nec eſt vlla veritatis & falſitatis conuentio, nec aliqua fidelis cum infideli participatio. Cui ille caput agitando, & leuiter verba proferendo, dicebat: Putáſne bone pater, quicquam velle me tibi furari? Pauper es, ſed omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui nō habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Hæc dixit, & dicta opere compleuit. Nam tunc quidam fortè ad conuerſionem venerat, & cum paruula ſubſtantia ſua aliquantulum argenti detulerat, quod retro altare pauperis oratorij, quod tunc ſolum habebant, proiectum iacebat. Nocte verò quadam ille horam ſibi prouidens opportunam, argentum illud rapiens, aufugit. Sic igitur deceptor ille, plenus fraude & miniſter diaboli, pauperes eos in corde iudicans, pauperibus Chriſti nihil mali ſuſpicantibus, paupertatem auxit intantùm, vt nulla eis remaneret ſubſtantia, vnde ſumptus procurari poſſent vel vnius diei.

Voces audiũtur cælitùs.

Hebr. 4.

Matth. 13. & 25.

CAP. XXIIII.

Iam tunc plurimi in diſciplinam eius vita & propoſito, relictis omnibus, ſe conferebant, & definito conſilio quærebatur, vbi in eodem deſerto certum ad commanendum & ædificandum locum idoneum prepararēt. Erat enim locus ille aſperrimus & planè incultus, arbuſtis & paludibus & cæteris incommodis occupatus, nec quicquam apparebat habile ad commorandum, præter ſacellum & iuxta illud pomarium & ſtagnum quoddam paruulum, quod de aquis montium, pluuiarum tantùm tempore, & de ſucco paludum vſque in præſens impleri conſtat. Ibi conſederat homo Dei cum paruula ſodalitate ſua, ſpei ancoram inconcuſſæ fidei adiungēs, & cum patriarcha noſtro Abraham ſpē contra ſpem ponens. Veruntamē ne puſillus grex deſperaret, & vt amicorum ſuorum corda lætificaret, & æmulis derogandi occaſionem ſubtraheret, num qua tali in loco poſſet eſſe commoditas, ipſe circumiens conſiderare cœpit, & alios cōſiderare præcepit, addens, vt ad omnipotentem Deū aſſidua fieret, & intenta orationum ſupplicatio, vt is oſtenderet locum, in quo diuinus cultus omni tēpore poſſet peragi. Cumq; multi aſſiduis precibus Domino iſthuc commēdarent, obnixè beneplacitum voluntatis eius ieiunijs & orationibus exquirentes, apparuit cuidam viſio manifeſta ſatis & euidens, locum, & quæ in loco & de loco erant ventura, aperta ſignificatione denuncians. Nam ibidem, vbi præſens ſita eſt eccleſia, Dominus noſter Ieſus Chriſtus tanquam pendens in cruce viſus eſt, ſuper quem ſeptē ſolis radij mirabilis claritatis fulgebant, & à quatuor partibus multitudo magna peregrinorum, cum peris & baculis properabat, iijq; flexis genibus adorato ſuo redemptore, & pedibus eius dato oſculo, quaſi per licentiam recedebant reuerſuri. Quod cùm viro Dei reuelatum fuiſſet, gratias egit Deo, qui ſeruis ſuis ſe in veritate quærentibus, & in fide & iuſtitia obſequentibus, de præteritis dat fidutiam, & de futuris ſecreta reuelatione notitiā. Et poſt hęc exhilarata facie, aſſumpta fidutia, Eia, inquit, fratres, eia fratres dilectiſſimi: accingimini

Plurimi eius cōplectũtur inſtitutum.

Rom. 4.

Viſio de Præmonſtrato.

gimini & eſtote viri fortes: vobis plurima bellorum genera præparantur, quæ ab hoſtibus tam viſibilibus quàm inuiſibilibus futura ſunt. Sed noui tyrones, qui venerunt ꝑ viſionẽ, viſibiliter vẽturi ſunt, & accepto ꝓcepto & obediẽtia ab eo, qui patri fuit obediens, vobiſcum ſunt vſq; ad conſummationem bellaturi. Verbum hoc verum fuit, quod ſubſecuta actio quotidiè declarat in his, qui relictis omnibus, vt peregrini veniunt, & profeſſione facta, quaſi oſculo dato, ad obtinendas præliorum acies, ad diuerſas nationes recedunt.

Propheticè, futura ſuis prædicit vir Dei.

CAP. XXV.

QVia verò ædificium & templum ſpirituale benè diſpoſitum & compoſitum fuerat, ad materiale neceſſarium erat laborem adhibere, vt cuncta fierent cum benedictione. Itaq; Epiſcopo Bartholomæo aduocato, effoſſoq; fundamento & conſecrato, de conſecratis lapidibus fundari fecit eccleſiam, adſtante Thoma domino de Coſci, qui hominem Dei metuebat & reuerebatur propter Deum, ſciens eum virum iuſtum & omni honore dignum: adſtante etiam filio Ingelerãmo adhuc puerulo, & multis nobilibus clericis & laicis, & populorum innumera multitudine admirante & quaſi ſpectaculum conſiderante, & intra ſe adinuicem dicente: Quis putas eſt homo iſte? cuius fidei? Putáſne ſtabile erit hoc opus, quod in tanta ſolitudine locatur, & cuius fundamenta non in petra, non ſupra firmam petram iacitur, ſed in palude? Tanta nãque ibi palus erat, vt vix impleri poſſet, licèt multa lapidum cõgeries proijceretur. Sed non debuit titubare, nec potuit eradicari: quia plantatio, quam plantat cæleſtis pater, non eradicabitur. Porrò pars cæmentariorum Teutonici erant, (Conduxerant enim eos Colonienſes quidam, amici hominis Dei) pars noſtrates amici Præmonſtratenſium: & contendebant in opere, alij in vno latere eccleſiæ, alij in altero accelerãtes. Creuitq; quàm celerrimè ædificium, & intra tempus nouem menſium perfectum & conſummatum eſt, & à ſupradicto Epiſcopo Bartholomæo conſecratum. Sed quia lætis triſtia, proſperis aduerſa miſceri ſolent, in eadem die conſecrationis quoddam infortunium accidit. Nam cùm innumera multitudo eorum, qui conuenerant ad feſtũ de remotis partibus certatim ad oblationem & ad circuitum altaris currerẽt, motum eſt altare maius, & lapis diſſolutus, conſecratioq; caſſata, vt præcipit authoritas, & totus labor in nihilum redactus. Expauit homo & contriſtatus eſt, plùs tamen puſillorum ſcandalum metuens, quàm de diuinis operibus, quæ ſine cauſa non fiunt, diffidens. Sed vir Dei quid fecit? Reſumptis in Domino conſolationis viribus, denuo eccleſiæ dedicandæ in octauis B. Martini diem ſecretò cum Epiſcopo ſtatuit.

Lapides cõſecratos ponit in templi fundamento.

CAP. XXVI.

EXiuit deinde homo Dei ad prædicandum, relictis, qui præeſſent cœpto operi, & alijs rebus omnibus, & omnia integra conſeruarent, tum etiã qui præeſſent tã clericorumquàm laicorum conuentui, binos & binos in ſingulis ponens officijs: quos ad vltimum vale, de pace & vnanimitate docebat, dicens nunquam poſſe exorbitare cõgregatam aliquam multitudinem, quam prælatorum concordia moderetur. Sed recedẽte paſtore, rabido ore lupus ouibus molitur inſidias, priùs tamen terrorem incutiebat: quia quibuſdam, velut eſſent inexpiabilis odij inimici, quos in ſeculo reliquerãt, armata manu quaſi ad perimendum, etiam in luce diei cum ſuis ſatellitibus ſe præſentabat. Illi verò territi, venientibus in ſpecie armati exercitûs, & pompæ armorum, & fremitûs equorũ, quibuſcunq; poterant modis ſe opponebant: ita vt cùm fugerent, velociter raptis fuſtibus et ſaxis, obuolutis etiã brachijs quibuſdã tegumẽtis vel tunica, reſiſtere feſtinarent. Et adeò pugnabatur, vt planè crederent iacula mitti & mittere, feriri & ferire, vulnerari & vulnerare, interfici & interficere. Ad quos cùm multi fratres alij concurrerent, arguentes eos, cur ſic inſanirent: An non adſpicitis, aiunt, quòd ab inimicis noſtris opprimimur, & iam in fruſta ferè conciſi, ſummo cum dedecore morimur? Tunc fratres ſcientes eos infeſtatione dæmonum illudi, aquam benedictã ſpargunt, ſignum crucis edunt, & recedente malignorum ſpirituum turba, illi, quaſi hoſtibus deuictis & in fugam verſis, concito curſu inſequebantur, altis vocibus inclamantes: Eia eia, reuertimini & reſiſtite fortiter: alioquin turpiſſima morte moriemini, ſi deinceps ad nos redire, minaſque & mortem intentare auſi fueritis. At poſtquam in ſe reuerſi, quidam ex ipſis deluſos ſe eſſe cognoſcunt, fortiter in arrepto propoſito perſiſtunt: ijque fortiter vicerunt: quidam verò ignominiam eam ferre non valentes, & de perſeuerantia deſperantes, aculeo caudæ dæmonis percuſſi, receſſerunt.

Dæmon abſente viro Dei, fratres infeſtat quibuſdam præſtigijs.

Vide vim aquæ ſacratæ & S. Crucis.

CAP. XXVII.

Iob.40. SEd quia huic falſo & maligno ſpiritui non ſufficit, nec miratur, ſi abſorbeat marè,
ſed etiam Iordanem totum abſorbere nititur: qui manifeſtè ad plenum ſeducere
non potuit, iterùm occultiores meditatus inſidias, redire non metuit. Conuenerat ſi-
quidem in eadem paupertate multitudo de diuerſis nationibus & diuerſo hominum
genere, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, maioris minoriſq; ætatis, ſapientes &
ſimplices idiotæ, ſicut vir Dei recipere conſueuerat, in hoc Saluatoris imitator effe-
Iohan.6. ctus, dicentis: Omnem qui venit ad me, non eijciam foras. Inter quos fallax ille ſpiri-
tus quoſdam conſiderans idiotas, & ſua illos quondam recognoſcens fuiſſe vaſcula,
Simplicioribus quibuſdam illudit dæmon. in quibus ſuæ quieti & voluptati indulgere conſueuiſſet, ita eos falſa ſuæ illuſionis ſa-
pientia repleuit, vt qui priùs in libro vix legere nouerant, iam ex libris magna quædã
dicerent, & de futuris prophetando, maiora & ſtupenda prædicerent. Danielis deniq;
Daniel 7. vnus ex eis prophetiam ſe ſcire aſſerebat, & de ea quædam duce mendacio, loqueba-
tur: vbi de quatuor & ſeptem & decem cornibus & regibus propheta ſcribendo, indu-
cit & de Antichriſto. In quibus iam ſimpliciores quoſdam attentos reddiderat, & ſi fie-
ri poſſet, etiam ipſum Dei hominem, & venerabilem Abbatem Simonem S. Nico-
lai in errorem induxiſſet. Iam enim eouſque progreſſa erat eius arrogantia, vt ipſis aſ-
ſidentibus, etiam in Capitulo ſermonem facere non dubitaret. Et qui vidit & audiuit,
præbet huius rei teſtimonium. Et hoc ſignum eius, quia de ſermone profert initium.
Erat enim hic ſermo: Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente. Hæc ſpi-
ritus ille mendax per organum illud ſuum proferebat. ſed ad veritatem, quæ ſequi-
tur, videlicet, Et accipietis regnum æternum, haudquaquàm procedere valebat. Por-
Multis inſidijs appetit ſatan Chriſti ſeruos. rò cùm ab auditoribus veritatis & dulcedinis falſus ille ſpiritus ſe ex parte deprę̈hen-
di cerneret, vt eſt mille artifex, maiore arte ad alia fallendi genera ſe conuertit: vt quia
manifeſtę operationi intentos non poterat ſubuertere, ſaltem contemplatores quoſ-
libet auerteret à contemplatione. Nam ille idem clericus, laboris huius miniſter, ſubi-
ta quadam eaque grauiſſima infirmitate corripitur, & qui priùs de viſibilibus reſpon-
ſa dabat, iam in cælum os ſuum ad inuiſibilia & ineffabilia promenda ponere non ve-
rebatur. Concurrunt fratres, ſicut conſuetum eſt, ad inungendum eum: concurrunt
ad ea, quæ dicebat, audienda. De ſe quidem magna, ſed de plurimis circunſtantibus aſ-
ſerebat maiora. De ſe, quòd eadem veſpera aut futurus eſſet cum angelis in cælo, aut
ſtaret ſanus cum cæteris fratribus in choro. De alijs verò, ſingulorum conſiderans ha-
bilitatem, quaſi prophetando & augurando dicebat: Hunc, cùm nuper in eccleſia ad
ſuperiora raperer, vidi ad æternitatem vocatum: iſtum iam in ſede felicitatis poſitũ:
lectum iſtius in felicitate eadem præparatum. Iſte futurus eſt Pontifex, iſte conſtituen-
dus rector multorum regularium & magiſter, iſte in bono propoſito perſeueraturus;
iſte alius deficiens receſſurus. His dictis ita ſe comparauit, quaſi vltimum exhalaturus
ſpiritum, vnius horæ ſpatio ſic in terra iacens, vt ſtatim moriturus facere ſolet: cùm
audito veſperatum primo ſonitu ſurrexit, & veloci curſu cum alijs chorum intrauit.
Detegitur maligni impoſtura. Quod cùm adſtãtes cernerent, alij alijs ſuũ errorem confitẽtes, ſe deluſos eſſe conteſtã-
bãtur. Sed nec ſic quidẽ deſtitit antiquꝰ & maligniſſimus inſidiator, totiuſq; bonitatis
& veritatis expers, & cunctorum ſcelerum ſubtiliſſimus architectus. Excitauit enim a-
lium clericum, qui, ſicut ille de propheta Daniele ſpiritũ hauſerat impoſtorem: ſic i-
ſte de Iohãnis Apoſtoli Apocalypſi nihilominùs iactabat ſe ſcire & rimari debere do-
na cæleſtium ſecretorum. Quem cùm vnus ex prioribus in Capitulum adduxiſſet: Ec-
ce, inquit, nunc demùm viſitauit nos oriens ex alto: quia hunc non diuturna ſcholarũ
exercitatio inſtruxit, nec labor annorum numero computatus edocuit: ſed angelica
quædam reuelatio, quæ per totam noctem ſub tenebrarum ſilentio ad ipſum diligen-
ter inſtruendum, & nos per ipſum, laborauit. Audientes hæc quidam de fratribus, qui-
bus iam ex parte ſubtilitas fallacium ſpirituum nota erat, omninò prohibuerunt, di-
centes, poſthàc nec hunc, nec alium quenquam ſe velle audire, donec pater Nortber-
tus reuerteretur. Videns itaq; mendaciſſimus ille ſpiritus claritatem ſuam, qua ſe trãſ-
2.Cor.11. fert in angelum lucis, eſſe repulſam: vt leo frendens, qui eſurit & circumit quęrens
1.Pet.5. quem deuoret: quaſi incitatus ad iram, nec vltrà latére valens, apertè ſæuitiam ſuam
& odij rabiem, quam aduersùs congregationem & aciem benè inſtructam gerebat, ex-
Apertè ſatã prodit rabiẽ ſuam. erere cœpit. Primò quidem inter illos duos, quibus ſic illuſerat, & per quos alios illa-
queare tentauerat, tantas inimicitiæ diſcordias ſeuit, vt ſi alter alterum alicubi potuiſ-
ſet apprę̈hendere, interfecturus fuerit, & niſi ſeris & vinculis retenti eſſent, euadendi
alter eorum non fuerit locum reperturus.

CAP.

CAP. XXVIII.

DEniq; importuniſſimus ille inſidiator iuuenem quendam, cuiuſdam conuerſi filium, arripuit, & nequiter eum torquere cœpit. Quid faceret grex ſine paſtore, cui ſic lupus vndiq; inſidiabatur? Ligatum ipſum dæmoniacum recludunt, donec capiatur conſilium, quid facto opus ſit. In ipſo autem ſilentio noctis, cùm Prior, qui tūc alijs præerat, ad eum intrare vellet, & adhuc foris ſtaret, vtcunque longè à domo, oſtijs omnibus clauſis, nec vllo patente foramine, per quod poſſet videri, maximè quòd eſſent tenebræ, dæmon interiùs alta voce clamare cœpit: Modò intrabit ad me, modò intrabit ad me. Modò venit, modò venit magiſter ille cum clauata tunica ſua, maledictus ſit ille. Firmate oſtium firmiter, firmate quā celerrimè, ne poſſit ad me peruenire. Non ceſſit tamen ille, ſed proceſſit, & pulſans oſtium intrauit, ſtanſq; ante illum, dixit: Dic mihi, rogo, quid eſt, quod loqueris? Reſpondit: Interrogáſne quid loquar, an quis ego ſim, qui loquor? Neutrum tibi indicabo. Nunquid tu magiſter es, aut tutor iſtius, aliorúmve ductor? Recede, recede à me quamcitiſſimè, ne à me cū iniuria ignominiosè recedas. At ille certus ſpiritum eſſe nequā, & ad decipiendum ſæpiſſimè veniſſe, qui iā tandē ad perimendum intrauerat, ait: Adiuro te per Ieſum Chriſtum filium Dei, qui tuas in cruce vicit inſidias, & poteſtatē, quā iniuſtè & fraudulenter vſurpaueras in hominem, iuſtè & potēter eripuit, vt quis ſis, celare nō præſumas. Ait: Itáne me cōges? Reſpondit: Nō ego, ſed ille te coget, qui aliàs per crucē vicit te. Et exclamans dæmon ille nequā: Hei mihi, hei mihi, quid agā? Ego ſum ille idē, qui fui in puella Niuigellę coram Nortberto magiſtro tuo, albo cane: maledicta ſit hora, qua natus fuit. Sic certus ille de ſuo & aliorum adeò importuno perſecutore, totū conuocat cōuentum, & hæc omnia indicans, quid faciendū ſit inquirit. Illi, cōſilio inito, timidi tamē, vtpote nouitij, qui hæc experiri nō conſueuerāt, virgis ſe cędunt, ieiunia & orationes inter ſe inſtituunt, aquam in vaſe ad hoc habili benedicunt, & cum proceſſione eò eunt, vbi erat ille dæmon. Cœpit igitur fremere, & cum ſtrepitu magno clamare: Veniant noſtri ad hoc bellum, (plures enim ſumus) & conteremus eos, vt à lapide grana tritici conteri ſolent, prorſuſq; eos delebimus. Cui cùm Prior reſpōderet: Sic facies, ſi à Deo tibi fa|cta erit poteſtas: ille verſus ad eum, extenſis manibus, quaſi ſcindere vellet veſtes, quibus erat indutus, ait: Putas te iſtorum eſſe magiſtrum? Et extendens digitum ad crucē, quam ibi puer tenebat: Ille, inquit, eſt magiſter, non tu. Tua cauſa nihil faciam: ſed ille eſt, à quo torqueor. Dæmones Ieſum Chriſtum crucifixum confitentur & timent: Iudæi legem habentes, & falſi Chriſtiani non agnoſcunt, ſed deteſtantur & rident. Solutus eſt ille, in quo ſpiritus erat nequam: ſed cùm vix à multis circūſtantibus teneri poſſet, iuuenis quidam clericus humilem de vera obedientia, cui totus deditus erat, ſumēs fiduciam, dixit: Præcipiatur mihi per obedientiam, & tenebo eum, non meis, ſed obedientiæ manibus & vinculis. Cui cùm præceptum datum fuiſſet, & alij receſſiſſent, ille ſolus eum tenuit, & vſq; ad aquam benedictam adduxit. Ponitur itaq; in aqua exorcizata, leguntur exorciſmi, fiunt adiurationes, leguntur euangelia, alijs è fratribus flentibus, alijs in oratione, alijs in diſciplinis, vt vocant, corporis aut alijs afflictionibus permanentibus, omnibus tamen mirantibus friuola reſponſa & ridiculos ſermones eius. Quid plura? Tandem poſt nimias & innumerabiles miſerrimi corpuſculi fatigationes, dæmon ſuper linguā dęmoniaci in forma grani nigerrimę lenticulę ſe poſuit, & aperto ore linguaq; exerta, ſe oſtendit, dicens: Ecce ego: ſed propter vos omnes hodiè non egrediar. Cui cùm reſpōderetur, Mendax es, & ab initio in veritate nō ſtetiſti, nec tibi ab aliquo fidelium credendū eſt: non diù pòſt cum fœdiſſimi fœtoris crepitu exiuit, fœda relinquens veſtigia. Mox verò à ſuo tortore corpus vacuatū cecidit, & in lectulum quendā reclinatū, poſt diuturnam recreationē, ab ægritudine illa vix cōualuit.

Importuniſſimus dæmon iuuenē occupat.

S. Nortbertum dæmō vocat albū canem, eiq; maledicit ipſe maledictus.

Nota ſanctæ obediētiæ vim.

Iohan. 8.

Nequiſſimus dęmon expellitur.

CAP. XXIX.

FAtigatis igitur mirabiliter fratribus, & artificioſa huius dæmonis calliditate inquietatis, idem dæmō totius quietis impatiens, cùm locum ſuæ impoſturæ apud ſimplices nullum inueniret, volatu facili, ſicut leuis eſt agilitate naturali, Traiectum, vbi erat pater Nortbertus, repentè adijt, & hominē quendam cuiuſdam principis villicum arripuit. Erat autē in eodem oppido annuę celebritatis dies, quando populus ad huiuſmodi ſolennitates cōuenire ſolet. Et iam multi illic cōuenerant, & ſacerdos Dei Nortbertus in eccleſia, vbi frequentia populi maior erat, Miſſam celebrabat: vbi etiam erat homo ille arreptus à dæmone intra Secreta, qui cū magno tumultu & fremitu vix ligatus tenebatur. Finitis itaq; Miſſarum ſolennijs, oblatus eſt ei ille cum magno ſuffragio plebis circunſtantis, & admirantis rei euentū, & expectantis agonem militis Dei & dæmo-

Mox inuadit alium.

dæmonis. Ille verò, vt erat adhuc ſacris amictus veſtibus, imò Sãcti ſpiritus virtute accinctus, ad debellandũ hoſtem illũ importuniſſimum procedit. Cumq́; quidã circunſtantes fratres dicerent ei, vt ſuæ imbecillitati parceret, & hunc euentũ eſſe fortuitum, neq; oẽs caſus poſſe emendari, ille permotus ait: Neſcitis, fratres, neſcitis, quia inuidia diaboli mors intrauit in orbẽ terrarũ, quæ adhuc in eo perſeuerat, nec reſipiſcẽdi vnquã habebit voluntatem? Iſte ſiquidẽ eò ſe ingerit tã frequenter & importunè, vt & me odioſum reddat, & verbũ Dei, ꝙ per me miniſtratur, in cordibus faciat audientiũ vileſcere, & ab eis, qui illud ſuſceperint, ex innata ſibi arrogantia illud poſſit auferre. Itáne in aurib⁹ veſtris veritatis nõ ſonuit expoſitio, quę dicit: Venit diabolus, vt tollat ſemen verbi Dei de cordibus eorũ? Hæc dixit, & ſtatuto dæmoniaco ante altare, exorciſmum aggreſſus eſt, dæmonem cõpellens vt exiret. Et cùm ſal exorcizatum ori eius immiſiſſet, ille magno impetu in faciẽ & oculos ſacerdotis expuit, dicens: Iã tu cõſilium dediſti, vt in aquã mitterer, vt ibi duriſſimis cęſus flagellis, vſq; ad mortẽ ferè verberer. Fruſtrà niteris: me tua flagella nõ lædunt, minę tuę nõ terrent, mors non cruciat, nec me mortis vincula ligant. Cõſilium, vt præmiſſum eſt, datum erat, vt in aquã exorcizatam mitteretur, ſed eodem furioſo abſente. Cùm ergo circunſtarent Clerus & populus, alij pro curioſitate, alij pro pietate, peſſimus dæmon per os inuaſi hominis multorum flagitioſam vitã & adulteria & fornicationes cœpit detegere, & quicquid confeſſione tectum nõ erat, malitioſo ore ꝓpalare. Hęc audientes, cœperunt omnes hac illacq́; diffugere, paucis cũ patre Nortberto remanentib. Et cùm iã dies eſſet [in]clinata, facto veſpere, fatigati qui aderãt ieiunio & vigilijs noctis p̃cedentis, coëgerunt eum ad hoſpitium, vt requiem pauliſper caperet, membraq́; debilia refectione aliqua refocillaret, & dormitione recrearet. Vbi cùm ad cœnã cum fratribus ſuis & quibuſdã hoſpitib⁹ reſideret, nunciatum eſt ei, quòd æger ille quietus ſederet & ſolutus ante altare, de admiſſis in ipſum & maledictis veniã petens. Gratias itaq; egerunt Deo: reuerà enim nocte illa & die ſequenti curatus videbatur. Habebatur verò inter ciues eiuſdẽ oppidi quoddam exitiale odiũ. cumq́; per totum diẽ pater Nortbertus pro pace componenda laboràſſet, & fauente Dei gratia, eos ad pacẽ reuocàſſet, mox diabolus, qui è cordibus eorum expulſus erat, nõ libenter digrediens, in eundẽ miſerum hominẽ, qui curatus videbatur, ingreſſus eſt. Qui ſtatim cœpit iterùm ſtridere & furere. Reuertenti aũt ab eccleſia ſacerdoti: Neſcis, inquiunt, quia energumenus ille heſternus inſanit? Niſi citiùs ſubueniatur ei, & citò curetur, furore confectus peribit. Reſpondit homo Dei: non iã à ſuo tortore liberari poterit: quia ꝓpter peccata ſua iſthuc patitur. Nam officiũ procuratoris villę gerit, & pro merito ſuo tortori traditus eſt. Sinite eum modò, vt poſtquàm vexauerit eũ hoſtis per aliquot dies, ſatisfactione ſuſcepta, nequiſſimus ille faciliùs expellatur. Sapiens homo doctusq́; paleſtræ cum ſpiritibus immundis exercendę, tribus diebus permiſit eum torqueri & vexari, & poſteà diuina miſeratione ab eo curatus eſt, ita vt mentis ſuæ compos & incolumis ad propria reuerteretur.

Sap. 2.

Matth. 13.

Nota nõ poteſt dæmon impropera re peccata in cõfeſſione detecta.

Curatur dæmoniacus.

CAP. XXX.

EO tempore fama viri Dei propter res præclarè geſtas longè lateq́; peruagante cõpunctus eſt paupertatis ſpiritu Comes quidam Vueſtphaliæ potentiſſimus, Godefridus nomine. Qui acceſſit ad eum, quòd de eo multa audiſſet: ſed cùm auditis maiora, ſpiritu ſancto perdocente, q per eũ operabatur, inueniſſet, omne cõſilium & voluntatẽ ſuam ei aperuit, & qui ſe totum iam Deo deuouerat interiùs, ſine mora de omnibus relinquendis & de paupertate voluntaria amplectenda perdocetur exteriùs. Erat enim diues, potens in armis, vtpote homo iuuenis, p̃dijs multis, ſeruis & ancillis abundans, quibus omnib⁹ mox renuncians, ſe & ſua omnia Deo per manus hominis Dei diſponenda tradidit ea cõditione, vt propriæ domûs, caſtri videlicet Capenbergẽſis, mutaret faſtigia, Deoq́; cõſecranda curaret: vt vbi regnauerat vitiorum execratio, virtutũ illic locum faceret diuinę benedictionis conſecratio. Quid faceret iuuenis, certamen grauiſſimũ ſuſcepturus? Grauiſſimum certamẽ iure dixerim. erat enim illi vxor & frater ipſo iunior, qui modis omnib⁹ eius propoſito ſe opponebant. Cõtradicebant etiam ſerui, ancillæ & oẽs miniſtri eius. Cõtradicebat Comes Fridericus, pater vxoris eius, magna ex parte eleemoſynã, q̃ feciſſet, de dote filiæ ſuæ eſſe dicens. Itaq; manus eius contra hos omnes, & manus horum omnium contra eum. Vicit tandẽ humilis importunitas: vxorq́; coſenſit, & frater, leonino furore depoſito, agninã induit manſuetudinẽ, itemq́; religionis habitũ, quẽ ipſum Comitẽ velle nouerat, cũ illo ſuſcepit. Gauiſus eſt pater Nortbert⁹, gauiſus eſt & Comes, & redditis omnib⁹ Cæſari q̃ Cæſaris erãt, & q̃ Dei Deo retentis, tres de proprijs allodijs eccleſias, ordinãte patre Nortberto, conſtruxit.

Comes quidam cõuertitur, & fit monachus.

Item frater eius.

In

In quibus fratribus collocatis & religione conſtituta, cùm Dei cultus egregiè complectetur, non defuit tentatio, nec malignorum ſpirituum perſecutio. Nam Comes Fridericus, pater vxoris Comitis, ambitioni ſuę indulgens, quòd caſtrũ Capenbergenſe dominatum Vueſtphaliæ tenuiſſet, prætexẽs illud eſſe dotem filiæ ſuæ, comminatus eſt fratribus, niſi quantocyùs ex eo abſcederent, ſe omnes trucidaturum. Aliquoties etiam cum equitatu ſuo illuc vſq; accedebat, patri Nortberto cõminãs, ſi eum cum aſino ipſius poſſet comprehendere, ambos ſe ſuſpenſurum, vt reipſa experiretur quis eſſet eorũ maioris ponderis. Tam ſuperbę orationi, qui aderant, Epiſcopi & alij Principes cõtradicebant, & iram Dei illi comminabantur. Fratres ergo Capenbergenſes in arcto poſiti, nec vllum habentes q ipſos liberaret de manu potẽtis & iniqui, miſerunt ad patrem ſuum, vt ipſos adiuuaret, ſimul hominis ſuperbi verba ei nunciantes. Quo nuncio accepto, collectis virib⁹ fidei & ſpei per eũ & in eũ, qui dixit: Confidite, ego vici mundũ: ad ipſum ſe totum cõtulit, & publicè pronunciauit ſe cum aſino ſuo terram illius ingreſſurum, & copiã ſui ſe facturum. Quid multa? Quãuis iter longum eſſet, tamen aſinum ſuum mutare noluit: ſed tranſito Rheno cũ aſino ſuo, inermis & debilis terram illius Comitis intrauit. Nec longè pòſt ille pacis inimicus lãguore correptus, interijt, & reddidit ſimul finẽ malitiæ & vitę. Sic pacatis omnib⁹, fratribusq; Deũ timentibus electis, in tribus eccleſijs de eodẽ allodio cultum Dei omni tempore peragendum ordinauit, videlicet in Capenbergenſi, * Floſtatenſi, Varlarenſi: in quibus multorum fratrum & ſororum vſq; in hodiernum diem viget congregatio, & in cultu diuino floret honeſta religio.

Iohan. 16.

Nota ſancti viri inſignẽ conſtantiã & mortis contemptũ.

* Elephſtatenſi,

CAP. XXXI.

CVm autem in Franciam reuerteretur, & fama de cõuerſione ſupradicti principis, mirantibus multis, diuulgaretur, quòd cum habitu in monaſteria mutaſſet caſtra, totumq; Comitatum ſeruitio Dei mancipâſſet: exemplo eius commotus & compunctus quidã nobiliſſimus princeps Franciæ, Comes Theobaldus, hominẽ Dei adijt, de ſalute ſua & de remiſſione peccatorum ſuorum ſimili modo conſilium quęſiturus. Conſiderans aũt hominis Dei facundiã, & vultûs elegantiam, & maturitatẽ in verbis & reſponſis eius, pietatis affectu mens eius præ amore dulcedinis Dei & manſuetudinis ſic perfuſa eſt, vt ſtatim ſeipſum totum cum omni poſſeſſione ſua viri Dei permiſerit voluntati. Erat enim & ipſe homo prudens & benè doctus, & ſanam doctrinam ſapientiamq; verborum Dei ſapienter in corde ſuo & laudabiliter colligebat. Sed vir Dei videns generoſi principis pectus nobile, nobilemq; & deuotam, q̃ de ſeipſo benè diuidens offerebat oblationem, & holocauſtũ, ꝙ de cunctis rebus & diuitijs faciebat, paucis diebus ad reſpondendũ acceptis inducijs, Domino Deo cõſilium hoc attentiùs cõmendabat. Didicerat enim principe illũ ampliſſimas habere poſſeſſiones, & caſtra quãplurima, nec cuncta facilè poſſe mancipari alicui religioni, tum propter regni munitionem, tum propter aliorũ multorum nobilium, q eius principis beneficiarij erãt, deſtructionem. Audierat etiam eſſe eũ largiſſimum in p̃ſtandis eleemoſynis, in eccleſijs, monaſterijs & cæteris religioſorum officinis ædificandis, addendisq; cæterarum rerũ neceſſariarum magnis ſubſidijs. Audierat eum patrẽ eſſe orphanorum, tutorem viduarum, nutritorem pauperum, ſolamen leproſorum. Itaq; vir per omnia diſcretus, altenius inſtituti vitã minimè illi cõplectẽdam ſentiebat. Expectabat aũt ille reſpõſum de contemptu mundi & deſerendis omnib. Sed homo Dei, accepto poſt datas inducias diuinitùs conſilio: Nõ erit, inq t, ita. Iugum eñ Domini, vt cœpiſti, cum iugo matrimonij portabis, & ſemen tuum cum benedictione patrum tuorum p̃cedentium terram largiſſimam obtinebit: q a nobis fas nõ eſt in te deſtruere, ꝙ de te diuina diſpoſitio ante omnia ſecula hiſce nouiſſimis temporibus voluit ordinare. Ad q̃ ſic reſpõdit princeps: Si ſic neceſſe cõfirmas, reuerende pater, ex Dei voluntate, Domini eſt terra & plenitudo eius, nec ex ea quiſquam aliquid, niſi per illum obtinebit. Quia igitur ex illo hæc præcipis, nõ habeo contradicere: ſed certum tibi ſit, nullam me ducturum aliam, niſi quã Dominus Deus per te mihi voluerit copulare. Penſet hîc lector, quãta fuerit in viro Dei virtus diſcretionis, qui ex duobus principibus alterũ cuncta voluit relinquere, alteri verò præcepit tanquam nihil habentẽ cuncta poſſidere. Conſiderauit quippe in altero, quòd aliena etiam ab egenis raperet: cõſiderauit in altero, quòd propria egẽtibus largiri non ceſſaret.

Theobald⁹ Comes Bleſenſis.

Præclara laus Theobaldi Comitis.

CAP. XXXII.

COnſtituerat homo Dei iter Romanum ingredi pro ſtatuendo ordine fratrũ ſuorum, & pro confirmandis rebus eorum, ſibi à Deo collatis. Aſſumptis itaq; legatis Comitis, Ratiſponam vſq; eos adduxit. Erat enim Epiſcopus eius ciuitatis nobiliſſimi ſtemmatis, & habebat fratrem Engelbertum, potentiſſimum Marchionem, cui erant

nubilis ætatis filiæ, è quibus vna expetita, Comiti Theobaldo deſpõſa eſt. Reuerſi ſunt legati eius iſthuc nunciantes, & pater Nortbertus cœptum iter proſequens, Romam peruenit: vbi à beatæ memoriæ Papa Honorio honorificè ſuſcept⁹ eſt, & quicquid iuſtè petijt, ab eo facilè impetrauit. Peractis itaq; omnibus, cùm iam de reditu cogitaret, quadã nocte ſummo diluculo, cùm de Deo meditaretur ipſe & quidam ſociorum eius, quos itineris ſolamen habebat, audita eſt vox ab illis manifeſtè, Parthenopolis ipſum fore epiſcopum. His auditis, admirantes ſtupebant, nec audebat quiſquam eorum alius alij indicare, quid audîſſet. Præmiſerat interim vnum ex clericis ſuis, qui nũciaret Comiti reditũ ſuum, & acciperet reſponſum de matrimonio, quod per legatos ſuos audiuiſſet expetitũ. Ipſe verò rediens, tranſitũ habuit per ciuitatẽ Vuirtzenburg ſeu Herbipolim, quæ tunc epiſcopo carebat, coëgeruntq; eũ Clerus & populus Paſcha apud ipſos celebrare. Eo igitur retento, cùm in die ſancto ſummã Miſſam in eccleſia celebraret cũ magna frequẽtia populi, ventumq; fuiſſet ad ſacroſancti Dominici corporis & ſanguinis perceptionẽ, acceſſit ad eum cæca mulier, quæ omnibus nota erat, & eo poſt Dominici corporis & ſanguinis cõmunionem ſufflante in oculos eius, lumen recepit. Vnde cùm omnis illic aſſiſtens populus magnificentiã Dei altis vocibus extolleret, quidã diuites è præcipuis ciuitatis cõpuncti & amore Dei accenſi, ſe & ſua per manus hominis Dei Deo obtulerunt. De quorum facultatibus eccleſia ædificata illic eſt, quæ diuinis cultibus claret vſq; in hodiernum diem. Recordati verò vocis, quã Romæ audierãt ipſe homo Dei & fratres eius, cũ Parthenopolis & Herbipolis, æquè in polis deſinãt, timentes ne in Epiſcopũ aſſumeretur ab ijs, qui ſupra modũ magnificabant eum, celeriter è ciuitate egreſſi ſunt.

Romæ vir ſanctus à Põtifice honorificè accipitur.

Cæcæ reſtituit lumen.

CAP. XXXIII.

Acceptâ igitur poteſtate à Romano Pontifice de inſtitutione propoſita & ſtatuto ordine, cùm ad Præmonſtratũ reuerſus eſſet, ſtatim confirmauit, ꝙ priùs fecerat, videlicet eccleſiã B. Martini, quæ eſt Lauduni ſita in ſuburbio, quam ſub Abbate, cùm adhuc in nimia paupertate eſſet, inſtituerat: quæ quantum in temporali & ſpirituali ædificio creuerit, & plantata in qua terra radices fixerit, arbores ex ea in diuerſas terrarum nationes tranſlatæ dicant, fructus ex ea ſuauiſſimè redolens prædicet, & qui viderunt & cooperatores extiterunt, vſque in æternum ſuccedentes ſuccedentibus præbeant teſtimonium. Ordinari fecit etiam in Viuarienſi eccleſia Abbatem, quam in Sueſſionenſi pago ſuſceperat, vbi & dæmon, qui eum perſequebatur, ad introitum fratrũ, in hominem quendam ſtatim ingreſſus eſt, quem pater Nortbertus, Deo cooperante, hoc modo liberauit. Ille ſiquidem, vt erat ſolitus, herì & nudiuſtertiùs, exierat agriculturam ſuam agere, & dum geminato laboris æſtu ſitiret, ad proximum fontem acceſſit. vbi cùm bibiturus ſe inclinaret, vidit immanem vmbram & terribilẽ in aqua. Qua viſione perterritus, dum temperat ſibi à potu aquæ, erectus videt quaſi ingentem hominem cum terrore quærentem, cuius eſſet. Atq; eo dicto diſparuit, & miſer arreptus à dæmone, furere cœpit. Hora erat pomeridiana, & ille apud villam ad veſperam inuentus, ligatus adductus eſt. Quem cùm pater Nortbertus diligenter intuitus eſſet: Videtis, inquit, quomodò malignus ſpiritus, qui bonis omnibus inuidet, nos etiam hoc in loco odioſos reddere nititur? Vult enim rumorẽ ſpargere, ad ingreſſum noſtrũ hanc infamiæ notam exiſtere, & eius hoc eſſe ſignum, quòd iſta mala præcedant: ſed per gratiam Dei non præualebit. Tunc cœpit hominem exorcizare & ſignare, donec quieſceret, & ſana verba proferret. Quod videntes qui adſtabant, gauiſi ſunt valdè, gratias agentes Deo, & dicentes: Eia benedictus Deus per omnia: modò quieſcere paululùm poteſt hic pater noſter, qui fatigatus longo itinere, huc acceſſit. Sed ille, qui diſcretionem ſpirituum habebat, propiùs accedens, cùm de naribus illius obſeſſi fœtorem putidiſſimum exire ſenſiſſet, ait: Non eſt ita, vt vos putatis: nondum ſpiritus iſte nequam receſſit, ſed latitat in calamo iſto, & verba compoſita loquitur diuinæ virtutis timore, vt non expellatur, ſed nobis recedentibus acriùs hunc miſerum valeat cruciare. Attamen ſine cauſa non eſt traditus iſte aduerſariæ poteſtati. Permittamus eum hac nocte pœnas debitas ſoluere, orantes pro eo, & forſitan cras faciliùs miſerebitur eius Deus. Et ſic factum eſt. Sed rei veritas & ſubſecutæ veritatis indicia, vera comprobauerunt eſſe verba ſacerdotis. Nam vt receſſerunt ab eo, cœpit arreptitius ille multo nequiùs ſtridere & furere, quàm priùs feciſſet. In craſtinum autem homo Dei reuerſus eſt ad eum, & in conſpectu innumeræ plebis, quaſi ad ſpectaculum adſtantis, ſanus per Dei gratiam redditus eſt æger, & ad domum propriam cum omni ſenſûs integritate reuerſus.

Abbatia S. Martini Laudunẽſis multũ proficit.

Inuidentia maligni dæmonis.

Dæmoniacus ſanatur

CAP. XXXIIII.

NOn eſt autem prætereundum, quare vocatus fuerit ad ſuſcipiendam Antuerpienſem eccleſiam. Eſt Antuerpia oppidum ampliſſimum & populoſum, in quo vnus erat tantùm ſacerdos, qui curam totius populi ibidem commorãtis gerebat. Sed præ nimia multitudine & frequenti negligentia non poterat: nec credebatur ei, quòd & ipſe quaſi in coniugio & copula carnali, neptem ſuam in tertio gradu manifeſtè ſociam ſui ſceleris haberet. Hanc ob cauſam populus ille, quaſi grex abſque paſtore, per multos errorum anfractus deuiabat. Vnde contigit, vt hæreticus quidam miræ ſubtilitatis & ſeductor, Tanchelinus nomine, illuc adueniens, in eadem gente locum ſuæ impoſturæ inueniret. Erat is omnium hominum ſceleratiſſimus, Deiq; & omnium ſacramentorum eius, totiusq; religionis & Chriſtianæ fidei hoſtis, ita vt miniſterium Epiſcoporum & ſacerdotum nihil eſſe diceret, & ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti perceptionem, ad ſalutem perpetuam prodeſſe negaret. Itaq; illum populum, cui iam per multa tempora veritas horum nunciata nõ fuerat, in hos errores induxit. Credebant ei, & ſequebãtur eum circiter tria millia armatorum, nec erat Dux aut Epiſcopus vel princeps, qui auderet ei reſiſtere vel occurrere, nec ante eum, niſi ſectam eius amplecteretur, apparere. Cum precioſo apparatu in veſtibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auro intexto ligamine triplicatis incedebat, verbisq; perſuaſibilibus magnisq; conuiuiorum apparatibus beneuolentiam eorum ad ſeducendos eos exhauriebat. Res mira & ſtupenda: lotiones eius bibebant, & reliquiarum loco abſportantes recondebant. Et cùm filias in matrum præſentia, ſpõſasq; maritis videntibus corrumperet, opus ſpirituale id eſſe aſſerebat, intantùm, vt infelicem ſe diceret, qui huic coniunctioni nefariæ miſceri non meruiſſet. Hæc turpiſſima & deteſtanda hominis impoſtura etiam poſt mortem eius extirpari nullatenùs potuit, licet duodecim clericorum congregatio ab Epiſcopo in ſubſidium ſacerdotis, qui ſolus erat in eccleſia ſancti Michaelis, inſtituta eſſet. Tum verò clerici & charitate & euidenti neceſſitate cogente, patri Nortberto & fratribus eius per manum Epiſcopi hanc eccleſiam cum quibuſdam redditibus dederunt, confidentes, quòd Deus meritis illius & fratrum, mortiferæ peſtis auferret ſæuitiam, & tenebris ignorantię depulſis, lumen veritatis repararet. Suſcepta eſt eccleſia, & clerici in eodem oppido aliam ſibi ædificauerunt: quæ vtręq; manent vſq; in hodiernum diem, Dei ſeruitio mancipatæ. At pater Nortbertus, peritos fratres ibi collocauit, qui mortifero vulneri vitale medicamentum apponerent. Itaq; cœperunt & ipſi ſeminare verbum Dei, & eloquia dulcia faucibus eorum ſuper mel & fauum propinare, infirmis pulmentum dulcedinis miniſtrantes, & debilibus panem, qui cor hominis confirmat, & vitam præſtat æternam, annunciantes. Aiebant enim: Fratres ne miremini, & ne timeatis: vos per ignorantiam ſecuti eſtis mendacium, veritatem eſſe exiſtimãtes. Quam ſi quis priùs vos edocuiſſet, vt faciles inuenti eſtis ad perditionem, ſic faciliores fuiſſetis ad ſalutem conſequendam. Audientes ergo quidam verbum, & videntes opera, quæ ſequebantur, compuncti reuertentes viri & mulieres, corpus Dominicum, quod in ciſtis vel in foraminibus per decem aut quindecim & eo ampliùs annos abdiderant, reportabant.

Tanchelinus hæreticus dementat Antuerpienſes.

Vide nefariam & planè Cynicã hæretici turpitudinem.

Eccleſia B. Mariæ extruitur Antuerpiæ.

CAP. XXXV.

CVm quadam nocte Præmonſtrati cum quibuſdam fratribus infirmis & minutis plùs ſolito reſediſſet, de ſpe cæleſti & beatitudinis gloria conferens, & conferentes audiens, cùm in ſecretæ noctis ſilentio quidam ex eis ſitirent, miſſum eſt ad fontẽ, vt afferretur aqua. Reuertentibus igitur, qui miſſi fuerant, ſtatim vt oſtium cellulæ ingreſſi ſunt: Quare, inquit vir Dei, aquam immundam huc attuliſtis? At illi timentes, ſtupebant, & vas benè lotum & aquam puriſſimam ſe attuliſſe proteſtabantur. Cumq; de vrna in ſcyphum effunderetur, ſemel atq; iterùm iuſſit aquam infuſam effundi, omninò prohibens, ne quis ex ea vel pauxillum guſtaret. & cùm tertiò vſq; ad fundum vrnæ ventum eſſet, accenſoq; lumine clariùs intuerentur, viderunt bufonẽ miræ magnitudinis in ſcypho reptantem, & obſtupuerunt. Obſtupeſcere iure poterant, & ſupra modum mirari, tum quia hyems erat, quando huiuſmodi vermes apparere non ſolent: tum quia fons erat puriſſimus, & vas mundiſſimum fuiſſe recordabantur. Videns eos attonitos pater Nortbertus: Quid, inquit, fratres miramini? Mille artifex eſt ille ſpiritus nequam, qui nos hoſtiliter perſequitur: ſed proijcite eum: quia maior eius eſt verſutia & arrogantia, quàm fortitudo. Quid, quæſo, de hoc viro ſentiendum eſt? Nunquid ille ſpiritibus immundis tã ſubtili ratione obuiare potuiſſet, niſi ſancti ſpiritus infuſio & gratia abundans eum docuiſſet?

Vir ſanctus diuinitùs cognoſcit dæmonẽ in bufonis ſpecie latere in vaſe.

CAP. XXXVI.

ALio tempore,cùm ad ligna cædenda fratres quidam in ſylua fuiſſent, inuenerūt lupum capreolum deuorantem. Exclamantes autem fugauerunt eum, & acce-pta præda,quam lupi rapacitas ceperat,detulerunt ſecum domum, & in angulo quo-dam nihil mali ſuſpicantes ſuſpenderunt. At lupus,quaſi de iniuria ſibi illata conque-rens,ſequebatur eos, & ad oſtium domûs,quam illi fuerant ingreſſi, vt canis quidā do-meſticus,reſidens,quod ſibi ablatum fuerat,repetere videbatur. Neſciētes autem qui aduentabant,quod factum fuerat,exclamabant contra eum,vt fieri ſolet,vt eum in fu-gam compellerent. At ille vultu domeſtico reſpiciens ad eos,immobilis permanebat. Quod cùm viro Dei nunciatum fuiſſet,conuocatis fratribus cunctis, percontabatur quidnam eſſet,dicens non ſine cauſa tam rabidum animal eiuſmodi frōtem ſumpſiſ-ſe. Timentes verò fratres illi,qui cauſæ conſcij erant,proceſſerunt in publicum, & ve-niam petentes,narrauerunt ea,quæ geſta fuerant. Quod vir Dei audiens,ait: Reddite ei quod ſuum eſt. iniuſtè enim egiſtis,tollentes quod veſtrum non erat. Accepta deniq; lupus præda ſua,neminem lædens,placidè receſſit.

Vide rem miram.

CAP. XXXVII.

QVidam etiam puero paſtori ouium quærenti, cùm canes non haberet, ſi lupus ei ouem auferret,quid faceret,ioco reſponſum eſt,vt nomine magiſtri ſui præcipe-ret,ne auderet eam deuorare vel lædere. Non diù pòſt more ſolito ſeruante eo oues in agro,lupus veniens vnam ex eis rapuit,& concito curſu aufugit. Quem frater pro-cùl adſpiciens,præcepti non immemor,alta voce clamare cœpit: Quò fugis, ô malig-niſſime raptor,ſolito velocior? Depone ouem,depone,inquam: ex parte magiſtri mei hoc tibi præcipio,& non lædas eam,nec longiùs abſportare auſus ſis. Mox lupus ouē illæſam depoſuit,& ille feſtinus in humeros ſublatam, ad alias eam reportauit. Cùm die alio miſſus fuiſſet frater quidam in agrum ad animalia cuſtodiēda,lupus eis per to-tum diem eo præſente,adſtitit,& quaſi cuſtodiæ ferens ſolatium, nullam præ ſe fere-bat feritatem. Cumq; appropinquante veſpera,hora eſſet vt grex introduceretur,ſic-ut ex altera parte frater,ita ex altera parte lupus gregem intrare compellebat. Intro-ducto verò grege,cùm frater ianuam clauſiſſet,lupo excluſo, ille quaſi de illata iniu-ria conquerens,& mercedem ſibi debitam reddi poſtulans,pede prout poterat, pulſa-bat ianuam. Pulſabat crebris ictibus,ſe velle intrare indicans,& alicuius alimenti por-tionem accipere. Quod cùm vir Dei audiſſet: Quare,inquit,pulſanti hoſpiti non ape-ritis? Cui cùm reſponderetur, non hoſpitem,ſed lupum eſſe,qui ſe importunè ingere-ret,nec propter ipſos omnes vellet recedere, aduocatis fratribus percontabatur, qua occaſione illuc veniſſet. Sed cùm tacerent omnes,accerſito clerico illo,ſciſcitabatur, quis iuuiſſet ipſum in cuſtodia gregis. At ille indicare,quod ei contigerat, timens, nec tamen interrogata celare auſus, ait: Illa fera pulſat ad oſtium,quæ hodiè mecum fuit, & gregem mihi commiſſum,haud aliter acſi commiſſus ſibi fuiſſet,mecum,donec in-tra ianuam introduceretur,conſeruauit. Audiens hęc vir Dei: Date ei, inquit, aliquod pabulum: mercedem enim de impēſo ſeruitio requirit: quia dignus eſt operarius mer-cede ſua. Cumque ad præceptum viri Dei carnes ei proiectæ fuiſſent, quaſi pro mer-cede rapuit eas,& receſſit. Qui etiam non diù pòſt de manu cuiuſdam pueri vitulos ſer-uantis,panem accepit. Quid eſt hoc, fratres? Ecce rabidæ feræ, rationis expertes, man-ſueſcunt,& hominibus obediunt: homo rationalis claudit aurem,& non obedit,quaſi qui finxit eum,non conſideret. Non audit miſer homo, quia cùm placuerint viæ eius Deo,omnes inimici eius pacifici erunt.

Res admiratione digna. *Lupus fit custos gregis.* *Luc. 10.* *Lupus manſueſcit.* *Prouer. 16.*

CAP. XXXVIII.

ARte multimoda hoſtis ille perſequebatur aciem,ad ipſum debellandum ordina-tam, intantùm vt vix quiſquam ex ipſis,poſtquàm noctis tenebræ aduentarent, alicubi exire auderet. Sed cùm vnus,cui multùm inſidiabatur,ſe modicę fidei eſſe di-ceret & ſeipſum reprahendens,aſſumpſiſſet fiduciam,& ſolus pro ſingulari quadā ne-ceſſitate exijſſet,adſtitit dæmō corā eo,terribilis valdè hominis effigie aſſumpta,& ad-ſpectu nigerrimo incedens,& quaſi ipſum eſſet in aërē delaturus,minas intentans. Ille autem fidei collectis viribus,& vigore animi reſumpto,intra ſe dicebat: Quandiù hæc importuniſſimi inimici figmenta & phantaſias patiar? Et ſurgens appræhendere eum voluit: ſed dæmon in fugam verſus eſt. Ille verò fugientem velociter inſequitur,& ve-niens ad arborem,quæ propè ſtabat,luctari cœpit cum ea, dæmonem cupiens tenere & ligare. Sed paruo interuallo facto, reſpiciens recognouit eam eſſe arborem, quam

Valdè infeſtus eſt ſatā fratribus Præmōſtratenſis inſtituti.

ibidem

ibidem eſſe non erat. Et hac animi virtute venenoſi ſerpẽtis illuſione deuicta, nullum poſteà ei⁹ timorem paſſus eſt. Sed & alium ſimili modo aggredi præſumpſit, eundem timorem ei incutiens, viſibiliter illi adſtans, cùm reſideret ille ad opus naturæ neceſſarium. Nec mouebatur vterq; de loco ab initio nocturnarum precum vſq; ad finẽ. Sed vicit tandem probitas opportuna fratris improbam importunitatem dæmonis. Nam ſurgens, ſigno Crucis expreſſo, per oſtium, quod à dæmone occupatum videbatur, exijt, & neminem obſiſtentem inueniens, quòd talis illuſio nec ipſi nec alicui nocere poſſet, perſpicuè cognouit. Et liber iã ab hoc vano timore permãſit, libertate ſancti ſpiritus donatus, qua poſteà minimè fuit deſtitutus. Contemnẽda ſunt dæmonum terriculamẽta.

CAP. XXXIX.

CVm vir Dei Nortbertus noctem quandam totam inſomnem orando trãſegiſſet, ſtans ante altare oratorij, quod in primordio conuerſionis ſuæ in Præmonſtratẽſi loco ſuſceperat, adſtitit retro eum ſatan inſtar horribilis vrſi, dẽtibus & vngulis terribilẽ præ ſe ſpeciem ferens. Cumq; verteret ſe homo Dei, & vellet procedere, vt mẽbra debilia modico ſomno recrearet, ex improuiſo videns adſtantem belluam, expauit. Sed ilicò ad ſe reuerſus, & oſtium oratorij clauſum conſiderans, nec alicuius intrãtis ſonitum ſe priùs audiſſe recordans, perſecutoris ſui cognouit eſſe inſidias. Et parũper orando, viribus reſumptis, ait Quid expectas cruenta beſtia? Vngulæ tuæ inanes ſunt, & horribiles dentes tui ventus, & hirſuta pellis tua fumus & vapor inaniter tranſiens, & velut vmbra, quæ ſole recedente diſpáret. Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei, lux cùm eſſes, in tenebras ſuperbiendo corruiſti. Recede nunc, præcipio tibi: quia nulla conuentio Chriſti ad Belial, nulla ſocietas luci ad tenebras, nulla pars fideli cum infideli. Recede ocyùs: ſcis nulli nocere te poſſe, niſi permittat Deus: nec niſi illis, qui peccando tuæ ſubditi ſint poteſtati. Et his dictis mendax ille, verba veritatis ferre nõ ſuſtinens, diſparuit. Vrſi ſpecie ſatã fruſtrà terrere nititur virum Dei. Ezech. 28. 2. Cor. 6.

CAP. XL.

IAm tunc tempus aduenerat, quo ad certum diem per internuncios loco etiam præfixo, Comes Theobaldus ſponſæ ſuæ & patri eius occurrere debebat. Et inuitato patre Nortberto, qui coniunctionis huius ſuaſor fuerat, ſecum illum vſq; ad eundem locum perduxit. Quò cùm peruentum fuiſſet, nõ inuenerunt eam. ſubſtiterat enim in via, graui morbo detenta. Qua de re cùm omnes, qui cum eo aderant, mirarentur, alicuius pœnitudinis & fraudis cauſam ſuſpicantes, conſilio inito magnis precibus rogatus eſt pater Nortbertus, vt procederet in occurſum eius, & renunciaret, vtrúmne vera aliqua eſſet huius dilationis occaſio. Acquieuit homo precibus deprecantium, ſuum etiam dedecus fore putans, ſi non ad finem vſq; perduceret curam, quam eius matrimonij conficiendi cauſa ſuſcepiſſet. Et accepta certa pecuniæ ſumma, miſit eam fratribus ſuis Præmonſtratenſibus, qui eo abſente quingentos pauperes paſcendos ſuſceperant, tempus enim famis erat, & alimẽta ſibi & pauperibus emebant. Et quia hoc nomine eis ſuccenſuerat, præcepit in nomine ſuo centum viginti pauperes addi, ita vt centum ex eis plenam haberent è cibo communi refectionem: tredecim verò in hoſpitali domo pane & carne ac vino recrearentur: ſeptem autem cum canonicis eſſent in refectorio. Culpam enim, qua Deum & fratres ſe offendiſſe credebat, quòd diſplicuiſſet ipſi humanitas & opus miſericordiæ, quod in fide Ieſu Chriſti in pauperes declarandum ſuſceperant, ſic remitti & expiari putabat. Non enim arbitrabatur ad eos vltrà ſe reuerſurum, nec volebat alicuius offenſionis notam apud eos relinquere, quos eſſe ſciebat in Dei, & ſua, & omnium fidelium congregatos dilectione, etiam in hoc magiſtri ſequens exemplum, qui cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Deinde perrexit ire, quò mittebatur. Et veniens Spiram, Saxones & clericos Parthenopolis ciuitatis ex magna parte ad eligendum Archiepiſcopum coram rege Lothario congregatos inuenit. Qui audientes eum adueniſſe hominem, quem per diuerſas terrarum nationes virum ſanctum populus affirmaret, vocauerunt eum, tum ad ſermonem faciendum, in quo libenter audiri ſolebat, tum ad audiendum conſiliũ ſuper negocijs quibuſdam, quod quorundã ex ijs, qui conuenerant, neceſſitas expoſcèret. Et primò quidem Parthenopolitanorum cauſa, qui patre orbati erant, agebatur. Aderat ibidem quidam Cardinalis, qui à Romana ſede recèns aduenerat, & aliorum principum innumera multitudo: & in electione, eorum conſilio, tres nominati ſunt, quorum vnus erat pater Nortbertus, ſed eo ignorante. Factum eſt autem, cùm illi hæſitarent, & è tribus optimum ſibi cuperent, digito latenter ex aduerſo latere innuit eis Primicerius Metenſis Albero, qui poſteà Treuirenſis eccleſiæ Archiepiſcopus fuit, Liberalitas Præmonſtratenſium in pauperes. Iohan. 13.

Vt virum Dei Nortbertum aſſumerent. Qui ſtatim porrectis manibus eum arripiunt, vocibus iteratis exclamantes: Hunc in patrem noſtrum eligimus, hunc paſtorem noſtrum approbamus. Non potuit ſe homo debilis defendere, non licuit ei cogitare, nec cogitãdo quicquam de ſeipſo conſtituere, ſed ſimulatq; raptus eſt, à rege commendatus eſt, & ab omnibus adſtantibus approbatus, ab ipſo etiam Romanæ Eccleſiæ legato confirmatus. Deducitur ergo homo Dei graue onus ſecum portans, deducitur ad locum, quem non nouerat. Ita ille, qui gentem neglexerat paganorum incredulam, ad quam in primordio conuerſionis ſuæ ire conſtituerat, vt miſeros ab errore infidelitatis reuocaret: nunc authoritatem & officium ſecum ferens, vnde diſpoſitionem diuinam putauit effugere, inde cogitur obedientiam manifeſtè ſubire.

Creatur vir Dei Magdeburgi Epiſcopus.

CAP. XLI.

FVit itaq; ad introitum eius populi concurſus innumerabilis, & congratulabantur omnes maioris ætatis & minoris: Maiores, quòd celebrem & magni nominis perſonam elegiſſent: minores, quòd eum, qui infirmitatibus eorum compateretur, recipere meruiſſent. Procùl autem adſpiciens ciuitatem illam, ad quam ducebatur, nudatis pedibus incedebat. Inde cum proceſſione deducitur in palatium, ſed vt pauper, pauperè amictus pallio, alijs introeuntibus, repellitur non agnitus ab oſtiario. Dicebat quippe oſtiarius illi: Alij pauperes iamdiù intromiſſi ſunt: non decet, vt te ingeras importunè, conprimens horum principum multitudinem. Exclamabant autem, qui ſequebantur, hæc videntes: Miſer, quid agis? Sine miſer: quid eſt, quod feciſti? Nunquid non nôſti, quia iſte eſt epiſcopus noſter, & dominus tuus? At ille confeſtim aufugiens latitabat, patre Nortberto eum reuocante, & ſubridendo dicente: Ne timeas, & ne fugias, mi frater. Meliùs enim me nôſti & perſpicaciori oculo intueris, quàm illi, qui ad hæc alta palatia me compellunt, ad quæ non debueram, qui tam pauper & modicus appareo, ſublimari.

Vide ſancti viri humilitatè in tanto honore.

CAP. XLII.

COnſecratus igitur & epiſcopus factus, & in epiſcopali cathedra ſublimatus, nõ immemor illius Apoſtolici præcepti, Epiſcopum ſuæ domui eſſe benè præpoſitum: conuocatis præfectis domûs & cunctis miniſtris, perquirebat qui eſſent redditus epiſcopalis menſæ, & vbi & quinam illi, qui ſingulis præeſſe deberent. Et cùm annumerata cuncta fuiſſent & ſcriptis cõmendata, & qui ex ipſis ſumptus debebãtur, vix ſunt ex omnibus inuenta, quæ quatuor menſibus anni poſſent ſufficere. Admiratus ſupra mõdum Dei ſacerdos, interrogabat diligẽter, vtrum'ne ampliori prædiorum poſſeſſione antiquitùs inſtructa eſſet eccleſia, an ab aliquibus qui illi ante ipſum præfuiſſent, quæ iuris eius erant, minùs cautè conſeruando eſſent diſperſa. Cognita autem veritate, quòd nobilis fuiſſet eccleſia, & à regia maieſtate fundata & ſublimata, liberaliterq; dotata & aucta, Vbi ſunt ergo hęc, inquit, aut qua ratione ab ea & à vobis ſunt abalienata? Aiunt illi: Quidam ex deceſſoribus tuis nimiùm ſuæ carnis affectibus indulgẽtes, fratribus & propinquis & parentibus ſuis alia prædia largiti ſunt, alia permiſerunt. Alij verò ijs ſuccedentes, quædam feudi vel beneficij loco dederunt. Alij remiſſiùs ſe habentes, & à potẽtibus oppreſſi, defendere nõ valentes, quæ iuris erant eccleſiæ, quædã perdiderunt. & ſic imminutæ ſunt, & penitùs ad nihilum redactæ cunctæ res, q̃ huic dignitati ſeruire ſolebant. Audiens hæc vir Dei, memor illius, quòd maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius: collectis viribus in eo & per eum, à quo ſe vocatum ad hoc officium adminiſtrandum nõ diffidebat, imperterritus iubare poteſtatis aſſumpto, legationem vndiq; mittit, præcipiens vt quicunq; poſſeſſiones eccleſiæ, cui Deo authore præſideret, iniuſtè obtinerent, nullo pacto deinceps eas ſibi vendicare auſi eſſent, niſi priùs oſtendiſſent, eas ad ſe iure hæreditario eſſe deuolutas. Audientes hæc raptores & ſacrilegi illi, multùm indignabãtur, quòd homo inermis & pauper, qui aſino vehente introductus eſſet, tam potẽs tamq; feſtinum auderet edictum proponere, quod tamẽ pro nihilo putabant, nihil ex iis, quę violenter poſſederant, ſe perdituros exiſtimantes. At ille gladio ſpirituali, quo accinctus erat, eos perſequitur, in ſua quiete permanẽs aggreditur, percutit, deijcit, deiectos anathematis vinculo ligat. At illi eam perſecutionem Epiſcopo facilem, ſibi diuturnã & grauem eſſe non ignorantes, quandoquidem præcipit authoritas, qui anathema vnius anni patiuntur, eos poſt annum * exleges, nec in aulis aliquod habere reſpõſum: dimiſerunt magna ex parte ea, quæ de beneficijs eccleſiæ ſibi pręter ius faſq; vſurpãrãt. Sed faciebant id ſanè inuiti, & ob hoc inimicitiarum & odij fomitem aduersùs Epiſcopum, vtcunq; & vbicunq; poterant, latenter miniſtrabant. Sed ille, qui viam iuſtitiæ & cur-

1.Tim.3.

Admodùm imminutos inuenit prouentus Eccleſiæ Magdeburgenſis.

Ierem.17.

Perſequitur vſurpatores rerum eccleſiaſticarum.

curſum recti itineris ante epiſcopatum tenuerat, immobilis permanebat, prędicãs verbum & regnum Dei annuncians, pacemq́; in terminis ſuis faciẽs, domos religioſorum exaltans, & vbi non erant, nouas conſtruens: religioſos amplexans & ordinans, diſſolutis & irreligioſis, niſi reſipiſcerent, afferens aſſiduas perſecutiones, Decanis, & ſacerdotibus, & ijs, qui habebãt regere populum, omnibus ad ſacros ordines promotis, modis omnibus caſtimoniam ſectandam eſſe dicebat, cogens eos eam ſeruare: aut, ſi eſsẽt notorij, cuncta eccleſiaſtica beneficia relinquere. Initia dolorum & occaſio perſecutionum, omnia hæc. Dicebant enim de die in diem, ſuam quiſque, quam ægrè ferebãt, moleſtiam conquerentes: Vt quid hunc aduentitium & cuius ignorabamus conſuetudines, ſuper nos regnare voluimus? Contrarius quidem eſt operibus & conſuetudinibus noſtris, ſuprà quàm ferre poſſimus. Sic qui priùs immenſis laudibus eleuabatur, nunc vituperijs & improperijs deijcitur: ſed tamen proficiebat in opere exteriùs, ipſo diſpenſante, qui cuncta exteriora, priuſquàm fiant, ordinare conſueuit interiùs. Nota ſancti Epiſcopi ſtudia.

CAP. XLIII.

ERat ante palatium epiſcopale haud longè ſita eccleſia in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in qua viginti erant canonici ſeculares, ſub Prępoſito antiquitùs cõſtituti. Hanc ergo cùm præuidiſſet ſacerdos Dei ſibi eſſe neceſſariam, vt ibi fratribus ſuis repoſitis, aliquando à tumultu, qui officio impoſito debebatur, paululùm ſpiritũ refocillaret, petebat multoties & à rege & à canonicis tum maioris, tum huius eccleſiæ, vt alibi ab ipſo aliis æqua vel meliori commutatione redditibus acceptis, illam ſibi liberam concederent. At illi omnes vna voce contradicebant, aſſerentes eccleſiam tanti nominis non debere immutari, nec regiæ dignitatis poteſtatem, cui erat ſubdita, imminui: ſed nec alterius ordinis & conſuetudinis gentem introduci: quæ iura regalia ignoraret, & ſubiectionem debitam & officia pro conſuetudine ipſorum præſtare neſciret. Paſſus eſt hanc per aliquot annos repulſam, ſed vicit tandem in petitione humiliter perſeuerans: vicit quidem ratione, qua premebat eos: vicit & conſtantia, qua nouerant eum à bonis initijs vſq; ad finem nunquam velle deſiſtere. Amotis ergo clericis illis, & ſingulis vbi vellent collocatis, fratres ſui ordinis, ſicut diù concupierat, in eã eccleſiam induxit, vbi etiam ſe viuente ſecundùm ordinem inſtitutum, & poſt deceſſum ſuum perpetuis temporibus Dei cultum proſequendum conſtituit. In eccleſia S. Mariæ collocat ſui inſtituti fratres.

XLIIII.

CReuit fratrum numerus & multiplicati ſunt, & in Saxonia, vbi religio tepuerat: & in Sclauonia, vbi nulla erat. Radicati fructuoſo germine floruerunt, multiplicati ſunt, vt quondam Hebræi. Fremuerunt Saxones, fremuerunt Parthenopolitani, odioq́; & inuidia aduersùs hominẽ Dei inualeſcente, ipſe in Deo ſpem & fiduciã habẽs, & aliorũ inſtitutorum cõgregationes propagare non ceſſabat. Iam autem aduenerat dies ille ſanctiſſimus & celeberrimus Cœnę Domini, in quo pœnitẽtes recõciliandos ſanctorum patrum decreuit authoritas, in quo agnus ille innocens ad conciliandas inimicitias inter Deum & hominem captus eſt & ductus ad immolandum: & ecce ad oſtium loci illius, in quo ſacerdos Dei confeſſiones recipiebat, adſtitit quidam amictus pallio ſub pœnitentis ſpecie, obnixè oſtiarium rogans, vt ad confitendum intrare ei liceret ad Epiſcopum. Hoc cùm oſtiarius viro Dei indicâſſet: Noli, inquit, ille, intromittere eum. Et cùm ex præcepto domini ſui diceret paululùm expectandum eſſe, ille magis inſtabat vt introduceretur. Sic perſeuerauit pulſus nec intromiſſus eſt, donec receſſit alia multitudo, quæ conuenerat ad confitendum: & tunc nouiſſimè illi copia intrandi data eſt. Quem cùm procùl vir Dei diligenter inſpexiſſet, ait: Noli huc propiùs accedere, ſed ſta & vide ne moueas pedem. Aduocatiſque de miniſtris palatij, qui foris aderant, præcepit eis vt adſtantem iuuenem pallio, quo obuolutus erat, nudarent. Nudato autem eo, apparuit cultellus acutus, quem adſtrictum lateri ſuo tenebat, cuius erat longitudo ferè pedis & dimidij. Itaque cum eodem, iubente Epiſcopo, cunctis qui aderant intuentibus, ante eum adductus eſt. Cumque quæreretur ab eo, cur ſic armatus veniſſet, tremens ac ſtupens, vtpote ineffabilis & nefandæ crudelitatis conſcius, mortem timens, procidit ad pedes eius, & quia ad ipſum interficiendum miſſus fuiſſet, confeſſus eſt. Nominatiſq; illis à quibus erat conductus, quorumque inſtinctu & conſilio venerat ad tam execrabile facinus perpetrandum, cuncti qui aderant, ſupra modum mirabantur, quod proditionis huius rei inuenti eſſent etiam illi, qui de præcipuis negocijs & ſecretioribus conſilijs cum eo tractare conſueuerant. At vir iuſtus, vt erat hilari facie & vultu ſereno, ad eos reſpiciens, ait: Quid miramini, ſi vas ſuum hoſtis antiquus recognouit, & in membris Chriſti opus

Nota, vt cordis arcana diuinitùs cognôrit.

Sicarius ſub ſpecie pœnitẽtis immittitur ad cædendum virum Dei.

ſuum

ſuum exercere nititur, quod in hac ſacratiſſima nocte in ſancto capite noſtro Ieſu Chriſto non timuit efficere? O quàm felix eſſet, qui in aliqua huius diei hora non ab inimicis, ſed etiã ab amicis, vt ſunt iſti, quos recitatos audiſtis, traderetur & moreretur. Hæc eſt dies, qua deſperatis miſericordia, peccantibus venia, mortuis redditur vita. Attamen ille traditor in cuſtodia ponitur, non vt puniatur, ſed vt ſuffragatorum ſuorum conſilium detegatur, & in eis ignominia tanti ſceleris caſtigetur. Quid igitur? Num ſcire poterat homo Dei, quid ille, qui confeſſionis & pœnitentiæ cauſa venire ſe ſimulabat, ſub veſte ferret, niſi gratia ſuperabundans eum docuiſſet?

CAP. XLV.

CVm quodam noctis tempore ad celebranda cum clericis ſuis matutinarum ſolennia more ſolito ſurrexiſſet, aduenerat clericus quidam de domeſticis, & retrò ſe ad oſtium in inſidijs poſuerat, iniquitate plenus & crudeli malitia, vtpote armatus congruis armis, quibus innocentem in dolo ferire poſſet & interficere. Egreſſiſq; Capellanis, qui præcedebant, ſicut mos eſt in terra illa: (præcedunt enim dominos ſuos Capellani) ſed ille de inſidijs proſiliens, nouiſſimum, putans eum eſſe Epiſcopum, ſed erat ex clericis, veſte conſciſſa percuſſit. Cumque ille exclamaret & diceret: Quis eſt, qui me lædit? ille ex ſono vocis non eſſe ipſum, quem quærebat, agnoſcens: Putaui, inquit, hunc nouiſſimum eſſe, quem iugulare volebam. Præceſſerat enim Epiſcopus cõmixtim inter alios, eundem caſum quaſi futurorum præſcius timens. At ille concito curſu in fugam verſus eſt, & cùm alij ad capiendum illum inſequerentur, Epiſcopus ait: Sinite eum fugere, nec malum pro malo reddatis: fecit quippe quod potuit, & quãtum ei Deus permittere voluit. Nondum venit hora mea: ſed qui miſerunt illum, nõ dormiunt nec quieſcunt, donec opprobrijs ſatientur, & me vel morti tradãt, vel, ſi diuinum ſit opus, quod agitur de me, manifeſtè probatum reddant.

Alius quidã nititur percutere eum.

CAP. XLVI.

ORbatus grex puſillus Pręmonſtratenſis eccleſię tanto patre, ipſum per biennium patienter expectabant, alijs ex ipſis cum quibuſdam ſecularibus dicentibus: ſubſiſtere nequaquàm poterimus, quia recedente paſtore, oues abire ſolent in diſperſionem: alij nullum magiſtrum, niſi ipſum: alij de ipſo deſperantes, alium volebant eligere. Quod cùm viro Dei relatum fuiſſet, timens ne areſceret, quod à Deo per ipſum plantatum fuerat, ſi adhuc rore diuini conſilij non perfunderetur: aduocatis ad ſe quibuſdam ex prioribus & maioris & ſanioris conſilij fratribus, perquirebat ab eis, quid facto opùs eſſet, ſingulatim perſcrutans de voluntatibus eorum, vt per omnia in definitione ſui operis certior redderetur. Cumque intellexiſſet alios ſecum velle habitare, alios conſilio ſuo alibi velle viuere, alios propoſitę paupertatis votum velle tenere, plurimos tamẽ ſub certo magiſtro & diſciplina eundem paupertatis tenorem velle obſeruare, remiſit eos ad locum ſuum, paucis ſecum retentis, ad pacis & vnanimitatis ſtudium iterùm atq; iterùm eos adhortans, vt cùm eis ab ipſo facultas eligẽdi patrem conceſſa fuerit, concordia Ieſu Chriſti & dilectio, quã docuiſſet, in ipſis inueniretur. Receſſerunt illi, & bonus pater non immemor filiorum, quos in Chriſto genuerat, ne diù abſq; magiſtro remanerẽt, fideles nõ diù pòſt nuncios ad eos miſit, qui & eligendi facultatem, & de ipſa electione eius indicarent voluntatem. Electione igitur approbata à filijs, vt erat à patre dat9 aſſenſus, reuerſi ſunt ad eũ, qui fuerãt miſſi, voluntatis ei9 præceptum completum eſſe nunciantes. Habebat autem ipſe electum ſecum, ſed tamen rem diſſimulari iuſſit per aliquot dies, nec illi electo indicari. Conſilium ad tempus occultabatur, non tamen ignorabat electus ille, quid de ſe factum eſſet, quanuìs rem tacitè conſideraret, diuina edoctus reuelatione. Aſſerebat denique, quòd manè die illo, quo de ipſo facta fuit electio, ſtetiſſet in viſione coram filio Dei Ieſu Chriſto, cum patre & magiſtro ſuo Nortberto. Extendenſque manum ſuam dexteram Ieſus, recipiebat fratrem illum, à cæteris fratribus electum, de manu viri Dei, dicentis: Apud te Domine mihi commiſſum tuæ ſanctiſſimæ maieſtati repræſento. Per hoc iam proculdubiò ſcire poterat, quid de ipſo diuina miſeratio conſtituiſſet. Quid plura? Venit dies, in qua placuit homini Dei, quod cœperat, perficere. Conuocatiſq; fratribus, quos habebat ſecum, conſilium ſuum indicauit eis. Et aduocato electo, ait: Tu mihi ſuccedes electione fratrum tuorum in domo paupertatis noſtræ. Cumq; ille reſponderet: Tibi & inprimìs Deo patri omnium obedire oportet. Vadam & conſiderabo miſericordiæ Dei proceſſus & ſucceſſus. In quibus ſi efficere aliquid potero & proficere, gratias tibi agam: ſin autem, ad te, quem poſt Deum, patrem elegi & animæ meæ tutorem, mihi ſine offenſa liceat remeare. Ait illi vir Dei: Vade: manus

Præmõſtratenſes multùm affligũtur eius abſentia.

Eligitur ali9 pro eo præfectus Præmõſtratenſis.

Viſio electi.

Succeſſorẽ ſibi ſubſtituit in Præmonſtratenſi monaſterio.

enim

enim Domini vſque in finem tecum erit. Hac accepta benedictione, ille receſſit, duobus adiunctis ſibi ſocijs, de quibus præceperat vir Dei, vt alterum in Antvuerpienſi eccleſia patrem, alterum in Floreffienſi conſtitueret. Et ſic factum eſt. Poſitus & conſecratus eſt ille pater in Præmonſtratenſi eccleſia, & illi duo in duabus alijs ſupradictis. Sed & duo iam alij conſecrati erant in duabus alijs eccleſijs, Laudunenſi ſancti Martini, & Viuarienſi. Iſti quinque & ſextus, quem ad locum, qui dicitur Bona ſpes, ſtatim poſt introitum ſuum Abbas Præmonſtratenſis ablegârat, imminentem diſſolutionem Ordinis in pleriſque locis videntes, & maiorem futuram metuentes, ad diem ſtatutum in loco determinato conuenerunt, & quicquid ad præſens in domibus ſuis ſuperfluum videbatur eſſe, recidentes, deinceps ad exemplum Ciſtertienſis Ordinis, annuatim ſe reuerſuros ſimul ad Ordinis ſui ſiniſtra corrigenda firmauerunt. Quod cùm in locis alijs diuulgatum fuiſſet, ſi in primo anno ſex, & in ſecundo nouem fuiſſent, in tertio duodecim, in quarto decem & octo fuêre: & ita deinceps multiplicati ſunt vbique terrarum, ſicut voces & actus eorum & opera vſque in præſentem diem teſtantur.

CAP. XLVII.

DEinde beatę memoriæ Papa Honorio ad æternitatem vocato, Innocentioque in ſancta Romana ſede canonica electione ſubrogato, cùm ſedem obtinere non poſſet propter intruſionem Petri Leonis & ſeditionem familiæ eius, exiens inde contulit ſe in Franciã: vbi, vt decuit, honorificè ſuſceptus eſt. Conuocatoq; Rhemis concilio, conuenerunt vndique epiſcopi de diuerſis nationibus: aduenit & pater Nortbertus: ibique illum Petrum intruſum excommunicauerunt, & electione Innocentij approbata, eundem Petrum Leonis leoni rugienti, niſi reſipiſceret, tradideruut. Attulerat autem Nortbertus ſecum eccleſiæ ſuæ priuilegia vetuſtiſſima, & ferè à vermibus conſumpta: quæ cuncta Romano munimine fecit renouari & corrigi, apponens ea, quæ receperat de manibus illorum, qui ea iniuſtè & violenter rapuerant. Addidit prætereà aliud priuilegium ſecretò, vt cùm daretur opportunitas, Romana fultus authoritate, Ordinem ſuæ religionis in epiſcopali propagaret eccleſia. Finito ergo Concilio, cùm ad ſedem propriam reuerteretur, iamq; ex parte diuulgatum eſſet quod fecerat, magis fremebant, ad alterutrum dicentes: Regnum noſtrum non ſtabit, & gloria noſtra nihil eſt: ſed & honor omnium noſtrûm & prædeceſſorum noſtrorum redigetur in nihilum, niſi quamprimùm excludamus eum à nobis, & auferatur hæc eius ſubtilis poteſtas de terra noſtra. Et exinde quærebant opportunitatem, vt facerent cautè, quod inordinatè & inſipienter machinabantur. Accidit autem eodem tempore quidam caſus aduerſus in eccleſia maiore, qui ſecretò viro Dei fuerat reuelatus. Cumque eum ſenioribus eccleſiæ indicâſſet, & proteſtaretur eius cauſa expiari debere eccleſiam ex Canonum præſcripto, illi acquieſcere ei noluerunt, dicentes non eſſe denuò conſecrandam illam, quam conſtaret multorum regum & Pontificum authoritate fuiſſe conſecratam. Hoc illi perhibebant, ſed ille contrà aſſerebat, nunquam ſe in ea diuina celebrare velle myſteria, niſi ab ea dæmonum infeſtationẽ, qua eſſet irretita, paterentur excludi. In hunc modum contendebant: ſed vir Dei ille, qui verſutias eorum non metuebat, modò Deus eſſet in cauſa, notam fecit rẽ omnem populo ex pulpito, oſtendens quid in huiuſmodi caſibus ſanctorum patrum ſanxiſſet authoritas. Hæc dixit, & ſequenti nocte, aſſumptis duobus Epiſcopis, quos tunc ſecum habebat, & Præpoſito eiuſdem eccleſiæ, qui in hoc ei fauebat, & quamplurimis de fratribus ſuis clericis, intrauit eccleſiam: vbi induti ſacris veſtibus, aqua conſecrata illud officium ſyncera deuotione compleuerunt. Sed ſimulatque peractum eſt miniſterium, adhuc omnibus, qui aderant, ſacris veſtibus indutis, clamor nimius & tumultus grandis populi foris auditus eſt. Commota quippe fuerat omnis ciuitas furore non minimo & inenarrabili, quòd rumor planè barbarus manâſſet ad eos à quibuſdam aduerſarijs, ſcilicet fregiſſe Epiſcopum altaria, ſacrarium reſerâſſe, feretra & phylacteria diſſoluiſſe, ſibique repoſuiſſe, & cum his omnibus ſub eiuſdem noctis tenebris cum omni etiam theſauro eccleſiæ fugere conſtituiſſe. Audientes hæc, qui cum viro Dei erant, territi ſunt, alij plùs, alij minùs: ſed ille imperterritus ad eos exire volebat, vt interrogaret quidnam eſſet. Porrò alij modis omnibus prohibebant, dicentes hunc plebis tumultum non facilè tali hora à quoquam poſſe ſedari: coëgeruntque eum aſcendere in quoddam propugnaculum, quod ab Imperatore Ottone ibi conſtructum erat antiquitùs, loco turris cuiuſdam eccleſiæ, quam cœperat ædificare, ſed morte præueniente non conſummauit. Ibi ſe reclinauit homo Dei & qui cum eo erant,

Synodus Rhemenſis.

Petrus Leo Antipapa excommunicatur.

Multos Nortbertus habet aduerſarios.

Seditio populi excitatur in virũ Dei.

erant ſacris adhuc amicti veſtibus, mortem potiùs turpiſſimam corporis, quàm vitã expectantes. Inualeſcebant interim voces inſultantium & inſilientium, atque vt pro dirent crebrò clamitantium. Sed illi in turri econtrariò in matutinarum ſolennijs laudes Deo canentes, cum hymnis & canticis exultationis in honorem prædicatoris egregij Pauli, vocibus immenſis reſonabant: iſti verò inſultationis voces clamoribus inconditis multiplicantes ſacerdotem Dei reum eſſe mortis proclamabant. Erat tum feſtum commemorationis beati Pauli Apoſtoli. Hac fiducia freti quidam ex ipſis, nihil formidabant: ſed alij ſeculo & ſuæ carni tenerè inhærentes, cum multo eiulatu dicebant: Eheu, cur iſtum ſecuti ſumus hominem, vt cum eo moreremur in peccatis noſtris? Quibus vir ſanctus, melliflua eos cõſolatione exhortans, aiebat: Nolite, fratres chariſſimi, nolite terreri. Dei enim eſt, quod à nobis geſtũ eſt: Dei eſt, quod geritur: Dei eſt permiſſio, quando ab inimicis eius bonum opus impugnatur. Hæc quandoquè dicebat: interdum autem pro illis orabat attentiùs, ne deficiendo deſperarent. Illorum defectu creſcebat orandi affectus. Et vt ipſe poſteà aſſerebat, non tam metuebat mortem, quàm ne deſperando illi deficerent. Congregabatur verò per totam noctem multitudo aduerſaria: ediuersò multiplicabat preces in articulo talis neceſſitatis pius ſacerdos, & qui cum eo erant. Facto autem manè, cùm ſummo diluculo illuceſceret, dum alij ad inſultum turris inſiſtunt, alij ſagittis, alij iaculis pontificem & clericos eius appetunt, quidam, qui in necem eius iuraſſe dicebantur, tanquam auidiores crudelis illius cædis perpetrandæ, pertinaciter irrumpentes, ad ſuperiora turris audacter euaſerunt. Quos vt vidit diſtrictis gladijs irruere, ne in aliorum mortem deſæuirent, progrediens obuiàm, magiſtri ſui exemplum ſecutus: Vnum, inquit, hominem quæritis. ecce ego: Parcite iſtis, qui nullam mortis ſententiam meruerunt. At illi eo viſo, vt erat adhuc amictus epiſcopali & ſacerdotali veſte purpurea, territi ſunt, & cùm paululùm retrocederent, in momento Deus, cuius nutu omnia diſponebantur, declarata martyris ſui, quantùm in eo fuit, conſtantia, adeò mentes illorum perſecutorum compunxit, vt ad pedes eius corruentes, veniam tanti facinoris precarentur, & acciperent, atque ex hoſtibus in defenſores prodirent. Alij verò celeriter inſequentes eos, vnum ex cubicularijs eius, qui fideliter ei adhærebat, quendam aditum defendentem repererunt, & iam Epiſcopum ab alijs trucidatum putantes, illum, quòd dominum ſuum diligeret, odio habentes, gladiò percuſſerunt, & vſque ad guttur collum ſecantes, ſemiuiuum reliquerunt, cùm extinctum crederent. Quod videns vir Dei, omnibus inuitis, in mediam turbam proſilijt, & inimicis faciens ſuî copiam, morti ſe obtulit, eligens mori potiùs, quàm vt aliquis alius, ipſo ſuperſtite, occumberet. Cernẽs autem cum ille idem, qui miniſtrum eius percuſſerat, furore diabolico & iniquitate plenus, euaginatum cumque cruentum adhuc gladium tenens, extendit manum ſuã in pontificem, & audaci temeritate grandem ictum in eius humerum intulit: ſed reſilijt gladius, perinde ac ſi cæſus eſſet lapis Adamantinus, & de recenti, quo erat tinctus, ſanguine fimbrias epiſcopalis mitræ, quam in capite geſtabat, infecit: quæ mitra: quandiù homo vixit, eam maculam retinuit. Videntes autem, qui ſtabant ex aduerſo, rei exitum expectantes, quique magis hominis ſanguinem expetebant, quàm hominem: videntes, inquam, illi, quòd non moreretur, dum à quibuſdam ei parcebatur, à nonnullis verò percuſſus non lædebatur, reliquias ſanctorum celeriter apportantes, eas in medio poſuerunt, faſſique ſunt perabſurdum id eſſe, vt tam improbè paſtor ab ouibus oppugnaretur. Hæc quidem illi præ ſe ferebant, falſam ſimulantes humanitatem: Nam & ipſi eum hoc in articulo poſitum cogebant, vt fratres ſuos de Eccleſia beatæ Mariæ eijceret, qui in ea poſiti erant, vt ſuperiùs dictum eſt. At ille recuſabat, affirmans factum hoc, quoad viueret, nunquam ipſos immutaturos, quod regali potentia & Romana authoritate eſſet confirmatum. Dũ hæc agerentur, aduenit eius vrbis Comes ex itinere, & quaſi tumultùs huius neſcius, in medias turbas ſe intulit, ſeparanſq; alios ab alijs, diem certum eis præfixit, ad quem adeſſent omnes, iuſtam querimoniam habentes aduersùs Epiſcopum. Receſſerunt ergo illi ad præceptum iudicis: at Dei ſacerdos intrauit eandem eccleſiam, cuius cauſa omnis illa commotio facta fuerat, Miſſam celebraturus, & immenſas Deo ſuo gratias redditurus. Cumque acceſſiſſet ad altare, decerſitis circunſtantibus ait: Ecce integra ſunt omnia, ſaluaque & ſana, quæ nunciata fuerant fracta & abſportata. Celebrauit igitur Miſſam in eodem loco, ſed & epiſtolam & euangelium ipſemet legit. (receſſerant enim omnes miniſtri eius, tædio & timore affecti,) ita vt verè dici poſſet de eo, ſicut de ſummo capite noſtro Ieſu Chriſto: Relicto eo, omnes fugerunt. Finita autem Miſſa, venit ad palatium, purpuream miro & ineffabili

Inter grauiſſima pericula ſecurus cũ ſuis laudat Deum.

Iohan. 18.

Conſtantia ſancti viri.

Grauiter vulneratur eius cubicularius.

Illuſtre miraculum.

Ficta quorũdam humanitas.

En ſingulare inter tot pericula pręclari antiſti.

effabili modo habens faciem, vtpote calice Domini potatus. Hunc quippe colorem in ipſo mortis periculo tenuerat, & hoc teſtabantur, qui cum ipſo fuêre, non viſum illum eſſe vel ad modicum palleſcere. Ipſe verò martyrum conſtantiam, facilem & ſuper mel & fauum eſſe dulciſſimam aſſerebat. tis fortitudinem. Matth. 26.

CAP. XLVIII.

PRædicti autem aduerſarij, coactis iterùm peruerſis conuenticulis ſuis, ſuum animi dolorem promebant, dicentes ſe eſſe deluſos, & arte magica tenebrarumq; caligine ſenſus ipſorum perſtrictos, quòd hominem illum viuum reliquiſſent, qui eis non cederet, moresq; & honorem ipſorum dignitatemq; vrbis violare non metueret. Verè deluſi, quia doloſi. Nanque hoc ab eis planè decretum eſt, vt cùm ad prædictũ diem conuenirent, ſinguli certam vini vel medonis menſuram exhaurirent, vt ſi quicquã voluntati eorum contrarium in diſcuſſionibus querimoniarum accideret, id ſarciretur nece ſui paſtoris: & ſic ebrietati potiùs imputaretur, quàm deliberationi. Eſtq; hoc inter ipſos ſancitum, vt quicunq; huic decreto non obediret, domus eius euerſioni, & tota ſuppellex direptioni eſſet obnoxia. Quod cùm relatum fuiſſet ad aures quorundam principum terræ, qui virum Dei quadam ex parte diligebant, quòd ſcirent eum virum ſanctum & iuſtum, ſuadebãt ei, vt ad tempus cederet, exemplo magiſtri ſui, qui à facie perſequentium ſe abſcondit. Quod cùm ille renueret, palmamq; martyrij gaudens expectaret, illi multiplicibus perſuaſionibus exire compellebant. Aduenit inde præfixus dies, & cœpit ciuitas immenſis clamoribus perſtrepere: Interrogans autem homo Dei, quid eſſet, reſponſum eſt ei, quòd populus multus congregatus, fratres de eccleſia beatæ Mariæ vellet eijcere. At ille ſubridens, aiebat: Non eſt ita: quia plantatio, quam plantauit pater cæleſtis, eradicari non poterit. Attamen compulerunt eum, vt exiret. Et præparatis equis, exiuit ad Abbatiã quandã ſancti Iohannis, quæ eſt in ſuburbio ciuitatis, vbi ſatis ſpecioſè diſpoſitis omnibus, abijt ad quoddam caſtrũ ſuum Hallã, vbi à tanto tumultu quieſceret. Sed illud præcluſum inuenit. Præuenientes enim hoſtes eius, munitiones omnes occupauerant. Quid faceret homo, qui nuſquam inueniebat, vbi requieſceret pes eius? quid faceret humano deſtitutus auxilio? Contulit ſe ad eccleſiam quandam canonicorum regularium, quæ ibi propè erat, orãs Deum ſuum per aliquot dies, vt viam ſuam in ſuæ beneplacito voluntatis dirigere dignaretur. Sed Deus videns ſerui ſui humilitatem & conſtantiam, reſpexit veritatis eius preces: &, ſicut voluit, pax rebus data eſt. Nam vt conuenerant certatim inimici ad perimendum, ſic conuenire feſtinabant ad ſatisfaciendum. Itaq; omnimodam ſatisfactionem offerebant, & pecuniam multam. Sed ille, qui plùs animas Deo quærere venerat, quàm pecunias, eas reſpuebat, vt animas eorum, quæ propter nefarios hos conatus perditionis periculo ſubiacebant, lucrifaceret.

Iohan. 8. & 12. Nouus in eum tumultus excitatur. Tãdem mitescunt hoſtes viri Dei, & eum honorificè reſtituunt.

CAP. XLIX.

VIdentes hoc aduerſarij, ſtuduerunt eum lenire, & illi vulnerato domum ſuam, quam deiecerant, ex integro reparantes, ad curandum vulnus, quod ei inflixerãt, grandem pecuniæ ſummam contulerunt. Poſt hæc, apertis ianuis caſtri, quas ad aduẽtum eius priùs clauſerant, intrauit illuc multo cum honore, multorum cœtu vallatus nobilium, multitudine etiam plebis, qui omnes Deum laudabant pro conſtantia tanti pontificis, ipſumq; pontificatûs honore dignum aiebant, quem Deus omnipotens ex tot perſequentium manibus eripuiſſet, quiq; in tam euidenti mortis periculo cum fidei ſuæ integritate corporisq; incolumitate inuictus permanſiſſet. Tertio anno epiſcopatus ſui facta ſunt hæc, & quinq; poſteà ſedit annis, de die in diẽ miniſteriũ ſuũ honorificans, in omni religione & honeſtate proficiens, vnitatem ſanctæ Eccleſiæ conſeruans, eiuſq; perturbatores & ſchiſmaticos omnes perſequens & deteſtans, bonos amplectens, deſolatis dans conſilium, pauperes & orphanos viduasq; ſuſtentans, religioſos quoq; fouens & augens, religionisq; præbens formam ſeipſum, quantum dignitas functionis pati poterat, tam minoribus quàm maioribus affabilem ſe exhibens, diuinæ largitatis & gratiæ non immemor, Domino Deo ſuo per ſingulos dies bonæ exiſtimationis & intimæ ſuauitatis & dulcedinis offerens conſcientiam.

Conſtantia eius iam laudatur ab omnibus. Epiſcopi officia.

CAP. L.

ERat tum ſchiſma grauiſſimum & ad componendum difficilimum in ſancta Romana ſede, vt iam ſuprà dictum eſt, Pontificibus Innocentio & Petro Leonis. E quibus Innocentius canonicè electus, catholicus erat, & à catholicis omnibus approbatus recipiebatur: Petrus verò erat intruſus, ſed tamen occupauit ſanctam ſedem, nõ Deo, neque Eccleſia ſancta, ſed viribus humanis fretus. Erat enim etſi non nobilitate, Petri Leonis Antipa-

pæ nefarij actus. multitudine tamen generis potens in Vrbe, legesq; ſanctas & ordinem & omnia ſtatuta patrum & Eccleſiæ ſanctæ, regulamq; Chriſtianæ fidei, ambitione excæcatus, deſtruebat, turres & munitiones Vrbis alias deijciens, alias muniens, vt principatum ſecularem & ſuæ cupiditatis ſcopum obtineret. Itaq; conſilio inito à rege Lothario & Chriſtianis principibus, ne cognitio & robur fidelium Chriſtianorum his temporibus illa peſte mortifera eliderctur, expeditionem in Italiam apparârunt, vt ſacrilegum illum, quem gladius ſpiritualis, quo iam ſæpiſſimè percuſſus fuerat, penetrare non poterat, materialis tandem conficeret. Cum eo autem & alijs tam Epiſcopis quàm Archiepiſcopis, ex præcepto & obedientia Innocentij paſtoris catholici, pontifex Nortbertus profectus eſt. Tranſitisq; caſtris & vrbibus cum magna turba præeuntis & ſubſequentis exercitûs, Romam, Papam venerabilem Innocentium ſecum deducentes, perueniunt. Vbi cum impetu grandi & manu forti introëuntes, ipſum eundem Papã in ſancta ſede, inuitis hoſtibus & aduerſarijs omnibus, collocârunt. Porrò Lotharium regem Pontifex in ſede poſitus & alij, qui conuenerant, in Romanum Imperatorem conſecrauerunt. Erat enim vir ille ſtrenuus belli ductor, præcipuus in armis prouidus in conſilio, terribilis inimicis Dei & ſanctæ Eccleſiæ veritatis amicus, iuſtitiæ tenax, iniuſtitiæ hoſtis. Cuius probitas patuit in Sicilia, viguit in Saxonia: Qui quãdiù vixit, Romanum imperium, quod eius curæ mandatum fuerat, titubare non potuit. Diligebat autem & ipſe virum Dei Nortbertum, quòd eius conſilijs, quæ ſtrenuitate & prouidentia pollebant, aſſiduè vteretur, ab eoq; cæleſtis dulcedinis potum hauriret, & pane diuinæ refectionis quotidiè foueretur. Cùm autem ab Italia reuerſus eſſet in ciuitatem ſuam Parthenopolim, non diù pòſt graui ægritudine correptus eſt, eaq; per aliquod tempus, id eſt, ſpatio quatuor menſium, laborauit: epiſcopatuque ſapienter & fideliter annis octo adminiſtrato, plenus Spiritu ſancto, cum omni integritate ſenſûs, adſtãtibus benedictione data, beato fine quieuit. Neq; enim, vt ait B. Auguſtinus, poterat malè mori, qui benè vixerat. Annus erat Dominicæ incarnationis milleſimus centeſimus triceſimus quartus, feria quarta Pentecoſtes, octauo Idus Iunij, Pontificatûs Innocentij anno quinto, regni Lotharij anno nono.

Innocẽtius in ſua ſede collocatur.

Lotharius Imperator cõſecratur.

Feliciter vir ſanctus migrat à corpore.

CAP. LI.

DEfuncto igitur beatæ memoriæ patre Nortberto, contentio non minima orta eſt inter maiorem eccleſiã, & eam, quæ eſt B. Mariæ, de loco ſepulturæ eius. Volebãt enim alij, dignumq; & iuſtum dicebant, vt quia caput eccleſiarum eius ciuitatis fuiſſet, eccleſiæ primariæ eius oſſa deferrent honorem, ibiq; aduentum ſummi iudicis expectaret, vbi erat titulus eius immobilis. Sed fratres ſanctæ Mariæ ſui iuris eum eſſe aſſerebant quòd per illũ ſuo creatori reconciliati, cum patrẽ elegiſſent, & per illũ ſeipſos & ſuam deuotionẽ Domino Deo ſuo, à quo auerſi fuerant, reddidiſſent: præcipuè autem, quòd adhuc viuens præcepiſſet, & vſq; in finẽ hanc ſuæ voluntatis deuotionẽ indicâſſet, vt inter fratres ſuos & filios ſepeliretur & quieſceret. Vidẽtes tandem illi, qui erant medij, contentionẽ hanc dirimi non poſſe, quòd ſuã vnaquæq; pars ſententiam æquiorem aſſereret, conſilium dederunt, vt ad Imperatorẽ Lotharium citò mitteretur: quod ille mandaret aut ſtatueret, id ratum haberetur. Et ſic factũ eſt. Interim verò corpus inhumatum iacebat, ſicq; de die in diem per ſingula monaſteria ciuitatis circunlatum eſt, & in vnoquoq; vigiliæ & ea, quæ fidelibus defunctis debentur, diligenter ſunt celebrata, donec die octauo reuerſi ſunt, qui miſſi fuerant. Tum verò iuſſu Imperatoris apud fratres in eccleſia B. Mariæ corpus viri Dei ſepultum eſt. Fuit autem hoc admiratione dignum, & tacendum non eſt, quòd cùm eſſet æſtas nimia, ita vt eodem anno nullum fœnum in pratis præ nimia ſiccitate ſecaretur, de corpore eius per tot dies nihil fœtoris percipi potuit. Vnde licet intelligi, quòd mundauerit eum gratia ſuperabundans à corruptione mentis, quæ conſeruauit corpus eius ne corrumperetur. Sepultus itaq; ante altare ſanctæ Crucis, in medio monaſterio fuit per aliquot annos. Sed boni filij, qui memores benignitatis, quam ipſis exhibuerat, eum tenerè diligebãt, vt ſine obliuione memoriæ ipſorum affigeretur, ante oculos ſuos in clauſtrum eum tranſtulerunt, vbi in tumulo, diligenter pro loci opportunitate adornato, diem expectat nouiſſimum, in ſpe certa reſurrectionis & gloriæ.

Corpus eius exanime multis diebus æſtate calidiſſima nihil putet.

CAP. LII.

EAdem autem die & hora, qua ſeparata eſt anima eius à corpore, videbat eum quidam frater in veſte candida & forma venuſta, ramum oliuæ tenentẽ in manu ſua. Qui cùm quæreret ab eo, vnde veniret, vel quò feſtinaret, reſpondit: De paradiſo miſſus ſum, vnde hunc ramum oliuæ florentẽ tuli, & vado celeriter, vt in loco paupertatis, meæ

Viſio fratris cuiuſdam.

tis, meæ

tis meæ,id eſt,in Præmonſtratenſi eccleſia,tranſplantem illum. Expergefactus frater, de tam inſolita viſione cœpit intra ſe cogitare,quidnam ſignificaret. Deinde aperuit eam quibuſdam eius eccleſiæ hominibus,iiq; memoriæ commendârunt diem & horam viſionis,ſcire volentes,quemnam tam euidens apparitio euentum eſſet habiturã.Audito tandem deceſſu magiſtri ſui,inuenta eſt illa eadem dies eſſe, qua carne anima eius ſoluta eſt. Alij quoq; fratri,qui ſacerdos erat,apparuit in propria effigie,ſtans coram eo.Sed mox effigies hominis Dei mutabatur in florem miri candoris inſtar lilij,quem angeli ſuſcipientes,deferebant ad æthera. Euigilans igitur frater, ſummo diluculo cucurrit ad Priorem ſuum,copiã petiturus Miſſam celebrandi,Deoq; per eam pij patris Nortberti animam commendandi.Cumq; Prior quęreret,quid ſibi vellet tã ſubita conteſtatione, expoſuit ille ordinem rei.Cui Prior pręcepit,vt diem illum memoria retineret. Eſt itaq; inuentus dies ille,dies ſepulturæ hominis Dei. Erat alius quidam de his,quos in primordio conuerſionis eius contulerat illi Deus,qui fideliter & amanter adhæſerat ei,& de deceſſu chariſſimi magiſtri ſui dolebat eò magis, quòd de ſalute eius necdum certi aliquid comperiſſet.Cumque omni precum inſtantia ſupplicans rogaret Deum ſuum,vt aliquod reſponſum acciperet de miſericordia,quam cõtuliſſet militi ſuo:nocte quadam apparuit ei in domo pulcherrima,quæ ſolis ſplendore perfuſa videbatur.Recognoſcens ergo ille magiſtrum ſuum,procidit velociter ad pedes eius,humiliter petẽs ab eo,vt de ſtatu ſuo & de percepta à Deo miſericordia certiorem ipſum reddere dignaretur. At ille erigẽs eum à terra,& brachijs ſuis collum eius ſtringens,ſic ait illi: Fili mi,rem difficilem quæris: attamen ei,qui indeſinenter pulſat,aperitur. Veni,ſedeamus. Erat autem ibi ſedes pulcherrima præparata. In qua cùm ſediſſet,dixit illi: Dictũ eſt mihi: Veni ſoror mea,requieſce.In pace & requie ſum. Hac melliflua & deſiderata reſponſione frater ille refectus,timens ne recederet, quia per viſionem,ſicut poſtulauerat,hoc ſe videre ſciebat: Quæſo, ait,pater amantiſſime,vt dicas,num moleſtè tuleris,quòd ad te non veni,cùm adhuc viuẽs venire me iuſſiſti. Et reſpondit: Tu venies: ſicq; diſparuit. Verum id fuit. Iturus enim erat frater ille: ſed alio interueniente negocio,non peruenit. Faxit omnipotens, vt ſecundùm promiſſionis intellectũ ad ipſum veniat,& quem ſociũ ac ſucceſſorẽ participẽq; miſeræ afflictionis ſeculi huius reliquit,conſortẽ faciat felicitatis æternę,& à Deo perceptę benedictionis.

Alia viſio.

Item alia viſio.

Appendix monachorum Capenbergenſium de patre Nortberto.

DE communi patre nos quoq; Capenbergenſes filij nobis comperta deſideranter adijcimus,ne in paterni meriti proſecutione nos,tanquam ingrati,veſtræ ſanctitati deeſſe videamur. Eſt apud nos libellus, vitam Deo digni fundatoris noſtri continens,in quo ita ſcriptum eſt: Illis diebus apparuit in Vueſtphaliæ partibus eximium quoddam iubar Eccleſiæ,memorabilis ille præco Dei Nortbertus,vir nimiùm admirabilis gratiæ,prædulcis eloquentiæ,ſummæ continentiæ, informator ac propagator religionis canonicæ,ſeruorum Chriſti aggregator,cœnobiorum non paucorum fundator,tam habitu quàm voce ſtrenuiſſimus,veræ pœnitentiæ prædicator, ac per omnia illius propheticæ iuſſionis executor,qua dicitur: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Eſa. 40.

Author huius Appendicis fuit ſancti viri contemporaneus.

Quodam tempore famem Vueſtphaliæ affuturam,& ipſos quoq; fratres parumper caſtigaturam,in ſpiritu prædixit. Quæ iuxta viri Dei præſcientiam adeò grauis euenit, vt pleroſq; dira inediæ calamitas extingueret. Accidit ergo die quodam, fratribus ad refectionem ituris,cùm hoſpitibus ac pauperibus erogarent,quicquid ſibi abſtinendo ſubtraherent,vt panis deeſſet alimonia,ita etiam,vt vnde fieret,inueniri non poſſet. Cumq; vir Dei ſæpiùs intimâſſet,quod ſcriptum eſt: Non affliget Dominus fame animam iuſti: ecce ſubitò per fideles ſuos Dominus tantam panis abundantiam tranſmiſit,quòd fratres ſufficienter refecti ſunt,& aduenientibus cum alacritate obtulerunt. Atq; poſtmodum ex illa die nunquàm defuerunt fratribus opportuna ſubſidia. Prouer. 10.

Prophetia viri Dei de fame.

Tempore autem alio,cùm vir ſanctus quendam è fratribus vellet pro cauſa monaſterij deſtinare,inueniens illum valida proſtratum febre,iniunxit ei cauſam obedientiæ,in virtute Chriſti ſolo verbo vſus imperij: Vade,inquit,& reuertere,iamq; ampliùs noli febricitare. Statim ergo frater,recuperatis viribus, perfecit quantocyùs, quod à patre ſancto fuerat iuſſus. Audiuimus eundem veritatis aſſertorem in communi capitulo hæc,quæ ſequuntur,proſequentem: Scio vnum ex profeſſionis noſtræ fratrib9, cui de regula noſtra indaganti ſtudioſiùs,nõn quidem ſuis meritis,ſed fratrum orationibus,beatus viſus eſt Auguſtinus,qui & auream regulam à latere dextro prolatam,illi por-

Febricitantem repètè ſanat.

li por-

S. Auguſtinus ei tradit regulã ſuam.

li porrexit,ſeque luculento ſermone ei intimauit,dicens: Quem vides, Auguſtinus ego ſum Hipponenſis epiſcopus. Ecce habes regulam,quam ego conſcripſi: ſub qua ſi benè militauerint confratres tui,filij mei,adſtabunt ſecuri in extremi terrore iudicij. Et quidem iſta humiliter tanquam de alio proſecutus eſt:nos tamen ipſum fuiſſe, cui hoc reuelatum eſt,indubitantes aduertimus.

Stilla ſanguinis Chriſti apparet.

Res apud Floreffiam geſta eſt,cùm illic memorabilis pater diuina celebraret,in quibus nimirùm exequendis ſe deuotiſſimum exhibere conſueuerat. Vidit repentè ante ipſam perceptionem in patenæ medio non modicam ſtillam ſanguinis Dominici rubētem. Vocatoq; fratre Rudulpho ſacriſta noſtro,eius tunc diacono: Vidéſne, inquit, frater,quod ego video? Video,inquit,domine: cœpitq; pro tantæ rei magnitudine vbertim flere. Poſt cuius miraculi declarationem,nobis deinceps patenã abluere mandatum eſt. Cœpitque apud nos huius obſeruantia conſuetudinis,cùm à nobis eatenus neſciretur.

Res mira de panno ſerico.

In vita B. Seruatij legimus,quòd defuncto eodem præſule ſanctiſſimo,ſericũ quoddam,populo ſpectante,multumque admirante,angelicis allatum manibus,ſuper illius venerabile corpus poſitum eſt. Quapropter idem ſericum in Traiectenſi eccleſia ſumma honoratur reuerentia,præcipuaq; conſeruatur & obſeratur diligentia. Cùm ergo vir Dei Traiectum deueniſſet,petijt hoc ſibi ſericum demonſtrari. At illi cœperunt ſimul omnes excuſare,præſertim cùm vel ipſum ſcrinium, in quo repoſitum erat,introſpicere nullus auderet. Sed quid multa? Tandem viri Dei obtinuit petitio. Cumque in eius præſentia ſacrum aperuiſſent repoſitorium,ſubitò ecce ſericum illud(mira dicturus ſum)mirabili & diuino quodam impulſu ſubuectum euolauit, ipſamq; baſilicam aliquanto ſpatio circunuolans, tandem ſe ad ſumma templi prope laquearia diſplicatum continuit,& illic quodam quaſi remigio alarum librabatur annixum. Quo viſo,alijs ſtupendo exclamantibus,alijs penitus ſibi ſubtrahendum cum luctu formidantibus, vir Dei rem tacitus cõſiderans, Miſſarum adorſus eſt ſolennia. Quæ dum ageret,ecce ſericum ſe recomplicans,ſuper expanſa ſacerdotis lentè ſe demiſit brachia. Quod ipſe venerabiliter ſuſcipiēs, loco ſuo reſtituit. In hoc igitur facto, & meriti gloriam in præſule Seruatio,& fidem atq; orationis virtutem in ſuo famulo Deum declarâſſe non dubito.

Prophetia S. viri.

Apud locum,qui Boulant dicitur,vbi veſtrorum quoque floret fratrum cœnobiũ, potens quidam alienorum inuaſor commanebat. Hic inter cætera violentiæ ſuæ mala,quoſdam etiam vini redditus, qui proprij erant Parthenopolitanæ eccleſiæ, & ad diuina celebranda ſpecialiter pertinebant, iniuſta vſurpatione aliquandiù poſſederat. Illuc ergo cùm deueniſſet Archiepiſcopus, vt mihi frater eiuſdem loci teſtatus eſt, pro eccleſia ſibi commiſſa non ſiluit, accerſitoque raptori, quanuis multis pauendo, dixit: Cur homo hanc iniuriam beato Mauritio inferre præſumis,vt redditus annuos, ad diuina celebranda inſtitutos,temeraria inuaſione poſſidēs, in tuos vſus expendas? Cumque ille inflatus reſponderet,dicens,non hoc eſſe inuaſionem,ſed legitimam hereditatis ſuæ poſſeſſionem: vir Dei prophetico ſpiritu reſpõdit: Scio frater, quòd hoc imminenti anno ab hac deprædatione, Dei repelléris iudicio. Dixit,& factum eſt. Eodem quippe anno infelix ille ab inimicis ſuis occiſus fuit.

Alia eius prophetia de ſeditione Auguſtana.

Alio quoque tempore,cùm eſſet in expeditione regis Lotharij, vnà cum ipſo rege Vindelicam peruenit Auguſtam. Vbi famoſam ſeditionem,quæ inter populum eiuſdem ciuitatis & regem orta eſt,hoc ordine prædixit: Solebat hic ter beatus ad orationem eccleſiam quamlibet ingreſſurus,ad ipſa ſemper baſilicæ limina curuatis dicere genibus: Pax huic domui,& omnibus habitantibus in ea. Cùm ergo præfatæ ciuitatis eccleſiam ingrediens, orationē complêſſet,vocato diacono ſuo,ex cuius hoc ore cognouimus,quid per ſpiritum cognouiſſet,ei reuelauit,dicens: Ego frater huic loco pacem imprecatus ſum,pacem optaui: ſed tamen pacis hic repulſam potiùs inueni. Pallium ergo noſtrum & cætera,quæ ſub manu tua ſunt,diligentiæ tuæ commendo attentiùs,quia huic loco imminet confuſio magnuſq; conflictus. Ita factum eſt. Nam proximo die multis à rege proſtratis & vulneratis, temeritatis ſuæ pœnas ciues dedêre: vixque tandem in regis gratiam poſt multa diſpendia recepti ſunt. Alio tempore

Aqua benedicta ſanat dæmoniacum.

cùm oblatus ei fuiſſet dæmoniacus,aquam ſale mixtam exorcizauit. Et cùm procedens eandem ſpargere cœpiſſet, antequàm perueniret ad hominem,ſpiritus malignus abſceſſit.

VITA

VITA S. PATRIS NOSTRI PAVLI CONFESSORIS, ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, *ex Simeone Metaphraſte.*

QVANDO Conſtantius, Conſtantini Magni tertius filius, tenebat ſceptra Romani imperij, Arriani perſecutionem mouerunt aduersùs pios, vt qui ad hæc à Conſtantio plurimum haberent adiumenti. & Athanaſium quidem exterminatum accepit Occidens: diuinus autem Alexander Antiſtes Byzantij, cùm vitæ fini appropinquâſſet, nullum quidem ſuæ eccleſiæ conſtituit ſucceſſorem: ſed cùm duos præcipuos elegiſſet ex alijs, populo hanc dedit optionem, vt ſi velint quidem Doctorem & virtutibus reſplēdentem habere Pontificē, Paulum eligerent, quem ipſe ordinauit Preſbyterum. Sin autem habitu ſolùm grauem, & veſtitu extrinſecùs honeſtum, Macedonium, qui fuerat iam olim ordinatus Diaconus, & iā vergebat ad ſenectutem. Hæc cùm eis dixiſſet, tranſit ad ſedes meliores, cùm fuiſſet quidem Pontifex vigintitres annos, vixiſſet autem nonagintaocto. *Iunij 7. ſecundū Latina martyrologia.* *Cap. 1.*

Circa electionem autem eorum, qui dicti fuerant, extitit contentio. Nam Arriani quidem magis adſpiciebant ad Macedonium: Orthodoxi verò eligebant Paulū. Vincit tamen ſuffragium Orthodoxorum, & eligitur Paulus Byzantij Epiſcopus, in Eccleſia quæ appellatur ſanctæ Irenes, quam tēpus à noua ſeparans, concedit vt vetus nominetur. Conſtantius aūt cùm haud ita multò pòſt Conſtantinopolim rediſſet ex Antiochia, iratus fuit electo, quòd non ex eius ſententia proceſſiſſet electio: & congregato Arrianorum conciliabulo, condemnauit quidem Paulum, vt quieſceret: Euſebium verò, qui tertiò mutabat ſedem, ex Nicomediæ Epiſcopo creat vrbis regiæ Epiſcopū. Sed cùm ille quidem impiè hæc feciſſet, reuertitur rurſus Antiochiam. Euſebius autē omnem mouebat lapidem; vt ex ſacro ſymbolo tolleret homouſion, id eſt, conſubſtantiale. *Cap. 2.* *S. Paulus fit Epiſcopus.* *Eijcitur è ſede ſua.*

Celebratur dedicatio eccleſiæ Antiochenæ, quam Conſtantinus quidem magnus excitauit à fundamentis: Conſtantius autem ſtudium adhibuit, vt cōſecraretur: & dedicationis prætextu congregantur Epiſcopi numero nonaginta. Maximus verò Antiſtes Hieroſolymorum, vir pius, non aderat, neq; Romæ Iulius, nec per ſe, nec per aliquem ex ſubiectis. Congregatur ergo ſynodus, præſente etiam Conſtantio. Euſebiani autem ſtudēt ante alia, vt deponatur Athanaſius. Primam verò in eū intentant accuſationem, quòd fecerit præter regulam: regulam dicentes, quam tunc ipſi ediderant. Reuerſus enim, aiebant, ab exilio, non communi ſententia, ſed ipſe ſibi tradidit epiſcopatum. Secundam autem, quòd cùm in eius aduentu exorta eſſet ſeditio, multi ſint mortui. Tertiam, ea quæ facta ſunt Tyri. Ex quibus condemnato pietatis Athleta, eius loco conſtituunt Gregorium, qui eadem quæ ipſi ſentiebat. Et cùm hæc auſi eſſent, audent etiam fidem transformare: nihil quidem apertè reprehendentes eorum, quæ facta ſunt Niceæ: ſed improbo & malitioſo conſilio ſemina priùs iacientes ad deſtruendum homouſion. Et quæ Antiochiæ quidem habita fuit ſynodus, cùm hæc & huiuſmodi alia auſa eſſet, & quoſdam feciſſet canones, fuit ſoluta. *Cap. 3.* *Synodus Antiochiæ.* *Athanaſius deponitur à Sectarijs.*

Euſebius autem fungitur legatione apud Iulium Romanum Epiſcopū, machinans, vt confirmaretur lata in Athanaſium ſentētia. Sed nihil effecit eorum, quæ ſperabat. Paulus verò Pontifex cùm Romam veniſſet, & alij non pauci Epiſcopi, quinetiam ipſe quoq; Athanaſius, qui fuerant expulſi, comparatis ab Euſebio inſidijs, ſimul Romæ degebant. Sanctus autem Iulius cùm intellexiſſet eſſe calumniam, quæ facta fuerant aduersùs Pontifices, eos literis munitos mittit ad Orientem, ſuam vnicuiq; reddens ſedem, & eos ſimul reprehendens, qui ipſos depoſuerant. Atq; ſuas quidem eccleſias ij rurſus accipiunt, & mittunt literas ad eos, ad quos ſcriptę fuerant. Cùm Euſebius itaq; interijſſet, Paulus in ſuam ſedem reſtituitur. Qui autem partes Arrij ſequebantur, in ea quæ nunc ad Paulum dicitur, eccleſia eligunt Macedonium: qui blaſphemè quidem filium dicebat eſſe patri ſimilem, circunſcribens homouſium: ſanctiſſimum autē ſpiritum à diuinitate omninò alienum. *Cap. 4.* *Nota authoritatem Papæ.* *Paulus recepit ſedem ſuam.*

Cùm Athanaſius autem ſuam recepiſſet eccleſiam, qui confidebant rurſus Antiochiæ, (etenim rurſus conuenerant, conantes viciſſim criminari Iulium Romanum *Cap. 5.*

 Epiſco-

Epiſcopum) protinùs impium Gregorium, quem ipſi præter leges elegerant, mittunt Alexandriam. Et eum quidem reducebat Prætor Alexandriæ, ſecum ducens ſeptem millia militum. Quod cùm reſciuiſſet Athanaſius, Romam iterùm nauigauit. Populus autem Alexandrinus non ferens rem tam nefariam, eccleſiam, quæ vocabatur Dioniſij, non rectè id faciens, exuſſit. Cùm verò reſciuiſſet Conſtantius, qui agebat Antiochiæ, Paulum præconem veritatis in ſuam ſedem eſſe reſtitutum, iubet Hermogeni Duci exercitûs, qui mittebatur in partes Thraciæ, exturbare eum ex eccleſia. Et ille quidem cùm veniſſet Conſtantinopolim, ſtudebat facere, vt ei fuerat imperatum. Populus autem non eſt hoc paſſus: ſed & domum eius incendunt, & ipſum extractum interimunt. Quod quidem cùm audijſſet Conſtantius, ægerrimè tulit quod factũ fuerat: & cùm ipſe veniſſet in ciuitatem, ſanctum quidem Paulum ex ea expellit: & ciuitatem mulctat frumento, ablato ei dimidio doni, quod illius pater, benignus ſcilicet & clemẽs Conſtantinus, ei donauerat. Erat autem ſumma donationis, octoginta millia panum quotidianorum. Iraſcebatur autem etiam Macedonio, non ſolùm, quòd præter eius ſententiam fuiſſet electus, ſed etiam propter cædes, quas ipſe, ſeditionem agitans, fuerat cauſa faciendi.

Rurſus expellitur.

Cap. 6. Eo itaque dimiſſo, venit Romam, & verſabatur ſimul cum Athanaſio. Refert ergo, quæ paſſus fuerat, Romano Epiſcopo: & rurſus munitus eius literis & Conſtantis Imperatoris, ſtatim reuertitur, & ſuæ ſedi reſtituitur, cum magno gaudio exceptus à ciuitate. Conſtantius autem rurſus id factum ægrè tulit, & rurſus ab eo prodit iuſſus, qui iuſtum mittat in exilium. Itaque cùm eum accepiſſet Præfectus Philippus, ſanctum quidem mittit in exilium, eius verò loco in eccleſia reponit ſancti ſpiritûs hoſtem Macedonium. Proceſſit autem miſſio in exilium, non apertè, ſed ex inſidijs. Cædes enim Hermogenis reddidit Philippum cautiorem ad malefaciendum: & honorificè quidem vocat Dei Pontificem ad lauacrum, quod appellatur Zeuxippus, tanquam propter quædam in communi vtilia & arcana conſilia: & illinc mittit in aulam Imperatoris, & per ipſam deinde Theſſalonicam, quæ fuit patria eius maioribus. & ei quidem eſt prohibitum aſcendere ad partes Orientis, non autem in propinquas regiones.

Paulus deportatur in exilium.

Cap. 7. Impius autem Macedonius, militari manu ei inſeruiente, equitans ſimul cum Præfecto, Dei inuadit eccleſiam, cùm ſe extendiſſet interitus ad ter mille & quinquaginta. Huius contumeliæ fuerunt etiam participes Marcianus & Martyrius, qui erant Lectores & ſcribæ diuini Pauli, vt qui ipſi quoque liberè prædicarent homouſion. Sic ergo Chriſtianorum cędibus, Eccleſię inimicus collocatur in ſedibus Eccleſiaſticis. Quo quidem tempore & Conſtantius magnam conſtruit eccleſiam, quæ denominatur à Dei ſapientia, & diuinus Paulus tertiò paulò pòſt venit in eccleſiam: & accepto Athanaſio ſocio certaminis, docent Conſtantem ea, quæ paſſi fuerant: qui erat quidem Imperator Occidentis, erat verò frater Conſtantij. Cùm ille autem diligenter didiciſſet ea, quæ nefariè paſſi fuerant, ſcribit ad fratem, vt tres Epiſcopi ad eum veniant ab Oriente, reddituri rationem eorum, quæ in Athanaſium & Paulum ſunt perpetrata, & ſimul in ſcriptis allaturi expoſitionem fidei. Et Romam quidem mittuntur quatuor Epiſcopi, Narciſcus Cilix, & Theodorus Thrax, & Mares Chalcedonenſis, & Marcus Syrus. Ij cùm Romam veniſſent, cum Athanaſio quidem & Paulo non auſi ſunt diſſerere: cùm autem eam, quæ ab eis Antiochiæ expoſita fuerat, fidem celâſſent, & aliam compoſuiſſent, quæ apertè quidem nihil continebat blaſphemum, ſed non tuebatur homouſium, tradunt Imperatori: & cùm nihil ampliùs nec feciſſent, nec paſſi fuiſſẽt, rediêrunt.

S. Sophiæ templũ extruitur.

Cap. 8. Cùm triennium autem præterijſſet, rurſus congregantur Epiſcopi Orientales, & aliam fidem componunt, & emittunt ad eos, qui ſunt in Italia. Huius verò ſcripti fuêre miniſtri, Eudoxius, qui tunc erat Epiſcopus Germaniciæ, & Martyrius, & Macedonius Mopſueſtiæ. Erat autem eorum fidei expoſitio alioquì eadem cum ea, quæ priùs fuerat expoſita: ſed alienis quibuſdam in fine additionibus extendebatur longiùs. Pontificum autem, qui erat Romæ, cœtus eam minimè admiſit, dicentes ſe contentos eſſe ſymbolo fidei, quod Nicena pronunciauit ſynodus. Cùm eſſent autem omnia plena tumultu & contentione, indicitur Oecumenica ſynodus ſententia duorum Imperatorum, vndecimo anno poſt deceſſum inprimìs pij Imperatoris Conſtantini, eorum patris. Conuenerunt ergo Sardicen, ab Occidente quidem pluſ quàm trecenti Epiſcopi: ex Oriente autem ſoli ſeptuaginta ſex. Epiſcopi verò Orientis non admittebant ad colloquium Epiſcopos Occidentis. Cauſa autem erat, quòd Paulus

Rom. Eccleſiæ fides integra.

Synodus Sardicenſis

Paulus & Athanaſius athletæ pietatis, cum eis conſidebant.

Cùm verò nec defenſores veræ religionis amouerent Anathaſium, nec hæretici deſiſterent ab inimicitijs, quas gerebant in athletas, à ſe inuicem ſcinduntur: & cùm Philippos, quæ eſt Macedoniæ ciuitas, veniſſent Orientales, congregantur: & tunc apertè anathemati ſubijciunt homouſium. Qui autem erant Sardicæ, eos abſentes condemnant & deponunt tanquam calumniatores: quæ verò Niceę confirmata fuerat, fidem corroborant, & anathemati ſubijciunt ὁμοιούσιον, id eſt, eſſentiæ ſimilitudinem. Quæ cùm cognouiſſet Conſtans Imperator Occidentis, per literas docet fratrē Conſtantium, & ſuadet vt ſit clemens & benignus in Paulum & Athanaſium: & ne ſit eis impedimento, quò minùs ſuis ſedibus reſtituantur: adijciens quòd niſi volens faueret ijs, qui iure nituntur, ipſe veniet, & eo inuito ius reddet ijs, qui afficiuntur iniuria. Fratris itaq; minas extimeſcens Conſtantius, ſanctum quidem Paulum nō prohibuit reſtitui ſuo Epiſcopatui: eius autem certaminis ſocium Athanaſium diuerſis ad ſe accerſit literis & cùm veniſſet, benignè accipit, & ſuæ ſedi reſtituit. Sic quidem magna perturbatio redacta fuit ad tranquillitatem, & Eccleſia gaudebat ſe habere defenſores pietatis. Cap. 9. Paulus & Athanaſius reſtituūtur.

Cùm autem Magnentius inuaſiſſet tyrannidem, & interemiſſet Conſtantem Imperatorem Occidentis, rursùs Arrianæ inſaniæ procella orbis terrarum conturbabat eccleſias: & rursùs quidem fugit Athanaſius: eius autem ſedem arripit Gregorius, & relegatur Paulus Cucuſum Armeniæ pietatis defenſor. Quo in loco per laqueum cōſummatur martyrio, impijs noctù irruentibus. Conſtantinopoli autem eius loco introducitur impius Macedonius, & extruduntur paſtores ex alijs eccleſijs: eas verò rursùs inuadunt lupi, & gentiū in Chriſtianos crudelitatem contendit obſcurare inſania Macedonij. & vniuerſus quidem Oriens malis affligebatur: præcipuè autem Conſtantinopolis. Quo tempore Angelius quoq; Epiſcopus Nouatianorum, vt qui ipſe quoq; tueretur homouſium, mittitur in exilium: eratque malum, quod nō poteſt explicari: non ſolùm procedens vſque ad Pontifices & Sacerdotes, ſed etiam fœminas & pueros, qui Macedonij repellebant communionem, occupans. Nā vbera quidem fœminarum, ô inſaniam, partim quidem in arcarum tegumenta iniecta & compreſſa excindebantur, partim autem ferro: & alia in alios excogitabantur grauia ſupplicia. Nam quæ vel à Deo alienos gentiles aduersùs communem naturam excogitare impediebat pudor, ea tunc facere impijs venit in mentem. Cap. 10. Paulus relegatur Cucuſum & ibi ſtrāgulatur. Nota hæreticorum rabiem.

Extendit rabiem Macedonius etiam aduersùs regionem Paphlagonum. audiuerat enim multos ex Orthodoxis & Nouatianis in ea verſari: & efficit, vt quatuor cohortes armatorum militum aduersùs eos mittantur, & armis cogantur ad impietatem. Qui autem habitabant Mantineum, coacta multitudine, cùm zelo pietatis falces & ſecures & quicquid ſe obtulerat, pro armis accepiſſent, aduersùs milites prodeunt in aciem. Deinde commiſſo prælio, multi quidem interiêrunt, etiam Paphlagonum: ex militibus autem omnes, paucis exceptis. Hoc ergo crudele & impudens facinus, non ſolùm apud eos, qui erant affecti iniuria, ſed etiam apud eos, qui videbantur bene velle Macedonio, iuſtum odium excitauit. Non hoc autem ſolùm, ſed etiam quòd corpus Conſtantini, inprimìs, inquam, pij Imperatoris (videbatur enim ædes, in qua erat ſitum, minari ruinam) acceptum ſine eius ſententia tranſtulerat in templum S. Acacij. Et quoniam non placebat omnibus tranſlatio: ſed multis videbatur impium, effodi corpora mortuorum, & maximè Imperatoris, qui fuit pietate inſignis, facta eſt magna cædes, & multorum & grauium malorum, quæ fecerat Macedonius, paruas quaſdam luit pœnas, dignitatis ſcilicet depoſitionem. Cap. 11. Macedonius exauthoratur.

Vigebat tamen res Arrij per totum imperium Conſtantij, & adhuc magis temporibus impij Valentis, donec de illo quidem ſumpſit pœnas diuina iuſtitia: Theodoſium autem Hiſpanum, iuſta ſententia Gratiani, qui adminiſtrabat Occidentem, ad ſedem Imperatoriam prouexit Orientis, & fidei Orthodoxæ per ipſum robur acquiſijt. Sed ſic quidem Arrij hæreſis, quæ quadraginta annos depopulata fuerat Eccleſias, pietate Theodoſij fuit exterminata, & fides Orthodoxa fuit exornata ſuis iuſtis honoribus. Congregat itaque idem pius Imperator ſynodum, ſtudens Macedonianos in concordiam redigere cum Orthodoxis & ijs, qui tuebantur homouſium. Quamobrem vocat eos, qui præerant eorum hæreſi: & conuenerunt ex Orthodoxis, ab Alexandria quidem Timotheus, ab Hieroſolymis autem Cyrillus, Meletius ab Antiochia: aderatque Gregorius Theologus, & Aſcholius Theſſalonicenſis, & Cap. 12. Synodus Conſtantinopoli contra Macedonium.

Gregorius Nyſſenus,& multi alij. erant enim centum & quinquaginta cœtus eorum vniuerſus. Hęreticę autem catervę dux erat quidem Eleuſius Cyzicenus, & Marcian⁹ Lampſacenus,& Eucthius Epheſinus: & alij,qui erant omnes ſimul trigintaſex.

Cap. 13. Admonebat autem Imperator & quotquot erãt Orthodoxi,eos,qui ſequebantur, partes hæreticorũm,vt cum eis conſentirent,& tuerentur homouſion, in memoriã reuocantes,quòd Orthodoxorum communionem ſua ſponte admiſerunt. Hæretici autem iuſtarum repræhenſionum & benignarum admonitionum nullam ducentes rationem,ſuam non dimittebant impietatem. Propterea ergo eijciuntur è concilio & è ciuitate. Synodus autem eligit Nectarium,qui erat quidem è ſanguine ſenatorio, tunc autem gerebat magiſtratum Prætoris. erat verò is moribus mitiſſimus. Confirmat autem ipſa quoq; ſancta Synodus expoſitionem fidei,quam conſtituit concilium Nicenum: & aſſentitur omnibus Imperator, & curat cum magna exportari reuerentia è Cucuſo confeſſoris Pauli ſacras reliquias, & eis procedunt obuiàm longè ante Chalcedonem,quicunque ex Epiſcopis aderant Nectario: & cum multis hymnis & comitatu magno eas excipiunt, & eas per mediam portantes ciuitatem, in eccleſia, quæ fuit quidem extructa ſub nomine ſanctæ Irenes,antiqua autem ſic vocatur, quã Conſtantinus Imperator ex modica excitauit ad ingentem latitudinem & magnitudinem,cui etiam præſedit,ad breue tẽpus depoſuerunt: & cùm hymnos nocturnos peregiſſent,manè rursùs tota ciuitas,cum pari honore & gloria in ea, quæ ex eius nomine nunc appellatur,eccleſia,omnibus Pontificibus & clero,& ipſo ſimul cum eis aſſiſtẽte Imperatore,in ſepulcro,quod ſanctos excipit, deponunt, cum honorantes longis & prolixis hymnodijs,propterea quòd magnos labores & grauia certamina fortiter perpeſſus pro pietate,euaſit in cælis dignus præmijs immortalibus: In Chriſto Ieſu Domino noſtro,quem decet omnis honor,maieſtas & magnificentia,nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.

Nectarius fit Epiſ. Cõſtantinop.

vide celeberrimã ſacrarũ Pauli Epiſc. reliquiarũ trãſlationem.

Illidij Epiſcopi Aruernenſis Vitam quærat Lector Tomo 4. die 7. Iulij.

VITA ROBERTI ABBATIS CISTERTIENSIS ORDINIS IN ANGLIA, BONA FIDE, VT APPARET,

licèt incerto authore,conſcripta. Stylum paſſim nonnihil correxit Fr. Laurentius Surius.

Iunij 7. Cap. 1.

VENERABILIS Abbas Robertus ex prouincia Eboracenſi ortus, in ipſa pueritia puerorum leuitates & ludos deuitans, atque in literarum ſtudijs proficiens, cuiuſdam eccleſiæ rector poſteà effectus eſt. Sed ea eccleſia & animarum cura tandem ſeſe abdicans,in monaſterio Vuitebienſi (vulgò de Vuitiby)habitum monaſticum petijt, & accepit. Per id tempus Richardus Prior monaſterij S. Mariæ Eboracenſis, cum duodecim ſocijs locum quendam, quem Fontes vocant, à Turſtino Archiepiſcopo accepit, & in Abbatem electus, monaſterium conſtruxit, in quo Ciſtertienſium habitu ſuſcepto, vitam illorum & mores æmulabatur. Nemo illic panem ocioſus edebat, nec quieti indulgebat quiſquàm,niſi labore fatigatus. Famelici accedebant ad menſam, feſſi ad lectum. Nunquàm ad ſatietatem refecti,nihilo minùs abſque triſtitia & murmure, cum omni alacritate benedicebant Dominum.

Monaſtico ſe ſubdit inſtituto.

Cap. 2. Ad hanc ergo ſanctam ſodalitatem vir Domini Robertus, cùm priùs à ſuo Abbate copiam petijſſet, ſeſe adiunxit,eratque in labore ſtrenuus, in lectione & meditatione aſſiduus,in oratione deuotus,conſilio prouidus,ſermone facundus. Elapſis autem quinque annis, cùm iam à Chriſto nato ageretur annus milleſimus centeſimus triceſimuſſeptimus, nobilis quidam in Northumbriæ regione amplam poſſeſſionem largitus eſt, in qua Robertus, creatus Abbas, aſſumptis ſecum vndecim fratribus, nouum monaſterium conſtruxit. Multa autem eius fuit abſtinentia, ita vt à menſa nunquàm ſatiatus ſurrexerit, & in Quadrageſima pane & aqua vti conſueuerit. Accidit quodam Paſchali tempore, vt extincto & proſtrato appetitu, cibis appoſitis veſci non poſſet. Cumq; frater qui miniſtrabat ei, diceret: Quare non comedis pater? ille reſpondit: Si haberem panem auenaceum butyro illitum, fortaſſis inde mihi veſci liberet.

Creatur Abbas.

Eius abſtinentia.

beret. Attulit ergo frater ille panem eiuſmodi: ſed vir Dei animaduertens, ſe pauxillum concupiſcentiæ indulſiſſe, vehementer expauit, & ſeuerus ac rigidus in ſeipſum vindex, guſtare inde noluit, planeq; ieiunus permanſit. Cibum autem illum iuſſit pauperibus ad monaſterij fores dari, vbi tum erat iuuenis quidam ſplendida facie, qui eum vnà cùm ſcutella accepit, & mox euanuit. Loquentibus verò illis de ablata ſcutella, ſubitò ea decidit in menſam coram Abbate. Erat enim Angelus Domini, qui eleemoſynam viri Dei è cælo miſſus accepit. Ita S. Dauid noluit bibere aquam, quam concupierat.

Præter ſolitum ſeruitutis & precum penſum, centum quinquaginta pſalmos quotidiè Domino decantabat. Quodam autem tempore ſolito attentiùs orans, & lachrymis vbertim faciem rigans, animam ſuam coram Deo effundebat, petens vt gratum ipſi eſſet ſeruitium ſuum, & fratrum ſuorum, & vt nomina eorum in libro vitæ ſcriberet. Tum verò cælitùs lapſa vox eſt eiuſmodi. Confortare fili: exauditæ ſunt preces tuæ, & nomina filiorum tuorum, pro quibus rogâſti, in cælis ſcripta ſunt. Non niſi duo ex ijs, in terra ſcripti ſunt, quorum pectora terrenarum rerum amori ſemper affixa fuêre. Non multò pòſt duo conuerſi, quos vocant, excuſſo cucullo, vitam in ſeculo miſerè finiêrunt. Cap. 3. Preces eius.

Per nouum caſtrum quandoque iter agens vir Dei, in multam iuuenum turbam incidit: inter quos vidit hominem mirabili curioſitate huc atque illuc diſcurrere, procaci illis vultu blandiri, & quaſi ad rem arduam illos adhortari & extimulare. Animaduertens autem non eſſe hominis illud officium, ſed mali dæmonis ludibrium, multa vi verborum imperat illi, vt ab eis eueſtigiò recedat: Heus tu, inquit, calamiſtrate, non indigent viri illi opera tua: recede velociter, & ſequere me. Confeſtim ille demiſſo vultu Abbatis veſtigia per lutum platearum, tanquam ad caudas equorum alligatus, cunctis ad eam rem valdè attonitis, ſequitur. Vbi autem extra vrbem ad ſemitarum diuerticula ventum eſt, dixit ei vir Dei: Quiſnam es tu, & quid tibi cum illis rei erat? Reſpondit ille: Quis ego ſim, non te latet, & conatus meos probè nôſti. Nuptiæ à diuitibus cum magna pompa in vico illo celebrantur. Ego verò in eam curam intentus eram, vt ſponſus ab æmulis ſuis in conuiuio cæderetur: porrò conuiuæ ira permoti, eam ſponſi cædem vlciſci properarent, ſicque ira & ebrietate occæcati, mutuis ſe vulneribus conficerent. Denique vt intra vrbem ſeditione concitata, multorum animæ trucidatis corporibus in noſtras manus peruenirent. Iamque mihi perſuaſeram, me de parta victoria gaudium ingens allaturum principi meo: at nunc per te diſſipato conſilio & machinationibus meis, vacuus & inanis abſcedo. His auditis, vir Domini nequitiam eius execrans, præcepit in nomine Domini, vt ad loca deſerta ſe conferret, nec vnquàm deinceps auſus eſſet hominibus illudere. Ad eam iuſſionem nequam ſpiritus euanuit, ſed tantum poſt ſe reliquit horrorem, vt equi hinnitu, fremitu & vngularum foſſione ſæuientes, vix à ſeſſoribus poſſent contineri. Cap. 4. Dæmonis malignos conatus impedit.

Nocte quadam vir ſanctus vidit malignum hoſtem ad chori aditum conſiſtere, & conari quidem ſæpiùs ingredi, ſed fruſtrà tamen. Habebat formam ruſtici præcincti, longis ijſque nudis tibijs ferentis à tergo ſportulam, & ad pectus lignum fuſtibus innexum. Cœpit porrò producto collo circumire chorum, oculos in fratres attentè conijcere, ſi quid forſitan poſſet ſibi gratum in aliquo cernere. At viro Dei inſtantiùs orante, & fratres à torpore excitante, improbus explorator diù fruſtrà expectans, cùm nil ſe proficere videret, indignabundus ad chorum fratrum conuerſorum ſe contulit, illic quoque cunctos curioſe contemplans. Si quos videret ſomnolentos, cachinnans ſpreuit: ſi noxijs cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applauſit. Tandem inter nouitios reperit iuuenem quendam, animo ad illicita euagantem, nec niſi ſolo illic corpore præſentem, immò etiam clandeſtinam fugam meditantem. Animaduertens igitur illum ſuæ ſortis eſſe, fuſcinula apprahenſum in fiſcellam ſuam coniecit, & celeriter inde ſe proripuit. Cernens id vir ſanctus, multùm pro illiùs ſalute anxius & ſolicitus, manè diligenter eum iuſſit inquiri. Sed ille ante auroram vagus & profugus, excuſſo ſuaui iugo Chriſti, ſequutus erat inimicum. Adiunxit autem ſe hominibus ſceleratis, dedituſque latrocinijs, non diù pòſt captus eſt, & capite plexus, miſerrimè è vita exceſſit. Cap. 5. Videt demonem fratrũ culpas explorantem. Apoſtata miſerè perit.

Die quodam ſub Miſſæ ſacrificio vidit in ſpiritu mare multiplicatis fluctuum voluminibus tumeſcere & ſurſùm deorſùm iactari, porrò nauim quandam fracto gubernaculo & diruptis rudentibus, incerta vagatione ferri, & tandem ad ſcopulos illiſam à compage ſua penitùs diſſolui, vndiſque hiantibus homines, qui in ea erant, abſorberi. Cap. 6. Viſio ſancti viri.

ſorberi. Sacrificio peracto, miſit fratres, qui die quarto in litore & loco, à viro Dei deſignato, ſubmerſorum corpora inuenerunt, eaque Eccleſiaſticæ ſepulturæ mandârunt.

Cap.7. Matrona quædam admonita à ſeruo Dei, ad meliorem ſe frugem recepit, ſpretaq; mundi pompa & ornamentorum faſtu atq; vanitate, inter delicias domûs ſuæ vitam ſolitariam agere videbatur. Sæpiùs ergo dominam illam vir Dei inuiſere & ad meliora incitare conſueuit: ſed ea res fratribus quibuſdam prauarum ſuſpicionum materiam præbuit, exiſtimantibus familiaritatem illam ab impuro amore proficiſci. Iã multorum aures illi infecerant, & tandem etiam ad beatum Bernardum querimoniç delatæ ſunt. (S. Bernard.) Ad eum ergo cùm veniſſet vir Dei, cuius & nomen & meritum in ſpiritu iam illi reuelatum erat, vocauit eum ad ſe ſecretò, dixitque ei: Frater Roberte, falſa ſunt ea omnia, quæ ſiniſtra ſuſpicio de te ſparſit: atque in amoris argumentum dedit ei zonam ſuam, quæ meritis vtriuſque multis poſteà ægrotis beneficium ſanitatis attulit.

Cap. 8. Sanctus Godricus viri Dei confeſſiones recipere ſolebat. Ad eum ergo crebrò accedebat, & inter ſe de morbis vitiorum, virtutum remedijs, itemque de ſecretis cæleſtibus, angelicis viſitationibus & ſanctorum patrocinijs conferentes, diem cum noctibus continuabant. Is Godricus eo tempore, quo vir Dei migrauit è corpore, in cella (Viſio Godrici.) ſua manens, duos muros candidos vidit, ad cælum vſque porrectos. In ijs autem tres angelici ſpiritus viſebantur, qui animam beati viri in ſpecie globi ignei ad cælos deferebant. Vnus ex ijs à dextris, alter à ſiniſtris erat. ſed præter illos tertius quidam ſpirit⁹ ſupra omnium verticem nimiâ cum exultatione antecedebat. Non enim, inquit, Godricus, ita diſponente Domino, ſolus à corpore Robertus migrare potuit, ſed cum eo quædam bonæ vitæ fœmina, Editha nomine, deceſſit. Etſi autem longis terrarum ſpatijs à ſe fuerint ſeparati, at tamen eadem hora in vna beatitudinis ſorte ſunt coniuncti. Irruerunt autem in occurſum beati viri ſpiritus nequam, ſed pugnantibus pro eo angelis Dei, illi ſua temeritate pudefiunt, & in ſinum Abrahæ Robertus Chriſti (Obitus S. Roberti.) ſeruus deportatur. Obijt vir Dei anno ſalutis 1159. ſeptimo Idus Iunij.

Cap.9. Quidam ex matris vtero mutus, diù cum multis lachrymis ſancti Thomæ martyris opem implorauit. Ei tandem per viſum apparuit ſanctus Thomas, iuſſitque eum celeriter proficiſci ad nouum monaſterium, vbi à ſancto Roberto Abbate perfectam eſſet citra dubium ſanitatem adepturus. At ille in animo ſuo obmurmurans, Quis, inquit, mihi vel itineris dux erit, vel ſumptus neceſſarios præbebit? Reſpondit ſanctus Thomas: Ille tibi dux erit, qui verbo cuncta creauit. Credidit homo, & lætus eò perueniẽs, optatum vocis beneficium percepit, laudans Deum. Multa alia vir Dei miracula edidit, quæ ſtudio breuitatis ſunt omiſſa.

VITA S. MEDARDI EPISCOPI NOVIOMENSIS, AVTHORE PRIMVM FORTVNATO PRESBYTERO:

cui tamen ab alio quodam docto viro non pauca poſteà adiecta eſſe non dubito, lectu non indigna.

Iunij 8. Cap.1. S. Medardi parentes & patria.

BEATISSIMVS Medardus, egregiæ vir ſanctitatis, patre Nectardo, matre verò Protagia genitus, apud Salentiacum, hæreditariam prædeceſſorum ſuorum poſſeſſionem, natus atque altus eſt. Eſt autem prædium illud Salentiacus in Epiſcopatu ſitum Viromandenſi, in regione autem Nouiomenſi. Qui Nouiomus cùm tunc temporis caſtrum ſeu munitio haberetur, poſtmodùm ipſius eiuſdem glorioſi pontificis Medardi ordinatione, pontificalis cathedræ honore, vt poſtmodùm dicendum reſeruamus, ſublimatus eſt. Sanctus itaque puer ſub parentum tutela diligenter educatus, diuinæ prouidentia gratiæ ſtudijs literarum eruditus, paruo in tempore inſpiratæ ſcientiæ lumine præ cæteris conſodalibus ſuis eminentiùs claruit.

Erat autem illi eo tempore conſodalis quidam Eleutherius nomine, quem ipſe (Cap.2.) tanquam ſimilis ſimilem, puer videlicet puerum, ſocius conſocium quammulta diligebat familiaritate. Hunc itaque, cùm aliquando inuicèm colloquerẽtur, vtpotè prophe-

pheticæ gratię afflatus ſpiritu, Epiſcopum futurum eſſe puer ipſe prædixit: & nō multò poſt eius ſpiritualem prænunciationem ipſe, per quem prophetauerat, Spiritus ſanctus adimpleuit. Cùm enim ætatis & morum ſibi diuinitùs adſpiràſſet gratia, in Tornaco ciuitate pōtificali, Deo annuente, ſublimatus eſt cathedra. Ita S. Medardus hoc, quod prædixerat, quaſi propheta diuino ſpiritu, iam probauit. S. Eleutherius fit Epiſcopus.

Erat ei ſuper egentibus cura non modica, adeò vt adhuc puerulus multa ſeſe domaret abſtinentia, expenſamque ſuam pauperibus diſtribueret, ac veſtimenta ſua indigētibus beneuolè largiretur. Quadam ſiquidem die caſulam, quam ei mater ſua non modici precij fecerat, dum ipſe in manibus haberet, fortuitò cæcum quendam obuium habuit, cuius, quam tunc patiebatur, nuditati compaſſus, eam benigniſſimè porrexit: & licèt parentum temporalium indignationem reuereretur, quod tamen ab eis ſuſceperat, ſpirituali patri Deo præſentare non dubitauit. Cap. 3. Medardi pueri virtutes.

Contigit eo in tempore genitorem ſuum, quē prænominauimus, ab itinere rediſſe, equoſque ſuos, qui defatigati erant, quia tunc ſeruientes aberant, huic ſancto puero quò in prato ſub eius cuſtodia reficerentur commiſiſſe. Puer autem ex patris præcepto equos hilariter ſuſcepit, & voluntati eius aſſentiens, iniunctum ſibi officium officioſiſſimè adimplere properauit. Cùm verò in cuſtodia eorum intētus eſſet, vidit fortuitò ignotum quendam pertranſire, ac ſellā equeſtrem, & quæ equitantē condecent, atergo geſtare. Percontari puer cœpit, qua de cauſa ſic incederet onuſtus, cùm ſolummodo via vianti graui ſatis impedimento videretur. Equum meum, ille reſpondit, cōtigit caſu deperiſſe: quæ tamen equi erant, inūtile mihi viſum eſt perdidiſſe. Faciliùs nempe ſolum equum mihi erit cōparare, quàm & equū & ea, quæ huiuſmodi condecent officium, reparare. Puer autem bonæ indolis, tantæ illius compatiens fatigationi, cùm iam eum præ nimio labore deſudantem, & penè iam deficientem vidiſſet, ex piiſſimo affectu mentis, In nomine, ait, Domini vnum ex his tolle, quos hîc in cuſtodia ſuſcepi. Cumq; viator hoc ſuæ poteſtatis non eſſe ambigens, aliquantulùm remoraretur, Tolle, ait, ſicut dixi, & quocunq; te pertranſire contigerit, me huius conceſſionis & authorem & patronum incunctanter habebis. Perſuadenti puero eques libentiſſime, vtpotè nimis defatigatus, obtemperauit, equoque quamcitiſſimè ſtrato, cum multis gratiarum actionibus lætus abſceſſit. Cap. 4. Dat equum homini afflicto.

Poſt eius abſceſſum, cùm iam domi paratum eſſet, per quendam ſeruitorum puer à parentibus, vt conuiuio intereſſet, inuitatur. Ille verò, qui ad hoc miſſus eſt, eminùs proſpiciens, videt puerum propter pluuiam, quæ tunc fortè ingruebat, aliquantulùm ab equis ſeceſſiſſe, ac tanquam latebram propter imbrium effuſionem quærentem ab officio declinàſſe. Et in altum oculos eleuans, videt aquilam alarum expanſione, omniq; ad hoc diſtento corpore, tam congruenter puerum cooperire, vt in nullo, cùm circunquaque pluuia illa graſſaretur, ab inundante aëris illius contingi poſſet, exundatione. Hoc diù miratus, tandem non ſine multa trepidatione appropians, humilimè puerum ſanctum adijt, & vt ex præcepto patris paterno intereſſet conuiuio, diligentiſſimè inuitauit. Puer autem ire recuſans, Precor, inquit, frater reuertens domū, apud parentes meos ſuper hoc me habeas excuſatum. Ea de cauſa fortaſſis remorari cupiebat, quò iam dictus eques in hac remoratione longiùs aueheretur, ne fortè ab aliquo, ſi eum inſequi vellet, inueniretur. Reuerſus itaque ſeruulus, parentibus filij replicat excuſationem, & non ſine multa ſtupefactione aquilæ ſuper puerum ex ordine pandit obumbrationem. Parentes cum omni familia ſuper his, quæ audierant, murmurantes inuicèm lætantur. Vt verò certiores fiant, ad videndum tantum hoc miraculum hilariter ſeſe cohortantur. Relicto conuiuio pater, cum omni ruit familia, mater cum ancillulis ſuis currendo penè atterit veſtigia: vnum omnibus votum, ſi fortè, quæ auditu didicerant, viſu etiam probare poſſent. Vbì verò illò ventum eſt, intuentur diligentiùs, & quod relatu didicerant, ipſo ſuorum oculorum teſtimonio veraciter confitentur. Pater & mater ſuper filio quamfamiliariter illachrymantes, Deo puerum commendant, ac non ſine multa deuotione, chariſſimæ ſuæ ſobolis innocentiam retractant. Cap. 5. Aquila eum à pluuia tuetur.

Inter hæc milites, quorum equos cuſtodire erat, equis recenſitis, vnum deeſſe reperiunt: quem vt huiuſmodi hominibus mos eſt, à puero intentè requirunt, blandè ac leniter paruulum demulcent, inſtanter ab eo requirentes, ſi quam per eum damni huius adinuenire poſſent recuperationem. Erat ſiquidem aliquantula iam ſuper talibus de illo ſuſpicio: quia eum erga pauperes non neſciebant eſſe munificum, ac quicquid vſpiam reperire poterat, in vſus eum audierant expendere miſerorum. Cumque à fa- Cap. 6. Benignitas eius in pauperes.

à famulis ea de cauſa & priuatim & publicè argueretur, appropians patri, rem ei ex ordine pandit. Miratur pater clementiſſimam compunctionem filij, & licèt damni aliquantulum ſibi non neſciret imminere, admodùm tamen ſuper beneuoli pueri beneuola congratulatus eſt compaſſione. Tantum huius pueri Dominus in ſua perſpiciens voluntate famulatum, ipſo eodem momento magnum ſubitò dignatus eſt declarare miraculum. Nam cùm denuò equorum ſuorum ſolicitè recenſerent numerum, diuina ſic operante maieſtate, totam eorum integritatem ex improuiſo reperiunt. Mirantur adſtantes: familia cuncta lætatur. Pater cum matre filium quamfamiliariter amplexantur, & vt in altiora ſe ſubrigat, lachrymabiliter cohortantur. Fili, aiunt, omnia noſtra, tua ſunt, vtere noſtris, vt libet. Tuo, aiunt, & noſtro, vt tibi viſum fuerit, in Dei gratia vtere patrimonio, vt nos tecum conſortes perennis vitæ habeas in præmio. Non diffidebant enim ſe eius oratione ſaluari, quem iam tantis à Deo videbant virtutibus illuſtrari. Et hæc dicentes, ſecum adducunt puerum, multoque cum gaudio in his & in alijs bonæ ſuæ ſobolis actibus Deo gratias referentes, gratanter ſeſe reficiunt.

Equus diuinitùs reſtituitur.

Cap. 7.

Accidit poſtmodùm, dum domi puerulus haberetur, inter indigenas non modica quædam altercatio, de terminis videlicet agrorum, vt frequenter fieri videtur, iugis & infinita diſceptatio. Rixabantur multoties à manè vſque ad veſperam, & vt huiuſmodi ruſticis moris eſt, penè iam ad arma vſque inuicem exprobrando proceſſerant. Genus enim hoc agreſte hominum, ſi quid inter eos diſſenſionis exortum fuerit, niſi cum multa ignominia terminare neſciunt. Cùm verò tandem ex communi conſenſu ad dirimenda agriculturæ ſuæ proceſſiſſent confinia, contigit cum eis adfuiſſe & hunc venerabilem puerum. Vbì verò ventum eſt ad locum, cùm diuerſi diuerſa ſentirent, videt puer lapidem terrę fixum, vt plerunque videri ſolet in terminis agrorum. Super quē pedem inijciens, Hic eſt, inquit, terminus, & huius contentionis limes certiſſimus. Ad cuius leuiſſimnm tactum lapis ille ita ſubſidit, velut cera à facie candentis ferri liqueſcit. Apparet equidem figura plantæ pedis eius, in eadem caute adeò ſubtiliter expreſſa, vt à nullo artificum expreſſiùs exculpi aut ſignari poſſit. Ita contentione ſedata, Dominum, qui magna operatur in minimis, glorificantes, redierunt in ſua. Extat vſq; in hodiernum diem penes nos idem lapis, magnæq; apud eos, quibus eſt cognitum, habetur venerationis. Hæc duo quæ in pueritia eius acta cognouimus, dixiſſe ſufficiat. Amodò autem ad ea, quæ in maturiori eius ætate per eū Dominus operatus eſt, Deo ipſo annuente, tota mentis intentio eſt dirigenda.

Veſtigium pedis eius in ſaxo perdurat.

Cap. 8.

Perſpicientes autem boni parentes bonæ ſobolis ſuæ beneuolentiam, & in ſeruitio Dei eius attendentes induſtriam, Epiſcopo eum, qui tunc temporis Viromandenſi præerat eccleſiæ, commendauerunt, orantes deuotiſſime, quatenùs epiſcopali benedictione ad clericatûs promoueretur officium. Commendatum itaque ſibi benignè Præſul ipſe ſuſcepit, beneuolè amplexatus eſt, & diligenter enutriuit, & tanquam vnicum & vterinum filium in fide & doctrina Eccleſiaſtica educare liberaliter elaborabat. Quantæ ipſe liberalitatis, quantæ ſanctimoniæ ſeu caſtimoniæ ſe à puero exhibuerit, quanta humilitate ſeu reuerentia & apud Deum & vrbis pontificem claruerit, pro certo edicere noſtræ non eſt poſſibilitatis. Erat quidem magnanimus in aduerſis, mitis in proſperis, cunctos ſibi obedientiæ ſedulitate præferens, morum claritate præcellens, egentibus larga miſeratione ſuccurrens. Sicque viriliter fomite conculcato vitiorum, auguſtiorem conſcendens ſcalam virtutum, quicquid Deo contrarium ſentiebat, declinabat: quicquid verò placitum nouerat, omni niſu exequebatur. Erat ſiquidem in oratione aſſiduus, ieiunijs & vigilijs intentus, aliorum tribulationibus tanquam ſuiipſius lachrymabiliter compatiens. Omnibus omnia fact⁹ erat, vt omnes ad æternam confortaret conſolationem. Quid plura? Multis atteſtantibus peregrinus erat in ſeculo, & iam pro certo manſionarius credebatur in cælo. Facies eius iucūda, lingua eius facunda, os eius in laudē Dei ſemper erat apertum. Carnis voluptatibus reluctans, perfectiorem ſpiritualis vitæ lineam toto niſu exequebatur. Obedientiæ virtute omnibus ſe imitabilem, frugalitate laudabilē, & vniuerſa morum probitate præbebat inſignem: de virtute in virtutem, ſecundùm Pſalmiſtam, tranſmigrabat, vt Deū deorum videre promereretur in Sion.

Catalogus virtutū eius

Pſalm. 83.

Cap. 9.

Sacerdotio initiatur poſt alios inferiores ordines.

Decurſis itaque cum multa honeſtate inferiorum ordinibus graduum, poſt bonam eorum adminiſtrationem, diuina ſibi adſpirante gratia, ſub multimodo vtriuſque ſexûs teſtimonio, ſacerdotale coactus eſt ad officium. Simul verò vt tam ſublimi promotus eſt dignitate, quanta corpus ſuum parſimonia macerauerit, quis poſſet

ex-

explanare? Ipſe equidem multa ſe affligens abſtinentia, eſurientes reficiebat: ſitiens ipſe, ſitientes refocillabat: nudos, ſuæ non parcens nuditati, miſericorditer veſtiebat: & omiſſis ſuis ſuorumq; vſibus, quicquid ſibimet ſubripere poterat, pauperibus & egenis benignè largiebatur. Poſtquàm ergo vir beatus dignitatem, vt prælibatum eſt, adeptus eſt ſacerdotij, diuinæ diſpoſitionis gratia, multimoda miraculorum meruit declaratione publicari. Deus ſiquidem, cuius ipſe ſanctis inſtitutionibus viriliter elaborabat obedire, per multa eum inſignia mundo non dedignatus eſt declarare.

Contigit fortè illis in diebus latronem quendam vineam eiuſdam ſancti noctù irrupiſſe, multaq; cum auiditate vuas & palmites, & quicquid arripere potuit, irreuerenter decerpſiſſe. Secabat gladio, quod manu diſcerpere non poterat: quæq; manum eius euadere poterant, pedibus atterendo cóculcabat. Sanctus ipſe Medardus ipſa fortaſſis eadem hora ſolitis incumbebat orationibus, & ſicut huiuſmodi decet hominē, Deum tam pro inimicis, quàm pro amicis ſuppliciter deprecabatur. Oráſſet autem, nec ne, non dormitabat tamen neq; dormiebat peruigil cuſtos Iſraël. Cùm enim miſer ipſe latro plenis præda manibus effugere conaretur, tota nocte vineam circuiens, aditum exeundi reperire non potuit: immò vellet nollet, aduſq; auroram ſuoipſo furto ſeuinctus, ibidem tota ipſa nocte permanſit. Quid ageret? A ſummo vſque ad ſummum, vineam tum rependo, tum diſcurrendo circunquaq; percurrebat, obſtructos ſibi ſentiens exitus, iniquæ ſuæ malitia conſcientiæ admodùm torquebatur. Miſer ipſe vuas, quas decerpſerat, dimittere non poterat: immò tanquàm proprias ad augmentum iudcij ſui reſeruare cogebatur. Aurora igitur illuceſcente, cuſtodes ſubitò conueniunt, vineam conculcatam, palmites diruptos, vindemiamq; irreuerenter deſecatam reperiunt, & eueſtigiò latronem circunquaq; inſequuntur. Stupefactus nimirum raptor infelix, latebat in vinea, quem ſuaipſius rapina, tanquam iam iudicatum, penè condemnauerat. Tenebat quidem rapinam in manibus: immò ipſe à ſuaipſius rapina tenebatur. Nullum iam miſero patebat effugium: immò in manibus ſuum in palàm præferebat iudicium. Abſtractus demum à latibulo, confuſionis ſuæ ignominiam confeſſus eſt in publico. Confeſſus eſt ſe rapiendi cauſa furtim vineam irrupiſſe, furtim quæ videbant decerpſiſſe: & cùm maxima parte noctis ad id elaboráſſet, nuſquam exitum reperiſſe. Erat ibi videre miſeriam. Videres miſerum illum in ſeipſo ſuę geſtare ſententiam damnationis, qui & rapinam præripuerat, & ab ipſa ſua rapina publicè ſe confitebatur coarctari. De latrocinio ſuo guſtare non potuit, & quia ſanctum ſacerdotem iniuſtè inſequebatur, condemnationis ſuæ periculum impunè non euaſit. Adiudicatus ergo iam cogebatur ad ſupplicium, cùm ſanctus ipſe ſacerdos ex improuiſo accurrens, miſero factus eſt in munimentum. Memor ſiquidem Dei ſeruus Dominicæ orationis, in qua oramus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: vix de manibus eum eripuit inſequentium, blandeque ac leniter demulcendo, ab hac eum culpa clementer abſoluit, eumque, ſicut erat onuſtus, liberè abire permiſit.

Cap. 10. — *Pſal. 120.* — *Vltio diuina in furem.* — *Matth. 6.* — *S. Medardi clementia in furem.*

Hac eadem patientia vir ſanctus plerunque & in alios vſus eſt. Quodam nanque tempore cū noctù latro alius apes ſuas ſubripuiſſet, apes ipſæ in ſancti viri vltionem, relictis vaſis ſuis, in malefactorem illum circunquaque diffugientem acerrima eatenùs inſtimulatione perſecutæ ſunt, quouſque ad ſanctum, vellet, nollet, regrederetur, & eius prouolutus veſtigijs ſuppliciter pro commiſſo crimine veniam precaretur. Cui mox vt ſanctus manum extendit benedictionis, & apes tanquam obedientes, ab eius inſecutione ceſſauerūt, & antiquo domini ſui dominio euidenter ſeſe reddiderunt.

Cap. 11. — *Apes produnt furem.*

De tauro quoque, qui ei ſimiliter furto ſublatus eſt, non eſt tacendum, ne neſciant malefactores curam non modicam Deo eſſe ſuper oppreſſione fidelium ſuorum. Taurum illius malignus quidam furtim in exteras abducere partes præſumpſit, & ne ab aliquo inſequentium deprehenderetur, tintinnabulum, quod à collo dependebat, præreptum multa graminis impreſſione obſtruxit. Cùm ergo nemine ſe inſequente in propria deueniſſet, & alienum illud pecus iam ex certo ſuieſſe iuris non deſperaret, in tintinnabulum illud, quod ſic damnauerat, redijt ſonitus, adeò vt, vbicunque eſſet repoſitum, & iugiter ſonaret, & circunquaque audiretur. Abditum ſæpiùs in cubiculis penetralium, in ſcrinio vel arca frequentiùs reconditum, ſemper tamen & vbique liberrimo ſonitu latronis illius declamabat flagitium. Audiebant vicini & mirabantur, quid tamen res prætenderet, necdum ſcientes, magnum aliquid deſignari arbitrabantur. Fraudulentus demum latro, ſua diù tortus conſcientia, cùm iam ſe pro tanto

Cap. 12. — *Vide rem miram.*

tanto

tanto miraculo diuina iudicatum pertimeſceret in præſentia,amicis ſuis & affinibus, quia iam celare non poterat, factionem hanc flagitioſiſſimam lachrymabiliter diſſeruit,& eorum ſapienti vſus conſilio S. Medardo,quod malignè defraudauerat, ſuppliciter reſtituit.

Cap.13. Rex poſteà Clotarius exercitum mouens, Somenam violenter tranſiuit fluuium, & vbicunq; potuit deprædatus,adiacens omne deuaſtauit territorium. Cum multa illa præda inter Nouiomum reuertebatur & Iſaram. Verùm quia & Epiſcopum Viromandenſem,& quæ ſub illa degebant eccleſia,deprædatus erat, diuinæ vltionis dignè & laudabiliter prædicandam non euaſit ſententiam. Parcens quippe Dominus & ipſi Clotario,& qui cum ipſo huius erant participes criminis,equos tamen eorum & omnia vehicula,plauſtra ſcilicet & alia,quibus præda illa euehebatur, adeò diuinitùs afflixit,vt per omne triduum à loco illo nullo modo poſſent moueri. Perſpicientes autē tantum hoc Dei miraculum,ad ſanctum Dei ſacerdotem Medardum, qui tunc temporis Salentiaci remorabatur,ſuppliciter confugiunt,eique vnanimi deuotione, quæ deprædati fuerant,reſtituentes, cùm ab eo ſuper commiſſis abſolutionem ſuſcepiſſent,diuino illo vinculo reſoluti, læti & alacres ad propria reuerſi ſunt. O mira & ineffabilis Dei clementia. Quos ipſe Deus iudicij ſui per triduum iuſtiſſima ligauerat condemnatione, ſanctus confeſſor Medardus vno in momento indulta relaxauit abſolutione. Verè lingua Petri, & qui ab eo ſuſcipiunt, claues ſunt regni cælorum, quibus conceſſum eſt, verè pœnitentes tam potenter à nexibus abſoluere peccatorum.

Clotarius rex propter ablatas eccleſiæ res punitur.

Cap.14. Toſio poſtmodùm quidam,qui ſic dicebatur, grauiſſima dæmonis depreſſus infeſtatione, ad virum Dei non ſine multa parentum ſeu amicorum ſuorum perductus eſt fatigatione. Dolens autem ſanctus ipſe à diabolo Dei præoccupatam eſſe imaginem, fidentiſſimam ad Deum fudit orationem: moxque ſigno Crucis impoſito, potentiſſima Spiritûs ſancti virtute & diabolum expulit, & hominem illum in priſtinam ſanitatem reſtituit. Tantum hunc Dei ſeruum plebs vniuerſa multùm admiratur,& quicquid ex eius ore ſuſcepiſſet, cum ſumma deuotione ſtudioſiùs exequebatur. Erat enim iuſtus in iudicio, prouidus in conſilio, in proſperitate mitis, in aduerſitate fortis. Erat patiens in tribulatione, larga miſeris ſubeniens miſeratione: & licèt omnibus ipſe præſtantior iudicaretur, omnibus tamen tanquam præſtantioribus humilimè obſequebatur: & per omnia prælatis ſuis obediens, ſubiectis ſuis amicabiliter ſeſe affabilem exhibebat. Erat in oratione aſſiduus, in eleemoſynis largus, aliorū incommoda ſuaipſius æſtimans,pro vniuerſali omnium proſperitate Deum ſedulò exorabat.

Signo Crucis ſanat dæmoniacū.

Cap.15. Contigit eo in tempore Viromandenſem Epiſcopum, qui per aliquot annorum curricula ipſam rexerat eccleſiam,Dei ſic præordinante clementia, diuinum ad iudicium euocari,& ſponſo eccleſiæ prærepto,eccleſiam illam per aliquod temporis ſpatium viduari. Peractis verò non ſine multo fletu Epiſcopi ſui excubijs,regis & optimatum aſſenſu ſanctiſſimum ſacerdotem Medardum plebs omnis illa Viromandenſis, & omnes eidem prouinciæ adiacentes,Epiſcopum ſibi vnanimiter acclamabant conſecrari. Quorum petitioni cùm diutiùs,indignum ſe iudicans, vir Dei reſtitiſſet, diuina tandem diſpoſitione multimodis eorū precibus fatigatus,aſſenſum dedit, & Viromandenſis præſulatûs curam regendam non ſine deuotiſſima cordis compunctione ſuſcepit. Flebat ſiquidem populus ille, tantam ſancti Confeſſoris duricordem reueritus obſtinationem: compungebatur & ipſe ſanctus,tantam plebis illius luctuoſam admiratus deuotionem. Vicit tandem populi ſupplicantis ſupplex oratio, & quæ ſibi à ſanctis pontificibus obijciebatur, obedientia: & licèt inuitus,eccleſiaſtica tamen ſuſcepit gubernacula. Quod verò inuitus ſuſcepit, feliciter & intentè adminiſtrauit. Huius quippe prælationis honore ſublimatus, ſanctiſſimæque vnctionis ſacramento confirmatus,die noctuque in lege Domini meditabatur,& infatigabiliter diuinis in laudibus perſiſtebat: & cùm ab ipſa infantia curandis pauperibus ſedulò inſudâſſet, tum præcipuè maiorem in hoc diligentiam adhibens, in ipſis maieſtatem ipſam Dei ſe non diffidebat amplexari. Sedula quidem prædicatione ſubditorum animas à diabolica liberabat ſeductione,bono ſuæ conuerſationis exemplo ſubditorum animas confortabat, & quoſcunque deuios ſeu erroneos nouerat, de ipſis mortis faucibus ad vitam prædicando reuocabat. Quid plura? Quod ore prædicabat, opere indiſſimulatè, ne alijs prædicans, ipſe reprobus efficeretur, explere non negligebat.

Creatur Viromandenſis Epiſcopus licèt inuitus.

Studia veri Epiſcopi.

Verùm

Verùm priuſquàm beatiſſimus pontifex epiſcopali ſublimatus fuiſſet cathedra, crebris & intolerabilibus Vuandalorum, Hunnorum, Hungarorum & aliarum gentium irruptionibus, vniuerſalis deuaſtata erat Gallia. Deſtructis ciuitatibus, diruta Gallicana lamentabatur eccleſia: exectis matrum viſceribus, inhumata infantium proijciebantur corpora: coniugibus interfectis, matronæ viduatæ remanſerant, & præ nimia deſolatione ad internecionem vſque indigenæ omnes penè deuenerant. Dolens itaque vir beatus ciuitatis illius Viromandenſis, quam regendam ſuſceperat, iam factam deſtructionem, veritusque iterandam paganorum irruptionem, Nouiomum, quem munitionem prænominauimus, ſano ſatis conſilio ſedem conſtituit epiſcopalem. Eſt etenim regio illa fertilis & amœna, vineis & hortis abundans, multaque annonæ cultura, bellicoſos generans homines, & in Eccleſiaſticis officijs vtriuſque ſexûs perſonas Deo generosè ſeruientes. Eſt & regio ipſa ſyluis circundata & paludibus, & ſuaipſius habilitate contra hoſtiles non parùm munita excurſus. Ipſe quoque inter geminos riuulos conſtitutus eſt Nouiomus, ab Oriente Galliola, ab Occidente Margareta circunfluitur: quos ambos tertius quidam ſuſcipit, qui Verſa nominatur: & ſic pariter confluentes, non longè à mœnibus illis in Iſaram, qui magni eſt nominis, dilabuntur. Circunquaque ibi virent pomœria, grata ibi planities eſt & amœniſſima, pratiſque & paſcuis virentibus ſuis non modicum arridet habitatoribus. Eſt etiam locus ipſe ab Oriente & Occidente rupibus adeò vallatus & riuulis, montibus quoque & vallium cuniculis, quò contra plurimam hoſtium incurſionem à paucis commodiſſimè poſſit defendi.

Cap. 16. — Gallia à barbaris vaſtata. — Epiſcopatus Nouiomē. inſtituitur.

Ibi ergo, ne vlteriùs direptioni ſubiacerent gentium, Epiſcopali ſede confirmata, ſanctus præſul Domini, ſuæ omnes paſtoralitatis multa prædicationis inſtantia confortabat. Prædicabat inſtanter pœnitentibus promiſſam remiſſionem peccatorum. Prædicabat omnibus, regnum Dei appropinquare, citòque iudicium Dei futurum. His & alijs multimodis prædicationibus & Deo charus erat, & in populo amabilis admodùm habebatur.

Cap. 17.

Cùm erga eccleſiam, quam Nouiomi conſtruxerat, feliciſſimè gubernaret, & ſuos quóſque, prout diximus, ad æternam remunerationem confortaret, ſanctum Eleutherium, Tornacenſis eccleſiæ pontificem, quem ipſe, vt prælibauimus, in infantia ſua futurum eſſe prædixerat Epiſcopum, hominem contigit exuere, ac poſt felicem pontificij ſui adminiſtrationem, de terrenis ad cæleſtia coronandum tranſmigrare. Poſt cuius lugubres exequias, cùm de pontificis electione inuicem differerent, peracto triduano ieiunio, & ſolennibus hoſtiarum victimis Deo deuotè oblatis, ſubita ſancti ſpiritûs inſpiratione inflammati, vnanimiter ſanctum hunc Pontificem Medardum elegerunt, eius ſe orationibus confidentes contra impetus muniendos malignorum ſpirituum. Id populus acclamabat, in hoc rex ipſe proceresque palatij præcipuè comprouinciales Epiſcopi, conſentiebant. Legerunt ſiquidem, vocem populi, vocem ipſam eſſe Dominicam: & quod tam vnanimiter populus expetierat, omni remota excuſatione fieri adiudicabant. Recuſabat humilimè inſignis Dei Præſul, quod plebs tam vnanimiter acclamabat: obſtinato eis animo, impotentem ſe & indignum vociferans, magnanimiter reſiſtebat. Pontificali demum, metropolitani ſcilicet & comprouincialium ſuorum coactus authoritate, regiſque ac procerum aſſenſu, plebiſque coactus inceſſabili acclamatione, vix conſenſit, & vnanimi, pontificali videlicet ac regali, authoritate duas illas eccleſias vnam fecit. Vtrunque ouile paſtor egregius conſilio & authoritate comprouincialium Epiſcoporum tempore Hormiſdæ Papæ ſub ſancto Remigio, tunc temporis Rhemorum Archiepiſcopo, aſſenſu regis & curialium ac vtriuſque plebis acclamatione tandem ſuſcepit, & vt vtrique eccleſiæ Cathedralis ſemper honor maneret, benignè conceſſit. Quot & quanta in regione illa opprobria, quot & quantas perpeſſus ſit iniurias, quoties comminationibus iniuriatus fuerit Tornacenſium, quoties pro inceſſabili prædicatione adiudicatus fuerit ad ſupplicium, licèt nos lateat, Deo tamen ſoli manifeſtum eſſe, nulli eſt ambiguum. Erat enim gens ipſa fera & indomabilis, duræ ceruicis populus & implacabilis, prauis admodùm ſubditus obſequijs idolorum, & cum multa obſtinatione ſuorum defendens culturam deorum. His ipſe ſe viriliter inijciens ſanctus Epiſcopus, Euangelicas & Apoſtolicas inſtitutiones imperterritè prædicabat, falſis eorum obiectionibus magnanimiter reſpondebat, & imaginarias eorum opiniones veridica prophetarum prænunciatione viriliter expugnabat. Aderat ſiquidem ei diuina ſemper

Cap. 18. — S. Eleutherius decedit. — Compulſus Tornacenſem eccleſiā regendam ſuſcipit. — Tornacenſiū barbari mores.

gratia,quæ illum & ab infidelium protegebat incurſu, & eorum quoq; infidelium ad dulciſonam ſpiritualis doctrinæ inſtitutionem emolliebat auditus. Sicq; factum eſt, vt paruo in tempore innumerabilis eorum multitudo ad fidem catholicam conuerterentur,& Deo præordinante,per inæſtimabilem ſancti huius pontificis inſtantiam, ſacroſancti baptiſmatis vnda,maxima ex parte ſanctificarentur.

Tornacenſes conuertuntur.

Cap. 19. Marc. 16.

Comprobatur in hoc ſancto paſtore veridica ſummi paſtoris ſententia, quam eius ex ore ſancta & Euangelica nos docet hiſtoria. Signa,inquit,eos,qui in me credunt,hęc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient,linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent.& ſi mortiferum quid biberint,non eos nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Dæmonia quidem ſanctus Dei athleta eiecit, cùm creatoris imaginem ab idolorum cultura in remiſſionem peccatorum prædicando reuocauit. Lingua eum noua locutum eſſe non diffidimus,cùm ad eius prædicationem, quam catenùs non audierant,infideles ad fidem tranſiſſe non neſcimus. Serpentes ſiquidē eum manifeſtum eſt eieciſſe, cùm prædicationis ſanctæ antidoto ab execrabilis ſerpentis venenoſis immiſſionibus languentium ei gentium corda conceſſum eſt ſanâſſe. Mortiferum multoties bibit, verùm ei non nocuit: cùm prophanis ſemper repugnans perſuaſionibus, neque diabolo,neque miniſtris eius ſuccubuit. Aegros benè ſe fecit habere, cùm eos ad veræ fidei ſanitatem de infirmiſſima conuertit incredulitate. Sic itaque ad imitationem ſummi paſtoris ,qui, ſicut ab eo in Euangelio ſuſcepimus, alias habens oues,de duobus vnum ouile fecit: ſanctus pontifex Medardus ferocem illam Flandrenſium gentem ſuæ Nouiomenſi eccleſiæ aſſociauit, & per quindecim annorum ſpatium, licèt aliquo itineris interuallo remoti eſſent, ad diuinum eos cultum informare indeſinenter elaborauit. Quindecim annis commiſſam ſibi diuinitùs inſedit cathedram, eo in tempore non ſine multo labore incredulos & infideles ad fidem educauit catholicam, reædificatis eccleſijs eos, qui Deo inibi ſeruirent, non ſine ſana manûs impoſitione decenter conſecrauit, & quicquid Deo placitum nouerat, inceſſabiliter & inexcogitabili deuotione ordinauit.

Signa vel miracula ſpiritualia.

Iohan. 10.

Cap. 20. Graui morbo corripitur.

Huius ergo temporis tranſacto ſpatio,ſanctum Dei pontificem grauiſſima contigit deprimi corporis infirmitate,& inualeſcente morbo, corporeos eius ſenſus de die in diē paulatim deficere. Iacebat ſiquidē ſancti corpus omni penè ſuaipſius virtute deſtitutum: ſpiritus autem, quia ſemper Chriſtū deſiderauerat,omni niſu ſuſpirabat ad eum. Feſſum corpus ad ſuam anhelabat materiem: anima verò ad eam, vnde proceſſerat,tendebat * hæreditatem. Confluebant vndique,quos ipſe regendos ſuſceperat,ad paſtoris ſancti plorabundam viſitationem: confluebant vndiq; filij,paternam ſibi lugentes adimi conſolationem. Verùm licèt corpus & ſenſus eius corporeos grauis illa mortis occupâſſet inſtantia,non tamen à prædicationis eius officio ſanctiſſimæ ipſius linguæ retardabatur facundia. Deum corde ſuſpirabat,& ore fatebatur. Deum inceſſanter prædicabat,& ad fidem catholicam vſquè ad ipſum mortis ſuæ momentum, quoſcunque poterat,inſtanter exhortabatur.

* requiem

Cap. 21. * Chrannū Nota Clotarij regis deuotionē.

Cùm autem beatus hic pontifex vitæ appropinquaret ad exitum,contigit Clotarium regem,poſtquàm * Granum filium ſuum cum vxore ſua ac filiabus combuſſerat, à regione reuerti Britannorum. Cognita verò huius inualitudine pontificis,ad eum viſendum humiliter feſtinauit,eius ſe non diffidens contra diabolicas infeſtationes benedictione muniri,& interceſſione apud diuinam maieſtatem reconciliari. Cùm ergo in hac regali viſitatione,in conſpectu eiuſdem & principū de ſepultura pontificis tractaretur,ſuorum aſſenſu filiorum,ſua ſe in ſede ſanctus ipſe præordinauit ſepeliendū. Cuius ſententiæ obſtinato rex animo reſiſtēs,Sueſſionis eum couſtituit transferēdum aſſerens ſe ſuper corpus eius baſilicam decēter ędificaturum, & ad laudem & gloriam diuinæ maieſtatis cœnobialem ſeruorum Dei regulam ordinaturum. Ceſſit igitur beatiſſimus pontifex regiæ diſpoſitioni, & indefeſſe ſe ſuoſque Domino commendans, finita oratione, ſpiritum exhalauit. O felix corpus, felicioremque animam. Mox eorum certiſſimo,qui aderant,teſtimonio cæli aperti ſunt, & diuina luminaria ferè per duarum horarum ſpatium ante ſancti apparuēre præſentiam,de tenebris eum tranſitorijs ad lucem deſignantia pro certo tranſiſſe perpetuam. Hoc tanto beatiſſimi præſulis animati miraculo,maiori,vt eum transferrent, accenſi ſunt deſiderio. Corpore itaq; ſancto compoſito ac delato ad eccleſiam,nocte illa exequialem cum multa deuotione celebrauerunt vigiliam.

S. Medardus obdormit in Domino.

Cap. 22.

Manè verò facto,cùm Epiſcopi, quibus intereſſe contigerat, ſuum defuncto celebrāt

bráſſent officium, inopinabilis multitudo conuenit nobilium, de caſtellis & ciuitatibus, de agris & municipijs adiacentibus inæſtimabilis accurrit conuentus: alij eius deuotè deſiderantes intereſſe obſequijs, alij admodùm lugentes patrem ſeparari à filijs. Per medias ergo plorantium lachrymas rex irrumpens cum Epiſcopis & optimatibus, ſuis ipſius humeris corpus ſuſtulit ſanctiſſimum, Sueſſionis, ſicut prædixerat, efferre volens ad ſepeliendum. Ea nimirùm hora, quibus intereſſe contigit, ineffabilem lugentis populi expauêre gemitum, dum non modò illa eccleſia, ſed & per totam ciuitatem & in ſuburbio, per vicos quoque & plateas vnam & eandem vocem audirent plorantium. Recolebant ſiquidem vrbis illius indigenæ patris ſanctiſſimi, qua catenùs informati fuerant, benigniſſimam prædicationem: dolebant verò & vehementer angebantur, quia cùm patrem amiſiſſent, patris etiam ſepultura regis & procerum violentia fruſtrabantur. Compatiebantur qui ſuperuenerant ad tantam plebis illius compunctam illachrymationem: verùm quia regia vrgebat dignitas, ad ſanctiſſimi corporis intentè inſudabant tranſlationem. Vix ergo & non ſine multo labore patre mœrentibus & lugentibus filijs erepto, ſicut à rege ſuſceperant, iter aggrediuntur. Rex ſuis humeris eius ſacrum corpus geſtat.

Huius audita tranſlatione ſanctiſſimi confeſſoris, & non deſperans de tanti clementia interceſſoris, intra portantium cuneos cæcus quidam feretro ſe humilimè ſubmiſit, & protinus ſecundùm fidem ſuam, quia benè ſperauerat, per ſancti Medardi meritum viſum gratuito munere recepit. Quid plura? Qui priùs in ciuitate tantam audierant deuotionem lugentium, & tunc ſuper hac cæci illuminatione tantum Dei & ſancti Pontificis perſpiciebant miraculū, vlnas libentiſſimè ſanctæ illius euectioni ſupponunt. Magna ſe credidit * ditatum remuneratione, cui etſi non geſtare, ſaltem illud ſancti feretrum quoquo modo licuit attrectare. Epiſcopi & optimates ad id ſe officij hilariter cohortantur, & onus illud leue ſentientes, ex præcepto regis apud Attipiacū villam fluuium Axonam nauigio tranſgrediuntur. Poſtmodùm iter dirigentes contra eiuſdem fluminis vndam, ſicut rex prærordinauerat, iter ad vrbem flectūt Sueſſionicam. Cap. 23. Cæcus lumē recipit. * ditandum

Dei & ſancti Pontificis gratia Bandaredus Sueſſionenſis Epiſcopus, cum debita proceſſione reuerenter occurrit, ac ſanctiſſimū corpus, prout decebat, honorificè ſuſcepit. Sic ſolenniter felix illa Sueſſionenſium ciuitas ſanctum Dei ſuſcepit cōfeſſorem, amplexata eſt feſtiuè patronum, amodò proprium patriæ habitura defenſorem. Cap. 24. Sancti ſunt vrbium defenſores.

Inter hos properantium cuneos quidam ſe ingeſſit, aurium diutiùs fruſtratus officio: qui mox vt peplum, quo ſacrum tegebatur corpus, oſculando deuotè attigit, fraudati ſenſûs vſum ilicò ſancti pontificis interceſſione ſuſcipere promeruit. Gratulatur admodùm rex, gratulantur etiam Pontifices cum optimatibus: magnum fit in cælis gaudium, & adſtantes vniuerſi Deum ex toto corde non ſine lachrymis compunctè venerantur. Cap. 25. Surdus audit.

Retranſmeant ex præcepto regis prædictum flumen Axonam, perueniuntque in prædium, vbi rex ſancti pontificis prærordinauerat ſepulturam. Ibi, Deo diſponente, qui cuncta præuidet & prænoſcit, lætitiam, qua ſanctum illius corpus euchebatur, neſcio qua de cauſa contigit deponi. Et ecce iteratò miracula geminantur, & in vniuerſali conſpectu adſtantium ſanctiſſimi præſulis merita glorificantur. Cùm enim ſanctiſſimā eius glebam ex iniuncto ſibi officio ad ſepulturam deportare vellent, diuino nutu tanti eam ponderis perſenſerunt, vt nullo modo corpus ſancti à loco, vbi eum depoſuerant, mouere poſſent. Alij alijs ſuccedentes, ad euectionem totis viribus elaborabant: alij alios tanquam inualidos & impotentes increpabant. Verùm licèt alios tanquam imbecilles cauſarentur, ipſi tamen cùm ad id ſeſe præparâſſent, deſiderio ſuo ex toto fruſtrabantur. Rex & qui aderant, diligenter cauſæ huius recenſentes euentū, cum penitùs quid res hæc prætenderet ignorarent, Dei ſolius ſuppliciter ſuper hoc exorabant ſubſidium. Tumultus non minimus ſuper hac retardatione perſtrepebat in populo, dicentibus alijs, quia de ſede ſua tanquam captiuus abductus fuerat, hoc diuinitùs fieri, & meritò: alijs autem obijcientibus, regem corpus ſanctum reuerēter tranſtuliſſe & veræ deuotionis ſtudio. Cap. 26. Corpus ſacrum loco moueri nō poteſt.

Rex nimirùm attonitus, ad ſancti loculum non ſine multa deuotione appropinquauit, & ſolenni facta traditione, villæ illius regalis Croiciaci, in qua ſanctus ipſe ſepeliendus erat, medietatem ſancto eidem perenniter habendam ſigilli regalis impreſſione confirmauit. Cap. 27.

Contigit ilicò res mirabilis & laudabiliter recitanda. Mox enim vlnis ſuppoſitis, onus Cap. 28.

Nota miri quiddam. nus illud ſanctiſſimum parte quidem ex altera ſine vlla difficultate ſubleuare potue. runt: parte verò ex altera incredibilis ponderis & penitùs immobile perſenſerunt. Ad hęc rex iucundo ſatis vultu tantam Dei retractans gratiam, quàm citiùs potuit, ad ſanctiſſimi confeſſoris dominium illam, quam ſibi retinuerat, iuſſit ręſigillari partem reſiduam. Nec mora: Dei adeò gratia ſanctum mox ſuſtulêre leuiatum, vt quod eatenùs deſperauerant, ſine vlla difficultate à paucis deportaretur ad ſepulcrum. Defertur igitur corpus ſanctum ad ſepulturam: verùm illo in itinere Dominus precioſiſſimam ſuam non eſt dedignatus clarificare margaritam.

Cap. 29. Antequàm enim terrę corpus ſanctum conderetur, quidam vaſtis catenarum loris brachia ſuraſque deuinctus, per medias ſeſe properantium turmas non ſine multa difficultate iniecit. Cui mox vt ſancti confeſſoris conceſſum eſt tangere operimentum, omnia mox diſſiluêre repagula catenarum, diruptiſque compedum vinculis, liberrimè cum multa gratiarum actione ſequebatur munerarium ſuum. Peruentum eſt tandem ad eam, quam ei rex non ſine Dei prouidentia prærordinauerat, ſepulturam: Epiſcopi cum Abbatibus, peractis priùs quæ Dei erant, ſanctiſſimum illud corpus terræ decentiſſimè commendant. Miraculum inſigne.

Cap. 30. Res ſanè admirandę. Ecce reiteratur ſancta ſancti gloria. Nam cùm eius ſacratiſſima membra tumulo clauderentur, cælum apertum eſt, & duæ columbæ viſæ ſunt deſcendiſſe quaſi nubes, ac de ore ſancti egreſſa eſt columba cãdida tanquam nix. Sic igitur egregius Dei athleta Medardus de terris euocatus, lætatur cum angelis: lugentibus in terra filijs ademptus, cum fratribus ſuis, quos ſemper deſiderauerat, coronatur in cælis, vbi gratulabundè amodò, cum eiſdem fratribus ſequitur agnum, quocunque ierit. Sequitur ergo agnum, & inæſtimabilem inhabitat lucem: de terrenis incommoditatibus gaudet ſe ad cælicam tranſlatum proſperitatem. Gratulatur ſe de hac noſtra tranſitoria infelicitate ad perpetuam commoditatem trãſlatum: de tenebris his ad incomparabile lumen eſſe aſſumptum. Lætatur quoque, ſe carnalibus exutum illecebris, angelicis choris eſſe adſcriptũ. Exultemus ergo & nos, fratres dilectiſſimi, ſuper hac beatiſſimi paſtoris noſtri Medardi glorioſiſſima remuneratione: exoremus remuneratorem eius, Deum videlicet omnipotentem patrem, quò ſanctiſſimi huius pontificis Medardi exoratus precibus, nos cũ eo in æterna regni ſui adſcribere dignetur hæreditate: per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium ſuum, qui cum eodem in vnitate ſpiritûs ſancti viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen. Apoc. 14.

Cap. 31. Peractis celeberrimè beatiſſimi Dei athletæ inferijs, rex Clotarius ſupra venerabile ſancti corpus paruum ad tempus iuſſit ædificari tugurium, quouſq; ad faciendã inibi eccleſiam neceſſaria pararet expenſarum. Contracta verò vndecunq; potuit non parua pecunia, ſanctum illud Dei habitaculum inſtanter ordiri perproperabat, & pleriſq; negocijs poſtpoſitis, ad hoc perficiendum enixiùs elaborabat: feciſſetq; paruo in tempore, quod beneuola conceperat mente, niſi ſecundùm quod vnicuiq; imminet, rebus eum humanis nimis intempeſtiuè contigiſſet exceſſiſſe.

Cap. 32. Clotarij regis mors. Cùm enim in Cotia ſylua venatu exerceretur, valida prohdolor correptus febre, cùm ad Compendij palatium repedâſſet, paruo pòſt tempore morte præuentus, poſtmodùm verò in eccleſia eadem, quam iam ædificare cœperat, ante ſcilicet S. Medardi altare, honorificè eſt ſepultus. Expenſas verò, quas huic præparauerat operi, ſecundùm quod Dauid rex filio ſuo Salomoni ad templi Domini ædificationem fecerat, filio ſuo Sigeberto nomine, ad ædificationem eccleſiæ, quam Deo vouerat, expendendas dereliquit, mandans & remandans ei, quatenùs ſi qua ei erga patrem charitatis debitæ dilectio maneret, omni occaſione ſepoſita, ſanctæ huic, quam pręnominauimus, ædificationi quouſque honorificè compleretur, totam prorſus intentionem adhiberet. 1. Par. 29.

Cap. 33. Sigebertus rex cõſtruit ædem præclaram S. Medardi. Sigebertus verò, patre ſepulto, in regno confirmatus, quod à patre in hoc ſuſceperat negocij, largifluè proſecutus eſt. Admirabili enim diuerſi generis lapidum conſtructione, ſecundùm quod à patre ſuo ſuſceperat, eccleſiam illam decorauit, auro & argento ac neceſſarijs in officio eccleſiaſtico ornamentorum varietatibus abundanter exornauit, cenſu & reditibus, prout regiam decebat dignitatem, affluenter & excellẽtiſſimè ditauit. Eleganter verò eccleſia compoſita, vndecunque potuit elegantiores ibi ſacri ordinis ordinauit perſonas, quò & patris ſui votum benigniſſimẽ compleret, & inibi Deo in æternum eccleſiaſticum officium ex debito pro vniuerſali, ſua videlicet & patris ſui omniumque fidelium, ſalute perenniter exhiberetur. Idem ipſe venerabilis rex Sigebertus, cùm fratrem ſuum Chilpericum nomine apud vrbem Tornacum obſide-

obſidere diſponeret, apud Victoriacum Fredegundis reginæ verſutia interemptus, cũ prius eum Lambris ſepeliſſent, ab ipſo eodem fratre ſuo Chilperico poſtmodũ Sueſſionis relatus, in eccleſia, quam decentiſſimè compoſuerat, prope patris ſui tumulum decenter eſt ſepultus. Sigeberti cædes.

Quia verò pro ſanctæ illius eccleſiæ ædificatione, pro ſancti quoque, cui ædificata eſt, veneratione, adhuc autem pro regum, quos prænominauimus, honorificẽtia, cœptoab opere aliquantulùm deuiauimus, amodò neceſſarium ducimus ad propoſiti ſeriem redire, quæq; poſt tranſitum glorioſiſſimi confeſſoris ad honorem eius Deus operatus ſit miracula, licèt pauca de multis, non reſidemus ſcripto commendare. Cap. 14.

Huius quidem ſancti fama circunquaque increbreſcente, infirmos varijs detentos languoribus, ad eius memoriam ex multis terrarum partibus accidit confluere, quibus per meritum ſancti ſui athletæ gratia diuina non dedignata eſt ſubuenire. Quod ergo priùs memoriæ occurrit, priùs dicamus: quatenùs de ſingulis non ſolummodò ſingulares, verùm multimodæ Deo gratiæ referantur. Tuguriolum illud, quod corpori ſancto ſuperædificatum eſſe præſcripſimus, tantæ virtutis, diuina diſponente gratia, compertum eſt eſſe, vt ſi quis dolore dentium attactus, ex virgulis, quibus contextum fuerat, locum doloris tangeret, confeſtim omnis illa dentium infirmitas abigeretur: quod & in palatio regis diuulgatum eſt. Quidam nanque Charimeris nomine, qui eo tempore Childeberti regis referendarius habebatur, quia hoc eodem morbo grauiſſimè laborabat, ad eandem S. Medardi baſilicam deductus eſt. Cumq; ianuas eccleſiæ clauſas repperiſſet, & cum dentium dolor magis ac magis vrgeret, de vna ianuarum fiducialiter haſtulam excidit, & vbi magis infirmitas graſſabatur, confidentiſſimè quod exciderat appoſuit: moxque ab eo, quem diù perpeſſus erat, dolore liberatus eſt. Cap. 15. Miracula poſt obitũ S. Medardi. Habet hæc etiã Gregor. Turon. de Gloria Cõfeſſ. cap. 95. Nota.

Habetur etiam baculus eius apud nos, per quem pleroſque infirmos diuerſorũ languorum medicamina expertos eſſe comperimus. Cap. 16.

Quidam quoque catenarum loris indiſſolubiliter arctatus grauiſſima nimis fatigatione, ſancta ſanctiſſimi huius ſuffragia expetijt, confidens ſe ſanctiſſima eius interceſſione ab illa impeditione poſſe reſolui. Vt ergo ſanctæ baſilicæ valuas attigit, repentino fragore vno eodemq; momento & cælum intonuit, & vaſtis compedũ vinculis diru; tis & longè diſſilientibus, homo ille indultæ adhuc inſcius libertatis, multo attonitus ſtupore, ſolo proſtratus eſt. Deinde reſumptis viribus, cùm iam ſe ſentiret expeditum, pro recepta libertate Deum & S. Medardum, cuius hoc interceſſione obtinuerat, vocibus altiſonis cœpit magnificare. Mirantur omnes tam citiſſimam diuinæ virtutis operationem, & concordi omnes acclamatione potentiſſimam ſancti præſulis collaudant interuentionem. Cap. 17. Vincula ſoluuntur.

Anicula quædam annoſa nimis, & quodammodò ſuoipſius ſuperſtes cadaueri, cùm ei manus arida quaſi alienum quiddam de brachio dependeret, licèt iam de vita prænimia ſuaipſius ętate deſperaret, ad ſancti tamen confeſſoris memoriam, cuius celebrem famam audierat, deuotiſſima mente peruenit, eumque multimodis precibus non ſine multa lachrymarum profuſione ſuper aridæ ſuæ manûs, quia nimis angebatur, ſolicitabat recuperatione. Vt ergo ſe ante præſentiam beatiſſimi pontificis cum multo eiulatu expoſuit, adfuit repentè per ſancti eiuſdem meritum diuinæ maieſtatis ſuffragium. Reſtauratur mox mulieri, quod vitio naturæ defraudatum erat: reparatur in ea manûs aridæ naturalis integritas, & quod minus de matris aſſumpſerat vtero, interceſſoris ſui benigniſſimo reſumit pręſidio. Reuiuiſcit manus iuuenilis, iam præmortuo vetulæ illius brachio: & quæ priùs eleemoſynam, tanquam impos laborandi, oſtiatim quæſierat, iamtunc effecta docilis, ſuarum ipſius laborationum viuere cœpit ſtipendijs. Soſpes effecta gaudet & lætatur, gratias quamplures ſuo rependens munerario, Deum adorat & veneratur. Cap. 18. Manus arida reſtituitur.

Similiter & alia muliercula, eodem manûs morbo laborans, ante ſancti eiuſdẽ præſentiam ſanitati reſtituta eſt. Cap. 19.

Poſt aliquod verò temporis interuallum, cùm iam ipſe locus multæ circunquaque haberetur venerationis, Vuarinbertus quidam, qui ſic nominabatur, poſt venerabilis Autberti deceſſum regia præceptione regendum idem cœnobiale ſuſcepit monaſterium. Quo cùm aliquot potitus fuiſſet annis, Drauſionem Sueſſionicæ ciuitatis Epiſcopum vita contigit excedere, ſedemque illam aliquandiù abſque rectore vacuam manere. Poſt eius aũt lugubres inferias, vnanimi conſilio regis & ciuium Vuarinbertũ hunc, quem prædiximus, cathedræ illi pontificali ſuo magis, quàm Dei, vt pòſt patuit, arbitrio rectorem ſubſtituunt. Cap. 40.

Cap. 41. Adeptus ergo regimen epiſcopale, multo elaborabat ſtudio, ne priori priuaretur dignitate: & licèt cum difficultate non minima, obtinuit tamen, quod malè quæſierat. Eheu ſocors nimis & ignaua mens hominum! Miſer hic nimia exæſtuans cupiditate, dum prauæ ſuæ ambitionis augere non ceſſat commercium, corporis ſui &, quod dolendum eſt, animæ quoq; ſibi prohdolor præparat exitium. Attentus ſiquidem extra modum negocijs ſecularibus, ac ſuis plùs iuſto prauis inhians cupiditatibus, locum illum ſanctum neglectui cœpit habere, quæque inibi à regibus & alijs pro eleemoſynarum largitione deputata fuerant, ſuis malè vſibus retinere. Quæ inibi Deo ſeruientibus fideles quique Dei & S. Medardi gratia præordinauerant, ſuis ipſe in theſauris recondebat, ac ſeruorum Dei poſthabita ſolicitudine, reditus eccleſiæ ſuis ſatellitibus irreuerenter diſtribuebat. Quibus præ nimia ingluuie eructuantibus, ſpiritualis illa congregatio eſuriebat: ſuis multo vino exæſtuantibus, ſancta ſancti præſulis familia p̄ nimio ſitis ardore penè deficiebat. Nudi & pauperes ſerui Dei lugebāt & lamētabantur: familiares autem miſerrimi illius Epiſcopi per plateas in veſtibus precioſiſſimis gloriabantur. Acclamationes ſeruorum Dei ſurda Epiſcopus aure pertranſibat, cùm eis prælatus eſſet, eorum querimoniam, tanquam à nullo arguendus, nō ſine multa cordis & oris arrogantia, imminētis ſibi vindictæ neſcius, pro nihilo reputabat. Ad libitum ſuum miſerum illum, qui paſtoris indignè ſibi nomen vſurpauerat, oues Domini, non ſuas tractare licuit: verùm illius, cuius erant propriæ, manum effugere nullo modo potuit. Audiat ergo intentè, quicunq; prælationis Eccleſiaſticæ fungitur officio, quàm terribili pro hac ſeruorum Dei reclamatione percuſſus ſit iudicio.

Vuarinberti Epiſcopi, rebus monaſterij abutentis inſolentia.

Cap. 44. Erat ſiquidem in pago Cenomanico quoddam prædium, quod rex Sigebertus eiuſdem ædificator eccleſiæ, ad eius, quam ibi Domino aggregauerat, congregationis firmauerat dominium. Prædium illud Maduallis dicebatur, ex Britannica videlicet & Latina lingua nomine compoſito, quod bona vallis, noſtro ſcilicet & Romanæ linguæ vulgari poteſt interpretari eloquio. Maduallem itaque illam, id eſt, bonam vallē, quia multis abundabat reditibus, ipſe ſibi Vuarinbertus ad perditionem ſuam vſurpauerat, & ex toto neglectis, ſicut diximus, fratribus illis, villæ illius cenſus ſuis vſibus mancipabat. Gemebat S. Medardi pauper congregatio, quia quod eorum erat vſibus deputatum, contra canonicam inſtitutionem malè dilapidabatur in Epiſcopio. Quadam itaque die, cùm ſecundùm conſuetudinem de prædio illo plauſtra onuſta, vt diximus, ad palatium epiſcopale deducerentur, comperta fratres illi Epiſcopi abſentia, vehicula illa, vtpotè quę ſui erant iuris, ad ſancti præſulis diuertere coëgerunt eccleſiam, non diffugientes pro defenſione iuſtitiæ corporalem, ſi quoquo modo inferretur, ſuſtinere moleſtiam. Sua ergo cùm ſuis repoſuiſſent in promptuarijs, ſanctiſſimi Dei athletæ lachrymabiliter ſolicitabant merita, quatenùs aut eius interceſſione furibundus ille inuaſor placaretur, aut eius defenſione ab eius protegerentur inſania. Verebantur ſiquidem, quod non poſt multum proueniſſet, niſi gratia diuina lugenti ſuæ familiæ propiciabili clementia ſubueniſſet. Vt enim ad Epiſcopi quod factum erat peruenit notitiam, prohdolor non retractans inſtitutionem canonicam, nec reueritus iudicialem Dei ſententiam, cum fuſtibus & gladijs, non iam prælatus, verùm vir ſanguinarius ad ipſam B. Medardi cum multo ſuperbię faſtu, cum indoctæ plebis conuentu auſus eſt properare baſilicam. Cumque irreuerenter ſanctuarij regias concuterent, eoſque, qui pro ſubitanea tormentorum expectatione, aditum obſtruxerant, exprobrationibus contumelioſis inſequeretur, furibundus ipſe pontifex per medium eorum irrumpens, præſumptuosè nimis & cum multa ſuperbia excruciari cuſtodes minabatur, niſi citò ſibi ianuæ aperirentur. In tam imminente mortis diſcrimine ſerui Dei trementes, Deo & S. Medardo non ſine multa lachrymarum profuſione animas ſuas commendant, & ſic diuinitùs animati, aperiri furentibus illis iubent eccleſiam. Mox infelix Epiſcopus ingreſſus monaſterium, vt eum, qui ſibi aperuerat, præ nimio timore ſecus ianuas percepit deliteſcere, tam validè illi baculum, quem manu geſtabat, illiſit in capite, vt penè totum eius veſtimentum exundanti cruentaretur ſanguine. Stupefactus frater & penè decidens, ad Deum ſuſpirauit, & ei querimoniæ huius cauſam, cùm aliter non præſumeret, intimo cordis murmure lachrymabiliter commendauit. Audiant tyranni ſeruorum Dei reclamationes, & reuereantur: audiant fideles quiq; celerrimam Dei conſolationem, & confortentur. Statim enim infeliciſſimus ille Vuarinbertus excors & impœnitēs, mox vt ante ſanctiſſimi cōfeſſoris memoriam tanquam oraturus genua flexit, diuino terribiliter percuſſus iudicio, diffuſis per alui ſecreta viſceribus, miſerabiliter expirauit. Fratres autem eccleſię, malum pro malo

Magna temeritas illius.

In vt olim in rebus dubiis Sancti à fidelib⁹ inuocati ſint.

Nota terribilem vindictam in Vuarinbertum Epiſcopum.

lo reddere nolentes, fratris illius, quem percuſſum diximus, ſedata querimonia, corp⁹ defuncti honorificè in ipſa eadem ſepeliêrunt eccleſia. Ibi ſæpè per beatiſſimi Medardi pontificis meritum glorioſa fiunt miracula: ibi qui fideliter precantur, grata conſequuntur remedia: ibi certa verè pœnitentibus non denegatur indulgentia: quam nobis quoq; peccatoribus, de eiuſdem tamē gratia nō deſperantibus, per eiuſdem S. Medardi largiatur interceſſionem, qui fidelibus ſuis æternæ felicitatis repromiſit conſolationem, Ieſus Chriſtus filius Dei, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

F. Laurentius Surius Candido Lectori.

HVcuſque nihil mutato ſtylo totam hanc beatiſſimi Medardi vitam ex quodam M S. codice deſcripſimus. Teſtatur autem quidam ſcriptor anonymus in vita S. Gildardi Rothomagenſis Archiepiſcopi, Fortunatum presbyterum ſcripſiſſe vitam S. Medardi, & ex ea quædam citat, quæ conſentiant ferè cum alia hiſtoria S. Medardi longè breuiori, nec tamen auſim affirmare eam eſſe à Fortunato editam. Quicquid verò illa hiſtoria refert, id totum, paucis demptis, in hac, quam nos edimus, continetur, & permulta intermixta & addita ſunt, ſed lectu digna, ab alio quodam poſteriori, ſed non indocto viro, qui tamen aliquoties non niſi ex locis communibus ſancti viri virtutes celebret: quod idem ex toto ferè ſe feciſſe in vita S. Gildardi, qui fuit B. Medardi frater, teſtatur is, qui eam ſcripſit: quam propterea noluimus huc adſcribere: ſed eius loco ſubiecimus carmina beatiſſimi Audoëni Rothomagenſis Archiepiſcopi, ſimplicia illa quidem, ſed propter authoris ſanctitatem reuerenter complectenda.

DE SS. MEDARDO ET GILDARDO, QVORVM PRIOR NOVIOMENSIS, POSTERIOR ROthomagenſis Epiſcopus fuit, *beatiſsimi Audoëni Archiepiſcopi Rothomagenſis Carmen.*

Tempore Gildardus iam fratres atque Medardus, Iunij 8. Gildardus & Medardus gemini fratres.
De patre Nectardo procedunt iure paterno.
Illorum mater floret Protagia ſemper.
In mundum nati mox emeruêre renaſci,
Priuati culpa carnis baptiſmatis vnda.
Cælitùs adſcripti congaudent nomine dicti.
O quàm florentes virtutum flore parentes,
Qui prolem tantam producunt lucis in auram.
Virtus cæleſtis ſtatim commiſerat ipſis.
Seruabant pueri tales documenta magiſtri,
Illorum quoniam direxit gratia cauſam.
Qui dedit infantes, dedit illos eſſe docentes
Emeriti ſenſus, quos luſtrat cælica virtus,
Et comes æternus, quos replet ſpiritus almus.
Iam ſic Gildardus profecerat atque Medardus.
Tales ergo viros morum dulcedine miros,
Fratres Gildardum conformes atque Medardum
Laudibus eximijs placeat ſuſtollere cunctis.
Hi veri fratres, Chriſti ſub amore calentes,
Ipſos vt ſeſe rectos conantur amare.
Hi ſunt Gildardus, fratres gemini, atque Medardus. Eodē die & nati, & vita functi.
Vna dies natos vtero viditque ſacratos,
Albis indutos, & ab iſta carne ſolutos.
Moribus in placidis ſtabiles & fœdere pacis,
Fratribus electis verè concordat in iſtis
Vox nimiùm ſuauis Dauidica vaticinalis:
Eſt quàm iucundum fratres habitare in vnum. Pſalm. 132.
Meſſias Chriſtus, ſanctorum ſplendida virtus.

Quicquid adeſt operis præclari monſtrat in ipſis,
Et ſic Gildardum dilucidat atque Medardum.
O Deus omnipotens, cælos fulgoribus implens,
Sanctis perpetuam vis iugiter eſſe coronam.
Tu quoque Gildardo regnum das atque Medardo.
Conſimilis Chriſtus genitori ſit benedictus,
Ex Domino Dominus, cum ſolo principe ſolus,
Qui iam Gildardum confouerit atque Medardum.
In cælo meritos ciues ſuper æthera notos
Conſuaues melli, ſub carnis iure gemelli
Fratres, Gildardus conſors ſimul atque Medardus.
Orbi lætitiam cæleſti munere plenam
Donant: hinc omnes deuoti pſallite laudes.
Gloria ſanctorum, decus & ſaluator eorum,
Tu populo præſta tibi ſic perſoluere feſta,
Sancti, patroni noſtri ſunt. Vt prece Gildardi ſacra, meritiſque Medardi
Nobis æterna concedas poſt hodierna.
Quos geminos ortu, locat alto gratia portu,
Nobis eſſe boni dignentur vbique patroni.

Extat etiam inſignis Antiphona de his duobus ſanctiſſimis Epiſcopis, ab Gregorio Turonenſi, vt habet quidam M S. codex, edita:

Auete magni toto orbe præſules, ortu gemelli, ſanctitate compares, ſacrati ſimul, coronati pariter, iuncti dicâſtis diem feſtum: meritis ſancte Medarde cum Gildardo inclyto, opem poſcenti ſemper ferte populo.

MARTYRIVM SS. PRIMI ET FELICIANI EX VETVSTIS MS. CODICIBVS, PER F. LAVR. SVrium, *mutata phraſi, aliquanto breuiùs deſcriptum. Conſentiunt antiquiſſima Martyrologia.*

Iunij 9. TEMPORIBVS Diocletiani & Maximiani Imperatorum ſæua eſt Chriſtianis orta tempeſtas, ita, vt ſi quis huius vitæ ſectator eſſet inuentus, nec vellet idolis ſacrificare, diuerſis ſupplicijs afficeretur. Itaque ſancti viri Primus & Felicianus in Domino perdurantes, à templorum pontificibus apud Imperatores delati ſunt, dictumque ab illis eſt, deos nolle reſponſa reddere, nec vlla ipſis præſtare beneficia, niſi priùs Primus & Felicianus ad ſacrificandum cõpellerentur. Proinde rogabant, vt tum ipſis, tum ſuo imperio ſuccurrerent, ne malè perirent. Tunc Diocletianus & Maximianus miſerunt milites, qui eos diligẽter inquirerent, & inuentos comprælienderent. erant enim ciues Romani. Compræhenſos igitur duxerunt ad Imperatores, qui iuſſerunt eos ferro vinctos, in carcerem protrudi. (Sancti martyres vincti mittuntur in carcerem.) Illis autem pro Chriſti nomine vinctis adfuit Angelus Domini, qui eos conſolans abſoluit à vinculis, quibus erant conſtricti. Illi verò benedixerunt Deum, qui eos ſicut olim Petrum Apoſtolum, per angelum ſuum à vinculis liberâſſet: (Act. 12.) rogabantque, vt ab eiuſdem Apoſtoli meritis ipſos non fineret eſſe alienos. Poſt dies aliquot iuſſerunt eos principes coram ſe adduci. Illis intromiſſis, dictum eſt ab officio: Adſtant. Dixerunt eis Imperatores: Vos eſtis, qui iuſſa noſtra contemnitis? Sancti martyres reſponderunt: Nos ea ſemper pro nihilo ducemus. Imperatores dixerunt: Patienter interim ferimꝰ iniurias noſtras: ſed vos iam ſacrificate Ioui & Herculi, ne perdatis generis veſtri dignitatem. Beati martyres reſponderunt: Nos Deo placationis & laudis hoſtiam immolamus in odorẽ ſuauitatis, neq; conſentimus operibus tenebrarum, quibus vos addicti eſtis. Imperatores dixerunt: Facite ſacrificium dijs inuictiſſimis Herculi & Ioui: alioquì carnifices vos atrociter laniabunt. Beati martyres reſponderunt: Sic mereamur pro

Chriſti

Chriſti nomine hæc pati, vt ad martyrij coronam liceat peruenire, & ſimus participes promiſſionum eius & bonorum illorum, quæ promiſit ſe daturum illis, qui pro ipſius nomine reſpuerunt omnia mundi huius blandimēta, & ſequuntur agnum quocunque ierit. Qua autem ratione poſſumus à lapidibus & lignis opem petere, veſtroſque non deos, ſed dæmones inuocare? qui ſanè ad tantam ſunt redacti ignominiam, vt niſi ferro & plumbo confirmentur, ſtare nullo modo poſſint: eiſque cuſtodiendis canes adhibere neceſſe ſit. Quæ tandē hęc veſtra amentia eſt? Tum verò ira perciti Imperatores, iuſſerunt eos duci ad fanum Herculis: &, ſi nollent ſacrificare, dirè excruciari. Fecerunt milites, vt erant iuſſi: ſed cùm nullo pacto ſanctos poſſent à ſententia deducere, cernerentque eos pro Chriſti nomine mori mâlle, quàm viuere, virgis eos crudeliter cæciderunt, dixeruntque: Cur non obeditis decretis Imperatorum, & dijs omnipotentibus offertis ſacrificium, ad quod vos ipſa quoque natura hortatur? Reſponderunt martyres: Par eſt illi nos obedire Imperatori, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam. Veſtros autem Imperatores, qui vana colunt ſimulacra, gehennæ ignis inextinguibilis ſuſcipiet. Milites hæc retulerunt ad Imperatores: qui valdè irati, præceperunt eos tradi Promoto præſidi ciuitatis Numentanæ, vt eos egregiè excarnificaret, ſi nollent libare dijs.

Cupiunt pro Chriſto pati.

Irrident dæmonum ſimulacra.

Cęduntur atrociter virgis.

Tulerunt ergo eos milites ferro vinctos, & tertiodecimo milliario via Numentana miſerunt eos in carcerem apud forum ciuitatis. At ſancti martyres à precibus & hymnis nunquàm ceſſabant, & quotidiè ab Angelo refocillabantur. Poſt multum temporis Promotus præſes iuſſit in foro vrbis Numentanæ ſibi tribunal apparari, ſedenſque illic, dixit: Intromittantur perſonæ. Intromiſſis ſanctis martyribus, ait: Ex præcepto Principum & dominorum noſtrorum immolate dijs, quos magnos eſſe probat diuinitas. Reſponderunt ſancti martyres: Impios rectiùs dixeris, quàm dominos, qui in Chriſtum credentes interficiunt, coluntque ligna & lapides: qui cùm nullo ſenſu præditi ſint, nihil vobis præſtare poſſunt: cultores verò illorum æternus vorabit ignis. His dictis, iuſſit eos Præſes abinuicèm ſeparari, exiſtimans poſſe eos pœnis muari, & ad ſacrificandum impelli. Abducto igitur Primo, ita ad Felicianum locutus eſt: Conſule ſenectuti tuæ, & ſacrifica Ioui inuicto, vt iuſsêre domini noſtri. Reſpondit Felicianus: Conſulat ſenectuti meæ Chriſtus, qui me hactenùs in ſui nominis fide cuſtodiuit. Tuæ verò minæ terrorem aliquem afferre poſſunt, ſed mentem meā immutare nulla ratione valebunt. Iratus Præſes, iuſſit eum immaniter plumbatis cædi: dein de erecto dixit: Cur non abijcis hanc pectoris tui inſaniam, & iucundos potiùs eligis dies, quàm velis corpus tuum diuerſis macerari ſupplicijs? B. Felicianus ait: Ego iam octoginta habeo ætatis annos, & iam triginta lapſi ſunt anni, poſtquàm ad veri notitiam perueni, ſtatuique in Chriſto benè viuere, qui me ex tuis crudelibus manibus liberabit. Nihil verò de mundi huius oblectamentis cogitans, decreui ſempiterno & omnipotenti creatori meo viuere. Hæc & his ſimilia multa dicētem iuſſit Præſes ad ſtipitem ligari, & acutos clauos manibus ac pedibus eius infigi: dixitque illi: Tandiù ſic confixus manebis, donec dijs immortalibus debitum perſoluas officium. At S. Felicianus in Dei amore benè firmus, læto vultu pendens in ligno canebat: In Deo ſperaui: non timebo, quid faciat mihi homo. Dicit ei Præſes: Miſer, depone hanc mentis tuæ vanitatem, & nega te Chriſtianum, vt poſſis multiuaria illa, quæ tibi parantur, lucrari tormenta. Felicianus reſpondit: Infelix & mortalium omnium miſerrime: itáne creatorem ego negabo meum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt? Quî verò illum ego negare potero, & adorare truncos & vanos deos? Tum furore percitus Præſes, præcepit vt diù torqueretur. Ille autem dixit: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, quòd merui in eorum cenſeri numero, qui pro tuo nomine paſſi, ad martyrij coronam pertigêre. Iratus Præſes, iuſſit eum totum triduum ita ſuſpenſum relinqui, nec quicquam omninò illi cibi aut potûs porrigi, vt vel ſic victus ſuccūberet. At ille cælesti refectus alimonia, permanſit in laudibus Dei. Ea res malè habuit Præſidem. Itaque præcepit, vt flagellis cæſum è ligno deponerent, & in cuſtodia ſeruarent, nec cuiquàm omninò copiam facerent ad illum ingrediendi.

Rurſus in carcerē truduntur.

Felicianus plumbatis verberatur.

Atrociſſimè cruciatur.

Pſalm. 55.

Agit gratias dum torquetur.

Poſtero die iuſſit beatum Primum coram ſe ſiſti, eique dixit: Ecce frater tuus Imperatorum decretis obſecundans, & dijs omnipotentibus immolans, amicus eſt Auguſtorum & magnus in palatio. Tu ergo ſi idem feceris, pari fruéris honore. Reſpondit S. Primus: Tametſi ſatanæ filius es, tamen rectè pronuncias fratrem meum obſecundatū eſſe Imperatori, ſed planè cæleſti, non hominibus vaniſſimis, qui ſpem ſuam in

Fallacia Præſidis.

in Deo collocare noluerunt,& ideò miſerè peribunt. Fingis autem, vt me poſſis euertere. Nam Felicianus, quem tu excruciâſti,& cùm eum flectere non poſſes, in carcerem conijci voluiſti, illic pro Chriſti nomine haud ſecus atque in paradiſo lætatur. Porrò pœnas & verbera abs te illi illata, mihi hodiè Angelus Domini indicauit. Non igitur mihi contingat ab eius paſſione ſeparari. Tunc Præſes iuſſit eum fuſtibus validiſſimis cædi: ſed ille dixit: Etſi corpus meum habes in manu tua, at animæ meæ nocere nihil potes. Dixit ei Præſes? Sacrifica dijs. Reſpondit S. Primus: Tu ſacrifica cum omnibus tuis. Ego Deo meo ſacrificium offero placationis. Deinde iuſſit Præſes lampadibus eius latera exuri. Ille in eculeum leuatus & lampadibus vſtus, ita pſallebat: Igne nos examinâſti, ſicut examinatur argentum. Benedico autem te Domine Ieſu Chriſte, quia in te cõfidens, nihil ſentio eorum, quæ mihi à ſatanæ miniſtris inferuntur. Audiens autem Præſes nihil eum ſenſiſſe, dixit ad ſuos: Puto equidem aut deos hominibus ſuas virtutes demonſtrâſſe, aut magicis artibus hunc omnia ſuperare. Sanctus Primus ait: Túne magicis artibus ea tribuis, quæ Chriſtus ad laudem ſui nominis præſtat ſeruis ſuis? Tum Præſes iuſſit eum deponi de eculeo, ſimulque plumbum liquefieri, idq; bulliens in os eius, in lecto recumbentis, infundi. Voluit autem Felicianum coràm adeſſe, vt his pœnis territus, ſacrificia offerret. At S. Primus plumbum omne inſtar aquæ frigidæ exhauſit, dixitque Præſidi: Ecce non eſt à me ſeparatus ille, quem tu dicebas dijs veſtris immolâſſe. Confidit autem in Domino, qui nos liberabit de pœnis omnibus. pro eius enim nomine hæc patimur. Omnia autem quæ hic videntur, temporaria ſunt: quæ verò præparauit Deus diligentibus ſe, æterna ſunt. En adunati ſumus in gloriam redemptionis, vt nulla nos inimicus fraude circunſcribat, neq; vlla tenebrarum caligo nos occupet. Poteris autem tu quoque, modò velis credere in Chriſtum, agnoſcere creatorem tuum, & maiora his videre.

Primus fuſtibus immaniter cæditur.

Vritur lampadibus.

Pſalm. 65.

En miram Dei virtutẽ.

Dicit eis Præſes: Sacrificate dijs: alioquì feris belluis vos lacerãdos obijciã. Beati martyres reſponderunt: Audite nos & intelligite, & recedite ab iſtis idolis mortuis & perituris, credatiſque in Deum viuum & verum, & in Ieſum Chriſtum filium eius, vt ſaluæ fiant animæ veſtræ, poſſitiſque euadere pœnas ſempiternas. Tunc Præſes ceu furijs quibuſdã agitatus, dixit: Quid ita in hac inſania perduras Feliciane, ſicut & iſte perditus? Accedite, & immolate dijs. S. Felicianus ait: Non eſt hic perditus: ſed ſi tu eius dictis obtemperares, poſſes introire in potentias Domini. At nunc quando te indurauit ſatan, aditus tibi patet in ignem æternum, qui paratus eſt tibi, & omnibus tibi conſentientibus. Cùm autem Præſes animi angore corriperetur, iuſſit eos duci in amphitheatrum, quod eſt apud forum vrbis Numentanæ, ſimulque leones duos ingentes in eos immitti, quorum rugitus omnes eius vrbis ciues exterruit. Cùm ergo veniſſent ad ſanctos martyres leones cum impetu currentes, ad pedes illorum ſe volutârunt, mireque illis blandiri & tanquam gratulari viſi ſunt. Voluit igitur Præſes, vt illis reuocatis vrſi ferociſſimi dimitterẽtur. ſed illi quoq; omnis feritatis obliti, ceu agni quidã ſanctis blandiebãtur, & ad eorũ ſe veſtigia prouoluebant. Dixerunt ergo ſancti martyres: Pręſes inique, en feræ agnoſcunt creatorẽ ſuum, & vos in cordis cæcitate permanẽtes, non cognoſcitis eum, qui vos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creare dignatus eſt. Tum verò populus inter ſe fremitus dabat & infinitos clamores in cælum, crediderunt que in Dominum viri ampliùs quingenti cum omnibus ſuis. Conuenerant enim plurimi ad ſpectaculum etiam ex vicinis vrbibus.

Leones in martyres immiſſi, mãſueſiunt. Item vrſi.

Multi credunt.

Cernens verò Præſes ſe non poſſe illos ſuperare, permultoſque eorum cauſa credere in Dominum, capitis ſententiam in eos pronunciauit. Eiecti ſunt itaque extra amphitheatrum, & illic decollati. Corpora autem illorum proiecta ſunt canibus: ſed neque feræ, neque aues, neque muſcæ illa attingere potuerunt. Porrò noctù à Chriſtianis fidelibus rapta ſunt, & ad Arcus Numentanos intra arenarium deportata. Vbi cũ magnum feciſſent planctum, noua ſindone cum aromatibus ea inuoluerunt, & iuxta arenarium condiderunt, hymnis & pſalmis per dies triginta in Dei nomine vacantes. Magna verò illic beneficia exuberant vſque in præſentem diem. Annis autem aliquot euolutis, cùm iam ceſſâſſet perſecutio, multi Chriſtiani in honorem beatiſſimorum martyrum illorum baſilicam ibi conſtruxêre, ſperantes ſe per illos miſericordiam conſecuturos in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Abeſt ea baſilica ab vrbe Roma milliario quartodecimo: dieſq; natalis ſanctorum martyrum incidit in quintum Idus Iunij: regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor in ſecula ſeculorum, Amen.

Cæduntur capite martyres.

ALOY.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS, CANDIDO LECTORI.

ARbitror, te, optime lector, pro certo habiturum, aliam eſſe Pelagiam, cuius vita iam præmiſſa eſt, & aliam, quam deinceps duabus orationibus diuinus pater Iohãnes Chryſoſtomus ſuaui ſuo eloquio ornaturus eſt. Prior enim Pelagia in iudicium coram Diocletiano Imperatore, matre infideli prodẽte, adducta eſt, ac boue æneo incenſo combuſta: Secunda verò hæc Antiochena virgo, Chriſtiana matre orta, in iudicium non eſt adducta, nec igne abſumpta, ſed ſe ex alto præcipitem dedit, atque ex eo conſummata eſt. Ex quo etiam admoneris, tertiam illam Pelagiam Antiochenam, cuius vitam in proximè præcedenti Tomo legiſti, quæ priùs meretrix, mox ad Dominum conuerſa, ſingulare cunctis peccatoribus pœnitentiæ præbuit exemplum, aliam omninò ab his duabus eſſe, quæ virgines extitiſſe leguntur, licèt vna ex eis, etiam Antiochena fuerit. At eſt aliud, quod hic te admoneamus. Chryſoſtomus ipſe hanc alteram Pelagiam, quæ ſe ex tecto præcipitauit, ne in illuſorum manus incideret, martyrem vocat, eiuſque diem feſtum Antiochiæ celebrari aſſerit. Cui diuus Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes haud diſſimilis, libro ij. Epiſtolarum, Epiſtola vij. ad Simplicianũ ſcripta, virginem hanc ſummopere commendat, ſanctamque nuncupat. Idemque libro iij. de Virginibus, quæſtionẽ mouens, quid ſuper eorum meritis exiſtimandum ſit, qui ſe præcipitauerunt ex alto, vel in fluuium demerſerunt, ne in perſecutorum inciderent manus, cùm ſcriptura diuina vim ſibi Chriſtianum prohibeat inferre, hoc tandem modo eam ſoluit: Et quidẽ de virginibus in neceſſitate cuſtodiæ conſtitutis, enodem habemus aſſertionem, cùm martyrij extet exemplum. Præcipuè ſanctam hanc Pelagiam virginem Antiochenã, quæ ſeſe præcipitauit, ſororesque eius duas cum matre, quæ & ipſæ in vndas ſemetipſas dederunt, adducit in medium, eaſque ad martyrium omnes properâſſe commemorat. Quòd ſi alterius fortè ſententiæ eſſe tibi videatur diuus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus libro j. de Ciuitate Dei, cap. xviij. hoc te non contriſtet. Idem enim pater libro eodem, cap. xxvj. te conſolatur: De his, inquiens, nihil temerè audeo iudicare. Vtrùm enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, vt earum memoriam ſic honoret, diuina perſuaſerit authoritas, neſcio: & fieri poteſt, vt ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt, non humanitùs deceptę, ſed diuinitùs iuſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Hæc ille. Cùm igitur Spiritùs ſancti inſtinctu virgines ſeipſas aliquando interemerint, ne in perſecutorum manus venirent, & idcircò dignis teſtibus Eccleſiæ ſanctæ fuerit diuina authoritate reuelatum, earum memoriam eſſe celebrandam, idque omninò factum in ſancta Pelagia credere debeamus, præſertim cùm duo hi ſanctiſſimi pariterque doctiſſimi viri, Chryſoſtomus, inquam, & Ambroſius, virginem hanc inter Martyres collocent, eiuſque martyrium in catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentetur, vides de ſancta huius virginis innocentia atque felici conſummatione non eſſe nobis vltrà relictum ambigendi locum. Lege ergo Chryſoſtomi duas has Pelagiæ laudem continentes elegãtiſſimas orationes. Videbis in ſancta virgine præclarum fidei teſtimonium, egregiam animi fortitudinem, inuiolabileq́; ſeruãdæ virginitatis Chriſto ſemel promiſſæ propoſitum. Vtinam autem & nos, & Chriſtianę omnes virgines, tantæ fidei proficiamus exemplo. Vale.

De ſuis Tomis hæc dicit.

S. Ambroſij ſententia de S. Pelagia, eiuſque matre & duabus ſororibus.

Iudic. 16.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, COGNOMENTO *Chryſoſtomi, Laudatio in ſanctam virginem & martyrem Pelagiam Antiochenam. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

Iunij 9. Cap. 1.

LAVDETVR & ſummis præconijs celebretur Deus, quòd mulieres etiam ipſę, quinetiam puellæ mortẽ contemnant ac derideant, virginesque admodùm adoleſcentes, & nuptiarum expertes, vltrò inferorum ſtimulos inuadant, neque ob id tamen aliquid graue patiantur. Omnia hæc bona per Chriſtum ipſum è Virgine genitum nobis allata ſunt, quandoquidem poſt partum illum & ortum maximè admirabilẽ, mortis vires diſſolutæ ſunt, & diaboli potentia ita eneruata eſt, vt non à viris ſolùm, ſed ab ipſis etiam mulieribus contemnatur, neq; mulieribus tãtùm, ſed vel ipſis puellis ludibrio ſit. Quemadmodum enim optimus aliquis paſtor, cùm leonem pecora ipſa & gregem totum vaſtantem ceperit, & ipſius dentes euulſerit, atq; vngues ſecuerit, iubamq; totonderit, talem reddit, quem vel paſtorum pueri contemnant ac derideant, puellisq; deinceps illudẽdum tradit: ita & Chriſtus ipſe, cùm mortem, naturæ noſtræ anteà horribilem, & totum genus humanum perterrefacientem expugnauerit, & omnem eius timorem diſſoluerit, eam virginibus etiam ipſis illudendam tradidit.

Eneruatæ dæmonum vires.

A ſimili.

Cap. 2. Mira alacritate properârat ad mortem S. Pelagia.

Quamobrem & beata virgo Pelagia tanta cum voluptate ad mortem cucurrit, vt neque carnificum manus expectârit, neque in iudicium ingreſſa fuerit, ſed proprij animi ſtudio, & ſumma alacritate illorum ſæuitiam anteuerterit. Parata erat ad cruciatus, tormentaque, & omne ſuppliciorum genus perferendum: ſed metuebat tamẽ, ne virginitatis coronam perderet. Hinc autem diſcas, impiorum hominum intemperantiam, Pelagiæ virgini timorem attuliſſe, quòd ab intemperata illorum hominũ iniuria virgo ſe ſubmouit ac præripuit. Id quod è marium numero nemo anteà facere aggreſſus fuit: omnes enim ad iudicium acceſſerant, & illic fortitudinem ſuam oſtenderant. At mulieres ipſæ propter naturæ ſuæ conditionem ad iniuriam accipiendam paratiorem, talem mortis rationem ſibi excogitârunt. Nam ſi licuiſſet & virginitatem ad finem vſque ſeruare, & martyrij coronam percipere, ad iudicium ire non recuſâſſent. Quoniam verò neceſſe erat omninò ab alterutro excidere, extremæ dementiæ hoc eſſe beata virgo cogitauit, dimidiatæ coronæ compotem factam abire, cùm vtriuſque victoriæ palmam aſſequi liceret: ob idque noluit in iudicium accedere, ac intemperantium hominum adſpectui ſpectaculum proponi, atque procacibus oculis ſui adſpectûs voluptatem præbere, & ſanctum illud corpus iniuriç ſubijcere: ſed ex thalamo & mulierum conclaui ad alterum thalamum, hoc eſt, in cælum ipſum aſcendit.

Cap. 3.

Magnum quidem eſt, carnifices ipſos circunſtantes, & hominis alicuius latera fodientes videre: ſed nihilo minus, quàm illud, hoc eſt. Quorum enim latera fodiuntur, eorum ſenſus præ tormentorum varietate conſumitur, vt mors ipſa non ampliùs terribilis, ſed liberatio quædam, & vrgentium malorum remiſſio videatur. Pelagia verò cùm nihil tale adhuc paſſa eſſet, & corpus integrum atque intactum haberet, neq; dolorem aliquem ſentiret, forti quadam excelſi animi magnitudine certè illi opus fuit, vt ex hac vita morte violẽta ſeipſam eijceret. Quamobrẽ cùm illorũ tolerantiam admiraris, huius etiã, quam diximus, fortitudinẽ admirare: cùm illorũ patientiam obſtupeſcis, & huius generoſam mentem obſtupeſcas, quòd talem mortem ſubire auſa fuerit. Nolim rem hanc ſimpliciter prætereas, ſed cogita, quomodò par eſt teneram illam virginem, quæ nihil aliud nouerat, niſi virginalem aulam, illo tempore affectam fuiſſe, cùm milites repentè irruentes, & ad fores ipſas ſtantes vidit, qui ad iudicium illam vocabant, & per forum pro talibus tantiſque rebus pertrahere volebant. Non pater intus erat, non mater, non nutrix, non ancilla, non denique vicinus aliquis, aut amicus præſtò erat: ſed ſola à carnificibus illis comprænhenſa eſt. Quòd enim exire, & carnificibus illis ac militibus reſpondere, quòd os erigere & vocem emittere, quòd eos adſpicere, quòd denique conſiſtere & reſpirare potuerit, hoc certè tale ac tantum

Laudat voluntariam necem in ſancta virgine Chryſoſtomus.

eſt

eſt,vt nemo poſſit non illud admirari atq; obſtupeſcere. Non erant hæc naturæ humanæ facta:ſed Dei maiorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipſa tamen ocioſa non erat,ſed à ſeipſa promptum & generoſum animum,voluntatem,propoſitum, ſtudium & alacritatem afferebat. Diuina igitur ope ac beneuolentia factum eſt,vt hæc omnia ad euentum perlata ſint. Itaque ipſam & admirari,& beatam dicere meritò debemus:beatam,quòd Dei præſidium atque opem habuerit:admirabilem,quòd tantã animi alacritatem oſtenderit. Diuinæ gratiæ cooperari debemus.

Quis enim non iure obſtupeſcat,audiens illam temporis momẽto tale propoſitum iniiſſe,confirmâſſe & ad exitum contuliſſe? Scitis enim omnes vos, quemadmodùm poſt multa ſæpè ac multo tempore cogitata,cùm occaſio ipſa rei conatum à nobis exigit,ſi vel paululum timoris mentem noſtram corripuerit,formidine repentè perculſi,conſilia omnia effundimus. At verò illa momento temporis conſilium ita horribile ac formidoloſum inire,decernere & reipſa perficere potuit. Nõ præſentium virorum terror,non temporis celeritas,non ſua ipſius,cui tot inſidiæ paratæ fuerant, ſolitudo,non quia intra domum ſola comprehenſa fuerat,non aliæ denique res beatam illam virginem perturbârunt:ſed ita ſecuro & præſenti animo omnia faciebat, vt ſi amici & noti aliqui homines illic præſtò eſſent:idque iure optimo:non enim erat intus ſola,ſed cõſiliarium habebat Ieſum ipſum. Ille virgini præſtò erat,ille ipſius mentem & cor excitabat,ille animum confirmabat:ſolus, inquam, ille metum omnem eijciebat. Hæc autem non ſimpliciter Ieſus faciebat,ſed quoniam martyr ipſa illius auxilio ſe dignam anteà præbuerat. Cap. 4. Gratia Dei datur illis qui ea ſe dignos præſtant. Nec tamen ob id gratia dari dicitur ex meritis, vel naturæ noſtræ viribus acquiri.

E domo igitur egreſſa,petijt à militibus,vt ſibi liceret redire intrò, & veſtem mutare. Ingreſſa verò intrò,veſtem mutauit,incorruptam pro corrupta,& pro fragili & caduca,ſtabilem ac ſempiternam. Ego verò prçter ea,quç dicta ſunt,& illud miror,quomodò milites illi gratiam,quam Pelagia virgo petierat,conceſſerunt: quomodò mulier viros decepit:quomodò nihil eorum,quæ futura erant,illi ſuſpicati ſunt:quomodò eius dolum non animaduerterunt. Neque enim eſt, quòd aliquis dicat , neminem vnquàm tale quippiam feciſſe. Multæ enim fortaſſe ſe præcipitârunt , & in mare ſeipſas iniecerunt,pectusque ſuum gladio traiecerunt,& laqueis colla inſeruerunt: nam multa huiuſmodi temporibus illis acciderant. Sed Deus ipſe militum illorum corda excæcauit, vt virginis Pelagiæ dolum non animaduerterẽt. Quamobrem è medijs retibus virgo auolauit,& ſicut cerua,cùm euadit venatorum manus,in quas inciderat,ad alicuius montis verticem venatorum pedibus & telorum iactibus inacceſſum ſtatim confugit,ac deinde à curſu *deſtitit, è loco illo ſine timore aliquo eos deſpiciens, à quibus anteà inſidiæ parabantur:ita & virgo illa cùm in ipſas venatorum manus incidiſſet,& parietibus ipſis,velut quibuſdam retibus,compræhenſa eſſet,cucurrit non in montis verticem,ſed in ipſum cæli faſtigium,quò nulla erat ipſis accedendi facultas: deinde illinc vacuis manibus eos reuertentes adſpiciens,gaudebat, cùm infideles homines redargutos, & multo rubore adſperſos videret. Cap. 5. *malim à deſiſtit.

Cogita quale illud fuit,ſedente iudice,adſtantibus carnificibus, paratis tormentis, vniuerſa multitudine collecta,cùm milites ipſi expectarentur, qui Pelagiam adducerent,omnesque præ voluptate geſtirent,& tanquam ebrij eſſent, prædam in manibus ſe habere ſperantes, tunc illos ipſos,qui eius rei cauſa miſſi fuerant, vultu in terram demiſſo redeuntes videre,factumque illud narrantes audire. Quantum dedecus,quãtum mœrorem ac probrum omnibus impijs illis tunc fuiſſe par eſt? Qua triſtitia, quo vultu & rubore perfuſos milites illos rediſſe credimus, qui reipſa didicerant , ſe non cum hominibus,ſed cum Deo bellum gerere? Ioſeph quo tempore à domina ſua inſidijs petebatur,veſtem impuris ac ſceleſtis barbaræ mulieris manibus detentam reliquit,,& nudus exijt. Pelagia verò neque corpus ſuum ab intemperatis illis hominibus tangi paſſa eſt, ſed cùm anima ipſa corpore denudata in cælum aſcendiſſet,& ſanctam ſuam carnem apud hoſtes reliquiſſet,ita dubios & perplexos aduerſarios reddidit,vt neſcirent quid facerent:neque enim habebant, quid reliquijs illis deinceps facerent. Talia ſunt perfecta Dei opera,rerum deſperationem ad multam facilitatem, ſibique aduerſantium res,quæ videntur facilimæ,ad extremam deſperationem transferentis. Cap. 6. Gen. 39.

Quid difficultate illa maius,in quam puella tunc inciderat? Quid facilitate illarum rerum,quas milites tunc tractabant,planius videri poterat? Habebant puellam intus ſolam,compræhenſam,domo ipſa velut carcere quodam concluſam,& tamen redierunt prædam non aſſecuti. Contrà puella ipſa,cùm omnibus auxilijs atq; adiutoribus Cap. 7. Mira Dei virtus & potentia.

deſerta eſſet,neq; vllam euadēdi viā haberet,ſed prope illarū ferarum manus ſe poſitā videret,ex ipſis faucibus,vt aliquis diceret, abrepta, omnium inſidias diffugit, & milites ac iudices,principeſque illos ſuperauit,idq; eo tempore,quo omnes ſe illius victores futuros ſperabant.

Cap. 8. Martyrum mors, Martyrum victoria.

Poſteà verò,quàm puella ipſa mortua eſt,tunc in maiorem deſperationem inciderunt,vt diſcerent Martyrum mortem, Martyrum eſſe victoriam. Hoc perinde fuit, ac ſi,vndarum impetu ad ipſum portûs aditum irruente, nauigium merce copioſa & margaritis precioſis refertum,cùm iamiam ab illa ipſa fluctuatione ſubmergendū eſſe videretur,periculum mox diffugiens,ab ipſo aquarum impetu impulſum, quam celerrimè ad portum tranſmiſſum eſſet. Sic militum illorum inuaſio ac terror, cùm omnibus vndis formidoloſior incidiſſet,fecit, vt multò celeriùs puella feſtinaret ad cælum aſſcendere:quæque nauim ipſam ſubmerſura videbatur vnda, illa ſaluam ad tranquillum portum tranſmiſit:ac deinde corpus illud omni fulgore ſplendidius ex alto deferebatur,diabolum id videntem feriens. Non enim ita fulgur è cælis demiſſū nobis terribile videri ſolet, vt Martyris corpus fulgure grauiùs dæmonum turmas tūc perterrefecit.

Nota ſanctę mortuę corpus dæmonū turmas perterrefacere.

Cap. 9. Sed vt diſcas non ſine diuina prouidentia id factum fuiſſe,hoc præcipuè licet apertè intelligere ex ipſius virginis propoſito & prompto animo:quodq; milites illi virginis dolum non conſiderârint, ſed quod illa petierat,libenter conceſſerint:quòd denique ad exitum res ipſa perducta ſit. Licet etiam nihilominùs & ex ipſa mortis ratione hoc intelligere. Multi enim è ſublimi tecto deiecti,nihil mali paſſi ſunt: alij verò, quibus corporis membra læſa & mutilata fuerint,poſt caſum ipſum multo tempore ſuperfuerunt. At in illa beata virgine nihil tale Deus ipſe fieri permiſit: ſed ſtatim iuſſit animam corpus relinquere,eamque ipſe accepit, quippè quæ quantùm ſatis fuit, certauerat,& rem omnem impleuerat:non enim mors illa eiuſmodi caſûs naturam, ſed Dei iuſſionem,conſecuta eſt.

Cap. 10. Iacebat igitur corpus illud non in lecto aliquo,ſed in ſolo. Nec propterea tamen honoris expers erat,quia in ſolo ipſo iacebat: ſed ſolum ipſum ex eo fuit honoratū, quòd corpus illud tā glorioſum excepit:quinimmò quia in terra iacebat, eoipſo corpus illud erat honoratius. Huiuſmodi enim ſunt iniuriæ,quæ propter Chriſtum accipiuntur,vt honoris cumulum nobis afferant. Iacebat igitur in ſolo ipſo, & anguſto quodam loco:ſed Angeli Pelagiæ corpus circundabant,& Archangeli omnes honorabant,Chriſtus deniq; ipſe præſens erat:nam ſi domini mortuos ſeruos aliquos nobiliores ad ſepulturam deducunt,neq; id erubeſcunt: multo magis Chriſtus ipſe virginem,quæ eius cauſa libenter animam emiſerat,& tantum periculum ſuſceperat,præſentia ſua honorare non recuſauit. Iacebat itaque illa, & epitaphium habebat martyrium,quod ſuſceperat,confeſſionis ornatu decora, & veſte omni regali purpura precioſiore induta. Erat autem veſtis illa duplex,vna virginitatis,altera martyrij His funebribus donis ornata virgo hæc,ad tribunal Chriſti aſſiſtit.

En quantū tribuit tantus vir examimi virginis corpori.

Cap. 11. Talem habitum & nos viuentes ac mortui nobis ipſis parare ſtudeamus,illud ſcientes,quòd qui auratis veſtibus corpus ſuum exornauerit,nullam ex ea re mortuo homini vtilitatem attulerit:quinetiam multorum inuidiam & repræhenſionem excitauerit:quippe qui neq; in morte ambitioſus,& falſæ gloriæ appetens eſſe deſierit. At ſi virtute ſe ornârit,multos etiam poſt mortem ſui laudatores habebit. Etenim ipſis etiam regalibus aulis apud omnes homines ſplendidius erit ſepulcrum illud, vbi corpus iacuerit,quod cum virtute ac pietate vixerit. Huius rei vos ipſi teſtes eſtis, qui diuitum monumenta,quanuis aureis veſtibus contecta,tanquam ſpeluncas quaſdam prætereuntes,ad ſanctam hanc virginem multo cum ſtudio & animi alacritate accurritis: quoniam cùm martyrio,cōfeſſione & virginitate,multę & aureæ veſtis loco,funus ſuum ornârit,hinc poſteà diſceſſit. Hanc igitur pro viribus & nos imitemur. Cōtempſit illa vitam hanc:contemnamus & nos delicias,irrideamus ſumptuoſos apparatus, abſtineamus à crapula & ebrietate,fugiamus voracitatem.

Virtutis ornamenta cōparanda.

Cap. 12. Non temerè hæc nunc dico,ſed quoniam multos video, poſtquàm concio hæc dimiſſa fuerit,ad ebrietatem,ad cauponas & menſas illas, quæ ſunt in hoſpitijs publicis, & ad alia inhoneſta opera ſtatim reuerſuros. Quamobrem precor vos & hortor, vt ſemper ſanctam hanc virginem in memoria & mente habeatis,neq; concionem hāc celebrem dedecoretis,non deniq; fiduciam noſtram ex hoc die feſto ad nos proficiſcentem imminuatis. Etenim non temerè cum Græcis differentes huius diei feſti celebritate gloriamur,eamque obijcientes,erubeſcere illos facimus, cùm dicimus,quemadmodùm

Dies feſtus S. Pelagiæ.

idmodùm vrbem integram ac totam, tantumq; populum puella vna mortua ſingulis annis ad ſe attrahit, idq; poſt tam multos annos, neq; tempus vllum honoris huius ſeriem interrupit. Verùm ſi ſenſerint, quæ in hac celebritate committuntur, maiore laudationum parte priuati erimus. Hæc enim multitudo, quę nunc præſens eſt, ſi benè ordinata ad nos accedere poſthàc ſtuduerit, ea res maximo nobis erit ornamento: at ſi cum ſegnitie & negligentia multa hîc aderit, probrum & accuſationem nobis ea res afferet.

Vt igitur veſtra multitudine, chariſſimi auditores, nos exultare poſſimus, eodem recto ordine domum reuertamini, quo par eſt eos redire, qui cũ talibus martyribus verſati fuerint. Nam ſi quis non ita domum redierit, non ſolùm nihil profecerit, verùm etiam periculum maximum ſibi attraxerit. Scio vos hoc morbo non laborare: ſed non ſatis hoc vobis eſt ad excuſationem, niſi & fratres ipſos inhoneſtè ſe gerentes, ad modeſtiam maximam, & ad conuenientem & compoſitum ſtatum redigatis. Honoraſti Martyrem præſentia tua? eandem illam & proximorum tuorum emendatione honora. Si enim videris inordinatum riſum, atque inhoneſtum curſum, & illiberalẽ inceſſum, indecentemq; habitum & figuram, accede, & illos ipſos, qui talia committunt, acerbo & terribili vultu intuere. At contemnẽt illi, & irridebunt potiùs. Sume tecum duos vel tres fratres, vel plures, vt qui hæc facit, multitudine ipſa præſente correctus, modeſtior fiat. Quòd ſi neq; ſic illorum amentiam repreſſeris, eos ipſos ad ſacerdotes deferas. Sed vix fieri poteſt, vt ad eam impudentiam illi deuenerint, vt ſi reprehenſi ac rogati fuerint, non cedant, verecundentur, & ab inordinata & ludicra chorea ſe retrahant. Quòd ſi decem, ſi tres, ſi duos, ſi vnum tantùm lucrifeceris, multam vtilitatem tibi comparaueris. Cap. 13. Proximi vt ad meliorẽ frugem reducendi.

At multa eſt viæ longitudo. Longitudinem hanc ad eos, quos ſuprà diximus, colligendos ſpontè ſubeamus. Multo thuris vapore viam implemus. Honeſtum quidem hoc eſt. Verùm non tantùm via ipſa honeſta apparuerit, ſi, vaporis atq; odorum inſtrumentis per illam totam diſpoſitis, aërem ipſum odoris ſuauitate perfuderis, quantùm ſi omnes, qui hodiè per illam ipſam viam incedunt, Martyris certamina inter ſe narrantes domum redeant, linguas ipſas ſinguli pro vaporis inſtrumento exercentes. An non videtis cùm Imperator in vrbem ingreditur, quàm compoſitè atq; ordinatè milites ipſi ordine vtrinq; diſpoſito armati incedunt, viciſſim ſe hortantes, vt quieto & ſedato ac reuerenti gradu procedant, quô ijs, qui eos ſpectant, compoſiti & ſpectatu digni videantur? Illos igitur imitemur. nam & nos Imperatorem deducimus, nõ corporeum aliquem, aut terrenum, ſed angelorum Dominũ. Atq; ita ingrediamur, nos mutuò hortantes ad concinnè atq; ordinatè progrediendum, vt non multitudine ſolùm, verùm etiam ordine ipſo ſpectatoribus ſtuporem afferamus. Maximè quidem. Quanuìs enim nemo præſens eſſet, quanuìs ſoli per viam incederemus, neq; ſic tamẽ immodeſtos nos eſſe oporteret, diuinos illos oculos metuentes, qui ſemper patent, & vbiq; preſentes ſunt, omniaq; intuentur. Cap. 14. Honeſtè incedere, & de rebus bonis inter ſe conferre debẽt Chriſtiani.

Nunc verò etiam illud conſiderate, multos hæreticos hîc eſſe inter nos cõmiſtos, qui ſi vos ita ſaltantes, ridentes, vociferantes & ebrios viderint, ſummè nos condemnantes diſcedent. Quòd ſi aliquis vni alicui homini ſcandalum afferens, ineuitabiles pœnas dabit: nos, qui tam multis ſcandalum afferimus, quas pœnas daturos putas? Sed prohibeat illud Deus, vt poſt hos ſermones, & hanc admonitionem aliquis ijs vitijs obnoxius inueniatur. Nam ſi antehàc, qui huiuſmodi facinora committere audebãt, venia digni non erant, poſt conſilium atq; increpationem hanc pœna ipſa multo grauior erit & ineuitabilior tam ijs, qui hæc faciunt, quàm qui fieri vident &, contemnũt. Vt igitur & illos pœna liberetis, & vobis copioſiorem mercedem comparare poſſitis, fratrum noſtrorum curam ſuſcipite: ad ea, quæ dicta ſunt colligenda atque enarranda eos impellite, vt per totam viam hæc meditantes, & ijs, qui domi remanſerunt, menſę huius reliquias afferentes, illuſtre conuiuium etiam illic habeatis. Ita enim & huius diei feſti guſtum maximum percipiemus, & ſanctam martyrem ad maiorem beneuolentiam prouocabimus, vero honore illam proſequentes: quæ maiorem etiam voluptatem capiet, ſi fructum aliquem & vtilitatem animas iuuantem adepti redierimus, quàm ſi huc venerimus, & poſteà tumultuati ſimus. Cap. 15. Matth. 18. Vitanda ſcandala.

Faxit Deus huius ſanctæ virginis, & eorum, qui ſimiliter certauerunt, orationibus ac precibus, & vt hæc, & alia, quæ dicta ſunt, dilgenter memoria teneatis, & vt ad opus ipſũ omnia conferentes, in omnibus ad finem vſq; Deo ipſi grati ſimus: Cui gloria ſit & imperium, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Sancti pro nobis orãt.

BEATI IOHANNIS CHRYSOSTOMI POSTERIOR LAVDATIO IN EANDEM SANCTAM VIRGInem & Martyrem Pelagiam Antiochenam. Eſt etiam in Metaphraſte.

Iunij 9.

MAIORE quidem theatro ſancta virgo Pelagia digna eſſet: magna enim huius puellæ certamina, extiterunt, ob idq; copioſiorem theatri frequentiam requirunt. At ſatis illi tamen eſt Chriſtus, qui ſolus pro omni ornamento huius virginis panegyrim ac celebritatem præſens exornat. Quo enim loco Chriſtus adeſt, illic omnium Angelorum chorus præſtò eſt. Et omnes quidem martyres ſua corpora cruciatibus fortiora præſtiterunt, ob idq; magnũ quoddam theatrum aduersùs diabolũ ſibi parauerunt, cùm incorporeos ſpiritus corpore ipſo ſuperauerint, & carnem ſuam cum ferro contendentẽ fortiter exhibuerint. Cùm verò etiam puellas ipſas video pro Chriſto crucifixo mori geſtientes, tunc diaboli temeritatem magis rideo, qui cùm permulta vaticinandi loca ſibi excogitauerit, quaſi res futuras in illis ipſis prænunciaturus eſſet, non illud præuiderit ac vaticinatus ſit, quantum dedecus quouis riſu dignum hodierno die paſſurus eſſet.

Dæmonum imbecillitas & temeritas.

Quid enim magis ridendum aliquis duceret, quàm quod hodiè paſſus eſt diabolus? Qui licèt virginem irretitam haberet, à præda tamen ipſa excidit, & puellam, quam apprçhendit, tenere non potuit, quaſi vmbram, non virginem appræhendiſſet. Nam cùm illa ſimplicitatem columbæ cum ſerpentis prudentia coniunctam haberet, vt columba quidem ſimplex compræhenſa eſt, ſed vt prudens ſerpẽs diffugit: quanuìs enim eſſet compræhenſa, de victoria tamen non deſperauit: neque animo aut conſilio capta fuit, licèt corpore detenta eſſet: ſed artem quandam atq; conſilium excogitauit, quo eorum, à quibus compræhenſa fuerat, temeritatem eluderet, & eos tanquã ſtupidos redderet.

Prudẽs ſimplicitas Pelagiæ.

Sed quidnam hoc fuit? Se cõſilium mutâſſe puella ſimulauit: idq; vt credibile videretur, quanuìs in tantæ fluctuationis & naufragij periculo conſtituta eſſet, vultu tamẽ ipſo hilaritatem præ ſe ferebat. Figmento igitur illo milites capti, & puellæ hilaritate decepti, humaniùs in illam ſe gerere cœperunt. Quæ cùm ab ipſis petijſſet, vt tandiù liceret abeſſe, quoad ornatum ſpõſæ conuenientem ſibi indueret, eundi poteſtatẽ milites ei conceſſerunt, quippe qui ea re non ſolùm illi virgini gratum facturi eſſent, ſed futurum etiam cogitabant, vt à Iudice ipſo magis laudarentur, ſi puellam veſte ornatam duxiſſent. Illa verò conſilij ſui compos facta, ſtatim ſe veſte induit, quæ verè decora eſt. Cùm enim animi fortitudine, & reſurrectionis ſpe multa ſe induiſſet atque corroborâſſet, ad ipſius tecti veſtigiũ cucurrit, & illinc ſeipſam prçcipitem dedit. Itaq; palæſtræ genus illud exegit, quod vt magnum quippiam aliquando diabolus Domino ipſi proponere auſus fuerat, cùm dixit: Si filius Dei es, mitte te deorſum.

Virgo ſanctã ſe præcipitio interficit.
Matth. 4.

Huius puellæ fidem & animi magnitudinem valdè obſtupeſco. Quid enim tunc alia virgo ſecum ipſa non cogitâſſet? Dixiſſet quidem: Do meipſam ex hoc loco præcipitem, cùm id facere eoipſo coacta ſim, quòd ſtuprum metuo. Laudabile eſt propoſitum, modò caſum ipſum mors conſequatur. quanuìs enim in me mortuam hoſtes debacchati fuerint, id tamen ego non ſentiam, meq; inſciente, hoc facient. At ſi in terram colliſa, corporis membra perfracta fuerint, anima verò in membris permanſerit, corporis turpitudinem moleſtè ferẽs ac dolens, tunc nihilominùs ad Iudicem ducta, ea patiar, quæ ſemper timui: tradent enim ſtupro corpus ipſum membris lçſum, ac me violatam dimittent: ſicq; duplicem feram calamitatem, tum corporeis membris læſa, tum virginitate ſpoliata. Hæc ſatis quidem fuiſſent, vt aliam puellam perturbarent. At illa fide ipſa ita confiſa eſt, quaſi finis ipſius ſponſorem aliquem haberet: ob idque prompto animo ad eum caſum feſtinauit.

Itaq; puellæ & virginis fortitudine atq; animo illo victus es, diabole. Quæ enim Domino ipſi olim propoſuiſti, ad ea puella quædam eius famula te prouocauit, & ad tecti faſtigium accurrens, illinc ſeipſam iaculata eſt: cumque à Iudice vocata eſſet, tibi, qui hoc ſuggeſſiſti, non obtemperauit, neque ſubdolam pugnam ſubijt: nouit enim verſutas cogitationes tuas, cùm ſçpè virgines ipſas ad Iudices, tanquã ad flagella excipienda, vo-

Puella pudefacit dæmonem ſuperbum.

da, vocare ſoleas, poſteà verò ſine pugna ijs, qui pugnam ſubiêrunt, acerbiùs detentas eijcis. At ſi verè ad pugnam vel ad ſtadia puellam prouocas, congredere nunc cum illa è tecto ſe deijciente, eamque illinc decidentem ſuſtine. Audeas cõtra illam ſtare, & palæſtram experiri. Excita quamcunque velis aſtutiam. Habes terram pro pugnæ campo. Vrge nunc gladios ipſos, vt mortem inferas. Subſterne interficiendis hominibus dura cædis inſtrumenta. Para decedenti puellæ cõfractionem. Omnes enim quantumuis abſtruſas atque abditas artes tuas, velut infirmiſſimas illa ſuperauit, quodque maius eſt, neque illud à Deo exegit, quod ſcriptum eſt: Angelis tuis manda de me Domine, ne vnquàm offendam ad lapidem corpus meum: ſed id petijt, vt animę pręciperet, poſt caſum ipſum è corpore diſcedere. Pſalm. 90.

O puellam genere quidem & ſexu fœminam, animo autem ipſo marem. O virginẽ duobus nominibus extollendam, quòd in virginũ grege, & martyrum choro numerata ſis. O puellam ita continentem, vt neque adſpectu quidem ipſo fruendi facultatem intemperato Iudici præbueris. Huius igitur puellæ temperantiam & nos imitemur, & contra voluptates ipſas victoriæ trophæa erigamus. Incontinentiæ atque intemperantiæ impetum frangamus, & animum ipſum ad pietatem ſeruandam corroboremus. Iudices ipſos à tentationibus ſubmoueamus, & cùm opportunum eſt, nõ abiectos, ſed audaces nos præſtemus. Denique membra noſtra, quę ſunt ſuper terram, mortificemus, vt & Dominus ipſe hoc humile corpus noſtrum tale reddat, & in eam conditionem transferat, vt corporis ſui formam cum eo communicet: Cui ſit gloria & imperium in ſecula, Amen. Intemperãtia & incõtinentia fugienda.

MARTYRIVM SANCTORVM GETVLII, CEREALIS, AMANTII ET PRIMITIVI, EX EGREGIO MS. CO- *dice per F. Laurentium Surium ſtylo mutato deſcriptum: cui fidem conciliant etiam antiquiſſima Martyrologia.*

TEMPORIBVS Hadriani Imperatoris fuit vir quidam omnis diuinæ legis peritiſſimus, idemq; Chriſtianiſſimus, Getuli⁹ nomine. Degebat autẽ in Sabinorũ regione haud procùl ab vrbe Roma, conuocabatque ad ſe quotidiè permultos tum ex Italia, tũ Gręcia Chriſtianos, iiſq; alimẽta præbẽs, diuinam legem exponebat, eoſq; erudiebat. Peruenit eius rei fama ad aures Hadriani Imperatoris, qui miſſo Cereale Vicario, iuſſit eum cõpræhẽdi. Vbi ad illum venit Cerealis, inuenit eum domi ſedentẽ, & more ſolito Chriſtianos inſtituẽtem, qui eius doctrina magis ac magis in fide Chriſti confirmabãtur. Dixit autem ei Cerealis: Audiſti, quæ ſint à principibus edicta apud omnes propoſita? Reſpondit S. Getulius: Itáne principum iuſſis parére neceſſe eſt? Cerealis dixit: Tuipſe edicito æquũ ne ſit illis parére. S. Getulius ait: Cui tandem, ô princeps, obtemperandum eſt? mortaline homini, & mox in putredinem abituro, an verò præpotẽtis Dei filio? Cerealis dixit: Habet ergo filium Deus veſter? Getulius reſpondit: Habet palnè, qui quidẽ & fuit, & eſt, & erit ſemper. Cerealis dixit: Qua vel doctrina, vel ſigno nóſſe licebit, filiũ Dei, Deum eſſe, quẽadmodùm tu doces? Reſpõdit ſanctus Getulius: Noueris verbum Dei, verum Deum ex Deo patre genitum, & de ſpiritu ſancto conceptum, ex virgine Maria natum eſſe, eumq; nouiſſimis temporibus dignatum eſſe venire, vt mortuos ſuſcitaret, cæcos illuminaret, leproſos mundaret, ſuper mare pedibus ingrederetur, vẽtis & tempeſtatib⁹ imperaret. Cerealis Vicariùs dixit: Nôſſe velim, quìnam iſthuc factum ſit. 10 Iunij. Getulij humanitas in Chriſtianos.

Tum S. Getulius vocauit ad ſe Amantium tribunum fratrem ſuum, qui metu Hadriani principis latitabat, narrauitque ei omnia de Cereali Vicario: porrò ipſi Cereali indicauit Amantium fratrem ſuum. Ad cuius conſpectum mirificè exhilaratus eſt Cerealis. Dixit autem ei S. Getulius: Abijce iam Cerealis frater artes diabolicas, & amplectere Chriſti patientiam. Ego in Tyburtina vrbe cùm haberem vxorem, liberos & opes, omnibus valefeci, vt poſſem ad æternam peruenire ſalutem. Cerealis reſpondit: Equidem nec vxorem nec proles habeo, quas relinquam. Si verò eſt aliquid æternum, ne quæſo id me celetis. S. Getulius dixit: Aeternum hoc eſt, vt manufactis idolis propudiatis, in Chriſtum Dei filium credas, Cerealis ait: At quo tandem or- Amantius tribunus, frater Getulij.

dine hæc fides ſuſcipienda eſt, vt ne quid fuſcatum in me reſideat? Dixit ei Amantius tribunus, amicus eius: Baptiſmum percipies in Chriſti confeſſione, & ſic vitam habebis ſempiternam. Quòd ſi verò reliqueris omnia, quæ in hoc mundo appetis, centuplum accipies, & vitam æternã poſſidebis. Cerealis ait: Ecquid obſtat, quo minùs pro Chriſto filio Dei ſanguinem meum fundam? Sed iam quęſo moras vos nectere ne velitis. Tum Sanctus Getulius ad pœnitentiam eum adhortabatur, ſimulq; ei triduanũ indixêre ieiunium, donec diuinitùs edocerentur, quid faciendum eſſet. Cumque tota nocte in vigilijs & precibus durarent, audiêrunt vocem angelicam ipſos admonentem, vt Sixtum vrbis Romæ Epiſcopum ad ſe vocarent, & ab illo baptiſma perciperent.

Matth. 19.

Triduanũ ieiuniũ, vigiliæ & preces.

Venerunt igitur Romam, & accerſito beato Sixto Epiſcopo, in cryptam quandam eius, quam diximus, regionis ingreſſi ſunt: vbi B. Sixtus more Chriſtiano eũ catechiſmo imbuit, ac deinde baptizauit. Eadem autem hora vidit Cerealis deſcendentem ſuper ſe Spiritum ſanctum, & mox ingenti voce clamauit: Ecce video lumen quoddam Solis ſplendore illuſtrius in me delabi. Porrò B. Sixtus pro ſingulis obtulit ſancta libamina, & participes eos fecit ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti: & cùm eos in fide confirmâſſet, gratias agens, diſceſſit ab eis. Eodem tempore officiales Cerealẽ quæſiêrunt. Venit autem Vincentius quidam eò, vbi erant ſancti, aurum publica exactione collectum abſportaturus. Vt autem vidit eũ Cerealis, dixit ei: Nos tẽporarias res iam abiecimus, vt fruamur æternis. Temporalia enim vnà cum illis, qui amore ea proſequuntur, in nihilum redigentur. Tum Vincentius magna voce exclamauit: O principes orbis & reipublicæ moderatores: ſeductus eſt Cerealis dignitate Vicarius: relictiſque dijs, phantaſmata ſectatur: multaque ira incenſus, celeriter cucurrit ad Hadrianum principem, eique quid comperiſſet expoſuit, nempè Cerealem ſe Chriſtianum confiteri. Itaque Hadrianus miſit Licinium conſularem, qui ipſi Cerealem ſiſteret. Licinius veniens ad vrbem Sabinorum, tenuit Cerealem, & cum illo Getulium, Amantium & Primitiuum: moxque ſcripto petijt ab Hadriano, quid de illis fieri iuberet. Reſcripſit autem Hadrianus, vt aut immolarent dijs, aut ignibus cremarentur. Eodem ergo die, quo lectæ ſunt literæ Imperatoris, iuſſit Licinius in ciuitate Tyburtina tribunal ſibi præparari, ſanctoſque ſibi vinctos exhiberi. Cumque veniſſent, ita dixit: Adeóne Cerealis vitam deſperâſti tuam, vt præcepta principum, qui toti imperant orbi, contemnenda putes? Cerealis reſpondit: Et theſauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum, & Chriſto Ieſu me ſeruiturum promitto, vt vitã obtineam ſempiternam. Licinius dixit: Vtrùm viuere aut mori mâlis, edicito. Cerealis ait: Ego ſi viuere non appeterem, Chriſtum non confiterer. Veſtra autem ſacrificia nihil ſunt. Tunc ad S. Getulium conuerſus Licinius, dixit: Sacrifica dijs Ioui & Marti: alioquì extorquebo à te animam tuam. Reſpondit S. Getulius: Ego non perdam animam meam: immò verò potiùs lucrabor eam.

Cerealis poſt catecheſin baptizatur.

Sancti martyres iudici ſiſtuntur.

Tunc ira inflammatus Licinius, iuſſit eos expoliatos cædi, dicens: præcepta principum contemnere nolite, ſed magnis dominis obtemperate. Cùm autem cæderentur, B. Getulius magnificans Deum, alta voce dixit: Gratias ago Deo patri omnipotenti, & Domino Ieſu Chriſto, eique meipſum ſacrificium mundum offero. Dixit ei Licinius: Quod eſt mundum ſacrificium? B. Getulius reſpondit: Spiritum contribulatum, & cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Licinius dixit ad miniſtros: Abducite iſtos in carcerem: vbi ſanè ad dies vigintiſeptem permanſêre. Porrò Licinius Romam proficiſcens, res geſtas narrauit Hadriano Imperatori. At ille furore percitus, miſit milites, qui eos flammis exurerent. Ducti ſunt ergo ſancti martyres ad tredecim milliaria ab vrbe Roma, & illic ligatis manibus & pedibus ad flumen Tyberim in ignem coniecti ſunt. Cùm autem beatum Getulium flammæ non contingerẽt, & ille magis etiã in Domino cõfortatus, ſolutis vinculis, Chriſtum Dei filiũ glorificaret, milites caput eius fuſtibus confregerunt: & ſic inuocans Dominum, emiſit ſpiritum. Cuius ſacrum corpus colligens Symphoroſa vxor eius, honorificè eum ſepeliuit in arenario prędij ſui.

Verberãtur

Pſalm. 50.

Diũ manẽt in carcere.

Flãmis martyres obijciuntur.

Ado in ſuo Martyrologio hæc adiungit: Conſummati ſunt beati martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab vrbe Roma plùs minùs milliario tertiodecimo ſupra fluuium Tyberim in parte Sabinenſium. Quorum corpora collegit beata Symphoroſa, vxor beati Getulij martyris. Quæ non longè poſt eundẽ ipſum martyrẽ cum ſeptem ſuis filijs fuit martyrio confecta, videlicet 27. die menſis Iunij: & ſepulta eſt in prædio ſuo, loco & oppido ſuprà nominato.

Symphoroſa cũ ſeptẽ filijs necatur.

HISTO-

HISTORIA INVENTIONIS S. MAVRINI ABBATIS ET MARTYRIS, AVTHORE STEPHANO, QVI *eam ſcripſit iubente Chriſtiano Abbate, circa annum Domini 990.*

PROLOGVS.

DOmino Chriſtiano Stephanus exiguus. Imponis pater mihi, quod ferre non poſſunt humeri. Maurinum præcipis laudare, & eius opera ſtylo dare: quorum vnum officium eſt angelorum, alterum hominum ſapientiſſimorum. Si martyr inuictus, in ore & mente bonorum omnium ſcriptus, literas deſiderat, habet Colonia Agrippina, ſecunda (ſi dignatur dici) Roma, ſuos Gregorios, habet Hieronymos, quos ſupernæ ciuitatis decet ſcribere conſules. Sunt nihilominùs ſub alis tuis educati non pauci, qui indeficiẽtem Nilum viderunt & biberunt, ſeq; huic operi pares oſtentant. Quid ergo mihi in ſyluam ferre ligna? Bruno ille nobilis filius columbæ ſacrarium ſapientiæ, te inuenit, in quo complacuit animæ ſuæ. Compertum quantum præſtitiſtis ſeculo, chari inuicem & noti, & in verbis prudentiæ ſæpè admirati. Tui ergo & prædictorum officij eſt cælitum merita tractare, quibus inuidiam promereri eſt facilè, niſi fortè admirabili ſapientia animi tui hoc Maurino miraculum addere decreuiſti, vt ei hominis organo iumentum Balaam deſeruiat Pareo hac conditione interpoſita, vt ſupremam manum imponas operi, & titulum tuo dedices nomini.

Colonia Agrippina, altera Roma.

HISTORIA.

SVMMA & vel vnica ſalus eſt ægris mortalibus, quòd electos ſuos ita Chriſtus cælis diuiſit & terris, vt ſpiritus cæleſti habitatione dignos ſuperis admitteret, & terræ terrena permitteret. Non enim beatorum ſpiritus ſui hominis penitùs deſerunt exuuias, arma ſcilicet ſuæ militiæ, in quibus de antiquo triumphauerunt ſerpente. Iſti etenim iſti ſunt inclyti propugnatores tui ô redẽpta Chriſti cruore Eccleſia: iſti ſtant pro filijs tuis, ne eos baratro oris abſorbeant toto aëre vagantes ſpirituum corruptores. Quãdo enim per te armatis dolo & igni reſiſteres aduerſarijs, quæ in propria carne ægrè imperium agis? Sed emeriti teſtes Chriſti, angelorum ciues, immò conſules pro meritis creati, etiamnunc iniquitatis ſatellites per te expugnant, quos p ſe vicerant. Hi reos Deo conciliant, orbem portant, tartara ſpoliant, vt angelorum numerum expleãt, & muros Hieruſalem extruãt. Hoc indefeſsè Ioannes Epheſi, hoc Andreas, hoc protomartyr Stephanus Byzantij, hoc Petrus & Paulus Romę, & in toto penè terrarum orbe, hoc ſinguli ſanctorum in ſua ſorte gratum Deo ſacrificium faciunt.

10. Iunij

Sancti in cælis, Eccleſię propugnatores.

Habemus & nos in oculis huius rei teſtem idoneum Maurinum, Deo & Angelis charum, cuius hodiè paſſio cælos glorioſo martyrio ornat, & reis veniam donat. Qui ſub ſignis fidei ad ſanguinem vſque deuotus, in die ſui certaminis nil minus à magnis egit martyribus: qui caput draconis antiqui & nequitiæ eius ſatellites Decios detriuerunt & Nerones. Egregia nanque viciſſitudine mortuo pro ſe Domino mortis triumphum obtulit, purpuratuſque proprij ſanguinis oſtro, ſtolam ſuam dealbauit in ſanguine Agni. In cuius nunc comitatu quocunque ierit hærens, ſecurus ſui ſuis prouentum poſcit ſalutis. Huius gratuita Deus clementia nobis cauſidici ſcutum obtendit, huius nos pretioſiſſimis membrorum gemmis ditauit. Niſi multùm nos abijcimus, ſemper eum nobis præſentem ſperare debemus, ſed præſertim in hac die ſolennitatis & lætitiæ ſuæ. Hanc, inquam, diem lætitiæ eius dixerim, in qua familiariùs regi ſuo dux magnanimus militare cœpit, mutato militari cingulo, non depoſito. Digna, domini mei, laude hanc diem ſacremus, & prono vtriuſque hominis obſequio honoremus. Egregium nobis ſit Angelorum

Maurinus martyr.

lotum participari officio. Eis de noſtri hodie patroni gloria gratulantibus gaudia noſtra conferamus, immò gaudia eorum geminare ambiamus, & de peccatorum noſtrorum tumulis reſurgamus. Quodam modo enim de ſepulchris vitiorum reſurgimus, cùm Deum manibus exquirimus, & ſanctorum laudibus animum intendimus. Hinc per Dauid familiare ſibi organum ſpiritusſanctus, Laudate, inquit, Dominum in ſanctis eius. Et in his quoque mundalibus regnis, quem reges ſua dignantur amicitia, ſi quod in ſpem gratiæ ſuorum principum militauerit bellum, noſtis quanta dulcedo, quanta regum ſuper eo ſit oblectatio audire quantus in clypeum aſſurgat, quanta vi torqueat haſtam, & quanto ipſius vitæ periculo caput obiectet gladio.

Pſalm. 150.

In gloriam ergo Maurini nobiliſſimi * agonothetæ & victorioſiſſimi, aliquid & nos reſonemus dulce Deo, gratum cælo. Sed cinis & puluis quid feret dignum amico DEI excelſi, cui hymnidici ſuperorum famulantur chori? Parum eſt, ſi eum fortiter Dominica bella bellâſſe dicimus. Ter enim quaterque victor exiſtit, qui non modò cum purpureis tyrannis in lites erupit, ſed ſeculo altior, in ipſum huius mundi principem, in ipſum, vt ſic dictum ſit gigantem cælis bella minitantem, gyganteo robore arma commouit, vitam morte poſſedit, mortuus palmam & ſpolia de hoſte tulit. Parum eſt, ſi in eo patritij ſanguinis ſtemma recenſemus. Maior ei nobilitas eſt, confratrem eſſe martyrum, cohæredem Apoſtolorum, & ſocium Angelorum. Quòd ſi de vitæ eius merito agitur, inferius erit quodcunque dici poterit: niſi quòd verè probatur glorioſus Dei amicus & pretioſiſſimus filius. Et quia conducit filio ſimilari ad patrem, pijſſimus Dominus natiuæ pietatis ſuum Maurinum ornauit inſigni. In quo quiſquis ſpem ſuam conſtituit, nouit totus quantæ miſericordiæ balſamis affluat, nouit quàm præſens exauditor, quàm propitius ſit interuentor: horumque atteſtatione quanti ſtet altiſſimo facilè cognitum eſt. Verùm taceat interim lingua carnis ſuper cæleſtem gloriam martyris, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit: & ſaltem qualiter inuentum ſit eius ſacratiſſimum corpus diei gaudio ad memoriam reuocemus.

*for. * athletæ.*

Victoria illuſtris S. Maurini.

Eſa. 64.

Peracto beato agonis ſui triumpho, egregius Dei athleta Maurinus, locus tumuli cælo tantùm notus, & Angelici tantùm obſequij reuerentia veneratus, * habitauit vſque ad incarnati Verbi annum nongenteſimum ſexageſimumſextum, agente tum in ſceptris diuo Othone, primo Othone. Ceſſerat ab hinc anno humanis officijs eiuſdem principis diuus frater Bruno archos antiſtes, & mutata vita, Chriſtorum Domini ante DEVM captabat præmia. Qui corpore extra muros vrbis ſecundùm deſiderium cordis ſui reconditus in oratoriolo ſanctorum Pantaleonis, Coſmæ & Damiani, locum quem viuens coluit, mortuus * ornabat. Erat autem oratoriolum pro tenera nouellæ conuerſationis infantia anguſtum, & magnis meritis magni præſulis impar. Ruit ergo ſolo tenus pijſſimo diuinæ potentiæ effectu ſine inhabitantium diſcrimine, ſine familiaris rei damno, & ſui ruina occaſionem editioris fabricæ præbuit. Cæli quoque inopinatas dederunt copias, prouenturo operi theſaurum inexhauſtum, gemmam diadematis Domini, curam ſui & Angelici populi. Nam quia non potuit latere ſub modio lucerna ardens coram Domino, dum ponendo fundamento terra effoditur, loculus, (Gloria tibi Chriſte) Maurini martyris inuenitur, qui Brunoni manum conferret, & in altero latere Pantaleoni aſtaret. * Folcmarus ergo dignus Deo digni Brunonis in ſacerdotio ſucceſſor, vocatus adfuit cæleſtis doni arbiter, & cæleſtium exequiarum miniſter. Ac primò peruidetur lapis loculum claudens, inſcriptus martyris nomine, & officio, & martyrij eius die & loco, Hic requieſcunt oſſa bonæ memoriæ Maurini Abbatis, qui in atrio eccleſiæ martyrium pertulit ſub die quarto Idus Iunij.

*legendum puto * latitauit.*

Vrbis Colonienſis dicit.

*MS codex habet * ordinabat.*

** Volmar.*

Inuenitur loculus S. Maurini.

Amoto lapide, lignea ferro euincta inuenitur arcula, carie indicans priſcæ paſſionis tempora. Tota omnibus portis ciuitas ad ſpectaculum illud Angelicum non poteſt dici quàm pio ruit affectu: Clerus & ſanctimonialium ſe dedit chorus. Sanctæ autem memoriæ antiſtes, cùm reuerentiæ obſequia & orationum prælibâſſet ſolennia, ſpe & ſancto plenus timore reliquias virtutum & medelæ ſcias detexit, & oſtenſo in terris Angelorum ciue, populum Dei gaudio & gaudij lachrymis ſatiauit. Renouantur antiqua miracula, hauritur odor, quo electos ſuos Dominus teſtatur. Putares balſamis veneranda oſſa fluere. Vincitur ſermo miraculo: minus eſt omne quod

Reliquiæ virtutũ & medelæ ſcia, vel ſcientes.

quod dico: ſed quia hodierna agitis gaudia, in æternum eadem vos ſatiari contingat fragrantia. Iam vero quis non dicam expediet, ſed dignè miretur ipſorum pulchram gloriam oſſium? Pulchro nanque corporis indumento, quanta ſit ſpiritûs pulchritudo & munditia, compertum eſt. Videres brachia nota ferri inſcripta, videres oſſa paſſionis grandine quaſſa, & in toto corpore militaris animi cerneres ſigna. Velent ducum aut regum cadauera byſſus lilijs, aut purpura contendens violis, aut detorti pondera auri. Quid ſunt autem hæc ad Maurini collata gloriam? Byſſus & purpura, vermium eſt eſca: Maurini cicatrices & vulnera ſunt immortalitatis ſigna.

Hic quædam Reginildis nomine ſanctimonialis fœmina, cum Maria Magdalena prima ad ſepulchrum reſpecta, viuentem ſpiritum in mortuis oſſibus inuenit & nunciauit. Hæc in monaſterio ancillarum Chriſti extra vrbis muros ſito, merito & officio nota, diutino capitis incommodo auditûs munere caſſata eſt, ſimul & oculorum lumine penè priuata. Circa quam cùm omnia medicorum defeciſſent adiutoria, deſperatione recuperandi, ſociaſque mœroris habitu offudit. Iam fermè bimus inualuit dolor, & vt dicitur iuxta ſtatum capitis, ſtatus totius erat corporis. Quantum autem eſſet deſtituta viribus corporis, imbecillos ſuſtentata artus, mediam ſe populi baculo ſancti deſiderij præuio, ad Sancti vſque buſtum inieciт ſe humi, tacitas preces cælo fudit, & martyri libam fecit * lumine cerei. Cumq; quem mente videbat, carnis oculis, quos penè amiſerat, intueri deſideraret, & caput in loculo martyris reclinaret, vtriuſque auris meatus ſanguine fluxit, & fidei pretio viſus & auditus munia redemit, incolumiſque officio quod agebatur iubilauit, & quotquot angelico illi ſpectaculo intererant, in fide ſubrexit.

* flagrans lumine fidei.

Sanatur ſurda & penè cæca.

Sanctæ autem memoriæ Gero, pòſt datus Epiſcopus dignus Deo, ſecundo loco beati martyris meritum agnouit & prædicauit. Cùm enim aſtante Folcmaro præſule, delectæ ſecundi ordinis perſonæ pretioſas ſancti corporis margaritas, vino ex deuotione baptizatas, nouo ordinarent repoſitorio, officioſa ſe ſedulitate admiſit, & egregie audax, vno martyrem dente mutilauit. Mira dicturus ſum. Mox in ipſa manu rapta teſte pœnas dedit, & inuiſibili igne non ardens arſit. Agnouit eruditus animus cæleſtem animaduerſionem, quam ſolus ſenſit, ſed videre ipſe non potuit. Quid ageret? Libenter pignus retineret, ſed pœnam ſuſtinens, etiam animo maiorum expectatione fortius, niſi reddidiſſet, torquebatur. Deducuntur interim pignora Sancti, comitante populo arcam Domini, in voce exultationis & confeſſionis epulante. Præerat tunc monaſterio ſanctæ Mariæ Dominæ noſtræ, quod dicitur nouum, venerabilis Vuolwereda, virginum DEI mater & Abbatiſſa, quæ huic ſpectaculo intererat, & pſalmorum cantica in codice recitabat. Hanc Gero acciuit, & cum reuerentia in libro ſanctum dentem depoſuit, complacuitque martyri quies in acerra thuris Dauidici. Factumque eſt vnum idemque momentum, dentem poſuiſſe & paſſionem: demonſtrâſtique IESV bone, quanta martyrem tuum diligentia velis tractari, huiuſque rei pretium eſſe à gehenna liberari. Poſita ſunt autem debito fidelium honore oſſa beatiſſimi Maurini in oratorio ſancti Benedicti ſub die tertio Idus Octobris.

Nota rem miram.

Miraculum.

Magnis maiora, glorioſis ſuccedunt glorioſiora. Thiedo pòſt datus Epiſcopus, tunc in monaſterio ſancti Seuerini cuſtodis officium adminiſtrabat. Is non diſſimili deuotionis affectu de ſancti martyris quod occurrit, latenter tulit, ſibi ſuiſque domi profuturum. Cùm iam nox eſſet, in familiariori loco poſuit. Ecce in diluculum cum locus ipſe, tum proxima quæque tantæ ſuauitatis complera ſunt fragrantia, vt euidens eſſet cælos eam diſtillâſſe gloriam. Res noua, miraculum illuſtre. Ingredientes & egredientes cæleſti communicantur beneficio, ſed latet cauſa. Quod in Maurino Deus operatur, ſentitur, nil tamen ipſius ibì ſcitur. Libet & hîc paululum immorari, & in miraculo aliud miraculum demirari. Vſum hîc cum natura odor perdidit. Nam cùm ſubitò proceſſerit, poſt duas aut tres horas more ſolito non receſſit, nec cum integro die ætatem æquauit: ſed ferè ſeptem ſolibus ſine exemplo ſeruit. De agris, de plateis curritur, irruit alter poſt alterum, facturi quique per ſeipſos inſolitæ nouitatis fidem. Rumor & odor vero nituntur, cauſa neque etiam opinatur. Datur tandem gloria Deo, gloria martyri. Res nanque nobilior de commiſſo redditur. Thiedo aperuit verbum emiſſum patri monaſterij, in cuius tuitione eſt martyr: alter poſt alterum, quiſque notum quaſi nouum nuntiat. Is ſicut eſt diuini timoris & amoris apprime ſcientia eruditus, ſciens quia omnia quæcunque voluit

Nota, monaſterium S. Seuerini.

Odor ſuauiſſimus ex reliquijs S. Maurini.

Pſalm. 134.

luit Dominus fecit, animum fidei dedit, & totius animi organis alleluia ſonuit. Placuit tamen ei duos ſuæ congregationis fratres mittere, quatenùs & eos in cultum ſancti excitaret, & filiorum relatione ſuum ſuorumque animos indulcaret. Profecti ergo, non ſolùm vt dicta eis ſunt inuenerunt, ſed ſecum fratribus non modicas odoris detulêre reliquias. Putares ipſos * affectus, & ſecum quoquò ibant circunferre aromata. Venerabilis autem monaſterij rector magnitudine gaudij & dulcedine animi demum attractus deſcendit, diuino animum nectare pauit, & grata viciſſitudine thura laudis Deo litauit. Folcmarus quoque reuerendus antiſtes & ipſe adueniens rumorem auxit, & honorem ampliauit. Sanctas nanque cum ſuo odore reliquias in altario beati Seuerini locauit, & iunctos in cælo, in terris ſociauit.

*for. * affectos.*

In ſemetipſo quoq; idem antiſtes expertus eſt, quãti ſit apud Deum meriti Maurinus emeritus miles. Superueniente nanque ſacratiſſima Paſchalis gaudij ſolennitate, vehementi oculorum dolore cœpit fatigari. Vir autem venerandus flagello diuinæ admonitionis æquo quidem animo membra ſubſtrauit, ſed mœrore ampliùs deficiebat, ne fortè nobilis Colonia ſine Epiſcopali officio ſanctum perageret Paſcha. Quinta autem feria, quam indulgentiæ diem nominant, vix magno imbecilli hominis & deuoti animi conflictu pontificalia adminiſtrauit, & vſque ad lectum languor inualuit. Sed dum Maurinum animo reducit, conſilium præſul inuenit. Denique patrem monaſterij, in quo martyrium ſancti floret, ſecretò acciuit, cui languoris ſui inclementiam paucis aperuit: Semper quidem, inquit, Chriſtiani animo diuina deſideranda eſt correptio, quæ ſemper filijs fit in ſalutem. Caro enim attrita cõſcientiam purgat, ſpiritum emaculat. Ecce deuotus porto flagellum, quod miſit Dominus: ſed vides quantæ populoſæ ciuitatis in eccleſia concurſus, vides quantos de remotiſſimis etiam regionibus feſtiuitate inuitante confluxerit populus: quos omnes in iudicium mei ſine fructu laboris, ſine exhortatione ſermonis, ſine viatico benedictionis in ſua dimitto. Naſcitur tamen mihi quędam ſecuritas, quòd ſi quid de memoria ſancti Maurini ad me delatum fuerit, mihi quoque quam omnibus impendit, miſericordiam non denegabit. Tum diſceſſum eſt. Die autem facto, qui Dominica paſſione colebatur illuſtris, dentem beati martyris ægrotanti præfatus Abbas ad lectum mittit Antiſtitis. Comitatur ſanctum pignus cæleſtis medelæ munus. Nuntiatis enim monachis, aſſurgit ſacerdos venienti in ſuo pignore martyri, quaſi audiens, Surge & ambula. Depreſſis alta reuerentia luminibus dentem admouit, & quod mulier euangelica tactu fimbriarum Domini accepit, ſe accepiſſe exultauit. Subitò enim dolor omnis fugiebat, ante ſanctum ſtare non poterat. Sic inclyte martyr, eccleſiæ Epiſcopum perdonâſti, & regis tui Paſcha honorâſti. Die autem ſancti Paſchæ cùm inter Miſſarum ſolennia pro iucunditate feſti, præſul verbum faceret, ſermonis ductu ad ſalutis ſuæ migrauit auſpicem. Stupentibus cunctis, quibuſdam verò gaudẽtibus, Maurinum verè ſanctum, Deo charum, quæcunque voluerit impetrare à Deo compotem libera voce pronuntiauit: morbi ſui inclementiam, ſed in aduentu Sancti ſubitam edocet fugam. Pontificali deinde ſtatuit edicto, vt dies paſſionis eius honorabilis celebriſque inter nobiles anni feſtiuitates numeretur. Similitudo autem quædam dubij animi Thomæ ſanctiſſimi Meginhero cuidam nomine & officio noto oborta eſt, quòd ſcilicet martyr & nomine eſſet obſcurus, & excepto epitaphij verbo, ſcripturæ teſtimonio careret. Pontifex autem teſtis ſui ſententiam fixit, quique dentem ſanctum curatorem ſuum dum aduixit ita coluit, vt in modico pignore totum ſe martyrem habere confideret.

Sacratiſſima Paſchatis ſolennitas.

Vide quid maiores noſtri ſẽſerint de Sanctorũ reliquijs.

Matth. 9.

Illuſtre miraculum.

Intereà ſiccitatis flagello vniuerſa laborabat regio. Ad nota ergo præſidia ſancta confugit Colonia, precibuſque & ſacrificijs inſtabat iniqui ſereni redimere malitiam. Procedebant litanię, exibat clerus, prodibat ſanctimonialiũ chorus, & lõga populorũ examina ſanctæ Crucis vexilla & ſanctorum martyrum deducebant ſuffragia. Sed diuina ſententia, fortè quia fidem & patientiam in populo ſuo quæſiuit, ſpatio duorum ferè menſium pluuiam ſuſpendit. Erat autem videre mori pro ventura ſpe anni. Squalebant arua puluere, & flaui ſulci ad aquas hiabant. Superueniente autem ſacratiſſima beati Maurini paſſiõis die, eccleſiæ beatæ memoriæ Dei genitricis & ſemper virginis, & ſanctiſsimi cælorũ clauigeri ſenatorius clerus, & diuerſę conditionis populus, duce Meginhero (Nam Epiſcopus aberat) ad memoriam Sancti cum litanijs deſcendit. Denique promptus iam dubium ponere animum, pro anguſtia temporis idem Meginherus ad martyrium populo Miſſas facit. Vẽtum eſt ad ſermonis ſui ordinem, conuenientia pro tribulatione dicta ſunt. Cumq; ſermonis virtute cor populi erige-ret,

Obſerua priſcũ morem Dei iram auertendi.

ret,hæc ita ſubintulit: Ecce,inquit,miſit Dominus verbum in terra,quod non viderũt patres noſtri. Ecce enim populoſa ciuitas iterùm atq; iterùm ad deprecandam faciem Domini mittit ſenes & iuuenes,mittit pueros & virgines,cœtuſq; infantium & lactentium nitidos,omnẽ clerum & vniuerſum populũ,& non eſt qui exaudiatur. Et quæ eſt ſub noſtro ſole ciuitas,hac noſtra locupletior Sanctorum? Vbi Apoſtolorũ patrocinia ſic præſentia? Vbi tot in vnis cubilibus martyrũ millia,& tot aurea virginum agmina? Vbi ſic præſentes confeſſores & epiſcopi,qui genuerunt hunc populũ Domini? Apud quos rugiebãt dæmones,quorum præſentiam portare non poterant,nos pro anima & patria ſupplicantes audire diſſimulant. Sitit dura tellus,languet omnis regio,& iuxta Hieremiam non recordatur Dominus ſcabelli pedum ſuorum in ira furoris ſui. O inclyta Domini caſtra,armate animos perſeuerãtia,& experimini vim facere clauſo cælo. Erigere in fide miles Dei,& nubem ne transeat oratio oppoſitam,vel Maurino ſcinde patrono. Si hũc Dominus fatiſcenti reuelauit ſubſidiũ ſeculo,donet hodiè hanc nobis quidem miſericordiã,martyri autem ſuo gloriã, vt ſicut hodiè pro ſe hic martyr ſanguinem ſuum fudit,ita pro eo terris benedictionem pluuiæ Dominus fundat. Dixit,& ſalutarem hoſtiã immolatum aſcendit. Et ecce in sereniſſimo aëre Elias noſter nubila contraxit,tonitru omne cælum mugijt, ſicq; largiſſimam pluuiã dedit, vt per aliquot horarũ ſpatium,qui conuenerant extra locum exire non poſſent. Sicq; vnius dubitatione ſalus facta eſt patriæ. Mira dicturus ſum: Multis poſteà annis iuſſi ſunt cæli legem pati,& annuum curſum obſeruare huius diei,vt annua pluuia hoc tanti beneficium ſigni ad memoriam reuocarent. Vnde & martyrem vulgus nominãt Sanctum pluuialem,nos autem æterna miſericordia dicimus liberalem.

Colonia SS ctorum reliquijs egregè inſtructa.

Thren. 2.

Præclarum miraculum

Sanctus pluuialis.

Quia cœpi,loquar opera Domini. Puero cuidam morbus, quem dicunt varicum, denſa viſum caligine obnubit,& oculorum manus extinxit. Fluxerat decem annorũ orbita, cùm quadã die data manu puellæ,quæ ei dux erat & oculus,ad memoriã ſancti Maurini peruenit. Aliquandiù oratum eſt. Tum puella,quæ orbati, vt dictum eſt,greſſus regebat,humi fuſum tetigit,ſurgat & abeat præcipit. Tu, inquit, ille, abeas, viam quam volueris carpas: mihi opitulatione huius pijſſimi patris oculi familiariſſimi viæ collati ſunt duces. Surgens autem,ex ſciſſione caliginis genas gutta ſanguinis apparuit cruentatus,videntes videns,& viæ ducem vlteriùs non requirens. Coloniæ natus & educatus facie ſed & genere notus,cognatos & affines gaudio, & totam ciuitatem miraculo,& martyris compleuit præconio.

Cæcus recepit lumen.

Theuſburg nomen eſt villæ. Hic ante aliquot annos inguinaria Dei permiſſu debacchata eſt peſtis,& non paucos inopina morte ſoporauit. Inter alios preſbyterũ eccleſiæ prouiſorem morbus inuadit,qui hoc conſilio mortem diſtulit. Qui ſe familiariùs curabant, rogat vt amicorum & parentum ſubuectione Coloniã veniat, ad memoriam,inquit,martyris,qui ibi recèns reuelatus,ſignorũ virtute coruſcat. Viſa ſunt verba hæc amentis & deliri,quia toto ferè homine mortuum attendebant. Cumque ante oculos & eius vires,& vſitata ſubinde tum ſubtractorũ ab hac luce ponerent exempla,quaſi in ſepulchro eum videbãt. Is autem confortatus fide de lecto ſe ſuper baculum dedit,& ſtupentibus cunctis pedem trahere poſt pedem tentabat. Euidẽter hic enituit,quia ſicut Agnus vbiq; eſt,ita & qui Agnum quocunq; ierit ſequuntur, vbi fideliter inuocati opitulatione præſentes ſunt. Nam qui de lecto ferè mortuus deſcẽdit, mox ad quem tendit ſibi adeſſe martyrem ſentit: quoq; vlteriùs proceſſit, eò ampliùs viribus valuit. Et ſicut ignis feruore ampliùs caleſcit,qui vicinus accedit: ita dum ciuitati appropiat,clementiùs ægrotat. Vbi autem ad memoriam Sancti ventum & oratum eſt,& ſibi & omnibus in præfata villa eodem morbo laborantibus, integerrimam ſanitatem fidei auro obtinuit.

Martyres vbique opitulatione præſentes.

Inſigne miraculum.

Longum eſt ire per ſingula,quomodò virtutibus iuſtus vt palma floreat. Sed ecce dum qui propè & qui longè ſunt,inter nos fontem ſalutis hauriunt, timeamus ne nobis ſit iudicio, ſi medicum habentes ægrotamus. Loco patris & medici nobis Dominus Maurinum ſuum perdonauit filium,quem ſibi genuit ſponſa formoſa ſua, columba ſua,quam ſibi vitæ pretio redemit,& in ſanguine ſuo lauit. Si lepra conſcientiæ prurit animus,ſi cælum libero intuitu non reſpicit oculus,ſi in via iuſtitiæ curſum ſtupens impedit neruus,ſi auaritia venarum ſila contrahit in manibus,à patre medico filius medelam paruo mereberis. Immò tum filius eris,ſi mederi quæſieris. Nunquàm duro vſus eſt cauterio. Imperio morbos exturbat, vulnera oratione lauat, meritis fata ſanat. Cum Elia clauſum cælum in pluuias ſoluit,cum Eliſeo ignem cælo demittit,ſed mitior extinguit. Sicut ipſe prophetarum Dominus fimbrijs, ſic iſte languores pellit

Matth. 9.

 reliquijs.

Act. 5. reliquijs. Petrus in plateis eiectos vmbra ſuſcitat: Maurinus longè poſitum tenui famæ aura de lecto deſperatum in viam ſalutis excitat. Cum Paulo cæcos lumine veſtit, cum Stephano ad tumulum ſurdorum aures aperit. Non longum eſt, quod dico. Geronem quendam ſacerdotio & officio clarum ita grauiſſimus languor perculit, vt vita in confinio mortis palpitaret. Iam ei pollices, iam lingua ligabatur, cùm puerum cum argento ad noſtrum medicum mittit, & vt pro ſe celeriter & fideliter faciat membris morientibus expoſcit. Iuit, redijt, & dominum paulò antè cum morte agentem, in lecto reſidentem inuenit & comedentem.

Aliud miraculū haud vulgare.

Hic & item ei ſimiles medici præcantare animas nouerunt, ne iuxta Ioannem, diuini pectoris potatorem, calicem iræ Dei bibant, vt crucientur igne & ſulphure in cõſpectu Angelorum ſanctorum, & in conſpectu Agni: & fumus tormentorum aſcendat in ſecula ſeculorum. Hæc hodiè Maurinus ſecurus euaſit, & in ſupernam ciuitatē laureatus intrauit. In ciuitate autem patris debentur filijs iura hæreditatis: Agè ergo nunc pater inclyte, pater pie, age cum iudicibus ſeculi cauſas noſtras: vt & in terris dignè te veneremur, & ibi quandoq; deſideratam tuam faciem contemplemur, vbi epularis & cum Angelis delectaris gloria & aſpectu Agni, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Apoc.14.

VITA S. MARGARETÆ REGINÆ SCOTIÆ, QVAM QVIDEM S. ADELREDVS ABBAS PRIMO CON-

ſcripſit, ſed hæc, quam nos edimus, ab alio quodam incerto authore, ex illo breuiùs deſcripta eſt. Stylum in gratiam lectoris nonnihil elimauimus

Iunij 10. Cap. 1.

MORTVO Edmundo rege cumprimìs ſtrenuo, qui ab Anglis propter inſuperabilem eius fortitudinem ferrei lateris cognomen acceperat, Canutus rex, Angliç cõqueſtor, filios eius Edmundum & Edouardū propter fœdus cum patre illorum ictum, præ pudore ferire non valens, ad regem * Suedorum feriendos tranſmiſit: qui pietate motus, eos vlteriùs ad regem Hungarorum Salomonē vitæ reſeruandos miſit. Edmundo verò ſine liberis decedente, Edouardus frater eius Agatham Imperatoris filiā duxit, ex qua ſanctam Margaretam, poſteà Scotiæ reginam, progenuit. Quæ cùm in primæua adhuc floreret ætate, vitam ſobriam ducere ac Deum ſuper omnia diligere cœpit, in diuinarū quoque lectionum ſtudio ſe occupare, & in his animum delectabiliter exercere. Suorum tandem magis quàm ſua voluntate, immò Dei ordinatione, regi Scotorū Malcolino in matrimonium collocatur. Vbi licèt ea, quæ mundi ſunt, agere compelleretur, at tamen mundi rebus & deſiderijs inhærere contempſit. Plùs enim delectabatur bono opere, quàm diuitiarum poſſeſſione. Omnia, quæ decebant, prudentis reginæ imperio agebantur, eius conſilio regni iura diſponebantur, illius induſtria religio diuina augebatur. Nihil illius fide firmius, vultu conſtantius, patientia tolerantius, conſilio grauius, ſententia iuſtius, colloquio iucundius.

*Sueuorum

Parentes S. Margaretæ.

Nubit Malcolino regi Scotiæ.

Cap. 2. Liberalitas eius in eccleſias.

In loco, vbi nuptiæ eius fuerant celebratæ, in honorem ſanctæ Trinitatis nobilem eccleſiam conſtruxit, eamque varijs magni precij ornamentis decorauit: in quibus ex ſolido & puro auro & argento vaſa non pauca fuiſſe conſtat. Crucem quoque contulit, quam auro & interlucentibus gemmis veſtiri curauit. In alijs quoq; quibuſq; eccleſiis deuotionis ſuæ ſigna reliquit. Tanta verò ei inerat cum iucunditate ſeueritas, & cū ſeueritate iucunditas, vt omnes, qui in eius erāt obſequio, illam & timendo diligerent, & diligendo timerent, atque in eius præſentia non ſolùm nihil execrandum quiſquā auſus eſſet facere, ſed neque turpem proferre ſermonem. Liberos ſuos cum omni diligentia nutriri & honeſtis moribus inſtitui voluit, eoſque coram ipſa ſæpiùs adductos fidem Chriſti docuit, vtque illum ſemper timerent, accuratè admonuit. Timete, inquit, ô filij Dominum: quoniam non erit inopia timentibus eum. Et ſi dilexeritis illū, præſentis vitæ proſperitatem, & cum ſanctis ſuis æternam vobis reddet felicitatem. Hæc matris deſideria, hæc crebra admonitio, hæc pro ſua ſobole quotidiana erat cū

Optimè ſuas inſtituit proles. Pſal.33.

lachry-

lachrymis oratio, vt ſuum creatorem agnoſcerent, agnoſcendo colerent, colendo in omnibus diligerent, & diligendo ad cæleſtis regni gloriam peruenirent. Nemo illa ingenio erat præſtantior, nemo eloquio illuſtrior, regem ipſum ad iuſtitiæ, miſericordiæ, eleemoſynarum, aliarumq́; ſtudia & actus virtutum inſtigauit, & Deo cooperante obtemperantiſſimum reddidit. Videns enim ille in corde eius reuerà Chriſtum habitare, illam quouis modo offendere formidabat, votisq́; eius & conſilijs in omnibus obedire ſtudebat. Quæ reſpuit illa, ea & ipſe reſpuere, & quæ amabat illa, ea ipſe itidem amore illius amare ſolebat: delectabatq́; illum manibus contrectare & oſculo venerari librum, ex quo regina precari conſueuit.

Rege cum magno comitatu aliquò proficiſcente, omnes comites & ſatellites eius tanta ſeueritate coërcuit, vt nullus quicquã rapere, nullus ruſticos vel pauperes quoſlibet lædere vel opprimere auderet. Tanto autem faciliùs ſancta regina omnem mũdi pompam ſpreuit, & peccatorum euaſit maculas, quanto maiori cum tremore & pauore diſtrictum iudicij diem ante mentis oculos ſibi indeſinenter repræſentabat. Crebrò etiam confeſſarium ſuum rogabat, vt quicquid in ipſius dictis & factis repræhenſione dignum aduerteret, id cum repræhenſione ſecretò ipſi indicare non dubitaret. Quod cùm ille rariùs & remiſſiùs, quàm ipſa vellet, faceret, importunam ſe illi ingerebat, ſomnolentum illum & ſuæ ſalutis incurioſum ac negligentem vocitans. Corripiat, inquit, me iuſtus in miſericordia, & increpet me: oleum autẽ, id eſt, adulatio peccatoris, non impinguet caput meum. Repræhẽſionem ſui, quam alius accipere poſſet in contumeliam, illa ad virtutis profectum expetebat. Malum aliquem ſi vidiſſet, admonebat, vt ad meliorem frugem ſe reciperet: bonos hortabatur, vt ſtuderent fieri meliores.

Cap. 3. Regis familiã vt in officio contineret. *Vult ſua errata repræhendi.* *Pſalm. 140.*

Cùm autem in gente illa Scotorum contra vniuerſalis Eccleſiæ ſanctam conſuetudinem multa illicita fieri videret, multa adhibuit conſilia, vt ad veritatis viam errantes, Chriſto donante, reduceret. In quo conflictu rex ipſe adiutor ei præcipuus aderat, quicquid in hac cauſa illa iuſſiſſet, & dicere & facere paratiſſimus: qui quòd perfectè Anglorum idioma æquè vt proprium calleret, vigilantiſſimus hac in re vtriuſq; partis interpres fuit. Itaq; regina præfatione præmiſſa, qui cum catholica Eccleſia in vna fide vni Deo ſeruirent, eos ab eadem Eccleſia nouis quibuſdam & peregrinis inſtitutionibus diſcrepare non debere: Primò propoſuit, eos Quadrageſimale ieiunium non legitimè obſeruare, quia hoc non cum ſancta Eccleſia à feria quarta in capite ieiunij, ſed ſequenti ſeptimana feria ſecunda ſolerent inchoare. Cùm autem illi econtrariò dicerent, ieiunium ſuum ſe ex Euangelij authoritate, quæ Chriſti narret ieiunium, obſeruare per ſex hebdomadas: illa reſpondit, Longè in hoc ab Euangelio diſcrepatis. Legitur enim ibi Dominus quadraginta diebus ieiunâſſe, quod manifeſtum eſt vos non facere. Nam cùm per ſex hebdomadas ſex Dominici dies à ieiunio abſtrahuntur, triginta tantùm & ſex dies ad ieiunandum relinqui perſpicuum eſt. Non ergò Euangelica authoritate quadraginta, ſed triginta duntaxat & ſex dierum conſtat vos obſeruare ieiunium. Reſtat itaque, vt quatuor diebus ante Quadrageſimæ initium ieiunare nobiſcum incipiatis, ſi Dominico exemplo quadraginta dierum numero abſtinentiam obſeruare velitis. Alioquin contra ipſius Domini authoritatem & totius ſanctæ Eccleſiæ traditionem vos ſoli repugnabitis. Hac illi ratione veritatis conuicti, deinceps ſecundùm morem vniuerſalis Eccleſiæ ſua ieiunia inchoârunt.

Cap. 4. Scotorũ errores quoſdã corrigit. *Scoti quando tum inchoârunt Quadrageſimæ ieiunium.* *Matth. 4.*

Deinde etiam illud regina propoſuit, iuſſitq́; vt oſtenderent, qua ratione die ſancto Paſchæ ſecundùm morem ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumere negligerent. Reſponderunt illi: Apoſtolus de his loquẽs, ait: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Vnde quia nos peccatores agnoſcimus, ne iudicium nobis manducemus & bibamus, ad illud myſterium accedere formidamus. Quibus regina: Quid igitur? inquit. Qui peccatores ſunt, ſacroſanctum myſterium non percipient? Nemo ergo illud percipere debebit, quia nemo ſine ſorde peccati, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Si autem nemo illud ſumere debet, cur in Euangelio clamat Dominus: Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis? Sed planè ſentẽtiam, quam de Apoſtolo profertis, ſecundùm Patrum expoſitionem aliter neceſſe eſt vt intelligatis. Non enim omnes peccatores ſalutis ſacramenta indignè ſumere affirmat. Nam cùm dixiſſet, Iudicium ſibi manducat & bibit: adiungit, Non dijudicans corpus Domini: hoc eſt, Non ſeparans illud in fide ab eſcis corporalibus, iudicium ſibi manducat & bibit. Sed & ille, qui abſque confeſſione & pœnitẽtia cum ſuorum inquinamen-

Cap. 5. *1. Cor. 11.* *Iohan. 6.*

Euchariſtiã quis indignè percipiat. tis ſcelerum ad ſacra myſteria accedere præſumpſerit: ille, inquam, iudicium ſibi mãducat & bibit. At nos, qui multis antè diebus, facta peccatorum confeſſione, pœnitentia caſtigamur, ieiunijs attenuamur, eleemoſynis & lachrymis à peccatorum ſordibus abluimur, in die reſurrectionis Dominicæ ad eius menſam in catholica fide accedentes, carnem & ſanguinem agni immaculati Ieſu Chriſti non ad iudicium, ſed ad peccatorum ſumimus remiſſionem, & ad ſalutarem percipiendæ beatitudinis æternæ præparationem. His ab ea perceptis, reſpondere nil potuerunt, atq; agnita deinceps Eccleſiæ inſtituta in myſterij ſalutaris perceptione obſeruârunt. Fuêre prætereà in quibuſdam Scotiæ locis, qui contra totius Eccleſiæ morem Miſſas celebrare ſolerent. Quod regina, zelo Dei accenſa, ita deſtruere & profligare ſtuduit, vt poſteà in toto Scotorũ regno, qui tale aliquid attentaret, nemo repertus ſit.

Cap. 6. Scoti nõ colebant diẽ Dominicũ. Solebant etiam, neglecta Dominici diei reuerentia, quemadmodùm alijs diebus, ita illo quoq; laboribus inſiſtere. Quod minimè licere, ratione pariter & authoritate oſtendit. Dominicum, inquit, diem propter Dominicam, quæ in illo facta eſt, reſurrectionem venerationi habemus, vt in eo ſeruilia opera iam non faciamus, in quo nos Li. 11. Epi. 3. à ſeruitute diaboli redemptos nouimus. Hoc & beatus Papa Gregorius affirmat, dicens: Dominico die à labore terreno ceſſandum eſt, atq; omnimodò orationibus inſiſtendum: vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur. Li. 7. Epi. 1. Indictionis 2. Idem quoq; pater Gregorius quendam propter opus terrenum, quod die Dominica fecerat, diſtricta increpatione feriẽs, eos, quorum hoc cõſilijs egerat, duobus menſibus excommunicatos eſſe decreuit. His rationibus reginæ contraire non valentes, ita diem Dominicum deinceps obſeruabant, vt nihil quicquam in eo operari auderent. Illicita coniugia Scotorum. Illicita etiam nouercarum coniugia, ſimiliter & vxorem fratris defuncti fratrem ſuperſtitem ducere, quæ ibi anteà fiebant, nimis oſtendit execranda, & à fidelibus, velut ipſam mortem, deuitanda. Multa quoq; alia contra morem Eccleſię inoleuerant, quæ in eodem Concilio damnans, de regni finibus extirpauit.

Cap. 7. Quando autem illa de ſalute animæ confeſſario ſuo & de ſempiternæ vitæ dulcedine loquebatur, verba eius plena erant omnis gratiæ: tantumq́; inter loquendum compũgebatur, vt tota in lachrymas reſoluenda putaretur. In templo vt ſe geſſerit regina. In eccleſia nemo illa ſilẽdo quietior, nemo orando attentior. Nihil vnquàm ſeculare vel mundanum illic loqui, nihil terrenum agere, ſed tantùm orare & lachrymas fundere ſolebat. Per nimiam autem inediam & abſtinentiam in grauiſſimum morbum incidit. Nihil illius pectore clementius, nihil erga egenos & inopes benignius fuit. Liberalitas in pauperes. Neque enim ſua duntaxat, ſed ſeipſam quoque, ſi licuiſſet, pauperibus libenter impendiſſet: atque interim omnibus pauperibus ſuis erat ipſa pauperior. Illi enim non habentes, habere cupiebant: illa verò ea, quæ habebat, diſpergebat. Quando prodibat in publicum, miſerorum, orphanorum, viduarum greges quaſi ad matrem pijſſimam confluebant: nec vllus ex eis ſine conſolatione ab illa recedebat. Interdum quicquid erat regis proprium, egenis erogandum abſtulit: quam pietatis rapinam rex omninò gratam & ratam ſemper habuit, ſeque neſcire ſimulauit. Neque modò pauperibus indigenis, verumetiam omnium penè In captiuos nationum ſuam liberalitatem & munificentiam impendit, innumerabileſque captiuos dato precio libertati reſtituit, quos de gente Anglorum hoſtilis Scotorum vis in ſeruitutem abduxerat. Occultos etiam exploratores per prouincias miſit, vt qui duriori premerentur ſeruitute, & inhumaniter haberentur ac tractarentur, eius liberalitate redimi poſſent.

Cap. 8. Eremitas & ſeparatis cellis vbiq; incluſos, Chriſto ſeruientes, venerari, diligere, ſuo aduentu & alloquio crebriùs viſitare conſueuit, illorumq́; ſe precibus commendans, Preces eius. quicquid petijſſent, deuota compleuit. Cùm principio noctis paululùm quieuiſſet, eccleſiam ingreſſa, nocturnas preces, quas matutinas vocant, primò de ſacroſancta Trinitate, deinde de ſancta Cruce, tertiò de beatiſſima Maria ſola abſoluebat. Illis finitis, officium defunctorum incipiebat, ac deinde Pſalterium integrum perlegebat. Quando Clerus hora congrua preces Canonicas celebrabat, illa pſalterium vel iam cœptũ finiebat, vel primo abſoluto, alterum inchoabat. Finitis autem precibus horarijs, in cubiculum rediens, ſex pauperum pedes lauit, eiſq; pecuniam dari iuſſit. Deinde parumper quieti ac ſopori indulſit. Manè facto ſurgens pijſſima regina, nouem infantulos orphanos, omni auxilio deſtitutos, prima diei hora ad ſe introductos cibis Nota eximiam regis & reginæ pietatem. mollioribus flexis genibus reficiebat, & cibos in ora eorum immittebat. Præter hæc trecentos pauperes in aulam conſuetudo erat introduci, & clauſis oſtijs rex ab vna parte, reginaque ab altera, Chriſto in pauperibus ſeruiebant, ciboſque ſpecialiter

præp

præparatos offerebant. Quo facto, regina ad eccleſiam ſe conferens, prolixis precibus & lachrymis atque gemitibus ſeipſam Deo ſacrificium immolabat, & ante ſummam Miſſam quinque vel ſex priuatim Miſſas audiebat. Ante refectionem vigintiquatuor pauperes humiliter eis miniſtrando reficiebat. Sumebat deinde cibum, non vt delectationi acquieſceret, ſed tantùm vt vitam ſeruaret. Erat verò eius refectio tenuis & ſobria, & quæ eſuriem excitaret potiùs quàm extingueret: videbaturque non tam ſumere, quàm guſtare cibum. Quadraginta ante Paſcha & natalem Chriſti diem, incredibili abſtinentia ſe afflixit, ſed propter nimium ieiunij rigorem vſque ad finem vitæ ſuæ acerrimos paſſa eſt ſtomachi dolores: nec tamen ægra corporis valetudo virtutē operis debilitare potuit. In ſacra lectione erat ſtudioſa, in orationibus perſeuerans, in eleemoſynis indeficiens, denique in omnibus prorſus, quæ Dei erant, vigilanter ſeſe exercitans. Codex quidam Euangelicus, gemmis & auro ornatus, in quo ſtudere & legere ſolebat, cuſtodis negligentia in aquam cecidit, & per diem ac noctem ſine aliqua iniuria vel læſione inuiolatus permanſit.

Habebat confeſſarium Turgotum, ſecundum Priorem Dunelmiæ. Illi ergo ad ſe accerſito, vitam ſuam replicare cœpit, & ad ſingula verba lachrymarum flumina profundere: tantaq; erat ſub eius ſermonibus compunctio, tantus lachrymarum imber, vt nihil proculdubiò eſſe videretur, quod tunc à Chriſto imperrare non poſſet. Cumque de neceſſarijs ſermonē pertexuiſſet, ita ait ad eum: Vale: ego poſthàc diù in hac vita non ſubſiſtam: tu verò paruo poſt me tempore viues. Duo ſunt autem, quæ à te poſtulo: Vnum, vt quoad vixeris, animæ meæ in Miſſis & orationibus tuis meminiſſe velis: alterum, vt liberorum meorum curam habeas, amorem eis impendas, Deum præcipuè timere eos doceas, & cùm ad culmen terrenæ dignitatis quemlibet eorum euehi conſpexeris, illius vel maximè patrem ſimul & magiſtrum te exhibeas, admonendo, &, vbi res poſtulauerit, etiam obiurgando, ne propter mundi proſperitatem, æternæ vitæ felicitatem ſua negligentia amittat. *Cap. 9.* *Vult ſui in Miſſis poſt obitum haberi memoriam.*

Dimidio poſt hæc anno, ingraueſcente morbi moleſtia, rarò è lecto ſurgere potuit: quarto autē ante obitū ſuū die, cùm rex Malcolinus in expeditione eſſet, triſtior ſolito effecta, aſſidentibus ait: Fortè hodiè tantum mali regno Scotorum accidit, quantum vix multis retrò temporibus. Poſt dies aliquot nunciorum relatione eodem die, quo regina dixerat, regem cum filio Edouardo fuiſſe occiſum cognouerunt: quem illa, ceu futurorum præſcia, multùm prohibuerat, ne quoquam tunc cum exercitu progrederetur. Quarto inde poſt mortem regis die, morbo nonnihil de ſua acerbitate remittēte, Miſſas auditura, oratorium intrauit, & exitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis viatico præmuniuit. Mox autem prioribus grauata doloribus, lecto proſtrata, ad exitum, creſcente moleſtia, vehementiùs vrgetur. Tum illa Crucem Scotiæ nigram, quā ſemper in magna veneratione habuit, amplecti, exoſculari, oculos faciemq; crebrò illa ſignare curauit. Rediens intereà de exercitu filius eius Edgarus, cubiculum reginæ intrat: quem illa de patre & fratre interrogat: ſed ille quod verum erat dicere noluit, ne audita morte illorum, cōtinuò & illa expiraret. Reſpondit autem, eos benè valere. At illa grauiter ſuſpirans: Scio, inquit, fili, ſcio. adiurauitq; eum, ne rei veritatem celaret. Tum ille coactus, ſicut erant, geſta expoſuit. Quibus auditis, non peccauit labijs ſuis, neq; ſtultum quid contra Deum locuta eſt: ſed manus ad cælum eleuans, in laudē & gratiarum actionem prorupit, dicens: Laudes & grates tibi ago omnipotens Deus, quòd me tantas in exitu meo anguſtias perpeti, eaſq; tolerantem, à quibuſdam peccatorum maculis, vtì ſpero, mundare voluiſti. *Cap. 10.* *Malcolini regis cædes &c.* *Præclara ſanctæ reginæ patientia.*

Sentiens poſteà mortem adeſſe, hanc orationem dicere cœpit: Domine Ieſu Chriſte, qui ex voluntate patris, cooperante ſpiritu ſancto, per mortem tuam mundum viuificâſti, libera me. atq; ſub his poſtremis verbis, liberata à vinculis corporis, anima ad veræ libertatis, quem ſemper dilexerat, authorem Chriſtum migrauit, felicitatis corū particeps effecta, quorum virtutis eſt exempla ſecuta. Faciem autem eius, quæ tota in morte palluerat, ita poſt obitum rubor candore permixtus perfudit, vt non mortua, ſed viuens aut dormiēs videri poſſet. Obijt quarto Idus Iunij, & in eccleſia ſacroſanctæ Trinitatis, quam ipſa conſtruxerat, contra altare humata eſt. *Cap. 11.* *Feliciter migrat ad Dominum.*

Cùm autem Dauid filius eius in aula regis Angliæ Henrici primi moraretur, nocte quadam à ſorore ſua Mathilde regina, quæ matris veſtigijs puro corde inſiſtebat, vocatus, ad cubiculum eius acceſſit. Et ecce domus plena leproſis, & regina in medio ſtans, depoſito pallio, linteo præcinxit ſe, & miſſa in peluim aqua, pedes eorum lauare, lotos extergere, & exterſos vtriſq; manibus conſtringere & deuotiſſimè oſculari cœpit. Cui ille: *Cap. 12.* *Præclarum in regina eximiæ humilitatis exemplum.*

ille: Quid, inquit, agis domina mea? Certè ſi rex iſthuc ſciret, nunquàm os tuum lepro-ſorum pedum tabe pollutum, labijs ſuis contingeret. At illa ſubridens, ait: Pedes regis æterni quis neſciat labijs regis morituri eſſe præferendos? Ego certè idcircò vocaui te, frater chariſſime, vt meo exemplo ſimilia facere diſcas. Sumpta itaq; pelui, fac quod me facere intueris. Ille verò culpa ſua ſubridens, ad ſocios ſuos ſe recepit.

ALEXANDRI MONACHI LAVDATIO IN APOSTOLVM BARNABAM, QVAM HABVIT ROGATVS A *Magno ſacerdote, venerandi templi præfecto, quod beato Barnabæ conſecratum fuerat. Eſt in Simeone Metaphraſte.*

11. Iunij. Cap. 1.

MAXIMVM orationis argumentum nobis, magna ſermonis paupertate laborantibus, patrio certè ſtudio & affectu commotus propoſuiſti, pater optime, & eorũ, qui virtutis exercitatione præſtantes ſunt, probatiſſime. Nobis enim laudandum propoſuiſti diuinum & beatiſſimum virum, inſignem Apoſtolum, cõſolationis filium, orbis terrarum facem, Barnabam, inquam, multarum laudũ præconijs celebratum. Ego verò inſcitiam meam cum argumenti magnitudine conferens, tractationem hanc exhorreſcens, iuſſis tuis parere diutiùs recuſaui. Quæ enim oratio tam perfecti Apoſtoli rebus narrandis par eſſe poterit, cùm huiuſmodi negocium tale ſit, vt non ſolùm meas vires omninò ſuperet, ſed omnibus etiam alijs difficultatẽ afferre poſſit? Omnes igitur inferiores eſſe arbitror, quàm vt Barnabæ res geſtas narrare valeant. Quòd ſi quis de illo aliquid dicere aggreſſus fuerit, ſit quanuìs ſapiens, peritus & orationis facultate præſtantiſſimus, longo tamen interuallo à tergo relinquetur, longè inferior exiſtens, quàm Apoſtoli dignitas poſtulat, & in eius laudum pelago omninò demergetur. Alius quidem ex iuſtorum hominum numero aliud quoddam à Spiritu ſancto donum aſſecutus eſt: Apoſtoli autem ipſi omnes diuinarum gratiarum theſauros acceperunt, & virtutes omnes ſe habere oſtenderunt. Quî potero igitur miſer ego infinitis perturbationibus oppreſſus, Apoſtolicæ virtutis pontum tranare? Nanq; tenui & tarda ſum lingua, (vt quod eſt in literis diuinis ſcriptum, de me dicam) neq; ita eloquens ſum, vt diuinas admirabilis Apoſtoli Barnabæ virtutes commodè narrare poſſim. Ita enim perfectè virtutem omnem vir hic exercuit, vt nemo alius in vna aliqua virtute profecit. Quamobrem prouinciam hãc mihi iniunctam ſuſcipere hactenùs recuſaui, cùm meam imbecillitatem tanti viri glorioſis factis enarrandis imparem eſſe cognouerim.

Apoſtolorum præſtantia. Exod. 4.

Cap. 2.

At cùm memoria repeterem, quod in literis diuinis ſcriptum legi, hominẽ, qui obedientiam non ſeruat, interitum ſubire: qui verò eſt obediens, eum ab interitu liberum eſſe: vix ad id, quod præcepiſti, multùm certè metuens, aggreſſus ſum, ſatiùs eſſe ducens in eo ipſo accuſari, quòd oratio mea manca ſit, quàm in contumaciæ crimen incurrere. Illud igitur vnum à vobis peto, vt mecum vnà ſanctiſſimum Barnabam orationis adiutorem mihi eſſe precemini. Ipſi autẽ viro, quem laudabimus, non dubito id gratũ fore, quod à nobis, qui nihili ſumus, dicetur: nam & eius Domino aliquando placuiſſe legimus duo illa minuta, olim à vidua & paupere muliercula oblata. Non enim Deo ipſi tam grata & accepta eſt earum rerum, quæ offeruntur, magnitudo, quàm mens ipſa & æquus animus, quem is oſtendit, à quo aliquid offertur, ſiue paruum, ſiue magnũ illud ſit. Cùm verò Barnabam laudamus, tunc & omnium Apoſtolorum ſacrum collegium collaudamus. quorum enim vocatio vna fuit, eorum eadem eſt & gloria: & quorum ordo vnus, eorũ eadem eſt & dignitas: quorum paria certamina, eorundẽ coronæ diuerſæ non ſunt: quorum deniq; inſtitutionis ratio communis, eorum præmia æquè honorata ſunt. Iam verò Barnabam ipſum oratione noſtra in medium producamus, & quam maximè poſſumus, laudum præconia illi cõcinnemus. ſum enim eius viri amator ardentiſſimus. Scio autem, & mihi perſuadeo, huius Apoſtoli vel nomen ipſum auribus veſtris iucundiſſimum accidere. Itaq; illum honoremus, quatenùs pro viribus de illo dicentes, æqui animi ſignificationem demus: quod enim eius viri dignitas poſtulat, id tale eſt, vt omnem orationem ab eo ſuperari fateamur.

Luc. 21.

Cap. 3.

Laudetur igitur à nobis infimis magnus ille Apoſtolus Barnabas. Celebretur conſolationis filius ab hominibus, qui Chriſto crediderunt. Extollatur à quouis homine ille,

ille, qui à Patre ipſo honoratus, à filio vocatus, & à Spiritu ſancto perfectus eſt. Barnabas, inquã, magnus Eccleſiæ orator, illa Euãgelicæ prædicationis tuba, magna Chriſti vox, Spiritûs ſancti cithara, diuinæ gratiæ plectrũ. Barnabas in expediẽdis pro Chriſto bellis miles robuſtiſſimus: qui corpore incorporeum hoſtem, ſimul verſans cum Apoſtolorum exercitu, validiſſimè profligauit: qui bonarum diſciplinarum religioſus præceptor extitit, & Chriſtiani ouilis dux certus, & rationalis quidam ſummi Dei paradiſus, omnium virtutum germina florẽtia in ſe continens: q egregium quoddam fidei germen fuit, charitatis roſa, ſuauiſſimum odorẽ emittens, ſpei flos incorruptus, diuinæ gratiæ fructus iucundiſſimus, illius viris, quæ vitã omnibus prębet, palmes feraciſſimus, immortalitatis racemus, mel diſtillans, patientiæ propugnaculum firmũ atq; immobile, cõtinentiæ ſectator ita validꝰ, vt Crucem geſtauerit, & aduersùs Chriſti interfectores intrepidus militiæ dux fuerit, Chriſti Crucifixi germen ad cælum vſq; protenſum. Barnabas conſolationis filius, pietatis magiſter, fidei columna ac faſtigiũ, turris firma & immobilis, fundamentum ſtabile, & *crepida indiſſolubilis, ſaxum immorum, fluctuãtium portus valdè tranquillus, fidelis & prudens diſpenſator, architectus nobiliſſimus: qui cæleſtem in terris ſemitam tenuit, & parem angelis vitam duxit: qui fuit eccleſiarum patronus, adiutor pauperum, inopes abundè nutriẽs, viduarũ cõſolatio, & orphanorũ diligẽtiſſimus procurator ac pater. Barnabas Chriſti myſteriorum theſaurus, orthodoxorum ſanctæ Dei Eccleſiæ dogmatũ miniſter, ægrotantium medicus liberalis, ſanos & valẽtes homines, firma certaq; animi iucunditate afficiens, Chriſtiani gregis cuſtos vigilantiſſimus, in terris manẽs, & in cælis vita atq; inſtitutione verſans: qui in mundo pietatis dogmata clara & alta voce prædicauit, & in cælis ſempiternã coronã recepit: qui fuit gentium dux, ad Deum eas perducens, & Eccleſiarum Dei beatiſſimus præco, campus quidam beneolentibus Chriſti floribus refertiſſimus, virtutum cęleſtem odorem ſpirantium quoddã roſetum, Chriſti gratiarum ager fertiliſſimus: qui vitam valdè ſynceram ac purã in terris tranſegit, tam rectè in terra viuẽs, quàm Angeli ipſi in cælis viuunt. Idẽ virtutum exercitatione inſignis, cõtemplationibus & miraculis præſtãs, virginitatis margarita quędam precioſa, & caſtitatis beryllus lectiſſimus, temperantiæ gemma puriſſima, Chriſtum in ſe loquentẽ habens, electum Dei vas, qui mundum dereliquit, & omnia quæ in illo ſunt, quiſquilias quaſdã duxit, vt Chriſtum tantùm lucrifaceret ſeculorum Regem. Ille ſuam Crucem ſine dubitatione aliqua portauit, & vt verus Diſcipulus prompto animo Chriſtum ſecutus eſt: q dæmones profugauit, & diabolo vulnera inflixit: qui quatuor orbis terrarum fines firmo & conſtanti greſſu peragrauit, & vt ſacer ac bonus, ſuiq; Domini miniſter amãtiſſimus, omnes gentes Euangelij prædicatione ad Chriſti fidem conuertit. Ille ſe domicilium paratum prębuit, in quo eiuſdem eſſentię particeps Trinitas habitaret, quique ſummi Dei templum fieret: Barnabas, inquã, Cypriorum inſigne ornamentum, & orbis terrarum propugnator inexpugnabilis, qui Chriſtum ipſum mirum in modum dilexit, & pro ipſo quotidiè animam ſuam expoſuit: qui nunc vnà cum illo in cælis regnat, & omnibus ſeculis regnabit.

Præclara encomia S. Barnabæ.

for. crepido.

Noſtra conuerſatio in cælis eſt.

Barnabas virgo.

Longè lateque Chriſtũ prædicauit.

Cap. 4.

Defeſſa eſt oratio noſtra, dum admirabilem, diuinûm & optatiſſimum Apoſtolum Barnabam laudibus extollere cupit atq; contendit, quodq; mirum eſt, nõdum ad exordium peruenit. Huius enim admirabilis viri laudes maiores ſunt, q̃ vt noſtra oratio illas attingere poſſit. Earũ igitur tractationem, vt orationibꝰ noſtris maiorem, omittẽtes, pauca quædã de eius vita & martyrio ab authore Stromatũ Clemente, aliorumq; veterum hominum ſcriptis, repetita vobis, venerandi auditores, exponã, & ita narrationi huic finem imponemus, diuinis literis cõcedentes, vt huius viri ſemper decãtati & celeberrimi caput magnifico illo præconio coronent: Erat Barnabas vir bonus, & plenus Spiritu ſancto & fide. Quid huic præconio par, aut vnquàm fuit ſimile?

Act. 11.

Cap. 5.

Barnabas Leuiticæ ſtirpe ortus.

Ortum duxit beatiſſimus hic vir de laudatiſſima illa tribu Leui, ex qua Moſes & Aaron, magni illi Dei prophetæ & populi optimates ortum duxére, cuius cognationis etiam Samuel propheta particeps fuit. Eius autem proaui bellorum cauſa cùm ad Cypriorum regionem migrauiſſent, æquo animo illic habitabant. Erant autem viri admodùm religioſi, Dei legem reuerentes, & valdè diuites: quamobrem & Hieroſolymis facultates multas poſſidebant, & agrum prope vrbẽ illam pulcherrimum, non ſolum omnium generum fructuoſis arboribus eleganrem, ſed ædificiorum magnitudine valde illuſtrem. Ex quo enim tempore Eſaias propheta ita reliquit ſcriptum: Beatus, qui habet ſemen in Sion, & domum in Hieruſalem: hanc eius prophetiam Hebræorum filij corporeo ſenſu interpretabãtur, & ditiſſimus quiſq; dabat operã, vt aliquid in vrbe Hieroſolyma poſſideret. Cùm verò in Cypriorum regione natꝰ

In Cypro natus.

eſſet hîc, de quo ſcribimus, & parẽtes elegantem puerum vidiſſent, ſtatim Ioſeph eum nominârunt, puerum ſuum Patriarchę illius appellatione honorãtes. Factũ verò eſt, vt cum nominis appellatione, morum etiam nobilitas cõueniret. ſi quis enim vocem hanc, Ioſeph, interpretetur, inueniet idem valere, quod Dei additamentum: additus enim fuit à Deo iuſtus hic vir Apoſtolorum cœtui, & ſacro Sanctorum cõſortio. Ad hæc eandem vocem, Dei gloriam interpretari poſſumus. Neque quiſquam putet verbum hoc exuperantiæ cauſa dictum, ſed à diuinis literis ſumptum ſciat. Ait enim Paulus: Vir non debet caput tegere, cùm ſit imago & gloria Dei. Quòd ſi virum quemcũque, imaginem Dei & gloriam lectiſſimus ille Apoſtolus appellauit, quid dicemus de hoc viro in rebus diuinis perfectiſſimo?

1. Cor. 11.

Cap. 6. Cùm verò Barnabas ipſe adoleuiſſet, illum in vrbem Hieroſolymam parẽtes perduxerunt, & Gamalieli legem ac Prophetas diligenter edocendum tradiderunt, qui & Paulum, tunc Saulum appellatum, condiſcipulum habebat. Quotidiè verò Barnabas magis proficiebat, tum doctrina, tum omni virtute, nondum tamen ad Leuitarum ordinem aggregatus fuerat, eò quòd non erat ætate illa, quam ea res poſtulabat: adhuc enim cum ephebis numerabatur. Non tamen à templo diſcedebat, cùm in ieiunijs ac precibus die ac nocte verſaretur. Ita verò leges & reliqua diuina ſcripta memoriter pronunciabat, vt literarum monimentis non indigeret, quietemque ipſam tam charam habebat, vt temperantiæ matrem illam eſſe duceret. Pernicioſas verò hominum conſuetudines execrabatur, ac vehementer fugiebat, purum & à vitijs intactum ſeipſum ita conſeruans, vt virtutis eſſet ſpecimen quoddam. Quamobrem apud omnes exiſtimatione & gloria florebat.

Barnabas Pauli condiſcipulus.

Cap. 7. Iohan. 5. Accidit autem, vt tempore illo Dominus Ieſus Chriſtus Hieroſolymam veniret, & paralyticum in probatica piſcina ſanaret, aliaq; ſigna multa & prodigia in templo ederet. Illa omnia cùm Barnabas vidiſſet, obſtupuit, & ſtatim ad Chriſti pedes ſe abiecit, eumque precatus eſt, vt illi benediceret. Chriſtus autem, qui cor hominum & animos inſpicit, Barnabæ fidem gratam habens, beneuolè ipſum accepit, & diuini ſui cõgreſſus eundem participẽ fecit: qua re ad Chriſti charitatem magis accẽdebatur. Quã primùm verò adijt domum Mariæ matris Iohannis, qui Marcus poſteà dictus eſt: quæ Maria eius matertera eſſe dicebatur, quãobrem & Marcũ Barnabę conſobrinũ appellabant. Illã cùm adijſſet: Age, inquit, mulier, veni & vide, quæ patres noſtri videre concupiuerunt: ecce enim Ieſus quidã propheta è Nazareth Galilaę in tẽplo eſt, magnifica quædam edens miracula, qui multis videtur Meſſias eſſe, qui venturus erat.

Fit Chriſti diſcipulus.

Coloſ. 4.

Cùm hæc audiſſet admirabilis illa mulier, relictis omnibus his, quæ habebat in manibus, templum Dei adijt: vbi cùm Ieſum templi Dominum vidiſſet, ad eius pedes ſe abiecit, eumque ſic precata eſt: Si gratiam inueni, ô Domine, in conſpectũ tuo, veni ad domum ancillæ tuæ, vt ingreſſione tua famulis tuis benedicas. Eius petitioni Chriſtus Dominus aſſenſus eſt: quem mulier illa valdè læta in cœnaculum ſuum accepit. Ex illo igitur die, quoties Dominus Hieroſolymam veniſſet, illic vnà cũ diſcipulis ſuis diuerſabatur, quibuscum & Paſcha illic fecit, vbi & myſteriorum ſacramẽta eoſdem diſcipulos ſuos edocuit. Sermo enim quidã à Patribus traditus, ad nos peruenit, eum, qui lagenam aquæ portabat, quem Dominus ipſe diſcipulis ſuis præcepit, vt ſequerentur, Marcum fuiſſe beatę illius Mariæ filium. Quòd autem illum Dominus nõ nominârit, ſed dixerit, Ite ad quendã: prouidentia quadã factum eſt, ſicut Patres ſancti locum hunc interpretãtes dixerunt, vt re obſcurè dicta hoc nos doceret, Dominũ Ieſum apud eum diuerſari, quicunque ſe paratũ præbet. In illo igitur ipſo cœnaculo Dominus Paſcha fecit, in illo apparuit Thomę Apoſtolo, cùm à mortuis ſurrexiſſet: illuc, poſtquàm Ieſus in cælũ aſſumptus eſt, diſcipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erant Barnabas & Marcus, ex monte Oliuatum conuenerunt: illuc Spiritus ſanctus in linguis igneis ad diſcipulos deſcẽdit in die Pentecoſtes: illic collocata nunc eſt magna & ſanctiſſima Sion, omnium Eccleſiarum maxima.

Hoſpitium Chriſti in Ieruſalem.

Marc. 14.

Iohan. 20.

Act. 1.

Act. 2.

Cap. 8. Tunc verò Barnabas ſecutus eſt Dominum reuertentem à Hieroſolymis in Galilæam. Cùm autem multi vndiq; ad Dominum conuenirent, & eius fidem ſequerentur, dixit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Itaque deſignauit ſeptuaginta illos diſcipulos, quorum primus dux & ſummus erat magnus Barnabas. Sed nemo audiens Apoſtolos hanc appellationem illi viro impoſuiſſe, temerè & ſine diuino conſilio id factum fuiſſe opinetur: nam Petrus ipſe illi nomen hoc impoſuit, ille, inquam, Petrus, qui per ſancti Spiritus reuelationem filij Dei theologiam edidicit. Et quemadmodum Iacobus & Iohannes propter virtutem, filij tonitrui vocati

Matt. 9. Luc. 10.

Marc. 3.

cati ſunt,ita & Barnabas virtutis ſuæ cauſa filius conſolationis appellatus eſt, quippe qui propter ſanctitatis præſtantiam omnibus conſolationi fuit. Act. 4.

Idem cùm audiſſet Dominum docentem, Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam,& facite vobis ſacculos,qui non veteraſcunt, theſaurum nunquam deficientem in cælis:nihil moratus,ſtatim rem omnem precioſam à parentibus mortuis ſibi relictam vendidit,& egentibus diſtribuit: ſibi verò ſolùm agrum vnum reſeruauit,vnde ali poſſet. Poſteà verò quàm Dominus Crucem perpeſſus eſt, & à mortuis reſurrexit,ac Spiritum ſanctum ad diſcipulos ſuos miſit,tunc diuinus Barnabas Chriſti charitate magis inflãmatus,illum etiam agrum vendidit, cumq; multum pecuniæ ex ei⁹ precio accepiſſet,omnem pecuniam illam ad Apoſtolorum pedes depoſuit,neque quicquam omninò ſibi reſeruauit,ſuo exemplo omnes diſcipulos ad eandem virtutem alliciens. Ille & cum Saulo diſputabat,quem ad Chriſti Domini fidem perducere cupiebat. Saulus autẽ cùm legis inſtitutione diligenter atq; accuratè niteretur, Barnabã ipſum vt deceptum irridebat,& in Chriſtum maledicta iaciens,fabri filium,idiotam & agreſtem hominem appellabat,quem vt & morte violenta ſublatum deridebat. Cùm verò miracula,quæ per Apoſtolos efficiebantur,& populi multitudinem indies maiorem ad fidei prędicationem confluentem videret,animo cruciabatur:cumque vnà cum Libertinis,Cyrenenſibus atq; Alexandrinis magnum illum Eccleſię oratorem Stephanum adortus eſſet,neque ſapientiæ & Spiritui,qui per Stephanum loquebatur,reſiſtere poſſet,inſania & furore multo correptus, inordinatos populi homines contra Stephanum concitauit. Quo interfecto,perſecutionem magnam commouit aduersùs Eccleſiam,quæ erat Hieroſolymis. Cap. 9. Luc. 12. Act. 4. Act. 6. 7. 8.

Verùm cùm ita inordinatè Damaſcum proficiſceretur ad vexandos atq; affligendos fideles homines, Chriſtus Dominus illum deiecit, & in terram ſupinum proſtrauit:qui cùm proſtratus eſſet,eum tandem cognouit,quem perſequebatur,& viſu corporeo excæcatus,mentis aciem ad cæli celſitatem omninò erexit. Cùm verò Hieroſolymam reuerſus eſſet,dabat operam,vt Chriſti diſcipulis adhæreret: quem tamen omnes illi,multam eius ſæuitiam formidantes, fugiebant. At magnus Barnabas illi occurrens,ait: Quouſque tandem,Saule,pergis eſſe Saul? Quare ita petulanter beneficiorum authorem Ieſum perſequeris? Deſine horribile illud myſterium oppugnare, quod à Prophetis ipſis olim clara voce prænunciatum eſt, noſtris autem temporibus pro noſtra ſalute patefactum fuit. Hæc cùm audiſſet Saulus, ad pedes Barnabæ ſe deiecit, multiſque lachrymis & clamoribus: Ignoſce, inquit, mihi dux luminis, & veritatis magiſter Barnaba: expertus enim ſum, & re ipſa cognoui vera eſſe, quæ tu dixiſti. Quem enim ego maledictis perſequens,fabri filium appellabam, illum nunc confiteor Dei viui filium vnigenitum, eiuſdem eſſentiæ, gloriæ & ſolij participem, coæternũ,& principium coæuum:qui cùm ſit ſplendor glorię,& character ſubſtantiæ inuiſibilis Dei, in nouiſſimis his diebus propter nos & noſtram ſalutem ſeipſum exinaniuit,formam ſerui accipiens,hoc eſt, perfectum hominem ex ſancta Virgine & Deiparente Maria ſe fecit, non confuſionem, non conuerſionem, nec diuiſionem, aut ſeparationem paſſus: & figura inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: qui & reſurrexit à mortuis tertia die,& apparuit vobis Apoſtolis ſuis, & aſſumptus eſt in cælum, & ſedet ad dexteram Patris, & rurſus veniet cũ gloria iudicare viuos & mortuos,& regni eius nõ erit finis. 9. Cap. 10. Pauli conuerſio. Confeſſio fidei S. Pauli. Hebr. 1. Philip. 2.

Hæc cùm audiuiſſet diuinus Barnabas à blaſphemo & perſecutore illo dicta,obſtupuit,& præ gaudio eius vultus lachrymis,vt matutino rore flos aliquis,perfuſus eſt:cũque illum amplexus & oſculatus fuiſſet: Ecquiſnam,inquit,Saule,te docuit talia diuinitùs inſpirata verba pronunciare? Ecquis tibi perſuaſit,vt Ieſum Nazarenum Dei filium confitereris? Vndenàm cæleſtium dogmatum tã perfectam ſcientiam didiciſti? Tum ille,demiſſo vultu,& lachrymas fundens,ac corde valdè compunctus, reſpõdit: Ille ipſe Dominus Ieſus,quẽ ego peccator maledictis laceſſiui,& perſecutus ſum,hæc omnia me docuit. Nam tanquam abortiuo & mihi apparuit,cuius diuina & iucunda voce aures ipſas adhuc perſonantes habeo: ſua enim benignitate ſingulari & omniũ maxima proſecutus me fuit,quippe qui mihi proſtrato,& miſerabiliter iacẽti,ſeipſum defendẽs potiùs,quàm mihi ſuccenſens: Saule,inquit,Saule cur me perſequeris? Ego verò horrens & metuens,reſpondi: Quis es,Domine? Tum ille multa manſuetudine & miſeratione me proſequens: Ego,inquit,ſum Ieſus Nazarenus,quẽ tu perſequeris. Ob id ego ſingularem eius patientiam obſtupeſcens,ipſumq; orans,dixi: Quidnam ego faciam,Domine? Tunc ille ſtatim omnia hæc,quæ dixi,& his plura me inſtruxit. Cap. 11. Act. 9.

His auditis magnus Barnabas Saulum manu appræhenſum duxit ad Apoſtolos, eiſque Cap. 12.

Paulum ad Apoſtolos. eiſque dixit: Quare paſtorem fugitis, lupum exiſtimantes? Quare gubernatorem, vt piratam propulſatis? Cur bellatorem optimum, vt proditorem, execramini? Cur Chriſti ſponſam deducentem, vt thalami direptorem, reijcitis? (Spiritalis enim eſt thalamus, Eccleſia Dei) Hunc pro paſtore, gubernatore & propugnatore Dominus ſibi delegit Tunc narrauit eis Paulus, quæcunque ipſi acciderant in via, quodque vidiſſet Chriſtum Dominum, & loquentem ſecum audiuiſſet, ac quemadmodùm in vrbe Damaſco Chriſti nomen libera oratione prædicâſſet. Itaq; vnà cum illis in vrbe Hieroſolyma Chriſti prædicationem exercebat. Erat autem Iudæis ipſis valdè moleſtus atq; inuiſus, quòd qui herì & nudiuſtertiùs Ieſum perſecutus fuerat, illeipſe mutato conſilio tunc eundem illum Ieſum Dei filium eſſe prædicaret. Conſilium itaq; inierunt Iudæi de Paulo interficiendo. Quod cùm didiciſſent Apoſtoli, eum miſerunt, vt in ſua patria Euangelium prædicaret.

Eccleſia, thalamus Dei.

Ibidem.

Cap. 13. Act. 10. Cùm verò de his, qui propter Stephani cædem atq; anguſtias diſperſi, Antiochiam venerant, & Chriſti Euangelium prædicauerant, auditum fuiſſet ab ijs, qui erant Hieroſolymis, Apoſtoli beatum Barnabam, magnum & potentem virum, ad ſanctiſſimum Eccleſiæ, quæ illic erat, & Chriſti gregem paſcendum miſerunt. Qui cùm illuc veniſſet, multo adiumento fuit hominibus Chriſti fidem ſequentibus: eius enim diuina prædicatione ac doctrina factũ eſt, vt multa populi acceſſio ad Chriſtũ fieret. Cùm verò diuino Spiritu ductus Barnabas, ab vrbe Antiochia egreſſus eſſet, vrbes omnes ac regiones peragrauit, Chriſti Euangelium longè lateq; diffundens, neq; priùs deſtitit, quàm ad vrbem Romam omnium maximam venerit. Ex vniuerſis enim diſcipulis Chriſti primus Euangelium in vrbe Roma prędicauit. Cumq; multi ad Chriſti fidem veniſſent, & Barnabam ipſum ſummè honorarent, humana gloria reiecta, clàm fugiens, Roma exijt. Etenim beatus ille vir ita omnes homines, qui erant temporibus illis, animi ſubmiſſione ac modeſtia ſuperabat, vt ad huius virtutis culmẽ perueniret. Id quod declarat eius hiſtoria. Cùm enim diuinæ literæ vbique virum hunc cum primis nominent ac laudent, ipſe primas alijs concedens, ſecundas partes amplexus eſt, diligenter imitatus Dominum ſuum, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Barnabas primus Romę Chriſtũ prædicat.

Matth. 11.

Cap. 14. Venit Alexandriam. Poſteà cùm idem Barnabas ad Aegypti vrbem Alexandriam veniſſet, & Dei ſermonem ibi prædicâſſet, illinc exijt, peragrans deinceps vrbes omnes, quoad venit Hieroſolymam. Vnde etiam egreſſus, reuerſus eſt Antiochiam. In qua cùm Dei gratia Eccleſiam copioſiorem factam vidiſſet, valdè gauiſus eſt. Inde autem diſcedens, Tarſum venit, Paulum quærens: quem inuentum, Antiochiam perduxit. Ibi cùm totum annum tranſegiſſent, & multum populum ad Chriſti diſciplinam tranſtuliſſent cumque ibi primùm Chriſti diſcipulos Chriſtianos vocâſſent, atq; illinc accepiſſent ab Eccleſia, quæ pauperibus diſtribuerent, aſſcenderunt rurſus Hieroſolymam quartodecimo anno poſtquàm Dominus IESVS Crucem pertulit, quemadmodùm ſcribit Paulus, cùm dicit: Quatuordecim annis poſteà Hieroſolymam aſſcendi cum Barnaba. Cùm verò miniſterium compleuiſſent, & fidem ac dexteram ab Apoſtolis datam accepiſſent, vt ipſi ad gentes profecti, ij verò, qui cum Petro erant, circunciſis prædicarent, deſcenderunt Antiochiam, habentes Marcum miniſtrum. Miſſi autem à Spiritu ſancto ex vrbe Antiochia, venerunt in Cyprum, & totam inſulam peragrârunt, Salamina Paphum vſque Euangelium prædicantes, & miracula faciẽtes: quo tempore Elymam excæcârunt, & Proconſulem Sergium Paulum fide illuminârunt.

Act. 11.

Galat. 2.

Act. 13.

Cap. 15. Ibid. Poſteà verò quàm multos ad Chriſti diſciplinam conuerterunt, è Cypro diſcedentes, venerunt Pamphyliam. Cùm verò Marcus ipſe Apoſtolos vidiſſet pro Euangelii prædicatione pericula ſubeuntes, neque honori ſtudentes, ſed breuem & caducam hanc gloriam derelinquentes, ad bellum contra infideles homines ſuſcipiendũ properare ipſe ad pericula ſubeunda claudicare cœpit, quippe qui adoleſcens erat formidoloſus, & infirmior, quàm vt mortem contemnere poſſet. Derelictis igitur Apoſtolis, reuerſus eſt Hieroſolymam ad matrem ſuam. Cùm verò Apoſtoli Barnabas & Paulus opus compleuiſsent, ad quod miſſi fuerant, & infinita pro Chriſto certamina ſuſtinuiſsent, venerunt Antiochiam, vnde à diuina gratia miſſi ſunt ad Gentes. Neceſse autem fuit rurſus proficiſci Hieroſolymam ad Petrum Apoſtolum propter falſos illos Apoſtolos, qui docebant diſcipulos, vt ſe circunciderent, & legem ſeruarent. Cùm autem Marcus illos ab omnibus honoratos videret, quodque poſt multa illa verbera & pericula robuſtiores facti eſsent, & integris corporibus præditi: propriam imbecillitatem accuſans, doluit quod factum à ſe fuerat, & ad Paulum quidẽ

Act. 14.

Act. 15.

ipſum

ipſum erubuit ſe conferre, Barnabam verò adijt lachrymans: cumque ad eius pedes ſe abieciſſet, eum rogabat, vt ſuperioris errati veniam impetraret, & eius precibus firmior fieret in poſterum, futurum promittens, vt omnia mortis genera pro Domini noſtri Ieſu Chriſti nomine, prompto animo ſufferret. Multis his lachrymis magnus ille virtutib⁹ ornatus Barnabas flectitur, eumq; hortatus, vt à luctu deſiſteret: Fiat, inquit, quod Deus vult, modò tu paratus ſis præſtare quod promiſeris.

Cùm verò ſcripta accepiſſent, quæ ab Apoſtolis in vrbe Hieroſolyma decreta fuerant, deſcenderunt Antiochiam, & vnà cum fratribus exultabant. Marcus autem ipſos animo parùm fidenti ſecutus eſt. Poſt hæc viſum eſt Barnabæ & Paulo peragrare vrbes omnes, & fratres viſere. Tunc Barnabas Paulum rogabat, vt Marcum ſecum vnà venire pateretur, quippe qui paratus eſſet vſque ad mortem pro Chriſti fide certamen ſuſtinere. Paulus verò contrà rogabat Barnabam, vt ſecum vnà Marcum nõ haberent. Hinc occaſio quædam nata eſt, vt Apoſtoli à ſe viciſſim ſepararentur, diuina prouidentia id vtiliter permittente. Deus enim ipſe Marcum populorum & gentium multarum paſtorem ac magiſtrum creaturus erat. Cap. 16. Act. 15. Paulus & Barnabas à ſe ſeparãtur propter Marcum.

Sed nemo imprudenter proprio affectu metiatur, quod eſt in ſacra de Apoſtolorum actis hiſtoria, quo loco de Paulo & Barnaba narratur illud: Facta eſt diſſenſio ita vt diſcederent abinuicèm. Non enim ad hoc iracundiæ aut furoris affectu impulſi sũt Chriſti Apoſtoli: (minimè hoc nos cogitemus) nam qui carnem cum affectibus & cupiditatibus crucifixerunt, qui voce magna ſic omnes Chriſto credentes admonebãt: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, et clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia: quí fieri poteſt, vt illi ipſi in huiuſmodi affectum inciderint? Scimus autem, & ex diuinis literis diſſenſionum diuerſitatem cognouimus, & vocem hanc παροξυσμὸς in bonam partem accipi ſolitam; vt cùm ait Apoſtolus: Conſideremus noſmetipſos in prouocatione charitatis, & bonorum operum. Talis fuit & Apoſtolis diſſidendi ratio, hoc eſt, Dei zelus. Paulus enim accuratam cenſuram requirebat, Apoſtolicæ profeſſioni conuenientem: Barnabas verò ad humanitatem propenſior erat: quamobrem & Marcum ſecum habens, in Cyprum nauigauit. Cap. 17. Ibidem. Epheſ. 4. Hebr. 10. Act. 15.

Cumq; eam inſulam totam peragrâſſet, populos multos ad Chriſti fidem conuertit, & Salaminam venit, vbi pauliſper moratus eſt, edẽs miracula, & prædicans regnũ Dei: quo loco turbæ multæ ad Chriſti fidem acceſſerunt. Diſputabat autem cum Iudæis in Synagoga omnibus ſabbatis, diuinarum literarum teſtimonijs Ieſum Chriſtũ illum eſſe probans, quem Deus promiſerat. Omnes autem Barnabam reuerebantur propter diuinam quandam honeſtatem, quę in illius adſpectu vigebat. Erat enim oris ſpeciè valdè grauis, habitu ac veſte admodùm tenui, cuiuſmodi illorum eſt, qui delicias abijcientes, in virtutis exercitatione verſantur. Erat ſupercilijs contractis, & oculis hilaritatem præ ſe ferentibus, non toruum aliquid, ſed graue quiddam in ſe habentibus, & reuerenter admodùm deorſum ſpectantibus. Oris honeſtas & labra decora, mellis ſuauitatem diſtillantia, in eodem illo inerant. Non enim aliquid vnquàm pronunciabat, quod foret ſuperuacaneum. Eius inceſſus compoſitus, & ab oſtentatione alienus, totus denique omni ex parte Apoſtolus Barnabas erat tanquam recta quædã Dei columna, omnium virtutum ſplendore illuſtris. Cap. 18. Multas in Cypro conuertit Barnabas. Forma S. Barnabæ.

Hic cùm in vrbe Salamina Chriſti prædicationem doceret, venerunt è Syria Iudæi quidam, qui maledicta in eum conijcientes, quæque ab illo dicebantur oppugnantes, turbam contra ipſum excitauerunt, criminantes nihil veri ab eo dici: ſed quem ipſe Ieſum Chriſtum fuiſſe diceret, eum fallacem quendam hominem, & Deo ipſi cõtrarium fuiſſe, legem, prophetas & ſabbati obſeruantiam reprobantem. Ijdem & Barnabæ interficiendi opportunitatem obſeruabãt. Sanctus verò Chriſti Apoſtolus Barnabas, cùm omnes fratres congregâſſet: Vos, inquit, ſcitis, quomodò vnà vobiſcum omni tempore verſatus fuerim, vnumquenque admonens & hortans, vt in gratia & Domini noſtri Ieſu Chriſti fide conſtanter permaneatis, & eius præcepta obſeruetis, & ab omni prauo opere mentem & manus cohibeatis. Nanque oportet omnes nos ſiſti ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis ſui, quæ fecerit, ſiue bona, ſiue mala: præterit enim figura mundi huius, & Dominus venturus eſt de cælo iudicare viuos & mortuos. Nolite igitur negligentes eſſe, ſcientes, quòd qua hora non putatis, Dominus noſter veniet. Aerumnas & labores libenter perferatis, corda veſtra ſpe confirmantes, quòd aduentus Domini propè ſit. Recordemini quæ vobis ſæpè dixi, præſentis vitæ res, ſiue proſperæ, ſiue aduerſæ illæ ſint, breues & caducas eſſe, omniaque hæc celeriter præterire: futuri verò illius ſeculi bona ſemper in Cap. 19. Iudæi turbã in eum concitant. 2. Cor. 5. Luc. 12.

eodem ſtatu permanere, æterna & finem nullum habentia. Neque enim regnum cœlorum aliquando præterire poterit: neque iudicium illud finem habebit, ſed ſemper erit, his, qui peccando vitam tranſegerunt, immortalem pœnam afferens, & finem nullum habituram. Date igitur operam, vt ſine culpa & labe in die illo extremo inueniamini, ne in gehennam ſempiternam decidatis. Memoria repetite, quot ſigna & prodigia per me ſeruum ſuum Deus ipſe apud vos effecerit, & pro me Deũ o-
Prædicit obitum ſuũ. rate. Ego enim iamiam immolandus ſum, & tempus illud propè eſt, quo ab hoc corpore diſſoluendus ſum, ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus mihi ſignificauit. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: nunc repoſita mihi eſt corona iuſtitiæ, non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui propter Chriſti confeſſionem certamen ſuſtinuerint.

Cap. 20. Hæc cùm dixiſſet, vnà cum omnibus Deum orauit: multuſq́; fletus hominum fuit, eò quòd Apoſtolus ille dixerat, tempus propè eſſe, quo à corpore diſſoluendus foret.
Miſſam celebrat. Barnabas verò cùm panem & calicem ſumpſiſſet, & diuini miniſterij ordinem totũ compleuiſſet, vnà cum fratribus particeps factus eſt Euchariſtiæ myſteriorum. Quo facto Marcum ſecum habens receſſit, & ipſi ſeorsùm dixit: Hodiè infidelium Iudæorum manibus me conſummari oportet: tu verò extra ciuitatem Occidentem versùs egredere, & corpus meum inuenies: quod cùm ſepelieris, exi è Cypro, & ad Paulum proficiſcere, & eſto cum illo, quoad Dominus res tuas diſpoſuerit: futurum enim eſt, vt nomen meum per totum orbem terrarum diuulgetur.

Cap. 21. Poſt hæc ingreſſus eſt Barnabas in Synagogam, & Iudæos ipſos docebat, illis perſuadere ſtudens, Dominum Ieſum eſſe Chriſtum viuentis Dei filium. Illi verò Iudæi, qui è Syria illuc venerant, furore perciti, è Synagoga ſurrexerunt, & manibus in eum coniectis, in obſcuram quandam Synagogæ illius cellam vſq; ad multam noctem cuſtodierunt. Cumque illum eduxiſſent, & multis cruciatibus affeciſſent, poſtremò ne-
A Iudæis in Cypro interficitur. farij homines eundem lapidauerunt, & accẽſo rogo quodam magno, beatum Barnabæ corpus in eum coniecerunt, vt nullæ ipſius reliquiæ ſupereſſent. Diuina verò prouidentia factum eſt, vt Apoſtoli corpus integrum permaneret, neque ab igne ipſo læderetur. Marcus igitur, vt Barnabas præceperat, extra vrbem egreſſus Occidẽtem versùs cum quibuſdam fratribus, reliquias ſancti Barnabæ clàm abſtulit, & in ſpelunca quadam, ſtadijs ferè quinque ab vrbe diſtante, ſepeliuit. Mox in vrbem reuerſi, planctu & lachrymis eum proſecuti ſunt.

Cap. 22. Illo autem tempore contra Salaminæ vrbis Eccleſiam perſecutio magna commota eſt, omneſque alij aliò diſperſi ſunt. Itaque ſancti Apoſtoli Barnabæ ſepulcrum deinde ignotum erat. Proindè Marcus cùm è Cypro nauigâſſet, ad Paulum venit, qui erat Epheſi, eumque de Barnabæ martyrio certiorem fecit. Id cùm ille audiuiſſet, lachrymauit, & Marcum ſecum tenuit. Poſteà verò cùm Petrus Apoſtolus diuina reuelatione iuſſus eſſet Romam proficiſci, ſecum duxit & Marcum, quem quodammodò
Marcus Romæ ſcribit Euangeliũ. ſibi filium genuerat. Illi cùm eſſent in vrbe Roma, Euangelium Marcus conſcripſit: quod Petrus Apoſtolus legit, & diuino Spiritu ſcriptum cognouit, atque appròbauit. Itaque Marcum ipſum per manuum impoſitionem ordinauit, & vt maximè idoneũ in vrbem Aegypti Alexandriam, Lybiam & Pentapolim miſit. Quò cùm Marcus veniſſet, Domini Ieſu Chriſti Euangeliũ illis regionibus prædicauit, ita vt multi ad Chriſti fidem conuerſi fuerint. Cùm verò nouem annos Dei fidem Marcus in ea regione docuiſſet, martyrio in vrbe Alexandria functus eſt.

Cap. 23. Multo autem tempore poſteà, cùm Chriſtiana fides latiùs fuſa eſſet, & Impera-
Miracula ad ſepulcrũ S. Barnabę. tores Chriſtiani Romanorum imperio potirentur, miracula quædam magna Deus ipſe in eo loco edebat, vbi reliquiæ ſancti Apoſtoli & generoſi martyris Barnabæ repoſitæ fuerant. Nam cùm multi homines impuros ſpiritus habentes, per locum illum tranſirent, ſpiritus ipſi voce magna clamantes egrediebantur. Multi etiam paralytici, & claudi, varijſque morbis & cruciatibus vexati, ad eum locum profecti pernoctabant: qui omnes curabantur: ob idque Salamina ciuitas gaudio magno perfundebatur. Quòd verò diuina quædam potentia in eo loco miracula efficeret, id quidem omnes cognoſcebant: quænam tamen eſſet cauſa gratiæ illius tam copioſæ, id nequaquàm intelligere poterant. Regionem autem illam ſanitatis locum indigenæ appellabant.

Cap. 24. Cùm verò beatus Martianus obijſſet, ſanctæ memoriæ Leo Imperio ſucceſſit. Huic erat gener Zeno Iſaurus genere, qui poſt Leonem & ipſe Imperator fuit. Tempore autem illo in religioſo Acœmetenſium monaſterio extitit monachus quidam, qui,

qui, vt Iudas inter Apoſtolos, diaboli mores imitabatur. Illi nomen erat Petrus, qui ful lonis artem exercebat, ſanctam verò Synodum in vrbe Chalcedone celebratam auer ſabatur, & dogmatis Eutychiani erat propugnator. Eiuſmodi hominẽ, vt corruptorẽ & peſtilentem, atq; Apoſtolicorum dogmatum hoſtem acerrimum, eius loci homines è monaſterio expulerunt. Qui cùm illinc expulſus fuiſſet, Cõſtantinopolim profectus eſt, & aſſentatorum vitam imitatus, modò hanc, modò illam domum obibat, ventri & gulæ ſeruiens: cumq; execrabilis ſuæ hæreſis participes homines quoſdam honore præditos inueniſſet, illis adhærere cœpit, per quos etiam in eius notitiam venit, qui erat gener Imperatoris, patritius & excubitorum Comes: ſic enim appellabatur, qui excubijs præſidebat. Itaq; Petrus ille cùm religionis ſpecie quadam ſe induiſſet, erat quidem aſſiduè cum Zenone Imperatoris genero, non audebat tamen propriam impietatem aperire. Eundem autem Zenonem ad Orientis partes proficiſcentem ſecutus eſt fullo ille vſq; ad vrbem Antiochiam: vbi cùm multos Apollinaris ſectatores inueniſſet, vnà cum illis contra Patriarcham temeritatem exercuit, aduerſùs eum ſeditioſiſſimum quenq; hominem concitans, & Chalcedonenſem ſynodum conuiciãs, ac Patriarcham ipſum Neſtorianum appellans.

Petrus Fullo improb' monachus.

Comes excubitorum.

Cùm igitur Antiochena ciuitas multa ſeditione & tumultu perturbaretur, Petrus ille Comitem Zenonem dolo aggreſſus: Niſi, inquit, huius ciuitatis Epiſcopus permutetur, fieri non poteſt, vt populus quietè viuat. Quinetiam multã auri vim ei propoſuit, ſi ab eo impetraret, quod petebat: patefecit enim illi conſilium ſuum, quod anteà occultauerat. Tunc infames quoſdam & improbos homines, qui eadem, quæ ipſe, ſentiebant, perſuaſionibus ſuis ſecum duxit, & grauiſſima quædam ſcelera contra Patriarcham falsò conficta, ad Imperatorem detulit. Sed eius malitia nihil profecit, cùm Imperator Apoſtolicorum dogmatum eſſet propugnator. Poſteà verò, quàm Leo ipſe terreſtre Imperium dereliquit, & ad immortale illud regnum translatus eſt, Imperio ſucceſſit Zeno. Antiocheni verò, quos ſuprà diximus, Imperatori ſupplicationem obtulerunt, petentes fullonem illum Petrum ſibi Epiſcopum creari. Id quod factum eſt, auro ipſo omnibus, qui erant in aula regia, perſuadente, vt Petri fullonis patrocinium ſuſciperent. Statim igitur vt Petrus ille ordinatus eſt Epiſcopus, ſanctam Chalcedonenſem ſynodum anathemate fuit deteſtatus. Cumque Apollinaris ſectatoribus placere ſtuderet, qui Theopaſchiani appellabãtur, eò quòd Deum ipſum paſſum fuiſſe dicebant, nouitatem quandam peſſimam excogitauit, vt hymno illi, qui Triſagion appellatur, hoc etiam in fine adderet: Qui crucifixus eſt propter nos. Hæc cùm ſancti Epiſcopi & patres noſtri audiuiſſent, ad prauam illius opinionem refrenandam alacri & prompto animo aggreſſi ſunt: & primùm quidem literis eum ab impietatis voragine reuocare conati ſunt. Sed cùm eundem repugnantem maiore audacia & temeritate contra fidem orthodoxam efferri vidiſſent, omnes, qui ſunt in orbe terrarum, Epiſcopi, ſententia pronunciata, ſub anathemate illum expulerunt.

Cap. 25.

Nota fraudem hæreticis familiarem.

Petrus Fullo fit patriarcha Antiochenus.

Theopaſchiani.

Ea ſede priuatur.

In hac orationis parte libenter eos, qui ex noſtris hominibus non vitio, ſed quadam mentis leuitate, nouitatem hanc temerè amplexati ſunt, his verbis compellarem: Quænam cauſa vos, fratres, adduxit, vt rectè ſentientem patrum noſtrorum doctrinam relinqueretis, & nouitatem ab hæreticis nuper excogitatam ſequeremini? Animaduertendum vobis erat, quemadmodùm ſancti Patres noſtri non fictas fabulas ſecuti, nobis hunc hymnum canendum tradiderunt, ſed diuina quadam reuelatione docti, quæ non vni aut alteri, neque in aliquo terræ angulo, ſed meridie ipſo in luce clariſſima vniuerſo Conſtantinopolitanæ vrbis populo Chriſti amantiſſimo facta eſt, quo tempore beatiſſimus pater Epiſcopus & magiſter cum primis probatus Proclus Conſtantinopolitanæ ſedi præſidebat. Quicquid autem diuina gratia ſuggerente diuinitùs nobis reuelatum eſt, illud nulla ex parte mancum, ſed omninò perfectum eſt, & ad ſalutem idoneum, non indigens humanarum argumentationum inuentis, neq; additamento, vel ſubtractione aliqua, vt diuinæ literæ docent, cùm dicunt: Verbum, quod ego præcipio tibi hodiè, vide vt illud valdè obſerues, neq; quicquã addas, neq; ab eo aliquid imminuas, cùm re vera diuinis eloquijs aliquid addere, vel detrahere, periculoſum ſit, & perniciem ijs, qui hæc faciunt, magnam afferat: non enim ij ſumus, qui Chriſtum corrigere poſſimus, ſed qui Chriſto ſubijci & obedire debeamus. Hæc, & multa alia licet de hac re dicere noſtris hominibus ita ſentientibus, quos doceri cupimus, extremæ inſcitiæ eſſe, hæretici hominis nouitatem admittere. Deſinant igitur cũ hæretico homine deinceps ſentire.

Cap. 26.

Semper hæretici nouitates excogitant, quibus ſimplices fallunt.

Deut. 12.

Itaq; cùm Petrus ille ab omnibus Epiſcopis ſub anathemate (vt diximus) damnatus Cap. 27.

eſſet,& Zeno propter inuaſionē Baſiliſci ab Imperio aufugiſſet,ipſe quoq; fugiens ad ignota quædam loca ſe contulit. Poſteà verò quàm Zeno ad Imperium reuerſus eſt, Petrum fullonem requiſiuit,& Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum reſtituit, cùm nōdum anathemate liberatus eſſet: beatum verò Calendionem Patriarcham in Oaxim exulem relegauit,fullone illo Antiochenæ ſedis Epiſcopatum vi capiente.Qui vt impius, & nullam ſpem reliquam habens,tyrannidem ipſam impunè,vel ſceleratè potiùs exercebat,interficiens,proſcribens,& omnes eos fugans, qui nolebant cum eius impietate communicare.Sed hæc quidem miſſa faciam,cùm multa ſint,& propriam hiſtoriam requirant. Conferet autem ſe oratio noſtra ad id,quod magis vrget,vt ſancti Apoſtoli Barnabæ gratiam omnibus notam faciamus, & quanta patriam ſuam cura & benignitate proſequatur,declaremus.

Zeno Imperat. reſtituit Petrum.

Cap.28.

Petrus Fullo ſemper atrociora molitur.

Cùm nondum contentus eſſet Petrus fullo innumerabilibus illis malis, quibus Orientis partes affecit,in prouincias etiam illas, quæ nihil ad eum pertinebant, manus iniecit.Cùm enim Imperatoris,& eorum,qui erant apud Imperatorem gratioſi, lenitatem auro ſibi comparâſſet,ipſius etiam Dei legem deinceps contempſit,& Cyprios homines Dei & fidei amatores,ac recta ſentientes,omnibus modis vexare cogitauit, quoniam eius inſulæ habitatores pietatem à patribus ſuis traditam ſeruantes, recuſabant cum eius impietate communicare. Itaque Cypri ſedem ſanctiſſimam, & à principio inde vſque ab Apoſtolorum tempore liberam, ipſe arripere & ſibi ſubijcere aggreſſus eſt, idque ad Imperatorem retulit,falſum deferens ac dicens: Quoniam verbum Dei ab vrbe Antiochia ad Cyprum inſulam manauit,ob id Cypri Eccleſiam ſub Antiochenæ ſedis Patriarcha eſſe oportet, quandoquidem Apoſtolica & Patriarchica ſedes eſt.

Cap. 29.

Contemnit decreta Synodi Epheſinæ.

Hæc ille rectæ fidei & ſententiæ deſertor contendebat, cùm tamen non ignoraret ea,quæ in vrbe Epheſo ſancta illa Synodus,Cyrillo præſidente,definierat, à ſe violari atque corrumpi.Sed pietatis præco,& ſanctiſſimus Apoſtolus Barnabas patriæ ſuæ opportuno tempore ſubueniēs,illius Petri ſtultitiā vel malitiam potiùs redarguit. Cùm enim Epiſcopus Salaminæ iuſſus fuiſſet ad regiam vrbem ſe conferre,& aduerſùs Antiochenos coram Patriarcha cauſam dicere,prę timore torpeſcebat,fullonis illius inſidias ſuſpectas habens.Erat tunc Salaminæ vrbis Epiſcopus Anthemius,vir cum primis admirabilis,quòd ad rectam fidem & vitæ innocentiam pertineret,ſed ad diſputationem cum aduerſarijs ſuſtinendam,parùm valebat. Cùm igitur ancipiti cogitatione fluctuaret,neq; certum haberet,quid ageret,num videlicet Cōſtantinopolim proficiſci deberet,necne:nocte in ſomnis adſtitit illi quidam,diuinam quandam ſpeciem præ ſe ferens,& luminis ſplendore multo effulgens, lucidaq; veſte indutus, ac ſacro habitu decorus,qui & hæc dixit:Cur ita triſtis es nunc, Epiſcope? Quomodò tantus iſte torpor te corripuit? Cur vultus tuus ita cōcidit? Nihil mali ab aduerſarijs tuis patieris. Hæc cùm dixiſſet,ab Anthemio diſceſſit: qui experrectus, & timore perterritus Epiſcopus,in faciem ſe proſtrauit,& multis lachrymis Deum ita precatus eſt: Domine Ieſu Chriſte,fili Dei viui,adiuua eccleſiam hanc.Scio autem,quòd illam adiuuas.Si viſio hæc à te profecta eſt,fac,quæſo, vt eadem iterùm,ac tertiò mihi oſtendatur,vt te mecū eſſe certò ſcire poſſim.

S. Barnabas apparet Anthemio Epiſcopo.

Cap.30.

Iterùm ei apparet.

Intereà Epiſcopus ille diuinis precibus attentiùs vacabat,ab omnium hominū congreſſione remotus. Nocte autem,quæ deinceps conſecuta eſt,cùm adſtitiſſet idem ille vir eadem forma & habitu,quo anteà viſus fuerat: Iam,inquit, tibi dixi, nihil mali te paſſurum ex ijs,quæ tibi aduerſarij minantur. Nihil igitur ſuſpicans,prompto animo ad vrbem Conſtantinopolim venias.Hæc cùm dixiſſet,diſceſſit. Epiſcopus verò ruſus Domino gratias egit,neque quicquam alicui dixit, ſed expectabat tamen reuelationem tertiam.Nocte igitur conſequente idem vir apparuit, qui grauiùs eum increpans: Quouſque, inquit,non vis credere verbis meis,quæ diebus his complenda ſunt? Proficiſcere in vrbem regiam prompto & alacri animo: illinc enim cum gloria reuertéris,neque quicquam mali ab aduerſarijs paſſus fueris,cùm Deum ipſum, propter me ſeruum ſuum tui propugnatorem habeas. Tunc Epiſcopus: Quæſo, inquit, Domine mi, dic: Quis es tu? qui hæc mecum loqueris? Tum ille ait: Ego ſum Barnabas, diſcipulus Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſegregatus à Spiritu ſancto, vt vnà cum Paulo Apoſtolo electionis vaſe munus Apoſtolicum inter gentes exercerem. Huius rei ſignum hoc habeas: Egredere extra vrbem Occidentem verſùs ſtadijs quinque, in eam regionem, quæ Sanitatis locus appellatur, (Per me enim Deus ipſe in loco illo miracula efficit) & ſub arbore Siliqua effodias: ſpeluncam enim atque arcam inuenies,

Itemq; tertiò.

inuenies,quoniam illic totum corpus meum conditum eſt,& Euangelium manu propria ſcriptum,quod à ſancto Apoſtolo & Euangeliſta Matthæo excepi. Quoniam verò aduerſarij tui ſurſum & deorſum miſcentes omnia,& iura quædam obijcientes, tecum diſceptant,Antiochiæ ſedem Apoſtolicam eſſe contendentes,& tu contrà ius tuum illis opponas: Et mea, inquiens,ſedes Apoſtolica eſt:nam & Apoſtolum habeo in patria mea. His dictis, Barnabas diſceſſit.

Epiſcopus verò experrectus,Deum adorauit,totoq; clero & populo Chriſti amantiſſimo congregato,exijt in eum locũ,quem per reuelationem didicerat,multo apparatu,& cruce ipſa prælata. Cumq; preces ad Deum miſiſſet,iuſſit locum effodi: quem poſtquàm paulùm fodiſſent,inuenerunt ſpeluncam lapidibus obſtructam. Illis autem ſublatis,apparuit arca illa:qua detecta, inuenerunt venerandas ſancti & venerabilis Apoſtoli Barnabæ reliquias,ſuauem gratiæ ſpiritualis odorem ſpirantes, inuenerunt etiam Euangelium ſupra Barnabæ pectus impoſitum. Illam verò arcam plumbeo ſigillo muniêrunt. Cumq; Deum precati eſſent & adoràſſent, diſceſſerunt, viris religioſis in loco illo ab ipſo Epiſcopo cõſtitutis,qui veſpertinis & matutinis hymnis Deũ collaudarent. Ille igitur inſigniores Epiſcopos ſecum habens, venit in vrbem regiam Conſtantinopolim. & ad Patriarchæ domum deductus eſt. De cuius aduētu cùm Imperator audiuiſſet, Patriarchæ ipſi mandauit, vt cum Synodo, quæ illuc conuenerat, omnium partium controuerſiam audiret,& quod illi videretur decerneret. Coacto igitur Concilio,cùm cauſa illa tractaretur,aduerſarij afferebant ſua iura, vt ſibi videbantur,quòd Antiochena ſedes Apoſtolica & Patriarchica ſedes eſſet:ob idq; contendebant & alias prouincias ſibi ſubiectas eſſe debere. Cap. 11. Nota crucē antelatam. S. Barnabæ reliquiæ reperiuntur.

Hæc cùm aſſererent,ijs,qui præſentes erant,rationi conſentanea dicere videbātur. Beatus verò Anthemius paulùm moratus,contrà obijciens: Et mea,inquit,ſedes Apoſtolica fuit,indeuſq; à principio & libertate honorata,qui & Apoſtolum habeo in patria mea integro corpore conſtantem, beatiſſimum, inquam, illũ Barnabam,ſanctarum laudum præconijs celeberrimũ. Hoc cùm Anthemius oppoſuiſſet, nihil loci aduerſarijs relictum eſt,cùm Epiſcopi,qui præſentes erant, ſilentio Anthemij orationē confirmàſſent. Aduerſarij verò ipſi rubore perfuſi,muti remanſerunt, reſponſo illo tã iuſto perculſi. Hæc cùm Imperator audiuiſſet, Epiſcopũ Cypri ad ſe accerſiri iuſſit, & de reuelatione ſancti Apoſtoli Barnabæ diligenter ab eo quæſiuit. Ille nihil ex his, quæ vera cognouerat,occultauit,ſed ordine rem omnē Imperatori narrauit. Ille hæc audiens, valdè gauiſus eſt,diuinæ gratiæ diuitias admirans,quòd Imperij ſui temporibus tantum miraculum à Deo factum cognoſceret. Cap. 12. Anthemius Epiſcopus Petrum Fullonem confutat.

Tunc Antiochenæ vrbis Epiſcopum illinc expulit,& iuſſit,vt in poſterum Cypri Epiſcopo,quòd ad eam cauſam pertinebat,nihil omninò moleſtus eſſet. Beatum verò Anthemium Epiſcopum ita rogauit: Quoniam ſancti Pontificatûs tui temporibus Domino noſtro Ieſu Chriſto placuit,ſanctum ſuum Apoſtolum Barnabam reuelare, iube,quæſo, celeriter Euangelium illud,quod inuentum eſt,nobis afferri. Id ſi feceris, mihi filio tuo gratiſſimum erit: habebis enim & meipſum poſthàc tibi, pater, in omnibus obtemperantem. Aſſenſus eſt eius petitioni Epiſcopus, & quendam ex ijs, quos ſecum habebat,vnà cum fideliſſimo Imperatoris miniſtro Epiſcopum miſit: qui Euangelium illud in vrbem Conſtantinopolim attulerunt. Erant autem libri tabellæ thyinis lignis compoſitæ. Euangelium illud Imperator in manus ſumpſit, & deoſculatus eſt,auroque multo exornatum in palatio ſuo repoſuit,vbi ad hodiernum vſque diem ſeruatur,& in magna quinta Paſchæ feria quotannis in palatij oratorio Euangelium ex eo libro recitatur. Epiſcopum verò Anthemium magnis honoribus proſecutus,pecunijs multis donatum,ad inſulam Cyprum remiſit,eique mandauit, vt ſancto Apoſtolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, vbi venerandæ ipſius reliquiæ inuentæ fuerant. Multi autem ex optimatium numero pro illius templi ædificatione pecuniam contulerunt. Cap. 13. Euangeliũ S. Matthæi Barnabæ manu deſcriptum. Templũ S. Barnabæ.

Ille igitur in Cyprum reuerſus,multos artifices atque operarios collegit, & ædificationi non mediocrem operam dedit,& Apoſtolo Barnabæ templum valdè magnũ tum ædificio,tum multo & vario ornatu inſigne conſtruxit. Ad eam verò templi partem,quæ ad Lybiam ſpectat,aulam quãdam compoſuit,quatuor porticus habentem, & cellas hinc atque illinc è regione ſibi oppoſitas in aula conſtruxit, vt qui diuina officia in templo illo Monachi celebrarent, in illis cellis habitare poſſent. Quinetiam è longinqua regione aquæductum deriuari fecit,& in medio atrio concham quandam pulcherrimam conſtruxit,in quam aqua illa deflueret, vt tam qui eo in loco habitabant, Cap. 14.

bant,quàm qui peregrè veniſſent,abundè aquis illis frui poſſent. Multa etiam alia hoſpitia illic ædificauit,in quibus peregrini & hoſpites recreari poſſent,ita vt qui locũ illũ vidiſſet,paruæ alicuius & iucundæ vrbis figuram videre ſibi viſus eſſet. Dein arcam illam,in qua Barnabæ Apoſtoli reliquiæ conditæ erant,in dextera ſacræ aræ parte collocauit,qui locus multo argento & marmoreis columnis ornatus erat. Diem verò feſtum,quo beati Apoſtoli & generoſi martyris Barnabæ memoria celebraretur, Patres agi per ſingulos annos conſtituerunt,tertio Idus Iunij,vt Romani numerant: vt verò Cyprij Conſtantienſes, die vndecimo eius menſis, qui ab illis dicitur Meſores, & decimus numeratur: vt autem Aſiani homines, vel Paphij numerãt, decimonono menſis,qui Phthipatus dicitur,& nonus numeratur. Hoc igitur anni tempore in eum locum,quem ſuprà diximus, gentes plurimæ conueniunt, & diuina officia concelebrant in gloriam Patris,Filij,& Spiritûs ſancti,cui debetur gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Dies feſtus ſancti Barnabæ Apoſtoli.

Cap. 55. Reliquiarum ſancti Apoſtoli Barnabæ reuelatio ita ſe habuit,vt diximus. Quæ verò miracula quotidiè à ſanctiſſimo ipſius ſepulcro abundè proficiſcũtur,ea ſi quis cõſcribere velit,ne multis quidem voluminibus(vt opinor)illa complecti poterit. Nos igitur ad eorum,quæ ſuprà diximus,memoriam redeuntes, virum hunc pietatis cauſa omnibus certaminibus egregiè functum,ob idq; cæleſti corona donatum, hymnis diuinis proſequamur,& eundem beatum prædicantes, laudum præconijs celebremus. Hic enim,tanquam oliua quædam fructifera,in domo Dei plantatus, quotidiè fructus ſuauem odorem ſpirantes Deo ipſi offert. Hic Imperatorum gloria, ſacerdotum iucunditas, populorum exultatio,eorum,qui anguſtijs premuntur, conſolatio, afflictorum profugium ac recreatio,deſperatorum ſpes atque adiutor, peregrinorum requies, ægrotantium medicina, ſanorum cuſtos, ſpiritualium gratiarum fons, Eccleſiæ murus,Orthodoxorum firmamentum,fidelium hominum propugnatio, totius orbis terrarum decus. Cæterùm tot & tantæ ſunt, beatiſſime Apoſtole Ieſu Chriſti Barnaba,laudes tuæ,vt omnium hominum mentem atque orationem ſuperent. Nihilominùs tamen noſtri ſermonis paupertatem exiguam illam quidem, ſed promptam certè,acceptam habens,pro nobis apud eum, quem dilexiſti, Chriſtum vnigenitum Dei filium & Verbum, intercedere non graueris, vt ille à præſenti & laborioſo hoc ſeculo nos eripiat,nobiſque concedat, vt remiſſionem peccatorum, clementiam & miſericordiam multam aſſequamur in illo die terribili,cùm venerit iudicare viuos & mortuos.

Miracula innumera ad ſepulcrũ eius.

Egregia illius epitheta.

Author inuocat S. Barnabam.

Cap. 56. Tuum verò ſucceſſorem,qui ſanctam Sedem tuam gubernat, firmam atq; immobilem,cuius & tu propugnator fuiſti,fidem eodem ſenſu tuentem, Orthodoxæ veritatis legitimum & verum doctorem,Saluatoris noſtri imitatorem, paſtorem & patrem noſtrum, qui præſens eſt, & ſanctam tuî memoriam illuſtrem repræſentat, Deum exora,vt multis annorum circulis in ſanctiſſima tua ſede conſeruet valentem, & populum ipſius in pace & tranquillitate regentem, qui & veritatis doctrinam omni cum ſanctitate & iuſtitia dirigat. Te inſuper oramus,vt qua cura patriam tuam ſemper proſecutus es, eadem & nunc illam proſequaris, eamque tuis ſanctis apud Deum precibus cuſtodias,& à ſcandalis operantium iniquitatem eripias, vt in pace, modeſtia ac pietate vitam in hoc ſeculo ducamus, & miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti expectantes, ad æternam illam vitam peruenire poſſimus, cuius nos omnes participes fieri optamus gratia,miſericordia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria ſit, Patrique & ſancto Spiritui,nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum,Amen.

Vide quid præſtent nobis Sancti.

VITA

VITA B. PARISII BONONIENSIS, EX LIBRIS IACOBI DE VORAGINE SVMMATIM EXCERPTA A *doctiſſ. viro Carolo Sigonio, iuſſu ampliſſimi Cardinalis Gabrielis Palæoti, Epiſcopi Bononienſis, qui eam miſit ad me.*

BEATVS Pariſius Bononiæ in Italia natus eſt circa annum ſalutis milleſimum cẽteſimum quinquageſimum. Is cùm iam inde à primis annis magna ſingularis & inſolitæ cuiuſdam in illa ætate probitatis ac ſanctitatis argumenta dediſſet, poſtquàm ſeſe corroborauit, eodẽ illo religionis ſtudio ſic exarſit, vt ſeculo relicto, Camaldulenſibus aſcribi ſe cœnobitis voluerit. Ibi verò cùm per annos aliquot ita vixiſſet, vt nõ dubiã omnibus ſummæ temperantiæ, eximiæ caſtitatis, omniſq; demum monaſticæ moderationis opinionẽ attuliſſet, viſus eſt cœnobij præfectis idoneus, qui ſacerdotis officio, quem Capellanum appellant, monachas S. Chriſtinæ Taruiſij gubernaret. Quam curam libenter ille obedientiæ Chriſtianæ cauſa ſuſcepit, ac munus illud plurimos annos maxima cum ſui laude adminiſtrauit, vita aſſiduè in ieiunijs, vigilijs, diuinis precationibus, corporis afflictionibus, & manuum operibus ſine vlla omninò hominum obtrectatione, aut virginum ipſarũ querela traducta.

Iunij 11. *Pariſij patria.* *Fit monachus Camaldulen.* *Præficitur monachabus.*

Quin etiam in eo officio iam effœtis corporis viribus, vt qui annos circiter centum ſexdecim ageret, expirauit, cùm annus ſalutis ageretur milleſimus ducẽteſimus ſexageſimusſeptimus, tertio Idus Iunias. Cæterùm cùm & viuens & mortuus, aliquot miraculis editis, hominum in ſe oculos conuertiſſet, Albertus Epiſcopus Taruiſinus, homo grauiſſimus, faciendum ſibi eſſe putauit, vt vitam eius, certis adhibitis de more Eccleſiæ teſtibus, exploraret: atque conſtanti eorum teſtimonio cognitum eſt, ſuperiorem omnem longiſſimæ illius vitæ conſuetudinem morti ſanctiſſimè obitæ, & multis ſignis illuſtratæ, facilimè reſpondiſſe.

Valdè grandæuus decedit.

VITA SANCTI HONOFRII EREMITÆ ET ALIORVM PATRVM, QVOS EGO PAPHNVTIVS ANA*choreta, Dei prouidentia, vt cognoſcerem, dignus fui habitus, & quorum audeo pijs ac religioſis fratribus narrare hiſtoriam. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

QVODAM die ſtudium adhibui, vt in interiorem venirẽ ſolitudinem, & viderem an eſſet vllus alius frater monachus, qui interiùs meo ſeruiret Domino. Cumq; ſurrexiſſem, profectus ſum iter quatuor dierum in interiorem ſolitudinem, licèt nec panem interim comediſſem, neq; vinum aut aquam bibiſſem. Quarto autem die, cùm perueniſſem ad antrum venerabile, manſi hora vna pulſans oſtium, ſperans fore, vt pro more egrederetur aliquis ex fratribus, & me ipſe ſalutaret. Cùm verò pulsâſſem, & nemo reſpondiſſet, aperui oſtium, & ingreſſus ſum clamans, Benedic. Cumq; vidiſſem quendam ſedentem, tetigi eius humerum: fuitque tanquam lanugo. Cumque reliquum corporis contrectâſſem, inueni eum iam longo tempore mortuum. Vidi verò pendens quoque colobium. Cumq; ego id tetigiſſem, euaſit non ſecùs ac puluis in manu mea, adeò vt ego ſtatim me veſte propria exuerim, & mortui corpus contexerim, promptoque & alacri animo proprijs manibus effoſſa terra arenoſa, eius depoſuerim reliquias cum precibus & multis lachrymis.

11. Iunij. Cap. 1. *Res admiratione digna in extincto corpore.*

Illinc autem egreſſus, profectus ſum ad interiores partes ſolitudinis. Inuenio autem in altera ſpelunca veluti veſtigia hominis. Cumque cognouiſſem aliquem in ea habitare, fui parùm animo commotus. Cùm autem pulsâſſem, & nullam vocem audiſſem, ingreſſus ſum in eandem ſpeluncã. Cumq; nullum inueniſſem, ſum egreſſus, *Cap. 2.*

reputans ſeruum Dei illic ſolitum ſe exercere. Cùm autem inueniſſem propriam eius cellam, in qua ſimiliter nullus erat, perſeueraui manere toto die, cupiens ſalutare hominem, & citra vllam intermiſſionem dicens ex pſalterio. Cùm ille autem dies finiretur, vidi gregem bubalorum venientem, & fratrem ambulantem in medio eorum. Cùm verò ij prope me veniſſent, illum quidem vidi virum veſte nudum, pilis autem tectum corpore. Qui cùm perueniſſet in eum locum, in quo ſtabam, & me putâſſet eſſe ſpiritum, manſit orans. Multi enim ſpiritus in ijs locis eum tentârant, quemadmodùm ipſe poſtremò mihi narrauit. Dixi autem ei: Cur times, ſerue Ieſu Chriſti Dei noſtri? Contemplare & vide greſſus meos, vt ſcias, quòd ſum homo, ſicut tu: Palpa me, vt videas, quòd caro & ſanguis ego ſum. Ipſe autem cùm me eſſet contêplatus, & gratias egiſſet, dixit, Amen. Ego verò rogaui eum, & perſuaſi, vt me in ſuam ſpeluncam deduceret. Ille autem ex me quæſiuit, quomodò eò acceſſiſſem. Ego verò ei audacter ſcopum meum & inſtitutum expoſui, nempe quod cùm vellem cognoſcere Chriſti ſeruos, qui ſunt in ſolitudine, illuc acceſſi, nec Deus eo me fraudauit deſiderio. Tunc ex eo ſciſcitatus ſum, dicẽs: Quomodò huc veniſti? & quanto tempore habitâſti in hac ſolitudine? & quamobrem nudus incedis, nulla re tectus? Is autem hæc mihi dixit:

Monachus verſatur inter bubalos.

Cap. 3. Ego fui nuper monachus, degens in cœnobio Thebaidis, magnoque & fidenti animo operans. Statui autem egredi ex illo cœnobio, & ſolus quietè habitare in monaſterio, ſtudens maiorem inuenire mercedem. Hanc cogitationem cùm lubenter ſuſcepiſſem, ædificaui paruam cellulam, & ſolus in ea habitaui, artem exercens meis manibus. Quo factum eſt, vt multi quoque ad me accederent, iubentes mihi opus, quod meis facerem manibus. Neque verò mihi parui fructus ex ijs redibant, ex quibus, pauperibus & egentibus & hoſpitibus ſuppeditabam. Inimicus autem, qui eſt omninò bonis infeſtus, illo mihi tempore inuidens, & meum erga Deum vehementem ſcopũ & inſtitutum impedire cupiens, cùm ſubijſſet mentem cuiuſdam Monachæ, quæ apud me fuerat, iubens paruum aliquod opus, effecit, vt ea ad me rediret. Quo factum eſt, vt liberè inter nos locuti, ſimul quoque habitauerimus, & poſtremò (quod eſt grauiſſimum) iniquitatem pepererimus, & ſex menſes in peccato manſerimus. Poſteà autem cùm mihi in mentẽ veniſſet meæ vitæ finis, & æternum ac magnum iudicium, & tenebræ exteriores, & ignis, qui extingui non poteſt, conflagratio, & vermis, qui nõ poteſt ſopiri, corroſio, dixi apud me: Hei mihi, ô anima, melius eſt mihi ſurgere, & abire in ſolitudinem, & fugere à peccato. Relictisq; rebus omnibus & illa muliere, veni in hãc ſolitudinem, & inueni fontem, & hanc ſpeluncam, & hanc palmam. Ea autem mihi victum ſuppeditat. Hæc enim palma generat quotannis duodecim ſpathas, nempe ſingulis menſibus vnam. Vna autem ſpatha ſufficit mihi triginta dies. Et poſteà venit alia ſpatha. Nihil autem aliud habeo cibi in hac ſpelunca, neq; alium potum. Quin etiam veſtes meæ longo temporis ſpatio interiêrunt, & capillis capitis mei corpus tegitur cũ pudendis. Iam enim tempore triginta annorum habito in hac ſolitudine, nec vnquam ceſſauit aër mihi ſalubrem dare temperiem, neq; panem omninò guſtaui.

Inſidiatur viro ſancto diabolus.

Eſa. 66.

Cap. 4. Poſtquàm ex illo iuſto hæc audijſſem, eum interrogaui, dicens: In principio quando huc veniſti, laboraſtíne valdè, an non? Ipſe autem reſpondens mihi, dixit: Primùm quidem valdè laborabam, ô frater, adeò vt dolore cruciatus, me in terram proijcerem, vt qui in ventre maximam ſentirem moleſtiam, nec poſſem caput erigere: ob idque cogebar meam ſynaxim peragere volutatus, Deum, qui in omnibus eſt miſericors, rogans, tam propter eum, qui me tunc affligebat, dolorem, quàm pro redemptione meorum peccatorum. Cùm verò multos labores ſuſtinuiſſem quodam die dum ſederem, & graui dolore ventris vexarer intrinſecùs, vidi virum inſignem coram me ſtantem, qui me eſt allocutus, dicens: Quid habes, & quidnam tibi dolet? Statim autẽ, poſtquàm hoc ex eo audijſſem, confirmaui vires, & ei dixi: Domine, dolet mihi iecur. Is verò dixit: Oſtende mihi locum, in quo ſentis dolorem. Cùm ego autem ei iecur oſtendiſſem, ipſe manu extenſa, & mihi impoſita, & coniunctis digitis, perinde ac gladio ſcidit latus, & meum iecur eduxit, meo maximo cum dolore, & oſtendit mihi plagas, quas in eo habebam. Illud verò manu ſua eraſit, & ei pannum mundum iniecit, & iecur meũ in locum ſuum reſtituit. Cumq; totum corpus meum cõtrectâſſet benedictis ſuis manibus, lateris mei vulnus conglutinauit & dixit: Ecce ſanus factus es, noli ampliùs peccare, ne deterius tibi contingat: ſed ſerui Domino nunc, & vſq; in ſecula. Ecce autem ab illo die curata ſunt omnia mea interiora, ceſſauitq; dolor mei iecoris. Ex illo ergo tempore maneo ſine dolore, Deo benedicens, & ipſum glorificans propter ſuam in me miſericordiam.

Diuinitùs iecur eius curatur.

Ioan. 5.

Mihi

Cap. 5.

Mihi autem oſtendit vir ille inſignis pannum amomi, quem meo lateri impoſuit. Quando verò mihi Paphnutio narrauit hæc omnia, rogaui eum, vt cum ipſo manerem in ſpelunca. Ipſe autem mihi reſpondit, dicens: Non poteris, frater mi, ferre inſultus dæmonum. Poſteà verò rogaui eum, vt mihi nomen ſuum ſignificaret. Is verò mihi dixit: Nomen eſt mihi Timotheus. Memento meî, & roga pro me, frater dilecte. vt Deus in me perficiat bonum, quo ſum dignatus. Ego autem Paphnutius procidi ad eius pedes, preces ab eo poſtulans. Ipſe autem reſpondens mihi, dixit: Dominus noſter Ieſus Chriſtus benedicet te, & defendet te ab omni laqueo diaboli, & præbebit tibi vias rectas ad hoc, vt pergas ad ſanctos eius in ſecula. Benedictionem autem eius conſecutus, prompto & alacri animo cum gaudio ſum egreſſus, Deum laudās propter egregios ſermones, quos audiui à ſancto illo Timotheo. Inter ambulādum verò apud me conſiderabam, & animo valdè anxius, dicebam: Quidnam eſt mea vita, aut quodnam meum inſtitutum? Manſi autem non paucos dies hæc apud me cogitans, & huiꝰ iuſti viri Deo grata opera ſequi cupiens. Cùm verò clementis Dei mihi illuxiſſet prouidentia non abieci curam meæ vitæ, ſed excitatus, rurſus profectus ſum in interiorem ſolitudinem in via auia, vbi eſt genus eorum, qui dicūtur Mazici. Omne enim ſtudium à me in eo ponebatur, vt ſcirem, an eſſet alius Anachoreta, in interioribus partibus ſolitudinis Deo ſeruiens, vt ego quoque dignus haberer, qui id conſequerer.

Timotheus eremita.

Cap. 6.

Hoc autem iter cùm cœpiſſem ingredi, tuli mecum paucos panes, & aquæ modicum. Quæ quidem mihi ſuffecerunt vſq; ad quatuor dies. Cùm ij autē præterijſſent, & expletū eſſet quod manducarem, affligebar adductus in magnas de victu anguſtias. Statim verò ſumptis viribus. & mortē habens ante oculos, ea cura dimiſſa, alios quatuor dies & noctes ſum profectus, cùm nec panem aut aquam guſtâſſem: adeò vt rurſus cùm mihi deeſſet cibus, valdè laborarē, & me humi abijciens, mortem expectarē. Tunc vidi virum inſignem venientem, & manum ſuam labris meis imponentem, nō ſecus atque medicus ſcalpellū oculo, & protinùs rurſus ſumpſi vires, adeò vt neq; famē, neque ſitim ſentirē. Cùm magnam autem & terribilem vidiſſem viſionem, ſurgens rurſus prompto & alacri animo, profectus ſum in interiorem ſolitudinem alios quatuor dies & noctes. Defeſſus verò & extenſis in cęlum manibꝰ, Deum oraui. Cumque rurſus virum illum vidiſſem ad me venientem, accepi ab eo magnas vires. Cumque ſeptendecim dierum itineri finem (vt ſemel dicam) impoſuiſſem, vidi procùl virum venientem adſpectu admodùm terribilem, hirſutum pilis, eiſque tectum toto corpore, non ſecùs ac feram terribilem. Erat enim veſte nudus, lumboſq; cinctos habebat folijs herbarum. Cùm is autem prope me acceſſiſſet, territus aſſcendi ſupra cacumen montis valdè excelſum. Timui enim, exiſtimans eſſe homicidam. Ipſe verò cùm veniſſet ad radices illius montis, abiecit ſe in vmbram. Affligebatur enim propter anguſtias ſenectutis & nutrimenti, ardoremq; & laborem, quem ſuſtinebat in illa ſolitudine. Cumq; ſuſpexiſſet & me vidiſſet, clamauit dicens: Deſcende ad me vir ſanctiſſime. Nam ego quoq; homo ſum, habitans in hac ſolitudine. Ego autem his auditis, protinus deſcendens, me humi abieci ad illius pedes. Is verò dixit mihi: Surge, fili mi: nam tu quoque es ſeruus Dei, & amicus ſanctorum. Surgenſq; dignus ſum habitus, qui ſederem ex aduerſo eius.

Paphnutius multa afficitur inedia, ſed diuinitùs confortatur.

Honofrij forma terribilis ꝓpter vitæ aſperitatem.

Cap. 7.

Sæpè autem rogaui, vt mihi diceret nomen ſuum. Is verò mihi dixit: Eſt mihi nomē Honofrius. Sexageſimus iam annus agitur, ex quo habito in hac ſolitudine, ambulans in montibus huius ſolitudinis: quo tempore nullum omninò hominem vidi, qui in carne cognoſceretur, te ſolo excepto. Habitaui autem anteà in ſancto monaſterio, quod nomine appellatur Eriti Hemepolitani Thebanorum regionis, quod è fratribꝰ impletur numero centum, qui eiuſdem ſunt fidei & animi: & omnes communiter comedunt in charitate & multitudine pacis Domini noſtri Ieſu Chriſti. & in magno ſilētio quieteq; ſe exercent, & glorificant eius bonitatem. Cùm ergo in iuuenili ætate illic degerem & erudirer. Deiq; amorem à ſanctis patribus, puramq; ac ſynceram fidē docerer & regulam pietatis, audiui ſanctos patres dicentes de admirabili pioq; & religioſo patre noſtro Elia, quemadmodùm ei fuerunt vires à Deo confirmatæ per tolerantiam & patientiam eorum, quæ ſuſtinuit in deſerto: & rurſus de Iohanne Baptiſta & præcurſore, cui nullus par fuit ex hominibus, & de ijs, quæ paſſus eſt in ſolitudine vſque ad diem, quo reuelatus eſt Iſraëli.

Sexaginta annis nullũ vidit hominem.

Cap. 8.

Rogaui autem ſanctos patres, dicens: Quid ergo? qui habitant in ſolitudine, ſunt vobis maiores apud Deum? Ipſi verò reſpondentes mihi dixerunt: Sunt nobis maiores, fili. Nam nos quidem alter alterum videmus quotidiè, & noſtras ſynaxes commu

Eremitę antecellũt cœnobitas.

niter celebramus cum gaudio,& quando eſurimus,cibum paratum inuenimus.Similiter etiam ſi ſitierimus,habemus aquam:& ſi contigerit aliquem noſtrûm eſſe imbecillum,alij eum conſolantur,propterea quòd viuamus communiter.Quòd ſi etiam eſculentum aliquod deſiderauerimus,hoc inter nos cōmunicamus propter Dei charitatem.Qui autem habitant in ſolitudine, ſunt remoti ab his omnibus. Vndenàm enim hæc eis ſuppeterent? Quòd ſi eos aliquando inuaſerit afflictio, vel bellum ex laqueo aduerſarij,vbi inuenient hominem, qui mutare poſſit mentem, aut conſolari? Quin etiam ſi deſit eis cibus,non eſt facilè eum conſequi.Similiter ſi inuadat ſitis, eis aqua non adeſt.Ibi autem,ô frater,maximè laborant,qui ſunt huiuſmodi,quando ſtatuunt ſolitudinem occupare ad habitandum, & magis amplectuntur ſeruitutem in Deum,& ſe tradunt exercitationi,famem & ſitim parati ſuſtinere, & occulta bella eius,qui eſt bonis infeſtus,contendentes vincere, & omnem viam arctam in Domino perſequentes,vt nequaquàm ſuperentur ab inſania aduerſarij.Is enim ſemper ſtudet, impedimentū afferre ijs,qui talia deſiderant,& eos tentare,vt bonū ſcopum retardet, ne permaneant in exercitatione,& conſequantur Dei munificentiam, quando excedunt è corpore:quandoquidem ad eos,qui ſuſtinent in exercitatione, peruenit bona Domini noſtri miſericordia,ad ea remuneranda,quæ propter eum ſuſtinuerunt. His verò ab eius ſanctis Angelis,qui ad ipſos mittuntur,nutrimentum ſuppeditatur, & aqua ex petra,ſicut docet Eſaias Propheta,quòd qui ſperant in Domino,mutabunt fortitudinem:aſſument pennas,ſicut aquilæ:current,& non laborabunt:ambulabunt,& non deficient. Et rurſus dicit: Si ſitierint,afferte eis aquam ex petra. Fiuntque eis herbæ,quæ ſunt in ſolitudine,dulce in ore plùs quàm mel. Quòd ſi eis quoque laborē exoriri contigerit,aut bellum aduerſarij,dum ſurgunt ea hora,qua extendentes manus accedunt ad Dominum,ſtatim eis deſuper ab ipſo mittitur auxilium: diſpergunturq; ab eis omnes tentationes propter ipſorum in eum rectitudinem & cor purum. Non audita ſunt à te,ô fili, ea, quæ feruntur in ſcriptura, nempe quòd Deus non derelinquit pauperem in ſeculum? Patientia pauperum non peribit in finem? Et rurſus dicit: Exaudiet eos Dominus,& liberabit eos ab afflictione ipſorum. Dat enim Dominus vnicuique ſecundùm laborem,quem propter ipſum ſuſtinuit.Beatus eſt ergo qui facit Dei voluntatem ſuper terram.Angeli miniſtrant ei,& faciunt eum exultare, & ei vires addunt ſingulis horis,dum eſt in carne.

Dæmon infeſtus monachis. *Eſa.40.* *Eſa.48.* *Pſalm.9.* *Pſal.106.*

Cap 9. Cùm autē à ſanctis patribus,qui erant in monaſterio,hæc didiciſſem ego minimus Honofrius,tanquam melle ſuauiſſimo,& anima & corde repletus, magnam in me ſenſi correctionem,adeò vt ab ijs,quæ audiui, perinde ac ſi fuiſſem in alio mundo, mea mutata ſit cogitatio,promptoque & alacri animo noctù ſurgens, accepi paucos panes,qui mihi ſatis erārad alimentum vſq; ad quatuor dies.Studebam enim cognoſcere,deductus à Dei prouidentia, vbinàm me vellet habitare. E monaſterio autem egrediens illa nocte,veni in viam montis, volens ingredi in ſolitudinem. Animaduerti verò lucem,quæ erat ante me.Cumque eam vidiſſem,valdè ſum perterritus,adeò vt conſilium ceperim de reuertendo ad locū,in quo eram priùs,& de in eo habitādo,vt priùs.Sed hoc mihi fuit argumentum maioris profectûs in Domino.Ecce enim cùm ego fuiſſem territus,inſignis ille,quicunq; is eſſet,id ſciens, eſt ad me conuerſus, & mihi appropinquans,dixit: Ne timeas,ego ſum Angelus, qui tecum ambulo à tua ineunte ætate.Hoc enim conſilium & hæc diſpēſatio, propter quam voluit Deus me tecum habitare,nunc tibi perficitur.Cùm hæc autem mihi dixiſſet, mecum ambulauit,& venit in ſolitudinem circa ſex vel ſeptem milliaria. Cùm verò ſpelūcam vidiſſem venerabilem,acceſſi prope eam,volens ſcire,an homo in ea habitaret. Cumque perueniſſem ad oſtium,clamaui:Benedic,Domine:id dicēs pro more fratrum Chriſti amantium. Vidi autem ſenē virū ſanctiſſimum,forma verò admodum ſpecioſum & vultu magna plenum gratia.Cùm eū autem vidiſſem,me ad eius pedes ſtatim proieci in terram,& eum ſum veneratus.Ipſe verò me manu erigens: Tu es, inquit, frater Honofrius,qui es meus in Domino cooperator.Ingredere, fili: Deus tibi opem feret,perſeueretq;,vt es vocatus,bona implens opera in eius timore.Ingreſſus autem ſedi cum eo paucos dies,ſtudens ex eo diſcere ſanctum opus,quod etiam accidit. Me enim docuit inſtituta vitæ Eremitarum. Cùm ipſe autem cognouiſſet illum inaſſueſſe meum ſpiritum ad diſcendū opus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & reſiſtendum occultis bellis aduerſarij,& metū,quem habet ſolitudo,dicit mihi: Surge, fili, & abducam te in alteram ſpeluncam in interiori ſolitudine,vt tu in ea ſolus habites, & laborem ſuſtineas.Ideo enim te miſit Dominus & hoc conſilio,vt tu in interiori habires ſoli.

Angelus Domini cōfirmat Honofrium. *Honofrius inuenit ſenē eremitā.*

ſolitudine. Cùm hæc autem mihi conſuluiſſet, mecum in interiorem profectus eſt ſolitudinem, quatuor dies & totidem noctes. Poſteà verò deuenimus in quoddam paruum tugurium, vbi propè erat palma. Tunc autẽ mihi dixit vir ſanctiſſimus: Hic eſt locus, qui Dei prouidentia eſt tibi paratus ad habitandum. In eo ergo manſit mecum triginta dies, me pulchra docens opera. Et poſt triginta dies vale dicens, receſſit à me: & ex illo tempore ſemel tantùm ſingulis annis conueniebamus vſque ad illum diem, quo exceſſit è corpore. Cùm eum autem mortuũ offendiſſem, depoſui eius reliquias prope meam habitationem.

Poſtquàm hæc omnia mihi narrauit, rogaui eum quoq; ego minimus Paphnutius, dicens: Bone pater, multum ne laborem ſuſtinuiſti, quando primùm veniſti in hanc ſolitudinem? Dicit autem mihi beatus ſenex: Crede, dilecte frater, tantum laborem ſuſtinui, vt meî ſæpè ſpem omnem abijcerem vſq; ad mortem, fame & ſiti mihi imminentibus, & ſimul etiam igne ſolis in die, & frigore aëris noctu, madefactaq; fuit mihi caro à rore cæli. Cùm verò bonus Deus vidiſſet hæc me ſuſtinuiſſe, & certamen ieiunij, & quòd dediſſem animam meam exercitationi, iuſſit ſanctum ſuum Angelum mihi prouidere, & ad me afferre alimentum quotidianum, & modicum aquæ ad meum corpus confirmandum: & hæc palma mihi quotannis producit duodecim ſpathas, adeò vt ſit vna ſingulis menſibus. His ego cùm veſcerer cum herbis ſolitudinis, fuerunt mihi per Dei prouidentiam, melle dulciora. Scriptum eſt enim: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod proficiſcitur ex ore Dei. Si ergo, ô frater Paphnuti, feceris voluntatem Domini noſtri, ab eo tibi prouidebitur. Dicit enim in ſancto ſuo Euangelio: Nolite eſſe ſoliciti, quid comedatis aut bibatis. Dominus enim & pater veſter, qui eſt in cælis, nouit quonam opùs habeatis. Petite ergo primùm regnum eius & iuſtitiam, & hæc omnia adijcientur vobis.

Cap. 10. *Vide quãtas afflictiones paſſus ſit ſanctus iſte.* *Deut. 8.* *Matt. 6.*

Hęc cùm mihi expoſuiſſet ſanctiſſimus pater Honofrius ſub cacumine montis, vbi ei factus ſub obuiàm, repletus omni gaudio, oblitus ſum omnium laborum, qui mihi acciderant in itinere, dum ambularem in montibus ſolitudinis, famem & ſitim nihil omninò apud me reputãs. Cumq; vires ſumpſiſſem & ſpiritu & corpore, & eſſem exultatione repletus, ei dixi: Sum beatus, qui dignus ſum habit⁹, vt te viderem, Pater ſanctiſſime, & audirem tuos pulchros & iucundiſſimos ſermones, qui me nullo non affecere beneficio. Ipſe autem reſpondens mihi dixit: Surge modò, ô frater, & ſimul recedamus. Non ceſſabam autem, tanquam rem nouam & inauditam, admirari gratiam ſancti patris Honofrij. Deinde cùm proceſſiſſemus duo aut tria milliaria, peruenimus ad tugurium maximè venerandum, prope quod ſtabat palma. Ipſe verò cùm ad locũ acceſſiſſet, mecum eſt precatus. Impletis autem precibus, dixit, Amen. Poſteà verò ſedentes manſimus exponentes inter nos inuicèm bona Domini. Cùm autem occidente iam ſole dies deſineret, hæc vidi in medio tugurij, iacentem panem, & parum aquę. Dixit verò mihi vir ille beatus: Surge fili, ſume parum panis & aquæ, qui ſunt ante te. Video enim te adductum eſſe in periculum ex fame & ſiti, & labore itineris. Ego autẽ dixi ei: Viuit Saluator meus Dominus, non comedam nec bibam, niſi manus noſtras relaxemus, & edamus communiter. Eum ergo valdè rogaui, & vix potui perſuadere, vt manum immitteret, & pane fracto mecum veſceretur, donec eſſet ſatiatus. Ex illo autem pane nobis ſuperfuit. Manſimus verò tota illa nocte orantes.

Cap. 11.

Dum eſſet autem manè, vidi ipſum poſt matutinas preces mutâſſe faciei adſpectum & colorem, & fui conterritus. Ipſe autem cùm hoc cognouiſſet, me eſt allocut⁹, dicẽs: Ne timeas, frater Paphnuti. Deus enim, q eſt in omnib⁹ miſericors, te ad me miſit, vt curã geras ſepulturæ mearum reliquiarum. Ecce enim hodierno die perficio meam adminiſtrationem, & abeo in requiem meam vſque in ſeculum. Erat autem dies ſextus quidem decimus Pauen, nonus autem Iunij menſis apud Romanos. Mihi autem hoc quoque præcepit: Si in Aegyptum exieris, frater Paphnuti, annuncia meî memoriam, ad thymiama ei præbendum in medio fratrum, & omnium Chriſtianorum. Si quis. n. oblationẽ in nomine meo, & in meî memoriam obtulerit Domino Deo noſtro in omni loco, feret ipſum Dominus in primam horam annorum meorum. Hæc eſt enim petitio mea, quam ab ipſo petiui. Et ſi quis fratrem pauperem nutrierit in nomine meo, meminero eius, vt dignum eum cenſeat Dominus, qui veniat in primam horam meorum annorum. Reſpondi verò ei, & dixi: Si quis autem ſit pauper, qui non poſſit offerre aliquid, aut nutrire pauperem in tuî memoriã, non veniet is in primam horam annorum tuorum? Is autem dixit: Modicum thymiamatis in nomine meo in odorẽ ſuauitatis ſi Domino obtulerit, dignus habebitur ſimili lætitia.

Cap. 12. *Prædicit obitum ſuũ.* *His verbis celerẽ ad futuri ſeculi felicitatem aduentum innuit.*

Auſus

Auſus ſum autem hoc quoque ei dicere: Si quis autem non inuenerit thymiama, ſicut tu degens in ſolitudine, aut ei nequaquàm ſuppetierit ad offerendum, non feretur in primam horam mille annorum? an potiùs, ô pater, ad nos peruenient preces tuæ iuſtitiæ? Si quid enim à Domino petieris, dabit tibi: neque tua tardiùs veniet petitio, propter tuam impigram ſeruitutem, quam ſexaginta annos ſuſtinuiſti, quibus fuiſti in hac ſolitudine expectans Dominum. Ipſe autem reſpondens, dixit mihi: Si quis eſt pauper habitãs in ſolitudine, & non poteſt offerre oblationem, aut mittere thymiama, is verò ſurgens dixerit, Pater noſter qui es in cælis, & reliqua vſque ad Amen in nomine meo Domino obtulerit, rogabo eum, vt dignus habeatur, qui in prima hora mille annorum cum omnibus iuſtis mercedem conſequatur. Ego autem rurſus ei dixi: Bone pater, ſi ſum dignus, cupio habitare in hoc loco, poſtquàm tu è corpore exceſſeris. Is verò dixit mihi: Fili, non veniſti ad hanc adminiſtrationem: ſed Deus te miſit, vt recrees ſuos ſanctos, qui habitant in ſolitudine, & annuncies bonum odorem eorum vitæ in medio fratrum. Abi ergo fili in Aegyptum, & perſeuera in bonis operibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, prædicans omnibus ea, quæ vidiſti in ſolitudine.

Cap. 13. Hæc cùm dixiſſet venerandus ſenex Honofrius, humi procidi ad eius pedes, dicẽs: Benedic igitur mihi pater, vt inueniam coram Deo miſericordiam, & ſicuti dignum me cenſuit in hoc mundo Saluator noſter, vt te venerarer, rurſus quoque iubeat, vt in futurum ſeculum eo dignus habear. Ipſe autem mihi dixit: Fili Paphnuti, Quòd attinet ad ea, quæ petis, Dominus nequaquàm te afficiet moleſtia: Tibi verò benedicet, & tuam confirmabit charitatem, & illuminabit tuos oculos ad eius diuinitatem, & te liberabit ab omni caſu & vinculis aduerſarij, & in te perficiet opus, quod es aggreſſus. Protegent te oculi eius, & cuſtodient ab inſidijs inimici, nihilque inuenient, in quo te poſſint accuſare in hora terribili, in qua es apud Deum ſiſtẽdus, & cauſam tuam defenſurus. Poſt hæc autem ſurgens, orauit Deum cum lachrymis & multis gemitibus: & paulopòſt cùm ea ipſa hora ſe humi deieciſſet, cõſummatus eſt in Domino, in eius manus tradito ſpiritu cum lætitia. Statim verò audiui vocem Angelorum, Deum magna voce laudantium ante animam beati & ſanctiſſimi Honofrij: eratq; magnum gaudiũ ea hora, qua is ad Deum venit. Ego autem cùm me exuiſſem eo, quod geſtabam, lebitonario, & eius tranſuerſa ſoluiſſem, ea in duo diuiſi: & cùm dimidio quidem eius corpus inuoluiſſem, pro more iuſtorum, quæ mortuis peraguntur, contexi. Alterum autem geſtaui dimidium, ne ego manerem nudus. Et cùm petram inueniſſem concauam, tanquam in ciſterna corpus eius illic depoſui, multiſque collectis lapidibus contexi reliquias. Surgens autem, oraui vt illic manerem. Statim verò vidi collapſum tugurium, & palmam, qua nutriebatur, ipſam quoque cecidiſſe ſimiliter. Quod cùm vidiſſem tã citò accidiſſe, & ex eo cognouiſſem non eſſe Dei voluntatem, vt in illo loco habitarem, comedi panis id, quod ſuperfuit, & aquam bibi ſimiliter.

S. Honofrius excedit è vita.

Cap. 14. Rurſus autem extenſis in cælos manibus oraui, & vidi virum illum ad me venientem eo modo, quo vidi ambulans in ſolitudine. Qui mihi vires addens, ambulabat ante me. Cùm illinc autem eſſem egreſſus, & affligerer propter beatum patrẽ Honofriũ, rurſus animo meo exortum eſt gaudium, quòd dignus ſim habitus, qui eius ſanctô ore benedicerer. Cumq; quatuor dierum ſpatio ambulâſſem, acceſſi ad quandam cellam, quę in alto fuerat ędificata. Quam ingreſſus, neminem inueni. Sedi autem parumper, cogitans & dicens apud me: Eſtne aliquis habitans in hac ſpelunca, in quam me deduxit Deus? Hæc cùm apud me cogitarẽ, ingreſſus eſt vir ſanctus canis plenus, ſpecie admirandus & decorus, ex palmis contexto indumento veſtitus, & ſuum corpus contegens. Ipſe autem cùm me vidiſſet, ſtatim eſt allocutus, dicens: Tu es frater Paphnutius, qui contexiſti corpus ſancti patris Honofrij. Cùm ergo cognouiſſem eum in viſionẽ didiciſſe, quod factum fuerat, ſtatim ei procidi ad pedes. Ipſe verò me conſolatus dixit mihi: Surge frater, Deus te dignum cẽſuit, vt eſſes amicus ſanctorum eiꝰ famulorum. Iam enim didici ab eius prouidentia tuum futurum hodiè ad me aduentum. Tibi autẽ aperiam, frater dilecte, quòd ſexaginta annos habitaui in hac ſolitudine: Nõ vidi hominem, qui ad me venerit, niſi eos ſolos fratres, qui hîc mecum habitant. Interim autem dum nos loqueremur, ingreſſi ſunt tres alij, tanquam ſancti, ſenes patres in illam cellam. Qui me alloquentes, ſtatim dixerunt: Benedic frater: Tu es frater Paphnutius, noſter in Domino cooperator. Tu es, qui texiſti corpus ſancti Honofrij. Gaude frater, es enim dignatus magnam virtutem cognoſcere. Videns autem Dominus, nobis ſignificauit, fore vt hodie ad nos venias: iuſſitq;, vt eſſes nobiſcum vnum diem. Iam enim ſexaginta annos habitamus in hac ſolitudine, neque vidimus hominem præter te ſolum.

Sanctum quendam ſenem eremitã videt Paphnutius.

Item tres alios.

lum. Cùm verò nôs colloqueremur de patre Honofrio & alijs ſanctis, poſt duas horas dixerunt mihi: Surge frater, veſcere modico pane, & confirma cor tuum, quãdoquidem veniſti è longinquo, & cupis nobiſcum collætari.

Cap. 15. Poſtquàm ergo me fecerunt ſurgere, vnanimes Deum precati ſumus, & ecce vidimus ante nos quinq; panes leues, & admodùm pulchros & delicatos, tãtummodò coctos. Ipſi quoq; attulerunt aliquid aliud eſculentum, quod quidem ſumpſimus cum panibus, omneſq; ſedimus & ſimul comedimus. Ipſi autem rurſus mihi dixerunt: Ecce, vt iam tibi diximus anteà, cùm ſexaginta annis habitauerimus in hac ſolitudine, quatuor panes Dei iuſſu ad nos è cælo quotidiè deferuntur: Nunc autẽ cùm tu ad nos veneris, ecce panum numerus pro te quoq; eſt ad nos miſſus: neq; ſcimus vndenã afferantur, ſed quotidiè ſpeluncam ingredientes, inuenimus eos per ſe paratos. Poſtquàm verò nos ſimul guſtauimus, tota illa nocte fecimus orationes: & magnã ſynaxim celebrauimus: Erat enim ſanctus dies Dominicæ. Cùm eſſet autem manè, rogaui ipſos, vt manerẽ cum eis in ſpelunca vſq; ad diem vltimum. Ipſi verò reſpondentes mihi dixerunt: Non eſt voluntas Dei, vt tu habites in hac ſolitudine: ſed ſurge, & vade in Aegyptũ, & narra fratribus Chriſti amantibus omnia, quæcunq; vidiſti ad noſtri memoriam, & ad lucrum & vtilitatem eorum, qui audiunt. Cùm ij hæc dixiſſent, eos valdè rogaui, vt ſua nomina mihi ſignificarent. Ipſi autẽ non ſunt paſſi hoc mihi dicere. Sæpe ergo hoc ab eis vehemẽter petij. Cumq; vehemẽter laboráſſem, non potui hoc eis perſuadere: ſed reſpondentes mihi dixerunt: Is ſcit, qui omnium nouit nomina. Memento autem noſtrî, frater, vt digni ſimus, qui nos inuicẽm videamus in domo Dei. Stude ergo, dilecte fili, fugere mundi tentationes, ne ab eis illudaris, quandoquidem multos ſunt ludificatæ. Cùm hæc autem ex eis audiuiſſem, procidi ad eorum pedes. Qui cùm mihi benedixiſſent, ab eis abij in pace Dei. Prædixerunt autem mihi quædã alia, quæ mihi acciderunt.

Panes diuinitùs dãtur ſanctis viris

Cap. 16. Cùm autem ab eis abijſſem, ambulaui vno die per interiorem ſolitudinem. Cumq; veniſſem ad ſpeluncam fontis aquæ, illic ſedi, vt parumper requieſcerem à labore itineris. Erat autem locus ad id aptus, vt qui circa illum fontem multas haberet arbores plenas fructibus. Cùm verò parùm quieuiſſem, & ſurrexiſſem, circuiui in medio arborum, admirans ipſorum fructuum multitudinem, & cogitans apud me, quiſnam eſſet is, qui illo loco plantauerat. Erant autem fructus illarum arborum multæ palmæ, citri, punica, ſycamina, zizipha, & vites, aliæ quoq; amœnæ arbores & frugiferæ, quarũ guſtus eſt melle dulcior. His accedebant myrti quoque, & aliæ variæ arbores in medio earum, quæ illic ſitæ erant, ſuauem odorem emittentes. Ille quoque fons ex ſe ſcatẽs, & omnes illas arbores irrigans, adeò vt exiſtimarem eum eſſe Dei paradiſum. Cùm ergò illud admirarer ſpectaculum, vidi quatuor adoleſcentes hilares & valdè ſpecioſos ad me procùl venientes, ſuccinctos pellibus ouium. Qui cùm appropinquâſſent, dixerunt: Salue frater Paphnuti. Ego autem protinùs humi cecidi in faciem, & eos veneratus ſum. Qui cùm me erexiſſent, mecum ſederunt, & locuti ſumus inter nos. Erãt verò tanta gloria inſignes, vt ego exiſtimarem eos eſſe Angelos, & deſcendiſſe de cælo. Mecum autem magna ſunt affecti lætitia, & collectos fructus ex illis arboribus mihi dederunt ad veſcendum, & lætatum eſt cor meum, eò quòd ego ab eis diligerer. Mãſique apud illos ſeptem dies, veſcens fructibus illarum arborum.

Quatuor adoleſcentes eremitæ.

Cap. 17. Rogaui autem eos: Quomodò huc veniſtis, & vnde eſtis? Ipſi verò reſpondentes mihi dixerunt: Frater, quandoquidem Deus te miſit ad nos, omnem noſtram tibi vitam narrabimus. Nos ſumus ex ciuitate quæ dicitur Oxyrrynchos: Noſtri verò parentes, ſunt ſenatores illius ciuitatis. Cùm autem in illorum literis ab eis inſtitueremur, vni ſcholæ traditi, literas quidem pedeſtres didicimus. Cùm verò etiam ſuperiorem inchoâſſemus doctrinam, in vnam conuenimus ſententiam, Deo nobis opem ferente ad id, quod eſt melius, & ſtatuimus eius quoque diſcere ſapientiã. Ex illo ergo tempore nos quotidiè mutuò excitantes ad animi alacritatem, & bonum ſcopum habentes in noſtris cordibus, ſtudenteſque locum inuenire, & paucos dies quieſcere, donec ſciremus Dei de nobis prouidentiam, acceptis nobiſcum paucis panibus, & modico aquæ ad noſtrum cibum & potum vſque ad ſeptem dies, receſſimus. Cùm verò peruenissemus intra ſolitudinem, fuimus in ecſtaſi, & vidimus ante nos virum gloria inſignem, qui nos appræhenſos manibus deduxit in hunc locum, & nos tradidit viro valdè prouectæ ætatis, qui Deo ſeruiebat. Ecce autem hîc iam habitauimus ſex annos, manſimus verò cum eo vſque ad vnum annum, ab illo docti quemadmodum Domino ſeruiremus. Impleto autem illo anno, conſummatus eſt hic pater, & ex illo

tem-

tempore hîc ſoli ſumus. Ecce autem, frater dilecte, nos tibi confitemur. Spatiò ſex annorum, vt diximus, in hoc loco degimus. Panem non guſtauimus, nec alium cibum ſumpſimus, niſi ſolummodò de fructibus harum arborum. Singulis verò hebdomadis ſemel tantùm nos videmus inuicèm. In hoc enim loco inuenimur, & nobis inuicèm occurrimus ſabbato & ſancta Dominica. Poſt hos autem duos dies vnuſquiſque noſtrûm venit in locum proprium, & apud ſe degit. Ipſi verò rurſus fructus attulerunt, & communiter cibum ſumpſimus. Cumque poſteà egreſſi fuiſſemus, ſimul proceſſimus circiter quinq; milliaria per ſolitudinem. Cùm autem eis vale dicerem, rogaui eos vt dicerent mihi ſua nomina. Et primus quidem dixit, Iohannes: Secundus autem, Andreas: Tertius verò, Heraclambon: Quartus, Theophilus: præcipientes mihi dicere nomina ſua fratribus ad ſuî memoriam. Ego verò eos rogaui, vt meî meminiſſent.

Panē ſancti iuuenes nō guſtabant, ſed fructib' duntaxàt arborum veſcebātur.

Cap.11.

Cùm autem ab eis diſceſſiſſem, & non viderem eos ampliùs, ambulaui triſtis, recordans & ea admirans, quæ vidi meis oculis. Rurſus verò apud me magnam capiebam lætitiam, admirans & recordans earum, quas conſecutus fui, benedictionum à ſanctis Eremitis & ſancto Angelo. Cùm autē veniſſem in Aegyptum itinere trium dierum, inter ambulandum inueni duos fratres Deum timentes. Apud ipſos autem quieui ad decem dies, annuncians eis illa, quæ vidi, & ea, quæ mihi acciderunt. Ipſi verò mihi reſpondentes, dixerunt cum omni gaudio: Verè, frater Paphnuti, magnam gratiam es conſecutus, qui dignus es habitus, vt videres magnos & perfectos Dei ſeruos. Ipſi autē fratres benigni & clementes, diligebant Deum ex tota anima. Nominatur autem locus eorum Scites. Cùm verò audiuiſſent ea, quæ ego illis narraui, ea diligenter cōſcripſerunt, & celeriter currentes, obiêrunt totam Scitem, ferentes librum, quem conſcripſerunt ex mea narratione. Et poſtquàm ea legiſſent ſanctis patribus, acceperunt eum in eccleſiam, quem quidem illic reliquerunt ad lucrum & lætitiam ijs, qui credūt & ea audiunt. Nam qua hora voluerint hæc meditari, magis benedicunt Deum & ſanctos eius, pleni letitia & exultatione, cùm hi ſermones ſint pleni contemplatione, quā ego minimus ſeruus Paphnutius, Dei prouidentia dignatus ſum aſſequi. Sit autē gratia & pax Domini noſtri Ieſu Chriſti nobiſcum, interceſſionibus ſanctorum patrum, qui ei placuerunt, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.

Habetur in fine ſermonum eius, nuper in lucem edita ex bibliotheca Cluniacēſi. Iunij 12.

VITA SANCTORVM MARTYRVM NAZARII ET CELSI, PER D. AMBROSIVM EPISCOPVM *Mediolanenſem ſcripta.*

ETIAMSI martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, proprijs conſulere vtilitatibus & cōmodis probaremur. Noſtros enim eos fides faceret, & remotis quamlibet finibus, ſperata nobis patrocinia corrogarent. ſtudiorum ſiquidem ſunt huiuſmodi ſuffragia, non locorum. Proinde apud domeſticos Dei tantum interceſſionis promerueris, quantum venerationis impēderis. Oportet itaque vt alienos potiùs nobis deuotio religioſa conciliet, quàm fortè proprios à nobis negligentia irreligioſi temporis alienet.

Agnoſcamus, chariſſimi, circa eccleſiam noſtram vberiorem diuinorum munerum largitatem. Exultant felices ſingularum vrbium populi, ſi vnius ſaltem martyris reliquijs muniantur. Ecce nos populos martyrum poſſidemus. Gaudeat terra noſtra nutrix cæleſtium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Rectè itaque & ex debito à filijs parentis eccleſiæ horum beatorum martyrum celebrantur inſignia: Qui illuminantes virtute fidei ſuæ innumerabiles populos, ſoli quidem illatam ſibi ſenſêre mortem, ſed non ſoli mortis ſuæ beneficia poſſederunt. Immenſa enim Dei noſtri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore precioſam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis proſpicit. Illorum ſiquidem merita, noſtra vult eſſe ſuffragia. Simulque dum nobis fidem veram duro martyrij agone commendat, afflictionem præcedentium, inſtructionem efficit poſterorum.

Nota priſcorum Chriſtianorum erga ſacras reliquias deuotionem.

Quanta

Quanta eſt circa nos Dei noſtri ſolicitudo? Illos examinat, vt nos erudiat. Illos conterit, vt nos acquirat: eorumq; cruciatus, noſtros vult eſſe profectus. Meritò ergo eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris vtilitatibus militant: qui per lucis vitæq; contemptum edocent nos, quantum Deo noſtro debeamus affectum. Nouerimus itaque, quia non ſine magno diſcrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorũ ſanguine confirmatam videmus. Magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt martyrum vulnera, veterem fidem quaſi nouellã diſcutere præſumas, & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas, & poſt morientium ſudores ocioſa diſputatione contendas. Congratulamur ergo, dilectiſſimi fratres, magnæ fidei veſtræ, per quam dum exules proflua charitate ſuſcipitis, etiam incolas paradiſi & cæli ciues habere meruiſtis.

Meritò colimus Sanctos.

Obſerua hæc.

Beatum itaq; Nazarium martyrem Chriſti ſancta Mediolanenſis eccleſia licèt totum corpore ſecum retineat, & mundo tamen totum in benedictione tranſmittit. Hæc eſt enim ſanctorum martyrum gloria, quorum etſi per vniuerſum mundum ſeminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Chriſti milite fidem noſtram: mater nanq; martyrij, fides catholica eſt, in qua iſte illuſtris athleta ſanguine fuſo mortẽ pro ipſa calcauit: mater, inquã, martyrij fides eſt. Veneramur ergo in ſanctorum martyrum gloria fidem noſtram. Quomodò fidem noſtram? Ab iſtis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, ſpes immortalitatis euidenter aſſeritur. Nunquam enim hanc vitam tam conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione ſentirent. In ſanctis itaq; præconibus veritatis reſurrectionis authoritas eſt. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per anguſtias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

Vnde & beatus Nazarius, cuius hodiè glorioſam de mundi hoſte victoriam vniuerſalis Eccleſia feſta exultatione concelebrat, cùm tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus exiſteret, ſacrilegi adhuc puer genitoris militiam ſimul & doctrinam deteſtari ex improuiſo cœpit: atque ab innocente matre, quæ iam Chriſtianæ fidei titulis inſignita, Chriſto ſedulè inſiſtebat, ſacroſanctæ regenerationis fluenta, fidelis iam ſpiritu ac fide inſtituta præueniens, demonſtrari ſibi flagitabat. Nondum ſiquidem baptiſmum conſequutus, ſed inter religionis principia conſummatus, & nõdum manifeſtatis ſibi legibus, Deo plenus, repentè poſſeſſio atque habitaculum Dei factus eſt: atque ita peruenturæ vſque ad cælos turris priùs metuit eleuare faſtigium, quàm diſponeret fundamentum. Nondum ſacramentorum conſcius, & in ſacrificiũ iam prælectus.

Feſtus dies S. Nazarij.

Quid ad hæc nos infelices reſpondere poterimus? Qui poſt nitorem baptiſmi, poſt collatum nobis ſacra regeneratione candorem, poſt acquiſitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem, in peccatorum cœnum relapſi, & in antiqua criminum volutabra reuoluti, niueum veſtimentum tetris iniquitatum ac libidinum contagijs ſordidamus, & holoſericam, in qua ſigillum diuinæ imaginis acceperamus impreſſum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus: & poſt ſingularem Dei noſtri indulgentiam innouata fœdamus, integra reſcindimus, expiata violamus, repetentes opera non iam vndis purganda, ſed flammis. Quid illud, quamque inſigne diuinæ gratiæ munus, quòd accepto iam ſalutari lauacro, poſt innumera virtutum ſigna, poſt peragratas circunquaque ob Chriſti prædicationem innumeras regiones, cùm pro Dei ſummi confeſſione diuerſa per ſupplicia aduersùs eum totus penè orbis baccharetur, & nunc atrociſſimis arctaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus tranſueheretur exulandus, ita robuſtiſſimo Chriſti athleta pectore tormenta omnia deuincebat, vt ſtrenuum de proſtrato hoſte reportaret trophæum, interque cruenta Cæſaris iuſſa vaſti maris deiectus gurgitibus, ambulare ei diuina ſuper aquas conceſſum eſt prouidentia, & rerum obſtupeſcente natura, per inſueti itineris nouas vias pendulum inferẽs greſſum, tumentia maris dorſa calcauit?

In eos, qui poſt baptiſmum relabuntur in flagitia.

Videres æquoreas ſanctis ſubſterni meritis vndas, ſupraque angelicis confortatum alloquijs, in Chriſti Ieſu laudibus exultare. Ecce prophanus hoſtis nunquã beato martyri tantùm prodeſſet obſequio, quantùm profuit odio. Sed tandem perfecto agonis certamine cum Celſo puerulo, quem ipſe in holocauſtum Deo polluto aſſumpſerat ex ſeculo, crudeli imperio damnatione abſoluitur, gladio conſecratur. Felix hic tali exitu, quo omne delictum ita ab eo exijt, vt etiam redire non poſſit: quo ſic debita ſua ſoluit, ne vltrà creditorem timeret: quo in ſe hoſtium peccata fide clauſit, fide

Celſus puerulus martyr.

Ooo damna-

damnauit: per quem innocentiam deuotione quæſiuit, perſeuerantia inuenit, morte ſeruauit.

Quæ cùm ita ſint, chariſſimi, licèt hic tantus Chriſti teſtis precioſus cōfeſſione, precioſior ſanguine, crudeli vulnere precioſior, & tincta veſte candidior, licèt hic Mediolanenſium peculiaris putetur priuilegio ſepulcri, ſed omnium eſt communione ſuffragij. Neque enim iſtius vrbis charitas proflua, & fides auara, tantùm huic martyri derogauerit, dum ſibi arrogat, vt ſolùm erga mœnia ſua, patrocinij illius beneficia affutura eſſe crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocâſti vbique martyrem, vbiq; te exaudit ille, qui honoratur in martyre.

Inuocatio martyrum Dei honor eſt.

Moderante itaq; eo, qui penſat vota tua, & diſpenſat munera ſua, intantùm vicina præſentia efficacis præbebitur aduocati, inquantùm fuerit fides deuota ſuſcepti. Oratio enim quæ caſtitatis, iuſtitiæ, eleemoſynarum operibus adiuuatur, excedit mundū, penetrat paradiſum, euolat vſque ad ipſum ſummæ Maieſtatis, Angelo conferente, conſpectum. Sicut quodam loco vox teſtatur angelica: Et cùm tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam in conſpectu claritatis Dei.

Tob. 12.

Beata anima, chariſſimi, cuius votum, cuius compūctionis incenſum, cuius ſupplicationis holocauſtum, nulla infidelitate fumidū, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla ſæuitia cruentum, nulla odij ſimultate maculatum, ſed fide igneum, conſcientia nitidum, ſynceritate cordis odoriferum, concordia & charitate perfectum, vſque ad Dei vultum per cæleſtium nunciorum defertur obſequia.

Martyres mundi intercesſores.

Quæ cùm ita ſint, honoremus beatos martyres, principes fidei, interceſſores mundi, precones regni, coheredes Dei. Quòd ſi dicas mihi: Quid honoras in carne iā reſoluta atque conſumpta, de qua nulla iā Deo cura eſt? Et vbi eſt illud, chariſſimi, quod ipſa veritas loquitur per Prophetam? Precioſa inquit in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Et iterum: Mihi autem valdè honorificati ſunt amici tui Deus. Honorare debemus ſeruos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, cuſtodit omnia oſſa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam perrennitate virtutis. Honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autē non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulcro? Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cælo.

Pſalm. 115.
Pſalm. 138.
Pſalm. 33.
Nota hæc de veneratione Sanctorum & reliquiarū.

DE INVENTIONE CORPORVM NAZARII ET CELSI quædam lectu digna habentur Tomo 2. in Vita S. Ambroſij Epiſcopi Mediolanenſi.

VITA S. ODVLPHI PRESBYTERI ANTE ALIQVOT SECVLA AB INCERTO QVIDEM AVTHORE,

ſed grauiter edita. Stylum mutauit magna ex parte Fr. Laurentius Surius.

12. Iunij.
Cap. 1.
Bodgis pater Odulphi

TEMPORIBVS Ludouici pijſſimi Imperatoris vir quidam venerabilis fuit, è Francorum nobili proſapia ortus; Dicebatur is Bodgis, & ex eo procreatus eſt Odulphus: qui ſimulatq; è ſacratiſſima baptiſmatis vnda renatus eſt, cæleſti quoq; rore diuinitùs eſt irrigatus. Porrò vbi deſijt ad materna pendere vbera, literarum ſtudijs traditus, & ſanctis ac Deo deuotis hominibus, vt ab illis canonica religione imbueretur, commendatus eſt. Præſtitit autem illi Deus tantum diſcendi ſtudium, tantamque ingenij felicitatem, vt illos etiam, qui ipſum ætate antecedebant, ipſe longo poſt ſe interuallo relinqueret, ætatemq; ſuam, licèt annus needum maturam, diuinis diſciplinis, & dogmatibus egregiè ornaret. Porrò cū

Diſcendi celeritas.

ætate

ætate accreuit ei etiam ſapientia & ſanctitas, idque adeò, vt ijs, qui per id tempus Deo religioſè ſeruire conabantur, nouus quidam Samuel ortus videretur. Quibus ſanè adeò gratioſum illum diuina gratia effecit, vt vnanimiter ab illis omnibus amaretur, & ob vitam probabilem ſummæ venerationi haberetur. Atq; ille ediuerſò par pari referens, ſyncero animi affectu eos quoq; diligebat. Iam verò puer religioſus ac venerabilis in ipſis adoleſcētiæ initijs id ſe meditari & appetere declarabat, quod poſtmodùm reipſa compleuit, non immemor illius Dominici ſermonis, Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non eſt me dignus. itemq;: Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidiè, & ſequatur me. Quorum ille adhuc puer crebrò memor, & die ac nocte ſæpè illa tacitus ſecum reuoluens, pijs moribus & ſanctis operibus planè apud ſe ſtatuit Deo perpetuò ſeruire, ſpiritaliq; matri ſanctæ Eccleſiæ inſeperabiliter adhærere. Matt. 10. Luc. 9.

Itaque ſanctus adoleſcens, viris quidem probatis in primis charus, ſed tamen ſoli Deo ſeruire ſolicitus, per virtutum gradus ſemper ad ſublimiora tetendit, donec in virum perfectum euaderet. Mentem atq; animum, quemadmodùm ſolent ſancti homines, ad cæleſtia continenter erigere, & mundanæ vanitatis ac pompæ inanis illecebras declinare ſtatuit, vt in illum quoq; competeret, quod in Pſalmo legitur: Ibunt de virtute in virtutem. Sic ergo in cunctis virtutibus proficiens, etiam Eccleſiaſticorū ordinum gradus aſcendit, & preſbyterij eſt benedictionem adeptus, regis altiſſimi ſacerdos effectus. Tum verò mox apud ſe decreuit ſtudio piæ conuerſationis ad quoddā ſacræ religionis monaſterium ſe conferre. At parentes eum dehortabantur, ne id faceret, ſed potiùs ad ipſorum ſe voluntatē accommodans, eccleſiam Oroſchattanā adminiſtrandam ſuſciperet. Illic enim & natus & educatus erat. Victus tandem precibus illorum, morē eis geſſit ea in re, quanuis inuitus. Sed nō diù pòſt viſum eſt ei adire ſummæ reuerentiæ locum Traiectum, antiquitùs Vuiltenburg dictum, idq; ea mente & cō ſilio, vt illic cum cæteris Dei famulis, Chriſto ibidem militantibus, quoad viueret, prępotēti Deo fideliter ſeruiret. Memoria ergo retinens, quod in euangelio Saluator ait: Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: poſthabito patre neglectis propinquis, contemptis agris, familia, rebus & facultatibus omnibus, ad locum illum Chriſto duce profectus eſt, rebus quidem pauper, ſed meritis diues. Nihil iam in hoc mundo habere volebat, vt à Domiuo iuxta illius promiſſionem centuplum acciperet, & vitæ æternæ hæres eſſe mereretur. Cap. 2. Pſal. 83. Initiatur ſacerdotio. Traiectum olim Vuiltenburg. Luc. 9. Matt. 19.

Erat per id tempus Traiecti Epiſcopus eximia ſanctitate, Fridericus nomine, qui virū Dei cū multo gaudio & honore excepit. Fecerūt idē omnes ſerui Dei, qui illic erant adunati, ex animo ſibi gratulantes tam ſanctū tamq; religioſum ad ipſos Dei famulū acceſſiſſe. Nec potuit diù illos celare, quod oculos diuinæ maieſtatis nō latuit: ſed cùm aliquantiſper apud illos moratus eſſet, omnibus ardens cæleſti lumine lucerna reſplēduit. Erat enim in vigilijs ſtrenuus, in ieiunijs potens, in oratione ſedulus, in ſacra lectione ſtudioſus, in eleemoſynis largus, in curandis pauperibus celebris, in hoſpitalitate feruens, in rebus eccleſiaſticis diſtribuendis prudens. Denique quibus poſt antiſtitem præfectus erat, eos omnes mirum in modum antecedebat. Neque aliter vel ab omnibus illis, vel ab ipſo etiam præſule, quàm monaſterij pater vocabatur, atque ab eius ore omnes cupiebant accipere conſilium. Omnibus enim omnia factus erat cum Apoſtolo, vt omnes Chriſto lucrifaceret. Cap. 3. Fridericus Traiecti Epiſcopus. Virtutes S. Odulphi. 1. Cor. 9.

Ea tempeſtate Friſones, homines feroces, in tam fœdos erant prolapſi errores, vt is, quem diximus, Epiſcopus, neque per ſeipſum, neque per ſuos Archidiaconos eos poſſet in viam veritatis reuocare. Itaque literas per hominem fidelem miſit Traiectū ad virum Dei Odulphum, rogans eum, vt qua poſſet celeritate traiecto maris ſinu ad ipſum veniret. Literis illis acceptis, Chriſti ſeruus mirificè exhilaratur, perinde acſi ad cæleſtes epulas inuitaretur, cupiens cum ſuo paſtore, ſi ita res poſcat, in tam pio agone pro Chriſto ſanguinem ſuum fundere. Cùm autem ad Epiſcopum perueniſſet, ille viſo eo, immēſo perfuſus gaudio, cum pacis oſculo eum humaniter excepit. Deindè mutuò ſeſe conſolantes, &, vt ſummi regis generoſos præcones decebat, gladio ſpiritûs egregiè accincti, per eccleſias pariter proficiſci, iterùm atq; iterùm eas inuiſere, habere conciones ad populum, Euangelica eruditione ad veritatem reducere cœperunt. Deniq;, crebrò admonendo, arguendo, increpando homines, qui anteà inſtar luporum ſęui & rapaces fuerant, ſalutari doctrina in oues manſuetas conuerterunt. His ita geſtis, antiſtes ille, cōmunicato cum clericis, nec paucis eius regionis laicis viris cōſilio, virum Dei obnixè rogat, vt intra illius terræ limites velit permanere, & populum nu- Cap. 4. Cū Epiſcopo Friſones ad meliorē frugem reuocat.

per ad ſanitatem reuocatum, ſuis eruditionibus confirmare, & ab antiqui hoſtis mortiferis faucibus eripere. At vir Dei planè recuſat, aſſerit ſe ætate grauem, ad id miniſterium pares vires adferre non poſſe. Contrà Epiſcopus ſuis cum precibus flectere conatur. Cedit tandem ſanctus vir, & paſtoris ſui iuſſa capeſſit, populiq́; votis obſecundat, ea tamen conditione, vt liceat ei aliquot exactis annorum curriculis Traiectum reuiſere, vbi ſe in Chriſti famulatu vitam finiturum promiſerat.

Cap. 5. S. Odulphus multùm eis confert. 1. Cor. 3. Volens igitur ſuo muneri non deeſſe vir plenus Spiritu ſancto, non ceſſabat ſemina verbi Dei ſpargere in populum, cælorum regnum multa inſtantia prædicare, omnibus ceu prudens & fidelis diſpenſator, diuini ſermonis præbere alimoniam, fortioribus ſolidum cibum, infirmis, ex Apoſtoli ſentētia, lac offerre. Ita factum eſt, vt omnes ex eius ſanctitate gaudio replerētur. Cùm autem eo miniſterio perfunctus eſſet, ſe recepit ad ſuos Traiectenſes, Deum laudans, quòd eius fretus ope, tot animas lucratus eſſet. Etſi autem iam longo fractus eſſet ſenio, at tamen animo vincens ætatem, nihil de Dei ſeruitio & ſolitis pietatis exercitijs remiſit. Perſeuerauit enim in ieiunijs aſſiduis, in vigilijs Deo gratis, in ſanctis precibus, in largiſſimis eleemoſynis: ſibi parcus, alijs omnibus pro Chriſti nomine largus: nihil terrenum ſibi acquirere cupiens, vt poſſet bonis æternis frui.

Cap. 6. Claruit verò etiam prophetiæ ſpiritu, ita futura prædicens, ac ſi iam coràm fieri cerneret. Quod vt certius teſtatiusq́; fiat, ex plurimis pauca adferemus. Cùm iā diſceſſurus eſſet ab eo loco, qui Staueren dicitur, priuſquàm ſe daret itineri, ingens ad eum conuenit Friſonum multitudo, eius ſaluberrima adhortatione muniri cupientium. Ille verò Domino eos commendans, benè precatus eſt eis, amanterque admonebat, ne à via veritatis vnquàm deflecterent, certi non ſine graui animaduerſione id ſe facturos. Et ego quidem, inquit, ſat ſcio non vos permanſuros in ſana doctrina: ſed ea cauſa gentiles barbari in vos incurrent, quod mihi vobis iam antè prædicenti incunctanter credere poteſtis, ijq́; veſtram regionem populabuntur, voſque & res veſtras ſecum in captiuitatem abducent. Euénit vtrunque poſteà, ſicut erat à ſancto viro prænunciatum.

Prædicit Friſonibus ipſorū defectionem & Dei animaduerſionem.

Cap. 7. Ingens ſaxum ad domûs eius oſtium iacebat. Illud ergo digito demonſtrans ijſdem, Scitote, inquit, futurum eſſe, vt abſq; vllius hominis opera ſaxum iſtud in flumen devoluatur: vbi etiam latitabit ſub vndis, donec vos diuinæ pacis eritis beneficio deſtituti. Cùm autem videritis iterùm illud abſque humano opere ad litus emergere, nō dubitetis me, licèt iam extinctum, vos reuiſere, vobiſq; pacem à Deo impetratam apportare, manſuram apud vos, donec ſuperbia, periurijs, homicidijs, adulterijs atq; omniuarijs flagitijs eam rurſus à vobis excludatis, irato Deo propter maleficia veſtra. Huius quidem vaticinij & ſigni admirādi permulti teſtes hodieq́; ſuperſunt, qui ſe id ſuis oculis conſpexiſſe aſſeuerant: ſaxumq́; illud ibidem in eccleſia immobile perdurat, vt credentium confirmetur fides, & increduli pudefiant.

Cap. 8. Eccleſia Traiectenſis, è vita ſublato Epiſcopo, paſtore orbata fuit. Mox collecti clerici cum beato viro tractabant de eligendo ſucceſſore. Diù autem illis inter ſe contēdentibus, tandem elegerunt eccleſiæ præpoſitum Craſtum. At ille rebus valdè locuples, arroganter ac tumidè dixit ad illos: Habeo abundè multa: Cur in meos humeros tantum onus conijcitis? Ijs verbis cōmotus B. Odulphus, Quid, inquit, ais miſerrime? Spernis planè, ſed quod conſequi non mereris. Quòd ſi nolebas in te recipere, diceres ſaltem te tanti honoris culmine indignum. At nunc propter opes immenſas Apoſtolici ordinis ſpernens dignitatem, propediem ex hac luce ſubtraheris. Dixit vir Dei, & ſermonis veritatem hominis mors declarauit. Interim qui ex Clero conuenerant, cùm animis vacillarent, ſinguli qui ipſis cumprimìs idonei viderentur, elegêre. At Chriſti ſacerdos non ad perſonam, ſed ad meritum reſpiciens, dicebat poſſe inter ipſos alium inueniri magis idoneum: nec tamen vituperabat ab ipſis electos. Itaque oſtendit eis presbyterum quendam Hungerum nomine: qui licèt vultu deformis eſſet, at tamen neſcientibus hominibus, ſed non neſciente Deo, meritis inſignis erat. Eum ergo omnes elegerunt, & ſtatuto tempore conſecratus eſt Epiſcopus: cuius ſanè tanta fuit vitæ integritas, vt poſt Vuillibrordum & Bonifacium ſanctos Epiſcopos, in illa ſede nullus repertus ſit, qui vſque ad ſupremum vitæ diem excolendis virtutibus par illi fuerit. Apparet inde, non temerè eum à ſancto Odulpho alijs prælatum fuiſſe.

Prædicit mortem ſuperbi Præpoſiti.

Hungerus fit Traiecti Epiſcopus.

Cap. 9. Iam ſenectus præmebat ſanctum virum Odulphum, & ad eccleſiam abſque ſcipione progredi non poterat. In ipſius autem ſcipionis ſuprema parte ceream affixerat tabellam,

bellam, in qua ſolebat, oblata occaſiõe, nomina fidelium annotare, donec ea in libro vitæ deſcriberet. Quodam autem die præ animi vigore & alacritate oblitus imbecillitatis ſuæ, cùm ad Dei cultum properaret, in domicilio ſuo reliquit ſcipionem illum. Paulò pòſt opera maligni dæmonis inflammatum eſt domicilium illud, & cum omni ſuppellectile cõflagrauit. Erat tum vir Dei occupatus laudibus diuinis, ſed cùm cerneret valido igni iam correptum domicilium, ad ſolita præſidia ſe contulit, Deum orans, ne loca ſancta ignis inuaderet: non admodùm curans excidium cellulæ ſuæ. Exaudiuit verò Deus preces eius, moxque incendium repreſſum eſt, nec quicquam præter viri Dei domicilium exuſſit. In medijs autem flammis adeò ſcipio manſit illæſus, vt ab igni cera indurata videretur, ne minutiſſimo quidem apice ex illa abolito. Quo inſigni miraculo Deus oſtendere voluit, quanti apud ipſum meriti eſſet ſanctus Odulphus. Scipionem autem illum in eius defuncti ſepulcrum defixère fratres, qui illic ita manſit fixus vſque ad beatæ memoriæ Ratbodi Epiſcopi tempora. *Scipionem & cerã viri Dei nihil lædit ignis.*

Aduentante tandem tempore, quo vir beatus ad optatam cæleſtis patriæ gloriam erat tranſiturus, modica febre correptus, ſenſit adeſſe migrandi tempus. Accitis igitur fratribus, indicauit eis diem obitûs ſui. Sub ipſam autem mortis horam rursùs fratres ſibi adeſſe voluit, & cum ipſo cantare pſalmos pro expectatione deceſsûs ſui. Omnibus denique ex ipſius præſcripto ritè peractis, valefecit fratribus, rogans eos, vt pro ipſo Dominum precarentur, ſe quoque pollicens pro ipſis & loco illo eiusque habitatoribus perpetuò Domino preces oblaturum. Inde mox ad Dominum ſe conuertens, nihilque trepidans ad mortem, (quippe qui mortem ipſam in lucro poneret) hilari mẽte dixit: In manus tuas Domine commendo ſpiritũ meum: ſub quibus verbis ſanctiſſima illa anima è corpore egreſſa eſt: ſimulq; ſuauiſſimi odoris fragrantia illic diffuſa eſt, ita vt omnes inæſtimabili ſuauitate replerentur, perſpicueq; inde liceret animaduerti, beatiſſimos angelicos ſpiritus animam illam è corpore abeuntem ſuſcepiſſe. Eius feſtus dies celebratur pridiè Idus Iunij. Fiunt autem per eius merita nõ ſolùm Traiecti, ſed etiam in Staueren innumera miracula in honorem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen. *Cap. 10.* *Vult pro ſe defuncto rogari.* *Pſal. 30.*

F. Laur. Surius Pio Lectori.

In Aprili menſe vitam Iuſtini Philoſophi repoſuimus, authore Ioachimo Perionio, ſecuti Latina Martyrologia. Nunc rursùs damus Iuſtinum Philoſophum, cũ multis alijs pro pietate cæſum, authore Simeone Metaphraſte, qui eum habet die 12. Iunij. Vtrùm autẽ planè idem vtrobique ſit Iuſtinus, ob temporis penuriam necdum ſatis examinare licuit. Mihi quidem diuerſus hic ab illo priori eſſe videtur. Non enim tam obſcurus fuit Iuſtinus, vt Præfectum ex eo percontari oportuerit, quod in hac hiſtoria fit, in quarum diſciplinarum genere verſaretur. Sunt & alia, quæ facilè perſuadeant non eundem eſſe.

MARTYRIVM SANCTORVM IVSTINI PHILOSOPHI, CHARITONIS, ET SOCIORVM, QVI *Romæ paſſi ſunt, Authore Simeone Metaphraſte.*

QVO tempore nefarij ſuperſtitionis idolorũ propugnatores impia contra pietatem ac religionem ſeruantes Chriſtianos, per ſingulas vrbes ac regiones edicta propoſuerũt, vt quicunque Chriſtiani deprehenſi eſſent, idolis ſacrificare cogerentur: comprænhenſi Iuſtinus, & qui cum illo erant adducti ſunt ad Romæ Præſidem, Ruſticum nomine. Quibus ante tribunal conſtitutis, Ruſticus Preſes dixit Iuſtino: Agè, eſto dijs ipſis obediens, & Imperatorijs edictis. Illi autem Iuſtinus reſpondit: Nemo vnquàm repræhendi aut condemnari poterit, qui Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti preceptis obedierit. Tum Ruſticus Prefectus: In cuiuſnam, inquit, eruditionis ac diſciplinarum genere verſaris? Cui Iuſtinus: Omnium diſciplinarum genus diſcere conatus ſum, omnemque eruditionem expertus, poſtremò veræ Chriſtianorum diſciplinæ adhæſi, quanuis illa non placeat his, qui falſæ opinionis er- *12. Iunij.*

rore ducuntur. Tum Ruſticus dixit: Illáne, miſerrime, eruditione delectaris? Maximè, inquit Iuſtinus, quoniam recto cum dogmate Chriſtianos ipſos ſequor. At Præfectus: Qualenam eſt iſtud dogma? Reſpondit Iuſtinus: Rectum dogma, quod Chriſtiani homines cum pietate ſeruamus, hoc eſt, vt Deum vnum exiſtimemus factorem atque creatorem omnium, quæ videntur, quæq; corporeis oculis non cernuntur, & Dominum Ieſum Chriſtum Dei filium confiteamur olim à Prophetis prænunciatum, qui & humani generis Iudex venturus eſt, ſalutis præco, & magiſter ijs, qui ab illo benè didicerint. Ego quidem, vt homo, imbecillis ſum, & longè minor, quàm vt de infinita illius Deitate aliquid magnum dicere poſſim: Prophetarum munus hoc eſſe fateor. Illi enim huiuſipſius, quem Dei filium eſſe dixi, in orbem terrarum aduentum multis anteà ſeculis diuinitùs prædixerunt.

Chriſtianũ dogma.

Quæſiuit Præfectus, quem in locum Chriſtiani conuenirent. Cui reſpõdit Iuſtinus, eò vnumquenq; conuenire, quò vellet ac poſſet. An, inquit, exiſtimas, omnes nos in eundem locum conuenire ſolitos? Minimè res ita ſe habet, quoniam Chriſtianorum Deus loco non circunſcribitur: ſed cùm inuiſibilis ſit, cælum & terram implet, atque vbiq; à fidelibus adoratur, & eius gloria collaudatur. Tunc Præfectus: Agè, inquit, dicas, quem in locum conueniatis, & diſcipulos tuos congreges. Reſpõdit Iuſtinus: Ego prope domum Martini cuiuſdam ad balneum, cognomento Timiotinum, hactenus manſi. Veni autem in vrbem Romam ſecundò, neq; alium quempiam locum, niſi quem dixi, cognoſco. Ac ſi quis ad me venire voluit, communicaui cum illo veritatis doctrinam. Ergo Chriſtianus es tu? inquit Ruſticus. At Iuſtinus: Maximè, Chriſtianus ego ſum. Tunc Præfectus dixit Charitoni: An & tu Chriſtianus es? Cui Chariton: Chriſtianus ego ſum, Deo ipſo adiuuante. Quæſiuit Ruſticus à Charitina muliere, nũ & ipſa Chriſti fidem ſequeretur. Cui reſpondit illa, ſe quoq;, Deo dante, Chriſtianam eſſe. Tunc Ruſticus dixit Euelpiſto: Tu verò quiſnam es? Cui reſpondit: Seruus quidẽ Cæſaris ſum, ſed Chriſtianus, à Chriſto ipſo libertate donatus, & illius beneficio atque gratia eiuſdem ſpei, cuius & iſti ſunt, quos vides, particeps factus. Poſt hæc Præfectus quæſiuit ab Hierace, num & ipſe Chriſtianus eſſet. Cui Hierax dixit: Certè Chriſtianus & ego ſum: eundem enim Deum colo atque adoro. An, inquit Præfectus, Chriſtianos vos fecit Iuſtinus? Ego, inquit Hierax, & fui, & ero Chriſtianus. Stans autem & Pæon dixit: Ego quoque ſum Chriſtianus. Et quiſnam, inquit Præfectus, te docuit? Reſpondit ille: A parentibus bonam hanc confeſſionem ego accepi. Poſt hunc Euelpiſtus dixit: Et ego Iuſtini quidem ſermones magna cum voluptate audiebam, ſed à parentibus tamen & ipſe Chriſtianus eſſe didici. Tum Præfectus: Et vbinàm parentes tui ſunt? In Cappadocia, inquit Euelpiſtus. Quæſiuit Præfectus & ab Hierace, vbinàm gentium eſſent eius parentes. Cui reſpondit Hierax: Verus pater noſter Chriſtus eſt, & mater fides, qua in ipſum credimus: terreni verò parentes mei mortui ſunt. Cæterùm ego ab Iconio Phrygiæ abſtractus huc veni. Quæſiuit Præfectus à Liberiano, quidnam & ipſe diceret: num Chriſtianus eſſet, atq; in deos impius? Cui Liberianus: Et ego, inquit, Chriſtianus ſum: colo enim & adoro ſolum verum Deum.

Ierem. 23. *Chariton.* *Charitina.* *Euelpiſtus.* *Hierax.* *Pæon.* *Liberianus.*

Tunc Præfectus conuerſus ad Iuſtinum dixit: Audi tu, qui eloquens eſſe diceris, & putas, te veram diſciplinam tenere: Si à capite per totum corpus flagello cæſus fueris, perſuaſúmne habes, fore vt in cælum aſſcendas? Cui Iuſtinus: Spero, inquit, me habiturum, quod habent, qui Chriſti dogmata ſeruauerint, ſi hæc ipſa, quæ dicis, perpeſſus fuero. Scio enim omnibus, qui ſic vixerint, diuinam gratiam conſeruari, quoad totus mundus conſummetur. Ad hæc Præfectus Ruſticus: Ergo futurum opinaris, vt in cælos aſſcendas, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Iuſtinus, ſed ſcio, & hoc tam certum habeo, vt nihil dubitem. Ruſticus dixit: Veniamus deinceps ad id, quod propoſitum eſt, & nos vrget. Conuenite ſimul, & vno eodemq; animo dijs ſacrificate. Ad hæc Iuſtinus: nemo, inquit, qui rectè ſentiat, pietatem deſerit, vt in errorem atq; impietatem delabatur. Præfectus Ruſticus dixit: Niſi iuſſis noſtris parere volueritis, cruciatus ſine vlla miſericordia patiemini. Iuſtinus autem: Maximè nos in votis habemus, propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cruciatus perpeti, ac ſaluari: hoc enim nobis ſalutem & fidutiam conciliabit ante eiuſdem Domini & Saluatoris noſtri terribile illud tribunal, cui totus mundus diuino iuſſu aſſiſtet. Idem & reliqui omnes Martyres dixerunt, hoc addentes: Fac citò, quod vis: nos enim Chriſtiani ſumus, & idolis non ſacrificamus.

De firma ſpe dicit, qua illud expectare debet, ſi ſeruet mandata Dei.

Hæc audiens Præfectus, talem ſententiam pronunciauit: Qui dijs ſacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagello cæſi, ad capitalem pœnam abducatur, quẽadmodùm

Sententia Iudicis in martyres.

admodùm leges præcipiunt. Itaque ſancti martyres Deum collaudantes, ad conſuetum locum producti, poſt verbera ſecuri percuſſi ſunt, & in Saluatoris confeſſione martyrium conſummârunt. Poſt hæc quidam fideles clàm illorum corpora ſuſtulerunt, & in loco idoneo illa condiderunt, cooperante gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTÆ AQVILINÆ VIRGINIS, AVTHORE SIMEONE *Metaphraſte.*

POSTEAQVAM Saluator noſter Ieſus Chriſtus è cęlo deſcendit, & homo factus eſt, & pro peccantium hominum ſalute in terris apparuit, eiuſque miraculis abundè mundus ipſe illuſtratus fuit, atque his, quæ vltrò paſſus eſt, diaboli, qui hominem circunuenerat, imperium exinanitum fuit, diuinaque gratia per glorioſam ipſius reſurrectionem in mundum redundans, humanum genus ad fidem conuertit, denique poſteàquam è terra in cælum ipſe aſſcendit, & ad patris dexteram ſedit, Apoſtoli, acceptis ab eo mandatis, fidem ipſius per totum orbem terrarum prædicârunt. Cumque multi per Apoſtolicam prædicationem inſtituerentur, & Dei ope adiuuante, omnes illi à ſancto Spiritu illuminarentur, fides ipſa per totum orbem terrarum vigebat. Apoſtoli verò, cùm ſuum munus compleuiſſent, ad cęleſtem Dominum áſſcenderunt. Sed illorum tamen prædicatio faciebat, vt per vniuerſam terram multi Deum timerent. Iunij 13. Cap. 1.

Itaque in vrbe quadam Palæſtinæ regionis, quæ Biblos dicebatur, erant Chriſtiani homines, qui ab Apoſtolis ipſis pietatis doctrina inſtructi fuerant, è quibus vnus, Eutolmius nomine, in vrbe illa vxorem duxit: qui cùm vnà ſanctè viuerent, Deus ipſe fructum & progeniem illis dedit, quæ nefaria tyranni decreta exinaniuit. Cùm enim fœmina illa ex Eutolmio viro ſuo concepiſſet, puellam peperit, quam & Aquilinam parentes nominârunt. Hęc cùm paulò grandior facta eſſet, & ętatem adhuc tenellam ageret, iniquorum Imperatorum de idolorum cultu ſeruando conſtitutiones euertit. Cùm enim puella ipſa quadrimeſtrem ætatem ageret, eius mater ad Euthalium Epiſcopum illam tulit, quam in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Epiſcopus ille ſignauit, & catechumenam fecit. Poſt duos verò menſes cùm eandem ad Euthalium ipſum mater portâſſet, puella Chriſti baptiſmo illuminata eſt. Quæ cùm annum ageret, eius pater Eutolmius ex humana vita ad Chriſtum migrauit: Mater verò puellam educabat. Itaq; cùm ſeptem annos hæc ageret, à matre ſua omnem inſtitutionē mulieribus congruentem edocebatur, quæ quo ætate magis creſcebat, eo magis Spiritu ſancto implebatur, & Chriſti gratia decorabatur. Cap. 2. S. Aquilinę patria & parentes.

Cùm verò decimum annum ageret, nunquàm deſinebat Deum ipſum inuocare. Quo tempore, Diocletiani Imperatoris anno ſeptimo inſtante, Voluſianus quidam homo tam nefarius, vt diaboli progenies dici poſſet, prouinciæ Palæſtinæ adminiſtrationem accepit: qui cùm Deum ipſum non cognoſceret, cœpit diuinæ pietatis cultores inſectari. Cùm igitur Chriſti victoria multi coronarentur, & Domini Ieſu athletæ certamina maxima rectè ſuſtinerent, diabolus ipſe videns conſilia ſua à victoribus Chriſti militibus deſtrui, omnem inſaniam ac furorem effundebat. Quæ cùm ita fierent, beata & honeſta virgo Aquilina multam Dei notitiam habens, æqualeſque ſuas conueniens, & quotidiè cum illis colloquens: Quænam, inquit, vtilitas vobis eſt ab idolis iſtis, quæ vos colitis? An ignoratis, quòd qui fidem in iſtis collocârunt, vanam expectationem, inanem, nugacem, animarum corruptricem & dæmoniacam ſpem habent? iſtorum enim omnis inuocatio inutiliſſima eſt, quique iſtis dijs ſacrificium offerunt, vt eos propitios ſibi faciant, inanem operam cōſumunt. Nam qui mortui ſunt, & loquendi facultatem ſibi dare non poſſunt, quomodò illi poterunt alijs benefacere? Cap. 3. Voluſianus crudelis Palæſtinę pręfectus.

Hæc cùm Aquilina diceret, mulieres omnes quæ cum ea loquebantur: Quoniam, Cap. 4.

niam, inquiunt, deos ipſos negas, & eos euertere videris, agè dic: Quemnam Deum tu colis? Reſpondit Aquilina: Ego Deum illum colo, qui cælum, terram, & mare creauit, quique ab omnibus ſeculis ijs omnibus benefecit, qui fidem & ſpem in ipſo habuerunt, & adhuc poteſt benefacere in perpetuum ijs, à quibus inuocatur. Tum mulieres illæ: Et quomodò, inquiunt, nos audiuimus, à Iudæis interfectum fuiſſe iſtum, quem tu Deum dicis? At Aquilina: Omnes, qui à morte abſorpti fuerant, Deus meus redemit. mors enim ipſi non dominatur. Hic igitur cùm opera manuum ſuarum, hoc eſt, homines ipſos in multo errore vagantes vidiſſet, hominem ſe facere voluit, vt mundi errorem extingueret, & gratiam cum iuſtitia coniunctam nobis afferret. Dixerunt fœminæ illæ: Et quíſnam eſt, quem Crucifixum dicunt? Ille ipſe, inquit Aquilina, eſt omnium Saluator, qui propter ſuam in homines charitatem, cùm vellet omnibus hominibus per aquam & ſpiritum nouam generationem afferre, Crucem ſubire & perpeti voluit, vt non ſolùm ijs, qui in terris ſunt, ſalutem conferret, ſed eos etiam, qui apud inferos tenebantur, liberaret: omnibuſque, eò quòd ipſe tertio die à mortuis reſurrexit, futurum oſtendit, vt & ipſi omnes ſuo tempore à mortuis reſurgerent. Tunc illæ: Si hæc beneficia in orbem terrarum, vt tu dicis, iſte contulit, quare Iudæi, ex quibus & ipſe erat, non vt Deum colunt? Ad hæc Aquilina: Semper, inquit, Iudæorum natio veritatis viam auerſata eſt, cumque ceruice dura & animo obſtinato ſint, quæ iuſta & vera ſunt, reijciunt: quamobrem & eum, qui multis modis in ipſos piè ſe geſſerat, negauerunt, Pilato tradentes, & vt eum in Crucem tolleret, ab ipſo flagitantes. Ipſe tamen IESVS ſponte Crucem illam ſubijt.

Aquilina fœminas piè prouocat ad fidē.

Cap. 5. Aquilina defertur apud Voluſianum.

Dum Aquilina cum illis fœminis hæc loquebatur, Nicodemus quidam ex illorum numero, qui erant cum Proconſule, audiuit quæ Aquilina dicebat, & ſtatim ad Voluſianum Proconſulem cucurrit, & ait: En, Proconſul, Imperatores ipſi deorum beneficia profitentes, per omnes vrbes edicta miſerunt, vt quicunque dijs ipſis non ſacrificant, peſſimis modis interficiantur. Eſt in vrbe hac puella, quæ dijs aduerſatur, & edictis religioſorum Imperatorum non obedit, ſed totam ſpem ſuam in homine illo Crucifixo collocauit: quinetiam mulieres alias docet, & ipſas Deorum ſtabilem & compoſitam religionem denegare. Adde, quòd & deos ipſos dæmones vocat. Hæc cùm audiſſet Proconſul, miſit quoſdam ex cohorte ſua, qui eam comprehenderent. Quam cùm tenuiſſent, ad tribunal duxerunt. Tum in eam Proconſul intuens: Tu'ne, inquit, es, quæ Imperatorum edictis repugnas, & fœminas alias falſis ſermonibus inſtruis, ne ampliùs dijs ipſis obediant, ſed Crucifixum hominem colant? An ignoras, Imperatores ipſos iſti Crucifixo iratos eſſe, quippe qui iuſſerunt, pœnis quibuſdam ineuitabilibus & ſummis cruciatibus illos interfici, qui Ieſum colunt? Quamobrem & tu ab illius doctrina diſcedas, & inuictis diis noſtris congruentes victimas afferre ſtudeas, ne aliquo modo nos cogamur cruciatibus te ſubijcere, eò quòd dijs ipſis obtrectes. Ad hæc Aquilina: Cùm, inquit, cruciatibus à te Proconſule ſubiecta fuero, tunc immortalitatis coronam à Saluatore meo me accepturam expecto, eò quòd illum non negem. Quapropter ſine mora quæuis tormenta in meipſam excogites, vt cognoſcas me fide armatam tibi aſſiſtere, neque minas tuas extimeſcere.

Cōſtātia S. Aquilinæ.

Cap. 6.

Tunc dixit Voluſianus: Video te ad tribunal meum aſſiſtere ætate admodùm iuuenili, ſpecie verò & pulchritudine valdè honeſta: itaque tuî rationem habeo: nam ſi tormentis te ſubijciam, tenera membra tua quamprimùm gladijs deſtruentur: Quòd ſi carnificibus meis iuſſero te cruciare, nullam tuî rationem habebunt: tu verò ætate valdè tenera ſupplicijs malè conſumpta, vitam finies, neque quicquam tibi prodeſſe poterit Chriſtianorum Deus, quem colis. Erat beata Aquilina duodecimum ætatis annum tunc agens, cùm Proconſuli aſſiſtebat: quæ reſpondens: Nolo, inquit, ego, vt miſericordia me proſequaris: putans enim te miſericordem in me eſſe, maiori damno me afficis: ſed à te peto, vt ferociorem te oſtendas, quò ex patientia mea cognoſcas, eos, qui ſpem ſuam in Chriſto Domino poſuerunt, inuictos permanere.

Aquilinæ ætas.

Cap. 7. Colaphis cæditur.

Hæc cùm Voluſianus puellam dicentem audiuiſſet, iuſſit carnifices ad eam accedere, & conſtanter colaphis illam percutere, & addidit: Vide, Aquilina, num iſtæ tormentorum primitiæ tibi ſuaues & iucundæ videantur. Ad hæc Aquilina: Tu quidem, Tyranne, non veritus es iubere colaphis eam cædi, quæ ad imaginem Dei facta eſt: itaque nec Deus meus tibi parcet in die Iudicij. Tum Voluſianus: Ego, inquit, exiſtimo, maximos noſtros deos terrarum orbis ſalutem in manu ſua tenere, & in illo

illo altero ſeculo omnium ſalutem in ſua poteſtate habituros. Idq́; cùm dixiſſet, iuſſit puellam exui, & ſubligaculo cinctam, à duobus carnificibus diſtentam acriter verberari, hæc verba addens: Nónne tu, Aquilina, dixiſti futurum, vt Deus tuus in die Iudicij mihi non parcat? Et vbinàm ille nunc eſt, qui mihi non parcit? Veniat, & liberet te de manibus meis. Sed admoneo te, vt vanam iſtam Chriſtianorum hæreſim fugias. Verberatur acriter.

Tunc iuſſit carnifices verbera intermittere, & ad Aquilinam conuerſus: Agè, inquit, dic mihi, miſera: Et quem aliquando cognouiſti, aut audiuiſti ſpem habuiſſe in homine Crucifixo, qui manus meas effugere potuerit? Et quemnam eorum, qui eius fidem ſecuti ſunt, Imperatores viuum reliquerunt? Agè igitur, audi me, & ab inſania iſta te remoueas. Ad hæc Aquilina: Num, ô Tyranne ferociſſime, tormenta hæc putas me ſenſiſſe? Illud velim ſcias, quotcunque machinas pater tuus diabolus tibi contra meipſam ſuggerit, totidem, & longè ijs plura, ſubſidia mihi à Deo ſuppeditari. Tunc Voluſianus: Nos, inquit, edocti ſumus à ſapientibus ijs, qui ante nos fuerunt, dijs ipſis immolare itaque tibi dies aliquot præſcribi iubeo, vt intereà conſilium ineas, num meliorem mentem capiens, dijs cultum offerre, & vitam à nobis, maximoſque honores ab Imperatoribus noſtris aſſequi velis. Ad hæc Aquilina: Quotnam dies mihi præſcribis, quibus deliberem? Tot, inquit Voluſianus, quot ipſa voles, & à me petes. Aquilina autem dixit: Hoc à te peto, vt nullos mihi dies præſcribas, quòd ad huius rei conſultationem attinet. Ego enim ab ineunte ætate hoc ſemper cogitãs nullum alium Deum inueni, qui poſſit mihi benefacere, & ad quem confugere oporteat, niſi cæleſtem illum Deum. Tunc Voluſianus: Vana eſt, vt video, admonitio mea, & fruſtrà laboraui, cùm te admonui. Nequaquàm, inquit Aquilina, hac in re tibi obtempero. itaque ne fruſtrà labores, ſed quicquid excogitari poteſt, aduersùs me inutilem Dei ſeruam adhibeas, vt rurſus te victum eſſe oſtendam, quemadmodùm & ſuperioribus tormentis victus es. Cap. 8. Magna teneræ puellæ ſapientia.

Tunc Voluſianus dixit: Accendantur ſubulæ, ita vt ignitæ ſint, & per eius aures trãſmittantur. Cùm feciſſent carnifices, quod iuſſi fuerant, & ſubulas ardentes in aures puellæ eò vſque tranſmiſiſſent, quoad vel ſolus ignis vapor eius cerebrum combureret, & per nares effunderet, cumque ipſius cerebrum incenderetur, puella Deum ſic precata eſt: Tu Domine Ieſu Chriſte, qui aluiſti me ab adoleſcẽtia mea, qui iuſtitię tuę radijs occultiſſimas cogitationes meas illuminâſti, qui generoſa & forti potentia tua me fortem reddidiſti, vt contra hoſtem & aduerſarium diabolum pugnarem, qui veram & ſummam ſapientiam tuam omnibus fidelibus tuis impertiuiſti, perfice curſũ certaminis mei, & virginitatis meæ lampadem inextinctam ſerua, vt & ego vnà cum quinq; illis virginib⁹ ad puriſſimum thalamũ tuum introire, ac teipſum celebrare poſſim, qui petitiones meas mihi conceſſiſti. Cap. 9. Ignitæ ſubulæ in aures eius deſiguntur. Matth. 25.

Hæc cùm precata eſſet, & diutiùs ferreis & ardentibus ſubulis combureretur, ſemimortua facta eſt, ita vt Proconſul Voluſianus illam mortuam eſſe crediderit. Itaque iuſſit illinc eam abſportari, & extra vrbem proijci, quippe quæ deos ipſos negauerat, & Imperatores contempſerat: ob idque dicebat ſepulturæ mandari non debere, ſed canibus ipſis eſcam proijci. Cùm verò Aquilina totum diem in via proiecta iacuiſſet, circa medium noctis tempus deſcendit Angelus Domini, & Aquilinam cùm tetigiſſet: Surge, inquit, & eſto ſana, Voluſianumque Proconſulem redarguas, quòd ipſe nihil, & eius conſilia vana ſint. Statim Aquilina incolumis ſurrexit, & Deum laudãs, dicebat: Gratias ago tibi vitæ meæ authori, qui ſanitatem affers, & ab iniquitatibus homines liberas: tu enim es, Domine, qui ante ſecula fuiſti, & in ſecula permanſurus es, nec præter te alius eſt Deus. Illud verò à te ſupplex peto, vt cùm patientiæ brauio conſummata fuero, corona tua caput meum circundes, vt certiſſimis promiſſis tuis fruens, vnà cum choro ſanctorum tuorum, qui propter te martyrium complexerunt, hymnos tibi concinam. Tunc illi Dominus reſpondit: Vade, fiat tibi, ſicut tu dixiſti. Quo audito, Aquilina valdè lætata eſt. Tunc ab Angelo ducta, venit ad portam vrbis: qua ſtatim patefacta, in vrbem ipſam eſt ingreſſa. Cap. 10. Ab Angelo ſanatur.

Fuit autem illi dux Angelus, donec ad Voluſiani prætorium eam duxit. Qui cùm à ſomno excitatus, illam ante oculos ſuos ſtantem vidiſſet, ſtupore perculſus eſt: & ſtatim quoſdam vocauit ex ijs, qui in eius prætorio morabantur, dicens: Videte, quænam hæc ſit, quæ ante oculos meos conſiſtit. Cumque allatis luminibus, illam Cap. 11.

vidiſ-

vidiſſent,dixerunt: Profectò hæc Aquilina eſt, quam tu canibus eſcam proijci iuſſiſti. Hæc cùm audiſſet Proconſul,iuſſit illam ſeruari vſq; ad ſequentis diei tempus. Quod cùm veniſſet,iuſſit illam duci ante tribunal. Eam verò affatus: Túne,inquit, es Aquilina? Tum illa reſpondit: Sceleſtiſſime homo, & ſi cordis tui lumen excæcatum eſt à patre tuo diabolo,an & corporeis oculis non vides? Ego ſum Aquilina, quæ tibi nunc aſſiſto. Tum Proconſul manu ſua oculos terens,& præ ſtupore cùm pauliſper obmutiſſet,ſecum dicebat: Si ipſius cerebrum combuſtum eſt,& morti ſubiecta nō fuit,nullum igitur deinde aliud tormentum ipſam attingere poterit.

Sententia Voluſiani in eam. Hæc cùm dixiſſet, ſententiam, vt ſecuri percuteretur, talem pronunciauit A. quilinam peſſimæ Chriſtianorum ſectæ propugnatricem, natu quidem minorem, ſed veneficijs tamen grandem, Imperatorum edictis religioſiſſimis aduerſantem depræhendimus,neque dijs obedientem, neque Imperatoribus aſſentientem: quam cùm multis admonitionibus conati ſimus ab inſania hominis Crucifixi ad inuictorum deorum veriſſimam cognitionem traducere,non potuimus. Hæc multa tormenta experta quidem fuit, ſed veneficijs tamen ſuis fecit, vt nullis tormentis perturbari poſſet. Reliquum igitur mihi viſum eſt, ne deorum ſacrificia irrideantur, vt hanc extra vrbem eductam capitali pœna plecti iubeamus. Cùm igitur Aquilina educeretur,& carnifex præiret,venit ad eum locum, in quo illam gladio percuti definitum fuerat. Ibi vnius horæ tempus petijt,vt Deum oraret. Erectis igitur in cælum oculis: Domine,inquit,Deus omnipotens,ago tibi gratias,quòd martyrij mei tempus mihi oſtenderis. Laudo te, Deus meus,rerum omnium effectorem, quòd non feciſti, vt fruſtrà ſtadij mei curſum conficerem. Benedico tibi creator vniuerſorum, quòd Tyrannum confudiſti,& meipſam coronâſti. Hoc igitur à te ſupplex peto, vt accipias ſpiritum meum in pace,vt derelictis terrenis rebus,cæleſtibus bonis frui poſſim,&,te authore,immortalitatis coronam recipiam.

Virtus diuina adſcribitur veneficijs.

Hæc cùm precata eſſet,vox è cælo venit, quæ dixit: Agè, virgo electa, quæ Tyranni fremitum conculcâſti,& diaboli ſtimulos certamine tuo comminuiſti, ducemque Voluſianum omninò ſuperâſti,accipe brauium tibi propoſitum. In terris labores & ærumnas pertuliſti,in cælis nunc iucunditate perfruaris. Cùm hæc vox ad eam delata eſſet, priuſquàm carnifex in eius ceruicem gladium inieciſſet,beata Chriſti veri Dei noſtri martyr perfectè mortem obijt. Carnifex verò, licèt illa ſpiritum reddidiſſet,tamen,Proconſule iubente,eius caput abſcidit, ex quo pro ſanguine lac in terram defluxit. Chriſtiani autem homines cùm præſtò eſſent, eius reliquias gemmis præſtantiores ſuſtulerunt,& precioſis vnguentis ac linteis nouis inuolutas,in monumento apud vrbem Biblon ſepeliérunt.

Expirat necdum cæſa à carnifice.

Reliquię eius gemmis præſtantiores.

Martyrio autem conſummata eſt beata Aquilina, Imperatore Diocletiano, & Voluſiano Proconſule, tertiodecimo die menſis Iunij. Eſt autem eius martyrij locus in vrbe Biblo,vbi vſque ad hodiernum diem multæ curationes hominibus afferuntur, in Chriſto Ieſu Domino noſtro: Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DE S. Felicula videat Lector hiſtoriam SS. Nerei & Achillei in menſe Maio, die 12.

VITA

VITA GERARDI MONACHI, FRATRIS D. BERNARDI ABBATIS CLARAVALLENSIS,

per eundem ſcripta, Sermone xxvj. in Cantica Canticorum.

QVOVSQVE diſſimulo, & ignis, quem intra meipſum abſcondo, triſte pectus adurit, interiora depaſcitur? Clauſus latiùs ſerpit, ſæuit acriùs. Quid mihi & cantico huic, qui in amaritudine ſum? Vis doloris abducit intentionem, & indignatio Domini ebibit ſpiritum meum. Subtracto ſiquidem illo, per quem mea in Domino ſtudia vtcunque libera eſſe ſolebant, ſimul & cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac diſſimulaui vſque huc, ne affectus fidẽ vincere videretur. Deniq; plorantibus alijs ego (vt aduertere potuiſtis) ſiccis oculis ſecutus ſum inuiſũ funus, ſiccis oculis ſteti ad tumulum quouſque cuncta peracta ſunt exequiarum ſolennia. Indutus ſacerdotalibus, ſolitas in eum orationes proprio ore compleui, terram meis manibus ex more ieci ſuper dilecti corpus terram mox futurum. Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur quòd non flerem ipſe: cùm non illum quidem, ſed me potiùs qui illum amiſiſſem, omnes miſerarentur. Cuius enim vel ferreum pectus ſuper me ibi non moueretur, quem videret Gerardo ſuperſtitem? Commune damnum: ſed præ meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel inuitus non moueri fruſtrà addictione naturæ, vniuerſitatis debito, conditionis vſu, potentis iuſſu, iudicio iuſti, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro huiuſmodi ſemper extunc & deinceps exegi à memetipſo non indulgere multo fletui, multùm tamen turbatus & mœſtus. Nec potui imperare triſtitiæ, qui potuit lachrymæ: ſed vt ſcriptum eſt, Turbatus ſum, & non ſum locutus. At ſuppreſſus dolor altiùs introrſum radicauit, eo (vt ſentio) acerbior factus, quòd non eſt exire permiſſus. Fateor, victus ſum. Exeat neceſſe eſt foras, quod intus patior. Exeat ſanè ad oculos filiorum, qui ſcientes incommodum, planctum humaniùs æſtiment, dulciùs conſolentur.

Iunij 12. — *En vt vir ſãctus domeſtas habuerit affectiones.* — *Pſalm. 76.*

Scitis, ô filij, quàm iuſtus ſit dolor meus, quàm dolenda plaga mea. Cernitis nempè quàm fidus comes deſeruit me in via hac qua ambulabam, quàm vigil ad curam, quàm non ſegnis ad opus, quàm ſuauis ad mores. Quis ita mihi pernecceſſarius? cui æquè dilectus ego? Frater erat genere, ſed religione germanior. Dolete, quæſo, vicem meam vos, quibus hæc nota ſunt. Infirmus corpore eram, & ille portabat me. Puſillus corde eram, & confortabat me. Piger & negligens, & excitabat me. Improuidus & obliuioſus, & commonebat me. Quò mihi auulſus es? Quò mihi raptus è manibus homo vnanimis, homo ſecundùm cor meum? Amauimus nos in vita, quomodò in morte ſumus ſeparati? Amariſſima ſeparatio, & quam non poſſet omninò efficere niſi mors. Quando enim me viuus viuum desereres? Omninò opus mortis, horrendum diuortium. Quis enim tam ſuaui vinculo mutui noſtri nõ pepercisset amoris, niſi totius ſuauitatis inimica mors? Benè mors, quæ vnum rapiendo, duos furioſa peremit. An non mors etiam mihi? Immò plus mihi, cui vtique omni morte infelicior vita ſeruata eſt. Viuo, vt viuens moriar: & hoc dixerim vitam? Quia mitiùs me priuares, ô auſtera mors, vitæ vſu, quàm fructu. Nam vita ſine fructu grauior mors. Denique duplex malum ligno paratur infructuoſo, ſecuris, & ignis. Ergo meis laboribus inuidens, elongâſti à me amicum, & proximum: per cuius maximè ſtudium erant (ſi quando erant) fructuoſi.

Encomia Gerardi. — *Nota S. Bernardi ſingularem modeſtiam.*

Satius proinde mihi fuiſſet periclitari vita, quàm tua, Gerarde, præſentia: qui meorum in Domino ſtudiorum eras ſolicitus incitator, fidelis adiutor, cautus examinator. Cur, quæſo, aut amauimus aut amiſimus nos? Dura conditio, ſed mea miſeranda fortuna, non & illius. Nam tu chare frater, ſi charos amiſiſti, chariores vtique recepiſti. Me verò quænam iam miſerum conſolatio manet poſt te vnicum ſolatium meum? Placita fuit pariter vtriq; ſocietas corporũ pro morum concordia: ſed ſolum

me

me diuiſio vulnerauit. Cõmune, quod libuit: quod triſte & lugubre, meum. In me trãſierunt iræ, in me confirmatus furor eſt. Erat ambobus alterutrùm grata præſentia, dulce conſortium, ſuaue colloquium. Sed tantas vtriuſq; delicias ego perdidi, tu mutâſti. Et quidem immutatis illis retributio multa. Quãto fœnore gaudiorum, ac benedictionum cumulo cares hodiè, nobis frater chariſſime, tanto habes certè pro me tãtillo repoſitam tibi Chriſti præſentiam. Nec diſpendium ſentis abſentiæ à nobis tuæ, angelorum admixtus choris. Non eſt igitur, quòd cauſeris tu de noſtra quaſi ſubtracta tibi præſentia, cui affatim ſuî ſuorumq; copiam Dominus maieſtatis indulſit.

Sancti ſunt cum Chriſto in cælis.

At ego pro te quid? Quàm vellem ſcire quidnam ſentias nunc de me illo vnicò tuo, medijs nutante curis & pœnis, deſtituto te baculo imbecillitatis meæ. Si tamen licet adhuc cogitare de miſeris, ingreſſo abyſſũ luminis, atq; illo pelago æternæ felicitatis abſorpto. Fortè enim etſi nôſti nos ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nôſti: Et quoniam introîſti in potentias Domini, memoraris iuſtitiæ eius ſolius; immemor noſtrî. Cæterùm qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt, & in diuinum quendam totus immutatur affectum: nec poteſt iam ſentire aut ſapere niſi Deum, & quod ſentit & ſapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas eſt, & quanto quis coniunctior Deo, tanto plenior charitate. Porrò impaſſibilis eſt Deus, ſed non incompaſſibilis, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Ergo & te neceſſe eſt miſericordem eſſe, qui inhæres miſericordi, quanuis iam minimè miſer ſis: & qui non pateris, compateris tamen: affectus proinde tuus non eſt imminutus, ſed immutatus: nec quoniam Deũ induiſti, noſtrî cura te exuiſti: & ipſi enim cura eſt de nobis. Quod infirmum eſt, abiecisti, ſed non quod pium. Charitas denique nunquàm excidit. Non obliuiſceris me in finem. Videor mihi quaſi audire fratrem meum dicẽtem: Nunquid mater obliuiſci poterit filij vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tuî. Non expedit prorſus. Scis vbi verſer, vbi iaceam, vbi reliqueris me. Non eſt qui porrigat manum. Ad omne quod emerſerit, reſpicio ad Gerardum, vt conſueueram, & non eſt. Heu tunc ingemiſco miſer, ſicut homo ſine adiutorio. Quem conſulam in ambiguis, cui in aduerſis fidam, quis portabit onera, quis pericula propulſabit? Nónne vbique greſſus meos Gerardi oculi anteibant? Nónne tuum Gerarde pectus curæ meæ notius quàm meum ipſius habebant? familiariùs incurſabant, acriùs vrgebant? Nónne in lingua tua illa placabili & potenti, meã à ſermonibus ſeculi frequẽtiſſimè vindicabas, & amico reddebas ſilentio? Dominus dederat illi linguam eruditam, vt ſciret quando deberet proferre ſermonem.

Pſal.70. 1.Cor.6. 1.Ioan.4. 1.Pet.5. 1.Cor.13. Pſalm.12. Eſa.49.

Amicum ſilentium viris ſanctis. Eſa.50.

Ita denique in prudentia reſponſorum ſuorum, & in gratia data ſibi deſuper, & domeſticis ſatisfaciebat, & exteris, vt penè me nemo requireret, cui prior fortè Gerard⁹ occurriſſet. Occurrebat aũt aduentãtibus, opponens ſe, ne ſubitò meum otium incurſarent. Si quibus ſanè per ſe ſatisfacere non quibat, hos perducebat ad me, cæteros remittebat. O virum induſtrium, ô amicum fidelem, & amico gerebat morem, & officijs charitatis non deerat. Quis vacua ab eo receſſit manu? Si diues, conſilium: ſi pauper, ſubſidium reportabat. Nec quærebat quæ ſua ſunt, qui ſe mediis ingerebat curis, vt ego vacarem. Sperabat enim (ſicut erat humilimus) maiorem de noſtra quiete fructũ, quàm ſi vacaret ipſe. Interdum tamen poſtulabat abſolui, & alteri cedere, quaſi qui meliùs prouideret. Sed vbi ille inueniretur? Nec petulanti aliquo (vt aſſolet) in eo officij detinebatur affectu, ſed ſolo intuitu charitatis. Siquidem plùs omnib⁹ laborabat, & minus omnibus accipiebat: ita vt ſæpè cùm alijs neceſſaria miniſtraret, egeret ipſe in pluribus (verbi cauſa) cibo, aut veſte.

Gerardus alijs largus, ſibi parcus.

Denique cùm ſe ſentiret deceſſui propinquare: Deus, inquit, tu ſcis, quòd quantum in me fuit, ſemper optaui quietem: mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, & voluntas fratrũ, & ſtudiũ obediendi, ſuper omnia Abbatis pariter & fratris germana dilectio. Ita eſt. Gratias tibi, frater, de omni fructu meorum (ſi quis eſt) in Domino ſtudiorum. Tibi debeo, ſi profeci, ſi profui. Tu intricabaris, & ego tuo beneficio feriatus ſedebam mihi, aut certè diuinis obſequijs ſanctiùs occupabar, aut doctrinæ filiorum vtiliùs intendebam. Cur enim ſecurus intus non eſſem, cùm te ſcirẽ agentẽ foris manum dexteram meam, lumen oculorum meorũ, pectus meum & linguam meam? Et quidem indefeſſa manus, oculus ſimplex, pectus conſilij, lingua loquens iudicium, ſicut ſcriptum eſt: os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Pſalm.36.

Sed quid dixi foris agentem illum, quaſi interna Gerardus neſciret, ac ſpiritualium expers eſſet donorum? Norunt qui illum norunt ſpirituales, quã verba eius ſpiritũ redole-

dolerent. Norunt contubernales, quàm mores eius & ſtudia non carnem ſaperēt, ſed feruerent ſpiritu. Quis illo rigidior in cuſtodia diſciplinæ, quis in caſtigando corpus ſuum diſtrictior, ſuſpenſior, vel ſublimior in contemplando, ſubtilior in diſſerendo? Quoties cum eo diſſerens ea didici, quæ neſciebam, & qui docturus aduenerã, doctus magis abſceſſi? Nec mirum de me, cùm magni ac ſapientes viri idipſum nihilominùs ex illo ſibi accidiſſe teſtentur. Non cognouit literaturam, ſed habuit literarum inuentorem ſenſum, habuit & illuminantem ſpiritum. Nec in maximis tantùm, ſed & in minimis maximus erat. Quid (verbi cauſa) in ædificijs, in agris, hortis, aquis, cunctis deniq; artibus ſeu operibus ruſticorũ, quid, inquã, vel in hoc rerũ genere Gerardi ſubterfugit peritiã? Cæmētarijs, fabris, agricolis, hortulanis, ſutoribus, atque textoribus facilè magiſter erat. Cumque omnium iudicio omnibus eſſet ſapientior, ſolis in ſuis oculis non erat ſapiens. Vtinam multos, etſi minùs ſapientes, non plus tangeret illa maledictio: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. Scientibus iſta loquor, & adhuc plura his de illo, & maiora compertis. Parco tamen, quia caro mea & frater eſt. Hoc tamen ſecurus addo, mihi vtilis in omnibus & præ omnibus fuit. Vtilis in paruis & magnis, in priuatis & publicis, foris & intus.

Præclaræ Gerardi virtutes. — *Quàm fuerit diuinitùs illuminatus.* — *Modeſtia eius.* — *Eſa. 5.*

Meritò ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat. Solum penè reliquerat mihi prouiſoris honorē & nomen: nã opus ipſe faciebat. Ego vocitabar Abbas, ſed ille præerat in ſolicitudine. Meritò requieuit in illo ſpiritus meus, per quem licebat delectari in Domino, in omnibus prædicare liberiùs, orare ſecuriùs. Per te, inquam, mihi, frater mi, mens ſobria, & grata quies, ſermo efficacior, pinguior oratio, frequentior lectio, & feruentior affectus. Heu ſublatus es, & hæc omnia ſimul. Tecum omnes pariter abiêre deliciæ & lætitiæ meæ. Iam curæ irruunt, iam moleſtiæ hinc inde pulſant, & anguſtiæ vndiq; ſolum me repererunt, ſolæ mihi te abeunte remanſerunt, ſolus ſub ſarcina gemo. Aut ponere aut opprimi neceſſe eſt, quia tu tuos humeros ſubduxiſti. Quis mihi tribuat citò mori poſt te? Nam pro te nolim, nec te tua fraudare gloria. Porrò ſuperuiuere tibi, labor & dolor. Viuam quoad viuam in amaritudine, viuam in mœrore, & hæc ſit mihi conſolatio, vt mœrendo affligar. Non parcam, & iuuabo manum Domini. Etenim manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit & percuſſit, non illũ, quem vocauit ad requiem. Me occidit, cùm ſuccidit illum. Nunquid enim occiſum quis dixerit, quem plantauit in vita? At quod illi vitæ ianua fuit, mihi planè eſt mors: meq; illa morte mortuum dixerim, non hunc qui obdormiuit in Domino.

Non ſunt mortui Sancti, ſed plantati in vita.

Exite, exite lachrymæ iampridem cupientes: exite, quia is qui vobis meatum obſtruxerat, commeauit. Aperiantur cataractæ miſeri capitis, & erumpant fontes aquarum, ſi fortè ſufficiant ſordes diluere culparum, quibus iram merui. Cùm conſolatus fuerit ſuper me Dominus, tunc fortaſſis & ego merear conſolari, ſi tamen non pepercero à mœrore. Nam qui lugent, ipſi conſolabuntur. Propterea condeſcendat mihi omnis ſanctus, & in ſpiritu lenitatis, qui ſpiritualis eſt, ſuſtineat lamentantem. Luctus meus humano, quæſo, penſetur affectu, non vſu. Videmus nempè mortuos quotidiè plangere mortuos ſuos, fletum multum, & fructum nullum. Non culpamus affectum niſi cùm excedit modum, ſed cauſam. Ille nimirùm naturæ eſt, & eius turbatio pœna peccati: hæc vanitas & peccatum. Et enim ibi ſola (niſi fallor) plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præſentis incommoda. Et plorandi, qui ita plorant. Nunquid ego ſic? Similis mihi affectus, ſed altera cauſa, diſſimiliſq; intētio. Nulla mihi ſanè querela de omnibus quæ ſunt mundi. In his profectò quæ ſunt Dei, ademptũ doleo fidele auxilium, ſalutare conſiliũ. Gerardum lugeo. Gerardus eſt in cauſa, frater carne, ſed proximus ſpiritu, ſocius propoſito. Adhæſit anima mea animæ illius: & vnam fecit de duabus, non conſanguinitas, ſed vnanimitas. Carnis quidem neceſſitudo non defuit: ſed plus iunxit ſocietas ſpiritûs, conſenſus animorum, morũ conformitas. Cùm ergo eſſemus cor vnum & anima vna, hanc meam pariter atq; ipſius animam pertranſiuit gladius, & ſcindens mediam partem locauit in cælo, partem in cœno deſeruit. Ego ego illa portio miſera in luto iacens, truncata parte ſui, & parte potiori: & dicitur mihi, ne fleueris? Auulſa ſunt viſcera mea à me, & dicitur mihi, ne ſenſeris? Sentio, ſentio vel inuitus, quia nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt: ſentio prorſus & doleo, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Non ſanè nos poterit duritiæ & inſenſibilitatis arguere ille qui verberat, quomodò illos de quibus ait: Percuſſi eos, & non doluerunt. Affectum meum confeſſus ſum, & non negaui. Carnalem quis dixerit, ego humanum non nego, ſicut nec me hominem. Si ne hoc ſufficit, nec carnalem negauerim. Nam & ego carnalis ſum, venũdatus ſub peccato, addictus morti, pœnis, & ærum-

Matth. 5. — *Luctus hominum mũdanorum.* — *Ierem. 5.*

& ærumnis obnoxius. Non ſum (fateor) inſenſibilis ad pœnas, mortem horreo meam & meorum. Meus Gerardus erat, meus planè. An non meus, qui frater ſanguine fuit, profeſſione filius, ſolicitudine pater, conſors ſpiritu, intimus affectu? Is receſſit à me ſentio: læſus ſum, & grauiter.

Iob.19. Ignoſcite filij: immò ſi filij, vicem dolete paternã. Miſeremini meî, miſeremini meî, ſaltem vos amici mei, qui certè cõſideratis: quam grauia pro peccatis recepi de manu Domini. In virga indignationis ſuæ percuſſit me, dignè pro meritis, durè pro viribus. An leue quis dixerit, viuere me abſq; Gerardo, niſi qui ignorat quid mihi cũ Gerardo? Nec tamen cõtradico ſermonibus ſancti: Nec reprehendo iudiciũ quo recepit quiſq; quo dignus eſt: Ille coronam quam meruit, ego quam debui pœnam. Nunquid quia ſentio pœnam, reprehendo ſententiam? Humanum eſt illud, hoc impium. Humanũ, inquam, & neceſſe affici erga charos, ſiue delectabiliter cùm præſtò ſunt, ſiue, cùm abſunt, moleſtè. Non eritocioſa ſocialis conuerſatio, præſertim inter amicos: & quid effecerit mutuus amor in ſibi præſentibus, horror indicat ſeparationis, & dolor de inuicèm in ſeparatis. Doleo ſuper te, Gerarde chariſſime, non quia dolendus, ſed quia ablatus. Et ideò fortaſſis dolendum mihi potiùs ſuper me, qui bibo calicem amaritudinis. Et ſolus dolendus, quia ſolus bibo. Non enim & tu. Solus ego patior, quod ſolent pariter pati, qui ſe diligunt, cùm ſe amittunt. Vtinam non te amiſerim, ſed præmiſerim. Vtinam vel tardè aliquando ſequar te, quocunque ieris.

Corona ſanctis datur pro meritis.

Vt Gerard⁹ ſub mortẽ ſe geſſerit. Non enim dubium, quin ad illos ieris quos circa medium extremæ noctis tuæ inuitabas ad laudem, cùm in vultu & voce exultationis ſubitò erupiſti in illud Dauidicũ, ſtupentibus qui aſſiſtebant: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Iam tibi, frater mi, nocte adhuc media dieſcebat, & nox ſicut dies illuminabatur. Prorſus illa nox illuminatio tua in delicijs tuis. Accitus ſum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & inſultantem morti. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Iam non ſtimulus, ſed iubilus. In cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vſurparis ad lætitiam, mater mœroris: vſurparis ad gloriam, gloriæ inimica: vſurparis ad introitum regni, porta inferi, & fouea perditionis ad inuentionem ſalutis, idque ab homine peccatore. Iuſtè nimirùm, quia tu iniquè in hominem innocentem & iuſtum poteſtatem temerariã vſurpâſti. Mortua es, ô mors, & perforata hamo quem incauta glutijſti, cuius illa vox eſt in Propheta: O mors, ero mors tua: morſus tuus ero inferne. Illo, inquam, hamo perforata, tranſeuntibus per medium tuî fidelibus, latum lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat larualis effigies. Gerardus per medias fauces tuas tranſit ad patriam, nõ modò ſecurus, ſed & lætabundus & laudans.

Pſal.148.

Oſee.13.

Pſalm.30. Cùm ergo superueniſſem, & extrema iam pſalmi, me audiente, clara voce complêſſet, ſuſpiciens in cælum, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et repetens eundem ſermonem, ac frequenter ingeminans, Pater, pater, conuerſus ad me, exhilarata quidem facie: Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum eſſe! quanta hominum gloria, Dei filios eſſe & hæredes? Nam ſi filij, & hæredes. Sic cantabat, quem nos lugemus. In quo & meum (fateor) luctum penè in cantum conuertit, dum intentus gloriæ eius, propriæ ferè miſeriæ obliuiſcor. Sed reuocat me ad me pungens dolor, facileque à ſereno illo intuitu tanquam à leui excitat ſomno perſtringens anxietas.

Mira exultatio morientis.

Luc.23. Plangam igitur, ſed ſuper me, quia ſuper illum iam vetat ratio. Puto enim, ſi opportunitas daretur, modò diceret nobis: Nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſos flete. Planxit meritò Dauid ſuper parricida filio, cui perpetuò ſciret obſtructũ in exitum de ventre mortis mole criminis. Meritò ſuper Saul & ſuper Ionatham: quibus æquè abſorptis ſemel, emerſio iam non ſperabatur. Et quidem reſurgent, ſed nõ ad vitam. Immò ad vitam, vt viui in morte infeliciùs moriantur. Quanquam de Ionatha poſſit non immeritò hærere ſententia. At mihi etſi non iſta ſuppetit plangendi ratio, non tamen nulla. Plango primùm ſuper mea ipſius plaga, atque huius iactura domûs. Plango deinde ſuper pauperum neceſſitatibus, quorum Gerardus pater erat. Plango certè & ſuper vniuerſo ſtatu noſtri ordinis, noſtræ profeſſionis, qui de tuo Gerarde zelo, conſilio & exemplo robur non mediocre capiebat. Plango poſtremò etſi non ſuper te, propter te tamen. Hinc prorſus, hinc afficior grauiter, quia vehementer amo. Et nemo mihi moleſtus ſit, dicens non debere ſic affici: cùm benignus Samuel ſuper reprobo rege, & pius Dauid ſuper parricida filio ſatisfecerint affectioni, & non ad iniuriam fidei, non in ſuperni ſugillationem iudicij, Abſalon fili mi

2.Reg.18.

2.Reg.1.

Pater pauperum, Gerardus.

Præclara Gerardi laus.

1.Reg.15.

fili mi (ait ſanctus Dauid) fili mi Abſalon: Et ecce plus quàm Abſalō hic. Saluator quo- 2.Reg.18.
que videns ciuitatē Hieruſalem, & præuidens ruiturã, fleuit ſuper eam. Et ego propri- Luc. 19.
am, & quæ in præſenti eſt, deſolationem non ſentiam? Plagam meam recentem, & gra
uem non doleam? Ille fleuit compatiendo, & ego patiendo non audeam? Et certè ad
tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, inſuper & fleuit cum flenti-
bus. Et lachrymatus eſt, inquit, Ieſus. Fuerunt lachrymæ illę teſtes profectò naturę, nō Ioan. 11.
indices diffidentiæ. Deniq; & prodijt mox ad vocem eius, qui erat mortuus, ne conti-
nuò putes fidei præiudicium dolentis affectum.

Sic nec fletus vtique noſter infidelitatis eſt ſignum, ſed conditionis indicium. Nec
quia percuſſus ploro, arguo ferientem: ſed prouoco pietatem, ſeueritatem flectere ſa-
tago. Vnde & verba mea dolore ſunt plena, non tamen & murmure. Nunquid non
plenum iuſtitiæ protuli, quòd vnius ſententiæ complemento & punitus eſt qui debuit,
& coronatus qui meruit? Et adhuc dico: Benè vtrunque fecit dulcis & rectus Domi-
nus. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Cantet tibi miſericordia quam Pſal. 100.
feciſti cum ſeruo tuo Gerardo, cantet & iudicium quod nos portamus. In altero bo-
nus, in altero iuſtus laudaberis. An ſolius laus bonitatis? Eſt & iuſtitiæ. Iuſtus es Do- Pſal. 118.
mine, & rectum iudicium tuum. Gerardum tu dediſti, Gerardum tu abſtuliſti: etſi do
lemus ablatum, non tamen obliuiſcimur quòd datus fuit, & gratias agimus quòd ha-
bere illum meruimus quo carere intantùm non volumus, inquantùm non expedit.
Recordor Domine pacti mei, & miſerationis tuæ, vt magis iuſtificeris in ſermonibus Pſal. 50.
tuis, & vincas cùm iudicaris.

Cùm pro cauſa Eccleſiæ anno præterito Viterbij eſſemus, ægrotauit ille: & inuale-
ſcente languore, cùm iam proxima videretur vocatio, ego ægerrimè ferēs comitem
peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere aliena, nec reſignare his, qui mi-
hi eum commiſerant, quoniam amabatur ab omnibus, ſicut erat amabilis valdè: con-
uerſus ad orationem cum fletu & gemitu, Expecta, inquam, Domine vſque ad redi-
tum. Reſtitutum amicis, tolle iam eum ſi vis, & non cauſabor. Exaudiſti me Deus: S. Bernardi miraculum
conualuit, opus perfecimus, quod iniūxeras, rediuimus cum exultatione reportantes
manipulos pacis. Porrò ego oblitus penè ſum meæ conuentionis, ſed non tu. Pudet
ſingultuum horum, qui præuaricationis me arguunt. Quid plura? Repetijſti commen
datum, repetijſti tuum. Finem verborum indicunt lachrymæ. Tu illis, Domine, fi-
nem modumque indixeris.

VITA S. ANTONII VLYSBONENSIS, PROFESSIONE FRANCISCANI, QVEM VVLGO A PADVA

vocant: ſcripta à quodam Patre Franciſcano grauiter & fideliter. Dictionem Fr. Laur. Surius in gratiam Lectoris mutauit, omiſſis pleriſque, parùm ad hiſtoriam facientibus, abſque tamen hiſtoriæ detrimento.

EST in Luſitaniæ regno ad plagam Occidentalem, in ex- Iunij 13.
tremis orbis finibus vrbs quædam, quam incolæ Vlyſbo- Cap. 1.
nam vocant, quòd ab Vlyſſe, vt aiunt, benè ſit condita. In
ea templum miræ magnitudinis extructum eſt in hono-
rem matris Dei & perpetuæ virginis Mariæ, in quo beati
Vincentij martyris ſacrum corpus honorificè aſſerua-
tur. Ad eius templi partem occiduam felices beati Anto- Patria S. Antonij.
nij parentes honeſtum habuêre domicilium, ipſis templi
foribus valdè propinquum. Ex illis in ipſo iuuentutis flo
re procreatus beatus Antonius, cùm ſacri baptiſmatis ſa- In baptiſmo Fernandus appellatur.
lutaribus expiaretur vndis, Fernandi nomen accepit. Qui
deinde ab ipſis propè incunabilis multa fuit morum probitate & integritate, nec ſicut
tenera puerorum ſolet ætas, mundi laſciuiam & vanitatem complexus eſt, ſed bono-
rum parentum ſedulus imitator, eccleſiarum & monaſteriorum crebrò terebat limi-
na; manuſq; ſuas libenter extendebat ad pauperes, vt illorum inopiam ſubleuaret, vt
poſſet in illum quoq; competere, quod de ſe beatiſſimus Iob ait: Ab infantia mea cre- Iob. 31.

 uit me.

Parentes eius. uit mecum miſeratio. Pater eius vir nobilis fuit, miles Alphonſi regis, Martinus nomine. Mater eius Maria, non infimo genere fuit.

Cap. 2. Cùm autem puer eſſet rationis capax, à parentibus in ea, quam diximus, beatiſſimæ matris Dei eccleſia literis traditus eſt imbuendus, ſimul & educandus à miniſtris Chriſti, cuius erat præco futurus. Ita pueritiæ ætatem inſtar patriarchæ Iacob domi ſimpliciter exegit. Cùm autem accedentibus annis ſentiret improbos corporis motus, de carnis corruptione naſcentes, nequaquàm ceſſit petulantis ancillæ prauis cupiditatibus, nec fræna libidini laxauit: ſed ſtrinxit habenas, corpusq́; in ſeruitutē ſpiritus redigere nitebatur. Vileſcebat ei in dies mundus iſte, & ne puluis terrenę felicitatis pedibus adhæreret, animoq́; in via Domini currenti offendiculo foret, retraxit eos, cùm necdum tortos illos in ipſo mundi primo aditu poſuiſſet. Eſt autem extra vrbis Vlyſbonæ muros monaſterium Auguſtinianorū, in quo viri ſpectatæ religionis degunt, quos Canonicos regulares vocant. Ad quos vir Dei, ſpretis mundi oblectamentis, ſe contulit, & illorum habitum induit humiliter ac deuotè. Sed cùm biennio illo, quo apud eos manſit, amicorum crebra viſitatione, quæ ſolet pijs mentibus non parùm importuna videri, interpellatus fuiſſet, vt omnes eiuſmodi occaſiones ſibi præcideret, natalē ſolum deſerere decreuit, vt apud exteros Domino tranquilliùs & liberiùs vacare poſſet. Impetrata igitur, ſed ægrè, recedendi copia à ſuperiori, non vitæ inſtitutum, ſed locum mutauit, ad monaſterium S. Crucis de Colimbria, feruenti ſpiritu commigrās, idq́; zelo ſeuerioris diſciplinæ & ſtudio maioris quietis.

Fit canonicus regularis.

Aliud monaſterium petit.

Cap 3. Quàm autem ille non locum, ſed morum mutationem & expetijſſet & feciſſet, ſatis declarabat vita eius ſolito feruentior. Et quoniam, teſte D. Hieronymo, non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe, laudandum eſt: talem ſe moribus exhibuit, vt omnibus perſpicuum eſſet, loci opportunitatem maiorem idcircò illum appetijſſe, vt ad vitæ perfectionem faciliùs poſſet pertingere. Neq; verò mediocri ſtudio ſemper excolebat ingenium, nec diebus nec noctibus pro temporis ratione à lectione diuina ceſſans, animumq́; ſanctis cogitationibus, & meditationibus exercens. Solebat autem legendo hiſtoricæ veritatis textum, allegorica comparatione confirmare fidem, & rurſus ipſis ſcripturæ verbis cōformare mores & affectum inflammare. Scrutabatur religioſa curioſitate profunda ſermonum Dei, & contra errorum foueas diuinæ ſcripturæ ſententijs intellectum communiebat: ſimul etiam ſanctorum Patrum monumenta ſedula lectione euoluens. Denique lecta tenaci memoria complectens, præter omnium expectationem, magnam ſcripturæ diuinæ eſt cognitionem adeptus.

Epiſtola 13. ad Paulinū.

Eius ſtudium.

Cap. 4. Cùm autem reliquias ſanctorum martyrum, quinq; fratrum ordinis ſancti Franciſci, dominus Petrus Infans, sereniſſimi Luſitaniæ regis filius primogenitus, à Marochio adduxiſſet, & ſe illorum meritis à magnis periculis liberatum per omnes Hiſpaniæ prouincias diuulgâſſet: Chriſti ſeruus Fernandus audiens mira, quæ per illos fiebant, multo cœpit flagrare deſiderio inſtar illorum pro Chriſto hauriendi martyrij calicem, factusq́; ſeipſo robuſtior, humano calcato timore, diuinæ gratiæ validiſſimo protectus clypeo, dicebat apud ſe: Vtinam coronæ martyrum ſuorum participem me facere dignetur Deus. Vtinā liceat pro Chriſti nomine flexo poplite carnificis ictum excipere. Interim nocte ac die rogabat attentiſſimè Dominum, vt menti ipſius adſpiraret, quòd & illius voluntati gratius, & ſuæ ſaluti conducibilius, & proximorum vtilitati atque ædificationi opportunius eſſet.

Reliquiæ martyrum Franciſcanorum.

Cap. 5. Erat per id tempus haud procùl à Colimbria eo in loco, qui S. Antonius dicitur, vbi fratres erant inſtituto & profeſſione Franciſcani, literas quidem neſcientes, ſed vim atque virtutem literæ vita & virtutibus exprimentes: qui ex præſcripto regulæ & profeſſionis ſuæ eleemoſynam petituri, ad monaſterium viri Dei ſæpe venire ſolebant. Ad quos pro ſuo more die quodam viſitandi gratia clàm accedens, inter cætera, ait ad illos: Ordinis veſtri habitum, fratres chariſſimi, ardenti animo cupio accipere, modò id mihi polliceri velitis, ſimulatque illum induero, miſſuros me vos ad regiones Saracenorum, vt cum ſanctis martyribus merear ego quoque ſanguinem fundere, & eſſe coronæ illorum particeps. Illi his auditis, non mediocriter tanti viri ſermonibus exhilarati, diem craſtinum eius explendo deſiderio deſignant. Mox beatus Antonius Abbatem ſuum pro obtinenda abeundi facultate precibus pulſat, eaque vix extorta, fratres Franciſcani non immemores pollicitationis ſuæ, manè redeunt, habitum ſuæ profeſſionis illi tradunt. Quo cùm ille indutus eſſet, quidam ex Canonicis monaſterij eius acerbo animo dixit ad eum: Eas, eas: forſitan ſanctus eris. Ad quem ille conuerſus,

S. Antonius fit Franciſcanus.

ſus, humili voce dixit: Cùm me in ſanctos relatum audieris, profectò Deum laudabis. Poſſumus ex his colligere, quàm gratus ille fratribus ſuis fuerit, cui nec Prælatus niſi admodùm difficulter diſcedendi voluit facere poteſtatem, nec fratres hac in re ſuo eum fouere conſilio, nec ille, quem diximus, frater eius abſentiam æquo potuit animo perferre. Puto equidem non abſque multo dolore & lachrymis talem à ſe virum illos dimiſiſſe, quem ſui monaſterij idoneum ſeſe præfectum breuì habituros ſperarent. Porrò autem fratres Franciſcani cum nouo ſocio ſuo domum properant, eumque amanter accipiunt. Sed quia formidabat vir Dei, ne parentes aliquam ipſi moleſtiam faceſſerent, vt ipſum inquirentium curam eluderet, mutato nomine, Antonium ſe dici voluit. Nomen ſuum mutat.

Paulatim autem creſcebat in eo ſitis martyrij, & zelus fidei magis ac magis eum extimulabat, nec eum quieſcere patiebatur. Itaque quemadmodùm ſe facturos receperant, fratres Franciſcani fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiſcendi. Nec ille ſibi moras nectendas putans, celeriter abijt. Sed præpotens Deus hac in re illius propoſitū planè retardauit, totius hyemis ſpatio graui eum morbo affligens. Qua re compulſus ille ad natale ſolum ob corporis curandam valetudinem ſe recepit: ſed cùm nauigando ad Hiſpaniæ littora nautas appulſuros ſperaret, ad Siciliam ventorum impulſu delatum ſe ſenſit. Habuit ergo pro Chriſto moriendi & deſiderium & conatum vir omnium ore meritò celebrandus, ſed diuina prouidētia, vt pòſt ipſa res docuit, plurimorum ſaluti eum ſeruauit, quos ille in diuerſis regionibus è fęcibus peccatorum reuocauit ad ſalutares pœnitentiæ fructus. Cap. 6. Cupit apud Saracenos mori pro Chriſto, ſed impeditur.

Non longè tum aberat dies, in quem indictus erat fratrum conuentus apud Aſſiſium, quem Capitulum generale vocant. Id vbi Meſſanæ ex fratribus vir Dei reſciuit, ſeipsū confirmans, eò, licèt debilis & affecta valetudine, profectus eſt. Eo autem conuentu ſoluto, cùm ille, quē Miniſtrū vocant, cōmiſſos ipſi fratres ad ſua loca remitteret, ſolus Antonius à nemine expetebatur: quippe qui vt ignotus, ita parū vtilis aut idoneus exiſtimaretur: atq; ita ſolus in Miniſtri generalis manibus relictus eſt. Accito autem fratre Gratiano, qui tum in Aemilia ſiue Romandiola fratrum Miniſter erat, ſecretò eū rogauit ſeruus Dei, vt à Miniſtro generali ipſum acceptum in Aemiliam perduceret, diſciplinis regularibus illic erudiendum. Nullam verò literaturæ mentionem faciens, nihil eccleſiaſticam exercitationem iactitans, ſed intellectum & ſcientiam omnē captiuans in obſequium Chriſti, illum ſolum crucifixum ſe ſitire, ſe nôſſe, ſe complecti velle proclamabat. Frater autem Gratianus miram eius deuotionem exoſculans, votis eius aſſenſit, ſecumq; in Aemiliam abduxit: vbi venia impetrata, ad eremum Montis Pauli ſeceſſit, quietem animi & conſcientiæ captare volens. Cùm autem in ea eremo aliquandiù moraretur, frater quidam cellulam precationi aptam in quadam crypta ſibi condidit, vt illic liberiùs Deo vacaret. Eam vt vidit vir beatus, à fratre illo ſibi eius copiam fieri precibus contendit. Non negauit ille, & vir Dei perſoluto quotidiè nocturnarum precum officio, ad eam cellam ſecedebat, ſumptaque ſecum exigua panis particula & in vaſe aqua, cogebat carnem parere ſpiritui, ſolitariamque illic, quantùm licuit, vitam ducens, ſanctis cogitationibus & meditationibus ſpiritum aduerſùs tentationes communiebat, & diuino amore ſe confirmabat. Perſtabat illic ſolus nocturnis horis in precibus, totumque ſe diuinæ moderationi permittens & commendans, in cæleſtibus ſpei ſuæ ancoram ſolidiſſimè defigebat. Nec deerant illi crebræ infeſtationes dæmonum, volentium eum in ſanctæ orationis ſtudio perturbare. Tanta autem ſe inedia macerauit, vt quemadmodum teſtantur ij, qui id viderunt, hora refectionis ad fratres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate greſſu, ſeipſum interdum ſuſtentare non poſſet. Sic igitur vir ille plenus ſapientia, non breui tempore ſimplex vixit apud ſimplices, & omnem arrogantiam humili corde deuitans, ſub indocti perſona gratiæ lumen abſcondit. Cap. 7. Magna eius modeſtia. Degit in loco ſolitario Magna eius abſtinētia.

Sed non eſt paſſus Deus ſemper latere eum, voluitq; aliquando illum innoteſcere ſimplicibus fratribus. Cùm enim multum iam temporis fluxiſſet, fratres pro ſacris accipiendis Ordinibus ad forum Liuij, quæ eſt Aemiliæ ciuitas, confluxerunt: inter quos adfuit etiam Antonius & quidam fratres S. Dominici. Inſtante autem collationis horā, fratribus ex more congregatis, Miniſter loci illius fratres Dominicanos rogauit, vt ſitientibus verbum ſalutis proponerent. Illis recuſantibus, quòd nihil ſe præparâſſent, inſtigante eum fortiter ſpiritu Dei, Miniſter ad Antonium, de cuius eruditione nihil cōperti habebat, ſe conuertens, iubet, vt apud fratres dicat, quicquid ipſi ſuggereret ſpiritus Dei. Non putabat eum quicquam ſcire de ſcripturis diuinis, aut legiſſe aliquid, Cap. 8.

niſi fortè quæ ad eccleſiaſticum officium pertinerent. Spem tamen nonnullam ei adferebat, quòd audierat illum neceſſitate cogente, idq́; perrarò, aliquid literatè dixiſſe.
Celat diù ſcientiam ſuam. Et certè cùm tãtus ille eſſet, vt memoria pro codicibus vteretur, & myſtici eloquij gratia mirè afflueret, peritior tamen apud fratres habebatur abluendorum culinæ vtenſilium, quàm ſcripturæ ſanctæ myſteria explicandi. Præfectum enim ſuum, quem Guardianum dicunt, ſupplex rogârat, vt magni beneficij loco ipſi permittere vellet eluere coquinæ vaſa, & verrere quotidiè fratrum domicilia, nulli alij rei aptum & vtilem ſe confitens, cùm eſſet reuerà vas electum & ſancti ſpiritûs gratia multiuaria ornatum.
Humilitas tanti viri. Mundabat ergo quotidiè humili ac deuoto corde culinæ res & fratrũ domicilia, eximiæ cuiuſdam humilitatis & contemptûs ſuî de ſe exempla præbens. Non ita agunt pleriq; alij, qui antè, quàm ſint diſcipuli, magiſtri eſſe volunt, ſeſeque in cathedrã importunè ingerere non verentur. Contrà Antonius iam perfectus in ſcripturis diuinis, inter idiotas & rudes laicos haberi màluit quàm ſciolus aut magiſter videri, potiusq́; laboribus occupari culinarijs, quàm magiſterij cathedram occupare. Verumenimuerò licèt totis viribus in id incumberet, vt à Miniſtro impoſitum munus liceret ſubterfugere, non potuit tamen voto potiri ſuo. Tandem ergo cedens tum illius volũtati, tum omnium precibus, cum timore Domini primò orſus eſt ſimpliciter ad eos dicere: ſed cùm vellet Dominus lucernam hactenùs ſub modio poſitam, in omnium conſpectũ proferri, in orationis progreſſu tanto verborum ſplendore, tanta myſticarum ſententiarum altitudine vſus eſt, vt omnes in ſummam admirationem adducerentur, maximè quòd præter omnium opinionem id eueniret: ſimul etiam eximia eius charitate non mediocriter ædificarentur, nec affirmare dubitarent, eiuſmodi ſermonem nunquàm ſe antehàc audiuiſſe. Ita deinceps, non minima affecti conſolatione, venerabantur in illo diuinitùs detectam ſupernæ ſapientiæ claritatem, cum tam inſigni humilitate coniunctam.

Cap. 8. Non diù pòſt ad aures Miniſtri generalis huius rei fama perlata, illius voluntate cõpulſus eſt, rupto diuturno ſilentio, prodire in publicum, demandataque illi concionandi prouincia, cultor eremi, miſſus eſt ad prædicandum verbum Dei: dignus quidem tali miniſterio, quod ipſe, licèt diuina pollens ſapientia, ſibi impudenter non vſurpâſſet, ſed in collegio pauperum, verè pauperem ſpiritu ſe declarâſſet, & non niſi vocatus ad concionandum acceſſiſſet. Fuiſſe autem diuinitùs vocatum, & vita illius & obitus perſpicuè docuêre: è quibus priorem, nempe vitam, abiectio ſuî voluntaria, ſimplex innocentia, & diſciplinæ monaſticæ ſtudium commendant: poſteriorem verò,
Vt ad concionandum miſſus, ſe geſſerit. id eſt, doctrinam, cum zelo coniuncta charitas, veritas & modeſtia approbârunt. Quæ cùm non poſſint omnia ſingulatim referri, paucis dicemus, quemadmodùm veritatẽ
Eſa. 58. indiſcriminatim omnibus annunciârit. Fecit nimirùm inſtar Eſaiæ, cui dictũ eſt: Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum: mittentiſque Dei authoritate fretus, ex eremi cultore, vbi ſibi vni intenderat, factus præco Dei, non ſegniter fungens officio ſuo, ad proximorum conciliandam ſalutem totum ſe contulit: in concionibus ſuis eam adhibens iuſtitiæ æquitatem, vt ſiue magnis, ſiue paruis loqueretur, veritatis iaculis indifferenter omnes feriret. Arguebat incredulos, obſecrabat pios, impios obiurgabat, vt copioſiſſimè, ita feruentiſſimè ſingulis accommoda & conuenientia ſalutaris doctrinæ monita depromens. Qui enim iam antè, vt ſuprà dictum eſt, paſſionis calicem tantoperè cõcupierat, nullius magnitudini, etiamſi mortis impenderet diſcrimen, pro veritate cedebat, ſed mirabili ſtrenuitate etiam potentium tyrannidi ſeſe opponebat. Nulla prorſus flectebatur perſonarum acceptione, nulla adulatione molliebatur, non popularis tranſuerſum rapiebat fauor & opinio: ſed iuxta Prophetæ vocem, quaſi plauſtrum triturans, habens roſtra ſerrantia, montes comminuit, & colles quaſi puluerem poſuit. Videbatur
Eſa 41. quaſi alter quidam prodijſſe Elias, zelo Dei feruens: inflammatusque igne Spiritûs
Egregius zelus eius. ſancti, ignitis ſermonibus accendebat & vrebat auditorum tepida, torpentia, frigida & obſcura corda. Perſonas quaſdam ſublimes repræhenſione dignas, tanta nonnunquàm ſeueritate obiurgauit, vt plerique alij celebres concionatores illum audientes, ad intrepidam illius conſtantiam trepidarent, vultusque ſuos quodam puſillanimitatis rubore perfuſi obtegerent. Circumibat per vicos, caſtra, vrbes & agros, & vitæ ſemina vbique largiſſimè ſpargebat. Cumque ob zelum animarum paſſim diſcurreret, omnemque requiem ſibi prorſus vellet interdictam, contigit eum Dei nutu Ariminum peruenire: vbi cùm multos cerneret hæreſi correptos, mox totius op-
Confutat hæreticos. pidi conuocato populo, feruenti ſpiritu ad eos concionari cœpit, verſutaque hæreticorum

ticorum dogmata luculenter confutauit. Eas autem in auditorum pectoribus efficax ſermo & doctrina ſalutaris fixit radices, vt profligatis tetris erroribus, non pauci ad fidei integritatem ſint reducti. In quibus etiam Boniuilllum hæreſiarcham, quem triginta annis errorum tenebræ occæcauerant, ad ſanitatem reuocauit, effecitque vt vſque ad mortem Eccleſiæ mandatis deuotus ſteterit. Boniuillū hęreſiarchā conuertit.

Poſtea verò, priuato quodam negocio vrgente, à Miniſtro Ordinis Romam miſſus eſt: vbi tantam principum Eccleſiæ erga ſe beneuolentiam expertus eſt, vt & ab ipſo Pontifice Maximo & cæteris omnibus concio illius incredibili ſtudio ac deuotione auſcultata ſit. Tam enim ſublimiter facundo ore ſcripturæ myſteria depromebat, vt Pontifex maximus ſingulari quadam prærogatiua eum arcam Teſtamenti appellaret. Habebat hoc vir Dei, vt ſermo eius, pro rerum diuerſa ratione, ſemper in gratia ſale diſcretionis eſſet conditus: noueratque pariter & placidum & ſeuerum ſe exhibere: qua re fiebat, vt ſermo eius & amore & timore afficeret auditores. Mirabantur in illo viri literati tantum ingenij acumen, tantamque eloquentiam, mirabantur illum erga omnes miro quodam prudentiæ & diſcretionis pondere ſua verba librantem. Maiores non ſine admiratione attendebant ſpiritualibus ſpiritualia comparantem: minores ſtupebant vitiorum cauſas & occaſiones ſapienter reſecantem, & virtutes ac bonos mores cum multa cautione inſerentem. Denique omnes omnium ætatum, ordinum, conditionum mortales accommodatas ſibi doctrinas & inſtitutiones ex illo ſe ſuſcipere lætabantur. Nec immeritò illi tributum fuit à Pontifice, vt arca teſtamenti diceretur. Ita enim vtriuſque inſtrumenti paginas memoriæ planè affixas habebat, vt inſtar Eſdræ potuerit, ſi ſic res poſtulâſſet, omnes ſcripturas diuinas in integrum de ſua memoria, etiam codicibus omnibus prorſus abolitis, reſtituere. Teſtantur hoc, qui eius quotidiano conuictu & familiari cõſuetudine diù vſi fuêre. Nec ei defuiſſet facultas, ſi res popoſciſſet, omnia ſcripta diuina luculenter & multiplici ratione exponendi & interpretandi. Cap. 10. Arca Teſtamenti vocatur à Pontifice. Scripturas ſacras totas memoria tenuit.

Multa verò inſignia Ordinis ſui monaſteria prælegendo, diſputando, concionando illuſtrauit & ornauit, idque tum zelo fidei & feruore Chriſto animas adducendi, tum ſtudio fratres inſtituendi, tum quoque deſiderio cohoneſtandi inſtitutum ſiue Ordinem ſuum, qui per id tempus propter imperitiam apud pleroſque in contemptu erat. Et certè fuit primus ille prælector in Ordine ſiue inſtituto ſuo, cõſentiẽte beatiſſimo patre Franciſco, inſtitutus Bononiæ, vt præeſſet ſuis in theologica facultate. In ciſmontana enim regione tum temporis potiſſimùm florebant ſtudia literarum, placuitque fratribus Antonium, tanquam præ cæteris magis idoneum, illic prælectorem conſtituere. Idem aũt ipſe etiã in Aemiliæ prouincia permultis annis fratrum Miniſter cum laude fuit. Etſi verò doctrina & verbo in Italia vix quenquam parem haberet, at nihilo minùs in ſua præfectura vel Miniſtri functione mirè commodum & humanum ſe præbebat. Cùm autem in ciuitate Podienſi Guardiani miniſterio fungeretur, erat illic notarius quidam omninò lubricus, carni & mundo totus addictus. Eum quoties præteriret vir Dei, nudato capite coram illo genu flectebat. Ille verò exiſtimans id in ſui irriſionem & contumeliam fieri, animo perturbabatur, dabatq́; modis omnibus operam, ne illum vnquàm obuium haberet. Sed cùm die quodam ab inſperato eum tranſiret vir ſanctus, & ita, vt diximus, erga illum ſe gereret, exacerbatus homo, dixit: Niſi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quòd ita me ridiculum facis. Quid ſibi vult iſthuc, quòd coram me poplitem flectis? Reſpondit vir beatus: Ego me libẽs Deo martyrem obtuliſſem, ſed illi non placuit. De te autem ille mihi reuelauit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque, vt vbì ad martyrij agonem perueneris, meî memor eſſe velis. Hoc ille audiens, riſit. At non multo pòſt tempore Epiſcopus Podienſis cum multis alijs profectus eſt Hieroſolymam, vt Saracenis Chriſtum prædicaret. Et ecce diuinitùs permotus notarius ille, venditis ſuis rebus omnibus, cum illo iter ingreſſus eſt. Cum autem perueniſſent ad Saracenos, & Epiſcopus ſic ſatis frigidè haberet conciones, ſemel quidem & iterùm & tertiò notarius diſſimulauit. At tandem inſtar beati Vincentij increpat antiſtitem, quòd ita frigidè fidẽ Chriſti & prædicet & propugnet: diuinoque afflatus ſpiritu, cum multo feruore cœpit docere Saracenos, Chriſtum eſſe verum Deum & Dei filium, Mahometem autem filium eſſe ſatanæ & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris cum ſupplicijs excruciant. Cumque iam ad mortem duceretur, expoſuit fratrib9 Antonium id prędixiſſe, quòd ipſe martyr futurus eſſet. Fuit ea res populo occaſio, multa deinceps reuerentia beatum Antonium proſequendi. Cap. 11. Primus pręlector in ſuo Ordine fuit. Lubrico homini præſtat reuerẽtiã tanquã futuro martyri. Verax eius prophetia.

Cap. 12. Fratribus quandoque in Prouincia ad Capitulum congregatis, vir ſanctus de titulo Crucis & dulciſſimi Saluatoris paſſione præclaram habuit concionem. Eo autem concionante, ſanctiſſimus pater Franciſcus, qui tum procul aberat in alia regione, filijs ſuis in aëre mirabili quodam modo apparuit. Viſus enim eſt vni ex illis, tanquam brachijs ad crucem extenſis, velut approbando ſermonem Antonij, indicare quid fratres imitandum ſuſcipere deberent, illiſque benedicens, Crucis ſuper eos ſignum exprimere.

Cap. 13. In illo generali Capitulo, quo ſacratiſſimæ beatiſſimi patris noſtri Franciſci reliquiæ ad eum locum, in quo nunc cum ea, qua par eſt, veneratione aſſeruantur, translatæ ſunt, qui fuit annus proximus ante obitum eius, ab omni fratrum regimine prorſus abſolutus eſt beatus Antonius, factaque ei eſt generalis poteſtas verbum Dei vbicunque vellet, prædicandi. Cùm igitur eo tempore, quo conciones ſuas, quas de Tempore vocant, conſcripſit, Paduæ moratus fuiſſet, multamque erga ſe ciuium fidem & beneuolentiam eſſet expertus, mira erga eos deuotione affectus, primo libertatis ſuæ curſu ad eos ſe conferre decreuit. Cumque eò perueniſſet, Oſtienſis Epiſcopus eum hortatus eſt, vt conciones de ſanctis quoque conficeret. Itaque illi morem geſturus, Paduæ voluit in illud opus incumbere. Sed ſacro Quadrageſimæ aduentante tempore, videns vir Dei adeſſe tempus acceptabile & dies ſalutis, illud opus intermiſit, totumque ſe ad docendum pro concione populum, eius ſermones mirificè ſitientem, applicuit, illiſque quadraginta diebus quotidiè concionatus eſt, non ſine multorum admiratione. Erat enim natura corpulentus, & ea cauſa perpetuò laborabat incommoda valetudine: at tamen præ infatigabili animarum zelo, prædicando, docendo, confeſſiones auſcultando, ſæpiſſimè vſque ad ſolis occubitum ieiunus permanebat.

Abſoluitur ab omni fratrũ præfectura.

Zelus animarum ingens.

Cap. 14. Vidit hoc & inuidit malignus dæmon, perpetuus bonorum ſtudiorum hoſtis, & vt virum ſanctum à ſuo propoſito deterreret, nocturnis illuſionibus infeſtus ei fuit. Rẽ non commentitiam refero, quam ipſe vir Dei cùm adhuc viueret, cuidam fratri narrauit. Nocte quadam ſacræ Quadrageſimæ, in exordio earum, quas diximus virũ Dei tunc ſuſcepiſſe, occupationum, feſſa laboribus membra ſomni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus ſatan adeſt, & hominis Dei guttur tanta vi comprimit, vt niſi diuinitùs retardatus eſſet, hauddubiò eum præfocaturus fuerit. At ille beatiſſimæ matris Dei nomen inuocans, & fronti ſuæ viuificæ Crucis ſignum imprimens, ſimulque depromens hymnum illum, O glorioſa Domina, in fugam compulit nequiſſimum ſpiritum, & repentè ſe ſenſit liberatum. Cumq; fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam, in qua cubabat, cellulam ſuperni luminis ſplendoribus perfuſam conſpexit.

Pellit infeſtũ dæmonem à ſe ſigno crucis &c.

Cap. 15. Pergens deinde in ſuſcepto per Quadrageſimam concionandi labore ac ſtudio, populum habuit audiendi ipſum cupidiſſimum, ita vt certatim cunctis ad eum confluentibus oportuerit quotidianas in eccleſijs ſtationes indici. Sed cùm nimiam auditorum frequentiam eccleſiarum ambitus non caperet, compulſus eſt ad patentes ſeſe campos transferre, atque ita ſalutaris doctrinæ pluuia de ſpiritûs abundantia irrigare ſitibundos. Confluxit autem eò ex vicinis vrbibus, caſtris, pagis, innumera propè hominum multitudo, ſalutem ſuam in illius doctrina ſpe non dubia collocans. Surgebant intempeſta nocte, & alij alios nitebantur anteuertere, accenſiſque luminaribus ad locum, vbi erat facturus verbum vir Dei, ſumma contentione properabant. Cernere illic erat milites, matronas nobiles medijs noctis tenebris accurrere, & qui in multam lucem priùs ſtertere conſueuerant, abſque vllo tædio vel moleſtia concionaturum vigiles expectare. Deponebant autem omnes cultiorem habitum, & quæ ad ornatum ſpectare videbantur, vtebanturque veſtibus religioſis. Ipſe quoque Antiſtes Paduanus cum Clero ſuo virum Dei deuotè ſequens, formaque gregi ſuo factus ex animo, omnes ſuo egregiæ humilitatis exemplo ad accuratè auſcultandum incitauit. Itaque viro Dei loquente, tanto ab omnibus ſtudio attendebatur, vt in triginta vel eo ampliùs hominum millibus vix murmur aliquod aut ſtrepitus ſentiretur. Tabernas ſuas mercatores non volebant patere cuiquam ad emendas merces, niſi priùs ſancti viri concione abſoluta: adeò feruebant illius audiendi deſiderio. Fœminæ ex pietate & deuotione præcidebant forficibus particulas è tunica eius, pro reliquijs eas habituræ: & cui dabatur contingere fimbriam veſtimenti eius, is beatum ſe arbitrabatur. Concione peracta, ab hominum irruentium vi defendi vix potuit, niſi fortium virorum ſeptus præſidijs, vel fugæ opportunitatem callidè exploraret, vel

Frequentiſſimũ habet auditoriũ, dum côcionatur.

vel turbis tandem recedentibus, citra moleſtiam ipſi quoque abire liceret.

Cap. 16. Efficacia & fructus concionũ eius.

O quot ille tum odia inexpiabilia & implacabiles inimicitias ad pacem & concordiam reuocauit, quàm multos diuturna captiuitate miſeros libertati reſtituit, quot ille res, per vſuras & nefariam vim alijs ereptas, reſtituendas curauit. Reddebantur pignora, remittebantur debita, in varijs negocijs conſilia à viro Dei expetebantur, & promittebant omnes ſe ſtaturos arbitrio illius. Compeſcebantur ſcorta à flagitioſo concubitu, fures & inſignes prædones retrahebantur à contrectatione rei alienæ. Atque hunc in modum dies illos quadraginta feliciſſimè exigens, gratam Domino meſſem ſolicitus adduxit. In tanta autem vndique concurrentium turba id fuit admiratione dignum, quòd nullus ſeſe comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur diſſolutio, riſus nullus, nullæ voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parùm eius conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentiſſimis perpetuò in virum Dei oculis, ſine vllo tædio cum multa deuotione eum ſuſtinentes, perindè ac ſi non homo, ſed angelus lapſus è ſummo cælo, ad illos concionaretur. Neque id mirum, quandoquidem tanta illum Dominus gratia perfuderat, vt lingua facundiſſima, voce clariſſima, ſua verba inſtar tubæ cuiuſdam expromens, ab omnibus & audiretur & intelligeretur. Nec id admiratione vacat, cùm in longinqua regione natus & educatus multo tempore fuiſſet, quòd Italico idiomate adeò politè potuit, quæ voluit pronunciare, ac ſi extra Italiam nunquàm poſuiſſet pedem. Tantam verò vtriuſque ſexûs multitudinem ad confitenda peccata ſua remiſit, vt nec fratres, nec alij ſacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis ſufficerent. Dicebant autem, qui ad agendam pœnitentiam veniebant, diuino iuſſu admonitos & ad Antonium tranſmiſſos, id ſe in mandatis habere, vt per omnia eius conſilijs parérent. Nonnulli poſt eius deceſſum è vita, quibuſdam fratribus ſecretiùs dixerunt, beatum Antonium ipſis dormientibus apparuiſſe, & nomina fratrum, ad quos illos mittebat, indicâſſe. Die quodam ſancti viri concione adeò quidam mente compunctus fuit, vt cùm ad confitendum peccata ſua ex eius conſilio ſe compararet, præ ſuſpirijs & ſingultibus nec vnum poſſet verbum proferre. Cumque vir ſanctus ei diceret, vt peccata ſua in ſcripta redigeret, eaque ipſi legenda offerret, fecit ille vt erat iuſſus. Sed cùm chartulam vir Dei acciperet, ita ſcripturam omnem abolitam & prorſus obliteratam inuenit, ac ſi prorſus nihil ſcriptum fuiſſet. Cœperunt tum primùm homines cateruatim ſeſe verberando, & pia cantica deuotè depromendo procedere. Atque ea laudabilis conſuetudo, à tanto authore profecta, deinceps ſuis eſt aucta incrementis, ita vt in omnibus ferè Italiæ locis accuratiſſimè hodieque obſeruetur.

Mira profectò ſunt hæc, à tam multis potuiſſe eum intelligi.

Multi ſe palàm verberibus afficiunt.

Cap. 17. Cant. 2.

Fuit autem viri Dei id præcipuum ſemper ſtudium & conatus perpetuus, vt perniciosiſſimas vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, nempè hæreticos peſtilentes & falſas eorum doctrinas, pro viribus oppugnaret, funditùs deſtrueret, ac radicitùs extirparet. Hæreſiarchas quoſdam in publicis diſputationibus Arimini, Toloſæ & Mediolani palàm conuicit, & errores eorum coram omnibus confutauit. Adeò enim inſtructus erat & efficacibus ſcripturæ diuinæ ſententijs, & ſolidis ac perſpicuis rationibus, vt qui nefanda eſſent hæreſi imbuti, coram illo conſiſtere aut os aperire non auderent, ita vt ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promiſit diſcipulis ſuis: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veritatis. Luc. 21. Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes & verſutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multa vituperatione traducebat. Nec facilè quenquam ea tempeſtate vſpiam inuenire licuiſſet, quod ipſe quoque publicè fatebatur, qui tam acriter & perpetuò illos inſectaretur, tamque continuam perſecutionis procellam illis excitaret. Vnde factum eſt, vt paſſim ab omnibus indefeſſus hæreticorum malleus diceretur. Nec ſine fructu fuit labor viri Dei, pleriſque hæreticis cum ipſorum fautoribus ad veritatem & obedientiam ſanctæ matris Eccleſiæ reuertentibus. Quod vt magis perſpicuum fiat, præter illum, quem Arimini conuerſum diximus, Bonouillum nomine, alium quendam hic commemorabimus hæreſiarcham inſigniter perfidioſum quem vir Dei ſtupendo miraculo ad ſanitatem reduxit. In partibus Toloſanis quandoque incidit in diſputationem acerrimam cũ perfidiſſimo quodam hæreſis architecto de ſalutifero ſacramento Euchariſtiæ. Iam penè vicerat hominem, parumq; aberat, quin ille Catholicæ veritati accederet, cùm poſt multa & varia, per q̃ elabi nitebatur, argumẽta in hæc ille verba prorupit: Miſſa faciamus verba, & ad res veniamus: Si tu

Eſt malleus hæreticorũ

mi.

miraculo teſtatum efficere potueris, in Euchariſtia verum haberi corpus Chriſti, omni perfidia abiurata, mox ceruices meas Catholicæ fidei iugo ſubmittam. Reſpondit vir Dei cum multa fiducia: Confido in Chriſto Saluatore, me pro tui & aliorum conuerſione id, quod poſtulas, ab eius miſericordia impetraturum. Tum ſurgens hæreticus, & manu ſilentium indicens, ait: Ego iumētum quoddam triduana inedia macerabo: poſt triduum verò producam illud in populi conſpectum, & paratas eſcas oſtendam illi: tuque ſtabis ex aduerſo cū tuo illo, vt dicis, corpore Domini: Si iumētum poſthabito pabulo ſuo, properauerit ad adorandum Deum ſuum, Eccleſiaſticæ fidei totus accedam. Aſſenſit iis vir Dei abſque mora. Iam dies præfixus aderat, & in plateam latiſſimam vndique fiebat hominum concurſus.

Cap. 18. Adeſt etiam vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentia ſtipatus: nec abeſt hæreticus cum nequiſſima ſuorum caterua. Propè aderat ſacellum, in quod vir ſanctus ingreſſus, cum multa deuotione obtulit Miſſæ ſacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum ſumma reuerentia geſtans corpus Domini. Producitur è conclaui mulus benè famelicus, congruumque illi pabulum offertur. Tum imperato ſilentio, vir Dei cum multa fiducia bruto illi animanti ita dixit: In virtute & nomine creatoris tui, quem in manibus, licèt indignus, re vera teneo, tibi præcipio, vt confeſtim humiliter huc accedas, & eam, quam par eſt, illi præſtes reuerentiam, vt hinc perſpicuè intelligat peruerſitas hæreticorum, omnem creaturam ſuo ſubdi creatori, quem dignitas ſacerdotalis in altari contrectat. Necdum Chriſti ſeruus dicendi finem fecerat, & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vſque ad poplites ſubmiſſo capite acceſſit, & coram illo viuifico corporis Chriſti ſacramento genu curuauit. Mox immenſo gaudio exultant catholici, hęretici dolore animi contrahuntur. Laudatur & benedicitur præpotens Deus, fides catholica extollitur, hæretica prauitas pudore afficitur & opprobrio ſempiterno. Hęreſiarcha autem ille coram omnibꝰ abiurata perfidia, ſanctæ Eccleſiæ mandatis deinceps paruit.

Inſigni miraculo mulus adorat Euchariſtiam. Vę tibi hæretice.

Cap. 19. Quodam tempore Romam innumera diuerſarum gentium multitudo venerat, condonationes ſiue indulgentias Paſchales promeritura. Erat tum in vrbe vir Dei Antonius propter negocia quædam, voluitque ſummus Pontifex, vt ad peregrinos illos haberet concionem. Renouatum illic cernere licebat præclarum illud miraculū, quo olim in Pentecoſte Apoſtolos illuſtrauit Chriſtus. Nam beati viri linguam ita inſtruxit gratia Spiritus ſancti, vt ſinguli & apertè audirent, & planè intelligerent idioma regionis ſuæ, in quo & nati & educati fuerant, quemadmodùm multi ex iis poſteà pro certo affirmârunt.

Act. 2.

Eximium miraculum

Cap. 20. Eo tempore, quo apud Montem Peſſulanum vir ſanctus prælegebat, quodam ſolenni die concionabatur, omni & Clero & populo auſcultante. Sermone inchoato occurrit animo, ſe officium quoddam ſibi iniunctum, alteri non demandâſſe. Moris illic erat, vt in præcipuis Dei ſolennitatibus duo inſignes fratres ſub ſummo ſacrificio Alleluia canerent: quod officium tum incumbebat viro Dei. Itaque magno quodā mœrore affectus, in pulpitum, caput cucullo operiens, ſeſe reclinabat, & coram omni illa auditorum frequentia ſic aliquandiù permanſit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodùm olim ſanctus Ambroſius legitur beatiſſimi Martini funus, licèt procùl corpore abeſſet, curâſſe, & ſanctus Franciſcus, vt ſuprà annotauimus, fratribus ſuis in Arelatenſi conuentu ſiue Capitulo apparuiſſe. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad ſe rediit vir Dei, & ſermonem inchoatum egregiè proſecutus eſt.

Cap. 21. Eiuſdem modi quippiam etiam apud Lemouicenſes illi contigiſſe ferunt. Vbi cùm in nocte natiuitatis Chriſti in ſumma æde concionandum ei eſſet, & eodem tempore nona in nocturno officio lectio apud fratres in ſuo monaſterio recitanda: cùm vtrūque ſimul præſtare non poſſet, rogauit Dominum, vt is ſua virtute ſuppleret, quod humana ope fieri nequiret. Et ita eodem tempore & lectionem illam in fratrum Choro viſus eſt legere, & in primario templo concionem habuit.

Cap. 22. Alio tempore cùm à prædicatione rediens, & per ſolitudinem iter habens, populi applauſus declinaret, mulier quædam viæ compendia captans, & virum Dei perdeuia quærens, filium ſuum brachiis & cruribus à primo ortu contractum ad eius pedes abiecit, cum multis lachrymis rogitans, vt Crucis ſignum in illum exprimeret, nihil dubitās hoc facto ilicò filiū ſanatū iri. Sed cùm vir ſanctus præ multa modeſtia & humilitate id recuſaret, illa flens largiùs, & preces multiplicans, clamare cœpit: Domine pater Antoni, miſerere meî. Tandem vir pius & matris afflictione & filii calamitate

miſtate permotus, tum etiam flexus precibus ſocij ſui fratris Lucæ, eius perpetui comitis, ſcientia & ſanctitate præclari, Crucis ſignum in Chriſti nomine in ægrum puerum edidit, & ille eodem temporis puncto ſanus & incolumis ſurrexit. Porrò vir Dei non hoc ſuis meritis, ſed mulieris fidei adſcribens, rogauit eam, vt dum ipſe eſſet in viuis, nulli id propalaret. Crucis ſigno contractum puerum ſanat.

Puella quædam annorum quatuor, pedum officio carens, inſuper morbo caduco laborans, crebrò volutabatur ſpumans, & ad terram ſe miſerandum in modum alli-dens. Contigit autem, vt pater eius Petrus nomine, cùm illam geſtaret in vlnis, ab inſperato obuium haberet patrem Antonium à concione reuertentem. Itaq; obnixè eum rogat, vt ſignum vitalis Crucis edat in puellam. Ille cernens hominis ſynceram fidem, à capite vſque ad pedes Cruce eam conſignat, & derepentè fit ſana. Cap. 23. Itē morbidam puellā

Matrona quædam nobilis virum Dei cum ingenti populi multitudine extra oppidum ſequens, vt in agro concionaturum audiret, in anguſta quadam platea in denſiſſimum lutum decidit, nouis iiſque non parui precij veſtibus induta. In ipſo autem caſu ſe Deo & ſancto viro commendans, ex luto ita ſurrexit munda, vt omnes in admirationem verſi, Deum & fidelem ſeruum eius mirificè prædicarent. Cap. 24.

Alia quædam pia fœmina in Francia, virum Dei pro habenda concione extra vrbē exeuntem ſequi deſiderans, à marito malè valente non permittebatur. Fuit hoc illi moleſtiſſimum, & cùm concioni intereſſe non liceret, aſſcendit in ſolarium domûs ſuæ, & ex feneſtra ad locum concioni deſtinatum cupida reſpexit, vt vel ſic nonnihil ſuo deſiderio ſatisfaceret. Accidit tum res admiratione digna. Cùm enim ad duo milliaria abeſſet locus ille, vocem viri Dei prædicantis audiuit. Cuius ſuauitate delectata, hæſit diutiùs ad feneſtram, quàm vir eius ferre poſſet: qui etiam eo nomine obiurgauit eam, ſed illa ſe reſpondit patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irriſit eam, delirare illam exiſtimans. Illa contra aſſerente ſe optimè audire eū, aſſcendit vir ad feneſtram eandem, & etiam ipſe viri Dei vocem meritis fidelis coniugis percepit, atque ab eo die nunquàm ex illius concione abeſſe voluerunt. Cap. 25. Auditur vox eius procùl per miraculum

Cùm beatus vir ex Toloſano Lectore & Podienſi Guardiano factus eſſet Cuſtos Lemouicenſis, & per regnum Franciæ proficiſcens concionaretur, tandem ad Bituricenſem vrbem peruenit. Vbi cùm die quodam prædicaret populo, tam frequens habuit auditorium, vt nullus intra oppidum locus eſſet tantæ multitudinis capax. Canonici igitur cum populo inſtituta proceſſione in agrum latiſſimum exiêrunt. erat æſtiuum tempus. Sub ipſa autem concione immanis orta tempeſtas, fulguribus & tonitruis exiſtentibus, omnes imminentem pluuiam fugere compulit. Sed vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit: Sitis bono animo, nec vos loco moueatis. Ne gutta quidem pluuiæ quenquam veſtrûm continget. Tum illi verbis eius fidentes, nihil ſe mouerunt. Interim pluuia & grando craſſiſſima præceps è cælo proruens, omnes illos prorſus intactos reliquit, ne locum quidem, in quo ſtabant, madefaciens, cùm tamen eū vndiq; inſtar muri ambiuiſſet. Ad tam inſigne miraculū omnes gratias egerunt Deo, & virum Dei deinceps in multa reuerentia habuêre. Cap. 26. Grando & pluuia non contingunt auditores concionis eius.

Concionante quandoque viro Dei ad ſex miliaria extra vrbem Podienſem, abſoluto ſermone quidam viri fideles vinum & alia quædam ei miſerunt. Quod vinum guſtans matrona quædam, cùm eius palato non ſederet, feſtina domum abijt, melius vinum allatura. Qua in re tam fuit ſolicita, vt vaſis epiſtomium apertū relinqueret, manuq; ferens vertibulum ſiue partem illam, qua epiſtomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem vt acceſſit, vidit in manu ſua inſtrumētum illud, ſenſitq; ſe non clauſiſſe epiſtomium: moxq; domum reuerſa, totum cellarium vidit vino perfuſum. Confidens autem meritis ſancti viri, in epiſtomio repoſuit vertibulum, ſtatimq; dolium adeò eſt vino repletum, vt exundârit. Cap. 27. Vas vacuū redundat vino.

In vſurarij cuiuſdam exequijs vir Dei concionaturus, thematis loco accepit illud ex Euangelio: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Sub concione autem inter cætera ait: Mortuus eſt hic diues, & ſepultus eſt in inferno. Ite ad theſaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius, corpore iam humato. Abeirunt hominis parētes & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum eius inuenerunt. Cap. 28. Matth. 6. Res ſanè terribilis.

Quodam ſolenni die vir ſanctus concionabatur, & quædam nobilis domina auidè auſcultabat. Cernens hoc impurus ſatan, vt fructum concionis ab ea excluderet, curſoris ſpeciem præ ſe ferens, ad eam cum literis venit, aitque filium eius ab hoſtibus captum & interfectum. Eas maligni hoſtis verſutias ſpiritu cognoſcens vir Dei, (nam corporeis auribus nihil huius perceperat) coram omnibus dixit: Nihil timeas Domina: Cap. 29. Malignitas dæmonis.

mina: filius tuus & viuit, & rectè valet: Curſor autem iſte, diabolus eſt. Ad quas voces inſtar fumi ille egregius curſor euanuit.

Cap. 30. Cùm Paduæ degeret vir Dei, Vlyſbonæ duo ciues inexpiabili odio ſe mutuò proſequebantur: è quibus alter iuxta ædes parentum beati viri manebat, & cùm hora veſpertina filium hoſtis ſui in platea inueniſſet, per ſummam crudelitatem iugulauit, & intempeſta nocte in horto parentum viri Dei, facta fouea, eum ſepeliuit. Cùm autem nobilis eſſet is, cuius filius cæſus erat, inquiſitum eſt diligenter, & repertum eius filium illàc tranſiſſe, vbi eius inimicus morabatur. Itaque eius domo & horto luſtrato, nihil compertum eſt. Itum eſt ad vicinas ædes, & in horto illarum pueri cadauer inuentum eſt. Itaq; pater ſancti viri cum tota familia coniectus eſt in vincula, tanquam reus cædis illius. Id verò vt per ſpiritum Paduæ cognouit vir Dei, veſperi à Guardiano petijt copiam exeundi, quæ illi negata non eſt. Eadem nocte magno miraculo Vlyſbonam perductus eſt, & proxima luce ad Iudicem ſe contulit, rogans vt inſontes è vinculis dimiſſos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recuſante, petijt cadauer peremptì pueri ad ſe adferri. Quo allato, iuſſit ſurgere puerum & dicere, num à parentibus ipſius occiſus eſſet. Ille ſurgens, dixit eius cædis illos prorſus conſcios non eſſe. atque ita diſcedendi eſt illis facta poteſtas. Manſit toto illo die cum parentibus ſuis vir beat⁹, & manè angelico miniſterio Paduam reductus eſt.

Nota inſigne miraculum.

Item aliud.

Cap. 31. *Effectus concionũ eius.* Quando ad populum concionabatur eximius præco Chriſti, ſermo ex illius ore tanquam ex ardenti camino proficiſcens, mirabiliter ſolebat mouere auditores, ipſaſque animorum penetrare medullas, & multam in ijs deuotionem & compunctionẽ, vitiorumque odium & deteſtationem excitare, ita vt plerunque alter alteri diceret cum multo gemitu: Heu me miſerum, qui nunquàm antehàc iſthuc putârim eſſe peccatum: quod ſi ſciuiſſem, certè nunquàm illud admiſiſſem: mutuoque ſe hortabantur ad faciendam confeſſionem, ad ſuſcipiendas peregrinationes religionis ergô, ad ieiunia certis diebus amplectenda in honorem matris Dei, aut ſimilia pietatis ſtudia ſectanda. Quis verò poſſit dicendo conſequi, quæ illic fuſæ ſint lachrymę, quæ ab imo pectore ducta ſuſpiria, quæ pectorum tunſiones in obſtinatis peccatoribus conſpectę? Adeò enim Dominus mirificauit ſanctum ſuum, vt non ſolùm vſitatis quotidiè coruſcaret miraculis, ſed etiam inaudita ab eo ſigna ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur per viſum apparuiſſe Conſtantino Magno, eiuſq; Præfecto, minaſq; intẽtâſſe, ni dimitterent homines innoxios in carcerem coniectos: ita hic vir beatus, quos per peccatum cernebat à maligno dæmone vinctos detineri, & ad mortem tendere ſempiternam, ijs liberandis præcipuam nauabat operam. Et ſolebant nonnulli venire ad fratres, cùm adhuc viueret vir Dei, & pro certo affirmare, ipſis in lecto iacentibus apparuiſſe eum, & dixiſſe: Surge Martine, ſurge Agnes: abi ad illum fratrem, & hoc ſiue illud peccatum ei confitere, quod tali in loco perpetrâſti, cuius nemo prẹter Deum cõſcius erat. Qua ratione peccata prorſus occulta expiata fuêre.

Nota.

Cap. 32. Paduanus quidam viro Dei confitens peccata ſua, inter alia expoſuit ei, quòd matrem ſuam tanta vi truſiſſet pede, vt illa compulſa fuerit cadere. Id audiens vir ſanctus, omnis malitię hoſtis capitalis, cum quodam ſpiritûs feruore dixit: Pes, quo pater aut mater percutitur, meritò quamprimùm deberet amputari. Quod ille homo ſimplex perperàm accipiens, ilicò domum abit, & pedem amputat. Mox per omnium ora volitat crudele facinus, & ad virum Dei refertur. Qui abſque mora adit hominem, & poſt oblatas Deo preces, Crucis ſigno expreſſo, iungit pedem tibiæ, & aliquandiù linit ſacris manibus ſuis. Confeſtim ſurgit homo incolumis, ambulans & exiliẽs, & laudans Deum, & ingentes agens gratias ſeruo eius fideli Antonio.

Pedem truncatum reſtituit.

Cap 33. *Ecelinus tyrannus Veronenſis.* Tyrannidem apud Veronenſes occupante immaniſſimo illo Ecelino Romano, cùm didiciſſet beatus Antonius multam eum hominum cædem per ſummã crudelitatem Veronæ feciſſe, intrepidus illum acceſſit, atque his verbis compellauit: Imminet ceruicibus tuis tyranne ſæuiſſime & rabide canis horrenda ſententia Dei. Quouſque non temperabis tibi à fundendo inſontium hominum ſanguine? pluraque his ſimilia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui verò aderant, nihil expectabant aliud, niſi illum more ſuo iuſſurum, vt trucidaretur: ſed ſecùs euênit. Nam omni poſita feritate, inſtar ouis, ad collum ſuſpenſa zona, coram viro Dei humi proſtratus, culpam ſuã humiliter edixit, omnemque pro illius arbitrio promiſit emendationem: adiecitque: Viri commilitones, nõ vobis iſthuc mirum videatur. Nam reuerà diuinum quẽdam vidi fulgorem ex huius vultu vibrari, qui adeò me perterruit, vt me repentè in tartarum demerſum iri vererer. Ex illo tempore multa erga hominẽ Dei deuotione fuit,

Mirè conuertitur.

& quoad

& quoad vixit, à multis malis, quæ alioquì, ſicut ipſe fatebatur, feciſſet, illo retrahente, abſtinuit.

Poteſt de beato viro non abſurdè dici, quod de filio ſuo Iacob dixit Iſaac patriarcha: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Adeò enim cæleſtis benedictionis gratia perfuſus erat, & virtutum odoriferis floribus mirificè ornatus, vt eſſet humilitate præcipuus, ſapientia clariſſimus, eloquentia mellitiſſimus, charitate feruentiſſimus, paupertate inſignis, omni morum elegantia illuſtriſſimus, honeſtate præcelſus, ſermone placidus. conuerſatione humaniſſimus, denique in omnibus & Deo & hominibus gratus. Moderatione autem ſiue diſcretione, quæ eſt virtutum omnium parens, ſine qua virtutes abeunt in vitia, præclarè inprimìs vſus eſt in concionibus, in dandis conſilijs, in recipiendis confeſſionibus, denique in dictis, factis & rebus omnibus, vt nihil in eo poſſet animaduerti huius virtutis ſale non conditum. Solebat ſine perſonarum acceptione omnibus fidelem nauare operã, vt è peccatis extraherentur, & quibuſlibet poſcentibus opitulari nunquàm deſijt viuens in terris, vtì nec hodieq; ceſſat poſt obitum ſuum, vt res ipſa teſtatur. Cap. 34. Gen. 27. Virtutes ſancti viri.

Et ipſum quidem obitum ſuum longè antè præſciuit: ſed ne fratres mœrore afficerentur, illis indicare noluit. Decimoquinto ferè ante mortem ſuam die, cùm è quodã colle contemplaretur amœnam Paduæ planitiem, exultans ſpiritu, ſitũ vrbis eius miris vehebat laudibus. Verſus deinde ad fratrem itineris ſui comitem, multo honore ciuitatem illam breui affectum iri prædixit, non tamen exprimens, cuiuſmodi ille honor futurus eſſet. Sed ab illius obitu vſque in præſens gratulatur vrbs illa felici rerum experimento, quando propter viri Dei præclara merita innumerabilium hominum frequentia viſitatur, egregijs præconijs & eximijs muneribus cohoneſtatur, dum theſaurum illum miraculorum ſignis inclytum obtinet, rei propè incomparabilis titulo gaudet, in ſuo Antonio tot miſeris opitulatur. Cap. 35. Padua felix reliquijs ſancti viri.

Cùm iam meſſis inſtaret, & vir Dei ſciret colligendis frugibus populum occupatum iri, ſtatuit ad tempus concionibus ſuperſedere. Pertæſus verò crebri cum ſecularibus hominibus congreſsûs, extra oppidum ad locum quendam ſolitarium, quem S. Petri campum vocant, ſeceſſit, Deo & ſibi vacaturus. Nec verò mediocriter eius aduentu exhilaratus Tiſo vir nobilis, in cuius ditione erat locus fratrũ, multa humanitatis officia propenſiſſimo animo illi præſtitit. Habebat is locum quendam nemoribus conſitum, haud procùl à domo fratrum: in quo erat arbor procera, ex cuius trunco ſex rami emerſerant, coronæ ſpeciem referentes. Eam vir Dei conſpicatus, Cellulam ſibi ſuper eam extrui voluit, quòd ſolitudini & quieti opportunus ille locus videretur. Id vbi Tiſo ex fratribus cognouit, ipſe ſuis manibus viro Dei & duobus ſocijs eius tres Cellulas cum multa deuotione confecit. In ea igitur Cellula vir Dei vitam degens ſolitariam, inſtar apis ſedulæ lectioni ſcripturæ ſacræ & contemplationi vacabat. Atque hæc inter mortales illius extrema fuit habitatio. Cap. 36. Degit ſolitarius.

Iam igitur ſeparatus ab hominum turbis, viuebat ſibi, ſanctis meditationibus & feruentibus precibus intentus, vt ſpiritum ab omni rerum terrenarum cõtagione repurgaret, & ſi qui pulueres ex hominum ſecularium conuictu & cõſuetudine, vt aſſolet, illi aliqua ex parte inhæſiſſent, eos lachrymis cõpunctionis & capillis ſanctæ contemplationis abſtergeret, cæleſtis patriæ propediem ciuibus feliciſſimè cõiungẽdus. Cùm autem die quadam è ſua cellula prandij hora deſcẽdiſſet, cum fratribus pro more diſcubit. Facta verò eſt illic ſuper eum manus Domini, cœpitq; repentè totius corporis viribus deſtitui. Morbo autem magis ac magis inualeſcente, fratrum manibus ſuſtentatus, à menſa ſurrexit: ſed cùm fatiſcentes artus ſuſtinere non poſſet, in cuiuſdam lectuli ſtramenta ſe præceps inclinauit. Sentiens itaq; corporis diſſolutionem imminere, accito ad ſe ſocio ſuo fratre Rogerio, dixit ei: Si tibi conſultum videtur, frater, ob vitandum horum fratrum grauamen, Paduam me conferam ad beatæ Mariæ locum. Quod cùm fratri illi placeret, in currum imponitur vir Dei, fratribus quidem loci illius, ne ipſos deſereret, obnixè contendentibus. Qui tamen vt viderunt eius animum flecti non poſſe, paſſi ſunt, licèt inuiti, eum abire. Iam verò ad vrbem propiùs accedenti alius quidam frater obuiàm venit, qui illum inuiſere conſtituerat. Is vt vidit eum in vehiculo valdè affecta valetudine, hortabatur ne propter ciuium importunitatem in vrbem ingrederetur ad fratres de S. Maria, ſed diuerteret potiùs ad Cellam fratrũ, iuxta monaſterium pauperum dominarũ commorantium, & eis diuina miniſtrantium. Aſſenſit vir beatus, ſeq; eò perduci curauit. Paulatim autem increſcente ægritudine, ad extrema feſtinauit: cumq; nonnihil quieuiſſet, facta confeſſione, hym- Cap 37. Viribus repentè deſtituitur.

num illum de beata Maria, O glorioſa Domina, canere cœpit. Deinde ſublatis oculis, aliquandiù ſurſum diligentiſſimè intentos eos tenuit. Cùm autem interrogaretur, ecquidnam ita adſpiceret, reſpondit: Video Dominum meũ. Cernentes igitur fratres, qui aderant, felicem eius exitum adeſſe è proximo, ſacrã vnctionem ei impendere voluerunt. Vt aũt vidit ſanctus vir fratrem ex more ſacrum oleum apportantem, intuẽs in eum, ait illi: Hanc vnctionem ego habeo intra me: etſi autem neceſſe non eſt vt hãc mihi extrinſecùs adhibeas, at placet tamen & vtilis eſt. Suſcepit igitur ſacram vnctionem, extenſisq; manibus & palmis inunctis, pſalmos, quos pœnitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quaſi dimidia elapſa hora, inter manus adſtantium dormienti ſimilis leniter expirauit, & anima illa ſanctiſſima, carnis ergaſtulo abſoluta, in abyſſũ claritatis abſorpta eſt. Corpus planè dormire videbatur, manibus in candorem & colorem priſtinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibiliſbus. Agebatur tum à Chriſti incarnatione annus 1231. & dies Iunij 13.

Videt Dominũ Ieſũ.

Feliciſſimè obdormit in Domino.

Cap. 38. Eodem autem die celeberrimus ille Abbas Vercellẽſis, ſacrę lectioni & diuinis meditationibus intentus, ſolus erat in cubiculo. Eum vir Dei, cùm eſſet in corpore, præcipuè charum habuit, maximè quòd olim in Theologia illum inſtituiſſet, & viciſſim ab illo ex libris Dioniſij de rebus altiſſimis inſtructus fuiſſet. Et ille quidem Abbas in conuentu fratrum ſuorum hoc viro Dei perhibuit teſtimonium: Frater, inquit, Antonius Ordinis illorum fratrum, de pura Theologia ſenſu myſtico hauſit pleniſſimè, diuini radij gratia illuſtratus. Porrò in Abbatis eius cubiculum vir Dei ſubitò ingreſſus, poſt mutuam ſalutationem ait illi: Ecce domine Abba, relicto aſello apud Paduam, feſtinus ad patriam proficiſcor. Laborabat tum Abbas grauiter ex gutture: ſed vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repentè depulit, & diſparuit. At ille putans eum ad natale ſolum iter intendere, ignarus prorſus obitûs illius, ſurgit, & ex famulis monaſterij perquirit, vbi ſit frater Antonius. Stupefacti illi, reſpondent ſe neſcire. Abbate aſſerente ſe pro certo eum vidiſſe, & ex ſuo cubiculo quamprimùm eum exijſſe, miſſus eſt quidam ad fratres, vt ex illis cognoſceretur, num quid de Antonij aduentu comperiſſent. Vbi ille reuerſus, fratres dixit nihil eius nôſſe, Abbas tandem ad ſe rediens, certiſſimè cognouit Antonium migrâſſe ad cælos: tempusq; annotans, poſteà didicit, eodem die & hora eum deceſſiſſe, quo in cubiculo apparuerat, ſicut ipſe fratribus non ſine lachrymis narrauit.

Abbas Vercellenſis.

Ei apparet vir ſanctus.

Cap. 39. Cùm iam abijſſet à vita beatus vir, noluerunt fratres ad hominum notitiam ilicò id perferri, ne populus ſubitò ad ipſos accurreret: ſed latere non potuit. Pueri enim nemine quicquã ſciente de eius morte, per vrbẽ cateruatim incedentes, clamabant: Mortuus eſt pater ſanctus: mortuus eſt Antonius. Mox in oẽs vrbis angulos rumor ille peruadit, & populus certatim neglectis laboribus, quibus ſe ſuosq; alebant, in ſtar apũ aduolat ad domum fratrum, eamq; circũdat vndiq;. Inprimìs verò ciues, ad pontis caput habitantes, cum armata iuuentute accurrunt ocyùs impedituri ne quis beati corpus rapiat. Omnium ibi lamentabiles voces & gemitus audiuntur, lugentium orbitatem ſuam. Maximè verò plorabant ſe tanto patre deſtitutas ſorores, quas pauperes dominas vocant, quæ etiam multùm egêrunt apud primarios eius ciuitatis viros, vt liceret ipſis apud ſe retinere corpus ſancti viri. Sed repetebant illud fratres, ad S. Mariam degentes, apud quos etiam ſepeliri voluit vir Dei, idq; adeò, vt ſub mortem fratri cuidã ipſi aſſiſtenti præceperit, modis omnibus daret operam, vt corpus eius ad S. Mariæ eccleſiam deportaretur. Itaq; inſtabant fratres iſti, & ſacrum corpus abſportare volebant: ſed ciues de pontis capite illis reſiſtebant, & nec attingere quidem permittebant corpus. Interim etiam augent armatorum numerum, qui noctes & dies aduigilent, ne inde auferatur. Tum fratres neſcij quid facerent, adeunt ciuitatis Epiſcopum, eique rem totam permittunt. Epiſcopus Canonicis conuocatis, ſingulorum ſuper hac re ſententiam inquirit. Multi videbantur in eam ire ſententiam, vt pauperibus dominabus corpus ſancti viri relinqueretur. Tandem Epiſcopus non negligendas putans preces fratrum rationi conſentaneas, magiſtratui vrbis præcipit, vt fratribus in deportando corpore pro viribus adiumento ſit.

Pueri miro modo mortem eius produnt.

En quàm charus Paduanis fuit vir Dei.

Cap. 40. Intereà dum hæc geruntur, pars ciuium de pontis capite valdè inflammantur deſiderio humandi ſacri corporis, neglectoq; magiſtratu in vetitum maiori contentione nituntur, inuitantq; ſeniores & amicos, vt ipſis auxilio ſint. Deniq; inter ſe vnanimiter ſtatuunt, ſe ſuaq; omnia in præſens mortis & excidij diſcrimen coijcere potiùs, quàm ſinant ex eo loco tolli corpus viri Dei. Et quod mirum videri queat, adeò in hac re feruebant, vt quidam eorum odium inueteratum & bella inteſtina, quibus inter ſe multo tem-

Nota ſtudium Ciuium.

to tempore ſæuierant, planè ex animis abieciſſe viderentur, tantùm vt illud ſacrum pignus retinerent. Et ne cuiuſquam fraude aut machinis illo fortaſſis priuarentur, communicato inter ſe conſilio, illud rapere moliebantur. Sed quòd præſens non eſſet Miniſter prouincialis, ad cuius nutum fratrum cõtrouerſia pendebat, ſeniores quoſdam è ciuibus rogabant fratres, vt ad illius aduentum pauliſper à ſuo propoſito deſiſterẽt, eiusq; arbitrio omnia permitterentur. Placuit hoc ciuibus, & omnes illi ſententiæ accedebant. Nocte incumbente, fratres emiſſis turbis, claudunt oſtia domorum, & diligenter vectibus & ſeris ea obfirmant. Et ecce media nocte clamor ingens exiſtit, & importuno deſiderio turbæ inhiant ad videndum corpus ſancti viri. Itaque oſtia perfringunt: ſed cùm iam tertiò id feciſſent, nulla ratione in domum ingredi potuerunt, ſtabantq;, vt ipſimet faſſi ſunt, apertis oſtijs ſtupefacti: & cùm domus plena eſſet luminibus, aditum videre non potuerunt. Manè facto, permulti ex vrbe, caſtris, pagis & locis vicinis accurrunt, & quibus datur vel ſemel vtcunq; cõtingere ſacrum corpus, beatum ſe credit. Qui autem præ turba tangere non poterant, zonas, annulos, monilia, claues & cætera ornamenta per feneſtras & oſtia paſſim porrigebant, vt contactu ſanctiſſimi corporis ſanctificata reciperent.

erga eius ſacrũ corpus.

Præclarum miraculum

Cap. 41.

Pendente interim propter Miniſtri abſentiam negocio, fratres propter æſtiuum calorem corporibus infeſtum, in capſa lignea ſacrum corpus conditum, in foueam deponunt, leuiter illud humo operientes. Mox rumor exit in populum, raptum eſſe ſacrum corpus. Aduolant igitur omnes furibundi in domum fratrum cum fuſtibus & gladijs, ſepes & oſtia euertunt, properant ad locum, in quo erat corpus, nec ceſſant à ſuo conatu, donec capſam illam inuenirent. Sed nec ſic credunt in ea haberi corpus, licet fratres id aſſeuerarent. Tandem aduenit Miniſter, ad cuius reditum tota vrbs ſuſpenſa hærebat. Ab eo igitur ciues de pontis capite corpus ſancti viri petunt inſtanter, addunt etiam minas, vt terroribus frangant fratres, affirmantq; ſe nullius periculi cauſa à ſententia diſceſſuros. Videns Miniſter temeritate illos duci, cum multa cautione & modeſtia dicit ad eos: Nihil quidem iure hic repoſcere poteſtis chariſſimi: ſed ſi de indulgentia agitur, de fratrum conſilio faciemus, quod Dominus inſpirabit. Interim ne aliquam poſſitis ſuſpicari fraudem, vobis permitto cuſtodire locum, in quo beati patris corpus quieſcit. Manè alterius diei Miniſter adit Magiſtratum, & conuocato ſenatu, humiliter opem & conſilium implorat. Magiſtratus de communi omnium ſententia cuſtodes adhibet loco ſacri corporis, & ſub pœna centum librarũ cauet ne quis vim afferat fratribus aut armatus ad eum locum accedat, donec Epiſcopus & Clerus quid fieri oporteret, ſtatuerent. Altera luce Epiſcopus in eam curam & cogitationem diligenter incubuit, & audita vtraq; parte, tandem voluit, vt omnia ex Miniſtri voluntate fierent: iuſſitq; vt & Clerus & populus omnis die craſtino ad efferendum ſacrum corpus ſummo manè conuenirent: Magiſtratui quoq; præcepit, vt fratribus, ne quid paterentur moleſtiæ, ſua ope adeſſent. Magiſtratus libenter iuſſa capeſcit, & ex aduerſo fluminis, quod Cellam fratrum ambit, ex nauibus & lignis celeriter curat pontem cõfici, ne ciues de pontis capite animis commouerentur, ſi cernerent corpus per ſuos fines deferri. At illi nihilo minùs verſi in ſeditionem, pontem illum diſſipant. Ea res totius ciuitatis animos concitauit, quòd tanta temeritas ad omnium iniuriam redundaret. Itaq; armis muniti, omnes proficiſcuntur contra illos pontis euerſores, & hi non minùs fidenter ad arma ſe parant, omni periculo contempto.

Cap. 42.

Videntes autem fratres tantum vrbis totius diſcrimen, magno timore correpti ſunt: nec minus terrebantur pauperes dominæ, ſua culpa eas turbas concitatas aſſerentes. Tum verò Magiſtratus illum populi tumultum non ferens, omnes voce præconis ad palatium conuocat, & pontis euerſoribus interdicit, ne ea die auſi ſint redire ad ædes ſuas. Amotis ergo illis ſeditionis authoribus, Epiſcopus cum Clero, Magiſtratus cum militibus & innumera populi multitudine, inſtitutis vſque ad ſacri corporis locum proceſſionibus, cum hymnis & canticis ſpiritalibus per medium capitis pontis ad eccleſiam ſanctiſſimæ matris Dei idem beatiſſimi viri corpus mira omnium exultatione transferunt. Supponebant autem feretro humeros ſuos primarij viri ciuitatis & magiſtratus, beatos ſe exiſtimantes, qui loculum vel leuiter attingere mererentur. Quotquot autem cereos habere potuerunt, eos accenſos manibus ferebant: quorum tanta erat copia, vt eorum lumine quaſi tota vrbs inflammata videretur. Vbi ad perpetuæ Virginis templum ventum eſt, Epiſcopus ſacrificium fecit: eo peracto, & exequijs celebratis, quinto ab obitu eius die terræ mandatum eſt ſanctiſſimum corpus.

Trãſfertur ſacrum corpus honorificentiſſimè.

Cap. 43. Multis coruſcat miraculis. Eſa. 35.

Eodem ipſo die, tempeſtate illa in tranquillitatem redacta, cœperunt miraculorũ coruſcare ſigna, ita vt quouis affecti morbo, ad contactum tumbæ viri Dei mox reualeſcerent: qui verò præ turba propiùs accedere non poterant, coram omnibus etiam in platea ſani euaderent. Ibi reuerà oculi cæcorum aperiebantur, aures ſurdorum patebant, claudus ſicut ceruus ſaliebat: ibi ſoluta mutorum lingua, velociter & planè Deo laudes promebat: deniq; omne genus ægritudinum depellebatur, & optata diuinitùs beneficia impetrabantur. Porrò ciues illi de capite Pontis, qui pontem deſtruxerãt, lachrymis inſuſi & detractis calceamentis, Clero cum Crucibus & vexillo præcedente, cum tanta reuerentia & humilitate coram tumulo ſe proſtraturi venerunt, vt pœnitentia ſua animos intuentium ad multam commiſerationem permouerent. Erant illi milites, delicatum hominum genus: quos etiam matronæ nobiles, præ teneritudine vix ſe ferentes, nudatis pedibus ſequebantur. Nec ij duntaxat, ſed ciues omnes in partes diſtributi, ſtatis diebus cum ſimili proceſſione, abiectis à pedibus calceis, ad ſacrũ beati viri tumulum accedebant. Veniebant itidem religioſi, ac poſtremò Epiſcopus cũ toto Clero, præceptores cum multa ſtudioſorum caterua, Magiſtratus cum militum & potentium frequentia, alijq́ue diuerſarum artium profeſſores, ſingulatim ordinatis proceſſionibus, certis diebus & horis, cereos habentes in manibus, poſitis calceis, decentiſſimè aduenerunt. Erant autem cerei, qui ante ſingulos aduentantium cætus portabantur, ea longitudine, vt non niſi aliqua præciſa parte, intra ædem beatiſſimæ matris Dei inferri poſſent, multa etiam formarum inter ſe varietate artificioſè diſtincti. Quidam etiam præ ſuo pondere humeris portabantur, nõnulli curribus vehebantur. Cùm non poſſent autem præ nimia multitudine ad eccleſiæ valuas accedere, cereos in platea circa templi oſtia ſtatuebant. Nec deerant, qui ſuper muros lumina collocarent, & in plateis excubias perpetim agerent: iiq; nec æſtiuis ardoribus, nec hybernis algoribus ab eiuſmodi pietatis ſtudijs arceri ſe patiebãtur. Iungebantur cũ noctibus dies, & alijs poſt alios ſuccedẽtibus ſine vlla intermiſſione Deo laudes grateſq; agebantur. Lætabatur Padua (alij Patauium vocant) tantis ornata luminibus, tantis illuſtrata fulgoribus, nec vllas noctiũ ſenſit caligines. Accurrunt Veneti, properãt Cenomani, adſunt Vicẽtini, Lõgobardi, Sclaui, Aquileiẽſes, Germani, Hungari, Hiſpani, Galli: ſuiſq; oculis cernentes diuinitùs celeberrima declarari miracula, in laudes præpotentis Dei ſua ora laxabant, & corde compuncti, peccata ſua fratribus, tantæ turbæ vix ſufficientibus, confitebantur. Si qui verò curationis cauſa veniſſent, nec ſua vellent peccata cõfiteri, illi nihil obtinebant: facta autem confeſſione, & correctiùs viuendi concepto propoſito, cunctis videntibus mox miſericordiam experiebantur.

Nota deuotionem.

Milites, pro nobilibus author accipere videtur.

Ex longinquis regionibus confluunt ad ſacrũ corpus.

Cap. 44.

Interim exaltabatur catholica fides, pudefiebat cæca perfidia, mordaces hæreticorum dentes conterebantur, Chriſti ſponſam calumnijs exagitare conantium, caligo incredulitatis miraculorum ſplendoribus profligabatur. Fuit verò totius Cleri & populi ea concors ſententia, vt quamprimùm apud Romanum Pontificem de viri beati nomine ſanctorum catalogo adſcribendo ageretur, cùm ab eius obitu necdum menſis fluxiſſet. Et eſt accuratè ſanè iuſſu Pontificis Gregorij noni in eius miracula inquiſitum, & multa adhibita cura, vt omnia ritè fierent. Tandem cùm eſſent à Pontifice conuocati Cardinales & Prælati omnes, qui tum Pontifici aderant, inter cætera ab illis dictum eſt: Indignum valdè eſt, nos, quod abſit beatiſſimi patris Antonij meritis venerationem debitam in terris ſubtrahere, quem Dominus maieſtatis dignatus eſt gloria & honore coronare in cælis. Sicut enim veritati miraculorum cognitę fidem non adhibere, perfidia eſt: ſic meritis ſanctorum laudem negare, genus inuidentiæ eſt. Itaque Pontifex, qui tum Spoleti erat, anno à nato Saluatore 1232. Pontificatûs ſui anno ſexto, ipſo ſacratiſſimo Pentecoſtes die, beatum virum in ſanctis deinceps numerandum cum ingenti celebritate decreuit, cùm necdum ab eius è vita deceſſu annus expletus eſſet.

Nota.

Refertur in ſanctos.

Cap. 45. Nota rem miram.

Eo autem die, quo in ſanctos relatus eſt vir Dei, res ſtupenda accidit Vlyſbonæ. Nã & viri & fœminæ extra domos in plateis cantabant & tripudiabant, & campanæ omnes totius ciuitatis, nullo eas mouente, concrepabant egregiè, nec poterant homines ſe cohibere, quin ſe lætitiæ & tripudijs darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diù pòſt ſuperuenẽre ex Italia fratres, quorum relatu didicerunt, eodem ipſo die inuſitatæ lætitiæ ſuæ, virum beatum in ſanctorum albo inſcriptum fuiſſe.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI BASILII ARCHIEPISCOPI SELEVCIAE LAVDATIO IN PROPHETAM *Eliſeum & mulierem Sunamitidem, ex Simeone Metaphraſte.*

EX prophetarum numero alij ſermone Chriſtum pronũciârunt, alij opere ac factis eius res indicârunt, alij diuinæ diſpenſationis figuram & rerum futurarum imaginem, tanquam adumbratione quadam præmonſtrârunt. Sermone Chriſtum prænunciârunt Eſaias, Ieremias, Ezechiel, & vnà cum illis duodecim alij prophetæ. Factis illum indicârunt Elias Theſbites & Eliſeus eius diſcipulus. Figura ipſius ſepulturæ fuit Ionas Propheta. Sicut enim, inquit ipſe Dominus in Euangelio, fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Iunij 14. *Chriſtum prophetæ multis modis prænunciârunt.* *Matt. 12.*

Sed intereà Ionæ & Eliæ, aliorumq́; narrationem in aliud tempus differamus, Eliſeum verò in medium proferentes, primùm quæramus, quare Sunamitidis filium nõ oratione, vt Petrus Apoſtolus Dorcadem illam, à mortuis excitauit, ſed ſupra mortuum illius pueri corpus ſeipſum expandit: pueri enim ori ſui oris ſuperficiem, nares naribus, fronti frontem, pedibus pedes accommodauit, pectus pectori, & oculis oculos adhibuit, &, vt ſummatim dicam, ſingula pueri membra ſuis membris Propheta contingens, vitam ipſi largitus eſt. Quæ igitur fuit cauſa, vt mortuum puerum oratione non excitauerit, ſed ſeipſum eius corpori adiunxerit? Hæc illis quidem in figura cõtigerunt, & ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ad quos fines ſeculorum deuenerunt. Narremus igitur, cuius rei figura fuit Eliſeus, & cuius filius Sunamitidis mulieris, qui mortuus fuerat, imaginem præmonſtrabat.

Acto. 9. *1.Cor. 10.*

Eliſeus Chriſti figuram præferebat, Sunamitidis verò filius gentium populum figurabat: hic enim à peccato ipſo morti ſubiectus fuerat. Venit igitur ſpiritualis Eliſeus, & eius membra omnia, os, oculos, manus ipſas, pedes, totum deniq; corpus mortuum depræhendit. Os videlicet mortuum erat, quod non ad Dei gloriam celebrandam linguam exercebat, ſed ligno dicebat, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuiſti. Eiuſdem oculi mortui erant, quippe qui non ad vniuerſarum rerum opificem Deum erigebantur, ſed, relicto creatore, his rebus ſeruiebant, quæ à Deo ipſo creatæ fuerãt. Mortuæ erant & manus, quæ dæmonibus ipſis ſacrificia offerebant. Mortui & pedes, quippe qui ad diaboli adorationem flectebantur. Totum deniq; eius corpus putidum erat, & potente illo medico indigebat: non quouis, inquam, medico, ſed eo, qui poſſet mortuis etiam hominibus vitam reſtituere. Venit igitur medicus ille, qui requirebatur, ſpiritalis Eliſeus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cùm humanum corpus totum mortuum comperiſſet, ſeipſum totum toti mortuo corpori accommodauit.

Eliſeus, typus Chriſti. *Filius Sunamitidis, paganorum.* *Ierem. 2.*

Dicet aliquis: Quidnam hoc eſt, quod dicis? Tota, inquam, & plena diuinitatis perfectio totam noſtram humanam naturam in ſe geſtauit: hominem ſcilicet ipſum, in quo habitauit (vt inquit Apoſtolus) tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Oculos habuit vt homines, ſimiliter & manus & pedes, non ſpecie aliqua, ſed re vera. Non enim rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſeipſum, formam ſerui accipiens. Itaq; vita ipſa mortis indumentum geſtauit, vt mortalem illam cõditionem ad propriam immortalitatem traduceret: cumq́; diuinitas ad humanum corpus deſcendiſſet, omnia deinceps hominis membra ſancta ſunt effecta, & ad meliorem vſum conuerſa. Ita igitur os ipſum didicit tandem illud dicere: Domine, labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuam. Oculi verò ipſi ad Dei gloriam intenti eſſe didicerunt, vt de ipſis dici poſſit: Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Manus ad Deum extenſæ, Domino ſuo benedicunt, vt & de illis dicatur: In noctib⁹ extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Domino: item illud: Eleuatio manuũ mearum ſacrificium veſpertinum. Iam verò & pedes ipſi in Eccleſijs conſiſtentes, & totum hoc Deo acceptũ referentes: Stantes, inquiunt, iam ſunt pedes noſtri in ſanctis locis. Item illud: Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem. Vidiſti, quæ ſit in membris exterioribus diuinæ gloriæ celebratio. Quid

Coloſſ. 2. *Philip. 2.* *Pſal. 50.* *Pſal. 144.* *133.* *140.* *121.*

igitur? Num & interiora hominis mẽbra, diuini miniſterij ſunt expertia? Minimè, inquam, ſed anima ipſa cum interioribus membris clamans & Deum inuocans, ait: Be-
102. nedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.

Omittamus igitur Sunamitidem illam viduam cum miraculis ab Eliſeo Propheta effectis, & Chriſti ad nos venientis vmbram quandam præ ſe ferẽtem, & ad nouæ gratiæ miracula orationem noſtram conferentes, de hac ipſa re latiùs diſſeramus, & primùm conſideremus, quemadmodùm vnigenitus Dei filius à ſolo Patre ante omnia ſecula genitus, idem in extremis diebus, & ex Virgine matre ſola ſine ſemine aliquo natus, vnicum viduæ cuiuſdam filium mortuum, miſericordia motus, ab inferis excitauit. Sed recurramus ad viduæ illius lachrymas, quæ cùm filium ſuum vnicum mortuum deploraret, Dominum ipſum, qui noſtræ ſalutis cauſa in mundum venerat, ad miſericordiam allexit. Illius enim viduæ lachrymæ vnigenitum Dei filium ad vnicũ eius filium à mortuis excitandum adduxerunt. Cùm enim ille valdè miſericors eam fœminam dolore nimio affligi vidiſſet, ſpontè viduam adijt, & mœroris flãmam ſuæ benignitatis fonte totam extinxit: de ipſo enim apud Prophetas ſcriptũ legimus: Ros à te proficiſcens, medicina ipſorum eſt. Fractum itaq; ramum, vt bonus agricola, iterùm inſeruit. Cuiuſnam hominis cor dolor ille non vulnerâſſet? Quis viduæ illius lachrymas ſine lachrymis præterijſſet? Eius, inquã, fœminæ mœror toti ciuitati fletum excitauit. Viduæ ipſæ viduam illam, quæ filiorum matres erant, mulierem liberis orbatam commiſerabantur. Qui filios habebant, adoleſcentem mortuum lamentabantur. Adoleſcentes adoleſcentem illum lachrymis proſequebantur. Alij vt filium, alij vt fratrem deplorabant. Omnes deniq; mœrór ille terigerat: & matris vulnus eo magis in corde renouabatur. Filij enim memoria in eius viſcera tanquam telum aliquod recurrens, flammam accendebat, & doloris acerbitatem maiorem efficiebat. Nihil enim ita matrem affligit, vt mortui filij recordatio.

Luc. 7. *Viduæ Euangelicæ, vnici filij mortem deplorantis luctꝰ deſcribitur.*

Cùm igitur crines ſine intermiſſione laceraret, & vnguibus ipſis maxillas diſcerperet ac dedecoraret, lachrymarum fluuios effundebat, & miſerabiles pro filio mortuo voces emittebat, quales ſcilicet par erat à mœrore ipſo in eius mentem ac vocem ſuppeditari. Cuinam, inquiebat, fili, viduam matrem & orbam dereliquiſti? Quem, te adempto, adiutorem inueniam? Cuinam ætas mea grandis, tanquam baculo, innitetur? Quem poſthàc patronum inueniam, cuius vir priùs exceſſit, cui filius nunc adimitur? Quî potero orbitatis meæ anguſtias ſufferre, & viduitatis tempeſtatem euadere? Hactenùs onere illo, quod viduas conſequitur, depreſſa fui, nunc & orbitatis caligo me oppreſſit. Duos illuſtres oculos poſſidebam, virum & filium, ſed vtrunq; mors ipſa effodit. Ecquis igitur, fili, matrem tuam iam mortuam ſepulcro mandabit? Quis iuſta perſoluet? En illum, qui me lachrymis proſequi debebat, ipſa priùs lachrymo: quem decebat ſepulcrum mihi parare, eum ipſa nunc ſepeliam. Non ampliùs tuis amplexibus fruar, nõ ampliùs tuis ſuauiſſimis oſculis recreabor. Par erat matrem, priuſquàm filium, à morte rapi: hic enim eſt naturæ ordo, vt filij parentes præmittant. Sed quoniam ordinem peruertiſti, ſaltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, vt ad eos, qui mortui ſunt, me quoque adiungat: ſatius enim mihi erit vno eodemque ſepulcro condi, quàm ſine filio breui hac luce frui: nam nulla vitæ iucunditas mihi ampliùs reliqua eſt, cùm non ampliùs ſuperſit ille, cuius cauſa viuere cupiebam. Quandiù filius ſupererat, ſine dolore ærumnas meas ferebam: vterque enim alteri conſolationem afferebamus: neque illum orbitas frangebat, neque viduitas ipſa, tantùm illo viuo, mœrebat. Et viri quidem calamitatem filij expectatio paulatim à memoria ſubtrahebat: ſed conſolationem meam hanc mors acerba ſtatim conturbauit, & hilaritatem magnam in dolorem intolerabilem conuertit. Quàm diuerſa ſunt euenta ipſa ab ijs, quæ mihi propoſueram. Quotidiè eius nuptias expectabam, ſed pro thalamo nuptiali ſepulcrum conſtruxi. Quo tempore de nuru cogitabam, tunc monumentum paraui. Cùm de nuptiali conditione tractabam, tunc teſtamentum eius conſignatum accepi: & filius matrem hæredem ſcripſit, quæ filium hæredem cõſtituere debebam. Cùm veſtem nuptijs congruentem parare cœpiſſem, tunc funebribus vittis & indumentis eius cadauer adſtrinxi. Quàm diuerſa ſunt hæc ab ijs, quæ mihi propoſueram. Non eſt dolor aliquis cum doloris mei acerbitate conferendus: nulla calamitas meæ calamitati par eſt. Nemo vlcus meum ſanare poterit: nemo vulnus curabit: nemo talis ac tantus medicus in vrbe hac eſt: non eſt, inquam, non eſt. Sed num aliquem apud vrbis portam inuenero?

Cùm adhuc mulier loqueretur, Medicus, qui deſiderabatur, præſtò erat. Ille vidua-

tum Patronus viduæ occurrit: Pater orphanorũ adoleſcentulũ vocauit: vitæ largitor mortuum in vitam reſtituit, & orbatæ matris lachrymas miſericordiarum amator Deus repreſſit. Cùm enim ad ciuitatis Naijn portam Dominus appropinquâſſet, (vt dicit Euangeliſta) ecce efferebatur mortuus filius vnicus matris ſuæ. Mortuus egrediens ingredienti vitæ occurrit. Cumque flentem matrem ipſe Dominus vidiſſet, miſericordia illius commotus eſt, eique dixit: Noli flere: mors enim, quæ te impugnauit, expugnata nunc eſt. Noli flere: nam inferna ſedes coacta, filij tui animam à me repetitã reſtituet. Gaudebat quidem ſatanas, vt prædam deuoraturus: ſed ingemiſcet, voti cõpos non factus. Et vt diſcas verum eſſe, quod promitto, reuerà filium tuum reſurgentem adſpicies. Tum dixit: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et ſedit, qui mortuus fuerat, & cœpit loqui. Adoleſcens, inquit, tibi dico, ſurge. Sed curnàm addidit, Tibi dico? Simpliciùs enim dicere poterat: qui mortuus es, reſurge. Eius rei cauſam hanc eſſe arbitror, quòd Saluatoris vox ſummam vim habens, & alios mortuos in vitam excitatura erat: propterea illud addidit, Tibi dico, vt gratiam ſuam huius adoleſcentis reſurrectione circunſcriberet. Hoc idem fecit & in Lazaro: non enim dixit: Qui mortuus es, veni foras: ſed nomine mortuum vocans: Lazare, veni foras. Itaque id fecit, ne vox illi⁹, qui vitæ author eſt, ſimpliciter pronunciata, multos mortuos excitaret. Sedit mortuus, et cœpit loqui, illud nimirùm: Niſi Dominus adiuuiſſet me, paulominùs habitâſſet in inferno anima mea. Item illud: Dominus eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fęcis: & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Hoc igitur & nos in tentationum fluctuationibus clamantes, canamus gloriam Patri, Filio & Spiritui ſancto nunc & ſemper, & in æterna ſæculorum ſecula, Amen.

Dominus Ieſus excitat filium eius. Luc. 7. Iohan. 11. Pſalm. 93. Pſalm. 39.

VITA ET MARTYRIVM SANCTÆ FEBRONIAE VIRGINIS, PER THOMAIDEM SANCTIMONIALEM *ſcripta. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

QVO tempore Diocletianus Romanis imperabat, accidit vt Anthimus Præſes morbo laboraret, & in lecto iaceret. Selenum igitur fratrem ad ſe accerſitum, his verbis affatus eſt: Ego mi frater, ex rebus humanis excedo. itaque Lyſimachum filium meum in manus tuas trado: cui quoniã Proſphori Senatorij hominis filiam vxorem dandam cõſtituimus, velim poſt meum obitum nuptias quamprimũ ſtudeas perficere, & ſis illi patris loco. Hæc cùm Præſes fratri mandâſſet, poſt tres dies è viuis exceſſit. Imperator verò Diocletianus Lyſimachum Anthimi filium, & Selenum eius patruum ad ſe accerſiuit, & ſeorſum dixit Lyſimacho: Ego, adoleſcens, patris tui amicitiam recordatus, in animo habui, poſt eius exceſſum te in eius locum Præſidem conſtituere: ſed quoniã fama quadam aures meę perſonant, te Chriſtianorum religione delectari, intereà id facere diſtuli. Volo igitur te ad Orientis partes mittere, vt Chriſtianorum religionem perſequaris ac deleas: cumque ad nos reuerſus fueris, tunc Præſidem ages.

15. Iunij. Cap. 1.

Hæc cùm Lyſimachus audiuiſſet, nihil Imperatori auſus eſt reſpondere: erat enim ætate admodùm iuuenili, annum agens ferè vigeſimum. Selenus verò eius patruus cùm ad Imperatoris pedes procubuiſſet: Supplex, inquit, immortalem maieſtatẽ tuã oro, vt paucos dies Lyſimacho concedas, vt nuptias celebrare poſſit: poſteà & ego vnà cum illo abibo, & omnia fient, quæ diuina maieſtas tua præcepit. Tunc Imperator: Priùs ad Orientem profecti, Chriſtianorum religionẽ extinguatis: cumque omnia rectè perfeceritis, huc reuerſi, me quoque habebitis omne ſtudium adhibentem ad conficiendas Lyſimachi nuptias. Hæc cùm audiuiſſent, non ampliùs auſi ſunt Imperatori reſpondere. Acceptis igitur mandatis, & militibus multis, ad Orientem iter fecerũt. Lyſimachus verò ſecum duxit virum quendam Primum nomine, ex eorum numero, qui Comites vocantur. Erat autem ille ex matris eius ſorore genitus, quem & exercitui præeſſe voluit. Cùm igitur veniſſent ad Orientem, & ad Meſopotamiam acceſſiſſent, in ea regione, quæ Palmyra dicitur, Chriſtianos homines partim in ignem coniecerunt, partim gladio percuſſerunt. Erat enim Selenus ille admodùm ſęuus atq; inhumanus, qui non ſolùm hæc, quæ diximus, faciebat, verumetiam illorum

Cap. 2. Selenus atrox Chri-

ſtianorum perſecutor.

corpora canibus eſcam proijci iubebat. Multus igitur terror propter Seleni durioris viri ſæuitiam atque atrocitatem totum terrarum orbem continebat.

Cap. 3.

Nocte verò quadam Lyſimachus Comitem Primum ad ſe accerſitum, his verbis affatus eſt: Honeſtiſſimè vir Prime, tu nôſti, quòd licèt pater meus Græcorũ ſuperſtitionem ſequens, mortuus fuerit, tamen mater mea Chriſtiano cultui dedita vitam egerit, & diem obierit: quæ quidem multum ſtudium ac diligentiam adhibebat, vt Chriſtianus fierem: ſed ego propter Imperatoris & patris mei timorem, id facere adhuc nõ potui. Quinetiam matris meæ habeo mandata, ne quem Chriſtianorum hominum interficerem, ſed Chriſti amicus eſſe ſtuderem. Nunc autem Chriſtianos ipſos video ſub hoc homine perditiſſimo Seleno patruo meo cruciatos impiè necari. Quamobrem animus meus illorum cauſa valdè affligitur. Volo igitur, vt Chriſtianorum incolumitati clàm deinceps conſulamus, priuſquàm à Seleno ipſo peſſimè omnes interficiantur. Hæc cùm audiſſet Primus ille, neminem Chriſtianorum comprehendi iubebat: ſed illis, quos nouerat, & monaſterijs etiam ſignificabat, vt vaſtatoris Seleni manus aufugerent.

Lyſimach. fauet Chriſtianis.

Cap. 4. Monaſteriũ fœminarũ, Sibapoli.

Cùm verò adhuc in illis locis verſarētur, volebant Sibapolim peruenire, quæ ſita erat in finibus aſſyriorum, ac ſub Romanorum ditione conſtituta. Erat autem in vrbe illa monaſterium mulierum quinquaginta, quæ monaſticæ vitæ ſtudio ſeipſas exercebant. His præerat mulier quædam nomine Brienna, quæ magiſtram habuerat Platoniam, diaconatûs officio ante ſe functam, cuius traditionem & canonem ad finem vſq; optimè ſeruauit. Platoniæ autem canon talis fuerat. In die Paraſceues nulli ex ſororum numero licere opus aliquod facere, ſed in ſacello omnes conuenire. Itaq; modò pſalmorum canendorum regulam exequebantur, modò Platonia librum tenens, literas diuino ſpiritu afflatas, ſororibus legebat vſque ad horam tertiam. Poſt tertiam autem horam dabat librum in manus Briennæ, iubens ex eodem libro aliquid ſororibus legere vſque ad veſperam. Ita igitur & Brienna faciebat, tale miniſterium obeundo. Cui duæ virgines adoleſcentes aderant, benè apud illam educatæ, & exercitationis monaſticæ palæſtram obeuntes: quarum vna Procla, altera Febronia nominabatur. Eratq; Procla annos nata vigintiquinq;, Febronia verò viginti, quæ Briennæ erat neptis. Eadem pulchritudine & corporis ſtatura erat valdè inſignis, & adſpectu valdè hilaris, ita vt venuſtas in ore ipſius efflореſcens, humano artificio depingi non poſſet.

Cap. 5. Febroniæ virginis ieiunia.

Porrò erat Briennæ multa ſolicitudo, quo pacto Febroniam intactam ſeruaret, illam forma tam egregia præditam videns. Cùm verò omnes ſorores illæ ab vnius diei veſpera vſque ad ſequentis veſpertinam horam ieiunarent, iuſſit Febroniam poſt duorum dierum ſpatium comedere. Illa igitur cùm ſe tali corporis habitu præditam videret, tunc etiam neque panem, neque aquam ad ſatietatem vſque ſumebat. Ad hæc iuſſit paruum quoddam ſcamnum ſibi componi, tribus cubitis longum, & vno palmo ac dimidio latum, in quo requieſcebat, quoties dormiendi tempus aduenerat. Interdum & in ſolo nudo carnes ſuas reclinabat. Quoties verò à diabolo nocturnis cogitationibus tentabatur, exurgebat, & multis cum lachrymis Deo ſupplicabat, vt diabolum tentantem à ſe fugaret: & ſtatim librum aperiens, diuinas literas laborioſè legebat. Cùm enim adoleſcens eſſet diſcendi cupida, tam multa didicit, vt tantum Febroniæ ſcientiæ ſtudium Brienna valdè admiraretur. In die igitur Paraſceues omnibus ſororibus illis ad ædem ſacram conuenientibus, iubebat Brienna Febroniam diuina eloquia ſororibus legere. Quoniam verò mulieres nobiles in die Paraſceues ad ſacellum veniebant, & ſpirituali doctrina fruebantur, iuſſit Brienna Febroniam velo contectam diuina eloquia recitare: hominis enim externi vel mulieris adſpectum, cuiuſmodi eſſet, nunquàm viderat.

Stratum.

Eruditio.

Cap. 6.

Febroniæ igitur doctrina vſquequaq; per totam vrbem, & pulcherrima ipſius forma, & manſuetudo, atque animi modeſtia celebrabatur. Quod cùm audiuiſſet Hieria ſenatorij generis mulier, miro quodam ardore inflammata, quærebat cum Febronia colloqui. Erat autem Hieria illa ſuperſtitionis Græcæ cultrix, & necdum ad baptiſmum venerat: quæ cùm vnà cum viro ſuo menſes ſeptem vixiſſet, vidua poſteà facta, reuerſa eſt in ſuam patriam ad proprios parentes, quietè viuens. Erant autem & ipſi Græcæ ſuperſtitionis cultores. Venit igitur in monaſterium, & per ianuæ cuſtodem, conſilium ſuum Briennæ ſignificauit. Exijt Brienna ad illam. Cumque Hieria ipſa ante Briennam ſeſe proſtrauiſſet, eam adorauit, & apprehendens eius pedes: Obteſtor, inquit, te per eum, qui fecit cælum & terram, ne me abomineris, quæ Græcam ſuperſtitionem ſecuta ſum, ob idq; impurè me geſſi, & ad hanc vſque diem idolorum

Hieria gẽtilis cupit ad fidem accedere.

fui

fui ludibrium. Ne me priues ſororis meæ Febroniæ doctrina atq; congreſſu. Per vos liceat mihi diſcere ſalutis viam, vt per eam incedam. Liceat inuenire, quæ Chriſtianis parata ſunt. Liberate me ab huius ſeculi & impuræ idolorum ſuperſtitionis vanitate, quoniam cogunt me parentes mei ſecundis nuptijs copulari: & ſit mihi vita, Febroniæ conſuetudo & doctrina: ſatis enim mihi eſt, præteriti temporis inſcitia, tanquam pœna quadam, mulctatam fuiſſe.

Hæc cùm diceret Hieria, & lachrymis pedes Briennæ adſpergeret, ipſam in multã miſericordiam concitauit. Illi igitur Brienna: Quòd ad Febroniam, inquit, pertinet, nouit Deus, quemadmodùm cùm duos annos ageret, ipſam in hoc monaſterio in manus meas acceperim: & hodiè decem & octo anni ſunt, ex quo in monaſterio viuit, neque viri alicuius, neque mulieris in mundo verſantis formam adſpexit: ſed nec mundi figuram aliquam hucuſq; vidit: quinetiam neque eius nutrix hactenùs ipſius adſpectum cernere potuit. Quanuis enim lachrymans ſæpè mihi ſupplicauerit, vt liceret cum ea colloqui, non tamen id aſſecuta eſt. nam ei hoc ego non conceſſi. Cùm verò te eius videndi deſiderio teneri intelligam, & Dei amantem eſſe cognoſcam, ad eam deinceps te intromittam, modò veſte monaſtica induta fueris. Duxit igitur Brienna Hieriam ipſam ad Febroniam. Quam cùm virgo Febronia monaſtica veſte indutã vidiſſet, ad Hieriæ pedes ſe deiecit: exiſtimabat enim peregrinam aliquam monachã à ſe videri. Viciſſim igitur ſe amplexæ ſunt, quas ambas iuſſit Brienna ſedere, & Febroniam diuinæ ſcripturæ libros legere. Eius autem lectione ac doctrina ita compuncta eſt Hieria, vt totam noctem inſomnem ſimul tranſegerint: neque enim Febronia dicendo, neque Hieria audiendo defatigabatur. Tantum verò lachrymarum in terram effudit Hieria, vt totum ſolum eius lachrymis irrigatum fuerit. Diluculo autem vix Brienna potuit perſuadere Hieriæ, vt illinc ad parentes ſuos rediret. Cùm igitur ſe viciſſim iterùm amplexæ, lachrymarum plenæ fuiſſent, deſcendit Hieria in domum ſuam, & perſuaſit parentibus, vt ab inanibus paternæ traditionis moribus, & idolorum ſeruitute diſcederent, & Deum omnium Creatorem cognoſcerent.

Cap. 7. Nota tot annis Febroniã nec viri nec fœminæ formam vidiſſe. Hieria ei loquente mirè compungitur.

Febronia verò interrogauit Thomaidem, quæ ſecundas partes diaconatûs gerebat: Quæſo, domina mea & mater: Quænam eſt illa hoſpes & ſoror, quæ ita lachrymis perfuſa erat, quaſi aliâs nunquã diuinas literas legi audierit. Tũc Thomais Febroniæ reſpondit: An ignoras, quæ illa ſit? Et vndenã, inquit illa, peregrinam mulierem cognoſcere poteram? Tum Thomais: Hæc eſt Hieria, ſenatorij generis fœmina. Et quare, inquit Febronia, mihi non ſignificâſtis, ne ego tanquam cum ſorore loquerer? At illa: Ita fieri iuſſit Brienna Præſes. Illis diebus ægrotauit Febronia vſque ad mortem, & in ſcamno illo ſuo iacebat.

Cap. 8.

Interim fama quædam ad vrbem illam peruenit, Lyſimachum & Selenum aduentare, vt Chriſtianos cruciatibus multis affligerent. Omnes igitur Chriſtiani, qui erant in ciuitate, clerici, laici & monachi, relictis rebus ſuis, aufugerunt, ita vt eius etiam vrbis Epiſcopus propter imminentem terrorem ſe occultauerit. Cùm hoc audiuiſſent eius monaſterij ſorores, adiêrunt Briennam, & hæc ei dixerunt: Quidnam faciemus, cùm feræ vrbem hanc occupauerint, & omnes propter imminentes minas aufugerint? Quidnam, inquit Brienna, vobis placet? Tum illæ: Iubeas, mater, nos latere paulisper, vt animas noſtras nos etiam ſeruemus. Ad hæc Brienna: Nondum, inquit, bellum vidiſtis, & de fuga cogitatis? Nondum palæſtra præſtò eſt, & ſtatim vos victas oſtenditis? Nolite, quæſo, filiæ, ita facere: nolite, quæſo, ſed reſiſtamus, & certemus, ac moriamur pro eo, q pro nobis mortuus eſt, vt & cum illo viuamus. Hæc cùm ſorores audiuiſſent, conticuerunt.

Cap. 9. Chriſtiani fugiunt ti-more impij Seleni.

Die autem craſtino vna quædam è ſororibus, nomine Aetheria, dixit: Scio ego, quòd Febroniæ cauſa non permittit nos Brienna hinc ſecedere. Fortaſſe propter hanc Febroniam nos omnes perire vult. Sed ecce ego dico vobis, vt illam adeamus: ipſa enim pro omnibus dicam, quod docet. Cùm hæc audiuiſſent ſorores, aliæ paruerunt Aetheriæ, aliæ contradixerunt, eius conſilium condemnantes. Cumque multa diſſenſio inter eas per aliquot horas fuiſſet, poſtremò omnes concordes adiêrunt Briennam, vt ſcirent, quod conſilium illis daret. Poſteà verò quàm venerunt illæ, & Brienna conſilium Aetheriæ cognouit, intuens in illam: Quidnam, inquit, vis, ſoror Aetheria? Quæ reſpondit: Vt iubeas nos occultari, & imminentem furorem aufugere: non enim meliores ſumus clero & Epiſcopo. Oportet te illud cogitare, inter nos adoleſcentulas quaſdam eſſe, quibus cauendum eſt, ne aliquo modo comprehendantur à militibus, & corrupta corporis virginitate, exercitationis monaſticæ mercedem amittant.

Cap. 10. Etiã adoleſcētulas virgines patres antiqui in monaſterijs ponebant.

amittant. Illud etiam timendum, ne nos tormentorum anguſtias ſuſtinere non valẽtes, dæmonum cultrices effectæ, animarum noſtrarum iacturam faciamus. Si placet igitur, iubeas nos aufugere, & Febroniam nobiſcum ducere.

Cap. 11. His auditis, dixit Febronia: Viuit Chriſtus meus, cui deſpõſata ſum, cui animam meam dedicaui, quòd non egrediar è loco iſto: ſed hic moriar, & hîc ſepeliar. Tum Brienna ad Aetheriam conuerſa: Tu, inquit, videto quid agas: ego innocens de hac re futura ſum. Deinceps dixit & alijs ſororibus: Vnaquæq; veſtrùm nouit, quid ſibi expediat: quicquid igitur vult, illud eligat. Tunc omnes ſorores illæ metu impulſæ, ſalutem dixerunt Briennæ & Febroniæ, multiſque lachrymis & gemitibus ſua pectora percutientes, è monaſterio egreſſę ſunt. Procla verò Febroniæ condiſcipula, eius collum amplectens, ipſam deoſculabatur, clamans & orans vt pro illa Deum precaretur. At Febronia manu ipſam appræhendens, non permittebat è monaſterio egredi, dicẽs: Metuas Deum, Procla ſoror. Saltem tu nos non derelinquas, (An non vides me ægrotare?) ne fortè moriar, & Brienna nõ poſſit me in ſepulcrum demittere. Maneas igitur hic, vt funus meum cures. Tunc Procla reſpondit: Non derelinquam te, ſoror mea, vt iubes. En, inquit Febronia, coram Deo mihi pollicita es, quòd me non derelinquas. Veſpere autem Procla illa, mutato conſilio, diſceſſit è monaſterio.

Cap. 12. Brienna igitur cùm monaſterium illud propter imminentes anguſtias ſororibus deſtitutũ vidiſſet, ingreſſa eſt in ædem ſacram, & in ſolum ſe abiecit, vlulans & lamentis Deum implorans. Thomais verò, quæ ſecundas partes poſt Briennam gerebat, aſſidens illi, eamque rogans: Deſine, inquit, mater mea, flere: potens eſt enim Deus noſter cum anguſtijs & tentatione facere, vt felicem euentum habeamus, & tentationes ferre poſſimus. Quiſnam credidit Domino, & vnquàm confuſus eſt? Quis vnquã permanſit in timore illius, & ipſe eum contempſit? Ita profectò, inquit Brienna, res ſe habet: ſed quid faciam Febroniæ? Vbinam ipſam occultem, aut ſeruem? Quibus oculis adſpicere potero, illam à barbaris captiuam duci? Ad hæc Thomais: Num oblita es eorum, quę tibi dixi? Qui poteſt homines mortuos exuſcitare, ille idem & Febroniam corroborabit, & ſeruare poterit. Itaque mater mea, quæſo, animum confirmes, & ſententiam mutes: deſiſtenſq; à gemitibus & lamentis, veni, vt Febroniam confirmemus, eò quòd ipſa morbo afflicta decumbit.

1. Cor. 10.

Eccli. 2.

Cap. 13. Cùm igitur ad ſcamnum veniſſent, in quo Febronia decumbebat, ſtatim Brienna grauem vlulatum emiſit: & cùm faciem in ſua genua deieciſſet, lachrymis perfundebatur. Cùm verò in ipſam Febronia intueretur, ad Thomaidem orationem dirigens: Quæſo, inquit, mater, quiſnam vlulatus fuit Briennæ? Audiui enim ipſam & paulò antè, cũ adhuc eſſet in æde ſacra, clamores magnos emittere. Tuî cauſa, inquit Thomais, gemitum & lamentationes emittit: ærumnas enim præuidet, quæ à Tyrannis nobis inferendæ ſunt, propterea quòd tu adoleſcens, & pulchritudine valdè inſignis es. Tũ Febronia: Rogo vos, vt pro me ancilla veſtra Deum oretis: potens eſt enim ipſe reſpicere humilitatem meam, & me infirmam corroborare, mihiq; patientiam concedere, vt omnibus ſeruis ſuis, qui verè ipſum dilexerunt. Ad hæc Thomais: Filia, inquit, mea Febronia, en tempus certaminis præſtò eſt. Igitur ſi à militibus compræhenſæ fuerimus, nos quidem vt ætate prouectæ, breui tempore à Tyrannis interficiemur: te verò, vt adoleſcentem & pulchritudine inſignem, detinebunt. Ergo ſi te blanditijs allicient, nequaquàm illis obtemperes. Quòd ſi auro vel argẽto, veſte aut delicatis cibis te demulcere ſtudebunt, vide, filia, ne illis credas, ne præteritorum laborum mercedem perdas, néve dæmonibus & idolis ludibrio ſis. Nihil virginitate præſtantius. Multa enim eſt ipſius merces: & præmium virginitatis ſponſus immortalis eſt, qui & immortalitatem his præbet, qui eum exoptant. Da operam, Febronia, vt illum videas, cui & animam tuam dedicâſti. Vide, filia mea, ne reprobes eius pignus, & conuẽta frãgas, quibus cum Chriſto ipſo coniuncta es. Terribilis enim eſt dies ille, cùm ſederit in ſolio gloriæ ſuæ Iudex ipſe, à quo vnuſquiſq; recipiet ſecundùm opera ſua.

Virginitatis præſtantia & præmium.

Cap. 14. Hæc cùm audiuiſſet Febronia, confirmabatur, & fortiter ac generosè contra diaboli ſpiritus ſeipſam præparabat: & reſpondens Thomaidi: Bene, inquit, feciſti, dominã mea, quòd ſeruam tuam confirmans, animam meam alacriorem effeciſti. At ſi fugiẽdi certaminis propoſitum habuiſſem, & ego cum ſororibus ipſis exire, & meipſam occultare poteram. Sed quoniam illum deſidero, cui & animã meam dedicaui, ſtudeo ad ipſum accedere, ſi quidẽ dignã me faciet, q̃ pro nomine ipſius certem & moriar. Hæc cùm audiſſet Briẽna, cœpit & ipſa dicere: Filia mea Febronia, memoria repetas, quẽadmodùm doctrinam meam aſſecuta es. Recordare, quemadmodùm & aliorũ ma-

gistra

giſtra fueris. Recordare, quòd te ſecundum iam annum agentem in manus meas à nutrice tua acceperim, & ad hanc diem nemo faciem tuam vidit. Feci, vt cum mundi huius mulieribus non verſareris. En, vt hactenùs te cuſtodiui immaculatam. Nunc autem quid faciam tibi, filia mea? Oro, ne ſenectutem Briennæ dehoneſtes, ne laborē ſpiritalis matris tuæ inanem efficias. Memoria repetas, certatores illos, qui ante te fortiter & gloriosè martyrium paſſi ſunt, victoriæ coronam ab illo cæleſti certaminum Præſide percepiſſe. Non viros ſolùm, ſed etiam mulieres recordare, Libiam & Leonidem ſorores illas duas, quæ martyrium gloriosè pertulerunt: e quibus Libia ipſa gladio percuſſa, capite priuata eſt. Leonis verò in ignem coniecta fuit. Recordare quemadmodùm puella Eutropia, duodecim annos nata, martyrium ſuſtinuerit. An non ſemper Eutropiæ obedientem animum, & eius tolerantiam ac patientiam admirabaris, cùm eam Iudex ipſe, vinculis exolutam, ſagittis peti iuſſit, vt præ metu fugeret? Sed illa matrem ita ſibi dicentem audiens: Filia mea Eutropia, vide ne fugias: manus ſibi poſt terga deuinxit, & ſagittis percuſſa in ſolum cecidit, & ſtatim ſpiritum emiſit, & matris præceptum non violauit. Nónne puellæ huius patientiam tu ſemper admirata es? Et illa quidē puella erat, omnium literarum rudis atq; ignara: tu verò et aliarum magiſtra exiſtis.

Februnia à teneris optimè inſtituta.

Libia & Leonis martyres.

Item Eutropia duodennis.

Cùm hæc & his plura dicerentur, nox præterijt, & dies illuxit. Poſt ortum autem Solis, tumultus & clamor ab his, qui vrbem illam incolebant, emittebatur, cùm Lyſimachus & Selenus eò veniſſent. Vt igitur Chriſtiani multi à militibus capti, & in carcerem coniecti fuerunt, quidam ex Græcorum numero ad Selenum de monaſterio illo ſignificârunt. Ille autem ſtatim miſit in monaſterium milites. Qui cùm illud circundediſſent, & portas ſecuribus perfregiſſent, facto impetu in monaſterium irruerunt, & ſtatim Briennam comprehenſam gladio interficere voluerunt. Sed Febronia, cùm periculum imminere vidiſſet, ſe ad militum pedes abiiciens, dixit: Obteſtor vos per Deum cæleſtem, me me priùs de medio tollite, ne dominam meam morientem videam. Dum hæc Febronia diceret, Comes ille, qui Primus vocabatur, ſuperuenit, indignatuſque aduersùs milites, eos è monaſterio expulit. & Briennam alloquens: Vbinam, inquit, ſunt aliæ, quæ in monaſterio iſto erant? Illa verò reſpondit: Præ metu omnes ſeceſſerunt. Vtinam, inquit Primus, & vos ſeceſſiſſetis. & adiunxit, Liceat vobis ſaluas abire, quocunque volueritis. Mox ſecum milites abducens, è monaſterio diſceſſit. Cumque ad prætorium veniſſet, adijt Lyſimachum. Cui Lyſimachus dixit: Veráne audiuimus de monaſterio illo? Vera, inquit Primus. Cumque illum ſeorſum duxiſſet, hæc addidit: Omnes, quæ erant in monaſterio illo, fugæ ſe dederunt, neque inuenimus, niſi duas vetulas, & vnam adoleſcentem mulierem. Mirum autem quiddam & peregrinum tibi ſignificare poſſum, quod vidi in monaſterio. Illam profectò adoleſcentem vidi eiuſmodi formam habentem, qualem hactenùs nullam inter mulieres adſpexi. Scit Deus verum eſſe, quod dico. Vidi inſuper adoleſcentem illam iacētem in quodam ſcamno, & mente perculſus fui. Quod niſi paupercula & inops foret, dignam certè iudicarem, quam dominus meus vxorem duceret. Ad hæc Lyſimach⁹: Si mandata, inquit, habeo matris meæ, ne Chriſtianorum ſanguinē effundam, ſed illorum amicus potiùs ſim, quomodo potero Chriſti ſponſis inſidiari? Minimè certè id faciā. Sed quæſo, illas accipias, & è monaſterio educas, earumque ſis conſeruator, ne in patrui mei Seleni crudelis incidant manus.

Cap. 13.

Milites irrũpunt in monaſterium.

Nota Lyſimachi Chriſtiano homine dignā vocem.

Tunc vnus quidam è numero peſſimorum militum, qui ex monaſterio venerant, cùm nonnulla ex his verbis fortè audiſſet, cucurrit ad Selenum, eique ſignificauit, inuentam fuiſſe adoleſcentem quandam in illius vrbis monaſterio forma valdè inſignem, de cuius matrimonio Primum Comitem cum Lyſimacho agere. Audiuit hæc Selenus, & furore concitatus, miſit cuſtodes in monaſterium, qui eas mulieres ſeruarent, ne fugam arriperent: & ſtatim iuſſit præcones per vrbem edicere, craſtino die Febroniam productum iri. Cùm hæc audiuiſſent eius vrbis & finitimæ regionis homines, magna virorum & mulierum turba ad ſpectandum Febroniæ certamen cōfluxit. Poſteà verò, quàm dies illuxit, venerunt milites ad monaſterium, & ingreſſi, à ſcamno illo Febroniam abripuerunt, & ferreis vinculis collo adoleſcentis adſtricto, è monaſterio pertraxerunt. At Brienna & Thomais Febroniam complexæ, lamentabili voce clamantes, precabantur milites, vt pauliſper concederēt eas cū Febronia loqui. Tum illi multa miſericordia Febroniam proſequentes, permiſerunt facere quod petitum fuerat. Deniq; ambæ illæ mulieres eoſdem milites rogabant, vt liceret & ipſis idem certamen ſubire, ne Febronia ſola derelinqueretur, néve deſtituta aliquo modo for-

Cap. 14.

Febronia vincta abducitur.

formidaret. Milites verò dixerunt, ſe non fuiſſe iuſſos vt illas, ſed Febroniam tantùm ad iudicium adducerent.

Cap. 17. Cœperunt igitur Thomais & Brienna hortari Febroniam & confirmare: quarum prior Brienna his verbis vſa: En, inquit, filia mea Febronia, ad certamen nunc egrederis. Conſidera cæleſtem ſponſum certaminis tui ſpectatorem eſſe, & victoriæ coronam ab Angelicis potentijs teneri tibi dandam, ſi conſtans fueris. Vide ne tormenta expaueſcens, diaboli fias ludibrium: ne corpus tuum plagis dilaniari videns, miſericordia illud proſequaris. Hoc enim, velimus nolimus, paulò pòſt ſepulcrum excipiet, & in puluerem diſſoluet. En ego in monaſterio lamentans, nuncium aliquod de te, ſiue bonum, ſiue malum, expectabo. Sed da, quæſo, operam, filia mea Febronia, vt fauſtum aliquid de te audiam. Vtinam mihi aliquis optatum nuncium afferat, Febroniam perfectè martyrio functam, & in Martyrum numero aggregatam fuiſſe. His auditis, Febronia reſpondit: Fidem & ſpem habeo in Deo meo, mater Brienna, fore, vt quemadmodùm mandata tua nunquam contempſi, ſic neque hoc tempore admonitiones iſtas & præcepta tua neglectura ſim: ſed videbunt populi, & obſtupeſcent, & Briennæ ſenectutem beatam prædicabunt & dicent: Verè hoc eſt Briennæ illius magnæ fœminæ germen & educatio. Oſtendam enim in corpore muliebri virilem mentem. Sed benè mihi precemini, & me diſcedere patiamini. Ad hæc Thomais: Viuit, inquit, Deus, Febronia ſoror mea, & ego ſeculari habitu induta, veniam & certamen tuum adſpiciam.

Conſtans Febroniæ animus.

Cap. 18. Cùm verò milites ipſi Febroniam vrgerent, illa: Precor, inquit, vos matres meæ, vt benedictionem pro viatico mihi impertiatis, & magis magiſque pro me Deum oretis, meque ire permittatis. Tunc Brienna tendens in cælum manus, & vocem magnam edens, ita precata eſt: Domine Ieſu Chriſte qui ſeruæ tuæ beatæ illi Teclæ certanti ſub Apoſtoli Pauli habitu apparuiſti, quæſo, & huic humili ſeruæ tuæ in hora certaminum appareas. Hæc cùm dixiſſet Brienna, & Febroniam vltimò amplexa eſſet, illam ſalutatam dimiſit. Quam milites comprahenſam, ad Selenum duxerunt. Reuerſa eſt autem Brienna in monaſterium, dolens ac lamentans, & in ſolum eo in loco, vbi Deum orare conſueuerant, proſtrata vociferabatur, Deum precans pro Febronia. Thomais verò, quæ ſecundas partes poſt Briennam in monaſterio habebat, illam dereliquit, & ſeculari habitu induta, ad ſpectaculum Febroniæ ſe contulit. Omnes igitur ſeculares mulieres, quæ ad monaſterium in die paraſceues conuenire, & eius doctrina frui conſueuerant, pectora ſua verberantes, cum lachrymis ad eius rei ſpectaculum currebant, & adoleſcentis doctrina ſe priuatas dolebant.

Cap. 19. Hieria valdè affligitur Febroniæ cauſa.

Cùm hæc audiuiſſet & Hieria, ſenatorij generis mulier, Febroniam ſcilicet monacham publicè produci, ſurrexit, & vocem ita magnam edidit, vt parẽtes ipſius, & qui in eius domo erant, obſtupuerint, & ab Hieria ipſa queſiuerint, quidnam ei accidiſſet: Quibus illa reſpondit: Soror mea Febronia producitur, magiſtra mea ad pœnas ducitur, vt Chriſtiana mulier. Cùm igitur à parentibus admoneretur, vt à luctu deſiſteret, eò illa magis dolens & vociferans, & parentes ſuos obſecrans: Sinite, inquit, me acerbè flere, & ſororem ac magiſtram meam deplorare. Hæc cùm diceret, ſuis etiam parẽtibus luctum ita commouit, vt ipſi quoque Febroniam lamentarentur. Cùm igitur perſuaſiſſet parentibus ſuis, vt liceret etiam ſibi ſpectaculum illud adire, pueros multos & ancillas ſecum habens, ad locum, in quem Febronia ducebatur, lugens properabat. Cumq; mulierum concurrentium & lamentantium multitudinem conſecuta eſſet, inuenit & Thomaidem. Quæ cùm mutuò ſe agnouiſſent, ambæ lugentes ad ſpectaculum certaminis illius conuenerunt. Multitudine igitur in eum locum cõgregata, vbi de Febronia quæſtio habenda erat, venerunt & Iudices.

Cap. 20. Præſidentes igitur Selenus & Lyſimachus, iuſſerunt Febroniam coràm ſiſti. Illa itaque intromiſſa, manibus vincta, catenis etiam collo illigata, ibi conſtitit. Qua viſa, turbæ omnes lachrymârunt, atque ingemuerunt. Cumque in medium producta eſſet, iuſſit Selenus præſentes à tumultu deſiſtere. Quod cùm omnes feciſſent, dixit Selenus Lyſimacho: Interroga mulierem iſtam, & eam reſpondentem audias. Tunc Lyſimachus? Agè, adoleſcens, dic: Liberáne, an ſerua es? Tum Febronia reſpondit: Ego ſum ſerua. Cuiuſnã, inquit ille, ſerua es? At Febronia: Chriſti ancilla ego ſum. Quodnam, inquit Lyſimachus, nomen tibi eſt? Cui reſpondit Febronia: Chriſtiana ego vocor, humilis quidem & abiecta. Tum Lyſimachus: Nomen tuum cupio ſcire. Dixi, inquit illa, me Chriſtianam eſſe: quòd ſi nomen meum ſcire vis, mater Febroniam me vocauit. Tunc Selenus iuſſit Lyſimachum à quæſtione deſiſtere, & ipſe cœpit Febroniam

Febroniæ corã Iudice confeſſio.

broniam

broniam ſic alloqui: Nôrunt dij, me ita affectum fuiſſe, vt tecũ loqui nollem: ſed quoniam manſuetudo & æquitas tua, cum pulchritudine & forma egregia coniuncta, furoris mei & indignationis, quam aduersùs te conceperam, magnitudinem ſuperârũt, non ampliùs te vt ream, ſed vt filiam interrogabo. Audi ergo, filia: Teſtes habeo deos, quòd vera ſunt, quæ dico. Multis pecunijs & facultatibus locupletem mulierem Lyſimacho & ego & Anthimus frater copulauimus: ſed tamen, ſi nobis eris obediens, hodiè coniugium cum filia Proſphori diſſoluemus, & tecum de matrimonio conueniemus, & eris Lyſimacho coniunx, ſedens ad eius dexteram, cui ego nunc aſſideo. Ille, vt vides, perpulcher eſt, quemadmodùm & tu. Audi igitur conſilium meum, vt patris tui, & te glorioſam reddam neque paupertas vnquàm ampliùs te affliget. Cùm enim mihi neq; vxor, neq; filij ſuperſint, omnia mea tibi elargiar, & omnium mearum rerum dominam te conſtituam. Hæc omnia pro dote addam Lyſimacho meo, & ero vobis patris loco, & glorioſam ac beatam dicent te omnes mulieres, cùm viderint quanto honore digna effecta ſis. Largietur inſuper multis victorijs ornatus Imperator noſter tibi multa dona: qui etiam promiſit ſe facturum, vt Lyſimachus Præſidis magiſtratũ gerat. En audîſti omnia. Reſponde igitur mihi patri tuo ea, quibus ſignifices te deos colere, & ijs animum meum exhilara. Nam ſi non obedies admonitionibus meis, dij ſciunt, ita futurum, vt in manibus meis ne tribus quidem horis viuas. Itaq; nunc aperi nobis, quid ſentias. Blanditijs allicitur, ſed fruſtrà.

Ad hæc Febronia: Ego, inquit, ô Iudex, thalamum habeo in cælis non manufactum, nuptias poſſidens indiſſolubiles: dotem habeo totum cæleſte regnum. Sponſum igitur immortalem cùm habeam, non patior cum mortali & corrupto homine copulari: quinetiam ne audire quidem poſſum quod pollliceris. Itaq; Iudex noli laborare, neque enim adulando quicquã proficies, neq; minis me perterrefacies. Audiuit hæc Iudex, & magnoperè indignatus, iuſſit milites illius veſtes diſcindere, & lacero quodam panno eam cingi, vt omnibus ſpectantibus, ignominia & turpitudine confunderetur, vtq; ſeipſam admodùm turpem factam videret, & miſeram iudicaret, quòd à magna gloria excidiſſet, & ad extremam ignominiam deueniſſet. Milites igitur quamprimùm eius veſtes diſciderunt, & vili faſcia eam cinctam, in omnium conſpectu reliquo corpore nudam conſtituerunt. Tum Selenus: Quidnam agis Febronia? Vidéſne à quantis bonis excideris, & qualem miſeriam ſortita ſis? Audi Iudex, inquit Febronia: Licèt omnibus pannis me exutam, & omninò nudam exhibeas, ego huiuſmodi turpitudinẽ pro nihilo facio. Vnus enim creator eſt maris & fœminæ Deus. Itaq; non hoc ſolùm æquo animo patior, vt veſtibus exuar, ſed enſe obtruncari, & igne incendi cupio. Atq; vtinam digna ſim pati pro eo, qui pro me tot & tanta paſſus eſt. Cap. 21. Februniæ egregiũ reſponſum. Afficitur ignominia.

Tum Selenus: Impudentiſſima fœmina, & ignominia omni digna, ſcio te gloriantem de pulchritudine tua, propterea non exiſtimare tibi hoc turpitudini eſſe, ſed laudi potiùs tibi eſſe putas, quòd ſic nuda conſiſtis. Scit, inquit Febronia, Chriſtus meus, ad hodiernam diem viri alicuius adſpectum à me viſum non fuiſſe, & vt in manus tuas inciderem, impudens videri vellem? Agè ſtulte & ſtolide Iudex, velim dicas: Quis vnquàm ex athletarum numero Olympiacum certamen certans, indutus veſte in palæſtra cum aduerſario congreditur? An non certamen ipſum nudus exercet, donec aduerſarium ſuperet? Ego igitur tormentorum & ignis minas expectans, quî potero veſtibus induta cum his rebus congredi? An non corpus ipſum nudum plagas excipiet, quoad expugnem patrem tuum ſatanam, cruciatus tuos contemnens? Quoniã, inquit Selenus, mulier iſta pœnarum & cruciatuum cõciliatrix, aduersùs ignis minas audacẽ ſe præbet, per quatuor corporis partes illam extendite, & infra ipſam ignem accẽſum ſupponite, ſimulq; quatuor milites virgis eius terga verberent ac dilanient. Id cùm fieret, & diutiùs virgo illa verberaretur, copioſus ſanguis ex vtraque humeri parte in terram defluebat: ignis verò infra eius corpus accenſus, viſcera etiam ipſa comburebat: ad hęc oleo magis excitatus, ac vehementiorem flammam erigens, Febroniam omninò conſumebat. Cùm verò per multas horas virgo ipſa verberaretur & combureretur, tota multitudo illa pro Febronia ſummis clamoribus Iudici ſupplicabat, his vtens vocibus: Parce, benigne Iudex, parce virgini & adoleſcenti. Cæterùm ille nihilominùs ob id deſæuiens, vehementiùs illam percuti ac torreri mandauit, quoad vidit eius carnes in terram defluere. Tunc iuſſit carnifices deſiſtere: qui exiſtimantes eam mortuam eſſe, extra rogum deiecerunt. Cap. 22. Flagellat tyrannũ verbis egregijs. Atrociſſimè cruciatur.

At Thomais cùm vidiſſet cruciatus illos tam vehementes Februniæ afferri, animo deficiens, in ſolum cecidit ad Hieriæ pedes. Quæ voce magna emiſſa: Væ mihi, inquit, Cap. 23.

Febronia ſoror, væ mihi, magiſtra mea, quoniam poſthàc doctrina tua priuata fuero. Nō ſolùm autem te amiſi, ſed etiam Thomaidem. En & ipſa tui cauſa moritur. Cùm autem Hieriæ vocem Febronia iacens in ſolo audiuiſſet, rogauit milites, vt aquam in Thomaidis faciem adſpergerent, quò animum colligere poſſet. Milites ſtatim aquam attulerunt, quam cùm in eius faciem adſperſiſſent, illa ad ſe rediit. Tunc Iudex dixit Februniæ: Qualiſnam tibi viſus eſt, Febronia, primus palæſtræ congreſſus? Tum illa: Ex primo, inquit, congreſſu didiciſti me inuictam eſſe, & tormenta tua contemnere.

Iterùm tormenta immaniſſima ei adhibentur.

His auditis, Selenus dixit: In ligno illam ſuſpendite, & ferreis pectinibus eius latera dilaniate: quinimmò ignem rurſus admouete, vt etiam oſſa comburantur. Statim igitur carnifices cœperunt pectines, & ita eam laniàrunt, vt carnes ipſæ vnà cum ſanguine in terram deciderent. Admouerunt etiam ignem, quo vel ipſa viſcera comburebantur. At Febronia, oculis in cælum erectis: Veni, inquit, Domine in auxilium meum, & ne derelinquas me in hac hora: His dictis, conticuit, quanuìs igne valdè vreretur. Multi verò ſpectatores, non ferentes Seleni crudelitatem, à ſpectaculo aufugerunt. Alij ſummis clamoribus à Iudice contendebant, vt ignis ille tolleretur. Et iuſſit Selenus ignem amoueri.

Cap. 24.

Cùm verò adhuc in ligno Martyr penderet, rurſus cœpit eam interrogare. Sed cùm ea reſpondere non poſſet, iuſſit illam è ligno deponi, & palo alligari, & carnificem illuc duci. Cui dixit: Cùm ſceleſtiſſima hęc & nefaria mulier nolit mihi reſpondere, abſcindatur eius lingua, & in ignem deijciatur. Exemit linguam Febronia, & nutu ſignificabat carnifici, vt illam abſcinderet. Cùm verò is linguam tetigiſſet, & eam abſcindere aggrederetur, turbæ per deorum ſalutem Selenum obteſtantes, illi perſuaſerunt, ne id faceret. Cæterùm ſceleſtiſſimus iuſſit illius dentes eradicari.

Dentes illi extrahũtur.

Statimque carnifex ferrùm cepit, & ſanctæ puellæ dentes illos, quos eradicabat, in terram deijciebat. Cùm decem igitur & ſeptem dentes euulſi eſſent, & ſanguinis riui in terram defluerent, iuſſit Selenus nullum ampliùs euelli. At cùm Febronia tantam ſanguinis copiam vidiſſet, eam vires defecerunt. Medico autem ſtatim remedium afferēte, ſanguis fluere deſtitit.

Cap. 25.

Cœpit igitur Selenus rurſus eam interrogare: Num, ô Febronia, ſaltem nunc iudicio parere, & deos ipſos confiteri vis? Cui illa: Peſſime & ſceleſtiſſime ſenex, tu viam meam impedire ſtudes, neq; ſinis me ad ſponſum meum accedere? Feſtina quàm maximè potes ex huius mei corporis luto me eripere, quoniam amator meus Chriſtus me expectat. Tum Selenus: Omninò, inquit, enſe & igne corpus tuum delebo: video enim te etiam nunc propter adoleſcentiæ tuæ temeritatem impudentem eſſe. Sed non id tā citò erit, vt te cupere præ te fers: nanq; iſta tua arrogantia multo plura & grauiora mala tibi afferet. Febronia cùm propter tormentorum magnitudinem non multa reſpōdere poſſet, eo maiorem indignationem Iudici commouebat. Tūc Selenus iuſſit carnificem mammas eius ſecare. Acceſſit ille, & aggrediebatur id facere. Turbæ verò clamoribus magnis contendebant à Iudice, vt tormentum illud adoleſcenti Febroniæ condonaretur. Cùm verò diù clamarent, & Iudicem precarentur, indignatus Selenus aduersùs carnificem: Quid ceſſas, inquit, ſceleſtiſſime, & deorum inimiciſſime? Cur mammas iſtas non ſecas?

Execantur vbera eius.

Accepit ille nouaculam, & dexteram puellæ mammam ſecare cœpit. At illa erectis in cælum oculis, voce magna dixit: Domine Deus meus, adſpice violentiam, quæ mihi affertur. Veniat anima mea in manus tuas. Neq; ampliùs locuta eſt.

O crudelem tyrannum.

Abſciſſis igitur duabus mammis, & in ſolum deiectis, Iudex impius mandauit ignem afferri, & in mammarum, quæ abſciſſæ fuerant, locum admoueri. Cùm verò diutiùs combureretur, & ignis vſq; ad eius viſcera penetraret, turbæ ipſę tam crudele facinus ſpectantes, maxima ex parte à ſpectaculo illo diſceſſerunt, clara voce Diocletianum & eius deos execrabiles eſſe teſtantes.

Cap. 26.

Thomais verò & Hieria miſerunt ancillam quandam in monaſterium, vt Briennæ, quæ facta fuerant, nunciaret. Cùm veniſſet igitur ancilla ad Briennam, magna voce: Thomais, inquit, & Hieria tibi ſignificant, ne ampliùs defatigentur manus tuæ in cælum ad Deum extenſæ, neque cor tuum ſolicitum ſit aſſiduè precando: magna enim præmia Febronia iam aſſecuta eſt. Cùm hoc nuncium Brienna audiuiſſet, ad Deum vocem erigens dixit: Domine Ieſu Chriſte, veni & auxiliare ſeruæ tuæ Februniæ. Et in ſolum proſtrata, clamabat: Vbinam es Febronia? Poſteà verò iterùm manus in cælum erigens, Domine, inquit, reſpice humilitatem ancillæ tuæ Februniæ. Veni, & illi auxiliare. Fac, vt videant oculi mei Febroniam martyrio functam, & in Martyrum numero collocatam.

Rurſus

Rurſus Selenus iuſſit Febroniam è palo diſſolui. Quæ cùm diſſoluta eſſet, in ſolum cecidit: non enim poterat conſiſtere. Tunc Comes ille, qui Primus vocabatur, dixit Lyſimacho: Quorſum adoleſcentis huius virginis tam ingẽtes & crudeles cruciatus? Sine, inquit, Lyſimachus: ad multorum enim ſalutem huius virginis tormenta ſpectant: fortaſſe autem & ad meam quoque. Nanque talia multa olim à matre mea audiui. Nónne in mea poteſtate erat, illam diſſolui & ſeruari facere? Sed ſine illam certamen perficere. Tunc Hieria erecta, aduersùs Iudicem clamauit: O immanis, & humanæ naturæ expers, nondum contentus es malis præteritis, quæ huic virgini attuliſti? Immemórne es matris tuæ? Nónne & ipſa muliebri corpore induta erat? Nónne & tu mammas ſuxiſti, quas nunc ab iſta virgine abſcidiſti? Mammíſne ideò nutritus fuiſti, vt tantam crudelitatem in fœminam exerceres? Miror plurimùm ego, quòd nihil corũ, quæ dico, immitem & inhumanam mentem tuam deflexerit. Verùm id perſuaſum habeas, quòd, quemadmodùm tu non pepercisti huic puellæ, ita neque cæleſtis Rex tibi parcet. Cùm hæc dixiſſet Hieria, iuſſit Selenus illam è tecto, in quo erat, deduci, & pœnas publicè luere. Id audiens Hieria, multo cum ſtudio & gaudio deſcendit, atque ait: Domine Deus Febroniæ, accipe & me humilem mulierem cum ipſa Febronia. Dum autem è tecto deſcenderet, Seleni Iudicis amici conſilium illi dabant, ne publicè Hieriam produceret: futurum enim dicebant, vt tota multitudo cum ipſa martyrium ſubiret, & vniuerſa ciuitas periclitaretur ac periret. Placuit Seleno cõſilium. Itaque non ampliùs Hieriam produci iuſſit, ſed indignatus, & aduersùs eam tanquam furioſus, exclamans voce magna: Audi tu, inquit, Hieria; per deos multa mala & tormenta tui cauſâ Febroniæ adijcientur. Et ſtatim iuſſit duas manus Febroniæ & dexterum pedem abſcindi. Carnifex igitur ligno eius manibus ſuppoſito, ſecuri feriẽs dexteram pariter & ſiniſtram abſcidit, qui etiam in pedem dexterum, cùm ei lignum ſuppoſuiſſet, ſecurim magna vi adhibita inuexit, ſed pedem ex talo abſcindere non potuit. Similiter & ſecundam plagam inflixit, neque tamen potuit. Id cùm vidiſſent turbæ, ſummoperè acclamárunt. Tertiam deinceps plagam intulit, & vix pedem abſcindere potuit.

Cap. 27. *Hieria palàm arguit tyrannum.* *Manus ambæ & pes vnus Febroniæ amputantur.*

Febronia igitur toto corpore contremiſcens, licèt iamiam defectura eſſet, dabat operam, vt alterum etiam pedem ſuper lignum poneret, rogãs vt & ille abſcinderetur. Cùm id cerneret Iudex: Videtíſne, inquit, impudentis mulieris pertinaciam? Et multo furore accenſus, carnifici dixit: Seca & alterum. Abſciſſo igitur & altero pede, ſurrexit Lyſimachus, & ad Selenum conuerſus: Quidnam, inquit, reliquum eſt, quod facias huic puellæ? Eamus iam, quoniam prandij tempus eſt. Ad hæc iniquiſſimus Selenus: Per deorum vitam ego non dimittã mulierem hanc viuam, ſed hic ero, quoad ſpiritum emiſerit. Cũ igitur per multas horas animã ageret, Selenus ad ſatellites conuerſus dixit: Viuítne adhuc mulier ſceleſtiſſima? Maximè, inquiunt illi, eius anima adhuc in ipſa eſt. Tunc iuſſit Selenus caput Febroniæ abſcindi. Cùm igitur miles gladiũ accepiſſet, & Febroniæ coma altera manu appræhenſa, ita illam enſe ſuppoſito iugulaſſet, vt ſi quis ouem aliquam immolaret, ſanctum abſcidit caput. Statimq; poſteà Iudices ad prandium acceſſerunt: Lyſimachus verò lachrymans reuertebatur.

Cap. 28. *Mira martyris fortitudo.* *Caput eius abſcinditur.*

At turba concurſu facto, volebat Febroniæ corpus abripere: ſed Lyſimachus iuſſit milites permanere, & corpus illud cuſtodire. Multis igitur anguſtijs & mœroribus detentus Lyſimachus, neq; cibũ, neq; potũ ſumebat: ſed ſeipſum in cubiculo concluſit, & Febroniæ mortem lugebat. Selenus verò eius patruus cùm Lyſimachũ triſtem eſſe accepiſſet, neque ipſe cibum ſumpſit: ſed cùm ſurrexiſſet è loco, in quo erat, deambulare cœpit: cumque multo mœrore & triſtitia detineretur, repentè caput in cælum erigens atque intuens, diutiùs ſic mutus permanſit: deinde verò tanquam taurus aliquis mugiens, in vnam ex ijs columnis, quæ erant in prætorio, inſiliens, caput ſuum confregit, & in terram proſtratus, animam efflauit. Multo autem clamore & tumultu excitato, accurrit Lyſimachus, & viſo patrui cadauere, quæſiuit, quænam res illa eſſet. Cùm autem qui adſtabant, id, quod factum fuerat, Lyſimacho expoſuiſſent, ille diù caput quaſſans: Magnus, inquit, eſt Deus Chriſtianorum: benedictus eſt Deus Febroniæ: vltus eſt Deus ſanguinem iniuria effuſum. His dictis, iuſſit Seleni cadauer efferri. Quo elato, Lyſimachus, accerſito Comite Primo, ita fari cœpit: Obteſtor te per Deum Chriſtianorum, ne mandatum meum violes, ſed quamprimùm iubeas Febroniæ arcam componi ex lignis, quæ putreſieri non poſſint, & mittas præcones, qui vbique prædicent, vt quicunque Chriſtiani ad Febroniæ martyris exequias accedere voluerint, liberè atq; impunè accedere valeant, prꝗſertim cùm patruus meus iã mortuus ſit.

Cap. 29. *Diuina vltio perdit tyrannum.*

ſit. Nôſti, Prime mihi optatiſſime, quod ſit animi mei deſiderium. Accipe igitur cohortem, ac Februniæ corpus afferri iubeas ad monaſterium Briennæ: neque quiſquam è turba aliquod eius corporis membrum abſcindat, vel abſciſſum à corpore auferat: neq; permittatur cani, vel impuris alijs animalibus ſanguinem ab ea effuſum lingere: quinimmò terram illam, in quam Februnię ſanguis effuſus eſt, effodi atq; in monaſterium exportari præcipias.

Cap. 30. Reliquiæ ſanctæ martyris honorificè tractantur.

Fecit Primus quicquid Lyſimachus mandauerat, & Februniæ corpus iuſſit milites baiulare: ipſe verò, ſumpto Februniæ capite, pedibus & manibus, & omnibus ijs membris, quæ fuerant ab eius corpore abſciſſa, chlamyde ſua illa inuoluit, & in monaſterium exportauit. Cùm autem magnus turbarum concurſus factus eſſet, aggrediebantur illæ ipſæ turbæ aliquod membrum auferre, ita vt Comes Primus in magnum periculum venerit, ne à turbarum violentia aliquid pateretur. Porrò milites, ſtrictis gladijs, vix turbas ipſas propulſare potuerunt. Poſteà verò, quàm ad monaſterium multo labore & vi ſe contulerunt, reliquias ſanctę virginis Februniæ in monaſterium immiſerunt: neque quenquam, excepta Thomaide & Hieria, ingredi patiebantur. Brienna cùm Februniæ corpus ita obmutilatum vidiſſet, in terram cecidit animo deſtituta. Primus autem Comes, militibus in monaſterij cuſtodia conſtitutis, redijt in prætorium ad Lyſimachum.

Cap. 31.

Dein Brienna poſt multas horas ſurrexit, & Februniæ corpus amplexa, clamans dicebat: Heu filia mea Februnia, hodiè ex oculis matris tuæ Briennę ablata es. Quiſnam literas diuino ſpiritu afflatas, ſororibus poſthàc interpretabitur? quænam manus tuos libros reuoluent? Hæc cùm Brienna clamaret, omnes ſorores, quæ ſimul cùm Aetheria diſceſſerant, ad monaſterium rediêrunt: & procidentes cum lachrymis, martyris Februniæ corpus veneratæ ſunt. Similiter & Hieria clamabat: Venerabor ſanctos illos pedes, quibus ſerpentis caput conculcatum eſt. Exoſculabor vulnera ſanctarum reliquiarum, quibus curata eſt anima mea. Coronabo floribus laudationum caput illud, quod certaminum pulchritudine genus noſtrum coronauit. Hæc cùm dixiſſet

Horæ nonę preces.)

Hieria, aderat nonæ horæ tempus. Poſteà verò quàm orationem compleuerunt, iterùm planxerunt omnes, & earum eiulatus valdè confuſus erat. Cùm autem veſpera aduenisset, lauerunt ſanctum illud corpus, & in ſcamno ſuo depoſuerunt ſingula membra ſuis locis accommodantes. Dein iuſſit Brienna monaſterij fores turbis pateſieri. Cùm igitur turbæ introiuiſſent, Dei gloriam celebrabant, & ſeculares mulieres magiſtræ ſuæ Februniæ orbitatem lamentabantur. Venerunt autem & quidam ex ijs patribus, qui ſanctitate præſtantes erant, & monachorum plurimi, qui totam noctem inſomnem tranſegerunt.

Cap. 32. Lyſimach⁹ & Primus ſe Chriſtianos profitentur.

Cæterùm Lyſimachus cùm Primum Comitem ad ſe accerſiri iuſſiſſet: Ego, inquit, omnibus patrijs inſtitutis, & vniuerſa facultate derelicta, ad Chriſtum me adiungo. Tum Primus: Et ego idem faciam. Valeat Diocletianus, & eius Imperium. Omnibus patrijs rebus nuncium remitto, & ad Chriſtum accedo. Itaque derelicto Prætorio, venerunt & ipſi cum tota multitudine in monaſterium. Cùm verò dies illuxiſſet, venerunt qui loculos portabant, & multis cum precibus ac lachrymis reliquias ſanctæ Februniæ collegerunt, & ſingula membra, quæ abſciſſa fuerant à martyre illa ſancta, ſuo quæque loco accommodârunt, caput, pedes, manus & reliqua membra: dentes verò in pectore ipſius repoſuerunt. Turbæ autem vnguento, & caſtoreo, atque ſuauiſſimis odoribus ita loculos repleuerunt, vt ſanctæ Februniæ corpus nequaquàm appareret. Cùm verò ſeditio multa commota eſſet, turbis ipſis clamantibus, neque loculos claudi atque obturari permittentibus, contrà vero Epiſcopo vrbis illius, monachis & clericis valdè precantibus, vt reliquiæ reponerentur, turbæ ipſæ minimè aſſentiebantur. Tunc aſſcendit Brienna in excelſum quendam locum, & hortabatur turbas his verbis: Precor vos, domini & fratres mei, vt ſinatis illam in ſuo loco reponi. Hæc dixit Brienna, & tota multitudo ei obtemperauit: multiſque cum precibus ac lachrymis ſanctas illas reliquias exportârũt, & in inſigni quodam monaſterij loco repoſuerunt: omneſque Dei gloriam celebrabant. Græcorum verò multitudo credidit Domino, & eius

Multi credunt in Chriſtum.

baptiſmo tincta eſt. Item Lyſimachus & Primus baptiſmo purgati ſunt, & rebus terrenis derelictis, abiêrunt cum Marcello Archimandrita, & exercitationis monaſticæ palæſtram ad finem vſque cùm rectè tranſegiſſent, ex humana vita exceſſerunt, & Chriſto aggregati ſunt. Plerique etiam ex militibus, cùm Domino credidiſſent, & ipſi baptizati ſunt. Eodem modo Hieria & eius parentes baptizati, crediderunt in Dominum Ieſum Chriſtum. Poſthæc parentes ſuos Hieria dereliquit, & terrenis rebus

renun.

renunciatis,in monaſterium ingreſſa eſt,cui omnes facultates ſuas dedicauit, & Briennam precata eſt in hanc ſententiam: Rogo te,mater mea Brienna,vt me in ſanctæ Febroniæ locum ſeruam accipias. Seruiam ego tibi,vt & illa ſeruiebat. Cùm igitur omni ornatu ſuo Hieria ſe exuiſſet,aureis pannis & margaritis loculos ſanctæ Febroniæ vndiq; adornauit. *Hieria ſe dat monaſterio*

Cap.33. *Nota rem miram.*

Quo autem tempore beatæ Febroniæ martyrium,eius ſcilicet certaminis memoria celebratur,conueniunt cœtus mulierum,& ingens virorum multitudo,prę ſertim propter quoddam ſignum, quod illic quotannis apparere ſolet. Nam memoriæ ſuæ die,mediæ noctis tempore,cùm preces ad Deum funduntur, apparet ſancta Febronia vſque ad tertiæ horæ preces in illo eodem loco,quo ſolita erat iacére, ita conſiſtens, vt magnus tremor in hora illa id ſpectantibus exoriatur. Nemo tamen audet illam attingere,vel eam interrogare. Cùm enim primo anno apparuiſſet, & omnes ſorores timore magno perterrefactæ eſſent, Brienna voce magna: En, inquit, adeſt filia mea Febronia. Cumq; ad illam amplexandam cucurriſſet,ſtatim euanuit. Non igitur ampliùs ad illam accedere,vel ipſam tangere audent: ſed quo tempore apparet, lachrymarum copia effunditur,ſimulq; gaudium magnum in omnes ex huiuſmodi viſione proficiſcitur.

Cap.34. *Templum inſigne S. Febroniæ.*

Eius verò vrbis Epiſcopus,cùm templum valdè inſigne & pulchrum Febroniæ martyri erigere cœpiſſet,per totos ſex annos opus compleuit. Quo perfecto, conuocatis finitimarum regionum Epiſcopis,celebritate magna adhibita,per totam noctem officium celebrauit menſis Iunij die xv. Quo tempore multitudo ingens cõcurrit,ita vt neque templum,neque monaſterium eam capere poſſent. Vbique verò & pſalmorũ cantus frequentabatur. Manè autem,precibus matutinis completis, Epiſcopi conuenerunt in monaſterium,vt eius diei,quo Febroniæ corpus depoſitum fuit,memoriam celebrarent. Sequebantur Epiſcopos turbæ cum facibus & thure ac vapore multo. Ingreſſi igitur Epiſcopi in monaſterium,ac Deum precati,conſederunt,& Brienna ad ſe accerſita, hæc illi dixerunt: Inſtitutionis & vitæ,multorumq; laborum , quos virtutis cauſa ſuſtinuiſti, laudem aſſecuta es,neque quiſquam pro dignitate te laudare poterit. Tales decet eſſe monaſteriorum Præſides,& tales fructus Deo ipſi offerre. Quoniam verò fieri non poteſt, vt Martyris,quæ tot & tanta certamina perpeſſa eſt, laudes per nos explicentur: decet illas ſilentio præterire. Neque enim lingua noſtra, quãtum ſatis eſt, Martyrem hanc laudare poteſt. Itaque cùm neque ſermonibus,neque operibus aliquid aſſecuti ſimus,quod Martyre dignum ſit, te ad hoc idoneã rogamus, vt de re propoſita diſſeras. Honora denique & ipſa nobiſcum vnà martyrem Febroniam, & concede nobis,vt in templo,quod ſub eius nomine conditũ eſt, Martyris corpus habitare poſſit.

Cap.35. *Studium priſcorum erga ſacras reliquias.*

Cùm hæc audiſſent ſorores,omnes clamârunt vna voce,& ad pedes Epiſcoporum proſtratæ,dixerunt: Precamur vos per ſanctos iſtos veſtros pedes, vt noſtri vos miſereat, quæ humiles & abiectæ ſumus, neq; precioſa hac margarita nos priuetis. Cumq; diù omnes lamentarentur,& Epiſcopos obſecrarent, eius vrbis Epiſcopus Briennam alloquens: Audi,inquit,ſoror: Nôſti quantum ſtudium adhibuerim ad martyris Febroniæ templum pro eius honore & gloria erigendum. En ſex anni ſunt, quos in eo templo conſtruendo inſumpſi. Ne igitur labores meos inutiles & ſine fructu eſſe patiaris. Hæc cùm audiſſet Brienna, reſpondit: Si ita vobis placet, & ſi placet Martyri, quod petitis accipiatis. Quis ſum ego, vt hoc impediam? Ingreſſi ergo illam accipite, & abite. Ingreſſi ſunt Epiſcopi,& preces ad Deum fuderunt. At Hieria clamabat: Væ nobis, quòd hodierno die monaſteriũ magna benedictione priuatur. Væ nobis, quòd hodie anguſtiæ & orbitas in monaſterium allata ſunt. Væ nobis, quòd hodiè margaritam noſtram tradimus. Et ad Briennam conuerſa,clamabat: Quid facis mater? Cur me priuas domina mea,cuius cauſa omnia dereliqui,& ad veſtras manus confugi? Brienna cùm vidiſſet Hieriam ita lamentantem,ad eam conuerſa: Cur, inquit, lamentaris filia mea Hieria? Si gratum eſt illi abire,abeat: ſin minùs,non abeat.

Cap.36. *Nõ patitur martyr ſuũ corpus extra monaſterium efferri.*

Cùm Epiſcopi preces compleuiſſent,omnes dixerunt, Amen. Cùm primùm autem loculos martyris tetigerũt, tonitru in aëre tam magnum erupit, vt vniuerſa multitudo præ timore ceciderit. Rurſus paulò pòſt cùm fuiſſent aggreſſi idem facere, terræmotus tam magnus factus eſt, vt tota vrbs ruere videretur. Ex ea re cognouerũt Epiſcopi & vniuerſa multitudo, Martyri non placere, monaſterium egredi. Itaq; triſtes facti,dixerunt Briennæ: Si Martyri nõ placet monaſteriũ relinquere, vnum aliquod ex membris abſciſſis nobis largiare,& diſcedemus. Brienna clauem ſumpſit, & locu-

los aperuit,& vidit corpus Martyris,inſtar ſolis effulgens. Multo igitur cum terrore extendit manum ſuam,& alteram Sanctæ ipſius manum appræhenſam Epiſcopo illi præbere voluit. Sed manus Briennæ detenta eſt,& velut mortua torpuit. Tunc Brienna lachrymans: Precor,inquit,te,filia mea Febronia,ne iraſcaris matri tuæ.Recordare laborum meorum,neq; ſenectutem meam contemnas. Remiſſa autem ſana ma-

Ecce proceſſionis modus, & quo honore Sanctorum reliquiæ tráſferantur.

nu illa,rurſus eam Brienna extendit,& lachrymans rogauit: Præbe,inquit,nobis benedictionem,ne me triſtem efficias. Cumq; accepiſſet vnum ex dentibus, qui erant in eius pectore,Epiſcopo dedit,& ſtatim loculos clauſit. Epiſcopi verò omnes acceperunt reliquias illas ſanctas,& in vaſe aureo portantes,læti abiêrũt:quibus præibat multitudo pſalmos canens,cum cereis,facibus & thure multo.

Cap. 37.

Cùm verò ad templum perueniſſent,aſſcenderunt Epiſcopi in ſublimem quendam locum,& populo reliquias illas oſtenderunt. Quicunque verò erant cæci, vel claudi, aut dæmone capti,ſanati ſunt:idque omnibus manifeſtum factum fuit. Currebant adoleſcentes vndique,& ægrotos homines,alios in grabbatis poſitos,alios iumentis vectos ferebant,& omnes ſanabantur:& quocunq; aliquis morbo detinebatur,ſanus fie-

Miracula ad eius reliquias.

bat. Quandiù verò ægroti ferebantur,turbæ non permiſerunt reliquias ſanctæ Febroniæ reponi. Cæterùm cùm omnes,qui malè ſe habebant,ſani facti eſſent,& Deo hymnos ceciniſſent,repoſitæ ſunt Febroniæ martyris ſanctæ reliquiæ quintodecimo die menſis Iunij. Cumq; omnes magna dona aſſecuti eſſent,in domos ſuas redierunt læti,& Dei gloriam,ac Dominum Ieſum Chriſtum,& Sanctũ ſpiritum cęlebrantes: Cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum,Amen. Brienna verò cùm duos annos vixiſſet poſt conſecratum ſanctæ Febroniæ templum,& omnia benè diſpoſuiſſet, in pace diem obijt. Ego verò Thomais,quæ poſt Briẽnæ obitum eius miniſterio ſucceſſi,cùm Febroniæ vitam & certamina indè vſq; à principio cognouiſſem,quæq; præceſſerant, à Lyſimacho didiciſſem,in commentarios omnia collegi,ad laudem & gloriam Dei, eiuſdemq; martyris Febroniæ,& vt eos,qui hæc audierint,excitarem & alacres redderem ad Domini Ieſu Chriſti cultum,in gloriam Patris, & Filij, & ſancti Spiritûs, nunc, & ſemper,& in ſecula ſeculorum,Amen.

MARTYRIVM SANCTI DVLÆ, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

Iunij 15.
Cap. 1.

QVO tempore ſatanas ab ijs colebatur, qui eo digni erant, & idolorum ſuperſtitio atque error vigebat, cùm Maximus Ciliciæ præſideret,delatus eſt Tatianus, cognomento Dulas,vir iuſtus & timens Deum,qui totius gentis teſtimonio pietatem,& in omni re iuſtitiam ſeruare probabatur. Hic,inquam,delatus fuit apud Præſidem, quòd Chriſti fidẽ profiteretur. Quamobrem in carcere detinebatur, ſcriba ipſo ita Præſidi referente: Quemadmodùm tu iuſſiſti, ſatellitum principes regionem omnem vſq; ad Zephyritarum vrbem peruestigantes,depræhenderũt quendam impiæ Chriſtianorũ religionis ſectatorem, quem obtuli ſyncero & illuſtri tribunali tuo. Hæc ille dixit. Cui Præſes Maximus: Quo tempore, inquit,vrbes ipſas circumiero,omnes,qui ſunt in carcere,ad me duci iubebo.

Tatianus Dulas defertur apud Præſidem.

Cap. 2.

Cùm igitur in vrbem Prætoriadem ingreſſus eſſet,& ſederet in tribunali, iuſſit primùm adduci ad ſe Dulam,quem ſuprà diximus. Qui cùm ad Præſidem ingrederetur, ita Deum orauit: Chriſte fili Dei,qui miſericors es,tu dixiſti per os Dauid: Dilata os tuum,& implebo illud. Tu & in Euangelijs dixiſti: Ne ſoliciti ſitis,quomodò aut quid loquamini. Nunc igitur, Domine Ieſu Chriſte, mitte Angelum tuum,& da mihi orationem os meum aperienti, vt ad ſceleſtiſſimum Maximum ingrediens,eius impietatem redarguam. Quòd verò ad plagas pertinet,cùm te præ oculis habeam, huius tormenta non timeo,meumque corpus Præſidi libenter proponam. Niſi enim corpus meum tradidero ita vt ardeam,qualium bonorum coronas accipere potero? quales Domino meo Ieſu Chriſto cicatrices oſtendam,quas ille videns, benignitate in me vtatur, & peccata mea remittat? Hæc cùm ille dixiſſet,milites pallio eum exuerunt, & vinctũ Præſidi obtulerunt.

Pſal 80.
Matt. 10.
Fortis animus Dulæ.

Cap. 3.

Tum Maximus Præſes: Agè,inquit,dic paucis verbis,quo nomine appelleris. Tum Dulas: Seruus Chriſti ego ſum. Ad hæc Maximus: Cùm nihil, inquit, vtilitatis nomen

iſtud

iſtud tibi afferre poſſit, dicas naturale nomen tuum. Reſpondit Dulas: An non manifeſtum tibi nomē meum effeci? Vero quidem & certo nomine Chriſtianus appellor: eo autem, quod mihi ab hominibus impoſitum fuit, Dulas: itaque ſic appellatus, re vera ſeruus Chriſti ſum. Nondum, inquit Maximus, iudicij terrorem expertus es. Nunc igitur dicas, cuius nationis homo tu ſis, cuius loci, aut generis. Ad hæc Dulas ait: Ego ſum natione Cilix, ex vrbe Prętoriade, genere claro, & à puero Chriſtianus. Tum Maximus Præſes dixit: Cùm claro genere ortus ſis, inuictis Imperatoribus cedere velis, & deos adiens, æquo animo illis ſacrifices, vt & à nobis honoreris, & apud Auguſtos Imperatores magnus atque illuſtris habearis. Reſpondit Dulas: Honores tui & Auguſtorum gradus vobis ſint, & omnibus iis, qui Deum ignorant. A' me verò Deus hoc auertat, vt alia in re proficiam, quàm in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Contemnit vana promiſſa.*

Cùm ita eum ſentientem Maximus Præſes vidiſſet: Extenſum, inquit, iſtum virgis percutite, & admonete hominem, vt deſinat inſanire. At Dulas, cùm verberibus pulſaretur, dicebat: Gratias ago tibi, Chriſte, quòd dignus habitus ſim, qui propter nominis tui confeſſionem hæc paterer. Audiebat iſta Maximus, & illi hæc exprobrabat: Quidnam tibi prodeſt nunc Chriſtus tuus, cùm totus ſis vulneratus? An non adhuc ſentis, ſtulte homo? Cui Dulas: Quid? Nónne beatus Apoſtolus Paulus dicit: Nemo coronatur, niſi legitimè certauerit? Tum Maximus: Ergo, inquit, verberatus tu coronam aſſequéris? Reſpondit Dulas: Ego hodiè contra patrem tuum diabolum certamen ſuſtineo. Si ergo ſatanæ prælium deuicero, te, inquam, ſatanæ miniſtrum, in cælis coronam accipiam. Cur, inquit Maximus, ſic erras, homini in Cruce ſuffixo fidem habēs? Ad hæc Dulas: Velim dicas, præſtétne homini Crucifixo, hoc eſt, Deo viuenti & vero, an lapidibus & lignis, operibus manuum hominum, credere. Sceleſtiſſime, inquit Maximus, num tibi humanum opus videtur magnus deus Apollo? Dulas ait: Verè Apollinem iſto nomine appellâſti. nam illi mentem adhibens, animam tuam perdidiſti: nō ſolùm autem tuam, ſed illorum etiam, quibus perſuades, vt eum adorent. Illud autem ſcito, quòd Deus ipſe requiret è manibus tuis animas, quas cogens perdidiſti. Cæterum Apollo impius, dicam tibi, qualis fuit. *Cap. 4. Virgis cæditur.* *2. Tim. 2.* *ἀπόλλω, vel ἀπόλλυμι, idem quod perdo.*

Erat ille, vt tu nunc es, incontinens: cumque Daphnes amore captus eſſet, & pecunias multas ei dediſſet, promiſſa, quæ ab ipſa acceperat, aſſecutus non eſt. Quæſo, qualiſnam deus iſte eſt, qui amore vulneratus, eam, quam adamabat, aſſequi non potuit? Qui potes igitur ſperare, te aliquid per eum aſſecuturum? Verè quæ à vobis de illo canuntur, riſu digna ſunt, vel potiùs luctu. Quem enim mulier meretrix execrabilis, atque omnis impuritatis plena, pro nihilo habuit, Apollinem, inquam, tuum, in cuius faciem ipſa expuit, túne illum, vt Deum, adoras? Vides vt luctu digna ſunt impia veſtra facinora? Hæc audiens Maximus: Verſate, inquit, iſtum in alteram partem, & ventrem percutite. Tum Athanaſius Cornicularius dixit: Obtempera Præſidi: Nónne vides viſcera tua exilire? Agè, inquit Dulas, tu, qui diaboli conſiliarius es & miniſter, tibi & Præſidi tuo da conſilium illud, quemadmodùm Daphnæ perſuadere poſſitis, vt cum Deo veſtro Apolline coire velit, ne amore conſumptus pereat. Ego enim habeo conſiliarium meum Dominum Ieſum Chriſtum. Tum Maximus: Afferte craticulam, & illam vehementer accendite, atque iſtum, vt dijs maledicentem, in eā imponite. At Dulas: Gratias, inquit, tibi agit Apollo tuus in gehenna, quòd ignem nunquàm extinguendum ei prouides: atque tibi gratiam referet, hanc ſcilicet, vt vnà cum ipſo ad tenebras exteriores detrudaris. Tunc & ego te ridere potero, impie Apollinis patrone. *Cap. 5. Apollinis incontinentia.* *Cæditur in ventrem S. Dulas.* *Vritur in craticula.*

Cùm autem totum ferè Martyris corpus carnifices combuſſiſſent, nihil profecerunt: neque enim Dei ſeruo perſuaſerunt, vt à fide Chriſti deficeret. Tunc iuſſit Maximus Præſes, vt milites ita combuſtum in carcere interiore hominem cuſtodirent, neque cura aliqua illum proſequerentur, hæc addens: Ne quis ex impijs hominibus eum ob id beatum prædicet, quòd impiè in deos noſtros ſe gerens, tormenta perpeſſus fuerit. Erat igitur sāctus ille in vinculis, & ſine intermiſſione Dei gloriam celebrabat, eumque precabatur, vt martyrij curſum perficeret. Poſt quinque dies Maximus in tribunali ſedens, quæſiuit an ſceleſtus ille & impiæ Chriſtianorum religionis ſectator adhuc viueret: quem & ad tribunal duci iuſſit. Athanaſius Cornicularius reſpondit Præfecto: Ita conſtans & ad defenſionem paratus, & incolumis eſt homo ille, vt ne cicatricem quidem aliquam in corpore ſuo habeat. Iuſſitque illum introduci. Quem cùm Præſes totum ſanum vidiſſet, & vultu admodū hilari: O ſceleſtiſſima, inquit, cohors, nónne vobis præcepi, vt nulla cura iſtū proſequeremini? Ad hęc Pegaſius *Cap. 6* *Ducitur in carcerem.* *Diuinitùs totus ſanatur.*

Commentariorum præfectus: Per tuam amplitudinem in carcere interiore cuſtoditus eſt, habēs in collo Herculis effigiem, trecentarum librarum pondere graue. Quomodò verò ſanus factus ſit, nemo noſtrûm cognouit.

Cap.7. Tum Dulas: O inſipiens Præſes, en Chriſtus meus ſanum me fecit, & ad plagas tuas excipiendas corpus meum idoneum reddidit, vt cognoſcas Deum eſſe noſtrum medicum, qui homines in eo ſpem ſuam collocantes, admirabili quodam modo curare ſolet: ſimul etiam, vt ego duplicem martyrij coronam accipiam, & tu ſempiternas pœnas duplices patiare. At ſi tu tales plagas pro nomine Apollinis tui ſuſtinuiſſes, ſcilicet potuiſſet tibi ſanitatē afferre Apollo iſte, quem Deum tuum dicis, quemadmodùm mihi Chriſtus meus ſanitatem attulit. Tum Maximus: Quoniam homo ille nō deſinit maledicta in deos noſtros inijcere, vngite oleo eius caput, & carbones ardētes imponite. Cui Dulas: Licèt, inquit, cerebrum meum combuſſeris, quid tum, impie Præſes? Excogita alia tormenta. At Præſes dixit: Multa ſinapis grana in eius nares immittite. Derideo, inquit Dulas, omnes cruciatus tuos. Præſes autem: Lacerate conſtanter acuto ferro eius terga, & acerbiſſimo aceto plagas perfundite: tum acutis teſtis terga conterire.

Vritur caput eius.

Immanes cruciatus.

Cap.8. Hæc cùm fierent, ſanctus martyr dicebat: Ieſu Chriſte, adeſto ſeruo tuo: ecce enim ſupra dorſum meum fabricant peccatores, prolongantes iniquitatem ſuam. Tunc dixit Maximus: Saltem nunc perſuaſus ſis, & deos eſſe confitearis. Ad hæc Dulas: Scilicet dij tui adiuuant te & malitiam tuam, præſertim Venus & Diana. Dicam, ſi placet, & alias deas tuas & earum ſcelera. Confringite, inquit Maximus, eius maxillas, ne dijs maledicat: ipſi⁹ etiam crura infringite, & talem reddite, qui ne verbum quidem vllum proferre poſſit. Tum Dulas: Méne, iniquiſſime Præſes, verberas, qui vera dico, quòd Venus ipſa & reliquæ deæ tuæ membra ſua in libidinibus & ſtupris exercuerunt, & Paridem paſtorem illum Iudicem ſibi conſtituerunt, cùm periculum facere vellēt, quænam ipſarum magis peccaret? Cur iraſceris, cùm de execrabilium dearum tuarū facinoribus redargueris? Meus Deus verus eſt, qui & homo fieri voluit, qui etiam cùm in Cruce fixus fuiſſet, & poſteà ſepultus, tertio die reſurrexit, & ſedet ad dexteram Patris, venturuſq; eſt cum igne ad deos tuos perdendos. Hęc audiens Maxim⁹, dixit: Vidéſne, ſceleſte, vt & tu duos deos habes? Ad hæc Dulas: Ne pecces, inq͂t, & erres, dicens duos deos: Trinitas enim eſt, quam colimus. Ergo, inquit Maximus, tres deos habes. Trinitatem, inquit Dulas, confiteor & adoro. Credo in Patrem, confiteor Filium adoro Spiritum ſanctum. Tum Præſes Maximus: Perſuadeas, inquit, mihi, quomodò in vnum Deum credens, tres prædices.

Item alij.

Cap.9. 1.Cor.2. Ad hæc reſpondit Dulas: Animalis homo non percipit ea, quæ ſpiritus Dei ſunt. Eorum tamen cauſa, qui adſunt, dicam. Quemadmodùm tu, qui homo es, habes ſermonem: ita & Deus pater omnipotens, habet Verbum eiuſdem ſubſtantiæ, & Spiritū ſuum ſanctiſſimum. Qui Deus noſter cùm primum hominem formauit, & imagine ſua illum honorauit, inſufflauit ipſi ſpiritum vitæ, quem & in paradiſo conſtituit. Poſteà verò, quàm ſatanas, qui nunc per te voluntatem ſuam exercet, ſtuduit hominem ad diuini præcepti violationem impellere, quemadmodùm nunc etiam per te facit, hominem ipſum à diuinis præceptis exterminauit. Quamobrē Deus cùm opus, quod formauerat, & lapſum fuerat, erigere, idque, quod aberrauerat, in viam reducere vellet, miſit filium ſuum, hoc eſt, Verbum. Itaque Verbum Dei in ſancta illa virgine habitauit, & ex ea genitum fuit, per quod pater ipſe mundo ſalutem dedit. Tum Maximus dixit: Verbum igitur aliquod virum gignit? Minimè, inquit Dulas, Dei myſterium intelligis: verùm ſi omnipotentis Dei virtutem cognoſceres, ſcire poſſes, quòd qui è puluere hominem fecit, qui firmauit terram ſuper aquas, qui cælum conſolidauit, qui vniuerſam naturam effecit, ille ipſe Chriſtus eſt. Cùm enim hominis conditio diuinitatem videre non poſſet, ille humani generis amator, propter ſuam in homines charitatem, homo factus eſt, & humanam humilitatem ſuſcepit: vt ſicut per vnum hominē primò formatum mors ipſa in mundum ingreſſa eſt, ita & per vnum hominem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, reſurrectio mortuorum induceretur.

Pſalm. 135.

Cur Chriſt. homo fact. Rom.5.

Cap.10. Tum Pręſes: Quid ais? Eſt'ne etiam reſurrectio mortuorum? Maximè, inquit Dulas. Quomodò enim Deus mundum iudicabit, niſi mortui reſurrexerint? At ille: Nolim artificioſos iſtos ſermones mihi afferas: ſed ſinas, ſi mortui fuerimus, nos mortuos iacere. Vera, inquit Dulas, dixiſti vos mortuos eſſe: cùm enim mortuis idolis fidem habeatis, nunquàm ad reſurrectionem vitæ peruenietis, ſed ad dedecus & ſupplicium ſempiternum. Oportet autem omnes homines aſſiſtere ante tribunal Chriſti, & eorum,

2.Cor.5.

quæ ſe-

quæ fecerint, rationem reddere. Tunc dixit Maximus: Ligate hominem iſtum ferreis vinculis, & in carcere cuſtodite. Poſtridie verò manè Præſes iuſſit Dei ſeruum Dulã introduci. Cui iam intromiſſo: Quænam, inquit, miſerrime homo, tibi vtilitas fuit in deos noſtros impietatem exercenti? Reſpondit Dulas: maximam vtilitatem percipio apud Deum, cùm eos, qui dij non ſunt, reprobo. Te verò adhuc viuentem Chriſtus puniet. Tunc ait Maximus: Iniicite in eius os carnes victimarum, & vinum libaminũ. Licèt, inquit Dulas, totam execrabilem aram tuam abluas, & in os meum infundas, nihil tamen ea re lædes Chriſti ſeruum. En, inquit Maximus, vt è noſtris altaribus carnes guſtâſti, ſceleſtiſſime homo. At Dulas: Nihil mihi hæc obſunt, execrabilis & ſtolide Præſes. Quid enim mihi profuiſſet ſuperiores cruciatus perferre, ſi res ita ſe haberet, vt tu dicis? Sed, Deo iuuante, ipſe videris, quid facias. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Tunc Maximus iuſſit in ligno eum virum ſuſpendi, & eius carnes vſq; ad inteſtina lacerari, maxillas etiã cum mento diuelli. Cui Dulas: An, inquit, ſtolide, ignoras te à ſatana patre tuo iuſſum eſſe hæc facere?

Ferreis vinculis ligatus mittitur in carcerem.

Laceratur atrocißimè.

Cap. II.

Cùm eius viſcera denudata eſſent, & maxillæ ab oſſibus diſſolutæ, Præſes iuſſit Dulam in carcere ſeruari. Cumque ad Tarſum vrbem Ciliciæ reuerteretur, iuſſit homines illos vinctos ſequi. Cùm verò ad vigeſimum lapidem proceſſiſſent, beatus Dulas Chriſti ſigno ſe muniens, animam Deo tradidit. Itaque cùm eſſent ſatellites quatuordecim milliaribus longè à Tarſo, Commentariorum magiſter nunciauit Præſidi, Dulam in deos impiè ſe gerentem, mortuum fuiſſe, & eius cadauer illucuſque perlatum: quærebat autem, quid fieri vellet. Tunc Præſes: Proijcite, inquit, illum in vallem aliquam, vt ſepultura careat. Satellites igitur cadauer martyris in torrentem deiecerunt, qui ad Zephyrum vergebat. Paſtorũ verò canes cùm ſancti martyris reliquias odorati eſſent, vnus ex illis canibus venerandum illud corpus cuſtodiebat, neq; volucrem aliquam ſinebat reliquias martyris attingere: alius verò canis paſtoris pallium ore apprehenſum, ad ſanctum martyrem Dulam tegendum attulit. Hoc autem caſtello, quod illic erat, notum factum fuit. Venerunt igitur eius caſtelli habitatores, & ſanctas reliquias collegerunt, Deum laudantes, quòd reliquijs illis venerandis priuati non eſſent, ſed vnde corpus illud viuum exierat, illuc & martyrio functum rediiſſet. Illud ergo acceptum multa cum veneratione repoſuerunt, Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriam collaudantes in æterna ſecula, Amen.

Cruce ſe munit & reddit ſpiritum.

Videres miras.

ILLVSTRE CERTAMEN VITI SANCTISSIMI PVERI, MODESTI ET CRESCENTIAE. HABETVR IN MS.

codice, antiquiſſima manu exarato. Stylum hincinde modicè elimauit F. Laur. Surius.

Iunij 15. Cap. I.

Hylas nobiliſſimus, pater Viti.

TEMPORE illo, quo Valerianus Præſes ſub Diocletiano Imperatore in Chriſtianos perſecutionem exercuit, peruenit ad eum, beatum Vitum, nobiliſſimi viri Hylæ filium, Chriſtum Ieſum Deum noſtrum colere & adorare. Itaque vocauit ad ſe patrem venerabilis pueri, dixitque ei: Quid iſthuc rei eſt, quòd audio filium tuum colere Deum illum, quem Chriſtiani adorant? Si ergo vis eum habere ſanum & incolumem, da operam, vt ab hac ſtultitia reuocetur. His auditis, Hylas dixit Vito filio ſuo: Fili dulciſſime, audi patris tui vtile & ſalutare conſilium, & à cultus huius ſtultitia, quem tu, neſcio quem mortuum hominem venerando, inani labore ſectaris, diſcede, ne princeps iratus, pro ſuæ poteſtatis furore ſæuiat in te ad perniciem tuî, & augmentum doloris mei. Beatus Vitus puer reſpondit: Vtinã mi pater cognoſcere velles, qualis & quantus ille ſit, quẽ tu contemptim mortuum hominem appellas, nempè Chriſtus filius Dei viui, mihique in eius cultu & veneratione aſſenſum præbere. Ipſe eſt enim agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hylas dixit: Ego verò ſcio Chriſtum hunc, quem tu Deum dicis, iuſſu Pilati in Iudæa flagellis cæſum & cruci adiudicatum, atque in ipſam Crucem à Iudæis & Pilati miniſtris ſuffixum. Sanctus Vitus ait: Vt aſſeris, pater, ita eſt: ſed huius rei magnum eſt & admirabile ſacrumque myſterium. Hylas dixit: Quãtùm ad ipſam rẽ attinet, ſupplicium rectiùs dixeris, quã myſterium. S. Vitus ait: Patienter audi pater,

Nititur Vitum à Chriſto auertere.

Iohan. 1.

& veri-

& veritaris ſuſcipe rationem. Traditio & crucifixio Ieſu Chriſti Domini noſtri, redẽptio & ſalus noſtra eſt. A cuiꝰ charitate, quod te certiſſimum habere volo, nemo me vnquam quacunque afflictione poterit ſeparare.

Cap.2. Miraculis coruſcat ſãctus puer.

Multi verò cæci per beatum Vitum diuina gratia illuminabantur, multi ſanabãtur ægroti: ſed & multa dæmonia voce publica illius præclara merita fatebantur. Vbi hęc reſciuit Valerianus Pręſes, ſedens pro tribunali, patrẽ beati Viti his verbis corã omnibus compellat: Iã certis ad me nũcijs adfertur, Hyla vir illuſtriſſime, à filio tuo crucifixum illum, quem in Iudæa paſſum, Chriſtum eius cultores nominant, tota animi deuotione coli & adorari, deoſq; noſtros contemni. Itaq; dignum ducimus illum noſtris conſpectibus exhiberi. Poſtquã ergo venerabilis puer Vitus ad tribunal Præſidis adductus eſt, dixit ad eum Valerianus: Quare dijs immortalibus non ſacrificas? An neſcis principes noſtros iuſſiſſe, vt ſi quis repertus ſit cultor illiꝰ Crucifixi, diuerſis pœnis interficiantur? Beatus Vitus, repletus ſpiritu ſancto, nec quicquam trepidans, neque, vt eſt illi ætati familiare, vlla de ſe timoris indicia præbens, cùm Chriſti filij Dei ſignum expreſſiſſet, ita reſpondit: Ego dæmonibus non aſſentior, neq; ſculptilibus vllam venerationem impendo. Habeo enim Dei filium Deum viuum, cui fideliter ſeruit anima mea. Tunc Hylas pater eius eiulans, magna voce dixit ad amicos ſuos: Plangitẽ quæſo mecum, quia video perire vnicum filium meum. S. Vitus dixit: Non pereo ſanè, ſi in cõgregationem iuſtorum liceat ingredi. Valerianus ait: Nobilitas generis tui & amicitia patris tui hactenùs me retinuerunt, ne in te iuſſa principum, vt in ſacrilegum, exequerer. At nunc quia te obſtinata mente video in tua ſententia velle permanere, periculum faciam, num caſtigatione poſſis à propoſito deduci.

Siſtitur ad tribunal.

Cap.3. Fuſtibus dirè verberatur.

Iuſſit ergo fuſtibus mactari beatum puerum: cumque diutiùs id factum eſſet, dixit ei Præſes: Acquieſce nunc, & ſacrifica dijs. Beatus Vitus reſpondit: Semel dixi tibi Præſes: Chriſtum adoro filium Dei. Tunc iratus Valerianus, præcepit puerum catomo (ſic enim habent multi codices MS.) cædi. Miniſtri autem mox vt in eum manus inijcere tentauerunt, brachia ſua arefacta ſensêre, & Præſidis quoque manus exaruit. Tum ille exclamauit: Heu manum perdidi, & dolore torqueor. Aduocans autem Hylam patrem pueri, dixit ei: Vt video, filius tuus magus eſt. S. Vitus ait: Non ſum ego magus, ſed ſeruus Chriſti Domini mei, qui me docuit mandata ſua; cuius doctrina & opere repletꝰ ſum, qui excitauit mortuos, & pedibꝰ ſuper mare ambulauit, imperauitque ei, & ceſſauit à furore ſuo: Eius, inquam, ego ſum ſeruus, & eius virtute poſſum curare manum tuam. Valerianus dixit: Fac vt te non magum, ſed veri Dei, vt aſſeris, famulum eſſe comprobem. S. Vitus eleuans ad cælum oculos, dixit: Propter eos, qui adſtant, Domine, vt videant & credant in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, verum & omnipotentem Deum, in vnitate ſpiritus ſancti tecum regnantem, in ipſius Ieſu Chriſti nomine ſit nunc manus Præſidis ſana. & ſtatim reſtituta eſt manus illius.

Curat manum aridã Præſidis.

Cap.4.

Tum ille ſanctum puerum tradidit Patri eius, dicens: Vade, & emenda hunc filium tuum, vt acquieſcat & ſacrificet dijs, ne pereat. Itaque pater eius beatum Vitum ſuſcipiens, introduxit eum in domum ſuam, multiſque adhibitis illecebris & blandimẽtis ſuadebat ei: nec aberant cymbala & organa, quibus demulceretur: ancillæ quoque coram illo ſaltare iubebantur, vt ea re delectaretur, & faciliùs perſuaderetur recedere à cultu Dei ſui. At beatus puer cælum inceſſanter ſuſpiciens, dicebat intra ſe: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicis. Mandauit verò pater eius cubiculum omnibus, quibus poterat, delicijs inſtrui, tapetis inſterni & ornari gemmis, introduxitq; in illud filium ſuum, & iuſſit occludi. Beatus autem puer flexis genibus precabatur Dominum, dicens: Deus Abraam, Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus pater dilecti pueri tui Ieſu Domini mei, reſpice in me & miſerere meî, & confirma me virtute tua, vt non poſſit draco iſte, malignitatis & iniquitatis ſuæ voto potiri in me ſeruo tuo, ne inſultent gentes fidelibus tuis, & dicant, Vbi eſt Deus eorum? Interim cubiculum illud inæſtimabili claritate fulgebat, & videbantur in eo quaſi duodecim lapides, nimio fulgore radiantes: adſperſuſque in eo eſt odor ſuauiſſimus, ita vt pater ſancti Viti omniſque familia cum ingenti admiratione clamarent: Papæ, nunquàm nec in deorum templis tanta mirabilia vidimus. Attonituſque Hylas, dixit: Dij venerunt in domum meam ad filium meum. cœpitque curioſè attendere, per oſtium reſpiciẽs in cubiculum: viditque angelos duodecim alatos inſtar aquilarum, inæſtimabili pulchritudine & ſplendore radiantes, cantanteſque, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Eo autem ſplendore eius oculos perſtringente, excæcatus eſt, didicitque ſecreta cæleſtia nonniſi pu-

Tentatur multis modis.

Pſalm.50.

Hylas fit cæcus.

ſi puro mentis cerni poſſe intuitu. At beatus puer Vitus, pietatis ductus affectu, pro
patre ſuo ita orabat: Deus cœli, & Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, qui natus es ex
Maria perpetua virgine, operante ſpiritu ſancto, ne me ſepares à patre meo, ſed eum
mecũ aggregare digneris in aula ſancta tua. Veruntamen Domine non voluntas mea,
ſed propoſitum fiat gratiæ tuæ. Pater autem eius pre nimio dolore clamitans: Heu, in-
quit, perdidi lumen oculorum, & ingenti dolore atque anguſtia torqueor. Plangebat
pariter dominum ſuum ſeruorum & ancillarum plurima multitudo, quippe cruciati-
bus & vlulatibus miſerabiliter vexatum.

Ad eum autem clamorem adeò commota eſt ciuitas, vt etiam Valerianus Præſes Cap.5.
ad voces commoti populi ad Hylæ domum properè accurreret: cumq; eum vidiſſet
inter manus ſeruulorum luminibus orbatum, & ingenti ſtridore clamantem, ſolicitè
perquiſiuit, quînam id illi accidiſſet. Reſpondit ei Hylas: In cubiculo manentẽ filium
meum curioſè contemplans, vidi deos, quorum oculi erant inſtar ſtellarum, & adſpe-
ctus ſimilis fulguri. Tantum autem ſplendorem ferre non valens, infelix nimis ocu-
los amiſi. Valerianus ait: Potentes, vt aſſeris, dij fuêre. Duxit autem illum cum ſeruis
eius ad templum Iouis, ante cuius aram votum nuncupauit Hylas, dicens: Iupiter
inuictiſſime Deus, ſi mihi reddideris lumen oculorum, victimas innumeras offeram
tibi: taurumque conflatilem cum cornibus aureis, & virgines ſacras, ô dea Veſta, tibi
dicabo, cùm veſtro ero ſolatio potitus. Sed cùm nihil ſentiret remedij, immò verò
etiam acrioribus dolorum ſtimulis vrgeretur, beatus puer Vitus genua flectens, Do-
minum ſic orabat: Qui Tobiam illuminâſti Domine, fac miſericordiam cum patre Tob.11.
meo, ſi tibi conſenſerit. Denique ad aras dæmonum Hylas diutiùs inaniter clamans, S. Vitus orat
tandem domum reducitur, vbi beatus Vitus ſacrificium laudis Domino ſedulus im- pro patre, fruſtrà fal-
molabat: prociditque ad genua beati pueri, & ait: Fili, ſaluum me fac. S. Vitus dixit: ſos deos in-
Viſne ſanus fieri pater? Reſpondit Hylas: Volo fili, & ſummoperè deſidero. Porrò uocante.
ipſo etiam dolore voluntatem cogente, dixit ei beatus Vitus: Si vis ſanus fieri, renun-
cia Ioui, Herculi, Iunoni, Mineruæ, Veſtæ & Apollini. Hylas dixit: Et quî tandem
illis renunciabo? B. Vitus ait: Non deos illos, ſed dæmones eſſe dicas, & ſtatuas, quas
hactenùs coluiſti, nihil habere virtutis confitearis. Si id ex corde feceris, mox oculi
tui pateſcent. Hylas dixit: Renuncio illis. B. Vitus dixit: Ex his verbis tuis colligo in-
duratum cor tuum: ſed propter eos, qui adſtant, vt credant & glorificent nomen Do-
mini mei Ieſu Chriſti, licèt non merearis, declarabo in te miſericordiam. Imponenſ-
que manum ſuper oculos eius, orauit, dicens: Domine Ieſu Chriſte, qui cæco nato lu- Iohan. 9.
men, quod natura negauerat, tua potentia tribuiſti, quanquam fides eius non merea-
tur, tamen propter gloriam nominis tui, illumina oculos huius patris mei, vt videant
& confundantur inimici tui, lætenturq; omnes, qui nouerunt te Domine. Et ecce ce- Recipit lu-
ciderunt quaſi ſquamæ ab oculis Hylæ, & curatus eſt: reſpicienſque vidit clarè omnia: men Hylas, & manet a-
& exclamans voce magna, dixit: Gratias ago dijs meis, qui me ſaluum fecerunt, non nimo cæcus.
autem Deo tuo. cœpitq; miſer totus in eam cogitationem incumbere, quibus pœnis
filium ſuum interficeret.

Angelus autem Domini apparuit pappati eius, religioſo viro Modeſto nomine, di- Cap.6.
xitq; ei: Tolle puerum, & deſcende ad mare, vbi nauiculam inuenies, qua vna cum illo
transfretabis in regionem, quam tibi oſtendero. Beatus Modeſtus dixit: Domine, vi- Aetas S. Vi-
am quam dicis, neſcio, & quò ibo? Angelus reſpõdit: Ego vos ducam. Erat autem bea- ti.
tus Vitus annos natus circiter duodecim. Itaque Angelus Domini deducebat eos, &
cùm ad mare ventum eſſet, inuenerunt nauiculã à Chriſto Domino ipſis præparatã.
Dixit verò Angelus ad beatum puerum: Ad quam regionẽ tẽditis? S. Vitus dixit: Quò
nos Dominus duxerit, prompti & hilares ſequemur. Dixit Angelus: Et vbi eſt naulum
tuũ? Reſpondit S. Vitus: Ille, cui⁹ nos ſerui ſumus, mercedẽ tibi depẽdet. Et ita aſcẽden
tes in nauiculã, appulerunt ad locum quendã, quem Allectorium vocãt, ſubitoq; diſpa
ruit is, q eos è naui depoſui. Venerunt autẽ ad Silerũ fluuiũ, & illic ſub arbore quieue-
runt, vbi Dominus per beatũ Vitum multas virtutes effecit. Cibus aũt eis per aquilam Sic per cor-
adferebatur: cumque fama Domini virtutem diuulgante, multus ad eos populi con- uũ affereba-
curſus fieret, clamabant dæmonia: Quid nobis & tibi Vite: Veniſti ante tempus per tur cibus
dere nos? Porrò beatus Vitus inſtanter docebat populum præcepta Domini, & mul- Eliæ.
ti conuerſi baptizabantur. At ſanctus puer Domino gratias agebat, & cùm prædica-
ret populo Dei clementiam & præpotentem virtutem, cum multa animi deuotione
cãtabat: Credidi propter quod locutus ſum: ego aũt humiliatus ſum nimis. itemque: Pſalm.115.
Quemadmodũ deſiderat ceru⁹ ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Pſalm.41.

Inter-

Cap. 7.

Interea filius Diocletiani vexabatur à ſpiritu immundo, qui clamabat per os eius: Ego hinc non exibo, niſi veniat Vitus Lucanus. Imperatore autem dicente, Et vbi poſſumus hunc hominem inuenire? dæmon ait: Apud fluuium Silerum. Miſit ergo armatos milites Imperator, vt celeriter adducerent illum. Qui cùm veniſſent ad locum, quem dæmone indicante didicerant, inuenerunt Chriſti athletam iuxta fluuium Dominum exorantem, dixeruntque ei: Túne es Vitus? Reſpondit ille: Ego ſum. Milites dixerunt: Imperatori es neceſſarius. S. Vitus ait: Et ego tantillus homuncio qua in re poſſum Imperatori eſſe neceſſarius? Milites reſponderunt: Filius eius à dæmone arreptus eſt, & ea cauſa te voluit ad illum perduci. Sanctus Vitus ait: Eamus in nomine Domini. Vbi Romam venerunt, iuſſus eſt ad Diocletianum introduci. Erat verò forma vultûs eius cumprimìs elegans, inſtar ignis ſplendens, & oculi tanquam ſolis radij: quippe qui plenus eſſet Chriſti gratia. Dixit autem ei Diocletianus: Túne es Vitus? Ille verò tacuit. Cœpit ergo Imperator ex Modeſto de quibuſdam, quæ ipſi viſa ſunt, percontari. Sed cùm Modeſtus & ſenex & natura ſimplex, congruum Imperatori reſponſum reddere non poſſet, Diocletianus eum exprobrando voluit exagitare. Dixit itaque ſanctus Vitus ad Imperatorem: Cur ita ſciſcitaris ex ſene perinde atque ex iuuene? Vel propter canitiem te oportebat illi habere honorem. Imperator reſpondit: Vnde tanta tibi loquendi confidentia, vt neglecta pietatis noſtræ authoritate, tam furioſè auſis reſpondere? Sanctus Vitus dixit: Nos iracundi non ſumus, quia ſimplicitatis ſpiritum, Chriſto largiente, accepimus, columbæque manſuetudinem imitamur. Magiſter enim noſter, qui nos docuit, natura eſt bonus, poteſtate magnus, ſimplicitate modeſtus. Atque idcircò qui eius diſcipuli volunt fieri, mites & humiles corde debent eſſe, non iracundi & furioſi, vt tu nos vocas.

Proficiſcitur ad Diocletianū Imperatorē, accitus ab illo

Sapientiſſimè reſpondet Tyranno.

Cap. 8.

Sub his repentè dæmon per os obſeſſi filij Imperatoris horrendum in modum exclamat: O Vite, cur ante tempus ita crudeliter me torques? Cùm autem ſanctus Vitus nihil illi reſponderet, Diocletianus dixit: Potes ſanare filium meum? S. Vitus reſpōdit: Poteſt illi reddi ſanitas, ſed ego reddere eam non poſſum: Chriſtus autem Dei filius, cuius ego ſeruus ſum, ſi vult, ab hoc hoſte peſſimo per me illum facilimè liberare poteſt. Cumque deprecante Diocletiano acceſſiſſet Vitus ad obſeſſum, manum impoſuit capiti eius, & ait: Spiritus immunde, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, exi ab hac creatura Dei. moxque receſſit dæmon, ſed non ſine ſtrage multorum infidelium. Videns igitur Imperator filium ſuum ſanum, & multos infideles, qui S. Vito illuſerant, à dæmone præfocatos, captus elegantia pueri, blandè & comiter hortabatur eum, dicens: Conſenti mihi, Vite chariſſime, & dijs ſacrifica, daboq; tibi maximam partem regni mei, cumulaboq; te magnis opibus auri & argenti, & precioſarū veſtium omnigenæq; ſuppellectilis, eriſq; mihi non immeritò & chariſſimus, & cumprimìs familiaris. Reſpondit beatus puer: Regnum tuum & veſtes atque diuitiæ tuæ mihi neceſſariæ non ſunt. Habeo enim Dominum Deum meum, qui, ſi illi fideliter perſeuerauero, induet me ſtola immortalitatis, quam tenebræ obſcurare non poſſūt. Diocletianus ait: Non ſic agas, Vite, ſed conſule vitæ tuæ, & ſacrifica dijs, ne diuerſis pœnis affectus intereas. Sanctus Vitus reſpondit: Ego verò hæc tormenta quæ minaris, ſuprà quàm credi poſſit, expeto, vt ad illam poſſim palmam pertingere, quam Dominus dignatus eſt promittere electis ſuis.

Expellit dæmonē à filio Imperatoris.

Blãditur ei tyrannus.

Cap. 9.

Tunc Diocletianus iuſſit beatum Vitum cum Modeſto in teterrimum carcerem retrudi, & ſingulos onerari ferro octoginta pondo, carceremq; ſuo obſignari annulo, ne quis vel aquam illis poſſet porrigere. Sed cùm incluſi eſſent, ſubitò in carcere lux multa reſplenduit, ita vt etiam cuſtodes territi mirarentur. At S. Vitus voce magna clamans, dixit: In auxilium meum tu intende Domine: accelera, & libera nos ab hac pœna, ſicut liberâſti tres pueros de camino ignis ardentis, & Suſannam à falſorum teſtium iniquitate. Ad eam vocem repentè terræmotus factus eſt in carcere, & lux incomparabilis radiauit, odorque ineſtimabilis illic diffuſus eſt: apparuitque ei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & ait: Vite, exurge, confortare, & eſto robuſtus. ecce ego tecum ſum omnibus diebus. moxque viſio abſceſſit. Ferrum verò, quo vincti erant & preſſi, inſtar cineris diſſipatum eſt, & audita eſt vna vox multorum angelorum, cum eis in carcere pſallentium & dicentium: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ &c. Audientes autem hoc cuſtodes carceris, præ nimio timore penè exanimes effecti, cucurrerunt ad palatium, voce magna clamantes: Succurre piiſſime Imperator: ciuitas omnis perit, cunctuſque populus interit,

Mittitur cū Modeſto in carcerem.

Dan. 3. *Dan. 13.* *Luc. 1.*

ſterit. Ea voce commotus Diocletianus, dixit cuſtodibus: Quod tantum facinus eſt, vt ſic temerè & præter rationem clamitetis? Cuſtodes reſponderunt: Vitum, quem iuſſiſti religari in carcere, immenſum lumen cinxit, & ineffabilis odor totum carcerem compleuit: eſtq; vir quidam cum illis, cuius conſpectum nullus mortalium ferre poteſt, eoſq; alloquitur. Multitudo quoq; candidatorũ laudes iucundiſſimas depromit.

Cap. 10.

Tunc Diocletianus furore percitus, iuſſit arenarium præparari, dicens: Beſtijs ferociſſimis tradam illos, vt videam, num Chriſtus eorum poſſit eos liberare de manibus meis. Cumq; Vitus & Modeſtus adducti fuiſſent in amphitheatrum, ſanctus Vitus admonuit pappatem ſuum (vt habet textus hiſtoriæ) ne expaueſceret, ita dicens: Fortis eſto, pater: ne timeas gladium diaboli. Iam enim appropinquat corona noſtra. Aderant autem ad hoc ſpectaculum ſupra quinq; millia virorum: puerorum verò & fœminarum multitudo inæſtimabilis. Dixit autem ad ſanctum Vitum Diocletianus: Vbi iam te cernis Vite? At beatus Vitus, ſublatis ad cælum oculis, nihil illi reſpondit. Rurſus autem dicenti Imperatori, Vbi te nunc conſpicis Vite? puer ſanctus reſpondit: Video me in amphitheatro. Verumenimuerò fac ocyùs, quod facturus es. Diocletianus dixit: Conſule vitæ tuæ Vite, & ſacrifica magnis dijs. S. Vitus ait: Nunquàm tibi benè ſit diabole, rapax lupe, deceptor animarum. Demiror frontem tuam, quòd cùm tantas cernas virtutes, non erubeſcis iſthuc mihi velle perſuadere. Ego verò Chriſtum habeo, cui hactenùs votum pectoris mei ſacrificaui: nunc quod ſupereſt, meipſum ſacrifico. Tunc præ nimio furore ſeipſum non capiens Imperator, iuſſit miniſtris parare clibanum, & in eo inflammari plumbum, reſinam & picem. Fecerunt ita miniſtri, & depoſuerunt in eo beatum Chriſti athletam Vitum: aitque Diocletianus: Videbimus iam, ſi Deus tuus poſſit te eripere ex manibus meis. Porrò beatus Vitus, conſignãs ſe ſigno viuificæ Crucis, iactatus eſt in medium clibani inſtar maris ferueſcentis. Mox autem adfuit Angelus Domini, & omnem clibani feruorem extinxit, ſanctusque Vitus ſtans in medio clibani, hymnum dicebat Domino: Qui liberâſti inquiens, filios Iſrael per Moyſen ab Aegypti iugo duriſſimo & fornace ferrea, fac nobiſcum miſericordiam propter gloriam ſancti nominis tui. vocanſq; Diocletianum Imperatorẽ, dixit ei: Gratias tibi ago Diocletiane, & miniſtris tuis, quòd tam commodum mihi lauacrum apparâſtis. Tunc populus vniuerſus voce ſublata exclamauit: Tanta mirabilia nunquàm vidimus. Reuerà verus & magnus eſt Deus pueri huius. Exiliens autem beatus Vitus è clibano, nullam in corpore maculam habuit, immò verò caro eius niueo candore nitebat. Itaque pſallens dicebat: Probâſti me Domine quaſi aurum, igne me examinâſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Porrò Imperatorem obiurgens, Erubeſce, inquit, diabole cum patre tuo ſatana, dum adſpicis, quantam virtutem declarat Dominus meus in me ſeruum ſuum.

Sanctus puer ſenẽ Modeſtum cõfirmat.

In clibanũ ardentem conjicitur S. Vitus.

Illæſus exit è clibano.

Pſal. 16.

Cap. 11.

Imperator igitur magis ac magis ira inflammatus, iubet adduci leonem, cuius etiam rugitus hominibus propè eſſet intolerabilis. Adducto illo, ait ad S. Vitum: Num etiã hic præualebunt magicæ artes tuæ? Sanctus Vitus reſpondit: Inſipiens, ſtulte, inſulſe & ſine ſenſu, cur tandem non aduertis adeſſe mihi Dominum meum Ieſum Chriſtũ, cuius iuſſu me Angelus eius de pœnis omnibus & de tuis manibus potentiſſimè liberabit? Cumq; dimiſſus eſſet leo, S. Vitus ſignum ſanctæ Crucis edidit in illum, corruitque leo ad pedes eius, porrectaq; lingua lingebat plantas eius. Dixit autem beatus puer ad Imperatorem: En impijſſime, bruta animalia reddunt honorem Deo, & tu non agnoſces creatorem tuum? in quem ſi vel nunc credere volueris, polliceor tibi ſaluum te fore. Imperator dixit: Credas tu illi & omne genus tuum. S. Vitus ſubridens, ait: Benè dixiſti Imperator. Ego enim & omne genus meum, quod ex Deo natum eſt per fidem, qua & ego renatus ſum, coronam ſempiternam in cælis adipiſci deſideramus. Illa hora mille ferè homines crediderunt in Chriſtum. Ait ergo ad beatũ Vitum Diocletianus: Multi dum hæc tua Vite geſta conſpiciunt, credunt artibus tuis, quibus ferrum & ignem domas. Sanctus Vitus reſpondit: Ego non artibus vilis ferro & igni impero, ſed creaturæ cùm ſint, creatori ſuo Domino meo Ieſu Chriſto honorem exhibent. Quod te multo etiam magis pudefacit, quando res inſenſibiles & feræ belluæ faciunt, quod tu, qui ratione preditus es, facere nõ vis, ipſis proinde brutis deterior. Tum Diocletianus iuſſit beatum Vitum cum ſancto Modeſto pappate eius & Creſcentia, quæ prædicatione Viti in Chriſtum crediderat, in cataſta extendi. Dixit autem illi beatus puer: Ridiculam & imbecillem declaras virtutem tuam, quando fœminam torqueri iubes. Torquebantur verò ſancti martyres in cataſta valdè atrociter, ita vt diſſipatis oſſibus, viſcera apparerent. Clamauit igitur ſanctus Vitus ad Dominum: Deus, in no-

Signo Crucis edito Leonem domat.

Torquẽtur ſancti martyres atrociſſimè.

in nomine tuo ſaluos nos fac,& in virtute tua libera nos. Statimq; ingens extitit terræmotus & coruſcationes terribiles, corrueruntq; templa idolorum, & multi è populo extincti ſunt. Ipſe quoq; Imperator territus, properè aufugit, percutiens manu frontem ſuam,& cum ingenti clamore dicens: Væ mihi, qui à tantillo puero turpiter ſuperatus ſum.

Cap. 12. Deſcendit autem Angelus Domini,& à cataſta eos abſoluens, repentè tranſtulit ad Silerum flumen: vbi ſanctus Vitus cum alijs ſub arbore quieſcens, has ad Dominum preces fudit: Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, perfice deſiderium cordis eorum, qui in tuo ſancto nomine voluerint gloriari de paſſione martyrij mei. Cuſtodi illos Domine ab omnibus periculis huius ſeculi,& perduc eos ad gratiam & gloriam magnificentiæ tuæ. Et cùm complêſſet orationem, facta eſt de cælo vox, ad eum dicens: Vite, exauditæ ſunt preces tuæ. Tum ſanctus Vitus dixit circunſtantibus: Sepelite corpora noſtra,& quicquid petieritis Dominum in vera ſalute veſtra, percipietis per orationes noſtras,& liberabit vos à nequitia diaboli. His dictis, beatæ ſanctorum animę cum gaudio cælum petiêrunt. Vicini verò corpora eorum cum aromatibus condientes, ſepeliêrunt ea honorificè in loco, qui dicitur Marianus. Paſſus eſt ſanctus Vitus cum SS. Modeſto & Creſcentia 17. Calend. Iulias, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DE S. VITI TRANSLATIONE NARRATIO BREVIS, EXCERPTA A QVODAM EX LIBELLO, QVEM SCRIPSIT IS, *qui partim præſens interfuit ſub Ludouico Pio Imperatore, cuius nomen inſignis MS. codex non habet. Stylum aliquot locis modicè emendauimus.*

De hac Corbeia vide lector 1. Tomo. 2. Ianuarij in vita S. Adalardi.

QVemadmodum verò & quo tempore pretioſiſſimi martyris Viti corpus in Saxoniam tranſlatum ſit,& in monaſterio, quod Corbeia noua dicitur, collocatum, is qui de tranſlatione eius inſcribitur libellus, indicat: cuius Author quædam ſe præſente, cæterùm omnia ſuis temporibus contigiſſe teſtatur. Anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo triceſimoſexto, indictione 14. ſacratiſſimi verò Imperatoris Ludouici anno Imperij viceſimotertio Vuarinus Abbas monaſterij noui Corbeienſis, petijt à viro religioſo Hildeuuino Abbate monaſterij S. Dionyſij Pariſienſis (Author habet, Quod eſt in pago Pariſiaco) vt de ſanctorum martyrum corporibus, quæ apud ipſum illo loco aſſeruabantur, quippiam ſibi impartiretur ad confirmandam fidem gentis ſuæ, (puta, Saxonicæ) quam nuper induſtria glorioſiſſimi Imperatoris Caroli ſub iugum Chriſti redegiſſet. Quibus Vuarini precibus libenter annuit Hildeuuinus, permittente etiam piiſſimo Imperatore Ludouico, conſentiente Pariſienſi Epiſcopo & cæteris nobilibus viris, in ea diœceſi commorantibus. eiq; beati pueri & martyris Chriſti Viti Lucani corpus in eccleſia S. Dionyſij coram innumera tam monachorum quàm Canonicorum, diuerſæq; conditionis & ætatis virorum ac mulierum frequentia, poſt peracta die Dominico Miſſarũ ſolennia, decimoquarto Calendas Aprilis ſummo cum honore tradidit.

S. Vitus vt Roma fuerit tranſlatus in Gallias. A temporibus enim Pipini regis Francorum vſq; ad illam diem, pretioſiſſimũ martyris Viti corpus eo in loco multis ſemper inſigne miraculis permanſerat, poſtquàm Folradus Abbas S. Dionyſij conſenſu regis profectus Romam, ex eo loco, vbi conditũ fuerat, in Franciam tranſtulit. Illud verò eo, quo dictum eſt, ordine acceptum, Vuarinus cum ſuis multa veneratione ſecum aſportans, non paucis eum comitantibus, tandem Saxoniæ finibus inuexit, atq; Idibus Iunij in Corbeiam nouam perueniens, ſpem

S. Vitus totius Saxoniæ patronus. ſalutemq; patriæ, totiusq; Saxoniæ ſpecialem patronum cum ineſtimabili populorum tripudio illic depoſuit. Quantas verò & quot morborum curationes per eius itineris ſtationes viginti clementia Saluatoris exhibuerit (quæ quidem quadragenarium numerum excedunt) qui vult poteſt in libello memorato legere, nobis verò iam non vacat commemorare: præſertim cùm præſentia Chriſti miracula maiorem iis reliquijs venerationem conciliare queant, quàm literæ. Ab eo verò tempore, vt in Geſtis Saxonicis legitur, ſub tanti defenſione aduocati res Saxonum creſcere cœperunt, donec dilatatę iam ipſa ſua magnitudine laborant. Vnde non ſolùm in Saxoniæ, ſed in cunctis penè Europæ finibus, eius nomini permultis conſtructis, & conſecratis templis, illius

fidele

fidele patrocinium imploratur ab omnibus, quantiq́ue apud Deum ſit, miraculis declaratur.

Qui nos ſui nominis indignos præcones vtinam non deſpiciat, verùm ſuæ venerationis ſeruitijs inhærentes, placido à ſupernis vultu reſpiciat, par pari quodam modo referat, fautoribus ſuis fautor faueat, ſi tamen fas eſt magnis componere parua, cęleſtibus terrena, manentibus tranſeuntia. Super flumina Babylonis diutinam captiuitatem deflentium, ſi tamen nequaquam oblitorum delectetur cantionibus Sion, iam incola perpetuum Alleluia decantans in atrijs domûs Domini: ſciatq́; ſi vel ferrea nobis vox ſit, quæ centuplices edat ſonos, vel ſi membra omnia vertantur in linguas, haudquaquàm tamen poſſe exprimere ſatis laudis ſtudium, quo eius cupimus amantiſſimũ venerari patrociniũ. Quanquã vt vel parum aliquid dicamus, ipſe nos amor & cõtemplatio impellit, quod quidem ſacrificium laudis, ſi mundo corde offeratur, Domino Deo gratum eſſe, mens fidelis ambigere non debet. Itaq; nullus penè à mundi exordio fuit ſanctus, cuius ſpiritus aliquo modo non repleuerit ſanctum hunc martyrem Vitum: ita vt iure credatur cunctorum conſors in regno, qui cunctis propemodùm meritis indiſſimilis viſus eſt. Quod quidẽ nemo temeritate & præſumptione dictum exiſtimet, ſed reuerenter: non audacter, ſed piè. Quicquid enim vel dicere vel cogitare poteſt homo, minus eſt gratia præpotentis Dei, illi cooperantis. Nam nec Abelis ei deeſt martyrium, nec paternum, vt in Iſaac, holocauſtum, etſi non eadem deuotione, tamen conſummatiùs immolatum. Eſt hic alter Samuel, diuino alloquio adhuc puer dignus inuentus. Eſt puer Dauid elegans, qui patri fratribusq́; deſpectus, in Deo autem ipſum ex millibus eligente confidens, non de Gethæo, ſed tartareo Goliath offenſionis lapide triumphauit. Hic Daniel ſupra ætatem abſtinentiæ deditus, ſeniores ſapientia anteiuit. Hic Ieremias adoleſcentulus, ad genitorem incredulum paternamq́; domum & familiam plus ſatis exaſperantem mandata Dei imperterritus locutus eſt. Hic egregiè fortis Iudas Machabæus, Angelicis inter prælia cinctus eſt præſidijs.

Locus obſcurus.

S. Viti præclara encomia.

Offenſionis lapidem dicit Chriſtũ, cuius ope fretus Vitus, dæmonem profligauit.

O clariſſimum Chriſti puerum, ante ſecula cum electis omnibus prædeſtinatum, generali cunctorum ſanctitate fulgentem, ſpecialiter, vt diximus, penè ſingulorum virtute, ſpecialiſſimè verò Martyrij conſtantia coruſcantem: qui rabidorum inſaniam hoſtium interritus adijt, modeſtus ſuſtinuit, ſecurus irriſit. O glorioſum, ô ſanctiſſimum Dei martyrem Vitum, fornacis igne probatum, victorem tormentorum, inter flagella, beſtias & cataſtam ſemper intrepidum, & ſemper inuictum, præpotentem precibus, Chriſti ſemper amore incredibili feruentem, Dei compellatione vocatum ad cælos, & cum triumpho Angelis comitantibus eò proficiſcentem. Te nunc communiter laudamus, benedicimus & glorificamus Chriſte Deus, qui nos in odore vnguentorum tuorum corde ſaucio currentes, tam bellicoſo voluiſti duce corrigi, tam præpotente patrono fulciri, qui non ſolùm contra poteſtates aëreas victoriæ ſemper vexilla præferat, verùm omnes terrenæ altitudinis faſces nobis infeſtos, vt luce clariùs conſtat, ſemper pudefaciat, quoſdam quidem ad pœnitentiam, alios verò ad pœnam. Et quia in ſanctis tuis perinde vt in teipſo mirabilis appares bone IESV, etiam in illis glorificeris oportet, qui nunc per puerulum manum ſuam intra foramen aſpidis vel reguli mittentem ſic per omnia triumphâſti, ſicut quando cum eodem per temetipſum ex matre tricenarius, cum patre verò conſempiternus, in deſerto conflixiſti. Atque in te potiſſimùm claudatur oratio, clauis Dauid, qui aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit: in te confidentium à ſeculo virtus, in te ſperantium ſalus, pro te certantium fortitudo, afflictorum conſolatio, laborantium & oneratorum refectio, perſeuerantium beatitudo, deſperatorum ſpes, morte affectorum requies, Sanctus ſanctorum, benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Cant. 1.

Pſal. 67.

Eſa. 11.

Matt. 4.

Apoc. 3.

VITA B. LANDELINI ABBATIS CRISPINIENSIS, NON QVIDEM CERTO AVTHORE, SED FIDE

digno, & qui ea ſe ſcripſiſſe teſtetur, quæ veridicorum hominum narratione compererit. Stylum autem, vbi viſum eſt, correxit Fr. Laurentius Surius.

PRAEFATIO AVTHORIS.

BEnignitas Saluatoris noſtri ſemper adeſt parata ad promouendam ſalutem eorum, quos prædeſtinauit ad capeſſenda præmia futuræ vitæ, & ſicut ipſe dicit in Euangelio, quoſdam prima, alios tertia, alios ſexta & nona, pleroſque etiam vndecima hora vocat ad colendam vineam ſuam: id eſt, alios in pueritia, alios in adoleſcentia & iuuentute, nonnullos etiam in ſenectute perducit ad ſpiritalis ſationis laborem. Nec difficile eſt illi inueteratos ſcelerum mores corrigere, qui etiam Leuiathan illius ore abſorptos, armilla ſuæ miſericordiæ reuocare nouit ad vitam, & ad concipiendam erga ipſius bonitatem fiduciam, eosipſos, quos ab eius ore extraxit, ſublimiter in cælis coronauit. Ex ijs fuêre prophetæ, & vel maximè ille iudex Apoſtolorum chorus, item triumphalis martyrum exercitus, confeſſorum inſignis numerus & monachorum admirabilis decor. Conſtat verò ad horum collegium pertinere etiam S. Landelinum, de cuius vita ego ingenij inops non ſine multo timore aliqua dicere tentabo. Poteſt autem Deus os meum aperire ad promendas ſerui ſui res præclarè geſtas, qui os aſinæ quondam docuit diſertis verbis increpare prophetam. Dicam verò illa, quæ hominum veridicorum narratione comperi.

Matt. 10. Iob. 40. Num. 22.

VITÆ HISTORIA.

ITAQVE glorioſus & Deo cumprimìs charus Landelinus, ex nobiliſſimo Francorum genere in villa, quam Vallem vocant, ciuitate Cameracenſi, temporibus Dagoberti inclyti regis ortus eſt. Cumque bonæ indolis puer adoleſceret, parentes eius beato Autberto antiſtiti, qui eum de ſacro fonte ſuſceperat, literis imbuendum illum commendârunt. Poſtquàm verò ætate nonnihil progreſſus eſt, idem Epiſcopus voluit eum Clerici tonſuram accipere. Sed vbi id quibuſdam cognatis eius innotuit, ab amore rerum cæleſtium conati ſunt eum ſuis perſuaſionibus reuocare. dicebant enim: En quantus iuuentutis decor eò inuitatur, vt mundo nuncium remittat. Sed noli fráter aſſentiri. ſi enim feceris, nec tibi nec parentibus vlli vſui eris. Præſtat igitur, vt nobis obtemperans, relinquas monaſterium, & fruaris mundi huius oblectamentis potiùs, quàm hîc inſtar mortui cuiuſdam ocioſus deſideas. Si nobiſcum abire volueris, ſuppeditabimus omnia, quæ libita erunt animo tuo, efficiemuſque vt diuitijs & honoribus abundes. His & id genus alijs blandis ſermonibus perſuaſerunt ei quod volebant, ita vt à ſancto Autberto aufugiens, illiſque ſe iungens, deinceps rapinis & cædibus deditus eſſet, inſtar prædonum. Ea cauſa pius pater Autbertus multo mœrore affectus, haud ſecus atque mortuum eum lugebat: & erat reuerà mortuus, qui iam diabolo ſeruiret. Orabat nihilo minùs ſanctus pontifex Deum cōtinenter pro illo, vt libertatem reſtitueret captiuo & vitam mortuo, faceretque medicinam ſatanico vulnere ſauciato. Quid plura? Maleſana mens, quod improbè cœperat, proſequi conſtituit, nomenque ſuum mutans, Mauroſum ſe deinceps vult appellari, ſcilicet ne nomen quandoque proderet eum, qui ſe in perditionis latebras abdiderat.

Iunij 15. Autbertus Cameracenſis Epiſcopus. Inimici hominis, domeſtici eius. Landelinus ſeductus vixit flagitioſè.

Intereà

Intereà dies multos in tam nefario opere perdurans, ſeruiebat diabolo, à Chriſtò profugus: ſed tandem diuina potentia non deſeruit preces ſancti pontificis, & pro ſolita clementia filium errabundum reſtituit ſanctæ matri Eccleſiæ. Volebat is cum ſuis ſocijs diuitis cuiuſdam domum diripere. Ea autem nocte, quæ huic flagitio deſtinata erat, quidam ex complicibus eius exceſſit è vita. Cuius morte ille vehementer afflictus, dedit membra ſopori, viditque miſeri illius animam in tartarum abduci. Cumq; non ſine ingenti tremore id adſpiceret, adſtitit Angelus Domini, & voce terribili dixit ei: Cerne iam Landeline præmia laboris tui: vide vt anima ſocij tui ad inferorum æterna ſupplicia pertrahatur: ſimulq; conſidera, vtrùm tibi præſtabilius ſit ita protrudi in barathrum æſtuantis gehēnæ, an nobiſcum potiùs perfrui gaudijs ſempiternis. Miſſa igitur fac opera ſatanæ, & amplectere Chriſti militiam. Abijce obſcurati pectoris cæcitatem, vt poſſis intueri clariſſimam Chriſti lucem. Excute iamiam à ceruicibus tuis iugum diabolicæ ſeruitutis, vt poſt breuis huius vitæ curricula poſſis æternùm regnare cum Chriſtò. Audi beatum Autbertum antiſtitem, & agnoſce ſpiritualem patrem tuum. Suſcipe libens ab ore eius monita cæleſtis doctrinæ. Hæc & alia multa cùm Angelus ei dixiſſet, cælos petijt. Landelinus autem eo viſu non mediocriter terrefactus, relictis ſocijs & rebus ſuis omnibus, pedes Cameracum feſtinat, & S. Autberti pedibus ſe aduoluens, orat pro admiſſis criminibus pœnitentiæ mulctam ſibi irrogari. Ille verò pius pater, eius gratulans conuerſione & deſiderio, ſuſcepit pœnitentem, quem diù fleuerat a ſe profugum, ſinumq; ei diuinæ miſericordiæ aperiens, reddidit cū ſanctæ matri Eccleſiæ.

Per viſum ab Angelo acriter admonetur, vt ſe corrigat.

Redit ad ſanitatem, & agit pœnitentiam.

Itaque ſub ſeculari habitu degens in monaſterio, agebat pœnitentiā, macerans corpus ieiunijs, quod mundi illecebris contaminauerat. Atque tandem diuturna excoctus pœnitentia, ſtatuit mundi à ſe negocia omninò reijcere, vt poſſet liberiùs cæleſtia cogitare. Rogat igitur beatum Autbertum, vt ſe tondeat, & militiæ cæleſtis chlamydem induat. Lætatur ſanctiſſimus præſul, comam capitis eius ſecat, à quo iampridem cordis maculas deterſerat. Ille verò hanc dignitatē adeptus, conſtituit Romā proficiſci, vt poſt mundi reiectam pompam, etiam peregrinationis labore ſe maceraret. Accepta ergo beatiſſimi antiſtitis benedictione, difficile emenſus iter, tandem Romam peruenit, vbi nouerat quieſcere iudices mūdi, atq; illic prædulcia ſanctorum Apoſtolorum liminibus oſcula affigens, rogabat ad purū condonari ſibi peccata & facinora ſua. Deinde cùm deſiderio ſuo feciſſet ſatis, celeriter in Gallias redijt, nolens diù abeſſe à patrono ſuo. Cernens autem beatus Autbertus virtute & ſanctitate præditum, Diaconum eum ordinauit: in quo miniſterio ita præclarè ſe geſſit, vt nulli eſſet ambiguum, Dei gratia eum ad id muneris eſſe accitum. Erat enim animo benignus, ſimplex, humilis, deuotus, pius, omnibus promptam exhibens obedientiam, omnes ſyncero amore complectens. Præſtitit verò illi Deus tantum ardorem & compunctionem cordis, vt bonorum cœnobitarum vita minimè contentus, magis ac magis ſe extenderet in diuinum famulatum, & cum gemitibus & lachrymis crebrò ſe vigilijs, ieiunijs, orationibus affligens, vitam ſanctorum æmularetur, nec vllam ſuo corpori requiem indulgeret, inedia, nuditate, frigore, ſiti, multiſque rebus duris & moleſtis ſe afficiens.

Tondetur caput eius

Romæ viſitat limina Apoſtolorū

Fit Diaconus.

Vitæ eius aſperitas.

Non multi intereà dies interceſſerant, cùm ille ſecundò Romam petijt, expletiſq; pro voto, quæ illic facere conſtituerat, redit ad beatum Autbertum, & ab eo preſbyterij honore afficitur. Tum verò, ad eum euectus honoris gradum, quantùm ſanctitate excreuerit, verbis explicari non poteſt. Volens autem ſibiipſi cumulare labores, licèt iam defeſſo eſſet corpore, tertiò ſe Romano dat itineri cum diſcipulis duobus, Adelino & Domitiano, qui ei iamdudùm in verbi Dei prædicatione adhæſerāt: adoratiſque Apoſtolorum liminibus, feliciter redit ad ſua: petitaq; & impetrata copia & benedictione à beato Autberto, ad pagum Haynauum locum adit, fluuio Sambræ adiacentem, qui à riuulo in hunc ipſum fluuium decurrente, Laubacus vocatur, atque illic ſibi & diſcipulis monaſtica domicilia conſtruxit. Quod verò ille tunc, Deo auxiliante, feliciter orſus eſt, à ſucceſſoribus eius, quos ille eo in loco congregauerat, præclarè eſt conſummatum. Aliud quoque monaſterium ædificauit in pago, quem Alnam dicunt, qui à Laubaco tribus abeſt milliaribus, quod monaſterium principis Apoſtolorum ſacra ornant pignora, & præclaræ eius virtutes communiunt. Tertium quoq; condidit monaſterium in Templutenſi pago, quem Guaſlarim vocant, quique octo diſtat milliaribus à Laubaco, primo ſuo monaſterio, idque, ſicut & ſuperiora, in S. Petri cæleſtis clauigeri honorem conſecrandum curauit. Et hæc quidem duo poſtrema

Fit presbyter.

Conſtruit monaſteria

Lobienſe monaſteriũ monaſteria egregiè ditauit: Laubias verò regijs auxit muneribus, & villarum atq; ſeruorum magna copia extulit. Quicquid enim ſuperiorum regum liberalitate & munificentia paſſim per Francorum regna obtinuerat, Laubienſi cœnobio contulit, vt veneranda fratrum illic Deo ſeruientium congregatio non egeret ijs rebus, quæ monachis congruere feruntur. Conſtructum autem idem monaſterium ab ipſis fundamentis ſub iuniore Clodoueo, tanto florebat auguſtiùs, quanto erat regijs opibus & munificentia copioſiùs locupletatum.

His ita geſtis, lociſq; ſupradictis honorificè extructis, fratribusque illic Chriſto militantibus, rebus ad victum neceſſarijs affatim inſtructis, Dei omnipotentis, vt credimus, inſtinctu & prouidentia ad alium commigrauit locum, qui eſt iuxta Hon fluuiũ, cui adiacet ſylua, * Ambidgis dicta: ibiq; cum ſuprà memoratis duobus diſcipulis extirpare cœpit virgulta, & parare locum conſtruendo monaſterio. Cùm eſſent autem in hoc opus intenti, poſuiſſentque cucullos ſuos ad truncum arboris, dominus illius loci ſuperuenit. Qui vt vidit eos extirpare ſyluam ſuam, cucullos eorum tulit, & abſceſſit. Sed inuocata à ſeruis Chriſti clementia præpotentis Dei, mox adfuit, hominemq; illum in membris omnibus cruciauit, ita vt mortuo ſimilis videretur, diſceretque ex pœnis ſuis, non rectè ſe geſſiſſe erga famulos Dei. Prouolutus ergo pedibus eorum, rogat ſibi veniam dari, cucullosque ſuos vt recipiant, magnis vocibus poſtulat, ſimulque mediam ſyluæ partem ſe per manus ſancti viri Deo oblaturum pollicetur, ſi pius Dominus culpam temerè admiſſam, ipſi condonaret. Orante autem B. Landelino, miro modo repentè curatus eſt, & beati viri prædicatione inſtitutus, cum pace ad ſua reuerſus eſt. Vir autem Domini gratias agens, quòd vbique diuina ipſi adeſſet miſericordia, oratorium illic conſtruxit in honorem ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, vbi cũ duobus diſcipulis ſuis hymnis & orationibus vacans, diuinæ pietatis viſcera quotidiè implorabat.

Margin: * Ambliagis

Margin: Sanat hominē diuinitùs punitũ.

Quodam autem die omnia circuncircà perluſtrans, comperit ibi fontem non haberi, vnde fratres ſuis vſibus aquam neceſſariam haurirent. Fuſis igitur ad Deum precibus, ſcipione ſuo ſemel percuſſit terram, ſtatimque fons mirè altus & dulcis erupit, vndis criſpantibus largiter manans. Quæ res nomē loco dedit, viro ſancto illum Criſpinium appellāte. Iam verò à beato Martino Romano Pontifice ordinatus, diuinæ prædicationis vomere Criſpinium excolebat. Itaque nonnulli, eius audita ſanctitate, è diuerſis partibus ad eum confluxêre, adunataq; eſt hominum non parua multitudo in eodem loco. At vir Deo plenus multitudini admiſceri nolens, ſolitudinemq; omnibus mundi rebus anteponens, ne multorum ad ipſum acceſſus, mentis eius aciem hebetaret, & à ſtatu rectitudinis detorqueret, haud ita procùl ab eo loco recedens, ſolitarium ſibi delegit habitaculum. In illo itaque loco, vbi fons Criſpinij in flumen influit, in honorem S. Petri Apoſtolorum principis condens eccleſiam, inter ipſos, vt ita dicam, ſupernos Angelorum choros, etſi necdum corpore, mentis tamen contemplatione verſabatur, ita vt poſſet ipſe quoque dicere cum Apoſtolo: Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.

Margin: Fontem precibus impetrat. — Criſpiniũ. — Degit ſolitarius. — Philip.3.

Viſum autem eſt operæprecium beato viro, vt diſcipulos ſuos Adelinum & Domitianum à ſe ad ſeparata à ſe inuicèm loca ablegaret, vt ipſi quoque miniſterio verbi Dei Domino animas lucrifacerent, & ad ſe inuitarent quotidiè: porrò ipſe diuinę philoſophiæ auidiſſimus, cæleſtium contemplationi liberiùs vacaret. Itaque S. Adelinum à ſuo monaſterio ad vnum milliare prope fluuium Hon, Domitianum verò ad duo plùs minùs milliaria iuxta fluuium Hagnaum manere voluit. His ita peractis, ſancta & immaculata Chriſto hoſtia, multiplici contuſione & ignis examinatione inſtar holocauſti præparatus, Deo dignus ſacerdos Landelinus, ipſi iam cæleſti aræ propinquabat. Cùm enim omnipotens Deus pro laboribus, quos pro nomine eius quotidiè perferebat, iam remunerari illum vellet, membra ſenilia, diuturno labore confecta, lenis quædam febricula corripuit. Tum ille accerſitis vndique fratribus, indicat ſe è corporis ergaſtulo abiturum. Mox fratres omnes lugubri voce dicunt: Quod domine pater erit nobis deinceps auxilium, ſi tu paſtor oues Chriſto acquiſitas, lupi tartarei dentibus lacerandas relinquis? His auditis, vir Dei lachrymabundus dicit: Ne, quæſo vos chariſſimi fratres, deceſſus meus mœrore afficiat. Planè non deerit vobis paſtor æternus, Dominus omnium Ieſus Chriſtus, ſi eius amori inhærere ſtudueritis. Seruite ergo ei in timore, & exultate ei cum tremore. Nulla vobis nocere poterit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. His atque eius generis alijs ſermonibus adhortatus fratres, in cinere & cilicio iacens, adſtantibus, quos vndequaque ad Chriſtum adduxerat, chariſ-

Margin: Pſal.2. — In cinere &

chariſſimis filijs, animam bonorum operum floribus redimitam Chriſto reddidit, beatis angelorum ſpiritibus ſociandam. Diſcipuli autem venerabile corpus eius honorificè in eodem monaſterio condiderunt, vbi eius meritis & interceſſione multa ac ſtupenda fiunt miracula: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen. *cilicio reddit animã.*

VITA SANCTI ABRAHAE ABBATIS, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, LIB. *Patrum, Cap. 3.*

NVLLI catholicorum eſſe occultum reor, quod Dominus ait in Euangelio: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem integram, & non hæſitaueritis, ſi dixeritis huic monti, Transfer te: transferet ſe: & omnia quæcunque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & venient vobis. Ergo non eſt dubium, quin ſancti obtinere poſſint à Domino, quod petierint: quia in eis fides, fundamine poſito, nullis hæſitationum fluctibus vacillat. Pro qua fide non ſolùm intra patriæ terminum propriæ, dum cæleſtem vitam agere cupiunt, exules facti ſunt: ſed etiam transmarina ac peregrina petiêrunt loca, vt ei, cui ſe deuouerant, plùs placerent: ſicut nunc beatus Abraham Abbas, qui poſt multas tentationes ſeculi, fines eſt territorij ingreſſus Aruerni: qui non immeritò Abrahæ illi comparatur ſeni pro magnitudine fidei, cui quondam dixerat Deus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & vade in terram, quam monſtrauero tibi: Reliquit autem hic non ſolùm terram propriam, ſed etiam illam veteris hominis actionem, & induit nouum hominem, qui ſecundùm Deum formatus eſt in iuſtitia, ſanctitate & veritate. Ideoque cùm ſe perfectum in Dei opere cerneret, non fuit dubius in fide petere, quod per vitam ſanctam confiſus eſt obtinere. Per quem opifex cæli, maris ac terræ, parua quidem numero, ſed admiranda miracula operari dignatus eſt. *Iunij 15. Matt. 17. Gen. 12. Ephes. 4.*

Igitur Abraham iſte ſuper Euphratis fluuij litus exortus eſt: vbi in Dei opere proficiens, ad viſitandos eremitas adire Aegypti ſolitudines concupiuit. Eò autem dum tenderet, à paganis compræhenſus, & multis pro Chriſti nomine affectus verberibus, in vincula conijcitur: in quibus per quinque annos exultans, tandem Angelo ſoluente laxatur. Occidentalem quoque plagam viſitare cupiens, Aruernos aduenit, ibique ad baſilicam ſancti * Cirici monaſterium collocauit. Erat autem miræ virtutis, fugator dæmonum, illuminatorque cæcorum, aliorum quoque morborum potentiſſimus curator. Igitur cùm feſtiuitas ſupradictæ baſilicæ aduenisset, Præpoſitum vocat, vt vaſa vino plena ad reficiendum populum, qui ſolennitati aderat, in atrio ex more componeret. Cauſatur monachus, dicens: Ecce Epiſcopum cum duce & ciuibus inuitâſti, & vix nobis ſuperſunt quatuor vini amphoræ. Vnde omnia iſta complebis? At ille: Aperite, inquit, mihi penum. Quo aperto, ingreſſus eſt, & fundens orationem, quaſi nouus Elias, eleuatis ad cælum manibus, ac infuſis fletu luminibus, ait: Ne deficiat, quæſo, Domine, de hoc vaſculo vinum, donec cunctis miniſtretur in abundantia. Et irruente in ſe Spiritu ſancto, ait: Hæc dicit Dominus: Non deficiet vinum de vaſe, ſed omnibus petentibus affatim tribuetur, & abundabit. Quo dicto, vinum ad verbum & hilaritatem diſpenſationis illius cuncto populo in abundantia miniſtratum eſt, & ſuperfuit. Sed quia ſtrenuitas Prępoſiti priùs menſurauerat vaſculum quinquagenarium, & repererat quatuor palmorum menſuram, cernens quæ acta fuerãt, in craſtino iterùm menſurans, tantum reperijt in vaſe, quantum in eo præcedente reliquerat die. Ex hoc ſancti virtus in populis declarata eſt. In ipſo verò monaſterio plenus dierum obijt, ibique cum honore ſepultus eſt. Erat autem eo tempore ſanctus Sidonius Epiſcopus, & Victorius Dux, qui ſuper ſeptem ciuitates principatum, Euricho Gotthorum Rege indulgente, ſuſceperat. Huius verò ſancti Epitaphium beatus Sidonius ſcripſit, in quo aliqua de his, quæ locutus ſum, eſt præfatus. Ad huius au- *Abrahæ patria. Gentiles eũ verberant. * Cyrici. 3. Reg. 17. Vinũ pretibus obtinet. Decedit à vita.*

autem beatæ Abrahæ ſepulcrum plerunque frigoritici decubantes, medicinæ cæleſtis præſidio ſubleuantur.

MARTYRIVM SANCTORVM, ET MAGNORVM MARTYRVM QVIRICI ET IVLITTAE, AVTHORE SIMEONE Metaphraſte: *nec eſt quòd Lector ſuſpicetur hanc eam eſſe hiſtoriam, quam Gelaſius Pontifex inter apocryphas numerat.*

Iunij 16. Cap. 1. QVEMADMODVM non eſt neceſſe Domino ſalutē dare Iudæo aut Græco, ſeruo aut libero, (In his enim omnibus fides & mores animæ, non autem genus proprietatem tribuit, vt ex ea re ſalutem quis vel interitum ferat) ſic neq; maſculo aut fœminæ, neque ei, qui corporis ſtatura eſt perfectus, aut imperfectus, qui vocatus ſit ad perfectionem ſanctificationis. Rectum autem eſſe corde, & habere bonum animum, & ad imitationem Dei accommodatum, omninò neceſſe eſt eum, qui futurus eſt dignus vera ſalute. Non enim naturæ, aut generis, aut fortunæ conſequentia ſanctis acquiritur ſanctificatio, ſed conciliatur Dei ſpiritûs operatione: neque virtute corporis confirmatur, ſed in Dei virtute perficitur & ſtabilitur: nō in quibuſlibet, ſed in ijs, qui ſunt rectis moribus, & quos conſtat eſſe bonos. *Sanctitas vnde naſcatur & confirmetur.*

Cap. 2. Dirigamus ergo cor noſtrum ad eum, qui eſt rectus. Bonam reddamus mentem in eum, qui eſt bonus. Omnem obliquam & peruerſam cogitationem, omne vitium à noſtris animis auferamus & abijciamus: vt ſanctus Dei ſpiritus, qui eſt bonus, rectus & principalis, in bono noſtro principali & recto, tanq̃ ſimile ſimili collocatus, & renouatus, cū ſua ſanctitate & diuinitate repleat. Et licèt ſimus ſtatura corporis imbecilla, cor rectum & bonum adepti, nihilominùs operabitur in nobis virtus ſpiritûs: vt nos quidem in ipſo beneficio afficiamur, dum perficimur & diuini reddimur: glorificetur autem & extollatur Chriſtus in nobis. *Pſal. 50.*

Cap. 3. Sic multi corpore infantes & imperfecti, maxima virtute reſtiterunt impijs, & cùm eos mentis rectitudine euertiſſent per Chriſti potentiam, digni ſunt habiti, qui perfectiſſimo præconio renunciarentur victores. Sic etiam mulieres anima rectæ & honeſtæ, cùm manus conſeruiſſent cū ſæuis Tyrannis, & quorum tolerari non poterat potentia, aduersùs eos præclariſſimum in Chriſto erexêre trophæum. Sic Quiricus ſcitus Deo, ſacerque & pulcherrimus puer: ſic Iulitta quoque, quæ ipſum pulchrè concepit & peperit, & ablactauit, cùm ſtatim donum quampulcherrimum & gratiſſimū Deo dedicâſſet, ille quidem in admodùm humili & infantili corpore, hæc autem in fœminina & imbecilla natura, cum principe tenebrarū huius ſeculi, & cum eius validis congreſſi defenſoribus, per mentis rectitudinem & fidei ſuperârunt, & tandem euerterunt, & proſtrauerunt ſuum aduerſarium.

Cap. 4. Sed quoniam Quirici & Iulittæ meminimus, pulchrum fuerit ab initio eorum repetita hiſtoria, diuinum amorem, & pro Chriſto martyrium & perfectionem illorum laudare pro viribus: & per ea gloriam, honorem & laudem ei ſacrificare, qui in horum vicit imbecillitate: & eorum, qui ſunt martyrum amatores, animos paſcere, & ad Chriſtum ædificare. Hi orti quidem eſſe dicuntur ex Lycaonia, ciuitate autem Iconio, genere verò non obſcuri, nec plebei, nec ignobiles: ſed nobiles & magni nominis: ſi quis velit vocare nobilitatem, ortum eſſe ex ſanguine regio, aut genus referre ad Reges: quæ quidem qui parua intuentur, iudicant tanquam maxima: ſicut etiam terrenas facultates, felicitatem nominauerunt & diuitias: veriſſimam, quæ eſt ex virtute, nobilitatem, & veras diuitias, eas, quæ ſunt ex donis ſpiritûs, fortaſſe ignorantes, & rebus fluentibus tanquam ſtabilibus adhærentes. *Patria Quirici & Iulittæ, & genus*

Cap. 5. Sed hi in terra quidē clari, vt dictum eſt, apud ſuperos autem longè clariores, vt qui vitæ ſuum inſtitutum in cælis reponerēt, vbi etiam eorum nomina per magnam Dei præſcientiam omnia comprehendentem, & iuſtiſſimam dignorum prædeſtinationem, verè digito Dei priùs ſcripta ſunt. Conſequenter autem terrenis facultatibus, atque

atque adeò multo magis fide in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & pietatis florebant commodis, quibus antecellebant. Oportebat enim fortaſſe eos, qui in Deo erant euaſuri poſteà clariſſimi, humanis quoque, & quæ ad corpus pertinent, commoditatibus ſuperare vulgus ab initio, & ſpiritalem his, tanquam vmbris, priùs deſcribere ſplendorem & claritatem.

Atque Iulitta quidem beatiſſima & honeſtiſſima fœminarum, cùm ei maritus matrimonio fuiſſet paruo tempore coniunctus, oſtendit ſe firma ac ſtabili fide in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & in eum dilectione. Totum enim animi amorem abducens à corporibus, & piè ac religioſè traducens ad ſpiritum, in vita, in quam non cadebat repræhenſio, puraque erat, immaculata & moderata, Domino ſeruiebat. In vnigenito autem filio ſancto Quirico honeſtiſſima mulier ſpem collocans, cùm eum quidem lacte ſecundùm naturam ſuis aleret vberibus, ad ſacrum autem & diuinum baptiſmum produxiſſet, & eum patri luminum mirandum in modum conciliâſſet, & Chriſto per ſanctum ſpiritum conſecrâſſet, ſic ipſa in intemerata, & quæ repræhendi non poterat, viduitate, pulcherrimè, vt leges iubent, filium alens, vitam tranſigebat, omnium quidem, & quæ ſtudio ſunt gentilibus, myſteriorum & morum actionem & participationem auerſans, tanquam rē execrandam: quæcunq; ſunt autem apud Chriſtianos veneranda & Apoſtolica mandata & traditiones, vt æquum eſt, amplectens, & in ea re orationibus confirmata. Cap. 6. S. Iulittæ vitæ integritas.

Poſtquàm autem impium illud & dæmoniacum ab eo, qui tunc Tyrannidem exercebat, prodijt edictum, non oportere Chriſtum colere, aut mortis impendére ſupplicium (Præerat autem tunc Diocletianus imperio Romanorum) quo tempore qui decretum cum poteſtate ab eo acceperant, alij alibi per omnem regionem & ciuitatem excurrentes, & id in medijs foris proponentes, & eos qui Imperatorio non parebant edicto, ſupplicijs, quæ dici non poſſunt, ſubijcientes, ita acerbè præſenti vita priuabant: & quo Domitianus ille Comes Lycaoniæ propterea miſſus à Tyranno, vir crudeliſſimus & inhumaniſſimus, ipſum Iconium & omnem finitimam populans & obſidens regionem, omnes, qui ibi compræhendebantur, Chriſtianos grauiſſimis afficiebat ſupplicijs: tunc hanc ſacram Dei fœminam, ſimul quidem mandatum diuini Regis implentem, quod iubet non audacter inſilire in tentationes, ſed cautè vitare: ſimul autem etiam humanam reuerentem infirmitatem, ſimul hunc quoque venerandum infantem, qui vbera adhuc ſugebat, tenentem, & de eius ſalute, vt quæ filium valdè amaret, admodùm anxiam fugere oportuit. Cap. 7. Matth. 10.

Atque relinquis quidem, ô mulier ſanctiſſima, Iconium, relinquis & omnes tuas poſſeſſiones & facultates: procùl autem à tuis conſanguineis & cognatis peregrè profecta, fugiēs venis Seleuciā, omnibus opibus & carnis fomentis, omniq; mundanæ felicitati & delicijs, propter Chriſtum peregrinationem, mendicitatemque & afflictionem lubenter præferens. Sed neque Seleuciæ diù erat habitatura. Nam cùm Alexander, vir admodùm improbus & malignus, ſortitus eſſet adminiſtrationem illius prouinciæ, & recēter ad eam acceſſiſſet, omnes quidem viri, & omnes mulieres cum eorum liberis, quicunque aſſentiebantur Chriſti confeſſioni, poſt plurima genera ſuppliciorum, occidebantur immiſericorditer. Cap. 8. S. Iulitta ſe confert Seleuciam.

Hæc videns Iulitta, & illarum peſtium verita crudelitatem, vlnis tollens dilectum filium, (Erat autem tunc triennis Quiricus) cum duabus ancillis fugiens Seleucia, Tarſum peruenit. Non licuit autem nec in ea quidem diù latére. Quomodò enim magnum vas aureum, aut etiam argenteum iacens in medijs ſilicibus, aut in aliqua alia vili materia, non poteſt facilè latére eos, qui adſpiciunt, cùm viſus dirigatur ad id, quod eſt ſplendidius: ita fideliſſimi homines Ieſu, verſantes in medio impiorum, non poſſunt occultari, virtute & diuina viuendi ratione reddente eos euidentes & manifeſtos omnibus. Cap. 9. Inde abit Tarſum.

Eſt autem vtique Patris quoque voluntas, qui eſt in cælis, vt quomodò cognita vniuſcuiuſque mente, prædeſtinauit perfectionem: ita in tempore vocet ſcilicet, & iuſtificet, & glorificet. Quamobrem illi quidem id, quod eſt humanum, agentes aut patientes, ſtudebant fugere perſecutores. Quoniam verò non erat æquum, vt in terræ aggere foderentur cæleſtes margaritæ, neque vt ſimiliter ac filij hominum ſubirent profundum obliuionis, propterea beatos illos fugitiuos ſæuus ille Alexander ponè ſequitur. Tanquā enim diuino quodam iuſſu impulſus, relicta protinùs Seleucia, venit Tarſum, quæ non longo ab ea diſtat interuallo. Cap. 10. Rom. 8.

Ad eum autem ingredientem ciuitatem, ſtatim defertur Iulitta, & eius filius Quiricus. Cap. 11.

S. Iulitta cũ filio ſiſtitur Iudici.

ricus. Ille verò in delatos leoninum quendam edens rugitum, & præſidens in alto tribunali, iubet eos quamprimùm ſiſti. Ingreditur autem non ſola: non enim occultauit vnigenitum, neque tradens ancillis curauit vt fugeret. Neque enim beata illa aut vitæ erat adeò cupida, aut filium ſuum tanto habebat odio, vt aut à ratiõe alienis mota miſericordiæ motibus, non poſſet videre filium interfici pro veritate, aut ei abſolutam inuideret conſummationem, aut oblationem: ſed vt quæ eſſet re vera filia Abrahæ, & illius imitaretur fidem & ſacrificium, vnigenitum & dilectum contendebat ſacrificare ei, qui ipſum dederat: aut quomodò Anna Samuelem ablactatum, cum diploide obtulit aræ: ita etiam veneranda mater venerandum filium proprijs manibus tradidit ad holocauſtum: & quod eſt maius ijs, quæ dicta ſunt, non filium ſolùm, ſed etiã ſeipsã tradidit præclara mulier ad cædem, magna voce clamans ſe eſſe Chriſtianã, & ſolùm nôſſe Deum Chriſtum Ieſum, & eius patrem, à ſpiritu afflata, glorioſè confitebatur: deos autem & dęmones, vt qui neq; eſſent, neq; vnquam fuiſſent, abdicabat, aſpernans & nihili faciens. Et omnes quidem præſidis blanditias aut aſſentationes tãquam maligni eſcas repellebat & auerſabatur: omnibus autem ſuppliciorum minis, et omnium tormentorum generibus ſe lætari affirmabat.

Gen. 22. 1. Reg. 1. Eximia virtus eius.

Cap. 12. Cæditur boum neruis.

Quamobrem crudeliſſimus ille Iudex, qui cum Deo bellum gerebat, iubet quidem infantem auferri ab eius vlnis, ipſam autem nudam flagellari boum neruis. Atque mater quidem, lictoribus in ea cædenda laborantibus, immaniter lacerabatur ſupplicijs: indignabatur verò, vt eſt conſentaneum, & vociferabatur, & ægrè ferebat filius. Quem quidem, vt qui eſſet elegans, & forma ſpecioſus, venuſtate delectatus Tyrannus, vi quidem auellit ab vlnis maternis: eum autem ſuis accepit manibus, eum tentans imponere genibus, & ſenſim palmis eius caput demulcens, nec id ſolùm, ſed etiam impuris labris caſtiſſimum impuriſſimus exoſculari aggrediens, verbis ad perſuadendum accommodatis incantabat, vt putabat. Attende, dicens, fili mi ſuauiſſime, fili formoſiſſime, attende mihi tuo patri. Audi, ô ſcite & chare fili, & intellige: hanc autem veneficam & impiam, vt quæ violenta ſit morte peritura, & dijs inimica, expellens, nobiſcum ſuauiſſimè viues & iucundiſſimè. Ego autem te adoptans in filiũ, omnibus bonis benigniſſimè proſequar, & omnium mearum poſſeſſionum te relinquam hæredem.

Cap. 13.

Quid verò Quiricus, qui corpore quidem erat imperfectus, perfectus autem ſpiritu: qui ſpecie quidem erat infans, ſenex verò intelligentia? qui ſermone quidem & lingua balbutiebat, mente autem & corde intelligebat? num ceſſit Tyranni violentiæ, aut puerili timore exhorruit, aut oſculis & promiſſis eſt delinitus, aut victus à flagellis, quæ in matrem intentabantur, diriguit timore reſolutus, aut fortiter quidem decertauit, ſed non prudenter? aut imperfectè quidem, non autem vt martyrem decuit laudabiliter? Nequaquàm. Immò verò perfectione vtens fidei, perfectione prudentiæ. Erat enim ſpiritus Dei verè in eo perfectus: & ideo tota anima, totis viribus & omnibus membris corporis vnà cum matre decertans, bellum pro Chriſto gerebat, & ſimul ſuſtinebat. Nam corde quidem credidit nihilo ſeciùs, quàm infantes aut lactentes, qui Ieſum priùs ſuſceperunt, quando ſedens ſuper pullum, Hieruſalem eſt ingreſſus, cum palmis & hymnis ab eis exceptus. Ore autem ſe eſſe Chriſtianum præclarè eſt confeſſus, & diuinum Chriſti nomen verè Chriſtianus clariſſimus Quiricus, cõuenienter ſuo nomini prædicabat: corde quidem ad iuſtitiam, confeſſione autem ad ſalutem vtens, vt diuinus ait Apoſtolus.

Mira gratia in tantillo puero Quirico. Matt. 21. Rom. 10.

Cap. 14. Infans tyrãnum auerſatur. Lacerat vnguibus. A tyranno interficitur.

His veluti ignitis telis diuiſit ipſam mediam Tyranni animam. Verùm nec ocioſæ erant delicatæ manus noui athletæ, neque teneri pedes poterant ceſſare ab opere: ſed & pedibus & manibus reſiſtens, & renitens luctator admirabilis, & pro viribus repugnans, inimici auerſabatur oſcula: ad matrem autem toto animi ſtudio contendebat & proſiliebat. Tanquam verò in retibus & crudiuoræ feræ manibus interceptus, aut potiùs vt canora auis laqueo implicatus, alas mouebat beatus puer, & omnibus modis machinans euadere è laqueis venatoris, manibus quidem eius vultum laniabat & lacerabat: pedibus autem execrando lateri inſultans athleta breuiſſimus, ſic amorem illum dæmoniacum ſtatim conuertit ad iram cædem ſpirantem. Nam cùm delicatum eius pedem appræhendiſſet vir ad cædem propenſiſſimus, crudeli autem animo, & ſpirante parricidium, & quid aliud, niſi digno anima diaboli? cum ſublimè ſuſtuliſſet, ex alto tribunali manu ſua iaciens in ſubiectos gradus lapideos, vnà cum ſacro capite totum quoque athletæ corpuſculum aduerſis petrarum aculeis contriuit & confregit.

Sic corporis confracta compage, victrix eius anima liberata eſt,tanquam paſſer Cap.15.
à venatore: manibus autem ſanctorum Angelorum ſtatim ad magnum adducta Pontificem, tanquam ſacrificium maximè odoriferum oblata eſt Domino. Sic paruus ille Quiricus cùm magnus euaſiſſet decertatione,terram quidem ſanctificauit per ſanguinem,qui in ipſa eſt effuſus:aërem verò per ſanctum ſpiritum, qui ad ipſum peruaſit:& cælum quidem impleuit exultatione,quæ non poteſt verbis exprimi. Cùm maioris autem & diuinioris Dei gloriæ fuiſſet occaſio, omnibus Chriſti Eccleſijs fuit diei feſti argumentum, & ſpiritalis laudationis gaudijq́ue ſuppeditator vel conciliator. Sic inſignis martyr mater Deo priùs peregit ſacrificium, & cùm tanquam turtur formoſiſſima & caſtiſſima,quaſi pulcherrimum & ſpecioſiſſimum pullum Chriſto ad ſacrificium filium præmiſiſſet,cum gaudio & voce exultationis orabat, vt ipſa quoque citiùs liberaretur à carne,& nuda à cœni veſtibus,nuda & ſyncera mente, ſupercæleſti ſponſo Chriſto & dilecto filio contendebat coniungi.

Quamob rem magnis quidem gratiarum actionibus & laudationibus magnificabat eum,qui eius ſuſceperat oblationem,& vt ipſa quamcelerrimè ſolueretur à corpore,& ad deſideratum Chriſtum aſſumeretur,ſupplicabat: validis autem verborum inſultibus Tyrannum ſauciabat: Noli putare,dicens,me eſſe adeò timidi & puſilli animi,vt vincar à tuis ſupplicijs. Non enim me terrebit carnis laniatio, neque me membrorum conturbabit ruptura:ſed neque qui deorſum fertur, torrens ſanguinis, non neruorum ſectiones,non oſſium fractiones,non ignis minę, nec mortis denique,quę ea conſequitur, me ſeparabit à charitate Chriſti. Nullius tui (vt ſemel dicam) tormentationem duco,ò acerbe Tyranne. Sunt autem omnia mihi quàm iucundiſſima, quæ vos ad me torquendum minitamini,& tantò magìs,quantò videntur violentiora. His enim ſpero me citiùs eſſe peruenturam ad meum chariſſimum, & cum eo coronam iuſtitiæ à Chriſti dextera conſecuturam. Cap.16. Fortiſsimus animus S. Iulittæ.

His verbis Iudex magis iritatus, & furore percitus, in ligno quidem iuſſit ſuſpendi egregiam victricem,eius autem carnes valdè laniari ac diſcerpi ferreis pectinibus: deinde picem ex lebete hauriri bullientem, & effundi in membra lacerata decertantis. Ea autem ſtrenuè & fortiter reſiſtente omnibus tormentis,& deos quidem ac dæmones auerſante & aſpernante,Chriſtianam verò ſeipſam confitente, & ſolum Deum nôſſe Chriſtum,& eius patrem,& ſanctum ſpiritum affirmante,condemnatur poſtremò, vt enſe moriatur. Cap.17. Valdè eius corpus laceratur. Gladio caeditur.

Hoc eſt certamen Quirici & Iulittæ. Hæc eſt verorum pietatis athletarum victoriæ publica declaratio. Sic ſalua fuit mater per ſacram liberorum procreationem. Sic filiꝰ accepit vtilitatē ex materna educatione. Et talibus viſceribus longè honeſtiſſima mulier ſuum infantem nutrijt, & talibus alimentis remuneratus eſt parentem venerandus filius:adeò vt hic quidem fieret,& vocaretur Dei filius,illa autem filia cæleſtis Hieruſalē:& ambo Dei filij & inſignes Chriſti martyres,& vaſa ſancta & electa,& precioſa diuini illius ſpiritûs. Nunc q́; licet videre ijs,quibus datum eſt contemplari,matrē propter filium in cælis exultantem conuenienter diuinis eloquijs,matrem longè beatiſſimam,valdè beato filio mirandum in modum coniunctam, & ſimul exultantem. Cum prophetis quidem, vt qui ſint ſimilem aſſecuti gratiam ſpiritûs & virtutis. Cum Apoſtolis autem,vt qui fuerint ſocij parium pro pietate certaminum & laborū. Cum athletis verò & martyribus, vt qui æquè atque illi,aut etiam validius ſuſceperint certamen confeſſionis,& curſum peregerint,& fidem ſeruauerint,& martyrij legis nihil omiſerint. Quamobrem,quæ nunquàm marceſcent,iuſtitiæ coronis cum ijs,qui ſunt vniuerſorum ſanctorum perfectiſſimi,à dextera Chriſti ſunt redimiti. Quorum intercesſionibus noſtrì quoque memento,ò Deus,qui in ſanctis tuis glorificaris,& magnificas eos, qui te magnificant, & ſanctificant ſanctiſſimum nomen patris,& filij,& ſpiritûs ſancti: Quem decet omnis gloria, honor & potentia in ſecula ſeculorum, Amen. Cap.18. 1.Reg.2.

VITA

Claruit in Anno 1250.

VITA LVTGARDIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS, AVTHORE F. THOMA CANTIPRATENSI DOMINICANO.

Etſi autem necdum mihi conſtat de Virginis huius canonizatione, vt vocant, tamen viſum eſt vitam eius huc adſcribere, ſtylo ſimpliciore paſsim nonnihil elimato.

PROLOGVS AVTHORIS.

DOminæ reuerendæ & in Chriſto plurimùm diligendæ Hauuidi, diuina benignitate Abbatiſſæ Aquirianæ, ſanctoq; eius Collegio, frater officio Supprior, fratrum Prædicatorum minimus, ſalutem dicit.

Veſtra me duntaxat, immò ergà monaſteria omnia charitas, amorque erga perſonam, de qua dicturus ſum, ſingularis, me incitauit, vt vitam piæ Lutgardis vtcunque deſcriberem, in tres libros opus omne diſtinguens, conuenienter triplici illi ſtatui ſecundũ animam, quem dicere ſolemus incipientium, proficientium, & perfectorum. Planè autem mihi perſuadeo, multis retrò annis à nemine vitam alicuius conſcriptam eſſe, quæ tot virtutum inſignia complectatur. Oratos autem velim pios lectores, quibus Deus adſpirauerit gratiam amoris ſui, vt fidem ahibeant dictis meis. Quòd ſi quædam minùs literatè vel eruditè à me dicta erunt, ferant quæſo æquo animo, quando quidem non niſi vera dicẽtur. (De Doctrina Christ. lib.4.cap.11.) Bonorum enim ingeniorum, vt ait beatus Auguſtinus, inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, nõ verba. Neq; aurũ minùs precioſum eſt quòd è terra tollatur: neq; minùs ſapit vinum, quòd è vili ligno naſcatur. Cupio aũt, vt non modò veſtrum collegium, ſed etiam omnes monaſteriorum Brabantiæ virginei cœtus vitam piæ Lutgardis ſuſcipiant, vt quam fama virtutum veriſſima apud omnes diuulgauit, ea breuis libelli inſinuatione pleniùs omnibus innoteſcat.

LIBER PRIMVS.

Iunij 16. Cap. 1. Patria Lutgardis.

LVTGARDIS pia virgo ex illa quondam Tungrorum celeberrima ciuitate, patre ciue, matre nobili, traxit originem. Pater autem tenerrimè illam diligens, & ſecundùm ſeculi faſtum cupiẽs eam florere & proſperos habere ſucceſſus, cuidã mercatori, dum adhuc iuuencula eſſet, viginti marcas argenti dedit, vt ex ijs, donec ea adoleſceret, multiplicatis copijs lucriſque paratis, dos nupturæ filiæ augeretur. Interim creſcens puella, & quid eius cauſa fieret, animaduertens, quantùm illa ætas patiebatur, ad nuptias inhiabat. Sed pius Dominus, futurorum præſcius, qui vocat ea, quę non ſunt, tanquam ea quę ſunt (Rom. 4.): fruſtrato patris eius conſilio, de Lutgarde ſibi potiùs deſpõſanda, aliter diſponebat. Ille enim, qui Lutgardi deſtinatam pecuniam negociationibus augmentandam ſuſceperat, crebrò in Britanniam traijciens, & per multos aduerſos caſus diffluens, ad vnam marcam redegit viginti, alijs planè diſſipatis. Sed neq; ſic tamen aut patris propoſitum, aut effrõtem filiæ impudentiam ea res retardâſſet, niſi matris inſtantia mẽtem filiæ modò minis, modò blandimẽtis emollijſſet, ita illi dicentis: Si Chriſto nubere volueris, monaſterium tibi, quodcunque voles, honeſtiſſimum conciliabo: Sin autem mortalem ſpõſum malueris, non niſi bubulcum habebis. His atq; huiuſcemodi verbis alijs & mariti votum, & filiæ voluntatem, ad ſalubrius propoſitum inclinauit. Etſi autem Lutgardis delectaretur ornatu veſtium, at tamen fugiebat prorſus amatorias confabulationes & ineptias puellares: & licèt necdum cognoſceret Dominum, in corde tamen, cũ ſola eſſet, intus neſcio quid diuinum ſentiebat.

Cap. 2. Traditur monaſterio.

Vbi igitur annos duodecim exceſſit, in monaſterio S. Catharinæ, quod eſt prope oppidum S. Trudonis in Haſbania, inter Deo ſacratas virgines Ordinis S. Benedicti, diuino ſeruitio mancipatur. Cumque iuuenis quidam genere & opibus præſtans illam procaret, animum illius interdum verbis nõnihil permouere cœpit: obſeruãſq;

tempus & locum, clàm nocte quadam domum, in qua virgo iacebat, adire tentauit: ſed cùm acceſſiſſet, repentino timore correptus aufugit. Inſtitit verò miris modis diabolus, vt ad conſenſum animum puellæ inclinaret: ſed non permittente Deo, eius conatus irriti fuére. Sedente autem quandoq; ſimplice puella, & cum iuuene illo colloquente, apparuit ei Chriſtus ea forma, qua olim inter homines verſatus fuerat, pectoriq; veſtem ſuam detrahens, qua tectus videbatur, vulnus lateris ei oſtendit quaſi recèns cruentatum, dixitq; ei: Blanditias inepti amoris poſthàc vide ne requiras: hîc iugiter contemplare, quid diligas, & quamobrem diligas. hîc ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. Hac illa viſione & oraculo pauefacta, ſtatim oculis cordis inhæſit illi, quem viderat, & vt eum acciperet, meditabatur vt columba: moxq; ſuperno illuſtrata ſplendore, totius vanitatis à ſe ſenſit abſterſam caliginem. Cumque eam vidiſſet die quodam matrona nobilis & deuota, ſpiritu prophetico dixit: Tu, vt video, bona es Agnes, & reuerà altera Agnes eris. Subitò verò adeſt iuuenis ſupradictus, & cœpit ſuos replicare ſermones. Cui illa, vt quondam Agnes beatiſſima, hianti ore reſpondit: Diſcede à me pabulum mortis, nutrimentum facinoris: quia iam ab alio amatore præuenta ſum.

Viſione mirabili [illegible] vanus ab ea proſſus excluditur.

Alius quoque iuuenis, armis miles, eam iam Deo ſynceriùs inhærentem, nihilo minùs adamauit: & cùm multis annis renitētem animo procaret, illa primùm modeſtè, poſteà verò ſeueriter eum à ſe auertit. Cernens autem eum in ſtultitia pertinacem, etiam contumelioſis ſermonibus eum à ſe repulit. Ille verò contemptum ſe dolens, cogitat quidnam faciendum ſibi ſit. Et ecce Lutgardis accita à ſorore ſua, iter arripit. Id vbì reſciuit iuuenis, obuiàm illi proficiſcitur cum turba ſatellitum, rapere illam volens. Sed puella ab equo deſiliens, ex illius manibus multa vi ſe extorſit, totaque nocte fugiens, per ſyluarum deuia, angelo ductore, ad domum nutricis ſuæ manè peruenit. Eam autem vt nutrix vidit, ſuſpicata raptum, dixit ei: Num te hac nocte iuuenis ille vi oppreſſit? Reſpondit illa: Nequaquàm. Cùm autem iuuenis ab equo deſcēderet eam rapturus, quidam eius ſatelles equum freno tenens, ſuam ei ad eam rem operam nauauit. Clamauit ergo virgo Lutgardis ad illum: Hac manu, qua nunc frenum tenes equi militis me infeſtantis, tale quippiam breuì deſignabis, quod tibi ignominiæ perpetuam in hoc ſeculo notam inuret. Et ecce vbì ille domum fuit reuerſus, mox ea ipſa manu propriam ſuam vxorem interfecit. Ea cauſa expulſus è patria, rebus omnibus priuatus eſt.

Cap. 3. Reſpuit militē ipſam procantem.

Prophetia eius.

Poſtquàm autem Lutgardis ad monaſterium reuerſa eſt, ab omni ferè hominum colloquio & conſolatione ſe ſubducens, tota rebus cæleſtibus inhiabat. Quibuſdam autem æmulis arctiorem eius vitam, quam imitari non poſſent, carpentibus, atque dicentibus: Sinite eam, dum feruor in motu eſt: vbì ille tepuerit, non abſq; rubore redibit ad ea, quæ nunc ſtulta contemnit: Lutgardis id audiens, cum multa humilitate ſibijpſi timere cœpit, & pauida formidare, ne fortè quandoque acciderent, quæ ætate prouectiores de ipſa dicebant. Apparuit autem ei beatiſſima Chriſti mater vultu gratulabundo, & ait: Non ſic erit, chariſſima filia, vt tu times. Non recides in peccata: ſed mea te ſolicitudine protegente, firmaberis in ſalutem: nec minuetur in te gratia & virtus, ſed cumulabitur. Fuit ea nimirùm pręclara & amplectenda promiſſio. Quando in oratione Domino ſuauiter iungebatur, & eam aliquod ingens negocium foràs euocabat, quaſi amico familiariter ei dicere ſolebat cum magna cordis ſimplicitate & puritate: Expecta me hîc Domine Ieſu: vbì me expediero, celeriter ad te reuertar. Mira profectò virginis ſimplicitas, mira Saluatoris humanitas erga illam. Paratum enim illum in omni loco dominationis ſuæ, paratum in quouis negocio experta eſt.

Cap. 4. Tota vacat Deo.

Familiaritas eius ad Chriſtum.

Eodem ferè tempore beata Catharina virgo & martyr, eius loci patrona, cum ingenti gloria apparuit illi flēti pariter & oranti. Cumq; multùm pauida ſuppliciter eā rogaret Lutgardis, vt pro ipſa Dominum deprecaretur, illa reſpondit: Confide filia. ſemper enim gratiam ſuam Dominus augebit in te, donec per ſummum vitæ faſtigiū, præcipuum inter virgines meritum conſequaris. Quodam etiam tempore eadē ſanctiſſima virgo Catharina cuidam deuotæ fœminę apparens, dixit: Lutgardem tibi interuentricem & matrem adſciſcas, quæ ab omnipotente Deo parem mihi in cælis locum obtinebit. In ſacratiſſima Pentecoſte monialibus in Choro cantantibus, Veni creator ſpiritus, ij, qui in Choro erant, perſpicuè viderunt Lutgardem ad duos cubitos in aëra ſublatam. Felicē illam, quæ tali miraculo meruit declarari: & corpore ſubleuari à terra, quæ iam anima exultans in Domino, in cælū ſuſtollebatur. Obtulit ſanè

Cap. 5.

Ieiunia & preces eius. ſeipſam quotidiè Domino holocauſtum gratuitum, corpus afficiēs inedia & ieiunijs, & ſpiritum ab oratione non relaxans. Ne autem in cordibus ſororum, quæ eam nonnihil æmulari videbantur, ſuſpicionis alicuius ſcrupulus hæreret, Chriſtus ſponſam ſuam eiuſcemodi miraculo cohoneſtauit. Cùm illa crebrò vigilias cōtinuaret, quadā nocte ſuper eam viderunt moniales non breui ſpatio quoddam luminis iubar, quod ipſum quoq; Solis ſplendorem vinceret. Quod quidem lumen intrò diffuſum, non ſolùm in illa, ſed in alijs quoque, quæ illud viderunt, vitæ gratiam augmentauit.

Cap.6. Mouebatur verò commiſerationis affectu & pietatis ſpiritu mirum in modum erga ægrotos & debiles, adeò vt ipſis afflictis condolens, plùs ipſa ſpiritu affligeretur. Contactu ſaliuæ vel manûs morbos pellit. Cōtulit ergo illi Deus ita generatim gratiam curationum, vt ſi quid eſſet vitij in oculo, vel in manu, aut pede, vel cæteris corporis membris, ad contactum ſaliuæ vel manûs eius protinùs curaretur. Cumque ea cauſa hominum multitudine & frequentia obrueretur, ſæpiusque in oratione impediretur, dixit ad Dominum: Quorſum mihi iſthęc gratia Domine, cuius cauſa toties diſtineor, ne poſſim vacare tibi? Aufer eam à me, ſed ita vt meliori munere commutetur. Reſpondit Dominus: Quid vis igitur eius loco accipere? Tum illa: Volo, inquit, vt pro maiori deuotione poſſim intelligere Pſalterium. Præſtitit hoc illi Deus. Vt enim illo tempore probatum eſt, Pſalterium tanto perſpicaciùs intellexit, quanto erat radiantiori luce illuſtrata. Sed cùm poſteà necdum tantum ex hac percepta gratia ſe proficere comperiret, quantum ſperârat, (Reuerentia enim velati myſterij, mater eſt deuotionis: & res celata, auidiùs quæritur, & maiori veneratione concupiſcitur) dixit Domino: Quorſum verò attinet me idiotam & ruſticam monialem ſcripturæ arcana nôſſe? At illi Dominus: Quid vis igitur? & illa: Volo, inquit cor tuum. Et Dominus: Quin ego potiùs, ait: & cor tuum. Reſpondit illa: Sit ita Domine, at ſic tamen, vt cordis tui amorem cordi meo attemperes, & in te cor meū poſſideam, omni tempore tua protectione ſecurum. Facta eſt igitur ab eo die quędam permutatio cordium, vel potiùs vnio ſpiritûs creati & increati per gratiæ excellentiā. Mira eam Chriſt. gratia afficit. Deinceps enim ita Chriſtus cordi virginis inhæſit, eam communiens & protegens, vt nec tentatio carnis, immò ne turpis quidem cogitatio mentem eius vel temporis puncto infeſtârit.

Cap.7. Per idem ferè tempus, cùm adhuc & corpore & ætate eſſet tenerrima, nocte quadā circa tempus nocturnarum precum, quas Matutinas vocant, ſudor eam vehemens & naturalis inuaſit. Cùm ergo à precibus nocturnis abeſſe vellet, vt poſteà ad ſeruiendū Deo fortior eſſet, credens illum ſudorem corpori ſuo ſalutarem eſſe, ſubitò ad eā vox facta eſt: Quid ita iaces? ſurge ocyùs: oportet vt pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in ſuis ſordibus iacent, non ſudori indulgeas. Tum illa exterrita ſurrexit, & inchoatis iam Matutinis, ad eccleſiam feſtinauit. In ipſo autem eccleſiæ oſtio Chriſtū obuium habuit, cruci affixum & cruentatum, qui brachium de cruce deponens, eamque amplexans, os eius vulneri lateris ſui applicuit: vnde tantam hauſit ſuauitatem, vt Ab effectu colligitur viſionis veritas. ex eo tempore in Dei ſeruitio ſemper & robuſtior & alacrior fuerit. Retulerunt autē, qui ipſa reuelante eo in tempore diù poſteà probauerunt, ſaliuam oris eius, mellis dulcedinem ſuperâſſe. neq; id mirum, quando cor illius & diuinitatis Chriſti mel, & humanitatis lac intus ruminabat.

Cap.8. Si quo cordis aut corporis incommodo eſſet grauata, ſtabat coram imagine Crucifixi, eamque diù contemplata, clauſis oculis & diſſolutis membris, non potuit pedibus In aduerſis vnde confirmata ſit. conſiſtere: ſed prorſus langueſcens, rapiebatur in ſpiritu, videbatq; Chriſtum & lateris eius cruentum vulnus: cui os ſuum admouens, tantam inde ſugebat dulcedinem, vt nulla re poſſet affligi. Accidit quandoque, vt acutiſſima febre laborans, criticis diebus è lecto ſurgens, abſq; vlla difficultate in eccleſiam cum alijs cantitura intraret. Ad recordationem illius acutiſſimi obtutûs Aquilæ, nempe Iohannis Euangeliſtæ, qui fluenta Euangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potauit, apparuit ei in ſpiritu aquila, tanto pennarum nitore refulgens, vt totus potuerit orbis claritatis illius radijs illuſtrari. Nimia igitur admiratiōe ſtupefacta, expectabat vt Dominus pro captu infirmæ aciei, tantam viſionis eius gloriam temperaret. Quod cùm factum eſſet, viſionis illius modum preſſiùs contemplans, vidit Aquilam illam ori ſuo roſtrum apponere, animamque ſuam tam ineffabilis lucis ſplendoribus complere, vt quatenùs mortales capere poſſunt, nullam ipſam diuinitatis ſecreta laterent. Tanto autem de torrente voluptatis illius hauſit vberiùs, quanto in donis munificētior Aquila vas cordis Præclarum de ea authoris teſtimonium. eius maiori deſiderio diſtentum reperit. Et certè teſtimonium ego perhibeo, licèt in familiari ſermone ſimpliciſſima videretur, nunquàm tamen me ex cuiuſquam ore in

ſecreto ſpiritali colloquio tam ſyncera, tam ignita & ardentia ſecundùm veritatis ſpiritum verba hauſiſſe, idq́; adeò, vt ad intelligenda dicta illius planè rudem & hebetem ſæpiſſimè me exiſtimârim. Memini etiamnum & loci & temporis, quando ad verborum eius ſubtilitatem vſq; adeò obſtupui, vt ſi ſuauis illa & ineffabilis admiratio diù me tenuiſſet, aut amentem me fieri oportuerit, aut è vita excedere.

Eſt Haſbaniæ oppidum, quod Loſſum vocant: ad cuius eccleſiam quædam incluſa Domino ſeruiebat, pro vitæ merito Lutgardi cumprimìs familiaris. Apud eam manſit quandoq; Lutgardis ad dies quindecim. Accidit autem, vt in orationis contemplatione tanta dulcedine afficeretur, vt accerſita incluſa, manûs ſuæ digitos illi oſtenderet, eosq; exprimens diceret: En ſoror mea, vt mecum agit omnipotens. Ex interiori abundātia etiam digiti mei exteriùs ceu oleo diſtillant. Atq; hæc dicens, quaſi ebria, & verè ebria cum geſtu & tripudio mirabili per incluſæ domicilium ferebatur. Inde ſummoperè eò adſpirauit, vt miniſterio conſecrationis per manus Epiſcopi vni viro Chriſto perfectiùs iungeretur. Obtulit autē ſeſe opportunitas, domino Huardo Leodienſi Epiſcopo complures ſanctimoniales conſecrare volente, quibus adiuncta eſt etiam Lutgardis. Vt autem earum capitibus in ſignum coronæ aureolæ pontifex ſertum ex zonis confectum impoſuit, atque ad Lutgardem ordinē peruenit, quidam vir ſanctus & ſimplex, qui illic adſtabat, perſpicuè vidit Epiſcopum grandem coronam auream Lutgardis capiti imponere, eamque præ alijs ſingulari quodam honore afficere. Cumque putaret ab omnibus id videri, quæſiuit ex vicino preſbytero, cur ſoli Lutgardi Epiſcopus coronam auream admoueret. Irriſit autem illum preſbyter, & ait: Vbi ſunt oculi tui, vt auream coronam dicas, quam omnes lineam eſſe vident? Siluit vir beatus & riſit, atque in Lutgarde ſingulare meritum animaduertit. Ab eo die ſponſo ſuo perfectiùs adhærens Lutgardis, ſequebatur Agnum, quocunque iret. Si Chriſti enim via humilitas eſt, Lutgardem videas ita eum ſequentem per hanc viam, vt ſuperbia nunquàm intumuerit. Si de paupertatis agitur via, adeò fuit paupertatis ſtudioſa Lutgardis, vt nec de quotidiani panis alimonia cogitare voluerit. Si Chriſti via eſt miſericordia & humanitas, fateor equidem in hac vita neminem me vidiſſe illa magis miſericordem. Si via Chriſti crux eſt & tribulatio, adeò ſe ieiunijs & multis modis afflixit Lutgardis per omnem vitam ſuam, vt nulli noſtræ ætatis neque viri, neque fœminæ ei hac in parte poſſint æquiparari. Denique per viam incorruptionis & virgineæ integritatis ſecuta eſt agnum ad gloriam, qua ille via præceſſit, virgineas cohortes ſui habens imitatrices. Vide autem, quid Agnus ei rependerit. Aequum eſt enim ſponſum ſponſæ vicem reddere. In monaſterio S. Catharinæ qualibet ſexta feria in Veſpertinis precibus, quas Veſperas vocant, in beatiſſimæ virginis Mariæ honorem certo numero deputatæ reſponſorium cum verſu cantabant. Eum autem verſum deuotionis cauſa Lutgardis ſola cantare ſolebat: videbaturque ei interim dum cantaret, Chriſtum in agni forma vnum pedem ſuum dextro, alterum ſiniſtro ipſius humero imponere, atque os ori applicare: ſicque cantando cùm ex Chriſti pectore ſugeret, mirabilem melodiæ ſuauitatem reſonare. Nec dubitare quiſquam potuit diuinum in hoc cantu adeſſe miraculum, cùm in ſolo verſu illo vox eius ſuprà quàm dici queat, ſolito gratior audiretur, & corda audientium ad deuotionem & pietatem interim mirabiliter permouerentur.

Cap. 9. — *De ebrietate ſpiritûs dicit, quam Ambroſius ſobriam vocat.* — *Chriſtum agnum vt præclarè ſecuta ſit.*

Et quia talem lucernam ſub modio latére par non erat, poſita eſt ſuper candelabrū, vt fulgor gratiæ omnibus appareret, factaque eſt Prioriſſa in eodem beatiſſimæ Catharinæ monaſterio, vno omnium conſenſu electa. Non enim habebat eius loci conſuetudo, vt Abbatiſſam ſibi crearent. Sed cùm hac in re grauiſſima ſe affectam iniuria arbitraretur, decreuit & locum & inſtitutum mutare. Intereà accidit, vt Abbas S. Trudonis, pater ſcilicet ſpiritualis eius monaſterij, à generali Lateranenſi Concilio veniens, cum proceſſione à monialibus exciperetur. Fuſa autem oratione in eccleſia, moniales omnes ad domum capitularem euocauit, & vt parùm cauta inter ſimplices cōſuetudo obtinuit, ſingulas oſculo excepit. Sed cùm Lutgardis Prioriſſa oſculari eum deberet, prorſus renuit: attamen per iocum ab omnibus retenta, paſſa eſt illud vi ſibi extorqueri: ſed benigniſſimus Ieſus ita manum ſuam interpoſuit, vt ne primi quidem motûs contagionem ex eo oſculo perſenſerit. Fuit ea in illo monaſterio annis circiter duodecim monialis: eratque eodem tempore magiſter Iohannes Lyranus, Leodienſis diœceſis, vir eximia ſanctitate, qui nō ignorans perfectiſſimum animi eius propoſitum, admonuit eam, vt abdicato Prioriſſæ officio, ad Aquirianum Ciſtertienſis ordinis monaſterium ſe transferret. Opponente illa diuerſum Gallicarum monialiū

Cap. 10. — *Præficitur virginum monaſterio.* — *Iohannes Lyranus vir ſanctiſſim.*

idioma,eiuſdemq; Ordinis monaſterium in Herkenrode,'vbi ſermone Teutonico vtebantur,potiùs deligente,Dominus ait ad eam: Volo,vt Aquiriam petas:niſi feceris, ego te deſeram. Quædam etiam ſanctiſſima virgo Chriſtina,cuius meminit Iacobus ille venerabilis in vita beatæ Mariæ de Oegnies,cuius etiam vitam nos ſcripſimus, diuinitùs compulſa eam adijt,dixitq; ei: Quid cunctaris facere, quod diuino inſtinctu iuberis? Obijciente illa eadem, quæ diximus, quæq; ſecundùm hominem ſatis rationabiliter obijcere videbatur: Chriſtina,Deo inſpirante,mox reſpondit: Ego verò vel apud inferos mâllem eſſe cum Deo,quàm in cælo cum angelis ſine Deo. Rectè nimirũ & congruenter illi reſpondit. Chriſti enim præſentia quenuis locum, quantumuis inuiſum,ſummè efficit delectabilem,atque ideò meritò appetendum. Igitur Chriſtinæ verbis confirmata Lutgardis,ad omnia paratam ſe offert, parensque ſupradicti magiſtri Iohannis admonitioni,Aquiriam ſe contulit ſumma animi tranquillitate. Eſt verò monaſterium illud in Ducis Brabantiæ regione. Vbi autem id reſciuerunt moniales S.Catharinæ,ſummo dolore affectæ ſunt. Quod cùm Lutgardis comperiſſet, condoluit eis,Dominoq; pro illis ſupplices preces obtulit. Oranti autem apparuit beatiſſima mater Dei,congratulabaturq; ei,quòd monaſterium & Ordinem ipſi ſpecialiter addictum complexa eſſet,promittebatq; ſe monaſterium S.Catharinæ,propter ipſius preces, & temporaliter & ſpiritaliter promoturã. Quod quidẽ in illo monaſterio vſq; in hodiernum diem ſic contingere videmus, quando illius Ordinis vbique tepeſcente diſciplina, iſthoc monaſteriũ magis, quàm vnquàm anteà, virtutibus floret, & rebus temporalibus copioſiùs auctum eſt. Sed hic primi libri finis eſto, qui ea continet, quæ Lutgardis in S.Benedicti ordine geſſit,vt ad librum ſecundum expeditiori ordine procedamus

Chriſtina mirabilis.

Confert ſe Lutgardis ad Aquiriæ cœnobium.

LIBER II.

Cap. 1.

CVM autem fama virtutũ Lutgardis vndiq; increſceret,noua monaſteria in Gallijs conſtruebantur,quæ,ſi vel parum aliquid Gallicè didiciſſet,mirum in modũ eam ſibi præfici cupiebant. Vbi ea id cognouit,multùm exhorruit,rogauitq; cũ lachrymis matrem Domini,vt id auerteret. Apparuit autem ei mater Chriſti, dicens,ne quicquã formidaret: ſe enim ſcutum protectionis ſuæ oppoſituram. Vide aũt,oro te,Lector,quo pacto iſthuc impeditũ fuerit, & videbis viſionis huius puriſſimã veritatẽ. Vix annum ætatis quartum & vigeſimum attigerat,quando venit in Aquiriam,& tamen licèt poſteà annis quadraginta inter ſodales Gallicas vixerit,vix tantum potuit eius idiomatis perdiſcere, vt eſuriens commodè poſſet Gallicè panem petere. Quod vbi ad omnium notitiam peruenit,permiſſa eſt ſponſa Chriſti in ſomno contemplationis quieſcere.

Non poteſt Gallicè diſcere loqui, non ſine miraculo.

Cap. 2.

Imminente peſte ſæuiſſima Albigenſium hæreticorum,beatiſſima virgo Maria apparuit ei vultu lugubri & obſcurato. Compatiens autem ei in viſione Lutgardis, cum magno cordis & oris rugitu quæſiuit ab ea,quidnam haberet, & vnde tantus eſſet faciei pallor & ſquallor,quæ alioqui plena eſſet omnis gratiæ. Cui beatiſſima Virgo reſpondit: Ecce ab hæreticis & pſeudochriſtianis rurſus conſpuitur, rurſus crucifigitur filius meus. Tu ergò aſſume tibi lamentum,& perpetuis ſeptem annis ieiunato, vt ſopiatur ira filij mei,quæ generatim vniuerſo imminet orbi. Itaq; toto ſeptennio tale illa ſibi indixit ieiunium,vt pane & cereuiſia contenta eſſet. Vide autem ingens miraculum. Sæpè ſuperiorum voluntate coacta,tentabat aliquid pulmenti ore haurire,ſed nihil inde vel ad fabæ vnius quantitatem potuit deglutire. Etſi autem ipſa mira quadã & incredibili abſtinentia ſeſe afficeret,at tamen lætabatur cęteras ſorores cõmodum habere victum,dicebatq; totum menſem rectiùs ſe valere, ſi vel ſemel paulò largior cibus illis appoſitus eſſet. Sciebat enim & fatebatur non poſſe omnes id pręſtare,quod ipſa ſingulari beneficio pro multorum remedio diuinitùs accepiſſet. Quanto autem magis ſua continuabat ieiunia,tanto fuit & corpore & animo robuſtior.

Hæreſis Albigenſium.

Septenne ieiunium ſibi indicit.

Cap. 3.

Cùm Iacobus de Vitriaco,vt ipſe refert in vita beatæ Mariæ de Oegnies,eius venerabilis fœminæ precibus concionandi gratiam eſſet adeptus,religioſam quandam mulierem,eamque ægrotam,non quidem turpi,ſed tamẽ plùs ſatis humano amore proſequebatur,eratque illi cõſolandæ ita aſſiduè intentus,'vt prædicationis munus ſegniter negligeret. At pia Lutgardis vinculum cordis eius & machinas diaboli in ſpiritu ſentiens,cum multis lachrymis Dominum pro illo deprecata eſt. Sed cùm orando nihil

nihil proficeret,& Dominum quaſi crudelem ea cauſa argueret, Dominus ei reſpondit: Homo iſte, pro quo oras, ea conatur, quæ ſunt contraria precibus tuis. Quod vt audiuit Lutgardis, impatientiùs ſe gerens, magnis vocibus clamauit ad Dominum: Quid eſt hoc, quod agis benigniſſime & iuſtiſſime Domine? Aut ſepara me à te, aut hominem, pro quo te rogo, libera etiam non volentem. Mira res. Nulla mora inter preces & effectum earum interceſſit: ſed penitùs & protinùs liberatus ille, liberatori ſuo & famulæ eius gratias egit. Tumque apertis oculis iam liberatus, ſenſit periculum, quod anteà, humano cæcatus amore, videre non potuit. Nec grande poſteà tempus euolutum eſt, cùm ille venerabilis Iacobus in tranſmarinis locis Achonēſis Epiſcopus creatus eſt. Nota eximiam charitatem.

Per idem ferè tempus Simon quidam, vir nobilis, Teuto natione, literis egregiè inſtitutus, Ciſtercienſem Ordinem complexus, Abbas Foniacenſis factus eſt. Etſi autem ille ferueret deſiderio, tamen acerbiori zelo in ſubditos inuehebatur, morteq; immatura deceſſit. Habuit is, cùm viueret, Lutgardem pro vitæ ſanctimonia chariſſimam, multumque ei ſua morte mœrorem attulit. Sed vbi defunctum cognouit, mox ieiunia & afflictiones pro eo ſuſcepit, rogans Dominum, vt animam eius liberaret. Cumque multis precibus id à Domino contenderet, reſpondit ei Dominus: Bono animo eſto: tua cauſa benignè faciam ei, pro quo oras. At illa vehementiùs inſtans, ſecundò audiuit eum propediem liberatum iri. Dixit verò ad Dominum: Quicquid mihi vis impertiri ſolatij, id illi animæ in Purgatorio largiaris: neq; ego vllo pacto ceſſabo à lachrymis, nec tuis conſolationibus vnquàm me patiar recreari, niſi illum videam liberatum. Tum verò non eſt paſſus Dominus eam diutiùs affligi, ſed apparens illi, adduxit ſecum animam è pœnis ereptam, dixitq; ei: Aequo animo eſto dilecta: ecce hęc eſt anima, pro qua poſtulas. Illa mox humi proſtrata in faciem, pro eius liberatione Dominum benedixit. Anima autem exultabunda & laudās, Lutgardi gratias egit, & ad potiora tranſiens, cum magna gloria cœlos penetrauit. Is idē Simon poſteà Lutgardi crebrò apparuit, & inter cætera dixit ei, vndecim annos ſe in Purgatorio pœnas fuiſſe luiturum, niſi ipſa ſuis precibus ſibi opem tuliſſet. Cap. 4. Abbatis animam è pœnis purgatorijs multa vi precū liberat.

Spiritu timoris adeò fuit inſignita hæc virgo, vt cum beato Iob quaſi tumentes ſuper ſe fluctus Dominum timeret, & omnia opera ſua, tanquam in dubio facta, vereretur. Diù itaq; eiulans, quotidiè Dominum precabatur, vt ipſam etiā in hac vita certam efficeret. Hoc deſiderio cum multo tempore æſtuaret, die quodam vocem audiuit apertiſſimè ad ſe dicentem: Secura iam eſto chariſſima: placet Deo vita tua. Ad horam igitur exultās, deinde nihilo minùs, vt anteà, formidoloſa fuit. Dixit ergo ſecūdò vox ad eam: Viſne dominā Mariam de Roma, ſecuritatis tuæ teſtem tibi dari? At illa: Nō, inquit: nimis religioſa eſt, diuq; mihi iam anxiæ differret reuelare, quæ nôſſet. Et vox diuina: Interim ergo, inquit, tranquillo animo eſto chariſſima: propediem reddêris & manifeſtè & omninò ſecura. Vix quatuor lapſi erant dies, cùm ecce vir quidam ſpectabilis, ſed omnibus ignotus, in locum illum, vbi inter ſe colloquebantur ſorores, ingreditur, ſalutatiſq; omnibus, Lutgardem vt citiùs acceſſiant, rogat. Eam venientem ſalutat, cunctiſque audientibus dicit: Hæc tibi mandat omnipotens: Deinceps ſecura eſto, quia Domino in te benè complacuit. His dictis, repentè diſparuit: nec neceſſe erat quærere, vnde veniſſet, vel quiſnam fuerit. Non diù pôſt homo quidam ſanctiſſimæ vitæ, diuina reuelatione edoctus, in Aquitiam veniens, eam in ſupradictis conſolationibus confirmauit. Cap. 5. Sancti trepidant, & impij ſecuri ſunt. Iob. 31.

Iam igitur animo feruentiori cupiens exire è corpore, & migrare in cęlos, quotidiè lachrymas fundebat. Dominus autem clamoribus eius modum ponere volens, celeriter apparuit ei, vulneribusq; manuum ac pedum & lateris detectis, dixit: En contemplare chariſſima, vt vulnera mea clament ad te, ne fruſtrà ſanguinem fuderim, néve ſine cauſa mortem perpeſſus ſim. His & viſis & auditis Lutgardis admodùm exterrita, cum timore & tremore quæſiuit, quis ille eſſet vulnerum Chriſti clamor. & reſponſum eſt ei: Labore tuo & lachrymis iram Patris iam acceſam mitigabis, ne perdat peccatores, ſed vt ipſius miſericordia conuertantur & viuant. Cap. 6. Chriſtus ei apparet.

Hoc ferè tempore Dominus Innocentius Papa tertius, poſt celebratum Lateranēſe Concilium ab hac vita migrauit, moxq; apparuit viſibiliter Lutgardi. Illa autem vt vidit eum ingenti flamma cinctum, quiſnam ſit percontatur. Reſpondit ſe eſſe Innocentium Papam. Et illa cum gemitu. Quid hoc eſt, inquit, communem omnium noſtrûm patrem tam dirè cruciari? Reſpondit ille: Tres ob cauſas ita crucior, quæ etiam æternis ſupplicijs me iuſtiſſimè addixiſſent, niſi per interceſſionem pijſſimæ matris Cap. 7. Innocētius 3. poſt obitū apparet ei.

Dei,cui monaſterium condidi,in extremis me pœnituiſſet. Et æternam quidem mortem euaſi,ſed pœnis atrociſſimis vſq; ad iudicij diem cruciabor. Quod autem ad te ſuffragia petiturus venire potui,mihi à ſuo filio mater miſericordiæ impetrauit. His dictis,confeſtim diſparuit. Lutgardis verò eius neceſſitatem ſororibus, vt ei ſuccurrerent,indicauit:porrò admodùm dolens vicem eius,mirabili ſe cruciatu illius cauſa affecit. Nouerit Lector nos,reuelante nobis Lutgarde,tres illas cauſas non ignorare,ſed pro tanti Pontificis reuerentia referre noluiſſe.

Cap. 8. Item Iohannes Lyranꝰ. Alia viſio per idem propè tempus oblata eſt Lutgardi. Venerabilis Iohannes Lyranus,cuius ſuprà meminimus,cum ea pactum inierat,vt qui prior è vita migrâſſet, ſuperſtiti poſt obitum appareret. Itaque Iohannes hic Romanam curiam,ob quædam negocia religioſarum fœminarum,quas in Branbantia æmuli vexabant, adiēs, Alpes cùm attigiſſet,vita functus eſt. Eodem autem tempori puncto apparuit viſibiliter Lutgardi,in monaſterij ambitu ſtanti. Illa viuere eum exiſtimans,manu innuit, vt peteret locum,vbi ſolebant inter ſe ſorores conferre ſermones. At ille dixit: Ego è corpore deceſſi:ſed vt veritati,quæ ex pacto inter nos interceſſit,ſatisfacerem,tibi apparui. Tū illa humi proſtrata,ſciſcitabatur ex eo,quid ſibi vellet triplex indumentum, quo mirificè erat ornatus. Reſpondit: Veſtimentum candidum virginitatem ſignificat,quam ab vtero impollutam ſeruaui. Rubicundum,labores & perpeſſiones, quæ mihi mortem attulerunt,quæque multo tempore pro iuſtitia & veritate ſuſtinui. Cæruleum idemq; extimum, vitæ ſpiritualis perfectionem. His abſolutis, ab oculis admirantis ablatus eſt. Illa autem & viſionem & obitum eius ſorori illius & cæteris monialibus indicauit. Cùm autem poſteà venerabilem virum,licet in cælis beatum,tamen ſibi ablatum fleret,ſub ipſo luctu Dominus ei dixit: Cur fles Lutgardis, & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non melior ſum tibi quàm decē filij? Illa non intelligens,quippe illiterata monialis, vbi ab alijs explanata didicit, non planxit ampliùs, ſed in eius morte Dominum benedixit.

Cap. 9. Iterùm ſeptenne ieiunium ſuſcipit. Expletis ſeptem illis annis,quibus non niſi pane & cereuiſia vſa fuit, rurſus ei per reuelationem mandatum eſt, vt pro cunctis peccatoribus aliud ieiuniū ſuſciperet. Quod illa libēs fecit, iterumq; alios ſeptem annos ſolo pane & olere tranſegit. Rapta autem in ſpiritu, vidit ſalutis noſtræ principem Ieſum cum vulneribus tanquam recens inflictis atque rubentibus vultui paterno adſtare, & pro peccatoribus deprecari patrem: deinde autem vertere ſe ad ipſam atq; dicere: Cernis, vt me totū offerā patri tuo pro peccatoribus meis? Ita ergo volo, vt tu quoq; te mihi totam offeras pro meis peccatoribus,& zelum in illorum animaduerſionem accenſum auertas. Hoc idem Dominus Ieſus in Miſſæ ſacrificio quotidiè ferè illi dicebat. Præclarum autem de illa eſt teſtimonium beatæ Mariæ de Oegnies. Sub cælo, inquit illa, non habet mundus dominā Lutgarde fideliorem efficacioremq; tum pro animabus,quæ in locis Purgatorijs ſunt, tum pro peccatoribus precatricem. Spiritalia miracula facit modò viuens, corporalia faciet poſt obitum.

Mariæ Oegniacen. teſtimonium de ea.

Cap. 10. Quædā valdè religioſa ſanctimonialis in reuelationibus quibuſdā,quas ipſa diuinas putabat,à ſatana fallebatur. Id vbi didicit Lutgardis,rogauit Dominum pro ea. Cui ille reſpondit: Illuminare ijs,qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Ea verba cùm ipſa non intelligeret,à quadam moniali quæſiuit,quid ſignificarent. Poſtquàm ea interpretante cognouit,inſtantiùs rogauit Dominum. Apparuit autem ei ſatan,& dixit: Ego ſum ſpiritus mendax, qui illam monialem decipio. Cui illa, Abi,inquit,ad fratrē Simonem,qui eſt in Alnenſi monaſterio,& idem ei quoq; referas, vt habeam teſtem veritatis. Obtemperat diabolus, & frater Simon venit in Aquiriam. Erat autem Simō ille plenus ſpiritu Dei,&, vt liber vitæ eius teſtatur, permulta ei Dominus reuelauit. Ambo ergo illi ex diuina reuelatione inter ſe conſentientes,moniali illi protinùs mādauerunt. Illa mox membris omnibus obriguit & contracta eſt,adeoq; os eius obſtruebatur, vt nec cultello poſſet aliquatenùs aperiri. Quod vt viderunt aliæ, multo horrore correptæ,flexis genibus pro illa Dominum deprecabātur. Vbi ab oratione ſurrexerunt,confeſtim illa curata eſt,ſumensq; cibum,cōfortata eſt: atq; ab illo die ab illo impoſtore ſpiritu liberata eſt. Tantis autem poſteà meritorū prærogatiuis, vt ego ipſe vidi,excelluit, vt non ſolùm ipſa illuminata in tenebris dici poſſet,ſed etiam multos alios in tenebris degentes,morum exemplis illuminârit. Vidi ego monialem quandam Ciſtertienſis Ordinis,multis annis à dæmone vexatam, quam ad ſe adductam, multa precum ſuarum inſtantia liberauit. Vidi etiam aliam à nequiſſimo dæmone permultis annis incredibili libidine pollutam,atque eius precibus ereptam.

Eius monialis mira mutatio.

Monia-

Monialis quædam Benedictini instituti, Iolendis nomine, in monaſterio, quod Sambræ adiacet, degens, mundi illecebris dedita fuit: hortatu autem piæ fœminæ, ad Aquirianum monaſterium conuolauit. Erat genere nobilis & delicatiſſimo corpore. Pro ea Lutgardis Dominum inſtantiſſimè orauit, vt & peccata ei remitteret, & gratiam deuotionis infunderet. Non potuit Chriſtus negare deprecanti, quod petijt. Perducta eſt Iolendis illa ad ſanctæ conuerſationis ſtatum: cumque illic annis plurimis Domino ſeruijſſet, ipſo reuelante præſciuit obitum ſuum. Accedens itaque ad Lutgardem matrem in Chriſto & dominam ſuam: Pro me, inquit, Dominum multa inſtantia depreceris: iam enim aduentat finis vitæ meæ. Reſpondit Lutgardis: Intrepida expecta Dominum. certa ſum enim clementer eum acturum tecum, & à pœnis, quas reformidas, breuì te extracturum. Tu verò poſt obitum reuertaris ad me, ſed primùm dicito, Benedicite: deinde orationem Dominicam cum angelica ſalutatione recites, ne ſuo more diabolus aliquod figmentum adducat. Mortua eſt ergo, vt prædixerat, Iolendis cum ingenti ſpiritus feruore, & necdum triginta dies abierant, cùm illa oranti Lutgardi apparuit, & primò, Benedicite: deinde cætera dixit. Lutgardis ergo reſpondens, Amen, mox ſubiunxit: Quomodò habes? At illa: Dominus, ait, nō eſt me abominatus propter enormitatem peccatorum meorum, ſed tua cauſa magnam mihi prēſtitit miſericordiam. Quod vbi dixit, repētè abſceſſit: Lutgardis verò cum multis lachrymis diuinam erga peccatores clementiam laudauit. Eius quoque ſoror ſecundùm carnem, poſt mortem ad Purgatorium migrans, priuſquàm Lutgardis quicquam de eius deceſſu cognouiſſet, lamentabili voce in aëre clamauit: Miſerere chariſſima ſoror, miſerere meî, nec mihi neges miſericordiam, quam alijs animabus impendis. Intellexit illa in precibus proſtrata ſororis animam precum ſuffragia expetere, moxq; a cunctis ſororibus exegit, vt multis, quas vocāt, diſciplinis vel flagellorum ictibus & orationibus eam adiuuarent. Cap. 11. Lutgardis ſuis precib magnam gratiam impetrat moniali diſſolutæ.

Eodem ferè tempore, ſingulis Dominicis diebus, quemadmodùm hortatur beatus Auguſtinus, Chriſti corpus percipiebat: ſed Agnes Abbatiſſa, parùm cauto vſa cōſilio, id ei interdixit. At pia Lutgardis: Ego quidem, inquit, mater chariſſima, libenter obediam tibi: ſed certiſſimè præuideo Chriſtum hanc iniuriam in tuo corpore vlturum. Confeſtim Abbatiſſa intolerabili morbo afficitur, vt in eccleſiam ingredi nō non poſſet: nec ceſſauit dolor per momenta increſcens, donec indiſcretionis ſuæ culpam agnoſceret, & Lutgardem ſineret priſtino more vti. Aliæ quoque, quæ hac in re cōtra illā erāt aduerſatæ, aut notabiliter ex hac luce ſubtractæ ſunt, aut humilitatis ductæ ſpiritu, ſe ad illam conuerterunt. Nimirùm dignus zelus ſponſi in improbos ſponſæ ſuæ perturbatores. Cap. 12. Abbatiſſa negans ei Euchariſtiā punitur.

Cùm quædam ſoror in extremis cum morte diriſſimè luctaretur, apparuit Lutgardi dęmon inſultans & dicens: En exagitaui ſororem illam: ſed cùm veniſſet populus, nihil ampliùs in eam potui. Populum dixit, conuentum ſororum, quæ ob commendandam Deo illius animam eò venientes, vires dæmonis precibus eneruārunt. Sanctum ergo & pium eſt aſſiſtere morientibus, & eos aduersùs dæmones, qui finis noſtri calcaneo inſidiantur, orationibus adiuuare. Crebrò ſolebant ad Lutgardem venire dæmones, & funeſtum aut triſte aliquid nunciare. Illa verò cōſpuebat eos, & verbis importunos, Crucis ſigno depellebat. Adeò autem dæmones illam formidabant, vt ipſum etiam locum orationis eius, haud ſecùs atque candens ferrum, attingere nō auderent. Et ipſa quidem cùm nec pſalmos intelligeret, nec quicquam de ſcripturis, dum tamen ruminaret verſum illum, Deus in adiutorium meū intende, & alios quoſdam Pſalmorum verſus, videbat dæmones cum multo horrore diffugere, & à malis ſuggerendis ceſſare. Vnde intelligebat, virtute verborum etiam à ſe non intellectorum, dæmones profligari, & eorum in tentationibus vires debilitari. Cap. 13. Morientes debent precibus iuuari. Dæmones eam reformidant.

Mirum in modum ad omnem animi perfectionem adſpirabat. Itaque dicendis precibus Canonicis ſiue horarijs ſummoperè in id incumbebat, vt non ſolùm malas, ſed etiam bonas cogitationes à ſe excluderet, &, quod in mortali corpore impoſſibile eſt, ijs ſolis, quæ diceret, animum occuparet. Sed cùm id efficere non poſſet, grandes inde in eius pectore exiſtebant ſcrupuli, & tanquam nihil dixiſſet, cœpit ſingulas horarias preces bis terque repetere. Adeò verò hæc res animam eius afflixit, vt nullus amicorum eam poſſet conſolari. Fiebant autem ab amicis ad Deum preces pro illa, vt eam Dominus his ſcrupulis liberaret. Et ecce præter omnium expectationem, inſtar Amos prophetæ induit Dominus opilionem ouiculas ſequētem, & poſuit verbum in ore eius. Ille mox relictis ouibus, homo planè rudis, ad tredecim milliaria cōficiens, venit in Aquiriam: accerſitaque Lutgarde, cæteris audiētibus dixit. Hæc dicit Cap. 14. Scrupulis vexatur dicendis precibus. Amos 7.

Per opilionem liberatur. Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore aut ſcrupulo angaris. Placent Deo preces tuæ, & gratæ ſunt in conſpectu meo. His dictis, ille repente aufugit, nec dabatur opportunitas, quiſnam eſſet, inquirendi, aut aliquid prætereà cognoſcendi. At poſteà tamen, quis eſſet, reſcitum eſt. Dominus quoq; per ſeipſum dixit Lutgardi: Nihil poſthàc formides: ego hunc in re ſupplebo defectum. Tum illa vtrobique Dominum locutum eſſe ſentiens, tranquillitati ſe dedit, nec vllum poſteà ea in re inordinatum ſcrupulum paſſa eſt.

Cap. 15. Nemo facilè crediturus ſit, quanta ſpiritûs alacritate in decantandis precibus illis Domino ſeruierit. Die quodam ſub Veſperarum precibus cum cæteris cantante illa in Choro, monialis quædam ſtans è regione, oculis ſuis perſpicuè vidit corporeæ lucis flammam ab eius ore profectam, ſurſum ferri & aëra penetrare. *Viſio cuiuſdam ſancti monialis.* Qua inuſitata viſione monialis conſternata, ferè exanimata eſt. Finitis autem Veſpertinis precibus, Lutgardis eam blandè conſolans, tandem adhuc trepidanti dixit: Nolo te filia chariſſima hac viſione terreri. Noueris itaque reuerà diuinitùs eam contigiſſe. Mirabantur plerique ſpiritales homines, quomodò in tot rebus præclaris & admirandis humanam gloriam calcare poſſet: ſed quemadmodùm ego ab eius ore accepi, adeò intus plena fuit ſpiritali & ſolida gloria, vt nulla eam extrinſecùs vana gloria infeſtare poſſet.

Cap. 16. Fuit verò etiam diſcretione præcipua, quod res ſequens docebit: Quodam Dominico die cùm ſacram Euchariſtiam accepiſſet, & reliquiæ cogitationis diem feſtum in ea agerent Saluatori, ita vt moleſtum ei eſſet ad menſam pro corporeo alimento capiendo accedere, ita ait ad Dominum: Domine Ieſu, non eſt mihi iam opportunum tuis delicijs occupari, ſed vade ad ſororem Elizabeth, quæ nec vna hora à cibo abſtinere poteſt, illiuſque interim animum occupa, me autem patiaris cibum corpori ſuſtentando neceſſarium accipere. Elizabeth eiuſmodi laborabat morbo, vt crebrò & interdiù & noctibus eam cibo refici oporteret. Et ecce pijſſimus Dominus illi obediens, mox ad Elizabeth ſe contulit, eiuſque pectus tanta ſuauitate cōpleuit, vt ab eſca, præter ſuam conſuetudinem, longo temporis ſpatio ſine vlla moleſtia abſtineret. Poteſt hinc facilè eius magna diſcretio animaduerti, quòd etiam ſpirituali occupatione corpus ſuum debilitare noluit, conſultius exiſtimans, ſeruare illud multis alijs perferendis laboribus, qui animarum ſaluti prodeſſent, quàm tempore non ſuo, cùm omnia tempus habeant, in ſui deſtructionem inutiliter fatigari. *Eccl. 3.* Elizabeth autem, quæ, vt diximus, non ſolùm crebrò admodùm edere cogebatur, ſed ea etiam erat virium imbecillitate, vt nullo modo pedibus ſubſiſtere poſſet, ſed perpetuò decumberet: experta Lutgardis virtutem, cum multa inſtantia rogauit eam, vt à Domino ipſi impetraret vires ſurgendi è lecto, & cum alijs faciendi quæ facienda eſſent, quò ſic ante vitæ ſuæ finem Domino Ieſu Chriſto pleniùs ſeruire poſſet. Rogauit ergo illa Dominum, qui ei in hæc verba reſpondit: Eleuare, eleuare filia Hieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius. Et ita factum eſt, vt Dominus ait: Eleuata enim illa eſt è lecto ægritudinis ſuæ, in quo iacuerat iam multis annis, ſurrexit indefeſſa ad ferenda onera Ordinis ſui, & perfectiſſima ſanitate diù poſteà Chriſto Domino ſeruiuit. *Precibus ſuis obtinet ſanitatem ægrotæ.*

Cap. 17. Cogitabat quandoque de eo, qui talem à peccatoribus ſuſtinuerat afflictionem, miroque inflammata eſt deſiderio Chriſto vicem reddendi, & pro illo martyrium obeundi. Sed quia tempus martyrij velut hyems iam tranſierat, imber abierat & receſſerat, Chriſtus aliud genus etiam corporalis martyrij ei præparauit. Accidit igitur nocte quadam, vt abſoluto Completorio, ante lectum ſuum ſtaret in dormitorio precibus occupata. Ibi tum miro quodam & ineffabili modo cœpit deſiderare, vt inſtar Agnetis virginis poſſet pro Chriſto ſanguinem ſuum fundere. Cumque eo deſiderio vſqueadeò arderet, vt iam ſe morituram præ eius ardore exiſtimaret, rupta eſt vena, quæ extrinſecùs cordi oppoſita eſt. *Præ martyrij deſiderio rumpitur vena eius.* Indè verò tam multus dimanauit ſanguis, vt tunicæ eius & cucullus eo abundè maderent. Itaque debilitata, paululùm reſedit, moxque Chriſtus illi apparuit vultu gratulabundo, & ait: Pro feruentiſſimo martyrij deſiderio, quod in ſanguinis huius effuſione habuiſti, idem cum beatiſſima Agnete martyre in cælis præmium conſequêris. Eius enim martyrium tuo deſiderio in ſanguine compenſâſti. O verè beatiſſimam fœminam, quam Chriſtus ipſe pacis tempore corona martyrij dignam prædicauit. Eius rei teſtes fuêre, quæ eius lauerunt veſtes. Teſtis fuit cicatrix ruptæ venæ, quæ in ea permanſit ad eum vſque diem, quo felix eius anima ab hac luce migrauit. Annos tunc habuit octo ſupra viginti, quando hæc ei contigerunt.

Machti-

Machtilidis matrona nobilis, ex territorio Leodienſi orta, filios milites hæredes relinquens, in Aquiriæ monaſterio Domino ſeruiebat. Ea iam & ſenio & virium infirmitate confecta, ſurda prorſus erat. Cùm autem die quodam ſolenni moniales alta voce canerent, idque ſigno quodam vna ex monialibus huic ſurdæ indicaret atque illa ſignum intelligens, ſuam ploraret ſurditatem, pia Lutgardis ad eam accedit, rogat cur ploret. Et illa, Ego, inquit miſerrima lugere non debeo, quæ adeò obſurdui, vt etiam ſolennem cantum, quo Deus colitur, audire non poſſim? Mox Lutgardis eius miſerta, ad preces parumper ſe inclinat: inde ſurgens, & duos digitos ſuos ſaliua imbuens, auribus ſurdæ admouet. Mira res. Confeſtim illa cum fragore quodam aurium obſtructionem perrumpi audit, & ex tanto miraculo virtutem Lutgardis colligens, Dominum magnificè benedicit. Cap. 18. Surdā precibus & ſaliua ſua ſanat

Quoties rapta in ſpiritu Lutgardis, Dominicæ paſſionis recordabatur, videbatur ſibi re ipſa toto corpore ſanguine perfuſa. Id vbi quidam religioſus presbyter ſecretiùs audiuit, obſeruans tempus opportunum, quo dubium non erat eam Christi paſſionem commemoraturam, acceſſit ad illam ſub diuinarum rerum contemplatione ad parietem incumbentem: viditque faciem eius & manus, quæ ſolæ videri poterant, tanquam recenti ſanguine tinctas rubere. Porrò vt etiam cincinnos quaſi guttis noctium infuſos ſanguine vidit, clàm forfice aliquid præcidit, & ad lucē adducens, ſupra modū attonitus admirabatur. Interim Lutgarde ab illo mētis exceſſu ad ſe reuertente, cincinni quoque in manu ſtupentis presbyteri ad naturalem colorem ilicò reducuntur. Ea re ſuprà, quàm credi poſſit, presbyter obſtupefactus, parùm abfuit, quin ſupinus corrueret. Cap. 19. Res mira.

Miles quidam & opibus & nobilitate conſpicuus, filiam monialem in Aquiria habuit. Quæ cùm non ignoraret illum multis flagitijs coopertum, eò adduxit, vt Lutgardem rogaret, vt pro ipſo Dominum deprecaretur, ipſumque, vt in eiuſmodi moris eſt, in ſpiritualem filium reciperet. Fecit ille, quod filia monuit, & Lutgardis eius preces admiſit, contulitque ſe ad deprecandum pro illo Dominum. Apparuit autem ſatan cuidam moniali eius monaſterij, dixitque ei: En domina Lutgardis nititur ex vinculis meis Reinerum militem, qui mihi tot annis ſeruiuit, eripere. Nitatur ſanè: ſentiet ſe non parui temporis laborem ſuſcepiſſe. Ego verò etiamſi nihil aliud, vel hoc vnum efficiam, vt in camino paupertatis vratur cor eius, & tabeſcat anima illius perinde vt ſolet caro in patella torreri. Et ecce tibi vera dicentem mendacij patrem. Quanuis enim per id tempus eſſet mirè opulentus vir ille, adeò tamen breui opes omnes dilapſæ ſunt, vt abſumptis primò mille quingentis promptæ pecuniæ libris, ac deinde diſtractis poſſeſſionibus, ad eam egeſtatem redactus ſit, vt in ſumma neceſſitate vix panis ei ſuppeteret. At interim tamen ea animi moderatione & patientia eam tulit inopiam, vt nullus ambigeret Lutgardis preces ei adeſſe. Hunc nos in Affliginienſi cœnobio, quo illius inſtituti nullum eſt rectius, & religioſius conſtitutum, monachum vidimus, quem pro admiranda conuerſatione in tali ætate & patientia omnes venerarentur. Hoc verò & id genus alijs modis Lutgardis precibus ſuis permultos è ſatanæ laqueis extraxit, & ad emendatioris vitæ ſtatum perduxit. Cap. 20. Nobilē opulentum, ſed valde flagitioſum conuertit precibus ſuis.

Puella quædam Ordinis Ciſtertienſis grauiſſima tentatione laborans, ante multos annos vidit in ſomnis apparere ſibi Lutgardem, dictumque illi eſt, eius precibus ſe liberatum iri. Poſteà multo euoluto tempore venit in Aquiriam, agnouitque Lutgardis faciem, quam tamen non niſi in ſomnis viderat. Multa autem precum inſtantia eā Lutgardis ab omni tentatione liberauit. Tum illa in hac ſuî liberatione eius experta virtutem, rogauit eam, vt ab omnipotente Domino impetraret ipſi vires, quibus poſſet Ordinis labores ferre, & eſu carnium carere. Ab infantia enim languerat, ita vt etiam ieiunij diebus ægrè poſſet carnibus carere. At Lutgarde eius nimis teneram ætatem, quæ talem abſtinentiam ferre non poſſet, prætexente, ac nihilo minùs puella inſtantiſſimè in prece perſeuerante, tandem eius lachrymis victa Lutgardis: Abi, inquit, & deinceps habeto vires, quibus & Ordinem ferre, & carere carnibus, atque inſuper quod viſum fuerit, ſuperaddere poſſis. Mirum verò & ſtupendum miraculum. Reuerſæ puellæ ad monaſterium ſuum in valetudinario pro more carnes apponebantur. Quas illa intuens, vidit abominabilem quandam ſpeciem præ ſe ferre, ita vt auerſa facie, prorſus eas comedere non poſſet. Cumque id ſæpiùs accidiſſet, tantus carnium horror eius mentem obtinuit, vt poſt Lutgardis verba nunquàm carnibus veſci voluerit: nec modò labores Ordinis perferre potuit, ſed etiam quic- Cap. 21. Puellā à grauiſſima tentatione liberat. Nota vim precū eius.

quicquid pro corporis caſtigatione tolerare voluit, citrà moleſtiam facillimè id fecit. Hæc mihi eadem puella, ſed iam vetula, & cuiuſdam monaſterij creata Abbatiſſa, verecundè narrauit, compulſa hauddubiè Lutgardis virtute, cuius meritas laudes tacere non potuit.

Cap. 22. Alia quædam religioſa puella, Herſplendis nomine, immodica tentatione ad deſperationem propemodùm præ animi mœrore adducta, Lutgardem rogauit, vt pro ipſa Domino preces offerret. Illa cum multo lachrymarum imbre Dominum pro illa precata, ex diuina reuelatione ſic ei locuta eſt: Aequo animo te eſſe oportet chariſſima. In paraſceuè enim, vbi poſt adoratam Crucem ſacerdos illam exaltando dixerit, Ecce lignum Crucis, tu ab omni tentatione liberaberis, & conſolationis fiduciā obtinebis. Quod ita poſteà euenit. Venerabilis Abbas Affliginienſis Iohannes virum quendam ad Lutgardem ſecum adduxit, qui vt Lutgardem adſpexit, anxio vultu reuerberatus eſt. Miratus Abbas, cùm iam procùl abijſſent, ait ad illum: Vidiſtine ſanctam illam fœminam? Et ille, ab imo pectore ſuſpiria trahens: Vidi, inquit, & ad conſpectum eius, tanquam ad ipſius diuinæ maieſtatis intuitum tantus me peccati horror inuaſit, vt eius adiutus precibus, iam liberatus ſim, & Deo benè propitio, non recidam in peccata. Id verò ita contigiſſe, ille, quem diximus Abbas memorabilis teſtatur.

Puellā à deſperatione liberat.

Nota.

Cap. 23. Cuiuſdam mulieris filius Iohannes nomine, epilepſia laborans, magno eam dolore affecit longo tempore. Audiuit autem illa in ſomnis: Accede dominam Lutgardem in Acquiria monialem, & per eam filius tuus curabitur. Manè venit illa cum filio in Acquiriam, eumque Lutgardi obtulit, Lutgardis orat Dominum, mittit digitum in os pueri, crucemque pollice pingit in pectore eius: nec fuit auſus poſteà morbus ille infeſtare puerum. In quodam omnium ſanctorum feſto die ingens beatorum multitudo Lutgardi in viſu apparuit, reuelauitque ei ſpiritus ſanctus, quòd omni gratia plena eſſet. Et quid hoc mirum? Si enim, ſecundùm Auguſtinum, virtutes dona ſunt, quo vel dono vel gratia carere potuit, quæ omni virtute fuit conſpicua? Quodam tempore aduerſa laborabat valetudine, & domina Sybilla de Gagis, quæ à primo Ordinis ingreſſu deuotiſſimè ei ſeruierat, inſtigāte nequitiæ ſpiritu, prædiuturno labore penè deficiens, corde & corpore defeſſa fuit, dixitque apud ſe: Cur ego in dominæ Lutgardis miniſterio adeò me fatigo, cùm mater mea toto vitæ ſuæ ſpatio nulli vnquàm ita ſeruierit, nec me deceat tali addictā eſſe ſeruituti? Ea ipſa nocte audiuit vocem quandā dicentem ſibi: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Ea voce audita, ſeipſam reprehendit, atque Lutgardi deinceps cum multa iucunditate & delectatione inſeruiuit.

Epilepſiam pellit à puero.

Cap. 24. Homo quidam, iam propter ſua facinora ſalutē ſuam planè deſperās, ad eam adductus eſt, vt vel ex colloquijs eius aliquid conſolationis acciperet. Vbi ergo iuxta illam aſſedit, & verba eius audire cœpit, vidit ineffabilem ſupra illam ſplendorem, quæ lucē omnē excelleret. Ea viſione ſic eſt exhilaratus, vt ſpe veniæ concepta ab ea receſſerit. Sæpè illi pſalmos ruminanti, ſpiritus ſanctus vim & ſenſum verborum aperuit. Quadam igitur nocte, cùm in Cantico, Te Deum laudamus, verſum illum, Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum, diceret, ei beatiſſima virgo Maria gratulabunda apparuit, intellexitque Lutgardis verſum hunc illi gratiſſimū eſſe, quo commemoratur, ipſam Dei filium concepiſſe. Atq; hoc illa mihi tanquam filio dilecto reuelans, admonuit, vt quòties verſum illum dicerem, toto me corpore ad laudem ſacratiſſimæ Virginis inclinarem. Quod etiam diù feci, hodieque facio, & vt idem faciant, lectores meos omnes adhortor.

Deſperatus ſpē cōcipit.

Cap. 25. Pauperculam quandam multa inopia preſſam conſpiciens, ad opitulandum ei miro commiſerationis ſpiritu permouebatur, audiuitque ſtatim in ſpiritu dicentem ſibi Dominum: In Pſalmo legis, & dicis mihi: Portio mea Domine, dixi, cuſtodire legē tuam. Quod ſi intelligas, portio tua ego ſum, nec quicquam habes aliud. Itaque illi indigenti dicas: Aurum & argentum non eſt mecum: quod autem habeo, hoc tibi do: orаſque pro illa, & dediſti quod tuum eſt. Hoc faciens, cuſtodiſti legem meam. His Dei ſermonibus illa mirabiliter intus illuſtrata, dominæ Sybillæ de Gagis, quid à Domino audiuiſſet, indicauit.

Pſalm. 118.

Cap. 26. Conſtat multis, idq; per multa argumenta, Lutgardem etiam ſpiritu prophetiæ claruiſſe. Presbyter quidam in Gallias ad Iotrenſe monaſterium veniens, cùm in crypta quadam, vbi ſanctorum corpora quieſcebant, nocte oraret, & ſanctæ cuiuſdam tumulum ex alabaſtro confectum præter ſuam opinionem aperiret, nec tamen eius nomē

& meritum ſcire poſſet, piam poſteà Lutgardem rogauit, vt à Domino eius nomen ſibi peteret reuelari. Illa ſe totam confert ad rogandum Dominum, & citò, quod voluit impetrat. Apparuit enim ei prædicta ſancta, & ait: Ego vocor * Oſmanna virgo, filia quondam regis Scotiæ, & per miraculum Domini in Gallias adducta, ſanctè vixi, defunctaq; ibidem ſum ac ſepulta ſolenniter: ſed meî tandem per incuriã incolæ obliti ſunt. Hæc cùm Lutgardis presbytero referret, ſubiunxit: Vellem hæc eadē tibi quoque Dominus in veritatis confirmationem reuelaret. At ille: Non ſum, inquit, dignus, vt mihi talia reuelentur. Et Lutgardis: Etſi, ait, fortaſſis minùs dignus es, attamen illa digna eſt, cuius præconia innoteſcant. Orante igitur Lutgarde, eadē nocte prædicta virgo presbytero illi dormienti ter apparuit, & Oſmannam ſe dici indicauit. Qui vidit, teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

* Oſanna Sanctæ virginis nomē per reuelationē diſcit

Cap. 27.

Erat quædam in Parco prope Louanium pijſſima monialis, quæ fratrem ſuum, qui profeſſione Franciſcanus fuerat, ſed iam annis duodecim apoſtata manebat, acerbiſſimè deplorabat. Rogata autē Lutgardis, vt pro illo Dominum oraret, quòd ſoror eius præ dolore non multùm ab amentia abeſſe videretur, illa vtriq; condolens, rogauit Dominum. Surgens ab oratione, ait: Dicatur illi bonæ puellæ, vt tranquillo prorſus animo ſit, certa, fratrem ſuum hoc anno ad ſanctum ordinem ſuum reuerſurum. Quod ita præter omnium expectationem factum didicimus, cùm ille multis modis eſſet mũdi huius rebus & ſtudijs implicatus & irretitus. Eodem ferè tempore illuſtris Duciſſa Brabantiæ, filia Philippi regis Franciæ, graui erat affecta morbo. Ea verò ex multo iã tempore amabat Lutgardem, mandauitq; ei, vt pro ſe Dominũ rogaret. Fecit id Lutgardis, & quamprimùm remandat ei, vt tanquam è lecto ægritudinis ſuæ minimè ſurrectura, per confeſſionem præparet ſe, & cum multa cordis fidutia Dominum expectet. Non diù pòſt Duciſſa defungitur, ac deinde apparet Lutgardi, indicans ei certiſſimè, præter ſpem ab omnibus pœnis purgatorij beatiſſimæ matris Dei, quam viuens mirè dilexerat, interceſſione ſe liberatam. Idem contigit viro nobili Domino Godefrido, domini Godefridi Caſtellani Bruxellenſis filio, cuius obitum, antequàm aliunde cognitus eſſet, Lutgardis ſororibus reuelauit.

Apoſtata reſipiſcit.

Duciſſę obitum prædicit.

Cap. 28.

Incluſa quædam ad ædem S. Stephani, in ætate puellari moleſtiſſima tentatione vexata, orabat Lutgardem, vt ad Dominum preces pro ipſa funderet. Cùm autem genus tentationis ex ipſa ſcire vellet Lutgardis, & illa dicere vereretur, dixit ei: Quod tu erubeſcis aperire, Dominus mihi indicauit: expoſuitq; puellæ rem totam, quã ea ne in confeſſione quidem presbyteris explicare voluerat. Deinde adhortans eam ad peccatorum confeſſionem, & morum correctionem, adeò perfectè ſanatam & multa conſolatione affectã à ſe dimiſit, vt poſteà cum ingēti ſpiritus alacritate & gaudio Domino ſeruierit. Idē ferè contigit fratri Vuerico Cōuerſo Aquiriæ. Neq; id mirum. Habebat illa ſecum Dominum, cuius oculi lucidiores ſunt ſuper Solem, quod res ſequens etiã magis teſtatum efficiet. Admiſerat quidam peccatum loco abditiſſimo, atque id ſacerdoti reuelare verebatur. Non diù pòſt quidam ſub peregrini ſpecie rogabat illum, vt pro obtinenda venia peccati illius, quod præcipuè ipſum angeret, ſibi caput lauaret. Fecit ille, vt erat rogatus, & ecce in vertice illius oculum cernit luciſſimum, exclamatque: O hominem, contra naturæ morem in vertice oculatum. Dixit autem peregrinus: Hic oculus te in abſcondito peccantem vidit, quem nulla poſſunt ſecreta latere. His dictis, ab oculis admirantis euanuit.

Nouit ſecreta cōſcientię.

Eccl. 23.

Nota.

Cap. 29.

Erat mirum in modũ ſolicita Lutgardis, vt ipſi notos ſacerdotes admoneret, quod etiam cum multa oris gratia crebrò faciebat, vt gregem ipſis creditũ ſedulò curarent, & animas Chriſti ſanguine redemptas, à dæmonũ ſeruitute liberarent. Ego autem, licèt indignus, cùm ad ſacerdotium ætate iuuenis acceſſiſſem, & needum ſancti Dominici Ordinē complexus eſſem, in recipiendis cōfeſſionibus cogebar indebitò & ſupra vires, Epiſcopi vices agere. Cumq; nō ſine magna cordis formidine id facere cœpiſsē aures auditione vexabãtur, intus verò tentationũ ſtimuli exiſtebãt. Immodico igitur timore & horrore correptus, Lutgardē tanquam matrē vnicè charã acceſſi, eiq; moleſtiã meã dolore compulſus explicaui. Illa verò mihi condolens, ad orãdum Dominũ ſeceſſit, rediensq; cũ magna fiducia dixit: Reuertere fili in locũ tuum, & laborē debitũ curandis animabus impende. Aderit tibi Chriſtus protector & doctor, & in auſcultandis cōfeſſionibus à iaculis inimici magna vi te ſeruabit, & in defectu ſcientiæ, quē formidas, addet ampliorem gratiam. Etſi autē ego de meipſo hæc non ſine rubore refero, tamen rem geſtam in Chriſti & ancillæ eius laudem commemorabo. Ab illo die, quandiù eo officio functus ſum, vſque in præſens, quando iam decimusſextus agitur annus

Nota quod author hoc

loco refert de ſeipſo. beatæ Lutgardis prophetiam in me veraciſſimam expertus ſum. Et licèt iis temporibus, quibus non eram occupatus audiendis confeſſionibus, crebrò & quidē intolerabiliter vexatus ſim, ſub ipſis tamen confeſſionibus quanto ſunt turpiora, quæ audio, tanto minùs ea curo, minuſque me afficiunt.

Cap. 30. Vt autem quibuſdam Aquiriæ monialibus, quæ fortaſſis minùs dignè de illa ſentiebant, Lutgardis meritum innoteſceret, inſigne hoc miraculum accidit, quod nunc cōmemoro. Conſueuerat illa ſingulis diebus Dominicis corpus Chriſti percipere. Cumque euntem ad altare nemo licèt debilem ſuſtentaret, quidam, quibus id videre conceſſum eſt, perſpicuè viderunt duos angelos mediam iam tenere, & deducere ad altare. Aliâs etiam manifeſtiſſimè viſa eſt beatiſſima Dei genitrix & S. Iohannes Baptiſta eā officioſè comitari. Afflictos & tentatos mira ſolicitudine conſolari & confirmare nitebatur: & reuerà miram hac in parte gratiam Deus ei largitus erat, vt nullus ab ea vel afflictus, vel tentatione pulſatus, abſque leuamento diſcederet. Venit quandoque ad monaſterium eius mulier, quæ omnem ſalutis & veniæ ſpem prorſus abiecerat. Ingreſſam in colloquij locum, rogabant moniales, vt conſolationem admitteret, & ſpem ſuam in Deo collocaret. Illa verò nihil mota earum verbis, fugere nitebatur. Sed vi retentam orabant, vt Lutgardem expectaret: quæ etſi nihil ad conſolationem dicere ei poſſet, quippe cuius ſermonem ipſa non intelligeret, at oraret ſaltem Dominum pro ipſa. Erat enim fœmina illa prorſus Gallicana, Teutonici idiomatis ignara. Adducta celeriter Lutgardis, ad remotiorem locum cum ea ſeceſſit. Senſit enim in ſpiritu, fœminā vltra modum afflictam. Mirari verò omnes & ridere cœperunt, quo pacto ſe inuicèm intellecturæ eſſent, cùm altera alterius linguam neſciret. Cùm ergo illic diù pariter conſediſſent, ſurrexit mulier ad pleniſſimam ſpei fiduciam reuocata: & reuerſa ad communis Colloquij locum, dixit monialibus: Cur dixiſtis hanc ſanctiſſimam fœminam eſſe Teutonicam, quam ego prorſus Gallicam cognoui? Neque eſt ſub cęlo vlla alia, quę me verbis ſuis ad ſpem veniæ reducere potuiſſet. Refert frater Bernardus, ſe vidiſſe Lutgardem & virum venerabilem ac Deo dignum magiſtrum Guiardum Cameracenſem Epiſcopum, qui non minùs Teutonici quàm illa Gallici ſermonis imperitus erat, inter ſe colloquentes, ſe inuicèm intelligētes. Nec mirum, ſi ad horam diuerſæ linguæ inter colloquendum mutuam intelligētiam nihil impediuère, quando Lutgardis plena fuit illo ſpiritu, qui diſcipulis præſtitit, vt omnium gentium linguis loquerentur. Vidi ego quandam, in die Pētecoſtes ab hora tertia vſque ad veſperam omnium linguarum notitiam habētem: ſed eam necdum prodere volo, cùm ſit hodieque ſuperſtes.

Deſperata mulier intelligit eius idioma, alioqui ignotum ſibi, & prorſus ſanatur.

Actor. 2.

Cap. 31. Ierem. 9. Beati qui lugent. Lamentis diuturnis propter peccatores adeò ſe afflixit Lutgardis, vt facie eius quotidiè rigata lachrymis, oculi eius, ſecundùm Ieremiam, fontem lachrymarum deducere viderentur. Tandem autem apparuit ei miſericordiæ Dominus in fletibus rugiēti, congratulanſque ei, quòd miſerorum cauſam diù fideliter egiſſet, illa manu, quam pro peccatoribus in cruce extenderat, à facie eius lachrymas deterſit, dicens: Volo te ab his lamentis, pro meis peccatoribus ſuſceptis, iam abſolutam, nec patiar te deinceps luctu & lachrymis affligi. Placido autem cordis feruore poſthàc in oratione perſiſtes, atque hac perinde, vt hactenùs lachrymis, iram patris auertes. Et hic ſtatus vitæ eius ad mortem vſque durauit.

Cap. 32. Sancti eā ſæpiſſimè inuiſunt. Quinque inde ſequentibus annis, ſicut ipſa mihi cum multis lachrymis dixit, quotidiè ferè venerunt ad eam vel ipſa Chriſti ſanctiſſima mater, vel angeli, vel alij ſpeciales ſancti, demptis continuis angelorum viſitationibus. Et tamen in his omnibus perfectam ſpiritus eius requiem non inuénit, donec ipſe ſanctus ſanctorum, omnibus ineffabiliter dulcior, vtpotè ſanctificator omnium, adueniret. Tum enim inueniſſe ſe ſenſit, quem dilexit anima eius: tenuitq; eum, nec dimiſit. Tenuit fide, non dimiſit imitatione. Sed quoniam librum hunc ſecundum, rebus, vt putamus, vtilibus commemorandis longiorem fecimus: vt ad precioſæ mortis eius hiſtoriam alacriores veniamus, interim paululùm reſpiremus.

LIBER

LIBER III.

Libro ſecundo bona fide abſoluto,tertiũ de eius ex hac vita migratione iam aggredimur. Anno ferè vndecimo ante obitum ſuum quoddã vitæ quietiſſimæ & felicis mortis præludium accepit. Nam inſtar patriarcharum Iſaac & Iacob, ambobus orbata luminibus, luminis cæleſtis ſplendoribus ſolito eſt excellẽtiùs perfuſa. Dignũ enim erat,vt mens radiantiſſima intus luce ornata,foris quodãmodò luminis huius caligine obſcuraretur.Quis enim dubitet,rerum corporalium formis & imaginibus,quæ per oculos forinſecùs in animum influunt, ſpiritalem mentis aciem retundi?Cæcata ergo exteriùs,tota mẽte interiùs in luce verſabatur,hoc vnum duntaxat in hac cæcitate plorans, quòd ſpiritales amicos ſuos in hac vita ampliùs cernere non poſſet: at eo rurſus ſe conſolans,quòd in cæleſti patria eos ſe viſuram ſperaret.Refert frater Bernardus ab eius ore ſe accepiſſe,Dominum ita ipſi dixiſſe:Cæcitatem,quam tibi accidere volui,patienter feras: polliceor enim tibi, ſine Purgatorij pœnis te ad me peruenturam:amicos verò,quos ais te in hac vita vlteriùs videre non poſſe,in æterna patria conſpecturam. Cap. 1. Amittit viſum.

Non diù pòſt beatæ memoriæ Iordanus Magiſter Ordinis Prædicatorum, cùm diù magno flagrâſſet deſiderio inuiſendi terram ſanctam,inde rediens per mare, occulto Dei iudicio cum magna hominũ multitudine & duobus fratribus Dominicanis ſubmerſus eſt:moxq; à ſummo cæli faſtigio vſque ad nauem illam,in qua extinctus iacebat, maxima ignis columna quinque horarum ſpatio diuinitùs accenſa de nocte apparuit:cumque ſacrum corpus litus attigiſſet,cæli lampas tertiò ſuper illud,& quartò ſuper ſocium eius Geraldum reſplenduit:atque ita lampas recedẽs, nube excepta eſt. Huius rei teſtes fuêre Chriſtiani catholici,Græci ſchiſmatici,& gentiles. Corpus autẽ eius mirificè fragrans,à fidelibus curatum eſt. Eodem anno in vigilia natiuitatis Chriſti,à prima diei hora vſque ad ſextam orans Lutgardis,cùm in ſpiritu quaſi tenebras quaſdam ſentiret, adeò cœpit tædio affici, vt in hæc verba prorũperet: Domine,quid eſt,quod ſentio?quid eſt,quod patior? Certè ſi quiſpiam amicus vel in cælo, vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minimè ſentirem. Hæc illa cum lachrymis dicente, ſubitò mentis eius oculis ſpiritus quidam adeò luculentus & glorioſus apparuit, vt præ ſplendoris magnitudine eum non cognoſceret. Dixit autem illi: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum, inquit, frater Iordanus, quondam dictus Magiſter Ordinis Prædicatorum, Ego iam migraui ad beatam vitam, & inter Apoſtolorum & Prophetarum choros ſplendeo ſublimatus. Miſſus autem ſum ad te,vt in hac iucundiſſima ſolennitate te conſoler.Tu verò de premio ſecura eſto:propediè̃m à Domino coronaberis. Porrò pſalmum, Deus miſereatur noſtri, cum oratione de ſpiritu ſancto,quæ, me viuente & rogante, pro noſtro Ordine te dicturam recepiſti, vſque ad finem vitæ dicere ne omittas. His dictis, diſparuit, tantamque in eius pectore conſolationem reliquit, quantam nunquam perſenſerat in vita ſua. Dilexerat ille adhuc viuus Lutgardem haud vulgariter, & inter fœminas omnes illi vel maximè fidere conſueuerat,ita vt totius Dominicani inſtituti ſiue Ordinis eam matrem & nutricem conſtituerit. Cap. 2. Nota hæc de Iordano Dominicano Magiſtro. Iordanus Dominicanus ei apparet. Pſalm. 66. Nota lector tanti viri de Lutgarde ſententiam.

Cùm iam alterum ſeptennium Lutgardis pane tantùm & olere tranſegiſſet,rurſus per reuelationem dictum eſt ei,vt tertiò ieiunia votiua ſuſciperet, quò placatus Deus malum illud auerteret,quod ipſa quendam Eccleſiæ Chriſti hoſtem certiſſimè illaturum verebatur. Ab illo ergo tempore vſq; ad ſupremum vitæ diem ita perpetuò ieiunauit, vt nullum omninò,ne ipſum quidem Paſchatis celeberrimum diem abſq; ieiunio tranſmiſerit. Mortua eſt autem, vt pòſt dicemus,anno ſeptimo huius ſalutaris ieiunij, nec ſine fructu,vt nos iam certiſſimè ſperamus.Dixit enim mihi illud,quod iam memorauimus,periculum non mediocriter formidanti,anno ſcilicet proximo ante obitum ſuum: Potes chariſſime æquo eſſe animo,quantùm attinet ad illum, quem aiunt clàm Eccleſiæ inſidias comparare. Nam aut humiliabitur precibus fidelium, aut breuì excedẽs è vita,pacem Eccleſiæ relinquet,quam perturbare videbatur. Necdum vidimus,quod prædixit: ſed indubitatò cõfidimus fore iam vt compleatur. Neq; enim quicquam omninò ex ijs,quæ futura prædixit,non eueniſſe vidimus, quippe quam de ſpiritu Dei ſua verba hauſiſſe grauiſſimè doceri poteſt. Cap. 3. Nota etiam hoc authoris teſtimonium.

Per idem ferè tempus venerabilis ille & Deo dignus Iacobus, Anchonenſis quondam Epiſcopus,tum verò Romanæ Eccleſiæ Cardinalis,pridiè Calendas Maij Romæ Cap. 4.

vita functus eſt. Quarto inde die, id eſt, in feſto ſanctæ Crucis, cùm Lutgardis in Brabantia eſſet, triginta dierum itinere procùl ab eo loco, in quo ille defunctus eſt, rapta ſpiritu in cælum, vidit eadem hora animam eius adduci in paradiſum: eiq́; ſpiritu gratulans, dixit: Neſciebam reuerendiſſime pater te è corpore deceſſiſſe. Sed quando, oro, defunctus es? Reſpondit ille: Quarto abhinc die. Interim tres noctes & duos dies exegi in Purgatorio. Tum illa admirans: Et quare, inquit, non ſtatim ab obitu mihi indicâſti, vt ſororum noſtrarum precibus pœnæ tuæ ſoluerentur? Dominus, ait ille, noluit te contriſtari pœnis meis, ſed mea potiùs liberatione & beatitudine exhilarari. Tu autem paulò pòſt me ſequêris. His dictis, Lutgardis redit ad ſe, & diem mortis, itemq́; Purgatorij eius cruciatus, & in cælos migrationem, ſororibus cum ingenti exultatione exponit.

Iacobi de Vitriaco animam videt in Paradiſo.

Cap. 5. Luc. 14.

Anno quinto ante obitum ſuum Dominica tertia à Pentecoſte, cùm in eccleſia legeretur Euangelium, Homo quidam fecit cœnam magnam, &c. illa prophetico ſpiritu dixit dominæ Sibyllæ à Gagis, cui tanquam magis literatæ, eius in omnibus cura demandata erat: Noueris chariſſima, die illo Dominico, quo hoc recitabitur Euangelium, me ad cœnam nuptiarum Agni migraturam. Audiens hoc Sibylla, diem illum, tanquam ſupremum vitæ Lutgardis, cũ ſumma expectatione præſtolabatur. Sed cùm videret Lutgardem eo die manere ſuperſtitẽ, putabat phantaſmate illuſam ſicq́; aliquandiù eius viſionis manſit immemor. At vbi quinto anno dies ille rediјt, & poſito Lutgardis iam defunctæ corpore in feretro, Euangelium, quod diximus, ad Miſſam matutinam in eccleſia legeretur, Sibylla in memoriam rediens eorum, quæ à Lutgarde audierat, obſtupuit, vtq́; Lutgardis ante quinquennium ea dixiſſet, cum admiratione omnibus indicauit.

Prędicit diẽ obitus ſui.

Cap. 6.

Quarto anno ante eius è vita deceſſum crudeliſſima gens Tartarorum, è ſuis ſedibus erumpens, vaſtata Hungaria, Bulgaria, Ruſſia, Poloniæ quoq; Duce potentiſſimo interfecto, & regione populoq́; vexato, cùm iam Boëmiæ immineret, timor ingens per omnem Germaniam & Galliam peruaſit, ne à Barbaris idem paterentur. Itaque F. Bernardus Dominicanus, Pontificis Maximi pœnitentiarius, valdè anxius rogauit Lutgardem, vt precibus inſtãter pulſaret Dominum, vt à Germaniæ finibus illud Tartarorum flagellum depelleret. At illa: Ego verò, inquit, non iam demum pro hac re cœpi rogare Dominum. Certa ſum autem ad has regiones non venturos modò Tartaros. Quod ille haud aliter accepit, ac ſi de cælo ſonuiſſet.

Tartari vaſtant multas regiones

Cap. 7.

Eodem ferè tempore venerabilis Baldeuuinus Barbeuchonius, Prior de Oegnies, quondam verò in Aquiria multis annis Capellanus, verbi Dei concionator celeberrimus, inuitis ſpiritalibus amicis ſuis, parùm dignè ſe admiſcuit rebus temporalibus. Graui autem morbo correptus, pridiè quàm exceſſit è vita, digitum beatæ Mariæ de Oegnies ſibi iuſſit adferri. Eo allato, dixit: O venerãda domina, cùm adhuc eſſes in humanis, pollicita es te in mortis hora mihi opitulaturam. Succurre ergo nunc domina, ſuccurre: quia tempus eſt. Mortuus autem eſt Baldeuuinus, & in Oegnies honorificè tumulatus. Eius exequijs interfuit etiam Bernardus frater noſter: cumque à ſepultura mox in Aquiriam veniſſet, ſalutato eo, dixit Lutgardis: Obijt ne dominus Baldeuuinus? Ille tam repentinam miratus percontationem, Mortuus eſt, inquit, & ſepultus. Sed quid tum poſteà? Reſpõdit illa: Iam iam mihi apparuit domina Maria de Oegnies, & dixit: Surge, ſurge chariſſima, feſtina rogare Dominum: quia hac hora anima amici noſtri domini Baldeuuini ad Chriſti tribunal ſiſtitur, de commiſſis & omiſſis illi rationem redditura. Ecce quàm verax in teſtimonio, quàm fidelis in promiſſo, Maria venerabilis, extitiſti: quæ Lutgardem præ cunctis mortalibus pro precum ſuffragio adire voluiſti, vt quam viuens adhuc in corpore, teſtata eras ad orandum pro animabus à Purgatorio liberandis eſſe efficaciſſimam, eius iam in cælis ſublimata pro amico defuncto preces expeteres.

Ecce quid præſtent homini veri amici Dei.

Cap. 8.

Interroganti cuidam amico ſpiritali & ſpeciali, cuiuſmodi Chriſti faciem in cõtemplatione videret, reſpondit: In momẽto apparet mihi ſplendor inæſtimabilis, & inſtar fulguris video ineffabilem eius glorificationis pulchritudinẽ. Quæ niſi raptim ſubduceretur adſpectui contemplationis meæ, mortalis vitæ huius imbecillitas eam ferre nullo modo poſſet. Poſt eum autem fulgorem manet ſplendor intellectualis, & cum illo quæro eum, quem raptim videram, ſed non inuenio. Itaque dicebat oculos Chriſti tam ineffabili coruſcare ſplendore, vt ſi ſplendor ille Solis lumini infunderetur, in infinitum ampliùs ille Solem obſcuraret, quàm Solis radij ſtellarum lumen obtegant. Religioſus quidam ſacerdos ſcire cupiebat, quid ſibi vellent ea verba, Pulchriores

Oculi Chriſti radiantiſſimi.

res ſunt oculi eius vino. Vidit ergo in ſancta calice diuina myſteria celebrans, Chriſti faciem, eiuſq; oculos tanto lumine radiantes, vt mundum vniuerſum etiam in medijs tenebris longè vberiùs, quàm vel mille Soles poſſent illuſtrare. Nec facilè credi poſſet, quantoperè arſerit Lutgardis Chriſtum videndi deſiderio. Quodam die audiente moniali alia, eiuſmodi vox ſuper illam inſonuit: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Gen. 49. Prou. 8.

Paulò ampliùs anno vno ante mortem eius apparuit ei Dominus, gratulabundo vultu blandiens, & dicens: Inſtat iam finis laboris tui. nolo te diutiùs à me ſeparari. Tria dűtaxat hoc anno à te expeto: Primò, vt agas gratias pro beneficijs iam acceptis: & ad hoc petas ſuffragia beatorum. Deinde, vt pro peccatoribus meis totam te effundas in precib⁹ ad patrem. Poſtremò, vt peruenire ad me abſq; vlla alia ſolicitudine, ardenti deſiderio concupiſcas. Proximo ante obitum eius Paſchate apparuit ei Chriſtus cum ſanctiſſima matre ſua, in admirabili claritate. Cumq́; Lutgardis, vt ferè ſemper, de vitæ præſentis exilio & æternæ patriæ deſiderio illis proponeret, non ſine pia querimonia dixerunt ei: Non oportet te chariſſima, diutiùs huius vitæ laboribus fatigari: paratur iam tibi ſempiternæ pacis refrigerium ad coronam, nec volumus tua præſentia vlteriùs carere. Decimoquinto ante mortem eius die apparuerunt ei beatiſſima Chriſti mater & ſanctiſſimus Iohannes Baptiſta, quem impensè & ſingulariter diligebat, dixeruntq́; ei: Imminet iam finis vitæ tuæ: ſupereſt tibi corona iuſtitiæ: nolumus te hîc eſſe diutiùs: omnes cæli ciues te expectant. Alij quoq; ſancti illo anno apparuerunt ei crebrò in magna multitudine, prædixeruntq́; ei obitum ipſius. Apparebant ei etiam quidam ſpeciales amici eius, qui iam è corpore exierant, magnificè ſe lætari aſſerentes, quòd breui ad ipſos peruentura eſſet. Hæc cùm illa dixiſſet quibuſdam amicis ſuis, quæſitum eſt ab ea, quomodò poſſet ſanctos internoſcere. Reſpondit illa: Ex ipſo Chriſto, qui eſt ſanctus ſanctorum, quidam animam meam illuſtrans ſplendor egreditur, in quo ſingulos quoſq; ſanctos mihi apparentes perfectè cognoſco. Porrò ſanctos ipſam inuiſentes obnixè rogabat, vt gratias agerent Deo pro ipſa & beneficijs ei collatis. Cap. 9. Crebrò Lutgardi prædicitur obitus eius à Chriſto, &c. Corona iuſtitiæ.

Sæpè reprehenderat moniales in valetudinario manentes, quòd parùm attentè perſoluerent preces Canonicas, diuinitùs inſtitutas. Cùm autem dimidio ante obitum ſuum anno, non videret diuina maieſtate & reuerentia dignam in ſororibus emendationem, ait: Scio equidem, quòd poſt deceſſum meum culpam hanc manus Domini in ſororibus vindicabit: & tunc memores verborum meorum, caſtigatæ cum multa humilitate ſe corrigent, & Dominus mox retrahet manum ſuã, quam iam extenderat ad vltionem. Quàm autem veraci ſpiritu hæc illa prædixerit, res ipſa neminem ſinit ambigere. Nam vbi illa exceſſit è vita, confeſtim dira peſtis inuaſit in illud monaſterium, & breuiſſimo temporis interuallo quatuordecim probatiſſimæ ſorores extinctæ ſunt. Ego verò eodem tempore illuc veni, & duas carne ac ſpiritu ſorores, vno eodemque momento animam reddentes, oblato pro eis ſacrificio, in vno tumulo ſepeliui. Cùm ſe autem infirmæ ſorores in valetudinario in dicendis Canonicis precibus correxiſſent, Domino manum ſuam retrahente, peſtis illa protinùs ſopita eſt. Cap. 10. Peſtis caſtigat monaſterium propter preces horarias negligenter ſolutas.

Ex ſpecialibus Lutgardis amicis, quidam vir ſecularis graui ſe ſcelere obſtrinxerat. Confeſſus eſt autem illud peccatum ſuum, & egit pœnitentiam, ſed in precibus ſuis nullam indulgentiæ conſolationem ſentire potuit. Itaque parùm abfuit, quin in deſperationis voraginem præceps corrueret. Venit ergo ad Lutgardem, tanquam ad matrem ſuam, & ei tum facinus ſuum, tum quid pateretur eius cauſâ, cum multo animi mœrore explicauit. Illa verò ſemel atq; iterùm & tertiò etiam pro illo Dominum rogans, nullum, vti conſueuerat, à Domino reſponſum obtinuit: nec miſer homo meliùs ſen tiebat. Tum verò Lutgardis cum Domino in precibus mira ſpiritûs inſtantia luctabatur. At vbi ſenſit, Dominum in ira miſericordias continentem, ſe vincere non poſſe, ait: Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte illi noxam hanc. Mox ad miſericordiam flexus Dominus, Ecce, inquit, remiſi illi, quia confidit tibi: nec illi duntaxat, ſed etiam omnibus illis, qui tibi fidunt & diliguntur abs te, propter te benignè faciam. Sub his verbis homo ille confeſtim perfectam veniæ ſpem concipiens, ad tranquilliorem animi ſtatum, quàm fuerat ante lapſum, Domino miſerante peruenit. Cap. 11. Exemplum perfectiſſimæ charitatis.

Iam verò, quantùm quidem ad illam attinet, dies ſequitur exultationis & laudis: quantùm autem ad nos, & omnes illos, qui illius patrocinijs & conſolatione fouebamur, dies luct⁹ & mœroris: dies, quem ego infeliciſſimus omnium, nec morte, vt ſæpè Cap. 12.

rogâram, anteuertere potui, nec ſubſequi poſſum, quouis orphano calamitoſior. Venit ergo dies, qui antecedit ſacroſanctæ Trinitatis ſolennitatem, & illa graui quidem, ſed iucunda febre decubuit, trini Dei perpetua cultrix & veneratrix. Ingraueſcente autem morbo exercebatur. Altero poſt illam ſolennitatem die venit Vuilhelmus cōuerſus Affliginienſis (cuius monaſterij fratres propter religionis obſeruantiam præcipuè charos habebat) illam inuiſere volens, dixitq; inter cætera: Vtinam ſciret Dominus Abbas noſter te tam malè valere. Et illa: Cras, inquit, veniet ille meus amicus præcipuus, meq; videbit. Quod cùm ille incredibile putaret, admirans conticuit. Manè alterius diei Abbas illum locum ad duo milliaria prætergredi volens, nec quicquam de aduerſa Lutgardis valetudine ſciens, mutata ſententia dixit ſocijs ſuis: Eamus viſum dominam Lutgardem: iamdiù enim illam non vidi. venit ergo in Aquiriam, & cùm ad eã acceſſiſſet, illa multùm gratulans, atq; è lecto deportata reſidens, manum Abbatis tenuit, dixitq; ei: Iam recedo chariſſime, & nihil te charius ſub ſole relinquo. Noueris autem, quòd ad te attinet, diuinitùs me conſolationem accepiſſe. His dictis Abbas in alia diſtractus abſceſſit, & illa vſq; ad quintam feriam in multa ſpiritûs alacritate permanſit. Ipſa autem quinta feria cùm vocem Sibyllæ à Gagis audiuiſſet, ait: Sedeas hîc iuxta cor meum: en plenum eſt monaſterium militia cæleſtis exercitûs: animæ beatorum præſentes ſunt, & multæ è ſororibus noſtris, quæ hinc emigrârũt. Quod cùm dixiſſet, ſiluit, & deinceps tota ſexta feria vultu gratiſſimo diuinæ contemplationi intenta, in ecſtaſi fuit. Sabbato autem, cùm iam mortis hora adeſſet, oculos in cælũ ſuſtulit, & munita viuificis ſacramentis, in medio iuuencularum tympaniſtriarum, admixtis cæleſtis exercitûs principibus pſallentibus, felix anima ad liberas auras ſupernæ Hieruſalem exultans & lætabunda euolauit ſub veſperam, Anno à Chriſti incarnatione 1246. decimoſexto Calendas Iulij, Indictione 4. ętatis ſuæ anno 64. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Toto die manet in ecſtaſi. *Abit è corpore.*

Cap. 13. Cùm autem redderet ſpiritum, quædam è ſororibus, tanta ſpiritûs ſuauitate & alacritate perfuſæ ſunt, vt præ admiratione ſeſe non caperent. Nec mirum, cùm in ſeipſis planè experirentur, cum immenſo ſupernorum ciuium tripudio ipſum ſalutis noſtræ principem Ieſum, animam illius in paradiſi delicias euocâſſe. In ſignum autem virginalis integritatis, in ipſo obitu candor cum lilij nitore coniunctus faciem eius obtinuit. Oculos, vt diximus, ſub ipſam mortem ad cælum ſuſtulit, cùm iam anteà diù clauſos habuiſſet, nec eos poſteà vel in morte, vel poſt mortem clauſos habere potuit, quãdo ipſe oculorum habitus iter, per quod ſpiritus exceſſiſſet, indicauit. Totius verò corporis cutis tanta fuit lenitate, vt contrectantium manus candidam eamque mollem byſſum ſibi tangere viderentur.

Facies morientis. Oculi. Cutis corporis.

Cap. 14. Miraculum Porrò cùm ſacrum corpus lauaretur, quædam ſoror multis annis vnius manûs vſu planè deſtituta, non de induſtria, ſed caſu manu illa arida inter lauandum illud attigit, & derepente curatam ſe ſenſit. Permultis annis ante obitum eius complures moniales & conuerſos fratres inſtanter rogaueram, vt ſi accideret, ſicut proh dolor accidit, me ad eius è vita deceſſum non adeſſe, manum eius abſcinderent, mihique pro ſacra illius memoria reſeruarent: quam ad rem conſenſum obtinueram venerabilis eius loci Abbatiſſæ Hauuigis. Vt autem eſt fœminarum ingenium, celanda prorſus celare nō poſſe, moniales Lutgardi, quid de pręcidenda ipſius manu rogâſſem, indicârunt: cumque paulò pòſt in Aquiriam veniſſem, & cum ea colloquerer, illa me ſerio vultu intuens: Audiui, inquit, fili chariſſime, te poſt mortem velle mihi amputare manum. Ego verò demiror, quid ea manu facturus ſis. Tum ego rubore ſuffuſus, Credo, inquam, & corpori & animæ meæ profuturum, ſi, vt ſpero, manum tuam obtinuero. Mox illa ſereno, vt erat, vultu ſubridens, & digitum auricularem dexteræ manûs in feneſtra, ad quam loquebamur, deponens: Satis, inquit, tibi ſufficiet, ſi hunc digitum poſt deceſſum meum obtinere licuerit. Tum ego maiori fiducia in eam inuectus: Nihil, inquam, mihi de tuo corpore ſatis erit, niſi vel manum, vel caput habeam, quod mihi ſit orbato te leuamentum. His dictis ad alios ſermones deſcendimus: nec tamen quicquam illa alicui ea de re dixit, nec aduertit quidem aut alicuius penſi habuit. Poſtquàm autem illa defuncta, & corpore in eccleſiam deportato, tempus opportunum ſe obtulit, Guido quidam valdè religioſus iuuenis & alius conuerſus ſocius eius, digitum illum, quem mihi Lutgardis ſuffecturum dixerat, amputârunt & dentes ſedecim ex eius ore extraxerunt. Ego verò cognita eius morte, cum pariter didiciſſem ex eius manu digitũ exciſum, nec ſcirẽ tamen, quiſnã eſſet: Iam nunc, inquã, perſpicuè

licebit

licebit intelligi, num verè propheti ſſa fuerit Lutgardis. quæ ante annos plurimos auricularem dextræ manûs ſuæ digitum mihi ſufficere poſſe prædixit. Itaq; veni in Aquiriam, & illumipſum, quem prædixerat, digitum præciſum comperi, ſenſique illo planè me contentum fore, ſi eum liceat obinere. Acceſſi ergo Abbatiſſam, & pro ea re preces ſupplices cum lachrymis obtuli, ſed cum magno dolore meo ſolam Abbatiſſam inexorabilem inueni: ſed, vt arbitror, non abſque ſuperni diſpenſatione conſilij. Voluit enim probare omnipotens, illum me Lutgardis digitum habiturum, quem ipſa promiſiſſet, licèt eum neſcia ſimplicitas petenti negaret. Rurſus autem in Aquiriam venienti mihi, & promittenti, ſcripturum me piæ Lutgardis vitam, cum ingenti cordis mei gaudio donatũ eſt omni auro & argento optatius munus. Nec me hac in re liuidus quiſpiam putet arguendum, quòd Lutgardis necdum in ſanctos relatæ digitum tanto amore complector: Legimus beatiſſimam Nataliam Adriani martyris brachium, eo interfecto, mox amputâſſe: venerabilis quoque Mariæ de Oegnies, necdum ſanctorum catalogo adſcriptæ, digitum in eius obitu præciſum Iacobus, piæ memoriæ quondam Achonenſis Epiſcopus, & poſteà Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, annis multis ad collum ſuſpenſum, pro maximo munere Gregorio IX. Pontifici Maximo contra blaſphemiæ ſpiritum, quo atrociter infeſtabatur, ferendum dedit. Beatæ quoque Elizabeth Lantgrauiæ Thuringiæ, noſtra tempeſtate defunctæ, pollex cum indice mox præciſus fuit. Quod ergo S. Natalia, & vir memorabilis Iacobus Cardinalis, & Pontifex Maximus Gregorius, & multi alij fide digni, tanta authoritate ante me fecêre, nemo in me ceu ſtultum & impium carpẽdum ſuſcipiet, niſi qui planè ſtultus & impius ſit. *Ecce graues viri quanti faciant reliquias piorum.*

Porrò autem cùm ſacrum Lutgardis corpus humandum adhuc in feretro iaceret, quæſtio incidit, vbi tam præclaras reliquias condi oporteret. Contigit autem diuina ordinatione, vt venerabilis Abbas Alnenſis monaſterij, ex Ordine illius cœnobij Viſitator, triduo ante ſepulturam Lutgardis deceſſum expectaret. Is ergo illic tum præſens, dixit: Vbi verò tumulari eam par eſt, niſi in eccleſia, vbi pro dignitate omnes ad eam adire poſſint? Ea autem Abbatis vox conſenſum omnium obtinuit, & ad dextrum Chori latus iuxta parietem, vbi orare conſueuerat, celebri & honorato loco condita eſt. Porrò Sibylla à Gagis, hoc ei Epitaphium poſuit: *Cap. 15.*

Epitaphiũ Lutgardis.

Lutgardis vixit, vitam ſine crimine duxit:
Cum Chriſto degit, quam lapis iſte tegit.
Eſuriens hæc & ſitiens cæleſtia, luxit.
* Mera dies ſponſi facies illi modò luxit. **Mira dies.*
Hæc ſpeculum vitæ, flos clauſtri, gemma ſororum:
Fulſit in hac pietas, compaſſio, gloria morum.

Statim autem ab ipſa ſepultura apparuit Elizabethæ de Vuans moniali Aquirienſi in magna gloria, ſciſcitantiq; illi, num aliquo temporis ſpatio fuiſſet in locis Purgatorijs, reſpondit: Non ſolùm nullum ego Purgatoriũ perpeſſa ſum, ſed etiam loca Purgatorij præteriens, afflictiſque animabus condolens, illis benè precabar, compluresq; ex illis Dei benignitate è pœnis ereptas, ad paradiſi amœniſſima loca mecum abduxi. Hæc vbi dixit, Elizabetha videbatur ſibi audire, tanquam iuuenculæ cuidam moniali, Machtildi nomine, illam dicentem: Sequere me: intelligensq; ijs verbis Machtildem ad excedendum è vita inuitari, ſe quoq; vltrò obtulit ad ita ſequendum illam, dixitq;: Liceat etiam mihi ſequi te mater dulciſſima. Reſpondit autem Lutgardis: Non potes me ſequi modò, ſed poſteà me matrem ſequêris filia. Habuit verò viſio illa mox effectum ſuũ. Iuuencula enim à Lutgarde inuitata, intra nouem dies defuncta eſt: Elizabetha verò etiamnum ſupereſt. *Cap. 16. Apparet defuncta in multa gloria.*

Cùm aũt iuxta Lutgardis propheticã prædictionem dira peſtis moniales Aquirienſes infeſtaret, quædam ſoror per viſum multos conſpexit in monaſterij eccleſiam inſolenter irruere: cumq; nullus eos compeſcere poſſet, vidit Lutgardem ſurgere è tumulo, & omnes illos ſumma vi è templo exturbare. Habuit verò etiam illa viſio celerem effectum, ſæua illa peſte à monaſterio Aquiriæ profligata. Porrò moniales quicquid è zonis, peplis, velis, aut alijs rebus Lutgardis habere poterant, certatim quaſi pro reliquijs, & reuerà præclaris reliquijs, ad ſe rapuêre. Nobiliſſima autem puella Beatrix de Roauia monialis, quæ facultatibus ſuis Aquiriæ monaſterium ab inopia copioſiſſimè vindicauit, anthracem, ſiue, vt Medici vocant, carbunculum, in collo patiens, velum capitis Lutgardis ad collum appoſuit, pernicioſeq; turgens malum illud repentè abſceſſit. Dominus Alardus, qui in eo monaſterio permultis annis Capellanũ egerat, *Cap. 17. Velo capitis eius carbunculus curatur.*

Miracula ex reliquijs eius. pollice inflato multùm anxiè cruciabatur. Is Lutgardis reliquias poſtquàm ad pollicem alligauit pro doloris & tumoris remedio, mox remedium præſentiſſimum expertus eſt.

Cap. 18. Oda Aquiriæ Suppriorißa grauiter manum dolens, ex circunligatis ei Lutgardis reliquijs continuo perfectiſſimè curata eſt. Eiuſdem nominis conſanguinea monialis, nata ex Brauiæ oppido, præ capitis debilitate, qua diù vexata fuit, nullum prorſus lilij odorem ferre potuit. Ea vt vidit ad tumulum Lutgardis lilia poſita, horruit quidem ipſo adſpectu: ſed cùm caput ſolum ad tentandum, num poſſet ingredi, in oſtium intuliſſet, nihilq́; moleſtiæ ſentiret, mox fidentiùs introgreſſa, tumulum adijt, lilia naribus admouit, nec vllum penitùs dolorem perſenſit. Eadem monialis nocte in tenebris ad ſepulcrum eius orandi gratia ſe proſternens, oculo impegit in candelabri ferrum acuminatum, moxq́; appoſuit oculo manum, vt iam è ſuo loco quaſi excidentem, ne penitùs decideret, retineret. Itaq; dolore intolerabili affecta, dixit: Quid eſt, ſancta mater Lutgardis, quod mihi accidit? En pro tui veneratione procidens, oculum perdidi, Oculus restituitur. quem ſeruare te oportebat: atq; inde moleſtiam refero, vnde remedium ſperabam. Hæc vt dixit, ſurrexit, & momento temporis pleniſſimè reſtituta, nihil neq; angoris, neque doloris ſenſit.

Cap. 19. Maria de Andeua Aquiriæ monialis, grauiſſimo dolore capitis afflicta, ita vt ne puncto quidem temporis vllo corporis membro poſſet quieſcere, ſeque humi impatientiùs volutaret, Nota de velo eius. cunctis mirantibus, quippe qui eam quamprimùm mentis inopem fore putabant, velo Lutgardis adhibito vſque adeò mox reualuit, vt nullus omninò dolor in illa relictus videretur. Matrona quædam nobilis in partu diutiſſimè & periculoſiſſimè laborans, Item cingulo. allatum cingulum, ex equorum ſetis cōfectum, quo Lutgardis carnem ſuam affligere & macerare conſueuerat, vtero impoſuit, cunctiſq́; ſtupentibus, ſine dolore in ſuam & prolis ſalutem liberata eſt. Quod idem diuerſis in locis & perſonis efficaciter eſt probatum.

VITA ET MARTYRIVM SANCTORVM ET INCLYTORVM MARTYRVM MANVEL, SABEL, ET *Iſmaël, qui fuerunt Martyres tempore Iuliani: ex Simeone Metaphraſte.*

27. Iunij. Cap. 1. PERSECVTORES quidem alij & Tyranni, etiamſi idolorum cultui erant dediti, in errore tamen ab initio educati, non externum aliquem & alienum cultū, ſed proprium & patrium habere videbantur: quem quidem iam tenentes, malè quidem, ſed tamen iam tenentes, fidē noſtram eſſe planè abſurdam exiſtimabant, & eos puniebāt, qui ad eam accedebant. Quorū quidem, cùm ea facerent, quæ ſuæ conueniebant conſuetudini, non magis quis mores vituperauerit, quàm erroris, in quo fuerāt educati, fuerit motus miſeratione. Præſens autē hic Tyrannus, cùm Iuliani Apoſtatę impietas. in rebus diuinis pulchrè à principio fuiſſet eruditus, & in Chriſtianorum legibus & moribus educatus, nec id ſolùm, ſed ſacris quoq; & arcanis ſcripturis fuiſſet dignus habitus, neſcio quanā de cauſa à fallacibus dæmonibus poſteà perſuaſus, illa quidem omnia poſteà habuit pro ludibrio, ijs contumelioſè inſultans, quæ ſunt venerabilia: gentilium autem ſolummodò res magnifecit, & in ſummo honore habuit. Quocircà eorum, qui vnquàm fuēre, perſecutorum fuit & iniquiſſimus, & impudentiſſimus: vt qui neque fidem, quam acceperat, ſeruauerit, & factis viſus fuerit maleuolentiſſimus. Iulianum tranſgreſſorem ſcio vos omnes nôſſe, quem vel ſolum cognomen facit omnibus exoſum & inuiſum, nedum mores ipſi: quo quidem nemo fuit ad vitium promptior & procliuior.

Cap. 2. Is ergo cùm, quod nemo putâſſet, in Deum, & eum, qui illo tempore imperabat, (is autem erat Conſtantius) amentiam, & in ipſos Chriſtianos, cum quibus erat ei nomen commune, defectionem parturijſſet, Romanorum neſcio quomodò arripit Imperium. Iuliani inſolens ſuperbia. Propter quod valdè elatus, & in ſummam euectus ſuperbiam, omnibus erat intolerabilis, & nec ſe continere poterat, niſi Chriſtianos omnes caperet & expugnaret: alios quidem minis & tormentis terrefaciens, alijs autem turpiter & illiberaliter blandiēs, alios

alios verborum ſtrophis ac technis aggrediens & illaqueans, vt quomodò liceret, eos, qui non perſuadebantur, ſubiugaret. Cæterùm eius improbitatem &, quæ ſub blanda verborum ſpecie latebat, fraudem & impoſturam perſpexerunt quidem multi & deprǽhenderunt, qui etiam citò vitârunt: multi autem tormenta quoq;, quibus ſunt cruciati, forti animo & excelſo ſunt perpeſſi, adeò vt ne turpe quidem verbum emitterent: complures autem etiam vſq; ad mortem decertârunt, vitij callidum artificem in omnibus pudore afficientes, & nihil aliud, quàm id, quod eſt eſſe malum, oſtendentes.

Quoniam autem præter omnes reliquos, hi tres quoq; viri egregij & planè interriti, qui ſunt etiam dicendi argumentum propoſiti, Tyranni crudelitatem, non ſecùs atq; deſipientis pueri, deriſerunt, eius minas perinde atq; laruas reputātes: res eorum ſunt in præſentia narrandæ, & ijs qui non nôrunt, quoad eius fieri poterit, explicandæ, vt eorum appareat fortitudo & inuictum animi robur. Præclarorum horum virorū, Perſis quidem erat patria, genus autem ex parte matris pium & religioſum: Pater verò (eſt enim amica veritas) permanſit quidem in errore: vita autem erat honeſta, & grauitate plena, & quæ pietati conueniret: omnes fratres, & animis, & corporibus. Nomen primo erat Manuel, ſecundo autem Sabel rurſus autem tertio Iſmaël, quib⁹ quidem ante alia hoc curæ erat maximè, vt à patrijs ritibus longiſſimè abeſſent, eoſq;, tanquam rem execrandam & auerſandam fugerent. Eſt enim Perſis ritus patrius, lucernas & ignem ſuffumigare ſacrificijs, & alijs adhuc magis execrandis pollui. Quæ quidem nec vnquam obſeruare in animum induxerunt, & vel ſolo adſpectu ſe iudicârunt inquinari. Erant enim ab ineunte ætate pulchrè inſtituti in diuinis, vtpote quòd quidam Eunoicus vir clariſſimus in eos pietatis ſemina deieciſſet, & eos aluiſſet pietatis dogmatibus. Cap. 3. Patria ſanctorū martyrū & genus.

Illos cùm huc mitti oportuiſſet ab eo, qui tunc in regione dominatum obtinebat, (vocabatur autem Alamundarus) vt Imperatorem conuenirent, certiſque pactis ac conditionibus cum eo pacem inirent, (hoc enim iam priùs & literis petierat, & miſſis legatis contenderat) neque virorum virtutem homo inſolens reueritus, quæ erat adeò magna & admirabilis: neque id propter quod accerſiti venerant: neque de futuro, ſi de nullo alio, dubitans, eos, qui aduenerant, intolerandis excipit ſupplicijs, & tandem morte acerbiſſima, pulchrè verò eos accipiens, & vt amentem eius decebat animum. Vndenàm autem ad hoc ſit incitatus, iam dicet oratio. Poſtquàm ergo hi tres, vt dictum eſt, venerunt ex Perſide, & ea ſcripta, quæ acceperant attulerunt, fœderaq; certis conditionib⁹ inita, Romanorum Imperatori & Principibus obtulerunt, eis quidem aliquantiſper permiſſum eſt, vt de more benignè tractarentur, & cōſueto honore fruerentur, vt qui de tanta re, quam afferebant, Legati acceſſiſſent. Cum Imperatore itaq; verſabantur aſſiduè, erantq; eis cum eo omnia communia, domus, victus, & quæcunq; eſt alia in aula regia benignitas. Quidni enim ea participarēt, qui tales erāt, & morum bonitate excellebant, cùm vel hoc ſolum quòd tantum iter feciſſent, ſufficere deberet ad hoc, vt benigniſſimè acciperentur? Sed hæc quidem nequaquam verè ac ſyncerè fiebant à Tyranno, neque eius erat hæc facere: ſed mox depræhenſus eſt id fictè ac ſimulatè inueniſſe, vt qui factis ipſis effecerit, quo facilè argueretur. Cap. 4. Legati ad Iulianum mittuntur. Contra ius gentium ab eo trucidantur. Simulatio Apoſtatæ.

Nam cùm ei aliquando viſum eſſet ire in quendam locum Bithynnorum, & fretum tranſmiſiſſet Chalcedonicum, & omnes iam, qui ei parebant, accerſeret, & non permitteret, vt aliquis ab hoc cœpto deſiſteret itinere: & præter cæteros hos quoque pios viros adduceret: Tunc enim ei publicum feſtum & celebre aduenerat, ſanguine & nidore, & cæteris piaculis ſuos colenti dæmones: (Erat autem nomen loci, in quo hæc execranda peragebantur Orgia, Trygon) Alij quidem omnes, vt qui denſis tenerentur tenebris, feſtum celebrabant cum Imperatore, & vnà ſacrificabant, & ei parebant in omnibus, vt qui corpore & animo eſſent imbuti impietate. Soli autem ij, ne apertis quidem oculis ea, quæ fiebant, videre ſuſtinentes, tolerabant ſoli procùl ſtare in angulo mœſti & lachrymantes, & Deum Saluatorem placantes, & rogantes, vt eis concederet integram & illæſam ſeruare religionem, & non pollui impiorum communione, quorum vel ſolam leuiter attigiſſe ſuperficiem, putabāt impietatem. Potiùs autem obſecrabant eum, qui eſt optimus, vt eos, qui iam morbo laborabant, conuerteret, & efficeret, vt animaduerterent in quanto eſſent errore, & eis ſignificaret, quiſnam ſit, qui eos ad hoc, vt eſſent, produxerit & formârit: & rurſus, cùm cecidiſſent, meliùs reformârit. Ne ſic enim, dicebant, ô Domine, ſiueris eos iacere in profundo malorum, nec cùm ſint participes rationis, impleri tanta egeſtate rationis, vt ijs, quæ ab ipſis coluntur, videantur à ratione alieniores, & minùs ſenſu præditi. Si- Cap. 5.

quidem illa, cùm ſint lapides & ligna, ſunt planè nullo ſenſu prædita: iſti autem cùm ſint ratione prædití, & acceperint, vt fierent ad tuã imaginem, & te, qui illos tanto honore affeciſti, ignorârunt, & naturam affecerunt dedecore, & ſibijpſis, quod eſt malum peſſimum, fecerũt iniuriam. Sed hi quidem, ſicut diximus, cùm ſe ab alijs ſeparâſſent, ſoli & inter ſe inuicèm ſteterunt, hæc petentes à Domino, & à ſuperis diuinum inuocantes auxilium.

Cap. 6. Nolũt cum Iuliano ſacrificare dęmonibus.

Poſtquàm autem venit quidam ab Imperatore, (is erat cubiculârius dignitate) eos trahens & producens ad ſacrificium, (exiſtimabat enim ſtultus, illos quoq; nõ minus q̃ ſe eſſe deceptos) bona verba, ei exclamârunt vna voce: Abſcede à nobis: fidẽ enim, in qua ſumus educati, nunquàm abiurabimus, neq; Deum noſtrum relinquemus, neq; colemus eos, qui ſunt apud vos, dæmones. Abſit enim, vt eo vnquàm animo ſimus, vt ijs qui non ſunt, nos adiungamus, & tam aperto errori mentem adhibeamus. Non ſumus adeò inſipientes, & mentis adeò emotæ, neq; adeò procliues, & ad ducendum faciles. Non enim hac de cauſa venimus, aut propterea tam longum iter ingreſſi ſumus, vt nos quoq; prodamus, religionemq; noſtram abiuremus. Venimus tantum ad ineũda fœdera, & ad ea confirmanda, quæ nobis viſa ſunt: alia autem habeamus, vt habemus. Hæc audiat & tuus Imperator, & quiſquis eum colit, & eſt ei proximus. Nos quidem non vincetis, nec ab ea, quæ eſt ex Deo, ſentẽtia dimouebitis, etiamſi incitati fueritis, vt omnia dicatis & faciatis: etiamſi igni & ferro, & alijs inſtrumentis ad puniendum inſtitutis tradideritis: etiamſi ipſas nobis animas abſtuleritis.

Conſtantia animi.

Cap. 7.

Hæc vbi audiuit iniqui miniſter iniquior, omnia quamprimùm aperit Imperatori, fortiumq; virorum renunciat conſtantiam & animos, qui perterreri nequeunt. Hic autem mihi conſidera inuerſam parricidę ſcenam, illamq;, quæ erat paulò ante, ſimulationem & ſummam malitiam detectam: quæ apud eos quidem, qui ſunt ignari fraudis, benignitas eſſe videbatur & humanitas, re vera aũt maleuolentia, & diſſimulatio, & malignitas erat ad vniuerſum. Poſtquàm enim de ſanctis audiuiſſet vir pernicioſiſſimus, interim quidem nihil aliud imperat, quàm vt includãtur in carcere, vt feſtum ſibi quoq; perageret expers omnis moleſtiæ, & quę dæmonibus fiebant, ſacrificia nõ interrumperet propter aliud negocium. Hoc enim tũc ſibi viſum eſt expedire, & deinde conſiderare, quemadmodùm eos aggrederetur. Cæterùm beati illi, dum ducerentur in carcerem, in via canebant: Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciẽ eius in cõfeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Et illud: Quis Deus magnus, ſicut De⁹ noſter, qui ſemper facit nobiſcum in gloria & poteſtate? Nos enim populus eius, & opera manuum eius, & eum perpetuò inuocabimus.

Cõijciũtur in carcerem

Pſalm 94.

Pſalm. 76.

Cap. 8. Siſtũtur corã Iuliano.

Cùm autẽ die ſequenti manè præſediſſet Tyrannus, iubet ſiſti martyres: qui eos primùm blãdis verbis conatur inducere, ſic calidè exiſtimãs ſe poſſe ſoluere robur animi etiã ſi propter eam, quæ illi coaluerat, immanitatem, aſperitatem minimè remiſerat. Tanquam nobis, inquit, beneuolos & eiuſdem nobiſcum in omnibus ſentẽtiæ, vos veſter Rex ad me miſit, vt hac in re fidelem veſtrum & gratum animum magis oſtenderetis, quòd dies feſtos nobiſcum celebraretis, & ſimul lætaremini, & quòd eoſdẽ deos nobiſcum coleretis, & in nulla re à nobis diſſideretis. Sic enim & fœdera ſumus habituri ſtabiliora, & in ijs, quæ aguntur, confidemus, ſi eadem mente & cultu inter nos colligemur. Quòd ſi vos quædã alia & ſentitis & creditis, ſciatis vos nõ tam venire legatos & recõciliatores, quàm hoſtes et aduerſarios. Nã ſi id non eſtis, omninò, ſi nihil aliud, oporteret vos veſtra reuereri. Perſæ enim vnà nobiſcum & Solem, & Lunam, & reliqua aſtra colunt, & præterea lucidiſſimam quoque ignis potentiam, ne alios quoq; deos enumerem, quos ab altè petito venerantur principio, à quibus nobis quoque donantur, quæcunque ſunt optima, & à quibus pendet vniuerſorum prouidentia. Cui ſancti ſimul & fortiter reſponderunt:

Cap. 9. Conſtãs eorũ reſponſũ

Nos, ô Imperator, qui ab initio Chriſtiani & ſumus, & vocati ſumus (hanc enim rẽ, & hoc nomen maximè venerabile, nos noſter docuit pædagogus, vir ille in reb⁹ diuinis inſignis, & virtute incomparabilis, qui etiam propter eam dignus eſt habitus ſacerdotio: ijs autem, qui cum eo verſabãtur, tantam ſui excitabat beneuolentiam, quãta ne dici quidem poteſt: nam eius quoq; nomen erat Eunoicus) hoc, inquam, viro virtutis ſtudioſo, duce & magiſtro vſi in omnibus, maximè cùm ſciamus matrem quoq; fuiſſe ab eo in pietate initiatam, & ſummè ab eo captam, nunquàm, quæ ſunt ab eo nobis tradita, tam precioſa & tanti facienda, aut prætericrimus, aut obliuioni mandauerimus: rebus autem veſtris inconſideratè animum adhibuerimus, quæ habent fraudes innumerabiles, ſuntque planè viles & abiectæ, quoniam nec hæ quidem fuerint aliquid

quid aliud, quàm error & meræ nugæ. Quidnam autem hoc fecerimus vnquàm inſipientius, ſi cæli quidem factorem reliquerimus, malis verò dæmonibus diuinum cultum tribuerimus? Hoc eſſet inſanæ & planè emotæ mentis. Si autem noſtri maiores manſerunt in veteri errore, ne dicam quòd ipſe quoque pater eadem, quæ illi, errãte animo eſt ſectatus, non ideò à nobis fides abiurabitur, quam profeſſi ſumus corã Deo & Angelis. Nam multi quidem ex ijs, qui ſunt apud nos, Perſis, hoc quidem tentauerunt, non potuerunt tamen noſtram mutare ſententiam. Et ſi, propter quæ venimus, non fuerint inita fœdera, tibi quidem id erit omninò imputandum, qui mittens ea cõſiderare & componere, de quibus miſſi ſumus, ſedes de ijs diſceptans, quæ ad te nihil attinent: nempe quis tuos quidem deos colat, & ſit eis beneuolus: quis autem eos deſpiciat, & ab eis diſſideat.

Propter hæc amens ille, ira plenus, quæ minimè cohiberi poterat, iracundè dixit eis: Quomodò vos, qui rudes & indocti ſemper vixiſtis, & linguæ Græcæ planè ignari, tam impudẽtes eſtis, vt veſtra mala & reproba oratione nobis velitis perſuadere, qui ad ſummam peruenimus eruditionem, idque cùm nec ſimus quidem veſtrarum ignari ſcripturarum? Sciatis enim, quòd ego quoque, cùm eſſem in eis aliquando verſatus, & nouiſſem quàm eæ eſſent corruptæ & planè ad diſſoluendum faciles, eas quamprimùm à lingua mea abſterſi, ne ex illorum inſcitia & ineptijs aliquid erroris contraxiſſe viderer. Nemo enim veſtris fretus libris, quos eleganter quiſpiam vocauerit Chriſtianos, aut ſe vnquàm euaſit melior, aut præclarum aliquid fecit, & dignum quod cõmemoretur. Quos refellere, & nihil eſſe oſtendere, nec longi eſt temporis, nec viri vel mediocriter cordati. Quamobrem his dimiſſis, & hac puerili & inconſiderata cogitatione, credite mihi vobis conſulenti ea, quæ ſunt meliora. Sin autem audire & parere nolueritis, vos docebit tormentorum experientia, pro qualibꝰ qualia elegeritis, & quanto veſtro malo ſit hæc arrogantia, & contentio, & abſurdiſſima religio. *Cap. 10. Iratus Apoſtata prodit ſuam arrogantiam & malam mẽtem. O impudẽs mendaciũ.*

Ex quibus ſancti magis confirmati, cùm graues audiſſent labores & dolores, Tyranno dixerunt audaciùs: A Deo noſtro & Domino didicimus, non timere eos, qui corpora occidunt, neque propter metum prodere veritatem, neque quando deducimur, meditari quid reſpondeamus, cùm ipſe ſpiritus ſanctus & paret ad certamina, & animum impleat audacia, & det ſermonem in apertione oris. Quam autem rationis egeſtatem nobis obijcis & inſcitiam tu, qui tibi eſſe videris omnium eruditiſſimus? Neſcio vter ſit à ratione & omni ſapientia alienior, is ne, qui Deum agnouit, & huius vniuerſi creatorem, & omnem ei honorem tribuit, à quo vel ſolo poſſunt omnia manu compræhendi, & ipſa quoq; aſtra numerari, vt dicunt diuinitùs inſpirata eloquia: an is, qui eum quidem reliquit, adorat autem res ab ipſo creatas, & diuinum eis nomen tribuit inſipienter: ne dicam honores dæmonum, & turpiſſimorum aliorum ſimulacrorum, quibus vos exultatis, qui magnificè veſtram iactatis eloquentiam? Nam ſi vobis vel tantillum ineſſet rationis, neque vos ijs adiungeretis, neq; teneremini tantis inſcitiæ tenebris. Nam homo, qui eſt rationis particeps, & in cuius poteſtate ſita eſt ratiocinatio, nunquàm tam aperto errore inducetur: ſiquidem hoc pertinet ad rationem, ratione vti cum ratione, & eligere per rationem ea, quæ ſunt præſtantiſſima. Rerum autem omnium præſtantiſſima eſt Dei cognitio, quod quidem eſt extremum omnium expetendorum, & aſſcenſus mentis diuinioris. Quæ ſunt verò apud vos orationes, linguæq; nimis redundans, & inanis copia, non ſolum ſunt plenæ nugis & vanis ineptijs, ſed etiam veſtri vobis vanã conciliant perſuaſionẽ, & ab omni, quod bonũ eſt, prolapſionem, & à Deo, quod eſt peſſimum, alienationem. Quod quidem tibi quoque accidit, qui, aures patefeciſti, & vniuerſis eis es delinitus, vt mutâris etiam appellationem, nempe qui pro Chriſtiano Græcus, & pro pio impius, & Deo planè carens eſſe & dici volueris. *Cap. 11. Matt. 10. Egregiè perſtringunt tyrannum. Pſalm. 146. Nota officium hominis ratione præditi.*

Hæc cùm audiſſet craſſa & terrena anima, & idolorum verè plena caligine, impletur ira, quæ non poteſt cohiberi: iubetq; ſtatim humi extendi martyres, & crudis loris & induratis per quatuor homines ita cædi, vt totum corpus ſanguine circunfluat. Deinde cùm parùm intermiſiſſet, eorum manibus & pedibus clauis perforatis, eiſque ligno ad puniendum inſtituto alligatis, ſublimes ſuſpendit, iubens eorum carnes ferreis vngulis laniari. Quæ cùm vehementer lacerarentur, & multa membra illis vngulis auellerentur, & grauibus doloribus omni ex parte peterentur, ne ſic quidem flectebatur robur eorum animi, aut euadebat mollius: ſed ad ſolum Deum fixis adſpicientes oculis, & lingua & mente hoc loquebantur: O Domine, qui ipſe quoque ab impijs fuiſti in ligno ſuſpenſus, qui de peccato non triumphâſſes, & id traduxiſſes, *Cap. 12. Cæduntur loris immaniſſimè &c. Preces fundunt ad Dominum.*

niſi

niſi per Crucem mortem ſuſtinuiſſes, in ligno nos quoque pendemus, qui te dileximus, vt omninò eradatur nobis carnis craſſitudo, & ictu ferri curentur ſauciatæ animæ. Sed quoniam naturæ nôſti imbecillitatem, da ex alto auxilium, & alleua laborē, & ſeda doloris acerbitatem. Te enim freti, auſi ſumus ſubire hæc grauia & laborioſa, quæ quàm ſint acerba, vides Domine, & quàm nos valdè crucient. Sed ô Ieſu dulciſſime, qui es velox ad defendendum, non eras dilaturus vel dare ſeruis tuis petitionē, vel etiam dare eis plura, quàm petierant. Cùm enim preces adhuc lingua verſarent, apparuit tuus diuinus Angelus, & leuauit eis dolores, & effecit, vt corpora meliùs ſe haberent: nec id ſolum, ſed etiam ad reliqua confirmauit certamina, magnam dans eis gratiam, & ſpe maiorem.

Diuinitùs cōfortātur.

Cap. 13. Intereà autem dum hæc fierent, Tyrannus quoque iuſſit eos relaxari à ſupplicijs. Quos ludificans & veluti irridens: Videtis, inquit, quomodò adhuc vobis parco, à grauioribus abſtinens, quòd ſperem fore, vt mutemini? Quod ægrè ferentes ſancti, & maiori repleti fiducia: Noli putare, ô Dei inimice, reſponderunt, fore, vt nos aliter ſimus affecti, quàm iam affectos videris. Fac decætero, ſi quid aliud volueris: nos autem parati ſumus omnia perpeti, ſiue torqueamur, ſiue flagris cædamur, atque adeò ipſo igne comburamur, voluptatem potiùs, quàm pœnam, tormenta exiſtimantes. Eſt enim reuerà iucundum propter Chriſtum pati ijs, qui ſunt recto ſenſu præditi. Sed ille inſipiens, ne poſt tantam quidem præclarorum virorum experientiam intelligens, ſed adhuc ſurdus & corde & auribus, inuictos illos conatur alio modo aggredi. Et cùm vnum ex his primùm procùl à cæteris remouiſſet, cum duobus ſolis, nempe Sabel & Iſmaël, ſibi loquendum ducens, putauit fore, vt verborum fucis eos induceret, vtique conſulens, & quæ ſunt optima ſuadens, vt putabat. Qui, inquit, infeliciter ex præclaro veſtro patre eſt natus, (neque enim eum vtiq; veſtrum fratrem dixerim, qui eſt malignus & improbus) cùm ſit impudens & contentioſus, ea facit & ſentit, quæ eius arguunt amentiam, vobis quoque perſuadens illius via ingredi, & nec in religione nobiſcum cōuenire, nec in honore deorum, nec in vlla re alia. Sed vos cùm tandē id, quod oportet, didiceritis, illum quidem ſinite nugari & hiare inaniter, ipſi autem ſtate nobiſcum, & noſtros deos colite, vt eos quoque vobis habeatis propitios, & innumerabiles remunerationes ab eis conſequamini.

Nota verſutiam Apoſtatæ.

Cap. 14. Hæc verba præclari victores cùm ne arrectis quidem auribus audire ſuſtinuiſſent, hæc liberè & confidenter exclamauerunt: Cur teipſum decipis, attonite & moribus verſutiſſime, vias verſans innumerabiles, & inſtar veſtri Protei te mutans & varians? Si noſtrî nondum feciſti periculum, nec quæ præceſſerunt, adhuc tibi ſufficiunt, vtere rebus tuis, nec abſtineas ab aliquo, quod ſit in tua poteſtate. Eſt autem tibi omninò magna malorum copia, cùm habeas animam adeò malam & iniquam. Sin autem & feciſti periculum, & animaduertiſti rationem & conſiderationem, quæ non poſſit cedere, & vidiſti iam immutabilem fidem in Dominum noſtrum & Deum, quidnam tibi venit in mentem, vt exiſtimes nos futuros tam faciles, vt momento temporis nos capias? Non enim, ne ſi nos quidem contingat eſſe emotæ mentis, veſtra ſimulacra coluerimus, quę & ex luto facta ſunt, & nō plùs quàm lutum ſapiunt: quę oculos quidem habent, ſed non poſſunt videre: & aures, ſed priuatæ ſunt ſenſu auditûs: & nares, ſed odorum minimè ſuſcipiunt odoratum: rurſus manus & pedes, neq; ad aliquid videri potuerunt vtiles, neq; vnquam amiſerunt id, quod habent lapideum. Quomodò enim, cùm ſint reuerà lapis? Pulchrè enim ante nos quoq; diuinus Dauid veſtros deos eſt ludificatus: non eos autem ſolùm ſed eos quoque, qui in eos confidunt, quos etiam vocauit magis amentes, & nec ipſum quidem intelligentes, ad quantam rationis egeſtatem ſint conuerſi.

Egregia eius nequitia retunditur.

Pſal. 134.

Cap. 15. His amens iſte totus perturbatus, cùm ſe non poſſet ampliùs continere, eorum protinus lateribus ignis faces admouet, vt ſicut ille ira, ita ipſi igne arderent. Qui etiā cùm toti omninò comburerentur, gratiarum quoque actionem in hoc intolerabili tormento Deo emittebant, non ad præſentes intuentes dolores, ſed ad æternam lætitiam, neque moleſtum pati, ſed non pati, eſſe grauiſſimum exiſtimantes. Ita eos affecit amor in Chriſtum, vt ipſius quoque, quam habebant, naturæ obliuiſcerentur. Sed iſte graui corde & furore percitus, perinde ac ſi nihil vidiſſet eorum, quæ facta fuerant: Non ſentitis, rurſus dixit viris illis egregijs, vos nondum à dijs omninò haberi odio, qui veſtram expectant conuerſionem, qui etiam proptereà vos efficiunt malorum tolerantes, quæ ſunt in doloribus laborioſa & difficilia, mutantes? Sed hoc planè eſſe ridiculum & ſtultiſſimum beati illi arbitrantes: Nihil nobis rei cum tuis

Igni vruntur atrociter, & laudant Deum

Nugatur Apoſtata.

dijs

dijs, magna rurſus voce clamauerunt, ô infeliciſſime: habemus noſtrum ſeruatorem & Dominum, quem in omnibus adiutorem fatemur, & ſcimus. Is & à præſentibus nos liberat doloribus, & in rebus aſperis præbet audaciam, & efficit, vt ignem & ferrum, & quoduis aliud deſpiciamus. Quomodò enim aliter caro & ſanguis ſuffecerit aduersùs tantum examen tormentorũ, cùm vel lapidis natura, quæ nihil eſt aliud, quàm dura, his conſumpta & planè eſſet confecta? & niſi nubes ignorationis impediens, rationi tuæ tenebras offunderet, & tibi ſenſum adimeret, cognouiſſes omninò noſtra eſſe omnia diuina & admirabilia, & vero Deo digna. Nunc autem nihil ſcis eorum, nec vis intelligere. Quomodò enim, qui rebus ſolis inhies turpiſſimis? quoniam ad ea ſola quæ ſunt peſſima, te mali in errorem abduxerunt dæmones. Nota vim gratiæ Dei.

Veritus ergo tranſgreſſor, ne, dum eos magis examinaret, maiores acciperet contumelias, illos quidem, vt quos deſperâſſet ſe omninò perſuaſurum, omninò reliquit: conuertitur autem rurſus ad Manuelem, deceptus ſtultus, vt qui crederet fore vt is ad ipſum declinaret, ei minas & rurſus maiora proponens ſupplicia prioribus. Sed nec ille vir egregius eſt omninò conuerſus ad ea, quæ iamdiù antè contempſerat, & maiorem oſtendit conſtantiam, libera & confidenti voce clamans: Cur vanè laboras? Cur te fruſtrà impudenter geris, ô Tyranne? Quid non ex noſtris nôſti ſæpenumerò? Neſcis quænam ſit nobis & ſententia, cùm ſimus vnus vni colligati, & vnũ omnes ſentiamus? Aut ergo tres ſupera, aut à tribus recede. Eſt venerãdus numerus ternarius, quo nos ſumus honorati. Sancta Trinitate nos tres ſumus muniti, à qua nobis quoq; adeſt, vt ſimus vniti, & vt maneamus infracti, & nihil reformidemus ex ijs, quæ ſunt terribilia: iam enim rurſus dicemus ea, quæ ſæpè diximus. Quæ enim ſunt vnius, trium eſſe exiſtima. Fidẽ, in qua ſumus ſimul educati, minimè abiurabimus, tuos dęmones non colemus, Dominum noſtrum & Deum minimè relinquemus, præſentia futuris non mutabimus, neque vitam breuem & fluentem, æterna, & quæ ſtat, & ſemper eodem modo ſe habet. Cap. 16. Manuelis præclara vox.

Cùm poſt hæc perplexo eſſet animo ille infelix, & planè ſpem omnem abieciſſet, valdè timens, ne inſigni ſanctorum conſtantia, ex ijs quoque, qui cum eo erant, conuerterentur aliqui, & illis adderentur, tunc fert in ipſos ſententiam, iubens, vt clauis priùs infixis eorum capitibus, & acutis arundinibus in vngues eorum immiſſis, abducerentur & vitam finirent gladio. Deinde vt ſtatim rogus quoque accenderetur, & eorum abijcerentur corpora, vt ne puluerem quidem liceret efferre Chriſtianis, ſi hoc facere voluerint. Sancti ergo, qui ducebãtur à militibus, peruenerunt ad locum, in quo erant conſummandi, qui vocabatur Conſtantini: Erat autem præceps, & acceſſu admodùm difficilis: in quo etiam conſtituti, has vltimas preces fuderunt Domino: Deus, qui es ante ſecula, & expers principij, qui ex eo, quod non eſt, ad hoc quod eſſent, produxiſti vniuerſa, qui in vltimo dierum propter noſtram ſalutem teipſum exinanijſti, & in forma ſerui nobiſcum es verſatus, & mortem per crucem ſubijſti, vt nos ſolueres à peccati vinculis, & regni tui faceres participes, ſuſcipe in pace tuos famulos, & coopta nos in numerum eorum, qui tibi placuerunt à ſeculo: quoniã propter ſanctum tuum nomen hanc mortem gladio afferendam noſtra ſponte ſuſcipimus, & à vita præſenti excedimus. Quinetiam eam, quæ nos circunſiſtit, multitudinem, & maligni fraude redacta eſt in ſeruitutem, conuerte, ô miſericors, ad tuam agnitionem, & da eis mentem ſanam & prudentem, vt te ſolum verum Deum agnoſcant, & tibi ſoli ſe dedicent. Cap. 17. Crudelis ſententia tyranni in inuictos martyres.

Hæc cùm precati eſſent Martyres, vox eſt ab eis audita deſuper. Venite, dicens, gloriæ coronas accepturi, & beatæ vitæ fructum percepturi. Pulchrè enim à vobis peractus eſt curſus certaminum. Et ſtatim fuerunt eis amputata capita, decimoſeptimo Iunij. Protinus autem locus, in quo ſtabant, ſciſſus in duas partes, eorum compręhendit corpora, vt ſalua conſeruarentur & illæſa, & iuſſus Tyranni appareret inanis, qui re vera erat huiuſmodi, vt igni eos mandari iuſſerit. Lictores verò cùm hoc vidiſſent miraculum, ſe in fugam coniecerunt. Multi autem ex ijs, qui illic aderant, cùm Domino crediſiſſent, & errori renunciârunt, & cooptati ſunt in numerum Chriſtianorum. Qui cùm duos dies in loco manſiſſent, & Deo multas preces fudiſſent, ſanctorum corpora repentè terra reddidit admirabiliter, longo optimo odore plena. Quæ cùm ſuſtuliſſent, & honorabilia honorificè depoſuiſſent, eis iuſta ſplendidè & magnificè fecerunt. Ex eis autem horis ſingulis ſcaturiunt curationes, & gratiam donant ijs, qui veniunt. Cap. 18. Capite plectuntur. Inſigne miraculum. Multi credunt.

Cæterùm punire ea, quæ fecit tranſgreſſor, non diù diſtulit iuſtitia: ſed celerem Cap. 19.

& grauem de eo pœnam ſumpſit, quę in Perſarum fines deduxit, & effecit, vt illic eius miſera erumperet anima. Nam cùm Rex Perſarum magna in eum ira æſtuaret propter ſuos interfectos, vt qui eſſet iniuſtus & fœdifragus, & pacis inimicus, & iſte cum magna arrogantia & exultatione appropinquâſſet Perſidi, & bellum inter eos erupiſſet, & impius turpiter eſſet victus, iuſtè plagam illam accepit in viſceribus: riſus quidem à dæmonibus, qui ipſum deceperant: riſus autem à Chriſtianis quoque, quibus ſe eſſe facturum peſſima erat minatus vir pernicioſiſſimus. Quocircà par eſt, vt nos quoque Deum glorificemus, qui nõ longo tempore emittit virgam ſuper ſortem iuſtorum, ſed celerem dat ſalutem & ſpe maiorem ijs, qui eum diligunt. Quoniam eum decet omnis honor, & gratiarum actio, cum patre principio carente, & viuifico ſpiritu, nunc & in ſecula ſeculorum, Amen.

Iuliani interitus.

VITA S. AVITI PRESBYTERI, EX EGREGIIS MS. CODICIBVS, PER F. LAVR. SVRIVM MVTATO ferè ſtylo deſcripta.

Eſt enim valdè obſcuro ſermone, ſed tamen ante annos plùs minùs mille grauiter contexta à quodam ſancti viri propè æquali.

Iunij 17. Cap. 1. Patria S. Auiti.

AVITVS apud Aurelianos plebeio ex ſanguine ortus, parentes habuit humili loco natos. Matri eius patria fuit Virdunum, cui ingenuitatem virtus & meritum conciliauit. Vt autem Aureliam proficiſceretur, inopia & egeſtas eam compulit. Nupſit verò illic cuidam Belſicolæ, cui peperit Auitum egregium filium, qui quandoque populo magnam eſſet ſalutem allaturus. Eo naſcente, ingens lumen in cubiculo apparuiſſe, certa relatione compertum eſt, ita vt eo ſplendore obſtetrices aboſficio ſint deterritæ, tantique miraculi perculſæ ſtupore, non fuerint auſæ lumen illud cæleſte intueri. Sed Dominus præſcius futurorum, non ignorans futurum illum fidelem ſeruum ſuum, in ipſo ortu eum ſanctificauit.

Cap. 2. Fit monachus.

Creuit inde puer, & cùm infantiæ rudimenta exceſſiſſet, ad Mictianenſe monaſterium deuotus aduolauit, depoſitaque coma, monachum profeſſus eſt. Cùm autem nedum Abbati, ſed etiam omnibus pura animi ſimplicitate obediret, monachi quidam inuidia correpti, fatuum eum vel brutum appellabant, crebrò illi obtrectantes. Habebat verò pro more, partem ciborum ſuorum clàm egenis impartiri, ſæpè etiam ſibi detractis veſtibus illorum tegere nuditatem. Abbas itaque cæleſte in illo lumen conſiderans, tacitus illum amare cœpit, conſtruxitque ei cellulam intra veſtibulum monaſterij procùl ab alijs, ne eius ieiunandi & vigilandi aſſiduitas à fratribus oſtentationi & arrogantiæ tribueretur. Vt verò omnes manifeſtis indicijs Dei hominem eum eſſe perſpicuè cognouerunt, inuito Cellarij munus demandârunt. Non potuit ille recuſare Abbatis imperium: ſed cùm eam miniſterij ſarcinam in ſuos humeros recepiſſet, ab immiti familia, crebris inſidijs honeſta eius ſimplicitas appetita & exagitata eſt.

Cap. 3.

Quadam autem nocte, cùm ex more Abbati incumbere volenti inſeruijſſet, cingulum cum clauibus colligatis cautè ad eius caput depoſuit, relictoq; illo onere ad Calauniæ loca abditiſſima ſeceſſit: vbi cellulam è vilibus texens virgultis, multis diebus delituit, decem plùs minùs milliaribus procùl à monaſterio. Cumq; Abbas ad nocturnas laudes canendas pro conſuetudine ſurgeret, labẽte cingulo, clauium cellarij ſtrepitum audit. Obſtupefactus igitur, nihil dubitat aufugiſſe Auitum, citoq; ad cellulam eius ſe conferens, omneq; cœnobium & cellulæ nemoroſa ſepta perluſtrans, nulla ratione inuenire potuit, quem noctis tenebræ facilè occultabant. Non multum autem interceſſit tẽporis, cùm vir ſanctiſſimus Maximinus, qui per id tempus Abbatis miniſterio perfunctus erat, migrauit ad cælos: cuius ſacro humato corpore, monachi ad inquirendum Auitum ſimul omnes profecti ſunt, tandemq; repertum, ad monaſterium precibus flexum adducunt, ſibiq; Abbatem, pontifice iubente, conſtituunt:

Secedit in locum deſertum.

Fit Abbas ſui monaſterij.

Tum

Tum verò ingrato ſub faſce humilitas ſublimata gemiſcit: rurſumque fugam meditans vir Dei, terrena faſtigia reſpuens, vno tantùm puero comite contentus, vaſtas ſolitudines latitaturus expetit. Erat quidam eremi locus, nemoroſa fronde contectus, planeque abditiſſimus in Piſtiacæ ſylua fundo, quem olim priſca manus conſtruxerat, hederęque complexu horrebant culmina ſenſim diruta. Ibi ille vltrò ſeſe in illud protrudit deſertum, exiguamque ex corticum fragmentis domum prouidus Chriſticola ſibi cōnſtruens, longe à villarum culminibus clandeſtinum amplectitur exilium: & diù multumq; ruricolis ignotus, pomiferis dapibus, quas ſylua miniſtrabat, ſeſe ſuſtentat. Cap. 4. Rurſus fugit in eremum.

Per id tempus, vberrimos glandium prouentus nemus omne ſuppeditauit: cumq; duo ſubulci immenſam illam vaſtitatem luſtrarent, vnus iam olim mutus longo ſilētio, fratrem per auia comitabatur. Itaque paſtorali ritu inter cæruleæ noctis ſpatia accenſis tedis vagantem pecudē illis ſequentibus, ſubitò extinctis tedis ab immenſo imbre, pecus ab oculis euanuit, & omnia rapuêre tenebræ: nec iam ſpem vllam luminis recuperandi eremi vaſtitas offerebat. Interim formidantes gregi, oculis maiori cura inuigilant. Tandem velut ſtellam radiantis Olympi procùl ignem conſpiciunt, atq; cò mutus ille, non tam vocibus, quàm nutibus vſurus, properat. Vbi ad tugurium beati viri peruenit, fixus in limine, balbutienſque, protenſa teda nutibus rogat ignem ſibi commodari. At vir Dei in medijs denſæ noctis tenebris cernēs hominem tetra facie, deformi capillo, vilibus pannorū fragmentis ſemitectum, nonnihil perterritus, quòd putaret ſe aliquod immanis eremi monſtrum videre, aut inter nocturnas tempeſtates dæmonem ſibi apparere, mox ad orationis præſidia ſuo more confugiens, humi ſe proſternit, & diù multumq; Dominum deprecans cum lachrymis, orat indicari ſibi, vtrùm à bono vel malo ſit is, qui ſe ipſi repræſentet, & vt nullis artibus illum celari patiatur, quin & genus & conatus ſuos exponat. Poſt preces à terra ſurgens, Crucis ſignū manu pingit contra hominem, ſicq; affatur ignotum: Quiſnam ſis, tam ſubitò meo illatus tugurio, prorſus ignoro: ſed per Chriſtum omnipotentis Dei filium, cruci ſuffixum, te adiuro, vt cuius generis monſtrum ſis, vel quid in deſertis his locis agas, mihi edicas. Mox ad imperantis vocem inſontis lingua laxatur, voxq; intra fauces renaſcitur: indicat homo, quid neceſſariò petiturus venerit: fatetur maiora ſe accepiſſe, quā petierit, quippe qui lumen ſolùm expetens, etiam vocem ſine precio referat. Deinde ſentiens viri Dei virtutem, ad eius pedes ſe abijcit, immenſas agit gratias pro collata ſibi medicina. At vir Dei intelligens hominem non tam à paſtoribus, quàm ab ipſo Deo ad ſe miſſum, multùm lætatur Dei beneficio, eiq; gratias agit: hominem quoque complexus, Crucis ſigno munit, redditoq; lumine incolumem à ſe dimittit, qui querulus ad ipſum venerat. Cap. 5. Mutus loquitur, a ſancto viro interrogatus.

Porrò autem effrenis porcorum grex cum cuſtode longiùs abſceſſerat, nec iam ſcire potuit homo, vbi illum inter opaca ſyluarum & noctis vmbras quæreret. Mox nouo iubilo complet nemus, & fratris nomen crebra voce compellat. Ille vt nomen ſuum audit iactari per auras, obſtupeſcit, turbatuſq; animo, miratur quis vel muto reformârit vocem, vel importunis clamoribus ipſum auſit appellare, vel priùs incognitus eò aduenerit. Hæc autem illo inter arborum vmbras cogitante, lumen obuiū conſpicitur, aduentantiſq; vultus exploratur. Poſtquàm ergo prodente lumine fratrem incolumem vidit, irruit in collum eius, cumq; complexans, gaudia lachrymis permiſcet, ſciſcitatur de medico, virtutis vim illo narrante cognoſcit. Cap. 6.

Sole orto, ambo pariter properant ad hominem Dei: proſtrati, ingentes agunt gratias, grandem pro impetrata ſanitate porcum offerūt ſacerdoti. Sed cùm ille omnem ſibi carnis eſum penitùs interdixiſſet, noluit accipere, iubet ſuo gregi porcum reſtitui, obſecrat, ne vel ipſum, vel locum, aut rem geſtam vili reuelent. Sed celari diù non potuit, quòd cæleſtis virtus ipſo Domino iubente prodebat. Digrediuntur inde à viro Dei, mutuſq; ad paternas ædes iam benè vocalis remittitur: qui vbi feſtinus paternæ domûs limen exceſſit, in medio ſtans, in has prorumpit voces: En genitor optime, natus tuus multos dudùm damnatus per annos, hodiè te noua ſalutis voce compellat, & cæleſti virtute ſoluta lingua te pronunciat. Surgite ergo læti & alacres, & vnà mecum ſimul omnes abite ad ſyluas, diuinum medicum veneraturi, & ſancto Auito pro redditâ mihi voce gratias acturi in deſerto. Pater ergo vt audiuit filium rem geſtam ordine explicantem, paululùm ſubſtitit: inde in collum filij incumbens, membra complectitur, & multis inter gaudia lachrymis caput eius rigat. Occurrit etiam mater nō minùs hilaris, cupiens filium audire loquentem. Mox in vicinos rei geſtæ fama diffun- Cap. 7. Vir Dei perpetuò abſtinet carniū eſu.

Multi ad cũ morbidi cõfluunt, & ſanantur. ditur, & Auitus vbiq; celebratur. Vndique deuoti confluunt populi, arctaq; deſtructos ad ſanctum ſemita ducit tugurium ſacerdotis: languentium cum turba cupit attingere, immenſa miſeris ſtipatur ſylua cateruis. Verſari videtur in foro, qui priùs abditus deliteſcebat in ſolitudine. Morbus omnis depellitur, languores omnes curantur, tolluntur in cælum voces Deum laudantium, & gratias agentium atq; dicentium, Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis per ſanctum Auitum. Sed cùm vir Dei immenſa populi multitudine premeretur, voluit nocturnis horis clàm ad loca occultiora ſe transferre: ſed tam populi precibus, quàm præſulum authoritate, vix tandem potuit retineri. Construxit autem eo in loco inſigne monaſterium, in quo in hunc vſq; diem priſcorum patrum Pauli & Antonij inſtituta inconuulſa ſeruantur.

Pſalm. 117.

Monaſteriũ conſtruit.

Cap. 8. Per id tempus vir Dei Aureliam proficiſcebatur, liberaturus miſeros, qui in ergaſtulis vincti tenebantur. Venit autem ei obuiàm immenſa turba languentium: è quibus vnus paruulum filium à natiuitate cæcum ad eius pedes depoſuit, orans vt ei lumen reſtituat. Iungunt cum illo preces ſuas ſimul vniuerſi, ne poſſit pater pueri voto fruſtrari ſuo. Itaq; ſanctus Auitus tam illorum precibus, quàm paterna pietate permotus, in oculos cæci pueri ſignum ſalutis impreſſit, & eueſtigiò ille præſentem potuit cernere mundum. Quod quidem nos ab eius ipſius cæci, ſed nunc clarè videntis, ore accepimus. Nimis vero prolixi operis eſt cuncta annotare, quæ tum Aureliæ, tum alijs diuerſis in locis vir Dei effecit. Certè eius vrbis iudicum ſuperba poteſtas, viſis eius miraculis, adeò ei addicta fuit, vt ante omnia vincti, eo rogante, relaxati ſint.

Signo Crucis cæco reddit lumen.

Cap. 9. Non eſt autem illud quoq; ſilentio prętereundum miraculum, quòd quidam * Miciacenſis monachus, quem ſanctus Auitus peculiariter charum habuit, qui etiam in ſolitudinem cum illo profectus fuerat, cùm iam ſupremum duceret ſpiritum, fratres rogauit, ne ipſius corpus priùs tumularẽt, quàm beatiſſimus Auitus ſuper corpus eius precatus eſſet. Porrò beatus Auitus more ſuo abſq; vllo vehiculo iam procùl ſeceſſerat in deſertum itinere longo, & ad ſolis occaſum vſq; illic conſtiterat: cùm ecce vnus è fratribus derepentè ei nũciat obitum illius, quem diximus. Ille verò eo nuncio non mediocriter afflictus, qua potuit celeritate ad monaſteriũ properauit. Iam noctis mediæ ſpatia abierant, & ingreſſus vir Dei in oratorium, circa defunctum ipſe quoq; inſtar aliorum in medio templi ſe proſtrauit. Iam verò vigilijs defeſſos monachos ſomnus obtinuerat. Tacuit vir Dei, lætusq; illo ſilentio, ad feretrum ſe adiunxit, cõuerſuſque ad ſolita precum arma, more ſuo humi ſe abijcit, multo lachrymarum imbre ſanctorum metuenda pauimenta perfundit, ad omnipotentem Dominum indeſinenter preces ſupplices tranſmittit. Abſolutis precibus, ſurgit à ſolo, ſentit diuina benignitate vitam monachi ſui ſibi donatam, defunctumq; inter ipſa noctis ſilentia ita compellat: In nomine Dei patris omnipotentis ſurge frater, & tam repentini deceſſus tui rationem nobis expone. Ilicò ſurgit, qui fuerat mortuus, ſedenſque in feretro, omnia, quæ ipſi eueniſſent, & quemadmodùm eius oratione à terræ mortis vinculis ad lucem eſſet reuocatus, ordine explicauit. Monachi eorum mutuis colloquijs excitati, obſtupeſcunt cæleſti miraculo, quòd vita functum cũ S. Auito ſermones conferre viderent. Itaq; omnes humi proſtrati, ſacerdotis veſtigia lambunt, Deo in excelſis gratias ſublimiter agunt, quòd tanta per Auitum virtutis ſuæ miracula in eo monaſterio declararit. Porrò is, qui excitatus fuit à morte, beati viri complexus dexteram, incolumis à feretro ſurrexit, & cum hymnis & canticis ſpiritalibus ad amicam cellulam abſceſſit, multiſq; poſteà annis ſuperuixit. Fuit hoc miraculum à ſancto Leobino Carnotenſi Epiſcopo diuulgatum, qui ſe ab ipſo ad vitam reuocato fratre id didiciſſe teſtabatur. Sumus autem in cõmemorandis beatiſſimi Auiti miraculis, quorũ iam olim probata teſtimonia collegimus, ſuccincti, ne myſteriorum ſolennia in veſperam vſque protrahamus.

Nota, Sanctorum metuenda pauimenta.

Excitat vita functum.

Is S. Leobinus floruit Anno Chriſti 525.

Cap. 10. Quidam ex Dunenſi caſtello, pro eius plebeculæ ſalute deprecaturus, ablegatus eſt ad S. Auitum. Accedit deuotus ad virum Dei, obſecrat, vt corpus ſuum pro caſtelli eius munimine, apud ipſos patiatur poſt obitum ſuum humari: pollicetur eorum verbis, egregiam fabricam ipſius nomini ſe dedicaturos. At vir ſanctus: Indignum eſt, inquit, hominem peccatorem & multis criminibus inuolutum, intra templum tumulari: campis patentibus ad futuram examinationem, oſſa humiliata in foſſa humo decet recondi. Sed tamen vt veſtro ſatisfiat deſiderio, ſi in propoſito permanetis, templum in Dei nomine vt conſtruatur, non recuſo. Meum verò corpus ad Aurelianorum vrbem ex Dei voluntate condetur. Si quid tamen opportunum veſtro loco exiſti-

Nota quid priſca ætas tribuerit ſanctorum reliquijs.

exiſtimatis, inter futura mox iurgia, ex abeunte indignas meas, ſi poſcitis, reliquias capietis. Quod ita quoq; factum eſt. Illo enim in loco hodiè magna degit cögregatio hominum, Deo ſacra officia ſine intermiſſione reddentium.

Nec multò pòſt vir beatus certaminis ſui finem obtinuit, ſanctumq; cælis ſpiritum reddidit. Vbi verò Aurelianenſes & Dunenſes de eius obitu certiores facti ſunt, propter ſacrum corpus ſibi vendicandum vtrinq; arma capeſſunt. Dunenſes Abbatis ſui corpus tanquàm quodam ſuo priuilegio repoſcebant: Aurelianẽſes monachum Miccianenſis monaſterij ſibi deberi contendebant. Cùm autem monaſterium, in quo vir Dei deceſſerat, Dunenſibus eſſet propinquius, celeriter omnes eò aduolant, defuncti corpus tanquàm inſtructa acie rapiunt, ſublatumque ad extructam baſilicam abſportare nituntur. Sed non ſegnes Aureliani, licèt aliquanto poſteriùs, armis inſtructi occurrunt, fores baſilicæ occupant: clypeis tecti, parant ſe ad confligendum cum Dunenſibus ſacrum corpus abſportantibus. Id vbi è ſylua progreſſi hactenùs ſecuri Dunenſes conſpiciunt, animis perturbati, deſperant ſe poſſe voto potiri ſuo. Itaque ſubmotis illis, in media æde onus ſacrum inuiti deponunt, caſtris caſtra opponunt, inter media vtrorumq; tela theſaurus conſtituitur: ſed cælitùs adeſt præſidium, ne eius cauſa, qui multis ſæpè vitam attulerat, in mutuæ cædis diſcrimen illi conijcerentur. Adeſt, Deo volente, Leuſus, vir inſignis ac ſumma poteſtate præditus: iurgantium lites dirimit, armatorum ſæua conſilia diſſipat, corpusq; ſalutiferum per publicum aggerem Aurelias deportari iubet. Cap. 11. Eius obitus. Nota lector antiquam deuotionẽ, & caue nouos Vigilãtianos.

Tum verò Dunenſes magno dolore correpti, lamentabiles dant voces in cælum, & quia non poſſent ſacros artus, vi impediti, apud ſe retinere, orant beati viri aliquas reliquias ſibi permitti. Non potuit hoc negari petentibus, maximè quòd æquiſſimis precibus etiam lachrymas adiungerent. Accedunt ad funus ſummi ſacerdotes, & cum tremore corpus ſacrum attrectantes, magnum reliquiarum munus conferunt poſtulantibus. Deinde proficiſcentes, corpus in ſublimè tollunt ſacerdotes, & vrbana manus feretro protinùs nobilia colla ſupponit: gaudent, qui poſſunt ſacrum contingere lignum. Sanctiſſimum funus hoſtilis turba cominùs antecedit, vrbemque petentes populi, condenſo pede feruntur. Cerneres illic cereis ardentibus ruralia arua quaſi candere flammis, & millibus multis ſtipata caterua, iam prima populi pars arcem attingebat, cùm multi needum è Dunenſi caſtello pedem extuliſſent. Quis verò ingentem illum Clericorum pſallentium chorum, qui ex vicinis vrbibus ſtudio religionis ad Auito perſoluenda officia alacres conuenerant, explicare queat? quorum ardens & ignitus clamor, inſtar cæleſtis tonitrui ſidereum pulſabat Olympum. Vox erat vna omnium clamantium & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra Aurelianorũ perpetua ſub Auito pax. Atque ij vix tandem denſa populorum agmina perrumpentes, ſacrum corpus perferunt ad ſepulcrum: atque in loco ſancto centum ab vrbe paſſibus religiosè & cum ſumma reuerentia magni pontifices tumulant defenſorem. Titulus quidem ex viliſſimi ligni materia illi poſitus eſt, ſed membra interim totus venerabatur orbis. Cap. 12. Cum tremore Epiſcopi ſacrum eius corpus attrectant. Cerei ardẽtes plurimi. Nota.

Ea tempeſtate rex Childebertus, inclytus Francorum princeps, comparato exercitu Hiſpanias ſuo addere imperio volebat. Audita verò tanti viri fama, & quòd ſepulcrum eius exigui parietes vallarent, cæleſti regi votum integra deuotione nuncupauit, ſi incolumis in regnum ſuum ſancti Auiti interceſſione reuerteretur, ampliſſimam ſe ſuper eius monumentum baſilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hoſtibus perpeſſus eſt, ſed quoties ei ſtructæ eſſent inſidiæ, toties ſancti Auiti interceſſione ab impendentibus periculis liberatus eſt: atque ita ſoſpes & triumphans redijt in regnum ſuum. Tum verò inſignem ædem, vt erat pollicitus, in loco ſupradicto extruendam curauit, vſus ad eam exornandã ſolertia Vuaddonis, vnius ex proceribus ſuis. Cuius operis mercede eum credimus minimè fruſtratum. Illic enim aſſiduis miraculis virtutum geſta clareſcunt. Clauſi pateſcunt oculi, debilium membra ſubitò conualeſcunt, mutus vocem recipit, ſurdus auditum. Datur regioni ſalus integra, & per omnium infirmitates velox medicina percurrit. Vir ſanctus coniungitur Aniano, & vrbs Aurelianorum illorum circunſepta virtutibus, ſeruatur in medio: Quorum patrocinio nos diuina Trinitas cuſtodire & conſeruare dignetur: cui eſt honor & virtus & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen. Cap. 13. Childebertus rex inſignem ei extruit ædem.

DE EODEM S. AVITO, EX GREGORIO TVRONENS. DE GLORIA CONFESSO. *rum, Cap. 99.*

AVitus Abbas Carnoteni pagi, quem Pectenſem vocant, ſæpiùs imminere diſſolutionem ſui corporis Spiritu ſancto reuelante prædixit: qui recedens à corpore, honorificè apud Aurelianenſem vrbe in humatus eſt, ſuper quem fideles Chriſtiani eccleſiam conſtruxerunt. Poſt cuius obitum cùm anniuerſarius aſſumptionis eius dies cum ſummo coleretur honore, vnus è ciuibus, alijs ad Miſſarum ſpectanda ſolēnia euntibus, accepto raſtro, vineam paſtinare direxit. Increpitusque à multis, cur huic feſtiuitati deeſſet, redire noluit, dicens: Et hic, quem colitis, operarius fuit. Verùm vbi ingreſſus vineam, primo ictu terram aperuit, protinus retorta ceruice, facies eius ad tergum conuerſa eſt. Tunc tremens, ſpectantibus populis, cum fletu magno baſilicam ſancti ingreditur. Poſt paucos verò dies, orans in eodem loco aſſiduè, directa ceruice conualuit.

Vltio diuina in eum, qui noluit feriari in feſto ſancti Auiti.

DE SS. MARTYRIBVS MARCO ET MARCELLIANO offendet Lector multa lectu digniſſima in Hiſtoria S. Sebaſtiani eximij martyris: quæ eſt I. Tomo die 20. Ianuarij. Paſſi ſunt autem 18. Iunij.

MARTYRIVM SANCTI LEONTII ET SOCIORVM, PER CYRVM SCRIBAM. HABETVR *in Simeone Metaphraſte.*

18. Iunij. Cap. 1. Adrianus Senator ſæuiſſimus.

QVO tempore Veſpaſianus Romanorum Imperium tenebat, vir quidam ordinis Senatorij, Adrianus nomine, crudelis, & animo valdè immanis, omniumq; peſſimarum artium inuentor, cùm audiuiſſet quoſdam Chriſtianos eſſe ab omnibus illis abhorrentes, qui dijs ipſis ſacrificia offerrent, deoſq; ipſos deſpicientes, & alios homines magicis artibus ac diſciplinis & adulationibus à deorum familiaritate remouentes, quippe qui dicerent, non eſſe deos, ſed vnum tantùm Deum: furore percitus, Imperatorem adijt, & ab eo petijt, vt ſibi contra homines Chriſtianos poteſtatem daret. Imperator verò ſtatim omnem poteſtatem Adriano contulit, eiq; mandauit, vt quicunq; eius edicto parére, & dijs ſacra facere vellent, honore magno donati, ad eum mitterentur: qui verò nollent, cruciatibus grauiſſimis ſubiecti, morti addicerentur.

Cap. 2. Cùm igitur Adrianus ex magna Roma diſceſſiſſet, ſignificatum ei fuit à quibuſdam, in vrbe Tripoli eſſe militem quendam, Leontium nomine, qui deos ipſos reprobaret, & eos qui ſacra illis facerent, ab eorū cultu auerteret, & patrias leges diſſolueret. Cùm hæc Adrianus de Leontio audiuiſſet, hilaritate non mediocri affectus eſt, & militum cohortes præmiſit, vt Leontius, qui talia faceret, compræhenderetur. Cùm verò prope vrbem veniſſent, eorum tribunus, qui & ipſe dæmonum ſuperſtitioni & idolis addictus erat, repentè febre totus correptus eſt, & militibus ſuis dicebat: Ita mihi dij propitij ſint, vt ego ſcio, vndenàm hoc malum in me profectum ſit. Dij aduersùs me indignati ſunt: cùm enim huc profecturus eſſem, congruentem victimam illis non obtuli. Milites igitur cùm Tribunum ſuum ita febri æſtuantem per tres dies, neq; cibum aliquem ſumentem, ſed magis magiſq; febri laborantem viderent, multis anguſtijs premebantur. Nocte autem illa Angelus Domini apparuit ei, dicens: Tribune, ſi vis ſanus fieri, vnà cum militibus, qui tecum ſunt, ter clames: Tu, qui ſancti Leontij Deus es, mihi, quæſo, auxilium feras. Si hoc dices, ſtatim ſanus fies.

Angelus apparet Tribuno idololatræ.

Cap. 3. Cùm Tribunus in talem mentis exceſſum veniſſet, & ſobrius eſſet, vidit Angelum, vt adoleſcentem aliquem, candida veſte indutum, & adſpectûs ſpeciem quandam terribilem

ribilem præ ſe ferentem. Tum ille: Ego, inquit, miſſus ſum vnà cum his militibus, vt Leontium compræhendam, & ſeruem vſq; ad reditum Adriani Ducis: & tu mihi dicis, vt clamem: Deus ſancti Leontij, auxiliũ mihi afferas, vt ſaluus ſim? Cùm hæc Angelo diceret, ille ab ipſo euanuit, & ſtupor Tribunum corripuit: qui cùm adhuc iaceret in lectulo, & febre vehementi teneretur, militibus ad ſe accerſitis ſic ait: Audite, fratres. Cùm primùm ſomnum cepiſſem, vir quidam illuſtris ad me venit, & dixit: Si vis ſanus fieri, ter clames: Deus ſancti Leontij, opem mihi afferas. Et his dictis euanuit. Cùm hæc Tribunus dixiſſet, Theodulus quidam miles plùs cæteris obſtupuit, & quæſiuit à Tribuno, an eius, quem dicebat, veſtis alba, & adſpectus terribilis fuiſſet: idq; ita ſe habere didicit. Poſtridiè verò manè Theodulus ipſe aſſidebat Tribuno, quæ audiuerat, in mente habens. Cùm autem & compotationis tempus veniſſet, Theodulum milites vocârunt, vt vnà cum ipſis, quemadmodùm ſemper conſueuerat, ſe oblectaret: Erat enim Theodulus ipſe inter Græcos homines maximè illuſtris. Ille ad compotationem inuitatus, omnes cibos reiecit, neq; quicquam guſtare voluit: ſed humi iacens, diutiùs ieiunus permanſit, ac tandem ſomnum cepit. Experrectus autem, commilitonibus ſuis: Adrianus, inquit, Præſes craſtino die veniet, & Leontius captus non eſt? Sed ſi placet omnibus vobis, mecum habens Tribunum, ad vrbem proficiſcar, & quæram, quiſnam ſit iſte Leontius: quem poſtquàm compræhenderimus, cautè ſeruari iubebimus, quoad Adrianus Præſes venerit. Erat autem Tribunus ſanus iam factus, & à febre liberatus, cùm viſioni illi obediuiſſet. Tribunus miro modo fit ſanus.

Poſtquàm igitur illi ad ſummum vrbis verticem venerunt, ecce Leontius ipſe illis occurrit, quibus ait: Saluete in Domino, fratres. Id cùm audiſſent duo illi milites Tribunus & Theodulus: Salue, inquiunt, & tu amice. Tum Leontius dixit: Quidnam, fratres, quærentes huc veniſtis? Tunc milites: Virum, inquiunt, quendam, Leontium nomine, doctum & probatum, Imperatori Veſpaſiano hoc loco habitare ſignificatum fuit. Hunc igitur nos conuenire cupimus, vt iuſſi ſumus. His enim diebus Adrianus præſes huc venturus eſt, vt & ipſe Leontium videat, eumq; vt deorum amantem, honore maximo proſequatur, atque ad Imperatorem ducat: totus enim Romanorum Senatus illum videre cupit, cùm eius præclara facta, & in deos obſeruantiam audiuerit, præſertim cùm ſit vnus è principibus viris, qui ſunt in vrbe Tripoli. Cùm hæc audiſſet Leontius: Vt video, inquit, peregrini eſtis, & huius regionis ignari. venite igitur, & mecum vnà requieſcite: ego vobis Leontium illum monſtrabo, quem vos deorum amicum eſſe dicitis: ille verò non eſt ijs dijs amicus, quos vos colitis, ſed ſcio ego Chriſtianum illum eſſe, & Domini Ieſu Chriſti fidem tenere. His auditis, illi ſecum dicebant: Quiſnam iſte eſt, qui dicit, Leontium Chriſtianum eſſe? Num aliquis ex eius cognatione eſt? Itaque Theodulus: Quodnam, inquit, eſt nomen tuum? Tum Leontius? De nominis mei ſignificatione in literis diuinis ſcriptum eſt his verbis: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Oportet igitur à me conculcari leonem & draconem: leonem, inquam, hoſtem illum, qui corporeis oculis non cernitur: & draconem, hoc eſt, Præſidem ipſum, & eius conſiliarium. Tum Tribunus ad Theodulum conuerſus: Et quiſnam, inquit, iſte eſt, qui dicit: Oportet à me conculcari leonem & draconem, & Præſidis conſiliarios? Dubitatione igitur detenti, ambigebant quidnam facturi eſſent. Eô enim, quòd tam benignè inuitati erant, remorabantur, ne prauum conſilium ſuum viro illi aperirent: veruntamen cùm Adriani ſæuitiam perſpectam haberent, & eam formidarent, neque vellent re infecta reuerti, iter ad Leontij domum, amicitiam ſimulantes, vnà fecerunt. Deinde, En, inquiunt, vir optime, domum tuam peruenimus, & rebus tuis omnibus fruimur. Feſtina igitur nobis Leontium oſtendere, vt cùm venerit Adrianus Præſes, honore maximo dignus habearis, & Imperatorum amiciſſimus in eorum palatio verſeris. Cap. 4. Pſalm. 90. Nota quòd Leontius idem valet, ac ſi quis dicat, leonem puniens, vel conculcãs.

Hæc cùm illi dixiſſent, tum Chriſti martyr: Ego, inquit, ſum Leontius ille, quem vos quæritis: ego ſum ille Chriſti miles: ego ſum, quem Adrianus per vos inſequitur. Illi cùm audiuiſſent quòd dixit, Ego ſum, in faciem proſtrati, clamare cœperunt: Serue Dei altiſſimi, remitte nobis hoc peccatum: feſtina Deum tuum placare, vt nos ab idolorum fœditate, & ab illa immani fera Adriano eripiat: & nos enim Chriſtiani ſumus. Hæc cùm illi dixiſſent, ſanctus Dei ſeruus Leontius in terram ſe deiecit flens, & dicens: Domine Deus, qui vis omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire: qui dediſti nobis ſalutis pignora, reſpice nos, quæſo, in hac hora: qui feciſti, vt qui contra me venerant, pro me eſſent: me ouem illam perditam ſerues, oro, & iſtos Cap. 5. Leontius prodit ſeſe. 1. Tim. 2. Precatio Leontij.

mecum vnà illumines miſericordiæ tuæ luminibus, quibus & ſancti Spiritûs tui gratiã effundas, & cor purum crees, tuoque ſigno notatos, inuictos milites contra hoſtem diabolum efficias, potentiam & arma illis præbens propter viſcera miſericordiæ tuæ. Pro ſcuto & haſta ſit illis ſapientia tua. Tu, qui tribus diebus in ſepulcro eſſe voluiſti, qui malefici draconis caput conculcâſti, da, quæſo, vt Tribunus hic & Theodulus conterant caput malitioſi draconis Præſidis Adriani, tuique roboris gratia illos confirmes. Tu enim deſperatos ad cognitionem & ſpem inuitas: tu errantes miſericordia tua in viam reuocas: quippe qui cordis arcana cognoſcis, & vniuerſæ humanæ naturæ creator es. Accipe, quæſo, preces peccatoris Leontij. Oſtende & his, præter te nõ alium Deum eſſe. Fac, vt qui dijs inanimatis & mutis fidem habent, illos vanos & inanes eſſe cognoſcant: & tuæ cognitionis lumine illuſtra eos, qui veritatem non cognoſcunt. Ita, quæſo, facias, Deus Saluator noſter, quoniam tuum eſt regnum, potentia & gloria Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap. 6. Cùm dixiſſet, Amen, deſcendit nubes aquæ in Theodulum & Tribunum, eoſque illuminauit. Quod cùm ſanctus Leontius factum vidiſſet, voce magna clamans: Gloria, inquit, tibi ſit, Deus meus, qui voluntatem quærentium te non aſpernaris. Tum illos albis veſtibus induit, & cereos accenſos ante ipſos ferri iuſſit. Cùm verò, quidam ex Græcorum numero tantum miraculum per Leontium factum vidiſſent, cœperunt per vrbem tumultuari, & ita clamare: Pernicioſo igne comburantur illi, qui deos noſtros reprobant. Itaq; nõ mediocri tumultu ciuitas illa perturbata erat. Biduo autem poſteà venit Adrianus Præſes, & omnes, qui cum illo erant: cumq; ante vrbis portas conſtitiſſet, quęſiuit, quænam voces & tumultuatio illa, quinam populorum clamores

Leontius atrociter defertur apud Adrianum. eſſent. Tum eius ciuitatis optimates: Vir, inquiunt, quidã Leontius nomine, qui Chriſtianus appellatur, omnes à deorum noſtrorum cultu dehortatur, ac remouet, magicis quibuſdam artibus homines ipſos circunueniẽs, dum prædicat & nugaci oratione celebrat, extollitq; virum quendam ab hominibus in Cruce ſuffixum, quem Pilatus ipſe inquiſitum flagellis, & Iudæi alapis verberârunt: Quinetiam Imperatoris noſtri milites veneficijs ſuis decepit, & ad Galilæi hominis illius religionem attraxit, eoſque albis veſtibus indutos, tertium iam diem apud ſe habet, & maximos deos noſtros reprobat.

Cap. 7. Tunc Adrianus Præſes furore accenſus, iuſſit militibus, quos ſecum habebat, vt tres illos comprehenſos, cautè in carcere cuſtodirent, quoad ante Tribunal ſiſterentur.

Sancti martyres ſeruantur in cuſtodia. Fecerunt milites quod iuſſi fuerant, & homines comprehenſos, in carcerem conieceerunt. Leontius verò per totum diem non deſiſtens magni Dei fidem & doctrinam illis tradere: Agitè, inquit, fratres, eſtote fortes, & cogitate, præſentes cruciatus paruos eſſe, & ad breue tempus: gaudium verò illud & iucunditatem ſempiternam futuram. Itaq; ſi nos hîc nefariorum hominum iniurias ſuſtinemus, illic requiẽ perpetuam in-

Pſal. 113. & 114. Pſal. 17. ueniemus. Nocte verò cœpit pſalmi verſus illos canere: Deus noſter in cęlo & in terra, omnia quæcunq; voluit, fecit. Deus, qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meã. Cùm verò dies illuxiſſet, Adrianus Pręſes in tribunali ſedens, iuſſit adduci Leontium, Tribunumq; & Theodulum. Qui cùm præſtò eſſent: Túne, inquit Præſes, Leontius es? Ego, inquit ille, ipſe ſum. Tum Præſes: Cuius fortunæ & conditionis homo es? Quomodò prauis & maleficis veneficijs tuis milites ab Imperatore noſtro ſubripuiſti? Eos, inquam, qui ſemper cum Imperatore noſtro erant, ſubripiens, feciſti, vt ei, quem tu Deum dicis, crederent. Reſpondit Leontius: Ego Chriſti mei ſum miles: ego ſum illius veræ lucis filius, qui illuminat omnem hominem venientẽ in hunc

Iohan. 1. mundum. Omnis qui venit ad hanc lucem, non offendit. Scit Tribunus & Theodulus, quæ ſit huius luminis origo & perfectio, Chriſtus videlicet: Itaq; dereliquerunt deos tuos, è lignis, lapidibus & animaliũ oſſibus confectos: quippe qui fragiles ſunt, & com-

Leontius verberatur. minui facilè poſſunt. Cùm Præſes audiſſet Leontium tam libera oratione vtentem, furore inflammatus, præcepit ſeruis, vt verberibus Leontium ipſum contunderent. At ille cùm verberaretur, erectis in cælum oculis: Túne, inquit, Adriane, putas cruciatum mihi afferre, qui teipſum crucias?

Cap. 8. Ducitur in carcerem. Cùm verò illum Adrianus vidiſſet cruciari quidem, ſed in Chriſti confeſſione conſtanter permanere, illum iuſſit in carcerem duci, & ad Tribunum ac Theodulum conuerſus: Quare, inquit, vos patrios veſtros mores abieciſtis, in quibus educati eſtis, & derelicto militari ſtipendio, Imperatori noſtro mœrorem parâſtis? Tum illi reſponderunt: Nobis datus eſt panis, qui conſumi non poteſt, quiq; è cælo deſcendit, & vini poculum

culum è latere altiſſimi Dei acceptum: pro illis autem carnibus, quæ corruptioni ſubjectæ ſunt, corpus puri & omni macula carentis agni nobis datum eſt. Tum Adrianus: Iſta, inquit, vobis ſuggeſſit improbus Leontius. Facite igitur, quæ Imperatori grata ſunt. An ignoratis, ita Imperatorem iuſſiſſe, vt qui dijs ſacra fecerint, maximis honoribus & militiæ gradibus honeſtentur: qui verò iuſſis parére noluerint, illi peſſimis modis vita priuentur? Ad hæc Tribunus & Theodulus reſponderunt: Noſtra militia in cælis eſt: fac quicquid vis. Tu quidem, cùm turpiſſimorum idolorum vltor ſis, contra noſipſos te armas: ſed tota vita tua deſerta erit, & tempus dierum tuorum minuetur. Hæc cùm Adrianus audiuiſſet, iuſſit Tribunum in ligno ſuſpendi, atque conſtanter vnco lacerari: Theodulum verò in terram proſtratum verberibus cædi. Qui cùm acerbè cruciarentur, nullam aliam vocem emittebant, niſi hanc: Salua nos, Domine, quoniam defecit ſanctus. Adrianus verò cùm illorum ſententiam ſtabilem atque immobilem vidiſſet, iuſſit eos ſecuri percuti. Qui dum ad ſupplicium ducerētur, canebant verſus illos: Tu es protector noſter, Domine: In manus tuas commendamus ſpiritus noſtros. Cùm orationem compleuiſſent, à carnifice percuſſi ſunt, & animas ſuas in confeſſione illa ſancta Deo tradiderunt. *Tribunus laceratur, & Theodulus cæditur.* *Capite plectuntur.*

Poſthæc iuſſit Adrianus duci ſanctum Leontium. Qui cùm præſtò eſſet: Agè, inquit, Leonti, miſereat te fortunæ tuæ, ne graues cruciatus experiare, quales experti ſunt Tribunus & Theodulus, homines à te circunuenti: iamq; audi me, & dijs ſacrifica, ſic enim honores maximos à me & Imperatore, totoq; Senatu conſequéris: nam Imperator valdè cupit adſpectum tuum videre. Auertat Deus, inquit Leontius, vt ego Imperatoris adſpectum videam, qui execrabilis hoſtis Dei eſt: ſed ſi placet, tu, Adriane, Chriſti amicus ſis: id enim ſi feceris, oſtendam tibi, quantam ſalutem, quantam opem, & quàm perennes diuitias ab ipſo percipies. Tum Adrianus præ bili ſubridens: Tantam, inquit, & me ſalutem conſequi vis, quantam Tribunus & Theodulus conſecuti ſunt? An neſcis, ſceleſtiſſimum caput, quali ſupplicio illi conſumpti ſunt? Ad hæc Leontius: Minimè ſupplicium appelles, quod ipſis intuliſti: ſed vitam potiùs, pacem & gaudium: nunc enim gaudent & exultant, & vnà cum Angelorum choris verſantur. Tum Adrianus: Adhibe, inquit, Leonti, mentem ijs, quæ à me dicētur. Quiſnam mentis compos, hanc Solis lucem & maximos illos deos, Iouem, Apollinem, Neptunum, Venerem, & reliquos vnquam relinquere voluit, vt morte peſſima vitam finiret? Nemo certè, niſi qui à te circunuenti ſunt. Ad hæc Leontius: Minimè tu audiſti, quod ſcriptum eſt: Dij gentium dæmonia: &, Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quis igitur eſt, modò ſanæ mentis ille ſit, qui mutis lapidibus & talibus rebus anima & ſenſu carentibus, cuiuſmodi ſunt iſti veſtri dij, ſimilem ſe eſſe velit, nedum ipſis ſacra facere. *Cap. 9.* *Sancti ſunt in cælis.* *Pſalm. 113. & 134.*

Cùm hæc Iudex audiret, Martyris ſententiam firmam eſſe videns, iuſſit in terram proſtratum, à quatuor carnificibus verberari, & præconem ipſum clamare: Qui deos noſtros pro nihilo faciunt, & Imperatoris edictum nō obſeruant, ita peribunt: Cùm diutiùs Leontius verberaretur, & carnifices defeſſi eſſent, ad Præſidem loquens: Quāuis, inquit, corpus meum, peſſime homo dilaniaueris, nunquam tamen animæ meæ dominus fueris. Iuſſit deinde Adrianus illum in ligno ſuſpendi, & eius latera atq; crura lacerari. Qui cum diutiùs laceraretur, neque quicquam aliud diceret, niſi hoc tantùm: Deus in te ſperaui, ſalua me Domine: cumque cælum Martyr ſuſpiceret, tunc ad miniſtros ſuos Adrianus conuerſus: Deponite, inquit, illum de ligno: ſcio enim, quòd cùm in cælum intueatur, deos ipſos orat, vt requiem illi afferant. Ad hæc S. Leontius dixit: Pereas tu cum dijs tuis, Adriane infeliciſſime & execrande. ego enim Deum meum precor, vt robur ac vires mihi ſuggerat, quò tormenta tua ſuſtinere poſſim. Cùm igitur Adrianus Leontij mentem conſtantem & firmam vidiſſet, rurſus iuſſit in ligno eum ſuſpendi, capite in terram deuoluto, & magnum ſaxum ex eius collo pendere, vt ita cruciaretur. At ſanctus martyr generoſo & forti animo cruciatus illos perferens, ac cælum intuens, ſic Deum orauit: Domine Ieſu Chriſte, qui corroboráſti ſeruos tuos Tribunum & Theodulum ad præſtandam tui nominis confeſſionem, & me ſeruum tuum ſupplicem & peccatorem confirmes, vt tormenta hęc ſuſtinere poſſim, neque expectationi meæ deeſſe velis. *Cap. 10.* *S. Leontius diù verberatur.* *Eius latera & crura lacerantur.* *Vide ſupplicij genus inmane.*

Tum Adrianus: Scio, inquit, Leonti, dijs noſtris te amicum futurum. At ille: Ego ſeruus ſum Dei altiſſimi: tu verò deorum tuorum ſeruus es. Cum illis igitur & tu, & exercitus tuus peribit. Porrò Adrianus cùm Leontij mentem ſtabilem vidiſſet, illum iuſſit in carcere ſeruari vſque ad diem poſterum. Ille verò in carcerem ingreſſus, per *Cap. 11.*

Pſalm.26. totam noctem pſalmum canebat: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem ti-
mebo? Cùm verò pſalmum caneret, Angelus illi apparuit, & dixit: Eſto fortis Leon-
ti, ego enim tecum ſum. Me Dominus Deus tuus miſit, quem tu quæris. Cùm verò
dies illuxiſſet, iuſſit Adrianus ad ſe Leontium adduci, quem ſic affatus eſt: Nunquid,
Leonti, cogitâſti quid tibi expediat? Tum ſanctus martyr: Cùm ſemper, inquit, co-
gnouerim, quid mihi expediat, vanis tuis ſermonibus reſtiti: quare ſemel, bis &
ter tibi affirmo, me nunquam commiſſurum, vt derelinquam eum, qui fecit cœlum &
terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, Dominum Ieſum Chriſtum Dei filium, qui
propter nos homines Crucem pati voluit: illum, inquam, minimè deſeram; in eo e-
nim ſolo, & in eius nomine ſpem collocans, miſericordiam conſequar. Tum iuſſit e-
Iterum cru- um Adrianus in aëre à quatuor carnificibus ſuſpendi, & vehementer verberari. Cùm
deliter ver- verò ille verberaretur, clamauit Adrianus: Fac, Leonti, quod dico, & dijs ſacrifica:
beratur. id enim ſi feceris, per deorum noſtrorum ſalutem ac benignitatem faciam, vt digni-
tatis gradum, & longè plura conſequaris. Ad hæc ſanctus martyr Leontius: Et quæ-
nam, inquit, dignitas tanti erit, vt ego Deum meum negem, & tibi obediam? Méne
hortaris, vt dæmonibus tuis ſacrificem, cùm ne totus quidem mundus tanti ſit, vt
cum Chriſti mei charitate conferri poſſit? Cùm igitur Adrianus eius mentem ita fir-
mam vidiſſet, vt mutari non poſſet, hanc ſententiam contra illum tulit: Leontium,
qui dijs libare, & Imperatoris edicto parere noluit, noſtroſque nobis propitios deos
contempſit, iubemus è quatuor vectibus ſuſpenſum, tam diù verberari, donec animã
emittat.

Cap.12. Cùm igitur ſanctus martyr Leontius diutiùs verberaretur, & vulneribus ac plagis
Inter verbe- laceraretur, ſpiritum ſuum Domino tradidit, & in ipſius Tripolis portu ſepultus eſt
ra reddit ſpi- decimooctauo die menſis Iunij, cùm mundo ipſi bonum virtutis monumentum dere-
ritum. liquerit: martyr, inquam, Leontius, per quem Deus ſui regni partem nobis concedat.
Hæc commentaria beati martyris Leontij Cyrus quidam ſcriba in tabulis plumbeis
conſcripſit, & apud ſancti martyris monumentum ea depoſuit, vt ijs, qui poſteà fu-
turi ſunt, optimum exemplum relinqueret in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quiſquis
igitur ea legit, & bonam ac ſanctam Martyris confeſſionem audit, manus in cælum e-
rigat, & Deo ipſi gloriam reddat, qui martyri patientiam ſuggeſſit. Martyrium autẽ
compleuit Chriſti martyr Leontius decimooctauo die menſis Iunij, vt iam diximus,
ſub Imperatore Veſpaſiano, in nobis autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto:
Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTI SOSIMI, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

19.Iunij. QVIBVS temporibus Traianus Imperator Romanorum Im-
perium tenebat, multa idolorum inſania & error, multaque cæci-
tas Græcos homines detinebat. Quamobrem magna perſecutio
contra Eccleſiam Dei commouebatur. Erat autem Domitianus
quidam Antiochiæ Piſidiæ Præſes: qui cùm Imperatorem Traia-
num adijſſet, petijt ſibi dari poteſtatem aduersùs Chriſtianos ho-
Domitiani mines, vt quicunque dijs ipſis immolare noluiſſet, graui ſupplicio
Præſidis cru- afficeretur. Hic cùm huiuſmodi poteſtatem accepiſſet, & armatu-
delitas. ra diaboli indutus eſſet, tanq̃ leo quidam fremebat aduersùs eos, qui ad mortem vſq;
Dei confeſſionem ſeruabant. Venit autem in vrbem Apolloniam, per Soropolitanũ
regionem. Cumq; perſecutio immineret, Soſimus quidam miles fidem Chriſti cupi-
Hæc ſunt bo- ens ſequi, arma bellica tunc abiecit, & ad ſanctiſſimam Eccleſiam confugit, & Chriſti
ni Chriſtia- fide inſtructus, immortalitatis lauacrum accepit, in fidei operibus & caſtitate, mul-
ni exercitia tiſq; ieiunijs & orationibus ſeipſum diligenter exercens.

Cùm dies multi præterijſſent, & Domitianus eſſet in ea vrbe, quam ſuprà diximus,
vir quidam illum adijt, & Soſimum deferens: Eſt, inquit, quidam Soſimus miles, qui
& Imperatorem, & veſtram poteſtatem contemnit: cumque arma deiecerit, & mili-
tiam abnegauerit, in quam ab Imperatore Traiano adſcriptus fuerat, dicit ſe Chriſtia-
norum religionem ſectari, pro nihilo faciens deos noſtros: quinetiam Imperatoris
conſtitutiones execratur, & eius poteſtatem deſpicit. Tum Præſes dixit: ducatur huc
Soſimus ad tribunal. Abit igitur cohors, vt iuſſa fuerat, & Soſimum comprahenſum,
ad tri-

ad tribunal duxit. Quem Præſes interrogans: Túne, inquit, es qui Soſimus appellâris? Reſpondit: Ego ipſe ſum Soſimus, ſeruus Domini mei Ieſu Chriſti. Ad hæc Præſes: Fatére priùs, cuius conditionis homo ſis, & poſteà dices, cuius ſeruus ſis. Tum ille: Miles egó ſum, quòd ad humanam conditionem pertinet, qui veſtros illos deos perditiſſimos dereliqui, & Chriſtianus factus ſum. At Domitianus: Sceleratiſſime, inquit, Soſime, nihil tibi proderit nomen iſtud. I nunc, & dijs ſacrifica, vt peccatum iſtud tibi condonetur, quòd Imperatorem & dominum noſtrum Traianum deſpexiſti, qui militarem ornatum tibi conceſſit. Ad hæc Soſimus: Minimè dijs veſtris ego ſacrifico. Adducatur, inquit Domitianus, in carcerem.

S. Martyr in carcerē ducitur.

Craſtino autem die iuſſit eum duci ad tribunal, quem, manibus poſt terga colligatis, ante Præſidem ſtatuerunt. Tum Præſes iuſſit eum in ligno ſuſpendi: cui ſuſpenſo dicebat: Sacrifica, ſceleſte Soſime, priuſquàm membra tua deſtruantur. Ad hæc Soſimus: Non ſolùm, inquit, non verbis, ſed neque factis poteris mihi perſuadere, vt ſacrificem. Tum Domitianus: Verberetur vehementer à robuſtis militibus. Cumque diutiùs beatus Soſimus verberaretur, dixit Pręſidi: Fruſtrà miniſtri tui laborant, Dei enim me corroborantis voluntate verbera tua non ſentio. Cùm igitur tam diù verberatus fuiſſet, quoad ſolum ipſum ſanguine repletum eſſet, voce magna clamans dixit: Domine Deus omnipotens, qui ſedes in throno firmiſſimo, qui extendiſti cælum, & fundâſti terram, qui aquas omnes in vnum locum congregâſti, tu, noſtra ſeruorum tuorum ſpes, exaudi me, qui te precor: neque permittas huius Domitiani minis me ſuperari, vt omnes qui nomen tuum non cognoſcunt, per me diſcāt, te ſolum eſſe Deum. Has preces cùm habuiſſet, venit vox è cælo, dicens: Soſime, eſto fortis & robuſtus, ego enim tecum ſum, neque quiſquam tibi obeſſe poterit. Cùm hanc vocem Domitian⁹, & quidam alij, qui cum illo erant, audiuiſſent: Certè, inquiunt magus hic eſt. Alij dicebant: Minimè magus eſt, ſed magnus eſt Deus Chriſtianorum, & ab illo vox iſta ad hominem hunc miſſa eſt.

Verberatur durißimè.

Cæleſti voce cōfirmatur.

Iuſſit rurſus eum Præſes colligatum à quatuor militibus extendi. Qui cùm valdè diſtenderetur, oculos in cælum erexit, ac dixit: Domine Deus, qui hominum mentes cognouiſti, tu Chriſtianorum ſpes, refugium & requies illorum, qui ſunt in anguſtijs, libera me à fraude peſtilentis & diaboli Domitiani, vt cognoſcāt omnes, qui præſentes ſunt, te Deum viuentem eſſe, qui ſemper fuiſti, & eris in ſecula. Cùm multi ex ijs, qui præſentes erant, egregiam martyris patientiam cognouiſſent, ad Chriſti fidem cōuerſi ſunt. Præſes verò cùm id factum vidiſſet, & metueret, ne omnes ad eandem fidem conuerterentur, erubeſcens ac dentibus frēdens, cogitabat, quo mortis genere hominem interficeret. Iuſſit igitur grabatum æreum ferri, & ignem multum ſubijci. Cumque multæ flammæ in grabatum aſſcenderent, iuſſit beatum Soſimum nudum illuc conijci. Cùm verò ſanctus martyr Crucis figura ſe muniuiſſet, & in grabatum coniectus eſſet, ſtatim Dominus ignem in rorem conuertit: etenim per Angelos ſuos Deus Martyri opem attulit. Omnes verò, qui præſentes erant, opinabantur ob nimium illum ignem Soſimum animam efflauiſſe. At angeli à Deo miſſi, ſanctum martyrem è grabato ſublatum, omnibus ſpectantibus, extra grabatum conſtituerunt. Turba verò cùm admirabilia Dei facta vidiſſet, eius gloriam collaudauit, qui miſit Angelos ſuos, & à tali flamma virum illum eripuit. Itaque plurimi ad Chriſti fidem conuerſi ſunt.

Valdè diſtēditur.

Multi credunt.

Angeli eum liberant.

Tum Præſes cùm ſanctum martyrem ad ſe vocâſſet: Obtempera, inquit, mihi Soſime, & dijs ſacrifica. Ad hæc Soſimus: Fœdiſſime omnium hominum, quibus dijs iubes me ſacrificare? Ioui, inquit ille, & Iunoni. Tunc Soſimus: Ego multos iſtos deos non colo: vnum enim cognoſco viuentem Deum, huicque ſoli piè ſeruio. Hæc cùm audîſſet Præſes: Soſime, inquit, tibi dixi, vt ad deorum aram accedas, & ipſis ſacrifices: ſin minùs, te igne conſumam. Ad hæc Soſimus: Stolide, ſemel dixi tibi, quòd Deo meo ſeruio, qui in cælis eſt. Cùm verò Præſes à tribunali ſurrexiſſet, & ad Cononenſium vrbem iter facturus eſſet, iuſſit martyrem ligatum illuc ſequi, vt ibi ad ignem conijceretur. Cumque ad eam vrbem Domitianus veniſſet, & ſederet pro tribunali, iuſſit in crepidis quibuſdam clauos aptari, & Martyris pedes crepidis illis configi, catenisq; conſtrictum ad equos ligari, & cogi celeriter ambulare. Ille ad equos ferociſſimos alligatus, non lentus erat ad iter faciendum, ſed equos ipſos anteuertens præcurrebat. Deus enim erat cum illo, qui ſe ipſi adiutorem præbebat. Itaq; has voces protulit: Domine Deus, qui perfeciſti pedes meos tanquam ceruorum, perfectam patientiam mihi ſuggeras. At Præſes cùm martyris patientiam vidiſſet, iuſſit ipſum in car-

Vide cruciatum & præſentem Dei virtutem.

carcere clauſum cuſtodiri, neque cibum aliquem omninò illi dari.

Cùm verò tres dies præterijſſent, & Soſimus cibum non guſtâſſet; duo pueri venerunt in carcerem, quorum vnus panem, alter vas aquæ portabat, & Martyri dixerunt: Accipe precioſum munus à Domino Deo tuo ad te miſſum. Hæc cùm ille accepiſſet, cibum guſtauit, ac dixit: Benedico tibi, Domine, quoniam miſertus es meî, & non neglexiſti me, ſed ſatiâſti cæleſti tuo cibo. Laudo & celebro gloriam & magnificentiam tuam in ſecula, Amen. Cùm verò dies illuxiſſet, Præſes in tribunali ſedens, iuſſit ſanctum martyrem ad ſe duci. Præſtò autem fuit ſanctus Soſimus hilari vultu, & mente ad Deum erecta. Præſes verò ſtupore magno affectus erat, quòd tantos pedum cruciatus ſuſtinuiſſet, neque vultum mutâſſet. Tum ille: Soſime, inquit, ſacrifica tãdem dijs ipſis, ne vulneribus multis laniatus, peſſimè moriaris. Ad hæc Soſimus: Si tu vis ſacrificare tuî ſimilibus, ſacrifica: ego, vt ſuprà dixi, Deo meo ſeruio. Tunc furore accenſus Domitianus: Suſpendatur, inquit, in ligno. Cùm verò ſuſpenſus fuiſſet, ei Præſes dixit: Vidéſne, miſer, quàm multa tormentorum genera tibi propoſita ſint? An non obediens mihi, dijs immolabis? Ad hæc Soſimus: Qui viuentem Deum amant, iſta veſtra tormenta nihil curant. Tum Præſes: Ferreo, inquit, pectine neſarius iſte homo dilanietur. Cùm verò Martyr laniaretur, alta voce Deum orans dixit: Equidem magis nunc agnoſco miſericordiæ tuæ viſcera, Chriſte author luminis; quoniam tu es, qui docuiſti me non blaſphemiam aliquam pronunciare, vt per hæc tormenta diuinitatem tuam magis cognóſcerem.

Præclara ſententia.

S. Soſimus laniatur.

Hæc cùm dixiſſet, neque Præſes tormentorum ſatietate affectus eſſet, iuſſit hominem ante tribunal duci, cui hæc dixit: Multis cruciatibus propter nomen Chriſti afflictus, nullam vtilitatem aſſecutus es: ſaltem nunc accede, & dijs ſacrifica. Tum Soſimus: Domitiane, inquit, ſęuiſſime, atq; inhumane, & impietate omni refertiſſime, Deum illum cæleſtem metuas, & erroris, quo detentus es, obliuiſcaris, neq; ſimulacra iſta deos nomines. ſunt.n. dæmones, non dij. Tum Præſes: Túne, ô ſceleſtiſſime, audes deos noſtros dæmones appellare, per quos mundus ipſe dies feſtos celebrat? Tunc Soſimus: Qualem, inquit, diem feſtum agunt iſti dij, quos dicis, talem Imperator tuus, & qui eis credunt, agant. Pręſes verò: Vidéſne Soſime, quemadmodùm dijs ipſis repugnas, & illos in iram prouocas? Deſine iſta dicere, ne propter blaſphemiam tuam & ipſi peſſime peream. Pietatis, inquit ille, & diuinæ cõfeſſionis cauſa tibi repugno & aduerſor. Tum Præſes dixit: Afferte faces accenſas, & ventrẽ ipſius incẽdite. Non ſolùm, inquit ille, faces vẽtri admoueri iubeas, ſed etiam, ſi placet, totum corpus meum comburas: nunquàm enim me vinces: præſtò eſt Chriſtus, qui me corroborat. En ego à te interfici valde cupio: hęc enim eſt mea iactatio in Chriſto Ieſu.

Egregia martyris conſtantia.

Præſes cum nõ ampliùs ſciret quid ageret, & à verbis illis ſancti Soſimi ſe nihil profecturum eſſe intelligeret, iuſſit ſecuri hominem percuti. Cùm verò martyr ad obeundum martyrium duceretur, cœpit dicere: Domine DEVS meus, reſpice me peccatorem, & accipe animam meam cum his, qui ab omnibus ſeculis tibi placuerunt: quoniam tu es gloria mea ex hoc tempore, & in æterna ſecula, Amen. Martyrium cõpleuit ſanctus Soſimus decimonono die menſis Iunij in vrbe Cononenſium, Imperatore Traiano, in nobis autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Cæditur ſecuri.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS, PIO LECTORI.

DVo in hac vita, quæ ſequitur, videbis, quæ primo ſtatim occurſu animum tuum facilè percellere poterũt. Primum, quòd ſancti martyres Nazarius, Geruaſius, Protaſius & Celſus, ſiue Celſi puer, ſimul gladio cõſummati ſint in ciuitate Mediolanẽſi. Secundum, quòd ſub Anulino, ſiue Anolino præſide, ad Neronis Cæſaris iuſſionẽ. Nam in primo Tomo vitarum Sanctorum, quem edidimus, vitam Sanctorum Geruaſij & Protaſij per diuum patrem Ambroſium ſcriptam poſuimus, in qua de ſanctis Nazario & Celſo nulla fit mẽtio: quod vtique ſubticendum non videbatur, ſi hi in martyrio illis conſortes fuiſſent. Sed & ibi priores ſub Aſtaſio Comite ad bellum contra Marcomannos (quos hodiè vulgari ſermone Morauos vocant) proficiſcente, non autem ab Anolino Præſide, peremptos fuiſſe legimus.

Hanc nos huic hiſtoriæ ſubiungimus.

Verùm

Verùm hæc tanti eſſe non videntur, vt à legenda hac Sanctorum vita te deterrere debeant, cùm diaboli miniſtri in Sanctorum martyrijs ſatellites plurimos habere con ſueuerint, quorum aliqui dum alijs forſan occuparentur negocijs, aut in ſanctorum laniandis corporibus iam feſſi eſſent, aût fortè, quòd alium magis idoneum eſſe ad ſã ctos torquendos arbitrarentur, ſibi inuicem ſucceſſores & vicarios dabant, vel aſſeſſo res ſuis tribunalibus adhibebãt. Cuius rei ſexcenta per teipſum exempla inuenire poteris. Potuit ergo Anulinus Præſes author eſſe Sanctorum agonis, deinde Aſtaſius Comes ad finem illum deducere, aut aliquid occurrere, quòd ſub vtroq; illorum ſancti hi omnes gladio feriri iuſſi ſint. Quòd autem diuus Ambroſius non ſolùm in vita ſanctorum Geruaſij & Protaſij non meminerit beatorum Nazarij & Celſi, ſed neq; in vita horum in ſecundo noſtro Tomo poſita, quam idem ſcripſit Dei ſacerdos Ambroſius, de prioribus illis vllam prorſus mentionem faciat, non te contriſtet: nam in huiuſmodi rebus locus ab authoritate negatiuè ſumptus, infimam partem habet. Potuerunt nanque ſocij ſimul eſſe in paſſionis certamine, licet ſanctus vir hoc non dixerit. Nam & diuus Cyprianus Carthaginenſis, & ſanctus Petrus Alexandrinus Epiſcopus, plures coronæ ſocios habuiſſe leguntur, & tamen eorum duntaxat ſingulorum martyrium celebratur, aliorum nominibus ſuppreſſis. Quòd ſi adhuc te taciturnitas iſta ſolicitat, lege Adonem Treuirẽſem Epiſcopum in vita ſanctorum Nazarij & Celſi, in Tomo noſtro quarto poſita, vbi in fine hæc verba habentur: Inuenti autem ſũt, (nempe Nazarius & Celſus, de quibus loquitur) pridiè Idus Iunij. Feſtiuitas verò agitur de martyrio quinto Calendas Auguſti. Commemoratio autem eorum publica & celebris, in die ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij à fidelibus frequentatur, & venerabiliter excolitur. Quod profectò non fieret, ſi aliqua inter ſanctos ipſos non interceſſiſſet communio. Vale, & Dei gratia ſit ſemper tecum.

VITA ET DECERTATIO SANCTORVM ET GLORIOSORVM CHRISTI MARTYRVM, NAZARII, *Geruaſij, Protaſij, & Celſij: ex Simeone Metaphraſte.*

NERONE tenente ſceptra imperij Romanorum, Nazarius admirabilis, tanquam ſtella quædam lucida fulgebat in ſua patria. Eum enim habebat Roma veluti imaginẽ virtutis aliquam, illius glorians moribus. Nam hæc quidẽ erat patria Nazario. Parentes autem, alter quidem Lybicus, altera verò ipſa quoque erat Romana genere, ambo quidem diuites & facultatibus & virtute: Petro autem inſtitutore, chori diſcipulorum principe, Deo redditi magis familiares, aquaque & ſpiritu conſummati. Eorum pietatem Deus veluti remunerans, quomodò olim Abrahæ hoſpitalitatem, eis dedit filium hæredem ſimul virtutis & bonorum, Nazarium. Ille autem, tãquam à Deo datus, ſe rurſus totum tradit Deo. Et ipſe quidem in diuino adoptatur baptiſmate à Lino, qui erat ipſi⁹ Petri ſedis & virtutis ſucceſſor. Cùm autem ad perfectiorem perueniſſet ætatem, perfectiorem quoq; gratiam conſequitur. Ipſe enim ſimul augebatur, & ſuì accipiebat incrementũ, & magnus eius amor in Chriſtum reddebatur maior & feruentior. 19. Iunij. Cap. 1. Nazarij patria. Parentes. Baptizatur à Lino.

Cùm verò pietatis, quæ erat in ipſo, fax valdè eſſet in altum ſublata, & multos ad eum vocaret, & tumultus & continuum eorum, qui ad ipſum accedebant, aduentum declinans, ſtatuit patriam & ſuos relinquere neceſſarios, & verſari in aliena, vt & cum eo, quem deſiderabat, ſeorſum colloqueretur, & multis prædicaret pietatem. Cùm ergo hæreditatem, quæ ad eum pertinebat, accepiſſet à parentibus, egreditur è patria: & ex vna ciuitate tranſiens in aliam, ad quoſcunque acceſſiſſet, iis opem ferebat ex ſuis facultatibus. Deinde etiam eis maiora ſuppeditabat, vt qui eos deduceret ad veram Trinitatis cognitionem. Et cùm veniſſet Placentiam, & acceſſiſſet Mediolanum, conuenit Geruaſium & Protaſium viros admirabiles, qui ab Italiæ quidem Pręſide Anulino iam fuerant in carcerem incluſi propter ſuam in Chriſtum confeſſionem: ijs autem, quæ fiebant præter omnium opinionem, & miraculis extendebãtur fama ad finitimas etiam regiones. Cap. 2. Venit Mediolanum.

Cùm eos ergo diuinus conueniſſet Nazarius, fidei & virtutis communione eis effectus familiaris, (Ingeneratur enim quidam amor in ijs, qui earundẽ rerum amore tenentur, Cap. 3.

nentur, non minùs quàm in conſanguineis) eos incitat, & eis animum addit ad martyrium, & reddit acriorem eorum in Chriſtum amorem. Hinc Nazarij fama in omnem partem diſperſa, peruenit etiam vſque ad Præſidem Anulinum. Ille autem cùm ſiſti curâſſet Nazarium, fit ei tãquam conſiliarius, & ſuadet ne ſit impius, & illius deos probris inſectetur & contumeliis. Deinde poſtquàm cognouit ſanctum ne dignum quidem, quod audiretur, putare conſilium, (Quid enim eſt ad probris appetendum aptius, quàm multa quæ coluntur ſimulacra?) eius maxillis multos impingit colaphos, & tanquàm aliquod piaculum vir execrandus eum cum probro & dedecore expellit è ciuitate. Hoc autem quantùm iudici videbatur magnum ad ſupplicium, tantum Nazario exiſtimatum eſt maius ad beneficiũ: quòd dignus habitus ſit plagas accipere propter Chriſtum, qui pro ipſo paſſus eſt. Egreſſus eſt ergo non ſilens, neque elinguis ac mutus, & metu victus, ſed pergens docere vt conſueuerat, & multos infideles inducens intra Chriſti ſagenam. Porrò autem illa nocte viſa eſt mater Nazario adeſſe, & eum hortari, vt obiret Galliæ ciuitates, & in eis deijceret ſemina veritatis. Ille autẽ, vt ei à matre dictum fuerat, venit Meliam, (eſt autem ea vna Galliæ ciuitas) & omnes, quos conueniſſet, deducit ad Dei cognitionem, & apertè prædicat pietatem.

Siſtitur corã Præſide. *Cæſus ab vrbe pellitur.* *Venit in Gallias.*

Cap. 4. Interim autem ad eum accedit fœmina quædam illuſtris & ex primis ciuitatis, adducens quem habebat filium nomine Celſium, iam tres annos natum, & deponit ipſum in eius manibus: Sequetur te hic puer, dicens, in omni via, donec ipſe quoque dignus euaſerit, qui ſiſtatur ante thronum Domini Chriſti. Et illa quidem diſcedit: Nazarius autem infantem lubenter accipit, quem propemodùm in vlnis circunferebat. Cumque preces dixiſſet conſuetas, eum per baptiſmum efficit Deo familiarem: quoniam nec alium nouerat verum honorem, niſi cum Deo coniunctionem & familiaritatem. Sic ergo ſe habens Nazarius, & Galliarum ciuitates ſic doctrina complectens, ne illarum quidem Præſidem latuit Dinobaum. Itaque accerſitus ad eum, venit cum puero Celſio: & è quo quidem genere eſſet natus, quibuſnam autem parentibus, & cuiuſnam ſit religionis, percontanti Dinobao: Ego quidem, inquit, genere ſum Romanus: Chriſtianam autem ſequor religionem: & Deum confiteor eum, qui fuit crucifixus. Tunc fertur Dinobaus, ad iram motus, dixiſſe: Habes dæmonium. Quid enim aliud ſibi volunt hæ tantæ nugæ? Non eſt tibi pater? non eſt tibi mater? Ille verò: Si dæmonium haberem, inquit, non quos tu colis, dæmones inſectarer probris & contumeliis. Dinobaus autem furorem non valens continere, cùm puerũ quidem Celſium abſtraxiſſet ex illius manibus, intolerandis eum plagis afficit, ingenio puer eum, qui erat cânus prudentia. Deinde eum conijcit in carcerem, in ſequentem diem eum reſeruans. Magna enim crudelitas & inhumanitas ne tantulæ quidem ætatis mouebatur miſericordia. Quod quidem etiam in bruta animantia & nouas plantas clementi & benignæ euenerit animæ: ea nanque digna, quibus parcatur, cenſuerit. Atque intolerabiles quidem plagas propter Chriſtum puer lubenter accipiebat Celſius, balbutiente lingua hoc ſolùm dicens: Deus, cui ego ſeruio, ipſe te iudicabit, O Iudex: iritans ipſe quoq; Dinobaum propter ſuum in Chriſtum deſiderium, ſicut diù antè Iudæos æqualium puerorum chorus, meum Ieſum hymnis celebrãtes & laudem ei perficientes.

Celſius puer baptizatur. *Dirè cæditur à Præſide inſano.* *Matt. 21.*

Cap. 5. Quædam autem inſignis fœmina, nomine Dinomeda, cõſulit coniugi Dinobai, vt ſuadeat marito, vt moueatur miſericordia pueri ætatis, & ſimul etiam abſoluat Nazarium. Illa autem hæc marito communicat, quomodò olim vxor Pilato. Poſtridiè itaque cùm ſedem iudiciariam aſcendiſſet Dinobaus, & adduxiſſet Nazarium, ſuadebat pro viribus, vt aſſentiretur impietati. Ne eum enim tunc puniret, prohibebant vxoris ſuaſiones. Poſtquàm autem non potuit perſuadere, eum expellit è ciuitate, ſic eum placidè allocutus: Vxoris meæ conſilia te liberum dimittunt ab omni cruciatu. Illinc ergò abit Nazarius in vicinam Temerum cum puero Celſio. Eſt autem hæc vrbs Temerus propinqua Meliæ. In ea ergo vitam agebat, diuinis ſuis doctrinis augens gregem Chriſti, & multos inducens ad agnitionem. Non ferebat autem omninò, qui inuidiam parturiebat, diabolus res ita ſe habentes. Quomodò enim, ſi ille erat diabolus, & qui ab initio bonis aduerſabatur? Blandis itaque verbis aggrediens Præſidem ciuitatis, perſuadet, vt Neroni Imperatori ſignificet de Nazario. Cùm ergo de Nazario ei eſſet ſignificatum, miſſæ ſunt literæ per vniuerſam illam regionem, iubentes ſummo ſtudio quæri Nazarium, & eum, qui inueniſſet, ad ipſum ducere.

Matt. 27. *Nazarius expellitur.*

Cap. 6. Cùm autem is latére non poſſet, vt qui in illuſtri ſtaret loco virtutis, & magno ore ab

ab ipſa prædicaretur, citò inuenitur ab ijs, qui ſcrutabantur. Illi autem, cùm is iam eis euaſiſſet manifeſtus, læti lætum ſiſtunt ante Neronem. Quid ergo ille? Propoſitis ei tormentis, aſſentationibus aggreſſus eſt Nazarium, vt cùm illis quidem ei terrorem attuliſſet, his autem eum emolliſſet, perſuaderet ei, vt tranſiret ad ſuam voluntatem. Nazarius verò erat omninò immobilis, vt qui ab his ad martyrium magis acueretur, non autem emolliretur. Et ideò maiori vtebatur cõſtantia. Cùm neſciret ergo Nero quid ageret, tunc eum cum puero tradit in cuſtodiam. Parum interceſſit temporis, & Neronem quidem rurſus ſedes habuit iudiciaria. Introductus autem fuit Nazarius cum puero. Et rurſus ſimiliter, nunc quidem minis vehemens erat Nero, nunc autem ſuauis blanditijs & promiſſis. Poſtquam autem vidit eum tanta eſſe conſtantia, deſperans ſic poſſe induci Nazarium, iubet eum injici in profundum maris cum puero Celſio, vt nec eos quidem poſſet videre, quos ne volebat quidem viuere ſic affectos. Sed erant omninò vera, quæ dixit diuinus Eſaias, tanquam de eis prænunciata: Si tranſieris per aquam, tecum ſum: & non te concludent fluuij. Et ſi tranſieris per ignem, non combureris. Nam cùm iam eſſent in profundo, & qui eos iecerant, crederent fore, vt à multis piſcibus deuorarentur: magna contentione, Angelica quædam virtus deſuper aduolauit, & è profundo ſeruauit, & illæſos eos terræ reddidit, puero Celſio propter ætatem adhuc imperfectam, nauſea & faſtidio pleno, vt eſt conſentaneum. Sed precibus & ſigno Crucis, & diuino oſculo eum ſanum reddidit Nazarius.

Siſtitur corã Nerone. *Traditur in cuſtodiam.* *Eſa. 43.* *E mari educitur cum Celſio.*

Capit, tanquam piſces, hoc miraculo Neronis quoque ſeruos, qui ipſos in mare demiſerant. Sanctum enim deinceps ſunt ſecuti, & ita ſe ei adiunxerunt, vt prioris vitæ magna ducerentur pœnitentia, & ægre ferrent quòd non diù antè, relicto Nerone, animum illi adhibuiſſent. Terræ ergo cum puero redditus Nazarius, tranſit cum eo ad ciuitatem, quæ dicitur Tenuſa: & illinc profectus, venit Mediolanum: rurſus quoque priorem pergens dare doctrinam, & dulci potare nectare eos, qui erant verè filij regni. Sed ciues rurſus ei non permittebant liberè prædicare veram religionem: ſed eum compræhenderunt, & eum Preſidi Anulino, qui ei priùs multas impegerat alapas, tradiderunt, vel per illos, vt veriùs dicam, is qui fuit ab initio inuidus, & odio habuit homines. Ille autem iubet eum rurſus includi in priori cuſtodia. Nazario autem ipſa cuſtodia erat multis regijs precioſior, pratum floridum, nouus paradiſus. In eam enim ingreſſus, verſabatur cum Geruaſio & Protaſio ſocijs certaminis: à quibus aſſiduè ille, tanquam ab aliquibus fluminibus, irrigatus, carpebat ſuauiſſimos flores illorum conſuetudinis, vt propemodùm gratias haberet Anulino, quòd eum rurſus coniunxiſſet cum ijs, quos deſiderabat. Cum eis ergo congreſſus, & magnam accepit vtilitatem, vt ipſe etiam viciſſim intulit ea, quæ erant vtilia: & eos ſatis ad certamina, & puerum incitauit Celſium: quem puerum quidem ſermo, perfectum autem oſtendit actio.

Cap. 7. *Mediolani includitur in cuſtodia.*

Anulinus autem cùm de Nazario ſingula exactè didiciſſet, mirabatur quemadmodùm potuiſſet effugere Neronem (ſciebat enim, quàm eſſet furioſus & quàm ferus Nero) lupum agnus, vt aiunt. Hinc etiam de ſancto Nazario, & eius ſocijs eum facit literis certiorem, rogans quidnam iuberet, vt faceret ſanctis. Ille autem cùm audiuiſſet Nazarium adhuc eſſe ſuperſtitem, cædem ſpirabat aduersùs lictores, quibus iuſſerat, vt eum in maris profundum injicerent: & præ ira è ſede exiliens, cũ vociferatione currebat per regiam, clamãs inſidiatores, ingratos, aduersùs deos impios: & cupiebat eos inuenire, vt ipſos etiam interimeret ſimul cum Martyribus, ignorans ſtolidus, quòd Deus poteſt non ſolùm à mari ſeruare eum, qui in ipſo habuerit fiduciam, ſed etiam ipſum mare exiccare. Teſtatur autem diuus Dauid dicens, eum poſuiſſe fluuios in deſertum, contrà autem, deſerta in lacus aquarum. Cùm eos ergo multùm quæſiuiſſet, & non inueniſſet, ſic literis exponit ſuam aduersùs ſanctos ſententiam: Quoniam ij, qui ante nos aſcenderunt in hãc excelſam imperij ſedem, non ſolùm eos, qui in maximos deos erant impij, morte ſua damnabant ſententia: ſed etiam, ſi inuenirentur aliqui, qui maleficijs & præſtigijs multos corrumperent, par quoq; in eos ſtatuebant ſupplicium; noſtra quoq; decernit potentia, quòd iſti quamprimùm vita priuentur, gladio capitibus eorum amputatis: deinde eorum corpora objiciantur feris ad deuorandum, vt ne omnium quidem communem conſequantur ſepulturam. Sit ergo tibi curæ id, quod in præſentia iuſſi, exequi. Eſt enim mihi maiori curæ honorare deos, quàm curam gerere reipublicæ.

Cap. 8. *Neronis furor.* *Pſalm. 106.*

Poſtquam hæ literæ venerunt ad Anulinum, iubet ſtatim ad mortem duci Martyres. Illi autem muniti figura Crucis, admodùm læti exiêrunt, vt qui non ad mortem, ſed ad vitam potiùs (quod verum erat) æternam vocarentur: & contendebant alius a-

Cap. 9. *Nota quàm antiquum apud Chri-*

Binos Cruce ſe ſignare.

lium præuenire,& pulchro decertabant certamine,timentes ne Neronem ſua pœni-
teret ſententiæ,& beatum finem non aſſequerentur. Poſtquàm autem Domino con-
fitentes,peruenerunt ad locum conſummationis, inuidens Chriſtianis malignus be-
neficium,perſuadet lictoribus,vt priùs abigerent pios, qui illic aderant, ne omninò
fruerentur ſanctificatione ſanguinis ſanctorum, qui effundebatur: & ſic Martyrum
capita amputarent. Sed ſic quoq; à ſpe decidit execrandus,& parum commodi accepit
ex improbitate. Precioſæ enim ſanctorum reliquiæ, Nazarij, inquam, & Geruaſij cum
ſocijs, à Chriſtianis quibuſdam, non ſine Dei numine motis, clàm ablatæ, depoſitæ ſunt
honorificè apud portam ciuitatis, quæ etiam vocatur Romana, quartodecimo men-
ſis Octobris. Paulò pòſt autem diuini Martyres in ſomnis apparent cuidam ex ijs, qui
erant amici Martyrum, iubentes, vt eorum corpora aſſumeret. Proprium eſt hoc
ſanctarum & benignarum animarum, non vt ipſi glorificentur (quomodo enim, qui
propter eam, quæ illic eſt, beatitudinem, contempſerunt omnem, quæ eſt hic, gloriā?)
ſed vt pijs ac religioſis prodeſſent inuentione. Ille autem viſione valde lætatus, ſtatim
ſurgens & cum veneratione illinc ſanctas aſſumit reliquias, & domi ſuæ deponit. No-
uit quod factum fuerat eius filia, quæ erat paralytica: nam aduentu Martyrum priore
recuperauit valetudinem. Atq; latuit quidem Martyricarum reliquiarum theſaurus
abſconſus in eius ædibus, donec ad Magnum Theodoſium, qui ex Iberia, quæ nunc Hi-
ſpania dicitur, duxit genus, peruenerunt ſceptra Romani imperij.

Paralytica ſanatur.

Theſaurus reliquiarū.

Cap. 10.

Cùm autem is poſt Dei hoſtem Valentem, à barbaris in Thracia interfectum, eſſet
conſtitutus Imperator, & in Deum erat pius, ſi vllus alius, & Martyrum lætabatur ho-
noribus: tunc quoq; ſacræ eorum reliquiæ, tanquam theſaurus, reconduntur in Eccle-
ſia Mediolanenſi, Nazarij inquam, & Geruaſij, Protaſij & Celſij, inclytorum Chriſti
Martyrum. Quinam autem fuerunt adminiſtri in transferendis & deponendis his re-
liquijs? Ambroſius ille virtute clarus, & qui tunc decorabat ſedem Eccleſiæ Medio la-
nenſis. Is primus eſt executus miniſterium tranſlationis, vt cui non illotis (quod dici-
tur) manibus, ſed valde mundis, munda fuerint credita. Præterea autē vniuerſus Cle-
rus, & omnes magiſtratus, linguis hymnos canentes, & quas manibus geſtabant, lam-
padibus ea illuſtrantes, quæ tamen magis miraculis reſplendebant, quàm lampadibus.
Nam cæci quidem manu deducti ad eas vſq; reliquias, lucem ſtatim adſpexerunt, nec
opus ampliùs habebant aliquo, qui eos manu deduceret: ſed ſuos habebant duces
oculos. Claudi, qui vix fuerāt portati ab alijs, proprijs ſuis reuertebantur pedibus, perni-
cibus ad currendum, & aptis ad ſaltandum. Leproſos, qui in templum venerant, do-
mus adſpexit mundos. Et quicunq; à malignis detinebantur ſpiritibus, eos quoq; lice-
bat videre liberatos ab ijs, qui ipſos vexabant: furioſaq; & amentia eorum verba, con-
uerſa in gratiarum actionem: & communiter Chriſti Martyres laudibus celebrari &
glorificari ab omnibus. In eos cùm Magnus incidiſſet Theodoſius, (tunc enim agebat
Mediolani aduersùs Tyrannum, Maximum, inquam, decertans) cùm accepiſſet
partes ſacrarum harum reliquiarum, pro quibuſlibet ſpolijs aut manubijs, aut potius
pro quibuſlibet armis & munimentis, in vrbem detulit regiam, ijs, quæ ipſe vidit, mira-
culis confirmatus, & aduersùs Scythas, ſocios inexpugnabiles aſſecutus, Martyres.

S. Ambroſius ſacras martyrum reliquias transfert, &c.

Miracula.

Nota de Theodoſio Imperatore

Cap. 11.

Pſal. 118.

Ante hanc magnam itaq; ciuitatem eis excitat pulchrum & elegans templum, & in
eo ſacras Martyrum reliquias deponit, tanquam theſaurum ſuper millia (diuinus di-
cit Dauid) auri & argenti. Ex præter alia, vnguentorum quoque fontes emittunt abun-
dantes, non ſolùm corporibus ſalutares, ſed eorū etiam, qui hauriunt, animas expur-
gantes: vt non ſolùm habeant apud ſe Martyres ea, quæ acceperunt, ſed alijs quoq; ſua
bona communicent. Sic Chriſtus hìc quoque eos glorificat, qui illum amauerunt. Ta-
lium certaminum tales dat remunerationes, quædam omninò procemia illi-
us ſupernæ beatitudinis. Cuius nobis quoque liceat eſſe participes
gratia ſanctiſſimi & viuifici ſpiritûs, nunc & ſemper,
& in ſecula ſeculorum,
Amen.

ITEM

ITEM DE SS. GERVASIO ET PROTASIO MARTYRIBVS, AVTHORE S. AMBROSIO EPISCOPO, VT *teſtantur vetuſti MS. codices, & viri doctiſsimi approbant. Habet hinc quædam ad verbum Petrus Damianus in Sermone quem Lector in 2. Tomo 28. Aprilis offendet.*

AMBROSIVS ſeruus Chriſti, fratribus per omnem Italiam, æternam in Domino ſalutem. In diuinis voluminibus reus ſcribitur, qui non ſtuduerit dare gratis, quod ipſe gratis acceperit. Quicquid enim Domini Eccleſię profuturum erat, ſubtraxiſſe arguitur, cùm noluerit tradere omnibus, quod ipſe non celandum accepit. Vnde & Pſalmographus vates canit: Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non celaui miſericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo. Et pro hoc opere quaſi viciſſitudinem à Deo poſtulans, adiecit: Tu autem Domine ne elonges miſericordiam tuam à me. quaſi Deo diceret: Sicut ego feci alios miſericordiam inuenire, ita & ipſe non patiaris longè fieri miſericordias tuas à me. Aperiamus ergo, cur iſta præmiſimus, & veſtros animos, qui piè de Deo ſentitis & creditis, de inuentione ſanctorũ corporum ad lætitiam inuitemus. 19. Iunij. Pſalm. 39.

In diebus tranſactæ nuper Quadrageſimæ, cùm Dominus mihi donâſſet, vt ieiunantium & orantium me faceret eſſe participem, in oratione poſito ita mihi ſomnus obrepſit, vt nec vigilans apertè, nec dormiens integrè, viderẽ apertis oculis mecum duos iuuenes ephebos, veſtibus candidiſſimis, id eſt, collobio & pallio indutos, caligulis calceatos, manibus extenſis orantes. Nullam quidem grauedinẽ patiens, loqui cũ eis non poteram: ſed vt dixi, pars in me ſomni incumbebat, qui me ad eorũ interrogationem verbum proferre non fineret: plenè autem euigilãti viſio eorum ab oculis elapſa eſt. Vnde factum eſt, vt rogarem Domini miſericordiam, vt ſi ludificatio dæmonum eſſet, abſcederet: ſi verò veritas eſſet, pleniùs appareret. Ad impetrandũ verò, quod poſcebam à Domino, augmentaui ieiuniũ: ſimiliq; modo, canente gallo, orãtes mecum iuuenes apparuerunt. Tertia verò nocte, defecto ieiunijs corpore, non dormienti ſed ſtupenti cũ quadam mihi tertia apparuêre perſona, quæ ſimilis eſſet beato Paulo, cuius vultum me pictura docuerat, vt tantùm ipſe mecum illis tacentibus loqueretur, dicens: Iſti ſunt, qui propter monita mea reſpuentes prædia & diuitias, ſecuti ſunt Domini noſtri Ieſu Chriſti veſtigia, nihil terrenum, nihilq; carnale cõcupiſcentes, in media hac Mediolanenſi vrbe per decem annos in Dei ſeruitio perdurantes, ad hoc pertingere meruerunt, vt Chriſti martyres fierent: quorum corpora in eo loco inuenies, in quo ſtas & oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertã arcam inuenies: quam arcam ſuperiùs exaltabis, & in nomine eorum eccleſiam fabricabis. Cumq; eorũ nomina ab eo requirerem, dixit mihi: Ad caput eorum libellum ſcriptũ inuenies, in quo ortus eorum & finis ſcriptus eſt. Conuocans itaq; omnes per circuitum fratres & coëpiſcopos vrbium vicinarum, referens vniuerſa, quæ videram & audiuerã, ipſis coràm poſitis, primus ego terræ foſſor acceſſi: cæteri Epiſcopi proſecuti ſunt. Fodientes, peruenimus ad arcam, quam ſanctus promiſerat Paulus. Quam aperientes, inuenimus quaſi ipſa hora poſitos ſanctos, miro odore fragrantes. Ad quorum caput illum libellum inuenimus, in quo erant hæc per ordinem vniuerſa conſcripta. Viſio S. Ambroſio oblata. Vſus imaginum tempore S. Ambroſij.

EGo ſeruus Chriſti Philippus, intra domum meam ſanctorum corpora cum filio meo rapui & ſepeliui: quorum mater Valeria, & pater Vitalis dicti ſunt, quos vno ortu geminos genuerunt, & vnum Protaſium, alium Geruaſium vocauerunt. Quorũ pater Vitalis erat militans conſularis. Hic cùm fuiſſet cum Paulino iudice ſuo Rauennam ingreſſus, & videret in conſpectu iudicis ſui Chriſtianum, nomine Vrſicinũ, arte medicum, natione Ligurem, poſt nimia tormenta capitalem accepiſſe ſententiã: locus autem, vbi decollabantur Chriſtiani, hoc habebat vocabulum, vt diceretur, Ad palmam, eò quòd arbores antiquæ palmæ illic eſſent. Igitur cùm, vt diximus, poſt nimia tormenta decollandus veniret ad palmam, expauit: & dum vellet male euadere, exclamauit Vitalis, dicens: Noli, noli Vrſinice medice. Qui alios curare conſueuiſti, teipſum æternæ mortis iaculo vulnerare vis? Qui per paſſiones nimias veniſti ad palmam, Libellus de martyrio SS Geruaſij & Protaſij. Vrſicini medici martyrium.

mam, coronam perdere noli, tibi à Domino præparatam. Audiens hæc Vrſicinus, genu poſuit, & ſpiculatorem, vt feriret, hortatus eſt: & agens pœnitentiam quòd expauiſſet, Chriſti martyrem ſe fecit. Statimque ipſe Vitalis corpus martyris rapiens, intra Rauennatium vrbem ſepeliuit: & cum omni honore martyri debita explēs obſequia, ad iudicem vltrà venire contempſit. Quem Paulinus conſularis iudex ideò teneri maximè mandauit, non tantùm quia cōtempſit ad eum redire, quantùm quòd ita Chriſtianus eſſe detectus eſt, vt etiam volentem Vrſicinum ſacrificare, ne periret, ita inſtituit, vt rediret ad coronam martyrij, & Deo redderet margaritam precioſam, quam diabolus rapere ſtudebat.

Martyrium S. Vitalis. Paulinus igitur, iuſſit eum leuari in eculeo, vt per tormenta poſſet eius ſenſum ad ſacrificandum idolis conuertere. Cui Vitalis ait: Infinita tibi dominatur ſtultitia, vt putes meipſum decipere, qui alios à periculo deceptionis liberare ſtudui. Tunc Paulinus conſularis dixit ad officium ſuum: Ducite eum ad palmam, & ſi ſacrificare contempſerit, nolite eum decollare: ſed facite foueam in terra, quoadusque perueniatis ad aquam: & ibi eum ſupinum deponite, & terra atq; lapidibus obruētes dimittite. Quod cùm factum fuiſſet, Deus ſibi Vitalem ita martyrem conſecrauit. Sacerdos autem Apollinis, qui hoc conſilium Paulino dederat, à diabolo repletus eſt, ita vt per ſeptem dies energumenus ibi clamaret, vbi obrutus erat ſanctus Vitalis, dicens: Incendis me, ſancte Vitalis martyr Chriſti, & crucias me. Poſt ſeptem autem dies præcipitatus à diabolo, in flumine expirauit. Sanctus autem Vitalis glorioſus martyr Chriſti, ſepultus eſt iuxta ciuitatem Rauennatium, præſtans orationibus ſuis multa beneficia omnibus hominibus credentibus in Dominum, vſq; in hodiernum diem.

Item S. Valeriæ. Valeria autem coniunx eius, cùm vellęt corpus S. Vitalis auferre, à Chriſtianis prohibita eſt, & ab ipſo in viſionibus ſæpè admonita, ne ſanctum corpus à malo homine benè poſitum violaret. Ipſa autem cùm reuerteretur ad vrbem Mediolanenſium, idolatras Syluano ſacrificantes incurrit: qui eam deponentes de ſaumario, hortabantur ſecum epulari. At illa dicebat: Chriſtiana ſum: non licet mihi de Syluani veſtri ſacrificijs manducare. Illi verò hæc audientes, tanta eam cæde mactauerunt, vt vix ſeminecem eam ſui homines ad Mediolanenſem vrbem perducerent, ita vt intra triduum migraret ad Chriſtum.

Geruaſius & Protaſius dāt ſua pauperibus &c. Cumque ab inteſtato Geruaſius & Protaſius parentibus ſucceſſiſſent, domum propriam & res parentum & caſellulas venundantes, dederunt precium omne pauperibus & familiolæ ſuæ, quam etiam ingenuam fecerunt. Ipſi verò in vno cœnaculo ſe concluſerunt, & per decem annos lectioni & orationi & ieiunijs vacantes, hoc ordine in anno conuerſionis ſuæ vndecimo ad palmam martyrij peruenerunt. Eodem tempore superueniente Comite Aſtaſio, qui proficiſcebatur ad bellum, quod à Marcomannis fuerat excitatum, occurrerunt illi templorum cultores cum ſacerdotibus ſuis, dicentes: Si vis lætus ad Auguſtos noſtros reuerti & victor, Geruaſium & Protaſium ſacrificare compelle. Vehementer enim dij noſtri de eorum contemptu cōmoti, dare nobis reſponſa contemnunt. Audiens hæc Aſtaſius Comes, iuſſit eos teneri & ad ſe adduci, quibus & dixit: Hortor vos & moneo, vt à deorum noſtrorum iniurijs temperantes, ad immolandum eis deuoti ſtudeatis inſiſtere, vt expeditio mea vnanimiter celebretur. Geruaſius dixit: Victoriam de cælo debes à Deo omnipotente requirere, nō de ſimulacris mutis & vanis, quæ oculos habent ſine lumine, aures ſine auditu, nares ſine odoratu, os ſine ſermone, manus ſine tactu, pedes ſine greſſu: & ventrem ſine interioribus probantur habere, & ſine flatu eſſe noſcuntur. Tūc indignatus Aſtaſius Comes, iuſſit eum tamdiù plumbatis contundi, quamdiù exhalaret ſpiritum. Quo amoto, iuſſit adſtare Protaſium, cui & dixit: Miſer, vel tu viuere ſtude, & noli biothanatus fieri, ſicut & frater tuus. Cui Protaſius reſpondens, ait: Quis eſt miſer, ego, qui te non timeo: an tu, qui me timere probaris? Aſtaſius Comes dixit: Ego te, miſer homo, quomodo timeo? Beatus Protaſius dixit: In eo, quòd times lædi à me, ſi non ſacrificauero dijs tuis. Si enim non timeres lædi à me, ad ſacrificandum me non compelleres. Ego autem te non timens, contemno minas tuas, & omnia idola tua velut ſtercora reputans, Deum ſolum qui regnat in cælis, adoro. Audiens hæc Aſtaſius Comes, iuſſit eum fuſtibus cædi. Poſtea verò erecto eo, dixit ad eū: Miſer homo, vt quid tam ſuperbus & tam rebellis exiſtis? Vis perire, ſicut tuum probâſti Germanum periſſe? Protaſius dixit: Non tibi iraſcor Aſtaſi, nec ego, nec ipſa iuſtitia: quoniam cæcos oculos tui cordis attendo. Incredulitas enim, quæ in tuis ſenſibus regnat, non te permittit videre, quod Dei eſt. Nam & Dominus meus Ieſus Chriſtus crucifigentibus eum non

Geruaſius necatur.

Biothanatꝰ violenta morte occūbens.

Protaſius fuſtibus cæditur.

non maledixit: ſed potiùs, vt eis indulgeretur, orauit, addēs hoc, quia neſcirent quid facerent. Vnde & ego tuî miſereor, quia neſcis quid facias. Nunc ergo age, quod cœpiſti, vt mihi poſſit cum meo fratre hodiè benignitas Saluatoris noſtri occurrere. Tunc impijſſimus Comes Aſtaſius iuſſit eum capite cædi. Quod cùm factum fuiſſet, ego ſeruus Chriſti Philippus abſtuli cum filio meo furtim nocte corpora ſancta, & in domo mea, Deo ſolo teſte, & in iſta arca marmorea ſepeliui, credens me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Decollatur Protaſius. Nota de interceſſione Sanctorum

De eorundem ſanctiſsimorum Martyrum inuentione Epiſtola S. Ambroſij ad ſororem ſuam.

DOminæ ſorori, vitæ atq; oculis præferendæ, frater. Quia nihil ſanctitatem tuam ſoleo eorum præterire, quæ hic te gerantur abſente, ſcias etiam ſanctos martyres Geruaſium & Protaſium à nobis repertos. Nam cùm baſilicam dedicâſſem, multi tanquam vno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sic in Romana baſilicam dedices. Reſpondi: Faciam, ſi martyrum reliquias inuenero. Statimq; ſubijt veluti cuiuſdam ardor præſagij. Eſt Epiſt. 85

Quid multa? Dominus gratiam dedit, formidantibus etiam clericis iuſſi eruderari terram eo loci, qui eſt ante cācellos ſanctorum Felicis atq; Naboris. Inueni ſigna conuenientia, adhibitis etiam, quibus per nos manus imponenda foret: ſic ſancti martyres imminere cœperunt, vt adhuc nobis ſilētibus arriperetur vrna, & ſterneretur prona ad locum ſancti ſepulcri. Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt priſca ætas ferebat. Oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum, ingens concurſus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condiuimus integra, ad ordinē tranſtulimus, veſpere iam incumbente, ad baſilicam Fauſtæ: ibi vigiliæ tota nocte, manûs impoſitio. Sequenti die tranſtulimus ea in baſilicam, quam appellant Ambroſianam. Dum transferimus, cæcus ſanatus eſt. Talis mihi ad populum fuit ſermo: Nota antiquam deuotionem.

Cùm tam effuſam, tamq; inauditam conſiderarem conuentûs veſtri celebritatem, & diuinæ gratiæ munera, quæ in ſanctis martyribus refulſerunt, imparem me, fateor, huic muneri iudicabā, nec fieri poſſe, vt ſermone abſoluerem, quod vix poſſimus animo intendere, oculis compræhendere. Sed vbi ſanctorum legi cœpit ſeries ſcripturarum, largitus eſt Spiritus ſanctus, qui locutus eſt in prophetis, quo dignum aliquid tanto cœtu & expectatione veſtra, martyrumq; ſanctorum meritis, proferamus: Cæli enarrāt (inquit) gloriam Dei. Cùm legitur ſic pſalmus, occurrit quòd non tam elemēta materialia, quàm cæleſtia merita, dignum Deo præconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit, qui cæli enarrant gloriam Dei. Adſpicite ad dexteram meam, adſpicite ad ſiniſtram reliquias ſacroſanctas, videtis cæleſtis conuerſationis viros, ſpectantes animi ſublimis trophæa. Iſti ſunt cæli, qui enarrant gloriā Dei. Hæc opera manuum eius annunciat firmamentum. Nō enim eos ſecularis illecebra, ſed diuini gratia operis ad firmamentum ſacratiſſimæ paſſionis euexit. Multoq; antè morum virtutumq; documentis annunciauit in his martyrium, quod aduerſùs lubricum ſeculi huius ſtabiles permanſêre. Pſal. 18. Nota reliquias ſacroſanctas.

Cælum erat Paulus, qui ait: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Cæli erant Iacobus & Iohannes, deniq; filij tonitrui nuncupantur: & ideò quaſi cęlum Iohannes verbum apud Deum vidit. Ipſe Dominus Ieſus perpetui luminis erat cælum, cùm enarraret Dei gloriam, ſed eam, quam nemo antè conſpexerat. Et ideò dixit: Deū nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, enarrauit. Opera quoq; manuum Dei ſi quæris, audi Iob dicentem: Spiritus diuinus, qui fecit. Et ideò aduerſùs diaboli tentamenta firmatus, inoffenſæ veſtigium conſtantiæ reſeruauit. Sed veniamus ad reliqua: Dies (inquit) diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies, pleni luminis & fulgoris æterni. Qui non perfunctorio ſermone verbum Dei, ſed intimo corde eructârunt, in confeſſione conſtantes, in martyrio perſeuerantes. Philip. 3. Mar. 3. Iohan. 1. Iob. 26. Martyres veri dies.

Alius pſalmus lectus dicit: Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Reſpexit ſanè humilia Dominus, qui latentes ſub ignobili ceſpite reliquias ſanctorum, ſuæ Eccleſiæ reuelauit, quorum anima in cælo, corpus in terra. Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: Quos videtis, vt eos cum principibus populi ſui collocârit. Principes populi, quos alios niſi ſanctos Pſal. 112.

ctos martyres æſtimare debemus,quorum iam in numerum, diù ignorati, Protaſius Geruaſiuſque proferuntur,qui ſterilem martyribus eccleſiam Mediolanenſem, iam plurimorum matrem filiorum,lætari paſſionis propriç fecerint & titulis & exemplis? Nec hoc abhorreat à vera fide. Dies diei eructat verbum, anima animæ, vita vitæ, resurrectio reſurrectioni. Et nox nocti indicat ſcientiam, hoc eſt, caro carni, quorum paſſio veram fidei ſcientiam omnibus indicauit. Bonæ noctes, noctes lucidæ, quæ habent ſtellas. Sicut enim ſtella à ſtella differt in claritate,ita & reſurrectio mortuorum.

1.Cor.15.

Miracula ad ſanctorũ reliquias.

Non immeritò autem pleriq; hanc martyrum reſurrectionem appellant. Videro tamen, vtrùm ſibi,an nobis certè martyres reſurrexerunt.Cognouiſtis,immò vidiſtis ipſi multos à dæmonijs purgatos:Plurimos etiam,vbi veſtem ſanctorũ manibus contigerunt,hìc quibus laborabant,debilitatibus abſolutos,reparata vetuſti corporis miracula,quo ſe per aduentum Domini Ieſu gratia terris maior,infuderat, vmbra quadam ſanctorum corporum pleroſq; ſanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur?Quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas,vt tactu ipſo medicabilia repoſcantur?Gaudent omnes extrema linea contingere,& qui contigerit,ſaluus erit.Gratia tibi Domine Ieſu,quòd hoc tempore tales nobis ſanctorum martyrũ ſpiritus excitâſti, quo Eccleſia tua præſidia maiora deſiderat. Cognoſcant omnes, quales ego propugnatores requiram,qui propugnare poſſint,impugnare non ſoleant.

nota lector.

Sancti ſunt noſtri propugnatores

Hos ergo acquiſiui tibi plebs ſancta, qui proſint omnibus, nemini noceant. Tales ergo ambio defenſores,tales milites habeo: Quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia ſunt.Horum etiam illis ipſis,qui mihi inuident,opto præſidia. Veniant ergo & videant ſtipatores meos:talibus me armis ambiri nõ nego. Hi in curribus,& hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. Eliſeum,ſcripturæ diuinæ ſeries refert,cùm ab exercitu Syrorum eſſet obſeſſus,dixiſſe timenti ſeruulo, ne timeret: quia plures(inquit)pro nobis ſunt,quàm contra nos. Et vt hoc probaret,petiſſe vt oculi Giezi aperirentur,quibus innumeros adeſſe vidit prophetæ exercitus angelorum. Nos etſi eos videre non poſſumus,ſentimus tamen. Erant clauſi iſti oculi,quandiù obruta Sanctorum corpora delitеſcebant. Aperuit oculos noſtros Dominus, vidémus auxilia,quibus ſumus ſæpè defenſi.Nõ videbamus hæc,ſed habebamus tamẽ. Itaq; trepidantibus nobis,quaſi dixerit Dominus: Adſpicite,quantos vobis martyres dederim: ita reſeratis oculis gloriam Domini ſpeculamur, quæ eſt martyrum paſſione præterita,& operatione præſens.

Pſal. 19.

4.Reg.6.

Euaſimus fratres non mediocrẽ pudoris ſarcinam:patronos habebamus,& neſciebamus.Inuenimus vnum hoc,quo videamur præſtare maioribus. Sanctorum martyrum cognitionem,quam illi amiſerunt,nos adepti ſumus. Eruuntur nobiles reliquiæ ſepulcro ignobili,oſtendũtur cælo trophęa.Sanguine tumulus madet,apparent cruores triumphales, notæ inuiolatæ, reliquiæ loco ſuo & ordine repertæ, auulſum humeris caput. Nunc ſenes repetunt,audiſſe ſe aliquando horum martyrum nomina, titulumque legiſſe: perdiderat ciuitas ſuos martyres, quæ rapuit alienos. Etſi hoc Dei munus eſt,tamen gratiam, quam temporibus ſacerdotij mei Dominus Ieſus tribuit,negare non poſſum: quia ipſe martyr eſſe nequeo,hos vobis martyres acquiſiui. Succedant victimæ triumphales in locum,vbi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper altare,qui pro omnibus paſſus eſt:iſti ſub altari,qui illius redempti ſunt paſſione. Hunc ego locum prædeſtinaueram mihi.Dignum eſt enim,vt ibi requieſcat ſacerdos,vbi offerre conſueuit.Sed cedo ſacris victimis dexteram portionem: locus iſte martyribus debebatur.

Chriſtus in altari hoſtia.

Condamus ergo reliquias ſacroſanctas,& dignis ædibus inuehamus, totumque diem fida deuotione celebremus.Acclamauit populus,vt in dominicum differretur diem martyrum depoſitio:ſed tandem obtentum,vt ſequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum ſermo fuit.

Eſt ſer.91.

Item de eorundem inuentione corporum,D. Ambroſij ſermo.

Pſal. 18.

HEſterno tractaui verſiculum,Dies diei eructat verbũ, prout noſtri captus tulit ingenij: hodiè mihi non ſolùm ſuperiore tempore, ſed præſenti quoque prophetaſſe videtur ſcriptura diuina. Nam cùm diebus ac noctibus continuatam videam ſanctitatis veſtræ celebritatem,iſtos eſſe dies prophetici carminis, oracula declarârunt heſternum atque hodiernum, de quibus opportuniſſimè dicitur: Dies diei eructat

Et hic habes priſcam Chriſtianorum deuotionem.

eructat verbum: & iſtas noctes, de quibus aptiſſimè diſputatur, quia nox nocti indicat ſcientiam. Quid enim aliud hoc biduo, niſi verbum Dei intimo eructâſtis affectu, & ſcientiam vos habere fidei probauiſtis? Cui tamen celebritati veſtræ, qui ſolent, inuident. Et quia celebritatem veſtram inuidis animis ferre non poſſunt, cauſam celebritatis odêre, atque intantùm amentiæ prodeunt, vt negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur.

Nota hæretice, & erubeſce.

Sed hoc non mirum. Siquidem tanta eſt incredulorum perfidia, vt tolerabilior ſit diaboli plerunq; cõfeſſio. Dicebat enim diabolus: Ieſu fili Dei viui, qd veniſti ante tempus torquere nos? Et cùm hoc audirent Iudæi, ipſi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audîſtis clamantes dæmones, & confitentes martyribus, quòd pœnas ferre non poſſint, & dicentes: Quid veniſtis, vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non ſunt iſti martyres, nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem liberare, cùm tormenta dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia martyrum, remedijs cæcorum, & abſolutorum indicijs declarentur. Negant cæcum illuminatum, ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus eſſe deſiui, & probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt, publicis cùm valeret mancipatus obſequijs, Seuerus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium, poſtquàm inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum antè ſuſtentabatur obſequijs. Eos indices ſuæ viſitationis accerſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Clamat, quia vt cõtigit fimbriã de veſte martyrũ, qua ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumẽ ſit.

Matth. 8.

Inſigne miraculum ad tactum fimbriæ.

Nónne ſimile illud eſt, atque illud, quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus authoris, nec intereſt vtrùm opus ſit, an munus, cùm & muneret in opere, & operetur in munere. Quod enim alijs faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eis operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos cùm viderent in illo cæco ſanitatis remedium, requiſiſſe parentum teſtimonium. Interrogabant, Quomodò videt filius veſter? cùm ille diceret: Cæcus cùm eſſem, modò video. Hoc & iſte dicit: Cæcus fui, & modò video. Interrogate alios, ſi mihi non creditis: interrogate extraneos, ne adſtipulari mihi parentes putetis. Deteſtabilior iſtorum, quàm Iudæorũ pertinacia. Illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant. Iſti occultè interrogãt, palàm negant, iam non operi increduli, ſed authori.

Iohan. 9.

Quod ſanctis donat Deus vt faciãt, hoc in eorũ opere nomen eius operatur.

Sed quæro quid non credant, vtrùm à martyribus poſſint aliqui viſitari? hoc eſt Chriſto non credere. Ipſe enim dixit: Et maiora his facietis: an ab iſtis martyrib⁹, quorum merita iamdudùm vigent, corpora dudum reperta ſunt?

Iohan. 14.

Quæro hîc, vtrùm mihi, an ſanctis martyribus inuideãt? Si mihi, nunquid à me aliquæ virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident, quod meum non eſt? Si martyribus (reſtat enim, vt, ſi mihi non inuident, martyribus inuidere videantur) oſtendunt alterius fidei fuiſſe martyres, quàm ipſi credunt. Neq; enim aliter eorum operibus inuiderent, niſi fidem in his fuiſſe eam, quam iſti non habent, iudicarent fidem illam Maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipſi negare non poſſunt, ſed Arriani negant.

Hic planè iugulantur hæretici, dũ martyrum miraculis derogant.

Audiuimus hodiè dicẽtes eos, quibus manus imponebatur, neminem poſſe eſſe ſaluum, qui patrem & filium & ſpiritum ſanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentẽ virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, ſed Arriani nolunt fateri. Dicit diabolus: Si torqueatur, quemadmodum ipſe à martyribus torquebatur, qui ſpiritusſancti deitatem negârit. Non accipio à diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Inuitus dixit diabolus, * ſed exactus & tortus. Quod nequitia ſupprimit, extorquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere neſciunt Arriani. Quanta perpeſſi ſunt, & quemadmodum Pharao malis ſuis indurantur. Dicebat diabolus, vt ſcriptum legim⁹: Scio te, quis ſis. Tu es filius Dei viui. Dicebant Iudæi: Neſcimus, quis ſit. Dicebant hodiè & ſuperiore die vel nocte dæmones: Scimus, quia martyres eſtis: & Arriani dicunt: Neſcimus. Nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus: Veniſtis perdere nos: Arriani dicunt, Non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria. Audiui multa componi: hoc nemo vnquam fingere potuit, vt dæmoniacum ſe eſſe ſimulet. (aliâs, dæmonem ſe eſſe ſimularet.)

* &

Luc. 4.
Iohan. 9.
Hæretici dæmonibus peiores.

Quid illud, quòd ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? vbi hîc locus fraudi eſt, vbi ſuſpicio ſimulandi? ſed nõ ego ad ſuffragium martyrum vſurpo vocem dæmoniorum. Beneficijs ſacra paſſio ſuis comprobetur. Habet iudices, ſed purgatos: habet teſtes, ſed abſolutos. Melior vox eſt, quam ſanitas loquitur eorum, qui debi-

debiles aduenerunt. Melior vox eſt, quam ſanguis emittit. Habet enim ſanguis vocē canoram, quæ de terris ad cælum peruenit. Legiſtis, dicente Domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic ſanguis clamat coloris indicio: ſanguis clamat operationis præconio: ſanguis clamat paſſionis triumpho. Satisfactum eſt petitioni veſtræ, vt concedendas heſterno, in hodiernum diem differremus reliquias.

Geneſ.4.

VITA S. ROMVALDI ABBATIS, AVTHORE B. PETRO DAMIANO.

PROLOGVS.

ADuerſùm te, immunde munde, conquerimur, quia habes intolerabilē ſtultorum ſapientium turbam, tibi facundam, Deo mutā. Habes qui per vanam eloquētiam, & inanem philoſophiā ſe ſciunt in ſuperbię cornibus arroganter extollere: non habes, qui profuturū aliquid ædificationi proximorum, ad poſterorum velit memoriā ſchedulis adnotare. Habes, inquā, qui in prætorijs iudicū, negociorum ſecularium lites, & cauſarum iurgia continuis valeant declamationibus perorare: nō autem habes, qui poſſit in ſancta Eccleſia vel vnius ſanctorum virtutem, & clara geſta deſcribere. Sapiētes ſiquidem ſunt, vt faciant mala: bona autem facere neſciunt. Ecce enim tria iam ferè luſtra tranſacta ſunt, ex quo beat⁹ Romualdus, depoſito carnis onere, ad æthereа regna migrauit, & nemo adhuc ex huius mundi ſapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitæ pręconijs pauca ſaltem hiſtorico ſtylo digereret, & auidiſſimæ deuotioni fidelium ſatisfaciens, ad communem vtilitatem recitāda ſanctæ Eccleſiæ traderet. Nobis autem in anguſto cellulæ angulo reſidentibus, vtilius erat, ſicut propoſuimus, propria peccata ad mentis oculos aſſiduè reuocare, quàm alienæ virtutis hiſtoriā texere: magis expediret commiſſi reatùs tenebras plangere, quàm ſplēdida ſanctitatis inſignia imperitis ſermonibus offuſcare. Veruntamen cùm ad ſepulcrum eius ex longinquis terrarū partibus toto anno, maximeq; in ei⁹ feſtiuitate fidelium multitudo cōueniat, miracula per eum diuinitùs facta conſpiciat, audire vitæ eius hiſtoriam deſiderabiliter quærat, ſed, vtpotè quę nō ſit, audire non valeat, non irrationabiliter pertimeſcimus, ne celeberrima eius fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitùs deleatur. Quapropter hoc timore compulſus, multorūmq; fratrū precibus, & germana charitate deuinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregijs eius diſcipulis didici, aggrediar, Deo authore, deſcribere, vitæq; eius initium, curſum & finem, nimirùm imperitus homo, non hiſtoriam texens, ſed quoddam quaſi breue cōmemoratorium faciens, quibuſcunq; tentabo literarum apicibus exarare. Hoc autē vnum inprimis lectorem meum nôſſe deſidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego deſcriptiuncula colligam, ſed potiùs (quod ad ædificationē omnimodis attinet) conuerſationis eius ordinem referre contendam. Beatus ſiquidem vir intantùm ſe humilitatis tegmine à vento vanæ gloriæ cuſtodiuit, quòd vndecunq; humanis oculis videri mirabilis potuit, ſtudioſiſſima occultatione ſuppreſſit. Quæ tamen miracula etiamſi minimè feciſſet, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non eſſet. Neq; enim præcurſor Domini feciſſe miracula legitur, quo maiorem nullum inter natos mulierum ſurrexiſſe Veritas ipſa teſtatur. Nonnulli enim Deo ſe deferre exiſtimant, ſi in extollendis ſanctorum virtutibus mendacium fingāt. Hi nimirùm ignorantes Deum noſtro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipſe eſt, de falſitatis ei putant ſe placere poſſe commento. Quos benè Hieremias redarguit, dicens: Docuérc linguas ſuas loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauêrunt. Qui enim vltrò oblatam ſimplicem veritatem referre facilè poterant, in componendis quæ neſciunt, caſſo labore deſudant. Et quo ſe pro Deo ſtare quaſi adiutores autumant, eo reuerà, vt falſi teſtes, contrà Deum pertinaciter pugnant, Apoſtolo Corinthijs atteſtante, qui ait: Si Chriſtus non ſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra. Deinde ſubiungit: Inuenimur falſi teſtes Dei, quoniam diximus teſtimonium aduersùs Deum, qui ſuſcitauerit Chriſtum, quem nō ſuſcitauit. Sed quia neceſſitate ad ſcribendum coacti, velut commoti, iſta præmiſimus, iam precib⁹ eius, de quo loquimur, Deo opitulante, ad narrationis ordinem veniamus.

Ierem.4.

Ex longinquis regionibus veniunt ad ſancti viri ſepulcrum.

Matth.11.

Ierem.9.

1.Cor.15.

VITAE

VITÆ HISTORIA.

19. Iunij. Cap. 1. S. Romualdi patria & genus.

ROMVALDVS igitur Rauennæ ciuitatis oriundus, ex illuſtriſſima Ducum fuit ſtirpe progenitus. Qui cùm iam in adoleſcẽtiam perueniſſet, cœpit in peccato carnis procliuis exiſtere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines, præſertim diuites, vehementiùs ſolet. Mente tamen Deo deuotus, frequenter ſe tentabat erigere, facturumque ſe magnum aliquid proponebat. Nam ſi quando ſe ad ſtudium venationis accingeret, vbicunq; per ſyluas amœnum locum reperire poterat, mox ſe ad eremi deſideriũ eius animus accendebat, dicens intra ſe: O quàm benè poterant eremitæ in his nemorum receſſibus habitare: quam congruè poſſent hîc ab omni ſecularis ſtrepitûs perturbatione quieſcere. Et ita mens eius cælitùs inſpirata, iam diuinabat in amore, quod impleturus erat poſtmodùm opere.

Cap. 2. Pater eius.

Huic erat pater, nomine Sergius, mundo vehementer intentus, & omninò ſecularibus negocijs implicatus: qui dum aduersùs quendam propinquum ſuum exortis ſimultatibus pro poſſeſſione partis inimicitias exerceret, videns filium Romualdum in contentione molleſcere, crimenque fratricidij medullitùs formidare, minari cœpit exhæredem facere, ſi in eadem diutiùs ſententia permaneret. Quid plura? Tandem vtræque inimicantium partes ex vrbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum ſociale committunt: & dum cominùs hincinde pugnatur, repentè manu Sergij inimicus & affinis occiditur. Romualdus autem, licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit: moxq; ad Claſſenſe monaſterium beati Apollinaris, more homicidarum, diebus quadraginta permanſurus in luctibus, properauit. Illic autem diſtricta ſe pœnitentia iugiter macerans, cœpit cum quodam conuerſo quotidianum habere colloquium, à quo etiam iuxta mediocritatem ſensûs, bonæ exhortationis audiebat ſæpè conſilium. Quem cùm conuerſus frequenter admoneret, ſecularem vitam omninò poſtponere, & ad ſanctæ conuerſationis ordinem feſtinare, ſed ad hoc mentem eius humiliare nullatenùs poſſet, aliquãdo inter cætera velut gratulabundus intulit, dicens: Si tibi ego beatum Apollinarem corporali ſpecie, ita vt eum manifeſtè videre poſſis, oſtendero, quid à te pręmij reportabo? Ad hæc Romualdus: Firma, inquit, & inuiolabili me obligatione conſtringo, quia mox, vt beatum martyrem videro, apud ſeculum vlteriùs non manebo. Hortatur ergo conuerſus, vt ipſa nocte Romualdus dormire poſtponeret, & vnà ſecum intra eccleſiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno ſilentio longanimiter ambo in oratione perſiſterent, ecce circa gallicinium noctis beatus Apollinaris, his duobus manifeſtè videntibus, exijt de ſub altari, quod in medio eccleſiæ ad honorem beatæ virginis Mariæ cernitur eſſe conſtructum. Viſus eſt autem exire ab orientali parte, illinc videlicet, vbi marmor porphyreticum iacet. Confeſtim verò tantus ſplendor totam repleuit eccleſiam, ac ſi ſol fulgoris ſui radios intra ipſos parietes cohiberet. Tunc beatiſſimus martyr ſacerdotalibus infulis mirabiliter exornatꝰ, aureum in manu portans thuribulum, cuncta eccleſiæ incenſauit altaria: & hoc facto, ſtatim vnde exierat redijt, moxque omnis ille ſplendor proſequens apparere ceſſauit.

Romualdi pœnitentia ob admiſſũ à patre homicidium.

Viſio eius.

Nota antiquum vſum altaria thurificandi.

Cap. 3.

Cœpit itaque conuerſus Romualdo, durus nimirùm exactor, vehementer inſiſtere, & vt adimpleret quod vltrò promiſerat, anxiè poſtulare. Cumq; Romualdus adhuc reſiſteret, & eandẽ viſionẽ denuò cernere flagitaret, alia nocte ſimiliter in oratione perſiſtunt, & beatum martyrem per omnia, ſicut priùs, adſpiciunt. Vnde etiã poſtmodùm ſi de corpore prædicti martyris aliquando quæſtio oriretur, Romualdus penitùs affirmabat, in ipſa eccleſia eſſe reconditum: & quandiù vir ſanctus vixit, hoc proferre teſtimonium non ceſſauit. Habebat quoq; Romualdus conſuetudinem, ante præcipuum altare eccleſiæ orationi frequenter incumbere, ibique poſtquam fratres abſceſſerant, multis Deum ſatagebat gemitibus exorare. Dumq; hoc quadam die poſt viſionem attentiùs faceret, tanto mox diuini amoris igne mentem illius Spiritus ſanctus accendit, vt in fletum repentè prorumperet, vberes lachrymarum riuos reſtringere non valeret, monachorum ſe pedibus proſtratus aduolueret, tradique ſibi monachicum habitum inenarrabili deſiderio flagitaret. Monachi verò dum patris

eius duritiam metuunt, conuerſioni illius aditum pandere non præſumunt. Honeſtus autem, qui tunc Rauennæ Archiepiſcopalem cathedram obtinebat, olim Claſſenſis cœnobij Abbas extiterat. Hunc ergo Romualdus impiger adijt, eique ſui cordis deſiderium patefecit. Qui alacer factus, caſtæ concupiſcentiæ exhortationis ſtimulos addidit, fratribuſque vt eum ſuo collegio incunctanter aſciſcerent, imperauit. Huius itaque patrocinio cœnobitæ ſuffulti Romualdum intrepida ſecuritate ſuſcipiunt, eiq; ſanctæ conuerſationis habitum tradunt.

Induit Romualdus habitum monaſticum.

Cap. 4.

In eo igitur monaſterio triennium ferè tranſegit. Sed cùm ibi cerneret nonnullos per lata gradientes, remiſſiùs viuere, ſibi autem arduam perfectionis ſemitam, quam mens dictabat, arripere non licere, quid ſibi agendum eſſet, ſolicitè in ſemet ipſo cœpit inquirere, multiſque cogebatur cogitationum fluctibus æſtuare. Præſumebat autem leuiter conuerſantium vitam durè corripere & ſæpè ad eorum confuſionem præcepta regulæ in teſtimonium conuocare. Cumq; redarguendis eorum vitijs vehementer inſiſteret, illi autem iunioris & nouitij verba pro nihilo deputarent, tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam deſpiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat porrò Romualdus per noctem cæteris fratribus maturiùs ſurgere, & ſi oratorij adhuc ianua clauſa eſſet, intra ipſum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more ſolarij altè ædificatum. Hoc itaque inuenerunt filij Cain, diabolo dictante, conſilium, vt dum Romualdus ante alios ſolito more conſurgeret, ipſi eum per ſolarij ſpeculam, verſo deorſum capite, in terram præcipitarent. Quæ res poſtquam Romualdo per conſcium conſpirationis innotuit, ille iam decæterò intra cordis cubiculum, clauſo oris oſtio, orans Patrem ſuum, imminens periculum deuitauit. Quo quidem modo dum ſibi cauit præcipitium corporis, fratribus, ne in animarum mortem corruerent, barathrum clauſit iniquitatis.

Improbi monachi ei necem moliuntur.

Cap. 5.

Cumque in eiuſdem animo perfectionis amor magis ac magis in dies creſceret, nullamq; mens eius requiem inueniret, audiuit quia in Venetiarum partibus quidam ſpiritalis vir eſſet, Marinus nomine, qui eremiticam duceret vitam. Conſenſu itaque ab Abbate & fratribus nimirùm facilimè impetrato, ad præfatum venerabilem virum nauigio diſcurrente peruenit, & ſub illius regimine degere humilima deuotione mentis inſtituit. Erat autem Marinus inter cæteras virtutes, vir ſimplicis animi, & ſynceriſſimæ admodùm puritatis, qui nullo quidem magiſterio eremiticæ conuerſationis edoctus, ſed ad hanc ſolummodò bonæ voluntatis impulſu fuerat incitatus. Porrò autem hunc viuendi morem habebat, vt per continuum anni circulum tribus hebdomadæ ferijs mediã panis buccellam, & pugillum fabæ guſtaret: tribus vero vinum & pulmẽtum diſcreta ſobrietate perciperet. Pſalterium quidem per tres dies ſingulos totum canebat. Sed nimirùm rudis, & nullatenùs vitæ ſingularis inſtructus, ſicut ipſe poſtmodùm beatus Romualdus hilariter referebat, plerunq; de cella exiens, vna cum diſcipulo paſſim per latitudinem eremi pſallendo ſpatiabatur, nunc ſub iſta arbore vicenos, nunc ſub illa tricenos, vel quadragenos concinens pſalmos. Romualdus autem, qui ſeculum idiota reliquerat, aperto pſalterio, vix ſuorum verſuum notas ſyllabatim explicare valebat, & hæc oculorum in ima deflexio, intolerabilem ſibi importunitatem acediæ generabat. Marinus verò virgam in dextera gerens, Romualdo è diuerſo ſedenti, ſiniſtram capitis partem ſæpiſſimè verberabat. Poſt multa autem Romualdus graui admodùm neceſſitate compulſus, humiliter ait: Magiſter, ſi placet, à dextro me deinceps tempore percute, quia iam læuæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam eius patientiam admiratus, indiſcretæ ſeueritatis temperat diſciplinam.

Degit apud Marinum eremitam.

Marini abſtinentia & preces.

Cap. 6.

Eodem verò tempore Petrus, cognomine Vrſeolus, Dalmatici ducatûs gubernabat habenas. Qui videlicet ad huius faſtigium dignitatis idcircò peruenerat, quia deceſſoris ſui, Vitalis ſcilicet Candiani peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille à ſuis extinctus ſit, non ab re eſſe arbitror, ſi ſeruatę compendio breuitatis exponam. In coniugium germanam Hugonis magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione leuiri ſuadente, multos ex Longobardiæ & Tuſciarum partibus milites, profligatis pecuniarum ſtipendijs, acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes clàm inière conſilium, vt repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo ſua in ore gladij abſq; vlla retractatione necarent. Huius verò conuenticulæ coniuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurniſque vallatus excubijs, hoſtiles inſidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa ten-

Petrus Vrſeolus Dux vel rex Dalmatiæ.

tan-

tantibus,ſed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem viſum eſt,vt domum Petri,quæ Ducis palatio adiacebat contigua,priùs incenderent,iſtoque modo & Ducem caperent,& vniuerſa eius domeſtica concremarent. Iſtius verò rei experiendę conſenſum à Petro,qui eorum conſilij particeps fuerat,flagitantes,ita inter ſe pacti ſunt, vt pro vna eius domo,quam igne conſumerent, totam illius ditioni Venetiam ſubderent,& deiecto illo,quem exoſum habebant, Ducem hunc loco eius protinus ſubrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus eſt principatum, qui poſtmodùm ambitionis ſuæ voluptate potitus, reſpectu diuinæ gratiæ demũ corde compunctus eſt. Corde compungitur.

Quidam venerabilis Abbas Guarinus nomine, ex vlterioris Galliæ finibus orationis gratia per diuerſas mundi regiones peregrinari ſolitus erat. Hic igitur ad Ducem veniens,ab eo protinus,vt ſibi ad euadendum tanti reatûs periculum conſilium præberet,rogatus eſt. Itaque accerſitis Marino & Romualdo, hoc ſibi communi iubetur ſententia,vt ſeculum ſimul cum ipſo,quem per nefas inuaſerat, Ducatu relinqueret:quia alienæ poteſtatis dominium ſubiugauerat. Ille homo nimirùm in poteſtate poſitus,quia conuerſionem ſuam manifeſtè facere auſus non eſt, tutum putauit hoc vtendum eſſe conſilio. Imminente igitur feſtiuitate ſancti cuiuſdam martyris,& cuius vocabulo baſilicam in propria poſſeſſione adhuc priuatus habuerat,illuc pridie vxorem ſuam præmiſit,ipſe quaſi mox ſecuturus,hoc ei præcipiens, vt & ornatum eccleſiæ accuratiſſimum prouideret,& ſecum venientibus ſumptuoſas epularũ delicias in craſtinum præpararet. Ipſe autem poſt coniugem remanens,ijs de ſuis theſauris,quæ ſibi videbantur, ablatis,cum quodam ſuo familiari,Iohanne ſcilicet Gradenico,qui prędictę coniurationis conſcius fuerat,& cum tribus illis beatis viris,quos præmiſimus,nauem aſcendit,deinde in Galliã ad monaſterium Abbatis Guarini magnus conuerſus aufugit. Cap. 7. Petrus Dux fit monachus.

Petro igitur & Iohanne monachis in ſancti Michaelis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longè à monaſterio degentes,ad ſingularem vitam,cui aſſueti fuerant,reuertuntur. Quibus etiam ipſi iam dicti fratres,peracto vix annuo ſpatio, ad perferendam eiuſdem ſolitudinis diſtrictionem aggregati ſunt. Intereà Romualdus accenſo mentis deſiderio,cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter creſcere, & reliquos fratres ſanctæ conuerſationis greſſibus longiùs anteire, vt iam quicquid inter fratres ſiue de ſpiritualibus, ſiue etiam de corporalibus ipſe decerneret, cunctis volentibus,eius omninò ſententia præualeret. Ipſe quoque Marinus gaudebat Rõualdo eſſe deuotus, cui fuerat paulò antè prælatus. Per continuum itaque annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, niſi tantum per ſingulos dies vnum pugillum elixi ciceris. Tribus verò annis ipſe & Iohannes Gradenicus,ſarculis terram frangentes,& triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore vixerunt. Qui nimirùm dum agriculturam exercebant,pondus ieiunij duplicabant. Impugnabat tamen diabolus Romualdum multis & varijs tentationum immiſſionibus,maximè initio conuerſionis,mentemque eius per multa vitiarum incentiua raptabat, modò illi in memoriam reuocans,quæ & quanta, vtputa, vir ſtrenuus,in ſeculo acquirere potuit,modò quæ ingratis propinquis necdum poſt ſe concupiſcibiliter hæreditanda reliquit, modò parua nimis & nullius meriti eſſe, quæ faceret,accuſabat: modò tanti laboris horrorem incutiens,longæ vitæ ſpatium promittebat. O quàm ſæpè cellulam eius percutiens,eum,cùm adhuc vix obdormiſceret,excitauit,& quaſi iamiam imminente crepuſculo, per totam noctem vigilando perduxit. Per continuum fermè quinquennium ſuper pedes eius & crura diabolus nocturno tempore iacuit, & ne huc illucque ſe facilè verteret, typo phantaſtici ponderis aggrauauit. Quis explicare valeat,quantùm frementes vitiorum beſtias pertulit? quàm ſæpè præſentes iniquos ſpiritus duriſſimis increpationibus effugauit? Vnde etiam ſi fratrum aliquis ſilentij tempore cellam eius quauis neceſſitate compulſus adiret,ſtatim miles Chriſti paratus ad prælium,ſolito more,ipſum eſſe exiſtimans diabolum, claris vocibus increpabat,dicens: Quò tendis modò turpiſſime? quid tibi in eremo de cælo deiecte? Recede, canis immunde: euaneſce,coluber veternoſe. His igitur & huiuſmodi verbis declarabat ſe cum malignis ſpiritibus in acie ſemper aſſiſtere,& fidei ſe armis accinctũ, prouocantibus hoſtibus in campum protinus obuiare. Cap. 8. Mox eremita. Magna Rõualdi abſtinentia. Tentatur à dæmone. Vide dæmonis improbitatem.

Contigit autem, vt aliquando librum de vita patrum legens, in illum locum incideret, vbi continetur,quòd quidam fratres per continuam hebdomadam ſingulariter ieiunantes, ſabbatorum die pariter conuenirent, ipſoque & Dominico die ieiunij Cap. 9.

Auget abſtinentiā, ſed Petrus Dux eam non poteſt imitari. iunij rigorem interponerent, & remiſſiùs victitarent. Quem viuendi ordinem ſtatim Romualdus arripuit, & in eo quindecim ferè annis vel eo ampliùs continua auſteritate permanſit. Petrus autem Dux, quia multis educari delicijs ſolitus fuerat, iamiam ſub tam diſtricti ieiunii pondere ſuccumbebat. Vnde ſe ad pedes beati Romualdi humiliter ſtrauit. Iuſſus verò vt ſurgeret, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo pro peccatis meis ex hac paximatij medietate ſuſtentare me non poſſum. Romualdus igitur fragilitati piè compatiens, conſuetæ mēſuræ quadram paximatij ſuperaddidit, & ſic labenti iam fratri, ne omninò deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum benè viuendi iter, quod cœperat, confirmauit. Hunc filius eius ſibi æquiuocus, vir valdè ſecundùm ſeculum prudens, aliquando viſitauit. Cui pater, neſcio vtrùm Prophetiæ ſpiritu, ſeu reuelatione aliqua, quæcunque ſibi eſſent euentura, prædixit. Noui, inquit, fili mi, proculdubiò, quia Ducem te conſtituent, & proſperaberis. Tu tantummodò ſatage, vt & Eccleſiis Chriſti ſua iura conſerues, & erga ſubditos alicuius amore vel odio à iuſtitia non declines.

Petri Ducis prophetia

Cap. 10. Poſt hæc autem Romualdus legens, quia ſanctus Syluester vrbis Romæ Epiſcopus, ſabbatorum diem ieiunandum eſſe, vt reuerà ſancti Paſchatis vigilias, inſtituerit, mox remiſſionem ſabbati in quintam feriam commutauit, & ſic infirmorum imbecillitati conſulens, longum ieiunium diſcretione habita facilius reddidit, hanc nimirùm viuendi regulam cunctis ſectatoribus ſingularis vitæ præfigens, vt tunc ſe vnuſquiſque eremiticæ vitæ ieiunium tenere cognoſcat, ſi per hebdomadam triduanas, aut biduanas ieiunando, quinta feria & Dominicis diebus olera, vel quodcunque liquamen cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicet duabus anni Quadrageſimis, in quibus non ſolùm ipſe, ſed & plerique eius diſcipuli, totius hebdomadæ ſoliti erant continuare ieiunium. Et certè ſatis congruum erat, vt qui Deum in choro laudare ſemper ſtudebat & tympano, præcipuas modulationis harmonicæ conſonantias, diapaſon videlicet, & diapente, atque diateſſeron, iugiter in aures incircumſcripti luminis perſonaret. Ieiunare autem omninò, hoc eſt, diem ſine vllo cibo tranſigere, licet id ipſe ſæpiſſimè fecerit, alijs omninò prohibebat. Itaq; ſemper eſurijt, quatenus hoc modo caro per conſuetudinem leuigaretur, quod graue nouitijs initio conuerſionis apparet. Paruipendebat autem, ſi quis ad tempus magnum quid inciperet, ſi nō etiam in eo longanimiter perſeuceraret.

Canon ieiuniorum, à S. Romualdo præfixus.

Cap. 11. Vigiliæ nocturnæ. Vigilias verò temperatè & cum magnà diſcretione faciendas maximè ſuadebat, ne cui fortaſſe contingeret, vt ſopori, paratis nocturnis officijs, conſentiret. Sanè huiuſmodi ſomnum vir ſanctus in tantum habebat exoſum, vt ſi quis ei cōfiteretur, poſt duodecim pſalmorum vigilias, vel maximè circa diluculum obdormiſſe, nequaquā poſſet eo die cum eius licentia ſacra Miſſarum ſolennia celebrare. Dicebat enim melius eſſe, ſi poſſibile ſit, vnum pſalmum ex corde & cum cōpunctione cantare, quam centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfectè data non eſſet, hortabatur tamen, nequaquam vel ab ipſa corporali exercitatione tepeſcere, donec ipſe qui voluntatem dederat, tribueret etiam aliquando facultatem. Tantummodo orationis inceſſum mentis intentio in Deum ſemel fixa cuſtodiat, quem exteriùs veniens cogitationum aura perturbat. Vbi enim eſt intentio recta, contra voluntatem cogitatio veniens non eſt nimiùm formidanda.

Cap. 12. Quodam verò tempore dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem ſibi quendam habebat agricolam, qui ſibi & vtenſilia, quibus in cella opus eſt, aliquandò faciebat, & ſi quid ei opportunum eſſet, ditior charitate, quàm rebus, de ſuæ paupertatis inopia hilariter miniſtrabat. Huius vaccam Comes quidam ſuperbus & tumidus, miſſis paraſitis, impetu barbarico rapuit, eiuſque carnes ſibi ad prandium cum magna gulæ auiditate præparari præcepit. Ecce autem ruſticus cellam Romualdi feſtinus ingreditur, iacturæ ſuæ caſum clamoſis vlulatibus vociferatur, ſpem ſuam & ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eundem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & vt pauperi animal ſuum reddat, humilima ſupplicatione depoſcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo ſpiritu reſpuit, & quem ſaporem crasſi vaccæ lumbi potuiſſent habere, ſe ipſo die guſtaturum eſſe aſſeruit. Adueniente autem hora prandij, appoſita menſa, vaccæ carnes allatæ ſunt. Sed & diuinæ vltionis iam imminente ſententia, in ipſo edendi initio Comes fruſtum bouini lumbi abſcindens ſibi in os miſit. Quod repentè in ipſius gutture tam immobiliter hæſit, vt nec ad interiora deſcēdere, nec foras eijci vllis conatibus poſſet. Sicq; inter ſuorum manus interclu*ſo*

Horrenda mors crudelis Comitis.

cluſo ſpiraminis aditu, terribili morte necatus eſt: & vnde contra Dei ſeruum con- cupiſcentiam carnis explere ad ſaturitatem voluit, inde iuſto Dei iudicio carnalem vitam adhuc ieiunus amiſit.

Alius quidam Comes, Olibanus nomine, in eiſdem Galliarum partibus erat, ſub cuius iure monaſterium prædicti Guarini Abbatis fuerat poſitum. Qui ſublimi quidem culmine terrenæ poteſtatis erectus, ſed multis erat peccatorum molibus aggrauatus. Hic aliquando Romualdum gratia viſitationis adijt, & cæteris extra cellulam manentibus, ſolus cum ſolo geſtorum ſuorum ſeriem narrare quaſi per confeſſionem cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis, reſpondit, aliter eum ſaluari minimè poſſe, niſi mundum relinquens, ad monaſterium côuolaret. Comes autem mox mēte turbatus, ait, quia ſui ſpirituales viri, qui eius acta cognoſcerēt, nequaquam ita ſentirent, neq; tam intolerabilem rem ſibi aliquando ſuaderent. Aſſcitis itaq; Epiſcopis & Abbatibus, qui ſecum venerant, cœpit in commune perquirere, ſi ita res, ſicut Dei ſeruus teſtabatur, ſe haberet. Illi autem beati Romualdi ſententiam omnes vna voce confirmant, ſe verò id Comiti eatenùs non dixiſſe, terrore cōſtrictos excuſant. Tunc Comes ſemotis omnibus, hoc cum beato Romualdo ſecreto valdè conſilio pepigit, vt ad Caſſinum montem ſub prætextu orationis pergeret, & in monaſterio S. Benedicti diuino ſe ſeruitio irreuocabiliter manciparet. Cap. 13.

Intereà Sergius pater Romualdi monachus efficitur, ſed aliquantò pòſt ſuadente diabolo, factæ conuerſionis pœnitens, in Aegyptum redire conatur. Quod protinus monachi cœnobij ſancti Seueri, quod nō longè ab vrbe Rauenna eſt poſitum, vbi corpore, non corde Sergius habitabat, beato Romualdo indicare per nuncium ſtuduêre. Hac ille ſiniſtra relatione perculſus, neceſſarium eſſe decreuit, vt Guarinus Abbas & Iohannes Gradenicus vnà cum Comite ad eius conuerſionem pergerent, ipſe verò pereunti patri quantocyùs ſubueniret. Petrus autem Dux extremū iam diem feliciter clauſerat. His itaq; duobus Comitem in eorum fidem commiſit, vtriq; quidem, ſed Iohanni præcipuè, qui ei ſubditus erat, per obedientiam ſpecialiter mandans, vt etiamſi Guarinus abſcederet, ipſe ſe nunquam à Comite ſepararet. Audientes autem illius regionis incolæ, quia Romualdus abire diſponeret, nimio mœrore turbati ſunt. Et tractantes intra ſe, qualiter ab hac illum intentione reprimerent, hoc illis tandem potiſſimum viſum eſt, vt eum miſſis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia ipſum non poterant retinere viuentem, haberent pro patrocinio terræ vel cadauer exanime. His verò cognitis, Romualdus caput ſuū vndiq; decaluauit, & huius rei executoribus ad cellam eius iam appropinquantibus, primo ferè diluculo comedere quaſi per auiditatem cœpit. Illi autem hoc videntes dementiam credidêre, & arbitrantes mentem delæſam eſſe, corpus lædere dedignati ſunt. Sic videlicet, ſic prudens ſpiritualis Dauid inſania ſtultam carnaliter ſapientium ſuperauit aſtutiam. Nam & volentes peccare cohibuit, & ad meritorum ſuorum cumulum ſine mortis formidine mortis periculum declinauit.

Cap. 14. Sergius pater S. Romualdi fit monachus.

Præpoſtera pietas quorundam.

1. Reg. 21.

Deinde iam libera vti facultate permiſſus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, ſed ſolùm in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Rauennam vſque peruenit, ibiq; patrem ad ſeculum reuerti volentem reperiens, in ligno pedes eius fortiter ſtrinxit, clauibus duris affixit, & tamdiù corpus eius pia ſeueritate perdomuit, donec eius mentem ad ſalutis ſtatum, Deo medente, reduxit. Sergius igitur tandem ſanæ mentis recepto conſilio, quicquid priùs retrograda voluntate deliquit, multipliciter poſtmodùm rectis ſanctæ conuerſationis greſſibus emendauit. Habebat deniq; inter cætera conſuetudinem, ante quandam Saluatoris imaginem frequenter aſſiſtere, ibiq; peculiariùs orans, vberibus lachrymis & multa ſe cordis contritione macerare. Quadam igitur die dū ibi attentiùs in oratione perſiſteret, (noua res & noſtris temporibus inaudita) repentè ſibi neſcio qua ſpecie Spiritus ſanctus apparuit. Qui protinus à Sergio interrogatus, manifeſtè, quia ipſe eſſet Spiritus ſanctus, aſſeruit: & ſubitò quaſi pertranſiens, ab oculis ſe adſpicientis euaſit. Statim ille in ecſtaſim raptus, atq; eius, quem viderat, igne ſuccenſus, cœpit per clauſtrum monaſterij poſt eum velociter currere, fratreſque, qui illic aderant, magno feruoris impetu, quò Spiritus ſanctus abiſſet, interrogare. Illis autem in inſaniam eum cecidiſſe putantibus, atque illum durè corripientibus, aſſerebat Sergius ſe Spiritum ſanctum abſque vlla dubietate vidiſſe, & ante ſuum conſpectum viſibiliter tranſiſſe. Qui ſtatim languore correptus, lecto decubuit, & intra paucos dies felici conſummatione vitam finiuit. Hinc ſanè probatur, quod diuina voce ad Moyſem dicitur: Non enim videbit me homo, & viuet. Hinc Da-

Cap. 15.

Patrem ſuū retinet ſeueritate in monaſterio.

Sergio apparet Spiritus ſanctus.

Exod. 33.

Dan. 8. niel cùm non Deum, ſed viſionem Dei ſe conſpexiſſe diceret, addidit: Et langui, & ægrotaui per dies plurimos. Rectè igitur Sergius, poſtquàm æternam vitam, quæ Deus eſt, cernere meruit, a temporali mox vita defecit.

Cap. 16. Olibanus autem Comes ſua relinquens filio, cum multa diuitiarum copia, quindecim ſcilicet onuſtis theſauro ſagmariis, comitantibus eum Guarino & Iohanne, atque etiam Marino, ad beati Benedicti ſe monaſterium contulit, & valedicens his, qui ſecum venerant, nil tale de eo vſque tunc ſuſpicantes, multis gemitibus & amaris ſe fletibus affligentes, ad propria remeare coëgit. Marinus autem paulò pòſt Apuliam versùs abijt, ibiq; poſtmodùm in ſolitudine habitans, ab Agarenis eſt latrunculis interfectus. Breui pòſt tempore Guarinus, orationis cauſa diſcurrere ſolitus, Iohannes verò fratris exemplo ad idem religionis officium prouocatus, Hieroſolymam commeare pari conſilio decreuêre. Hoc igitur Olibanus cognito, triſtis & flens obſecrare deuotiſſimè cœpit, ne ſe violata fide desererent, ſed ſicut beatus Romualdus præceperat, in Dei illum ſeruitio cuſtodirent, addens etiam: Memento tu ſaltem Iohannes, quia magiſter tuus in tua me propenſiùs fide commiſit, & titulum tibi inobedientiæ, ſi diſcedis, oppoſuit. Illi autem obſtinata intentione in propoſito perſiſtentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt. Cùm autem deſcendentes de monte, iam in campeſtria declinâſſent, figentes ſe loco, neceſſarium aliquid inter ſe tractare cœperunt. Inter agendum verò, ſubitò Guarini equus furioſo rotatus impetu, in aliam partem inuito ſeſſore diuertit, & Iohannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. Qui ilicò ad terram nimio dolore proſtratus, iam ſerò memor, magiſtri præcepta ad mentem reuocat, & ſe perfidum, ſe inobedientiæ reum, verbis publicæ confeſſionis accuſat. In fracto nanque crure didicit, quia fidem frangere, peccatū fuit. Et quia ipſe rationis capax, magiſtro inobediens extitit, ad incolumitatis ſuæ cuſtodiam irrationale animal ſeſſori obedire neſciuit. Deinde illuc, vnde venire cœperat, rediens, cellam ſibi ædificari prope monaſterium petijt, ibique per triginta ferè annos, quamdiu vixit, in ſancta conuerſatione permanſit. Multa in eo charitas, mira humilitas, abſtinentia verò diſtricta nimis & cauta; ita vt nec infra clauſtrum monaſterij quiſquam ſciret, qualiter vir ſanctus ieiunaret. Inter reliqua autem virtutum dona ita exoſum habebat detractionis vitium, vt mox, cùm quis ad detrahendum os aperiret, velut ſagitta rigore lapidis repercuſſa, in dirigentem protinùs redundat, ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Poſt verò eius obitum nonnulla per eum miracula diuinitùs facta ſunt.

Olibanus Comes fit monachus.

Pœna inobedientiæ.

Iohannis Gradenici virtutes.

Cap. 17. Romualdus autem poſt patris correctionem, in palude Claſſenſi cellulam figens in loco, qui Pons Petri dicitur, habitauit. Poſtmodùm verò non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauſeam perhorreſcens, ſed ne imbecillitatis occaſione vel parum quid ab abſtinentiæ rigore remitteret, ad Claſdem prædium, vbi eſt eccleſia beati Martini, quæ dicitur in Sylua, migrauit. Ibi verò quadam die dum completoriū caneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, ſubitò illi (vt ſæpè fit) ex improuiſo quædam cogitatio incidit, moxque eius animum magnus phantaſticæ illuſionis horror inuaſit. Cumque hoc crebriùs in mente reuolueret, ecce maligni ſpiritus repentino impetu cellam eius ingreſſi, protinùs illum in terram ſternunt, immani cum cæde conficiunt, & exhauſtis lōgo ieiunio membris duriſſimos ictus illudunt. Tandem Romualdus inter ipſa percuſſionum verbera reſpectu diuinæ gratiæ viſitatus, in hanc vocem erupit: Chare Ieſu, dilecte Ieſu, quare me dereliquiſti? Nunquid omninò me inimicorum manibus tradidiſti? Ad hæc omnes iniqui ſpiritus diuina virtute fugati ſunt, & cōtinuò tanta diuini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, vt totum cor eius in lachrymas quaſi cera liqueſceret, & de tot alliſionibus ſancti corporis nil ſentiret. Mox ſanus & validus de terra ſurrexit, & licet impediente adhuc ſanguine, ad eundem pſalmi verſum, quē reliquerat redijt. In ingreſſu quippe dæmonū feneſtra cellulæ in frontem illius impegit, in qua manifeſta poſtmodùm cicatrix occalluit, quæ eiuſdē vulneris indicium, quandiù vir ſanctus vixit, oſtendit.

Dæmones cædunt Romualdum.

Diuinitùs ſanatur.

Cap. 18. Iam igitur miles Chriſti aſſuetus bello, robuſtiorque effectus, ſtudebat quotidiè ad maiora proficere, de viribus in vires creſcere, & ſemper ſemetipſo fortior, nullas iam poterat eneruari hoſtis inſidias formidare. Sæpè enim ſibi in cella reſidenti velut teterrimi corui & vultures, iniqui ſpiritus videbantur aſſiſtere, & quaſi ad coſtoditum animalis cadauer, quia non audebant accedere, cogebantur eminùs adſpectare. Sæpè ſe in figuris AEthiopum, ſæpè per diuerſorum animalium ſpecies oſtendebant. Quibus clarus Chriſti triumphator inſultabat, dicens: Ecce paratus ſum: venite, & ſi qua in vobis

Dæmones eum terrere nituntur.

in vobis eſt virtus, oſtendite. Nunquid iam omninò deficitis? Nunquid iam victi eſtis, & aliquas contra Dei ſeruulum certandi machinas non habetis? His denique & huiuſmodi verbis confundens iniquos ſpiritus, confeſtim eos velut miſſis totidem iaculis effugabat. Videns ergo diabolus, quia per ſemetipſum contra Dei famulum præualere non poſſet, ad callida argumenta conuerſus, quocunque vir ſanctus ibat, diſcipulorum eius animos aduersùs eum in malitiam excitabat: vt quia retentari eum ab accenſo ſui feruoris impetu impoſſibile fuerat; ſaltem alienæ ſalutis cura compeſceret: & quia ipſe ab hoſte ſuperari minimè poſſet, vel ex alijs victoriam non negaret.

Aliquando nanque ad locum, qui Balneum dicitur, in Saxenati videlicet territorio conſtitutum tranſiuit. Vbi etiam non pauco tempore commorans, monaſterium ad beati Archangeli Michaëlis honorem conſtruxit, à quo non longè cellam, in ea habitaturus, ædificauit. Illuc autem Hugo Marchio ſeptem ſibi pro neceſſitate miſit nummiſmatum libras. Quas ille, vt benè prodigus miſericorditer diſpēſaret, accepit. Audito itaque, quòd monaſterium Palatioli fuiſſet igne conſumptum ſexaginta ſolidos de prædicta pecunia fratribus in adiutorium direxit: reliqua autem, vt in ſimile opus expenderet, reſeruauit. Cognito hoc, monachi ſancti Michaëlis, beluino contra eum furore commoti ſunt: tum, quia prauis eorum moribus contrarius iam ex multis annis extiterat: tum, quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, ſed quædam alijs impendebat. Facta igitur conſpiratione, vnanimiter cellam eius cum ſudibus & phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus, turpiter dehoneſtatum, de finibus ſuis expellunt. Cùm itaque ſic eliminatus abiret, & nimia triſtitię vis in mentis eius iam interiora deſcenderet, hoc apud ſemetipſum deliberat, vt iam decæterò ſuæ contentus, alienæ ſalutis curam omninò poſtponat. Poſt hanc verò cogitationem tantus animum eius terror inuaſit, vt ſi in eo, quod mente conceperat, obſtinatè perſiſteret, periturum ſe, damnandumque diuino iudicio nullatenus dubitaret. Cap. 19. Conſtruit monaſteriū Monachi eum expellunt.

Monachi autem compotes diù deſideratæ vltionis effecti, & quaſi proiecto graui onere leuigati, hoc quod in Dei famulum egerant, multis inter ſe laudibus efferunt, & in immoderatum ludum atque cachinnum ſe, lætitia lenocinante, reſoluunt: deinde etiam, vt tanti gaudij ſolennitatem quodammodò iucundiſſimam faciant, ſumptuoſas deliciarum copias ſibi ad conuiuium parant. Erat verò tunc hyems, quæ non ſolùm viciſſitudini temporum, ſed frigidis quoque eorum mentibus aptiſſimè congruebat. Vnus autem ex eis, qui in beatiſſimum Chriſti famulum ſæuior fuerat, mel acquirere, vnde mulſum epulantibus faceret, ſatagebat. Cumque Sapin fluuium hoc ſtudio tranſmearet, offendentibus in plancas pedibus, ſubitò de ponte deijcitur, & fluuiali voragine funditus abſorbente raptatus extinguitur, iuſto videlicet Dei iudicio, vt turbida illum aqua ſatiaret ad mortem, qui in eo, quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte verò, dum omnes ex more quieſcerent, deſcendēte crebra niuiū multitudine, repentè tota communis ædificij ſuper eos fabrica corruit, & alteri caput, alij brachia alij crura, vel quælibet alia membra contriuit. Vni etiam eorum oculus euulſus eſt. & meritò diuiſionem corporeæ lucis pertulit, qui diuiſus à proximo, etiamſi alterum haberet, geminæ charitatis vnum lumen amiſit. Cap. 20. Diuinitùs puniuntur monachi illi.

Aliquando autem vir ſanctus non longè manſit à Caria. Cumque ibi aliquandiù moraretur, manifeſtè ſibi beatus Apollinaris apparuit, & quatenus ad ſuum monaſterium pergeret, ibique potiùs habitaret, ex magna authoritate præcepit. Quod vir ſanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, ſine cunctatione deſeruit, & quò miſſus fuerat, impiger feſtinauit. Incluſus eſt etiam quodam tempore vir venerabilis in palude Commiaclēſi, quæ dicitur Origarium: vnde poſtmodùm præ nimio paluſtris cœni fœtore & corrupto aëre, ita totus tumefactus & depilatus exijt, vt nequaquam eadem, quæ incluſa fuerat, ſpecies videretur. Nam & caro eius tota eatenùs erat viridis, vt tanquam ſtellio diſcolor appareret. Alio quoque tempore in inſula, quæ Peretum dicitur, habitauit, quæ videlicet inſula à Rauenna vrbe duodecim ferè millibus diſtat. Ibi verò dum in cella cum quodam venerabili viro, ſuo nimirùm diſcipulo, Guillelmo nomine, moraretur, anguſti parietes habitaculi repentè flamma corripuit, deinde ad alta conſcendens, dominari per tecta liberis iam viribus cœpit. Protinùs vir ſanctus ad ſolitæ defenſionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant repoſita, foras extrahere, non vt mos eſt, tecti ſcindulas diſſipare, non aquarum Cap. 21. Ex paluſtri loco valdè affligitur.

 abundan-

Precibus domat flãmas. abundantiam ſpargere, non vllis impulſus eſt ad extinguendos ignes niſibus anhelare, ſed ſolummodò orationem fudit, & cõfeſtim ſtridentes ignium globos diuina virtus extinxit.

Cap. 22. Eodem verò tempore iunior Ottho Imperator Claſſenſem Abbatiam ordinare deſiderans, optionem fratribus dedit, vt quem ipſi vellent, indubitanter deligerent. At illi continuò vnanimiter expetunt Romualdum. Imperator autem diffidens beatum virum ad regiam aulam euocari poſſe per nuncium, ire ad eum per ſemetipſum voluit, & ad cellam eius ſole iam occidente peruenit. Ottho Imperat. eum inuiſit. Cui Romualdus, quia magnum hoſpitem in parua domo ſuſceperat, lectulum ſuum ad quieſcendum dare dignatus eſt. Coopertorium tamen Rex noluit, quia aſperrimum iudicauit. Manè autem facto, Rex eum ſecum ad palatium duxit, tandemq; ei inſtare, vt Abbatiam ſuſciperet, multis precibus cœpit. Claſſenſi Abbatię inuitus præficitur. Qui cùm reluctaretur, & regiæ petitioni aſſenſum penitùs denegaret, Rex auem è contrario excommunicationem & anathema ab omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis & toto ſynodali concilio minaretur, tandem imminente neceſſitate ſuccubuit, & animarum regimen coactus accepit. Referebat tamen hoc ſibi nequaquam videri nouum, ſed ante quinquennium ſibi fuiſſe diuinitùs reuelatum. Regebat itaque monachos ſub diſtricta regulæ diſciplina, neque alicui ab ea declinare licebat: non denique nobilis, non literis eruditus per actus illicitos in dextram, læuamque partem deflectere, vel à rectæ conuerſationis audebat rectitudine deuiare. Vir namque ſanctus cordis oculos in cælum figens, vt Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus diſplicere.

Cap. 23. Hoc autem fratres ſerò conſiderantes, ſemetipſos priùs accuſant, quia hũc ſibi præeſſe popoſcerant: deinde multis eum detractionum ſuſurrationibus lacerant, & duris ſcandalorum aculeis vexant. Romualdus itaq; videns, & ſuam perfectionem aliquatenus minui, & illorum mores procliuiùs in deteriora conuerti, Ea cura ſe abdicat. Regem impiger adijt, & eo non leuiter reluctante vnà cum Archiepiſcopo Rauennate, in vtriuſque conſpectu virgam proiecit, & monaſterium dimiſit. Porrò autem Rex Tyburtinam tunc ciuitatem obſidebat. Ciues enim inclytum eius Ducem, Matholinum nomine, interfecerant, ipſum quoque Regem correptis armis, à ſuis mœnibus exturbauerant. Vnde non dubium eſt, beatum Romualdum illuc ex diuina prouidentia miſſum, qui imminens tot animarum periculũ, ſequeſtra pace deleuit. Hoc etenim inter eos pactus eſt, vt Tyburtes ad honorem Regis murorum partem diruerent, ac obſidem darent: Ducis verò interfectorem ad eius matrem catenatum dirigerent. Quæ ſancti viri ſuſis ad eam precibus mitigata, crudeli homicidæ crimen indulſit, & incolumem ad propria redire permiſit.

Cap. 24. Fecit quoque venerabilis vir apud Tybur alium boni operis fructum, quem ſilentio prætereundum eſſe non arbitror. Quidam nanque beatus, Venerius nomine, habitare primitùs in monaſterio cœpit cum tanta humilitate & ſimplicitate, vt omnes illum fratres ſubſannando deſpicerent, & delirum eum atque dementem eſſe putarent. Alij enim illum ſæpe colaphizare, alij ſordida, qua lebetes lauabantur, aqua perfundere, alij diuerſis eum ſolebant conuiciorum iurgijs lacerare. Cumque ille ſe pen penderet inter tot aduerſa tranquillum ſuæ mentis ſtatum ſeruare non poſſe, conſortium deſerens, in ſolitudinem properauit. Vbi per ſex annos abſque vino omniq; pulmento ſub nimiæ diſtrictionis ariditate permanſit. Qui Romualdo interroganti, ſub cuius regimine obedientiam exhiberet, reſpondit ſe alieno ſolutum imperio, hoc ſequi, quod ſibi vtilius videretur. Nota de obedientia. Cui Romualdus ait: Si Crucem Chriſti portas, ſuper eſt vt Chriſti obedientiam non relinquas. Vade igitur, & conſenſu à proprio Abbate ſuſcepto, reuertere, ac ſub eius dominio humiliter viue: quatenùs ſancti operis ædificiũ, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atque obedientiæ virtus extollat. Hæc & multa alia ædificationis monita proferens docuit eum qualiter cogitationibus ſuis reſiſtere, qualiter poſſet iniquorum ſpirituum infeſtationibus repugnare: & ita confirmatum & inſtructum, in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur ſancti viri documenta gratanter amplectens, Abbatem ſuum protinùs adijt, conſenſum accepit, & ad dilectam ſolitudinem quantociùs remeauit. Volens autem in poſſeſſione ſui monaſterij habitare, aſcendit in quoddam ſaxum, nullis hominum veſtigijs peruium, & ab humana penitùs conuerſatione remotum, Venerij eremitæ mira abſtinentia ibique per quatuor annos, omni humano ſolatio deſtitutus, ſingulariter habitans, exceptis tribus buccellis, quas de monaſterio ſecum detulerat, non panem comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omninò guſtauit, ſed ſolis arborum pomis & herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodẽ

ſaxo

ſaxo quædam concauitas, vbi colligebatur aqua in hyeme, ex qua vir ſanctus tota bibebat æſtate. Tandem cognito, quòd ibi ſeruus Dei moraretur, cœpêre ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæcunque ſibi quaſi neceſſaria miniſtrare. Quorum ille nullius indigens, cuncta paſtoribus pecorum & alijs indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci Epiſcopo, baſilicam ibi fieri & conſecrari permiſit. In qua ipſe aliquanto pòſt tempore defunctus eſt, & à quibuſdam ſe quærentibus eſt inuẽtus accliuis ante altare quaſi cauſa orationis in cubitis & genibus iacens. Vbi nonnulla per eum Dominus miraculorum ſigna operari dignatus eſt. Sic denique, ſic bona terra vberes fructus reddidit, quæ verbi ſemen ex ore Romualdi multiplicandum ſuſcepit.

Felix obitus eius.

Apud prædictam quoq; ciuitatem conuertit beatiſſimus vir Thammum quendam Theutonicum, qui, ſicut dicitur, intantùm Regi familiaris & charus extiterat, vt vtriuſq; veſtes vtrunq; contegerent, & amborum manus vna paropſis communi ſæpè cõuiuio ſociaret. Creſcentius nanq; ſenator Romanus, indignationem Regis incurrens, in montem, qui dicitur, ſancti Angeli, confugium petijt, & quia munitio inexpugnabilis eſt, obſidente Rege, ad defendẽdum ſe fiducialiter præparauit. Ei verò Thammus ex præcepto Regis iuſiurandum ſecuritatis præſtitit: & ita ille deceptus, adnitente Papa, qui ſibi inimicus erat, quaſi reus maieſtatis, capitalem ſententiam ſubijt. Cuius vxorem poſteà Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thammus & fraudis conſcius, & periurio tenebatur obnoxius, idcircò à beato Romualdo iuſſus eſt relinquere ſeculum. Qui mox à Rege licentiam expetens, non modò facilem reperit, ſed nimis etiam alacrem fecit. Erat autem prædictus Imperator monaſtico ordini valdè beneuolus, & nimia circa Dei famulos affectione deuotus.

Cap. 25. Creſcentius Senator capite plectitur.

Ipſe quoque ex eodem crimine beato viro confeſſus, pœnitentiæ cauſa nudis pedibus de Romana vrbe egrediens, ſic vſque in Garganum montem ad ſancti Michaëlis perrexit eccleſiam. Per totam etiam Quadrageſimam in Claſſenſi monaſterio beati Apollinaris, paucis ſibi adhærentibus, manſit. Vbi ieiunio & Pſalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata deſuper purpura tegebatur. Lecto inſuper fulgentibus pallijs ſtrato, ipſe in ſtorea, de papyrijs confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promiſit denique beato Romualdo, quòd Imperium relinquẽs, monachicum ſuſciperet habitum: & cui innumeri mortales erant obnoxij, iam ipſe pauperculo fratri cœpit eſſe ſubiectus.

Cap. 26. Nota de Imperatoris pœnitẽtia.

Romualdus autem cum eo, de quo iam diximus, Thammo, & cum Bonifacio viro clariſſimo, quem nunc feliciſſimum martyrem ſe habere Ruſſiana gloriatur Eccleſia, & cum alijs conuerſis Theutonibus, à Tyburis oppido ad monaſterium ſancti Benedicti, quod in Caſſino conſtitutum eſt monte, deuenit. Ibi verò grauiter infirmatus eſt, ſed citò ex diuina miſericordia conualuit. Habebat autem equum ſatis egregiũ, quem ſibi Buſclauinus, Sclauonici regis filius, dono dederat, factus ab eo Monachus. Hunc vir ſanctus humilitatis ſtudio permutauit, & pro eo aſinum laudabilis negociator accepit. Nimio quippe Redemptoris noſtri deſiderio, qui aſellæ tergo conſederat, vir venerabilis hoc ipſum animal libentiùs equitabat. Cum his igitur omnibus ſuperiùs nominatis Romualdus ad Pereum, vbi dudùm habitauerat, redijt, ibiq; his & alijs multis fratribus aggregatis, & per cellas ſingulas conſtitutis, tanto feruore eremiticæ conuerſationis rigorem & in ſe, & in alijs tenuit, vt illorum vita omnibus, ad quos fama eorundem peruenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obſtupeſceret? Quis non immutationem diuinæ dexteræ prædicaret, cùm vidiſſet priùs homines ſericis, immò deauratis veſtibus indutos, crebris obſequentium cuneis conſtipatos, omnium deliciarum affluentijs aſſuetos, nunc vno birro contentos, incluſos, diſcalceatos, incultos, & tanta abſtinentiæ ariditate contuſos? Faciebant autem omnes opera manuum, alij ſcilicet coclearia, alij nebant, alij retia nectebant. Quorum tamen omnium vitam beati Bonifacij conuerſatio longiùs tranſcendebat.

Cap. 27. Buſclauinus rex fit monachus. Matt. 21. Nota de ſocijs ſancti viri.

Hic regis fuerat conſanguineus, & ita charus, vt rex illum non alio vocaret nomine, niſi anima mea. Erat autem apprimè liberalium artium doctrinis inſtructus, maximeque in modulationis muſicæ ſtudijs approbatus. Is itaque cùm in capella regia moraretur, videns eccleſiam antiqui martyris Bonifacij, mox exemplo ſui æquiuoci ad martyrij deſiderium prouocatus, ait: Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo etiã ipſe martyr eſſe non debeo? Poſthæc igitur monachus factus, tanta ſe abſtinentiæ frugalitate conſtrinxit, vt ſæpè Dominicis diebus tantùm, & quinta feria per hebdomadam manducaret. Nonnunquàm verò ſi vrticarum, vel etiam veprium cerneret denſitatẽ, illuc

Cap. 28. S. Bonifacij Ruſſiæ martyris hiſtoria. Mira eius abſtinentia.

ſe proijciens volutabat. Ex quo cùm quidam frater aliquando eum corriperet, dicẽ Hypocrita, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? nihil aliud reſpondit, quàm, Tui ſunt confeſſores, mei ſint martyres. Cùm verò poſt diuturnam eremiticæ conuerſationis vitam ad prædicandum iam ire diſponeret, Romã primùm pergere ſtuduit, & ab Apoſtolica ſede conſecrationem Archiepiſcopatûs accepit. Retulit autem mihi quidam ſenex monachus, qui eum illuc de Rauẽnæ finibus comitatus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis cum omnibus quidem, qui eum ſequebantur, pedeſter ibat, ſed ipſe iugiter pſallens, & cæteros longè præcedens, nudis ſemper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidiè comedebat, ſed per ſingulos dies de medio pane & aqua viuens, in diebus feſtis ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma quælibet, vel herbarum radices addebat.

Magna eius vitæ auſteritas.

Cap. 29.

Poſtquam autem cõſecratus eſt, quotidiè obſeruabat & monaſticum pariter & Canonicum in celebrandis Horarum officijs ordinem. Cùm verò iam vltramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, ſed venerabilis pontifex (ſicuti dicitur) nudis cruribus ſemper & plantis adeò intolerabilem frigidiſſimæ regionis ſufferebat algorem, vt volens deſcendere, non pedem ab ſubhęrente ferro diſiungeret, niſi aqua calida ſubueniret. Ad gentiles autem poſtremò perueniens, cum tanta cœpit feruidi pectoris conſtantia prædicare, vt iam nullus ambigeret, quia vir ſanctus martyrium flagitaret. Illi verò timentes, ne ſicut poſt martyrium beati Adelberti, coruſcantibus miraculorum ſignis, Sclauonicæ gentis pleriq; conuerſi ſunt, ipſis quoq; ſimiliter eueniret, longo tempore à beato viro manus artificioſa malitia reprimunt, & cupidiſſimè mori, nolẽtes occidere, crudeliter parcunt. Cumq; ad Regem Ruſſorum vir venerabilis perueniſſet, & conſtanti animo prædicationi vehementer inſiſteret, videns eum Rex ſqualidis veſtimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus eſt quia vir ſanctus talia non religionis cauſa perferret, ſed idcirco potiùs, vt pecunias congregaret. Promiſit igitur ei, quia ſi ab huiuſmodi vanitate recederet, ipſe paupertatem eius largiſſima diuitiarum liberalitate ditaret. Verùm Bonifacius mox ad hoſpitium ſine mora reuertitur, precioſiſſimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & ſic ad Regis palatium denuò præſentatur. Rex autẽ videns eum tam decoris veſtibus adornatum, ait: Nunc ſcimus, quia te ad vanam doctrinam, non paupertatis inopia, ſed veritatis impulit ignorantia. Veruntamen ſi vis vera credi, quæ aſſeris, erigantur duæ excelſæ lignorum cataſtæ, breuiſſimo à ſe interſtitio ſeparatæ, & igne ſuppoſito cùm vaporatæ fuerint, ita vt vtriuſq; ſtruis vnus ignis eſſe videatur, tu tranſi per medium. Quo ſi læſus ex aliqua parte fueris, ipſis te penitùs conſumendum ignibus trademus. Sin autem (quod credi non poteſt) ſanus euaſeris, omnes nos Deo tuo abſq; difficultate credemus. Cumq; hoc fœdus non ſolùm Bonifacio, ſed & cunctis, quæ aderãt, gentibus placuiſſet, Bonifacius ita veſtitus vt Miſſarum ſolennia celebraturus, priùs cum ſanctificata aqua & incenſo thure vndiq; perluſtrans ignem, dein ſtridentes flammarum globos ingreſſus, ita exiuit illæſus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exuſtus. Tunc Rex & cæteri, qui huic ſpectaculo interfuerant, caternatim ad pedes ſe beati viri proijciunt, indulgentiam lachrymabiliter petunt, & baptizari ſe inſtantiſſima ſupplicatione depoſcunt.

Apud Ruſſos concionatur.

Ecce ſanctificatæ aquę virtutem & thuris incẽſi.

Cap. 30.

Ruſſi credunt in Chriſtum.

Cœpit itaq; tanta gentiũ multitudo ad baptiſma confluere, vt vir ſanctus ad ſpatioſum locum quendam pergeret, & in ipſa aquarum abundantia populum baptizaret. Decreuit autem Rex, vt regnum relinquens filio, ipſe quandiù viueret, à Bonifacio nullatenùs ſepararetur. Frater autem Regis cum ipſo pariter habitans, dum nollet credere, abſente Bonifacio, ab ipſo Rege peremptus eſt. Alius verò frater, qui iam à Regis erat cohabitatione diuiſus, cùm ad eum vir venerabilis venit, audire verbum eius noluit, ſed de conuerſione fratris nimia aduersùs eum ira ſuccenſus, continuò compræhendit: deinde timens, ne ſi viuum teneret, Rex eum de manibus eius eriperet, in ſua præſentia, circunſtante non parua hominum multitudine, decollari præcepit. Statim verò & ipſe cæcatus eſt, & tantus eum cũ omnibus, qui adſtabant, ſtupor oppreſſit, vt nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus poſſent, ſed cuncti velut lapides rigidi & immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculſus, omninò deliberat non ſolùm fratrem occidere, ſed & cunctos, qui ſibi tanti reatûs fautores extiterant, gladijs trucidare. Sed cùm illuc protinus aduenisſet, & corpore martyris adhuc in medio poſito, fratrem ſimul cum reliquis hominibus ſine ſenſu & motu ſtupefactus adſtare conſpiceret, hoc ſibi cum ſuis omnibus placuit, vt priùs pro eis oratio fieret, ſi forſitan illis diuina miſericordia

S. Bonifacius decollatur.

ricordia ſenſum,quem amiſerant, reformaret: deinde ſi acquieſcerent credere, in-dulto crimine, viuerent:ſin autem,omnes vltoribus gladijs interirent.Cùm igitur & ab ipſo Rege,& à cæteris Chriſtianis diutiùs fuiſſet oratum, non ſolùm prior ſenſus ſtupefactis hominibus redditur,ſed inſuper conſilium flagitandæ veræ ſalutis immittitur. Nã continuò pœnitentiam ſui criminis flebiliter expetunt, baptiſmi ſacramẽta cum magna alacritate ſuſcipiunt, ſuper corpus quoque beatiſſimi martyris eccleſiam conſtruunt. Veruntamen ego,ſi de huius mirabilis viri cuncta, quæ dici veraciter poſſunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forſitan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacij virtus proprio indigeat ſtylo, idcircò tamen illum cum alijs Romualdi diſcipulis per tranſcurſum hic memorare curamus, vt ex eorũ laude,quàm magnus & glorioſus magiſter eorum fuerit, demonſtremus: quatenus dum celſitudo clientium auribus fidelium inſonat,quàm excelſus doctor eorum fuerit,ex ſchola,quam tenuit,innoteſcat. Eius interfectores credunt.

Intereà Romualdo in Pereo habitante,Buſclauus Rex preces Imperatori direxit, vt ſibi ſpirituales viros mitteret,qui regni ſui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur,& concedi ſibi de ſuis monachis,qui illuc deſtinari vtiliter valeãt,deprecatur.Ille verò nulli ſuorum hoc pręcipere velut ex prælationis authoritate voluit,ſed in eorum voto ponens,ſiue manendi,ſiue abeundi eis optionem dedit.Ignorabat enim ex tam metuendo negocio voluntatem Dei:& ideò non illud ſuo,ſed fratrum potiùs arbitrio committebat.Inſtante igitur Imperatore & humiliter obſecrante,tãdem duo ſolummodo inuenti sũt ex omnibus,qui ſe vltrò ad eundũ promptos obtulerunt.Quorum vnus Iohannes,Benedictus alter vocabatur. Hi itaq; ad Buſclauum euntes,in eremo priùs, eo ſuſtentante,manere cœperunt, & vt prædicare poſtmodùm poſſent,Sclauonicam linguam laborioſè diſcere ſtuduerunt.Septimo verò anno,cùm iam loquelam terræ plenè cognoſcerent, vnum ad Romanam vrbem monachum mittunt,& per eum à ſummæ ſedis Antiſtite prædicãdi licentiam petunt. Iniungunt etiam, vt nuncius aliquos ſecum de B. Romualdi fratribus duceret,qui eremiticæ conuerſationis edocti, cum eis ſimul in Sclauorum partibus habitarent. Cap. 28.

Buſclauus autem,volens coronam ſui Regni ex Romana authoritate ſuſcipere, prædictos venerabiles fratres obnixa cœpit ſupplicatione depoſcere, vt ipſi plurima eius dona Papæ deferrent,& coronam ſibi à ſede Apoſtolica reportarent. Qui regiæ petitioni aſſenſum penitùs denegantes, dixerunt: Nos in ſacro ordine poſiti ſumus, tractare nobis ſecularia negocia minimè licet: & ita relinquentes Regem, ad cellam reuerſi ſunt. Quidam verò regis familiares,agnoſcentes ipſius deſiderium, ſed quid ſancti viri reſpondiſſent, ignorantes, copioſum auri pondus,quod mittendum Papæ fuerat,ſecum eos detuliſſe ad cellulam falsò opinati ſunt. Deinde intra ſe conditione pacta condicunt, vt noctù eremum latenter ingreſſi, & monachos interficerent, & pecuniam abſportarẽt.Quos cùm beati viri tentantes irrumpere perſenſiſſent, aduentûs eorum cauſam protinus agnoſcentes, confeſſionem inter ſe facere, & ſanctæ Crucis ſe cœpére vexillo communire.Erant autem ibi duo pueri, eorum obſequio ex aula regia deputati, qui, prout vires dabant, ſtare pro ſanctis, & furibus reſiſtere nixi ſunt. Fures verò reperto tandem aditu irruentes,extractis gladijs omnes pariter occidêre. Tunc theſaurum anxiè perquirentes, ſed euerſis omnibus nihil inuenientes, vt tanti reatûs crimen obtegerent,& humana ſuſpicio non armis,ſed flammis potiùs,quod fuerat,deputaret,cellam incendere, & ipſa martyrum conati ſunt cadauera conflagrare. Sed admoti ignes,amiſſis naturæ viribus, nil omninò conſumere vllis hominum ſtudijs potuêre. Ita enim eos ipſa etiam parietum materies repellebat, ac ſi pro lignis duriſſimi ſilices eſſent. Fruſtrati itaque fures,in fugam ſe conferre nituntur:ſed & hoc illis ex diuina prouidentia denegatur. Tota ſiquidem nocte per fruteta nemorum,per latitudinem ſaltuum,per opaca ſyluarum, viam anxiati ſunt quærere,quam nullatenùs valuêre errabundis veſtigijs inuenire. Sed neque pugiones in vaginas recondere,arefactis brachijs,potuerunt. Vbi verò ſanctorum iacebant corpora,copioſum lumen vſq; in diem ſplendeſcere,& dulciſſima Angelicæ cantilenæ non deſijt ſuauitas reſonare. Cap. 22. Sancti viri ab impijs iugulantur. Vide miracula & diuinam in impios illos vltionem.

Adueniente autem die,quod factum fuerat,Regem latére non potuit. Qui ilicò ad eremum cum numeroſa populi multitudine feſtinauit,& ne fures euaderent, facta corona hominum,totam ſyluam vndique circuncinxit. Qui tandem reperti ſunt manifeſti criminis rei,& ad gladios ſuos adhuc vltione diuina ligati. Rex autem quid de eis Cap. 23.

 faceret,

faceret, habita conſideratione deliberans, hoc poſtremò decreuit, vt nequaquàm eos ſicut merebantur, occidi præciperet, ſed ferreis catenis vinctos ad ſepulcra martyrum deſtinaret, quatenus aut ibi vſque ad obitum in vinculis miſerabiliter viuerent, aut ſi ſanctis martyribus aliter videretur, ipſi eos ſua miſericordia liberarēt. Qui cùm ad ſanctorum tumulum fuiſſent ex præcepto Regis attracti, mox ineffabili diuinitatis omnipotētia fractis ſunt nexibus abſoluti. Deinde facta ſuper corpora ſanctorum baſilica, innumerabilia non ſolùm tunc, ſed & nunc ibi fiunt ex diuina virtute prodigia.

Miracula ad corpora ſāctorum.

Cap. 34.

Imperator autem Henricus Buſclaui conſilium non ignorans, vndiq; vias cuſtodiri præceperat, vt ſi Buſclauus Romam nuncios mitteret, in eius ilicò manibus deuenirent. Monachus igitur, qui nuper miſſus à ſanctis martyribus fuerat, demùm captus eſt & mox carcerali cuſtodię mancipatus. Nocte verò illū Angelus Domini in carcere viſitauit, & conſummatos eſſe eos, quorum legatione fungebatur, admonuit, ſtatimq; aperto diuinitùs carcere, præparatum ſibi eſſe nauigium in fluuio, quē tranſitur⁹ erat, aſſeruit. Quò feſtinans monachus, Angelicæ promiſſionis fidem veram eſſe probauit. Dum moraretur autem Romuald⁹ adhuc in Pereo, Imperator Ottho monaſterium ibi ad honorē ſancti Adelberti, eo ſuggerente, conſtruxit, cui contigua Claſſenſis cœnobij prædia contulit, & ea ſibi ex fiſcali poſſeſſione in Firmenſis monarchiæ partibus recōpenſauit. Abbate quoq; illic ex Romualdi diſcipulis conſtituto, & fratribus congregatis, cœpit eos ſub magna Romualdus tenere cuſtodia, & docebat eos ſub regulari viuere diſciplina. Præcepit etiam Abbati, vt in eremum ſecedens, per totā hebdomadā in cella conſiſteret: diebus verò Dominicis fratres, ad monaſterium veniens, viſitaret. Qui ſancti viri iuſſa contemnēs, cœpit ſeculariter viuere, & pede operis ſemel exorbitāte, à rectitudinis tramite iam longiùs declinare. Videns ergo Romualdus, quòd ſecundùm ſuæ voluntatis ardorē ibi laborare non poſſet, Regem protinus adijt, & acceptæ promiſſionis exactor, vt Rex monachus fieret, inſiſtere vehementiùs cœpit. At ille facturum ſe quidem quod exigebatur aſſeruit, ſi tamen priùs Romā, quæ ſibi rebellabat, impeteret, & ea deuicta, Rauennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: Si Romā, inquit, ieris, Rauēnam vlteriùs nō videbis: & apertiſſimè illi mortem propinquam eſſe denuncians, quia eum reuocare non potuit, proculdubiò de eius certus interitu, ab eo receſſit. Dum verò Rex Romam properat, Romualdus nauim aſcendēs, ad ciuitatem Parentium transfretat. Rex itaq; ſecundùm beati viri prophetiam vix à Roma reuerti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus eſt.

S. Romualdus prędicit Otthoni Imper. mortem.

Cap. 35.

Romualdus autem tribus annis in Parentinæ ciuitatis finibus habitans, in vno monaſterium conſtruxit, in duobus verò incluſus manſit. Ibi nempe ad tam magnæ perfectionis cumulum pietas illum diuina prouexit, vt à ſancto afflatus Spiritu & nonnulla ventura proſpiceret, & multa veteris ac noui teſtamenti occulta myſteria radijs intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquādo in lachrymas erumpere, ſed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum eſt ergo quodam die, dum in cellula pſalleret, vt in hunc pſalmi verſiculum incideret: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te: in via hac, qua gradiéris, firmabo ſuper te oculos meos. Repentè igitur tanta ſibi lachrymarum effuſio orta eſt, & ita mens eius ad intelligendas diuinæ ſcripturæ ſententias illuſtrata, vt ex eodem die, quandiù vixit, vberes ſibi lachrymæ, quandocunq; voluiſſet, facilimè fluerent, & plurima illa ſcripturarum myſtica non laterent. Frequenter enim tanta illum diuinitatis contemplatio rapiebat, vt quaſi totus in lachrymas reſolutus, æſtuante inenarrabili diuini amoris ardore clamaret: Chare Ieſu, chare, mel meum dulce, deſiderium ineffabile, dulcedo ſanctorum, ſuauitas Angelorum: & cætera huiuſmodi, quæ ille ſancto Spiritu dictāte, in iubilum proferebat: nos humano ſenſu exprimere talia nō valemus. Sicut enim Apoſtolus dicit: Nos, ſicut oportet, orare neſcimus: ſed ipſe Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et ideò Romualdus Miſſam celebrare coram pluribus nunquam volebat, quia ſe à lachrymarum inundantia continere non poterat. Vnde etiam poſtmodùm præ nimia iam conſuetudine vir ſimplicis animi putans gratiam ſibi diuinitùs prærogatam, omnibus eſſe conceſſam, dicebat plerunq; diſcipulis: Cauete, ne multas lachrymas effundatis: quia & viſum minuunt, & verticem lædunt. Vbicunque autem vir ſanctus habitare diſponeret, oratorium cum altari primitus intra cellulam faciēs, deinde ſe recludens, aditum damnabat.

Pſalm. 31.

Gratia lachrymarū in S. Romualdo.

Rom. 8.

Cap. 36.

Miſerunt aliquando ad illum fratres, qui morabantur in ſolitudine, quę Bifurcum dicitur, conſilium flagitantes, qualiter conuerſari in eremo deberent, qualiter diabolicis

licis impugnationibus reſiſtere poſſent. Quorum nuncij cùm ad monaſterium, à quo Romualdi cella longiùs aberat, perueniſſent, ilicò venerabilis vir per ſpiritum eorum cognouit aduentum, præcepitq; Abbati Anſoni, qui ſibi tunc aſſiſtebat, dicens: Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus aduenêre. Qui continuò cœpit eum deridere, & dicere, quia verè falſus propheta eſſet. Poſtremò tamen velut coactus ad monaſterium veniens, eos, quos vir ſanctus prædixerat, orantes iam in ecclesia reperit. Quos videlicet Romualdus multo ſalutaris doctrinæ ſale condiuit, multis deniq; contra antiqui hoſtis inſidias virtutum armis inſtruxit: & poſtquàm eos de omnibus ſubtiliter vtiliterq; docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remiſit. Per ſpiritū cognoſcit fratrum aduentum.

Alio quoq; tempore rurſus prædicti fratres ad eum nuncios dirigunt, & de eadem re conſilium maiori adhuc anxietate requirunt. Quibus vir venerabilis ait: Ego nunc libellum de pugna dæmonum ſcribo, quê vobis, cùm redieritis, dabo, vel certè vobiſcum fortaſsè veniam. Hoc illi audientes, protinus in faciem ſe proſternunt, vt cū illis ire dignaretur, importuna admodùm ſupplicatione depoſcunt. Altera verò die iturū ſecum incunctanter aſſeruit, & vt nauim requirerēt iuſſit. Audiens hoc Parentinus Epiſcopus, nimio mœrore perculſus eſt. Inueniens quoq; monachos propter nauigiū diſcurrentes, multis contumeliarum eos dehoneſtauit iniurijs. Hoc etiam cunctis iuxta portum manentibus promulgauit edictum, vt quicunq; Romualdo nauim dare præſumeret, ipſe quoq; vnà cum ipſo irreuocabili profectione demigrans, Parentium vlteriùs non rediret. Feſtinè igitur nuncius ad Polenſem Epiſcopum mittitur, vt beato viro nauigium mittere non moretur. Sæpè nanque præfatus Epiſcopus adhortatus illum fuerat, vt nequaquam decætero in tam obſcuro receſſu incluſus lateret, ſed illuc potiùs ſe conferret, vbi animarum lucrum copioſiùs facere potuiſſet, ne videlicet ſicut carbo ſoli ſibimet arderet, ſed magis, vt re vera lucerna ſuper candelabrum poſita, omnibus, qui in domo Dei ſunt, radios ſuæ lucis infunderet. Cap. 37.

Dum igitur nuncius, qui miſſus eſt, expectatur, Romualdus his, qui ſecum erant, fratribus ait: Noueritis proculdubiò, quia frater ille tardiùs veniet: vnde in alia naui nos ire priùs, quàm ille reuertatur oportet. Adueniente autem ſancto die Dominico, in ipſo primæ lucis crepuſculo dixit aſſiſtenti ſibi cuidam fratri, nomine Ingelberto, qui poſteà Archiepiſcopus factus eſt: Reſpice, inquiens, procùl in pelagus, & vide duas naues longinquis adhuc ſpatijs pari aduerſùm nos velocitate tendentes: earum nos definitè debet vna ſuſcipere. Qui curioſiùs intendens, & expanſis oculorum radijs ſolicitè cuncta perluſtrans, aliquod nauigij ſignum omninò videre non potuit. At cùm dies iamiamque clareſceret, ecce extremo videt intuitu duas naues eminùs aduentantes, & præ nimia adhuc longinquitate quaſi totidem volucres apparentes. Quibus tandem ſubeuntibus portum, interrogati remiges, vtrùm Romualdum cum ſuis in propria vellent naue ſuſcipere, noua mox repleti lætitia ſe & ſua omnia in eius poteſtate conſtituunt, & beatos ſe fore tam precioſæ margaritæ pondere profitentur. Verùm illo die minas aëris formidantes, ire nolebant. Romualdus autē exhortatus eſt eos, vt ſtatim in ſpe diuinæ gratiæ iter caperent, ſpondens eis, quia nullum omninò periculum ſuſtinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte nauigare cœperunt. Cap. 38. En quanti ſit ſanctus vir.

Circa diluculum autem ſubitò venti ſęuiunt, tempeſtas oritur, mare ab imo fundo verſatur. Iamq; furentes vndiq; procellæ, ipſos quoq; remiges proſternunt, & nauim hincinde concutientes, totas penè tabulas laxant. Videres itaq; homines, alios quidem ſe ad natādum exuere, alios verò diuerſis ſe funibus religare, quoſdam aūt, vt ſupernatare fluctibus poſſent, remos, aut lignum aliquod ſtrictum tenere. Cumq; in tanto diſcrimine non iam dubium deſperatis omnibus naufragium immineret, ilicò Romualdus ad ſolita orationis armamenta cucurrit, & reclinato paululùm capitio, capite deuexo in gremium, preces in ſilentio ad Dominum fudit: deinde Anſoni Abbati, q cominus aſſiſtebat, ſecurè præcepit, dicens: Denuncia nautis, vt nequaquam timeāt, ſed omnes ſe incolumes euaſuros abſque vlla penitùs ambiguitate cognoſcant. Vix modicum poſt hæc tempus tranſierat, & ecce vltra omnium ſpem abſq; vllo humano ſtudio ipſa ſe nauis dirigit, & mox in portum Capreolæ ciuitatis delapſa, celeriter ſubintrauit. Tunc oēs liberatori Deo dignas referre gratias, & manifeſtè ſe de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur. Cap. 39. Oratione maris tēpeſtatē ſedat. Prophetia eius.

Veniens itaque Romualdus Bifurcum, viſis omnium fratrum cellis, quia ſuperſtitione quadam ambitioſæ videbantur, in nulla earum habere hoſpitium voluit, niſi in illa ſolummodò, in qua Petrus venerabilis eius diſcipulus habitabat. Vir ſiquidem Cap. 40.

erat

erat admirabilis abſtinentiæ, multæque admodum extremitatis, qui cellulam ſibi ad ſancti Hilarionis exemplum vix vnquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem poſt idem venerabilis vir, quia dum beatus Romualdus cum ipſo maneret, & pſalmos vterque ſe in vicarijs verſibus alternaret, tricies in nocte, vel eo ampliùs ſe Romualdus ad requiſita naturæ ire ſimulabat, quoniam affluentium lachrymarum inundantiam atque ſingultus cohibere non poterat. Cumque ibi Romualdus aliquandiù moraretur, & fratres non ſolùm de ſpirituali certamine, verumetiam vt ſibi Abbatem præferrent, admoneret, illi quia ſuum habebat vnuſquiſque ſuſtentatorem, & prout cuique libuerat, proprij ſequebatur arbitrij libertatem, Romualdi præcepta ſuſcipere non magnoperè curârunt.

Affluentia lachrymarum.

Cap. 41.

Romualdus ergo ſterilitatis impatiens, anxia cœpit auiditate perquirere, vbi terrā poſſet ad proferendos animarum fructus idoneā inuenire. Miſit itaq; nuncios ad Camerinæ prouinciæ Comites. Qui audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cūcta ſuæ ditionis obtulêre prædia, non modò ſyluarum & mōtium, ſed ſi ſibi etiam placeret, agrorum. Poſtremò repertus eſt in eorum poſſeſſione locus, eremiticę conuerſationi ſatis congruus montibus vndiq; vallatus & ſyluis. In medio verò ampla quædam planities non ſolùm proferendis frugibus apta, ſed perſpicuis etiam fontibus irrigua. Hic itaq; locus, Vallis de caſtro, antiquitùs vocabatur, vbi iam parua erat eccleſia, in qua quorundam conuerſarum mulierum videbatur eſſe conuentus. His itaq; loco cedentibus, conſtructis cellulis, illic habitare cum ſuis diſcipulis vir venerabilis cœpit. Ibi autem quantos animarum fructus per illum Dominus acquiſiuerit, quis valeat vel attamento deſcribere, vel lingua proferre? Cœpêre nanque homines ad pœnitentiam hincinde confluere, & ſua pauperibus miſericorditer erogare; alij ſeculū omninò relinquere, & ad ſanctæ conuerſationis ordinem ſpiritu feruido feſtinare. Erat enim vir beatiſſimus quaſi vnus de Seraphin, quia & ipſe flamma diuini amoris incōparabiliter æſtuabat, & alios quocunque pergeret, ſanctæ prædicationis facibus accendebat. Sæpè nanque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctionis lachrymas excitabat, vt ſubitò interruptum ſermonem relinquens, aliquorſum repentino impetu velut amens aufugeret. Et ſi quando cum fratribus equitabat, longè poſt alios veniens, ſemperq; pſallēs, nihilo minùs ac ſi in cella reſideret, iugiter lachrymas effundere non ceſſabat.

Ingens animarum fructus.

Cap. 42.

Simoniacos ſeuerè caſtigat.

Inter cæteros autem præcipuè ſeculares clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, duriſſima ſeueritate corripiebat, & eos, niſi ordinem ſpontè deſererent, omninò damnabiles & hæreticos aſſerebat. Qui nouam rem audientes, occidere illum moliti ſunt. Per totam nanque illam monarchiam vſque ad Romualdi tempora, vulgata conſuetudine vix quiſquam nouerat, Simoniacam hæreſim eſſe peccatum. Qui dixit eis: Canonum mihi libros afferte, & vtrùm vera ſint, quæ dico, veſtris atteſtantibus paginis comprobate. Illis igitur diligenter inſpectis, & crimen agnoſcunt, & errata deplangunt. Cōſtituit autem vir ſanctus plures Canonicos & clericos, qui laicorum more ſeculariter habitabant, præpoſitis obedire, & communiter in congregatione viuere docens. Nonnulli quoque Epiſcopi, qui per Simoniacam hæreſim ſacras ſedes inuaſerant, ad eum cauſa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro ſe committentes, & Epiſcopatum termino ſtatuto deſerere, & ad ſanctę cōuerſationis ſe promittebant ordinem feſtinare. Ex quibus tamen vir ſanctus quandiù vixit, neſcio ſi vel vnum conuertere potuit. Eſt enim venenata illa hæreſis, præſertim in Epiſcopali ordine, tam dura & ad conuertendum rigida, ſemper promittens, ſemper de die in diem producens, atque in futurum procraſtinans, vt faciliùs poſſit Iudæus ad fidem conuerti, quàm hæreticus plenè ad pœnitentiam prouocari.

Cap. 43.

In eiſdem quoque partibus ſanctus vir monaſterium condidit puellarum. Solenni autem quadam die, dum vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo reſideret, & eos ſalutaris doctrinæ dapibus ſatiaret, repentè ipſum interrumpens ſermonem, anxia quadam voce exclamare cœpit & dicere: Agitè, agitè, quantòcyùs properate, quia iam fratris Gregorij cellam fur frangit, (hic autem Gregorius Archiepiſcopus in gentibus poſtmodùm conſecratus eſt) Qui protinus exilientes, ad cellam perniciter currunt, & furem iam parietes infringentem inueniunt. Quem corripientes, ad magiſtrum pertrahunt, & quid de tam ſacrilego raptore faciendum eſſet, inquirunt. quibus vir ſanctus cœpit hilariter dicere: Et ego fratres ignoro, quid de tam malo homine poſſimus facere. Eruimus illi oculos? Sed poſteà non videbit. Incidimus ei manus? Sed ampliùs non laborabit, & per hoc forſitan fame peribit. Quòd ſi pedem trunca-

Furē abſens prodit.

Eius iucūda in furem humanitas

truncamus, ambulare non poterit. Sed intrò eum ducite, & cibum illi priùs apponite, vt quid de eo faciendum ſit, interim pertractemus. Ita vir ſanctus exultans in Domino poſtquàm cibari latronem fecit, illum modeſtè correptum, & dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permiſit.

Poſtremò dimiſſis in Valle de caſtro nonnullis de ſuis diſcipulis, ad regionem ſe Cap. 44.
vrbis veteris contulit, & in poſſeſſione Pharulphi Comitis monaſterium, multis quidem ſuffragantibus, ſed eo maximè expenſas præbente, conſtruxit. Tantus nanque in ſancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, vt effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeò vt putaretur totum mundum in eremum velle conuertere, & monachico ordini omnem populi multitudinem ſociare. Multos denique illic de ſeculo abſtulit, quos per plura ſacra loca diuiſit. Valdè propagat monachiſmum.
Nonnulli quoque nobilium filij, contemptis parentibus, ad virum beatiſſimum fugiebant. Ex quibus etiam filius Guidonis Comitis fuit, qui in ipſa pueritia non longo tempore, poſtquàm monachus factus eſt, ad mortem veniens, vidit duos iniquos ſpiritus, quaſi nigerrimos vultures, terribiles in ſe oculos figentes. Cumq; hoc aſſiſtenti ſibi beato Romualdo puer ediceret, protinùs addidit: Ecce, inquiens, magiſter, tanti hunc Aethiopes intrant, vt iam totum ædificium repleant. Exhortatus autem, vt confiteretur quid deliquiſſet, hoc ſolummodò crimen felix ille peccator cum magno terrore confeſſus eſt, quia iuſſus fuerat à Priore neſcio quot ſcopas accipere, & illas nondum acceperat. Romualdo igitur ei tanti facinoris veniam indulgente, in pace defunctus eſt. Poſtero verò die cæcus quidam, præbendarius videlicet patris eius, ad ſepulcrum illius venit, & altiori voce clamans: Heus domine mi, inquit, ſi cum Deo es, ſicut credo, preces pro me ad eum funde, & oculorum mihi lumen reſtitue. Quo dicto, ſtatim illuminatus eſt. Nonnulli quoque ægroti ad eius tumulum venientes, redditi ſunt ſanitati. Cuius ſepulcrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Ita ille à Deo meruit honorari poſt mortem, qui pro eius amore, dum viueret, carnalium ſpreuit hæreditatem. Cæcus videt ad ſepulcrũ Guidonis Comitis & monachi.

Intereà Romualdus audiens, quia beatiſſimus vir Bonifacius martyrium ſuſcepiſſet, nimio deſiderij igne ſuccenſus, vt pro Christo ſanguinem funderet, Hungariam mox ire diſpoſuit. Interim tamen dum in ipſa intentione perſiſteret, breui tempore tria conſtituit monaſteria, vnum videlicet in Valle de Caſtro, vbi nunc ſanctiſſimum corpus eius reconditum eſt: aliud prope Iſinum fluuium, tertium iuxta oppidum cõdidit Eſculanum. Deinde licentia ab Apoſtolica ſede ſuſcepta, & duobus è ſuis diſcipulis in Archiepiſcopos conſecratis, cum vigintiquatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro proximo in omnibus æſtuabat, quòd vir ſanctus ad tale negocium cum paucis ire difficilè poterat. Euntes ergo cùm iam ipſis Pannoniarum finibus intereſſent, repentè Romualdus languore correptus, vlteriùs ire nõ potuit. Cumque diutiùs pateretur, ſiquando redire diſponeret, protinùs ex ægritudine conualeſcebat. Sin autem ire vltrà tentaret, tota eius facies protinùs intumeſcebat, cibos quoque iam retinere ſtomacho langueſcente non poterat. Aduocatis itaque fratribus ait: Perpendo nequaquam diuinæ voluntatis eſſe iudicium, vt vltrà progrediar. Veruntamen quia intentionis veſtræ deſiderium nõ ignoro, neminem veſtrûm redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis niſibus ſtuduerunt ad martyrij culmen pertingere, ſed quia diuina prouidentia aliter ſenſit, in ſuo gradu coacti ſunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum eſſe non ambigam, qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, vniuſcuiuſq; relinquatur arbitrio. Quindecim igitur Hungariam prodeuntibus, duobus aliò iam dimiſſis, vix ſeptem cum magiſtro diſcipuli remanſerunt. Eũtium autem quidã flagellantur, venduntur plures, ac ſeruitutem pro Domino ſubeunt, ad martyrium tamen, ſicut vir ſanctus prædixerat, non pertingunt. Cap. 45. Romualdus vult Hungaris prædicare Chriſtũ, ſed diuinitùs retardatur.

Romualdus autem, conuerſo quodam nobiliſſimo viro, Aldeberani Ducis conſanguineo, qui poſteà monachus factus, in ſancta vſque ad mortem conuerſatione permanſit, alijſq; Theutonicis, ad monaſterium, quod in vrbis veteris regione cõſtruxerat, redijt. Notandum itaq; eſt, quia ſanctus vir nequaquam velut leuitate vſus falli inaniter potuit, qui ſecundùm intentionem quidem ſuam martyrium ſubijt, iuxta diuinum verò conſilium pro ſalute eorum miſſus eſt, quos conuertit. In prædicto igitur monaſterio multa perſecutionis ſcandala paſſus eſt. Volebat enim Abbatem vt reuerà monachum, extremitatem diligere, ſecularia ex deſiderio non tractare, res monaſterij pro vana gloria non expendere, fratrum vſibus neceſſaria miniſtrare. Cap. 46. Infeſtas patitur perſecutiones.

Quæ

Quæ omnia dum ille ſurda aure contemnit, Romualdus locum cum ſuis diſcipulis dē ferens, non longè à caſtro prædij ditionis Raynerij, qui poſtmodùm Tuſciæ Marchio factus eſt, habitauit. Hic autem Raynerius coniugem ſuam occaſione propinquitatis abiecerat, & conſanguinei ſui vxorem, quem ipſe inſequentem quodammodo inuitus occiderat, in coniugium copulârat. Ob hoc itaque Romualdus, ne criminis eius particeps fieret, gratis manere in eius poſſeſſione noluit, ſed vnum ei aureum pro aqua, alterum verò pro lignis appendit. Quos cùm ille omninò reſpueret, malēs videlicet ſua dare, quàm à ſancto viro quicquam recipere, poſtremò tamen victus aſſenſit potiùs, quàm Romualdus abiret. Dicebat autem idē Raynerius, cùm monarchiā obtineret: Quia non Imperator, non aliquis omninò mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret adſpectus. Ante eius quippe vultum neque quid dicam ſcio, neque quibus me defendere valeam, vllas excuſationes inuenio. Habebat reuerà vir ſanctus hāc ex diuino munere gratiam, vt quicunque peccatores, præſertim potentes ſeculi, in eius præſentiam deueniſſent, mox velut ante maieſtatē Dei tremefactis viſceribus formidarent. Sanctus nimirùm Spiritus, qui pectori eius habitator inerat, hunc terrorem iniuſtis diuinitùs intendebat.

Raynerius Marchio virū ſanctū admodū veretur.

Nota.

Cap. 47. Illis verò temporibus vir venerabilis monaſterium non longè à Maſſiliano caſtro conſtruxit. Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Claſſenſem Abbatiam per coëmptionem Simoniacæ hæreſeos inuaſerat, inſuper quoq; in corpus ſuum iniquè peccabat, illuc protinus ire miles Chriſti impiger ſtuduit, diuerſiſque modis ipſum monaſterium purgare tentauit. Vir autem reprobus dum Abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempeſta ſiquidem nocte, dum Romualdus in lecto ſecurè quieſceret, ille eum latenter aggreſſus, impijs cœpit digitis guttur eius adſtringere, nitens eum crudeliter ſuffocare. Sed dum vir ſanctus necdum prorſus intercepto ſpiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus ilicò magiſtri ſingultibus excitatus, torrem mox ex ſopito igne corripuit, & miniſtrum diaboli ab incepto nefandiſſimo crimine exturbauit.

Quidam improbus virū Dei præfocare nititur.

Cap. 48. Poſthæc Romualdus denuò Parentium nauigauit, ſed Apoſtolicæ ſedis Antiſtes & Romani ciues, vt Romam rediret, legationem dirigunt. Quò ſi reuerteretur, facturos ſe omnia eius præcepta promittunt: ſin autem, excommunicationis ſententiam comminantur. Hoc itaque modo ſuum Romualdum Italia recuperare promeruit. Eo tempore in faucibus Callenſium montium aliquandiu manſit, deinde in Petranum montem, non longè videlicet à monaſterio ſancti Vincentij, quod iuxta Candilianum cōſtitutum eſt fluuium, commigrauit. Quocunq; autem vir ſanctus ibat, ſemper fructificans, ſemper animarum lucrum magis ac magis accumulans, & homines de ſeculo abſtrahens, velut totus in ignem conuerſus, ad cæleſte deſideriū animos hominum accendebat.

Multos cōuertit.

Cap. 49. Volens autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum inuenire, præcepit cuidam presbytero, vt ad domum propriam rediens, ſibi & his, qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine ſtudioſa perluſtrans, poſtremò quendam monachum iuxta paruam baſilicam habitantem reperit, à quo mox vt ſecum pergeret, & locum oſtenderet, vbi aqua inueniretur, exegit. Qui nimirùm denegauit ſe domum ſine cuſtode poſſe relinquere, quia latronum inſidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus recompenſaturum ſe, ſi tale quid accidiſſet, cuncta ſpopondit. Sicque iam alienæ iniuriæ debitor factus, monachum ſecum duxit. Illis itaque locum quærentibus, ecce presbyter vt iuſſus fuerat, prandium deferens, furem iam domum infringentem reperit, repertum cepit, captum vſque ad Romualdi reditum cuſtodiuit. Quem Romualdus intuens, priùs illum pia ſtuduit verborū auſteritate corripere, deinde dulciter admonēs, incolumem permiſit ad propria remeare. Sic nimirùm, ſic diuina prouidentia ſeruauit illæſum, quod in abſentis Romualdi cuſtodia fuerat derelictum.

Cap. 50. Rurſus dum in eiſdem partibus cellas conſtrueret, (erat autem ſarcina procul ab eis ſub quodam ſaxo repoſita) tunc vir venerabilis quendam fratrem illuc quaſi cum quodam impetu propulit, præcipiens ei, vt nimis anxiè feſtinaret. Qui mox furibus ſuperueniens, illos quidem iam eam rapere tentantes reperit, ſed nihil adhuc ex his, quæ repoſita fuerant, deeſſe cognouit. Qua ex re rectè colligitur, beatum virum non ſine diuinæ reuelationis inſtinctu fratrem cum tanta ſolicitudine deſtinaſſe, ipſo videlicet puncto, quo fures ad rem non cuſtoditam contigit perueniſſe. Poſt hæc Romualdus ad monaſterium Vallis de caſtro reuertitur, moxque Abbatem ſic alios

Fures per ſpiritum diſcit & impedit.

alios regere, vt ſemetipſum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat inſuper, vt cellam, qua vſus fuerat, occaſione regiminis non omninò desereret, ſed in ea ſibimet ſpiritaliter viuens, præcipuis tantùm feſtiuitatibus fratres admonitionis gratia viſitaret. Erat enim beato viro tam odioſa iſta quam cernimus, Abbatum conuerſatio, vt non minùs gauderet, ſi de manu cuiuſquam Abbatiam potuiſſet euellere, quàm ſi ei datum fuiſſet potentiſſimum quemlibet ſecularium ad ſanctæ cõuerſationis ordinem conuocare. Sed ſicut per Salomonem dicitur: Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi peruerſo: ille prædicatione venerabilis viri de malo deterior factus, Comitiſſas loci dominas protinus adijt, & vt ligna, quibus Romualdi cellæ debebant conſtrui, minutatim incidi præciperent, ſacrilega machinatione ſuggeſſit. Eo itaq; modo alta paradiſi cedrus de terrenorum hominum ſyluis eiecta eſt. Prou. 25.

Inde verò progrediens, non longè ab Apennino monte in loco, qui dicitur Aqua bella, manere conſtituit. Illic igitur dum ſeculares quidam cum diſcipulis eius habitationum tecta conſtruerent, Romualdus aũt, quia iam præ ſenectute laborare non poterat, ſolus opificium cuſtodiret, Presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus ſentiens, opus ædificij inuitus reliquit, & poſtulata à fratribus licẽtia, redire domũ miſerabiliter eiulans cœpit. Cùm vero Romualdus tranſitum reuerſionis haberet, interrogatus ab eo Presbyter cur abſcederet, mox caſum ſuæ paſſionis aperuit. Tunc Romualdus hianti locum vbi patiebatur, digito tetigit, dicens: Ignitam ſubulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, & hic pone: ſicq; dolor aufugiet. Vix Presbyter vnius iugeris ſpatio vltrà progreſſus eſt, & cõfeſtim omni dolore depoſito, ad opus, quod reliquerat, ſanus & incolumis repedauit, claris nimirùm vocibus exclamãs & dicens: Gratias tibi agimus omnipotens Deus, qui regionem noſtram ſplendore tanti ſideris illuſtrare dignatus es. Verè Angelus Dei, vere Propheta ſanctus, & lux magna occulta mundo, in finibus noſtris apparuit. Hæc & alia multa in Dei laudem vociferans, vix à beati viri diſcipulis tacere compulſus eſt. Nam ſi talia verba ad beati viri Romualdi aures qualibet occaſione perueniſſent, grauiſſima cor eius indignatione commouiſſent. Cap. 51. Pellit dolores dentiũ digiti ſui contactu.

Alio verò tempore magnam quandam fagum, quæ prope cellam eius adſtabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ acclinis & imminens, vt iuxta humanam opinionem, ſi cecidiſſet, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cumq; operarij vellent iuſſa perficere, ſed ruinam arboris formidarent, ille vt nequaquam timeretur inſtabat. Itaque cùm impactis circunquaq; ſecuribus, in ipſa iam arboris viſcera veniretur, arbor autem ſuper beatum virum non iam dubiè impetum minaretur, cœpêre omnes rogare, & vocibus clamoſis vehementer inſiſtere, vt ſi cellam poſtponeret, ſemetipſum exiens conſeruaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquieſcẽs, vt cœptum citò perficerent, diffinitè præcepit. Poſtremò fagus grauiſſimo ſonitu corruens, ita aliorſum eſt ex diuina virtute proiecta, vt cunctis mirantibus, cella omninò manſerit illæſa. Omnes igitur tanto obſtupefacti miraculo, ad cælum voces tollunt, & immenſas Deo gratias referunt. Sed quid nos de diuina circa venerabilem virum cuſtodia dicimus, cùm & alios ſæpè per eius præſentiam ex magnis ereptos fuiſſe periculis non ignoremus? Ex quibus vnum hic memorare ſufficit, vt plures fuiſſe prudens lector agnoſcat. Cap. 52. Ruentem arborẽ aliò auertit.

Aliquando nanq; ipſe cum operarijs manens, nimiæ magnitudinis ilicem in monte Petrano faciebat incidi. Quæ videlicet arbor in prærupto montis decliuo pendens, in ima vergebat. Ruſticus autem quidam paulò inferiùs ſtabat. Cùm igitur præciſa arbor grauiter corruens, per deuexum montis volueretur in præceps, mox repertum ruſticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant, & non ſolùm eſſe hominem mortuum, ſed totum quoq; dilaceratum eius corpus exiſtimant. Sed ô diuinam virtutem, ita mox ſanus & incolumis repertus eſt; ac ſi ſuper eum non arbor, ſed arboris folium cecidiſſet. Hinc iure perpenditur, ſancti viri meritum quantum apud Deum pondus habuerit, in cuius conſpectu grauiſſima arboris moles pondus habere neſciuit. Cap. 53.

Poſtmodùm verò Romualdus cùm Apenninum deſeruit, montem Sytriæ habitaturus aſcendit. Cauendum autem ſummoperè eſt, ne quis cùm audierit, quia vir ſanctus tot loca mutauerit, pij operis pondus vitio leuitatis adſcribat. Hæc nanque mutationum eius cauſa proculdubiò fuit, quia ad venerabilem virum, vbicunque degeret, turba hominum penè innumerabilis cõcurrebat. Ratio ergo poſcebat, vt cùm vnius loci ſpatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore conſtituto, ad replendũ mox Cap. 54. Cur ſæpè loca mutarit.

aliud feſtinaret. In Sytria verò quot contumelias, quot ſcandala à ſuis diſcipulis paſſus ſit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Ex quibus videlicet vnum hic ponentes, cætera breuitatis ſtudio prætcrimus.

Cap. 55. Habebat quendam diſcipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, ſed omninò degener actione. Hunc itaq; vir ſanctus cùm pro ſuæ carnis immunditia non modò verbis argueret, ſed ſæpè etiam verberibus grauiſſimis coërceret, auſus eſt diabolicus vir titulum illi eiuſdem reatûs opponere, & impudenter contra ſancti Spiritûs templum ſacrilego ore latrare, dicens videlicet, ſanctum virũ vnà ſecum ex eadem contagione peccâſſe. Mox itaq; diſcipuli omnes aduersùs eum irati, omnes infeſti, alij clamant ſenem impium laqueo debere ſuſpendi, alij dignum iudicant, vt cũ ipſa cella ignibus concremetur. Quod vtiq; valdè fuit mirabile, præſertim ſpirituales viros ex decrepito ſene, & vltrà quàm centenario, tam nefarium ſcelus credere potuiſſe, cui etiam ſi voluntas adeſſet natura tamen & frigidus ſanguis, ariditaſq; attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum eſt proculdubiò, ad augendum ſancti viri meritum, hoc ſibi tam grauis aduerſitatis cælitùs accidiſſe flagellũ. Nam; & ipſe aſſerebat, hoc in eremo, vnde nuper abſceſſerat, veraciter agnouiſſe, & ad hoc dehoneſtatis improperium ſubeundum alacriter aduenıſſe. Ille autem Sarabaita reprobus, qui ſancto viro crimen intenderat, Epiſcopatum poſtmodùm Nucerinum per Simoniacam hæreſim acquiſiuit, & per biennium illum occupans, in primo anno ædem incenſam cum libris & tintinnabulis, ac cæteris ſacris ornamentis, exigentibus ſuis meritis, vidit: in ſecundo autem dignitatem cum vita, diuina illum feriente ſententia, perdidit.

Calumniatur eum diſcipulus eius.

Cap. 56. Impoſuêre itaque diſcipuli ſancto viro quaſi de commiſſo crimine pœnitentiam, & celebrandi ſacra myſteria penitus abſtulêre licentiam. Quod ille præiudicium libenter amplectens, & pœnitentiam velut reuerà obnoxius crimini obſeruauit, & ad ſacroſanctum altare per ſex ferè menſes accedere non præſumpſit. Tandem verò, ſicut ipſe poſtmodùm eiſdem ſuis diſcipulis retulit, diuinitùs ſibi iuſſum eſt, vt ſi diuinã timeret gratiam perdere, iam indiſcretam ſimplicitatem poſtponeret, & ſacra Miſſarum ſolennia fiducialiter celebraret. Poſtera igitur die ſacrificare incipiens, cùm ad ſecunda Miſſæ ſecreta peruentum eſſet, in ecſtaſim raptus, tam longo temporis ſpatio ſiluit, vt omnes, qui aderant, mirarentur. Interrogatus autem poſtmodùm, cur in offerendo ſacrificium tantas moras præter ſolitum habuiſſet: Raptus, inquit, in cælum, oblatus ſum ante Deum, & continuò mihi diuina voce præceptum eſt, vt ſecundùm hunc intellectum, quem mihi Deus immiſit, pſalmos exponerem, & pro modulo mei ſensús chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio & inenarrabili terrore conſtrictus, reſpondere nihil aliud potui, niſi tantummodò, Fiat, fiat. Vnde poſteà vir ſanctus totum pſalterium, & nonnulla Prophetarum cantica luculenter expoſuit, & licet corrupta grammaticæ regula, ſanum tamen ſenſum vbique ſeruauit.

Agit pœnitentiam nõ admiſſi criminis.

Cap. 57. Interrogauêre eum aliquando diſcipuli dicentes: Magiſter cuius eſſe ætatis animã cernitur, vel in qua figura ad iudicium præſentatur? Reſpondit: Scio hominem in Chriſto, cuius anima delata eſt ante Deum ſplendida velut nix, humana quidem effigie, ſtatura verò perfectæ ætatis. Inquiſitus iterum, quis ille eſſet, indignans & confundens eos, dicere noluit. Mox diſcipuli rem, vt veraciter erat, inter ſe inuicem retulêre, & ipſum fuiſſe hominem certa manifeſtatione cognoſcunt. In Sytria denique vir venerabilis per ſeptem annos incluſus manſit, & ſilentium continuum inuiolabiliter tenuit. Veruntamen tacente lingua, & prædicante vita, vix vſquam tantum laborare aliquando potuit, vel in conuertendis hominibus, ſiue ad pœnitentiam concludendis. Viuebat autem, vergente iam ſenectute, nimis diſtrictè, videlicet cùm iam & ipſi perfecti viri ſolent remiſſiùs viuere, & aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare. Nam per vnius Quadrageſimæ ſpatium nihil aliud neque in cibo, neq; in potu penitus habuit, niſi de modica farina & paucis herbis ſorbitiunculam, ex qua ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque verò hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum ſe infuſi ciceris adſtrinxit. Et ita Romualdus per multa alia viuendi genera quid ſua virtus poſſet, per hæc & illa ſe iugiter exercendo tentabat. Studebat quippe diſcretus Chriſti miles ad nouum ſe certamen ſemper accingere, & cùm iamiam cadere videretur, adhibita mox miſericordia, vacillans corpuſculum releuare. Duo autem, vel etiam tria quandoque habebat cilicia propter naſcentem corporis importunitatem, quæ lauari nullatenus permittebat, ſed ea potiùs ad imbrem proijciens, poſt triginta dies mutare conſue-

7. annis degit ſolus in ſilentio.

Ieiunium ſancti ſenis in Quadrageſima.

conſueuerat. Nouaculam autem nunquam in ſuum caput patiebatur aſcendere, ſed ipſe ſibi perrarò ſolebat excrementa capillorũ & barbæ forpicibus attondere. Si quando verò eum ex aliquo eſculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illũ præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & ſolùm captans odorem, dicebat: O gula, gula, quàm dulcis, quàm ſuauis modò tibi ſaperet iſte cibus: ſed væ tibi, ex eo nunquam guſtabis: & ſic intactum ad cellarium remittebat. Gulam vt caſtigârit.

Sed quanquam vir ſanctus tantam erga ſe ſeruaret auſteritatem, ſemper tamen hilarem vultum, ſemper ſerenam faciem oſtendebat. Nam frater quidam, Gregorius nomine, grauiſſimum capitis dolorem ſe perpeti aliquando conqueſtus eſt. Qui cùm ad beati viri cellulam, vbi alij fratres tunc erant, cum nimia lamẽtatione veniſſet, mox vt eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, ſed inſidijs antiqui hoſtis indubitanter adſcripſit: & mox quaſi deridens eum, vt erat ſemper alacri vultu, per feneſtram cellulæ inſufflauit in eius frontem, & vt cæteri omnes, qui aderant, ſimiliter facerent, innuit. Hoc autem facto, ita ſanatus eſt, vt nullum penitus ſentiret in ſuo capite doloris remanſiſſe veſtigium. Arbitror quòd idcircò vir ſanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum ſanctum, qui in eius pectore præſidebat, eſſe fugandum eſſe iniquum hoſtem, doloris immiſſorem, credidit. Ad euitandam verò propriam laudem, & ludum finxit, & ſocios quæſiuit. Nam & redemptor noſter inſufflâſſe legitur, cùm Spiritum ſanctum dediſſe Apoſtolis perhibetur. Cap. 58. Pellit dolorem capitis à fratre. Iohan. 20.

Vir quidam capitis patiebatur inſaniam, ita vt ſenſu rationis amiſſo, vel quid ageret, vel quid diceret, funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, niſi quòd ſolummodò oſculum præbuit, & protinus illum ad incolumitatem priſtinam reuocauit. Sicq; cum inquieto homine dum pacem fecit, ad mẽtis eum ſuæ pacem reduxit. Referebat autem poſtmodùm ille, qui ſanatus fuerat, dicens: Quia cùm ſacra beati viri labia tangere merui, ſtatim prodire ex eius ore quaſi vehementis auræ ſpiritum ſenſi, qui totam faciem meam, & ipſum deniq; ſinciput perflans, omnem cerebri æſtuantis ardorem protinus effugauit. Cap. 59. Oſculo ſanat amentem.

Alio quoq; tempore idem, qui ſuprà, Gregorius tam viroſam & marcidam tolerabat in cruribus ſcabiem, vt iam ex elephantiæ morbo crederet tam grauem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc præcipuæ medicinæ genus indixit, vt crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens quia hoc modo ſanitatem priſtinam recuperaret. Quod ille quidem adimplere ſtuduit, magis tamen neceſſitate iuſſionis, quàm recipiendæ fiducia ſoſpitatis. Mirum ſatis, & ſoli diuinæ potentiæ referendum. Confeſtim tibiarum tumor deponitur, virus omne ſiccatur, & penitus omni languore depoſito, frater ſanus per omnia redditur. Credi quoq; rationabiliter poteſt, quia eodem ſpiritu Romualdus diſcipulo, vt ter aquis tumentia crura perfunderet, iuſſit, quo Eliſeus Naaman leproſum lauari ſepties in Iordane mandauit. Nonnulli tamen, carnales videlicet homines, eum malitioſè repræhendere, & eius dicta vel facta non timebant leuitatis vitio deputare. Cap. 60. 4. Reg. 5.

Quidam nanque eius diſcipulus in alio procùl eremo morabatur. Qui propinquorum neceſſitati aliquando condeſcendens, pro eorum vtilitate tandem velut inuitus Romam ire Quadrageſimali tempore acquieuit. Quod mox vir ſanctus per Spiritum recognoſcens, velut indignans, dixit adſtanti cuidam fratri, quòd videlicet ille bonus vir pro huiuſmodi negocio Romam ire præſumpſit. Ille autem admirans, vnde hoc magiſter cognoſceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuiſſet, rem ſolicitè perquiſiuit, & ita eſſe, ſicut vir venerabilis dixerat, comprobauit. Pergit ille ad alium ſuum condiſcipulum, videlicet Ingelbertum, qui incluſus manebat, & magiſtrum hæc dixiſſe, & ſine dubio prophetiæ ſpiritum habere, prorſus affirmat. Ille autem hoc deteſtãs, & penitus denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falſum eſſet, imprecationis ſe vinculis obligauit, dicens: Si Romualdus hoc per prophetiæ ſpiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc recluſorio perſeuerare permittat. Dictum factumq; eſt. Nam vix paucis diebus tranſactis, Ingelbertus, fracto recluſorio, ſine magiſtri licentia abijt, & eum in hac vita (ſicut dicitur) ampliùs non vidit. Cap. 61. Pœna temerarij diſcipuli.

Alius frater, Gaudentius nomine, Abbatis videlicet huius monaſterij ſancti Vincentij pater, cum magno feruore conuerſus, ardentiori poſtmodùm ſpiritu in Dei eſt ſeruitio conuerſatus. Hic aliquando à beato Romualdo licentiam petijt, quia vellet cuncta iam pulmenta relinquere, & pane cum aqua contentus, pomis quoq; ſiue crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cùm in eodem propoſito infatigabiliter Cap. 62.

permaneret, Tedaldus quidam alius frater infirmitati illius indiſcretè compatiens, adire magiſtrum ſtuduit, & quaſi frater ille tam graue pondus portare non poſſet, hâc eius obſtinationem frangi omninò debere ſuggeſſit. Romualdus autem, vtputà vir ſimplicis animi, Tedaldi verbis aſſenſum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abſtulit. Ille verò indignè ferens, nequaquam ampliùs cum Tedaldo in eremo, in qua eos Romualdus poſuerat, paſſus eſt habitare, ſed Ingelberto, qui à Romualdo disiunctus fuerat, ſe ſubdidit, & ab eo conſenſum præfatæ cõuerſationis obtinuit. Hic itaq; Gaudentius non multo pòſt tempore defunctus eſt, & in cœmeterio beati Vincentij iuxta corpus Berardi venerabilis viri, qui æquè Romualdi diſcipulus fuerat, eſt ſepultus. Romualdus autem, quia ille in præuaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationẽ pro eo penitus fieri interdixit.

Romuald. non vult orari pro fratre inobediente.

Cap. 63.

Aliquanto autem pòſt tempore monachus quidam prædicti cœnobij, dum matutinam ſynaxim cum reliquis fratribus celebraret, repentè tam acrem dolorem ſentire in dentibus cœpit, vt iam in choro ad pſallendum ſtare omninò non poſſet. Qui protinus exiens, ſuper ſepulcrum ſe Berardi atq; Gaudentij lamentando iactauit: dumq; ibi aliquandiù iacens oraret, mox eum ſomnus oppreſit. Ilicò ſanè videt Berardum ſacerdotalibus ornamentis ſplendidiſſimè ornatum, & tenentem in manibus librum aureis literis ſcriptum, ante altare ſcilicet ſtare, & Miſſarum ſolennia celebrare. At cernit Gaudentium mœrentem, demiſſo vultu poſt tergũ Berardi procùl manere, & velut excommunicatum, ſacris appropinquare myſterijs non audere. Qui mox locutus eſt ei, dicens: Vides, frater, illum Berardi librum mirabiliter deauratum? Ego quoq; talem per omnia nunc haberem, niſi illum mihi, heu, heu, Tedaldus monachus abſtuliſſet. Statimq; frater euigilans ſanus & incolumis, fugato omni dolore, ſurrexit. Deinde lætus viſionem ſuam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens, ilicò præcepit fratribus, vt iam Gaudentio fraternam charitatem impenderẽt, atq; pro eo enixiùs orarent. Vnde nõ ſine ratione colligitur, quòd ille, qui priuatus ſocietate Romualdi librum, quem meruerat, perdidit, iam eius gratiæ reſtitutus, & orationibus ſubleuatus, eundem librum recuperare meruit: & quem Tedaldus non niſi per Romualdum abſtulerat, iam Romualdus orando pro illo cum omnibus ſimul fratribus reddidit.

Iubet vt orent fratres pro anima illius.

Cap. 64.

Aliquando vir venerabilis cuiuſdam cauſa neceſſitatis in viam ire diſponens, vni diſcipulorum cellam commiſit, & vſque in ſuum reditum in ea illum manere præcepit. Ille verò temerarius, dum debiti honoris reuerentiam magiſtro non ſeruat, audacter in eius ſtrato iacere non dubitat. Ecce autem in illa nocte maligni ſpiritus ſuper eum immaniter irruunt, grauiſſimis eum verberibus atterunt, & proiectum de lecto, penè ſeminecem derelinquunt. Meritò ſanè tam ſuperbos ſuæ offenſionis vltores pertulit, qui in talem virum, poſtpoſita humilitate, peccauit: & dum pio magiſtro nõ exhibuit reuerentiam, ex duris & impijs ſenſit manibus diſciplinam. Similiter poſtmodùm venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella diſcipulum dereliquit. Cui cùm diſcipulus diceret: Magiſter, ego in lecto tuo non iacebo, quia quod alij contigit, mihi etiam conſequenter euenire formido: ille reſpondit: Fili mi, iace & dormi ſecurus: Ille enim in eo recubans, idcircò in manus inimicorum incidit, quia paruitatis meæ licentiam non accepit. Tu autem accepto conſenſu, in Deo ſpem pone, & ſine pauore quieſce. Qui videlicet in eo ſicut iuſſus fuerat iacuit, & nullum omninò caſum aduerſitatis incurrit.

Cap. 65.

Secularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo ſe ad ſuſcipiendum ſanctæ cõuerſationis habitum tradidit: deinde domum, vt ſua quæq; diſponeret, remeauit. Cumque eum vxor ſua venientem vidiſſet, fœmineo nimirùm furore ſuccenſa, exclamauit aduersùs eum, dicens: Sic bone vir ab hæretico illo & antiquo ſeductore nunc venis, & me miſeram & deſtitutam omni humano ſolatio derelinquis? Quæ, hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, & ita furere & conquaſſari cœpit, ac ſi patenter à dæmonio vexaretur. Habebat autem vir ſanctus huiuſmodi conſuetudinem, vt ſi quando fratres in viam dirigeret, benedictum illis ſiue panem, ſiue pomum, ſeu quodcunq; aliud daret. Vnde diſcipuli, vt experti multoties fuerant, certum tenebant, quòd ſi ex benedictione magiſtri cuilibet ægroto porrigerent ad ſalutem, illum incolumem redderent. Nam & ex aqua, vnde manus eius abluebantur, plures languidi ſæpè reſtituti ſunt ſanitati. Quod tamen cautiſſimè oportebat fieri, ne ſi vir ſanctus hoc aliquatenus comprehenderet, in grauiſſimam triſtitiam deueniret. Cum igitur diù fœmina miſerabiliter vexaretur, quidam fratres, qui aderant de benedictione

Vltio diuina in fœminam ſanctũ virum criminantem.

pani

panis,quam à magiſtro ſuſceperant, ei particulam tradiderunt. Quam cùm mulier comediſſet,mox mente ſedata,ab omni redditur inſaniæ furore liberrima. Itaq; protinus omnipotenti Deo,& Romualdo famulo eius recuperatæ ſanitatis gratias retulit,& viro ſuo conuerſionis licentiam vlteriùs non negauit.

Nota vim benedicti panis.

Alio quoq; tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus eſt,cui ille nihil aliud fecit,niſi quòd pro benedictione illi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus,confeſtim à dæmonio liberatus eſt. Iure quippe poſtquàm benedictio Romualdi malè poſſeſſum corpus intrauit, inde confeſtim maledictus ſpiritus cauteriatus exiuit. Nunquam tamen diabolus à ſancti viri poterat impugnatione quieſcere. Et quia occulta iam aduersùs eum fraude nil poterat, non ceſſabat virus ſuæ malitiæ viſibiliter demonſtrare. Aliquando nanque,dum vir venerabilis in cella conſiſteret,ecce malignus ſpiritus,vt eſt re vera teterrimus,hiſpidus,horribilis,immẽſum cœpit ſancto viro terrorem incutere,& cum nimio furore ac impetu,mortem ei minitans intentare. Cumq; Romualdus auxilium de cælo imperterritus quæreret, & vt ſibi Chriſtus ſuccurreret,fiducialiter exclamaret,mox antiquus hoſtis aufugiens, ipsũ cellæ parietem tanto iracundię felle percuſſit,vt grauem fagi tabulam vnius cubiti ſpatio,vel eo ampliùs fiderit. In habitaculo igitur patenter oſtendit,quanta aduersùs habitatorem flamma crudelitatis exarſit, & quodammodò ſcriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.

Cap. 66.

Malignum dæmonem ipſi mortẽ intentãtem profligat.

Aliquando etiam dum venerabilis vir cum ſuis diſcipulis equitaret, ecce malignus ſpiritus rubei canis effigiem ſimulans,cum magno impetu obuiàm irruit, & equum cui inſedebat,vt penè vir ſanctus, excuteretur,exterruit. Interrogantibus diſcipulis, ſi eum vidiſſet,exhorreſcentem quidem equum conſpexiſſe ſe aſſeruit,ſed nil tale ei apparuiſſe teſtatus eſt,dicens: Miſer ille, qui olim præclarus Angelus fuiſſe cognoſcitur, nunc ſe immundi ſpecie canis oſtendere non veretur. Rurſus alio tempore cùm monaſterium ancillarum Dei,quod eſt in Valle bona, conſtruere decreuiſſet, diſcordia mox inter ſancti viri diſcipulos oritur.quia videlicet alij nolunt,alij verò vt fieret, vehementer inſiſtunt. Cumq; ante venerabilem virum vtræq; diſſidentium partes, diuerſa vtentes allegatione,contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ quaſi malleo ſine ceſſatione percutere,& per reboãtem ſyluam crebris audiebatur tunſionum ictibus inſonare. Deinde cùm iam omnes monaſterium fieri vnanimiter concordâſſent,ecce malignus ſpiritus cunctis audientibus vlulare,plorare,& flebiles non ceſſabat voces emittere. Poſtremò autem cùm iam diuiſi ad ſuum quiſq; reuerteretur hoſpitium,proſequebatur eos antiquus hoſtis cum tanta tempeſtate & turbine,vt quaſi omnia ventorum genera commouens, totam ſyluam radicitùs euellere putaretur. Quidam verò fratrum increpans eum,dixit: Præcipio tibi in nomine Trinitatis, immunde ſpiritus,vt deſinas venire poſt nos. Et ita fugatus eſt. Iure quippe author diſcordiæ,compoſita pace,compulſus eſt in fletum prorumpere, qui priùs audiebatur creſcente rixa gaudere: & quia tunc circulum vacui vaſis abſtrahere, & partes, quibus compactum fuerat diſſipare tentauit, conſtrictis iam in vinculo Pacis & Charitatis compage diſcipulis,triſtis abſceſſit.

Cap. 67.

Indignisſimè fert diabolus fœminarum cœnobium cõſtrui.

Taliter autem tunc in Sytria viuebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolùm nominis, ſed etiam operis altera denuò Nitria videretur. Omnes ſiquidem nudis pedibus incedentes,omnes inculti,pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti erant. Nonnulli verò obſeratis ianuis clauſi,ita mortui videbantur mundo, velut in ſepulcro iam poſiti. Vinum ibi nemo nouerat,nec ſi etiam grauiſſimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur ego de monachis loquor,cùm & ipſi monachorũ famuli, ipſi quoque cuſtodes pecorum ieiunarent,ſilentium tenerent, diſciplinas inter ſe inuicem facerent,& de quibuſlibet ocioſis verbis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi ſeculum,quod etſi tormenta perſecutorum non nouerat, ſpontaneo tamen martyrio non carebat. Aureum,inquam,ſeculum,quod inter montium & ſyluarum feras tot cæleſtis Hieruſalem ciues alebat. Cùm verò ibi fratres iam tanti eſſent, vt illic in vnum habitare vix poſſent, tunc Romualdus monaſterio ibi conſtructo, & Abbate præpoſito,inuiolatum ſeruans ſilentium, Bifurcum ſeceſſit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem ſpiritualiter viuere, & rectitudinis iter tenere, multam ab eo paſſus eſt perſecutionis iniuriam.

Cap. 68.

Vita aſperrima S. Romualdi & diſcipulorũ eius.

Intereà Imperator Henricus de Vltramontanis partibus in Italiam veniens, miſit beato viro deprecatoriam legationem,vt ad eum venire dignaretur,promittens ſe facturum quæcunq; præciperet,ſi ſuum ei colloquium non negaret. Cumque vir vene-

Cap. 69.

rabilis prorſus abnueret ſilentium frangere, cœpêre vnanimiter diſcipuli eius omnes cum obſecrare, dicẽtes: Magiſter, vide quia nos, qui te ſequimur, tanti iam ſumus, quòd hic congruenter habitare non poſſumus: quapropter, ſi placet, ab Imperatore magnum aliquod monaſterium quære, & multitudinem te ſequentium ibi conſtitue. Quibus vir ſanctus, neſcio ſi accepta reuelatione, aut ſubita Dei inſpiratione, fidenter ſcripſit: Scitote quia montis Amiati monaſterium ex dono Regis habebitis: conſiderate tantummodò, quem illic Abbatem conſtituere debeatis. Igitur inuiolato ſilentio perrexit ad Regem. Cui Rex protinus aſſurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O vtinam anima mea eſſet in corpore tuo. Quem mox, vt loqueretur, ſuppliciter obſecrans, ipſo die hoc impetrare non potuit.

Venit ad Henricum Imperatorem.

Cap. 70.

Ecce tibi priſcorũ Germanorum deuotionẽ.

Poſtera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Theutonicorum multitudo certatim hincinde concurrunt, capita ſalutantes humiliter flectunt, villos quoq; pelliceæ veſtis, qua erat indutus, anxiè decerpentes, pro ſacris reliquijs in patriam portaturi, ſtudioſè recondunt. Quæ videlicet res venerabilem virum tanto mœrore affecit, vt niſi diſcipulis obſtantibus acquieuiſſet, ad cellam protinus repedâſſet. Ingreſſus igitur ad Regem, non pauca ei locutus eſt de reſtituendo iure eccleſiarum, de violentia potentum, de oppreſſione pauperum. Et poſt multa vnum ſibi pro ſuis diſcipulis monaſterium petijt. Cui poſtmodùm Rex montis Amiati monaſterium tradidit, & Abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras eiecit. Vbi vir ſanctus quanta aduerſa perpeſſus ſit non ſolùm ab eo, qui eiectus fuerat, ſed etiam ab illo, quem ipſe ex ſuis diſcipulis Abbatem conſtituerat, ille quidem perferre patientiſſimè potuit, nos referre, etiamſi adeſſet facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adiuuerit, vno exemplo monſtrare ſufficiat, vt prudenti cuilibet, quid etiam in reliquis euenerit, innoteſcat.

Cap. 71.

Liberat monachum, ipſum occidere volentem.

Monachus quidam veſano aduersùs eum furore ſuccenſus, pilum latenter exacuit, & id reponens, vt beatum virum interficeret, expectare congrui occaſionem temporis cœpit. Nocte verò dum depreſſus ſopore quieſceret, ecce videt malignum ſpiritum in ſe immaniter irruẽtem, qui retortam in collum eius mittens, tanta ferocitate conabatur guttur eius adſtringere, vt iam ille cogeretur funditùs expirare. Tunc monachus in extremo iam ſpiritu poſitus, Romualdum, vt ſibi ſuccurreret, obſecrauit. Qui (vt monacho videbatur) protinus aduolans, de manibus eum iniqui hoſtis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis viri proſtratus, aduoluitur: vt alliſionem ceruicis adſpiciat, deprecatur. Confiteri etiam crimen ſuæ malitiæ non veretur. Poſtremò conſeruatæ vitę ſibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatûs accepit. Et ita qui Romualdo vitam inſidiabatur eripere, iam per eũdem ſanctiſſimum virum & ſuam meruit conſeruare: & cui inferre mortem ſtuduit, per eũ ſuæ periculum mortis euaſit.

Cap. 72.

Habebat autem vir ſanctus conſuetudinem, cùm monaſterium teneret, vt niſi cùm ieiunaret, ad communem menſam cum fratribus quotidiè veniens, vnũ quidem pulmentum comederet, poſtmodùm verò lectioni, vel quid etiam apud vnumquenq; ageretur intentus, de reliquis non guſtaret. Quadrageſimali autem tempore, niſi neceſſitate ineuitabili cogeretur, in cellula iugiter morabatur. Dum igitur prædictum cœnobium vir beatiſſimus regeret, Quadrageſimali iam appropinquante ieiunio, quærebat cum diſcipulis per vicina montium loca, vbi eremum facere potuiſſet. Dumque longas in quærendo moras protraheret, repentè aquis vndiq; circunfluentibus ita concluſi ſunt, vt nec ipſi iam redire, nec de monaſterio quiſquam ad eos poſſet aliquatenus tranſuadare. Viuebant autem ex aliquantis caſtaneis, quas ſecũ detulerant. Cumq; dies Dominicus adueniſſet, & alia cibi ſpes nulla iam ſupereſſet, cœpêre fratres paucułas, quæ remanſerant, caſtaneas deglubere, iam quodammodò credentes vltimum ex eis conuiuiũ præparare. Romualdus autem, vt erat ſemper alacri vultu, fidenter ait, quia niſi Deus ſibi panem per aliquem mitteret, ipſo die nullatenus manducaret. Diſcipuli verò mirantes inter ſe, in qua ſpe hoc ille præſumeret, certi tamen quia magiſter incautè aliquid vouere non poſſet, cibum iam tantæ ſolennitati congruum cœpêre fiducialiter expectare. Sexta igitur diei hora iam appropinquante, ecce tres viri onuſti pane & vino & alijs cibis, adueniunt, qui ſe de longinquis partibus cum multo labore ad eos perueniſſe dicunt. Tunc itaq; ſpiritali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, pariter cibum ſumunt, & beatum virum per reuelationem hoc penitus agnouiſſe indubitanter agnoſcunt.

Eius in Deũ fiducia.

Res admiratione digna

Cap. 73.

Quodam tempore venit vir venerabilis Sytriam. Qui cùm adhuc ieiunus eſſet, & fratres,

fratres, vtpotè in arduis montibus, piſcem quem ei ad comedendum apponerent, nō haberent, cœpêre inter ſe quodammodò confuſi erubeſcere, & quid pro tam venerabili hoſpite parare potuiſſent, anxiè cogitare. Tunc frater quidam puto diuinitùs inſpiratus, ad ſiccum penè riuum, qui iuxtà præterfluebat, cum feſtinatione cucurrit, vbi nimirùm & aquæ exiguum erat, & piſcis illic viſus nunquam penitus fuerat. Cœpit itaque frater Deum deuotè depoſcere, vt qui Iſraelitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipſe ſibi dignaretur piſcem in arenti riuulo demonſtrare. Confeſtim igitur miſſa manu, in exigua aqua piſcem reperit, qui beato viro ad refectionē abundanter ſufficere potuit, Deo ſcilicet ſeruo ſuo prouidente conuiuium. Inuentum quippe eſt in ſaxeo & arido monte, velut in piſcoſa valle, viuarium. Sed quia de vita beati viri hæc, quę nimirùm pauca de multis dicta ſunt, ſufficere credimus, iam ad tranſitum veniamus. Exod. 17. Num. 20. Piſcis capitur per miraculum.

Vir denique ſanctus per multa alia habitauit loca, & multa alia, præcipuè à ſuis diſcipulis perpeſſus eſt mala, plura quoque per eum ſunt facta miracula, quæ nos deſcribere ideò prætermittimus, quia longioris ſtyli prolixitatem vitamus. Poſt cuncta igitur habitationum ſuarum loca, cùm iam finem ſuum imminere conſpiceret, tandem ad monaſterium, quod in Valle de caſtro conſtruxerat, rediit, ibique appropinquantem obitum indubitanter expectans, cellam ſibi cum oratorio ædificari, in qua recluderetur, & ſilentium vſque ad mortem ſeruaret, mandauit. Sanè viginti annis, antequam vitam finiret, diſcipulis ſuis manifeſtè prædixerat, quia in præfato monaſterio oporteret eum quieſcere, nulloque adſtante, vel funeris exequias procurante, expediret eum ſpiritum exhalare. Facto itaque recluſorio, cùm mens eius in eo eſſet, vt mox includi deberet, cœpit corpus eius magis magiſque moleſtiis ingraueſcere, & deorſum iam velut non tam languore quàm decrepiti lōga ætate ſenii declinare. Nā à medio ferè anno, nimia ſibi phlegmatis abundantia cum ipſo læſi pulmonis marcore defluxerat, & graui eum tuſſis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir ſanctus vel lecto decumbere, vel inquantùm poſſibile erat, ſoliti rigorem ieiunii acquieuerat relaxare. Cap. 74. Ingens animi eius feruor.

Quadam igitur die cœpit paulatim corporis virtute deſtitui, & ingruente moleſtia grauiùs fatigari. Sole itaque iam ad occaſum vergente, præcepit duobus fratribus, qui adſtabant, vt foras exirent, & cellulæ poſt ſe ianuam clauderent: celebraturi verò ſibi matutinos hymnos, ad eum diluculo remearent. Cumq; illi de eius fine ſoliciti velut inuiti exirent, non ſtatim ad quieſcendum properant, ſed magiſtrum ne obire contingeret, anxii precioſi theſauri talentum prope cellulam latentes obſeruant. Aliquandiù igitur commorantes, cùm deinceps curioſis auribus attentiùs auſcultarent, & neque motum corporis, neque ſonum vocis audirent, iam quod euenerat, veraciter opinantes, impulſa ianua velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in cælum rapta, ſupinum iacere ſanctum cadauer inueniunt. Iacebat itaq; velut neglecta cæleſtis margarita, in ſummi poſtmodùm Regis ærarium honorificè reponenda. Nimirùm qui ſic obiit, vt prædixit, illuc tranſiuit, quo ſperauit. Cap. 75. Feliciſſimè obdormit in Domino.

Vixit autem vir beatiſſimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in ſeculo, tres duxit in monaſterio, nonagintaſeptē in eremitico tranſegit propoſito. Nūc igitur inter viuos cæleſtis Hieruſalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum ſpirituum turmis exultat, candidiſſima ſtola immortalitatis induitur, & ab ipſo Rege regum vibrante in perpetuum diademate coronatur. Poſt ſacratiſſimum autē viri venerabilis obitum quanta miraculorum ſigna per eum Deus oſtenderit, quis quęrat tranſacta legere, cùm frequenter valeat & noua videre? Quia igitur ea, quæ apud ſepulcrum eius fiunt, miracula tanta ſunt, vt meliùs putemus cuncta ſilentio præterire, quàm pauca narrare, duo ſolummodò, quę per eundem beatiſſimum cōfeſſorem alibi facta ſunt, ſufficiat vobis exponere. Cap. 76. Grādis eius ætas. Miracula ad eius ſepulcrū innumera.

Frater quidam, qui ſancti viri diſcipulus fuerat, paruam baſilicam pro anima ſua monaſterio dederat, ad quam videlicet baſilicam extremitatem manicæ præſciſſam ex beati viri cilicio miſit, & ſub altari honorificè recondi præcepit. Quam tamen gerulus ſub altari, ſicut iuſſus fuerat, collocare neglexit, ſed miſſam in rima parietis incautè dereliquit. Factum eſt poſteà, vt dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur eccleſiam. Cumque adſtans in medio, huc illucque rotans caput, cuncta vndique circunſpiceret, tandem toruos oculos in ipſum parietem terribiliter cœpit infigere, & intentus illuc, vbi ſancti cilicii iacebat particula, crebris non ceſſabat vocibus exclamare: Ille me eiicit, ille me eiicit: & ita clamans, protinus ab eo expulſus eſt. Hinc er- Cap. 77.

Nota miraculum ex ſancti viri cilicio. go iure perpenditur, quid per ſemetipſum apud diuinam clementiam impetrare non poſſit, ante cuius breuiſſimam veſtimenti particulam dæmon ſtare non potuit: & qui talia abſens exhibet, quid per corporis præſentiam non exercet?

Cap. 78. Alio quoque tempore Caſtaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violenter abſtulit, & eam vociferantem, multiſque precibus obſecrantem audire contempſit. Illa protinus accurrens, duos gallinarum pullos ad eccleſiam, quam ſuprà memorauimus, detulit, & eos ante altare proijciens, huiuſmodi verbis clamare flebiliter En quid poſsint ſancti inuocati cœpit: Ehò, ſancte Romualde, exaudi miſeram, ne deſpicias deſolatam, & redde mihi gubernatricem meam iniuſtè ſublatam. Mira res. Vix adhuc villicus cum ipſa rapina, per emiſſæ ſagittæ ſpatium à domo mulieris abierat, quòd continuò percuſſus, vaccam in eodem loco dimiſit: deinde domum perueniens, protinus expirauit.

Cap. 79. Poſt quinquennium verò à ſancti viri obitu, data monachis ab Apoſtolica ſede licentia, vt ſupra venerabile corpus eius altare conſtruerent, Atho quidam frater ſyluam petijt, quatenus modicam capſam faceret, quæ ſancti Confeſſoris oſſa & puluerem tantummodò capere potuiſſet. Nocte igitur inſecuta, dormienti cuidam fratri venerabilis quidam ſenex apparuit, quem protinus interrogans, ait: Vbi eſt huius monaſterij Prior? Quod cùm ille ſe ſcire negaret, ilicò ſenex addidit: Pro fabricanda capſa ire in ſyluam ſtuduit, ſed beati viri corpus in tam exiguum vaſculum non intrabit. Poſtera igitur die Prior, compoſita capſa reuertitur, & mox à fratre, qui viſionem viderat, quæ illum cauſa ad ſyluam inuitâſſet, inquiritur. Quod cùm ille velut labore defeſſus dicere noluiſſet, ilicò frater & ſui cauſam itineris retulit, & quod ipſe viderat, exponendo per ordinem non celauit. Defoſſo igitur tumulo, ita propemodùm Corpus ſancti viri integrum poſt quinquennium ab eius obitu. totum ſancti viri corpus ſanum illibatumque reperiêrunt, velut tunc fuerat, cùm ſepulturæ illud primitùs tradiderunt, excepto quòd tenuis quædam mucoris lanugo in quibuſdam eius membris excreuiſſe videbatur. Reiecta igitur modica capſa, quæ facta fuerat, ilicò vas aptum ad menſuram beati corporis præparant, & in eo ſanctarum reliquiarum patrocinia recondentes, deſuper altare ſolenniter conſecrant. Obijt autem vir beatiſſimus decimotertio calendarum Iuliarum, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA S. DEODATI EPISCOPI ET CONFESSORIS PER QVENDAM MONACHVM VALLIS GALILÆÆ

conſcripta. Sed ſtylum nonnihil, vbi viſum fuit, emendauimus, & numerum capitum ad marginem adiecimus.

Iunij 19. Cap. 1. PIISSIMVS pater noſter Deodatus, præcipuo nobis hodiè encomio celebrandus venit, qui nobili Occidentalium Francorum ſanguine procreatus, morum & operum præſtantia inter ſuæ familiæ vel proſapiæ homines vel maximè emicuit, tametſi ætate corporis poſtremus haberetur. Porrò de virtute in virtutem per ætatis incrementa gradatim procedens, ſtudio geminæ charitatis & Deo & hominibus ſe gratum præbuit, diuitias ſalutis ſapientiam & ſcientiam, & cum ijs timorem Domini ceu incorruptibilem theſaurum infatigabiliter complectens.

Cap. 2. Ita ergo factum eſt, vt idoneus tandem videretur, qui pari conſenſu Cleri & ple- S. Deodatus fit Epiſcop. Niuernen. bis, diuinitùs Niuernenſi pontificatu donaretur, ne ſanctitas eius diutiùs ſub modio lateret, ſed tanquam lucerna ſplendidiſſima, congruo impoſita candelabro, tam verbis quàm factis in Dei ſanctuario luceret. Factus igitur Epiſcopus, non quæ ſua ſunt quæſiuit, ſed quæ Ieſu Chriſti, nec tam pro honore ab hominibus debitam Abdicat ſe pontificatu. reuerentiam, quàm à Deo ſempiternam remunerationem expetijt. Cuius rei hoc poteſt eſſe certiſſimum argumentum, quòd illo ſe pontificatu vltrò abdicauit. Diuini enim amoris ſagitta ſalubriter vulneratus, cupiebat totus currere poſt Ieſum, dicens Cant. 1. ei cum ſponſa: Trahe me poſt te: curremus ſimul in odorem vnguentorum tuorum

rum. Videbat mundum totum in maligno poſitum, & ſe in medio ſcandalorum verſari. Sicut autem ſolent ſuperbi homines, etiam cùm parum aut nihil potiùs faciunt boni, ſe perfectos & multa virtute præditos arbitrari: ita humiles etiam tum, cùm omnia quæ præcepta ſunt, faciunt, ſe ſeruos inutiles, & omnibus viliores atque inferiores non ſolùm voce pronunciant, ſed etiam intimo cordis affectu ſentiunt. Conuerſi enim à peccatis, & in ſuis oculis iam humiles effecti, Domino paruulos cuſtodienti mente ſupplici non ſine lachrymis dicunt: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Hoc itaque pacto vir ſummæ ſanctitatis Deodatus, in charitate Dei perfecta humilitate fundatus & radicatus, diſtricti Iudicis & æquiſſimi tribunalis eius conſideratione perterritus, ſciens cui plus commiſſum ſit, ab eo quoque plus requiſitum iri, totum ſe accinxit ad perfectam Chriſti imitationem ſuſcipiendam. Deliberatione ergo tantæ rei planè expedita, nuncium remittit tam ſuis quàm alienis negocijs, & ne nauis Eccleſiæ Chriſti tam idoneo deſtituta gubernatore veniret in diſcrimen, frequenti gregi ſuo, pijs eius retinendi cauſa lachrymis armato, valedicit, & cum aliquot eiuſdem propoſiti ſocijs è Niuernenſi oppido egrediens, voluntarium ſibiipſi à natali ſolo exilium indicit, ciuis Angelorum & Chriſti cohæres futurus, quem expectare volebat in ſolitudine ſaluus factus à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate tumultûs popularis. Ingreditur ſolitudinē.

Hic iam non pigeat nos facere, quod ſolent metallorum effoſſores & inueſtigatores: qui ſi venam ipſis arridentem diuitemque maſſam pollicentem comperiant, mox marris & inſtrumentis alijs ad eam rem accommodatis rudera omnia egerunt, donec ad metallum optatum pertingant: Ita & nos beati viri huius animum mundo mortuum, & cum Chriſto in Deo abſconditum, modò id fieri poſſit, ex eius rebus geſtis metiamur, penſemus, quanti ille fecerit mundum vniuerſum, cui etiam tum valefecit, cùm plurimùm arrideret, ſequi malens ad ſuſcipienda lamenta ſpiritûs contribulati & contriti cordis Dominum Ieſum, qui ne nos periremus, in hanc lachrymarum vallem è ſummo cælo commigrauit. Nec ſanè pauperculus homuncio tanta alacritate relinqueret vile tuguriolum, culmo & cæſpite contectum, quanta hic verus Dei cultor vrbem Niuernenſium, cuius in ſumma rerum affluentia epiſcopatum adminiſtrabat. Sed ad alia pergamus. Beati autem, immò terque quaterque beati viri, centuplum à Chriſto & vitam æternam percepturi, præ cæteris comites fuêre Arbogaſtus & Florentius: quorum prior in ſacro nemore, quod Germanico idiomate Heiligeforſt dicitur, eremiticam duxit vitam, & inde ad Argentinenſis Eccleſiæ præſulatum raptus eſt: cui decedenti, item à ſolitudine Haſale abſtractus Florentius datus eſt ſucceſſor. Poſtquam autem ambo plurima virtutum exempla de ſe præbuêre, vocati à Domino, ad cælos migrârunt ſpiritu, corpore in locis ſupradictis quieſcunt. Præter hos fuêre cum Deodato Vuilligodus, Domnolus & eiuſdem cum illo nominis Deodatus, quos nullus labor ab eo ſeparare potuit, quin certatim illi officioſè inſeruirent, & eius parerent iuſſis, ſatius ducentes cum illo inter ignotos affligi, quàm apud notos in patria rebus iucundis perfrui. Cap. 3. Arbogaſtus & Florentius eius comites. Vuilligodus Domnolus & Deodatus alij eius diſcipuli.

Præſidebat tum Tullenſi Eccleſiæ Gribaldus vir ſanctiſſimus, quando fidelis Chriſti ſeruus Deodatus, repudiato ſeculo, in Voſagi ſaltu ſibi ſedem delegit, cumque tandem cum ſocijs veniſſet ad Romonum prædium, quod tum duo fratres inter ſe partiebantur, cuius eſſet meriti, Dei nutu declaratum eſt. Aſclas enim, vnus ex ijs fratribus, nouas illic extruebat ædes: ad cuius faſtigia cùm ventum eſſet, trabs quædam, cui omnis contignatio inniti debebat, nulla arte vel induſtria per triduum ſuo potuit loco aptari, modò breuitate aliâs curuitate vel alia re id impediente. Iratus igitur Aſclas conuicijs artifices proſcindebat, quòd cùm ſyluam ad manum haberent, velut inertes multam operam in eam rem fruſtrà impendiſſent. Illis autem iam & opere defeſſis, & animi mœrore affectis pranſum euntibus, vir ſanctus eò accedit, & feſſus ex itinere in ea domo reſidet. Vbi autem ex puerulo quodam didicit rei totius ſeriem, multa permotus miſericordia, quæ ab infantia cum illo adoleuerat, tentauit opem ferre mœrentibus: accitoque beato Vuilligodo & ſocijs alijs, trabem illam ſenſim ad locum ſuum admouit, ac deinde cœpto perrexit itinere. Vbi id reſciuit loci eius herus, non longè progreſſum ex itinere ad ſe reducit: compertaque tum peregrinationis eius cauſa, tum ipſius conditione, prædium illud ei donauit, vſu tantùm eius ad vitam ſibi reſeruato, certam argenti Cap. 4. Gribaldus Tullen. eccleſiæ antiſtes. Mouit ponderoſiſſ. trabem ſuo loco S. Deodatus.

ium-

ſummam in annos ſingulos viro Dei pollicens. Nec dubitauit pauper Chriſti ſuſcipere aliena, qui reliquerat ſua, vt merces cumularetur religioſo viro ex ipſius eleemoſyna, qua videbat ſuſtentari poſſe pauperes Chriſti, quos poſteà illic Chriſto congregauit: aut certè quòd ſpiritu præuideret locum illum dilecti diſcipuli ſui Vuilligodi ſepultura nobilitatum iri: ad cuius quidem exanime corpus tot & tanta vſque in præſens miracula eduntur, vt nemo poſſit habere dubium, quin ſpiritus eius degat in cælis.

Cap.5. Inde verò progreſſus Deo deuotiſſimus antiſtes, Argentillam, quæ ſic à riuulo ſuo dicitur, peruenit, eam nunc vulgus ruſticum Arentellam corruptè vocat. Ibi, tanti itineris labore defatigatus, commorari conſtituit, impenſaſque ſibi ad conſtruendum illic monaſterium præparauit: cuius fundamenta cùm iam ad aliquod faſtigium perduxiſſet, offendi cœpit & affligi iniurijs & improbitate accolarum ipſi inuidentium, tanquam in dies ſibi illorum fundos vſurpaturo. Erant illi ſtrenui ſanè milites, ſed libertatem ſuæ malitiæ velamen habentes. Eorum ergo proteruiam Dei ſeruo humiliter declinante, derepentè ira cæleſtis adeò in illos incubuit, vt tam ipſi, quàm poſteri eorum aut annos gratiſſimæ iuuentutis non exceſſerint, aut certè mentis facti inopes, à finibus ſuis per ignominiam excluſi ſint, donec nequam ſtirps illa è medio ſublata eſſet.

Vindicta Dei in reprobos.

Cap.6. Hinc venerabilis vir poſt immodicos auiæ & anfractuoſæ ſolitudinis circuitus Alſatiam ingreſſus eſt, vbi inter Amalarici villare & Vngiſuillam apud Vuilram cōdito domicilio reſedit: cuius quidem hodieq; plurimæ illic oſtenduntur parietinæ, & fons perſpicuus atq; ſaluberrimus, eius nomine celebris. Vbi cùm circumcircà, tanquā Sol quidam ſpiritalis, radios Deo gratæ actionis euibraret, & dociles hominum religioſorum animos bono Chriſti odore ad ſe adduceret, quidam inter proceres eximius Hūnus cum coniuge Hunna, qui in vicinis locis morabatur, magiſq; ex debito quàm intentione huic mundo inſeruiebat, in familiarē ſerui Dei amicitiā ſe inſinuauit. Similis quippe amat ſui ſimilem, & fugit quiſque diſſimilem ſui. Acceſſit verò inter illos ad ſolidæ dilectionis plenitudinem, quòd ſanctus præſul eius prolem & baptizauit, & è ſalutaris fontis lauacro ſuſcepit.

Baptizat prolem Hūni familiaris ſui.

Cap.7. Verùm ſanctæ charitatis & totius boni hoſtis diabol' vt vidit nō mediocres ad Dominum poſſe redire fructus ex beati viri verbis & exemplis, ſi ille tam inſignis veræ religionis cultor in impia & bonis operibus ſterili gente demoraretur, ad eum profligandum extulit ſuperbum caput. Itaq; ſubito quodam furore inflammat ſtolidum & indocile vulgus aduersùs hominem Dei, ceu alieni iuris inuaſorem. Illi porrò regionis eius proceres concitârunt, donec perpetuis iniurijs & minis vexatus, tandem abſcedere compulſus eſt. Roganti autem illum Hunno, ne ipſum deſereret, eique ſui iuris poſſeſſiones, vt in illis degeret, humaniſſimè offerenti, vir Dei cum lachrymis reſpondit: Cur ego tot annis exul & profugus in hac prouincia perpetuò vagabundus oberrem, cùm in illa propter peccata mea vel pedis vnius ſpatium, in quo quieſcam, non liceat obtinere? Itaque deinceps vaſtæ me dedam & ignotæ ſolitudini, in ea mortem oppetiturus: videat pietas Domini, cuius amore & deſiderio reliqui patriam, & in has me regiones contuli. His dictis, poſt mutuos amplexus diſceſſit ab Hunno, nōn ſine multis vtrinque fuſis lachrymis.

Valedicit Hunno cū lachrymis.

Cap.8. At verò pro iuſtitía perſecutionem patienti ſeruo ſuo non defuit diuina miſeratio, quæ & illi commodum & optatum dedit locum, & perſecutores eius ignominioſa & miſerabili percuſſit clade. Proceres enim illorum in ipſo ætatis flore extinxit, manetque in hunc vſque diem ea vltio apud poſteros eorum, ita vt non ſemel eximij & illuſtres viri atque matronæ, generis ſui calamitatem formidantes, & ſeipſos & fundos ſuos viro beato voluerint obnoxios eſſe, ne in ipſos quoque diuina vltio propter maiorum ſuorum peccata redundaret. Porrò eius pagi ruriculæ omnes, qui per id tempus illic nati fuêre, ſtrumoſo gutture ſuæ temeritatis pœnas luerunt. Eo autem dedecore non ſunt affecti, quotquot trans torrentem naſci potuêre. Quod vbi aduerterunt fœminæ ad partum propinquæ, torrentem illum tranſmittere conſueuerunt.

Vltio diuina in poſteros eorum, qui ſāctum Dei à ſuis finibus eiecerunt.

Cap.9. At vir Dei indefeſſo quidem ſpiritu, ſed plus ſatis defatigato corpore, per ſcopuloſa iuga montium, per concaua vallium reptabundus tandem anhelus attigit vallem, quam Galilæam vocant, anno ab incarnato Verbo, ſexcenteſimo ſexageſimonono. Eam vallem interluit & irrigat Morta piſcoſus & vaſtus fluuius: apud quem in ripa

eius

tius Auſtrali reperta ſpelunca & fonte amœniſſimo aliquandiù illic delituit, herbarum tantùm agreſtium & exiguorum pomorum eſu corpus ſuſtentans, cupiens imitari veteres illos ſanctos patres, qui egentes errauêre in ſolitudinibus, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Intereà Dominus non immemor fidelis ſerui ſui, nihil de craſtino cogitantis, religioſum virum Hunnum ita in ſomnis compellat: Cur ſinis Deodatum venerabilem Epiſcopum fame confici in ſolitudine, qui mea cauſa factus eſt exul & inops, & pro ſua modeſtia noluit tibi vel minimos actus ſuos indicare. Reſpondēti Hunno, ſe neſcire vbinam ſit Deodatus, dictum eſt à Domino: Impone ſarcinas iumentis tuis, & inuocata diuina maieſtate, ſine ea ſua ſponte iter iſtud ingredi: non deerit, qui deducat ea. Hunnus expergefactus, refert hæc deuotæ coniugi: illa modis omnibus hortatur, vt acceleret. Dimittuntur iumenta, & per inuiam eremum recto itinere ad ſpeluncam beati viri perueniunt. Quidam autem illa pedetentim ſecuti, inueniunt hominem Dei: qui cùm prior ex illis ſciſcitatus eſſet quamobrem eò veniſſent, rem totam ordine cognoſcit: Deoque cum lachrymis gratias agēs, quòd ipſius in neceſſitate non fuiſſet immemor, tam ſeruos Hunni, quàm iumenta primò neceſſarijs reficit alimentis, deinde ad dominum ipſorum remittit. Ita ergo reperto viri Dei habitaculo, non modò Hunnus, ſed etiam plerique alij religioſi homines poſteà ei res neceſſarias miſerunt. Videmus hic non imparem hac in parte Deodatum ſanctiſſimis patribus Frontoni, Benedicto & Columbano diuinitùs ei, ſicut & illis, victu neceſſario ſuppeditato. Hebr. 11. Indicat Dominus Hunno in ſomnis vbi ſanctus lateat. Iumēta ſpōtè ſua ad ſpeluncam beati viri perueniunt

Porrò ex ea benignitate Dei, tam benè de ipſo ſoliciti, vir perſpicaciſſimus colligēs greſſus ſuos eò à Domino directos, ad condendam ſibi cellulam animum adiecit. Ea constructa, & in beatiſſimi Martini Epiſcopi honorē dedicata, repoſuit illic & alia pretioſiſſima ſanctorum pignora, quæ ex patria ſecum attulerat. Cumq; fama ſanctitatis eius in dies non ſolùm ad vicinas, ſed etiam longinquas regiones dimanaret, homines fideles vndiq; ad eum cateruatim accurrebant. E quibus nonnulli ſua prædia hilariter illi conferebant, permulti ad condendum monaſterium pecunias & quęcunque poterant, largiebantur. Pleriq; verò non ſua duntaxat, ſed eius etiam imitandi deſiderio accenſi, ſeipſos in eius diſciplinam multa inſtantia tradebant. Nec pudefiebat fama, quæ eius virtutes prædicabat, cùm præſentes maiores in illo cernerent, quàm ante auditione accepiſſent. Per id tempus is, quem ſæpè diximus, Hunnus prædium ſuum, quod ab eius nomine nomen Hunnuuillaris acceperat, vnà cum eccleſia ei deuotus donauit, in qua eccleſia ipſe cum ſua coniuge humatus eſt, non dubiam fidem facientibus miraculis, quæ illic fiunt, ambos cum Chriſto in cælis viuere. Cap. 10. Multi imitātur S. Deodati vitam eique ſeſe tradentes diſciplinę. Hūnus prędium ſuum cum eccleſia ei donauit.

Porrò etiam Childerici regis regalis munificentia eam vallem, quam Galilæam diximus vocatam, fiſco regio abſtulit, & integram viro Dei & eius ſucceſſoribus annuli ſui impreſſione in perpetuum aſſignauit: putà ab ipſo ortu riuulorum vel amnium in eam vallem influentium, vſque ad exitum eorum: vt illic vir Dei monaſterium conderet, & quem vellet ſeruorum Dei numerum illic aggregaret. Crederes Dominum pro multis moleſtijs, quibus hactenùs non vno ex loco depulſus, affectus fuerat, ſanctam eius animam iam egregiè conſolari voluiſſe. Intellexit hoc etiam ipſe beatus vir, maximè quòd & diuinitùs & humanitùs ſe iuuari cerneret, ibidem iuxta S. Martini oratoriolum monaſterium extruere voluit. Quidam autem ex eius diſcipulis cùm vltra amnem Morimonte, qui nūc monaſterio pręeminet, operarijs, ædificio illi neceſſariam materiam ſuccidentibus & præparantibus, intenderet, velletq; iam ſub veſperam redire ad cellam, ſed tæderet illum tranſire Mortam fluuium, cuperetque maturiùs redire ad opus, in colliculo, quem Iuncturas vocant, nocte irruente manere compulſus eſt. Colliculus autem id nominis inde accepiſſe putatur, quòd Rotbat et Morta non longè ab eius radicibus inter ſe commiſceantur. Vbi frater ille ſomno correptus, per viſum oratorij in beatiſſimæ Dei genitricis honorem illic conſtruendi diuinitùs præceptum accepit. Quod cùm manè retuliſſet ſanctiſſimo magiſtro, in ipſo viſionis loco ille lapidem erigi iuſſit. Nec diù poſt cōdita illic baſilica, in ea altare collocatum eſt eo in loco, vbi viſio fratri oblata fuerat: idque in honorem beatiſſimæ matris Dei omniumque Apoſtolorum, pariterque præcipuorum Treuericę vrbis Epiſcoporum, Eucharij, Valerij, Materni & Maximini conſecratum. Iuxta hanc autem baſilicam aliud fabricatum eſt oratorium in beati martyris Mauritij & ſanctiſſimi collegij eius honorem. Cap. 11. Cōſtruitur baſilica in honorem S. virginis Mariæ matris Dei.

Qua in re facilè licet perſpici, beatiſſimum Archiepiſcopum noſtrum Hil- Cap. 12.

dulphum

Hildulph' Archiepiſcopus Treuirenſis.

dulphum cumprimis familiarem fuiſſe ſanctiſſimo Deodato præſuli ab ipſis vſque monaſterij huius fundamentis, quippe qui illi largitus fuiſſe credatur reliquias iamdictorum Treuirẽſis populi antiſtitum, inprimis autem S. Maximini, cuius ſacros artus nuper admodùm in eam tranſtulerat ædem, vbi nunc illi pro dignitate in veneratione habentur. Fuit autem is annus Chriſti ſexcenteſimus ſexageſimus ſeptimus: quo tempore Deodatus etiamnum in Alſatia morabatur, quem conſtat anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimonono in vallem Galilæam adueniſſe. Nec ab re fuiſſe credendum eſt, Deo deuotiſſimum præſulem tot tamq; precioſis Frãciæ ſuæ prætermiſſis patrocinijs, ſpecialem aram Treuirenſibus poſuiſſe. Poterat ſanè vir Domini Hildulphus, eremiticam ducturus vitam, Arduennæ vaſtiſſimos expetere ſaltus, quemadmodùm alios quoſdam eius vicinos feciſſe conſtat: aut certè Hiſtriæ deſerta repetere, è quibus ad Treuericam ſedem olim raptus fuerat: ſed amore ſingulari chariſſimi Deodati ſui ad noſtrum Voſagum pertractus fuit. Cui ſententiæ ſi quis calumniator opponere ſe velit, priuilegijs vallis Galilçæ facilè ille conuincetur, in quibus multa charitas chariſſimorum patrum noſtrorum luculenter apparet. Et quia hic ſeſe offert opportunitas de antiqua loci eius immunitate aliqua inſeremus.

Cap.13.

In quibuſdam iam ſæpè dicti cœnobij regia & pontificia authoritate firmatis (priuilegijs vel literis) beati patris noſtri Hildulphi nomẽ reperitur præfixum titulis, duodecim ſubſcribentibus Epiſcopis. Inibi ſanctæ compaſſionis vir Archiepiſcopus, immò Patriarcha profitetur ſanctam & compunctam religioſamq; poſtulationem venerabilis viri Deodati Epiſcopi ſuarum aurium intima penetraſſe, & viſcerabili affectu pietatis ita cor ſuum charitatiua petitione emolliuiſſe, vt voluntatem eius libentiſſimè non impleuiſſe, nimis irreligioſum fore putauerit. Conſequenter etiam ibidem annotatur, quoniam ſancti deſiderij ardore ſuccenſus reuerendus Deodatus Epiſcopus, in valle Galilæa, quam ex regis fiſco promeruerat, cœnobia apud Iuncturas, ſicut ſuprà diximus, cõſtruxit primus, vbi monachos vel peregrinos ſub ſanctiſſimorũ patrum Benedicti & Columbani regula, victuros deliberabat collocare deuotus. Cui tandem cõmuni decreto ſanctorum antiſtitum conceditur, vt nullus regum vel principum aut epiſcoporum ſeu quoruncunque clericorum ſuis vſibus audeat aliquando præſurpare quicquam eorum, quæ ad Dei famulos, ibidem ſub Euangelica perfectione degentes pertinere videntur, & quæ ab ipſo patre Deodato Epiſcopo acquiſita fuerint, aut regio munere ſeu reliquorum fidelium collatione, tam in ſacris voluminibus, donarijſq; altaris & eccleſiaſticis ornamentis, q̃ in iis, quæ deinceps ipſi ſerui Dei proprio labore addere potuerint. Et quandocunque ſæpedictus Deodatus, qui nunc eſt pater monaſterij ipſius, à Deo fuerit vocatus, quem illa congregatio ex ſeſe vnanimiter elegerit, ſubrogetur, & ad altaria benedicenda, vel ſacros ordines percipiendos quem voluerint Epiſcopum expetant, nullaque eccleſia abſq; priuilegijs viuens quicquam ſperare vel auferre ab eis præſumat, & nemini niſi inuitatione aut permiſſione totius congregationis liceat monaſterij ipſius ſepta intrare. Quòd ſi quilibet pontificum ab eis communiter poſtulat' pro ipſorum vtilitate acceſſerit, mox ſecundùm voluntatem congregationis expleto ſuo miniſterio abeat, abſque requiſitione vllius muneris: quatenus ſub ſancta regula viuentes, de percepta quiete, iuuante Domino, per tempora exultent, & pro ſtatu Eccleſiæ Catholicæ pleniùs Deum exorent. Si autem aliquam tranſgreſſionem regulæ ſuæ fecerint, & à proprio paſtore obiurgari noluerint, etiamſi Epiſcopus eorum, qui & Abbas, ſeditionem congregationis ſedare per ſe nequiuerit, tunc alios Abbates, eandem regulam profeſſos, ad ipſum monaſterium conuocet, qui ſententia regulari ſcandalum deprimere curent. Quod vtiq; priuilegium infringere auſus, præſentium authoritate præſulum damnatur, & per venerabiles viros Blidoaldum preſbyterum & Iahinum diaconum abſentibus ad ſubſcribendum deſtinatur. Quod & deuotè fuiſſe factum, ſuperiùs eſt dictum. Hactenus eſt iſtud: iamiam quod reſtat agatur.

Conſtruxit S. Deodatus cœnobia in valle Galilæa.

Priuilegia indè monaſterijs conceſſa.

Cap.14.

Igitur currente ſexcenteſimo ſeptuageſimoprimo anno ab incarnato Dei filio, ab aduentu autem domini Deodati ad Galilæam tertio, ſemper imitandus pater Hildulphus Archipræſulatu Treuirorum ſeſe abdicans, & ad moriendum cum Chriſto huic aridæ eremo ſeſe addicens, dulciſſimus vicinus, & paratiſſimus confinis ſuo Deodato acceſſit, Iacobi reuerendiſſimi Leucorũ præſulis adiuuãte ſuffragio. Porrò beati illi ac ſemper memorandi patres noſtri Hildulphus & Deodatus in ſolitudine, vt optarant, vicini effecti, non ſe inertiæ aut deſidiæ dedêre, ſed vigilârunt alacriter erga mutui eiuſque ſynceri amoris cuſtodiam, tanto effecti familiariores, quanto viciniores.

Hildulphus ſeſe abdicat archipręſulatu.

Adiũgitur S. Deodato.

Vt

Vt enim maior exiſtit ſplendor, ſi ignem igni, aut lucernam lucernæ adiungas: ita ſanctis viris ex propinquitate, conſpectu & mutuis colloquijs accreuit charitas. Etſi autem mutua conuerſatione & familiaritate nihil illis eſſet iucundius, at tamen indignũ erat tantos hoſpites, ceu duo mundi clariſſima lumina, intra vnius cellulæ anguſtias latitare, cùm vix caperent ſingulæ ſingulos, maximè quòd poſſent ſinguli plurimos ſecum ad Deum adducere. Itaque ſtatuerunt inter ſe clariſſimi pontifices, dum in hac eſſent vita, ſemel in anno ſeſe mutuò inuiſere, & nocte vna ſimul manere: quam noctem totam ſanctis colloquijs & diuinis laudibus ſolebant inſomnes tranſmittere: manè verò ab inuicem recedere. Diſcipuli autem illorum, ſi quid vellet alter alteri indicatum, inter vtroſque expediebant. Porrò dominus Hildulphus non ita procùl cum ſuis occurrere ſolebat venienti ad ſe domino Deodato & ſocijs eius: cumque manu appræhẽſum ducebat ad orationem more antiquorum patrum, & vt habet inſtitutio beatiſſimi Benedicti Abbatis: fuſaque pariter prece, ſalutabant ſe mutuò cũ gaudio ſpiritali: & tum demũ inuicẽ ſe oſculabantur, & cætera charitatis ac beneuolentiæ officia proſequebantur. Itidẽ faciebat pijſſimus pater Deodatus, veniẽte ad ipſum Hildulpho, cui etiã vltra Mortam amnem pergebat obuiàm cum ſuis. Nam quoad vixit, cellã priorem, quæ erat apud ſancti Martini oratoriolũ, non reliquit. Vir quippe grandæuus erat & iam veteranus atq; emeritus Chriſti miles, nec potuit ferre hominum concurſus, neque externis fratrum laboribus intereſſe: maximè quòd nihil illi iam liberet aliud, quàm vacare & videre, quoniam Dominus ipſe eſt Deus: guſtare & videre, quàm ſuauis ſit Dominus.

Semel in anno ſeſe mutuò inuiſunt.

Militãt ſub Regula ſancti Benedicti.

Fertur autem ſtatura fuiſſe inſigni & procera, forma cumprimis eleganti, animo clementiſſimo. At iam nimio labore & multa ætate confectus, curuus incedebat Nõnunquam tamen adibat fratres operantes, ſingulorumque conſideratis & conſtitutis operibus, ad cellam noctu redibat. Hodieq; monſtratur ſemita, qua ſolebat ire ad monaſterium, quod eſt apud Iuncturas. Beatus verò Hildulphus ſtatura fuit mediocri, vultu angelico, mente valdè compunctus, voluntariæ paupertatis ſtudioſiſſimus: quem promptum & alacrem ad omne opus bonum efficiebat etiamnum virens ſenectus & in Deum ſuſpenſus animus. Nam & in extremis vitę ſuę annis manuum labore victum & veſtitum ſibi comparabat. Et quanuis ætate iunior, vitæ tamen ſanctitate & morum integritate Deodato non inferior. Alter alterum ſibi mutuò præferebat. Humilimus quidẽ Hildulphus caniciẽ in Deodato, Deodatus verò in iuniore Hildulpho patriarchalẽ dignitatem & morũ integritatem venerabatur. Qui tanquã duæ cæleſtis fabricæ columnæ à domino decenter erectæ, ſolido & inflexibili robore mentis, ſic aſſiſtebant ſummo opifici, vt maxima lapidũ congerie ſibi impoſita nõ grauarẽtur. Ipſis enim dulce erat & delectabile, gregi ſibi cõcredito attendere, infirmitates, onera & puſillanimitates patientiſſimè ſuſtinere, vt ſua ſpirituali biga eum ad cæleſte ædificium tranſueherent. Putares ſanctos Patres illos gallinas eſſe intellectuales & Euangelicas, quæ pullos ſuos meritorum alis & orationum roſtris ab inuiſibiliũ miluorum rapacitate ſubtrahebant & tuebantur, manibus pedibuſq; illis alimoniam ſuppeditabant. necnon frigidos eorum, exemplorum plumis calefaciebãt artus. Satagebant interim extra nidũ proprias extendere pennas, & alter alterius ſubuenire neceſſitatibus facti ſunt cũ infirmis infirmi, vt infirmos lucrifacerent: Omnibus omnia facti, vt omnes ſaluos facerent. Vixêre præterea ad tempus ſoliciti, vt eorũ filij aliquando forent ſecuri. Nec piguit eos laboris, quò ſancto eorũ ſucceſſores vacarent ocio. Hoc opus, eorũ ſtructuræ, hoc ſtudiũ, eorũ exigebant fugæ, ac potiſſimũ B. Patris noſtri Deodati, qui tot loca ſibi magno labore cõſtructa mutauit, donec filijs ſuis aptã & quietã ſedẽ inueniret.

Cap. 15.

S. Deodatus ſtatura procerus.

S. Hildulphus mediocris.

Deodatus & Hildulphus duæ columnæ.

Item duæ gallinæ Euangelicæ.

1. Cor. 9.

Igitur Deo digniſſimi Antiſtites ſpirituali inſudantes operi, nullatenus à recto deuiabant itinere, quotidiè de virtute in virtutem progredientes. Etenim tanto reddebantur alacriores ad laborem, quanto viciniores properabant ad requiem. Nec ſentiebant in Chriſti vinea pondus diei & æſtûs, quibus iam inſtabat veſpera, vt redderetur nummus. Tandem poſtquàm in iſta voſago, hæc ſancta Dyas, & veræ ſanctitatis ac virtutum biga Deodatus & Hildulphus ſeptem annis cum ſex mẽſibus habitâſſent vnà: largus remunerator Deus ſtatuit B. Deodato laborum ſuorum reddere mercedem, qui iam percurſo vitæ ſtadio tanquam ſtrenuus athleta reſpiciebat in remunerationis brauiũ. Quare vocatus à Domino, languore correptus decubuit lectulo, quod cùm abſentibus diſcipulis nunciatũ eſſet, accurrũt mœſti & triſtes, magiſtriq; grabato aſtantes, ne tã dulcis ac neceſſarius pater filios deſereret, cõmuni eiulatu deprecabantur. Quos ille verbo ſalutari inſtruens cõpeſcebat, atq; ad ſanctę regulę ordiniſq; obſeruan-

Cap. 16.

S. Deodatus & Hildulphus Dyas & biga virtutum.

Infirmatur S. Deodatus.

ſeruantias exhortatus eſt. Quibus dictis, ſeſe Deo & eorum precibus humiliter commendauit. Intereà ſancti viri exitum iam inſtare S. Hildulphus in viſu noctis diuinitùs edoctus eſt: qui vt euigilauit, ad beatum quantocyùs properauit, ſicut à Domino ei imperatum fuerat. Quem poſtquam adhuc viuum reperit, eidem omnia eccleſiæ ſacramenta adminiſtrauit. Decebat enim, vt amicus amico ad ſuperna præcedenti extremùm valediceret, viaticum præberet, & eccleſiaſticam conferret ſepulturã. Cuius præſentia vir ſanctus recreatus, ac vehementer in Domino gauiſus eſt, qui ſuo cõmilitoni Hildulpho exitûs ſui diem reuelare dignatus fuerat. Nec mora, diſceſſurus ab hac lachrymarum valle B. Deodatus, ad ſuſcipiendum regimen ouium, quas ibidẽ hactenus verbo & exemplo enutriebat, ſuperſtitem amicum compulit, diſcipulisq; mandauit, vt eundem Hildulphum læti ſuſciperent, & quandiù viueret ſolicitè retinerent. Cuius

Defungitur vita S. Deodatus.

deſiderio ac pijs votis cùm diſcipuli & B. Hildulphus annuerent, inter aſtantium manus ſanctam animam, multis Deo commendatam precibus, continuis laboribus pro Dei honore & iuſtitia elimatam, & multis virtutibus adornatam, efflauit, ac in manus Dei cõmendauit, quem facie ad faciem ſine fine videre promeruit. Mortuus eſt igitur

Eccl. 30.

Pater noſter Deodatus, & quaſi (vt in Eccleſiaſtico ſcribitur) nõ eſt mortuus. ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo: in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis. Reliquit enim defenſorem domui ſuæ contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

Cap. 17.

Tranſijt autem de morte ad vitam, de exilio ad patriam S. Deodatus, 13. Calen. Iulij, quæ tunc erat dies Dominica anni ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimi ſeptuageſimi noni, indictione ſeptima: Ab ingreſſu verò eius in hanc Vallem Galilæam anni vndecimi: Regnante Theodorico Clodouei filio, fratreque Childerici, ſub quo peſſimus apoſtata Ebroinus excellentiſſimum martyrem Leodegarium Epiſcopũ, varijs tormentis vexatũ, capitali damnauit ſupplicio. Omni ergo reuerẽtia ſacrum funus à diſcipulis portatur ac eccleſiam beatæ Dei genetricis Mariæ, ibiq; pro eo immolata ſalutari hoſtia à deuotiſſimo Archipræſule, ſepulturæ commendatur, expletis de more & ritu Eccleſiæ ſolitis exequijs. Et quanuis aquoſum erat cæmeterium prioris eius monaſterij vtpotè ſitum in conualle, oportebat tamen tanti precij corpus in præſentia fratrum quotidianas laudes & preces perſoluentium quieſcere, vt eius frequens haberetur memoria. O quantus tunc luctus monachorum, dum viderent tam fideli paſtore ſe eſſe orbatos? qui quanuis non erat deflendus, cohibere tamen nequiuerant lachrymarum inundantiam, quas non impetus carnis, ſed ſpiritus eliciebat à præcordiorum intimis. Cupiebant enim cum ipſo diſſolui & regnare cum

S. Leodegarius Epiſcopus & martyr.

Sepelitur S. Deodatus

Philip. 1.

Chriſto in gloria, maximè cùm perpenderent ſe in luctu remanſiſſe, nec hic manentem ciuitatem in tempore, ſed futuram eſſe inquirendam in æternitate. Itaque vir Dei S. Hildulphus ſic obtemperauit extremis votis defungentis amici, vt vigintiocto annis & ampliùs (quibus ipſe ſuperuixit) eius præeſſet relicto gregi per præpoſitos adminiſtrans neceſſaria ipſi domui. Et quanuis ſui loco Abbatem propriæ congregationi in ſaltu Voſago præfecerat, (propterea quòd deſiderio ſupernæ contemplationis accenſus, exterioribus negocijs occupari refugeret) vallem tamen Galilæam à ſua cura non abiecit, quandiù in mortali degebat corpore: vis enim perfecti amoris erga ſanctiſſimum Deodatum eum coëgit, vt laboris & curæ non pœniteret. Non enim grauabatur ſuſcipere aliena, qui præ laſſitudine alijs commendabat ſua. Dicebat enim apud ſeipſum: Qua fronte adibis amicum, ſi mandatum eius vltimum refutaueris? Pro cuius perenni vita in cælis & gloria, primo depoſitionis illius anno cœnobium vallis Galilææ multoties adire ſolitus erat, frequentans ad ſacrum corpus Miſſarum ſolennia, diſcipuloſq; ſuſceptos conſolans, ac in ſancto propoſitio ſui inſtituti confortans.

Præeſt conuentui S. Deodati annis 28. Hildulphus.

Cap. 18.

Elapſo tandem anno à glorioſo obitu D. Deodati, in quo beatus Patriarcha Hildulphus aſſidua viſitatione monachos, & frequenti immolatione ſalutaris hoſtiæ defuncti curabat prodeſſe ſpiritui: priſtinam deinceps inſtitutionem reſumpsêre fratres vtriuſq; loci. Et quemadmodùm ſemel in anno venerandi Antiſtites mutuas ſolebãt frequentare cellas: ita poſteà ſtuduêre facere eorum diſcipuli. qui viro Dei Hildulpho vallem Galilæam inuiſenti, loco patris ſui Deodati occurrentes, offerebant Magiſtri ſui tunicam, quam ille reuerenter ſuſceptam, tanquam digniſſimum pignus amici exoſculatus & amplexatus eſt, & quaſi in noua veſte viuentem intuens, ſanctitatem eius veneratus eſt. nam quicquid adorationis impendebat inſenſibili tunicæ, id ſuo chariſſimo Deodato feciſſe arbitrabatur, cuius efficacibus meritis ſeipſum adhuc in ſtadio

Tunicam S. Deodati quanti fecerint diſcipuli eius.

dio huius vitæ decertantem, atq; in ſpiritali palæſtra deſudantem, ſuſtentari inter dulcia ſuſpiria credebat & precabatur.

Cùm iam ſancti viri temporalis vita in multos annos Deo diſponente, tenderetur, quatenus eius exemplo plurimi ad ſpiritualem vitam prouocarentur & excitarentur, factum eſt, vt circa vltimos vitæ ſuæ annos multo ſenio fractus, frequentiq; labore & cura domeſtica debilitatus, cellã ſuam ſolitæ viſitationis gratia egredi nõ valeret: non tamen deſtiterunt S. Deodati diſcipuli pro more, magiſtri ſui tunicam eidem offerre, ne dulcis eius intermoreretur memoria. Igitur cùm diuina miſeratio glorioſum ſuũ militem Hildulphum ab huius ſeculi fluctuoſo mari ad portum ſalutis æternæ vocare ſtatuiſſet, per dilectum ſuum Deodatum dignatus eſt eidem tranſitûs ſui diẽ denunciare, quatenus is vtrique monaſterio de bono Paſtore prouidere ſatageret. Vnde vir ſanctus plurimùm in Domino gauiſus eſt, quòd ab hac lachrymarum valle ad perpetuæ conſolationis tranquillitatem mox erat aſſumendus, vbi omnis lachryma ab oculis eius abſtergeretur. Itaq; proprijs ſui monaſterij fratribus deſignato Abbate domino Raimberto, vallis autem Galilææ domino Marcinanno, feliciter obdormiuit in Domino, ab incarnatione Ieſu Chriſti anno ſeptingenteſimo ſeptimo.

Cap. 19. *Apparet B. Hildulpho S. Deodatus* *Moritur S. Hildulphus.*

Intereà à deuotiſſimis diſcipulis inuiolabiliter fuit obſeruatum, quod à prudentiſſimis Magiſtris fuit inſtitutum: videlicet, vt ſemel in anno mutuas inuiſerent cellas, tanquam præcipua pignora præferendo ſanctorum Patrum ſuorum tunicas. Siquidem monachi S. Hildulphi, ipſius tuniam retinuerant ſibi, ſicut & monachi vallis Galilææ, S. Deodati. In quorum delatione tanta veneratio exhibebatur, vt dulciſſimi Patres ad filios rediſſe poſt longa ſeculorum volumina crederentur. Quòd ſi (peccatis exigentibus) cæleſtis ira in populum graſſaretur, & ſiccitate nimia, vel imbrium continua refuſione, aut peſtilentia, ſeu qualicunq; plaga plebs feriretur, mox hinc inde conglobata tunicas patronorum ſuorum cum lachrymis & orationibus offerebat & ingerebat diuinis obtutibus: & amota eſt plaga. nã contra deſæuientis flagelli impetum tantũ valebant ſanctorum merita & populi fides, vt ſine mora miſericordiſſimus Deus iuſti iudicij ſui ſeueritatem à plebe cohiberet, atq; optatę miſericordiæ conſolationẽ ei diſtillaret. Quæ quidem conſuetudo tam religioſa ac pia integerrimè inter hæc duo cœnobia cõſeruata eſt, donec ſancta corpora plurimis miraculis exornata ſubleuarẽtur de terræ gremio. Quocircà ſicut tunc ſolebant diſcipuli Magiſtrorum tunicas offerre, ita nunc eorum poſteri corpora ſanctorum ſuſcipiunt & animarum exuuias, quorum per merita pax nobis nunc & in æuum, Amen.

Cap. 20. *Imitantur maiorum inſtituta ſequaces diſcipuli.* *Vide quantæ fuerint virtutis ſanctorum tunicæ.*

Sufficiãt igitur hæc religioſis animis, quæ pauperculo ſermone curſim explicuimus, de piiſſimi Patris noſtri Deodati geſtis, vix attingentes pauca de innumeris, minima de maximis, quibus clementia Dei in terris ſanctum ſuum glorificauit pro vitę ſuæ meritis. Cæterùm tot & tantis quotidiè miraculis venerabile corpus eius nobilitatur, vt vix ad conſcribendum ea ſufficiat calamus, nec aliquis poſſit habere dubium, quin ſpiritus eius inter ſuprema regnet angelorum agmina.

Concluſio Authoris.

MARTYRIVM ILLVSTRE S. ALBANI MARTYRIS ANGLIAE, QVEM PLERIQVE ALBINVM VOcant: *ex Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum Bedæ lib. 1. Cap. 6. & 7.*

ANNO incarnationis Dominicæ ducenteſimo octogeſimoſexto, Diocletianus triceſimustertius ab Auguſto Imperator, ab exercitu electus, annis viginti fuit, Maximianumque, cognomento Herculeũ, ſociũ creauit imperij: & Diocletianus quidem in Oriente, Maximianus autẽ Herculeus in Occidente vaſtari eccleſias, affligi, interficique Chriſtianos, decimo poſt Neronem loco, præceperunt. Quæ perſecutio omnibus ferè anteactis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendijs eccleſiarum, proſcriptionibus innocentum, cædibus martyrum inceſſabiliter acta eſt. Deniq; etiam Britanniam cum plurima confeſſionis Deo deuotæ gloria ſublimauit.

22. Iunij. Ex cap. 6. *Perſecutio Eccleſiæ immaniſſima.*

Siquidem in ea paſſus eſt S. Albanus, de quo perſbyter Fortunatus in laude virginum, *Cap. 7.*

num, cùm beatorum martyrum, qui de toto Orbe ad Dominum venirent, mentionē faceret, ait:

Albanum egregium fœcunda Britannia profert.

Albanus vt fuerit conuerſus. Qui videlicet Albanus paganus adhuc, cùm perfidorum principum mandata adverſum Chriſtianos ſæuirent, clericum quendam, perſecutores fugientem, hoſpitio recepit: quem dum orationibus continuis ac vigilijs diù noctuq; ſtudere conſpiceret, ſubitò diuina gratia reſpectus, exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari: ac ſalutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Chriſtianus integro ex corde factus eſt. Cumq; præfatus Clericus aliquot diebus apud eum hoſpitaretur, peruenit ad aures nefandi principis, confeſſorē Chriſti, cui necdum fuerat locus martyrij deputatus, penes Albanum latere. Vnde ſtatim iuſſit milites diligentiùs eum inquirere. Vltrò ſe offert ad mortem. Qui cùm ad tugurium martyris perueniſſent, mox ſe S. Albanus pro hoſpite ac magiſtro ſuo, ipſius habitu, id eſt, caracalla, qua veſtiebatur, indutus, militibus exhibuit, atque ad iudicem vinctus perductus eſt.

Contigit autem iudicem ea hora, qua ad eum Albanus adducebatur, aris aſſiſtere, ac dæmonibus hoſtias offerre. Cumq; vidiſſet Albanū, mox ira ſuccenſus nimia, quòd ſe ille vltrò pro hoſpite, quem ſuſceperat, militibus offerre ac diſcrimini dare præſumpſiſſet, ac ſimulacra dæmonum, quibus aſſiſtebat, eum iuſſit pertrahi: Quia rebellē inquiens, ac ſacrilegum celare, quàm militibus reddere maluiſti, vt contemptor diuûm meritam blaſphemiæ ſuæ pœnam lueret, quæcunq; illi debebantur ſupplicia, tu ſoluere habes, ſi à cultu noſtræ religionis diſcedere tentas. Conſtantia eius. At S. Albanus, qui ſe vltrò perſecutoribus fidei Chriſtianum eſſe prodiderat, nequaquam minas principis metuit: ſed accinctus armis militiæ ſpiritualis, palàm ſe iuſſis illius parere nolle pronunciabat. Tū Iudex: Cuius, inquit, familiæ vel generis es? Albanus reſpōdit: Quid ad te pertinet, qua ſim ſtirpe genitus? Sed ſi veritatem religionis audire deſideras, Chriſtianum iam me eſſe, Chriſtianiſq; officijs vacare cognoſce. Ait iudex: Nomen tuum quæro, quod ſine mora mihi inſinua. At ille: Albanus, inquit, à parentibus vocor, & Deum verum ac viuum, qui vniuerſa creauit, adoro ſemper & colo. Tum iudex repletus iracundia, dixit: Si vis perennis vitæ felicitate perfrui, dijs magnis ſacrificare ne differas. Albanus reſpōdit: Sacrificia hæc, quæ à vobis redduntur dæmonibus, nec auxiliari ſubiectis poſſunt, nec ſupplicantium ſibi deſideria vel vota cōplere: Quinimmò quicunq; his ſacrificia ſimulacris obtulerit, æternas inferni pœnas pro mercede recipiet.

Verberibus afficitur. His auditis, iudex nimio furore commotus, cædi ſanctum Dei confeſſorem à tortoribus præcepit, autumans ſe verberibus, quam verbis non poterat, cordis eius emollire poſſe conſtantiam. Qui cùm tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, immò gaudenter ferebat. At vbi iudex illum tormētis ſuperari, vel à cultu Chriſtianæ religionis reuocari non poſſe perſenſit, capite eum plecti iuſſit. Cumq; ad mortem duceretur, peruenit ad flumen, quod muro & arena, vbi feriendus erat, meatu rapidiſſimo diuidebatur. Viditq; ibi non paruam hominum multitudinem vtriuſq; ſexûs, conditionis diuerſæ & ætatis, quæ ſine dubio diuinitatis inſtinctu ad obſequium beatiſſimi cōfeſſoris ac martyris vocabatur, & ita fluminis ipſius occupabat pontem, vt intra veſperam trāſire vix poſſet. Deniq; cunctis penè egreſſis, iudex ſine obſequio in ciuitate ſubſtiterat. Igitur S. Albanus, cui ardens inerat deuotio mentis ad martyrū ocyùs peruenire, acceſſit ad torrentem, & dirigēs ad cælum oculos, ilicò ſiccato alueo, Inſigne miraculum. vidit vndam ſuis ceſſiſſe ac viam dediſſe veſtigijs. Quod cùm inter alios etiam ipſe carnifex, qui eum percuſſurus erat, vidiſſet, feſtinauit ei, vbi ad locum deſtinatum morti Carnifex credit. venerat, occurrere: diuino nimirùm admonitus inſtinctu, proiectoq; enſe, quem ſtrictum tenuerat, pedibus eius aduoluitur, multùm deſiderans, vt cum martyre, vel pro martyre, quem percutere iubebatur, ipſe potiùs mereretur percuti.

Dum ergo is ex perſecutore factus eſſet collega veritatis & fidei, ac iacente ferro, eſſet inter carnifices iuſta cunctatio, montem cum turbis reuerendiſſimus Dei confeſſor aſcendit: Qui opportunè lætus gratia decentiſſima, quingentis ferè paſſibus ab arena ſitus eſt, varijs herbarum floribus depictus, immò vſquequaq; veſtitus: in quo nihil repentè arduum, nihil præceps, nihil abruptum, quem lateribus longè lateq; deductum, in modum ęquoris natura cōplanat: dignum videlicet eum pro inſita ſibi ſpecie venuſtatis iam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur. In huius ergo vertice S. Albanus dari ſibi aquam à Deo rogauit: ſtatimq; incluſo meatu, ante pedes eius Fontem impetrat precibus ſuis. fons perennis exortus eſt, vt omnes agnoſcerent, etiam torrentem martyri obſequiū detuliſſe. Neq; enim fieri poterat, vt in arduo montis cacumine martyr aquam, quam in flu-

in fluuio non reliquerat peteret, ſi hoc opportunum eſſe nō videret. Qui videlicet fluuius, miniſterio perſoluto, deuotione completa, officij teſtimonium relinquens, reuerſus eſt ad naturam. Decollatus itaque martyr fortiſſimus ibidem, accepit coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Sed ille qui pijs ceruicibus impias intulit manus, gaudere ſuper mortuum non eſt permiſſus. Nam oculi eius in terram vnà cum beati martyris capite deciderunt. Capite truncatur. Pœna percuſſoris.

Decollatus eſt ibi etiam tum miles ille, qui anteà ſuperno nutu correptus, ſanctum Dei confeſſorem ferire recuſauit. De quo nimirùm conſtat, quia etſi fonte baptiſmatis non eſt ablutus, ſui tamē eſt ſanguinis lauacro mundatus, ac regni cęleſtis dignus factus ingreſſu. Tunc iudex tanta miraculorū cæleſtium nouitate perculſus, ceſſari mox à perſecutione præcepit, honorem referre incipiens cædi ſanctorum, per quam eos opinabatur priùs à Chriſtianæ fidei poſſe deuotione ceſſare. Paſſus eſt autem beatus Albanus die decimo Calendarum Iuliarum iuxta ciuitatem Verolanium, quæ nūc à gēte Anglorū Vuerlamaceſtir ſiue Vuarlingaceſtir appellatur: vbi poſtea, redeūte temporum Chriſtianorum ſerenitate, eccleſia eſt mirandi operis, atque eius martyrio cōdigna, extructa. In quo videlicet loco vſq; ad hanc diem, curatio infirmorum, & frequentium operatio virtutum celebrari non deſinit. Paſſi ſunt ea tempeſtate Aaron & Iulius Legionum vrbis ciues, alijque vtriuſq; ſexûs diuerſis in locis perplures: qui diuerſis cruciatibus torti, & inauditi membrorū diſcerptione lacerati, animas ad ſupernę ciuitatis gaudia perfecto agone miſerunt. Hactenus Beda. Eccleſia S. Albani Miracula.

Hodiè beatiſſimi martyris huius Albani ſacræ reliquiæ Coloniæ in monaſterio S. Pātaleonis religioſè aſſeruantur. Latuerat illic aliquandiù præclarus theſaurus, in quodam non magni precij & qui eius dignitati minùs congrueret, loculo cōditus: at tamen crebra miraculorum ſigna præſentiam martyris & efficaciam perſpicuè declarare videbantur. Itaque cœpit proferri in publicum & palam innoteſcere, quod diù fuerat in occulto. At vbi res innotuit Anglis, conſtanter illi aſſerere non dubitârunt, S. Albanum martyrem apud ipſos ortum & paſſum & conditum, eam, quam ſuo ſanguine illuſtrâſſet inſulam, nequaquam reliquiſſe, ſed in ea ſemper permāſiſſe. Ea occaſione is, qui per id tempus apud S. Pantaleonem Abbatis fungebatur officio, communicato cū fratribus ſui monaſterij conſilio, cū ſacræ beati martyris reliquiæ iam trecētis & quinquaginta annis in ipſorū eccleſia quieuiſſent, atque ab ipſius martyrio mille & eo amplius anni fluxiſſent, ad loculum cum ingenti deuotione & reuerentia acceſſit, eoque aperto videt ipſe, vident & cæteri fratres non ſine multa admiratione multiſque lachrymis, magna omnipotentis Dei virtute, clariſſimi martyris corpus tot ſeculis incorruptun conſeruari, lætanturque ſingulari Dei beneficio tanti theſauri ſe compotes fieri poſſe. S. Albani corpus incorruptum poſt mille annos.

Vt autem certiùs de rei veritate cōſtaret, & fideliū deuotio excitaretur, è loculo venerandas extulêre reliquias, & vt Deus laudaretur in ſancto ſuo, publicè eas ad ſpectandas propoſuêre: ac deinde in thecam aliam, auro argentoque & lapidibus precioſis, quantùm eorum ſinebāt facultates, ornatam repoſuêre, in qua hodieq; reſeruantur. Tam autem recentes videbantur, ac ſi nō ita pridem pro Chriſto cæſus eſſet inclytus martyr. Caput enim cum barba, ceruicem etiānum ſaguinolentam, brachia & manus, ſcapulaſq; pelle & carne tectas, pectus cū cratibus laterum, deniq; ſpinam dorſi cū renibus inuenerunt. Pannus etiam, quo ſacrun corpus trecentis & quinquaginta annis obuolutum fuerat, inſtar niuis candidus & planè incorruptus erat. Cùm autem hæ ſacræ reliquiæ ita oſtenderētur, multi paralytici, claudi, curui, contracti, humi reptantes, gibboſi, cæci, muti, dæmoniaci, manci, febricitantes, alijſq; diuerſis affecti morbis, non pauci etiam mortui & in aquis extincti, quorum omnium numerus quingentos excederet, curati ſunt: vt nihil dicamus de iumentis, quibus æquè eſt reſtituta ſanitas. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Miracula ad eius reliquias.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1327. ſub Philippo Colonienſi Archiepiſcopo, & Henrico Abbate. Sed nec hodiè ſancti martyris beneficijs fraudantur, qui humiliter ac piè incorruptas etiamnum corporis eius reliquias inuiſunt, & ſupplices ei preces offerunt.

VITA S. PAVLINI NOLANI EPISCOPI, AVTHORE VRANIO PRESBYTERO, VT HABET *egregius MS. codex.*

PROLOGVS AVTHORIS.

DOmino illuſtri & in Chriſto meritò venerabili Pacato, Vranius preſbyter: Literis nobilitatis tuæ iterata vice ſolicitor, vt tibi obitū S. Paulini fideliter referam. Faciam quidem quod præcipis, ſed timeo, ne nō tam efficaciter vt vis, faciam, quod facere cupio. Tamē quia iubere dignaris, fideliter & ſine mendacio faciam. Noui etenim melius eſſe linguā ſilentio premere, quàm ad peccatum animæ falſa narrare, dicente ſcriptura: Os, quod mentitur, occidit animam. Et ideò venerationem tuā plurimùm quæſo, vt imperitiæ meæ veniam dare digneris. Alioquin ſi tibi ſermonis mei vilitas cœperit diſplicere, nō mihi, ſed tibi rectiùs imputabis, qui aquam puriſſimi fontis à cœnoſo riuulo poſtulâſti. ſed hæc breuiter dicta ſint. Nūc autem veniamus ad ea, quæ tibi, qui vitam eius verſibus illuſtrare diſponis, dicendi materiam ſubminiſtrent.

Sap. 1.

HISTORIA.

Iunij 22. Cap. 1. S. Paulini patria.

IGITVR S. Paulinus Epiſcopus Burdegala oppido Galliarum oriundus fuit, ſed in Campania apud beatiſſimum Felicem confeſſorem glorioſo fine defunctus atque ſepultus eſt. Eius vitam ex merito mortis agnoſcimus, cuius & mortem de conuerſatione vitæ probamus. Denique cùm ante triduum, quàm de hoc mundo ad cæleſte habitaculum vocaretur, cùm iam de ſalute eius omnes deſperâſſent, & duo ad eum Epiſcopi viſitandi ſtudio conueniſſent, id eſt, S. Symmachus & Benedictus Hyacinthinus, ita in eorum aduentu recreatus atque refectus eſt, vt oblita omni carnali infirmitate, totum eis atque angelicum exhiberet affectum. Et quaſi profecturus ad Dominum, iubet ſibi ante lectulum ſuum ſacra myſteria exhiberi, ſcilicet vt vnà cum ſanctis Epiſcopis oblato ſacrificio animam ſuam Domino commendaret: ſimul etiam eos, quos pro diſciplina Eccleſiaſtica à communione ſacri miniſterij extorres eſſe præceperat, ad pacem priſtinam reuocaret.

Sub morte vult ad lectulum ſuū Miſſam celebrari.

Cap. 2. Et cùm hæc omnia ſanctus Epiſcopus læto atque perfecto ordine celebrâſſet, ſubitò clara voce interrogare cœpit, vbi eſſent fratres ſui. Tunc vnus ex circunſtantibus, qui putauit, quòd fratres ſuos, id eſt, Epiſcopos, qui tunc aderant, quæreret, ait illi: Ecce hi ſunt fratres tui. At ille: Sed ego nunc fratres meos Ianuarium atq; Martinum dico, qui modò mecum locuti ſunt, & continuò ad me venturos ſe eſſe dixerunt. E quibus Ianuarius Epiſcopus ſimul & martyr, Neapolitanæ vrbis illuſtrat eccleſiā: Martinus autem, vir per omnia Apoſtolicus, cuius vita ab omnibus legitur, Galliarū Epiſcopus fuit. Et his dictis, extenſis ad cælum manibus, hunc pſalmum Domino decantauit, dicens: Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Deinde collecta oratione, commonitus eſt à ſancto Poſthumiano preſbytero, quòd pro veſtimentis, quę pauperibus fuerant erogata, quadraginta ſolidi deberentur. Quod cùm audiſſet S. Paulinus, leuiter ſubridens, ait: Securus eſto fili: crede mihi, quia non deerit qui debitum pauperū ſoluat. Et ecce non longa interpoſita mora, ingreditur quidam preſbyter, de Lucaniæ partibus veniens, miſſus à ſancto Epiſcopo Exuperantio, ſiue à viro clariſſimo fratre eius Vrſatio, qui ei per ipſum nuncium muneris gratia quinquaginta ſolidos miſerant. Quos cùm accepiſſet S. Paulinus, benedixit Dominum dicens: Gratias ago tibi Domine, qui non derelinquis ſperantes in te. De his autem quinquaginta ſolidis ipſe preſbytero, qui eos exhibuerat, manu ſua * duos dedit: reliquos verò negociatoribus, qui veſtimenta pauperibus dederant, reddi mandauit.

Pſal. 120.

Inſignis eius in Deū fiducia.

for. * decem

Cap. 3. Inter hæc autem, cùm iam nox diei ſucceſſiſſet, vſq; ad mediam noctem paululùm quieti

quieti conceſſit, donec crudeſcente dolore, qui lateri eius nimius inerat, grauaretur excitatus, multiſque etiam ex ſuperfluo archiatrorum vſtionibus fatigatus, vſque ad quintam horam noctis laſſum atque anhelum pectus duxit. Deinde adueniente luce, conſuetudinem ſuam vir ſanctus agnouit. Itaque, vt ſolebat, excitatis omnibus, matutinum ex more & ordine celebrauit. Facta autem die, presbyteris & diaconibus atque omnibus clericis exemplo Dominico pacem hæreditariam prædicauit. Transactis autem his, tacitus vſq; ad veſperam perdurauit. Deinde quaſi ex ſomno excitatus, lucernariæ deuotionis tempus agnoſcens, extenſis manibus, lenta licet voce, Paraui lucernam Christo meo, decantauit Domino. Tunc deinde facto aliquandiù ſilentio, circa horam quartam noctis, omnibus qui aderant, ſolicitè vigilantibus, ſubitò tam ingenti cellula eius terræmotu concuſſa eſt, vt hi, qui lectulo eius aſſiſtebant, exterriti atque turbati ad orationem ſe iactarent, nihil tamen ſcientibus his, qui pro foribus conſiſtebant. Neque enim publicus ille, ſed priuatus in cellula fuerat terræmotus. Nam ille angelicis ſuſceptus manibus, debitum Deo ſpiritum exhalauit. Vidimus, fili chariſſime, vidimus, & inter lachrymas atque ſingultus vidiſſe gaudemus: vidimus quomodo tollitur iuſtus, & nemo intelligit, & viri iuſti tolluntur, & nemo conſiderat. Neque vlli Christianorum incredibile debet videri, ſi in tranſitu S. Paulini vnus angulus ſpecialiter terræmotu concuſſus eſt, in cuius obitu totus penè orbis ingemuit. Et ſanè quis locus eſt in orbe terrarum tam remotus aut abditus, quem tranſitus domini Paulini nõ commoueret? Aut quis Christianæ religionis ita alienus effectus eſt, qui audita morte eius non planxerit? Fleuit planè Eccleſia, quòd talem ſacerdotem amiſit: ſed exultat paradiſus, quòd talem ſanctum ſuſcepit. Plangunt populi, ſed lætantur angeli. Gemunt prouinciæ hominum, ſed gaudent loca ſanctorum, ad quæ quotidiè euolare cupiebat, cùm diceret: Quàm amabilia ſunt tabernacula tua Domine Deus virtutum? concupiuit & defecit anima mea in atrijs tuis.

Iohan. 20. — *Pſalm. 131.* — *Mirus terræ motus.* — *Spiritũ feliciter reddit* — *Eſa. 57.* — *Pſalm. 83.*

O virum ſanctum & omnium ore laudabilem: qui ſic vixit, vt non ſolùm ſibi, ſed etiã omnibꝰ viueret. Et ideò quia multis vixit in hoc ſeculo, nũc ſibi viuit in Christo. Et tamen non ſibi tantùm, ſed etiam nobis, qui quotidiè orat pro nobis. Lucerna fuit ardens in domo Dei, non ſub modio poſita, ſed ſupra candelabrum conſtituta, ita vt etiam multas lucernas ſuo præclaro lumine redderet luminoſas. Suauis enim & mitis fuit, etiam cùm in ſuperbia ſeculi verſaretur. Cùm autem ad Christum conuerſus eſt, aperuit horrea ſua pauperibus, apothecas ſuas aduenientibus patefecit. Nam parùm ei erat proximos alere, niſi etiam vndique euocaret, quos paſceret atq; veſtiret. Quantos iniquè oppreſſos erexit? quantos captiuos redemit? quantos intricatores debiti, à creditoribus ſuis reddita pecunia liberauit? Vna ſcilicet negociatione & planctu debitores multos exterſit, & creditorum gaudia reparauit.

Cap. 4. — *Sãcti in cœlis orãt pro nobis.* — *S. Paulini liberalitas in pauperes*

Cùm autem ad ſummum ſacerdotij gradum prouectus eſt, noluit ſe talem exhibere Epiſcopum, qui ab aliquo timeretur: ſed talem ſe reddidit ſacerdotem, qui ab omnibus amaretur. Nunquam ſic iratus eſt, vt non in ira miſericordiæ memor eſſet. Neq; enim poterat vir ille iraſci, qui cõtumelias deſpiciebat, & odia vitabat. Nunquam in iudicio ſine miſericordia ſedit: quia nouerat miſericordiã meliorem eſſe, quàm ſacrificium: veſtiẽdum eſſe omne Christianorum iudicium, dicente venerabili ſcriptura: Miſericordiam & iudicium cãtabo tibi Domine. Iuſtitiam quoq; benignioribus, reis verò miſericordiam fecit. Spiritus ſanctus quãtùm æquitati & iuſtitiæ fauet, tantùm ſuis gratiam pietatis, qui benignus eſt, indulget. Et ideò tenebat rigorem in examinatione iuſtitiæ, miſericordiam autem in definitione ſententiæ proferebat.

Cap. 5. — *Oſee 6.* — *Pſal. 100.*

O admirabilem virum, atque omnium virtutum laude cenſendum. Hic etenim omnium Patriarcharum exempla ſecutus fuit, fidelis videlicet vt Abraam, credulus vt Iſaac, benignus vt Iacob, munificus vt Melchiſedech, prouidus vt Ioſeph, rapax vt Beniamin. Rapuit enim diuitibus, & pauperibus erogauit: & tamen plùs diuitibus quàm pauperibus profuiſſe cognoſcitur: quia pauperibus in hoc ſeculo profuit, diuitibus in futuro prouidit. Ergo, vt dicere cœperam, fuit manſuetus vt Moyſes, ſacerdotalis vt Aaron, innocens vt Samuel, miſericors vt Dauid, ſapiens vt Salomon, Apoſtolicus vt Petrus, amabilis vt Iohannes, cautus vt Thomas, doctor vt Paulus, videns vt Stephanus, feruens vt Apollo. De ſolicitudine autem & cura eccleſiarum, in fide & charitate omnes Apoſtolos & Epiſcopos imitatus eſt. Hæc omnia in ſe habuit, hæc à tempore conuerſionis ſuæ fideliter cuſtodiuit. Et ideò cùm de hoc corpore ad cæleſte habitaculum vocaretur, ſicut inferiùs doluit terra, ita ſuperiùs lætatum eſt cælum: fleuit caro, ſed ſpiritus gloriatur. Denique non ſolùm Christiani, ſed etiam

Cap. 6. — *Catalogus virtutum eius.*

Etiã Iudæi & ethnici plangunt mortē eius.

Iudæi atque pagani in fletu, ſciſſis etiam veſtibus, ad domini Paulini exequias conuenerũt. Ereptum ſibi patronum, defenſorem, tutorem vnà omnes nobiſcum voce plãxerunt.

Cap. 7.

Et verè talis erat, vt ab omnibus amaretur. Vixit enim cunctis in exemplum acquirendæ ſalutis, & in refrigeriũ conſolationis. Neq; enim ſolius hæc mea vox eſt. Teſtes etiã barbaræ nationes ſunt, ad quas fama domini Paulini peruenerat. Nec immeritò ab omnibus amabatur, qui aderat omnibus. Quem enim iacentem non ſua dextera erexit? Quem interpellantem ſe, non pia voce conſolatus eſt? Erat enim pius, miſericors, humilis & benignus, nullum ſpernens, nullum deſpiciēs. Omnibus tribuebat, omnibus indulgebat. Animabat trepidos, mitigabat violentos. Hos verbis, illos ædificabat exemplo. Alios epiſtolis, alios ſumptibus adiuuabat. Nullas opes, nullas diuitias, niſi quas ſanctis ſuis Chriſtus promiſerat, mirabatur. Aurum atque argentum, & cætera ſic definiebat, vt ea ſibi ad largiendum liberalitas, non ad retinendum cupiditas, vendicaret. Et vt breuiter dicam, omnia bona in ſe habuit, quia Chriſtum amauit. Habuit enim fidem, manſuetudinem, curam proximorum, iugem pro miſeris ſolicitudinem, compaſſionem pro infirmis, nihil aliud reſpiciens, niſi pacem & charitatē. Solus nanque medicabatur, vt omnes emundaret. Denique quis locus eſt in orbe terrarum, quæ ſolitudo, quæ maria, quæ S. Paulini beneficia non ſenſerunt? Omnes eum agnoſcere cupiebant, omnes videre deſiderabant. Quis ad illum non lætus aduenit? aut quis ab illo non deſideraturus abſceſſit? Nam qui corpore eum videre non poterant, ſaltē epiſtolas eius contingere cupiebãt. Erat enim ſuauis, blandus, in literis dulcis, & benè ſuauis in verſibus. Quid plura? Vix quæcunque de illo dicuntur, admitteret credulitas fidei, niſi propellerent ſua facta mendacium. Taceamus generis nobilitatem, paternis, materniſque natalibus in ſenatorum purpura mirabiliter rutilantem: præterea & opulētias diuitiarum, quas propter Deum pauperibus erogauit. Nunc veniamus ad ea, quæ de obitu eius dicere cœperamus.

Liberalitas eius in oēs.

Eius genus & opes.

Cap. 8. Corpus defuncti niueo candore conſpicuum.

Igitur cùm S. Paulinus debitum Deo ſpiritum reddidiſſet, ita niueo candore vultus eius & omne corpus affectum eſt, vt omnes inter ſingultus & lachrymas benedicerēt Dominum Deum noſtrum, qui educit ſanctos ſuos in magnificentia, vt oſtendat ſeruis ſuis, quia hæc eſt gloria omnibus ſanctis ſuis. Et ideò laudetur in Deo anima eius, & reuelentur opera eius in omnibus timentibus Deum: quia concupiuit in mandatis Dei ſui, & intellexit ſuper egenum & pauperem, vt potens eſſet in terra ſemen eius, & iuſtitia eius maneret in ſeculum ſeculi. Veruntamē & hoc, quod ad meritum S. Paulini pertinet, veneratio tua debet agnoſcere, quòd etiã ſanctus Iohannes, Neapolitanæ vrbis Epiſcopus, à Domino Paulino de hac vita ad Chriſtum accerſitus atq; euocatus agnoſcitur. Nam ante diem tertium, quàm de hoc mundo ſanctus Iohannes ad Dominum commigraret, retulit ſe vidiſſe S. Paulinum, angelica dignitate veſtitum atq; ornatum, totum niueum, totum ſidereum, atq; odore ambroſio renidentem, fauum etiam candidiſſimum mellis in manu tenentem, ac dicētem ſibi: Frater Iohannes, qd hic facis? Solue vincula tædiorum tuorum, & iam ad nos veni. Hæc enim eſca, quam in manu teneo, apud nos ſatis abundat. Et cùm hęc dixiſſet, complexus eſt eum, & immiſit in os eius partē faui illius. Cuius dulcedinem atq; odorem ita ſanctus Iohannes concupiſſe ſe dixit, vt ſi in ipſa reuelatione poteſtas fuiſſet, ab eius veſtigijs nullo modo receſſiſſet. Et tamen hoc non diù diſſimulauit. Nam excitatus à ſomno, eadem die id eſt, quinta feria, iuxta conſuetudinem ſuam remunerans omnes Clericos, atq; pauperibus tribuens, ſanus Dominicam cœnam celebrauit: ſexta verò feria orationi vacauit. Sabbato autem, ſecunda hora diei, lætus ad eccleſiam proceſſit, & aſcenſo tribunali, ex more populum ſalutauit, reſalutatuſq; à populo, orationem dedit, & collecta oratione, ſpiritum exhalauit. Ea tamen nocte in eccleſia vigilatum eſt.

Apparet Epiſcopo Neapolitano.

Cap. 9.

Poſtera autem die, id eſt, Paſcha, illuminatis lampadibus cum ingēti neophytorum pompa, proſequente etiam multitudine populorum vſque ad ſepulcrum, glorioſam atque laudabilem ſepulturam adeptus eſt. Hæc ideò commemoraui nobilitati tuæ, vt etiam hic meritum S. Paulini agnoſceres. Habes enim materiam dicendi, ſi tibi tamē non deſit fides credendi. Et ideò quæſo nobilitatem tuam, vt ſicut promittere dignatus es, præclari operis munus accelerare digneris, cōſecuturus præmium laudis & gloriæ, ſi vitam ſancti viri poſteris profuturam, verſibus illuſtraueris. Vtinam antequam proficiſcar, huius operis lectione dignum me facias: quia ſi Chriſto placuerit, continuò nauigare diſpono. Obijt S. Paulinus Epiſcopus X. Calendas Iunij, Paſſo & Antiocho Conſulibus.

Is fuit anno Chriſti 431. iuxta Onuphrium.

DE EODEM SANCTO PAVLINO NOLANO EPISCOPO, PER D. GREGORIVM PAPAM

Lib. iij. Dialog. Cap. 1.

DVM vicinis valdè patribus intendo, maiorum facta reliqueram, ita vt Paulini miraculum Nolanæ vrbis epiſcopi, qui multos, quorũ memini, virtute & tempore præceſſit, memoriæ defuiſſe videatur. Sed ad priora nunc redeo, eaq; quãta valeo breuitate perſtringo. Sicut enim bonorum facta innoteſcere citiùs ſimilibus ſolent, ſenioribus noſtris per iuſtorum exempla gradientibus, prædicti venerabilis viri celebre nomen innotuit, eiuſque opus admirabile ad eorum ſe inſtruenda ſtudia tetendit: quorum me neceſſe fuit * grauitati tam certò credere, ac ſi ea, quæ dicerent, meis oculis vidiſſem. * grandæuitati

Cùm ſæuientium Vandalorum tempore fuiſſet Italia in Campaniæ partibus depopulata, multiq; eſſent de hac terra in Africanam regionem traducti: vir Domini Paulinus cuncta, quæ ad epiſcopij vſum habere potuit, captiuis indigentibuſque largitus eſt. Cumque iam nihil omnimodò ſupereſſet, quod petentibus dari potuiſſet: quodã die quædam vidua aduenit, quæ à regis Vandalorum genero filium ſuum in captiuitatem fuiſſe ductum perhibuit, atque à viro Dei, eius precium poſtulauit: ſi fortè illius dominus hoc dignaretur accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnoperè petenti fœminæ quid dare potuiſſet inquirens, nihil apud ſe aliud niſi ſe inuenit, petentique fœminæ reſpondit, dicens: Mulier, quod poſſim dare, non habeo: ſed memetipſum tolle, ſeruum me iuris tui profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in ſeruitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irriſionem potiùs credidit, quàm compaſſionem. At ille vt erat vir eloquentiſſimus, atque apprimè exterioribus quoque ſtudijs eruditus, dubitanti fœminæ citiùs perſuaſit, vt audita crederet: & pro receptione filij ſui, in ſeruitium epiſcopum tradere non dubitaret. Perrexêre igitur vtrique ad Africam.

Omnia ſua largitur captiuis & egenis.

Nota inſignem tanti viri charitatem.

Procedente autem regis genero, qui eius filium habebat, vidua rogatura ſe obtulit: ac priùs petijt, vt ei filium donare debuiſſet. Quod cùm vir barbarus typho ſuperbiæ turgidus, gaudio tranſitoriæ proſperitatis inflatus, non ſolùm facere, ſed etiam audire deſpiceret: vidua ſubiunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo: ſolummodò pietatem in me exhibe, mihique vnicum filium redde. Cumq; ille venuſti vultûs hominem conſpexiſſet, quam artem nôſſet, inquiſiuit. Cui vir * Dei Paulinus reſpondit, dicens: Artem quidem aliquam neſcio: ſed hortum benè excolere ſcio. Quod vir gentilis valdè libenter accepit, cùm in nutriendis oleribus quia peritus eſſet, audiuit. Suſcepit itaque ſeruum, & roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Africana regione diſceſſit: Paulinus verò excolendi horti curam ſuſcepit. Cumq; idem regis gener crebrò ingrederetur hortum, ſuumq; hortulanum quædam requireret, & ſapientem valdè hominem videret, amicos cœpit familiares deſerere, & ſæpiùs cum ſuo hortulano colloqui, atque eius ſermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad menſam olera, virenteſque herbas deferre conſueuerat, & accepto pane, ad curam horti remeare. Cumque hoc diutiùs ageret, quadam die ſuo domino ſecum ſecretiùs loquenti ait: Vide quid agas, & Vandalorum regnum qualiter diſponi debeat prouide: quia Rex citiùs, & ſub omni celeritate eſt moriturus. Quod ille audiens, (quia ab eodem rege præ cæteris diligebatur) ei minimè tacuit: ſed quid à ſuo hortulano, ſapienti ſcilicet viro, agnouiſſet, indicauit. Quod dum rex audiſſet, ilicò reſpondit: Ego vellem hunc, de quo loqueris, hominem videre. Cui gener eius, venerabilis Paulini temporalis dominus, reſpondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre cõſueuit. Has itaq; huc ad menſam eum deportare facio, vt quis ſit, qui mihi hæc eſt locutus, agnoſcas. Factumq; eſt. Et dum rex ad prandium diſcubuit, Paulinus ex ſuo opere olera quæque & virentia delaturus aduenit. Cumq; hunc rex ſubitò conſpexiſſet, intremuit, atque accerſito eius domino, ſibi per filiam propinquo, ei ſecretum, quod priùs abſconderat, indicauit, dicens: Verum eſt, quod audiſti. Nam nocte hac in ſomnio, ſedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iſte etiam ſimul ſedebat, & flagellum, quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percontare, quiſnam ſit. Nam ego hunc tanti meriti virum, popularẽ vt conſpicitur, eſſe non ſuſpicor. Tunc regis gener ſecretò Paulinum tulit, & quiſnã eſſet,

* Domini

Viſio regis Vandalorũ

eſſet, inquiſiuit. Cui vir Domini reſpondit: Seruus tuus ſum, quem pro filio viduę vicarium ſuſcepiſti. Cumque inſtanter ille requireret, vt non quis eſſet, ſed quis in terra ſua fuiſſet, indicaret, atque hoc ab eo iteratione frequentis inquiſitionis exigeret, vir Domini conſtrictus magnis coniurationibus, iam non valens negare quid eſſet, epiſcopum ſe fuiſſe teſtatus eſt. Quod poſſeſſor eius audiens, valdè pertimuit, atq; humiliter obtulit, dicens: Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me cum magno munere reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Vnum eſt, quod mihi impendere beneficium potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requiſiti, cum onuſtis frumento nauibus, pro venerandi Paulini viri ſatisfactione, in eius comitatu laxati ſunt. Poſt nō multos verò dies Vandalorum rex occubuit, & flagellum, quod ad ſuam perniciem, diſpenſante Deo, pro fidelium diſciplina tenuerat, amiſit. Sicq; factum eſt, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui ſe in ſeruitium ſolum tradiderat, cum multis à ſeruitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam ſerui aſſumpſit, ne nos eſſemus ſerui peccati. Cuius ſequens veſtigia Paulinus, ad tempus voluntariè ſeru⁹ factus eſt ſolus, vt eſſet poſtmodùm liber cum multis.

Multi captiui cum illo dimittūtur

Philip.2.

Petrus: Dum me audire contingit, quod imitari non valeo, flere magis libet, quàm aliquid dicere.

Gregorius: De cuius etiam morte apud eius eccleſiam ſcriptum eſt, quia cum dolore eſſet lateris tactus, ad extrema perductus eſt. Dumq; eius omnis domus in ſua ſoliditate perſiſteret, cubiculum, in quo iacebat æger, facto terræmotu contremuit, omneſq;, qui illic aderant, nimio terrore cōcuſſit. ſicq; ſancta illa anima carne ſoluta eſt: factumq; eſt, vt magnus pauor inuaderet eos, qui Paulini mortem videre potuiſſent.

ITEM DE SANCTO PAVLINO, EX GREGORIO TVRONENSI, DE GLORIA CONFESſorum. Cap. 107.

Genus & opes eius.

FVit vir vitæ venerabilis Paulinus, Nolanæ vrbis Epiſcopus, ex nobili ſtirpe ortus. Theraſiam ſibi ſimilem ſortitus eſt coniugem, habēs diuitias multas, & tam in fundorū poſſeſſione, quàm in præſidio domorū, valdè diues erat ac locuples. Sed cùm primùm aures ei⁹ Euāgeliorū lectio illa penetrauit, in qua Dominus adoleſcentē pro diuitijs arguit, dicens: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperib⁹, & habebis theſaurū in cælo, & veni, ſequere me: Et, Facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm diuitē introire in regnum Dei: ſtatim venditis omnibus, quæ habebat, pauperibus erogauit. Exoneratus igitur à cunctis cupiditatibus, magiſtrum liber ſequitur, per hæc ſe putans paradiſi diuitijs locupletari, ſi videretur nihil de trāſitorijs poſſidere. Cui maieſtas diuina tribuit, vt quod impoſſibile dixerat per Euangelium, hic poſſibiliter adimplere mereretur per actum.

Matt.19.

Vendit ſua, & dat pauperibus.

Quadam verò die venit ad eum, qui ſtipem peteret, & ait coniugi: Vade, & da ei, quod habet neceſſarium. Quæ reſpōdit: Non eſt nobis ampliùs, quàm vnus panis. Cui ille: Vade, inquit, porrige eum. Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa quaſi ſtrenua reſeruare cupiens, ne aliquid deeſſet, porrigere noluit. Intereà aduenerunt quidam, dicentes, miſſos ſe à dominis ſuis, vt illi annonæ ac vini deferrent ſpeciem: ſed pro hoc ſe moratos, quòd orta tempeſtas, vnam eis cum tritico abſtulerit nauē. Tunc vir Dei conuerſus ad mulierem, ait: Intellige te illi pauperi vnum panem fuiſſe furatam, & ideo hanc nauem eſſe merſam.

Nota rem miram.

Perrexit ergo cum coniuge quaſi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter ſtatum propriū. Poſt multum verò tempus, cùm ab incolis regionis ſuę requireretur, nec poſſet penitus reperiri, negociator de ciuitate illa ad hāc vrbē aduenit, in qua vir beatus cæleſti Domino ſeruiebat: cumq; vidiſſet eum, ſtatim proijciens ſe in ſolum, & pedes ſancti amplectēs: Hic eſt, inquit, beatus Paulinus, toto vulgatus orbe, qui multùm à ſuis ciuibus quæſitus, prorſus non potuit inueniri. Et eo narrāte omnes actiones eius, obſtupuerunt hęc audientes. Nec mora, decedente ſacerdote apud Nolā vrbem, ipſe in locum Epiſcopi ſubrogatur. Habebat autē Eccleſia illa multas diuitias, impleuitque in eo Dominus, quæ per Euangelium promittere eſt dignatus: Quia qui reliquerit omnia propter me, centuplum in hoc ſeculo accipiet, in futuro autèm vitā æternam poſſidebit.

Matt.19.

Verùm

Verùm aſſumpto Epiſcopatu, ſemper ſe humilem proferebat, quia ſciebat ſe apud Deum excelſum futurum, ſi humilitatem ſectatus fuiſſet. Pecunia verò de redditibus Eccleſiæ, quæ manus ei⁹ attingebat, confeſtim pauperibus erogabatur. Caſtiſſima etiã coniunx eius non diſcedebat ab eo. Erat autem vir ſanctus miræ prudentiæ, & rhetoricis literis eruditus, quod ſcripta eius, quæ ad nos peruenerunt, valdè patefecerunt. Nam cùm ad diuerſos tam verſu, quàm proſa ſcriberet, de virtutib⁹ beati Martini ſex verſu conſcripſit libros. Scripſit & alios verſiculos in laudem eius, viditque eum in corpore poſitum, & oculum ſuum ab eo illuminatum recepit. Qui tantum in virtute per multiplicata gratiarum ſpiritualium chariſmata reſplenduit, vt ante obitum ſuum, ipſum Martinum, Ianuariumque Italicum, priuſquàm ſpiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur. Iam enim de hoc mundo illi migrauerant. Et quia de huius beati vita nihil legeram⁹, idcircò ea, quæ per relationem fidelium cognouimus, dũ de eleemoſynis proloqui voluimus, memorauimus. De tranſitu autem eius eſt apud nos magna lectio, ideò eum ex ordine proſecuti non ſumus. Ecce quid tribuit eleemoſyna, ecce quales theſauros ſanctis ſuis, qui ipſum in pauperibus diligunt, Deus indulget. E contrario auaritiæ malo inhiantibus, quæ nequiter concupiſcunt, aufert, iuxta illud Euangelij ſancti oraculum: Quia qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

Humilitas & liberalitas eius.

Matt. 25.

VITA SANCTÆ EDILTRVDIS SIVE EDILDRIDAE REGINAE ET VIRGINIS, AVTHORE VENErabili Beda. *Hiſtoriæ Eccleſiaſt. gentis Anglorum lib. 4. Cap. 19.*

ACCEPIT autem rex Egfridus coniugem nomine Edildridam, filiam Annæ regis Orientalium Anglorum, cuius ſæpè mentionem fecimus, viri benè religioſi, ac per omnia mẽte & opere egregij: quam & alter ante illum vir habuerat vxorem, princeps videlicet Auſtralium Giruiorum, vocabulo Tonbert: ſed illo poſt modicum temporis, ex quo eam accepit, defuncto, data eſt regi præfato. Cuius conſortio cùm vteretur duodecim annis, perpetua tamen manſit virginitatis integritate glorioſa, ſicut mihimet ſciſcitanti (cùm hoc, an ita eſſet, quibuſdam veniſſet in dubium) beatæ memoriæ Vuilfridus Epiſcopus referebat, dicens ſe teſtem virginitatis eius eſſe certiſſimum, adeò vt Egfridus promiſerit ſe ei terras ac pecunias multas eſſe donaturum, ſi reginæ poſſet perſuadere eius vti connubio, quia ſciebat illam nullum virorum plùs illo diligere. Nec diffidendum eſt, noſtra etiam ætate fieri potuiſſe, quod æuo præcedente aliquoties factum fideles hiſtoriæ narrãt, donante vno eodemq; Domino, qui ſe nobiſcum vſq; in finem ſeculi manere pollicetur. Nã etiam ſignum diuini miraculi, quo eiuſdem fœminæ ſepulta caro corrumpi non potuit, indicio eſt, quòd à virili cõtactu incorrupta perdurauerit. Quæ multùm diù regem poſtulans, vt ſeculi curas relinquere, atque in monaſterio tantùm vero regi Chriſto ſeruire permitteretur, vbi vix aliquãdo impetrauit, intrauit monaſteriũ Ebbæ Abbatiſſæ, quæ erat amita Egfridi regis poſitum in loco, quẽ Coludi vrbẽ nominant, accepto velamine ſanctimonialis habitûs à præfato antiſtite Vuilfrido.

Iunij 23.

Ediltrudis in coniugio permanet virgo.

Matt. 28.

Petit monaſterium.

Poſt annum verò ipſa facta eſt Abbatiſſa in regione, quæ vocatur Elge: vbi conſtructo monaſterio, virginum Deo deuotarum perplurium mater virgo & exemplis vitę cæleſtis eſſe cœpit, & monitis. De qua ferũt, quia ex quo monaſterium petijt, nũquam lineis, ſed ſolùm laneis veſtimẽtis vti voluerit, raroque in calidis balneis, pręter imminentibus ſolennijs maioribus, verbi gratia, Paſchæ, Pentecoſtes, Epiphaniæ, lauari voluerit, & tunc nouiſſima omnium, lotis priùs ſuo ſuarumq; miniſtrarum obſequio cæteris, quæ ibi eſſent, famulabus Chriſti. Rarò etiam, præter maiora ſolennia vel arctiorem neceſſitatem, plùs quàm ſemel per diem manducauerit ſemper, ſi non infirmitas grauior prohibuiſſet. Ex tempore matutinæ ſynaxeos vſque ad ortum diei, in eccleſia precibus intenta perſtiterit. Sunt etiam, qui dicunt, quòd per prophetiæ ſpiritum, & peſtilentiam, qua ipſa eſſet moritura, prædixerit, & numerum quoque eorum,

Fit Abbatiſſa.

Perpetua abſtinentia eius.

Preces eius.

Abitè vita. eorum,qui de ſuo monaſterio hoc eſſent de mundo rapiendi, palàm cunctis præſentibus intimauerit. Rapta eſt autem ad Dominum in medio ſuorum poſt annos ſeptē, ex quo Abbatiſſæ gradum ſuſceperat: & æquè, vt ipſa iuſſerat, non alibi quàm in medio eorum iuxta ordinem, quo tranſierat, ligneo in locello ſepulta.

Cui ſucceſſit in miniſterium Abbatiſſæ ſoror eius Sexburga, quam habuerat in cōiugem Earconbertus rex Cantuariorum: & cùm * ſexdecim annos eſſet ſepulta, placuit eidem ſorori Abbatiſſæ leuari oſſa eius, & in locello nouo poſita, in eccleſiam transferri. Iuſſitque quoſdam è fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere poſſent. Qui aſſcenſa naui (ipſa enim regio Elge, vndique eſt aquis & paludibus circundata, neque lapides maiores habet) venerunt ad ciuitatulam quandam deſolatam, nō procùl inde ſitam, quæ lingua Anglorum Grandaceſtir vocatur, & mox inuenerunt iuxta muros ciuitatis locellum, de marmore albo pulcherrimè factum, operculo quoque ſimilis lapidis aptiſſimè tectum. Vnde intelligentes à Domino ſuum iter eſſe proſperatum, grates agentes, retulerunt ad monaſterium. Cumq́; corpus ſacræ virginis ac ſpōſæ Christi aperto ſepulcro eſſet prolatum in lucem, ita incorruptū inuentum eſt, a cſi eodem die fuiſſet defuncta, ſiue humo condita: ſicut & præfatus antiſtes Vuilfridus, & multi alij, qui nouêre, teſtantur. Sed certiori notitia medicus Cinfridus, qui & morienti illi, & eleuatæ de tumulo adfuit, referre erat ſolitus, quòd illa infirmata, habuerat tumorem maximum ſub maxilla: & iuſſerunt me, inquit, incidere tumorem illum, vt efflueret noxius humor, qui inerat. Quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto leuiùs habere, ita vt multi putarent, quòd ſanari poſſet à languore. Tertia autem die prioribus aggrauata doloribus, & rapta confeſtim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua ſalute ac vita mutauit.

*decem

Poſt multos annos corpus defunctæ incorruptum.

Cumque poſt tam multos annos eleuanda eſſent oſſa de ſepulcro, & extento deſuper papilione, omnis congregatio, hinc fratrum, inde ſororum pſallens circunſtaret, ipſa autem Abbatiſſa intus cum paucis oſſa eleuatura & delatura intrâſſet, repētè audiuimus Abbatiſſam intus clara voce proclamare: Sit gloria nomini Domini. Nec multò pòſt clamauerunt me intrò, reſerato oſtio papilionis, vidiq́; eleuatum de tumulo & poſitum in lectulo corpus ſacræ Deo virginis, quaſi dormientis ſimile. Sed & diſcooperto vultûs indumento, monſtrauerunt mihi etiam vulnus inciſuræ, quòd feceram, curatum, ita vt mirum in modum pro aperto & hiante vulnere, cum quo ſepulta erat, tenuiſſima tunc cicatricis veſtigia apparerēt. Sed & linteamina omnia, quibus inuolutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita noua, vt ipſo die viderētur caſtis eius membris eſſe circundata. Ferunt autem, quia cùm præfato tumore ac dolore maxillæ ſiue colli premeretur, multùm delectata ſit hoc genere infirmitatis, ac ſolita dicere: Scio certiſſimè, quia meritò in collo pondus languoris porto, in quo iuuenculam memini me ſuperuacua monilium pondera portare: & credo, quòd ideò me ſuperna pietas dolore colli voluit grauari, vt ſic abſoluat à reatu ſuperuacuæ leuitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis, de collo rubor tumoris ardorq́; promineat.

Item linteamina.

Eius patientia.

Contigit autem tactu indumentorum eorundem, & dæmonia ab obſeſſis fugata corporibus, & infirmitates alias aliquoties eſſe curatas: & loculum, in quo primo ſepulta eſt, nonnullis oculos dolentibus ſaluti fuiſſe perhibēt: qui cùm ſuum caput eidē loculo apponentes orâſſent, mox doloris ſiue caliginis incommodum ab oculis amouerent. Lauerunt igitur virginis corpus, & nouis indutum veſtibus intulerunt in eccleſiam, atque in eo, quod allatum erat, ſarcophago poſuerunt, vbi vſque hodiè in magna veneratione habetur. Mirum verò in modum ita aptum corpori virginis ſarcophagum inuentum eſt, ac ſi ei ſpecialiter præparatum fuiſſet: & locus quoq; capitis ſeorſum fabrefactus, ad menſuram capitis illius aptiſſimè figuratus apparuit. Eſt autem Elge in prouincia Orientalium Anglorum regio familiarum circiter ſexcentarum, in ſimilitudinem inſulæ vel paludibus (vt diximus) circundata, vel aquis. Vnde & à copia anguillarum, quæ in eiſdem paludibus capiuntur, nomen accepit, vbi monaſterium habere deſiderauit memorata Chriſti famula, quoniam de prouincia eorundem Orientalium Anglorum ipſa, vt præfati ſumus, carnis originem duxerat.

Miracula ad veſtes & loculum eius.

VITA

VITA SANCTÆ MEMORIÆ MARIÆ DE OEGNIES, AVTHORE IACOBO DE VITRIACO EPISCOPO

& Cardinali doctiſſimo. Etſi autem necdum Sanctorum Catalogo adſcripta eſt hæc Maria, tamen oblata opportunitate, vitam eius virtutibus admodùm conſpicuam, omittere hic noluimus: in qua etiam ſtylum hincinde propter eruditos lectores nonnihil expoliuimus.

Prologus Authoris ad Fulconem Toloſanum Epiſcopum.

PRæcepit Dominus diſcipulis ſuis, vt colligerent fragmenta, ne perirent. Quid eſt autem, fragmenta à cœna colligere, niſi ſanctorum exempla poſt eorum obitum ad memoriam reuocare, vt cophini impleantur, id eſt, pauperes & paruuli exemplis eorum reficiãtur? Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Vnde etiam olim ſancti patres de talento ipſis commiſſo, æquiſſimi iudicis ſententiam ſemper ob oculos verſantes, in poſterorum vſum & vtilitatem virtutes & res geſtas ſanctorum hominum in ſcripta redegerunt, vt infirmorum fidem roborarent, indoctos erudirent, deſides excitarent, pios & virtutum ſtudioſos ad eorum imitationẽ inuitarent, refractarios & incredulos confutarent. In ijs, vt alios innumeros omittam, videre licet ſanctum Patrẽ Hieronymũ, quanto is labore vitas patrum Aegyptiorum didicerit, quanta cura eas memoria retinuerit, quanta lectoris vtilitate ad poſterorum notitiam trãſmiſerit, diuerſis ex locis ligna colligens, vt in altari Domini igni materia ſubminiſtraretur.

Iohan. 6. — *Fragmenta colligere.* — *Matth. 15.* — *Hiſtoriæ Sanctorum cur à S. Patribus conſcriptæ.*

Nec fortaſſis minori ſtudio cithariſta Domini, organum Spiritûs ſancti beatus Gregorius, exempla & virtutes ſanctorum Italiæ hominum Dialogo complexus eſt, tanquam cineres colligens è multorum ſacrificijs, in loco mundo reponendos, id eſt, in puris fidelium mentibus aſſeruandos: vt varijs ſanctorum exemplis quaſi quibuſdam calceamentis agnum paſchalem comedentium pedes munirentur: & qui duris præceptorum funibus, ſi ſoli eſſent, forſitan læderentur, interpoſitis pannis veteribus, id eſt, priſcorum patrum actibus, è lacu cum Ieremia extraherentur. Multi enim permouentur exemplis, quos præcepta non mouent. Quamobrem etiam ſanctus & venerabilis Toloſanæ eccleſiæ Epiſcopus, ab hæreticis è ſua ciuitate expulſus, cùm in Galliam Belgicam, petiturus auxilia contra fidei hoſtes, veniſſet, & tandem ad Leodienſe territorium, quorundam in vera humilitate Chriſto militantium fama & odore attractus, deſcendiſſet, nõ potuit ſatis admirari fidem & deuotionem, præſertim ſanctarum fœminarum, cùm eas videret ſummo ſtudio, deſiderio & reuerentia Chriſti Eccleſiam & ſacramenta ſanctæ Eccleſiæ proſequi, quæ in ipſius regione ab omnibus ferè vel prorſus reijciebantur, vel paruipendebantur: cupiebatq; ſummoperè quædam ex ijs, quæ vidiſſet & audiuiſſet, ne perirent, tanquam fragmenta colligere.

Exod. 12. — *Ierem. 38.* — *De Albigenſibus hæreticis dicit.*

Scis enim pater ſancte, Toloſanæ eccleſiæ paſtor, immò totius Eccleſiæ Chriſti columna fortis, (ad te namq; mihi ſermo eſt) quo præcipiente, & me negligentiæ arguente, præſens opuſculum ſcribendum ſuſcipere auſus ſim. Nôſti, poſteaquam ad partes noſtras perueniſti, vt tibi viſus ſis tanquam in promiſſionis terra verſari. Te enim narrante, memini me audiuiſſe, in tua regione reliquiſſe te Aegyptum, & tranſeuntẽ per deſertum, terram promiſſionis in ditione Leodiẽſi inueniſſe. Videras apud tuos, multos noſtræ regionis Cruce ſignatos contra hæreticos, fide feruentes, in afflictione mirabiliter patientes, miſericordię operum valdè ſtudioſos: immò, quemadmodùm ipſe mihi dixiſti, audieras non ſine multa admiratione fœminas quaſdam apud nos acerbiùs lugere vnum aliquod veniale erratum, quàm veſtrates homines vel mille mortifera peccata lugerent: cumq; ad nos veniſſes, non aliter vidiſti, quàm audieras, immò plus etiam quàm audieras: ita vt ægrè potueris credere, niſi certa oculorum fide & experientia cognouiſſes.

Vidiſti enim in hortis liliorum Domini, multas diuerſis in locis ſanctarum virginũ cateruas, quæ Chriſti amore ſpretis carnis illecebris, & præ deſiderio regni cæleſtis, contemptis mundi huius opibus, in paupertate & humilitate ſponſo immortali adhærentes, labore manuum tenuem ſibi victum acquirerent, & licet parentes earum multis diuitijs abundarent, at tamen obliuiſcentes populum ſuum & domum patris ſui, mal-

Multæ ſanctæ virgines

lent anguſtias paupertatis perpeti, quàm malè partis opibus affluere, vel inter homines faſtuoſos & pompis deditos ſeculares, cum ſalutis periculo permanere. Vidiſti nō ſine exultatione ſanctas & Deo ſeruientes matronas, magno zelo puellarum pudicitiam tueri & conſeruare, & eas in ſancto propoſito confirmantes, vt ſolum ſponſum cæleſtem concupiſcerent, ſalutaribus monitis inſtruere. Vidiſti ipſas viduas in ieiunijs, orationibus, vigilijs, lachrymis, manuum laboribus Domino ſeruientes, quemadmodùm maritis ſuis quondam in carne placere ſtuduerant, ita iam, immò verò multo etiam ampliùs in id incumbere, vt ſponſo Chriſto in ſpiritu placeant, crebrò illud Apoſtolicum reuoluentes: Vidua quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt: & ſanctas viduas, quæ ſanctorum neceſſitatibus communicent, quæ pedes pauperum lauent, quæ hoſpitalitatem ſectentur, quæ operibus miſericordiæ deditæ ſint, fructum ſexageſimum promereri.

Sanctæ matronæ & viduæ.

1.Tim.5.

Vidiſti prætereà, & gauiſus es, ſanctas mulieres in matrimonio Domino pium exhibere famulatum, proles ſuas in Dei timore erudire, honeſtas ſeruare nuptias & torū immaculatum, ad tempus vacare orationi, & poſteà in idipſum cum timore Domini reuerti, ne tententur à ſatana: ex quibus tamen multæ, conſentientibus maritis, à licitis amplexibus abſtinentes, continenter viuunt, & angelicam ducunt vitam, cô illuſtriori dignæ corona, quòd etiam in igni poſitæ non arſerunt. At vidiſti nihilo minùs non ſine admiratione, atq; etiā multo animi dolore, impuros quoſdam homines, totius religionis hoſtes, earum fœminarum religionem malignè traducere, & canina rabie mores, ipſorum vitæ planè aduerſos, lacerare & proſcindere, cumq; nihil poſſent aliud, nouis quibuſdam à ſe confictis nominibus eas appellare, quemadmodùm olim Iudæi Chriſtum Samaritanum, & Chriſtianos Galilæos dicebant. Neque id mirum: Aegyptij enim abominantur oues, & tenebriones atque malitioſi homines ſimplicium innocentiam derident, inter pocula & epulas, in ebrietate & crapula vitam abſtinentium proſcindentes. Itaque ſanctus quidam monachus Ciſtertienſis ordinis, in Alnenſi Abbatia Chriſto militans, præ ſimplicitate dubitare cœpit, cuiuſmodi illi eſſent homines, qui inuſitatis nominibus à maleuolis vocarentur: ſed cùm oraret, à ſpiritu ſancto reſponſum eſt ei: Inuenientur in fide ſtabiles, & in opere efficaces. Ab eo verò tempore ſenex ille tanta dilectione illis coniunctus eſt, vt ferre non poſſet ſe præſente mali quippiam de eis dici. Et illi quidem opprobria & perſecutiones mirabili patientia pertulêre, ſæpè animis commemorantes illud Euangelicum: Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. & illud: Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequētur. ſed quia ſcriptum eſt, A fructibus eorum cognoſcetis eos: quòd ſynceriter & reuerà Deo inhæſerint, in Leodiēſis vrbis deuaſtatione cōpertum eſt. Quæ enim ad ſacras ædes cōfugere non potuêre, in flumen ſeſe præcipitārunt, potiùs mori volentes, quàm caſtitatis iacturam facere. Nonnullæ etiam in cloacas inſilierunt, fœtore extingui malentes, quàm prodere virginitatem. At interim benignus ſponſus ea humanitate curauit ſpōſas ſuas, vt in tanta multitudine nulla prorſus vel vitæ, vel caſtitatis acceperit detrimentum.

Sanctæ mulieres.

Iohan.8.

Iohan.15.

Ibidem.

Matt.7.

Nota lector

Vna ex ijs ſancta muliere in flumine periculosè laborante, duo ex hoſtibus in nauicula ad eam properârunt, & cùm illam extraxiſſent volebant turpiter ea abuti. Sed quid fecit caſta inter lenones, agna inter lupas, colūba inter accipitres? Maluit iterum in flumē ſe demergere, quàm corrumpi. Itaq; deſilijt ex naui in vndas, ſed cùm nauicula illius ſaltu depreſſa mergeretur, duo illi merſi periêrunt: illa verò abſq; vllo corporis & animæ damno, fluuio obſequente, ad litus emerſit.

Inſigne miraculum.

Mirandis plùs miranda ſuccedunt. Cùm diuturna & intolerabilis fames regnum Francorum & magnam Imperij partem adeò obtinuiſſet, vt vtriuſq; ſexûs homines paſſim in agris & pagis fame morerentur, atq; illi etiam, qui anteà diuites fuerant, publicè mendicare cogerentur, & inedia confecti perirent: in tanta multitudine nec vna reperta eſt, quæ vel fame deficeret, vel palàm mendicare cogeretur.

Veniamus nunc ad ſingulares perſonas & ſpecialia miracula. Teſtem hic adhibeo ſanctitatem tuam. Tuis enim oculis vidiſti mira Dei opera, & in perſonis diuerſis gratiarum diuerſitatem. Quædam enim diuinitùs tantam accepit gratiam, vt tuipſe certiſſimè comperiſti, vt peccata hominum, quæ per veram confeſſionē tecta non eſſent, in multis cognoſceret: cumq; peccata occulta eis indicaret, & ad faciendam confeſſionem illos inuitaret, non paucis poſt Deum cauſa ſalutis eſſet.

Quaſdam etiam vidiſti fœminas, tam mirabili & ſingulari erga Deum amore liquefactas, vt præ deſiderio languerent, nec poſſent multis annis è lecto, niſi rarò, ſurgere:

quorum

quorum debilitas nullam aliam habebat cauſam, niſi illum ſolum, cuius amore & deſiderio liquefactæ, cum Domino ſuauiter quieſcentes, quanto plùs ſpiritu confirmabantur, tanto corpore ampliùs debilitabantur, clamantes corde, licet præ verecundia aliud ore ſimularent: Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo. Cuiuſdam etiam anima præ amoris magnitudine liqueſcente, eius genæ miro quodam modo, etiam ſenſibiliter extenuatæ, reſoluebantur. Pleriſque ex fauo ſpiritalis dulcedinis, quam in corde percipiebant, melleus guſtus redundabat in ore, ſuaues eliciens lachrymas, & mentem in deuotione conſeruans. Quædam verò tantam accepêre gratiam lachrymarum, vt quoties Deus verſaretur cogitatione in pectore, præ deuotione riuulus lachrymarum manaret ab oculis, idque adeò, vt lachrymarum veſtigia ex fluendi aſſiduitate in genis apparerent: nec tamen lachrymæ illæ euacuabant caput, ſed quadam plenitudine confouebant mentem, ſpiritum ſuaui vnctione imbuebant, corpus mirabiliter recreabant, & tanto fluminis impetu totam Dei ciuitatē lætificabant.

Christi amore quædam languent.

Cant. 2.

Nonnullæ tanta ſpiritûs ebrietate extra ſe rapiebantur, vt in illo beato ſilentio totum ferè diem illis quieſcentibus, dum erat rex in accubitu ſuo, non eſſet illis vox neque ſenſus ad vllas res exteriores. Pax enim Dei exuperabat & ſepeliebat ſenſus earū, vt ad nullum poſſent euigilare clamorem, nullam prorſus ſentire corporis læſionem, etiamſi multùm pungerentur. Vidi ego quandam tanto zelo triginta ferè annis intra monaſterium à ſponſo cęleſti detineri, vt extra illud nulla poſſet ratione egredi, etiamſi mille homines per manus eam trahere niterentur. Sæpiùs enim exire tentabat, quibuſdam etiam eam trahentibus, ſed fruſtrà: quippe quæ faciliùs dirumpi poſſet.

Vide rem admirandā

Vidi aliam quandam, quæ cùm crebros pateretur mentis exceſſus, nōnunquam viginti & vno diebus (quæ etiam me præſente ampliùs ſepties, vti credo, extra ſe rapta fuit) vbicunq; ecſtaſim patiebatur, illic permaneret immobilis, donec eſſet ſibi reddita: nec tamen quantumcunq; inclinaretur, Dei ſpiritu eam ſuſtentante, corrueret: manus quoq; in aëre immota penderet, eo in ſtatu, in quo ecſtaſis eam obtinuiſſet. Cùm autem illa ad ſe rediret, tanto complebatur gaudio, vt reliquijs cogitationum diem feſtum agentibus, gaudium interius quodam corporis plauſu foris prodere cogeretur, inſtar Dauidis coram arca ſaltātis: vt poſſet etiam ipſa dicere, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quædam verò in perceptione illius panis, qui de cælo deſcendit, non ſolùm cordis refectionem, ſed etiam ſenſibilem in ore ſuauitatem & conſolationem experiebantur, dulciorem ſuper mel & fauum: dum carnes veri agni à faucibus cordis, quas repleuerāt, vſq; ad fauces oris guſtu mirabili redundarent. Nonnullæ tanto deſiderio ad odorem tanti ſacramenti currebant & inhiabāt, vt nullo modo illo diù carere ſuſtinerent, nullam neq; conſolationem, neq; requiem capiētes, ſed prorſus præ languore deficiētes, donec ſuauitate cibi illius, animæ illarum crebrò vegetarentur. Erubeſcant igitur infideles & perfidioſi hæretici, qui cibi huius dulcedinem nec fide, nec corde & ore percipiunt.

Miri raptus & ecſtaſes cuiuſdam.

Pſal. 71.

2. Reg. 6.

Pſal. 83.

Iohan. 6.

Noui ego quandam in ijs ſanctis fœminis, cui, cùm ingenti veri illius agni carnes edendi deſiderio teneretur, ipſe agnus ſeipſum impertijt, non ferens diutiùs illam languere: atque ex ea refectione, illa conualuit. Vidi aliam, circa quam mirabiliter operatus eſt Dominus, ita vt cùm diù iacuiſſet exanimis, antequam corpus eius in terra ſepeliretur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atq; à Domino obtinuerit, vt in hoc ſeculo viuens, Purgatorium pateretur. Itaq; multo tempore mirum in modum à Domino afflicta, quandoq; ſe volutabat in igne, nonnunquam hyberno tempore in aqua congelata diù morabatur, interdum in mortuorum ſepulcra ingredi cogebatur. Tandem verò peracta pœnitentia, in tanta pace vixit, tantamq; à Domino gratiam adepta eſt, vt crebrò rapta in ſpiritu, animas defunctorum vſq; in Purgatorium abſq; vlla ſuî læſione & ad ſuperna regna deduceret.

Hæc eſt Chriſtina mirabilis, cuius vitam ſcripſit Thomas Cantipratenſis.

Sed quid me neceſſe eſt diuerſarum diuerſas & admirandas diuinorum chariſmatū & cæleſtis gratiæ varietates enarrare, cùm in vna eximia multumque precioſa margarita, omnium ferè chariſmatum liceat cernere plenitudinem, quæ inter alias, perinde vt carbunculus inter gemmas, & ſol inter ſtellas, mirabiliter enituit: cuius fama rei veritate inferior, te ad noſtram regionem adduxit: cuius virtutem in primo ad illam acceſſu, in te mirabiliter expertus es? Cùm enim iam ferè ad dies quadraginta nihil penitus manducās, beatum obitum ſuum iam propinquum cum deſiderio & mentis hilaritate expectâſſet, & tu de eius vita multa admiranda & vidiſſes, & audiſſes, impenſiſ-

ſimè rogâſti, vt poſt eius deceſſum vitam eius conſcriberem, vt qui ei familiaris fuiſſem, multaque de eius virtutibus memoriæ commendâſſem: nec eius dũtaxat vitam, ſed etiã aliarum ſanctarũ fœminarũ, in quibus mira ſanè in Leodienſi ditione Dominus operatur. Etſi autem affirmares tu, & tibi & alijs cumprimis hoc eſſe commodum & opportunum, ſi ea, quæ Deus in ſanctis noſtræ ætatis hominibus efficit, pro concione publicè poſſes annunciare, non tamen volui ego earum, quæ adhuc ſuperſunt, virtutes & actus ſcripto compræhendere, certus nulla ratione id eas toleraturas. Ne tamen penitus tuæ ſanctitati immorigerus videar, fretus precibus tuis, cõpulſus deſiderio tuo, multorum etiam, qui hæc lecturi ſunt, vtilitate incitatus, præſens opuſculum

Act.28. aggredior, ſarmenta cum Apoſtolo collecturus, quibus & me & alios calefaciã: tametſi non dubito, fore vt à ſerpente mordear: ſed nec Apoſtolus à vipera læſus eſt, nec ego ex obtrectatorum morſibus aliquod me damnum facturum pertimeſco.

1. Cor.2. Qanuis enim animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt, propter multorum inuidiam, ne multorum vtilitatibus deſim, à ſuſcepto opere non deſiſtam. Sunt enim quidam animales, ſpiritum Dei non habentes, apud ſemetipſos prudentes, qui nihil volunt recipere, niſi quod humana poſſint ratione conſequi: porrò ea, quæ non intelligunt, derident & cõtemnunt. contra quos dicit Apoſtolus: Spiritũ nolite extinguere,

1. Theſ.5. prophetias nolite ſpernere. Illi enim, quantum in ipſis eſt, ſpiritum extinguũt & ſpernunt prophetias, qui homines ſpiritales tanquam inſanos vel idiotas deſpiciunt, & prophetias ſiue reuelationes ſanctorum, haud ſecus, atque phantaſmata vel ſomnio-

Eſa.59. rum ludibria, reijciunt. Non eſt autem abbreuiata manus Domini, & iaminde ab initio nulla fuit ætas, qua ſpiritus ſanctus non effecerit res admirandas in ſanctis ſuis, ſiue

Pſalm.132. clàm, ſiue palàm. Vnguentum enim, quod deſcendit à capite in barbam, & à barbã in oram veſtimenti, etiam vſque ad fimbriam, id eſt, vſque ad ſanctos extremæ ætatis deſcendet. Nos igitur, quæ vidimus & nouimus, & magna ex parte experientia didicimus, ad Dei & ancillæ eius honorem, eiuſdemq; ancillæ Chriſti amicorũ conſolationem, pauca ex multis annotabimus. Neque enim omnia vitæ eius admiranda colligere poſſumus, quandoquidem multis illis annis, quibus Deo religiosè ſeruiuit, vix vllus dies aut nox præterijt, quin aliqua vel Dei, vel angelorum eius, vel ſanctorum in cælis degentium, cum quibus ferè tota eius fuit conuerſatio, viſitatione frueretur. Vt autem faciliùs in tanta rerum varietate id quod quærit, lector inueniat, ſingulis capitibus operis huius ſuos titulos præfixi, quibus quaſi clauibus quibuſdam, eorum quæ iiſdem capitibus continentur, intellectus reſeretur, & citra vllam confuſionem lectoris animus tanquam ſtellis intermicantibus illuſtretur.

VITÆ EIVS LIBER PRIMVS.

De eius pueritia. Cap. I.

Iunij 21. Patria Mariæ. FVIT in Epiſcopatu Leodienſi in oppido, quod Niuella dicitur, puella quædam, vita & nomine præclara, Maria: quæ mediocribus orta parentibus, licet diuitijs & multis rebus temporarijs abundaret, nunquam tamen ab ineunte etate eius animus talium rerum amore illectus eſt: imò ab ipſo matris vtero adeò ferè in Dominum proiecta fuit, vt nunquam vel raro, vt ſolent puellæ, ſe ludentibus miſcuerit, neque ijs, qui in leuitate ambulant, participem ſe præbuerit, conſeruãs animam ſuam ab omni concupiſcentia & vanitate: in ipſa pueritia iam non obſcura de ſe indicia præbens, qualis in prouectiori ætate futura

Pietas puerilis. eſſet. Solebat tum crebrò ante lectum noctu genua flectere, & preces quaſdam, quas didicerat, ceu vitæ primitias Domino offerre. Adeò verò ab ipſa infantia cum illa creuit miſeratio & pietas, adeoque naturali quadam pietate diligebat monaſticam religionem, vt fores paternæ domûs eius interdum prætereuntibus fratribus Ciſtercienſis ordinis, illa ſuſpiciens & admirans eorum habitum, clàm illos ſequeretur, & cùm nihil poſſet aliud, ſuos pedes in illorum veſtigijs præ deſiderio defigeret. Cùm autem parentes eius, vt apud ſeculares more comparatum eſt, veſtibus eam delicatis & cultioribus ornare vellent, illa contriſtata reſpuebat, ac ſi ab ipſa natura in

1. Pet.3. animo ſuo inſculptum legeret, quod de fœminis ait beatus Petrus Apoſtolus: Quarũ ſit

ſit non extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorũ cultus: & quod Paulus Apoſtolus: Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte precioſa. Sed parentes eius id videntes, & puellam deridẽtes, dicebant: En qualis eſt filia noſtra? 1. Tim. 2.

De eius coniugio. Cap. 2.

Itaque pijs eius actibus inuidentes, cùm eſſet annorum quatuordecim, iuueni cuidã eam nubere voluerunt. Tum verò illa iuncta viro, & hac occaſione ſeparata à parentum conuictu, tanto feruoris exceſſu inflãmata eſt, adeoq; corpus ſuũ caſtigauit & in ſeruitutem redegit, vt non raro, cùm iam magnam noctis partem laboribus manuum impendiſſet, deinde in preces admodùm prolixas incumberet: quod porrò reliquum erat noctis ſpatium, id quoties liceret, in aſſeres, quos clàm in extrema lectuli parte abſconderat, ſe reponens exiguo ſommo tranſmitteret. Cùm autem proprij corporis poteſtatem palàm non haberet, funem aſperrimum ſecretò ſub ſubucula geſtabat, eoque corpus ſuum mirè conſtringebat. Quod nõ idcircò hic commemorare volui, vt probem exceſſum, ſed vt eius feruorem indicem. In his verò & pleriſque alijs, quæ ſingularis gratiæ priuilegio illa fecit, prudens lector meminerit, paucorum priuilegia non efficere legem communem. Itaque virtutes eius imitemur: actus autem virtutum eius, abſque priuata quadam prærogatiua, imitari non poterimus. Etſi autem cogendum eſt corpus, vt ſeruiat ſpiritui, dandaque nobis opera eſt, vt ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in noſtro feramus corpore: at tamen non ſumus neſcij honorem regis diligere iudicium, nec gratum eſſe Deo ſacrificium de rapina pauperis. Nec debemus pauperi ac miſerę carni ſubtrahere neceſſaria, ſed vitia coërcere. Quod verò ſanctos quoſdam ex familiari ſancti ſpiritûs conſilio feciſſe legimus, admiremur potiùs, quàm imitandum ſuſcipiamus.

Nubit viro. Vt corpus caſtigârit. Pſal. 98. Vitia enecãda, non caro.

De mariti eius conuerſione, & vt omnibus renunciantes, caſtè vixerint. Cap. 3.

Cum autem non multo tempore cum marito ſuo Iohanne in matrimonio ita vixiſſet, reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, exaudiuitq; lachrymas ſupplicantis. Quam enim hactenus vxorem habuerat Iohannes, eam ex inſtinctu diuino habuit poſtmodùm Mariam commendatam. Caſto caſtam Dominus commendauit ancillam, vt pro ſolatio haberet cuſtodem: & vt liberiùs Domino ſeruiret, fidelem ei adhibuit prouiſorem. Qui enim priùs naturali quadam ingenij humanitate & ſuauitate ſancto coniugis ſuæ propoſito, vt ſolent plerunque mariti, non cõtradixerat, ſed comiter ac benignè ſatis, licet eius labores miſeraretur, illud tolerârat: eam eſt ex diuina viſitatione gratiam adeptus, vt non ſolùm deinceps continentem & planè angelicam duxerit vitam, ſed ſociam etiam ſuam in ſancto propoſito & religione imitatus ſit, omnia ſua pro Chriſti amore in pauperes erogans. Quanto autem magis carnali affectione ab ea ſeparatus eſt, tanto plùs ei ſpiritalis nexûs matrimonio per dilectionẽ coniunctus eſt. Quamobrem etiam Dominus poſteà ancillæ ſuæ in viſione promiſit, ſe ſocium ipſius tanquam inſtaurato matrimonio in cælis ei redditurum, qui ſtudio caſtitatis à carnali commercio in terris ſe retraxiſſet. Erubeſcant hic & expaueſcant infelices, qui extra matrimonium illicitis ſe commixtionibus polluunt, quando ambo iſti beati iuuenes, etiam à licitis amplexibus, cauſa Chriſti, abſtinentes, feruentis adoleſcentiæ impetum feruore religionis ſuperârunt, ignem igni extinxerunt, & coronas triumphales promeruerunt. Itaque dedit illis Dominus in domo ſua & in muris ſuis locum & nomen melius à filijs & filiabus: quandoquidem inſtar beatorum martyrũ, in igne non ardentes, in voluptatum copia propriam voluntatem mactantes, apud fluuium ſitientes, inter epulas eſurientes, carnes ſuas confixerunt clauis timoris Dei: immò verò Chriſti amore ſeſe penitus abijcientes, leproſis quibuſdam apud Niuellam eo in loco, quem Villenbroc dicunt, aliquandiù inſeruiérunt.

Maritus eius cum illa viuit continenter. In lubricos & incontinentes. Eſa. 56.

De contemptu & perſecutione, quæ à conſanguineis pertulère. Cap. 4.

Videbant verò hęc dęmones, & inuidebant: videbant ſeculares & cognati, & frendebant dentibus in eos: & quos anteà erant venerati diuites, iam Chriſti cauſa

pauperes ſua ſponte effectos irridebant & aſpernabantur. Viles ergo & abiecti pro Domino habiti ſunt: opprobria exprobrantium Domino ceciderunt ſuper eos. Sed ne timeas ancilla Chriſti, propoſito tibi gaudio & honore ſeculari, ad Crucis contumelias cum Chriſto tuo vltrò accedere. Præſtabilius tibi eſt, abiectam eſſe in domo Domini tui, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Perdidiſti quidem gratiam cognatorum: ſed Chriſti gratiam tibi conciliâſti. An te putas iam demum deſtitutā amore conſanguineorum? Immò verò nunquam illi te dilexerunt, ſed tua. Vt enim muſcæ mel, cadauera lupi: ſic prædam ſequitur hæc turba, non hominem.

Amor hominũ mundanorum fallax.

De compunctione & lachrymis eius.
Cap. 5.

Thren. 3.

BOnus es Domine ſperantibus in te: verax es expectātibus te. Ancilla tua regnum mundi & omnem ornatum eius pro tuí amore contempſit: tu verò centuplum ei reddidiſti in hoc ſeculo, & vitam æternam in futuro. Intueamur enim, quantis virtutum gemmis, tanquam vas auri ſolidum, ornatum omni lapide precioſo, præclarā hanc amicam tuam ornaueris, quibus miraculis abiectā illam, & quam homines mundo dediti irriſêre, illuſtraueris. Principium cõuerſionis eius ad te, primitiæ dilectionis, Crux tua, paſſio tua fuit. Audiuit auditum tuum, & timuit: conſiderauit opera tua, & expauit. Cùm enim die quadā, præuenta & viſitata à te, beneficia immenſa, quæ tu in aſſumpta carne humano generi benignus impendiſti, conſideraret, tantam compunctionis gratiam, tantam vim & copiam lachrymarum, torculari Crucis tuæ expreſſam in tua paſſione percepit, vt veſtigia eius per eccleſiam ingredientis, lachrymæ in pauimentum vbertim defluentes proderent. Porrò ab hac viſitatione multo deinceps tempore nec Crucis imaginem intueri, nec vel ipſa loqui, vel alios de paſſione Chriſti loquentes audire potuit, quin præ cordis defectu eccſtaſin pateretur. Itaque vt dolorem aliquando temperaret, & fluuium lachrymarum cohiberet, ad Chriſti diuinitatem & maieſtatem animum attollebat, vt in eius impaſſibilitate conſolationem inueniret. Sed vnde fluminis impetum reprimere conabatur, inde mirabiliter maior lachrymarum impetus excitabatur. Cùm enim attenderet, quantus ſit ille, qui propter nos tam indigna & abiecta perpeſſus eſt, dolor recrudeſcebat, nouiſque lachrymis anima eius ſuaui compunctione renouabatur. Die quodam ante paraſceuen, cùm iam imminente Chriſti paſſione, maiori lachrymarum imbre, gemitibus & ſingultibus ſe cum Domino Ieſu mactare cœpiſſet, quidam ex eccleſiæ ſacerdotibus quaſi blandè increpando, hortabatur eam, vt cum ſilentio oraret, & lachrymas compeſceret. Illa verò, vt ſemper erat, verecunda & omnibus columbina ſimplicitate obedire ſtudens, cùm non ignoraret id ſe præſtare non poſſe, clàm è templo egrediens, in ſecretum quendam & ab omnibus remotum ſeceſſit locum: impetrauitque cum lachrymis à Domino, vt illi ſacerdoti indicaret, non eſſe in hominis poteſtate lachrymarum impetum retinere, quando flante ſpiritu vehementi fluunt aquæ. Cùm igitur eodem die preſbyter ille Miſſam celebraret, aperuit Dominus, & non fuit qui clauderet: emiſit aquas, & ſubuerterunt terram. Tanto enim lachrymarum diluuio ſubmerſus eſt ſpiritus eius, quòd parùm abfuit, quin præfocaretur: & quo plùs nitebatur coercere impetum, tanto ampliùs multo lachrymarum imbre non ille duntaxat, ſed & liber & altaris linteamina irrigabantur. Quid hic ageret incautus ille Chriſti ancillæ repræhenſor? Certa experientia non abſque rubore didicit, quod paulò antè per humilitatem & commiſerationem ſcire noluit. Poſt multos ſingultus, cùm multa inordinatè & cum interruptione pronunciâſſet, tandem à naufragio vix euaſit. Qui vidit & cognouit, teſtimonium perhibuit. Diù poſt Miſſæ abſolutionem Chriſti ancilla reuertens, miro modo perinde acſi præſens fuiſſet, quæcunque acciderant, ſacerdoti illi improperando retulit: Iamnunc, inquit, propria didiciſti experientia, non eſſe in manu hominis, impetum ſpiritûs Auſtro flante continere. Cùm autem per dies & noctes perpetuos aquarum exitus deducerent oculi eius, & ne lachrymæ eius non modò non hærerent in maxillis, ſed nec in eccleſiæ pauimento puluere mixtæ ſordes efficerent, panno lineo, quo caput ſuum tegebat, exciperentur; multis eiuſmodi pannis ſeu velaminibus vtebatur, cùm humectata lachrymis, ſicca flagitarent. Mihi verò condolentis & commiſerantis affectu, poſt longa ieiunia, poſt vigilias multas, poſt tantas lachrymarum inundationes ex ea percontanti, num exinanito, vt aſſolet, capite aliquam vel læſionem vel dolorem ſentiret, ita reſpondit:

Ingens eius compũctio ex conſideratione paſſionis Chriſti.

Nota efficaciā precum eius.

Magna copia lachrymarũ eius.

Hæ lachrymæ ſunt refectio mea: hæ ſunt mihi panes die ac nocte: nec caput affligunt, ſed mentem nutriunt: non dolore vllo afficiunt, ſed animam quadam ſerenitate exhilarant: non cerebrum euacuant, ſed animum ſatietate implēt, & ſuaui quadam mulcent vnctione: dum non vi extorquentur, ſed à Domino ſponte ſuppeditantur.

Nota de lachrymis.

De eius confeßione. Cap. 6.

IAm de eius confeſſione poſt compunctionem breuiter videamus. Teſtem Deum inuoco, me nunquam in tota eius vita vel conuerſatione vel vnum potuiſſe mortiferum peccatum deprændere. Si quod autem fortaſſis exiguum veniale ſibi admiſiſſe videretur, cum tanto cordis dolore, tanta cum verecundia & rubore, cum tanta contritione ſe oſtendebat ſacerdoti, vt plerunq; præ nimio cordis angore inſtar parturientis exclamare cogeretur: tametſi etiam ab exiguis & venialibus culpis adeò ſibi caueret, vt crebrò ad dies quindecim nec vnam inordinatam cogitationē in ſuo poſſet pectore reperire. Et quia bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt: ſacerdotum pedibus aduoluta, ſeſe accuſans, quædam eiuſmodi etiam cum lachrymis confitebatur, ad quæ nos vix potuimus à riſu abſtinere: putà, quædā verba puerilia, quæ in pueritia ſe dixiſſe recolens, dolebat. Poſtquam autē euacuauit ea, quæ ſunt pueri, tanto cum timore animam ſuam, tanto ſtudio ſenſus ſuos, tanta puritate cor ſuum cuſtodire nitebatur, ſemper illud præ oculis habens, Qui modica negligit, paulatim decidit: vt ne verbum quidem vllum aut adſpectum inordinatum, nec inhoneſtum corporis habitum, nec riſum immoderatum, nec indecētem vel indecorum corporis geſtum, in ea vnquam aut certè raro aduertere potuerimus: quanquam plerunque præ immenſo cordis gaudio, dum ſeipſam vix poſſet capere, aliquando liberiùs exhilarato vultu, externo corporis geſtu mentis iubilum prodere cogebatur, vtpotè vel riſum modeſtum ex cordis ſerenitate edendo, aut aliquam è ſuis ſociab' modico, eoq; pudico amplexu humaniſſimè excipiēdo, vel ſacerdotis alicuius manus vel pedes præ eximia deuotione oſculando. Cùm autem ad ſe tanquam à mentis quadā ebrietate rediſſet, & veſperi omnes actus ſuos ſeueriter commemoraret & examinaret, ſi vel in minimo modum ſe exceſſiſſe deprænderet, cum admiranda cordis cōtritione id confitebatur, & à ſeipſa pœnas exigebat: non raro etiam illic trepidans, vbi nullus erat timor. Nos verò ea ſola cauſa, noſtræ pigritiæ conſulere volentes, eam reprændebamus, quòd crebriùs, quàm vellemus, eiuſmodi minutias confiteretur.

Magna vitę innocentia.

Eccl. 19.

Etiam minimas culpas cū multo dolore confitetur.

De eius pœnitentia & ſatisfactione. Cap. 7.

POſtquam de eius confeſſione dictum eſt, iam porrò videamus, quàm multa & admiranda peritia corpus ſuum Domino immolârit, quàm magna & inſigni delectatione, Crucem Chriſti amplectens, carnem ſuam excruciârit. Primam illam diſcipulorum Chriſti prælectionem, primam illam euangelicæ diſciplinæ inſtitutionem, qua Dominus ait: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: ſæpiùs apud ſe animo reuoluebat, & his tanquam paſſibus tribus Chriſtum ſequi nitebatur. Non ſolùm enim aliena abnegauerat, nihil eorum appetendo, nec ſua duntaxat, omnibus illis nuncium remittendo: nec modò corpus, illud affligendo: ſed ſeipſam etiam, propriæ voluntati penitus valefaciendo. Itaque ſibijpſi renunciauit, vel ſeipſam abnegauit, alterius voluntati per obedientiam ſe ſubmittendo: tulit crucem ſuam, corpus inedia & abſtinentia caſtigando: Chriſtum ſecuta eſt per humilitatem ſeſe abijciendo. Guſtato autem ſpiritu, omnis carnalis delectatio ei deſipiebat: cumque aliquando in memoriam rediret, poſt quandam grauiſſimam ægritudinem ad breue tempus carnibus & vino, tanquam cogente neceſſitate, vſam ſe fuiſſe, præ horrore & abominatione præteritæ delectationis ſeſe afflixit, nec potuit ſpiritus eius quieſcere, donec illas qualeſcunque delicias mirabili cruciatu compenſaret. Feruore enim ſpiritûs ceu ebria, præ ſuauitate carnium agni paſchalis, carnem ſuam faſtidiens, non exiguas eius particulas cultello abſcidit, & præ verecundia in terra abſcondit. Et quia vehementiſſimo amoris igni accenſa, carnis dolores contempſit, vnum ex Seraphicis ſpiritibus in hoc mentis exceſſu ſibi adſtantem vidit. Horum autem vulnerum loca, cùm defunctæ corpus lauaretur, fœminę non ſine admiratione viderunt: qui verò ex eius confeſſione iſthuc didicerant, facilè nouerunt, vnde vulnera illa profecta eſſent. Iam qui Simeonis Stylitæ vermes, ex eius vulneribus ſcaturientes, qui beati Antonij ignem, quo pedes inflammauit,

Luc. 9.

Perfecta eſt abrenuntiatio.

Vide feruorē ſpiritûs carnis ſuæ cruciatus cōtemnentis.

mauit, venerantur & admirántur: cur non etiam in ſexu fragili tantam mulieris fortitudinem ſuſpiciant, quæ charitate vulnerata, & Chriſti vulneribus vegetata, proprij corporis vulnera contempſit?

De eius ieiunijs. Cap. xj.

Semel tantùm in die comedit. Eius cibus.

TAnta ſanè ieiunandi gratia Chriſti ancilla prædita fuit, vt diebus illis, quibus ob corpuſculi recreationem eam ad cœnam perinde atque ad medicinam accedere oportebat, ſemel, idque modicè in die, æſtate quidem ad veſperam, hyeme verò prima noctis hora ederet: ſed neque vinum bibebat, neque carnibus veſcebatur: piſcibus raro, & non niſi minimis. Fructibus arborum, herbis & leguminibus vtcunque ſuſtentabatur: panem nigerrimum atque aſperrimum, quem vix canes poſſent edere, multo tempore comedit, cuius nimia duritia & aſperitate fauces eius adeò lacerabantur, vt ſanguis inde manaret. Sed eum ſanguinem ſuauem ipſi efficiebat Chriſti memoria: cuius vulneribus vulnera eius mulcebantur, & dulcedine panis cæleſtis aſperrimi panis duritia edulcabatur. Quodam die cibum capiens, vidit hoſtem antiquum inuidia tabeſcentem, & cùm nihil poſſet aliud, inſultantem ipſi atque dicentem: Nimiùm te reples gulosa. Longis enim confecta & conſtricta ieiunijs, quandoque laborabat edendo: &, ſi vidiſſet ſtomachum frigidum & conſtrictum, velut alimenta reſpuentem, ex modico cibo tumeſcere, dolebat. At verò mali dæmonis fraudem & verſutias intelligens, quòd ipſam, vtpote religioſè formidoloſam, perturbare cuperet, vt nimia inedia conficeretur, deridens illum, tanto plus conabatur comedere, quanto ſerpens virulentus acriùs inde torquebatur. Sed ſiue manducaret, ſiue ieiunaret, omnia in Dei gloriam faciebat. Triennio perpetuo, à feſto S. Crucis vſque ad Paſcha, ſolo pane & aqua vſa eſt, nec tamen vllum inde vel valetudinis, vel laboris manuarij accepit detrimentum. Quando in cellula ſua, iuxta eccleſiam ſita, veſperi aut nocte corpuſculum ſolo pane & aqua reficiebat, à principio benedictionis vſque ad peractas gratiarum actiones, quidam ex ſanctis angelis ſobriæ cœnæ aſſiſtentes, coram illa quaſi per ſcalam illuſtrem aſcendebant: quorum præſentia tantam ei adferebat conſolationem & ſpiritûs exultationem, vt omnis ſuauitas guſtûs illa ſpiritali dulcedine facilè vinceretur. Sanctus quoque Iohannes Euangeliſta, quem impensè amabat, illa cibum ſumente, nonnunquam ad eius menſam veniebat: ad cuius præſentiam præ deuotionis affectu appetitus omnis ita proſternebatur, vt etiam exiguam eſcam capere vix poſſet. Ita corporales delicias, quibus Chriſti amore ſibi interdixerat, Dominus mentis delicijs compenſabat. Scriptum eſt enim: Non in ſolo pane viuit homo. Ex huius autem cibi fortitudine ita roborabatur, vt plerunque ad octo, interdum ad vndecim dies, putà à Chriſti aſcenſione vſque ad aduentum Spiritûs ſancti ſiue Pentecoſten, nihil prorſus cibi potúsve acciperet: & quod mirum videri poſſet, nec caput propterea doleret, nec aliquid de labore remitteret, non minùs prompta & expedita ad laborandum poſtremo ieiunij die, atque primo, nec ſi vellet, ijs diebus edere potuiſſet, donec portio ſenſitiua, quæ à ſpiritu quaſi abſorpta erat, ad ſeſe, vt ita dicam, rediret. Nam quandiù anima, ſpiritali refectione exuberans, ita plena erat, nullum cibum corporeum eam percipere ſinebat. Aliquando ad dies trigintaquinq; in tranquillo & beato ſilentio cum Domino ſuauiter quieſcens, nulla corporea vtebatur eſca, & per dies aliquot nullum poterat proferre ſermonem, niſi hunc ſolum: Volo corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti: quo percepto, rurſus cum Domino in ſilentio permanebat. Illis verò diebus ſentiebat ſpiritum ſuum, tanquam à corpore ſeparatum, ſic eſſe in corpore, ac ſi in luteo iaceret vaſe, & ipſo ſuo corpore tanquam luteo veſtimento circundari. Ita ergo à rebus ſenſibilibus abſtracta, & ſupra ſe in quandam ecſtaſin rapta, tandem poſt hebdomadas quinque ad ſe reuertens, aperiebat os ſuum, & mirantibus illis, qui aderant, loquebatur, cibumque ſumebat. Poſteà verò accidit illi, vt multo tempore nulla ratione neque carnium, neq; frixuræ alicuius, ſed nec vini poſſet odorem ferre, niſi quando poſt ſumptum Chriſti corpus pro ablutione vinum ſumebat: tunc enim citra vllam moleſtiam & odorem & ſaporem illius admittebat: & cùm iret per pagos aliquot, ab Epiſcopo Confirmationis ſacramentum perceptura, nihil affligebatur ijs odoribus, qui anteà ei fuerant intolerabiles.

Eludit ſatanæ ludibria. (margin)

Diuinis afficitur conſolationibus. (margin)

Deut. 8. (margin)

Vide ſtupendam abſtinentiam, & mentis exceſſum. (margin)

De

De precibus eius. Cap. 9.

QVAnto accuratiùs corpus ſuum macerabat ieiunijs, tanto ſpiritus liberior precibus pingueſcebat. Corpus extenuabatur inedia, & anima in Domino magis corroborabatur. Tam verò ſingularem à Domino obtinuit orandi gratiam, vt diu noctuque inuictum ab oratione ſpiritum aut nunquam, aut raro relaxaret. Sine intermiſſione enim orabat, vel tacito corde clamando, vel oris officio cordis affectum exprimendo: tantuſq; ab altari cordis eius fumus aromatum in conſpectu Domini aſſcendebat, vt etiam tum, cùm manibus operaretur, cùm manum mitteret ad fortia, & digiti eius appræhenderent fuſum, pſalterium coram ſe expanſum haberet, atque inde Domino pſalmos ſuauiter eructaret, ijſque ceu clauis quibuſdam cor ſuũ, ne ocioſè vagaretur, Domino copularet. Cùm autem ſpeciales pro aliquo, Domino preces offerret, miro quodam modo ille ei in ſpiritu reſpondebat. Ex adipe enim deuotionis, ſpiritus eius Domino coniunctus, ſuauiter in oratione pingueſcebat, cùm ſe ſentiret à Domino impetrâſſe, quod vellet. Ex ipſa nanque ſpiritûs ſui vel eleuatione, vel depreſſione, vtrùm exaudita eſſet, néene, plerunque animaduertebat. Orauit quandoque pro anima cuiuſdam defuncti, dictumque eſt ei: Non ores pro illo, quia à Domino reiectus eſt. Lethali enim vulnere confixus in illo haſtarum congreſſu vel certamine, quod torneamentum vocant, miſerè perierat, & æternis fuit ſupplicijs addictus. Die quodam in cella ſua apud eccleſiam Oegniacenſem multas vidit manus tanquam ipſi ſupplicantium. Admirans autem & ignorans, quid iſthuc ſibi vellet, nonnihil timore correpta, fugit ad eccleſiam. Altero die iterum in cellula ſua eaſdem vidit manus: & expaueſcens, rurſus volebat fugere ad eccleſiam, ſed manibus eam retinentibus retardabatur. At nihilo minùs ad eccleſiã, tanquam ad tabernaculum, confugiens, vt Dominum conſuleret, rogauit eum vt, quid illę manus ſibi vellent, ipſam certiorem efficeret. Reſpondit autem illi Dominus, defunctorũ animas, quæ in Purgatorio pœnas luerent, orationum ipſius ſuffragia expetere, quibus quaſi vnguento quodam precioſo, dolores illarum lenirentur. Nam præ diuinæ contemplationis dulcedine, ſolitas preces ſuas nonnunquam intermittebat: interdum nec os aperire, nec de vlla re alia, quàm de Deo, cogitare poterat. Solebat autem peregrinationis ſiue orationis cauſa quotannis viſitare eccleſiam beatiſſimæ Mariæ Oegniacenſem, ſiue de Oegnies, vbi magnam obtinebat à matre Domini conſolationem. Ea autem eccleſia, ab eo loco, in quo ipſa morabatur, ad duo milliaria aberat: cumque acriùs horrebat gelida hyems, nudis pedibus ſine vlla ſui læſione ad eccleſiam illam vſque ingrediebatur. Comitabatur autem illam vna duntaxat ancilla, & cùm via illa admodùm diſtorta & flexuoſa atq; nemoroſa eſſet, nec ipſi ſatis cognita, at tamen lumine quodam illam antecedente & viam monſtrãte, nunquam aberrabat. Et illo quidem die nihil prorſus edebat, & totam noctem in eccleſia peruigil exigebat, dieque altero ad veſperam vſque ieiuna permanebat, at nihilominùs domũ reuertens, ſine vlla difficultate iter conficiebat, angelis eam dextera læuaque ſuſtentantibus. Angelis enim ſuis mandauerat Deus, vt eam in omnibus vijs eius cuſtodirẽt, & in ſuis portarent manibus, ne forte ad lapidem offenderet pedem ſuum. Quòd ſi aliquando ea illud iter agente, vehemens imber è nubibus immineret, nec haberet illa veſtes pluuiæ excipiendæ opportunas, ſuſpiciens ad cælum, vidit quaſi ſtellas quaſdam, ipſi obſequendo, retinere pluuiam, atque ita inter ruentes è cælo imbres prorſus intacta permanſit.

Perpetuum eius precãdi ſtudium.

Viſio eius.

Purgatoriũ

Nudis pedibus hyberno tempore viſitat eccleſiã B. Mariæ

Pſalm. 90

Nonnunquam, cùm inter orandum holocauſtum eius pinguius fieret, & ſicut adipe & pinguedine anima eius repleretur, non potuit ceſſare à precibus. Itaque per diem & noctem millies & centies flectens genua, ſalutabat beatam Virginem, atque admirandum hoc & inauditum ſalutandi genus & officium, ad quadraginta dies cõtinuabat. Primò autem in ſpiritu vehementi ſine intermiſſione ſexcenties flectebat genua: deinde integrum Pſalterium ſtans legebat, ad ſingulos pſalmos beatiſſimæ Virgini flexis genibus angelicam ſalutationem offerens. Tertiò, Auſtro flante vehementiùs, trecentis vicibus ad ſingulas genuflexiones virga ſe percutiens, Deo & beatiſſimæ Virgini prolixo martyrio ſeſe immolabat. Tribus autem vltimis ictibus, tanquam ad aliorum condimentum, copioſum è ſuo corpore extrahebat ſanguinem. Tandem quinquagies flexis ſimpliciter genibus, ſacrificium conſummabat. Hæc autem non humana virtute, ſed angelico freta præſidio & ſuſtentaculo, faciebat. Vim autẽ & efficaciam precum eius ſæpe experti ſunt nõ ſolùm homines in ſubſidiũ, ſed

Vide precũ inſtantiam rarã & admirandam.

Corporis caſtigatio dura.

ſed etiam dæmones ad tormentum: quos adeò exagitabat & perurgebat, & quaſi quibuſdam vinculis implicatos, ad ſe pertrahebat, vt precum eius flammis & incēdio ad ipſam venire compellerentur, modò dentib⁹ frendentes in illam, modò vlulantes & de illa conquerentes, interdum etiam ceu ſupplicantes. Quòd ſi quiſpiam ex eius familiaribus aliqua tentatione eſſet infeſtatus, non ceſſabat precioſa illa Chriſti margarita, ſpiritu commiſerationis eam perurgente, donec orationum ſuarum pondere auctorem nequitiæ obrueret, & de manu fortiorum pauperem & inopem liberaret.

Magna eius poteſtas in dæmones.

Quidam ex amicis eius præcipuis, à dæmonio meridiano perambulante in tenebris, aliquando tanto periculoſiùs, quanto ſubtiliùs infeſtabatur. Callidus enim hoſtis transfigurans ſe in angelum lucis, ſub ſpecie pietatis ei familiariter in ſomnis apparebat, nonnunquam quædam eius vitia repræhendens, ad quædam etiam facienda bona eum fraudulenter adhortans, vt priùs tanquam antidoti cuiuſdam falſa ſpecie oblata poſteà occultiùs venenum inſtillaret: & mellita lingua blanditer exerta, poſtmodùm dētem infigeret, & ad extremū caudam ſuam quaſi cedrum ſtringeret. Cùm enim iam illi fides ceu veraci haberetur, tum inſtar ſophiſtæ & impoſtoris, veris quibuſdam proditor ille falſa permiſcebat, bonorum intermixtione falſis quandam vmbram inſidioſè prætexens. Tandem ſuis machinis eò perduxit fratrem illum, vt res eius peſſimum fuerint exitum habituræ, ſi nō ancilla Chriſti, reuelante ſpiritu ſancto, callidi veteratoris fraudes didiciſſet. Cùm autē diceret homini, reuelationes illas non eſſe à Deo, ſed maligni dæmonis illuſiones eſſe, & ille ediuerſo non ſancto, ſed ſuo ſpiritu obijceret: Cùm tot mihi beneficia præſtiterit ſpiritus ille, tot vera & futura prędixerit, nullo pacto mihi vult imponere: illa ad ſolita orationum arma confugiens, pedes Domini rigat lachrymis, cælum precibus inſtanter pulſat, nec facit finem, donec impius ille impoſtor, cum multo gemitu & pudore, ipſi nocte in cellula ſua orāti adſtaret: quem illa commentitio præditum ſplendore intuens: Quiſnam es tu? inquit, aut quis vocaris? Ille ſuperbo, vt erat, vultu eam toruis oculis viciſſim adſpiciens, Ego ſum, ait, quem tu maledicta precibus tuis compuliſti venire ad te, quæ meum mihi amicum per vim auferre conaris. Somnium autem ego vocor. Multis enim, prę-ſertim religioſis, in ſomnis inſtar Luciferi appareo, mihique obediunt illi, & ex meis conſolationibus animis efferuntur, dignoſque ſe putant, qui diuinis & angelicis fruātur colloquijs. Amicum illum meum, quem pro tua voluntate mihi abſtuliſti, à bono propoſito iam eram retracturus. Et id ſanè rei euentus docuit: ſed oua aſpidum rupta ſunt, & maligni illius fraudulenta conſilia in lucem prolata.

Nota impoſturam fallacioſi dæmonis.

Iob 40.

Angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelū lucis.

Puella quædam in monaſterio Ciſtercienſis Ordinis inter ſanctimoniales ſub habitu monaſtico Domino ſeruiebat. Inuidit verò illi tanto acerbiùs antiquus ſerpens, quòd in ſexu fragili & ætate iuuenili tam arduæ viæ inſtitutum eam complexam videret. Itaque cernens illam ſimplicem, formidoloſam & humilem, vt per puſillanimitatem & immodicum timorem, eam in deſperationem adduceret, blaſphemis & ſordidis cogitationibus eius animum vexauit. Illa verò, vt erat meticuloſa & talium tentationum rudis ac imperita, in ipſo eiuſmodi cogitationum primo acceſſu putabat ſe fidem amiſiſſe: & diù quidem multo cum dolore reſtitit, ſed tandem virulenti ſerpentis ſibilum ampliùs ferre non ſuſtinens, nec interim pectoris ſui vulnus, vt medicinam acciperet, aperiens, præ puſillanimitate in deſperationem prolapſa eſt. iamque adeò eius mentem malignus hoſtis depreſſerat, vt nec orationem Dominicam, nec Symbolum Apoſtolicum dicere poſſet. Nec voluit confiteri peccata ſua: & ſi nonnunquam vel blanditijs adducta, vel minis compulſa, quædam confiteretur, nulla ratione permoueri potuit, vt veniam peteret. Non potuit intereſſe ſacramentis Eccleſiæ, non Chriſti corpus percipere: nec rarò præ animi perturbatione ſibijpſi manus adferre conata eſt: verbum Dei & ſalutares admonitiones ſpernebat: omnis boni odio laborabat: multas per os eius diabolus blaſphemias euomebat. Fiebant quidem à pijs ſororibus eius multæ ad Dominum preces pro illa, ſed columbam ſuam è faucibus tartarei accipitris extorquere, & illud genus dæmonij precibus & ieiunijs eijcere nequibant: non quòd clemens ſponſus tot ſanctarum virginum orationes ſperneret, ſed quòd dæmonium atrociſſimum ſingulari ancillæ ſuæ vincendum & profligandum ſeruaret, quæ precum ſuarum efficacia maxillas Leuiathan perforaret, & ab eius ore prędam illam vi extraheret. Adducta eſt itaq; puella ad eam: illa vero, vt erat ſpiritu commiſerationis & melle ſpiritalis dulcedinis affluens, eam benignè ſuſcepit, non modò in cellulam ſuam ſtudio hoſpitalitatis, ſed etiam in cor ſuum charitatis ſpiritu & beneuolentia: cumque multùm pro ea rogaret Dominum, nequam,

Dæmō valdè infeſtus eſt cuidam ſanctimoniali.

Pernicioſè illa tacerē tatione ſuā

Maria hæc multis precibus & ieiunijs liberat eam.

nequam ſpiritus, quam ſe fortiter tenere exiſtimabat, relinquere noluit. Tum illa ſeipſam Domino prolixiùs immolans, quadraginta diebus in lachrymas, preces & ieiunia incubuit, ſed ita tamen, vt bis vel ter hebdomadibus ſingulis cibum acciperet. Eo ieiunio abſoluto, teterrimus ille ſpiritus, relicta puella, ad Chriſti ancillam cum dolore & ignominia venit coactus, & ab Angelo Domini mirabiliter vinctus & tortus, ita vt videretur quaſi reiectis per vomitum viſceribus, omnia inteſtina ſua ad collum geſtare. Quod enim inuiſibiliter Dominus in ſpiritu operatur, id quandoque per ſigna quędam exteriora viſibiliter oſtendit. Rogauit autem gemebundus Chriſti amicam, vt ipſius miſeretur, & mulctam ipſi irrogaret. aiebatque quicquid ipſa iniungeret, id ſibi neceſſariò faciendum incumbere. Illa verò, vt quæ nunquam quicquam ſibi arrogaret, nec aliquid vellet ſine conſilio facere, acciuit ad ſe magiſtrum quendam, ipſius familiarem amicum, cui benè confidebat. Illo conſulente, vt eum iuberet ire in deſertũ locum, vbi nulli vnquam vſq; ad ſupremi iudicij diem nocere poſſet, alius quidam ſuperuenit, vtriq; ſatis familiaris: qui cùm rem cognouiſſet, pro maiori ſpiritûs vehementia & feruore, Nequaquam, inquit, ſic euadet ille furcifer, ſed iubeas illum confeſtim abire in profunda inferorum. Illa ergo id præcipiente, & dæmone cum vlulatu deſcẽdente, tantus tartareorum ſpirituũ clamor excitatus eſt, ipſa in ſpiritu audiente, quòd magnus & potens quidam è ſuis princeps ad ipſos veniret, vt multùm illa obſtupeſceret, & Domino gratias ageret. Porrò puella eadem hora liberata, facta confeſſione peccatorum ſuorum, Chriſti corpus accepit, & Deo gratias agens, ad ſuum monaſterium reuerſa eſt. En vt comprimitur ſuperbiſſimi dæmonis arrogantia.

Nonnunquam Chriſti ancilla poſt multas vigilias & preces in lectulo ſuo nonnihil quieſcente, ſub diuerſis formis apparebat ei diabolus, frendens in eam, eique maledicens: Malo tuo, inquiens, quieſcas: nobiſcum in gehenna ſit requies tua. Non minùs enim torqueor quiete tua, quàm labore & precibus tuis. At illa ſubridens, edito Crucis ſigno, eum diſcedere compellebat.

De vigilijs & ſomno eius. Cap. 10.

GRAuem & intolerabilem temporis ocioſè traducti iacturam fortis illa & prudens mulier cenſebat. Dies enim præterlabuntur, ſed non redeunt, nec reuocari poſſunt. Itaque temporis amiſſi damnum irrecuperabile eſt. cæteræ autem res temporariæ, ſi ſint amiſſæ, reſtaurari poſſunt. Quamobrem ſummo cauebat ſtudio, ne quam vnquam noctis vel diei horam, quantùm fieri poterat, ocioſa tranſmitteret. Noctibus rarò dormiebat, ſciens homini ſomnum non ad meritum, ſed ad humanę infirmitatis recreationem à Deo clementer attributum. Non enim meremur dormientes, cùm nulla tunc nobis ſit liberi arbitrij vſura. Vnde quantùm potuit, à ſomno abſtinens, nocturnis vigilijs tanto deuotiùs, quantò liberiùs abſque vllo circunſtrepentium ſonitu, Domino vacabat. Abſtinentia enim, qua corpus ſuum conficiebat & exiccabat, & ignis diuini amoris intus ardens, omnem ab ea ſomnolentiam profligabant: ſuaues etiam angelorum cantus, cum quibus non rarò noctes inſomnes ducebat, omnem ab eius oculis ſomnum abſque vlla corporis moleſtia abigebant. Separatæ enim ab hominum frequentia nocturnis horis, aderat beatorum ſpirituum exercitus, quorum ſonus mirabilis, tanquam caſtrorum, dulci quadam harmonia mulcebat aures, torporem omnem repellebat, recreabat caput, mira ſuauitate afficiebat mentem, excitabat deuotionem, inflammabat affectum, & ad laudem & gratiarũ actionem ſuo inuitabat exemplo, cùm ſæpiùs repeteret, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus. Attendant hæc, & lugeant miſerabiles & ſtultæ fœminæ, quæ laſciuis cantionibus ignem libidinis in ſeipſis excitant, & anhelitu ſuo prunas ardere faciunt: ſicque à cantu Angelorum alienæ, pereunt in ſua vanitate, earumque riſus in luctum, gaudium in mœrorem ſempiternum, cantus in vlulatum mutabitur: habebuntque, vt Dominus ait per Eſaiam, pro zona funiculum, pro ſuaui odore fœtorem, pro criſpanti crine caluitium. Tempus nõ ſinit ocioſè labi. Somni parciſſima eſt. Miris fouetur cæleſtibus conſolationibus. Eſa. 3.

At noſtra Maria choreas vanitatis & omnes ſatanę pompas Chriſti amore proculcans, feliciùs & ſuauiùs iucundiſſimis Angelorum choreis meruit intereſſe. Et quia precioſas ſanctorum reliquias, quibus copioſè munita & ornata eſt eccleſia Oegniacenſis, nocturnis cuſtodiebat excubijs, ſancti, quorum erant eæ reliquiæ, noctem feſtam cum ea ducentes, & cuſtodi ſuæ tanquam applaudentes, mirabili conſolatione ſpiritum eius exhilarabant. In extrema quoque eius ægritudine commiſerantis affe- Precioſæ Sãctorum reliquiæ.

Lectulus eius. ctu eam conſolantes, patrocinium ei apud Deum & mercedem pro labore atque cuſtodia pollicebātur. Habebat verò lectum in cellula ſua, in quo non niſi parum ſtraminis inerat. Et dormiebat quidem in illo, ſed rarò: nam frequētiùs ſedens in eccleſia, capite ad murum inclinato, exiguo ſe ſomno recreabat, & ita ad iucundos vigiliarum labores reuertebatur. Sicut enim ſitiens, dum dormit, fontes aquarum ſomniat: & eſuriens, fercula ſibi apponi imaginatur: ſic illa eum, quem concupiſcebat & ſitiebat, (Matt. 6.) per nocturnam etiam quietem ſemper ob oculos habebat. Vbi enim amor, illic ocu(Iohan. 12.)lus: vbi theſaurus eius, ibi etiam cor illius erat. Inde eſt, quod Dominus ait: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Nec rarò eam Dominus, perinde vt ſanctum Ioſeph (Matt. 1. & 2.) & alios ſanctos, per ſomnum admonuit: immò multa ei dormienti oſtendit, multis reuelationibus, ne vel ſomnus ocioſus eſſet, eam viſitauit, ſicut erat per Prophetam (Ioël. 2.) ſuum pollicitus: Senes, inquit, veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.

Permittebatur interdum ſomnum capere in cellula ſuā: nonnunquàm verò, cùm (Preſentiam Chriſti in Euchariſtia dicit, quę in templis aſſeruatur.) magnæ imminerent ſolennitates, non niſi intra eccleſiam in Chriſti præſentia potuit obtinere requiem: & tunc noctes atq; dies illic permanere cogebatur. Angelo enim ſuo, ipſius cuſtodiæ deputato, tanquam Abbati ſuo eam oportebat obedire, iſque eam interdum nimijs confectam ieiunijs, vt quieti ſe daret, admonebat: cumque paululum quieuiſſet, excitabat eam, & ad eccleſiam reuocabat. Eoipſo vehementer eam incitante, & virtutem ſuppeditante, quodam tempore à ferijs S. Martini vſq; ad Quadrageſimam adeò eccleſiæ pauimento adhæſit anima eius, vt ſiue ſederet, ſiue iaceret, inter ſe & nudam terrā nihil penitùs, ne feſtucam quidem exiguam ferre poſſet: cumque ante altare dormiret, non niſi meram humum, vel lignum ad altaris baſim tranſuerſim poſitum, pro puluinari haberet. Et tamen ea hyeme tanta erat frigoris immanitas, vt etiam ſub ſacrificio in ſancto calice, vinum repentè, quod equidem memini, congelaret: cùm interim illa nec frigus ſentiret, nec caput, ſancto Angelo manum ſuam humaniſſimè interponente, vel tenuiter doleret. Væ vobis, qui dormitis & laſciuitis in ſtratis veſtris, & in lectis eburneis, qui mollibus delectamini, in veſtris vo(Iob 21. Eſa. 14.)luptatibus mortui & ſepulti: qui ducitis in bonis dies veſtros, ſed in puncto ad inferni nouiſſima deſcendetis, vbi ſubter vos ſternetur tinea, & operimentum veſtrum erunt vermes. Ecce famulæ Chriſti, dum ſuo Domino religioſè ſeruit, humus obſequitur, (Sap. 5.) ne eius duritia atteratur: parcit hyems, ne frigore crucietur: ſancti miniſtrant angeli, ne vlla ex parte lædatur. Contra vos autem inſenſatos pugnabit orbis terrarum pro Domino: armabitur creatura Dei ad vltionem inimicorum eius, quæ ſuo authori inſeruiens, aduersùm vos excandeſcet, de vobis ſupplicium ſumptura.

De eius veſtibus & habitu corporis. Cap. xj.

QVæ vellere agni immaculati veſtiebatur, quæ veſte nuptiali intrinſecus ornata erat, quæ Chriſtum intus induerat, cultum vel ornatum externum habebat neglectui. (Et ſordes et munditiam nimiam nō fert in veſtibus.) Interim tamen mediocribus vtebatur veſtibus: & neque affectatæ ſordes, neque exquiſitæ munditiæ vnquam ei placuēre. Itaq; ornatum & ſordes ęquè fugiebat, quòd alterum delicias, alterum vanam gloriam redoleat. Sciens autem beatiſſimum Iohannem ab aſperitate veſtium à Domino commendatum, & dictum eſſe à Chriſto, Qui (Matt. 11.) in domibus regum ſunt, mollibus veſtiuntur: ſubucula ad carnem vti noluit, ſed aſpe(Vtitur cilicio.)ro ſacco cilicino. Tunicam habuit laneā coloris albi, & eiuſdem coloris pallium ſimplex, abſque vlla vel pellium vel alterius panni ſubductione: non ignorans primos pa(Gene. 3.)rentes noſtros poſt ruinam, à Domino, cùm nudi eſſent, non veſtibus precioſis, vel multa arte tinctis, ſed tunicis pelliceis indutos fuiſſe. Harum ergo veſtium ſimplicitate contenta, cùm intrinſecus ferueret, nullum externum metuebat frigus, nec opus (Nota rem miram.) habebat igne, quo frigus hyemis depelleret: immò mirādum in modum cùm hyems aſperior glaciali frigore aquas conſtringeret, vti feruebat intus ſpiritu, ſic foris corpore, præſertim inter orandum, calebat, idque adeò, vt ex ſudore eius aromatico nonnū(Sudor eius aromaticus)quā etiam veſtes redolerent. Et erat plerunq; ſanè odor veſtimentorum eius, ſicut odor thuris, cùm ex cordis thuribulo preces Domino offerret. Quid hic dicturæ eſtis vanæ & faſtuoſæ mulieres, quæ multa indumentorum varietate oneratis cadauera veſtra, & veſtibus longas caudas trahentibus, degeneres vos & belluinas declaratis, circumornatæ templorum inſtar? Veſtra veſtimenta comeduntur à tineis, & putent: ſanctæ huius mulieris veſtes in reliquijs habentur, & ſuauiter redolent. Sunt hæ nimirùm pre-

precioſæ veſtes,quas licet admodùm tenues,nullum potuit penetrare frigus,atq; ideò propter frigus ſanctificatæ ſunt: propter ſanctificationem autem,poſt eius obitum ab hominibus pijs & diligenter aſſeruantur,& pietatis affectu,honore afficiuntur.

De eius labore manuario. Cap. 12.

SCiebat prudens mulier primis parentibus generis noſtri poſt peccatum admiſſum, & in ijs omni poſteritati eorum hanc Dominum irrogâſſe mulctam, vt in ſudore vultus ſui veſcerentur pane ſuo. Quamobrem manibus ſuis,quãdiù potuit, vt corpus per pœnitentiam affligeret,vt indigentibus neceſſaria,& ſibi victum & veſtes, quæ omnia Chriſti amore reliquerat,acquireret,laborauit.Tantam autem operandi virtutem ei Dominus contulerat, vt ſocias ſuas longo poſt ſe interuallo relinquens, & ſe & aliam ferè ſuo labore ſuſtentare potuerit,diligenter attendens illud Apoſtolicum: Qui non laborat, nõ manducet. Ducebat autem omne laboris exercitium iucũdiſſimum, cùm attenderet vnigenitum excelſi regis filium,qui aperit manum ſuam,& implet omne animal benedictione.laboribus ſancti Ioſeph & pauperculæ Virginis enutritum. Itaque in quiete & ſilentio, iuxta Apoſtoli conſilium,manibus operando, panem ſuum manducabat. In ſilentio enim & ſpe erat fortitudo eius, atq; intantùm turbam & ſtrepitum fugiebat,quietem & ſilentium diligebat,vt quodam tempore à feſto S. Crucis vſq; ad Paſcha Domini,ne vnum quidem verbum locuta ſit:quod quidem vſque adeò gratum fuit Domino,vt ex Spiritûs ſancti reuelatione didicerit,eo vel maximè ſe id impetrâſſe,quòd citra Purgatorij pœnas,migraret ad cælos.Poteſt inde haud obſcurè animaduerti,quàm ſit graue loquacitatis vitium, cùm tam gratum ſit Domino ſilentium. Vir linguoſus, ait Propheta, nõ dirigetur in terra viuentium.Tandem autẽ talentum ſibi creditũ in dies ſolerti negociatione multiplicans, & ſemper de virtute in virtutẽ per ſcalam,quam vidit Iacob patriarcha,aſſcendens,cùm iam in excelſo cõſtituta,& tanquam in ſupremo gradu ſita,omnia ſub pedibus ſenſibilia reliquiſſet, adeò ab vbertate ſpiritûs abſorpta eſt eius portio ſenſitiua,vt iam non niſi cibum illum, qui non perit,Chriſto totã eam occupante,operari poſſet. Atque ita ceu emerita & ab omni manuario opere immunis,deinceps ſoli Domino vacauit: qua libertate Chriſtus donauit ancillam ſuam.

2.Theſ.3. Pſal.144. 2.Theſ.3. Eſa.30. Silentium eius quantũ Deo placuerit. Pſalm.119. Gen.28.

De compoſitione vultûs & totius corporis. Cap. 13.

INteriorem mẽtis eius conſtitutionem geſtus exterior, corporis totius compoſitione declarabat,cordiſque eius gaudium vultûs ſerenitas latere non ſinebat. Miro autem moderamine cordis grauamen vultûs hilaritate temperabat, & mentis iucunditatem verecundæ faciei ſimplicitate nonnihil celabat:cumq; velit Apoſtolus, vt mulieres velato capite orent,velamen candidum,quo caput tegebat, ad oculos eius ſubmiſſum erat,ſicq; demiſſo in terram vultu, tardo maturoq; inceſſu humiliter ingrediebatur. Adeò autem de plenitudine cordis in faciem eius ſpiritûs ſancti gratia redũdabat, vt multi ſolo eius adſpectu ſpiritaliter refecti,ad pietatem & lachrymas prouocarentur:atq; in eius vultu, tanquam in codice vnctionem ſpiritûs ſancti legẽtes, virtutem ab eo proficiſci ſentirent. Quodam die Guido, eccleſiæ Cameracenſis quondã Cantor,vir humanus & hominum religioſorum ſtudioſus & amicus, vt eam poſſet inuiſere,à ſuſcepto itinere deflexit.Quidam autem ex ſocijs eius,qui fortaſſis necdum expertus erat,quantum hominibus pijs conferat congreſſus & familiaritas bonorum, eius pium laborem deridens, ait: Quid iſthuc rei eſt,Domine Cantor? Cur ab itinere fruſtrà diuertis? Viſne muſcas & papiliones inſtar puerorum perſequi & compræhendere? Ille verò,vt erat mitis & patiens,nihilo minùs in ſuo permanſit propoſito,Chriſtiq; ancillam,ex cuius præſentia non exiguam anteà conſolationem perceperat,religioſè inuiſit.Cùm autem cum illa miſceret ſermones,ſocius eius, vt ſolent homines mundo dediti,eos paruipendens,interim cum alijs de rebus varijs & infrugiferis colloquebatur.Sed cùm iam longa expectatio tædium illi adferret, venit ad Cantorem, moniturus vt finem faceret:& ecce dùm fortè in ancillæ Chriſti vultum oculos defigit,ſubitò mirabiliter mutatus animo,tantam profudit lachrymarum vim, vt etiam poſt longum temporis interuallum,ab eo loco & eius præſentia ægrè potuerit amoueri. Tum Cantor,licet ille præ verecundia latere vellet,animaduertens quid ei accidiſſet,exhilaratus animo,eumq; viciſſim irridens: Eamus,inquit: quid hîc ſubſiſtimus?

1. Cor.11. Mira gratia in vultu eius. Quidã ſolo aſpectu vultûs eius mirè compungitur.

fortaſſis papiliones abigere vis. At ille, cùm poſt multa ſuſpiria & lachrymas vix inde auulſus eſſet, ita ait: Ignoſce mihi: neſciui enim antea, quid dicerem: at nunc in hac fœmina omnipotentis Dei virtutem experientia cognoui.

Quodam tempore, cùm corpuſculum eius feruorem ſpiritûs diutiùs tolerare non poſſet, in magnam incidit ægritudinem, piusq́; pater filiam, quam diligebat, adeò diſciplinæ flagello caſtigauit, vt membra corporis eius mirabiliter torquerentur. Nã velut in orbem brachia eius præ dolore agitabantur, pectusq́; manibus tundere cogebatur. Paululùm autem ad tempus vi morbi ſe remittente, illa ad ſe reuerſa, tanto cum gaudio Domino gratias agebat, qui flagellat omnem filium, quem recipit, vt illud Apoſtoli in ea impletum cerneretur: Cùm infirmor, tunc potens ſum. Poſtquam autem tanquam in fornace hac infirmitate electam ſuam probauerat Dominus, excocta iam ad purum & prorſus expolita, tãtas deinde à Domino in vigilijs, ieiunijs & laboribus perferendis accepit vires, vt etiam fortes homines tertiam laborum eius partẽ ægrè ſint toleraturi. At tamen accidit nonnunquam, vt ſi quis ex amicis eius aliqua moleſtia laboraret, vel tentationi ſuccumberet, tunc illa quoque cum infirmo infirmaretur, & cum ſcandalizato vehementi dolore vreretur: & plerunq́; etiam eum, quem iam diximus, morbum in aliquo membro ſuo ſpeciatim ſentiret. Mox autem nouo quodã miraculi genere, accito ad ſe ſacerdote, illoq́ue digito ſignum Crucis ad locum à morbo infeſtatum exprimente, tanquam ſanctæ Crucis vim reformidans morbus, ad locũ alium ſe transferebat: rurſus autem edito Crucis ſigno, & ad ſingula loca repetito, vagus & profugus morbus ſanctæ Crucis pondus ferre ampliùs non ſuſtinens, tandem mirabili & inaudito venationis genere exagitatus, à corpore ancillæ Crucifixi penitus recedebat. Illa autem intuens oculis fidei in ſerpentem æneum, à ſerpentini morbi liberata morſibus, Deo & ſanctę Cruci multiplices agebat gratias. Non ſolùm autem ex contemplatione vultûs eius multi deuotionis gratiam hauriebant, ſed etiam ex mutuo colloquio quibuſdam dulcedinem ſtillabat: idq́ue adeò vt non modò ſpiritaliter in animo, ſed ſenſibiliter etiam ceu mellis quendam guſtum in ore perciperent. Sed hæc audient duri & tardi ad credendum, & murmurabunt: qui verò eiuſmodi diuinas conſolationes experti ſunt, facilè ſibi perſuaderi ſinunt, memores illius in Canticis canticorum: Fauus diſtillans labia tua ſponſa: mel & lac ſub lingua tua: Vnde cùm vir quidam eximius, licet ſuo ipſius iudicio exiguus, qui pro ſingulari modeſtia & humilitate atque inſigni charitate ex longinqua regione ad eam inuiſendam venerat, quandoque cum illa loqueretur, ex eius conſpectu tantam percepit conſolationem, ex ſermone verò tantam dulcedinem, vt toto illo die mellitum guſtum, quem in ore ſentiebat, nullus cibi corporei ſapor abolere poſſet. Eius autem ſancti viri nomen deinduſtria ſubticemus, quòd ſui prædicatione mirabiliter crucietur, & velut aurum in fornace, laudantium ore probetur. At inde tamen id conſecutus eſt, quòd piùs animarum conſolator ſerui ſui, ſua cauſa exilium patientis, vel maximè releuauit amaritudinẽ. Sed quæſo te, cur verecundia afficeris? Cur mihi iraſceris? Quis verò nomen expreſſit tuum? Num tu ſolus exulas? An non multi ante te fuêre exules? non multi Epiſcopi, multi Toloſani ante te fuêre, & poſt te eſſe poterunt? An verò propter tuam verecũdiam ancillæ Chriſti laudes ego reticere debui? Quid iſthuc ad te attinet? Quid habes, quod non accepiſti? Non tua hæc, ſed Chriſti gloria eſt. Neque enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Non tua ſunt, ſed Domini, quæ dixi: quanquam & Dei ſunt dantis, & tua, humiliter ea accipientis. & ancillæ Chriſti, cuius meritis Dominus peregrinationis tuæ moleſtias releuauit. Sed iam primo huic libello finem imponamus, in quo de ijs, quæ ad exteriorem hominem pertinent, & ſenſibiliter extrinſecus exercentur, diximus: vt quaſi dimidij itineris confectis ſpatijs, priuſquam ad interiora & ſubtiliora tranſeamus paulìſper reſpiremus.

Heb. 12. 2. Cor. 12.

Magnas à Domino vires accepit.

Vis S. Crucis.

Num. 21.

Efficacia ſermonũ eius.

Cant. 4.

Fulconem Toloſanũ Epiſcopum haud obſcurè dicit.

1. Cor. 3.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De varijs filiæ regis virtutibus, & vt ornata fuerit ſeptem donis Spiritûs ſancti. Cap. I.

IAM porrò, quanta fuerit filiæ regis gloria intrinſecus, qualiſque virtutum varietate circundata & ornata ſit à patre luminum, videamus. Multæ quidem filiæ in diebus noſtris congregauerunt diuitias: ſed hæc ſola, vt piè credimus, ſupergreſſa eſt vniuerſas: cui pater eius cæleſtis tunicam talarem polymitam, omnigenis virtutibus pictam, omniuarijs hortorum Domini floribus decoratam contexuit. Cùm ſit autem impoſſibile nobis, omnes ſplendidi firmamenti huius ſtellas, cunctos amœni prati huius flores, & vniuerſas virtutum eius varietates ſingulatim commemorare, ad ipſas cauſas originarias, è quibus ceu fontibus quibuſdam bona cuncta manârunt, putà ad ſeptem ſancti ſpiritûs dona nos vertemus. Impleuit enim eam Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, & ſpiritu timoris Domini. Spiritus ſapientiæ, delicijs ſpiritalibus affluentem & charitate feruentem: ſpiritus intellectûs, rerum cæleſtium contemplatricem: ſpiritus conſilij, prouidam: ſpiritus fortitudinis, patientē & longanimem: ſpiritus ſcientiæ, circunſpectam & moderatam ſiue diſcretam: ſpiritus pietatis, miſericordiæ viſceribus abundantem: ſpiritus timoris Domini, cautam & humilem regis filiam effecit.

Eſa. 11.
Effectus 7. donorū Spiritusſancti.

De ſpiritu timoris Domini. Cap. 2.

DE ſpiritu timoris Domini primo loco agemus: qui non ſolùm principium eſt ſapientiæ, ſed etiam bonorum omnium cuſtos. Etſi autem perfecta charitas timorem omnem, id eſt, timoris pœnam & angores foras miſit & excluſit à filia regis: at nihilo minùs præ amoris abundantia adeò erat ſolicita & religioſa ſiue timorata, tantamq; cautionem cunctis ſuis nedum operibus, ſed etiam verbis & cogitationibus adhibebat, vt nulla etiam exigua negligeret. Crebrò enim attendebat eam ſcripturæ ſententiam: Qui ſpernit modica, paulatim decidit. Verebatur omnia opera ſua, prouidēs Dominum in conſpectu ſuo ſemper, atque in omnibus vijs ſuis cogitans illum, ne fortè in aliquo ei diſpliceret. Sciebat enim, etiamſi quis vitet grandia, poſſe tamen arena paulatim obrui. Multi capilli Abſoloni ab arbore pendenti exitium attulêre: & multa peccata venialia, dum ex contemptu placent vel negliguntur, ad æternum interitum perducunt. Erat igitur ei timor caſtus in corde, tanquam faſcia pectoralis, quæ cogitationes cōſtringeret: tanquā frenū in ore, ꝗ linguā coërceret: in opere ceu ſtimulus, ne deſidia torperet: denique velut norma & regula in omnibus, ne vnquam modum excederet. Timor hic inſtar ſcoparum purgabat cor & animum à duplicitate, os à falſitate, opera ab omni vanitate. Ita illa, tanquā hortus concluſus & fons ſignatus, nihil præter Chriſtum & ea quæ ad Chriſtum attinerent, facilè recipiebat. Chriſtus erat meditatio eius in corde, ſermo in ore, exemplum in opere. Nunquam ego verbum ſeculare, ſiue quod mundum reſiperet, ab eius ore audiuiſſe me memini: porrò vix periodum vnam inter loquendum abſoluebat, quin Chriſtum crebrò intermiſceret. Vſqueadeò timor Domini ſanctus mentem eius occupârat, vt cùm eſſet apud Villenbroc prope Niuellam, herbas duntaxat, quæ non ſeminantur, & alia ſponte naſcentia, non raro colligi voluerit, vt inde ſibi pulmentum coqueret: ne fortè captum à beſtia, id eſt, eleemoſynas, quas raptores & fœneratores domibus leproſorum conferre ſolent, manducaret. Abſtinebat enim non ſolùm ab illicitis, ſed à licitis etiam, ne laxa quadam nimiaque libertate aliquo modo ad illicita deflecteret. Ex eodem timoris ſpiritu tantum cōceperat paupertatis amorem, vt etiam res neceſſarias vix retinere vellet. Quandoque fugere conſtituerat, vt inter extraneos ignota & contempta, oſtiatim ſibi victum emendicaret, ſicque nuda nudum Chriſtum ſequeretur, relicto pallio omnium rerum temporalium cum Ioſeph, hydria cum Samaritana, ſindone cum Iohanne. Sæpè enim apud ſe conſiderans Chriſti paupertatem, vt ei nato non fuerit locus

Pſal. 110.
Pro. 1. & 9.
Eccle. 19.
2. Reg. 18.
Periculoſū paruipendere minuta peccata.
Studiū paupertatis.
Gene. 39.
Iohan. 4.
Marc. 14.

cus in diuerſorio, vt non habuerit, vbi caput reclinaret, vt pecunia defuerit, vnde tributum ſolueret, vt denique ex eleemoſynis victitare, & alienis hoſpitijs excipi voluerit: tanto aliquando paupertatis deſiderio incenſa fuit, vt aſſumpto ſacculo, in quo eleemoſynas reponeret, & paruo ſcypho, vnde aquam biberet, vel in quo etiam fortaſſis pulmentum, ſi mendicanti daretur, acciperet, vetuſtis induta pannis, adeò prorſus diſcedere voluerit, vt multis amicorum lachrymis ægrè tandem poſſet retineri. Cùm enim valedixiſſet ſuis, & in tali habitu cum ſacculo & ſcypho Chriſti paupercula iter vellet arripere, tantus dolor, tanta lachrymarum vis amicos eius, qui illam in Chriſto diligebant, obtinuit, vt ea, quippe viſceribus charitatis affluens, id ferre nequiret. Coarctata ergo vtrinque, cùm flagraret deſiderio fugiendi & mendicandi cum Chriſto, potiùs tamen eò inclinauit, vt maneret propter fratres & ſorores, quibus eius abſentia intolerabilis videbatur. Fecit igitur, quod potuit. Tantus autem deinceps paupertatis amor in ea perſeuerauit, vt interdum mappam, de qua panem edebat, vel alia linteamina ſciderit, partem ſibi retinens, partem dans pauperibus. Væ vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: qui impleri non poteſtis pecunia, nec fructum ex illa capere: qui theſaurizatis vobis in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt & furantur: ſemper congregantes, & ſemper inopia tabeſcentes. Quid vnquam huic Chriſti pauperculæ defuit, quæ diuitias ſemper reſpuit, & tamen ſemper, quod alijs largiretur, habuit? ſemper paupertatis ſtudioſa fuit, & tanto copioſiùs res neceſſarias ei Dominus ſuppeditauit.

Eſa. 5. In diuites auaros. Matt. 6.

Quàm nihil de ſe ſenſerit.

Nec tamen hoc ſpiritu timoris diuitias duntaxat contempſit, ſed præ ſpiritûs paupertate adeò erat exigua in oculis ſuis, adeoque ſe deijciebat, vt non alio ferè, quàm nihili loco ſe haberet: & cùm omnia benè & rectè feciſſet, non ſolùm ore fatebatur, ſed etiam animo ſentiebat, inutilem ſe eſſe: cunctiſque inferiorem ſe exiſtimans, nihil vnquam de ſe præſumebat, ſed omnes ſe ſuperiores arbitrabatur. Cumq; aliquid à Domino beneficij acciperet, aliorum meritis id adſcribebat, nunquam ſuam quærens gloriam, ſed omnia referens ad eum, à quo bona cuncta procedunt: immò ipſis Dei beneficijs indignam ſe putans. Nullum quantumuis abiectum aut peccatis obnoxium ſpernens, ſe ſolam deſpiciebat, atque ab alijs ſe deſpici, pro nihilo ducebat. Per infamiam & bonam famam, à dextris & à ſiniſtris ſcuto veritatis circundata, cùm eſſent tenebræ eius, ſicut & lumē eius, nec vituperijs deprimebatur, nec laudibus efferebatur. Præ multa autem humilitatis abundantia, quantum in ipſa erat, ſemper latere appetebat. Vnde cùm præ cordis iubilo & gratiæ plenitudine intra ſe occultare ſe non poſſet, quandoque ad vicina rura vel dumeta confugiebat, vt humanos vitans oculos, ſecretum ſuum Deo & ſibi intra puræ conſcientiæ arcam conſeruaret. Interdum tamen, precibus amicorum compulſa, vel à Domino ad aliquem ſpecialiter miſſa, ſiue etiam commiſerationis affectu, vt puſillanimes conſolaretur, incitata, ex multis, quæ ſentiebat, pauca humiliter & verecūdè referebat. O quoties dixit ad amicos: Quid de his ex me quæritis: Non ſum ego digna talia ſentire, qualia vos ſciſcitamini: nec rarò cum murmure quodam Domino reſpondit: Quid iſthuc ad me attinet Domine? Mitte quem miſſurus es: non ſum digna, vt eam, & conſilia tua alijs nunciem. Nec tamen ſancti ſpiritûs inſtinctui potuit reſiſtere, quin, vt aliorum conſuleret infirmitati, quædam nunciaret. Quot illa familiares ſuos ab impendentibus periculis præmonuit ac præmuniuit? Quoties occultos malignorum ſpirituum laqueos amicis ſuis detexit? Quoties puſillanimes & in fide vacillantes, diuinæ reuelationis miraculis confirmauit? Quid igitur, ô meticuloſa, erubeſcis? Cur indigentibus tot bona, ô auara, ſubtrahis, præ nimia humilitate à proximorum ædificatione te ſubducens? Num tua cauſa, quæ Deo quaſi inſeparabiliter adhærebas, nec eiuſmodi reuelationibus indigebas, tot & tanta tibi oſtendit Deus: ac non pro illorum potiùs commodo & vtilitate, qui tibi credebant, & auxilio tuo habebant opus? Sed eheu quàm multa & magna intra ſilentium continuiſti, quibus & firmi magis ac magis roborari, & pigri vrgeri, & indocti illuminari poſſent, immò ipſe etiam Dominus in ſanctis ſuis mirabilis declarari? Cur ita talentum abſcondis? Cur Chriſtū tuum non indicas mundo, qui tibi in nullo erit minor, ſi eū alijs communices? Aut non quandoque à rege introducta in cellam vinariam, ita præ ſpiritûs ebrietate clamâſti? Cur te Domine abſcondis: Cur te, qualis ſis, non declaras? Profectò ſi mundus te cognoſceret, decęterò non peccaret, ſed quamprimùm curreret poſt te in odore vnguentorum tuorū. Sed benedictus Deus, qui tenacitatem tuam retudit liberalitate ſua, & latebras tuas, velis nolis, in lucem produxit. Nam cùm feruentis

Cupit latere ſemper, & neſciri.

Cogitur diuinitùs aperire alijs ipſi à Deo reuelata.

Cant. 2. Cant. 1.

uentis ſpiritûs æſtuânte muſto,niſi ſpiraculum haberes,iam rumpi te oporteret, & ignis ardorem abſq; ſpiramento ferre diutiùs nõ ſuſtineres:tum demum à puero, quod dici ſolet,& ebrio extorquebatur veritas:tunc mira & inaudita de interiori plenitudine eructans,è libro vitæ,modò nos capaces fuiſſemus,multas & mirabiles prælectiones nobis feciſti,è diſcipula in magiſtram repentè mutata. Cùm autem,tanquam potens crapulatus à vino,poſt ſomnum expergefacta ad te redires,tum vel oblita, quid dixiſſes,ſilebas:aut ſi qua fortaſſis memoriæ redderentur, præ verecundia pudefacta, fatuam,loquacem & garrulam te cenſebas,admirãſque quidnam paſſa eſſes,à Domino veniam precabaris.

Percontantibus nobis quandoque,num ex laudibus humanis,vel diuinis reuelatiõnibus vana gloria vel leuiter titillari ſe ſentiret,ita reſpondit: Comparatione veræ illius gloriæ, quam ego experto, nihil prorſus eſt vel exiſtimari poteſt omnis humana gloria & prædicatio. Erat illa ſanè in Domino tanta veritate fundata, tanta grauitate ſolidata,adeò veris bonis plena,adeò ſpiritalibus epulis ſaginata & exuberans,vt omnem humanam gloriam,omnem humanæ laudationis vanitatem, præ bonorum æternorum dulcedine,non ſolùm non admitteret,ſed etiam cum quadam animi abominatione reſpueret ac faſtidiret:perinde atque varijs deliciarum ferculis exatiatus, ſi ei inſulſum & inſipidum aliquid offeratur,auerſari ſolet. Sicut autem non poteſt illi Chriſtus dulceſcere,cui adhuc dulcis eſt mundus:ita Chriſti dulcedo totam eius mentem adeò occupauerat,vt nihil illi ſaperet extra Chriſtum. Quàm prorſus flocci pẽdebat vanã gloriam.

De ſpiritu pietatis. Cap. 3.

PORrò autem non ſolùm ab omni ſpecie mala cauebat ſibi ſpiritu timoris,ſed etiã pietatis ſpiritu ad bona omnia prona & propenſa erat. Exercitationem corporis pro paruo ducebat comparatione pietatis,quæ,iuxta Apoſtolũ, ad omnia valet, promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt,& futuræ. In lampade cordis ſui ignem charitatis oleo miſericordiæ iugiter fouebat,ne fortè cum fatuis virginibus abſque oleo depræhenſa,à nuptijs æternæ iucunditatis repulſa excluderetur. Satagebat itaq; pro viribus cuncta miſericordiæ opera ex abundanti cordis pietate foris exercere:& vel maximè adeſſe & opitulari ægrotis,& defunctorum ſepulturæ intereſſe:vbi ſanè multa ei arcana cæleſtia ſepiſſimè à Domino reuelata ſunt. Cùm ſoror fratrum de Oegnies ſupremum traheret ſpiritum,illa intra cellulam ſuam perſenſit multitudinem frementium & rugientium dæmonum ad eius ægrotæ lectulum adeſſe, cùm iam pro ea fieret commendatio.putabant enim iam defunctam. Tum illa ſolitæ grauitatis & innatæ verecundiæ quaſi oblita,ad lectulum illius accurrit,terriſque illis ſpiritibus ſe opponens, non ſolùm precibus eos oppugnabat,ſed etiam pallio tãquam muſcas abigebat. Cùm autem ſceleſti illi terribiliter reſiſterent,ſororiſq; animam,vt ſuam, ſibi vẽdicare vellent:tum illa ampliùs non ferens,clamabat ad Chriſtum ſuum, eiuſq; crucifixi ſanguinem & mortem continenter implorabat: cumq; rugientes illi, præparati ad eſcam, multis calumnijs animam illam exagitarent,illa tandem à ſpiritu ſancto fiduciam concipiens,(vbi enim ſpiritus Domini, ibi libertas) in hæc verba prorupit: Domine, ego pro hac anima fideiubeo. Nam tametſi peccauit,at confeſſa eſt peccata ſua. Quòd ſi fortaſſis negligentia aut ignorantia quippiam in ea hæſit,licet loqui non poſſit, manet tamen adhuc illi tua benignitate contritionis ſpatium. Fratres interim voces tantùm & geſtus eius aduersùs dæmones percipiebant,& Domino pro anima ſororis ſuæ deuotas preces fundebant. Tandem victis & pudore affectis dæmonibus, ſanctiſq; angelis aduentantibus,illa Deo laudes grateſq; agens,ad ſe reuerſa, quieuit: receptoq; pallio ſuo,quod in illo conflictu abiecerat,ad cellulam ſuam cum verecundia recurrens, clauſo oſtio,deliteſcebat. Non diù pòſt,cùm in ferijs Apoſtolorum Petri & Pauli pro eadem anima deuotè ſupplicaret,& de eius ſtatu,quippe pro qua fideiuſſiſſet, ſolicita eſſet,beatiſſimus Petrus Apoſtolus oſtendit ei animam illam diris Purgatorij pœnis affectam,ſimulq; & pœnas ipſas,& pœnarum cauſas ei indicauit. Magno cruciabatur ardore,quòd mundum & ſeculi voluptates nimis ardenter amâſſet. Interdum etiam acerrimo affligebatur frigore,quòd pigra & deſes fuiſſet ad bona agenda, tum vel maximè,quòd liberos & familiam ſuam admodũ negligenter correxiſſet. Siti etiam miſerandum in modum torquebatur,quòd plùs ſatis fuiſſet potationi dedita. Nuditate quoque,quòd veſtes ſuperfluas habuiſſet,valdè affligebatur At pia Chriſti ancilla,vt viſceribus pietatis tota affluebat,erga illos præſertim,qui in Purgatorio torquebãtur,

1. Tim. 4.

Matt. 25.

Valdè ſtudioſa eſt operum miſericordiæ.

2. Cor. 3.

Vide inſignem charitatem.

Pœnę cuiuſdam animę in Purgatorijs locis.

non fuit contenta precibus ſuis, ſed multa illi etiam ab alijs precum & ſacrificiorum ſuffragia conciliauit.

Religioſa quædam vidua, quæ in ſancta viduitate diù ſeruierat Domino, & filias ſuas in ſancta virginitate ſponſo cœleſti integras ſeruabat, in Villenbroc prope Niuellam in extremis laborabat. Vidit autem hæc noſtra Maria beatam Virginem ſanctæ viduæ aſſiſtentem, & quaſi flabello quodam caloris æſtum, quo torquebatur, humaniſſimè temperantem. Cùm autem anima illius iam eſſet egreſſura è corpore, turba dæmonum inſidiantium nulli orationum inſtantiæ cedere voluit, donec clauiger æthereus Crucifixi vexillo eos turpiter pudefactos profligaret. Poſtquam autē defuncta eſt, vidit Chriſti ancilla beatam Virginem cum multitudine cæleſtium puellarum pſallentium & Deum laudantium, & velut in duos choros diſtributarum, circa eius corpus verſari: cumq; ſacerdos pro more exequias celebraret, ſummus ſacerdos Chriſtus cum ſanctorum frequentia officium, vt videbatur, etiam complebat, & mirandum in modū Eccleſia triumphans militanti reſpondebat. Poſt humatum corpus eius, vidit Chriſti famula animā eius, quòd in hoc ſeculo ad purum purgata nō fuiſſet, in Purgatorijs locis pœnas luere. Habuerat enim maritum mercatorem, qui nonnulla, vt ſolent mercatores, mala fide acquiſierat: quoſdam etiam ex familia Ducis Louanienſis hoſpitio acceperat, qui multa de rebus malè partis in eius ædibus expenderant. quæ cùm necdū eſſent reſtituta, aiebat ſe eorum cauſa in Purgatorio retineri. Id verò vbi reſciuit filia eius virgo Deo deuota, Margareta de Villenbroc, & ſorores eius, multas pro ea preces fieri curârunt, & pro viribus reſtituerunt malè poſſeſſa. Nec diù pòſt anima illius viduæ vitro purior, niue candidior, ſole ſplendidior apparuit ancillæ Chriſti, ad æternas epulas gaudens & gratulabunda proficiſcens, & quaſi librum vitæ, vt videbatur, tenens manu, & in illo, ſummi magiſtri facta diſcipula, lectitans.

Viſio huius Mariæ.

Peccatum non dimittitur, niſi ablatum reſtituatur.

Sanctus quidam & beatus ſenex, qui à puero in innocentia & virginitate perſeuerauerat, iam morti propinquabat. (dicebatur is Iohannes Duniacenſis, cognomine Hortulanus, cunctaq; pro Chriſti amore reliquerat, & tum exemplis, tum ſanctis adhortationibus ſuis multas Domino animas lucratus fuerat.) Aderat illi ægrotanti Chriſti famula, viditq; frequentes angelos ſeni hilariter aſſiſtere, ſimulq; ſenſit odores gratiſſimos. Itaq; præ gaudij immenſitate capere & continere ſe non potuit. valdè enim amabat virum, & ceu patris loco eum habebat. Reuelatum autē ei eſt à ſpiritu ſancto, ſenem illum, qui in vita ſua tantam egiſſet pœnitentiam, tot opprobria & perſecutiones Chriſti cauſa æquo animo tolerâſſet, tam iuſtè & religiosè vixiſſet, tot Chriſto animas lucrifeciſſet, citra vllam Purgatorij moleſtiam liberè ad Dominum euolare. Itaq; quoties ſepulcrum eius, quod eſt apud Oegnies, prætertiret, ſemper humiliter inclinabat caput. Poſteà verò, cùm extrema laboraret ægritudine, anima ſancti ſenis huius cum alio amico eius defuncto, fratre Richardo de Meneſar Capella, cauſa viſitationis & conſolationis ſpecialiter ad eam miſſa eſt à Domino.

Iohannis Duniacēſis viri ſanctiſſimi obitus

Erat Chriſti ancilla multa commiſeratione prædita, & erga ægrotos piiſſima, adeò vt apud illos etiam interdum noctes duceret inſomnes. Mater fratrum Oegniacenſiū grauiſſimo eoque diuturno laborabat morbo. Ei nonnunquam aderat Chriſti famula, vt eam conſolaretur: ſed cùm eſſet iam propè centenaria anus illa, & tenderet ad extrema, eius anhelitus admodùm fœtebat, ita vt nocte quadam ei aſſiſtens ſancta mulier, ſine magno cordis dolore vix ferre illum poſſet. At nihilo minùs hęrebat apud illam, & quaſi per vim à ſeipſa extorquebat, vt illic permaneret. Sed cùm iam ampliùs ferre non poſſet ac propè deficeret, reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, & in os eius immiſit guſtum quendam vini aromatitæ, & in eo guſtu odorem ſuauiſſimum tanquam accenſi thuris, iſque ferè triduo manſit illi, ita vt nullius cibi ſapor eum guſtum aromaticū ab ea poſſet excludere. Multis verò ægrotis ex eius præſentia conſolationem & patientiam præſtitit Deus, ſæpè etiam corporis ſanitatem eius meritis reſtituit. Oblati ſunt ei quandoque pueri rupti, & illa manus eis imponens, ſanos à ſe dimiſit.

Mariæ huius erga ægrotos humanitas.

Curat pueros ruptos manûs impoſitione.

Puer quidam prope Oegnies periculosè laborabat, ab eius auricula ſanguine è capite perpetuò manante. Nihil arte vlla medicorum curari potuit, tandem medicina precum ancillæ Chriſti & admotione manûs eius integerrimè reſtitutus eſt, cumq; mater eius ad eccleſiam attulit, & Deo ancillęq; eius gratias egit.

Quædam mulier ad tactum eius à gutturis apoſtemate ſiue anginæ morbo, quo periculoſiſſimè laborabat, ſe ſenſit liberatam: itidem & clericus quidam apud Oegnies, eodē affectus incōmodo. Audiui ego ex ſacerdote Niuellenſi, Guerrico nomine, ipſū aduerſa

Item fœminam morbidam.

aduerſa valetudine, vſque ad medicorum omnium deſperationem, laborantem, cùm iam nemo eſſet, qui ei auderet ſanitatē promittere, veniſſe ad Chriſti ancillam, multiſque precibus ab ea obtinuiſſe, vt ipſi manum imponeret: porrò eadem nocte viſum ipſi eſſe in ſomnis, beatiſſimam Virginem Mariam venire ad eum, illaque recedente, ipſum reualuiſſe. Alius ſacerdos, vir pius & humilis, eiuſque ſpiritalis pater Guido Niuellanus tumorem gutturis patiebatur: quem vbi ſua manu Chriſti ancilla tetigit, curatus eſt. Item alios quoſdam.

Alius quidam, cuius vitam omnes deſperauerant, quique medicis multis fruſtrà adhibitis, iam nihil niſi mortem expectabat, contactu capillorum eius ſanatus eſt. Sed quid ego in paruis commemorandis hæreo, cùm multa & magna & admirāda ſuperſint? Etſi enim pium eſt morbis corporum mederi, longè tamen præſtantius eſt animabus adferre ſanitatem. Nullum enim ſacrificium tam placet Deo, quàm zelus animarum. Semper illa læta, ſemper hilaris, ſemper cordis iubilo perfuſa erat, niſi cùm doloris nubem quādam periculum vel ruina animarum eius animo adferret. In hoc ſolo, vt pace eius loquar, modum non habuit. Lugebat anxia, mœrebat deſolata, cibum non capiebat, ſomnum ab oculis repellebat, & plerunque clamabat inſtar parturientis. Quanto, putas, dolore ſauciata eſt, cùm rugientes & frementes dæmones cateruatim incurrerent in congregationem illam ſanctarum virginum, Deo religiosè ſeruientium in pago, quem Manni vocant? & cùm tandem voti compotes impij & inuidi illi præ gaudio tripudiarent, cùm ſanctæ fœminæ inde expellerentur? Certè clamans illa & eiulans, præ dolore ſeipſam ferre vix potuit. Mirè cruciatur periculis animarum.

Vidit quandoque maximum damnatorum ſpirituum exercitum, qui veluti à prælio adhuc cruenti, cum ſuperbo & faſtuoſo ſtrepitu à vaſtato Leodio reuertentes multò atrociora elato vultu minarentur. Paulò pòſt venerunt nuncij in Oegnies, qui Leodium euerſum, eccleſias prophanatas, mulieres vi oppreſſas, ciues iugulatos, res omnes totius vrbis ab hoſtibus direptas referrent. Erat tum fortè apud Oegnies vir ſanctus, inculpatis moribus, & bona etiam apud improbos exiſtimatione, totius Leodienſis diœceſis lumen, doctor & pater ſpiritalis, magiſter Iohannes Niuellanus. Is vbi infauſtos hos percepit rumores, mente conſternatus, incredibili dolore affectus eſt, veritus pro paterna ſolicitudine, ne fortè ſanctæ virgines, quas ille ſuis concionibus & exemplo Domino lucratus erat, vi oppreſſę eſſent, quemadmodùm falsò quidam ſparſerant. Non multùm doluit direptione rerum temporalium, quas ſemper luti inſtar habuit: ſed eccleſiarum prophanationem et animarum perditionē vir ſanctus, cunctis virtutibus egregiè & inſigniter ornatus, acerbiſſimè deplorabat: lugebat pater filios, patronus eccleſias, amicus ſponſi virgines, quas caſtiſſimo ſponſo caſtas exhibere cupiebat. At verò Chriſti ancilla, iiſdem auditis rumoribus, non admodùm turbata eſt, ita vt mirarentur, qui non erant neſcij, quantoperè amaret pudicas virgines, Leodij Chriſto deuotè famulantes. Sed præuenerat & præmunierat eam Dominus, quippe qui non ignoraret, quàm atrocem eius animo dolorem allaturi eſſent rumores eiuſmodi, ni præmuniretur. Cumque fratres Oegniacenſes, vt ſolent Clerici, non mediocriter ſibi timerent, quòd fama ſparſerat hoſtes eò venturos, illa interim nihil perturbabatur, nihil formidabat, ſanctis Angelis eam conſolantibus, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis nunciantibus. Porrò quòd ad domum Oegniacenſem attinet, multa pace & tranquillitate fruebatur; in ſpiritu certior effecta & de pace ſuorum, & de ſanctarum, quas diximus, virginum minimè corrumpenda integritate. Attamen videbatur ipſi terra tremere & quaſi conqueri, quòd ijs hominibus alimenta ſuppeditaret, qui in creatorem ſuum tam immani ſcelere incurrerent. Leodij vaſtatio. Iohānes Niuellanus vir integerrimus.

Miles quidam eius regionis, vnde ipſa traxerat originem, genere nobilis, militia ſtrenuus, & ſeculi vanitatibus deditus, inanis ſcilicet & vanus, diuinitùs permotus & ſanctæ mulieris admonitionibus & precibus adiutus, relicto mundo, ad Dominū conuerſus eſt. Tum verò dæmon effrenis & mirabiliter pudefactus, apparuit ancillæ Chriſti queribundus, & minaci vultu, inſtar canis prægrandis ſæuiens in eam, & dicens: O te proteruam, & nobis inimicam atque aduerſam, quæ ingens damnum nuper dediſti mihi, quando vnum è præcipuis miniſtris meis abſtuliſti. Iam aliquandiù milite illo in bono propoſito perſeuerante, accidit vt quodam die ederet apud hoſpitem & creditorem ſuum, ciuem Niuellanum opulentum: cuius in ædibus, cùm eſſet ſecularis, ſępè admodùm diſſolutè vixerat, & vt ſolent milites, res ſuas prodigè dilapidārat. Nec ita facilè ab eius familiaritate ſubducere ſe poterat, quòd etiamnum illi eſſet obęratus. Dæmō fatibundus apparet Mariæ.

Cùm autem hoſpes ille multa ei delicata fercula apponeret, & epularentur ſplendidè, animaduertens impurus ſatan tempus ſibi ad tentãdum hominem opportunum adeſſe, extruxit aggerem, vt caperet ciuitatem munitam. Reduxit itaq; illi in memoriam qua fuiſſet gloria præditus in hoc mundo: pepones quoque & allia Aegypti & ollas carnium, verſipellis ille ob oculos reuocauit. Illo verò iam animo vacillante, quippe quem inſtar tritici cribraret ſatan, clementiſſimus hominum amator, qui neminem patitur tentari ſupra vires, qui linum fumigans non extinguit, & calamum quaſſatum non conterit, ancillæ ſuæ in ſpiritu indicauit, quemadmodùm miles ille dum non vitat ſecularium hominum conſortia, animo imbecillo fluctuet. Itaque illo mente vaga, multa ſecum ad menſam agitante, ecce nuncius ancillæ Chriſti adeſt, clàm ad oſtium domûs expectans, & vbi eum compellandi data fuit opportunitas, vt ad dominam ſuam quamprimùm veniat, ei denuncians. Cùm ergo veniſſet ille ad locum, vbi Chriſti margarita extra Niuellam degebat, inuenit eam præ mœrore & cordis anxietate quaſi languidam, & pedes Crucifixi, quos complexa erat, lachrymarum imbre rigantem. Admirans itaque, & præ verecundia animo conſternatus, cur ita lugeret, ſciſcitatur. At illa: meritò, inquit, lugeo & doleo cauſâ tua: miſeria tua perturbat animum meum. Spiritu cœpiſti, & iam carne vis miſerabiliter conſummari & perire, quando miſſa manu ad aratrum, retrò cum vxore Lot reſpicis, ingratus planè & immemor beneficij, & immenſæ miſericordiæ illius, qui te ex mundi conflagrantis incendio, tã multis alijs pereuntibus, extraxit. Tum ille ad ſe reuerſus, & tantæ reuelationis miraculo ſalubriter compunctus: Ignoſce mihi, inquit, pia mater, & ora pro me miſero: en ego Deo & tibi polliceor, me deinceps in eius, qui me per te reuocauit, ſeruitio conſtanter permanſurum. Cùm autem mundus eum quadam ex parte detineret, multiſq; etiamnum ſecularibus implicatum negocijs, crebrò ad potentium aulas ire compelleret, ſocij quondam eius, itemq; cognati & familiares, velut mortuum eum deplorantes, immò ceu in monſtrum quoddam digitos in eum intendentes, partim eum irridebant, partim blanditijs emollire, partim iniurijs & contumelijs exacerbare & frangere nitebantur. Quidã etiam ſatanæ ſatellites virum nobilẽ & eiuſmodi iniurijs non aſſuetum, per cucullum vel capitium trahebant: quibus omnibus ille admirandæ patientiæ ſcutum opponebat, licet nonnunquam humano more nonnihil erubeſceret. Cùm aũt domum rediret, inſtar ouis è luporum rictibus elapſæ, poſt iſtas tempeſtates ad ſpiritalis matris conſolationem recurrebat. Ea verò miro quodã modo diuinitùs edocta, & conuicia atq; opprobria, quæ pertulerat, & horam, in qua nonnihil perturbatus fuerat, prophetico ſpiritu referebat. Heri, inquit, hac hora indigebas auxilio, & ego pijſſimo Saluatori pro te preces obtuli, vt tibi pręſtaret imitatione ſui proſpera mũdi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Quo miraculo & ancillæ Chriſti conſolatione adeò confirmabatur, vt domum eius, ſuper firmã petram fundatã, nec vẽti, nec flumina poſſent impellere in ruinã. Nec rarò ſanè impellebatur vt caderet, ſed Dominus ancillę ſuę meritis permot⁹, manũ, ne laberetur, ſupponebat.

En quãtum nocet, non vitare peccandi occaſiones.

Gene. 19.

Filij ſeculi huius irrident & exagitant Chriſto ſeruire cupientem.

Vidit quandoque Chriſti famula apud Villenbroc dæmones callidis machinationibus tendere clàm laqueos, vt quoſdam ex ipſius amicis caperent, quorum ruina ingens poſſet ſcandalum afferre. Sed cùm iam intendiſſent arcum, vt ſagittarent in obſcuro rectos corde, illa non contenta lachrymis & precibus, ſuſcipiebat ieiunium, ſciens eiuſmodi genus dæmoniorum non facilè eijci, niſi oratione & ieiunio. Itaq; cùm diebus quadraginta humiliâſſet in ieiunio animam ſuam, Dominus miſertus ancillæ ſuæ, nec eius afflictionem diutiùs ferre volens, oſtendebat illi, quemadmodùm ipſius amicum liberâſſet, ſimul indicans, in quam horrendam peccati foueam ille corruiſſet, ni ieiunijs & precibus eius ſatan oppreſſus eſſet. Væ nobis, qui in hac miſeria tantum amiſimus ſolatium, tantum in afflictionibus & tentationibus præſidium, niſi cõpenſet nobis in cælo, quod perdidimus in hoc exilio.

Pſalm. 10. Marc. 9. Vide efficaciam precũ & ieiuniorum Mariæ huius.

Etſi autem aduerſum varios & multiplices animorum languores & morbos precũ eius inſtantia efficax eſſet medicina, attamen contra blaſphemiæ & deſperationis ſpiritum ſingulari quadã gratia eminebat: & vt inter alios omnes ſpiritus ille nequiſſimus eſt ad infeſtandum, ita illa fuit potentiſſima ad opitulandum. Monachus quidam Ciſtertienſis inſtituti, immoderato quodam innocentiæ & puritatis zelo impulſus, præ ſpiritûs feruore ad ſtatum primi parentis Adæ pertingere nitebatur. Suſcepit ea cauſa laboris plurimum, affligebat ſe inedia, vigilijs & precibus. ſed cùm hæc omnia fruſtrà eſſent, nec poſſet ad illam innocentiam peruenire, primò incidit in tædium & acediam. Volebat ille cibum ita ſumere, vt nullã inter edẽdum ſentiret delectationem,

Monachi cuiuſdam periculoſa tentatio.

nem. Primos ſenſitiuę portionis ſiue ſenſualitatis motus conabatur nō ſolùm reprimere, ſed etiam extinguere penitus. Contendebat abſque vllo veniali peccato vitam in perfecta puritate tranſigere. Erat ea tentatio dæmonij meridiani, ad impoſſibilia eū inſtigantis. Laborabat ſanè permultùm, ſed nullo labore potuit eò, quò intendebat, pertingere. Itaque præ mœrore tandem in deſperationis foueam prolapſus eſt, cùm perſuaſum haberet, ſe in eo corruptionis ſtatu, in quo eſſet, ſalutem nulla poſſe ratione adipiſci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non poſſumus, ille mortiferorum criminum loco habebat: nec volebat propterea ſumere corpus Chriſti etiam illis diebus, quibus id monaſticus Canon vult percipi. En ad quam calamitatem, quàm horrendam & miſerabilem ruinam ſub ſpecie boni, hoſtis ille teterrimus ſimplicem hominem perduxit, ita vt infirmus reſpueret medicinam, & iugum obedientiæ à ſe repelleret, qui propriæ voluntati ſemel nuncium remiſerat. Et vt hic aliquid ex fabulis non tamen fabuloſè, & vana nō vanè & fallaciter referamus, monachus hic, qui ad primi hominis innocentiam & puritatem peruenire nitebatur, cui ſimilis putandus eſt, niſi ranæ illi, quæ cùm videret bouem magno robore & grandi corpore, volebat etiam ipſa illas vires & corporis molem adipiſci. Itaq; intendit ſe totam, & quoad potuit, inflauit: ſed fruſtrà. nec enim ſi vel rumperet ſeſe, vnquam poſſet ad bouis quantitatem pertingere. Sic frater iſte, dum voluit excedere limites virium ſuarum & ſupra ſe efferri, infra ſe per deſperationem miſerè collapſus eſt. Eius autem animi morbum pius quidam & bonorum omnium fautor Abbas vbi cognouit, cum alijs multis Dominum pro illo deprecabatur: ſed præualuit inimicus, & quem laqueo forti conſtrinxerat, eum ſine intermiſſione vexabat. Tandem Abbas ille, quòd non ſolùm ancillæ Chriſti eſſet amicus, ſed etiam virtutem eius, quippe quam in ſeipſo expertus erat, non ignoraret, monachum illum ad eam curauit adduci. Et ecce orante illa pro monacho cum lachrymis & ſuſpirijs, cùm ille ante Miſſæ Introitum, Confiteor, diceret, & illa inſtantiùs pro eo oraret, quaſi atri quidam lapilli ad ſingula cōfeſſionis verba ex ore monachi decidere videbantur. Tum illa animaduertens in hac viſione, obſtinationem deſperationis & triſtitiæ nigredinem à monacho receſſiſſe, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt cōuertatur & viuat. Monachus verò peracto ſacrificio tanquam è longinqua regione ad ſe reuerſus, Chriſti corpus accepit, & ea ſalutari percepta medicina, perfectè curatus eſt.

Sub ſpecie boni miſerè fallitur ille.

Precibus ſuis Chriſti ancilla eū liberat.

Ezech. 18.

De ſpiritu ſcientiæ. Cap. 4.

QVoniam autem in vitandis malis per ſpiritum timoris, & faciendis bonis per ſpiritum pietatis, neceſſaria eſt cautela & circunſpectio moderationis ſiue diſcretionis, pater luminum, cuius vnctio docet nos de omnibus, ſpiritu ſcientiæ filiam ſuā illuſtrauit, vt ſciret, quid quemadmodùm vel fugiendum eſſet, vel agendum, vt ſic omne ſacrificium ſuum ſale condiret. Mala enim ſunt vicina bonis, & plerunque dum volumus vnum aliquod vitare vitium, labimur in contrarium: vt cùm quis cauet, ne ſit prodigus, incidit in auaritiam: & volens vitare pompas veſtium, è ſordido indumēto gloriam venatur. Vitia enim non rarò virtutum ſpeciem mētiuntur: ſed ita pernicioſiùs homini imponunt, cùm ſibi ſumunt habitum virtutum. Sic ſub iuſtitiæ prætextu crudelitas exercetur: remiſſa ſegnities, humanitas & manſuetudo creditur: plerunque neglectus corporis id agit, quod putatur eſſe indulgentiæ. At Chriſti ancilla neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinans, mediam eamq; beatam vitam atque viam miro ſectabatur moderamine. Reddebat Deo, quod erat Dei, & cum proximis, quantum in ipſa erat, pacem colebat: nec cum pacificis duntaxat, ſed cum illis etiam, qui oderunt pacem, erat pacifica, prudenter inter homines prauæ nationis cōuerſans, omnibuſque omnia facta, vt omnes Domino lucrifaceret.

1. Iohan. 2.

Leuit. 2.

Vitia induunt virtutū ſpeciem.

Duo ſecundùm carnem fratres eius & quidam alij, licet mundo dediti, diuina inſpiratione & eius prudenti adhortatione permoti, relictis omnibus, Ciſtertienſe inſtitutum complexi ſunt. Nonnunquam ſuauiùs Domino, tanquam quę vnus cum illo ſpiritus effecta eſſet, amoris glutino inhærenti nos ſignificabamus, quoſdam è longinquis regionibus aduenisse, qui eam videre cuperent, & abire feſtinarent. Nam tametſi adiuràſſet nos Dominus per capreas ceruoſq; camporum, ne ſuſcitaremus neque euigilare faceremus dilectam, donec ipſa vellet: quādo tamen id nunquā illa volebat, ſed ſemper optabat cum Domino cubare in meridie, cum fiducia quadā illam cōpellantes,

Cant. 2.

lantes, vix excitare potuimus. Vbi verò didicit exteros adeſſe, ne cui fortè eſſet offendiculo, à ſuaui illa contemplationis quiete & iucunditate, & à caſtiſſimis ſponſi immortalis amplexibus, ſibijpſi vim adhibens, tanto cum dolore ſeſe abſtrahebat, vt interdum, quaſi ruptis viſceribus, purum eumque benè multum vomeret ſanguinem vel expueret: malens hoc affligi cruciatu, quàm fratrum, præſertim peregrè venientium, perturbare pacem. At nonnunquam tamen, ex diuina ſancti ſpiritus reuelatione quoſdam, licet adhuc procùl poſitos, aduentare ſciens, in propinqua rura vel nemora ſe abdebat, ita vt vix toto die poſſemus reperire latitantem. Interdum propter quorundam indigentium vtilitatem, non niſi ſpiritu ſancto eam incitante, cogebatur ſomnum ſuum abrumpere, dicebat illi ſpiritus: Quidam te non curioſitate, ſed neceſſitate adactus expectat.

Cum ſumma difficultate ab interioribus ad externa ſe conuertit Maria hæc.

Quanuis autem non ſolùm erga proximos bonos, ſed etiam improbos mira moderatione ſiue diſcretione pacem conſeruaret: at tamen erga ſe vnâ viſa eſt nobis nōnunquam immoderata & indiſcreta, nimiùm ſeſe abijciens, & vltra modum affligens: At nihilominùs eò magis erga ſe diſcreta fuit, quòd nihil de ſe attentare auſa eſſet, niſi familiariter docta à ſpiritu ſancto. Neque enim vel diem vnum ſine vlla cibi perceptione tranſigere auſa fuiſſet, niſi portione ſenſitiua abſorpta, ſe ſupra ſe raptā pro comperto habuiſſet. At tamen interdum, vt aliorum paci conſuleret, etiam ſic affecta, quippiam ſumere tentabat, ſed nihil omninò potuit, immò præ dolore propemodùm defecit. Vnde eam poſteà libertatis prærogatiuam obtinuit, vt nemo iam illi dicere auderet, Cur ita facis? cumque rationem humanam vita eius excederet, quodam ſpeciali priuilegio Deo ſibique relicta, omnia ipſa iudicabat, ſed à nemine iudicabatur. Sæpè enim ſpiritus ſanctus rationem eiuſmodi in agendis & omittendis eidem clarauit, quam nos ſenſu humano attingere non poſſemus. Ita cùm aliquando ter hebdomadibus ſingulis cibum caperet, ſexta feria edebat, die Dominico ab omni cibo prorſus abſtinebat, itemque feria quinta: cumque nobis rationi magis cōſentaneum videretur, vt ſexta feria, quæ eſt pœnitentiæ, immò mortis Dominicæ dies, nihil penitus ederet, quintaque feria & die Dominico cibum caperet, illa mihi reſpondit: Nonnunquam ad ſenſibilia non ſine labore deſcendo, gaudio contemplationis interrupto, cibum accipiens. Quinta autem feria, quæ eſt dies ſpiritus ſancti, & die Dominica propter gaudium reſurrectionis ſpiritali refectione contenta, æterniſque epulis ſatiata, totum diem feſtiuum ago, dum nulla corporeæ refectionis cauſa cogor me ad inferiora demittere. Quibus auditis, ego ſilui, & rationem meam pro nihilo ducens, humiliatus ſum in oculis meis: ſapientia autem iuſtificata eſt à filijs ſuis.

1. Cor. 2. Vita eius in pleriſq; humanam exceſſit rationem.

Non ſolebat illa quidem peccatores cum indignatione abijcere, immò verò præ commiſeratione, prudenti adhortatione non rarò complures à via perditionis retraxit: at tamen ſpiritus eius hominum peccata valdè abominabatur, malorumque conuictum & familiaritatem, nunquam de ſe temerè præſidens, euitabat. Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala: & Dominus præcepit diſcipulis, vt ingreſſi in ciuitatem, quærerent quis ibi dignus eſſet, cuius hoſpitio honeſtiùs & tutiùs vterentur. Accidit aliquando, vt cùm apud Oegnies moraretur, cauſa inuiſendi quoſdam ipſi familiares amicos, iret in Villenbroc, rediensque per mediam Niuellam tranſiret, ibique recordaretur peccatorum & immanium facinorum, quæ illic crebro perpetrare ſolent homines ſeculares. Inde verò tantam animo indignationem & horrorem concepit, vt præ dolore clamare inciperet, petitoque cultello ab ancilla ſua, cùm extra oppidum eſſet, vellet pellem à pedibus reſecare, quòd per ea loca iuiſſet, in quibus cæci & miſeri homines creatorem ſuum tot iniurijs afficerent, tot flagitijs exacerbarent: cumq; non ſolùm animo, ſed, quod admiratione dignum eſt, etiam pedibus ea cauſa doleret, vix tandem, cùm ſæpiùs pedes ad terram alliſiſſet, quiete potuit perfrui.

Menander. 1 Cor. 15. Matth. 10.

Mirus in ea horror peccati.

Diuinis ſcripturis prudens & diſcreta fœmina ſatis inſtructa fuit. Sæpè enim ſacris intererat concionibus, verba ſacrarum literarum conſeruās & conferēs in corde ſuo, & diuina mandata ſagaciter in ſuo condens pectore: & quia intellectus bonus omnibus facientibus eum, quod deuotè audiebat, maiori deuotione in opus conferre nitebatur: vnde cùm in extrema ægrotatione ſua morti propinqua, iam penè deficeret, et quidam in eccleſia ad populum concionaretur, ſpiritu eius ad verbum Dei reuiuiſcete, aures repugnante morte arrigebat, animum aduertebat, quædam etiam concionis verba circunſtantibus referebat. Adeò verò concionatores & fideles animarum paſtores diligebat, vt pedes eorum, abſoluta cōcione, miro affectu conſtringens, etiam illis inuitis

Libēter audit ſacras cōciones. Pſalm. 110.

Inuitis aliquandiù oſculari cogeretur, &, ſi illi id recuſarent, pedeſque retraherent, præ anguſtia clamaret. Multis autem lachrymis & ſuſpirijs, multis precibus & ieiunijs inſtantiſſimè à Domino poſtulando obtinuit, vt meritum & officium concionandi, quod ipſa per ſe exequi non poſſet, in alio Dominus ipſi compenſaret, & magni beneficij loco, quendam concionatorem præberet. Quo accepto licet per eum Dominus, tanquam per inſtrumentum, verba prædicationis ederet, at ſanctæ mulieris precibus & meritis cor eius præparabat, vires corpori in labore ſuggerebat, miniſtrabat verbũ, greſſus dirigebat, gratiam & fructum in auditoribus excitabat. Pro illo enim quotidiè cùm eſſet concionando occupatus, Domino & beatiſſimæ Virgini preces offerens, centies Angelicam ſalutationem dicebat: quemadmodùm Hilario prædicante, Martinus oràſſe legitur. Porrò illum ipſum concionatorem ſuum, quem moriens, præſentia corporali dereliquit, Domino deuotiſſimè commendauit. Cùm enim dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.

Quodam die in viridario apud Villenbroc apparuit ei diabolus ſub ſpecie paſtoris. Nam per id tempus ſceleſtus ille multos congregauerat milites, qui die craſtino haſtis inter ſe congreſſuri erant apud pagum Traſigineſium: ea autem nocte mãſuri Niuellæ. Cumq; execrabilis ille & ſuperbus dæmon paſtorem ſe iactaret, Christi ancilla ait: Non es paſtor: ſed magiſtri noſtri, qui prædicant verbum Dei, & fideliter paſcunt animas noſtras, veri paſtores ſunt. Contrà verò nequam ille & tumidus ſatan. Ego, inquit, plures habeo greges, mihique magis obtemperantes, quàm magiſtri illi. Et ego cognoſco illos, & illi me, & vocem meam audiunt, & pro voto mihi obſequuntur. Tum illa ampliùs non ferens, quod lupus ille nomen ſibi paſtoris vendicaret, qui hoedos ſuos per paſcua vanitatis ducit ad paſcua damnationis, vbi mors miſerabiliter depaſcet eos: ſed gemens & miſerorum vicem dolens, relicto dæmone, ad eccleſiam cõfugit: & multo poſteà tempore, quoties teterrimi illius paſtoris recordabatur, non potuit à lachrymis abſtinere.

Diabolus ei apparet, paſtorem ſe appellans.

O miſeros mortales, dæmoni potiùs quàm Deo obſequentes.

Quanquam autem vnctione ſancti ſpiritûs & diuinis reuelationibus intus doceretur, at tamen diuinæ ſcripturæ teſtimonia, quæ cum ipſius ſpiritu planè cõcordabant, libenter exterius audiebat. Nanque & Dominus tametſi potuiſſet diſcipulos interna illuminatione abſque voce inſtituere & docere: at nihilo minùs etiam externum vocis miniſterium adhibens, ſcripturas illis exponebat: iiſdemque dicebat: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Itaq; ancilla Chriſti de die in diẽ ſcripturæ diuinæ ſermonibus ampliùs lauabatur ad munditiam, ædificabatur ad morum ornatũ, illuminabatur ad fidem, ſi tamen fides in ea propriè dici potuit, quæ Domino reuelante, inuiſibilia quaſi viſibiliter fide oculata percipiebat.

Iohan. 15.

Cùm enim eſſet aliquando in pago Nitrenſi prope Niuellam, & ipſa præſente puer quidam ad oſtium eccleſiæ catechizaretur, vidit impurum dæmonem à paruulo illo cum magna ignominia recedentem: eundemque è ſacro fonte leuans, apertis oculis vidit ſpiritum ſanctum in animam eius deſcendentem, angelorumque beatorum circa illum iam renatum frequentiam. Sępiùs autem, ſacerdote ſacram hoſtiam eleuãte, inter manus eius vidit elegantiſſimi pueri ſpeciem, & cæleſtium ſpirituum exercitũ cum multo lumine deſcendentem. Cùm autem poſt confeſſionem ſacramẽta ſacerdos perciperet, videbat in ſpiritu Dominum in anima illius permanere, eamq; mirabili ſplendore illuſtrare: vel, ſi indignè ſumeret, Dominum cum magna indignatione recedere. Porrò autem etiam tunc, quando in templo non erat, ſed in cellula, opertis ex more oculis velamine candido, orabat, Chriſto ad prolationem ſacrorum verborum in altare deſcendente, illa mirabiliter mutata, ſentiebat aduentum eius. Deniq; quando vnctionis extremæ ſacramentũ ipſa præſente ægroti percipiebant, illa Chriſtum cum ſanctorum multitudine adeſſe ſentiebat, ægrotumq; illum miſericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, ſeque, dum membra eius vngerentur, quaſi in lumine per totum corpus eius diffundentem.

Nota de baptiſmo.

Item Euchariſtia.

Itẽ extrema Vnctione.

De ſpiritu fortitudinis. Cap. 5.

AT quia parùm prodeſt ſpiritu timoris declinare à malo, ſpiritu pietatis facere bonum, ſpiritu ſcientiæ in omnibus auream ſeruare mediocritatem & diſcretionẽ, niſi etiam ſpiritu fortitudinis rebus duris & malis reſiſtamus, bona noſtra patiẽtia conſeruemus, conſtantia vſque in finem perſeueremus, longanimitate vitæ æternæ præmia expectemus: pater eius cæleſtis, apertis theſauris ſuis, quarto lapide precioſo, id eſt, ſpiritu fortitudinis illam exornauit, & contra aduerſa omnia communiuit, vt

Spiritus fortitudinis quid conferat.

Eximia huius Mariæ fortitudo.

vt nec rerum aduerſarum incurſu frangeretur, nec proſperarum, & ad voluntatem fluentium blanditijs extolleretur: vt contumelias tranquillo ferret animo, nulli malum pro malo redderet, ſed benedictione maledicta, bonitate malitiam compenſaret, bona redderet pro malis, calumniantibus nō reſponderet, pro perſecutoribꝰ oraret: mentis conſtantia in propoſito perſeueraret, animi firmitate cuncta placidè toleraret, magnanimitate ardua & difficilia ſponte ſuſciperet: ſecuritate imminētia incōmoda non metueret, fiducia ſpe bona & certa frueretur, id quod bene propoſuiſſet, ſe ad felicem exitum perducturam: poſtremò quadam magnificētia vel animi prǽſtantia præclarum propoſitum feliciter conſummaret.

Nota eximiá animi fortitudinē

Porrò autem in perſecutionibus & flagellis non modò patientiam conſeruabat, ſed etiam gaudebat in afflictionibus, diſciplinamque ſiue caſtigationem Domini cum magno deſiderio appræhēdebat. Cùm in poſtrema ſua ægritudine ad dies ferè quadraginta grauiter laboràſſet, quæreremuſque ex ea, num ex morbi dolore aliquid tædij pateretur, illa reſpondit: Immò verò, ſi id gratum eſſet Domino, vellem iſtos quadraginta dies hodiè ſuum habere initium: addiditque, quod eſt etiam admirabilius, nunquam ſe ægrum aliquem vidiſſe, cuius quantumuis aduerſam valetudinem ſibijpſi non optàrit. Væ igitur vobis, qui crucem Domini in angaria fertis, qui diſciplinam Domini abijcitis, qui virgam Domini ferientis, dum contra eius flagella murmuratis, inſtar canis rabidi mordetis, qui dolores corporis cordis impatientia duplicatis. Non ſic precioſa hæc Chriſti margarita, quæ modeſti animi exultatione id conſequebatur, vt quaſi inſenſibiliter affligeretur, & ſuauiter cruciaretur. Interior enim dulcedo externum dolorem deliniebat, & pondus aduerſæ valetudinis releuando demulcebat. Cùm autem interdum paralyſi vexata, præ nimio dolore clamare, & pectus tundere cogeretur, quidam eius familiaris ei condolens, in quodam loco clàm pro ea Domino ſupplicabat. Tum illa ſentiens pij hominis precibus ſuos dolores nonnihil minui: Vade, inquit ad ancillam ſuam, dic homini illi, vt ceſſet orare pro me. Eius enim precum medicina, huius caſtigationis meæ, dum meliùs habeo, accipio detrimentum.

Non vult ſibi minui paralyſis dolores.

Laborabat aliquando moleſtia quadam, & quidam ex amicis eius apud ſe tacitus dolebat vicem illius. At illa ex diuina reuelatione arcanas pectoris eius cogitationes intelligens, miſſa ad eum ancilla ſua, iuſſit ne ampliùs doleret ipſius cauſa. Tuum enim, inquit, grauamen auget cordis mei dolorem, nec poſſum ferre, vt propter me doleas. Adeò plùs eam cruciabant aliorum afflictiones, quàm proprij corporis incommoda.

Corpus ſuū præclarè edomitum habuit.

Neque tamen ſpiritu fortitudinis id ſolùm obtinuit, vt poſſet æquo animo & virili aduerſa perpeti, ſed illud etiam, vt ab omnibus carnis illecebris facilè abſtineret. Adeò enim corpus ſuum caſtigauerat, & in ſeruitutem redegerat, vt ad nutum ſpiritui obediret, in nullo contradicens, nec vlla ſe ſimulatione excuſans: nec contra dominum murmurabat, ſed eius imitando fortitudinem, nunquam ignauia torpebat; nunquam vel raro labori ſuccumbebat. Adeò iuuencula illa tympaniſtria, ceu inter duo ligna Crucis corpus ſuum extendēdo ſiccauerat, vt per multos annos etiam primos libidinis motus minimè experta ſit: qua ex re tantam inter homines fiduciam cōcepit, vt præ eximia innocentia & pura ſimplicitate omnes ſui ſimiles arbitraretur. Vnde cùm quidam eius familiaris amicus, quodam ſpiritualis affectionis exceſſu manum eius aliquando ſtringeret, nihil tamen caſto animo turpe cogitans, ſenſit ex nimia illa vicinitate primos motꝰ in ſuo corpore exiſtere. Sed cū illa id prorſus ignoraret, vocem ab excelſo audiuit, Noli me tangere: nec tamen ſciuit, quid ea ſignificaret; Deus enim benignus, & noſtris infirmitatibus condolens, noluit illum coram ſancta muliere pudore affici: at nihilo minùs voluit tanquam zelotes, amicæ ſuæ caſtitatem tueri, et illum propter imminentia pericula caſtigare. Itaq; cùm illa diceret ei, Audiui nunc quandam vocem, ſcilicet, Noli me tangere: ſed quid ſibi velit, planè me fugit. Ille, quid ea innueret, intelligens, & ſibi decæterò cauit, & Domino, quòd ipſius infirmitatem prodere noluerit, gratias agens receſſit.

De ſpiritu conſilij Cap. 6.

Effectus ſpiritus cōſilij.

SPiritu conſilij Chriſti ancilla inſtructa, nihil præceps, nihil inordinatè facere volebat: ſed omnia diligenter, circunſpectè, & cum deliberatione agens, in omnibus, quæ vel fieri, vel omitti oporteret, expectabat eum, qui ſaluam faceret ipſam à puſillani-

ſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate: nihil interim per puſillanimitatem omittens, nihil turbulenter vel tempeſtuosè, nihil inconſideratè, nihil per impetum efficiens. In omnibus vijs eius palpepræ præcedebant greſſus eius: & ne poſt factum ſuccederet vel leuis pœnitentia, omnia cum conſilio faciebat. Quid verò illa ſine grauitate & abſq; conſilij maturitate facere poſſet, cuius mentem impleuerat & inhabitabat is, qui de ſeipſo dicit: Ego ſapientia in conſilijs habito, & eruditis interſum cogitationibus? Etſi autem familiari ſancti ſpiritûs conſilio vteretur, quanuis diuinis ſcripturis ſatis eſſet inſtructa, at tamen præ eximia animi ſummiſſione & humilitate, ne ſapiens in oculis ſuis videretur, aliorum conſilijs, propriæ voluntati renuncians, libenter & deuotè ſe ſubijciebat. At verò multi ex eius familiaribus amicis, qui diuinitùs collatam illi prudentiam non rarò compererant, abſque eius conſilio nihil, quod alicuius eſſet momenti, facere auſi erant. Quod enim humana ratione ſcire non poterat, cùm ad Dominum fudiſſet preces, diuinitùs edocebatur. Ita cùm quidam eius amicus, mediocritate ſua contentus, tanto ſecuriùs, quanto ab hominum conſpectu & pompa ſeculari remotiùs, Domino in humilitate ſeruiret, & à quodam nobili rogaretur, vt magiſtri loco apud ipſum eſſet, isque ei promitteret equos, veſtes & multa alia abundè ſe ſuppeditaturum: ille ſanctam hanc fœminam conſuluit, quid agere deberet. At illa, nihil vnquam ſibi præfidens, priùs ad Dominum precandum ſe contulit, & inde ab arcanis diuinorũ conſiliorum thalamis reuerſa, ita dixit: Vidi atrum equum parari tibi, qui ad inferos hinniens, dæmonum turbis applaudebat. Si quid igitur apud te valet cõſilium meum, maneas in ea vocatione, qua vocatus es à Domino, ne per ambitionẽ vel ſeculi pompam, des occaſionem diabolo. Alius quidam amicus eius, tanto illi charior, quanto humilior, cùm haberet ſacerdotium vnum ſiue beneficium eccleſiaſticum, quod ei ſufficeret ad mediocritatem, multis victus precibus etiam alterum accepit, quod & dignitate potius, & prouentu locupletius eſſet. Sed cùm pro ſua pietate & modeſtia Chriſti ancillam conſuleret, velletque ab ea ſcire, num hac re Deum offendiſſet: illa more ſuo breues ſibi inducias petijt, & tandem inſpiratione diuina, & cæleſtibus reuelationibus abſque vllo hæſitationis ſcrupulo certior effecta: Videbam, inquit, hominem veſtibus albis indutum, & ſatis ad curſum expeditum, atro inſuper pallio indui, & mentis ſarcina onerari. Cùm autem hæc, ijsque alia ſimilia dixiſſet, is, qui iam in ſeipſo diuinitùs ſenſerat, quæ illa loquebatur cælitùs edocta, primum ſacerdotium, vtpote ſufficiens, retinuit, & alterum ſine mora, ne locum alterius ambitiosè occuparet, vir prudens & Deum timens atque ſalutari conſilio obtemperans, reſignauit. Ignoſcite mihi, fratres, qui dignitatem dignitati adiungitis, & ſacerdotia ſiue beneficia eccleſiaſtica alia alijs coaceruatis. Non enim eſt meum, quod retuli, ſed Chriſti reuelantis. Parcite etiam ancillæ Chriſti, nec velitis obtrectare innocenti. Qua enim re vos læſit, ſi amico præbuit ſalutare conſilium, ſi veritatem è Domino hauſtam enunciauit? Fortaſſis autem, dum crebrò libellum hunc inſpicitis, & quadam acerbitate reuoluitis, ancillæ Chriſti viſiones more veſtro ridebitis, & pro ſomnijs & phantaſmatis habenda ſtatuetis. Sed etiam Phariſæi Dominum de auaritia diſputantem, & diuites in regnũ cælorum difficilè introituros aſſerentem, non ſolùm irriſerunt, ſed inſanum quoque iudicârunt.

Prou. 8. — *Hæc nota eſt veri ſpiritûs.* — *Viſio eius.* — *Nota quàm non ſit tutũ plura habere ſacerdotia vel beneficia eccleſiaſtica.* — *Matt. 19. Luc. 16.*

Vt autem ſine perſonarum acceptione ſanctæ mulieris res præclarè geſtas commemorem, etiam mihi ipſi nõ parcam, ſed infelicitatis meæ referam hiſtoriam. Cùm verbum Dei, licet indignus, ad laicos prædicare inciperem, & ea in re necdum eſſem exercitatus, neque concionandi vſum & conſuetudinem haberem, ſemper mihi metuens, ne inter dicẽdum materia me deficeret, multa mihi vndecunque colligebam: ijsque coaceruatis, quicquid in buccam veniſſet, proferre volebam. Totum enim ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens verò reſeruat in poſterum. Cùm autem tanta prodigalitate meipſum confunderem, ad me abſoluta concione reuertens, quodam mẽtis tędio afficiebar, quòd nullo ordine & incompoſitè multa mihi dixiſſe viderer: quo animi mœrore cùm ancilla Chriſti aliquando preſſum me cerneret, ego præ verecundia cauſam ei indicare nolebam: & quod erat miſerabilius, quodam me, tanquam qui benè, ſubtiliter & acutè dixiſſem, à concione, vt eſt moris, commendante, libens id audiebam, & aliquid inde capiebam ſolatij. Erubeſco, fateor, turpitudinem meam prodere, ſed ſanctæ mulieris laudes reticere non ſum auſus. Illa enim quandoque huius me triſtitiæ nube confuſum, & tanquam operarium confuſibilem ad ſe vocans, triplex tentationum vulnus, quibus clàm eram ſauciatus, mihi miro modo detexit. Vidi, inquit, effigiem tanquam hominis in nubilo verſantis, nimia capil-

Obſerua modeſtiam authoris. — *Prou. 29.*

Viſio Mariæ, qua authori medicinam facit. lorum copia operti. Quædam autem meretrix ſubornata, quoſdam ex ſe radios ſpargens, cum blande intuens circumibat: cumque id crebrò faceret, radium vnum in illum vibrans, partem quandam nubili illius diſcutiebat. Hanc vbi illa parabolam pertexuit, triplici me morbo laborantē, mox certiſſimè depræhendi. Capillata enim ſuperfluitas mihi mœrorem adferebat: meretrix verò ſubornata, id eſt, elatio, radijs adulationis fota, quoddam mihi miſerabile ſolatium pariebat. Quibus ego te laudibus efferam, ò ſancta mulier, quæ ſecretorum Dei conſcia fuiſti? Nec fruſtrà tibi Deus hominum cogitationes aperuit: ſed tuis precibus vim tribuit & efficaciam animorum languoribus medendi.

Heluidis incluſa. Magna ei erat familiaritas cum pia quadam & ſancta puella Heluide, apud Villenbroc incluſa atque ſolitariam vitam agente: eamque impensè amabat, & velut mater filiam annis ferè duodecim in Domino nutrierat. Ea puella aliqua moleſta tentatione laborante, Chriſti ancilla tentationes & cogitationes cordis eius ipſi indicabat, valdè admiranti, quo pacto mentem eius cognitam haberet: itemq; contra imminentes tentationes longe antè, quàm acciderent, eam præmuniebat. Erat eidem puellæ magno ſolatio magiſtri Guidonis præſentia, qui per id tempus eccleſiæ Villenbrocenſis *Spiritus prophetiæ in Maria.* ſacellanum agebat: & quia quæ repentè accidunt, maiorem ſolent adferre perturbationem, dimidio anno antè prædixit illi, magiſtrum illum cum fratre ſuo Iohanne à Villenbroc abiturum, multisq; exhortationibus confirmabat eam, vt tranquillo animo illorum ferret abitionem, quorum præſentia illi erat gratiſſima. Itidemq; de quadam religioſa fœmina, nomine Beſele, quæ diù ancillæ Chriſti fideliter inſeruierat, cuius æquè præſentia eidem puellæ incluſæ magnam adferebat cōſolationem, longè antè illi prædixit eam receſſuram, præmonuitq; vt ſedato animo quod Dominus decreuiſſet, toleraret. Quidam magiſter in Francia degens, animo conſtituerat ad Oegnies proficiſci: cumque vnus è fratribus domûs Oegniacenſis, Pariſios vſque magiſtrum illum adducendi cauſa ire vellet, Chriſti ancilla ait ad eum: Suſtine parumper, nec ita velis feſtinare. Nuncius enim à magiſtro illo ad vos ablegatus, iam eſt in itinere. Ceſſit frater conſilio eius, & nuncium, quem illa prophetico ſpiritu venturum prædixit, apud Oegnies, donec veniret, expectauit. Porrò eodem magiſtro Romam, vt beatiſſimorum Apoſtolorum limina viſitaret, peregrè profecto, fama mendax ſparſit eum obijſſe. Ei autem famæ amicis eius fidem commodantibus, multumq; eius obitu dolentibus, & pro illo ſacrificium facere volentibus, Chriſti ancilla dixit: Non eſt mortuus, ſed viuit, taliq; die Roma diſceſſit, rediturus ad ſuos. Cunctis verò admirantibus, & Miſſarum ſuffragia differentibus, ſicut illa dixerat, ita rei confirmauit euentus.

De ſpiritu intellectûs. Cap. 7.

His igitur ornata monilibus filia Ieruſalem, hiſce ſancti ſpiritûs donis illuſtrata, corde purificato, per ſpiritum intellectûs in cęleſtibus verſabatur: adeoque cum *Iob 7.* S. Iob ſuſpendia elegit anima eius, vt plerunque ſublimiùs volans, per diem integrum nonnunquam plures dies, nihil ad inferiora reductis cordis obtutibus, in Solem iuſtitiæ inſtar aquilæ ſuos haberet oculos defixos: cuius ſolis radijs ab omnium rerum ſen*Funditur ex contemplationes rerum diuinarum.* ſibilium humore ſiccata, ab omnium corporearum formarum nube purgata, abſque vlla phantaſia vel imaginatione formas ſimplices & diuinas, perinde vt in mundo ſpeculo, in anima ſua ſuſcipiebat: relegatisque formis ſenſibilibus, vniformes & immutabiles rerum ſupercæleſtium ſpecies in eius animo tanto puriùs reſultabant, quanto ſummæ illi & ſimplici atq; incommutabili maieſtati propiùs coniungebatur. Cum autem ſubtilis & extenuatus ſpiritus eius, atque incendio pij amoris concrematus, tanquam virgula fumi ex aromatibus, ſupercæleſtia penetraret, & quaſi per gradus *Cant. 3.* quoſdam in reg one viuorum perambulans, per vicos & plateas quæreret, quem diligebat, nunc ſanctarum virginum delectatus lilijs, nunc ſanctorum martyrum roſis odoriferis recreatus, nonnunquam à ſanctorum Apoſtolorum ſenatu honorifice exceptus, interdum Angelorum cœtibus admixtus: denique ſuperatis gradibus omnibus, cunctis paradiſi regionibus ſumma cum lætitia peragratis, cùm omnia pertranſiſſet, inueniebat eum, quem ardenter deſiderabat: & tum demum perfectè quieſcebat, atque illic immobiliter defixus hærebat, omniumque poſteriorum oblitus, non iam pro amicis quantuncunque charis poſſet orare, ſed neq; de ſanctis Angelis cogitare. Omnes enim quaſi poſt ſe relinquens, illi adhærebat, quem auidiſſimè ſitiebat.

Dab-

Dabatur illi tunc propiùs inſpicere librum vitæ, atq; ex illo per ſpiritum intellectûs multa diſcebat, quæ, tandem ad ſe reuerſa, prophetico ſpiritu pronunciabat. Ita triennio antè quàm Cruce ſignarentur Chriſtiani contra hæreticos prouinciales, dixit ſe videre Cruces in magnam hominum turbam è cęlo copioſè deſcendentes, cùm tamē nulla adhuc in noſtra regione hæreticorum illorum mentio haberetur. Crebrò tunc ei in ſpiritu ceu conquerendo dicebat Dominus, ſe terram illam ferè totam perdidiſſe, atq; ex eis locis tanquam exulem profligatum eſſe.

Quidam zelo Crucifixi à longinquis regionibus, vt Chriſti ignominiam & iniuriā vindicarent, ad eum locum, qui Mons gaudij dicitur, peruenêre, ſed ibi ab hoſtibus Chriſti trucidati ſunt. Aberat ab illis per tanta terrarum ſpatia ancilla Chriſti, at nihilo minùs vidit ſanctos Angelos gratulabundos, cæſorum animas ſine vllis Purgatorij pœnis in cælum deportare. Inde verò tantus in eius animo peregrinationis illius ardor extitit, vt ab ea ſuſcipienda nulla ſe ratione paſſura fuerit diſtineri, ſi vllo pacto ſine proximorum ſcandalo eam ſuſcipere potuiſſet: cumque ridendo quæreremus ex illa, ecquid illic factura eſſet, reſpondit: Si nihil aliud, certè vel Dominum meum honorarem libera confeſſione nominis eius, quem illic viri impij blaſphemando abnegârunt. Moriebatur apud Oegnies quidam familiaris amicus domûs noſtræ, idemq; Cruce ſignatus. Circa illum vidit Chriſti famula dæmonum multitudinem, quaſi rugientium & ad eſcam inhiantium. Tum illa obiurgauit dæmones, & vt à Chriſti miniſtro, qui Crucis vexillo munitus eſſet, recederent, præcepit. At illi è diuerſo multa ei crimina malitioſè affingebant, & quòd mala fide egiſſet, obijciebant. Illa verò Domino ſupplices preces pro ægroto offerens, vidit quandam Crucem luculentā in ipſum deſcendere, eumque vndiq; tueri. Quanuis autem morte impeditus, non potuit ſuſceptam peregrinationem proſequi, at tamen magna pœnarum Purgatorij pars condonata eſt illi, quòd cum cruce ſignatis voluerit proficiſci. Ita enim Dominus ſanctæ mulieri reuelauit.

In ſpiritu procùl videt cædem Chriſtianorum.

Viſio eius.

Quidam amicus noſter, nobilis genere, ſed fide nobilior, Deo deuotè ſeruiens, & omnia, quantum in ipſo erat, Chriſti amore relinquens, vxorē habuit valdè huic mundo deditam, & ipſius propoſito planè repugnantem. Ea cauſa formidabat, ne malæ cōiugis importunitate è ſua domo extruderetur. Tria enim ſunt, vt ait Salomon, quæ hominem è ſua domo eijciunt: fumus, ſtillicidium, & mala atq; litigioſa mulier. Sancta autem Chriſti ancilla dolens vicem iuuenis, multas pro eius vxore Domino preces fudit, eumq; blandè conſolans, prædixit illi fore, vt coniunx eius breui ad Dominum conuerteretur. Quod quidem ita eueniſſe nos cognouimus, & Domino gratias egimus. Perfectè enim mundi vanitatem deſpiciens, vti priùs religioſo mariti propoſito aduerſa fuit, ita deinceps illud promouebat: immò quaſi antecedendo iam trahebat illum, quem anteà diſtinendo retraxerat.

Fœmina nobilis, eius precibus cōuertitur.

Laborabat in extremis Canonicus quidam eccleſiæ S. Gertrudis Niuellenſis. Eius obitûs diem fratres Oegniacenſes non temerè nôſſe cupiebant, certa ratione permoti. Itaque dicebant laico cuidam Niuellano, qui tunc apud Oegnies erat, vt eo ſe cōferret, & diem, quo canonicus moreretur, ipſis denunciaret. Eidem autem laico homini dixit ancilla Chriſti: Si vis opportunè, quod iuſſus es, nunciare, manè proficiſcaris oportet. Illo igitur poſtera luce Niuellam ingrediente, iam pro defuncto Canonico cāpanæ pulſabantur.

Nocte tertiæ feriæ, quæ caput ieiunij, ſiue diem illum, qui Cinerum vocatur, proximè antecedit, quando ſolent homines ſeculares comeſſationibus vacare, vidit dæmones quoſdam, à quadam religioſa fœmina cum mœrore & ignominia reuerti: quā quidem grauiter illi oppugnârant, ſed Domino opē ferente, miminè expugnauerant. Sciſcitabatur poſteà ex illa, quid habuiſſet, eaq; reſpondit: Admodùm per id tempus grauata fui, ſed ea ipſa hora Dei benignitate ſum liberata. Itaque didicit ex verbis eius eodem tempore ſe vidiſſe dæmones, pudore affectos, ab ea receſſiſſe.

Pudeſiunt dæmones, ſi reſiſtas tentationibus eorum.

Sacerdos quidam ea præſente ſacrificium Miſſæ obtulit: cumq; non eſſet neſcius illam pro ipſo crebrò preces Domino offerre, nec haberet maius aliquid, quod ei retribueret, ne ingratus videretur, ſtatuit pro illa Miſſam eam celebrare. Peracto autem ſacrificio, ait illa ad eum: Miſſa hæc mea fuit. Hodie enim filium pro me patri obtuliſti. Illo verò admirante, & vnde hoc ſciret, percontante, cùm ſolus Deus cognitas habeat cogitationes hominum, illa reſpondit: Vidi columbam elegātiſſimam in caput tuum ad altare deſcendere, & quaſi volitando alas ſuas ad me extendere, didiciq; in ſpiritu, ſanctum ſpiritum illud ſacrificium ad me transferre.

Nouit occultas cogitationes.

Viſio eius.

Sacerdotibus dignè & deuotè ſacrificantibus, videbat illa ſanctos Angelos gaudentes,& illis cum multa hilaritate cooperantes, vultu quoq; benigno in eos intuentes,& eos officioſiſſimè venerantes. Væ autem ſacerdotibus miſeri, Iudę proditoris aſſeclis, qui Christum Dominum, quantum quidem in illis eſt, denuò crucifigunt,& ſanguinē teſtamenti pollutum ducunt: qui manibus pollutis, oculis impudicis, ore virulento, corde impuro ad reuerendum illud ſacramentum irreuerenter accedentes, ſanctos Angelos qui illic adſunt, grauiter offendunt,& ex medicina ſalutari mortem ſibi miſerabiliter conſciſcunt.

Timeant hæc impuri ſacerdotes.

Quidam ex præcipuis amicis eius, Pariſijs ſacerdotio initiabatur: illa verò corpore abſens, præſens ſpiritu, quemadmodùm ordinaretur, quomodò affectus eſſet cùm ordinaretur, ipſum locum ordinationis, pontificis quoque,& ipſius habitum perſpicuè vidit, illique admiranti poſteà omnia narrauit: cumque ei literas quaſdam per illius nuncium mitteret, inter alia quædam ſcripſit, quæ ille, donec completa eſſent, intelligere non potuit: erant autem eiuſmodi, vel ijs conſimilia Arbor noua iam floruit, cuius primos fructus mihi Dominus deſtinauit. Statuerat idem primum ſacrificium ſuum facere in Frācia, ſed Domino diſponente, apud Oegnies, præſente ſancta muliere, id fecit.

Si hoc poſſunt ſancti in mortali corpore, quid poſſūt iam Deo in cælis coniuncti.

De ſpiritu ſapientiæ. Cap. 8.

PORrò verò vt opus ſuum ſapiens artifex, templum ſuum ſummus ſacerdos, filiā ſuam rex ſublimis ad perfectionis faſtigia perduceret, ſeptimo ſeptiformis ſpiritûs dono, quaſi pro aliorū cōdimento eam præclarè illuſtrauit & ornauit eximiè, nempe ſapientiæ ſpiritu: quod eſt primū donum dignitate, poſtremum conſummatione. Hac ſapientia guſtauit & vidit, quoniam ſuauis eſt Dominus, cùm ſicut adipe & pinguedine repleretur anima eius, cùm de ſponſi labijs mel & lac ſugeret, & in horto voluptatis manna abſconditum manducaret. Huius mellitiſſimæ ſapiētiæ dono cor eius medullitùs afficiebatur, verba edulcabantur, cuncta opera ſpiritalis vnctionis ſuauitate imbuebantur. Inde fiebat, vt eſſet mitis corde, dulcis ſermone, actione ſuauis, ebria charitate: adeò verò ebria & à ſenſibus abſtracta, vt nonnunquam ad Nonam vel Veſpertinas preces, nobis pulſantibus campanas, illa quaſi expergiſcens percontaretur è nobis, num hora eſſet matutina. Aliquando in lectulo ſuo tres continuos dies illa iacens & cum ſponſo immortali ſuauiter quieſcens, præ nimia ſpiritûs iucunditate & ſuauitate vix vno temporis momento ſibi iacuiſſe videbatur. Mirabili autem affectionum varietate, modò eſuriebat Deum, modò ſitiebat: & quia ſcriptum eſt, Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient: quanto plus Dominum ſentiebat, tantò ampliùs creſcebat deſiderium. Itaque angebatur, clamabat, & vt remaneret ſuppliciter deprecabatur: & ne recederet, quaſi inter brachia complexādo ſtringebat, vtque ſe magis etiam exhiberet, cum lachrymis obſecrabat. Nonnunquam per tres aut eo ampliùs dies, videbatur ſibi illum tanquam paruulum inter vbera commorantem ſtringere,& ſeſe, ne videretur ab alijs, occultare. Interdum verò ludebat cum eo ceu puero, eumq; oſculabatur. Quandoq; ceu agnum iuxta ſinum illius, aliquandò inſtar columbæ pius Virginis filius ſe filiæ ſuæ exhibebat: nonnunquam etiam inſtar arietis, ſtellam luculentam in fronte habentis eccleſiam circumiens, filios ſuos, vt ei videbatur, viſitabat. Sicut enim dubitantibus diſcipulis ſub ſpecie peregrini ſe oſtēdit,& beatum Thomam miſſurus ad Indos, vt eius habet hiſtoria, formam mercatoris induit; ita amicis ſuis pro illorum conſolatione amabili ſpecie apparere dignatur: quemadmodùm etiā, authore S. Hieronymo, beata Paula in Bethleem illū ſibi videre viſa eſt ceu paruulum in præſepio iacentem.

Pſalm. 33.

Ecſtaſis triduana.

Eccl. 24.

Luc. 24.

Epiſt. 27. in vita S. Paulæ.

In diuerſis autem Domini ſolennitatibus ita ſe illi oſtendebat, vt ratio ſolennitatis poſcere videbatur: verbi gratia: In natiuitate ceu puerum vbera matris ſugentem, vel in incunabilis vagientem. Tum verò afficiebatur erga eum, vt puerum, pro varijs modis, quibus illi apparebat, varias etiam ſentiens affectiones. atque ita ſingulis annis ſolennitates illæ renouabantur. In feſto Purificationis videbat beatiſſimam Virginem filium ſuum in templo offerentem,& Simeonem illum inter vlnas recipiētem: atque in hac viſione non minùs exultabat præ gaudio, quàm ſi præſens fuiſſet, cùm ita geſtum eſt olim in templo. In hac ſolennitate quandoque cereus illius, cùm diù fuiſſet extinctus, in proceſſione ſubitò non niſi diuinitùs clariſſimo lumine accendebatur. In paſſione nonnunquam Dominus illi in Cruce apparebat, ſed rarò, quòd vix poſſet ſuſtinere. Aduentantibus magnis ſolennitatibus, interdum octo diebus ante gaudio

Miræ conſolationes diuinæ.

Luc. 2.

gaudio ſe affici ſentiebat: atq; ita pro totius anni curſu ſiue ratione varijs mutabatur modis, & mirabiliter afficiebatur. Cùm ſancti alicuius feſtus immineret dies, ſanctus ille ferias ſuas ei nunciabat, & in ipſis ferijs viſitabat eam, multos ſecum beatos ciues adducens. ſicque ſpiritus eius cum ſancto totum illum iucundum ducebat diem. Ex familiari autem & crebro ſanctorum colloquio id obtinuit, vt quemadmodùm homines ſuos vicinos alios ab alijs internoſcunt, ita ipſa angelos & ſanctos homines alios ab alijs poſſet diſtinguere. Nonnunquam ſanctus quiſpiam, in his regionibus prorſus ignotus, feſtum ſuum diem, qui in locis remotis colebatur, vt in eius ferijs ipſa quoq; gauderet, ei indicabat. Immò verò etiam nullo indicante, palato cordis diſcernebat dies feſtos à non feſtis, quòd dulciùs illud afficerent dies ſolennes, quàm alij. Celebrabat autem feſtos dies, pectori ſuo atq; animo haud aliter, atque in calendario vel martyrologio inſcriptos. Vnde cùm eſſet aliquando in eccleſia S. Gertrudis in oppidulo, quod Laulos dicitur, & quædam eiuſdem S. Gertrudis feriæ in diem craſtinũ inciderent, nec tamen eius loci ſacerdos id aduerteret, illa intra ſe ſentiens ferias imminere, ſe continere non potuit. Itaq; cùm ſacerdos eò non veniret, nec alius quiſquã, qui campanas pulſaret, quẽadmodùm fieri ſolet pridiè ad primas Veſperas, vt vocãt, illa ſurgẽs è loco ſuo, campanas, vt potuit, pulſare cœpit. Id verò audiens ſacerdos & admirans, ad eccleſiam properè accurrit, aitque ad illam: Cur pulſas campanas perinde ac ſi feriæ ſint, cùm non habeat apud nos conſuetudo, vt præterquam in ferijs, hac hora pulſemus? Tum illa verecunda & pauida: Ignoſce mihi, inquit, domine: magnæ enim feriæ cras erunt, ſed neſcio cuius ſancti. Sentio enim eccleſiam hanc gaudio perfuſam. Sacerdos verò inſpiciens calendarium, vidit craſtinum diem S. Gertrudi ſacrũ fore.

Magna familiaritas cum cæli ciuibus.

Ferias imminentes ſentit intra ſe.

Tot illa & tantas à Domino conſolationes percipiebat, vt etiamſi nullis exterioribus, vt fit, nõnunquam pro recreatione, intenta eſſet, ſemper in vno aliquo loco abſq; vllius hominis conſortio ſine tædio permanere poſſet. Sedens aliquando in cellula ſua, audiuit vocem dulciſſimam Domini, dicentis: Hæc eſt filia mea dilecta, in qua plurimùm delector. Quando extra ſe rapiebatur, videbatur ſibi caput ſuum deponere ad genua Chriſti. Interdum per Angelos ab aliquo ſupernorũ ciuium ſalutabatur. Cùm oraret quandoque ad altare S. Nicolai, videbatur ei ex illius reliquijs lac manare. Ab imagine Crucifixi vidit nonnunquam radios quoſdam vſque in pectus ſuum vibrari. Porrò in ijs omnibus valdè delectabatur, & miro modo ſpiritus eius confortabatur. Apparuit ei quandoque beatus Bernardus, Ciſtertienſis ordinis pater & lumen, alaſque ſuas, quibus præditus videbatur, circa eam expandit: cumque diù cum illa intra eccleſiæ cancellos ſediſſet, ſciſcitanti ei, quid ſibi vellent alæ iſtæ, reſpondit ſe inſtar aquilæ ſublimi volatu ſubtilia & ſublimia ſcripturæ diuinæ attigiſſe, multaque arcana cæleſtia Dominũ ſibi reſeràſſe. Magna veneratione & ſingulari amore proſequebatur beatiſſimum Iohannem Euangeliſtam. Accidit autem, vt cum multis lachrymis & ſuſpirijs cuidam ſacerdoti exiguam culpam venialem confiteretur. Sacerdote illo interrogante, cur ita lachrymis afflueret, illa reſpondit: Nõ poſſum reprimere lachrymas. Videbat enim Aquilam quandam ad pectus ſuum perinde vt in fonte, ita in illo roſtrum ſuum tingentem, & magnis clamoribus aëra complentem. Intellexit autem in ſpiritu B. Iohannem lachrymas & gemitus ipſius ad Dominum perferre. Vidit quãdoq; ſacerdotem quendam cum lachrymis deuotè ſacrificantem, atque columbam quandam in eius humerum deſcendentem, ex eoq; humero fontem puriſſimum ſcaturientem. Interdum etiam vidit Virginis filium ſub forma pueri cum immenſo lumine circa arculam, in qua Euchariſtia reponebatur: cumq; ex ea quæreremus, cuiuſmodi eſſet illud lumen, reſpondit: Quantũ lumen Solis, candelę lumen ſuperat: tantũ, immò plus etiam, lux iſta vincit Solis ſplẽdorem. Quando reliquiæ ad noſtram eccleſiam adferebantur, illa in ſpiritu aduẽtum earum præſentiebat, totamq; noctem cum illis iucundam ducebat, Chriſtumq; gaudentem, & à prioribus reliquijs illas iam recens illatas, cum quadam exultatione & veneratione ſuſcipi videbat. Vtrùm autem eſſent veræ reliquiæ, ſpiritu ſuo mirabiliter percipiebat. Ex parua illa Cruce, q̃ eſt in Oegnies, in qua particula ligni ſanctæ Crucis habetur, radium quendam valde luculentum & tanquam cæleſti claritate cõſpicuum, prodire videbat. Quidam familiaris amicus domûs noſtræ inter alias reliquias, quas habebat, os cuiuſdam ſancti ſine ſcriptura reperit. Itaq; cuius eſſent reliquiæ ignorans, attulit eas ad Chriſti ancillam, vt per illam certior fieret. Ille verò in ſpiritu virtutem & veritatem illarum ſenſit: orauitq; Deum, vt ipſi indicaret, cuiusnam eſſent. Apparuit autem illi ſanctus quidam valdè pręclarus

Multas diuinitus conſolationes percipit.

Corporalis Chriſti præſentia in Euchariſtia.

& excellentis meriti: qui ab ea interrogatus, quis eſſet, non quidem nomen expreſſit ſuum, ſed quatuor literas ob mentis eius oculos deſcripſit. Quas cùm illa memoriter retineret, ſed quid ſignificarent neſciret, accito ad ſe Clerico, literas commemorauit, puta, A I O L: & quid ſignificarent, indicari ſibi petijt. Ille literas inter ſe coniungens, dixit, Aiol ex ijs confici. Tum illa perſpicuè cognouit, beati Aiulphi, qui apud Priminum in multo honore habetur, eas eſſe reliquias.

Alij Aigulphum vocant.

Etſi autem præ deſiderio æternæ fruitionis, præ amore viſionis Dei, & pro dilatione æternæ beatitudinis in hoc exilio langueret, vnicum tamen & ſummum erat ei remedium & ſingulare ſolatium, manna & panis cæleſtis, donec veniret ad terrā promiſſionis. Ex eius perceptione angor cordis & deſiderium temperabatur, dolores omnes leniebantur, ſpiritus confirmabatur. Summo hoc & celſiſſimo ſacramento fréta, omnes peregrinationis huius ærumnas patienter tolerabat, omneſque miſeræ vitę huius defectus hoc cibo vegetata paruipendebat. Panis ſanctus cor illius cõfirmabat, vinũ ſanctum mentẽ eius ſanctificans inebriabat. Caro ſancta ſaginabat, ſanguis viuificãs abluendo purificabat. Hoc vno ſolatio diù carere non potuit. Corpus Chriſti edere, hoc illi viuere erat: ab illo verò diutiùs abſtinendo ſeparari, hoc ei erat emori: iamque in hoc ſeculo ſua experientia didicit, quod Chriſtus in Euangelio dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Nec erat ei durus hic ſermo, ſicut Iudæis, ſed ſuauis: quippe quæ omnem delectationem & omnem ſaporis ſuauitatem in eius perceptione, non ſolùm intus in animo, ſed etiam foris in ore perſentiret: cùm plerunque ſub ſpecie pueri cum mellis guſtu & odore aromatico, in puro & bene ornato cordis ſui thalamo Dominum ſuum feliciſſimè ſuſciperet. Nonnunquam verò, cùm ſitim vitalis ſanguinis eius diutiùs ferre non poſſet, poſt Miſſarum ſolennia petebat ſibi copiam fieri vel nudi calicis in altari diù conſpiciendi.

Singulare eius ſolamẽ ſacra Euchariſtia.

Iohan. 6.

De aduentu eius in Oegnies. Cap. 9.

POſtquam huius filiæ regis precioſa monilia, huius ſponſæ Chriſti veſtimenta fragrantia, etſi non pro dignitate, tamen pro virium facultate deſcripſimus, iam ad veſtimentorum eius fimbrias, id eſt, ab beatam eius è vita deceſſum veniendum eſt, vt etiam caudam noſtræ hoſtiæ offeramus. Cùm multo tempore in eo loco, quem iam crebrò diximus Villenbroc appellari, ſeipſam Domino immolâſſet, è vicinia proximi oppidi, quod Niuella dicetur, hominum ad ipſam cum deuotione confluentium frequentiam diutiùs ferre non potuit: quippe quæ ſoli Deo cuperet vacare. Sæpiùs iam multis precibus apud Dominum id egerat, vt locum propoſito ipſius accommodum, & perſonas quæ ipſius deſiderio ſecundùm Deum humiliter inſeruirent, poſſet eius prouidentia obtinere. Itaque in ſpiritu oſtenſus eſt ei locus, quem Oegnies vocant, nunquam illi anteà viſus, cuius propter recentem ſtructuram & paupertatem vix tenuis apud homines mentio fiebat. Interim diù apud ſe deliberabat, ignorans cuiuſmodi eſſet locus ille: Porrò de Domini promiſſione confidens, longè antè quàm eò veniret, à marito ſuo Iohanne & eius fratre magiſtro Guidone, qui illi erat patris ſpiritalis loco, tanquam obedientiæ filia, facultatem petijt locum illum inuiſendi, atque ſi placeret, illic commorandi. Nec difficilè illi precibus eius aſſenſerunt, ne mœrore afficerent, quam charitatis viſceribus complectebantur. Permouit quoque illos Deus, vt id permitterent, nec vllo modo ſibi poterant perſuadere eam in loco, quem nunquam cognouiſſet, & in quo commorantium nullam haberet conſuetudinem & familiaritatem, diù permanſuram. Itaque illa, duce Deo, ad locum ipſi deſtinatũ iter ingreſſa eſt, & cùm adhuc aliquanto interuallo ab illo abeſſet, beatus Nicolaus, eius loci patronus, gratulabundus ei venit obuiàm, eamque ad ſuam eccleſiam perduxit. Multùm eo die, cùm adhuc eſſet in itinere, ſecum admirata fuerat, in animo ſuo ſentiens magnam S. Nicolai ſolennitatem adeſſe, licet non ignoraret eius ferias in Decembrem, non in Maium, quo illud iter faciebat, incidere. Eodem autem ipſo die, quo venit in Oegnies, fratres loci eius S. Nicolai tranſlationem ſolenniter celebrabãt. Poſtquam autem ad locum peruenit, miro modo & loci ſitum, & fratres domûs illius, ſicut priùs in viſione Dominus ipſi oſtenderat, agnouit, ſimulq́; comperit feſtũ diem S. Nicolai illic agi: prædixitq́; ſe eo in loco ab hac luce migraturam: locum etiam in eccleſia, vbi poſt obitũ humanda eſſet, mihi poſteà ſecretò oſtendit: & vera eã dixiſſe,

In ſpiritu videt locum ipſi incognitum.

Futura quædam prædicit.

rei euentus probauit. In Oegnies enim, tametſi multi eam inde reuocare conarentur, naturæ debitum moriens perſoluit, & in ea parte eccleſiæ, quam mihi dixerat, licet plerique aliter vellent, poſt obitum ſepulta eſt.

De manſione eius apud Oegnies, & de ijs, quæ illic ei acciderunt. Cap. 10.

POſteaquam de terra & cognatione ſua, Domino præcipiente, egreſſa eſt: poſtquam ſub vmbra illius, quem deſiderabat, tanto ſuauiùs, quanto ſecretiùs ſedit: quæ illi bona illic Dominus præſtiterit, quoties ſolito frequentiùs ſanctorum Angelorum viſitationibus eam conſolatus ſit, quàm crebrò cum matre Domini in eccleſia familiaria miſcuerit colloquia, quoties ipſe Dominus præſens ei apparuerit, nec mente poſſum concipere: tantum abeſt, vt ſermone explicare queam. Quanto autem propiùs accedebat optatus vitæ terminus & annus extremus, tanto profuſiùs munificentiſſimæ largitatis ſuæ theſauros illi Dominus pandebat. Ipſo verò vltimo vitæ eius anno aduentante, quem & Dominus poſtremum illi fore promiſerat, & illa præ gaudio celare non poterat, (Sex enim annis ante illum magiſtro Guidoni Niuellano prædixerat, nobiſque non rarò & annum & tempus obitûs ſui, non tamen exprimendo diem, indicauerat) eo, inquam, anno propinquante, iam ſe ampliùs continere non valens, anhelabat, ſuſpirabat, præ deſiderio clamabat, quaſi moræ impatiens, cùm Dominum amplexaretur: Nolo Domine, vt ſine me recedas: non cupio hic morari ampliùs, domum ire volo. Et miro quodam modo, dum ſic extra ſe rapta vehementi deſiderio cruciaretur, præ cordis plenitudine ferè toto corpore dirumpi videbatur: cumque ad ſe rediret, diù non poterat pedibus conſiſtere. Porrò cùm extra ſe raperetur, præ feruore ſpiritûs vultu igneo videbatur: quodque eſt admirabilius, ſub eiuſmodi mentis exceſſu, immota acie, in ſolem potuit ſuos oculos defigere. Non potuit tunc præ ſpiritûs ebrietate tacere, ſed clamans dicebat: Audiui à Domino, me ituram in ſancta ſanctorum. O dulciſſimum vocabulum, Dic mihi mea Clementia, (ſic enim eius ancilla vocabatur) quid eſt Sancta ſanctorũ ex famula volebat ſcire, q d eæ dictiones ſignificarent, cùm neutra id ſciret. Sed, vt dixi, ſpiritu ebria id faciebat. Sæpè autem has dictiones repetebat, quibus animus eius ſuauiter afficiebatur. Reddita autem ſibi, mirabatur ſe iam ſolito crebriores pati mentis exceſſus: ſed dicebatur ei: Ne mireris iſthuc: poſtremus hic eſt annus vitæ tuæ, poſt quẽ nihil tibi temporis reliquum erit. Audiebat etiam vocem Domini ipſam vocantis, & dicentis: Veni amica mea, ſponſa mea, columba mea: iam coronaberis. Nonnunquam vehementi ſpiritu incitata, & ſuî plùs ſolito oblita, ex cordis abundantia inter alia multa, hæc quoq; dicebat: Veſtimenta filiæ regis inſtar aromatum redolent, & membra corporis eius ceu precioſæ reliquiæ à Domino ſunt ſanctificata.

Multas accepit cæleſtes conſolationes.

Sancti vitã habẽt in patiẽtia, mortem in deſiderio.

Nota rem miram.

Eo anno, quo migrauit ad Dominum, cùm ex officio mihi à Pontificis maximi legato demandato, ad prædicandum & Cruce ſignandos, quibus Dominus eam mentem adſpiraret, contra hæreticos me compararem, iſta ex me ſciſcitabatur, quando redire decreuiſſem. Me autem reſpondente, longas me moras facturum, illa dixit, licet prorſus nulla tum laboraret aduerſa valetudine: Teſtamento ego tibi relinquo quædam, quæ poſt obitum meum tua erunt. Iam enim obitum ſuum, vt diximus, longè antè præuiderat: dicebatque mihi corporis ſui diſſolutionem imminere. & quia incerta erat quando eſſem rediturus, in faciendo teſtamento properabat: quo me ſcripſit hæredem zonæ ſuæ, qua cingebatur, & ſudarij linei, quo lachrymas detergebat, & quorundam aliorum non magni quidem precij, ſed quæ mihi auro & argento chariora ſint. Appropinquante autem tempore ægrotationis optatæ & extremæ, dixit ancillæ ſuæ, religioſæ virgini, ipſi miniſtranti: Vereor ne tibi & aliis moleſta fiam. diuturna enim & graui ægritudine confecta, proficiſcar ad Dominum. Ecquis verò tam diuturni temporis moleſtiam apud me perferre poterit? Semper enim reformidabat, ne cauſa eius quiſpiam grauaretur, tametſi potiùs dolerent omnes, ſæpiùs ipſi aſſiſtendi & inſeruiendi copiam denegari. Prædixit autem, ſe quadam ſecunda feria humi collocatum iri. Itaque toto illo anno ſemper ferè illa feria ieiunabat, nihil prorſus cibi recipiens. Quanto verò tempus mortis eius magis accedebat, tanto illa ſine intermiſſione diebus ac noctibus Domino ſtudioſiùs ſeruire & placere nitebatur. Vnde etiam à feſto die Annunciationis beatiſſimæ Virginis, vſque ad beati Iohannis Baptiſtæ ferias, non niſi vndecies, idque parcè admodùm, cibum

Prędicit obitum ſuum.

Trium menſium ſpatio

nō niſi vn. decies cibū ſumit.

ſumpſit,ſemper gaudens,& diem cæleſtium nuptiarum cum exultatione expectans. Beatum verò Andream Apoſtolum, qui Crucem Domini tanto amore complexus fuit,vt de ea deſcendere noluerit,valde habuit familiarem,cumque inter cæteros ſanctos præcipue diligebat:qui etiam ante ſupremam infirmitatem his verbis eam conſolabatur: Confide filia: ego te non deſeram : ſed quemadmodùm Chriſti nomen & fidem confeſſus ſum, & non negaui : ita in obitu tuo tibi adero, & coram Deo meo te confitebor,tibique teſtimonium perhibebo.

De cantu eius ante ægritudinem. Cap. II.

IAm tēpus promiſſum propè aderat,quod illa multis lachrymis anteuerterat,multis gemitibus & ſuſpirijs,vt adeſſet,poſtulauerat. Et ecce repentè factus eſt ſonus, & vox turturis audita eſt in terra noſtra,vox exultationis & confeſſionis , quaſi ſonus epulantis & iubilantis,tanquam ſonus ſublimis Dei . Exterſit Dominus omnem lachrymam ab oculis ancillæ ſuæ, & repleuit cor eius exultatione . Cœpit enim clara voce,& alta cantare,nec ceſſauit ſpatio dierum trium & noctium laudare Deū, Deo gratias agere,ſuauiſſimam cantilenam de Deo, de beatiſſima Virgine, de ſpiritibus Angelicis & ſanctis alijs, de amicis ſuis, de ſcripturis diuinis rhythmicè & dulci modulatione contexere:nec deliberabat,vt ſententias inueniret:neque moras nectebat, vt inuentas ante diſponeret:ſed tanquam ſi dictarentur ſcribenti, ita dabat illi Dominus illo tempore, quid diceret. Continua vocis contentione iubilans,nec cogitando laborabat,nec diſponendo cantum interrumpebat. Vnus autem è Seraphin , vt ipſi videbatur,alas ſuas ſupra pectus eius habebat expanſas: quo ſubminiſtrante & humaniſſimè adiuuante,adſpirabatur ei carmen iſthuc ſine vlla difficultate. Porrò cùm ſic tota die vſque in noctem ceciniſſet,præ vocis contentione raucæ factæ ſunt fauces eius,ita vt in primis noctis initijs vix poſſet vocem vllam edere. Ea re lætabatur Prior domus noſtræ,quòd proxima luce,nempè Dominico die , è diuerſis locis ſoleant homines ſeculares ad eccleſiam noſtram confluere: quos verebatur,ſi eam tam contenta & alta voce ſine ceſſatione concinentem audirent , offenſionem & ſcandalum inde accepturos , & pro fatua eam habituros. Et tamen filij huius ſeculi, filij doloris, non mirantur,ſi quis clamet prę anguſtia & dolore, vt fit à parturiente: ſtupent autem & admirantur,ſi quis præ gaudio ex cordis abundantia erumpat in clamores, nec ſe poſſit intra ſilentium continere.Sed filij gaudij, cùm talia audiunt, non murmurant, nec offenduntur:ſed cum multa humilitate & modeſtia, Dei magnalia in ſanctis eius venerantur.

Videtē admirandā in fœmina.

Stupēda Dei opera in ſanctis eius venerari debemus.

Manè alterius diei tympaniſtria noſtra altiùs & clariùs cœpit citharizare. Angelus enim Domini illa nocte omnem raucedinem ab eius gutture deterſerat, immittens in pectus admirandæ ſuauitatis vnctionem: ſicque reparatis arterijs & voce inſtaurata toto ferè die non ceſſauit à laudibus Dei. Homines tamen eò aduentantes non niſi vocem exultationis & harmoniam modulationis audiebant. Clauſis enim oſtijs, & omnibus excluſis, Prior noſter & ancilla ſanctæ mulieris cum illa permanſerant in eccleſia: atq; ijipſi multa ex illis, quæ in arcanis cæleſtibus illa depromebat , aſſequi non potuerunt: quædam verò intellexêre,ſed pauca prohdolor memoria retinuerūt. A ſummo autem & primo tono ſuam cantionem ordita fuit , nempe à ſacroſancta Trinitate,Trinitatem in Vnitate,& Vnitatem in Trinitate diutiſſimè laudans, & mirabilia & quaſi ineffabilia interſerens,quædam etiam è ſcripturis diuinis nouo & admirabili modo exponens,ex Euangelio & Pſalmis,è nouo & veteri teſtamento , quę nunq̄ audierat,multa ſubtiliter ediſſerēs.A Trinitate verò ad Chriſti humanitatē deſcendit inde ad beatiſſimā Virginē:poſteà de ſanctis Angelis,de Apoſtolis & alijs ſanctis multa pronuncians: ad extremum tanquā in vltimo iam puncto cōſtituta, multa de amicis ſuis,qui etiamnum ſuperſtites ſunt,dicens,eoſq; per ordinem Domino ſingulatim commendans,& multas pro eis preces fundens. Atq; hęc omnia rhythmicè & Latinè ab ea enunciabantur. Dicebat verò inter cætera, à lumine ſacroſanctæ Trinitatis ſanctos Angelos habere intelligentiam: à lumine verò corporis Chriſti glorificati,in ſanctis animabus fructum eos capere & exultationem. Beatiſſimam quoq; Virginem Mariam iam cum corpore glorificatam conſtanter aſſerebat: & corpora ſanctorum,qui Chriſto paſſó ſurrexerunt, nunquam poſtea in puluerem reuerſa aiebat: multumq; eo nomine lætabatur , quòd Spiritus ſanctus propediem eſſet viſitaturus Eccleſiam ſuam, & ſolito copioſiùs per vniuerſam Eccleſiā miſſurus operarios ſuos, qui

Per id tempus Domi. nicanorū.

qui animarum fructus adferrent mundumque maxima ex parte illuminaturus. Franciſcanorum, &c. Ordines inchoabatur.

Dicebat etiam, cùm de beato Stephano protomartyre caneret, quem paradiſi roſarium appellabat, illi ſub mortem oranti Dominum pro munere dediſſe ſanctũ Paulum: & beato Paulo peracto martyrio, è corpore excedẽte, ſanctum Stephanum adfuiſſe, eiuſq; ſpiritum obtuliſſe Domino atq; dixiſſe: Domine, hoc ingenti & ſingulari munere tu me donâſti: ego verò multiplici fructu auctum tibi illud reddo.

Pro quodam etiam Concionatore, quem ei Dominus dederat, multùm orans, rogabat, vt pius Dominus eum conſeruaret, quo ſpiritum illius morientis poſſet ipſa ei offerre, & quem ab illo accepiſſet, ei cum vſura reſtituere. Miro autem modo omnes concionatoris illius tentationes, cunctaq; ferè peccata, quæ olim admiſerat, commemorans, Dominum precabatur, vt ab eiuſmodi illum ſeruaret. Audiebat hoc Prior noſter, qui eius hominis nouerat conſcientiam & audiebat confeſſiones: cumque ad illum veniſſet, dixit ei: Expoſuiſti dominæ Mariæ peccata tua? Illa certè inter cantandum ita ea recitauit, ac ſi coram ſe in libro ſcripta videret.

Canticum beatiſſimæ Mariæ virginis, putà Magnificat, rhythmicè & Romana lingua creberrimè repetebat, multam ſuauitatem ex ea perſentiens. Cùm iam autem ſub finem cantionis ad Simeonis canticum perueniſſet, deuotiſſimè commendauit Domino amicos & amicas ſuas, fœminas religioſas Leodij degentes, atq; pro pace illarũ orans, per ſingulas clauſulas primum eius cantici verſum, Nunc dimittis Domine &c. repetebat. Atq; etiam pro religioſis Niuellanis, multiſque alijs in Leodienſi diœceſi manentibus Domino preces offerens, ſemper, Nunc dimittis, repetebat. Expletis tandem tribus illius iubilationis diebus, lectulum ſuum in eccleſia ante aram iuſſit præparari, & ad ſe reuerſa accitis fratribus, dixit: Præceſſerunt lamentationes, me pro peccatis lugente: præceſſit carmen, me propter bona ſempiterna exultante & iubilante: & ecce ſequitur Væ infirmitatis & mortis. Nunquam deinceps cibum ſumptura ſum, nũquam lectura in hoc codice. Atq; ita tradens fratribus libellũ, quem habebat, in quo preces & carmina quædam de beata Maria, quæ canere ſolebat, inerant, diſciplinę Domini patienter ſe permiſit & ſubdidit, finemq; beatum in ſilentio & ſpe expectauit.

De ægrotatione eius ſub mortem. Cap. 12.

IN hac verò ægritudine grauiter quidem corpore laborabat, ſed intus animo ſuauiter quieſcebat. Sancti enim, qui illi adhuc rectè valenti crebrò adſtiterant, crebriùs eam iam afflicta correptam valetudine inuiſebant. Et ipſe Christus ſæpè illi apparens & quaſi cõmiſerantis vultu in eã reſpiciens, itemq; ſanctiſſima mater eius, ei ferè ſemper aſſiſtens, illam conſolabantur. Inter omnes autem beatus Andreas Apoſtolus ad eã ſæpè veniens, haud vulgari eam conſolatione afficiebat, ita vt penè omnem doloris ſenſum ab ea auferret. Sancti etiam Angeli aderant ei, & officioſè inſeruiebant. Ita cùm nocte quadã ſiti laboraret, nec poſſet tamen, nimia morbi vi impedita, ſuis virib⁹ ſurgere & ambulare, duobus ſanctis angelis eam ſuſtentantibus, & ducẽtibus ad locũ, vbi repoſita erat aqua, bibit, & rurſus illis eam reducentibus, ad lectulum ſuum abſque vllo labore reuerſa eſt. Cùm autem, beatiſſima virgine ipſam præmonente, extremã vnctionem acciperet, Apoſtoli omnes præcipuè adfuêre, & beatus Petrus claues oſtẽdens, pollicebatur ſe illi cæli ianuam patefacturum: porrò Christus ſignum crucis, vexillum victoriæ ſuæ, ad eius pedes fixit. Cumq; in diuerſis locis vngeretur, in ipſa ſacramenti eius perceptione ſancti ſpiritûs operationem cum ingẽti ſingulorum locorum illuſtratione perſenſit. Quidam etiam amici & noti ei⁹, qui iampridem obierãt, eius conſolandæ cauſa ad eam miſſi ſunt: Iohannes Dinantinus, qui iam cum Christo regnabat, & frater Richardus de Meneſar Capella vir ſanctus & bonus cùm viueret, ſed etiamnum luens pœnas Purgatorias. Alius quidam, grauiſſimis ſubditus Purgatorij cruciatibus, apparuit illi, poſcens opem ab illa. Habuerat ille & habitum & nomen religionis, & perfectionis profeſſionem præ ſe tulerat: ſed poſteà cum multorum ſcãdalo & religionis opprobrio ad ſeculum reuertens, cum quadam contraxerat coniugium, quæ itidem diù perfectionis vitam præ ſe tulerat, ſed deinde primam fidem irritam fecerat. Ante omnia autem eo nomine ſe cruciari dicebat, quòd Dei Eccleſiã ſcandalo ſuo læſiſſet.

In grauiſſima ægritudine mirè diuinitùs viſitatur.

Notate hoc deſertores vitæ monaſticæ.

Sanctus Toloſanæ eccleſiæ Epiſcopus, quandoque eius inuiſendi cauſa ad eam venit, ex cuius præſentia maximam illa cepit conſolationem, & ad tempus etiam corporis vires: porrò beatiſſima Virgo, vt ipſi videbatur, quaſi in aëra contra ſanctum Epiſco-

piſcopum eam ſubleuauit. Cùm autem idē Epiſcopus in ea eccleſia altari beatæ Virginis conſecrato, Miſſarum ſolennia celebraret, Domino oſtendente, vidit in perceptione ſacramenti columbam candidam, ſancto Epiſcopo in os Euchariſtiam inferētem, & ingentem claritatem eum intus penetrantem, eiuſque animam illuſtrantem. In ea infirmitate tametſi nihil penitus edere poſſet, immò nec modici panis odorem perferre, facilè tamen & quidem crebrò Chriſti corpus ſumebat: quod ſtatim quaſi liqueſcens, & in animam eius tranſiens, non ſolùm illam confirmabat, ſed etiam corporis infirmitatem ſine mora releuabat. Quandoq; ſumente illa tum Euchariſtiam, facies eius quoſdam ex ſe luminis radios vibrare & diffundere videbatur. Nos quidem tentabamus aliquando, num hoſtiam non conſecratam ſumere poſſet, ſed illa à panis odore mox obhorruit, & cùm niſi exiguam particulam dentibus attigiſſet, cœpit clamare, expuere, & perinde ac ſi pectus rumperetur, anhelare & cum ingenti anxietate ſingultire. Cumque diù præ dolore clamâſſet, & ſæpiùs os aqua abluiſſet, magna noctis parte exacta, vix potuit quieſcere. Nunquam autem, quantumuis imbecillo eſſet corpore, quanlibet euacuato & exhauſto capite, vtpote quę quinquaginta & tribus diebus ſub mortem prorſus nihil ſibi accepit, lumen ſolis ferre non potuit, nūquam ad lucis ſplendorem oculos clauſit: &, quod eſt mirabilius, cùm iuxta eā & propè ad aures eius in eccleſia, alta voce cantaremus, campanas diù & fortiter pulſarem⁹, quoddam etiam altare, vt ab Epiſcopo Toloſano conſecraretur, multorum cæmentariorum malleis cædentium opera iuxta eam extrueremus, nullo vnquam ſtrepitu, quem Dei & eius eccleſiæ cauſa fieri ſciret, affligi potuit. Sonus enim ille, vt ipſa, cùm nos ei condoleremus, aſſerebat, nulla caput eius moleſtia afficiebat.

Nota ſanè rem notatu dignam.

Diebus 53. nihil edit.

Confluxêre tum ad illam è diuerſis locis amici & noti, vt eam viſitarent. Nobis autem de quibuſdam, qui necdum ad illam venerant, loquentibus, de alijs dicebat, ſe illos adhuc viſuram: de alijs verò, ſe nunquam in hac vita eos conſpecturam: quod ita etiam eueniſſe ſcimus. Illuſtris quædam matrona, Louaniēſis Ducis quondam cōiunx, quæ contempto ſeculo, ordinis Ciſtertienſis monaſterium petierat, monaſticā in illo vitam profeſſa, longè ante eius obitum, cùm adhuc eſſet in Villenbroc, eam vidit, recedenſque ab ea, dixit: Neſcio domina, an poſthac vnquam te viſura ſim. At illa reſpondit: Immò videbis me. Itaque vbi audiuit, procùl à nobis versùs Coloniam habitans, ſanctam mulierem in extremis agere: Cōfido, inquit, in Domino, quemadmodùm promiſit mihi, illam me adhuc conſpecturam: & ita factum eſt. Quando enim illa venit ad nos, iam pro defuncta campanæ pulſabantur: at tamen præſens adfuit, cùm eius corpus lauaretur, & monumento conderetur.

Duciſſa Louaniēſis fit ſanctimonialis.

Prædixit etiam cuidam ex noſtris Chriſti ancilla ſecretò, quædam poſt mortem eius euentura, quæ ſpiritu ſancto reuelante & promittente didicerat, quæ nos ita propter ſcandalum infirmorum ſubiunximus, vt cùm euenerint, facilè è ſcriptura poſſint animaduerti. Interim verò ſermones ſignauimus, & diligenter clauſimus: fortaſſis enim pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Sunt quidam, qui quod Deus ad poſterorum vſum & vtilitatem ſeruat, niſi ſtatim viderint ſuos habere progreſſus, murmurent, & dicant cum Iudęis: Manda, remanda: expecta, reexpecta. Quædam certe iam vidimus ita contigiſſe, vt illa prædixit, vt de loco ſepulturæ eius, de veſtibus ſanctificatis & honoratis propter frigus, & de ſecunda feria, qua iacuit in terra iam exanimis. Quæ cùm ita acciderint, vt illa futura dixit, cætera etiam certiſſimè euentura expectamus: putà de cantu * nouo ſolennitatis, propter voces Angelorum, quas audierat, ipſi à Domino promiſſo: de miraculis, propter ſplendores, quos viderat: ſicut ſuprà dictum eſt, Dominū illi cum multo lumine ſæpè apparuiſſe: de duplici ieiunio in duabus ſolennitatibus. Nam propter biduana ieiunia, illa non rarò tertio demum die capiebat cibum: denique de imagine propria & venerāda imagine beatiſſimæ Virginis, quam ſæpè ipſa ſupplicando venerata eſt.

Dan. 12.

Eſai. 28.

** nouę legēdum puto*

De morte eius. *Cap.* 13.

Aduentante autem hora deceſſus eius, oſtendit Dominus filiæ ſuæ portionem hęreditatis ei⁹ inter fratres, viditq; locum in cęlis ſibi pręparatū: vidit, & gauiſa eſt. Cuius quidem loci celſitudinem & gloriæ magnitudinem poſſemus vtcunq; ſaltem æſtimare, ſi lapides precioſos & vires gemmarum, itemq; nomina, quæ Domino indicante, expreſſit, memoriæ mandare potuiſſemus. Sed quoniam ſcriptum eſt, Oculus non vidit Deus, præter te, quæ præparâſti diligentibus te: non poſſumus compræhendere, ſed tantùm vtcunq; conijcere, quanta gloria digna ſit, quæ tam piè, tam deuotè

Videt Maria locum in cælis ſibi paratum.

Eſai. 64.

Domino ſeruiuit, tam ardenter dilexit Chriſtum, quam tot priuilegijs Dominus in terris peculiariter cohoneſtauit. Quinta feria ante obitum eius, cùm eſſemus præſentes, & aſſiſteremus ei ad veſperam, nec loqui nobis voluit, nec ad nos oculos aduertit: ſed defixis immobiliter in cælum oculis, (iacebat enim extra cellulam ſub dio) vultus eius cœpit quaſi ſerenitate quadam clarere: illa verò præ gaudio diutiſſimè ſubridēs, neſcio quid ſubmiſſa voce cantabat. non enim poterat iam altiùs intendere vocem. Ego tum propiùs accedens, & accuratiùs aures accommodans, non niſi parum aliquid eius cantilenæ potui percipere, iſtuc videlicet: Quàm pulcher es rex noſter Domine. In eo gaudio poſtquam diu perſtitit cantando, ridendo & interdum plaudendo manibus, tandem ad ſe reuerſa, velut denuò ad ſenſum morbi, quem interim non ſenſerat, reducta, nonnihil ingemuit. Sciſcitantibus autem nobis quidnam vidiſſet, parùm & voluit & potuit nobis dicere: Mirabilia, inquiens, dicerem, ſi auderem.

Veſpere autem ſabbati, cùm iam immineret dies, quam fecit Dominus, dies nuptialis, dies gaudij & exultationis, dies, quam ancillæ ſuæ Dominus prouiderat & promiſerat, dies Dominica, dies reſurrectionis, dies vigiliæ S. Iohannis Baptiſtæ, qua fertur etiam S. Iohannes Euangeliſta migrâſſe è ſeculo, licet eius feſtus dies alio tempore ab Eccleſia celebretur: eo, inquam, die ancilla Chriſti, quæ iam diebus quinquaginta duobus nihil prorſus comederat, dulci voce cantauit Alleluia, & tota ferè nocte illa, tanquam ad epulas inuitata, fuit in iubilo & exultatione. Die verò Dominico apparuit ei ſatan, & inſidias faciens calcaneo eius, multùm eam vexauit, ita vt nonnihil paueſceret, & à circunſtantibus opem poſceret. Sed rurſus fiduciam in Dominum concipiens, caputque draconis fortiter conterens, & ſeſe muniens Crucis ſigno: Diſcede, inquit, ſanies & turpitudo. Non enim turpem eum dicere voluit, ſed ipſam turpitudinē. Illo deinde profligato, rurſus cātauit Alleluia, & Domino gratias egit. Appropinquante ergo veſpere eius diei, qui natalem S. Iohannis Baptiſtæ antecedit, circa illam horam, qua Chriſtus in Cruce ſpiritum reddidit, ipſa quoque ad Dominum migrauit, nullo vnquam mortis dolore vultûs hilaritatem amittens: neq; memini etiam tum, cùm eſſet benè incolumis, talem me quandoque in ea vidiſſe vultûs ſerenitatem & alacritatem. Neque enim, vt in cæteris videmus, poſt mortem pallor aut fuſcus color eius obtinuit faciem: ſed vultu angelico, columbina ſimplicitate, candida & luculenta facie multos & in morte & poſt deceſſum ad pietatem & deuotionem permouit. Multi etiam multo lachrymarum imbre ad eius obitum ſuauiter perfuſi, meritis eius à Domino ſe viſitari ſenſerunt: quod quidem ſancta quædam mulier ex diuina reuelatione prædixerat, fore vt qui ea moriente adeſſent, diuina conſolatione afficerentur.

Migratura è vita infeſtus eſt ſatā.

Ab ea profligatur.

Feliciſſimè abit ad Dominum.

Cùm autem defunctæ ſacrum corpuſculum ablueretur, adeò viſa eſt exhauſta, extenuata, morbo & ieiunijs confecta, vt dorſi eius ſpina ventri adhæreret, & velut ſub tenui panno lineo, oſſa dorſi ſub ventris pellicula cernerentur. Porrò poſt mortem nō reliquit eos, quos in vita dilexerat: ſed ad quoſdam rediens, ſanctas etiam & probatæ vitæ fœminas crebrò alloquens amicos ſuos docuit in agendis, & præmuniuit in periculis, certis & ſecretis quibuſdam ſignis omnem ab illis hæſitationē excludens. Quibuſdam etiam amicis ſuis impetrauit à Domino precibus ſuis & ſapientiæ ſplendorē, & charitatis ardorem. Quidam Ciſtercienſis inſtituti ſanctus monachus vidit in ſomnis ab eius ore calicem aureum prodire, vnde pleriſque amicis ſuis potum præberet. Retulit mihi alius quidam in ſomnis ſe vidiſſe corpus eius tanquam in lucidiſſimam gemmam mutatum. Anno autem incarnati Verbi milleſimo ducentiſſimo tertiodecimo, nono Calendas Iulij, pridiè natiuitatis S. Iohannis Baptiſtæ, die Dominico ſub horam nonam, precioſa Chriſti margarita Maria Oegniacenſis ſiue de Oegnies, annū circiter triceſimumſextum ætatis ſuæ ad regis ſempiterni palatium introducta eſt: vbi vita ſine morte, dies ſine nocte, veritas ſine mendacio, gaudium abſque mœrore, ſecuritas timoris expers, requies laboris neſcia, ęternitas finem nullum habitura: vbi curis nullis angitur animus, nullo dolore afficitur corpus. Vbi torrens voluptatis diuinę omnia implet & ſatiat ſpiritu veriſſimæ libertatis: vbi cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus, quando erit Deus omnia in omnibus, cùm dederit regnum Deo & patri Chriſtus Ieſus Dominus noſter: Qui cum eodem patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Corpus eius mirè exhauſtum & attenuatum.

1. Cor. 13.
1. Cor. 15.

VITA

VITA SANCTAE MEMORIÆ CHRISTINAE VIRGINIS, QVAM MIRABILEM VOCANT, EDITA A' *F. Thoma Cantipratenſi Dominicano: Quemadmodùm habetur in exemplari MS. Idem autem teſtatur Dionyſius Carthuſianus, libro de 4. Nouiſsimis, articulo 50. vbi hunc Thomam vocat virum literatum, religioſum ac nobilem. Etſi autem mihi necdum conſtat, qua die obiërit hæc virgo, tamen ob multas rationes, quòd fuerit cõtemporanea Mariæ Oegniacenſis, quòd eius, quamuis tacito nomine, in Præfatione in vitam eiuſdem Mariæ, vir grauiſsimus Iacobus Vitriacenſis faciat mentionem, quòd fidedigniſsimum eius vitæ authorem habeat, quòd multam vtilitatem eius cognitio poſsit lectori adferre, & ob alia quædam eam hoc loco collocare volui, certus me ea re gratificari pijs, qui eiuſmodi lectione non mediocriter incitantur ad pietatem. Stylum ferè totum mutauimus, & quædam reddidimus paraphraſticôs.*

PROLOGVS AVTHORIS.

Eſt in Vitæ eius Præfatione.

SCripturi vitam memorabilis Chriſti virginis Chriſtinæ, id in ipſo opuſculi limine commemorandum putamus, quod venerabilis ille Iacobus Achonenſis Epiſcopus, poſteà Romanę Eccleſię Cardinalis, in vita beatæ Mariæ Oegniacẽſis, à ſe edita, his ferè verbis cõmemorat: Vidi aliam, (Chriſtinam accipe) circa quam admirabiliter operatꝰ eſt Dominus, ita vt cùm diù iacuiſſet exanimis, antequã corpus eius monumento conderetur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atque à Domino obtinuerit, vt in hoc ſeculo viuens, Purgatoriũ pateretur. Itaq; multo tempore mirum in modum à Domino afflicta, quàndoque ſe volutabat in igne, nonnunquam hyberno tempore in aqua cõgelata diù morabatur, interdum in mortuorum ſepulcra ingredi cogebatur. Tandẽ verò, peracta pœnitentiâ, in tanta pace vixit, tãtamq; à Domino gratiam adepta eſt, vt crebrò rapta in ſpiritu, defunctorum animas vſque in Purgatorium vel per Purgatorium abſque vlla ſuî læſione, & ad ſuperna regna deduceret. Hęc quidem ille venerabilis Iacobus Epiſcopus de ea annotauit: ego verò indignus frater ordinis Prædicatorum, ad Chriſti gloriam & lectoris ædificationem, vitam eius conſcribẽdam ſuſcepi, imperito quidem & inculto ſermone, ſed certa veritate, quam habeo ex aliorum relatione. Neq; temerè id dixerim, certa mõcommemoraturum, cùm tot planè teſtes producere liceat in permultis, quæ me adferentur, quot tum in oppido Trudonenſi rationis compotes eſſe potuêre. Neque enim in angulis & latebris hęc geſta ſunt, ſed planè in luce & ſub aſpectu plurimorum: neque tam longa temporum ſpatia interceſsêre, vt ea potuerit obliuio abolere, & ab hominum memoria excludere, cùm ab eius obitu vſque in præſens, non niſi octo anni fluxerint. Ea verò, quæ nullus mortaliũ præter ipſam nôſſe potuit, ab illis didici, qui ſe ea ex eius ore percepiſſe teſtati ſunt. Certus autem ſit, quiſquis hæc legerit, ijs me teſtibus fidem adhibuiſſe, à quibus tam longè abfuit fingẽdi libido, vt vitam potiùs ipſam prodituri fuerint, quàm à veritatis tramite deflexuri. Fatemur quidem, & res ipſa docet, ea, quæ dicturi ſumus, humana ratione plerunque capi non poſſe, quippe quæ pro naturæ vſu & ordine fieri nequiuerint: nec tamen negari poteſt, poſſibilia eſſe Deo prępotẽti creatori: quanquã nec ſic ego vllo pacto ea ſcripturus fuerim, niſi me eius, quem dixi, reuerendiſſimi antiſtitis Iacobi, in maioribus teſtimonium confirmâſſet. Itaque opuſculum hoc ita diſtinguere placuit, vt primo loco quemadmodùm educata ſit & nutrita, atque deinceps cætera, quæ ab illo geſta ſunt, vti ea certiſſima & indubitata relatione didicimus, explicemus.

Veritas huius hiſtorię

VITÆ HISTORIA.

De Chriſtinæ patria & educatione. Cap. I.

ITAQVE venerabilis Chriſti virgo Chriſtina in † oppido S. Trudonis in Haſbania honeſtis parentibus orta eſt: quibus è vita abeũtibus, illa cum duabus ſororibus relicta eſt, ijs natu minor. Porrò ſorores illæ vitam ſuam religiosè & piè inſtituere cupientes, ita inter ſe ſua munia partitæ ſunt, vt maxima natu vacaret precibus, media domûs & rei familiaris haberet curam: poſtremo loco nata Chriſtina, ad paſcua euntia pecora cuſtodiret. Quod illa, tametſi præ cæteris humilius & abiectius videretur, libens ſuſcepit: nec Chriſtus ei ſuam adhibere conſolationem diſtulit, internæ ſuauitatis illi ſuppeditãs gratiam, & ſecretorum cæleſtium eam non rarò conſciam & participem reddens. Interim tamen illa manſit omnibus incognita, ſoli Deo tanto notior, quanto occultior cæteris. Vnde apud Eſaiam gloriatur Dominus: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Eſt enim verecundus amator Dominus Ieſus.

† aliàs pago qui Bruſtemũ dicitur.

Diuinis cõſolationib9 & reuelationibus fouetur.

Eſa. 24.

Vt mortua fuerit. Cap. 2.

PORrò autem ab internis illis ſanctæ contemplationis exercitijs vires corporis eius adeò debilitatæ ſunt, vt vitam cum morte commutârit. Poſitum itaque in medio eſt corpus exanime, amicis & inprimis ſororibus eius acerbè lugentibus: deinde manè ad templum deportatum eſt: vbi cùm pro anima eius Miſſæ ſacrificium offerretur, ſubitò ſeſe commouẽte corpore in feretro, illa ſurrexit, & mox inſtar auiculæ ſurſum ſcandens, ad templi trabes vſque peruenit. Rei nouitate perterriti omnes, qui illic aderant, inde aufugerunt: ſola ſoror natu maxima, non abſque formidine, illic permanſit. Sedit autem Chriſtina immota, donec peractum eſſet ſacrificium. Eo abſoluto, ſacerdote eam coniurante, coacta eſt deſcendere. Id verò quidam ſic interpretantur, quòd purus & ſubtilis ſpiritus eius, ab humanorum corporum odore abhorruerit. Inde cum ſororibus domum abijt, ciboque corpus refecit. Venerunt autem ad illam * ſpirituales quidam amici illius, & quidnam vel vidiſſet, vel paſſa eſſet, ab ea percontati ſunt.

Redit à morte ad vitam.

* ſpeciales

Quemadmodùm è corpore educta, & in illud reducta fuerit. Cap. 3.

TVm illa: Statim, inquit, vt è corpore exceſſi, animam meam exceperunt lucis miniſtri, Angeli Dei, deduxeruntque illam in locum quendam obſcurum & horridum, animabus hominum refertum. Quæ verò tormenta eo in loco cõſpexi, ea tam immania & acerba fuêre, vt nullus poſſit ſermone id explicare. Vidi illic non paucos vita functos, mihi, cùm viuerent, non ignotos. Valdè autem miſerata ego animas illas miſerabiles, quærebam quis eſſet ille locus. Suſpicabar enim tartarum eſſe. Reſponderunt mihi duces mei, locum eſſe Purgatorij, vbi peccatores, quos in vita quidem peccâſſe pœnituiſſet, ſed non ſatis, ſcelerum ſuorum meritas pœnas darent. Inde perduxerunt me ad inferorum ſupplicia, in quibus itidem agnoui quoſdam, mihi olim in vita notos. Poſteà verò tranſlata ſum in paradiſum vſque ad thronum diuinæ maieſtatis: vbi cùm viderem gratulantem mihi Dominum, vltra omnem modum lætabar, quòd arbitrarer illic me deinceps cum Domino in omnem æternitatem permanſuram. At ille mox reſpondens deſiderio meo: Reuerà, inquit, dulciſſima filia hic mecũ eris: ſed nunc, vtrum è duobus malis, optionem tibi facio, vel æternùm hic nunc apud me permanere, vel redire ad terras, ibique in mortali corpore abſque illius detrimento pœnas perferre, ijſque omnes illas animas, quas in locis Purgatorijs miſerabaris, liberare & eripere: efficereque vt homines adhuc in corpore manentes, tuæ pœnitentiæ & vitæ exemplis ad me conuerſi, à ſuis facinoribus abſtineant & reſipiſcant: peractiſq; omnibus, ad me tandem multis aucta meritorum cumulis reuerti. Ego verò abſque vlla cunctatione, ſub conditione mihi propoſita dixi me velle ad corpus redire.

Pœnæ Purgatorij.

Habes exẽplũ eximiæ charitatis.

Et pius Dominus, gratulans quòd me promptam obtuliſſem, iubet animam ſuo corpori reſtitui. Qua in re exequēda admirari licet beatorum ſpirituum incredibilem celeritatē. Ea enim hora, cùm in Miſſæ ſacrificio, quod pro me fiebat, diceretur primò, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi &c. anima mea ſiſtebatur coram throno diuinæ maieſtatis: cumq́; tertiò id repeteretur, illi me corpori reddidére. Ita ſe habet & exceſſus meus è vita, & ad vitam reditio. Propter hominum correctionem & emendationem ad corpus reuocata ſum. Itaq; deinceps oro, ne vos perturbent ea, quæ viſuri eſtis in me. Excedent enim mentis humanæ captum, quæ Domino volēte fient in me: nec talia inter mortales quandoq; comperta ſunt. His auditis, admirati ſunt amici eius, & non abſque ſtupore, quæ futura eſſent, præſtolabantur.

Vt à cognatis capta, à Domino verò liberata, ſuo lacte virgineo ſe ſuſtentârit. Cap. 4.

Ferre nō poteſt hominum conuictum.

COepit deinde hominum conuictum & conſpectum incredibili cum horrore fugere, & ad loca deſerta, in arbores, ad turrium & templorum, aut aliarum rerum excelſarum faſtigia confugere. Id eius amici conſpicati, quòd putarent eam à malis dæmonibus occupatam, tandem multo labore compræhenſam, in vincula ferrea coniecerunt. Vbi cùm multas moleſtias, præſertim ex hominum odore, multamq́; penuriā pateretur, nocte quadam diuinitùs adiuta, vinculis & compedibus diſſolutis euaſit, fugitq́; in remotam * ſolitudinem, inſtar auium illic degens in arboribus: cumq́ue egeret alimento, (neque enim quanuis ſubtiliſſimum corpus eius cibo carere potuit) diriſſimaq́; fame cruciaretur, nullo pacto ad hominum conuictum redire voluit, ſed ſola cū Domino manere in deſertis locis. Itaque preces Domino offerens, ſuppliciter eum rogauit, vt ipſius anguſtias & neceſſitatem benigniſſimæ miſericordiæ ſuę oculis reſpiceret. Vix precādi finē fecit, cùm ecce ad ſe oculos reflectens, videt ex aridis mammillis virginei pectoris ſui contra ipſa naturæ iura lac diſtillare. Mira profectò res, & præterquam in ſingulari & incomparabili Chriſti Domini virginea matre, cunctis ſeculis inaudita. Illum igitur lacteum liquorem alimenti loco ſumens, ad nouem hebdomadas ſuo ſe lacte ſuſtentauit. Rurſus autem à ſuis quæſita, reperta & capta eſt, & vt priùs, vinculis ferreis conſtricta, ſed fruſtrà.

* remotas ſyluas.

Virgo ſuo ſe lacte alit.

Vt per Moſam nihil læſa tranſierit. Cap. 5.

LIberata enim iterum à Domino, venit Leodium: vbi ſacroſanctas immaculati Agni Paſchalis carnes eſuriens, ſupplex rogauit ſancti Chriſtophori ſacerdotem, vt ipſam multis angoribus correptam, ſacra communione muniret. Promiſit ille quidem ſe id facturum, ſed addidit, necdum intra horam expedire ſe poſſe. Illa moram non ferens, ad alterius eccleſiæ ſacerdotem ſe contulit, petijtq́; ab illo ſimiliter venerabile corpus Domini Ieſu. Is verò abſque mora eius precibus ſe accommodans, illi ſatisfecit. Et ecce repentè quodam impetu incitata, extra vrbem aufugit. Miratur preſbyter, & vnà cum S. Chriſtophori ſacerdote fugiētem inſequitur vſq; ad ipſas Moſæ fluminis ripas. Cumq́; ſperarent illam ſe ad obuias lati fluminis vndas comprehenſuros, cū multo ſtupore cernunt fœminam vero & naturali corpore, haud aliter atq; phantaſtico, profundos penetrare gurgites, & in vlteriorem ripam abſq; vllo ſui detrimento euadere.

Per fluuiū illæſa penetrat.

Vt igne ſe mirabiliter cruciârit. Cap. 6.

TVm verò cœpit illa exercere, quorum cauſa à Domino remiſſa fuerat. Ingrediebatur in ardentes clibanos, coquendis panibus præparatos, & illis incendijs haud ſecus, atq; aliquis è nobis, cruciabatur. ita vt præ anguſtia & dolore horrendos ederet clamores. Poſtquam autem inde egreſſa fuit, veſtigium nullum alicuius vſtionis in eius corpore viſebatur. Quando ad manum non erant eiuſmodi furni, in hominum ædibus, iactabat ſe in copioſos ignes, vel pedes tantùm aut manus immittebat, tandiu illic tenens, vt niſi diuino eſſet ſeruata miraculo, non potuerint non in cineres redigi. Interdum deponebat ſe in cacabos plenos bullientis aquæ vſque ad mammillas, vel ſi non eſſent profundi ſatis cacabi, vſq; ad renes, membra illa, quæ in aquam eiuſmodi mergere non poterat, aqua feruenti perfundens. Etſi autem præ dolore inſtar parturientis, clamaret, at tamen detrimenti nihil in egredientis corpore apparebat.

Nota lector & cogita Deū mirabilem in ſanctis ſuis.

Vt

Vt in aquis egelidis ſe afflixerit. Cap. 7.

SVb aquis Moſæ fluminis hyberno tempore, cùm rigerent omnia gelu, crebrò & diù morabatur, ſex & eo ampliùs diebus in eis perdurans. Accedente autem ad fluuium ſacerdote, qui eius gerebat curam, eamque per Chriſti nomen adiurante, cogebatur inde exire. Solebat etiam hyeme ſub molēdini rota erecta ſtare, ita vt aqua, vertente ſe rota, in medium verticem & totum corpus eius dilaberetur. Interdum in aquis natans, ſimul cum illis ferebatur in rotam, atque ita horrendum in modum circumacta cum ipſa rota, membris omnibus manſit incolumis.

Vt in rotis & patibulis ſe torſerit. Cap. 8.

IN rotis etiam, quibus piratę plerunque puniri ſolebant, inſtar eorum, qui illis excarnificantur, contorquebat brachia & crura ſua: nec tamen, poſtquam ab illis deſcendit, vlla in membris eius contritio vel fractura viſebatur. Nonnunquam in patibulo inter fures ab illo pendentes ſe ſuſpendebat ad vnum aut alterum diem: ſæpè in monumenta mortuorum ingrediebatur, lugens illic hominum peccata.

Vt ſpinis & vepribus, à canibus agitata, ſe lacerârit. Cap. 9.

SVrgebat quandoque medijs noctibus, & totius oppidi Trudonenſis canes in ſe concitans, ante illos ipſam inſectātes inſtar feræ cuiuſdam curſitabat: ſicque per deuia & per denſos vepres & ſpineta agitata, adeò ab illis compungebatur & lacerabatur, vt nulla corporis eius pars vulneris eſſet expers: & tamen multo fuſo ſanguine, nulla plagarum aut vulnerum veſtigia conſpiciebantur in eius corpore. Aliâs ipſa ſe ſua ſpōte ſpinis & ſentibus compungebat, vt toto corpore ſanguine perfuſa videretur. Multis id non raro cernentibus, magnæ fuit admirationi, vnde tanta ſanguinis copia in vno corpore abundaret. Nam præter has ſanguinis profuſiones, ſæpiſſimè permultū ſibi ſanguinis venæ ſectione detrahebat. Mirè laceratur ſpinis, nec vlla tamen cernūtur vulnerū veſtigia.

De corporis eius ſubtilitate & agilitate, & inter orandum quid ei acciderit. Cap. 10.

COrpus eius tantæ erat ſubtilitatis, agilitatis & leuitatis, vt in arduis & excelſis ambularet, & inſtar paſſeris à tenuiſſimis arborum ramuſculis penderet. Preces Domino oblatura, ad arborum, vel turriū, aut aliarum rerum ſublimium faſtigia ſe recipere cogebatur, vt illic ab omnibus ſemota, ſpiritûs ſui requie potiretur. Inter orandū autem, cùm mens eius eſſet diuinæ contemplationi intenta, inſtar liqueſcentis ceræ omnia eius membra in globi cuiuſdam formam conuoluebantur, ita vt corpus eius planè ſphæricum cerneretur. Illa autem ſpiritûs ebrietate ſe remittente, & ſenſibus ſuas ſedes ſuaq; in membris loca repetentibus, in ericij ſpeciem conglobatum corpus, ad priſtinam redibat formam, membraque extendebantur, quæ in formis cuiuſdam materiæ congeriem præ ſe paulò antè ferebant. Sæpè quoque viſa eſt in palis ſepium erecta ſtare, & pſalmos depromere. Moleſtiſſimum enim illi erat, immundam humum contingere. Toto corpore liqueſcit, dum vacat contemplationi.

De tibia eius confracta, & vt rurſus capta, rurſus diuinitùs erepta ſit. Cap. 11.

AT verò ſorores & cognati eius miro afficiebantur pudore, quòd propter eiuſmodi res inuſitatas, homines eam putarent plenam malo dæmone. Itaque non minùs improbum, quàm robuſtum virum precio conduxêre, vt eam perſequeretur, & captam ferreis nexibus implicaret. Fecit nequam ille, quod iuſſus erat: perſequebatur per deſerta loca fugientem, ſed cùm manibus eam comprehendere non poſſet, tandē tibiam eius claua confregit. Ducta eſt igitur domum, & à ſororibus chirurgus accitus, qui tibiam eius curaret. Ea cauſa miſſa eſt Leodium, curru eam vehente. Sed cùm chirurgus ille non ignoraret, quanta eſſet vis & robur ſpiritûs eius, eam in cellario quodā omni ex parte murato, vinculis fortiter colligatam, & ad columnam religatam, obſeratis oſtijs, incluſit. Stringente autem illo tibiam faſcijs ſuis, & opportunis remedijs fouente, poſtquam ab ea receſſit, illa quicquid ab eo fomentorum adhibitum fuiſſet, ab- Tibia eius confringitur. Reiicit chirurgi cataplaſmata.

ſtrahebat,indignum planè cenſens alium ſuis vulneribus adhibere medicum, præter ſaluatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum. Nec fuit fruſtrà ſpes eius. Quadam enim nocte, irruente in illam ſpiritu Domini,ſolutis vinculis,quibus conſtricta erat,curato vulnere tibiæ,obambulabat per cellarium tripudians,laudanſq; & benedicens illum,cui vni & viuere & mori conſtituiſſet. Sentiens autem ſpiritum ſuum ſeptis cellarij coarctari,arrepto ſaxo è cellarij pauimento,multa vi perfregit murum:& quemadmodùm arcus quanto fortiùs tenditur,tanto validiùs à ſe vibrat ſagittam : ita ſpiritus eius,plùs quàm par erat,preſſus,(vbi enim Domini ſpiritus, ibi libertas) cum ipſa mole corporeæ carnis,perinde vt volucres,per aëra volitâſſe fertur.

A Domino curatur.

2. Cor. 3.

Vt oleo ab eius vbere manante, à cognatis dimiſſa ſit. Cap. 12.

AT nec ſic tamen ſorores & cognati eius,ab eius inſectatione deſiſtere voluerunt. Vbi enim reuertentem illam compræhendere potuêre, iterum vinculis fortiter conſtrixerunt,& haud ſecus atque canem,exiguo pane & aqua eam ſuſtentârunt. Et Chriſtus quidem, vt eximia in ea ſuæ virtutis miracula declararet, ad tempus paſſus eſt eam vinci & affligi. Itaque duritia ligni illius,ad quod religata erat,nates eius attritæ ſunt,& humeri computreſcebant : quo factum eſt,vt præ dolore illum ipſum panẽ ſuum edere non poſſet. Nullo verò eius vicem miſerante,mirificè illius miſertus eſt pijſſimus Dominus Ieſus,effecitque in ea inſigne miraculum,cunctis ſuperioribus ſeculis inauditum. Nam ex virgineis eius vberibus oleum manare cœpit. Quod illa tum pro condimento ſicci panis, tum pro vnguento vſurpans, partim fami remedium adferebat,partim putreſcentia vulnera perungebat. Id verò poſteaquam eius ſorores & conſanguinei vidêre, ſibi à lachrymis temperare non potuerunt, nec deinceps auſi diuinæ voluntati in Chriſtinæ miraculis reluctari, eam à vinculis abſoluerunt, & cùm flexis genibus ob illatas iniurias veniam petijſſent, ſuæ illam libertati permisêre.

Tractatur inhumaniter à ſuis.

Nota.

Vt precibus religioſorum hominum nonnihil eius vita temperata ſit. Cap. 13.

ILla igitur hac freta libertate,quantum licuit & libuit,pro hominum peccatis à ſe ipſa pœnas repoſcebat ita,vt iam ſuprà dictum eſt. Sed cùm multi deſiderio videndi in illa admiranda Dei opera,à propinquis & longinquis regionibus quotidiè aduentarent,homines religioſi vtriuſq; ſexûs, in S. Trudonis oppido degentes, veriti ne quæ in illa diuinitùs fiebant,humanæ mentis captum excederent,materiamque præberent carnalibus hominibus opera Dei malignè interpretandi, ea præſertim, quòd hominum conuictum fugiens, inſtar auis ardua loca peteret, & in aquis piſcium more diù maneret: ſedulis precibus egerunt apud Dominum, vt miracula potentiæ ſuæ in Chriſtina ad communem hominum conſuetudinem moderaretur. Nec verò ſpreuit Deus pias preces & lachrymas ſeruorum ſuorum. Quodam enim die, ſpiritu vehementiſſimè eam impellente, ad eccleſiam pagi Vuellenſis confugiens, cùm cerneret apertum ſacri baptiſmatis fontem, illic ſe totam immerſit. Inde verò fertur id aſſecuta, vt eius viuendi ratio deinceps eſſet temperatior & accommodatior ad hominum conſuetudinem, moderatiusque ſe gereret, poſſetque commodiùs ferre & odores & conuictum aliorum.

Vt ſpiritus eam compulerit eleemoſynas emendicare: & quàm gratum ſit Deo præſtare eleemoſynas. Cap. 14.

PRæſtantiſſimum Dominici corporis & ſanguinis ſacramentum crebrò, maximeque Dominicis diebus, cum multa deuotione percipiebat, ex eoque, vt ipſa ait, & corporis robur, & ingenrem ſpiritûs lætitiam capiebat. Nihil autem eorum, quæ propria illius erant,& Chriſti cauſa reliquerat,quæve hæreditario iure ad ipſam deuolui oporteret vel eſſent deuoluta, in ſuos vſus cõuertere potuit: ſed in cibum ſumebat ea, quæ quotidiè oſtiatim emendicâſſet, vt eorum peccata portaret, quorum eleemoſynis alebatur. Dicebat verò, ea cauſa diuinitùs ſe compelli ad ſceleratorum hominum petendas eleemoſynas, vt ij per eas ad peccati horrorem & ad agendam pœnitentiã perducerentur: addẽs etiam, nulla re magis Deum flecti ad miſericordiam erga peccatores, quàm ſi illi ſint benigni & miſericordes erga proximos. Nec vnquam ſanè miſericordia, nunquam benignitas aliò, quàm ad bonum finem & felicem obitum perducere po-

Sæpè Eucharistiam accipit.

Peccatoribus quid præcipuè Deum conciliet.

re potuit hominē. Poſſumus id exempli cauſa quodā Chriſtinæ experimento vel teſtimonio confirmare. Die quodam intolerabili ſiti vexata, Deo eam inſtigante, ad menſam cuiuſdam ſceleratiſſimi hominis ſplendidè apparatam accurrit, potum ab illo petens. Ille præter morem ſuum inſolita humanitate permotus, vinum ei obtulit, vnde illa parùm bibit. Ea cauſa contra omnium opinionem, qui virum nouerant, Chriſtina affirmauit eum in morte ad pœnitentiæ & contritionis gratiam perueniſſe.

Quid pertulerit veſcens flagitioſorum hominum eleemoſynis. Cap. 15.

HAec ergo, vt diximus, illi ratio fuit, quamobrem ſceleratorum hominum, vti diuinitùs cogebatur, eleemoſynas emendicaret. Sed cùm aliquid è rebus malè partis acciperet eleemoſynæ nomine, eoque veſceretur, videbatur ſibi ranarum aut bufonum viſcera, aut ſerpentum inteſtina glutire. Itaq; eiuſmodi cibos edens, inſtar parturientis clamitabat, dicens: O pie Ieſu, quid ita mecum agis? Cur adeò me excrucias? tundensq; pectus & corpus, aiebat: O miſera anima, quidnam appetis? Cur iſthæc horrida concupiſcis? quid his ſordibus veſceris? Hunc in modum illa torquebatur, cùm cibos ſumeret ab illis, qui per vim aut fraudem illos rapuiſſent. Nec minùs tamen cruciabatur, ſi ab ſceleratis peccatoribus aliquid petiiſſet, nec impetrâſſet. Accidit quādoque, vt petenti quippiam homo impius dare nollet. At illa vi ab eo tollens, dixit: Etſi impræſentiarùm dare non vis, tamen poſteà tibi ablatum non dolebis: & tunc proderit tibi, quod iam non prodeſt. Cùm illi deeſſet manica in veſte, vel capitium in pallio, ſi quis ei veniret obuiàm, à quo, ſpiritu eam intus admonente, ea accipere deberet, primò rogabat illum: & ſi daret ille, agebat gratias: ſin minùs, auferebat etiam recuſanti, & ad ſuas veſtes aſſuebat. Nec erubeſcebat, ſi ad vnam tunicam diſpares vel diuerſi coloris manicas haberet. Veſtes autem eius erant tunica alba, & pallium album, tegens totum corpus vſq; ad talos, non aliis ferè conſutum filis, niſi arboris tiliæ cortice, aut ſalicum viminibus, aut ligneis iiſq; paruis haſtulis. Calceis non vtebatur, quibuſuis tēporibus indiſcriminatim nudis pedibus incedens. Epularum loco habebat eſcas viles & abiectas & ſcutellarum purgamenta. Aquam appoſitam bibebat, panemq; furfureū nimiſq; durum, ſed aqua maceratum edebat: iiſq; poſt biduana, plerunq; etiam triduana ieiunia veſcebatur.

Hæc fecit ſanctiſsima Virgo non aliqua temeritate, ſed Deo illā cogente, haud dubiè in ſalutē illorū, quibus ea eripiebat.

Vt luxerit eorum cauſa, quos didicit damnatos: vtq; miro affecta ſit gaudio propter eos, quos nouit ad cælos abiſſe. Cap. 16.

HOnores ſummoperè fugiebat & gloriam, dicebatq; eorum cauſa apud inferos & in locis Purgatoriis illos grauiſſimè cruciari, qui veritatis in hac vita à Chriſto notitiam accepiſſent. Porrò ſemper ferè tanquam mœrens & lugens ibat cogitabunda: quippe cui Deus quotidiè morientium vel ad ſalutem, vel ad perditionem, merita reuelaret. Si quis intra oppidum vita functus eſſet, quem illa apud inferos damnatum ſpiritu cognoſceret, fundebat lachrymas, affligebat ſeſe, torquebat cum multo cruciatu brachia ſua & digitos, perinde ac ſi ſine oſſibus eſſent flexiles. Erat verò dolor eius intolerabilis cūctis illam cernentibus, vt nulla quanuis adamantina pectora eum abſque multa ſui contritione & compunctione ſuſtinere poſſent. Illorum autem nomine, qui ibant ad vitam ſempiternam, ineffabili exultatione & tripudio afficiebatur, ita vt ſine ſumma admiratione tanta eius iucunditas videri non poſſet. Atque illi, qui ſpiritûs eius virtutem nouerant, facilè animaduertere potuêre ex eius tum gaudio, tum mœrore, quis in eo oppido morientibus eſſet adfuturus*

Pœnæ ambitioſorum

* deeſt opinor finis.

Illa ſanè libentiſſimè atque officioſiſſimè è vita migraturis aderat, adhortans eos ad faciendam peccatorum confeſſionem & fructus pœnitentiæ, ad concipiendam ſpem vitæ beatæ, ad vitandos ſummo cum horrore æſtuantis gehennæ cruciatus. Neque id Chriſtianis duntaxat, ſed etiam Iudæis, quorum erat eo in loco ingens numerus, mirabili commiſeratione & ſolicitudine præſtabat. Dicebat verò Chriſti ſummam eſſe miſericordiam in eos, qui ad ipſum conuerti vellent, eumq; valdè inuitum in hominū peccata animaduertere: & propemodùm dolore affici eum, quoties ad id hominum ſceleribus adigeretur: porrò accuratè eum occaſiones inquirere miſeris ſalutem conferendi, eoſq; ſaluos faciendi. Hæc autem illa de Chriſto dicente, mira oris gratia perfundebatur. Referebat etiam locum eſſe vicinum inferis, in quo illi ex diuinæ maieſtatis decreto punirentur, qui immanium ſcelerum rei, ſub vitæ finem ſe peccâſſe doluiſſent,

Adeſt libenter morituris.

luiſſent,& ita cum cordis contritione obiiſſent. Eum autem locum propter cruciamẽtorum immanitatem nihil ab inferni ſupplicijs diſcrepare aiebat, niſi quòd ij, qui illo continerentur, ſpe veniæ reſpirarẽt. Ijs verò excarnificãdis dæmones præeſſe ferebat, qui tanto maiori crudelitate in eos ſæuirent, quanto ſe ſcirent breuiora ad illos excruciandos tempora habituros.

Vt claruerit ſpiritu Prophetiæ. Cap. 17.

SPiritu Prophetiæ præditam illam fuiſſe, non vno modo doceri poteſt. Præmonuit, multos, vt ſuę ſaluti conſulerent: multos de occultis ſceleribus ſecretò obiurgauit, iiſq; agendæ pœnitentiæ author fuit. Confligente Brabantiæ Duce cum hoſtibus ſuis, quæ fuit pugna miſerabilis, cæſis permultis, illa haud ſecus atq; ſolent parturientes, clamitabat, dicens: Eheu eheu, video aëra gladijs & ſanguine plenum. Properate ſorores, properate, preces fundite ad Dominum, ſtillent lachrymas oculi veſtri, ne contineat Dominus in ira ſua miſericordias ſuas. Cuidam etiam ſanctimoniali in eodem monaſterio S. Catharinæ, dicebat: Feſtina filia, properè te confer ad deprecandum Dominum pro patre tuo, qui in præſentiſſimo iam ſalutis ſuæ periculo verſatur.

Videt pugnã ſpiritu, procùl abſens corpore.

Vt cuiuſdam ſanctimonialis apoſtaſiam prædixerit. Cap. 18.

ERat in illo monaſterio ſanctimonialis quædam, quæ fugam meditabatur. De ea igitur ita dixit Chriſtina: O vas inane, huic monaſterio magno dedecori & offendiculo futurum. Non multum inde temporis interceſſit, & vt Chriſtina dixerat, illa à monaſterio aufugit, monaſterioque ſua incontinentia magno probro & ſcandalo fuit. At tamen reſipuit, & monaſterio ſe ad agendam pœnitentiam reddere voluit: ſed cùm ea in re ſanctimoniales ſupra modum difficiles & inexorabiles ſe præberẽt, Chriſtina eas reprehendit dicens: Tametſi vos non magnipenditis perditionem eius, at tamen non paruo illius anima Chriſto conſtitit, qui eius cauſa fudit ſanguinem ſuum, & mortem perpeſſus eſt. Nec deſtitit hunc in modum inſtare apud eas, donec pœnitentem illam rurſus in ſuam ſodalitatem admitterent.

Reſipiſcit ſanctimonialis, quæ fugerat ex monaſterio

Vt precibus ſuis nobilem quendam peregrè profectum religionis ergô, ſeruârit. Cap. 19.

VIr quidam nobilis ad ſepulcrum Chriſti viſitandum peregrè profectus eſt. Eius vxor orauit & adiurauit Chriſtinam, vt eum ſuis precibus ſaluum & incolumem ad ſuos reduceret. Fuit quidem moleſta Chriſtinæ illa nobilis fœminæ obteſtatio, at tamen multas pro eius marito preces Domino obtulit, multos labores ſuſcepit, effecitq; vt ille ſanus domum rediret. Dixit autem vxori eius quaſi ſubſtomachando: Ecce importunitate obteſtationis tuæ compulſa, ſanum tibi reſtitui maritum tuum: ſed noueris tamen non diù te illius præſentia fruituram. Dixit illa, & res ipſa vera illam dixiſſe declarauit, non diù pòſt ab hac luce ſubtracto nobili illo viro, & vxore cum liberis in mœrore multo derelicta.

Prædicit obitũ cuiuſdã nobilis.

Vt Hieroſolymam captum iri prædixerit. Cap. 20.

LOngè etiam antè prædixit terram ſanctam & Hieroſolymam in impiorum Saracenorum ditionem redactum iri. Quo autem die à Saladino Aegypti Sulthano capta fuit Hieruſalem cum ſepulcro & Cruce Chriſti, illa in caſtro Loẽnenſi tum conſtituta, ſpiritu cognouit rem geſtam: cumque multùm exultaret, ab ijs, qui aderant, rogata vt eius lætitiæ cauſam exponeret: Iure, inquit, exulto: nam & Chriſtus Dominus cum Angelis ſuis exultans, occaſionẽ præbuit, qua magna poſſit hominum copia ſalua fieri. Illis rurſus ſciſcitantibus, quænam eſſet hæc occaſio, reſpondit: Noueritis terram ſanctam hodiè veniſſe in manus hominum impiorum, atque hac re magnam ſalutis oblatam occaſionem. Chriſtus enim pro illata ipſi contumelia dignum cenſuit, vt terra illa hac ignominia afficiatur, quanuis ipſius paſſione ſanctificata, at tamen in fine mundi cum ipſo mundo peritura: quando illius recuperãdæ cauſa animæ ſemper victuræ, eiuſque ſanguine redemptæ, ab iniquitate ad iuſtitiæ ſtudium conuertentur, fundentque homines ſanguinem ſuum, & quandam morti Saluatoris vicem cum multa deuotione rependent. His dictis, mirabantur omnes, & quidam annotârunt tempus.

Hieruſalẽ capitur à Saladino Sulthano.

Vt magnam famem venturam prophetauerit. Cap.21.

FAmem illam ingentem, quæ incidit in annum à Chriſto nato milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum, longè antè futuram prædixit: & permulta talia propheticè pronunciauit, quæ iam partim completa ſunt, partim complenda credimus. Fuit autem valdè familiaris monialibus S. Catharinæ extra oppidum Trudonenſe: cum quibus aliquando de Chriſto colloquens, præter expectationem omnium rapiebatur ſpiritu, corpuſque eius inſtar ludentium puerorum tanta celeritate in orbem crebrò vertebatur, vt nulla poſſent in illo membra diſcerni. Cumque id diù duràſſet, tandem quaſi vltrà ferre non ſuſtinens eam corporis agitationem, membris omnibus quieſcebat: & ecce inter guttur & pectus eius audiebatur melodia quædam admirabilis, quam nemo mortalium vel capere poſſet, vel vlla induſtria & arte imitari. Audiebatur quidem muſicus, concentus ſed verba melodiæ, ſi tamen verba dici queant, modo quodam incompræhenſibili exprimebantur. Nulla enim vel de ore vel naribus eius vox aut ſpiritus proficiſcebatur: ſed ſolummodò inter pectus & guttur angelica melodia reſonabat, interim membris omnibus quieſcentibus, & ipſis quoque oculorum palpebris clauſis, haud ſecus atque dormientibus. Deinde poſt aliqua temporis ſpatia ad ſe nonnihil reuerſa, quaſi ebria, & verè ebria, ſed nō à vino exurgens clamabat: Adducite ad me ſorores omnes, vt ſummæ benignitatis Dominum Ieſum in eius mirabilibus collaudemus. Ignorabant autem ſorores illæ, quid Chriſtina feciſſet & dixiſſet. Mox vndique aduolantibus ſanctimonialibus, (multùm enim delectabantur Chriſtinæ conſolatione) illa inchoabat, Te Deum laudamus: cæteriſque proſequentibus, totum illud canticum abſoluebat. Inde iam planè ſibi reddita, vt audiuit ex aliis, quid egiſſet, & vt ſanctimoniales ad Chriſtum laudandum inuitàſſet, præ verecundia aufugit, fatuam ſe ſimulans. Quòd ſi vi aliqua detineretur, immodico dolore tabeſcebat.

Fames ingens.

Admirabilis melodia auditur in ea.

Quemadmodùm mundo exprobràrit, quòd creatorem ſuum non coleret. Cap. 22.

NOnnunquam ad ſe reuerſa ab huiuſcemodi mētis ecſtaſi, cum multo cordis dolore dicere ſolebat: O miſerum & miſerabilem mundum, nō agnoſcentem opificem & creatorem ſuum Cur illi non ſeruis, ô miſer? Cur longanimitatis eius patientiam vſqueadeò paruipendis & negligis? Eius immenſam bonitatem ſi perſpectam haberes etiamſi alius quiſpiam mundus retrahere te vellet, non poſſes tamen eò adduci, vt illum non amares. Sed ô te miſerum, qui te auertiſti ab illo, qui oculos clauſiſti, nec vis videre & intelligere. Sub his verbis tanquam parturiens contorquebat membra ſua, volutabaturq; humi, cum ingenti eiulatu identidē repetens, Cur miſer munde non cognoſcis creatorem tuum?

Mundi erga ſuum creatorē ingratitudo.

Vt ſuis relictis, ad caſtrum Loën venerit. Cap. 23.

POſthæc è domo & cognatione ſua exiens, ad caſtrum quoddam Germaniæ cōterminum, quod Loën vocant, peruenit, ibique apud incluſam Iuetam, eximia pietate conſpicuam, nouem manſit annis. quo tempore mira per eam operatus eſt Dominus. Ex illa autem incluſa multa ego didici ex iis, quæ de Chriſtina ſcribenda ſuſcepi: ad quam ego ea cauſa ex longinquis Galliarum partibus profectus ſum.

Vt diuinitùs edocta ſcripturas diuinas intellexerit. Cap. 24.

EO igitur in loco Chriſtina noctibus intererat precibus nocturnis, quas Matutinas vocant. Cunctis autem ab eccleſia recedentibus, illa obſeratis ianuis per templum ambulans, tantę ſuauitatis promebat melodias, vt angelicę potiùs, quàm humanæ, viderentur. Omnium enim muſicorum inſtrumentorum harmoniam, mortaliū omnium voces ille cantus vincebat, tametſi longè impar erat illi Melodiæ longè ſuauiſſimæ, quæ illa mente excedente, inter guttur & pectus eius ſentiebatur. Erat autem

Suauiſſimas promit melodias, hauddubiè ſpiritales.

Docta diuinitùs. Cantus ille Latinus, rhytmis quibuſdam tinnulis aut dictionibus inter ſe pulchrè conſonantibus ornatus. Intelligebat autem illa ſcripturæ diuinæ Latinas dictiones, ſenſum quoque & mentem illius pleniſſimè aſſecuta, licet nunquam didicerit literas, immò illarum planè rudis eſſet. Quæſtiones etiam ſacræ ſcripturæ obſcuriſſimas, ſpiritalibus quibuſdam amicis ipſam rogantibus, luculenter admodùm explicabat: ſed id tamen faciebat prorſus inuita, & quidem rariſſimè, dicens, ſcripturas diuinas interpretari Clericorum eſſe, non ſuum. Reuerentia erga Clerū. Porrò Clerum & inprimis ſacerdotes, propter eximiū erga Chriſtum amorem, miro ſtudio colebat ac venerabatur, licet ediuersò multas ipſa ab illis iniurias pateretur. Sacerdotes peccantes, itemque alios è Clero, ſecretiùs & cum mira reuerentia haud ſecus atque patres ſuos comiter admonebat, darent operam, ne ſanctum Chriſti nomen propter ipſorum peccata, in populo contumelia afficeretur.

Quantoperè eam obſeruârit Ludouicus Comes. Cap. 25.

COmes Loënſis Ludouicus, multa nobilitate illuſtris, vbi eius ſanctitatem fama vulgante cognouit, ex animo eam cœpit diligere, eiuſque colloquijs & conſilijs ſynceriter ſeſe accommodare. Vbicunq; illam vidiſſet, aſſurgebat & occurebat ei, matremque appellabat. Si quid autem Comes ille vel contra ius faſque, vel aduerſùm Chriſti eccleſiam aut eius miniſtros deſignâſſet, eius vicem haud aliter atq; mater filij dolebat, eumque in ſuo caſtro accedens, materna fidutia obiurgabat, impetrabatq; ab illo, quicquid ex iuſtitiæ præſcripto cum ſatisfactionis loco præſtare oporteret. Die quodam illo in eccleſiæ atrio procumbente, cùm eſſet multo ſtipatus milite, Chriſtina ſuperueniens, clàm ad eius caput ſe inclinauit. Illo verò & corpus & oculos ſuſtollente, mira oris gratia dixit: O quàm ſpecioſus es Domine. Id autem milites audientes, dicebant Comiti: Audiſne domine, vt te hæc ſancta prædicet? At Comes: Ego verò, inquit, noui, quem laudet illa. Non me, ſed cæleſtem & immortalem Dominum laudat, à quo pulchritudo omnis proficiſcitur, quique eſt omnium pulcherrimus. Tū illa: Verum, inquit, dixiſti. Tu igitur quare illum non diligis? Idem Comes quandoque æſtiuo tempore hora meridiana in caſtro ſuo Loënſi, quod iam euerſum eſt, cū Limburgenſi Duce & alio quodam Comite colloquebatur. Ad illos igitur intrepida Prodit proditorem. accurrens Chriſtina, magna voce dixit Comiti Ludouico: O te miſerum: cum quibꝰ iam miſces colloquia? En amicum ſe ſimulat, qui hoſtili animo tui proditionem meditatur. His verbis proditor ille perterrefactus, ad horam conticuit, remq;, vt erat, verbis diſſimulans, poſteà vera dixiſſe Chriſtinam facto declarauit.

Vt ſe geſſerit erga Comitem illum vita functum. Cap. 26.

Non planè deſipuit hic Comes, qui Chriſtū in Chriſtina veneratur. CVm autem idem Comes ageret in extremis, Chriſtinam ad ſe acciuit, eamq; obnixè rogauit, vt apud ipſum donec ſpiritum redderet, permaneret. Annuente illa, pius Comes omnes, qui in cubiculo erant, iuſſit ſecedere, ſolam Chriſtinam apud ſe retinens. Poſtquam omnes exierant, virtute qua potuit, erexit ſe, & ſuppliciter ad pedes Chriſtinæ ſe abijciens corpore toto, omnia peccata ſua, quæ ab anno ætatis vndecimo vſque in diem illum perpetrâſſet, cum multo lachrymarum imbre recitauit: non quòd ab illa vellet abſolutionem petere, quam ſciebat illam impendere nō poſſe: ſed vt ampliùs hac re illam ad orandum pro ſe permoueret. Deinde iuſſit omnes ſuos vocari in cubiculum, & ex Chriſtinæ conſilio rebus ſuis diſpoſitis, defunctus eſt. Vidit autem Chriſtina animam eius in Purgatorium perduci, acerrimis pœnis excruciandam. At pia fœmina eius vicem non mediocriter miſerata, obtinuit à Domino, vt poſſet illius animæ pœnas partim in ſe recipere. Apparenti autem illi poſt obitum ſuum, vt ab ea opem peteret, Chriſtina dixit: Agè, abſcede hinc, & ex diuinæ ſententiæ præſcripto pœnas luito. Ego verò à meo corpore pœnas exactura, dimidiam Purgatorij tui partem in me recipio. Videre tum licebat Chriſtinam non breui tempore O eximiam charitatem. nocturnis horis modò flammarum incendijs, modò frigoris algoribus cruciari, prout Comitis animam id genus tormenta viciſſim excipiebant. Loca etiam, in quibus Comes peccare conſueuerat, illa lachrymis nullam conſolationem admittentibus irrigabat: & vbi ille lætatus fuerat, ipſa lugebat.

Cuiuſmodi vita eius fuerit anno extremo. Cap. 27.

Degit in locis deſertis. EXtremo vitæ eius anno frequens illi erat habitatio in deſertis locis & in ſolitudine: vnde quidem nonnunquam reuertebatur, ſed rariſſimè tamen, cùm ad promp-

promouendam hominum ſalutem aut cibum ſumendum, diuinitùs redire compellebatur. Nec potuit tunc ad deſerta properantem vlla monialis retinere: neque reuertentem quiſquam ſalutare, aut quippiam ex ea percontari auſus erat. Nam interdum veſperi rediens, per mediam domum ita tranſibat, vt ſpiritus potiùs, quàm corpus videretur: nec facilè licebat internoſci, an ſpiritus eſſet vel corpus, quandoquidem vix terram attingere videbatur. Adeoque illo poſtremo vitæ ſuæ anno omni ferè ex parte corpus eius ſpiritûs quaſdam proprietates induiſſe cernebatur, vt humanæ mentes vel oculi corporis eius vmbram vix abſque horrore & tremore ſpiritûs intueri poſſent. Solebat tum ex ſolitudine reuertens, apud S. Trudonem in beatæ Catharinæ monaſterio vtplurimùm morari.

Quid de ea retulerit Thomas Abbas S. Trudonis. Cap. 28.

NArrauit mihi quiddam de ea venerabilis Thomas, nunc quidem Abbas S. Trudonis, tum verò parochus, quod ſit annotatione digniſſimum. Ad auroram cũ ſocio quodam reuertente illo à precibus, quas Matutinas vocant, Chriſtina cum impetu quodam tranſiens, in eccleſiam ingrediebatur. At illi clàm eam ſecuti, retro columnam quandam ſeſe abdentes, obſeruabant quid illa vel faceret, vel precaretur. Ibi tum Chriſtina coram altari haud aliter atq; ſaccum quendam aridis oſſibus plenũ ſeſe humi abiecit, grauiterque ingemiſcens, & crebrò pugnis pectus & corpus verberans, ita dicebat: O miſerum & miſerabile corpus, quandiù me miſerã cruciabis? quouſque tandem me retardabis à Chriſti conſpectu? Quando tandem miſſam me facies, vt anima poſſit libera reuerti & euolare ad creatorem ſuum? Væ tibi corpus miſerrimum, & væ mihi, quòd coniuncta ſum tibi. Hæc & id genus alia dicens, tundebat pect⁹ ſuum. At rurſus corporis partes agens, dicebat ſpiritui: O anima miſera, cur adeò me affligis? ecquidnam te retinet intra me, aut quidnam eſt in me, quod te delectet? Cur non pateris me redire in terram, vnde ſumptum ſum, vt illic quieſcam, donec in nouiſſimo magni iudicij die tibi reſtituar? Quare non proficiſceris ad requiem tuam, vt potioribus fruaris bonis in illis ſedibus ſempiternis? Hęc dicẽs, ducebat alta ſuſpiria, & anhelo pectore lachrymas fundebat. Deinde paululùm quieſcens, & cum ſilentio & ſancta meditatione in Deum ſynceriùs incaleſcens, in dulciſſimum riſum ſoluebatur: appræhenſoſque pedes manibus ſuis, cum ingenti affectu oſculabatur plantas ſuas, ita dicens: O mihi ſuauiſſimum & feliciſſimum corpus, cur ita te verberaui? cur his ego conuicijs te proſcidi? An non mihi morigerum te præbuiſti ad quæuis rectè facta & bona opera, quæ Deo authore facienda ſuſcepi? Tu certè cruciatus & labores placidiſſimè ac patientiſſimè tolerâſti, quos ſpiritus à te exigebat: rurſuſque oſcula repetens, dicebat: Agè nunc comiter ſuſtine optimum mihique gratiſſimum corpus meum: aderit propediem finis laboris tui: iam in puluere requieſces, iam dormitabis paululùm: ac demum canente tuba, reſurges omnis corruptionis expers, rurſuſque animæ ſociaberis in illis gaudijs ſempiternis, quam in hac vita mœroris & doloris ſociam habuiſti. Talibus verbis & oſculis blanditer demulcẽs corpus ſuum, poſt horam in illud, quod diximus, admirabile iubilum prorupit, tantaque in homine interiori iucunditate complebatur, vt corpus eius rumpi videretur. Reuerà mirabilis Deus in ſanctis ſuis, & in Chriſtina ſua, vt ita dicam, ſuper omnem admirationem mirabilis.

Agit partes animæ.

Item corporis.

Blãdiſſimè anima conſolatur corpus.

Pſal. 67.

Sub mortem quis eius vitæ modus fuerit. Cap. 29.

EXtremo tempore vitæ ſuæ cibo admodùm rarò, & quidem exiguo vtebatur. Cũ ſanctimonialibus & religioſis hominib⁹, vti anteà cõſueuerat, noluit miſcere colloquia: ſed parũ aliquid cibi capiens, & ſomno momentaneo refecta, medijs noctibus ibat ad deſerta loca. Per id tempus nemo vnquã ridentem eam vidit, ſed perinde affecta cernebatur, atque ſolent illi, qui præ nimio dolore è poteſtate exiêrunt & mente capti ſunt. Incedebat orans, plangens, & multùm mœrens: cuius eam plerique cauſã autumãt, quòd de mũdi ſtatu & malitia plures ſolito diuinitùs reuelationes ei obtigerint. Illud verò incredibili eiulatu ſæpiùs deplorabat, totum ferè genus humanum corporis pollutione corrumpi, eaque cauſa iram Dei, & animaduerſionem vniuerſo prope orbi Chriſtiano imminere.

Incredibili dolore afficitur propter hominũ peccata, quę miſeri & cæci paruipendunt.

De

De eius ſub mortem ægrotatione. Cap. 30.

ADuentante tandem eo tempore, quo morbo & ęgrotatione conficienda erat, tā tam aſſiduæ contemplationis gratiam adepta eſt, vt permoleſtum ei eſſet aliorſum aciem mentis intēdere. Omnibus igitur poſthabitis, Beatricem monaſterij S. Catharinæ ſanctimonialem rogauit, vt lectulum ipſi clam in cubiculo componeret, ſimul indicans, morbum ſibi imminere. Fecit Beatrix, & quidem libenti animo, quod illa voluit, decubuitq́; Chriſtina, & morbo ingraueſcente exercebatur. Cùm iam autē tres hebdomadas ita laborâſſet, ſacram Corporis Dominici communionem, & extremæ Vnctionis oleum petijt. Ijs perceptis, Beatrix in genua procumbens, orauit vt priuſquam è vita excederet, de quibuſdam ipſam efficeret certiorem. Illa verò tacente, Beatrix exiſtimans alibi eam animo occupari, quæſtiones ſuas diſtulit, atque aliqd facturą operis, è cubiculo egreſſa eſt, Chriſtina ſola relicta.

Eucharistiā & Vnctionē accipit.

Vt ſecundò, tertióque obierit. Cap. 31.

AIunt plerique ſæpiùs Chriſtinam rogâſſe Dominum, ne ipſam morientem vllis miraculis cohoneſtaret, ſed inſtar aliorum ſineret migrare ex hac vita: id quod etiam præſtitum eſt illi à Domino. Priùs enim quàm Beatrix ad eam eſſet reuerſa, Chriſto vocante, ſpiritum exhalauit. Celeriter autem reuertens Beatrix cum ſocia ſorore, corpus eius in terra exanime inuenit, ita proſtratum, vt ſolent cadauera defunctorum: ſed, vt equidem mihi certò perſuadeo, miniſterio angelorum. Ea re conſpecta, Beatrix, doloris quibuſdam ſtimulis percita, impatientiùs ſeſe gerens, ruit ſuper defunctæ corpus, clamans & eiulans non mediocriter. Interim verò identidem ſciſcitabatur ex ea, cur abſque illarum bona venia & ſine ſororum commendatione ad Dominum abijſſet, ac tandem ſpiritu vehementi concepta fidutia, defixo in defunctæ ora vultu, ita dixit: Semper mihi Chriſtina, dum viueres, obediuiſti. Itaque adiuro te & obteſtor per Dominum Ieſum Chriſtum, quem in vita ardenti deſiderio amâſti, vt etiam nunc mihi obedias: (nanque potens potes per illum, cui iuncta es, quicquid velis) reuertariſque in corpus, exponaſque mihi, quod à te ſub obitum cupidiſſimè mihi optabam explicari. Mira res. Simulatque Beatrix hæc ad aures mortuæ inclamauit, Chriſtina reuixit, ſed grauiter ingemiſcens, anxioque vultu Beatricem reuerberans, dixit: Cur meam, Beatrix, requiem interpellâſti? Cur me huc reuocare voluiſti? Iam ducebar ad Chriſti conſpectum. At nunc, mea ſoror, properè quicquid viſum eſt, proponas, ſinaſque me, obſecro ad diù optata reuerti. Vbi Beatrix propoſuit, quod voluit, ab ea reſponſum eſt ei. Interim ſorores vndique congregantur ad illā quas poſtquam Crucis ſigno conſignauit, tertiò vita functa eſt, abijtque ad immortalia ſecula ſeculorum. Vixit autem ab eo tempore, quo primò reddidit ſpiritum, annis duobus & quadraginta, obijtque anno à Chriſto nato milleſimo ducenteſimo viceſimoquarto, aut circiter.

Reddit ſpiritum.

Reuiuiſcit ſecundò ad breue tempus.

Tandē abit ad Chriſtū felicisſimè.

De eius ſepultura, & corporis translatione. Cap. 32.

HVmata eſt autem extra S. Trudonis oppidum in monaſterio beatæ Catharinæ, illicque ſeptem annis corpus eius quieuit, in illud vſque tempus, quo omnem ei' monaſterij ſtructuram in locum propinquum magiſque opportunum tranſtulēre. Tum enim, vniuerſis ciuibus congregatis, ad tumulum reuerendæ Chriſtinæ Clerus cum ſanctimonialibus acceſſit: cumq́; amouiſſent inde operculum, tanta ſuauitas & omnes & ſingulos peruaſit, vt cuncti pariter vna mente, vnoque ore conclamarent, Chriſtinam & in vita fuiſſe mirabilem, & poſt obitum nihilominùs glorioſam. Neq; verò quiſquam ambigit morbis liberatos eſſe eos, qui cum fide cōgrua ad eius tumulum adiēre: ſed eiuſmodi proſequi, nobis non eſt integrum.

Poſt ſeptennium ex eius ſepulcro mira odoris ſuauitas, funditur.

Adhortatio ad agendam pœnitentiam. Cap. 33.

QVæſo te Lector, diligenter animum aduerte, quàm nos iure meritoque culpandi ſimus, qui cùm cernamus Chriſtinam tot pœnas, tamque immanes & diros cruciatus non tam propter ſua, quàm propter aliorum peccata pertuliſſe, ob culpas & maleficia noſtra pœnitentiam agere reformidamus. Veniet certè quandoque, & celeriter veniet dies ille, quo nos libenter etiam his acerbiora ſimus toleraturi, ſi daretur locus pœnitentiæ, & ad negligenter quondam exacta tempora redire liceret. Et væ ijs, qui ad miſericordiæ emendum oleum tum demum ſe comparare volunt, quando

In tepidos & ſuæ ſalutis incurioſos.

Matt. 25.

quando nundinarum tempus omne elapſum eſt. Venient ij cum lampadibus vacuis, ianuamque pulſabunt, ſed omnem ſibi ſentient aditum præcluſum, audientq́; vocem illam ſanè terribilem: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilemus igitur, quia neſcimus diem, neque horam. Meritò illi excluduntur, qui iam ſtertentes, diemq́; illum & horam negligentes, nolunt lampades ſuas implere oleo bonorum operum ex cõdignis pœnitentiæ fructibus. Vtinã verò audiant Dominum dicẽtem: Vigilate ergo, quia neſcitis diem neq; horam, qua Dominus veſter vẽturus ſit. Ecquid verò aliud per omnẽ vitam ſuam Chriſtina clamauit, niſi vt pœnitentiam agerent homines, & nunquam non ſeſe paratos exhiberent? Hoc illa verbis multis, hoc lachrymis, hoc planctu & eiulatu, hoc infinitis clamoribus, hoc eiuſmodi viuendi exemplis docuit, qualia de nullo alio, qui eam aut anteceſſerit, aut ſecutus ſit, vel ſcripto cuiuſquam vel ſermone perceperimus: in laudem & gloriam Chriſti, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ET CONFESSORIS THEODORI STVDITI ORATIO DE NATALI *Sancti Prophetæ, præcurſoris & Baptiſtæ. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

SI vocali alicui luſciniæ, quæ verno tempore pulchrè reſonat, noſtra eſſet ſimilis oratio, inueniret fortaſſe, quẽadmodùm poſſet parumper laudare magnam illam vocem veritatis, quæ hodierno die naſcitur. Cùm ſit autem voce admodùm gracili & impedita, quomodò laudabit magnum decus Prophetarum? quomodò celebrabit eximiam Apoſtolorum gloriam? Quomodò glorificabit nouum & admirandum ornamentum martyrum? Porrò autem hoc quoque eſt mihi conſiderandum, quòd in alijs quidem ſanctis tractauit alter alterius encomia: eius autem, qui nunc laudatur, ante alios ipſe Chriſtus Deus, qui eſt ipſa veritas. Dicit enim: Maior Iohanne Baptiſta non ſurrexit inter natos mulierum. Quoniam ergo ſunt tãtæ laudes magni Præcurſoris, vt vel ſũma dicẽdi facultas eas aſſequi nequeat, nunquid ei deerit noſtra orationis breuitas, ſtudioſi auditores? Abſit: ſed ſeruile reddentes debitum, & iuſſum implentes ſpiritalem, & tanquam qui ſimus ſanctificandi ex ſola Præcurſoris commemoratione noſtram oſtendemus audaciam.

24. Iunij. Cap. 1. Præclara S. Iohannis epitheta. Matt. 11.

Agedum ergo diem feſtum deinceps celebremus, ad natalem honorandum conueniamus frequenti multitudine, non ſolùm accolæ, ſed etiam vniuerſa regio, quę eſt circa Iordanem, qui percipitur intelligentia. Videamus pulcherrimum hoc, nouum & inauditum myſterium. Videamus id, quod fit admirabiliter, & præter opinionem. Zachariam mente conſideremus: res quoque Elizabethæ rurſus confiteamur. Non ex obſcuris itaque parentibus, vt vel ex hoc maximus oſtendatur Præcurſor: ſed vel ex valdè claris & inſignibus originem habuit. Nam alter quidem erat Aaron, propter canos & dignitatem, veſte indutus ſacerdotali, pectorali, inquam, & ſuperhumerali, talari cincinata tunica, cidari & zona, quæ ex auro, & gemmis, & hyacintho, & byſſo erant variata: & ſic ingrediens in ſancta ſanctorum in vice ſacrificandi.

Cap. 2. Generis nobilitas S. Iohannis.

Mater autem Saræ gloria æqualis, vel potiùs ſuperior, vt quæ eſſet propinquitate coniuncta Dei matri. Ex ſterilitate enim gignit per promiſſionem, non Iſaac, qui fuit vocatus Dei ſeruus, ſed Iohannem, qui fuit appellatus Domini verus & germanus amicus. O ſterilem vterum, qui talem concepiſti filium. O terram infrugiferam, quæ talem ſpicam produxiſti. Quocircà non eſt dubitandum, illud Eſaiæ, cuius vox eſt altiſſima, ad eam quoque nouo quodam modo eloqui: Letare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis: quòd ex deſerta matrice produxiſti lilium caſtitatis, roſam ſpiritalis fragrantiæ, pratum bonorum feracis continentiæ, interdiù lucentem facem Chriſti aduentûs, Iohannem à Deo electum, militem regni cæleſtis, optimum Chriſti Eccleſiæ pronubum, ſilentio non mandandum teſtem eius, quę verè eſt, veritatis: Iohannem canorum præconem pœnitentiæ, eius, qui in corpore eſt, Angelus Domini, indicatorem Agni, qui tollit peccatum mundi.

Cap. 3. Eſa. 54. Matt. 3. Iohan. 1.

Neque

Cap.4. Neque verò potuerim eius complecti dignitatem, etiamſi plura nomina fuero cõplexus vocationis. Multa enim habet nomina, & plures cauſas, qui id, quod eſt maximum, eſt ſortitus præter omnes Chriſtos Domini. Atque honoratur quidem Iſaaci
Gen 21. quoque antiqui parentis natalis, quem cùm cõcepiſſet Sara, & peperiſſet filium in ſe-
Ibidem. nectute, hæc ait: Quis annunciabit Abrahæ, quòd Sara lactat filium? Quocircà magnum quoque videtur facere conuiuium in die eius ablactationis. Et rurſus honora-
Iudic.13. tur natalis Sampſonis, qui Manue erat ipſe quoque natus ex promiſſione, vt qui pro-
† videtur de eſſe, Iſraël cederet ex ſterili. Qui, inquit, non bibet vinum & ſiceram, & non comedet quicquam
1. Reg.1. immundum: & ipſe incipiet ſaluum facere † ex manu alienigenarum. Præterea autẽ, vt aliorum natalem prætermittam, Samuelis quoq;, honoratur natalis qui ea, quæ erant, antè videbat, quem peperit celeberrima Anna marito ſuo Elcanæ, dedicatum Deo ab infantia. Sed non aſſecuti ſunt, ô dilecti, Iohannis magnitudinem: quoniam alij quidem fuerunt ante legem ſcriptam, alij verò poſt legem. Iohannes autem filius Zachariæ ſacerdotis, & Elizabethæ admirabilis, exortus eſt flos præcedens Chriſti aduentum, in medio legis & gratiæ apparens. Præluxit enim qui intelligentia percipitur, Lucifer, ſignificans ortum ſolis iuſtitiæ. Præceſſit miles, ſignificans aduentum Regis omnium. Venit Paranymphus, indicaturus adeſſe ſponſum. Et alij quidem a-
Luc.1. liquandiù poſtquam nati eſſent, aut prophetârunt, aut alia fecerunt miracula. Hic autem cùm adhuc ferretur in vtero, repletus fuit ſancto ſpiritu, & extitit effector rerũ admirabilium.

Cap.5. Mihi ergo videtur id eſſe eiuſmodi, vt tanquam in ſimilitudine, Præcurſoris oſtendam magnificentiam: Quomodo ergo Rex aliquis regaliter procedens ex Regia, habet quidem primùm præcedentes quoſdam, qui ferunt virgas, & quoſdam, qui ſceptra geſtant: deinde Conſules, Præſides & Ductores ordinum: poſtremùm autem, quendã maiori dignitate præditum, poſt quem ſtatim Rex apparet, nullo interiecto, reſplendens auro & gemmis perlucidis: ſic mihi cogita etiã in vero & ſolo vniuerſorũ Rege Chriſto Deo noſtro. Eo enim per carnem ingreſſuro in orbem terrarum, præceſſerunt quidem patriarchæ, vtpotè Abraham, Iſaac & Iacob, deinde Moyſes Dei interpres, & Aaron, & Samuel, & vniuerſa turba Prophetarum: vltimus enim extitit manifeſtus Iohannes: Et ſtatim Chriſtus Dominus, de quo dicit: Qui poſt me venit, ante
Iohan.1. me factus eſt, q a prior me erat. Et qui erat vltimus ordine, maior dignitate extitit pro proportione. Sic ergo & Prophetis, & Apoſtolis, & alijs omnibus reuerà prior eſt magnus Præcurſor, illis quidem, vt ſequens: his verò, vt præcedens.

Cap.6. Verumenimuerò Euangelicam explicantes hiſtoriam, audiamus quæ à Gabriele
Luc.1. annunciantur Zachariæ. Viſus eſt ei, inquit, Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi: & conturbatus eſt Zacharias cùm vidiſſet, & timor irruit ſuper ipſum. Quàm
Gen.28. eſt terribilis etiam viſio Angelica, & quàm in loco terribili apparuit? Quàm terribilis, inquit, eſt locus iſte? Nihil eſt hoc niſi domus Dei. Nec eſt mirum, ſi cùm eſſet iu-
Dan.8. ſtus ſacerdos, conturbatus eſt, & timor irruit ſuper ipſum: cùm Daniel quoque vir deſideriorum, cùm vidiſſet, ſtupore eſt affectus, & in faciem cecidit, & ore hianti man-
Contra Iconomachos. ſit attonitus, propter Angelicæ excellentiæ ſplendorem incomparabilem. Viſus eſt
Exod.25. ei, inquit, Angelus Domini. Quid ad hæc nobis dicunt ſemichriſtiani, qui non admittunt imagines? Si ab homine viſus eſt Angelus, omninò habuit imaginem, & non aliam, quàm in qua viſus eſt. Viſus eſt autem in ea forma, in qua Moyſi prius in monte Sina in figura oſtenſa ſunt Cherubin, quæ erant circa propitiatorium. Si autem id, quod eſt incorporeum, & quod caret figura, ea, quæ fuit oſtenſa figura, circunſcribitur, quomodo id, quod eſt corporeum & figuratũ, & quod colori & tactui ſubijcitur, & tres ſuſcipit dimenſiones, imagine non repræſentabimus ad euidentem demõſtrationem ab eo ſuſceptæ carnis, quę viſione non poteſt appræhendi?

Cap.7. Neq; verò putent ſtulti, nos diuinitatẽ in hoc circunſcribere, quæ neq; verbis exprimi, neq; compræhendi poteſt, cuius nulla eſt poſitura, nulla figura, nullus locus, nulla
Imago Saluatoris. quantitas, nulla qualitas, non aliquid aliud ex ijs, quæ ſunt intra fines circunſcriptionis propterea quòd ſit infinita & non poteſt compræhendi. Nam hic quoq; eius, qui eſt homo, ſolummodo effingentes imaginem, non materiæ expertem & informem animam vnà omninò effingimus. Non enim contingit: ſed vtriq; conuenienter attribuimus ea, quæ ſunt eius propria: ei, quod circunſcribi non poteſt, id, quod non poteſt circunſcribi: & ei, quod poteſt circunſcribi, id, quod circunſcribi poteſt: ſicut verbum oſtendit veritatis.

Cap.8. Reuertamur autem rurſus ad propoſitum. Dixit autem ei Angelus: Ne timeas Zacha-

charia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua,& vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. O deſideratum,qui à Deo præbetur,iuſſum.O valdè optandam, quæ affertur ab Angelo,promiſſionem. Aſſecutus eſt id,quod optauerat: obtinuit id,quod rogabat: inuenit id,quod quærebat, vt tolleretur ſterilitas,& pulchram haberet prolem,non cõſequentia naturæ,ſed precibus. Non enim maledicti erat pœna ſterilitas: abſit,ſed magni myſterij ſignificatio. Nam cùm Zacharias eſſet frequentibus ad Deum intentus precibus, vt ſolueretur ſterilitas, arbitror eum fortaſse hæc audiuiſſe: Nondum eſt perfectum tempus,nondum venerunt dies aduentûs. Tunc, ô Zacharia, ſpera fore, vt liberos ſuſcipias,quandò venerit expectatio gentium. Tunc expecta ſterilitatem fœcundari, quando venerit ſpes omnium finium terræ. Poſtquam autem venit tempus: Accipe, inquit,id quod eſt tibi cordi per Gabriëlis prædictionem: renouare tanquam aquila iuuentute. Cognoſce,inquit,coniugem: exaudita eſt enim tua deprecatio: & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium,& vocabis nomẽ eius Iohannem. Cognoſce etiam nomẽ, quo vocabitur,vel ex ipſa etymologia tibi procedere ex alto.

Dixit autem Zacharias Angelo: (deinceps enim cum eo tanquam cum conſeruo liberè loquitur) Quomodò hoc cognoſcam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis Atque prompta quidem & paterna demonſtratio ſacerdotem facit reum incredulitatis. Præſens autem ſermo non ſe ſubmittens, ſed procedens tanquam ad examinationem, dicit eo modo fuiſſe affectum Zachariam, quo magnus Thomas. Non enim erat conſentaneum,eum hoc ignoràſſe,cùm eſſet Propheta,& in rebus diuinis eruditus, poſſe Deum vel ipſam naturam innouare,& ex ſene iuuenem efficere,& ea reddere facilia,quæ videntur nullo modo poſſe fieri, vt in Abrahamo & Sara,ſicut in Sunamitide,& in alijs eius varijs & omne genus miraculis. Sed quoniam magnarum,& quæ ſunt præter opinionem, expectationum promiſſiones ſi repentè audiantur,ſolent aliquo modo conturbare animum,non ad incredulitatem, vt arbitror, differens,ſed feſtinans ad perfectionem,ſtatim veluti captus à voluptate, exclamat & dicit: Quomodò hoc cognoſcam? Ne me deceperis,ne me fefelleris: da mihi ſignum,præbe mihi pignus,vt Deus olim Abrahæ,ad hoc quòd ipſe eſſet pater multarũ gentium,& egrederentur Reges ex eius lumbis,ſignum circunciſionis: & ſicut anteà Noë,quòd non induceret diluuium ſuper terram, arcum qui eſt in nube: Et Moyſi virgam in ſerpentem conuerſam, & citò reſtitutam, ad hoc vt crederent Aegyptij, quòd, Qui Eſt,ei apparuerit.

Cap.9. · *Iohan.20.* · *Geneſ. 21.* · *4.Reg.4.* · *Gen.17.* · *Gen.9.* · *Exod.4.*

Reſpondens autem ei,dicit Angelus: Ecce eris tacens, & non poteris loqui, propterea quia non credidiſti verbis meis. Adijciendum eſt,tacitè & abſolutè,& citra examinationem. Accepit ſignum Zacharias rei conueniens: nempe ſermone ſoluto ſilentium, quòd ad viuum ſermonem,& qui conſiſtit,eſt ei * parendum: & complicatis labris, vocibus quæ audiri non poterant,laudauit datorem partûs. Egreſſus enim, inquit,non poterat loqui,& cognouerunt,quòd vidiſſet viſionem in templo. Et ipſe erat annuens illis,& permanſit mutus: partim quidem,ne interrogaretur, vtpote quòd ſuſtinendum non eſſet,vt audiretur viſio: partim autem, vt qui quodammodò exceſſiſſet ex ſenſibus, & totus ſeipſum conuertens ad id, quod viſum fuerat, mutus eſſet, inanibus & aërem temerè verberantibus ſermonibus. Par autem fortaſse fuerit,eum vtpote Prophetæ patrem, hic quoque opus ſignificare prophetiæ. Et hoc fortaſse eſt ceſſatio legalis cultûs ad eam,quæ fit in gratia,prolationem per exortum Iohannis.

Cap.10. · * *Exemplar Aloyſij habet, pariendũ, ſed mendosè, vt apparet.*

His ergo prætermiſſis,quæ intercedunt,vt quæ neque ad diem pertineant, neque ea poſſint vires noſtræ aſſequi, veniamus rurſus ad inſtitutum. Et factum eſt,inquit, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth,exultauit infans in vtero eius. O Iohannes felix infans,fœtus qui ſopiri non potes. Qui es in vtero,quomodò es in mundo? Qui nõdum es perfectus,quomodò es pleniſſimus? Qui es ſemeſtris, quomodò multùm habes tempus? Qui non potes cogitatione percipere, quomodò es prudentiſſimus? Qui loqui non potes,quomodò benè loqueris? Dic nobis,dic, quomodò cùm contineaiis in tenebroſo loco vteri matris,nondum videndi facultatem exerceas, auditus ſonum nondum admittas,vocalem ſermonem nondũ emittas, ambulandi motus nondum ſis particeps,ridendi proprietatem nondum exercueris: quomodò intueris? quomodò audis? quomodò res diuinas contemplaris? quomodò exilis & exultas? Reſponde,reſponde nobis, ô vir optime. Magnum eſt,inquit,quod peragitur myſterium, & actus eſt ab humana remotus compræhenſione. Meritò innouo naturam propter eũ, qui eſt innouaturus ea,quæ ſunt ſupra naturam. Video,etſi ſim adhuc in vtero,quoniã

Cap.11. · *Luc.1.* · *Mira Dei opera in necdum nato infante.*

in vtero geſtari video ſolem iuſtitiæ. Auribus percipio, quoniam audio, vt qui naſcar vox magni Verbi. Exclamo, quoniã filiũ patris vnigenitum conſidero eſſe carne indutum. Exulto, quoniam vniuerſi effectorem video formam hominis ſuſcipere. Exilio, quoniam mundi redemptorem cogito corporatum, Principium, inquit, vobis ſignifico Dei in mundum ingreſsûs, & aduentûs corporei. Præcurro aduentum, & quodammodò vobis præco confeſsionem. Accipite pſalmum, vt dicam Dauidicè,
Pſal. 80. & tympanum Propheticè, Pſalterium iucundum cum cithara. Cantate ei, & pſallite
Pſal. 104. ei, narrate omnia mirabilia eius. Nunquid ergo, ô Iohannes, ſuper terrena aſſcendiſti, ad cæleſtia prouectus es, Angelicos & primò operantes ornatus tranſcendiſti? Quomodò ergo quorum naturam non appræhendiſti, eorum es ſortitus ordinem & dignitatem? & quod eis eſt à ſeculo obſcurum, & quod minimè didicerunt, ſtatim, tanquam poſt Deum, traiecisti, & nobis annunciâſti, idque cùm adhuc eſſes in matris viſceribus?

Cap. 12. Non volaui, inquit, per aërem, non peruaſi nubes, non ſuperaui cælos, non tranſcendi flammeas & incorporeas virtutes: ne hoc exiſtimetis: ſed qui ſupra omnia, & in ſinu patris manet cum ſancto Spiritu, neſcientibus alijs igneis eius miniſtris, tanquam aliud cælum ingreſſus, in vtero ſemper virginis Mariæ ſeipſum patefecit, & hæc mihi talia expoſuit myſteria. Sum ergo pueri index, quòd ſcilicet filius nobis naſcitur, & fili-
Eſa. 9. us datus eſt nobis (vt magnus dicit Eſaias) qui quidem eſt ante ſecula. Sum natus ex ſterili, quoniam prodibit fœtus Virginis.

Cap. 13. O opus magnificum, & ſupernaturale. O prodigium admirabile, & quod omnem ſuperat opinionem. Qualia nobis infans nondum natus annunciat? Quanta nobis fœtus Elizabeticus diuinè ſignificauit? Exiliat tota, quæ eſt ſub Sole, regio: choros agat Eccleſia, feſti præludia, & natalis Chriſti ingreſſum celebrans: & lætitia impleantur vniuerſa, ſucipientia Indicem aduentûs Regis vniuerſorum. Sed, ô beate Iohannes, qui maximorum es Propheta maximus, qui es primorum primus inter Apoſtolos, qui es Martyrum Martyr excellentiſſimus, qui es ſolitudinis à Deo ordinatus patronus, qui ſpecioſiſſimi ſponſi es amicus dilectus, qui lucis, quæ dici non poteſt, es parata lu-
Matt. 3. cerna, cui Agni inculpati fuit creditum præconium, qui paternæ vocis es optimus au-
Matt. 14. ditor, qui prædicatus fuiſti Baptiſta Chriſti, qui Herodis libidinis liber fuiſti repræhenſor, qui ijs, qui erant apud inferos, vitam præſignificâſti, qui Deum ſignificans fuiſti tu-
S. Iohannes tuba orbis terrarum. ba orbis terrarum: nunc quoq; nobis ſonum ede cælitùs ſacratiſſimis interceſſionibus, & eſto propitius populo tibi decantanti, & minimo tuo gregi, cum excellente tuo Patre, condonans rurſus hoc audax mei miſeri inceptum, vt quod non ſit munus oblatũ, ſed tanquam inutilis ſerui, quod tibi offertur, debitum cũ tributo & deſiderio: In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & honor & adoratio cum patre omnipotente, & ſanctiſſimo ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI CHRYſoſtomi *Encomium natalis venerandi Præcurſoris.*

Eſt in Metaphraſte.

Cap. 1. Feſtum Natiuitatis S. Iohannis antiquiſſimum. FEſti celebrandi & publicæ lætitiæ dies eſt opportunus, in quo mihi reuocatum eſt in memoriam Gabrielis miniſterium, & Zachariæ ſacerdotium. Nuper enim audiuiſti Euangeliſtam dicentẽ, Quòd Zachariæ obt[illegible]erat, vt ſuffiret ingreſſus in templum Dei: Et vniuerſa multitudo expectabat extra templum hora ſuffitûs. Et viſus eſt ei Angelus Domini ſtans à dextris altaris ſuffitus. Et conturba-
Luc. 1. tus eſt videns Zacharias, & timor irruit ſuper ipſum. Ei autem dixit Angel9: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua. Eijcit metum, & eius loco inijcit deſiderium. Nam cùm dixiſſet, Ne timeas: non tacuit, ſed etiam precationis lucrum ſignificauit. (exaudita eſt enim, inquit, deprecatio tua) Quodnam? Leuiticę tribus augumentum. Et ecce vxor tua Elizabeth pariet filium, & vocabis nomen eius Iohannem.

Cap. 2. O admirabile & myſticum miraculum. Meritò Zacharias ratiocinando & cogitando impeditus, repugnauit Angelo. Aliud enim rogabat, & aliud accepit. Pro populo precabatur, & nominabatur pater filij. Quærebat veniam peccatorum, & vteri ſterilis accepit

accepit promiſſionem. Maluiſſet Zacharias curari animas infidelium, quàm intumeſcere vterum Elizabethę. Meritò ergo fuit conturbatus. Erat enim homo ſeruiens mutationi, etiamſi eſſet præditus dignitate ſacerdotali. Deinde etiam apud ſe cogitabat, quænam eſſet aliena & admirabilis viri viſio: quiſnam is eſſet, qui audaci pede in ſacrum templum aſſcendebat: quis is eſſet, qui à dextris altaris ſuffitûs adſtaret, tâquam qui nulli eſſet peccato affinis.

Quis hic eſt, aiebat, qui alienis & diuerſis formis circuncircà coruſcat, & metu meã comprimit animam? Nunquam ego enim vidi rem tam admirabilem: homínémne alatum, an volucrem humana forma præditam? Quid hoc ſit, dubito. Mei enim ſuffitûs videtur eſſe aliquis ſpeculator, & meæ interceſſioni eſſe impedimento. Populi multitudo me foris orans expectat, tanquam ſcribam cæleſtis Regis, & hic me intus retinet. Per me regi preces offerunt, veniam petentes delictorum: & incertus ſum, an poſſim explere populi deſiderium, & meo ſatisfacere officio: & hic conſtitit nouum mihi afferens nuncium. Ceſſa deinceps tu, qui me terres. Si enim eſſes à Deo miſſus Angelus, ad ea, quæ ſunt mihi vſui, adiumento fuiſſes, & miſertus eſſes eorum, qui foris lachrymantur: affligereris vnà cum ijs, qui affliguntur. Recede hinc, qui me terres: filij nullam duco rationem. Cur mihi ſignificas promiſſionem? Quid enim lucrifaciet populus, ſi ego habuero filium? Quænam ad eos redibit vtilitas, ſi Elizabeth infantem lactauerit? Quid accipient commodi, ſi ego facultatum hæredem reliquero? Recede ergo, qui me terres, quicunq; ſis. Sumus iam prouectę ętatis: pręterijt tempus cupiditatis: tempus refrigerauit calorem, fructum negauit ſterilitas, natura ſecum agitauit ſeditionem: mortui ſumus ambo ea parte, quæ ſpectat ad coitum. Quod ergo non produxit iuuentus, quomodò germinabit ſenectus? Cap. 3. Sacerdos ſcriba cæleſtis regis.

Sed hæc quidem animo agitabat & dicebat Zacharias. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Zacharia, neque conturberis cogitationibus: ſum enim Angelus lucis, non tenebrarum. Ego ſum Gabriel, vnus ex principibus Regis cæleſtis: iuſſum affero, non mea iubeo authoritate: miſſus ſum ad tibi ſignificandum: nō autem ad metum tibi incutiendum hanc indui figuram. Ne timeas Zacharia: miſſus ſum ad tibi nunciandum, non autem ad te obſtupefaciendum. Profers ſenectutem, & ætatem non aptam generationi, & matricem, quæ ſemen non ſuſcipit. Quis autem, licet velit, generat? Dei eſt donum, non inuentum hominis. Non audiuiſti Dominum dicentem: Ego ſum, qui facio hominem, & fingo ſpiritum in homine? Non credis Zacharia? Quomodò formatus eſt Adam? Quomodò creata eſt Eua? Quomodò genitus eſt Iſaac? Cùm audijſſet Abraham, non eſt ſpe deceptus, & tu ſacerdos non credis? Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Propter ſenectutem contradicis, ô Zacharia, & corpus emortuum plus ſtatuis poſſe efficere, quàm Deum? Si non vidiſſes Abraham, rectè dubitâſſes. Naturalem profers imbecillitatem, & cùm adſit diuina promiſſio, non credis? Qui parua petijſti, magna ſumis, & clamas, tanquam qui damnum patiaris? Tu Zacharia oras pro ſolo populo Iudaico: Ego autem hûc bonum tibi affero nuncium, Pertinere ſalutem ad omnes gentes. Cap. 4. Angelus cō firmat Zachariam. Zach. 12. Luc. 1.

Zacharias autem cùm hæc audijſſet, & adſpectum parùm auertiſſet, dixit reſpondens Angelo: Quid dicis, ô Angele? Vxor mea pariet? num ego propterea oraui? an ſuffitum moueo hac de cauſa? Meo fungēns officio, populo bonam ſpem affero, & peto veniam peccatorum, non ſolutionē deſidero ſterilitatis. Volo meam leuari ſynagogam, non prægnantem effici Eliſabeth. Rogo, ſauciatæ vt curentur animæ, non vt exiccata vbera lacte fluant. Quid dicis, ô Angele? Vxor mea pariet? & quid lucrifacient ij, qui foris precātur? Nunquid cùm audierint, me obruent lapidibus, dicentes, me non orare pro ipſis, & communi ſalute, ſed pro meipſo ſolo, & me non verbum accepiſſe, ſed fœtum? Nulla mihi res eſt cum liberorū ſuſceptione. Abſit, hoc nolo. Quod precatus ſum, non accepi, & nunc mihi ſignificas alia pro alijs. Filiorum procreationis nullam duco rationem. Non poſſumus ingredi ſine baculo, & iubemur dare operam liberis. Senectus negauit naturam. Non ero frequens in templo ad obeundum miniſterium, ſed * condam nutricem propter infantem. Nulla mihi res eſt cum liberorum procreatione. Quæro ſalutem populi, & gentis felicitatem, & gentium captiuitatem, & noſtram proſperitatem: non autem pueri fletus, & faſcias, & nutrimenta puerilia. Cap. 5. * Conducā, opinor legendum.

Horum ego nullam duco rationem. Quomodò enim inueniar pater germani filij? Senectus repellit modum. Ea res eſt deinceps à natura aliena. Sunt diſſoluta membra genitalia. Virgam, tanquam equum, tenens ingredior, & me excitas, vt matrimonialē Cap. 6.

ineam coniunctionem? Vnde hoc ſciam? Ecce membra mihi tremunt. Ecce vides amborum ſenectutem. Ecce adſpicis vteri imbecillitatem. Ecce intueris colla noſtra in terram inclinata. Totum corpus emarcuit. Nihil expectamus aliud, niſi falcē mortis. Spicæ iam ſunt maturæ ad meſſem. Vnde hoc cognoſcam? Si ergo verum omninò dicis, ô Angele, da mihi ſignum arrhæ gratia, & credam promiſſioni. Accipio promiſ-

Num. 17. Exod. 3. Iudic. 6. 4. Reg. 20. Gen. 18.

ſionem, ſi miraculi videam effectionem. Aaron enim non credidiſſet, niſi virga floruiſſet. Moyſes pro certo & firmo non habuiſſet, niſi eius manus fuiſſet dealbata. Gedeon non intellexiſſet, niſi ros deſcendiſſet in vellus. Ezechias ſpem abieciſſet, niſi ſol fuiſſet impeditus. Da ergo tu quoq; ſignum, & ſaltabo iuueniliter. Da ſignum, ne Elizabeth profusè rideat, ſicut Sara. Vnde hoc ſciam, Archangele, qui hæc ſignificas? Quid mihi dicis nomen infantis, & eius, qui non adeſt, virtutes enumeras? Oſtende mihi id, quod eſt ſupra naturam, vt credam id, quod eſt præter naturam. Si cæli conuexum in partem conuertatur contrariam, ego quoq; renouabor. Si mare ſuſcipiat dimēſionem, Elizabeth quoq; pariet. Si ſol comprehendatur, ſicca quoq; vbera lacte fluent. Si Luna cingatur mœnibus, matrix quoq; ſicca humectabitur. Vnde hoc ſciā? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.

Cap. 7.

Angelus autem dicit Zachariæ: Non credis Deo omnipotenti? Neſcis Deum poſſe omnia? ſtatuis Domini promiſſionem eſſe infirmam & inſtabilem? Eum qui bonum affert tibi nuncium, non vereris examinare ac percontari? Vnde hoc ſciam, dicis, ô Zacharia? Num te mittam in Aegyptum, vt terrore afficias Pharaonem? Nihil facit Deus ſupra naturam? Quæris naturæ conſequentiam, non diuinitatis effectionem admirabilem? Dic enim mihi, Vbinam fixæ ſunt ignis columnæ? Cæli moles vbinam eſt collocata? Vbinam inueniuntur nubium cubilia? Pluuiæ autem guttę vbinam contexuntur? Niuis verò ceſpites vbinam excinduntur? Solis currûs qui eſt auriga? Lunæ decremento quis imponit terminum? Furens mare quomodò reueretur arenam? Tenebræ caliginis quomodò contexuntur? Homo autem quomodò formatur in matrice? Et maſculo quomodò fœmina inuenitur leuior? Vnde, inquis, hoc ſciam? Eris, inquit, tacens, & non poteris loqui.

Dei opera compræhēdi ratione nō poſſunt.

Cap. 8.

O benignū ſupplicium, quod effecit potiùs correctionē. Angelus enim caſtigat ipsā vocem, quæ lapſa fuerat: refrenat ipſam linguam, quæ fuerat audacior. Erat enim, inquit, annuēs ipſis, & permanſit ſurdus. Pulchrè Euangeliſta conſcripſit illud, Permanſit. Permanſit enim ſilentium, expectans vocem, quæ naſcebatur, Zacharias Iohannē, ſenex infantem, ſacerdos Prophetam, cùm dicit Angelus: Quoniam tanquam incredulus à Deo ſignum quæris, in proprijs membris porta ſignum, quod te caſtiget. Eris enim tacens, & non poteris loqui vſq; ad diem, quo hæc fiant. Vbi eſt audacia temeritatis, illic eſt frenum diſciplinæ: Vbi calcitrauit cōtumelia, illic pœnæ pronunciatur ſententia. Volebat quidem Deus, ô Zacharia, te fieri præconem talis miraculi: quoniā autem corporis imbecillitatem duxiſti eſſe firmiorem ac ſtabiliorem promiſſione Domini, eris tacens, & non poteris loqui vſque ad eum diē, quo hæc fiāt: propterea quòd non credidiſti verbis meis, quæ quidem implebuntur ſuo tempore. Vides nihil ſummum ac perfectum effici ſine fide?

Cap. 9.

Solùm autem audiuit Zacharias hæc verba, & ſtatim egreſſus eſt ex templo, ſermonis priuationem ferens mercedem incredulitatis. O miraculum. Ingreſſus eſt vt alios liberaret, & ipſe exijt condemnatus. Thuribulum ferens ad miniſtrandum, circunferebat titulum exilij. Populus expectabat, vt aliquid boni ab eo audiret, ille autem annuebat: Nemo mihi appropinquet, nemo me interroget: fero horrorem Dominicæ iracundiæ. O res admirabiles, & quæ ſunt præter opinionem. Zacharias mutus redditur, & veluti camo cōſtringitur: Elizabeth autem opiparè conuiuatur. Lingua obtunditur, & vterus inflatur. Quæ diſerta erat lingua, ſterilis efficitur: & quæ erat infertilis, mater redditur. Vox frenatur, & mulier liberatur. Zacharias ſilet, & Iohannes exilit. Solùm enim vidit ſterilis Virginē, & Solem animaduertit Lucifer, & valdè exilijt Iohannes in materno vtero, accuſans naturæ tarditatē. Domini, inquit, ſum ſeruus, non teneor iiſdem legibus, quibus conſerui. Nō expectabo quoad patiar, vt Pręcurſor ſim. Ne dominæ partus præueniat ſeruum, qui parturiendi doloribus in vtero inuoluitur.

Malach. 3.

Ne ſit naturæ cōſequentia ordinis tranſgreſſio. Agnoui enim qui me præmiſit, vt ambularem ante eius faciem, ad parandam viam eius ante ipſum. Labefacto vincula naturæ: propero enim prædicare.

Cap. 10.

O res admirabiles, & quæ ſuperant opinionem. Quæ in cælo ignorauerunt Angeli, cognouit Iohannes, qui geſtabatur in vtero. Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice, mi-

ce, minimè prӕterijt. Celauit Dominationes, & ei, qui erat in ventre, reuelauit myſterium ſuſceptӕ carnis œconomiӕ: & quem venit Archangelus ferens bonum nunciũ, is eum narrauit in vtero. Nam cùm ad nos aduenißet, ſicut modò audiuiſti, Redemptor noſtri generis, venit protinus ad ſuum amicum Iohannem, dum adhuc eſſet in vtero. & licebat videre figulum lutum ſalutantem, Regem habitantem in tabernaculo militis, Dominum qui venerat in ſerui domunculam.

Quem cùm ex matrice in matrice adſpexiſſet Iohannes, terminos naturӕ concutiens, exclamat: Video Dominum, qui naturӕ impoſuit terminos, & non expecto tempus naſcendi. Nouem menſium enim tempus in vtero non eſt mihi neceſſarium. In me eſt enim, qui eſt ӕternus. Egrediar ex hoc tenebroſo tabernaculo, rerum admirabilium compendioſam prӕdicabo cognitionẽ. Sum ſignaculũ, ſignificabo Chriſti aduentum. Sum tuba, proferam filij Dei in carne œconomiã. Tuba canam, & eoipſo paternӕ linguӕ benedicam, & eam traham, vt loquatur. Tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Cap. 11. Iohannes ſignaculũ & tuba.

Vides, ó dilecte, quàm ſit nouum & admirabile myſterium. Nondum naſcitur, & ſaltibus loquitur: nondum apparet, & minas intentat. Nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur. Nondum diſcit vitam, & Deum prӕdicat. Nondum adſpicit lucem, & ſolem indicat. Nondum paritur, & properat prӕcurrere. Non fert enim prӕſente Domino contineri, non ſuſtinet naturӕ expectare terminos: ſed cõtendit rumpere carcerem ventris, & ſtudet prӕſignificare venientem Saluatorem. Acceſſit, inquit, qui ſoluit vincula: & quid ego ſedeo vinctus, & retineor, vt maneam? Venit verbum, vt omnia conſtituat: & ego adhuc maneo detentus? Exibo, prӕcurram, & prӕdicabo omnibus, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Et hӕc quidem Iohannes. Cap. 12. Iohan. 1.

Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & genuit filium: & audiérunt cognati & vicini eius, & gratulabantur ei. Cur autem peperit & genuit? Quòd illud quidem eſt opus naturӕ, hoc verò ſupra naturam: quandoquidem peperit quidem, vt mulier: ſed ſuperuenit gratia ſancti ſpiritûs, & genuit ſupra naturam. Aliud enim eſt naturӕ opus, aliud gratiӕ. Erat enim miraculum, quod fiebat ab Iohãne, & non tãtum habebat paterni generis, quantum Dei verbi. Hoc autem ſignificabat Archangelus Gabriel, dicens Zachariӕ: Ecce vxor tua pariet filium, & ſpiritu ſancto replebitur ab vtero matris ſuӕ, & multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum: Et ipſe prӕcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliӕ. Cap. 13.

Quoniam ergo eſt admirabilis naturӕ ortus infantis, & Zacharias quidem non credidit, Elizabeth autem non dubitauit, tardè genitum prӕter ſpem habens filium, ea de cauſa dicitur parere & gignere: illud quidem propter naturam, hoc verò propter fidem. Qui enim gignit, ſicut priùs dixi, gignit cum lӕtitia: quӕ autem parit, parit in doloribus. Quӕnam verò triſtitia fuit in Elizabeth, vbi aderat ſanctus ſpiritus? non erat autem obſtetricis circuncurſatio, nec gratiӕ tumor onus extendens, miſerabilem efficiebat laborem, ſi conferatur cum lӕtitia. Non enim poſtquam fuit natus, & ad virilẽ peruenit ӕtatem, gratiam accepit Iohannes: ſed ex ipſo materno vtero amictus veſte ſanctificationis, prӕter opinionem procedit, tanquam miles, admirabiliter: ſicut dicit Angelus: ſpiritu ſancto ex vtero matris ſuӕ implebitur: & ipſe prӕcedet ante ipſum in ſpiritu & virtute Eliӕ. Ante quem prӕcedet? ante Dominum Chriſtum. Et ideò appellatur etiam Prӕcurſor, vt licet ipſum audire Iohannem dicentem: Venit poſt me vir, qui ante me factus eſt. Poſt me, propter tempus: Ante me, propter thronum. Cur ergo in ſpiritu & virtute Eliӕ dixit Gabriel prӕcedere Iohannem? Audi prudenter: Elias Deus exponitur. Cap. 14. Elizabeth & peperit & genuit Iohannem. S. Iohannes in vtero ſanctificatus. Iohan. 1.

Quoniam ergo Iohannes Deum habebat in ſeipſo, impletus eſt ſpiritu ſancto ab vtero matris. Spiritus autem Deus eſt. De eo enim multis antè annis dixit Dominus: Ecce mitto Angelum ante faciem tuam, qui prӕparabit viam tuam ante te, & multos conuertet ab errore ad veritatem. Ea de cauſa in ſpiritu & virtute Eliӕ Iohannes prӕcedit Dominum. Quinetiam inuenies Iohannem habere multa Eliӕ ſimilia. Certè infans naſcitur, & vox patris reuertitur. Interrogatus enim, inquit, Zacharias, quo nomine vellet vocari puerum, petijt pugillares, & ſcripſit, dicens: Iohannes eſt nomen eius. Qui non credidit verbis Angeli, nunc neceſſe habuit ſcriptis prӕdicare viſionem. Qui tunc auditione non acceperat ea, quӕ dicta fuerant: nunc ea, quӕ fiunt, manu conſtituit. Quamobrem, inquit, mirati ſunt vniuerſi. Statim enim apertum fuit os eius, & ſolutum eſt vinculum linguӕ eius, & locutus eſt, Deo benedicens. Cap. 15. Malach. 3.

Cap. 16. O nouum & alienum miraculum. Nomen ſcribitur, & os patris, quod loqui nō poterat, aperitur. Iohannes vocatur, & eius, qui vocat, lingua componitur ac concinnatur. Vides nos non aberrâſſe, cùm diximus præſentem expoſitionem eſſe eiuſmodi, vt ei nihil poſſit obijci? Ecce enim ipſum iuſti nomen, & os aperit ſilentij, & excitat linguam ad mouendum difficilem. Sic enim oſtenditur vox clamans Iohannis, quoniā ipſum quoque nomen fit vocis operatio. Ego enim, inquit, ſum vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. O miraculum. In populo verſatur Verbum, & Vox prædicat. Dominus venit, & ſeruus priùs mittitur. Rex accedit, & miles præparatur. Gaudeamus ergo hodiè, & lætemur, & exultemus, quòd Elizabeth peperit, & Zacharias eſt locutus: quòd ſterilis peperit, & ſenex clamauit: quòd quæſita eſt pugillaris, & ſoluta eſt lingua ſacerdotalis: quòd Iohannes proceſſit, & vox eſt reuerſa: quòd natus eſt Præcurſor, & totus mundus eſt lætatus.

Eſai. 40. Luc. 3.

Cap. 17. Sed hic quidem oportebat finire orationem: & Zacharias non concedit, clamans: Benedictus Dominus, quoniam viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. O res admirabiles. Quid dicit Zacharias? Primam vocem poſt reſurrectionem exclamauit Zacharias, Benedictus Dominus. Quid ergo? Mortuus eſt Zacharias, quòd ſurrexit? Non mortuus eſt, inquit, ſed quiddam mortis inſtar ſuſtinuit. Tanquam enim ſepulcrum tenuit ſilentium, & faſcijs alligatus fuit, hoc eſt, linguæ vinculis. Vitam egit intereà non exercens ſacerdotium, & luctum ſuſtinuit populi triſtitiam. Rogante enim ſacerdote pro ijs, qui ſunt in luctu, omnes, pro quibus interceditur, conſequuntur miſericordiam. Hanc ergo primam exclamauit vocem poſt figuratam reſurrectionem: Benedictus Dominus Deus Iſraël.

Ergo nos quoque hanc vocem conſequentes, bonum Deum noſtrum benedicentes, eum glorificemus, & per bonos mores & bona opera eum colamus, vt bona quoque æterna conſequamur. Quæ liceat nobis omnibus conſequi, gratia & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti: Quoniam eum decet gloria, honor & adoratio & magnificentia, cum principij experte eius Patre, & cum ſanctiſſimo & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Bonis moribus & operibus colendus Deus.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI CHRYſoſtomi oratio de natali ſancti Prophetæ, Præcurſoris, & Baptiſtæ. Eſt apud Metaphraſtem.

Cap. 1. BEnedictus Deus. Ecce enim rebus ipſis oſtenſæ ſunt ſalutationes Iohannis, quæ fiebant in vtero. Proceſſerunt iuſti boni nuncij, qui afferebātur pedibꝰ. Venit gratia, quam, cùm in vtero eſſet, ſignificauit. Nouit mundus exultationem, quam Præcurſor in aluo deſcripſit pedibus. Reuerà alij laborârunt, & vos ingreſſi eſtis in ipſum laborem. Proclamabant Prophetæ, dum expellebantur. Non ſilebāt iuſti, dum verberabantur. Periclitabatur catalogus Prophetarū. Reſiſtebant tyranni. Reges bellum gerebant. Principes ſtabant in acie. Populi irā concitabantur. Totus mundus aduerſabatur iuſtorum certaminibus. Vbi producebantur ad tribunalia, illic flagris cædebantur. Vndique tormenta & ſupplicia. Vndique afflictiones & eiulatus. Vndique triſtitia & tenebræ. Sed cùm eſſent in tali ac tāta vitæ triſtitia, annunciabant ſolutionem tempeſtatis.

Iohan. 4.

Cap. 2. Iohannes enim ille magnus Præcurſor Domini, cùm eſſet adhuc naturæ faſcijs alligatus, ver nobis oſtendit ſalutare, & ſtudens voce prædicare eum, quem ſignificauit pedibus, conatur egredi ipſos naturæ terminos: & quæ tardè pareret, agitabat Elizabetham. Saliebat ſimul chorum ducens, & ægrè ferens, quòd teneretur in vtero. Exclamabat aduersùs menſium conuerſionem. Tanquam iniuſtam cuſtodiam quatiebat matricem. In clauſtra naturæ inſultabat calcibus: modum naſcendi accuſabat, & clauſis labris, vociferabatur figuris, talia propemodùm motu dicens Elizabethæ: Iniquè facis, ô mater, quæ tardas. Prophetam geſtas in vtero: contines gaudium orbis terrarum: portas Præcurſorem Chriſti Regis: contines militem Regiæ prædicationis: cōſtringis martyrem, & maiorem omnibus inter natos mulierum: & impedis velocem curſorem pietatis. Iniquè facis, ô mater: non nôſti futura, ignoras ea, quæ ſunt ventura. Lux venit, ſolue matutinum. Sol oritur, priùs lucebit Lucifer. In foribus lux eſt, & voce

Matt. 11.

& voce eſt opus. Propè eſt ſponſus, & iuſtum eſt, vt thalamus extendatur in Iordane. Opus eſt ſanguine, qui mundum emat: & oportet me agnum eminus oſtendere. Inuolutum eſt humanum genus faſcijs peccatorum. Venit, qui ſoluit ligatos. Opus eſt deinceps præcone, vt omnes cùm reſciuerint, veniant omnes: & tu in vtero retines Pręcurſorem? Non tibi venit in mentem, ô mater, Adam tot ſecula teneri apud inferos? Non conſideras Euæ luctus & gemitus? Non intueris mundi triſtitiam, vel potiùs interitum? Adhuc clamat ſanguis Abelis contra Cain interpellans. His ingemiſcunt vel ipſa elementa. Propterea enim es liberata à vitio infœcunditatis, vt qui naſcetur ex ſterili, eum indicet, qui naſcetur ex Virgine. Propterea ego in matrice exilij in exultatione, vt non ampliùs ſaltet in mundo diabolus. Talia ergo nondum natus Iohannes dicebat Elizabethæ.

Cùm autem ex ipſa proceſſiſſet & iure maiorem ſuſcepiſſet illuminationem, effectis oſtendit effectorem, & figmentis digito oſtendit fictorem, magna voce clamans: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Sed quomodò illum celebrabo ortum, qui verbis nequit exprimi? Quomodò illa enunciabo, quę mentem ſuperant & rationem? Quamnam ſuſcipiam linguam, quæ ſufficiat miraculis? Noua eſt & aliena conceptio: partus ſine dolore: ſpica, quæ prouenit ſine cultura: fructus ſine ſemine: alienę naturæ partus: ignota generatio: filius qui non habet in terra patrem: narratio, quæ eſt reuerà in vita incomparabilis. Virgo rurſus manſit, non prohibuit partus Virginitatem, non corrupit vterum, non vitium attulit ei, quæ pepererat. Meritò is quoque, qui eſt natus, matri talia præbuit priuilegia. Quæ enim habuit ſol⁹, ea illi quoq; ſoli dedit. Non habuit ipſe fratrem ad generationem, neque dedit matri ſororem miraculi. O Dei in homines liberalitas & munificentia. Quænam dona pèr mulierem conſecuta eſt natura? Vnde cepit bellum, illinc Rex pacem conciliauit. Ex quo enim eſt virgo mater, & mater virgo, ceſſauit luctus Euæ. Filia ſoluit crimen maternum. Per ipſam enim, carne ſuſcepta, Dominus ad nos acceſſit. Venit autem, vt quæ erant triſtia, mutaret in gaudium. Venit, vt dolore affectam mutaret conſuetudinem. Venit, vt inferna pacaret ſupernis.

Cap. 3. *Iohan. 1.* *Matris Dei priuilegia.*

Audi autem quomodò. Illic probro affectus fuerat Paradiſus, hic ſpelunca effecta eſt glorioſa. Illinc duo, Adam & Eua, expulſi ſunt à peccato, hic fines orbis terrę deducti à gratia. Non habemus ampliùs ſuſpectam exilij exprobrationem: non extimeſcimus ampliùs flammeam romphæam: non timemus ampliùs clauſtra portarum paradiſi: non metuimus ampliùs morſus ſerpentum: non ampliùs à ficu accipimus folia: non ampliùs ad ſonum greſsûs contremiſcimus. Quæ enim ex Virgine facta eſt, adorauimus proceſſionem: medicum naturæ adſpeximus. Quis enim vidit, quis audiuit? Quis ex imbecilla radice cognouit vnquam effloruiſſe medicum? Quænam fœmina viſa eſt mater patris proprij? Quænam eum genuit, qui diuina virtute genuerat? Quænam eum peperit, qui videbatur quidem figmentum, intelligebatur autem eſſe fictor? Quænam fuit conſecuta, vt haberet filium, & nullum ſenſerit damnum virginitatis?

Cap. 4. *Gene. 3.* *Ibidem.* *Medicus naturæ Chriſtus.*

Quid ergo dicis ô Iudæe? Quid ſenſu videris eſſe infans, cùm canis tegaris malitia? Quid tuos prophetas, vel poti⁹ meos fruſtrà legis? Tu enim literas, ego verò res teneo. Tu teſtamentum, ego hæreditatem. Tu in lege gloriaris, ego autem in gratia me magnificè circunſpicio. Cur pugnas cum Prophetis? Cur à Deo acceptas & veraces eorũ effugis prædictiones? Quam multis antè ſeculis legiſti ea, quæ nunc euenerunt? Neſciebas ad homines venire Deum verbum? Quomodò ergo dixit propheta Hieremias? Hic eſt Deus noſter, non reputabitur alius præter ipſum. Inuenit omnem viam ſciẽtiæ, & dedit eam Iacob filio ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſtea in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

Cap. 5. *Baruch 3.*

Sed Virginem, ô Iudæe, non credis peperiſſe. Quomodò legiſti Prophetam Eſaiam clamantem: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen Emmanuel: Quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus. Sed quòd poſt partum manſit virgo, hoc quoque didiciſti ab Ezechiele. Duxit me, inquit, Angelus, & poſuit me ad portam Orientis, & dixit mihi: Fili hominis, quid tu vides? Et dixi: Video ego portam clauſam. Et dixit mihi: Hæc eſt porta: nemo ingredietur per ipſam, neque egredietur niſi Dominus Sabaoth ſolus. Ipſe ingredietur, & egredietur, & erit porta clauſa. Quinetiam quòd qui eſt omnis creatæ naturæ Dominus, naſcatur in vili loco Bethleem, hoc quoque priùs didiciſti à Propheta Michea, dicente: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda: Ex te enim mihi exibit Dux, qui paſcet

Cap. 6. *Eſai. 7.* *Ezech. 44.* *Mich. 5.*

populum meum Iſraël. Tum verò quòd Herodes quoque ſit infantes occiſurus propter Chriſtum, qui non poteſt compræhendi, ne hoc quidem eſt præteritum ſilentio,

Iere. 31. ſed ſic ſcriptum eſt: Vox in Rama audita eſt: luctus multus & fletus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolationem admittere, quoniam non ſunt.

Cap.7. Hęc ergo priùs didiciſti, ô Iudæe, per Prophetas, vt paratus eſſes, vt ei ires obuiàm, non vt Crucem parares. Sed illis in præſentia prætermiſſis, ad prius inſtitutum reuertamur. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariẽdi, & peperit filium. Et audiêrunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum eſt in die octauo, vt, cùm veniſſent ad circuncidendũ puerum, vocarent eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondẽs mater eiũs, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Iohannes. Porrò autem eius quoque patri annuebant, quidnam eum vellet vocari. Et poſtulans pugillarem, ſcripſit, dicens: Iohannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt vniuerſi. Et loquebatur apertè, benedicens Deo.

Cap.8. Infans naſcitur, & vox patri reſtituitur. Ex quo manifeſtum factum eſt, clamãtem naſci vocem, quòd vocis ipſius, hoc eſt, Iohannis, nomine prolato, vox patri reſtituta

Luc.3. eſt. Ego enim, inquit, vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Cùm enim ſuſcepiſſet Iohannes illuminationem ſancti Spiritûs, effectis oſtendit effectorem, & digito oſtendit omnibus affictorem, magna voce clamans: Ecce

Iohan.1. Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Non enim ampliùs ex veteri lege & figura, vnum eſt templum, quod ſuſcipit ſacrificia, & eis gloriatur, ſed in vniuerſo orbe terra-

1.Pet.2. rũ, Eccleſiæ & aræ purè ac ſyncerè clementi Deo emittunt gloriam. Accepimus enim animarum noſtrarum Pontificem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui peccatũ

Heb.4. non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Habemus enim, inquit, Paulus, Pontificẽ magnum, qui cælos peruaſit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio, cum patre, qui caret principio, & cum ſanctiſſimo et viuifico ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

ANTIPATRI BOSTRORVM EPISCOPI ORATIO DE SANCTO IOHANNE BAPTISTA, ET *de ſilentio Zachariæ, & de ſalutatione ſanctiſſimæ Deiparæ.*

Cap.1. Matt.11. INter natos mulierum nullus eſt maior Iohanne, Verbum pronũciauit ſalutare. Quomodò ergo ex verbis cõtextam ei offeram coronam, qui talem accepit coronam à Domino? Quomodò eum laudabo, qui antequam naſceretur, didicit occultum myſterium? Ei enim antequam eſſet natus, Deus apertè tradidit gratiæ myſterium, gratiæ theſauros apud eum depoſuit, & ea, quæ ignorârunt in cœlo, choros ducentes Angeli, ſicut nuper audiuiſtis, Iohannes dicebat, qui in matris geſtabatur vtero. Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice, Deus non præterijt. Cælauit Dominationes, & ei, qui erat in vtero, reuelauit myſterium ſuſceptæ carnis œconomię. Et quẽ veniẽs Archangelus è cælo tulit, bonũ nuncium intrinſecus narrauit fœtus ſaliens. Nam cùm aduenifſet, ſicut modò audiuiſtis, redemptor noſtri generis ad ſuum amicum, qui in vtero geſtabatur, ſtatim venit ipſe quoq;, cùm eſſet in vtero.

Cap.2. Licebat autem videre lutum ſalutari à figulo, excipi Regem in tabernaculo militis, & veniſſe Dominum in ſerui domunculam. Quem cùm ex matrice in matrice adſpexiſſet Iohannes, præuidens, exiliens, naturæ terminos conatus eſt tranſilire. Video enim Dominum (apud ſe dicebat) qui imponit naturæ terminos. Non expecto tẽpus, quo ſolet fœtus geſtari in vtero, tempus nouem menſium non eſt mihi neceſſarium. Quænam mater Deum verbum perſuaſit ad nos apertè venire? Quis, cùm functꝰ eſſet legatione, excitauit ex ſinu patris eum, qui eſt ſine matre? Quænam autem eſt hæc virgo, quæ Deo viſa eſt præſtantior vniuerſis Poteſtatibus? Quænam ea eſt, quæ e-

S. Maria prę ſtantior cũctis Poteſtatibus. um, qui capi non poteſt, continet in vtero? Quænam ea eſt, quæ fert in ventre eum, ad quem non poteſt accedi? Quænam ea fuit, quæ interceſſit, vt fœno humanitatis admoueretur ignis diuinitatis? Quis primi parentis renunciabit vxori id, quod nunc peragitur, myſterium? Quis dicet, ab ea, quæ fuerat olim condemnata, intus in ventre ſci-

Gene.3. licet, habitum fuiſſe indicem atque Præcurſorem: quæq; audiuit, in doloribus paries filios tuos: eam veniſſe illum portantem, qui nobis annunciauit doloris ſolutionem?

Pa-

Papæ, quantus honor, & quæ verbis non poteſt exprimi mutatio. A paradiſo ſeparauit Deus primum creatum hominem, & ipſum cepit, quæ ab eo deſcēdit. Qui pelles in Paradiſo conſuit, tegitur in vtero. In quam primum parentem ira percitus expulit, in eā miſericordia commotus aduentauit. Quam execratus eſt terram, eā calcauit, diuino greſſu latam infirmans ſententiam, ſpinam peccati conterens impollutis veſtigijs. Ibidem. Ibidem.

Hæ erant exultationes Iohannis, vel verba potiùs. Verba enim erant pueri nondum nati ſaltationes. Quis ab æuo apud Græcos talia ſapienter docuit, qualia ante faſcias narrauit hic Præcurſor? Talia ſunt myſteria huius celebritatis, quæ ſi velim prædicare, inueniar obrui profundo miraculorum, & per aërem ingredi, narrando cæleſtia. Quocircà te rogo, ô Baptiſta, concede mihi ancoram deprecationis, & vt qui ſis vox, conſerua mihi certos & ſtabiles ſenſus vocis inſtrumentorum. Veni enim certā habens fidem, non hæſitans, verborum tibi ſuffitum offerens. Qua quidem re fretus, tua narrabo certamina. Quòd ſi etiam ſim vincendus, gaudeo, eſt enim mihi victoria, vinci à mei patroni miraculis. Cap. 3.

Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis: Ne fallatur aliquis in expoſitione, quòd eodē nomine vtantur Euangelia. Fuit enim alius Herodes, qui Præcurſorem ſuſtulit, & alius hic Herodes, qui herbam demeſſuit infantium, dum quærit ſpicam pietatis. In huius diebus fuit quidam ſacerdos nomine Zacharias, & eius vxor Elizabeth. Erant autē ambo iuſti, (Vitæ enim cum viro ſocietatem habebat mulier, honeſtè ſe gerens) iugum legis ferentes, iuſtitia abundantes, liberos non habentes. Læſa enim matrice temporis longitudine, erat Elizabeth ſine liberis & ſterilis. Ambo autem proceſſerant in diebus ſuis. Natura, inquit, carebant filijs, & cùm procreādorum filiorum tempus definitum conſumpſiſſent, non ſpe, ſed lege amiſſa, mores habuerunt pro ſecundo tempore. Defecit generatio, ſed preces non fuerunt imbecillæ. Cap. 4. Luc. 1. Matt. 14. Matt. 2.

Factum eſt autem cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias, (erat enim feſtum ſanctū & inſigne) veſte indutus, & lamina circumpoſita, accepto incenſo, ibat in ſanctorum adyta. Præcurrente autem ſonitu tintinabulorum, multitudo orabat ante fores, ſacerdotem ſenem ad Deum mittens, tanquam nuncium, qui cùm fuiſſet intra velum, viſus eſt ei Angelus Domini, ſtans à dextris aræ incenſi. Conturbatus eſt autem Zacharias, & non potuit vltrà progredi, propter Angeli adſpectum retrocedens: diù autem manſit attonitus, hæc apud ſe dicens: Quid ſit hoc, quod videtur, dubito. Alius ad altare incenſi fungitur munere ſacerdotali, ego autem quomodò imponam igni incenſum? Vnum ſolum lex iubet fungi munere ſacerdotali. Eſt Angelus non homo, qui videtur. Neque ſic tamen in templum patet aditus. non enim didicimus vnà miniſtrare cum Angelis. Quid igitur de me fiet? quid agam? quemnam accipiam conſiliarium? Sanctóne cedam ſanctis? ſalutabo, & accedens dabo incenſum? Nunquid me accipiet ſocium? Num venit ſermocinaturus cum miniſtris ſanctorum? Video terribilem & lætum: Venítne bonum afferens nuncium, famémne an bellum minitās? quòd verò is quidem, qui videtur, ſit ſatelles cæleſtis & non Deus, ſtatio indicat. Eſaias enim vidit Dominum ſedentem: Ezechiel ſupra thronum adſpexit incorporeum, Daniel ſimiliter antiquum dierum ſedentem. Hic autem ſtat, implens miniſterium, capris partibus altaris magis honorabilibus. Hei mihi, num propter meum peccatum etiam à populo rationem exiget? Num magnitudo honoris, erit mihi occaſio maioris ſupplicij? Cap. 5. Eſai. 6. Ezech. 1. Dan. 7.

Hæc ratiocinans conturbabatur Zacharias. Non latuit autem Angelum Gabrielem ſacerdotis conturbatio. Quocircà ei ſtatim placidam vocem dedit, tanquam dexteram, clamans: Ne timeas Zacharia. Priùs eius compreſſit timorem, & tūc bonum narrauit nuncium, vt non perturbato animo acciperet Zacharias id quod ei ſignificabatur, dicens: Ne timeas Zacharia, tibi gratus affertur nuncius: exaudita eſt tua deprecatio: Vxor tua pariet filium, & vocabis eum Iohannem: Ad te enim veni de cælo, non ſolùm portans filium, ſed etiam veni, cùm ex libro ſuperno, didiciſſem nomen eius, qui naſcitur. In ciuium cæleſtium numerum eum aſſcripſit Deus, nō talem mortalis produxit vterus. Multi in natiuitate eius gaudebunt. Eſt enim tuus quidem filius, tuum germen, fructus autem communis: Tu pater: qui autem naſcitur, eſt lucerna omnium. Cap. 6. Iohānes lucerna omnium.

Hæc cùm audiſſet Zacharias, euaſit ſimul lætus & curioſus. Curioſa certè cogitatione cùm accepiſſet id, quod ei ſignificabat Gabriel, reſpondit non cum ſatis magna fide: Vnde hoc ſciam? Non tulit Gabriel Zachariæ interrogationem, ſed nihili pendit ſacerdotem, qui offert quidem ſuffitum, fidem autem non habet, & cùm iram Cap. 7.

vultu

vultu indicâſſet, hæc dixit: O Zacharia, eorum quæ dixi, à me poſcis rationem? A Dei miniſtro exigis rationem? Cùm bonus tibi afferatur nuncius, pignus petis? Non gratias agens, ſed examinans, diuina dona ſuſcipis & dicis: Vnde hoc ſciam? Ego ſum Gabriel, eorum quæ dicta ſunt, pignus, nomen meum accipe, &, ſi hoc à te paruiducitur, cognoſce authoritatē: Ego ſum, qui adſto ante Dominum. Me ſi deinceps falſa narrare exiſtimas, num tibi ſuccedet accuſatio? Ego enim ſum, qui adſto ante Dominum, & dicis: Vnde hoc ſciam? Vnde hoc ſcies? Tu es enim, inquis, ſenex, & vxor tua proceſſit in diebus ſuis. Tempus, ô ſacerdos, maiorem apud te habet authoritatem, quam Architectus temporis? Non ceſſas ergo Deo non fidere, & tempori cedere, ſed dicis, Vnde hoc ſciam? Quomodò didiciſti Iſaac naſci ex Abrahamo? Quandoquidem credidit, ætas confirmauit: non quoniam credidit, ſenectus nō obedijt? Si autem quod de ſterili dicitur, videtur non poſſe fieri, quomodò tibi audebo credere myſterium Virginis? Si ergo cùm multas habeas ſimilitudines, pignora exigis, quomodò narrabo eam, Eſai.7. quæ eſt ſuperior, Verbi conceptionem? Qua de cauſa multis antè ſeculis Eſaias id prædixit, dicens: Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium? Ille cùm crediſſet, prædicauit id, quod eſt maius: Tu autem cùm ei, quod eſt minus, non credideris, à me exigis rationem, qui è cælo ad te propter te ſum miſſus? Sed quoniam tibi eſt cordi ſignum accipere, (hoc enim petijſti, & vtinam non petijſſes) mutus eris, & voce carebis, & hoc erit ſignum filij procreationis. Eris tacens, donec res verba confirmauerint. Ex generandi inſtrumentis ad vocis inſtrumenta tranſeant vincula ſterilitatis. Voce impeditus, vocem mihi concipe. Illi enim ſoli patris delictum condonabo. Eſt amicus Domini. Quæ vult, petit vt amicus.

Cap.8.

Cùm hæc intus fierent, & dicerentur, tempus quod trahebatur, multitudinem populi affecit admiratione, & quæ in multa diſtrahebatur ſuſpicio, vnicuique dictabat id quod videbatur, donec, poſtquam apparuiſſet Zacharias, ſilens ea docuit, quæ paſſus eſt dum latuit. Poſtquam autem impleſſet dies miniſterij, abijt domum, in viſceribus habens bonum nuncium, & in ore frenum. Et hoc quidem eſt, vt dixerit quiſpiam, Præcurſoris principium conceptionis. Luc.1. Cuius partum ſi velimus prædicare, proximi feſti neceſſe eſt omninò meminiſſe. De Gabriele angelo miſſo ad B. Mariam. Sexto enim menſe conceptionis, Nazareth venit Gabriel, ad Virginem afferens Patris bonum nuncium. Quam cùm domi vidiſſet, prior ſalutauit, dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue, quæ prima & ſola paris infantem liberum ab execratione. Aue, quæ in mundo paris vitæ occaſionem. Aue, quæ es incorrupta, ſed non es expers prolis. Aue, quæ ſatu caruiſti, ſed non fructu. Aue quæ partûs dolores expectas, qui te minimè inuadent. Aue, quæ tuo primo parenti Adamo exhibes defenſorem. Aue, quæ fers ſine dolore naturæ creatæ fundamentum. Aue, quæ citra laborem intercedis inter mortalitatem & diuinitatē. Aue, quæ paris Deum nō nudum, & hominem non ſolùm hominem. Aue gratia plena, Dominus tecum.

Cap.9.

Illa autem, cùm audiſſet lætitiam, non porrexit aures, ſed vocem examinauit, dicens: Qualis eſt hæc ſalutatio? Qui per ſe, & non vocatus, noſtram eſt ingreſſus domūculam, quiſnam, inquit, eſt hic, non familiaris, non cognatus, non genus ducens ab Adamo? Ex voce conijciô, hanc eſſe nouam & alienam ſalutationem. Non adeſt Ioſeph: voci non aſſentior. Cum ſola prima parente, vt aiunt, locutus eſt ille, qui fuit primus author malorum. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas, Maria, inueniſti enim gratiam, quam perdidit, quæ primùm fuit creata fœmina. Illa ſola ſuſcepit deceptionem: tu autem ſola attuliſti ſolutionem deceptionis. Paries filium, & vocabis eum Ieſum. Illa autem cùm partum audiſſet, & filium: Quomodò, aiebat, erit mihi iſtud, quoniam virum non cognoſco? non contradicens, ſed vt per interrogationem diſceret: Quomodò erit mihi iſtud? Ego, inquit, ſola naturam innouo? liberorum procreationis in me ſoluentur rationes? Dic mihi modum, ô hoſpes: nouus enim & alienus eſt tuus bonus nuncius.

Cap.10.

Spiritus ſanctus, ait, Gabriel, ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Suſcipe, inquit, ô Virgo, id quod dictum eſt. Ne ſis ſolicita de eo, quod eſt mandatum ſilentio. Partui fero teſtimonium, modum dimitto. Veni ad te nuncius, non doctor œconomiæ. Miſſus ſum præco aduentûs Dominici, non interpres. Quomodò, nouit ipſe qui adeſt: adeſſe enim ſcio. In te enim proſilit ſignum internum: non poſſum autem dicere modum. Quòd autem non falſa dicā, teſtimonium mihi feret Elizabeth, quę in ſterilitate & ſenectute cōcepit Pręcurſorem. In ſterilitate autē & ſenectute dixi eam concepiſſe, quod quidem eſt non paruum pignus. Inter annum enim ſte-

rilem

rilem & Virginem,nihil eſt intermedium,quòd attinet ad pariendum.

Hęc cùm Virgo audiſſet,venit ad ædes Zachariæ,& cùm Elizabeth inueniſſet concepiſſe,eam ſalutauit. Infans autem intus reſpondit. Infanti enim auditio extitit auditio matris. Et quoniam Iohannes,qui intra naturæ fines coërcebatur,loqui non poterat,ſaliens dicebat,cum propria matre loquens per exultationes, matri autem Seruatoris reſpondens per linguam maternam. Cùm autem Elizabeth non ferret ſaltus filij,ſpiritu ſancto repleta exclamauit,dicens Virgini: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Tu,inquit es benedicta,quæ execrationis portas ſolutionem. Tu es benedicta,quæ portas donum ſapientiæ. Tu es benedicta, quæ cum geſtas in vtero,qui ambulauit in paradiſo. Tu es benedicta,cuius ſanctum templum fuit venter. Benedicta tu in mulieribus,& benedictus fructus ventris tui: ex quo cùm comederit Adam,vincet inimicum. Benedictus fructus,qui fuit mundi cibus & amictus. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Hæc,ô virgo,infans me docuit,intus propter tuam ſalutationem ſaliens ſupra naturam. Hæc ſunt verba Elizabethæ inſpirata diuinitùs. Cap.11. Maria ſalutat Elizabeth, & Iohannes exultat.

Zacharias autem,vt dixi,domi manſit,vt cui eſſet impoſitum frenum incredulitatis,accepta vocis amiſſione æquali conceptioni,vt qui ſuſcepiſſet ortum filij, terminum condemnationis. Poſtquam verò ex deſerta matrice proceſſit ciuis deſerti, pater petitis pugillaribus,ea gratè ſcripſit,quæ non credens audierat: & cùm filio reddidiſſet appellationem,vocem recepit. Talia,ô Præcurſor Baptiſta, tua ſunt, antequam naſcereris,myſteria. Talem tibi Deus largitus eſt dignitatem ante conceptionem. Gabriel ortum Domini, & tuam annunciauit conceptionem in templo, quomodò in thalamo te eſſe conceptum dixit. Pium ac religioſum populo donum in celebri feſto,ortum tuum attulit Archangelus. Fuiſti ſpiritu afflatus, vt qui donum prophetiæ accepiſti in vtero. Saliens in ventre,ea dicebas,quæ Moyſi,cùm conſenuiſſet,Deus ſignificauit. Qua de cauſa te maiorem prophetis vocauit ſponſus Eccleſiæ. Quis enim ex prophetis ex vtero matris narrauit myſterium? Quis ex iuſtis, in ipſo ortu patri vocem attulit hoſpitalem? Tu autem ſimul eum,qui te genuerat,à vocis priuatione liberâſti,& dignatus fuiſti prophetia. Qui enim erat paulò antè mutus, Spiritu ſancto impletus nobis cecinit canticum: quod paululùm mutatum ego opportunè inchoabo. Ille enim dicit,Benedictus Dominus Deus Iſraël: Ego autem dico, Benedictus Deus Chriſtianorum. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Cap.12. Matt.11.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE SANCTO IOHANNE BAPTISTA. ALII ALIIS HVNC *ſermonem tribuunt. Aloyſius Tomo 8. de Vitis Sanctorum, Petri Damiani nomen ei præfixum habet.*

HOdiè,dilectiſſimi,dies illuxit inſignis, tanto cæteris dieb⁹ ſanctior, quanto ſanctiorem hominem terris effudit. In hac ſiquidem die natus eſt ille ſanctorum ſplendor,iuſtorum gloria,lætitia Angelorum,excellentiſſimus homo,conſanguineus Chriſti,amicus ſponſi, ſponſæ præparator: Vnus eſt,& ſecundum non habet, qui choris intertextus Angelicis,ſublimioris coronæ titulis vniuerſitatis humanæ tranſcendit aſſenſum. Denique inter natos mulierum non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta. Felix homo, qui feliciter cælorum perambulans officinas, curſu velociſſimo ſequitur Redemptorem, nec alicuius intercluditur faſtigio dignitatis,quem ſummæ felicitatis immenſitas largiùs irrorauit. Lætantur Angeli & vtriuſque naturæ numeroſitas admiratur hominem ſic ingreſſum abyſſum luminis,& in æternæ diuinitatis pelagus abſorptum,vt ipſam reuerberet Angelicę puritatis * originem. Eleuentur omnes viri meritorum, & prærogatiuis ante conſiſtorium maieſtatis exultent: non erit tamen, qui ad Baptiſtæ Iohannis priuilegium audeat adſpirare. Agè iam aggrediamur virtutum inſignia, quæ Deus maieſtatis in amico ſuo glorioſa cumulatione ſignauit: ſic enim ab ortu vitæ vſq; ad occaſum cum hominibus conuerſatus eſt,vt forma vitæ,morum informatio habeatur. Et licet hîc ſermonis aurei non rutilet pulchritudo,tentabimus tamen rerum veritatem qualicũque ſtylo perſtringere,illud ſapientis attendentes,prudentibus viris non placere phalerata,ſed fortia. Cap.1. Præconia S. Iohannis. Matt.11.

* Alij legũt aciem, idq; mox poſt, reuerberet.

Primus

Cap. 2. Primus honor S. Iohānis. Luc. 1.

Primus eius honor eſt gloria in annunciatione. Non eſt diſſimulanti ſilentio tranſeundum, quàm ſolenni glorificatione pueri huius in mundum nunciatur ingreſſus. Adeſt Angelus Gabriel, & à ſuperiori cælorum cardine Domini fortitudo deſcēndens, ſtat à dextris altaris incenſi: nec quilibet Angelus, ſed ille ſublimior, qui beatæ Virgini nuncium attulit ſingulare: & electus eſt vt nunciaret militem, qui Regem nūciare debebat. Adſtat ſacerdos ſacerdotalibus indutus, & multiplici veſtimentorum varietate, cæleſtium ſacramentorum præfigurans imaginem, purgationem peccatorum myſtici ſanguinis adſperſione præſignat. Conſiſtit coram arca fœderis, & ante teſtamenti tabulas, vrnam auream habentem manna, virgam Aaron, Cherubin, & propitiatorium, ſolenniter infulatus, vultui Dei, gloriæ maieſtatis, rerum omnium Domino vota percelebrat. Dies inſtat ſolennis, & cæteris diebus multitudini Iudæorum celebrior, Domini præcipientis atteſtatione ſublimis, planè ſpectabilis & feſtiua, in qua ſola ſoli Pōtifici licebat introire in ſancta ſanctorum, & adſpergine multiformi ſummæ diuinitatis iram refrigerare. Conuenitur vndiq; in ſanctam ciuitatem, & populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter hæc ſacra conſiſtens Archangelus: Ne timeas, inquit, Zacharia, quia naſcetur tibi filius, parētum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Euangelij principium, mortis expulſio, ianua vitæ, decus hominum, conuerſationis ſplendor, omnis iuſtitiæ principatus. Et ne diffuſiori tractatu rerum excellentiam confundamus, naſcentis & conuerſantis integritas, in libris Euangelicis pleniùs aſſignatur.

Inſignia eius epitheta.

Cap. 3. *præ dicetur

Conſidera nunciantis ſublimitatem, dignitatem loci, diei reuerentiam, & tunc intelligere poteris, quàm ſuperexcellenti gloria Iohannis Baptiſtæ genitura * prædicitur. Salua igitur reuerentia Redemptoris, quia nō derogamus Regi, ſi Regis militem honoramus, cùm ille Dominus, hic ſeruus: ille Creator, creatura iſte: digniori præmonſtratione Iohannes nunciatur, quàm Chriſtus. Chriſtus fortaſſis in thalamo, Iohannes in templo: & non ſolùm in templo, ſed etiam ante ſancta ſanctorum in inſigni die ſolennitatis eorum. Iohannes ab eodem Archangelo in loco digniori, tempore ſacratiori, apertiori miraculo prædicatur. Recole Iſaac ab Angelis nūciatum, Sampſonem per Angelum prædicatum, & vniuerſam Nazaræorum ſectam circumſpice, ſolumque Baptiſtam tam in hoc, quàm in alijs, inuenies digniorem.

Gen. 17. Iudic. 13.

Cap. 4. II. honor.

Secundus honor eſt, ſanctificatio in ventre matris. Quicunque de maſſa præuaricatrice mundum ingredimur, longam reſtem originalis peccati trahimus nobiſcum. Solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem Virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit. Longè quippe aliter & diſſimili modo conceptus eſt, Spiritu ſancto tota maieſtate Virginem inundante, atque mundante, ſuperans vſum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, vt peccatum neſciret, qui peccata tollebat, vt ſimilitudinem carnis peccati ſuſciperet, non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti ſint, neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Hieremiam, & Iohannem Baptiſtam: quanquam & de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa maternis circūſepta viſceribus, ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, vtpote ſacrarium illud, in quo Deus Dei filius carnem fuerat ſuſcepturus. Sed longè minor Hieremiæ ſanctificatio, quàm Iohannis, ille quidem in matris vtero ſanctificatus, hic Spiritu ſancto repletus fuiſſe cognoſcitur. Multò quippe excellentius eſt, Spiritu ſancto repleri, quàm ſanctificari: ibi enim ſanctificatio emundationem, hic repletio inundationem ſignificat. Deniq; & Apoſtoli, qui manibus ſuis tractauerunt de Verbo vitę, cùm Spiritum ſāctum de Saluatoris accepiſſent afflatu, vix quinquageſimo à reſurrectionis die ad illum gradū peruenire potuerunt, vt diceretur de eis: Repleti ſunt oēs Spiritu ſancto. Et licet Spiritus ſanctus largiori tunc munere credentium corda repleuerit, hoc tamen Iohannes in vtero legitur aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem largiori promiſſione meruit obtinere. Attēde, obſecro, diligenter, q̄ ordinata diſpoſitione Spiritus ille multiplex Hieremiā ſanctificat, implet Iohannem, ſuperuenit in Mariam. Et Hieremiæ quidem admirāda ſanctificatio, quia etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Antequam enim exiret de ventre, ſanctificatus eſt: nec poterat naſci non ſanctus, qui in matris vtero erat ſanctificatus. Mira res, & à retrotranſactis ſeculis inaudita, hominem conceptum in peccatis, naſci ſine peccato. Iohannē verò lōgè glorioſior virtus impleuit, qui ſanctificatus eſt à peccato, & ita dominante Spiritu ſuperfuſus, vt & purgatus exeat, & repletus. Verè magnus coram Domino, quem Angelus nunciat, ſanctificat Deus, ſanctus replet Spiritus, vita commendat.

Pſalm. 50. Ierem. 1.

1. Iohan. 1. Iohan. 20. Act. 2.

Ineffa-

Ineffabiliori autem modo ſuperuenit in Virginem, quam tota diuinitatis plenitudo ſine menſuræ diſcretione perfudit, vt totam caperet, qui fecit totum: vt non ſolùm à peccatis abluta, repleta Spiritu, ſed & de Spiritu ſancto concepiſſe credatur: quia quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Inde eſt, quòd ſingulari prærogatiua fides catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu cōfitetur, vt Deitatis & humanitatis indiuiſibilis adunata connexio, vocabulorum indifferentia deſignetur. Vides ergo, quàm remotiori priuilegio ſpecioſus forma præ filijs hominum, à filijs hominum in concipiendo diſcretus ſit? Illi etenim de peccatis & in peccatis concepti ſunt: hic in Spiritu, & de Spiritu ſancto concipitur. Hæc ſanè dicta ſint de conceptione Iohānis, nihil præiudicantia ſaniùs ſapienti. Sed etſi in aliquo ſanctorum authoritatibus videntur obuiare, volumus vt, ſine omni excuſationum vel defenſionum patrocinio ſubruantur. Matt. 1. Pſal. 44.

Tertius honor eſt, excellentia in exultatione. A ſeculo non eſt auditū, quòd exultauerit quis in vtero matris, cùm hic in gaudio exultâſſe legatur. Prorsùs obſtupēda dignatio, puerum vix conceptum, in motum exultationis erumpere, eiq; gratanter occurrere ſeruitio dulciori, quem Virginali ſubſtantiæ præſenſit infuſum. Beata anima, quæ in via peccatorum non ſtetit, ſed ſecretiori ſemita de cæleſtibus officinis egrediens, inauditæ gratulationis eſt ſortita dulcedinem. Felix Eliſabeth, ad quam Mater properat Redemptoris, quam ſalutatorijs obſequijs cælorū Imperatrix alloquitur. Sed puer multo felicior, qui ſalutantis maieſtatem agnoſcens, intra viſcerum tenebroſa volumina gaudio gaudet: quia vim tam beatæ ſalutationis attendit. Et factū eſt, inquit, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius. Aſſcendit Virgo cum feſtinatione in domum Zachariæ ad ſalutandam Eliſabeth, portans in vtero filium Dei, Regem gloriæ, Dominū maieſtatis. Occurrit Eliſabeth, & antiquæ ſterilitatis carens opprobrijs, amicum ſponſi, præconem Verbi feliciſſimo ventre deportat. Iungūtur amplexus, venitur ad oſcula, copulantur felices ventri, Regemq; & militem non niſi duo tenerrimi parietes abiungunt. Quid mirum, ſi miratur & exultat puer, * ad tactum tam proximæ diuinitatis * afflatus? Poterátne vacare à quocunq; miraculo, cui præſens aderat Regis præſentia, regnantis mater, mundi Redemptor? Quid, quòd non ſemel tam ſanctorum amplexuum fuit celebrata cōiunctio? Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, ait Euangeliſta. Tanto tempore manet cum Eliſabeth virginalis integritas, & nunc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciori Iohannem puerum conſecrat, & inſignit. Et fortaſſis vſq; in diem natiuitatis eius glorioſa Virgo cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſſimo confoueret, & vno pariete remoto propinquiorem redderet præſentiæ Creatoris. Facilè autem hoc ex Euangelij coniectura liquet, quia iam ſex menſes à conceptione Iohānis defluxerant, cùm ad Virginem Archangelus miſſus eſt, qui renouationē mundi pudori virgineo noua ſalutatione portauit. Ex hinc Virgo feſtinat ad Eliſabeth, & tribus menſibus præſentia ſua cognatæ dignatur hoſpitiū, donec noni menſis fine concluſio, natiuitas immineret Patriarchæ. Alij qui librum iuſtorum diligentioribus oculis inſpexerunt, ibi ſe vidiſſe teſtantur, quòd ipſa Dei genitrix felicem puerum primùm de terra leuârit, & cognatæ partum omni proſecuta ſit ſeruitute. Quocunque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo certum eſt, quia non parùm contulit puero naſcituro tam felix & moroſum intemeratæ genitricis hoſpitium. Cap. 5. III. Honor. Luc. 1. * à tactu. * & afflatu. Ibidem.

Quartus honor, gaudium in natiuitate. Erubeſce lucifer, qui manè oriebaris, & conatuum tuorum fruſtratus impulſibus, tandem intellige, quia in nouiſſimo dierum, tanquam perdix ſtultiſſimus remanebis. Machinationibus tuis factum eſt, vt humani generis vniuerſitas in peccatis cōciperetur, naſceretur in triſtitia. Sed ecce iſte in vtero ſanctificatur, oritur in gaudio, lætitiamq; mundo ſua natiuitate refundit. Ecce genus armaturæ, quod tibi cōſtitueras ad victoriam, Iohanni naſcitur ad coronam. Appræhende arma & ſcutum, & toto malignitatis tuæ ſpiritu debacchare: non tamē poteris irrumpere Iohannis priuilegiū, quod benigna ſcribētis manus proprio charactere cōſignauit. Multùm deceptus, multùm deluſus es. An ignoras, quia tibi vir bellator ab adoleſcentia, & etiam à matris vtero conſurgit? Neſcis quia à diebus iſtius regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? An oblitus es, quia iſte mittitur parare Domino plebem perfectam? Intuere ordinem rerum, & ab ipſis ſuæ conceptionis initijs inuenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem irrupiſſe: Tu feciſti, vt fratricida Cain, qui priùs natus eſt, pollutus & obuolutus exiret, & originalis peccati Cap. 6. IIII. honor. Geneſ. 3. Matt. 11. Luc. 1. Geneſ. 4.

reſpergeretur infamia. Hunc excepit orbis exterritus, & humani generis ſubſecuta natiuitas, ad infinitę triſtitiæ cumulum tranſmigrauit. Natiuitas autem hominis iſtius in gaudio eſt, & in ſolennitatem præclaram. Lætatur orbis, & per quatuor mundi climata circunſonat glorioſæ feſtiuitatis inſtantia, ipſis etiam cælis celebris & famoſa. Quis, putas, puer iſte erit? Amicus ſponſi, inimicus tibi, tua poteſtate potentior. Conſiderandum eſt, quanta dignitate prępolleat natiuitatis huius celebranda deuotio, quãtamque gratiam in oculis Eccleſiæ potuerit inuenire. Nullius hominis natiuitatem

Eccleſ. 7. præter ſolius Dei, eiuſq; Matris, in authoritatis arcem recepit Eccleſia, huius iſtius exceptione ſeruata. Nouit enim, quia melior eſt dies mortis die natiuitatis, & quòd ortus hominum triſtitia comitetur. Inde eſt, quòd diem mortis martyrum, non natiuitatis, ſolennizat Eccleſia, mortem eorum natalitiorum nomine nominans, quibus factus eſt de morte natalis. Tunc enim inceperunt naſci ad vitam, cùm vitam depoſuerunt pro vita. Huius verò natiuitatem ſponſa Chriſti tanto ſecuriùs beneuolentiſſima dignatione ſuſcepit, quanto ſingulariùs eam veritatis Euangelicæ irrefragabilis commendat authoritas.

Cap. 7. V. Honor. Quintus honor eſt, ſingularitas in conuerſione & conuerſatione. Intra teneritudinem annorum beatus iſte puer ad eremum Spiritu ducente deductus eſt, nec obſtitit ætatis infirmitas, quam maieſtas Domini fœcundabat. Spiritus enim ſanctus non attendit differentiam ſexuum, fragilitatem corporum, temporum annoſitatem: ſed quemcunq; & quandocunq; & quomodò vult, dignantiſſima replet benignitate. Relinquit Iohannes mundum, homines fugit, neſcit patriam, parentes aſpernatur, & in ſolius diuinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtutus. Mira rerum conuerſio, hominem vix mundum ingreſſum, mundi fugere gloriam, & ſeculi cupiditates non ſolùm obliuiſci, ſed & neſcire, perpetuumq; cum diuinitate habere conſortium. Receſſus montium, ſyluarum anfractus, & vallium ſubteriacens vaſtitas, puero Patriarchæ domicilia præbuerunt. Non opponatur mihi Hieremias, nec prædicãtis pueritiæ virtus audeat obuiare: quia ſi ille conſecratur in Prophetam, hic in pluſquàm

Matt. 11. Prophetam: & licet ille populo futura prædicet, non tamen conuerſationis humanæ declinat adſpectus. Iohannes autem ætatis ſupergreſſus infantiam, & nobilioris generis generoſitatem oblitus, ſoli vacat diuinitati, forma vitæ, monachorum propoſitũ, anachoretarum principium, totius religionis aſſertio. Et hæc quidem pro conuerſione. Porrò quanta ſublimitas in conuerſatione fuerit, non eſt currentis linguæ volubi-

Matt. 3. litatibus differendum, ſed Euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio. Iohãnes, inquit, habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius,

Matt. 11. Veſtis S. Ioannis. eſca autem eius erat locuſta, & mel ſylueſtre. Ecce qui mollibus veſtiũtur, in domibus regum ſunt. Rigida veſtis, & duriſſimis hiſpiditatibus circũtexta, rigore ſqualoriſero corpus afficit Patriarchæ, carnemq; tenerrimam immatura diſtrictio diſciplinæ feritate coarctat, teneros artus & ſacratiori Spiritu ſuperfũſos continui quaſſat longitu-

Cibus. do martyrij. Cibus autem eius qualis erat? Non quærũtur phaſiani, ſeu aliæ aues, nec per totam diſcurritur regionem, vt Patriarchalis ſtomachus impleatur. Sed erat, inquit, eſca eius locuſta, & mel ſylueſtre. Cæli rore paſcitur, & animalis viliſſimi ſatiatur eduho, nihilq; coctum accipit ieiunantis auſteritas. Caſtigato quippe ventri & diuturna maceratione diſtẽto ignota fuit varietas ferculorum, nec introiuit in os eius, quod

3. Reg. 17. gulam alliceret, ſuffarciret ventrem ſtomacho blandiretur. Elias comedit carnes, & ſi quid aliud apponitur, cum gratiarum percipit actione, nec aliquem, (niſi fallor) legimus illa veteri officina ad legis huius adſpirâſſe faſtigium. Veſtis aſpera, cibus tenuis, mens deuota profectò perfectum conſecrant Patriarcham.

Cap. 8. VI. honor. Sextus honor eſt, nouitas in prædicatione. Hic volo attentiùs attendat intentio veſtra, quia pauló ſubtiliùs ordiendum materiæ præcipit magnitudo. Poſt peccatum Adæ, & illius diluuij vaſtationem ſolennem, electa eſt iuſtorũ infinita pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuiſſe dignoſcitur. Transfertur Enoch, eligitur Noë, vocatur Abraham, Iſaac diligitur, Iacob Deum facie ad faciem contemplatur, Ioſeph vocatur mundi Saluator, nec tamen in ſermone Dei ad illos, vel illorum ad homines, fit aliqua mentio de regni cæleſtis perpetua manſione. Moyſes aſſumitur in Ducem populi Iudæorum, Pharaoni in Deum conſtituitur. Facit Deus in Aegypto magnalia, & mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Aſcendit Moyſes ad caliginem, in qua erat Deus, datur in monte multiplex præceptorum authoritas, loquitur ille cum Deo, quaſi homo ad vicinum ſuum: non eſt occultatum à Moyſe, quod facit Dominus in occulto, & glorioſum nomen Adonai, quod omnibus obuelatum

latum fuerat, reuelatur: ſed in his omnibus regni cælorum memoria nec nominatur, nec auditur. Adſtat Aaron ſummus ſacerdos, potentis virgæ geſtarius, vnctus & delibutus cæleſtium ſacramentorum vnctione: ſuccedit Ioſue, & omnis illa Iudicum multitudo, nec eſt vel vlla tenuis mentio regni cæleſtis. Inuenit Dominus Dauid virum ſecundùm cor ſuum, Salomon filium eius ſapientia cumulat ſingulari, & omnẽ illum Prophetalem chorum Spiritus ſanctus ordinat & infundit, nihilque de cæleſtis regni gloria prophetatur. Claudit Elias cælum annis tribus & menſibus ſex. Eliſæus mortuus mortuum vitæ reſtituit, & ab his nec vel vlla ſcintillula beatæ manſionis elucet. Quid plura? A principio mundi vſque ad Iohannem vniuerſitatis humanæ electionem recollige, nec in ſermone, vel opere illius ſanctuarij poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Iohannem, & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, miſericordiæ verbum, ſermonem gloriæ, gratiæ largitatem, quod celauerat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ neſcierant. Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Verbum pœnitentiæ dulce & glorioſum, verbum regni cælorum lætum & adorandum, illi ſoli primario conueniens, qui primus noui teſtamenti poſuit fundamenta. Hæc eſt illa vox, de qua maximus ille contemplator cæleſtium viſionum in hæc verba proſequitur: Et vox prima, quam audiui, tanquam citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. A diebus Adæ vſque ad Iohannem, organum noſtrum verſum eſt in vocem flentium: quia vbi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia. Occidis, occidi iuberis: ſabbato ligna colligis, lapidari iuberis: & ille, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, niſi ferire non nouit. Dederat quippe eis præcepta non bona traditor præceptorum, & iuſtificationes, in quibus viuere non poſſent. Hoc eſt, quod iuſtus miratur, dicens: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Iohannes natus oſtendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc eſt prima vox, quam vox clamantis in deſerto propoſuit, & vox turturis audita eſt in terra noſtra. Ex tunc miſit in os noſtrum canticum nouum, carmen Deo noſtro, & reſonat in ore noſtro gratiarum actio, & vox laudis: ſuperexaltatur miſericordia iudicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, iuſtitia diſſimulatur: & miſerendi, non feriendi, quærit occaſionem miſericors & miſerator Dominus. Citharizant ergo in citharis ſuis, qui voluptatum effuſionem pœnitentiæ diſtrictione reuerberant, & de profunda peccatorum voragine reſpirantes: Pharaone ſubmerſo, cantant in vijs Domini, quoniã magna eſt gloria Domini.

3.Reg.17. 4.Reg.4. Matth.3. Apoc.14. Num.15. Ezech.20. Pſalm.88. Cant.2.

Septimus honor eſt, dignitas in baptiſmate. Singularis prorſus humilitas, Verbum caro factum, & in perfectum egrediens virum, relicta hominum vniuerſitate, Iohannem quærit, Iohannem deſiderat, ad Iohannem vadit. Terribilis in conſilijs Deus ſuper filios hominum, portansq́; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, venit à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo. Stupet Iohannes, & timore concutitur, totumq́; Patriarcham infinitus horror inſiluit. Ego, inquit, à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Dicit ei Saluator: Sine modò. ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Acquieſcitur vtrinq; ſalutaribus monitis, & accingit ſe Iohannes ad baptizandum, ad ſuſcipiendum Dominum Angelorum. Exuitur veſtimentis ſuis Rex gloriæ, ſplendor luminis, & figura ſubſtantiæ Dei. Iohannis manibus attrectatur caro illa ſumpta de Virgine, candidiorique deriuata materia nudatur in flumine, felicibus Baptiſtæ manibus infundenda. Deſcendunt Angeli, & cælorum agmina tota reuerentia currunt ad Creatorem, baptizantemq́; & baptizatum dominantia numina circuncingunt. Infundit aquam capiti creatoris creatura nobilior, & Dei verticem mortalis dextera * contremit, & contingit. Pauet cælum, ſtupet terra, Iordanis arridet, mirantur Archangeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. Quid eſt Iohannes? Cherubin & Seraphin vix audent reſpicere, & tu nudum tenere præſumis? Hic eſt, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cui, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſublimi melodiarum organo beatæ ciuitatis conuentus ingeminat, qui ſolus habitat lucem inacceſſibilem, Dominus virtutum, Deus ſcientiarum, miſericordiarum Pater, & tu non metuis? Tibi datum eſt, quod omnibus eſt negatum, baptizare eum, qui baptizat in Spiritu ſancto, & igne, Virginemque Virginis filium, virgineis manibus irrorare. Totus obſtupeo, baptizantem hominemque Deum reuereor, magiſtrum dignantem admiror, vereor dignationem, & hominem video violentiam ipſis cælis inferre. Porrò illud quale eſt, quòd in iſto baptiſmate terminatur lex, finem accipit Prophetia, & omnis illa ſacrificiorum multitudo propulſatur, & pellitur?

Cap.9. VII.honor. Pſalm.65. Heb.1. Matt.3. *contrectat

tur? Hic incipit & ſtabilitur nouæ regenerationis perduranda purgatio,& in vnam baptiſmatis formam legalium tranſeunt diſpendia figurarum. Ad ablutionem enim aquæ,& inuocationem Spiritûs,ſepelitur hircorum & vitulorum ſanguinolenta congeries,& pecora pecoribus Iudæis relinquimus,illud Dauidicum attendentes: Holo- Pſalm 29. cauſtum & pro peccato non poſtulâſti.

Cap. 10. VIII. honor. Octauus honor eſt, prima reuelatio de Trinitate. A creatione cæli & terræ vſq; ad hunc locum, nunquam Trinitas hominibus manifeſtè apparuit, ſed rerum & verborum inuolucris inuoluta fuit tantæ claritatis æternitas. Denique creationem homi- Gene.1. nis Creator rerum ſumma dignitate commendans: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Reuerendum reuerà priuilegium, nec vlli traditum creaturæ. Creatur illa ſublimior numeroſitas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio, ſed omnipotentis præſentia tantum opus alta taciturnitate proſpectat. Vt verò venitur ad hominem, & nobilis creatura creari diſponitur, accingit ſe Trinitas ad creandum, & conſilium accipit ſapientia, vt creaturæ dignitas Creatoris priuilegio clara eſſe monſtretur. Nec ibi tamen ſatis apertè diuinæ maieſtatis eluxêre vocabula, cùm ad Angelos obſequentes quidam referant diuini ſermonis oraculum, vel, ſi minùs hoc cautum eſt, ſignata pluralitas abſque nominum differentia prædicetur: Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Sed & ibi ſcriptu- Gene.18. ræ ſacræ reuerentia nunc mixtim, nunc ſeparatim claudit eloquium, vt modò Dominum, modò viros placeat nominare. Iudęi tamen longam hic texunt reprehenſionis parabolam, tres Angelos à Domino miſſos aſſeuerantes, vnum ad natiuitatem Iſaac prædicendam, duos ad Sodomam ſubuertendam. Illum enim, cum quo locutus eſt iuſtus, dicens: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis: prophetali ſpiritu ſomniant cognouiſſe, natiuitatis Iſaac aduenisſe præconem. Illum adorat Abraham, ſicut Berſa- 3.Reg.1. bee Dauid Regem, ſocijſque eius propter ipſius reuerentiam indefeſſus aſſiſtit. Vnde & non niſi duo in ſubuerſione ciuitatum infelicium numerantur, illo ſuperiori iam reuerſo, qui natiuitatem Iſaac fideli deuotione compleuerat. Tres enim viri Saram vocari præcipiunt, ſed vnus eſt, qui promiſſionis inſperatæ manifeſtat arcanum. Hæc Iudæi, & qui magis elegerunt iudaizare, quàm credere. Sed vt breuiter concludamus, omnis illa ſiue Patriarcharum, ſeu Prophetantium copulata ſocietas, nullam vel in ſermonibus, vel in rebus de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto reperitur apertè feciſſe mentionem. Veni ergo, & intuere filium Zachariæ, Deum & hominem proprijs manibus continentem, & vide quia cæli aperiuntur ibi, & deſcendit Spiritus ſanctus cor- Matt.3. porali ſpecie ſicut columba in Chriſtum, & vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus. Vides quia ad ſacratiſſimorum nominum nouitatem cælorum palatia reſerantur? Pater auditur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie demonſtratur. Adeſt Iohannes totius medius Trinitatis, glorioſumque Baptiſtam ſanctificat indiuiſæ ſubſtantiæ perſonata vocabula, & nomen Trinitatis, prioribus ſeculis obuelatum, abſque totius velaminis obumbratione relucet. Domine, qs eſt iſte, quia innotuiſti ei?

Cap.11. IX. honor. Matt.11. Nonus honor eſt, teſtimonium veritatis. Cùm audiſſet Iohannes in vinculis opera Chriſti, miſit ad eum diſcipulos ſuos, & reſponſum eſt eis: Cæci vident, & cætera, quæ veritatis Euangelicę proſequitur copioſa narratio. Recedentibus autem nuncijs, ne fortè in eorum præſentia adulationem redolere videretur, cœpit Ieſus dicere ad tur- Chriſtus vt Iohannem commendârit. bas de Iohanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? O mira teſtificatio Redemptoris. Quis ingreſſus eſt mundum, & mundum vel in aliquo nó cognouit? Quis eſt, quem vel ventoſa felicas, vel aduerſitas turbida, vel cuiuſlibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum ſubinfertur quòd terram excedat, tranſeat cælum, ipſumque verticem Angelicæ dignitatis attingat. Inter natos, inquit, mulierum non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta. Quid vis ampliùs? De nullo alio dici potuit (dicit Auguſtinus) quod dictum eſt de Iohanne. Non opponas mihi Euangeliſtã, inter cæteros Apoſtolos magis dilectum, non Apoſtolorum principem, omnibus Apoſtolis antelatum: non vas electionis, ad cæli tertij ſecreta tranſlatum, nec Apoſtolicus ſplendor audeat occurrere Præcurſori, quia iam omnes iſti adoleſcẽtiæ metas exceſſerant, cùm à veritate prolatum eſt: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta. Conſidera manſiones regni, & vniuerſum ordinem humanæ generationis obambula, ſolumque Iohannem tam nouis quàm veteribus videbis eſſe prępoſitum, vel æquatum: tamen ſuper omnia benedictus Deus.

Cap.12. X. honor. Decimus honor eſt, aſſertio matris Eccleſiæ. Texitur ora chlamydis, vnguentumq; profu-

profuſum in capite, extremam quoq; veſtimenti fimbriam inundanter infundit. Illa enim mater, & magiſtra omnium Eccleſiarum Eccleſia Romana, cui dictum eſt: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: in honore Iohannis Baptiſtæ poſt Saluatoris nomen conſecrata eſt, & ſignata. Dignum nanque erat, vt ſententiam ſponſi ſpōſę ſequeretur authoritas, & ſingularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipſa conſcendit. Electio proculdubiò ſingularis, in illa ipſa vrbe Iohānem primatum Eccleſiæ vendicare, quam duo cœli luminaria morte clariſſima conſecrârunt. Crucifigitur Petrus, Paulus obtruncatur, dignitas remanet Præcurſori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque ſublimitas beato refunditur Patriarchæ. Iohannes vbique maior, in omnibus ſingularis, mirabilis ſuper omnes. Quis ſic glorioſè annunciatus eſt? Quis ita ſpecialiter in matris vtero Spiritu ſancto legitur fuiſſe repletus? Quem legiſtis intra matris vterum exultâſſe? Cuius natiuitatem vidiſtis celebrare Eccleſiam Dei? Quis ſic puer eremum concupiuit? Quis ita legitur ſublimiter conuerſatus? Quis pœnitentiam & regnum cælorum primus oſtendit? Quis baptizauit Regem gloriæ? Cui ſe primùm Trinitas reuelauit? Cui tale teſtimonium perhibuit Deus? Quē ſic honorauit Eccleſia? Vide, ſi non hæc omnia ita ſingulariter ſunt huic ſingularia, vt nullus mortalium prædictis dignitatibus audeat inhiare. Luc.22.

Forſitan mihi diſponis opponere, quia ſic iſta habet propria, vt cætera ſanctorum communia non attingat. Audi ergo: Iohannes Patriarcha, immò Patriarcharum finis & caput. Iohannes Propheta, immò plùs quàm Propheta, quia quem venientem nunciat, digito demōſtrat. Iohannes Angelus, ſed & inter Angelos electus, Saluatore teſtāte, qui dicit: Ecce mitto Angelum meū, qui præparabit viam ante faciem meam. Iohannes Apoſtolus, ſed & Apoſtolorum primus, & princeps, quia fuit homo miſſus à Deo. Iohannes Euangeliſta, ſed & Euangelij primus inciſor prædicans Euangelium regni? Iohannes virgo, immò virginitatis inſigne, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum. Iohannes martyr, ſed & martyrum lumen, inter natiuitatem, mortemq; Chriſti conſtantiſſimi forma martyrij. Præterea quia vox clamantis in deſerto, quia Præco Verbi, quòd Iudicis Præcurſor. Illud quoque relinquo, quia vſq; ad Iohannem lex & Prophetæ, quia Iohannes ipſe eſt Elias, quòd lucerna ſit ardens & lucens, quòd amicus ſponſi, ſpōſæ præparator. Silentio tranſeo, quòd ſic nouem Angelorum ordinib' inſertus eſt, vt etiam ad Seraphin apicem transferatur. Verùm hoc adeò laborioſi operis eſt, vt ſensûs noſtri paupertas non ſufficiat. Sufficiant hæc ad præſens, quæ dicta ſunt de laude Iohannis ad gloriam Redemptoris, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap.13. Epitheta S. Iohannis. Iohan.1. Matt.11. Ibidem.

VITA ROMVLAE VIRGINIS, PER D. GREGORIVM PAPAM DESCRIPTA, HO- *milia XL. in Euangelia.*

QVOTIESCVNQVE aliquos in hoc mundo abiectos adſpicitis, fratres chariſſimi, etiamſi qua repræhenſibilia eorum eſſe videantur, nolite deſpicere: quia fortaſſe quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Quorum ſi qua ſunt talia, quæ debeant iure repræhendi, hæc ſi vultis, ad vſum veſtræ mercedis inflectitis, vt ex ipſis eorum vitijs cumulentur vobis incrementa pietatis, quatenus panem pariter detis & verbum, panem refectionis cum verbo correptionis, & duo à vobis alimenta percipiat, qui vnum quærebat: dum exteriùs cibo, & interiùs ſatiatur eloquio. Pauper ergo cùm repræhenſibilis cernitur, moneri debet, & deſpici non debet. Si verò repræhenſionis nil habet, venerari ſummoperè ſicut interceſſor debet. Sed ecce multos cernimus, quis cuius ſit meriti, neſcimus. Omnes ergo venerandi ſunt, tantoque neceſſe eſt vt omnibus te humiliare debeas, quanto, quis ſit Chriſtus, ignoras. Rem fratres refero, quam benè is qui præſtò eſt, frater & compreſbyter meus Specioſus, nouit. Eodem tempore quo monaſterium petij, anus quædam, Redempta nomine, in ſanctimoniali habitu conſtituta, in vrbe hac iuxta beatæ Mariæ ſemper virginis eccleſiam manebat. Hæc illius Herundinis diſcipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, ſuper Præneſtinos montes vitam eremi-

Iunij 24. Pauperes nō contēnendi. Redempta ſanctimonialis.

ticam duxiſſe ferebatur. Huic duæ in eodem habitu diſcipulæ adhærebant, vna nomine Romula, & altera, quæ nunc adhuc ſupereſt, quam quidem facie ſcio, ſed nomine neſcio. Tres itaq; hę in vno habitaculo commorantes, morum quidem diuitijs plenã, ſed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem quam præfatus ſum, Romula aliam, quam prædixi, condiſcipulam ſuam, magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ, ſummæ obedientiæ, cuſtos oris ſui, ad ſilentium ſtudioſa valdè & ad continuæ orationis vſum. Sed plerunq; hi, quos iam perfectos homines æſtimant, adhuc in oculis ſummi opificis aliquid imperfectionis habent: ſicut ſępè imperiti homines necdum perfectè ſculpta ſigilla conſpicimus, & iam quaſi perfecta laudamus, quę adhuc artifex conſiderat & limat: laudari iã audit, & tamen ea tũdere meliorando nõ deſinit: Hæc, quam prædiximus, Romula, ea, quam Græco vocabulo paralyſin medici vocant, moleſtia corporali percuſſa eſt, multiſq; annis in lectulo decumbens, penè omnium iacebat membrorum officio deſtituta, nec tamen hæc eadem eius mentem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam ipſa ei detrimenta membrorũ, facta fuerant incrementa virtutum: quia tanto ſolicitiùs ad vſum orationis excreuerat, quãto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte igitur quadam eandem Redemptam, quam præfatus ſum, (quæ vtraſque diſcipulas ſuas filiarum loco nutrierat) vocauit, dicens: Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia eius condiſcipula ſurrexit, ſicut vtriſque referentibus, & multis res eadem claruit & ego quoque in eodem tempore audiui. Cumque noctis medio lectulo iacentis aſſiſterẽt, ſubitò cælitùs lux emiſſa, omne illius cellulæ ſpatium impleuit, & ſplendor tantæ claritatis emicuit, vt corda aſſiſtentium inæſtimabili pauore perſtringeret atq; (vt pòſt ipſę referebant) omne in eis corpus obrigeſceret, & in ſtupore ſubito remanerent. Cœpit nanque quaſi cuiuſdã magnæ multitudinis ingredientis ſonitus audiri, oſtium cellulæ concuti, ac ſi ingredientium turba premeretur, atque (vt dicebant) intrantium multitudinem ſentiebant, ſed nimietate timoris & luminis nil videre poterant, quia earum oculos & pauor depreſſerat, & ipſa tãti luminis claritas reuerberabat. Quam lucem protinus miri odoris eſt fragrantia ſubſecuta, ita vt earum animum, quia lux emiſſa terruerat, odoris ſuauitas refoueret. Sed cùm vim claritatis illius ferre non poſſent, cœpit eadem Romula aſſiſtentem & trementem Redemptam ſuorum morum magiſtram, blanda voce conſolari, dicens: Noli timere mater, non morior modò. Cumq; hoc crebrò diceret, paulatim lux, quæ fuerat emiſſa, ſubtracta eſt: ſed is, qui ſubſecutus eſt, odor remanſit: ſicq; dies ſecundus & tertius tranſijt, vt adſperſa fragrantia odoris remaneret. Nocte igitur quarta eandem magiſtram ſuam vocauit: qua veniente, viaticum petijt, & accepit. Necdum verò eadem Redempta vel alia eius diſcipula à lectulo iacentis diſceſſerat; & ecce ſubitò in platea ante cellulæ eiuſdem oſtium duo chori pſallentium conſtiterunt. & ſicut ſe dicebant ſexus ex vocibus diſcreuiſſe, pſalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ reſpondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cæleſtes exequiæ, ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Qua ad cælum ducta, quanto chori pſallentiũ altiùs aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia leuiùs audiri, quouſq; & eiuſdem pſalmodiæ ſonitus, & odoris ſuauitas elongata finiretur. Hæc igitur quandiù vixerat in corpore, quis illam haberet in honore? Indigna cunctis hominibꝰ & deſpecta videbatur. Quis enim ad illam accedere, quis illam videre dignaretur? Sed latebat in ſterquilinio margarita Dei. Sterquilinium, fratres, hanc ipſam corruptibilitatem corporis appello: ſterquilinium, abiectionem paupertatis nomino. Aſſumpta eſt ergo margarita, quæ iacebat in ſterquilinio, & poſita eſt in cæleſtis regis ornamento. Iam inter ſupernos ciues emicat, iam inter ignitos lapides æterni diadematis coruſcat.

Romulæ præclaræ virtutes.

Lux cælitùs ſpargitur in Romulæ cellulam.

Item odor ſuauiſsimꝰ.

Eucharistiã accipit ſub mortem.

Abit in cælum.

O vos, qui in hoc mundo vos diuites aut eſſe creditis, aut eſtis, conferte, ſi poteſtis, falſas veſtras diuitias veris diuitijs Romulæ. Vos in huius mundi via omnia amiſſuri poſſidetis: illa nil quæſiuit in itinere, & omnia inuenit in peruentione. Vos lætam vitam ducitis, triſtem mortem timetis: illa triſtem vitam pertulit, ad lætam mortem peruenit. Vos ad tempus quæritis obſequia hominum: illa deſpecta ab hominibus, inuenit ſocios choros angelorum. Diſcite ergo fratres temporalia cuncta deſpicere, diſcite honorem temporalem contemnere, æternam gloriam amare. Honorate quos pauperes cernitis, & quos foris conſpicitis deſpectos ſeculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, vt quandoq; dignentur vobiſcum participare, quod habent. Penſate quod ore magiſtri gentium dicitur: In hoc tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Penſate quod ipſa per ſe veritas dicit: Quandiù feciſtis vni de his

Pauperes honorandi.

2. Cor. 8.

Matt. 25.

his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Ad tribuendum ergo pigri cur eſtis, quando hoc, quod iacenti in terra porrigitis, ſedenti in cælo datis? Sed hæc omnipotens Deus, qui per me in veſtris auribus loquitur, per ſe in veſtris mentibus loquatur: Qui viuit & regnat cum patre in vnitate Spiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

VITA SANCTI LVPICINI RECLVSI, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, LIB. *de vita Patrum. Cap.* 13.

ATHLETAE Chriſti atque triumphatores mundi, vitæ iſtius fugitiuæ iacturam facere cupientes, pertendere ad illam vitam voluerunt, quæ in exultatione perpetua manet, quæ nullo gemitu obſtrepit, nec vllo fine concluditur: cuius lumen nunquam extinguitur, cuius ſerenitas nulla obſcuritate nubis obtegitur. Ideoque ſemper præſentium dolorum contumelias pro nihilo habuerunt, ſcientes ſe in paucis vexatos, in multis benè diſponẽdos. Et ob hoc quiſquis ille eſt, qui in iſto agone contendit, metu non terretur, pœna non ſoluitur, dolore non frangitur, vt tantùm illa ęternę iucunditatis amœnitate cum electis Dei pertrui mereatur: ſicut multos feciſſe nouim⁹ de ſanctis viris, quorum nũc vita tractatur aut legitur. Iunij 24. Sap. 3.

Igitur Lupicinus quidam magnæ vir ſanctitatis, fortiſſimusque in operibus Dei, qui primùm eleemoſynas per domos deuotorum depoſcens, quæcunque acquirere potuiſſet, ſibi ſimilibus erogabat: ad extremum iam mediam habens ætatem, ad vicum Berberenſem, qui nunc Lipidiaco dicitur, veniens, parietes antiquos reperit, ibique reclusus, ab omnium ſe hominum adſpectibus inhibebat, ac per modicam feneſtellam parumper panis vel aquæ accipiens, quod ei aliquoties, etſi eſſet valdè exiguum, vſque ad diem tertium perdurabat. Aqua enim per canalem paruulum inferebatur: feneſtella verò velo operiebatur, ac vtriusque aditus ita obtectus erat, vt nullus beatum eius vultum poſſet aduertere. Et dum ibidem die noctuque in Dei laude pſalmorum modulis delectatur, tormentum ſibi, quod corpuſculum plùs grauaret, adhibuit, non immemor verborum Apoſtoli: Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Lapidem nanque grandem, quem duo homines vix leuare potuerunt, ceruici impoſitum, tota die, dum Deo caneret, per cellulam deportabat. Nocte autem ad additamentum iniuriæ, in virga, quam manu gerebat, duas defixerat ſudes, deſuper acumina parans, quæ ad mentum ſuum, ne ſomnum caperet, ſupponebat. Denique ad extremum vitæ tempus, corrupto pectore à pondere ſaxi, ſanguinem per os eijcere cœpit: quem per parietes præfatos proijciens ſpuebat. Plerunque autem fidelibus viris nocte ad cellulam clàm appropinquantibus, quaſi vox multorum pſallentium reſonabat. Sed & multos infirmos, & præſertim ab acceſſionibus frigoriticis, vel puſtulis malis oppreſſos, tactu tantùm, vel ſigno ſalutari impoſito, ſanitati reſtituebat. Mira S. Lupicini abſtinentia. Rom. 8. Nota rigorem. Solo tactu vel ſigno Crucis pellit morbos.

Cùm autem iam ſenio inclinatus eſſet, vocauit miniſtrum ſuum, dicens: Præteritũ tempus occulendi fuit, manifeſtandi nunc tempus aduenit: ſcito ergo me poſt triduũ ab hoc ſeculo liberandum. Voca ergo nunc fideles quoſque fratres & filios, quibus ſum vale dicturus, vt veniant ad nos viſitandum. Illuceſcẽte autem die tertia, confluẽtibus fratribus, oſtium, quod clauſum erat, aperuit, atq; ingredientibus cunctis, qui aderant, conſalutatis deoſculatiſque, orationem fudit ad Dominum, dicens: Gratias tibi ago, Domine Ieſu Chriſte, qui me ſaluari iuſſiſti ab huius mundi impedimentis, & ita me fouere dignatus es in hoc ſeculo, vt nihil ſuum in me author criminis inueniret. Et conuerſus ad plebem, ait: Magnificate, quæſo, dilectiſſimi, Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in cõmune, qui me erectum de ſtercore, erutum de tenebrarũ opere, amicorum ſuorum fecit eſſe cõſortem: qui miſit Angelum ſuum ad me accerſendum ab hac mundana ſtatione, & pollicitus eſt me in requiem ſempiternã perducere, vt collega amicis eius effectus, mererer regno eius adſcribi. O beatum virum, qui ita conſolari meruit in hoc corpore, vt priùs cognoſceret, quo erat fruiturus in cælo,

quam migraret à ſeculo: meruitque hic obtinere apud diuinam potẽtiam, quod Dauid ſæpiùs decantabat: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt ſciam quid deſit mihi. Dehinc humo incumbens, ſpiritum cælo intentum præmiſit ad Dominum.

Pſalm. 38. *Migrat ad Dominum.*

Tunc omnes in fletu proſtrati, alij plantas oſculantur, alij fimbrias veſtimenti diripiunt, alij de pariete beatum ſanguinem, qui ab eius ore fuerat proiectus, inter ſe certantes excudunt. Miſerum ſe quiſque dicebat, ſi immunis ab eius pignoribus diſceſſiſſet. Teſtis eſt hodiè quoque & ipſe paries, qui tot foſſulis patet, quot ab ore beati confeſſoris ſputos emeruit. Teſtis eſt & ipſe canalis, de quo vir beatus aquam ſumpſit ad vſus, quem fideliter oſculantes, hauriunt ſanitatem. Iam vidi ego multos, qui euulſos à pariete ſacrati oris ſputos, in diuerſis infirmitatibus ponentes, meruerunt accipere medicinam.

Nota de ſputo ſácti viri.

Denique hoc, vt diximus, defuncto, affuit quædam matrona, quæ ablutum dignis induit veſtimentis: & cùm eum ad vicum Tranſaliacenſem inferre vellet, reſtitit ei populus pagi Lipidiacenſis, dicens: Noſtrum hunc ſolum fouit, nobis corporis eius gleba debetur. Matrona autem reſpondebat ad hæc: Si aliqua de victûs eius exprobratis neceſſitate, ſæpiùs ei ego & triticum miſi, & hordeum, quod vel ille ſumeret, vel alijs miniſtraret. At illi dicebant: Noſtri generis homo effectus eſt, noſtri fluminis aquas hauſit, noſtra eum terra cęlo tranſmiſit. Aequúmne ergo eſt, vt tu de terra aliena veniens, rapias eum de manu noſtra? Noueris autem, quia non hoc ſuſtinebit quiſquam noſtrûm: ſed hic ſepelietur. Matrona reſpondit: Si germen ſtirpis eius inquiritis, ex alijs hic regionibus aduentauit: ſi aquas fluminis ingeritis, parùm ſitim eius mollierunt, quam potiùs è cælo manans fons ille reſtinxit. Cùmque hæc & huiuſcemodi inter ſe verba proferrent, & Lipidiacenſes effoſſa humo, & depoſito ſarcophago, eum ſepelire niterentur, conuocatis matrona auxilijs, fugatis pagenſibus, rapuit ſanctum corpus ac ferre cœpit in feretro ad vicum Tranſaliacenſem, diſpoſitis in itinere pſallentium turmis cum Crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis. Quod illi cernentes, pœnitentia moti, miſerunt poſt matronam, dicentes: peccauimus reſiſtendo tibi, profectò enim cognoſcimus in hoc eſſe Domini voluntatem. Nunc autem petimus, vt nõ abijciamur ab huius funeris obſequijs, ſed admittamur officijs eius. Illa verò permittente, vt ſequerentur, coniunctus eſt vterque populus: & ſic pariter vſque ad Tranſaliacenſem vicum venientes, celebratis Miſſis, beatum corpus cum ſummo honore gaudioque ſepelierunt. In quo vico ſæpiùs ſe beatiſſimus in virtutibus declarauit. Sed & Lipidiaco plerunque opus eius ſanctum oſtenditur. Vterque enim locus vnius ſancti præſidijs communitur. Fortaſſis autem quorundam incredulorum latratus ad hæc conatur obſtrepere: ſed nouerit à me viſum Deodatum Preſbyterum ſummam octogenarij æui ferentem, qui mihi hæc vt ſcripta ſunt, contulit, confirmãs ſacramento, nihil ſe de his admixto mendacio enarrâſſe.

Vide priſcorũ Chriſtianorum ſtudium erga ſacras reliquias.

Nota antiquũ ſepeliẽdi ritum.

VITA BREVIS S. SIMPLICII EPISCOPI AVGVSTVDVNEN. EX GREGORIO TVRONEN. LIB. *de Confeſſorum gloria, Cap. 76. & 77.*

Iunij 24.

DECEDENTE (Egemonio) beatus Simplicius eccleſiæ ipſi (Auguſtudunenſi) præponitur. Fuit autem de ſtirpe nobili, valdè diues in opibus ſeculi, nobiliſſimæ coniugi ſociatus. His fuit caſtiſſima, obtegẽte ſeculo, vita, ſoli Deo cognita, mortalibus autem ignota. Erant etiam ambo iuſti, & in eleemoſynarum ſemina ac vigiliarum toleran tiã promptiſſimi. Intereà propter illam, vt diximus, ſeculi dignitatẽ Simplicius decedente Egemonio à populis eligitur, ſed à Deo pro caſtitatis et ſanctitatis gloria deſtinatur. Accepto quoq; pontificatûs ordine, beata ſoror, quæ priùs fuerat nõ libidine, ſed caſtitate viro coniuncta, non paſſa eſt à ſtratu põtificis ſubmoueri: ſed in illa puritatis caſtitate, qua priùs, viri caſtiſſimi torũ adibat, ſecura de conſciẽtia mentis ſanctæ, ſciens ſe vri non poſſe ab incentiui ignis ardore. Sed ſæua dæmonis inuidia cõtra ſanctos Dei probroſa excitat bella, & q̃ inſtinctu

Simplicius continẽter viuit cũ vxore virgine.

inſtinctu ſuo deſtruere non potuit, nititur verbis ſubdolis infamare. Quid plura? In illo Dominici natalis die commouentur ciues in ſcandalum, & ad beatam virginem rapido curſu concurrunt, dicentes: Incredibile eſt, mulierem viro iunctam, pollui nõ poſſe: ſed nec vir poterit artubus mulieris iunctus, à coitu abſtinere. Sic etenim Salomonis Prouerbia proferunt: Nemo, ait, tangens picem, mundus poterit eſſe. Neque enim in ſinu ignem quis geſtans, non cremabitur. Ergo videmus vos vno in toro recumbere, & ſuſpicari aliud non poſſumus, niſi quòd miſceamini ſimul. His commota virgo ſanctiſſima, aggreditur pontificem ſimili caſtitate pollentem, replicatiſque coram omni populo ſermonibus, quos audierat, (Arculam puella tunc plenam, vt aſſolet pro iniuria hyemis, cum carbonibus retinebat) vocat puellam, expanſoque pallio prunas ardentes ſuſcipit, & ferè horæ vnius ſpatio tenens, ſacerdotem euocat, dicens: Accipe mitiorem ſolito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum, vt oſtendant in nobis hæ flammæ extinctas flammas eſſe luxuriæ. Suſcipiente verò pontifice, nihil nocitum eſt velamen eius ab igne. Hoc miraculo populus, qui erat tunc incredul⁹, credidit Deo, & inter ſeptem dies ampliùs quàm mille homines, ſacri innouatione lauacri ſunt renati. Quos ſuſcipiens Eccleſia gaudens, cæleſti regno per hos milites copulauit.

Ex hoc populi ſcãdalo aduertis, nõ licere Epiſcopis habere vxorem. Eccl. 13. Prouer. c.

Ferunt etiam in hac vrbe ſimulacrum fuiſſe Berecynthiæ, ſicut ſancti martyris Symphoriani paſſionis declarat hiſtoria. Hanc cùm in Carpento pro ſaluatione agrorum ac vinearum ſuarum, miſero gentilitatis more deferrẽt, adfuit ſupradictus Simplicius Epiſcopus, haud procùl adſpiciens cantantes atque pſallentes ante hoc ſimulacrum, gemitumque pro ſtultitia plebis ad Deum emittens, ait: Illumina, quæſo, Domine, oculos huius populi, vt cognoſcat, quia ſimulacrum Berecynthiæ nihil eſt. & facto ſigno Crucis contra, protinus ſimulacrum in terram ruit, ac defixa ſolo animalia, quæ plauſtrum, quo hoc vehebatur, trahebant, moueri non poterant. Stupet vulgus innumerum, & deam læſam omnis caterua conclamat: immolantur victimę, animalia verberantur, ſed moueri non poſſunt. Tunc quadringenti de illa ſtulta multitudine aiunt ad inuicem: Si virtus eſt vlla deitatis, erigatur ſpontè, iubeatque boues, qui telluri ſunt ſtabiliti, procedere. Certè ſi moueri nequit, manifeſtum eſt, nihil eſſe diuinitatis in ea. Tunc accedentes & immolantes vnum de pecoribus, cùm viderent deam ſuam nullatenus poſſe moueri, relicto gentilitatis errore, inquiſitoque antiſtite loci, conuerſi ad vnitatem Eccleſiæ, cognoſcentes veri Dei magnitudinem, ſancto ſunt baptiſmate conſecrati.

Cap. 77. Dea Berecynthia apud Gallos.

Libet his adiungere eiuſdem libri caput 78. ex quo perſpicuè poßit animaduerti, Epiſcopis non licere etiam cum vxoribus ſuis rem habere, idque in Eccleſia ſemper eſſe accuratè obſeruatum.

Sed quoniam ſuperiore capitulo expoſuimus, qualiter caſtitas diligentes Deum ornauerit, venit in memoriam, quæ Felicem Nanneticum referentem, dum de his cõfabularemur, audiui. Aiebat enim fuiſſe antiſtitẽ in ciuitate ſua cũ coniuge: ſed cùm ad honorẽ ſacerdotij acceſſiſſet, lectulum iuxta ordinem inſtitutionis Catholicæ ſequeſtrauit: quod mulier valdè moleſtè tulit. Cumque diebus ſingulis cum eo ageret, vt in eodem ſtratu quieſcerent, nec acquieſceret pontifex rem tam improbam aggredi, quam Canonum decreta non admittebant, quadam die accenſa furore, ait intra ſe: Non puto eſſe abſque aliqua conſciẽtia viri mei, quòd ab amplexu eius taliter ſum repulſa: ſed ibo & videbo, ne fortè alia mulier cum eo decumbat, pro cuius me amore deſpiciat, & ſtatim adfuit in cubiculum Epiſcopi, inuenitque eum poſt meridiem dormientem, accedenſque ante lectulum eius, vidit agnum immenſæ claritatis ſuper pectus eius quieſcentem. Tunc timore perterrita, velociter ſe à lectulo ſancti remouit: nec adiecit vltrà quærere, quid vir Deo plenus ageret in occultis: ſed cognouit manifeſtiſſimè illud cum ſeruis Dei impleri, quod ipſe Dominus ſuis fidelibus eſt polliceri dignatus, dicens: Ecce enim vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

Cap. 78. Nota inſtitutionis Catholicæ. Matt. 28.

VITA

VITA S. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS, AVTHORE IOHANNE ANTONIO *Flaminio Imolenſi.*

Iunij 25.
Cap. 1.

BEATVS Proſper Regienſis Epiſcopus, vir quidem multiplici doctrina & ſanctitate inſignis, ex qua vrbe quibúſue parentibus ortus fuerit, non ſatis compertum habem⁹. Illud ſatis conſtat, Aquitanum fuiſſe: qui cùm adhuc in patria eſſet, mira iecit futuræ ſanctitatis fundamenta, futurus aliquando in Eccleſia Dei præfulgens longè lateq; lucerna. Cùm autem ſacræ ſcripturæ aſſiduus ac diligens lector eſſet, ac frequenter Euangeliſtarum libros in manib⁹ haberet, diuinitùs ei oblatus eſt locus ille, vbi Chriſtus quẽdam admonet, dicens: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.

Matt. 19.

Igitur diuini conſilij non ſurd⁹ aut ſegnis auditor, ad eam ſe ratus perfectionem vocari, cœpit continuò, vt fidelis Domini ſui diſpenſator bonorum, quæ poſſidebat, inter pauperes Chriſti ſuas facultates diſtribuere: vt rerum terrenarum ſarcina leuatus, expeditus ac liber Chriſtum ſe vocantem ſequeretur, ac illi ſoli vacaret: ſeruis etiam & ancillis libertate donatis, Romam ſe contulit, vt celebrem in toto orbe principum Apoſtolorum ædem viſeret. Romanam tunc Eccleſiam ſanctiſſimus ac facundiſſimus Pontifex Leo primus adminiſtrabat: ad quem mox tanti viri aduentûs fama eſt perlata: cuius vidẽdi miro deſiderio tactus, non priùs deſtitit, quàm illum in ſuum hoſpitium attraxit. Quanta verò charitate illum ſuſceperit, & quanto ſit affectus gaudio, vbi ſe talẽ eſſe nactum hoſpitem vidit, dici nunquã poſſet: nec aliter quidem gauiſus eſt, quàm ex aduentu Pauli Petrum eſſe lætatum legimus.

Res ſuas pauperibus elargitur.

Cap. 2.

Videbat enim inter cætera, quæ ſuam lætitiam cumulabant, magnum ſibi tempore maximè opportuno adiutorem à Deo miſſum, inualeſcente quotidiè magis diuerſis in locis, præcipueque in * Chalcedonenſi vrbe, Neſtoriana & Eutychiana hæreſi, quæ vnam tantùm in Chriſto naturam aſſerebat. Ad quam euertendam beatum Proſperum cum multis alijs Romanæ Eccleſiæ præſulibus miſit, qui ſecundùm ſanctionem catholicæ fidei, promulgatam in Synodo Nicena, ſanctam Trinitatem aſſeruerunt, & in Chriſto Deo vero, ante Luciferum ex patre genito, & homine ſimul in fine ſeculorum de immaculata Virgine nato, duas eſſe naturas, certiſſimis approbationibus aſſerentes, antedictas hæreſes ſuſtulerunt, atque earum authores Eutychen & Neſtorium iuxta chirographum, tunc ad Martianum Imperatorem miſſum vnanimiter damnârunt. Cùm autem, victus eiuſdem Pontificis precibus aliquandiù ibidem commoratus eſſet, & miſſis ad diuerſas eccleſias epiſtolis, multas hæreſes contriuiſſet, Pontifex ſupernè admonitus, Regienſi eccleſiæ valdè reluctantem, quod ſe tanto imparem oneri diceret, præfecit. Cæleſti autem beatus Proſper victus imperio, ad eccleſiam ſibi creditam iter ingreſſus eſt. Ad quam dum tenderet, iam Epiſcopus illius ſenio confectus, & graui morbo correptus, diem ſuum obierat. Ingenti igitur mœrore ob amiſſum antiſtitem optimum ciuitas affecta eſt. Tunc ſacerdos quidam, vitæ admodùm probatæ & omnibus venerabilis, cælitùs admonitus, omnem illam triſtitiam depulit, aſſerens nouum aduentare antiſtitem, à Deo electum, & ab eius Vicario ad regendam Regienſem eccleſiam ab vrbe Roma miſſum, & mox adfuturum. Quibus auditis, populus & Clerus omnem mœrorem depoſuit, & miro cum deſiderio illius aduentum præſtolabantur. Quotidiè autem magis vulgata de ſanctitate noui præſulis fama creſcebat. Vbi verò factus eſt vrbi vicinior, in occurſum illius tota ciuitas effuſa eſt, & cum incredibili gaudio ſanctum antiſtitem ſuum lætis acclamationibus ſuſcepit. In epiſcopali deinde cathedra collocatus, vt iam populo ſuo & commiſſo ſibi gregi lucerna ſuper cãdelabro eſſe inciperet, huiuſmodi orationem habuit:

for. * Conſtantinopolitana

Pſalm. 109.

Fit Regienſis Epiſcop⁹

Cap. 3.
Oratio eius ad Regienſes.

Video, fratres chariſſimi, quantum meis imbecillibus humeris onus impoſitum ſit. Neque enim maior, quàm animarum cura demandari cuiquam poteſt. Quod quidem onus eo certè grauius eſt, quo qui regendi ſunt, maiora & paucis conceſſa expectant. Iudicijs enim eiuſmodi & concitatis ſuî opinionibus, reſpõdere difficilimum eſt.

eſt. Videre videor, quid expectetis, & quid de me vobis polliceamini. Quare dandam mihi enixè operam intelligo, ne quid a me prætermittatur, quod ad verum animarũ paſtorem pertineat. Verùm quia ſcio, quanto fiat leuior ſarcina, quam plurium colla ſuſtentant, mecum hoc, filij, onus diuidite, & ſanctum onus partimini. Quod erit facile, ſi veſtræ ſalutis, ſi mandatorum Dei memores, mutuam charitatem amplexabimini, de qua, velut de vberrimo fonte, mirificè virtutes emanabũt, ſcilicet, humilitas, proximi dilectio, pax certa & animorum concordia: quibus quidem bonis ſi non carebitis, ſicut carere vos minimè decet, nuſquam à vobis Chriſtus aberit, & proſperè vobis omnia cedere videbitis. Hoc erit, quod modò dixi, quodq; inprimis opto, mecũ onus diuidere. faciliora enim ſic mihi & leuiora fient omnia. Nihil enim tam durum ac tam laborioſum regẽti eſt, quàm in peruerſa hominum incidere ingenia: quæ quo longiùs à recti ſemita abiẽrint, hoc difficiliùs à facinoribus & improbitate ſua retrahuntur. Subditorum virtutes ac vitia, aut ſuauem, aut duram faciunt regentis adminiſtrationem. Vos quidem dilectiſsimi, populus Dei & oues paſcuæ illius eſtis. Quarè ſi tales eritis, quales vos maximè futuros ſpero & opto, ceſſura vobis & mihi feliciter omnia, præſente Deo, minimè dubito. Vt autem tales eſſe poſſitis, Deum vobis in rebus omnibus proponite, illum inprimis colite, illum vt æquiſſimum dictorum ac factorũ omnium noſtrorũ iudicem reueremini, iuſtum retributorem, ſi recta ſequamini: diſtrictum iudicem, ſi mandatorum illius contemptores inueniemini. Hæc ſunt, quæ in huius noſtrę curæ paſtoralis primordijs vobis dicenda putauimus, quibus & benè currentes in curſu contineamus, & ſegniores, ſi qui ſunt, ad eandem metam tãquam ſubditis calcaribus excitemus.

Mali ſubditi paſtorum munus reddunt moleſtiſsimum.

Cap. 5. Hæc felicia fuêre ſanctæ adminiſtrationis illius initia, quibus qualẽ ſe populo ſuo pontificem præſtiturus eſſet, & qualis commiſſo ſibi gregi paſtor futurus, ſic facilè declarauit. Sed & longè omniũ opinionem ſuperauit, & expectatione illa, q̃ pectoribus hominum ſtatim inſederat, quotidiè maior apparuit. Nihil ſtudioſiùs quærebat, nihil procurabat attentiùs, quàm quomodò populum ſuum Deo maximè placentem efficeret. Idcircò crebris illum declamationibus, quibus nihil facundius aut efficacius dici poterat, ad rectam viuendi normam incitabat, & in via Domini continebat: q̃ tametſi gratia & lepôre admirabili ob innatam illi facundiam condiebãtur, & ſanctę ſcripturę teſtimonijs refertæ erant, & mirificè proderant: maiorem tamen vim & authoritatem illis probatiſsimi eius mores & vitæ ſanctitas adferebat. Nihil enim dicebat, quod opere ipſe non impleret, ſciens parùm vtilem eſſe doctrinã, q̃ docẽtis vitam argueret. Erat illius pectus charitate ardẽs, mitis p̃ſentia, omnib. affabilis, tẽperata in delinquẽtes ſeueritas, vt magis illos corripiẽtis charitas moueret, q̃ verborũ aſperitas.

Officium boni paſtoris.

Docet opere & ſermone.

Cap. 6. Quid referã, quantæ illi curæ egeni eſſent, qua pietate pupillos proſequeretur & viduas? Non ſexus, non ordo, nõ ætas erat in ciuitate, cuius tanq̃ omniũ pater curã non gereret: ac propterea frequenter populũ in eccleſiã vocabat, ac ſalutaribus documẽtis inſtruebat, & quod audiebãt vt opere cõplerent, diligẽter procurabat. Oculos in oẽs, de eorũ ſalute ſolicitus, intentos habebat, ſuper gregẽ ſuũ inceſſanter inuigilãs, ne qua de ſanctæ gremio Eccleſiæ antiqui hoſtis fraude ouis exiret. Idcircò mirus erat indagator, vt q̃ vita, qui mores multitudinis ſibi cõmiſſæ eſſent, nõ ignoraret. Seniores eccleſiæ ſuæ ſacerdotes, imitatus Apoſtolũ, vt patres reuerẽter admonebat, iuniores inſtruebat vt fratres, anus vt matres, puellas vt ſorores aut filias, incredibili ſtudio in viã Domini dirigebat, rectũ & verum agens animarum Epiſcopũ. Ipſe aũt cauens cum Apoſtolo, ne, cùm alijs prædicaret, reprobus efficeretur, exemplo magis q̃ verbo prodeſſe ſuis, ac illorum animos confirmare ſtudebat. Propterea vigilijs, orationibus, ieiunijs ac multiplici maceratione carnem domabat, & parêre ſpiritui cogebat. Magno etiam charitatis impulſu finitimarum vrbiũ Epiſcopos tanq̃ collegas, crebrò per epiſtolas hortabatur, ne dignitatis ſuæ, ne impoſiti ſibi oneris obliuiſcerentur. Quæ quidem omnia tantam illi apud oẽs, non ſolùm ſuos, ſed etiam alienos gratiam & amorẽ conciliârunt, vt non aliter ac omnium parentem, illum diligerent ac venerarentur. Talis ac tãtus præſul duos & viginti annos Regienſem rexit eccleſiam, hoc eſt, ab anno aduentûs Chriſti quadringẽteſimo quadrageſimoquarto, vſq; ad annum quadringenteſimum ſexageſimum ſextum. Floruit maximè ſub Leone primo Pontifice Maximo, cui, ſicut oſtendimus, chariſſimus extitit. Vbi verò tempus aduenit, in quo tot virtutum ac meritorum ſuorum propoſitam ſibi mercedem reciperet, in ægritudinẽ incidit, quæ vitæ finis illi fuit. Igitur ſuos ad ſe conuocans filios, veluti iam præſagientes, quid mox futurum erat, & ingenti metu perculſos ac flentes ſic allocutus eſt:

Cura pauperum.

1. Tim. 5.

1. Cor. 9.

Video

Cap. 7. Oratio eius ad ſuos ſub vitæ finem. video, dilectiſſimi, quantus pectora veſtra mœror occupauerit, quia meæ vitæ finem aduentaſſe cernitis. nec miror: ſcio enim, quam moleſtum ſit amantibus diſiungi, cùm præſertim ſic ab adſpectibus inuicem ſeparantur, vt viſuri eos ampliùs nō ſint quorum præſentia maximè delectentur. Vehemens iſtud deſiderium vera charitas gignit: ſed moderatè illud ferendum eſt, vbi credunt qui remanent, multo vtilius eſſe diſcedentibus proficiſci quàm hìc diutiùs eſſe. Sic mihi quidem contingit, qui cum Apoſtolo cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Philip. 1. Ea eſt meta, ad quam iamdiù propero, & ad quam ſemper omnia mea contuli vota. Quare ſic à vobis diſceſſurus ſum, vt multo magis in poſterum ſim vobiſcum futurus. Neq; velim diſceſſum hunc à vobis meum arbitremini, ſed ad longè meliorem ſtatum acceſſum, vbi multo melior vobis ſim futurus, ſi in dilectione, ad quam vos ſemper hortatus ſum, permāſeritis, ſi mutuæ charitatis & mandatorum Dei eritis memores. Si enim putatis me potuiſſe vobis hucuſque prodeſſe, qualem me futurum erga vos deinceps credere debetis, vbi inexhauſtū bonorum omnium theſaurum attigero? Igitur abſtergite iam lachrymas, & flendi finem facite, & gaudendum magis hac in re vobis, quàm dolendum, exiſtimate.

Hæc cùm dixiſſet, & non ſolùm ſacerdotibus ac Leuitis, ſed quamplurimis etiam de populo, qui frequentes aduenerāt, benedixiſſet, oculos & manus in cælum ſuſtulit. Cap. 8. Feliciter abit ad Dominum. Tunc mirè facies illius exhilarata eſt atque reſplenduit, & ſtupentibus qui aderant omnibus, & pſalmis & hymnis egredientem animam comitantibus, felicem præſenti, vt creditum eſt, Deo ac ſanctis eius Angelis ſpiritum tradidit. Quantum verò ſui deſiderium reliquerit, totius ciuitatis mœror ac luctus teſtatus eſt. Vbique ſuſpiria, vbique gemitus audiebantur, nec vllus erat lachrymis modus. Non enim aliter, quàm ſi domeſticus vnicuique luctus eſſet, dolebant & lamentabantur. Ductæ ſunt deinde ſolenni apparatu, ac totius populi, omnium ætatum, ac omnium ordinum concurſu, exequiæ: ſepultusque eſt extra vrbem in templo, quod in honorem beati Apollinaris ipſe conſecrauerat. Obijt aūt ſeptimo Calendas Iulij, hoc eſt, quinto ac vigeſimo Iunij die, qui beati Iohannis Baptiſtæ natiuitatem ſubſequitur, anno ab aduentu Chriſti quadringenteſimo ac ſexageſimo ſexto, Hilario Pontifice Maximo Eccleſiā regente, Leone verò Romanum tenente Imperium. Miracula ad ſepulcrum eius. Quàm verò gratus Deo extiterit, & quem locum in Angelicis choris adeptus ſit, mira ad illius ſepulcrum prodigia continuò ſubſecuta declarauerunt: ad quod nullus, quacunq; detineretur ægritudine, fruſtrà confugit. Claudi greſſum impetrârunt, cæci viſum: paralyticis confirmata ſunt membra, ab obſeſſis corporibus dæmones fugati. Nemo verbis ſatis dignè conſequi poſſet, quanto ſplendore diuinum pontificem ſuum Deus populis omnibus, ac in Eccleſia ſua veluti cæleſte quoddam iubar fulgere voluerit: vt ſe tanto felicem præſule ac patrono Regienſis ciuitas meritò dicere poſſit. Sed non tantus ad illius ſepulcrum honor ac veneratio temporis longinquitate conſenuit: ſed ad hoc vſque tempus perdurat ac viget, nec vllius ad id piè accedentis diuina gratia fidem ac ſpem eſſe irritam ſinit.

De ſacri corporis illius translatione.

Cap. 9. VErùm quia, ſicuti oſtendimus, extra vrbis muros erat ſepultus, & ſæuientibus Barbarorum bellis, quibus vexata diù fuerat Italia, frequentari ex more ſepulcrum non poterat, ne tanti præſulis veneratio paulatim obſoleſceret, diuina prouidentia, quæ in ſanctis ſuis clareſcere non deſinit, miro quodam modo cauere voluit. Præerat eccleſiæ Regienſi vitæ ac morum ſanctitate venerabilis Epiſcopus, nomine Thomas: qui dignus beati Proſperi ſucceſſor, ita gregem ſibi commiſſum regebat, vt verbo & exemplo cunctis rectè viuendi norma eſſet. Thomas Regienſis Epiſcopus. Hic vigilijs, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis & cæteris, quæ Epiſcopale faſtigium decent, aſſiduè erat intentus. Is dum ex more oraret in templo, ſubitus illum ſopor inuaſit: Ei S. Proſper apparet. quieſcenti beatus Proſper apparuit auguſta ſpecie, candida indutus ſtola, & venerabili canitie conſpicuus: qui ei mandauit, vt paruam eccleſiam, quam diximus, in qua corpus ſuum parùm decenter quieſcebat, amplificaret, & in ea locum extrueret, vbi ſua deinceps oſſa decentiùs ſeruarentur, addens, ne differret mandatum exequi. Diuino monitu expergefactus Epiſcopus, ſacerdotes ſtatim ſuos & populum ad ſe vocauit, & quid ſibi mandatum foret aperuit: & ne diuini præcepti parùm diligens executor videri poſſet, opus continuò eſt aggreſſus. Extructa igitur æde, ac præparato magnificè loco in quem ſacræ transferrentur reliquiæ, conuocatis religioſorum omnium collegijs & populo,

qui frequens cõfluxit, ſepulcrum vetus, in quo vſque ad Luitprandi Longobardorum regis Chriſtianiſſimi tempora quieuerant, apertum eſt: de quo tanta diuini odoris fragrantia effuſa eſt, vt nulla ei aromata vel opobalſami riuuli, ſi per ædem fluerent, comparari poſſent. Ita eductæ ſacræ reliquiæ cum ingenti omnium plauſu atq; lætitia, manantibus vbertim præ nimio gaudio per ora cunctorum lachrymis, nouo ſepulcro magno cum honore, cum pſalmis & hymnis illatæ ſunt. Vbi mira quamplurima, antedictis non diſſimilia, meritis ſancti confeſſoris ſui Deus cum omnium ſtupore operatus eſt. Nam ibi opem illius implorantes ſurdi, ſtatim audire, muti loqui, cæci videre, claudi ambulare, paralytici confirmari cœperunt, & alij, quacunq; laborarent ægritudine, ſanari. Quid memorem fugatos ab obſeſſis corporibus immũdos ſpiritus, & alia, quæ nimis longum eſſet, ſi omnia recenſere vellem, omni admiratione ac ſtupore miracula digna?

Odor ſuauiſsimus è ſepulchro S. Proſperi.

Alia miracula ad trãſlatas eius reliquias.

Catalogum operum ſancti viri, quem huius author hiſtoriæ his ſubiungit, omiſimus. Paſsim enim habetur apud diuerſos.

VITA S. ADALBERTI CONFESSORIS, ET LEVITAE, DISCIPVLI S. VVILLIBRORDI EPISCOPI, EDITA à Cœnobitis Medelocenſibus circa annum ſalutis DCCCCXC. ſed ſtylus paſsim mutatus eſt. per F. Laur. Surium.

LEGIMVS in Eccleſiaſticis Hiſtorijs beatum Egbertum, cæleſti afflatum deſiderio, patriam, parentes, omnemque frequentiã cognatæ nobilitatis reliquiſſe, atq; ſtudio peregrinationis & ardore vitæ remotioris in Hyberniam ſeceſſiſſe. Vbi cùm præclaro virtutum profectu & haud obſcura vitæ ſanctimonia in multorum admirationem veniſſet, Deo id agente, multos ſui ſectatores effecit: certatimq; ad eum tam Angli quàm Scoti confluebant, vltrò ſe in eius diſciplinam tradere cupientes. In ijs erat etiam S. Adalbertus, qui tanquàm apis generoſior, arctioris vitę inſtituta non ſegniter eſt complexus. Actiones enim ſuas ad exempla pij præceptoris conformabat, & ceu mundum animal, quicquid boni auditiõe accepiſſet, animo ruminabat, & opere exercebat: nec de ſola ſciẽtia ſibi inaniter applaudebat, nec animis tumeſcebat: ſed eam perpetuò in opus conferre magis magiſq; connitebatur. Atq; ita per anguſtam mandatorum Dei viam ingrediens, breui adeptus eſt cæleſtium virtutum latitudinem.

Iunij 25.

Cap. 1.

S. Egbertus multos Chriſto lucratur.

Adalbertus eius diſcipulus, quem fuiſſe filiũ Deirorum gales, 6. cap. vitæ S. Svviberti. 1. Martij.

Cap. 2.

Porrò vir Domini Egbertus, quotidiana ſanctitatis capiens incrementa, pro paruo ducebat ſuæ vnius ſaluti conſulere: ſed pro inſita animo eius ſingulari benignitate, ſummoperè appetebat prodeſſe plurimis, inprimis autem ſanctæ prædicationis ſtudio ad Chriſtianæ religionis complexũ adducere homines ethniciſmi erroribus implicatos. Audiens igitur Germaniæ populos infidelitatis nexibus præ cæteris tenaciùs irretitos, quippe qui ob ferocitatem ſuam Diuini verbi præconibus hactenùs penè inacceſſi manerẽt, planè inſtituit ad eos commigrare, periculum facturus, num quos ex illis, Chriſti cooperante gratia, ex filijs perditionis poſſet adoptionis & conciliationis filios efficere. Cumq; in hanc cogitationem & curam totus incumberet, diuino oraculo, ne eam ad effectum perduceret, retardatus eſt. Itaq; vir ſanctus, cùm neq; vellet, neq; poſſet diuinæ ordinationi reluctari, alios quoſdam delegit, quos ſuo loco mitteret, & ſanctitatis meritis & eruditionis efficacia tantæ rei idoneos. Et primò quidem miſit Vuigbertum, integerrimæ conuerſationis presbyterum: qui diù multumq; cum obſtinata barbarę gentis duritia colluctatus, cùm videret non poſſe eam à ſua perfidia reuocari, infecto negocio eſt reuerſus. Atqui vir prudentiſſimus non ignorans, de Dei miſericordia nunquàm deſperandum, alios ſubrogauit, qui illud prædicationis officium explerent, Vuillibrordum Apoſtolicæ gratiæ presbyterum, eumque, de quo diximus, clariſſimum Chriſti confeſſorem Adalbertum: adiunctis ijs decem alijs, eodem fidei calore feruentibus: ex quibus nonnulli poſt multiplices ſuſcepti laboris agones, martyrij palmam adepti ſunt, alij in pontifices promoti, cùm præclarè illo munere perfuncti eſſent, in pace quieuerunt.

Vuigbertus presbyter.

Vuillibrordus presbyter.

Cap. 3. Ij ergo Chriſtianæ religionis propagatores, ſacræq; fidei propugnatores, tam iuſſu patris, quàm ſua voluntate & deliberatione ad Euangelij prædicandi opus inhiantes, ſuperatis pelagi periculis, cæleſti illis gratia adſpirante, optatum portum gratulabundi attigêre. Tum verò in terram egreſſi, ſtrenuiſſimum Francorum principem Pipinum adiêrunt: à quo cum multa reuerentia ſuſcepti, & per omne tempus, quo apud illum manſêre, humaniſſimè & officioſiſſimè tractati ſunt. Porrò vbi cognouit aduentûs illorum cauſam & pium animi propoſitum, miſit illos in Friſiam, quam nuper ſubegerat, vt ſuo miniſterio gentem illam Chriſto lucrifacerent, ipſius principis præſidijs fultos, & authoritate munitos. Cumq; egregij illi rationabilium noualium cultores, iactis ſeminibus, è ſuo labore viderent frugum incrementa exiſtere, communicato inter ſe conſilio, cum bona venia Principis Pipini, ſanctum Vuillibrordum mittunt Romam, à Præſule Apoſtolico in Epiſcopum promouendum. Ille verò ea dignitate ornatus, ad cœptum redit opus, ſedemque Epiſcopi apud Traiectum caſtrum obtinet: cuius quæ fuerit vita, qui eius in prædicando Dei verbo ſudores & labores, quibus claruerit miraculis, ſi quis nôſſe velit, poteſt ex libro geſtorum eius luculenter ſcripto, perdiſcere. Nos pauca hæc in teſtimonium virtutum ſanctiſſimi patris noſtri Adalberti commemorare voluimus, vt qui ijs omnibus efficiendis comes & adiutor interfuerit indefatigabilis. iam porrò, Deo fauente, ad ea nos conferemus, quæ peculiariter ad illum attinent.

S. Vuillibrordus cũ ſuis Chriſtũ in Friſia prædicat.

Cap. 4. Itaq; in beato Adalberto tanta fuit comitas morum, vt mirabili vitæ ſuauitate omnes ad ſui imitationem alliceret. Quicquid ſermone faciendum oſtendebat, priùs ipſe factis declarabat, maximo ſe detrimento affectum exiſtimans, ſi non verba & inſtitutiones ſuas re ipſa & exemplis optimis confirmaret. Inprimis autem veræ humilitatis ſtudioſus fuit, aſſerens eius induſtria & cautione cætera omnia conſeruari. Superuacaneum ſit, hoc loco eius eximiam velle charitatem commemorare, cùm ea illi cauſa fuerit, patriam, propinquos & dulces patriæ fines, cunctaq; natalis ſoli commoda, relinquendi. Ne ſimus autem prolixiores, quàm par ſit, hoc compendio retuliſſe ſufficiat ita eum ſingulis initiatum virtutibus, vt nunquam ab illis quatuor primarijs, quas cardinales vocant, deflexerit, eamq; viro ſanctiſſimo ſpiritalis militiæ perpetuã atq; indefeſſam fuiſſe contentionem, donec ipſam hoſtiæ ſuæ caudam Domino immolaret, conuenienter illi ſententiæ Saluatoris. Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Eiuſmodi ergo eximius heros munitus & inſtructus apparatu, quoquouerſùm proficiſcens, lucrandis animabus operam nauabat.

Adalbertus forma optimi doctoris.

Matth. 10. 24.

Cap. 5. Vtplurimùm tamen eo in loco hærebat, quem Egmundã vocant, ad cuius receſſus ab importuna hominum frequentia veluti receptum quendam habere viſus eſt: vbi inter complures, quos fama virtutum eius inuitârat, Eggo quidam ad eum venit, & breui tempore in eius ſe familiaritatẽ inſinuans, accuratè illi adhæſit, adeò vt vir Dei non rarò eius hoſpitio vteretur, feliciq; compenſatione eius meteret carnalia, cui ſpiritalia ſeminabat: vtq; inter ipſos conflata charitas & beneuolentia eſſet confirmatior eius filium è ſacro fonte ſuſcepit, & vt par erat, etiam pleraq; ſecreta ſua cum illo vel maximè communicauit. Itaq; die quodam inter cœnandum cùm ſe mutuis ex more colloquijs oblectarent, vir ſanctus illi amico ſuo aperuit, velle ſe patriam parentesque reuiſere, vt poſſet etiam illis aliquid gratiæ ſpiritalis impertiri. At Eggo nimis moleſtè ferens tanti amici abſentiam cum lachrymis curioſè ex eo ſciſcitabatur, ad quod tempus rediturus eſſet. Tum vir Deo plenus, eius piæ ſolicitudinis miſertus, fragmentum pomi, quod fortè manu tenebat, in ignem proijciens. Cùm huius, inquit, pomi grana in virgulta excreuerint, me, Deo benè propitio, tibi reſtitutum videbis. Deinde ſuſceptam profectionem proſequens, emenſo mari, in patriam venit, diuque optatam ſui præſentiam natiuæ regioni exhibuit: illicq; aliquandiù moratus, verbis & exemplis non paucos ad ſui imitationem illexit. Semper enim Dei gratia virum ſanctum, quocunque ſe conferret, & præuenit & ſubſecuta eſt. Ita ergo lucrandis Deo animabus totus incumbens, præſentis laboris aſperitatem futuræ mercedis contemplatione leniebat.

Apud Egmundam libenter degit S. Adalbertus.

S. Adalbertus redit ad ſuos.

Cap. 6. Intereà Eggo ille, quem diximus, ſponſionis viri Dei æſtimator auidiſſimus, eius reditum mirè ſitiebat. Vt autem miraculum, beati viri declarandis meritis diuinitus deſtinatum, auguſtius exiſteret, accidit vt hoſpitiolum, in quo grana pomi ignis, mittente S. Adalberto, exceperat, voracibus flammis in fauillas redigeretur. Ecquis verò ex eiuſmodi ambuſto loco germen vllum vnquam emerſurum, nedum benè frugiferas plantas ex carbonum reliquijs prodituras ſperaret? Sed Deo, cui omninò idem eſt velle,

velle, quod poſſe, nihil ad efficiendum difficile eſt. Denique vbi opportunum aduenauit tempus, ex eodem loco prodijt germen odoris Domini, & grana in ignem iacta rediuiuos protulêre flores: nec tamen fructus adferendo, tantam ſuî admirationem excitârunt, quantum attulit gaudij reditus optatus beatiſſimi patris Adalberti: qui, vt promiſerat, in Friſiam reuerſus, tanto maiori omnium ſtudio & beneuolentia accipitur, quanto eius ſanctitas euidentiori miraculorum atteſtatione, & propheticæ ſpõſionis certiori exhibitione quoquouersùm ſeſe celebriùs diffudit. Attamen vir ſanctus omni virtutum exercitatione inſtructus, & omni ex parte circunſpectus, & aduersùs tentatoris verſutias cautus & peruigil, in via propoſiti ſui non tam in id erat intentus, quantum iam confeciſſet itineris, ſed quantum adhuc certaminis ſupereſſet: ſicque quotidiè aliquid ad ſuperiora pietatis ſtudia adijcere nitebatur, ac ſi iamprimùm nouus tyro ſpiritalis militiæ & ſanctæ conuerſionis ſemitam ingrederetur. Inſigne miraculum. Reuertitur in Friſiam.

Igitur de virtute in virtutem proficiſcens, quod feliciter cœperat, feliciùs conſummauit, & immarceſſibilem ſui agonis percepturus coronam, præſentis ſeculi obſcuram lachrymarum vallem cum paradiſo deliciarum permutauit: Chriſtoq́; cui fideliter ſeruierat, ſeptimo Calendas Iulij ſanctiſſimam reddit animam, lætiſſimè iam concinens in Chriſti præſentia: *Sicut audiuimus, ita & vidimus.* Vbi ſanè nos & credimus & optamus eum noſtrarum miſeriarum memorem, tanto vtique noſtris releuãdis incõmodis efficaciorem, quãto diuinæ pietati coniunctior eſt. Corpus autem beati viri à fidelibus eius temporis, qui eius curabant exequias, diligentiſſimè conditum ac humaniſſimè terræ mandatum, beatæ reſurrectionis tempus præſtolatur. Condita eſt ſupra illud eccleſia, quantum quidem earum rerum adhuc rudes poterant, eiúſque memoria ab illis celebrabatur. Sed eam eccleſiam Nortmanni, crebrò facta irruptione, ſæpè euerterunt, vaſtatis atrociter locis omnibus illi adiacentibus. Cap. 7. Eius felix obitus. Pſalm. 47.

Vt autem diuina prouidentia, cuius meriti eſſet vir ſanctus, qui illic corpore quieſcebat, oſtenderet, id effecit, vt nunquam illi loco deeſſet, qui cultum debitum perſolueret. Nec mirum tamen humanis illum excubijs honorari, qui quotidianis illic miraculis coruſcaret: quæ quidem tam multa ſunt, vt ſi ea ſingulatim deſcribere velimus, non modò difficilem ſed etiam impoſſibilem & cui pares eſſe nequeamus, laborem ſuſcepturi ſimus. Quamobrem neceſſe eſt eum nos imitari, qui amœna prata perluſtrans, dum, quos decerpat flores, animi dubius eſt, eatenus ſuo deſiderio moderatur, vt tot carpat, qui ſufficiunt ad delectationem, non qui ſuo pondere premant abeuntem. Ita & nos ea debemus vti mediocritate, vt recitatio compendiaria & ſtudioſis, & faſtidioſis viciſſim ſatisfaciat. Cæterùm vt fidem dicendis adſtruamus, non valdè nobis laborandum credimus, cùm profectò abſurdum ſit inde apud fideles aliquem ambiguitatis ſcrupulum exiſtere, vnde, authore Deo, certum eſt, incredulos priſtino valefeciſſe errori. Cap. 8.

Mulier quædam Eſcuuar nomine, S. Adalberti ſeruitio ſe deuouit, certò ſibi perſuadens, inopiam & anguſtias viduitatis ſuæ, eius patrocinijs releuatum iri. Cumque multis annis deuotis inſtitiſſet obſequijs, piratæ in ea loca irrumpentes, omnem circunquaque regionem hoſtiliter deuaſtârunt: direptiſque rebus & facultatibus, homines captiuos abduxerunt. Manſit autem ſola hæc vidua, in tanta vaſtitate quid ageret, quo ſe verteret, modis omnibus ignorans: quippe quæ prorſus nihil haberet alimoniæ, nec vbi vel vnde eam compararet, vlla ei copia ſuppeditaret. Tandem hoc vnum ei reliquum fuit, vt de conſueta ſancti Adalberti benignitate confideret. Nec ſanctus deſpexit de ipſo benè ſperantem, ſed opportunum illi remedium & opem tulit: quotidianum ei victum ab Oceani litoribus ſubminiſtrans, atque hoc ipſo ſatis declarans, quàm verum ſit, Deum timentibus nihil deeſſe. Non potuit pia vidua communem ſentire calamitatem, quæ ſpecialiùs ſancti Adalberti patrocinium ſibi conciliarât. Cap. 9. Irruptiones Barbarorũ. Pſal. 33.

Poſteà verò presbyter quidam, Amalathus nomine, officij ſui religioſus cultor, angelico eſt oraculo admonitus, vt inſtaurandæ ſancti Adalberti eccleſiæ, ſine vlla dilatione operam daret. Ne qua autem poſſet illi inhærere ambiguitas, eadem viſio etiam alijs tribus viris, laicis illis quidem, ſed benè religioſis, oblata eſt. Qui cùm ei quid vidiſſent indicâſſent, & ille omnia videret cum ſua viſione conſentire, multo ad aggrediendum opus factus eſt alacrior. Itaque accitis vndique operarijs, in opus illud feruenter incubuit. Vbi autem artifices materiam comportatam inſpexêre, trabem vnam cæteris multo breuiorem viderunt: eaque re non mediocriter afflicti, in alterum Cap. 10.

Haud vulgare miraculum. rum diem diſtulére conſultationem. Manè vident præſenti Dei beneficio trabem illam etiam cæteris longiorem, multaque affecti lætitia, tanto accuratiùs cœpto inſiſtunt labori, quanto certiùs cognouêre etiam diuinis ſe miraculis confirmari. Erat autem eccleſia illa, ſanctiſſimo Adalberto conſecrata, ad litus maris ſita, atque ea cauſa piraticæ infeſtationi expoſita. Sed quàm admirabiliter ſæpiùs eam potenti miſeratione ab ea vexatione defenderit, non eſt ſilentio tegendum. Crebrò enim Barbari in illam incurrere volentes, & propemodùm attingentes portum, nube ſe interponente videre illam non potuerunt, atque ita fruſtrati conatu ſuo, inanes abiêre. Quæ res in cauſa fuit, vt non modò à Chriſtianis, ſed etiam ab ethnicis frequenter viſitaretur, illis ſuam animi deuotionem crebris oblationibus haud obſcurè declarantibus. Neque id immeritò, quandoquidem nullus eò fruſtrà acceſſit, nec quenquam ſui laboris pœnituit.

Eccleſia S. Adalberti diuinitùs ſeruatur.

Ob vitandam prolixitatem, ea quæ ſequuntur, redegimus in compendium.

Cap. 11. Ruſticus quidam oblatum ad ſancti viri ſepulcrum caſeum, per temeritatem furatus eſt. Eum voraturus, in denſas ſpicas ſe abdidit. Et ecce percuſſus amētia, pro caſeo proprios rodit digitos. Vbi id herus eius comperit, confeſtim iubet eum duci ad ſacratiſſimas beati viri reliquias. Curatur illic, & ipſi eccleſiæ mancipatur.

Pœna ſacrilegi.

Cap. 12. Solet mare procelloſum ſecum arenas trahere, & eas in litus eijcere: quæ flante vento plerunque ita coaceruantur, vt altiſſimos montes æquare videantur. Eiuſmodi moles quandoque proximè ad beati Adalberti oratorium conſtitit. Fortè autem eò appulit Roricus Barbarorum rex, iuſſitque vt miniſtri ſui illam arenam à ſacra æde ocyùs amouerent. Accingebantur illi in proximam lucem ad iuſſa regis capeſſenda: ſed ecce manè conſpiciunt arenam omnem meritis S. Adalberti ad lapidis iactum inde tranſlatam.

Cap. 13. Apparuit idem Chriſti confeſſor ſanctimoniali cuidam in ſomnis, (dicebatur ea Vuilſit) iuſſitque vt ſacra ipſius oſſa, quæ inſtar aliorum profunda humo condita erant, ſub omnium conſpectum eleuarentur, vt fidelium deuotio efficaciùs incitaretur, & eius meritorum interceſſio ſtudioſiùs impetraretur. Et ne ambigua eſſet ea apparitio, tertiò repetita eſt. Itaque ſanctimonialis illa Theodorico primo Comiti & eius loci domino, quid vidiſſet & audiuiſſet, indicat. Comes porrò, vt ſemper promptus fuit & officioſus ad ea, quæ religionis ſunt, non diſtulit in opus conferre, quæ erant ſanctimoniali demandata.

Theodorici Comitis deuotio.

Cap. 14. Eleuata igitur ſunt beati viri oſſa, & ecce ſub ſarcophago repertus eſt fons mirè perſpicuus, qui hodieque multis adfert corporum ſalutem. Aperto autem loculo pallium quo ſacrum erat corpus obuolutum, penitus incorruptum inuentum eſt.

Cap. 15. Porrò is, quem diximus, Comes Theodoricus, in loco, quem Hallen vocant, ex materia ſiue ex lignis conſtruxit oratorium: conſtitutoque die, in quem fideles poſſent adeſſe, eò ſacrum fecit theſaurum adduci: nec facilè certus poſſit eorum numerus iniri, qui interim, dum ſacræ reliquiæ deportarentur, ſanitatis beneficium impetrârunt. Sed quid ſibi vult, quòd confeſſor Chriſti ſanctiſſimus, qui iam beatus in cælis, nullius indiget, qui etiam cùm eſſet in humanis, humana omnia faſtidiuit, ſua vult oſſa eleuari, & meliori loco reponi? Certè non ob aliud hoc ille voluit, niſi vt ij, qui ea cernerent, animis compungerentur, atque ita faciliùs diuinitùs adiuuari mererentur: tum etiam, vt magis magiſque pij homines ad appetenda cæleſtia inflammarentur.

Cap. 16. In eo autem conſtruendo oratorio cunctis ſtrenuè laborantibus, Sigifridus quidam ſociorum diligentiam imitari nolens, omni membrorum officio deſtitutus, toto corpore contractus eſt. At ſalubri pœnitentia correctus, mox reualuit.

Cap. 17. Brumali tempore, omnibus frigore rigeſcentibus, Comes Theodoricus, de quo iam diximus, traha vehebatur per lacum mirè profundum, ſed congelatum. Vt eſt autem periculoſa eiuſmodi in aquis frigore concretis ambulatio, cùm iam medium ferè atigiſſet lacum, dirupta non ſatis ſolida glacies, præſens exitium Comiti minitabatur, qui cunctis fugientibus, ſolus illic relictus eſt. At ille cernens omni ſe humana ope deſtitutum, ad crebrò compertum beati Adalberti patrocinium confugit. Mox, quod dictu mirum eſt, vbi incredibilis penè eſt laci profunditas, non niſi ad cingulum vſque mergi potuit, & tum ipſe, tum ea omnia quæ curru vehebantur, periculum illud euasére.

Egregiū miraculum.

Non

Cap. 18. Non ſunt autem obliuioni tradenda, quæ temporibus Theodorici iunioris, qui fuit eius, quem diximus, Comitis filius, noſipſi vidimus declarata miracula. Is enim paternæ deuotionis feruentiſſimus æmulator, in honorem S. Adalberti cõfeſſoris Chriſti, baſilicam lapideam non ſine multa difficultate conſtruxit: quippe cùm tellus hæc arenoſa & lapidum & calcis admodùm inops ſit. Ipſum quoque beati viri corpus ſarcophago impoſitum, elegantis fabricæ ſtructura ornauit, & ne quid apud Deum de futuræ beatitudinis præmio illi deeſſet, monaſticæ vitæ cultores illic Deo vacare voluit, de ſuis prouentibus tantum illis conferens, quantum ad victum quotidianum ſufficeret. Pater quidem illius ſanctimoniales illic collocârat: ſed imminente eis ſæpiùs Friſonum feritate ad propoſiti ſui obſeruantiam facultas eis minimè ſuppeditabat.

Cap. 19. Porrò Theodoricus Comes iunior, filium genuit Egbertum, quem ſtudio religionis in Clerum voluit adſcribi. Is verò Egbertus iam adultus, cùm Subdiaconus eſſet, à die Palmarum vſque ad ferias S. Adalberti huius, quæ incidunt in ſeptimum Calẽdas Iulij, acri febre laborauit. Cùm autem feſtum illum diem cum cæteris celebrare conſtituiſſet, fiducia meritorum ſanctiſſimi confeſſoris fretus, ita prorſus eo morbo abſolutus eſt, vt nunquam illo correptus videretur: multaque hilaritate perfuſus, ad Miſſarum ſolennia ſui miniſterij deuotionem adhibuit. Hic eſt Egbertus ille, qui poſteà in Treuirenſem promotus Archiepiſcopum, tum viuaciſſimo religionis ardore, tum egregiæ moderationis libramine eam gubernauit eccleſiam. *Egbertus Treuirorũ Epiſcopus.*

Cap. 20. Idem verò Comes Theodoricus filiam habuit inprimis charam, Erlindam nomine, quæ diù luſca fuit. Ea quoq; ſancti Adalberti experta eſt virtutem. Quî verò illam vir ſanctus negligeret, tot ab eius patre modis honoratus? Recepit ergo oculum incolumem, plùs gaudens illo reſtituto, quàm ſi nunquam eius vſu caruiſſet.

Cap. 21. Preſbyter quidam ex Anglorum gente, Vuolmarus nomine, ad viginti annos cæcus fuerat. Multa ille ſanctorum loca adijt, ipſa quoque Apoſtolorum limina Romæ viſitauit. At quãuis diuina benignitas per merita Apoſtolica multis ſæpè modis ſe declarauit, attamen huius viri ſanitas S. Adalberto ſeruata eſt. Itaq; Roma reuertens, vbi celebrem eius famam comperit, Egmondam venit, ex fonte illo, quem ſub ſacri corporis locello repertum diximus, tertiò oculos abluit, & vidit clariſſimè. *Cęcus videt*

Cap. 22. Hac quoque tempeſtate permulti varijs affecti morbis, integram beati viri meritis ſanitatem recepêre. Inprimis autem dæmoniaci efficaciſſimam eius in ſe virtutẽ experiuntur. Nec mirum, cedere illi dæmones, iam cum Chriſto regnanti, cuius adhuc in carne militantis, ineluctabile certamen crebrò experti ſunt.

Cap. 23. Comes Ruoſekinus haud procùl à monaſterio beati Adalberti morabatur. Is filium ſuum in eo monaſterio Chriſto ſeruiturum deuouerat. At vbi poſteà eius voti incurioſus præuaricator effect⁹ eſt, puer vſqueadeò cœpit aduerſa laborare valetudine, vt eius vita planè deſperaretur. Sed poſtquam ad altare ſancti viri regulariter oblatus eſt, ſalus ei reſtituta eſt. Vnde ſatis licuit animaduerti, paternam perfidiam eius amiſſę cauſam fuiſſe. *Nota iſthuc*

Cap. 24. Mulier quædam infantem peperit, qui ad viginti dies à maternis vberibus nullum omninò lac ſugere voluit. Erat res plena præſentis periculi, cui humana ratione mederi nemo poſſet. Itaque parentes offerunt illum ad altare S. Adalberti, & puer mox ad vbera inhiat. Qua in re dum paruulo ſubtrahitur naturalis nutrimenti appetentia, & ſancti confeſſoris in curandis morbis pateſcit excellẽs virtus, & eidem infanti ſublimioris inſtituti profeſſio conciliatur.

Cap. 25. Oratorium beati viri cuſtodum incuria bis flamma vorax abſumpſit: & cùm nihil ignis reliquum feciſſet ex ijs, quæ in oratorio illo habebantur, ſolum pallium, quo erat ſacrum ſancti Confeſſoris corpus obuolutum, nihil ab igne detrimenti accepit. *Nota de pallio miraculum.*

Cap. 26. In regione tranſmarina quidam fuit homo opulentiſſimus, idque hiſce noſtris temporibus. Idem autem ipſe cùm eſſet rapaciſſimus, nepotum ſuorum agros ſibi voluit vſurpare. Multis modis per amicos & cognatos illis hominem à ſententia deducere molientibus, ille contemptis omnibus, ſuos colonos iuſſit ijs agris colendis operam dare. At contrà iuuenes feroces ira inflammati propter rei indignitatem, palam teſtabantur, ſe quiduis malle perpeti, quàm paternæ hæreditatis facere iacturã. Exiſtunt igitur vtrinque lites, militares manus vtrique parti adulantur, tandemq; immani exemplo ad bellum parricidale venitur. Succumbit iuuenum patruus, cæſus ab illis. Eius autem cędis poſteà ducti pœnitentia iuuenes, ſine mora Epiſcopum, cuius erant diœceſis, adeunt: cum lachrymis ſuum crimen fatentur: orant, vt ferro, quo patruum ſuum trucidâſſent, ipſos conſtringi iubeat, donec diuino iudicio abſoluerẽtur.

Non recuſat Epiſcopus,ne,impunè abeunte tanto facinore, ęternis gehennę incendijs illi addicerentur. Alter igitur ex gladij capulo ſibi lorum conficiens,brachium illo ſuum vinxit:alter ipſo gladij ferro,perinde vt faſcia pectorali ſe ſtrinxit: pariterq; adibant permulta Sanctorum loca,vt eorum ſuffragijs admiſſorum criminum veniam obtinerent,quorum votis nō ignorabant Dominum citiſſimè annuere. Interim veniunt ad Niuellenſe monaſterium, vbi multis claret miraculis virgo Gertrudis:cumque illi multis fuſis lachrymis aliquantiſper in preces incumberent, eius ſanctiſſimæ virginis meritis alter eorum vinculis ſuis abſolutus eſt,cunctis nō mediocri lætitia affectis:alter verò,dum enixiùs diuinam implorat opē, id reſpōſi cælitùs accipit,vt properè ſe conferat ad eccleſiam beati Leuitæ Adalberti.Cœpit igitur de loco ipſi ignoto percontari ex alijs,nihil interim cuiquam indicans,quid illic facturus eſſe.Tandem nō ſine multo labore optatum attingit locum,& aliquandiù illic hærens, nihilque dubitans fore vt diuinitùs ipſi promiſſa vinculorum diſſolutione potiretur,cùm aliquādo, vti ſemper conſueuerat,ſub diuino officio ſtaret coram imagine Saluatoris, repentè ferreum illud ligamen diruptum eſt.

S.Gertrudis multa miracula.

Hæc de vita & virtutibus celeberrimi Confeſſoris Chriſti Adalberti, Medelocenſis cœnobij fratres conſcripsêre, iubente ſupradicto eximio Præſule Egberto, eius monaſterij domino, rerum ad diuinum cultum facientium ſtudioſiſſimo procuratore.

Quæ ſequuntur,ab alijs adiecta ſunt,habenturque in MS.codicibus, grauiter & bona fide conſcripta.Nos ea contraximus ob vitandam prolixitatem.

Florentius Craſſus 8. Comes Hollandiæ.

TEmporibus Florentij Craſſi, qui fuit octauus Comes Hollandiæ, cuius multa in Deum pietas, erga ſanctum Adalbertum deuotio, & eius monaſterium beneuolentia extitit, id,quod iam commemoraturi ſumus, geſtum eſt. Paludem effecerat maris inundatio,cuius etiamnum veſtigia magna ſuperſunt. Ea plerunque hyeme increſcens,adeò Egmondenſi monaſterio ſolebat imminere, vt ægrè ab eius ambitu arceri poſſet. Quadam autem hyeme plùs ſolito inundans,pago vicino, quem Caſtriken vocant,non mediocrem agrorum & ædium vaſtationem minabatur. Incolæ autem eius pagi per id tempus & generis nobilitate, & rerum copia præpollebant: quæ res illis inſolentiæ,contentionis & multorum malorum fomitem ſuggerebant. Illi ergo concitatis animis & armata manu Egmundam veniunt, aggerem vndis obiectum perfringere volentes,id quod ſine magno monaſterij damno fieri non poterat. Hac autem ratione vndas tumeſcentes illi à ſuo pago auertere moliebantur. Vbi hæc ad Abbatis Stephani,admodùm venerandi ſenis peruenêre,quod viribus nō poterat, conſilio egregiè præſtitit. Miſit enim ad illos,ſcrinium aureum, in quo erant ſacræ reliquiæ,& vnà Adalardum,qui ei in Abbatis functione ſucceſſit, vt tum ſanctorum reuerentia,tum Adalardi,qui ſanguine coniunctus erat illis,qui in ijs præcipui fuêre, precibus permoti,ab ea temeritate abſiſterent. At illi mente obſtinata,quod animo conceperant,re ipſa perfecerunt,perrupto vi aggere monaſterij. Tum verò Adalardus ſcrinium illud cum ſancti patris Adalberti commemoratione aquis impoſuit: & ecce aëre tempeſtate concitato,grando & nix è cælo ruunt, aquæ in ſeipſas conuertuntur,nec audent ad loca humiliora ſe effundere. Eius miraculi nouitate fracti & pudefacti Caſtrikenſes,domum abiêre.

Reliquię S. Adalberti auertunt aquas à monaſterio.

Alio tempore, cùm iam Adalardus Abbatis illic officio fungeretur,eadem palus præſens periculum monaſterio intentabat. Itaque Abbas maius incommodum minori depellere volens, aggerem inter ſui iuris limites interrumpit,vt aquas inundantes à monaſterio auerteret. Id verò indignè ferentes Caſtrikenſes, mox armati aduolant, vim Abbati & ſocijs eius illaturi. Abbas fugam init cum ſuis: ſed illi equis inſidentes, facilè eos appræhendunt,& extremos quoſque vel iniurijs afficiunt, vel cædūt. Erant in ijs ſex germani fratres, opibus & viribus cæteris præſtantiores, homines in cædes & rapinas auidi, diuina humanaque promiſcua habentes. Tres ex illis, purà Arnoldus, Vulbrandus & Eilgerus, cum duobus conſobrinis Siero & Garbrando in ſancti Adalberti, cuius ſacras reliquias in ſcrinio Abbas ſecum ferebat, iniuriam procaciores, ſcrinium illud armis ſuis pulſant,ſed non impunè, Deo ſancti ſui iniu-

riam

riam egregiè vindicante. Nam Arnoldus cæteris crudelior, eodem in loco, non multò pòſt à fratre iuniore in capite & pectore cæſus gladio, tremens toto corpore, & in furiam verſus, animam exhalauit. Qui autem eum percuſſit, cùm ipſe quoque ſanctum Adalbertum læſiſſet, amentia quadam affectus, ex diuite, nobili & potente, ad tantam miſeriam deuolutus eſt, vt aliquot annis publicè oſtiatim mendicârit, & tandem à vermibus conſumptus, florente ætate deceſſerit. Horrenda Dei vindicta in ſacrarũ reliquiarum violatores.

Porrò Vulbrandus ſuo ſe enſe peremit: Siérus intra ſex menſes miſerabili morte perijt, & Garbrandus, quo nemo erat in pago illo robuſtior & agilior, adeò membris omnibus contractus eſt, vt nunquam ſine duobus ſcipionibus ad axillas applicatis ingredi poſſet: & vt nobis retulêre illi, qui eum & incolumem & debilem nouerunt, ad id tandem calamitatis redactus eſt, vt peroſus fratribus & cognatis amicisque omnibus, in quodam viliſſimo tugurio ſolus habitârit, miſeram illic vitam viuens, nihil etiã ex rebus hæreditarijs percipiens, omnium ope deſtitutus, ita vt tandem inedia confectus ſit. Denique alij eius facinoris authores, partim morte, partim amentia, partim alijs magnis moleſtijs affecti, pœnas dederunt: nec deinde vnquam auſi fuêre pagi illius habitatores criſtas erigere, omnipotente Deo tum aquarum inundationibus, tum arenarum molibus eos vaſtante, ita vt nunc humiliter ſancti Adalberti patrocinia implorent, contra quem ſtolide intumuerant.

Friſones vicini noſtri, quemadmodùm nobis retulit vir quidam eximia pietate, ad ſolennitatem ſancti Adalberti perpetua quadam conſuetudine cum oblationibus frequentes venire ſolebant. Inter eos venit quandoque etiam mulier vno oculo orbata: quæ cùm ſedulis precibus in beati viri eccleſia vacaret, lumen amiſſum recepit. Curatus eſt etiam quidam preſbyter cæcus. Teſtantur verò homines fide digniſſimi, tot ſe ſæpenumerò miracula conſpexiſſe, præſertim in ferijs ſancti Adalberti, vt certꝰ eorum numerus iniri non poſſet. Noſtra quoque memoria non rarò vidimus, hominibus cum multa fide & deuotione ad eius diem feſtum confluentibus, diuerſis morbis & incommodis affectos, atque etiam dæmoniacos templum gemitibus & clamoribus implere, permultoſq; ex ijs incolumes abire. Luſca videt. Item cæcus.

Petronilla, vxor quondam Florentij Craſſi Comitis Hollandiæ, marito defuncto, cùm tres haberet filios teneræ ætatis, Comitatum ſtrenuè adminiſtrabat. Cùm ſint autem fœminæ molles, poſſintq; facilè in fraudem impelli, malè perſuaſa Petronilla à quibuſdam potentibus familaribus ſuis, ab Egmundanis fratribus petijt Aſſelinum Capellanum ſuum in monachum recipi, vt illo mox Abbate creato, ipſa de monaſterij rebus liberiùs vſurparet. Factus eſt ille monachus, & licet ſimplici eſſet ingenio, planeque rudis monaſtici inſtituti, etiam Abbas, ſed ſolo nomine, effectus eſt. Tum verò res monaſterij alij ſibi vendicare cœperunt, eratque videre miſeria, nobis penuriam patientibus, alios noſtrî oppreſſione gloriari. Fuére tum etiam, qui conſulerent Petronillæ, auaritia eos potiùs, quàm religione, ſtimulante, vt vetus eccleſia, tanquam anguſta & parùm decora, deſtrueretur. Itaque tres laici eius eccleſię prę- lati conſtituti ſunt, lupi veriùs quàm paſtores, Folpertus albus, Eilgerus & Stephanus. Qui eam nacti opportunitatem, ſub conſulendi prętextu, clàm de peculio noſtro prędas agebant, domumque Dei paulatim expilantes, homineſque eccleſiæ in ſuam ditionem redigentes, domos ſuas pecunijs impleuerunt. Vidiſſes tum eorum proles, cognatos & affines inire matrimonia, dotes ſibi parare ex facultatibus noſtris, & ita breuì magnas opes eccleſiæ noſtræ ad magnã tenuitatem redigi. Sed non ſemper dormitat ille, qui dicit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Cùm facerent ergo illi, quæ minimè deceret, ita diuinitùs mulctati ſunt, vt omnes anno vno inopinata & immatura morte perierint, ſuo exemplo docentes veriſſimè dixiſſe Apoſtolum, Qui deſtruit templum Dei, diſperdet illum Dominus. Deinde non ſolùm eccleſiæ & monaſterij eiuſque officinarum omnium ruinæ inſtauratæ ſunt, ſed etiam collapſi mores, & fratrum atque religionis magnus defectus, Domino fauente, in melius reformata ſunt. Quædam etiam alia miracula his ſubiunguntur, quæ, ne ſimus prolixi, prætermiſimus: hoc vnum tamen minimè prætereundum arbitrati, quod ibi de quodam Friderico pio & religioſo monacho eſt annotatum: qui anno Chriſti milleſimo, centeſimo quadrageſimotertio, cùm nouum templum Egmundanum dedicaretur ab Hartberto Traiectenſi Epiſcopo, Præſente Theodorico nono Hollandiæ Comite & Sophia vxore eius, & populi maxima multitudine, ſacræq; reliquiæ ſanctorum ab eodem Epiſcopo in altaribus cõderentur: in perquirendis, inſpiciendis, tractãdis, diuidẽdis

Zacha. 2. Vltio diuina in vſurpatores rerum monaſterij. 1. Cor. 3.

dis & exportandis reliquijs omnium fuit ſtudioſiſſimus. Sed ecce mox à dedicatione idemipſe Fridericus diuinitùs caſtigatur, laboratque corpore, & fit mentis inops, ita vt nec verba nec geſtus eius, moribus & perſonæ illius congruerent. Poſt paucos autem dies morbo eum grauiſſimè infeſtante, & fratribus pro illo orantibus, illa Cruce conſignatus eſt, quam Egbertus Treuirorum Archiepiſcopus Egmundanæ eccleſiæ dedit, cuius virtutes crebrò experti ſunt & commemorare ſolent eius loci fratres, & pleriq; laici. Ab ea conſignatione mox ſenſu integro, Crucem illam, reuerenter ſeſe inclinãs, ſalutauit. Nec multò pòſt totus curatus eſt. Multi tum in ea fuêre ſententia, idcircò caſtigatum eum fuiſſe, quòd tam audacter minuſque cautè ſacras reliquias tractâſſet: vt diſcat homo, putredo & vermis, eiuſmodi ſe rebus non temerè ingerere, ſed cum tremore & ſumma reuerentia tractare diuina.

Virtutes S. Crucis.

Nota.

MARTYRIVM SS. IOHANNIS ET PAVLI, ITEM GALLICANI VIRI CLARISSIMI, A' TERENtiano conſcriptum.

Conſentiunt antiquiſſima Martyrologia: Ado Epiſcopus maximam eius partem ferè ad verbum habet in ſuo Martyrologio. Nos aliquot loca nonnihil elimauimus.

Iunij 26. Cap. 1.

SVB Conſtantino Auguſto, & Gallicano Duce Romani exercitûs, Perſarum gens, quæ Syriam inuaſerat, victa & profligata eſt: cumq; idem Gallicanus triumphalibus inſulis ſublimatus, acceptus eſſet Auguſto Conſtantino & charus, filiam eius ſacratiſſimam virginem Conſtantiam ſibi poſcebat vxorem: idq; non mediocri inſtãtia tum eſflagitabat, cùm gens Scythica, quæ Thraciam occupauerat, immineret. Et quia magna erat authoritate, Comites omnes & præfecti cum vniuerſo populo Romano, vt id fieret, poſtulabant. Conſtantinus verò Auguſtus magno cœpit animi dolore affici, quòd ſciret filiam ſuam in ſancto propoſito manentem, faciliùs occidi poſſe, quàm vinci. Quæ cùm patris ſolicitudinem ſtudio ſanctitatis conaretur excludere, dixit ad eum: Si certiſſimum non haberem, quòd me non deſerat Deus, rectè & formidini meæ, & ſolicitudini tuæ locus aliquis daretur. Cùm verò certa ſim de Deo meo, pone pater omnem hanc ſolicitudinem tuam, teque me illi coniugem daturum promitte ea conditione, vt ſi Scytharum gentem ſuperauerit, me victor ſimul & Conſul accipiat: porrò ſponſionis huius gratia duas filias virgines, quas ex amiſſa coniuge ſuſcepit, vſq; ad nuptiarum diẽ apud me eſſe ſinat: atq; ipſe Iohannem Præpoſitum & Paulum Primicerium meum apud ſe comiter habeat: vt & ipſe me per familiares meos alloqui & cognoſcere poſſit, & ego per eius filias votum, mores, inſtitutumq; illius cognoſcam. Facta ſunt omnia hęc, ſicut virgo diſpoſuit, & quaſi inſtar arrhabonis cuiuſdam dãtur Gallicano duo fratres eunuchi ex parte Auguſtæ, & duę ſorores, Gallicani filiæ, ipſi Auguſtæ traduntur: quæ ita erant liberalibus ſtudijs eruditæ, vt vix in virorum ſapientium numero illis pares ſcientia inueniri poſſent. Altera ex ijs Attica, Altera Arthemia dicebatur. Quas cùm Conſtantia ad ſe venire didicit, expandens manus ad Dominum, ſic orauit:

Cap. 2. Oratio Conſtantiæ Virginis.

Domine Deus omnipotens, qui me orationibus tuæ martyris Agnæ à lepra mundâſti, & ſemitam mihi timoris tui propitius oſtendiſti, virginitatiſque thalamum reſeráſti: vbi tu ſponſus, tu filius manifeſtatus es: tu genitus ex Maria, tu genitor probatus es Mariæ: tu lactatus vberibus Mariæ, tu omne ſeculum nutriens, ſimul etiam illam, à qua lactatus es & nutritus: tu infantulus creſcens ætate, tu omni ſeculo incrementa tribuens: tu ſapientia proficiens, cùm ipſe ſis ſapientia: tu ita magnus, vt te magnificentius nihil ſit: tu verus homo ex matre editus in tempore, tu verus Deus ex patre ſine matre genitus in æternitate: Deus de Deo, feciſti quæ non erant: ex matre ſine patre carnali editus, quæ lapſum incurrerant, reparâſti: tu fuſus in lucem, illuminatus es, cùm ſis ille, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Te deprecor, credens quod iuſſiſti, te quæſo petens, quod ipſe promiſiſti, cùm diceres: Amen dico vobis, ſi quid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. Peto itaq; Domine, vt has Gallicani filias tu lucreris, ipſum quoque Gallicanum, qui me tibi auferre conatur,

Iohan. 1.

Iohan. 15.

tur, tuæ fidei adiungere digneris. Aperi Domine os meum auribus earum, & aperi aures cordis earum ſermonibus meis, conſenſuſque illarum mihi pande ianuam, & tantam verbis meis vim largiaris, vt carnis commercium reſpuentes, tibi conſecrari deſiderent, atque ex hoc deſiderio tantus amor in earum pectore exiſtat, vt feruenter inhiantes ad thalamum illum tuum cæleſtem, plenis oleo lampadibus & tuæ charitatis ſplendentibus flammis ad eum pertingant, vt loco ipſis inter ſapientes virgines attributo, de tua miſericordia glorIantes, nihil terrenum appetant, ſed te ſolum integro viſcerum ſuorum affectu concupiſcant. Hanc verò orationem fuiſſe Conſtantiæ, ipſa narrante didicimus, quam etiam ab ea ſcriptam legimus. Vti verò Atticam & Arthemiam ad Dominum conuerterit, quòd ad Gallicani martyrium explicandũ properem, ſtudioſè prætereo.

Igitur veniens Gallicanus ouans, à Conſtantino, eiuſque liberis, atq; ab omni Comitatu & Senatu excipitur: nec priùs ingreſſus eſt vrbem Romam, quàm ad ſacra Petri Apoſtoli limina perrexiſſet. Dixit autem ad eum Conſtantinus: Cùm ad bellum proficiſcereris, in Capitolium & templa ingreſſus, dæmonibus immolâſti: & iam inde victor rediẽs, Chriſtum adoras & eius Apoſtolos? Quid verò iſthuc rei ſit, mihi nôſſe cupienti pande per ordinem. Gallicanus eum adorans, ait: Cùm Scythica gens me in Thraciarum Philippopoli concluſiſſet, trageſque noſtrorum plurimas edidiſſet, formidante me cum illis confligere, quòd exigua eſſet mihi militum manus, illorum autem innumera multitudo, inſiſtebam ſacrificijs, & varias Marti victimas offerebam, & quid multis moror? Creuit tandem obſidio, & omnes tribuni & milites mei ſe hoſtibus dedidêre. Cùm autem cuperem ego fugæ aditum reperire, Paulus & Iohannes, quorum alter præpoſitus, alter primicerius eſt dominæ meæ, pietatis veſtræ filiæ, Cõſtantiæ Auguſtæ, dixerunt mihi: Nuncupa votum Deo cæli, ſi te liberauerit, fore te Chriſtianum: ſicque eris victor ampliùs quàm fuiſti. Fateor, ſacratiſſime Imperator, ſimulatque votum hoc ore meo prolatum eſt, apparuit mihi iuuenis ſtatura excelſus, ferens in humero Crucem, & dicens: Sume gladium tuum, & ſequere me. Cũque ego ſequerer illum, apparuerunt mihi hincinde milites armati, confirmãtes me atque dicentes: Nos tibi præſtamus officium: tu ingredere caſtra, & dextera leuaque tenens gladium euaginatum, reſpice donec ad ipſum regem peruenias. Ad quem cùm perueniſſem, proſtratus ille ad pedes meos, rogauit vt ſanguini ipſius parcerem. Ego flexus pietate, nullum penitus ex illis occidi, nec occidi iuſſi ab alijs. Atque ita vniuerſa Thracia à Scythis liberata eſt, & Scythæ facti ſunt tributarij. Tribuni omnes, qui ad me cum ſuis militibus reuerti voluerunt, niſi fierent Chriſtiani, à me minimè recipi potuerunt. Eos autem qui in id conſenſêre, gradu ſublimiori affeci, cæteris militia priuatis. Porrò meipſum iam Chriſtianum effectum, ita Deo deuoui, vt etiam à coniugio promiſerim abſtinere. En habes quadruplicatum exercitum, habes Scythas tributarios, & omnem Thraciam in libertatem vindicatam. Mihi, quæſo, propitij, ſuccedi iubete, vt liberè poſſim vacare religioni quam didici, & in veritate perſtare, quam profectò cognoui. Hæc dicẽte Gallicano, Imperator miſit ſe in amplexus eius, referens vniuerſa quę geſta ſunt circa filias eius, quemadmodùm virgines Chriſto conſecratæ eſſent, & per illas ſua gratia Chriſtus alias duas acciuerit, vtque doctrinæ ſummam complexæ, ad perfectionem contenderent, & inter ipſa rudimenta, quę perfectionis ſunt, conſectatæ ſint. Deinde cum Auguſto Gallicanus intrauit in palatium: cui beata Helena cum Conſtantia & duabus eius filiabus occurrit, fundebanturque lachrymæ gaudijs plenæ. Nec permittebatur ad domum ſuam redire Gallicanus, ſed quaſi gener Auguſtorum, in palatio morabatur, cernens filias ſuas flentes in laudibus Dei. Cùm vellet autem priuatus abſcedere, rogatus ab Auguſtis, Conſul proceſſit, & in faſcibus poſitus, quinque millia ſeruorum libertate donauit, & ciues Romanos fecit, prædia quoque & domos eis largitus eſt: omneſq; facultates ſuas, ijs exceptis, quæ filiarum erant, diſtrahi & pauperibus erogari iuſſit: manenſq; in vrbe Oſtienſi, ſancto viro Hilarino ſe adiunxit, eiuſque ædes auxit ad ſuſcipiendos peregrinos, quos permultos recipiebat. Adhæſerunt autem ei multi ex ſeruis eius, quos manumiſerat: diuulgataque eſt fama eius per totum orbem, ita vt ab Oriente & Occidente venientes, viderent virum ex patritio & conſule, qui eſſet Auguſtis amiciſſimus, lauantem pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſolicitè miniſtrantem, & cætera ſanctæ ſeruitutis officia exhibentem. Ipſe primus in Oſtienſi vrbe extruxit eccleſiam, & ditauit officia Clericorum. S. Laurentius Leuita ei apparuit, adhortans eum, vt in ipſius nomine eccleſiam fabricaret in porta, quæ hodieq;

Cap. 2.

Gallicanus vouet ſe Chriſtianũ fore, & vincit Scythas.

Manumittit 5000. ſeruorum Gallicanus.

Vide S. Gallicani humilitatem.

dieq; Laurentia nuncupatur. Rogatus autem, vt ibi inſtitueretur ipſe Epiſcopus, non conſenſit: ſed ex ſua voluntate quendam, qui ordinaretur, elegit: tantamque gratiam ei largitus eſt Dominus, vt pleni dæmonibus, mox vt in eius conſpectum veniſſent, mundarentur, & multa in eo eſſet curandorum morborum vis & efficacia.

Potens in miraculis.

Cap. 4. Cùm autem decedenti Conſtantio Iulianus ſucceſſiſſet, legem is tulit, ne Chriſtiani quicquam in hoc mundo poſſiderent. Porrò Gallicanus in pago Oſtienſi quatuor caſas habebat, quarum penſiones in eos, quos diximus, conferebat vſus, adeoque Dominum meruit habere defenſorem, vt quicunque in eas ingrederetur ad fiſci titulos conſtituendos, aut penſiones exigendas, ſtatim à diabolo obſideretur: & quiſquis actorum eius eſſet exactor, leproſus fieret. Tum verò conſulti dæmones reſponderunt, niſi ad ſacrificandum cogeretur Gallicanus, exactores prouentuum eius hæc pericula minimè euitaturos. Sed cùm nemo ad hoc ſcelus auſus eſſet hortari Gallicanum, mandauit ei Iulianus, vt aut ſacrificaret dijs, aut è finibus Italiæ excederet. Tum ille mox, relictis omnibus, Alexandriam petijt, & ibi per annum integrum iunctus eſt cõfeſſoribus Chriſti. Poſteà mox receſſit in eremũ, ibiq; à Rauciano Comite tẽplorum, dum cogeretur ſacrificare, & contemneret, percuſſus gladio in corpore, Chriſti martyrem fecit, atque ita gaudens cum triumpho perrexit ad Dominum. Cui ſtatim baſilicam ſui nominis conſtruxerunt, in qua exuberant beneficia martyrij eius ex eo, & nunc, & vſque in ſecula ſeculorum, Amen.

Cæditur martyr clariſſimus.

Cap. 5. Hilarinus autem, qui quondam Gallicanum in vrbe Oſtiẽſi ſuſceperat, cùm cogeretur à fidei Chriſtianæ perſecutoribus ſacrificare, & nollet, fuſtibus cæſus martyr effectus eſt, eiuſq; corpus in eadem vrbe Chriſtiani honorificè tumulârunt.

Hilarini martyriũ.

Cap. 6. Porrò verò Iulianus, captus cupiditate ſacrilega, auaritiæ ſuæ Euangelij ſententiam prætexebat. Facultates enim & patrimonia Chriſtianis auferens, dicebat: Chriſtus veſter dicit in Euangelio: Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Peruenit autem ad eum, Paulum & Iohannem quotidiè turbas Chriſtianorum pauperum recreare ex ijs opibus, quas ſacratiſſima virgo Chriſti Conſtantia reliquiſſet. Itaque miſit ad eos qui dicerent illos debere ipſi adhærere. At illi reſpõderunt: Homines Chriſtiani ſumus. Auguſtæ memoriæ Conſtantinus & eius liberi, cùm Auguſtæ dignitatis apicem ornarent, & ſe Chriſti ſeruos gloriarentur, nos illorũ imperio famulabamur. Illi enim euntes in eccleſiam, poſito diademate, ad adorandum Deum proni ſe in terram proſternebant. At poſtquam mundus dignus non fuit tales habere Auguſtos, & cæli eos inter Angelos ſuſceperunt, tibi verò à Conſtantio regni ſolium traditum, tu religionem virtutibus plenam deſeruiſti, & ea ſectaris, quæ optimè nôſti Deo minimè probari. Ea igitur cauſa te ſalutare noluimus, ſed a ſocietate Imperij tui nos penitus ſubduximus. Sumus enim non pſeudochriſtiani, ſed verè ignisij. Iulianus rurſus mandauit eis: Ego etiam Clericatum in Eccleſia obtinui, & ſi voluiſſem, ad primum Eccleſię gradũ perueniſſem. Sed conſiderãs vanũ eſſe, relictis rebus neceſſarijs & vtilibus, inertiam ſectari & ocium, ad bellicas res animum appuli, & dijs ſacrificaui, quorum fauore ad imperij faſtigium perueni. Vnde perpendere debetis æquum non eſſe, vt vos in aula regia nutriti, deſitis lateri meo, ſed potiùs id congruere, vt primos vos habeam in palatio meo. Quòd ſi contemptus à vobis fuero, neceſſe mihi erit agere, vt cõtemni non poſſim. Paulus & Iohannes dixerunt: Non tibi hanc facimus iniuriam, vt qualemcunque hominem tibi præferamus. Dominum tibi anteponimus, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quę in eis ſunt. Idcircò autem tuã hominis mortalis amicitiã declinamus, ne in Dei immortalis inimicitiã incurramus. Nôſſe igitur te volumus, nunquam ad te ſalutandum vel colendum, nunquam ad palatium tuum nos eſſe venturos. Iulianus reſpondit: Habetis à me decem dierum inducias, vt animum veſtrum componentes, prudentiori vſi conſilio, non coacti, ſed vltrò ad me venire maturetis. Quòd ſi ita non feceritis, poſteà vel inuiti facietis, quod ſpontè non vultis. Paulus & Iohannes dixerunt: Iam illos decem induciarum dies puta pręteriiſſe, & quod te illis elapſis facturum minaris, hodiè facito. Iulian⁹ ait: Putatis, quòd martyrum loco vos Chriſtiani habituri ſint? Et cùm hoc dixiſſet, ſurrexit iratus, dicens: Poſt diem decimum ad me ſpontè venientes, amicos vos habebo: nolentes autem, tanquam hoſtes publicos vos puniam.

Luc. 14.

Vox apoſtata digna.

Pſalm. 145.

Conſtantia ſanctorum martyrum.

Cap. 7. Tum verò ſancti viri Iohannes & Paulus Chriſtianos ad ſe inuitantes, ordinauerunt de omnibus quæ relinquere poterant, ac totos decem dies diù noctuque eleemoſynis inſiſtebant. Vndecimo autem die intra domum ſuam conſtricti ſunt, miſſuſque eſt Terentianus Campiductor ad eos cum militibus hora cœnandi. Qui ingreſſus, vt

Omnia ſua dant pauperibus.

eos vidit orantes, dixit: Dominus noſter Iulianus ſtatunculam auream Iouis ad vos miſit, vt illam adoretis, & thura ei incendatis: quod ſi non feceritis, ambo gladio feriamini. Non enim vos in palatio nutritos, publicè occidi par eſt. Iohannes & Paulus reſponderunt: Si Iulianus tuus eſt dominus, habeto * partem cum domino tuo. Nobis alius dominus non eſt, niſi vnus Deus pater & filius & ſpiritus ſanctus, quem ille negare non timuit. Et quia ſemel à facie Dei proiectus eſt, vult etiam alios ſecum trahere in perditionem. Hæc & his ſimilia multa cùm illi dicerent, Terentianus, volens placere Iuliano, à quo in mandatis habebat, vt ſine ſtrepitu eos puniret, poſtquam eos ad adorandum Iouem & thura cremanda compellere non potuit, poſt tertiam noctis horam intra domum illorum foueam iuſſit fieri, in quam, ipſo iubente, capite cæſos & mox inuolutos deponi mandauit, eiuſmodi ſparſa fama, iuſſu Cæſaris eos in exiliũ relegatos eſſe. neq; enim vllum cædis eorum veſtigium extabat.

* pacem

Gladio ceduntur Iohannes & Paulus.

Cap. 8.

Non diù pòſt Iuliano in bello aduersùs Perſas interfecto, & Iouiniano Chriſtianiſſimo Imperatore illi ſubrogato, apertæ ſunt eccleſię, & Chriſtiana religio gaudere cœpit. Dæmones autem ex obſeſſis, corporibus intra domum Iohãnis & Pauli eijciebantur, confitentes ſanctam paſſionem eorum: ita vt vnico filio Terentiani, qui eos nocte decollauerat, in illam domum veniente, clamaret dæmon per os eius, à Paulo & Iohanne ſe inflammari. Tunc Terentianus veniens proſtrauit ſe in faciem, clamans, quòd neſciens quid faceret, homo paganiſſimus iuſſis Cæſaris paruiſſet. Atq; ita, dato nomine ſuo, ad proximum Paſchæ diem percepit Chriſti gratiam. Cumque deinde multùm dolens, aſſiduè preces & lachrymas funderet in loco illo, in quo ſanctorum corpora quieſcunt, ab illis filius eius curatus eſt. Ipſe verò Terentianus ſcripſit hanc ſanctorum martyrum paſſionem ad laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Terentianus credit in Chriſtũ.

VITA SANCTAE MEMORIAE ANTHELMI, EX PRIMAE CARTHVSIAE PRAEFECTO EPISCOPI

Bellicenſis: edita à quodam eius æquali, & familiari amico. Stylum mutauit F. Laur. Surius, pleriſque redditis paraphraſticôs.

PROLOGVS AVTHORIS.

APVD ethnicos antiquitùs more comparatum fuiſſe nouimus, vt maiorum ſuorũ, qui fortiter & præclarè ſe geſſiſſent, imagines ſiue ſculptas, ſiue pictas ſtatuerent, vt earum cõtemplatione, poſteri ad expetendam virtutis & probitatis gloriam, virorum fortiũ exẽplis admoniti, incitarentur. At verò fideles vnius veri Dei cultores, multo & ſolidiùs & conuenientiùs atq; digniùs tum beatiſſimorũ martyrũ inuictiſſimos agones & illuſtriſſimos triumphos, tũ ſanctorũ Confeſſorũ præclara certamina & cũ ſæuiſſimo hoſte diabolo conflictus diuturnos, egregiasq; virtutes & ſtupenda miracula ſcripto cõpræhendere, & ad poſteritatis notitiã tranſmittere voluerunt: quod nemo dubitat tum pictura, tum ſculptura longè eſſe præſtantius. nec ſanè immeritò id illi ſibi faciendũ putauêre. Si n. ethnici illi vel potentia, vel rebus fortiter & ad virtutis præſcriptũ geſtis inſignes, laude digni videntur, multò potiùs martyres & confeſſores Chriſti cõmemorandi, laude & prædicatione efferendi, multoq; honore afficiendi ſunt, idq; in præpotentis Dei, q in illis & per illos operatus eſt, laudem, gloriam & honorẽ. Illi enim hoſtes ſuos, homines mortales & infirmos: iſti totum mundum & hoſtes inuiſibiles, multa vi & verſutia inſtructos vicerunt. Illi opes & facultates perituras: hi theſauros indeficientes & regnum ſempiternum obtinuerunt. Qua ex re facilè poteſt animaduerti, quàm ſit nobis neceſſarium eos omni, qua poſſumus, deuotione venerari, & precibus agere apud illos, vt velint nobis ſemper & vbiq; eſſe patroni & protectores, vt etiam nos in aliqua eius regni parte adſcribi mereamur. Laudemus igitur Deum mirabilẽ in ſanctis ſuis, eiq; gratias agamus, quòd noſtris temporibus B. Anthelmum Bellicẽſem Epiſcopum ſanctorum ſuorum meritis æquatum perſpicuè declarauit luculentis ſignis crebriſq; miraculis illum longè lateq; celeberrimum efficiens. De cuius vita & ſancta conuerſatione, ne negligentiæ arguamur, ego N. qui nomen meum modeſtię cauſa latere cupio, licet exili ingenio & tãtæ rei impar, amore tamen illius, & vt eius mihi patrociniũ

Sancti honorandi & inuocandi.

con-

Num 22. Cap 10. conciliem, impolito quidē ſtylo, ſed bona fide ac deuota mente, ex multis pauca ſcribenda ſuſcepi, non meis fretus viribus, ſed illius virtute & benignitate, qui bruti animantis os verba edere docuit, & infantium linguas diſertas facit.

VITAE HISTORIA.

IVNII 26. cap. 1. CELSA magnaq; progenie claris in mundo parētibus, tali prole beatis, patre Arduino, ex Allobrogum (author Sauoiæ habet) caſtello Signino, matre nobiliſſimis ſuæ patriæ hominibus orta, beatus Anthelmus editus eſt: cui ea cura fuit, vt Deo, cui placuit, ſeruiret: & ita qui erat nobilis genere, Chriſti ſeruitute multo factus eſt nobilior. Diuina autem prouidentia, cui is curæ erat, id agente, parentum voluntate adhuc puer ſacris diſcendis literis traditus eſt. (Traditur literis.) Poſtquàm autem adoleuit, egregia indole fuit, tantaque diuinitùs gratia perfuſus eſt, vt eſſet omnibus gratus, & ab omnibus, qui eū noſſent, charus haberetur. Etſi autem iam DEO quoque gratus eſſet, vt arbitramur, nō tamen ilicò ad religioſam viuendi rationem ſe conferre voluit, arridentis ipſi ſeculi blandimentis illectus, neque enim adhuc accuratè verſabatur in commemorandis nouiſſimis, quorum ſedula cogitatio retrahit à peccatis. (Eccleſ. 7. Sap. 8.) Facilè autem mihi perſuadeo diuinæ ſapientiæ id ita factum eſſe diſpenſatione, quæ fortiter ſuauiterque omnia diſponit: vt quo illi res magis ſecundæ magiſq; ad voluntatem fluerent, eo à patre cæleſti tractus ad Chriſtū, (Mundus illi blanditur.) maioribus ſanctitatis meritis cumulatus videretur. Itaque in Gebennenſem & Bellicenſem eccleſias aſſcitus, breui magnis eſt auctus opibus & prouentibus, honoribus quoque & dignitatibus eccleſiaſticis, ita vt prouectioris ætatis viris, atque etiam grauiſſimis ſenibus anteferretur. In Gebennenſi enim eccleſia Præpoſitus & Secretarius, in Bellicenſi Secretarius creatus eſt: quæ illic præcipuæ dignitates habētur. Cumq; multæ ei eſſent facultates, non id ei ſtudio fuit, vt opes colligeret & coaceruaret, ſed vt liberaliter & honeſte eas expenderet. Delectabatur enim fauoribus & laudibus hominum, vt ſolent illi, qui in precio haberi volunt. Prætereuntes vel aduentantes illuſtres viros, tam religioſos, quàm ſeculares, reuerenter accipiens, immò & pertrahens, honorificè tractabat, & obſequia opportuna officioſiſſimè exhibebat. Ita fiebat vt ſecundum ſapientis ſententiā, regno vtiliùs meritis innumeros ſibi lōgè lateq; pararet amicos. (Benignitas eius in pauperes.) Habuiſſe verò fertur aliud quiddā longè præſtabilius, erga pauperes ſcilicet & afflictos animū pium & benignum. Certum eſt aūt, vnam aliquā virtutem, ſi inſit in homine, etiā ad alias eū perducere, quod quidem vel maximè facit charitas, ſine qua cæteræ virtutes nullæ ſunt. (Eleemoſynæ quid præſtent.) Charitatis aūt eximia proles eſt eleemoſyna cuius qui ſtudioſi ſunt, amorem Dei & theſauros inæſtimabiles ſibi acquirūt, tū etiā bona præſentis vitæ & ætatis annos plurimos, amicos certos, fidos, magnos, atque ſempiternos.

Cap. 2. Etſi autem, vt diximus, Anthelmus vanis & caducis eſſet rebus implicatus, attamen ſummoperè cauebat, nè quid flagitiosè, impurè aut turpiter admitteret. Et hæc quidem pauca de ſeculari eius vita præmiſiſſe ſufficiant: nunc ad ea referenda accedimus, quæ illum efficiunt verè beatum. Appropinquante tempore illo, quo ad Chriſti imitationem ſe erat cōpoſiturus, & felici mutatione in alium virum abiturus, nempe perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, cœpit hominum religioſorum, inprimis Carthuſianorum, loca inuiſere, vitam eorum explorare, libenter illorum ſermones audire: at necdum tamen magno conuerſionis deſiderio, ſed quadam potius curioſitate. Admonebatur interim ab ijs, quos adibat, ſeruis Dei: ſed quis illius facilem ſibi conuerſionem auſus eſſet polliceri, cui tam proſperi eſſent rerum ſucceſſus, tanta felicitas, tantæ etiam maiorum honorum propoſitæ ſpes? Ecce autem inuiſente illo cum quibuſdam coætaneis ſuis Carthuſiam, quam Portarum vocant, vt Chriſto illic ſeruientes accederet, cū dominus Bernardus venerabilis Prior (Bernardus Prior Carthuſianus egregius.) verba ſalutis ei loqueretur, cuius ſanè opera innumeri à deuijs vitiorum callibus ad Deum conuerſi ſunt, & in diuerſa loca ablegati: itemque nonnulli ex fratribus eum ſummoperè ad conuerſionem hortarentur, Chriſti gratiam & vitam æternam ſummamq; felicitatem & ampliſſimos in cælis honores ei promittentes: nō tum quidem ſtatim aſſenſit, ſed petens vt pro ipſo Dominum orarent, atque illorum precibus ſe commendans, ijſq; valedicens, abſceſſit. Cumq; ad inferiorem eius Carthuſiæ domū veniſſet,

veniſſet, ea nocte retentus eſt à fratribus & Boſone Procuratore, mirabilis induſtriæ viro, eiuſq́; cognato. Manè iterum aſcendit ad domum ſuperiorem, fratres denuò adit, illorum domicilia & cætera omnia perluſtrandi copia ei datur. Vt ſenſère autem fratres emollitum animum eius, tempus nacti opportunũ, de contemptu mundi ſermones repetunt, hortãtur vt exigua pro magnis, pauca pro multis, falſa pro veris, pro ſempiternis fluxa & caduca, pro ſalutaribus noxia, pro vita mortem, pro Deo mundum contemnere ne dubitet. Quid multa? Diuini timoris ſpiritu correptus, conſilij & fortitudinis ſpiritu confirmatus, repentina mutatione iã alius effectus, amicus Dei haud vulgaris propediem futurus, omnia quæ mundi ſunt, prorſus reſpuit & à ſe abdicat, vni Deo inhærere conſtituit, eiuſq́; cultui & ſeruituti totum ſe addicit: moxq́ue in fratrum illorum collegium & ſodalitatem admitti ſe poſtulans, ab illis comiter receptus eſt. Hortantibus autem illum fratribus, vt properè res ſuas diſponeret, iiſq́; compoſitis ocyùs rediret, certumq́;, ad quem adeſſe deberet, diem illi præſtituerent: ille nõ abſurdè ratus, iuxta ſententiam Domini Saluatoris, manu ſemel ad aratrum miſſa, non eſſe reſpiciendum retrò, ne parùm aptus eſſet regno Dei: Hæc eſt, inquit, illa dies, qua deliberatum eſt mihi perpetuò cum Domino permanere. Suppetunt, vnde æs alienum diſſoluatur, nec deſunt amici fideles, qui omnia exequantur. Itaque monaſtico eius Ordinis habitu hilariter ſuſcepto, cum multa pietate, deuotione, feruore animi vixit inter illos: atque diſciplinis regularibus & arrepti inſtituti obſeruãtia ita breui inſtructus eſt, vt iam perfectus videri poſſet.

Subitò totus ad Deũ conuertitur. *Luc. 9.* *Fit Carthuſianus more Apoſtolorum omnibus relictis.*

Per id tempus primaria Carthuſia pauciſſimos habebat monachos. Quamobrem dominus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, vir prudens & eximia virtute, qui beato Hugoni ſucceſſerat, & poſteà Viennenſis Archiepiſcopus creatus eſt, multis precibus à Portarum Carthuſiæ fratribus contendit: vt fratrem Anthelmum, qui adhuc nouitius erat, Carthuſiæ magnæ permitterent. Dimiſſus ille ad eam Carthuſiam, vbi Ordo Carthuſianus primùm cœpit, adeò fuit propoſiti tenax & monaſtici Canonis diligens, conſtans & ſtrenuus cultor, vt multas de ſeipſo victimas offerret Deo, & vita eius cæteris exemplo eſſet: quibus tamen certè id impoſſibile videbatur, vt eius ſtudia imitarentur, cùm ille ſupra vires humanas ſeſe perpetuò exerceret. Sed neque ille id potuiſſet, niſi diuina fretus virtute, per illum & in illo omnia efficiente. Erat crebrò pernox in vigilijs: orationi, lectioni, ſanctæ meditationi, laudibus diuinis die noctuq́ue vacabat: cumq́ue ſcriptura dicat, Multam malitam docuit ocioſitas: certumq́ue ſit, ocium animæ inimicum eſſe: ne vllum tempus vacuum abſcederet, etiam labori manuario incumbebat, ſed multo ampliùs exercitijs ſpiritualibus. Lachrymarum tanta illi copia fuit, vt in precibus & meditationibus, quarum magna illi erat aſſiduitas, in ſuorum alienorumq́ue peccatorum commemoratione, erga afflictos & quaſuis hominum calamitates commiſeratione, denique pro cæleſtis regni deſiderio quidam lachrymarum riuuli ab eius oculis manare viderentur, intimo pietatis affectu expreſſi. In eccleſia ſub ſolenni quotidianarum precum perſolutione, torrentes quidam ex eius oculis prorumpebant. Sub Miſſæ ſacrificio, vbi totum ſe Deo mactabat in holocauſtum, totus erat ſpiritualis, totuſq́ue Deo inhærebat. Frequentiſſimum id illi erat, nocte ac die verberare pectus, genua flectere, toto corpore ſe humi proſternere, terrã exoſculari, atq; ita humiliare & abijcere ſeſe coram Deo. Quotidiè creberrimis virgarum ictibus cædebat dorſum & latera, plagaſq́; plagis cumulando, nunquam patiebatur carnem liuoris expertem aut cutem integram manere. Solitudinem, ſilentium, ieiunia, obedientiam, cæteraque Ordinis inſtituta accuratè obſeruabat.

Cap. 3. *Mittitur ad primariam Carthuſiã.* *Eius exercitia.* *Eccle. 33.*

Cùm his aũt alijſq́; maioribus, quibus nec commemorandis quidem ſufficimus, Dei ſeruus ſtudijs ſeſe exerceret, Prior & fratres id conſultum fore arbitrati ſunt, vt eius induſtria in rerum externarum adminiſtratione, tanquam neceſſaria vterentur. Itaq; inſtituitur Carthuſiæ Procurator. Et ille quidẽ, ne inobedientiæ culpa ſe obſtringeret, id miniſterium humiliter ſuſcepit, prudenterq́; ac ſtrenuè executus eſt. Si qua noxia vel inutilia aut reperiret, aut fortaſſis exiſterent, ea mox profligauit, religioni contraria demolitus eſt, inhoneſta correxit, fratres laicos ab illicitis compeſcuit. Si quem vidiſſet diſſolutum, vagum aut negligentem, arguendo, obſecrando, increpando, caſtigando eum emendatiorem efficere conabatur, nec quenquam ſinebat à regulæ præſcripto deflectere. Pauperibus & egenis pro diuinitùs ipſi indita pietate & humanitate, multã exhibebat cõmiſerationem, eſurientes cibo recreabat, nudis præbebat veſtes, afflictis & miſeris non ſolùm conſolationẽ, ſed etiam ſeipſum impẽdebat.

Cap. 4. *Fit Procurator.*

Kkkk Quanuis

Quamuis aût his atq; id genus alijs miſericordiæ officijs diligentē nauaret operā, attamen ſtudioſiùs ad amica Cellulæ ſuæ, tanquā nutricis & omnium magiſtræ, exercitia & quietem atq; tranquillitatem aſſiduè receptum habebat: atque ita Marthæ bonum quidem, ſed tamen in multa diſtractum, & actuoſum curabat miniſterium, vt potiorem Mariæ partem, quā ſibi delegerat, nequaquam deſerendā putaret: ſicq; erat ſollicitus erga plurima vt vni illi, quod neceſſarium eſt, cui vacare cœperat, inhæreret, in neutro deficiens. Nanque ieiunia, vigilias, corporis caſtigationes, & cætera, quæ antè memorauimus auxit potiùs, quàm quicquam illis detraxit. Mira quidem ſunt hæc, quippe quæ humanarum virium excedant facultatem: ſed præpotens Deus, qui eſt bonorum omnium largitor & author, cui voluntatem dederat, etiam vires ſuggeſſit.

Cap. 5. Cùm iam autem tempus adeſſet à Deo præſtitutum, quo non vni ſibi, ſed plurimis ad Deum adducendis eum intentum eſſe oporteret, vir Deo deuotiſſimus cedente, immò cogente illo, qui tunc primæ Carthuſiæ præerat, & fratribus, Prior creatus eſt. Fuerat eius loci Prior, ſempiterna memoria dignus Guigo, vir venerabilis, qui pro diuinitùs ipſi collata gratia melliſluæ doctrinæ, hanc obtinet prærogatiuam, vt bonus Prior vocetur ab iis, qui de illo loquuntur. Is Carthuſienſi inſtituto modum certosque limites ſtatuit. Regulam enim ipſe conſcripſit, quam Conſuetudines voluit appellari: ſubditos inſtituit verbo & exemplo: ſolerti & vigilanti cura, honeſtè, religioſè ac ſobriè, quæ ad ipſum attinerent, moderabatur: qui ab eo conſilium peterent, iis rectè & ſalutariter conſulebat. Cuius celeberrimi viri idcircò hîc mentionem facere voluimus, quòd ſeruus Chriſti Anthelmus Prior creatus, ad eius ſe imitationem compoſuit, & ſubditos ita viuere voluit, quemadmodùm ille in ſuis conſtitutionibus præſcripſerat: ſi quid verò collapſum eſſet, id inſtaurare curauit. Intepuerat enim Ordinis obſeruantia poſt deceſſum memorati Prioris, nec erat is, qui antea fuerat, religionis feruor ſiue ſeueritas diſciplinæ, propter defectum virorum fortiū: quia inde accidit, quòd beatus ille ſanctorum conuentus, paucis periculum euadentibus, vno die vel potiùs vna hora pariter extinctus, laboris ſui præmium à Domino percepit: quando ab altiſſimis montibus nix, humus & ſaxa in Cellas monaſterii ruentia, fratres ſua mole oppreſsêre. Dedit igitur operam nouus Prior Anthelmus tam ædificijs, quàm moribus inſtaurandis, vt ſi quid ſancti Ordinis priſtina religio & obſeruantia accepiſſet detrimenti, id ad pridem conſcriptas conſtitutiones reformaretur. Negligentem ſi quem cerneret, aut contumacem, admonitionibus, blandis verbis & minis, præceptis quoq; & obiurgationibus ad meliorem frugē reuocare nitebatur: quòd ſi quis nollet reſipiſcere, planeque obſtinatus eſſet, è fratrum ſodalitate illum extrudere non dubitabat. Erant enim nonnulli, qui ſanas inſtitutiones eius non ferentes, cùm eſſent grandes in oculis ſuis, homines maligna mente & in contentiones proclines, illi ſeſe opponere non vererentur. At ille non ferens eorum arrogantiam, ne aliorum pacem & quietem interturbarent, è monaſterio eos eiecit. Sub illius itaque manu & diſciplina proficiebant fratres, fortiter perſeuerantes in exacta monaſticarum conſtitutionum obſeruantia, idq; non in prima Carthuſia tantùm, ſed etiā in cæteris, illo Priores extimulante & adhortante. Et florebat tum Carthuſiana religio, creſcebatq; & multiplicabatur. Quamuis autem pauci quidā fortaſſis plus æquo ſeuerum illum & rigidum in ſubditos arbitrarentur, at plures tamen, qui ſaniori eſſent iudicio, tali patre gaudebant, & ſanctorum delectabantur exercitatione ſtudiorum. Diligebat enim ſuos vir ſanctus, & paterna beneuolentia cōplectebatur, prouidēs eis de omnibus, quēadmodùm ſolet mater, de filiorum ſuorum ſalute ſolicita. Gaudebat cum gaudentibus, cum lugentibus lugebat, aliorum damna & incommoda, ſua putabat, vt poſſet ipſe quoq; de ſuis dicere illud Apoſtoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Solebat ſingulos crebrò inuiſere, ſuaui eloquio mulcere, non ſolùm animabus, ſed etiam corporibus res neceſſarias præbere, prout cuiuſque moribus vel conſtitutioni congruere nouerat. Si quid aūt admiſſum eſſet ab aliquo, id lenitate ac māſuetudine potiùs, quàm ſeueritate corrigere ſtudebat: & cùm ſibijpſi non parceret, alijs indulgendum ſentiebat. Ita ſi qua ab aliquo culpa eſſet perpetrata, veniam dabat pœnitenti, cunctisque fratribus ea, quæ ad victum pertinent, & multiuaria ſolatia atque beneficia conferebat. Infirmis vel animo vel corpore, aut qui tentationibus pulſarentur, ingenti cura ſalutis & conſolationis fomenta adhibebat. Perfectiores verò omni honore dignos exiſtimabat, & tanquam Chriſtum Dominum in illis venerans, multa reuerentia eos proſequebatur, ita vt etiam illis aſſurgeret modeſtiæ cauſa, magiſter diſcipulis, præpoſitus ſubiectis, omnes ſibi anteponens,

nulli

Creatur magnæ Carthuſiæ Prior.

Guigonis encomium.

Fratres in Carthuſia miſerè perierunt.

2. Cor. 11.

Humanitas & charitas eius erga ſubditos.

nulli ſe iuſtitia parem ſentiens. Sed cùm erga morigeros & gratos talem ſe præberet, ingratos, duros, rebelles, arrogantia tumidos ſeueriter coercebat, & ſub iugum ſuperbas ceruices mittens, humiliabat, æquo iuſtitiæ libramento ſingulis pro dignitate reſtituens. Pœnitentiam autem agentibus & ſe peccâſſe dolentibus, mira humanitate & commiſeratione propitius erat.

Cap. 6.

Atque hoc pacto vir beatus in fratrum ſalutem cura peruigili intentus, vitia perſequebatur, virtutes fouebat & promouebat. Hortabatur eos, vt magis magiſq; proficerent, præmia illis cum Chriſto immenſa & ineffabilia proponens. Dicebat cum beatiſſimo Apoſtolo, vt quæ retrò ſunt, obliuiſcentes, in anteriora ſe ſemper extenderēt. Neq; verò his paucis duntaxat, ſed permultis prodeſſe curabat. Fratrem etiam ſuum traxit ad Chriſtum. nam alius frater eum iam præceſſerat. Traxit verò etiam Patrem. Felicem nimirùm parentem, qui tribus filijs, magna virtute viris, præeuntibus, ipſe quoque, contempto cum ſuis vanitatibus & mortiferis illecebris mundo, ſecutus eſt Saluatorem. Felicem planè, qui tales meruit habere liberos, qui rerum caducarum & inſtar fumi labentium ſpreta hæreditate, & ſibi & parenti æternam ſemperq; manſuram comparârunt. Felix felices feliciter ſecutus eſt, non iam filios, ſed patres in Chriſto. Aduentantes etiam, quos non raros habet ea domus, hoſpites, animarum ſuarum ſaluti conſulere cupientes, ad agendam pœnitentiam & vitæ emendationem inuitabat, habita ratione morum & conditionis ſingulorum. Faciebat verò id indiſcriminatim apud Clericos & laicos, apud ſeculares & monaſticæ vitæ profeſſores: quippe qui omnes cuperet ſaluos fieri, illam S. Iacobi ſententiam animo verſans: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte. Erant autem exhortationes eius nonnunquam graues quidem verbis, ſed charitate & beneuolentia refertæ: & quanuis nonnulli eas grauiter acciperent & moleſtè ferrent, mitibus ſanè gratæ erant & iucundæ: nec pauci ijs correcti ſunt, multi ad peccandum facti cunctantiores & tardiores, multi ad agendam pœnitentiam adducti ſunt. Caſtigabat verbis malè viuentes, maximè literatos, nec illorum diſſimulabat vitia, omnis adulationis expers, & perſonas accipere neſciens, nemini parcens, ne ipſis quidem negligentibus aut auaris, vel munera exigentibus Epiſcopis, non Abbatibus erga ſubditos parùm ſolicitis, vel non bona de ſe exempla præbentibus, non presbyteris fœdæ libidinis mācipijs, non denique quibuſcunque ſanctæ Dei Eccleſiæ præfectis vel miniſtris publicè peccantibus. Et certè reformidabant eum omnes, ſed diuerſa planè ratione: alij nō ſine amore, alij cum indignatione & odio: alij beneuolentia eum complectentes, alij ſtomachantes: alij blaſphemantes & conuicijs proſcindentes, alij laude & prædicatione eum efferentes. Nec deerant ſanè, qui ſanctum virum ruſticum dicerent & importunum, nec tamen poterat vel auſus erat quiſquam ſynceritati & æquitati zeli illius ſeſe opponere.

Philip. 3.

Iacob. 5.

Omniū vitia ſeuerè carpit & caſtigat.

Cap. 7.

Intereà verò multarum bonarum conſuetudinum & inſtitutorum ipſe Carthuſiæ magnæ author fuit. Inſtituit nanque, vt ex ijs, quæ monaſticus Canon præſcribit, nihil deeſſet fratribus, nihil illi vnquam carum ſentirent: ſed pararentur illis ea omnia, non habita precij ratione, ſtatutis miniſtranda tēporibus. Atque ijs aliiſq; commodis, hactenus ſuppeditatis, ſtatuit non fraudandos eſſe fratres, ne, de rebus neceſſarijs ſolici & anxij, minùs vacarent diuinarum rerum contemplationi & regularibus diſciplinis. Terminos Carthuſiæ dilatauit & ita obſtruxit, vt fœminæ, quæ anteà prohiberi non poterant, quin in eos ingrederentur, iam ſe excluſas ſentirent. Structuras quaſdam, prout expedire viſum eſt, partim meliores reddidit, partim mutauit, partim nouas effecit. Agriculturæ, paſtorum gregum, denique omnium, quæ eius monaſterij eſſent, curam geſſit. Nec hoc ſilentio tegendum, quoſdam illum aquæductus multo labore prolixis ſpacijs effeciſſe, per quos ad cellas fratrum, ad culinam, cæteraſque officinas tanta aquarum copia deriuatur, vt perpetuo decurrentium lapſu etiam molēdini rota, poſtmodùm illic constructa circumagatur.

De neceſſarijs hæc dicit, non de exquiſitis lautitijs aut rebus ſuperuacaneis.

Cap. 8.

His igitur aliiſque permultis, quæ nimis operoſum ſit omnia annotare, quæ illius prudentia & induſtria effecta ſunt, Carthuſiæ primariæ & ſpiritalium & temporaliū bonorum non paruæ acceſſiones allatæ ſunt. Poſſunt autem monaſteriorum præfecti beati viri exemplis edoceri, quemadmodùm tum ſeipſos, tum ſuæ curæ commiſſa, id eſt, ſubditorum corpora & animas, cæteraque omnia regere ac moderari debeant. Erat ille ita ſtudioſus lenitatis & manſuetudinis, vt eſſet tamen etiam ſuis locis & temporibus ſeuerus. Nouerat vir prudens & grauitatem lenitate, & lenitatem grauitate temperare: quanquam vincebat in illo, naturali quodam Dei munere ei inſita, pietas

Quomodo prælati ſeipſos, & ſibi commiſſos regere debeant.

& miſericordia.Cùm eſſet autem talis & tantus vir, ad cellæ quietem & ſolitudinem inhiabat,quòd parùm ſibi præſtare videretur, immò multam etiam iacturam feciſſe, dum multis occupatus,non poſſet pro voto ſpiritalibus exercitijs inhærere.

Cap. 9.

Abdicat ſe Prioratu.

Itaq; cùm annis duodecim ſtrenuè ac religioſè Carthuſiam illam gubernâſſet,alio in locum ſuũ ſubrogato, ſubeſſe malens quàm præeſſe, obedire potiùs quàm imperare.ad Cellam,cuius ardebat deſiderio,ſe recepit, eius gratiſſima habitatione mirificè delectatus. Lætabatur enim ſolitudine: nec tamen ſæpiùs à Priore vocatus ad conſilium,ſuam operam negabat:neque etiam deſtitit vnquam reprehendere, ſi quid fieret præter decorum aut Ordinis honeſtatem, vel quod inſtituto Carthuſiano minimè conueniret:immò verò quoad vixit, toti Ordini Carthuſiano corrigendo, conſeruando,tuendo & propugnando ſuam operam,quaſi communis quidam parẽs nauauit,& niſi ille fuiſſet,non tantus in Carthuſia diſciplinæ monaſticæ vigor & rigor perſeuerâſſet,ſed illa quoque inſtar aliarum laxo fluxiſſet ſinu. Multis verò etiam alijs ſanctis locis,permultis tum Clericis,tum laicis ad emendationem & religionis incrementum non parùm contulére eius feruentes adhortationes & optima viuẽdi exempla. Sed iam ad alia pergamus.

Cap. 10.

Encomia Bernardi Prioris Carthuſiani.

Per id tempus in Portarum Carthuſia primi Prioris locum obtinebat eximius pater Bernardus, qui quanti apud Deum meriti ſit, qua memoriæ celebritate dignus, multa & præclara, tam in ſpiritalibus quàm temporalibus, eius opera & ſtudia teſtãtur:nempè eius monaſterij amplitudo,terræ ſpatia abundè ſufficientia, domus ipſa ædificata & ſtrenuè gubernata, plurimiſque referta bonis,fratrum diligens cura, diſciplinæ monaſticæ integritas,& boni mores fratrum puraque religio, larga manus in Chriſto,& ad dandum & benignè faciendum egenis porrecta,alia etiam loca, quibus ſuæ facultates non ſufficerent,crebris & magnis fota beneficijs,è quibus ſanè nonnulla peſsùm ijſſent,quæ iam eius ſuffulta liberalitate conſiſtunt. Dabat nanque ille indigentibus liberaliter, inprimis autem religioſis ſiue monaſticæ vitæ cultoribus: & ſuppetebat,quod largiretur. Atque hoc illi diuinitùs collatum erat munus, vt ab omnibus,qui vel viderent eum,vel de illo audirent,mirè diligeretur, non à vicinis modò,ſed etiam procùl degentibus,adeò vt etiam plerique in lõginquis regionibus, quicquid ille mandâſſet,libenter eius parerent voluntati.

Cap. 11.

Innumeros peccatis deditos & implicatos, ad bonam frugem & vitæ emendationem adduxit,& ad diuerſa monaſteria & propinqua & remota remiſit, illic Deo ſeruituros. Vbi autem ſenectute premi ſe ſenſit,ab externis laboribus quieſcere cupiens, vt poſſet accuratiùs vni vacare Deo,ſimul etiam indignum ſe exiſtimans, qui ſemper alijs dominaretur,tandem apud ſe ſtatuit alijs ſubeſſe potiùs quàm præeſſe.

Cap. 12.

Abdicato itaque Prioris officio, de alio ſubſtituendo ſolicitus, cùm eſſet vir prudens,nec vellet in incerto ſpem collocare,talem ſibi ſubrogare conatus eſt, qui diligentia,authoritate & integritate ſua Ordinis inſtituta,diù illic feruenti ſpiritu obſeruata tueretur,nec fineret tepeſcere feruorem,aut fratres in deteriora prolabi. Nemo autem moleſtè ferat,aut nos temeritatis arguat,quòd hæc de ſancto viro noſtræ narrationi attexere voluimus,quando ſine ijs non ſatis perſpicuum eſſet, quid velimus, & ſolent plerunque exempla exemplis adiuncta,non paruum orationi ornatum addere. Elegit ergo vir ſanctiſſimus Anthelmum,eumque,vti par erat,reuerenter petẽs à magnæ Carthuſiæ patribus,impetrauit.

Cap. 13.

Anthelmus præficitur Carthuſiæ Portarum.

Poſtquam autem eò venit Anthelmus, quemadmodùm in illo exequendo munere ſe geſſerit,cùm ſint eius mores iam ſuprà explicati,retexere ſuperuacaneum arbitramur. Nõ eſt tamen prætermittendum,quòd domum illam plurimis bonis tẽporarijs abundantem,ſancto quodam fœnore potioribus & præſtantioribus cumulauit. Nam cùm inueniſſet pecuniæ non parum, frumenti & diuerſi generis annonæ ſiue leguminum aceruos & horrea plena,cogitare cœpit,nulli ea vſui fore, ſi ſic congeſta manerent. Statuit igitur pecuniam elargiri ijs, à quibus cum vſura eam reciperet, nempè egenis frumentum quoque mutuò dare potiùs, quàm putredini aut vermibus perdendum relinquere. Erat enim id temporis magna annonæ caritas: ſed meſſe aduentante, iam nouas fruges carpere licebat: cui tamen rei alia acceſſit calamitas, in montanis locis grandinis tempeſtate omnibus planè perditis & vaſtatis, quæ monachorum illorum agricolæ ſeminârant. Nec habebant iam, quid vel ederent, vel vnde ſementem nouam facerent.

Frumẽtum diſtribuit indigẽtibus

Aduertit ergo prudens & pius fœnerator, ex ijs quæ habebat,poſſe ſe maxima lucra facere. Itaque maluit ea mutuò dare miſeris,quàm pro precio diſtrahere. Quæ enim diſtracta ſunt,non redeunt ad venditorem: mutuò verò & fœ-

& fœnori data, cum multo lucro reuertuntur. Iuſſit ergo frumentum agricolis diſtribui, alijs plùs, alijs minùs, prout res poſcere videretur: idque ſine vlla ſtipulatione, bonum habens fideiuſſorem, qui fallere non nouit, Deum, quem non dubitabat cum immenſo fœnore data reſtituturum. At pauperes illi ruricolæ acceptis portionibus ſuis, laudabant Dominum, qui per fidelem ſeruum ſuum tanta eis beneficia præſtitiſſet. Quotquot autem ex eo frumento ſeminârunt, eos planè confidimus vberum ſpe frugum minimè fruſtratos. Deinde mittens etiam manum ad pecuniam: mille aureos, quos inuenit, & alia, ſui Ordinis & alijs religioſis locis elargitus eſt. Ita nimirùm fidelis ſeruus & prudens nouit conſulere ex fœnore domui ſuæ, theſauros nunquam defecturos acquirere, nempè temporaria ſapienter diſpergendo, ſpiritalia verò intemerata ſeruando, animarum potiùs quàm terrenæ ſubſtantiæ doctus lucra aucupari. Porrò etiam ſi qua viſa eſſent in eccleſiæ ornamētis ſuperflua, ea alijs locis, quæ ijs indigerent, impertijt. Idem fecit de varia domûs ſupellectile, qua abundabat. Acceſſit verò etiam ad ſyluas, quas illa domus amplas poſſidet, & magna arborum ſtrage edita, ſpatia pratis opportuna effecit, & agros accipiendis ſeminibus aptos. Curauit etiā pomarium ingens conſtitui, & in eo diuerſi generis ſurculos truncis inſeri. Diligebant autem eum fratres, quandoquidem non talem eum experiebantur, qualem eum fore exiſtimârant, putà durum, ſeuerum & aſperum. Placidum enim & affabilem ſe exhibebat, non prælati dignitatem præ ſe ferens, ſed ipſis quoque ſubditis humiliorem ſe præbens. Domino Bernardo præſtabat reuerentiam, illum ſibi anteponens. Idem erat erga religioſum Chriſti ſeruum Iohannem, cui aduentanti ſolebat reuerenter aſſurgere, nec id vnquam prætermiſit, etiam cùm Epiſcopi, Abbates, aut cuiuſcunque dignitatis perſonæ adeſſent. Pietas verò & cōmiſeratio eius erga afflictos, quāta fuerit, quanta erga omnes liberalitas, ab vno, quod memoratu dignum videtur, eius exēplo animaduertere licebit.

Itē pecuniā

Syluā mutat in prata.

Cap. 14. Lugdunū vaſtatur.

Ea tempeſtate Comes Forenſis dolo captum Lugdunum vaſtauit, diripiens omnia, inprimis autem malignitatis ſuæ rabiem in eccleſiam exercens, Clericorum euerſis ædibus, cùm illi Deo protegente ſalui euaſiſſent. Itaque ipſe Archiepiſcopus Eraclius, & ceteri magna dignitate viri, haud ſecus ac profugi & proſcripti ad Portarum Carthuſiam aduolârunt, ad quam alioqui conuenire conſueuerant, de rebus magnis conſulturi. Poſtquam autem eos conſolatus erat vir magnanimus & fortis in Domino Anthelmus Prior, iſta etiam addidit: Ne, quæſo, velitis Domini mei hac illac errabundi vagari, vel aliò vos conferre. Apud nos permanēte, aut ſi pro expediendis negotijs interdum vultis egredi, ad nos reuertamini. Nos enim, demptis equis veſtris, & vos & presbyteros & Clericos veſtros quandiù neceſſe erit, alemus. Erit id pergratum nobis, & vobis nequaquam indecorum. Euntibus igitur & redeuntibus illis, quibuſdam etiam iugiter illic hærentibus, largis impenſis cum multa gratia & alacritate ad victū pertinentia accuratè ſunt ſubminiſtrata, donec non diù pòſt, non ſine grandi miraculo profligatis hoſtibus, Clerici ad ſua reuerterentur.

Sūma humanitas erga Clerū Lugdunenſem.

Cap. 15. Iterum ſe abdicat Prioratu.

At cùm vir Dei multis occupatus, ab illis, quibus potiſſimùm inhiabat, ſpiritalibus ſtudijs & exercitijs ſe diſtineri videret, vix biennij euolutis ſpatijs, Prioris officio, quod pacis reformandæ neceſſitate, & Superiorum præcepto adactus ſuſceperat, ſeſe abdicans, ad tutiſſimum, ſemperque concupitum ſe in magna Carthuſia Cellæ portum recepit. Etſi autem ſolitudinis & ſecreti eſſet amans, at crebrò tamen magnorum virorum, Deum timentium, qui eius amici erant, grata viſitatione recreabatur, & illi viciſſim ſanctis eius colloquijs delectabantur. Audiebatur enim etiam procùl nomen eius, & cuncti eius conſtantiam mirabantur. At ille laudari ſe ferebat moleſtiſſimè, nō ab hominibus vanam & lubricam, ſed à Deo ſtabilem, veram, ſempiternamq́; gloriā appetens. Inter alias virtutes eius, quibus erat egregiè inſtructus, non mediocriter eū commendabat ſtudium & zelus inuictus catholicæ vnitatis, eiuſq́; aduersùs ſchiſmaticos virilis & conſtans propugnatio. Cùm enim Romanæ curiæ Epiſcopi & Cardinales, totaque curia Alexandrum Apoſtolicæ Sedi & vniuerſæ Eccleſiæ ſummum Pontificem Canonicè electum præfeciſſent, & Octauianus, qui primus eum elegerat, malo dæmone impellente & ambitione occæcātе, ſedem Apoſtolicam arripuiſſet, &, quod eſt execrabilius, Eccleſiam illam in Imperatoris ditionem redigere non eſſet veritus, (Erat enim potens & illuſtri familia, multis fautoribus fretus, cum Catholico Pontifici pauci quidem, ſed meliores, ſtuderent) atq; ea cauſa vniuerſa penè Eccleſia anceps vacillaret: Ordo Carthuſianus primus ante omnes in Eccleſia Occidentali, quemadmodùm ſatis conſtat, Alexandrum pro Catholico & vero Pontifice habendum, eiq́;

Schiſma in Eccleſia Romana.

Carthuſianorū ſtudiū erga verum Pontificem

præſtandam obedientiam confirmauit. Ecquis autem eius rei author fuit? Nimirùm Anthelmus, & cum eo Gaufredus, ſapiens & egregia facundia vir, atq; in diuinis ſcripturis eruditiſſimus. Horum ſtudio, labore & opera effectum eſt, vt diù nutantes confirmati Priores, cæteriq; Carthuſiani inſtituti fratres, Pontifici Alexandro obedientiam promitterent. Atq; ij ipſi permultos Eccleſiaſtici Ordinis prælatos & ſubditos illorum, in ſchiſma propendentes, aut nutabundos & dubios, ab errore reuocârunt, & in ſana ſententia confirmârunt, Alexandrum catholicum probantes, Octauianum reprobum reprobantes, reum condemnantes, & ſchiſmaticum cum eius fautorib⁹ execrantes. Imperator igitur, qui non niſi ſua voluntate & authoritate Pontificem creari volebat, cuius adminiſter erat, non dominus, iſthuc de Anthelmo reſciuit, veræque fidei cultorem & defenſorem non ſolùm odio habuit, ſed etiam condemnauit, cùm illius nec maledicere eſſet, nec benedicere. Interim verò præeuntibus Carthuſianis ac Ciſtertienſibus, Alexander Pontifex à Gallis, Hiſpanis, Britannis breuì receptus eſt. Quæ quidem inter cætera nos referre voluimus, vt perſpicuum fieret, quanto animi feruore iuſtitiam & veritatem æmulatus ſit Chriſti ſeruus Anthelmus, Deuſq; laudetur & glorificetur, qui ſanctos ſuos adiuuando, claros & celebres reddit.

Cap. 16. Quanuis autem, vt diximus, ſolitudine & ſilentio delectaretur, libenterque carnis afflictioni, ſpiritûs contritioni, ſanctæq; meditationi perpetuò vacaret, non tamen licuit ei diù manere intra Cellulæ amicos receſſus, Domino volente, vt tam illuſtris lucerna non ſub modio lateret, ſed poſita ſuper candelabrum, luceret in domo Dei. Accidit tum Bellicenſem eccleſiam orbari paſtore ſuo: & cùm de ſucceſſore ageretur, pars potentior quendam elegit adoleſcentem, genere nobilem, eique ædes Epiſcopi traditæ ſunt. Sed pars altera in eius electionem minimè conſentiens, monachum quendam in defuncti locum ſubrogauit, miſſis legatis ad Pōtificem maximum, qui tum in Gallijs morabatur, vt eius authoritate confirmaretur & conſecraretur. Eius legationis facilè princeps & dux erat Sigibodus, homo aſtutus & mirè eloquens, multæque literaturę: qui oratione polita & phalerata facilè in ſuam ſententiam pertraxit eos, qui erant in curia Pontificis: at Pontifex ipſe neutram electionem voluit ratã habere, diſtulitque legatis dare reſponſum, non dubitans etiam alterius partis nuncios venturos, quorum rationes æquè vt priorum audire volebat. Intereà Chriſtus illius eccleſiæ curam gerens, vtilem & bene idoneum illi antiſtitem contulit. Erant in fratribus moderatiores aliquot, pauci illi quidem, vt ſemper rariores ſunt ſapientes, quibus neutrius partis probabatur electio. Ij cæteros in concordiam redigere cupientes, magnum illum Carthuſianæ ſolitudinis cultorem Anthelmum eligunt. Conſentiunt illis reliqui omnes gratulabundi adeoque etiam ille, qui prior electus fuit cum amicis ſuis. erat enim Anthelmi conſanguineus. Sed cùm non ignorarent, ſine multa difficultate illum à Carthuſiæ ſolitudine auelli non poſſe, ad Pontificem Alexandrum properè abierunt: qui vbi cognouit quid molirentur, gauiſus eſt, dicens illos felices fore tali paſtore, taleq; conſilium propitio Deo ipſos ſuſcepiſſe. Et primo quidem pius Pontifex & iſtos & alios, qui ad ipſum venerant, per ſeipſum conatus eſt in concordiam redigere: ſed Sigibodus, qui ſe omnia pro voto habiturum putabat, tam bonam electionem moliebatur abolere, multis rationibus aſſeuerans ſuam ratam, hanc verò irritam eſſe debere. Blandè verò admonitus, quin & rogatus à Pontifice, cùm tanti Patris nō poſſet reſiſtere voluntati, inuitus tandem aſſenſit. Omnibus itaque conciliatis & animo coniunctis, Pontifex datis ad Anthelmum literis, Apoſtolica authoritate præcepit, vt eccleſiæ Bellicenſis, cuius eſſet præſul electus, curam ſuſciperet nulla occaſione differret. Mandauit etiam Priori Carthuſiæ & fratribus, vt eum traderent petētibus, & ſi recuſaret, præcepto compellerent.

Anthelmus eligitur Bellicen. Epiſcopus.

Cap. 17. At vbi Anthelmus didicit quid gereretur, & iam [illegible] eſſe qui ipſum eſſent abducturi, fugæ ſe mandare conſtituit, exemplo Chriſti Saluatoris, qui Iudæis eum rapere volētibus, & regem conſtituere, fugam inijt, docens ea re dignitates & honores neutiquã ambiendos, ſed fugiendos potiùs eſſe. Sed Dominus Chriſtus cur eam fugã capeſſeret, nō ignorabat: Anthelmus verò propemodùm extra ſe poſitus q d faceret, neſciebat. Dominus, qui non ſuam, ſed patris venerat facere voluntatem, idcircò fugit, quòd tēpus ab omni æternitate præfixum nondum adeſſet, quo à Patre clarificatus regnaret: Anthelm⁹ verò ea cauſa ſubducere ſe voluit, & neceſſario recuſato miniſterio, ſuę obſequi voluntati, quòd necdum compertum haberet rem à Deo geri. Perquirentes autem fratres, poſtquam eum repererunt, è latebris extractum, vix in conuentum perducere potuêre. Exponunt ei Pontificis mandatum, exhibent literas, addit Prior etiã ſuum

Subducit ſe, ne ſit Epiſcopus.
Iohan. 6.
Ibidem.

ſuum præceptum, rogant legati nomine totius eccleſiæ Bellicenſis, hortatur fratres,
vt prouinciam diuinitùs ipſi demandatam ſuſcipiat, nec ſuam voluntatem auſus ſit
diuinæ anteferre. Ecquid verò ijs omnibꝰ effectum eſt? Ille prorſus renuit, palàm pro-
teſtans, ſe extra illam eremum nunquam egreſſurum. Tandem pia quadam & callida
machinatione proponunt ei, alterum è duobus vt eligat: aut Pontificis mandato im-
poſitum amplectatur miniſterium, aut ipſum Pontificem adeat, quem aiunt eius co-
gnita voluntate, nunquam illi vim adhibiturum. Ea igitur ſpe ductus ille, iter ingreſ-
ſus eſt, legatis eum non deſerentibus. Vt autem peruenit ad Pontificem, ab ipſo & to-
ta curia honorificè acceptus eſt. (Nouerant enim virum eſſe magni meriti & eximię
virtutis) Poſtquam autem ad colloquium ventum eſt, dixit Anthelmus, ſe non alia
cauſa eò acceſſiſſe, niſi vt poſſet Pontificis experiri miſericordiam, ne eius authorita-
te ad id adigeretur, quod neque ſibi, neque eccleſię, à qua expeteretur, conducibile fo-
ret. Multa tum in ſeipſum cœpit iactare conuicia, illiteratum, idiotam, imperitum,
improbum, inutilem ſe clamitans, atque ijs alijſque id poſtremò adijciens, ſe votum
nuncupâſſe Deo, nunquam ab eremo ſe receſſurum, atque idcircò inuitum cogi non
debere. Enixè igitur illo petente, vt Pontifex ipſi parceret, ille reſpondit: Noli, fili, no-
li caluas excuſationes prætexere, neque enim te fingere decet. Nouimus qua ſis indu-
ſtria, vbi animum adijcere & intendere vis. Quid ita nunc inerti puſillanimitate con-
traheris? Obedias oportet. Ego enim quod ſcripſi, ſcripſi. Memineris ſcripturæ dicen-
tis, quaſi peccatum ariolandi eſſe, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquie- 1.Reg.15.
ſcere. Simul animaduerte, quanta ſit obedientiæ virtus quam profeſſus diù coluiſti.
Qui teipſum abnegare, & Chriſtum ſequi velle profeſſus es, non debes tuæ obſequi
voluntati, ſed ad Chriſti exemplum & imitationem te componere, qui factus eſt pa- Phil.2.
tri obediens vſque ad mortem Crucis: à qua etſi pro humana conditione abhorreret,
at tamen conſtanter dixit patri: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam il- Matt.26.
lum, fiat voluntas tua. His atque id genus alijs ſermonibus Pontifice eum demulcen-
te, ille pudefactus conticuit, & pro tanti Patris reuerentia non fuit auſus vlteriùs relu- Cedit tandem & conſecratur à Rom. Pontifice.
ctari. Conſecratus inde eſt ſolenniter ab ipſo Apoſtolicæ Sedis Pontifice Alexandro
ipſis ferijs natiuitatis perpetuæ Virginis, quæ tunc in Dominicum diem inciderant,
eodemque Pontifice ipſum retinente, ad dies aliquot manſit in Curia: & cùm multa
de rebus varijs familiariter inter ſe colloquerentur, & Anthelmus crebrò ex ſcriptu-
ris opportuna teſtimonia proferret: Itáne inquiebant, rudis plane & indoctus eſt iſte,
vt ipſe nobis perſuadere voluit? Cùm autem ſolicitus in eam curam incumberet, vt
diſcedendi ipſi facultas daretur, Pontifex congruis quibuſdam munuſculis donatum,
à ſe cum benedictione dimiſit. Hactenus nonnullis de vita & moribus beati viri an-
te pontificatum commemoratis, nunc ad ea, quæ Epiſcopus geſſit, breuiter exponen-
da, Deo fauente, accedemus.

Non habuit ſanè in illo locum, quod vulgò dici ſolet, Honores mutare mores. Idem Con[illegible] Epi[illegible] factus vt ſe geſſerit.
enim permanſit, qui anteà fuerat vitæ grauitate, virtutum conſtantia, perſeueranti
religionis ſtudio: ad preces, vigilias, ieiunia & cæteras corporis afflictiones adiecit po-
tiùs aliquid, quàm detraxit. Diuinum officium non in ſacello ſuo, ſed digniùs & maio
ri cũ decoro, in ſumma æde cum Canonicis humiliter perſoluit. Quotidiè ferè, quod
anteà rarò permittebatur, ſalutarem Deo hoſtiã offerebat cum multa deuotione &
copia lachrymarum. Sacris initiatos, maximè ſacerdotes, ſummo honore dignos af-
firmabat pro concione, iuſſitq; ſuis auditoribus, vt multa eos reuerentia proſequeren
tur: illos porrò admonuit, vt ſine criminis nota ſeipſos integros & inculpatos Deo mi
niſtros exhiberent. Sed audiebat de illis, q̃ animo eius non poſſent nõ eſſe moleſta. E-
rãt enim nonnulli in eis, q. quod ſine pudore dici non poteſt, publicè ſuas fouerent cõ
cubinas: quidã etiam, quod execrabilius eſt, qui ſe fœdiſſima adulterij infamia conta-
minarent. Itaque primo anno ſuſcepti miniſterij ſui ad ſynodum conuocatis preſby-
teris, & blanditijs & minis eos ſui officij admonere volens, ita locutus eſt: Quis ho-
nor, quæ dignitas ſit ſacerdotij, aduertere debetis fratres & conpreſbyteri mei. Vos, au 1 Pet.2.
thore beatiſſimo Petro Apoſtolo, genus electum, regale ſacerdotium: vos inter De-
um & homines mediatores eſtis. Sacerdos enim Angelus Domini exercituum eſt. Malach.2.
Vos ſicut luminaria in mundo lucere debetis, & alios optimis exemplis potiùs, quàm
verbis ſolis, docere. Quantæ, oro, dignitatis eſt, creatorem omnium, Deum immenſę Iohan.6.
maieſtatis contrectare manibus, panemq; illum viuum, qui de cælo deſcendit, è men
ſa Domini accipere? Sanè quiſquis hoc non mundo corpore & pura mẽte per temeri
tatem facere non dubitat, is, Apoſtolo teſte, iudicium ſibi manducat, non dijudicans 1.Cor.11.

 corpus

corpus Domini. Et ſunt tamen etiam in vobis, qui id minimè attendant: non quòd ignorent, ſed quòd negligant & paruipendant. Nam quod abominabile & valde execrabile eſt, turpiter ſeſe abijcientes, & à tanti honoris faſtigio in ſordes & cœnum ſeſe præcipitantes, ſancta polluere non verentur, turpitudine ſua omnipotentis Dei in ſe iram concitantes. An verò parùm vobis eſt, (vobis loquor, qui huius facinoris rei eſtis) quòd quemadmodum per Ezechielem dicit Dominus, paſcētes voſmetipſos, nō modò oues, quod vos facere oportebat, non paſcitis, infirmos confirmando, debiles roborando, fractos conſolidando, diſperſos reducendo, & ex luporum faucibus raptos extrahendo: ſed etiam turpiſſimæ vitæ toxico oues Chriſti inficitis, & quibus ad obtinendam vitam æternam authores & duces eſſe deberetis, eas vobiſcum in æternę mortis præcipitia adducitis? Sed hæc quidem hactenus à vobis perpetrata, tametſi par erat, eorum cauſa vos & eccleſiaſticis prouentibus & ſacris ordinibus priuari, tamen in præſens mihi meritas non dabunt pœnas. Si qui verò deinceps ſeſe ad meliorem frugem recipere noluerint, in illos ego certè multa ſeueritate animaduertere non omittam. Nolim enim diſſimulādo veſtræ me iniquitatis reddere participem. Quòd ſi vos noueritis parcere ſaluti veſtræ, Deum quoque propitium ſentietis.

Ezech.34.

Cap.19. Eius ſeueritas in Concubinarios.

Hæc primo anno dicta ſunt ab illo: altero anno cùm quidam nollent reſipiſcere, ſed ſuis inuoluti fæcibus, pro infami contubernio mallent vincula catenaſque colla prementes perpeti cum ignominia, quàm ad pudorem & honeſtatem cum Dei amore ſe componere, ſex aut ſeptem audiuimus ordine priuatos. Ita quos non potuit humanitate & manſuetudine corrigere, illos ſeueritate & iuſta animaduerſione emendatos dilexit, fouit, tuendoſque ſuſcepit, vt nemo eſſet qui ſacerdotes aut lædere vlla ex parte auſus eſſet, aut turpe aliquid de eis dicere. Suas vel eccleſiæ terras, homines, cœmeteria, & quæcunque ad ipſum attinerent, integra conſeruare, clericos, viduas, pauperes defendere ſummoperè curauit. Si quis illis, quæ tuenda ſuſceperat, illata aliqua iniuria ipſum offendiſſet, (erant autem per id tempus illis in locis non pauci raptores & maligni homines) quantacunque is dignitate vel authoritate eſſet, nulli parcens, nullius perſonam accipiens, nihil quicquam reformidans, immò tum multo etiam conſtantior, ſi ſperaret martyrem ſe futurum, ſicut ſcriptum eſt, Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit: anathemate eum percellebat, nec vnquam niſi ſatisfactione accepta, abſoluebat.

Prou.28.

Cap.20. Nō patitur à Comite presbyterū teneri captiuum.

Comes Hubertus, Amedei filius, quendam eius presbyterum iuſſerat comprehēdi. Petijt ille presbyterum ſibi reſtitui: ſed cùm nō impetraret, Prępoſitum eius, qui presbyterum ceperat, cum tota domo eius excommunicauit. Poſtquam autem cognouit, vbi presbyter detineretur, Epiſcopum Maurianenſem dominum Vuilhelmum miſit, vt eum ex illa captiuitate extraheret. Inuenit hominem Epiſcopus ille, monuit Præpoſitum, qui tum aderat, vt miſſum eum faceret. Nolente Præpoſito, Epiſcopus eum è cuſtodia abduxit, contradicente eodem Præpoſito & vociferante: Equidem tibi non reſiſto: ſed tamen ſciet haud dubiò dominus meus, quis captiuum eius abſtulerit. Poſt vbi presbytero illi ſignificatum fuit inſidias illos moliri, vt rurſus ipſum caperent, fuga ſibi conſulere ſtatuebat. Peruenit id ad notitiam ſeruorum Prępoſiti, illique abeunti inſidias tendentes, cum gladijs repentè ei occurrunt. Illo ſe defendere volente, tam atroci eum vulnere affecēre, vt intra paucos dies moreretur. Idem verò Comes per calumniam aſſerebat, quædam in poſſeſſionibus eccleſiæ eius regalia eſſe: nec tamen, viuente ſancto Epiſcopo, propterea iniuriam facere eccleſiæ, aut aliquid ab ea exigere auſus fuit. De his igitur cùm eum compellâſſet Epiſcopus, ille ira percitus, minari cœpit, non ſe diutiùs diſſimulaturum, quin quæ ſui eſſent iuris, exigeret. Rurſus autem monente Epiſcopo & excommunicationis ſententiam intentante, niſi & calumnia abſtineret, & pro ſacerdotis nece, quantum ad ipſum attineret, Deo ſatisfaceret: Comes monita eius contemnens, minaſque iactans & pericula intendens, aſſerenſq; ſe Pontificis Maximi priuilegio munitū, à nemine poſſe excōmunicari: ab Epiſcopo, nulla eius potentiæ habita ratione, anathemate plectitur, cùm præſens adeſſet. Tum verò illo furore inflammato, & grauiter comminante, illis quoque, qui ei aderant, affirmantibus, pro tanta in principem temeritate, mox Epiſcopum capite puniri oportere: vir Dei maiori conſtantia ſententiam ſuam repetens, pertinacem Comitem multo etiam expreſſiùs à Chriſto & eius corpore, quod eſt Eccleſia, præcidit, ſatanæ illum tradens. Stupebant ſanè, qui huic negocio intererant, nec parùm timebant viro Dei, cùm ille maneret intrepidus, magni beneficij loco habiturus, & impensè etiam gauiſurus, ſi tanta poſſet gratia dignus haberi, vt propter iuſtitię defen-

Presbyter interficitur

Comes excommunicatur.

defenſionem ad martyrij palmam & beatitudinem liceret peruenire.

Erat enim non mercenarius, ſed verus paſtor: non ex illis negligentibus, quibus per Ezechielem Dominus improperat: Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Quæ verba exponens beatus Gregorius Papa: Ex aduerſo, inquit, aſcendere, eſt quibuſlibet poteſtatibus praue agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Iſraël in prælio ſtamus, ac murum opponimus, ſi fideles innocentes contra peruerſorum iniuſtitiam ex iuſtitiæ authoritate vindicamus. Itaque boni paſtoris, id eſt, Chriſti veſtigia ſecutus Anthelmus, & gregi ſuo cuſtodiendo accuratè inuigilans, lupo veniente haudquaquam fugiebat, nec afflictorum leuandis calamitatibus & miſerijs ſe ſubducebat: ſed ſi ita res poſceret, etiam animam pro ouibus ponere paratus erat. In illum autem lupum ſæuiſſimum, non corpora, ſed animas iugulare cupientem, diabolum, vel maximè intentum ſe præbebat, non ignorans illum ouili Dominico die noctuque perpetuas moliri inſidias, & mentes fidelium mille modis lacerare & diſcerpere. Illũ ergo extra ſe à populo admonitionibus & obſecrationibus: à ſe ipſo ieiunijs, vigilijs & varijs corporis afflictionibus, multiſq; ad Deũ fundendis precibus depellere curabat. Abigebat, inquam, illum à fidelium cordibus ſagittis potentis acutis & carbonibus deſolatorijs, id eſt, verbis Dei compungentibus corda per pœnitentiam, & ſanctorum exemplis vetuſtatem vitiorum conſumentibus, & ad virtutum ſectandã nouitatem animos inflammantibus. Qui iam autem mortiferi illius ſerpentis eſſent toxico correpti aut iaculis ſauciati, eos inſtar periti medici ita curare nouerat, vt ſingulis quibuſque opportuna & conuenientia remedia adhiberet. Paterno omnes complectebatur affectu, cunctiſque prouidere & conſulere nitebatur. Nec deerat ei zelus, quem in Phinees ſcriptura diuina commendat, ſed accinctus gladio iuſtitiæ, impios puniebat: neque tamen odij id faciebat acerbitate, ſed beneuolentia & amore, non minùs illorum, quàm ſuam ſalutem appetens, taleſque eos cupiens efficere, qualis ipſe erat. Et certè plus illorum dolebat vicem, qui animo, quàm qui corpore læſi eſſent. Itaque vitia damnans & perſequens, eos qui pias eius admonitiones negligerent, caſtigabat vt emendatiores redderentur: damnabat, ne damnarentur.

Cap. 21. Ezech. 13. Homil. 1. in Euãgelia. Pſal. 119. Num. 25.

Non eſt autem prætermittendum, quanta iuſtitiæ authoritate & conſtantia ſuam in Comitem ſupradictum ſententiam proſecutus ſit. Cùm enim Comes ille Sedis Apoſtolicæ Pontifici ſignificâſſet, ſe contra datum ſibi priuilegium à Bellicenſi Epiſcopo excommunicatum, idem Pontifex mandauit beato viro per Tarētaſium Archiepiſcopum Petrum & alium quēdam Epiſcopum, vt chariſſimum filium ſuum Comitem Hubertum, quem ſatis temerè excommunicâſſet, abſolueret: ipſis etiam ijſdem Epiſcopis præcipiens, vt ſi nollet Anthelmus, cuius conſtãtiam nouerat, ipſi eum abſoluerent. Veniunt Epiſcopi, adferunt mandata à Pontifice, multis hortantur verbis, vt ſummo Pontifici debitam præſtet obedientiam, & irati principis animum impendenda abſolutione ſibi conciliet. Ille reſpondet: Qui iuſtè ligatus eſt, ſolui non debet, niſi priùs per pœnitentiam ſatisfaciat illi, quem læſit: atque ita etſi fortaſſis non dignè & pro meritis, ſaltem miſericordia perſuadente & iuſtitia parcente, catholicæ Eccleſiæ reſtituatur. Neque enim vel ipſi beato Petro ſic eſt hæc collata poteſtas, vt vel non ſoluenda ſoluere, vel non liganda ligare debeat. Quanto igitur minùs nobis? Id igitur certũ habetote, me à ſemel pronunciata ſententia non deflexurum, ſed eam planè retenturum. His auditis, Epiſcopi diſceſsére, nec, quanuis id mandatum illis eſſet, Comitem fuêre auſi abſoluere. At tamen Pontifex cùm id didiciſſet, Comitem abſoluit, idque Anthelmo ſignificauit. Ea autem re permotus vir fortis in Chriſto, & moleſtè ferens, relicta Bellicenſis eccleſię cathedra, cupiens vni Deo in ſilentio & ſolitudine vacare, ad cellæ optatam ſe quietem recepit. Sed Dominus, qui ad id eum honoris euexerat, non permiſit vt illic maneret. Cùm enim Bellicenſis eccleſia & omnis illa regio eius abſentia ſe deſolatam ſentiret, Clerici illius Pontificis maximi literis, quas impetrauerant, freti, eum repetiêrunt, atque ægrè tandem obtinentes, cum debito honore & reuerentia eum reduxerunt. Porrò Comes ille noluit ſe pro abſoluto habere, neque in eccleſiam ingredi auſus fuit, donec coram ſancto viro ſeſe humilians, & ſatisfactionem pollicens, ab illo abſolutus, & Eccleſiæ reſtitutus eſſet. Etſi autē magnoperè eum charum ſemper habuit vir Dei, etiam tum cùm eũ ab Eccleſia ſepararet, at nunc familiariùs & cum quadam reuerentia crebrò illum hortabatur, modò blandis, modò acrioribus vtens verbis. Sed cùm negligentem & incurioſum ſalutis ſuæ eum cerneret, & neq; ſtare promiſſis, neq; mala velle corrigere, immò

Cap. 22. Nota Anthelmi conſtantiam. Ab anathemate quis non ſit abſoluendus. Anthelmus relinquit Bellicēſem eccleſiam. Reducitur honorificè. Comitē abſoluit.

immò verò ea potiùs cumulare,duriùs eum appellare,mala,quæ ſub eo, vel per eum fiebant,improperare,clientelaris officij ſponſionem & agnitionem,quam vulgò homagium vocant,ab eo exigere cœpit. Ea igitur rurſus Comiti materiam & fomitem odij miniſtrabant,ita vt teſtaretur nullum eſſe ſub ſole hominem, quem perinde haberet exoſum,atque Anthelmum Epiſcopum. Minabatur etiam illi, & vix ſeſe continens,mala ei machinabatur. Interim tamen valdè eum reuerebatur,ſanctitati eius deferens etiam animo hoſtili:neq; vnquā in ijs,quæ calumniabatur, eum aut lędere,aut dehoneſtare auſus fuit. Si quid autem ab alio ei illatum eſſet mali,gratulabatur. Cùm aliquando admoneret eum Epiſcopus,vt pro ijs,quæ diximus,ſatisfaceret, ille reſpondit,ſe in foro paratum reſpondere. Mox adiecit Epiſcopus: Tu me iure fori, ego te legibus poli conuenio,diemque tibi dico illum ipſum, quo omnes ſtabimus ad tribunal Chriſti. Sed de his hactenus.

Comitis odium recrudeſcit.

Cap.23.

In Epiſcopatu ſuo vir ſanctus in eam curam ſemper incubuit, vt ex veritatis & miſericordiæ præſcripto omnia fideliter & accuratè gereret: nec minùs tamen priſtinæ vacabat religioni, immò verò ſolicitè ne alicubi in toto ordine Carthuſiano ſanctarum inſtitutionum ſiue conſuetudinum rigor langueret, feruor tepeſceret. Ab eius nutu pendebant Carthuſiani Priores, & illo moderante,ſancta negocia diſponebantur. Dabat verò operam,vt omnia religiosè & ex Ordinis inſtituto atque præſcripto fierent. Habuit autem ſemper locum ſuum in prima Carthuſia, & in ea Cellam vacuam,ita vt vnus eſſet ex ijs, quos habitatorum certus numerus admittebat. In ea autem Cella ſæpè morari ſolebat, cùm eſſet pertæſus negociorum temporalium, vt illic recrearet ſpiritum ſuum, non Epiſcopi maieſtatem, ſed humilis monachi ſubiectionem præ ſe ferens. Recreabat autem ſeſe, non ciborum lautitijs, ſed ieiunijs & precibus: non ſomno vel deſidia,ſed vigilijs & ſanctis exercitijs: non rumoribus aut fabulis vel muſicis inſtrumentis & modulationibus, ſed ſacris meditationibus, diuinis contemplationibus & iubilo mentis: non gaudio, cuius extrema luctus occupat: ſed luctu & mœrore, cui æterna conſolatio promittitur. His, inquam, Dei fidelis ſeruus reficiebatur & confirmabatur alimentis,perennis gloriæ ſpe illum roborante & conſolante.

Sæpè degit in cellula Carthuſiana.

Prou.14. Matth.5.

Cap.24.

Solebat etiam non rarò viſitare loca religioſa,inprimis autem ipſi domeſtica aut ſuæ profeſſionis: cumque veniſſet ad quamlibet ſanctam congregationem,conuocatis fratribus, gratiſſima & mellita oratione proponebat illis magnorum exempla virorum,quos aut vidiſſet ipſe,aut de quibus auditione accepiſſet, mores eorum, dicta factaque commemorans. Deinde comiter & iucundè ſingulos ad ſe accitos, ſibi aſſidere voluit,aut ipſe è ſuo loco ſurgens,ad illos ſe conferebat,omnibus ſe conformans & accommodans,nec plus deferens maiori,atque minori. Tum verò familiari & placida exhortatione, vultu ad hilaritatem & iucunditatem compoſito, animabat eos ad ſuſcepti inſtituti perſeuerantiam & profectum,ad ferendum libentibus animis iugum Domini ſuaue & onus leue: ſimul ob oculos eis ſtatuens illud immenſum præmium futuræ beatitudinis,à Deo ipſum diligentibus præparatum,quale nec oculus vidit, nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit. Et quia vir ſanctus nihil ſibi tribuebat, nec ſua ſibi ſufficere arbitrabatur,ſed aliorū ſe ope indigere ab animi humilitate perſuaſum habebat, ſtudiosè eos orabat, vt in precibus ſuis ipſius eſſent memores. Ad quancunque veniſſet ſeruorum Dei congregationem, ab ijs ſe in fratrem recipi & perijt, & impetrauit: idque ſpeciatim in cunctis Ordinis Carthuſiani monaſterijs. Erat enim rationi conſentaneum, vt quem Deus in illo cæleſti regno eximium fore ſciebat, ei in præſenti Eccleſia optata ſuffragia non negarentur. Concilijs Eccleſiaſticis, aut ſecularium negociorum tractatibus quoties interfuit, nullus vel Epiſcopus, vel alterius ordinis aut ſtatûs fuit, qui non eum ſibi anteponeret. Oēs eum reuerebātur, ipſa etiam Romana Curia. Si quid enim vitioſum aut repræhenſione dignū in aliquo cerneretur, quantacunque is authoritate polleret, non dubitabat eum arguere. tantus illi inerat iuſtitiæ & veritatis zelus. Neque enim ex arrogantia vel hypocriſi id faciebat, ſed feruore charitatis. Nec deerant, quibus ille eius iuſtitiæ zelus eſſet inuiſus: atque illi quidem eo præſente ori ſuo digitum imponebant, ſed abſenti detrahebant, eiuſque facta rodebant dente canino. Compluribus ſanè eius caſtigationes & repræhenſiones non erant ingratæ. Aduersùm ſuperbos ſeuerus & rigidus erat, eorum contemnens arrogantiam: humilibus comem, placidum & affabilem ſe præbebat. Obſtinati, peruicaces, & qui nollent reſipiſcere, durum & quaſi indignabundum eum experiebantur: obedientes & morigeri, lenem, humanum & familiarem. Erga peccatores

Eſa.64. 1.Cor.2.

Quāti eum omnes fecerint.

pœni-

pœnitentes quàm pius, benignus & miſericors fuerit, nôrunt illi, qui ei peccata ſua cõfeſſi ſunt, & eius manus impoſitione cum Deo in gratiam reſtituti. Totis ſanè viſceribus condolebat illis, idq; non ſine lachrymis, quas ab oculis eius eliciebat non mœror animi, ſed ingens pietas & miſericordia & lætitiæ magnitudo. Iure enim gaudendũ exiſtimabat, cùm (ipſo Chriſto teſtante) gaudiũ ſit in cœlis corã Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiã agente. Conſolabatur quoq; illos, dicens veniam & Dei gratiã ipſos eſſe adeptos: atque deinceps, licet oẽs ex animo diligeret, iſtos tamen peculiariùs, non aliter, quàm ſuos mater filios. Miſeris & afflictis condolebat, eorũq; conſolatione, conſilio, auxilioq; fouebat. In pauperes verò & inopes quis illo vnquam benignior, quis humanior viſus eſt? quis maiori erga illos miſericordia, quis de illorũ ſubleuanda inopia ſolicitior fuit? Ex ijs, quæ habebat, nihil ſuum arbitrabatur, ſed omnia pauperum: quod quidem etiam reuerà ſic erat. Non incubabat ille pecuniç theſauris, qui non permanent: ſed illis potiùs coaceruandis intentus erat, qui in cælis repoſiti, amitti vel corrumpi nunquã poſſunt. Itaq; demptis ijs quæ moderatus victus poſcere videretur, cætera omnia in pauperes erogabat, inprimis autẽ religioſos ſiue monaſticæ vitæ cultores. Cùm aũt ſancta loca omnia amore & beneuolentia complecteretur, duas quaſdam ſanctas congregationes ſibi tuendas fouendasq; ſuſceperat, ſingulari quodam ſtudio illas proſequens, & magnis ſuſtentans beneficijs, tum in ijs, quæ ad ſtructuras, tum quæ ad victum veſtitumque eſſent neceſſaria. Ex his vna erat ancillarũ Chriſti, viduarum & virginum, quæ ſexum imbecillem cum ipſo mũdo virili animo vicerant, & in loco, qui Tuncis dicitur, eremiticam ducebant vitã. Altera erat leproſorum, ſub regula degentium: quam quidem vir ſanctæ conuerſationis & miræ humilitatis, Deo deuotus Guigo miles Chriſti eo in loco, quem, Inter ſaxa, vocant, ad Rhodani magni fluminis ripam conſtruxerat inſtitueratque. Hæc duo loca crebro ſolebat ſanctus Epiſcopus inuiſere, animarumque & corporum curam gerere: delectabaturque eorum colloquijs, nec fœminarum reformidans acceſſum vir caſtiſſimus, nec leproſorum faſtidiens familiaritatem ſeruus Chriſti humilimus.

Erga confitentes quis fuerit.

Luc. 15.

Item erga afflictos & inopes.

Item erga leproſos & pias congregationes.

Cap. 15.

Eo anno, quo ab hac vita deceſſit, magna annonæ caritas magnam famem & calamitatem inuexit in homines. Tum verò ille quaſdam ſanctorum congregationes ſuis fouit beneficijs, & confluentium vndique pauperum turbam vſque ad meſſis tẽpus quotidianis eleemoſynis ſuſtentauit. Mirabantur omnes, vnde tanta illi ſuppeterent. Sed Dominus, qui quinque panibus totidem hominum millia ſatiauit, poterat ſeruo ſuo fideli augere & multiplicare ea, quæ illius cauſa diſtribuebat. Certum autem diem præfixerat, ad quem vſque promiſerat ſe illas eleemoſynas continuaturum. Itaque Domino qui extra mundi huius exilium ad patriam eum euocare conſtituerat, tantiſper expectante, donec id, quod vouerat, eſſet executus, eodem ipſo die, quem eleemoſynis illis præſtandis extremum præſtituerat, à Domino vocatus deceſſit è vita. Illo autem die aduentante, & futuræ vitæ, cuius obtinendæ cauſa fideliter laborauerat, initio propinquante, acuta febre correptus, cùm, vt fit in ea ægritudine, verbis erraret, at tamen de rebus neceſſarijs interrogatus, prudenter & accuratè reſpondebat, in nullo prorſus errans. Flebant autem omnes eius amici & familiares, idque pietate potiùs, quàm mœrore ducti, ſciebant enim eius obitu dolendum non eſſe, quòd ad illum attineret. Petebant verò ab eo benedictionem & conſilium: & ille benè eis precabatur, & conſilia ſuppeditabat. Cumque dicerent, vt res ſuas diſtribueret reſpõdit: Abſit à me, vt faciam teſtamentum, qui nihil habeo: quippe qui non ſum de hoc mundo. Hucuſque ex miniſterio ſacerdotij licuit mihi res commendatas curare & diſpenſare: at nunc quando ijs frui non poſſum, nec diſpenſare licet. Rogabant porrò, vt Comiti ignoſceret, cum quo erat illi controuerſia: at ille, nunquam ſe id facturum aſſeuerabat, niſi à calumnia ceſſaret, fidemque daret, ſe nihil vnquam ab Epiſcopi vel eccleſiæ eius poſſeſſionibus exacturum: tum etiam de cæſo presbytero culpam ſuam pœnitens agnoſceret. Atque hæc quidem Comiti, qui in vico illo aderat, indicanda videbãtur, ſed non erat qui id auſus eſſet. Interfuêre aũt huic conſilio duo ex Carthuſiæ fratribus, genere nobiles, ſed humilitate & fidei conſtantia multo nobiliores: nempe Haymo, quondam potens in ſeculo & magnificus, atq; Giraldus. Hi Comitem adeunt, indicant quid audierint ex Epiſcopo: hortantur vt miſſam faciat calumniam: à tanto patre veniam petat, vt eius, quã ſe felicem fore ſperet, poſſit benedictione potiri. Audiens hoc Comes, Deo ſuam illi gratiam adſpirante, & beati viri, qui eius ſitiebat ſalutem, intercedentibus meritis, timore correptus & corde cõpunctus, erupit in lachrymas: ſtatimq; veniens ad virum Dei, culpam

In annonę caritate multos fouet.

Matt. 14.

Febre corripitur.

Non vult condere teſtamẽtum.

Comes veniam petit ab illo.

ſuam

ſuam cõfeſſus eſt, & calumniam omnem miſſam fecit, promiſitq́; ſe eccleſiam defenſurum, paratus etiam iureiurando id confirmare: & cùm humiliter & obnixè veniã peteret, cum illo in gratiam rediȷt, impoſitisq́; ei manibus vir Dei benè precatus eſt ei, dicens: Deus omnipotẽs Pater & Filius & Spiritus ſanctus, benedictionis ſuæ & gratiæ tibi tribuat largitatem: creſcere te faciat & multiplicari, itemq́; filium tuum, cùm nõ haberet niſi filiam. Rati autem pleriq; illum errare, ſuggerebant vt filiam diceret, nõ filium. At ille ſemel atq; iterum repetiȷt filium. Quam quidem prophetiam non multo pòſt tempore nouimus completam, nato illi filio.

Prædicit filium habiturum Comitem.

Cap. 26. Porrò Clericos ſuos ipſum conſulentes admonuit vir pius, vt mutua ſe charitate complecterentur, ſtuderent concordiæ & vnitati, & pacis vinculo inter ſe colligarentur. Ita demum illuſtri curſus ſui agone peracto, ſanctus Dei confeſſor Anthelmus Epiſcopus æternum adeptus eſt brauium: expletisq́; circa eum, quæ ei præſtari par erat, officiȷs, inter litanias & cantica ſpiritum Domino reddidit, ſexto Calendas Iuliȷ, anno ætatis ſuæ ampliùs ſeptuageſimo, Epiſcopatûs verò decimoquinto, ipſo regnante, cuius regnum non habet finem, Domino noſtro Ieſu Chriſto: cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto gloria, laus & honor, virtus & poteſtas per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

Chriſto ſpiritũ reddit.

De quibuſdam miraculis eius, quæ aliquot locis contraximus.

Cap. 27. ETſi verò non impar eſſet meritis, nec Deo minùs gratus beatus Anthelmus pleriſque miracula facientibus, attamen in vita ſua haud ſecus atque peſtem quandam id vitare conſtituit, ne ſanctus diceretur. Non enim in ſe gloriari ille nouerat, ſed in Domino: nec æquum arbitrabatur, vt efficiẽdorum miraculorum gratiam ſibi vſurparet ipſe indignus (ita enim de ſe ſentiebat) peccator. Sed interim tamẽ eximiæ virtutes & præclara opera eius, miracula erant: & licet ille ſe celaret, non pauci tamen eius meritis ſe ſensêre moleſtiȷs liberatos. Quàm verò celeriter fides eius optata impetrârit à Domino, ex eo, quod ſubiȷcimus, poteſt miraculo animaduerti. Cùm die quodam iter faceret, qua tranſiturus erat, miſer quidam iacebat homo, à ſerpente ictus. Is veneno ſe per corpus diffundẽte, verſus in tumorẽ, acerbiſſimè cruciabatur, nihil niſi mortem expectans. Venientem ad eum locum virum Dei orabant qui aderant, vt paululùm ſubſiſteret, præſtaretq́; conſilium, quid remediȷ eſſet homini calamitoſo adhibendum. Tum ille miſertus eius, non ſine lachrymis Crucis ſignum in eum expreſſit: moxq́; tumor & dolor omnis euanuit. Dignum ſanè erat vt Chriſtus propter ſeruum ſuum, qui crucem ſuam tollens, ipſum ſecutus erat, & carnem ſuam crucifixerat cum vitiȷs & concupiſcentiȷs, Crucis miniſterio & mala pelleret, & bona largiretur. Seueriſſimè autem vir Dei prohibuit ſociȷs, ne cui id indicarent: cæteris quoq;, qui illic aderant, dicebat, Dei beneficia non ſuis meritis, ſed illorum fide impetrata, ne ſibi adſcribenda putarent. Neq; enim tantoperè fur in furto depræhendi reformidat, quàm hic vir ſanctus hominum laudibus celebrari: quippe qui non alio, quàm peccatoris, loco ſe haberet.

Crucis ſigno ſanat à ſerpente ictum.

Non vult laudari.

Cap. 28. Poſtquam autem ex mundi huius caligine ad illam lucem ſempiternam commigrauerat, Dominus non eſt paſſus ſanctum ſuum, qui ſe occultauerat, diutiùs in obſcuro latere, ſed euidentibus miraculorum ſignis eius ſanctitatem declarauit. Nam cùm eius venerabiles celebrarentur exequiæ, & ſacrum corpus monumento conderetur, eo loco, vbi humatum eſt, tres lampades erant, quæ non interdiù, ſed noctibus accendi ſolebant, præterquam in præcipuis ſolennitatibus. Erat igitur etiam hæc ſolennitas pręclara, non funeris, ſed triumphi. Ecce enim, dum cuncti ad ſacrum funus intenti ſunt, vident in vna ex iȷs lampadibus ignem immenſo lumine coruſcare: Admirantibus illis & ſtupentibus, etiam aliæ duæ diuinitùs accenduntur, ſimulque omnes illuſtrius de ſe lumen ſpargunt. Fit clamor eccleſiæ exultantis, & Deum laudantium. Accurrunt omnes tum indigenæ, tum peregrini, qui illic aderant, tantoq́; ſpectaculo obſtupeſcunt. In iȷs fuit etiam Comes Hubertus & ſocer eius Girardus Viennenſis, & qui cum illis erant viri illuſtres non pauci. Vt vidit autem Hubertus Comes inſigne miraculum, tremefactus, ex Epiſcopi ædibus, in quas ingreſſus fuerat, egreſſus eſt, & omnia, quæ illic ſibi vendicârat, ibi reliquit.

Tres lampades in eius funere diuinitùs accenduntur.

Cap. 29. In territorio Gratianopolitano vir nobilis erat, Deum timens cum coniuge ſua. Amauerat illos Anthelmus, totius boni amator. Deerant iȷs proles, quòd matrona ſterilis eſſet. Vt autem peruenit ad eos fama tot miraculorum, quæ ad ſepulcrum viri

Dei

Dei fiebant, ait vxor marito ſuo: Ibo ad dominum meum ſanctum Anthelmum, nihil dubitans, quin ſit mihi à Domino prolem impetraturus. Abijt, preces obtulit deuotas cum multa fide & ſpe, domum reuerſa, concepit & enixa eſt. Eiuſmodi miraculum fecerat etiã in vita ſua. Negocij cuiuſdam expediendi cauſa venit Geneuam. Hoſpitio acceptus eſt à Buiamundo amico ipſius. Poſtquam aſſedit, Vbi eſt, inquit, domina? Volo eam videre. Venit illa, hortabatur vir beatus ambos, vt fidem cõiugij & mutuum amorem conſeruarent, bonis operibus eſſent dediti, diuinoque timori ſemper inhærerent. Dixit autem ad illum Buiamundus: Domine, ſatis quidem omnia ex ſententia habemus: ſed vnũ, quod vel maximè optamus, deeſt: nẽpe proles. Tum vir ſanctus vocat ad ſe matronam, pingit Crucem in fronte eius, dicit ore iucundo: In nomine Domini fac mihi vnum filium. Mox in virtute Crucis mandatum fides, & fidẽ effectus conſecutus eſt. Concepit enim ex marito, & oportuno tempore edidit filium.

Sterilis parit. *Nota vim S. Crucis.*

Cap. 9.

Adoleſcens quidam nobilis, nondum adeptus militiæ cingulum, oderat ſanctum virum, fortaſsis ab illo quandoque obiurgatus. Is cùm tranſiret reuerendum eius ſepulcrum, videretq́; ibi iacere homines morbidos & malè affectos, illorum fidem ſtultitiæ tribuens, ibat cachinnans. Et ecce ſubitò acri corripitur febre, & intolerabili ardore vexatur, ſpem vitæ abijciẽs. At colligens ſeſe, duci cœpit pœnitentia, ſociorumque manibus, cùm per ſe non poſſet, eò perductus, humiliter veniam petijt, vota nuncupauit, & liberatus eſt. Idcircò enim corpore pœnas luit, vt animo ſanaretur.

Cęlitùs punitur ridẽs miracula viri Dei.

Cap. 10. *Miracula ex vino, quo corpus beati viri ablutum fuit.*

Alius quidã nobilis adoleſcẽtulus hemitritæo, id eſt, ſemitertiana febre dirè cruciabatur, cui accedebat etiam morbꝰ caducus. Is de vino, quo ablutum fuit ſacrum beati viri corpus, bibens, curatus eſt: eiuſdẽq; vini potu multi à diuerſis ſunt morbis liberati.

Cap. 11.

Mercator quidam ab extera regione reuertens, pro diſtractis mercibus ſuis aurum, argentum & magnam ſerici copiam reportabat. Cùm tranſmitteret autem Rhodanum flumẽ, equus, cui ea omnia impoſuerat, cum ſarcina è naui decidit. Et primò quidem videbatur ab illis, qui erant in naui, dum fluminis impetu transferretur: ſed preſſus ſarcina, ab eorum oculis ſubductus eſt. Poſtquam igitur caſſo labore eum deſijt mercator inquirere, eumq́; ſe recuperaturũ deſperauit, quòd eo in loco ſit quaſi abyſſus quædam, vt audiuit beati Anthelmi nomen & miracula, fide & ſpe animatus, venit ad ſacrum corpus eius, poſitoque illic cereo, quem in eius honorem confecerat, in vigilias & preces incubuit, munera obtulit, vota fecit. Manè poſt celebrata diuina myſteria, per pijſsimi confeſſoris merita de diuina confidens miſericordia redijt ad locũ, à quo mœſtus receſſerat, ſpe bona factus hilarior: & ecce videt cadauer equi, quem longiùs vi fluminis raptum conſpexerat, in portum eiectum, remque ſuam omnem ſaluam & illæſam, cùm ſanè admiratione dignum eſſet, ſericũ nihil madefactum, nihil vlla ex parte corruptum. Itaque ablata ſarcina, ſolius equi iacturam non magnipendens, Deo & pijſsimo eius confeſſori gratias egit, lætuſque abſceſsit.

Inſigne miraculum.

Cap. 12.

Sed ſi ego ea omnia, quæ benignus Deus per ſeruum ſuum mirabiliter efficere nõ deſinit, annotare velim, tempus me citiùs, quàm materia, deficiet. Non poſſum tamẽ vnum illud prætermittere, quod cæteris longè antecellere videtur. Fiſcilliacum vocant rus, quod à Bellicenſi vrbe ſex abeſt milliaribus. In eo puerulus quidam trium circiter annorum, matre eius alibi occupata, domo egreſſus, longiuſque progreſſus, hac illac errabundus vagari cœpit. Tarda tandem hora recordata mater pignoris ſui, vndique circunſpiciens, nec tamen vlla eius veſtigia adſpiciens, metu & tremore correpta, quòd malè agi cum paruulo ſuſpicaretur, circunquaque ſedula curioſitate inquiſiuit eum. Ad extremum ad præterfluentis riui alueum ſe conferens, videt filiolum ſuum lapſum in aquas: cumque procùl ab aquis corpuſculum agitari cerneret, exiſtimans eum adhuc viuere, in hanc erupit vocem: Deus & ſancte Anthelme à vobis repoſco filium meum. Deinde accedens propiùs, & eum extrahens ab aquis, vt vidit exanimem, vellere capillos, ſcindere veſtes, genas vnguibus lacerare, pugnis verberare pectus, vallem omnem mœſtis complere clamoribus cœpit, miſeram ſe vociferãs, & ſibijpſi volens adferre manus. Accurrit verò pater anxius, aduolant vicini ad tam miſerandum ſpectaculum, dolent vicem parentum miſerorum. Inde domũ deportatur puer, diù fouetur, ſed non caleſcit, nec quicquam in eo vitalis ſpiritûs depræhenditur, cùm à manè vſq; in veſperã ferè confotus eſſet. Igitur de eius ſepultura agitur, ſed mater ſe opponit, conſtantiq́; animo dicit: Ego cadauer feram ad beatum Iohannem & ſanctũ Anthelmum dominum meum. Credo eorum meritis à Domino reſtitutum mihi iri filium meum, quẽ propter peccata mea abſtulit mihi fraus inimici. Illa ſic inſtante, pater paruuli corpuſculum, comitãte matre & vicinis, in eccleſiã Bel-

licenſem adducit,& ad beati Anthelmi depoſuit ſepulcrum. Aderant eius vrbis permulti vtriuſque ſexûs homines, qui eos ſecuti erant in eccleſiam, quibus miſeræ matris lamenta & fideles preces,lachrymas excutiebant. Nã inſtar Cananeæ illius,multa fidei conſtantia,precumq; inſtantia clamabat ſe peccatricem, ſibi dicebat pœnam deberi,atque à ſe vltionem expetendam,non ab innoxio infantulo: ſimul implorans ſanctorum illorum,quos diximus, ſuffragia. Nec eſt fruſtrata ſpe ſua. Nã paulò pòſt cœpit moueri puer: ſed mater territa, ab eo receſſit,rei euentum contemplatura. Deinde audiũtur leues quidam infantuli vagitus: poſt paululum,cùm nemo ad eum accederet,cunctis ſtupendibus ſurrexit,& arrepto ſcipione,qui iuxta illum erat, ad menſuram factus corpuſculi eius,ad ſanctum ſepulcrum progreſſus eſt, ibiq; reſedit. Tum demũ mater auſa accedere cum alijs affatur puerũ,& ille reſpõdet,prorſus incolumis, nec quidquã mali ſentiẽs,perinde acſi nihil incommodi perpeſſus eſſet. Exiſtit apud omnes ingẽs exultatio,cũ timore quodam & admiratione cõiuncta: flẽt parentes præ gaudio,pietate mouentur vniuerſi. Clerus, nobiles, plebeij adueniunt, Deum pariter omnes lætabundi laudant & prędicant,qui per ſanctos ſuos faciat magna & admiranda: Cuius imperium & poteſtas ſe porrigit in omnia ſecula ſeculorum,Amen.

Matt. 15. — *Puer mortuus reuiuiſcit ad ſepulcrũ Anthelmi.*

Cap. 34. — *Innumera eius miracula.*

In Eccleſia ſanè Bellicenſi meritis beati Anthelmi multa alia facta ſunt miracula, quæ hominum incuria non ſunt in ſcripta redacta: quanquam eorum tam ingẽs profectò eſt numerus,tantaque aſſiduitas,vt cõmemorari omnia non poſſint: quando cõfluentibus vndique turbis ad eius venerabile corpus,innumera credentibus beneficia obtingunt. Gaude igitur & lætare Eccleſia Bellicenſis cum tota diœceſi, tam eximij patris illuſtrata præconijs. Lætamini ciues: quia quem in vita meruiſtis habere paſtorem,nunc multo etiam magis protectorem & pium apud Deum intercesſorem habetis. Lætamini vel maximè omnes vos,qui in Clero eſtis, quibus tãtus obtigit theſaurus: quo locupletati, non ſentietis inopiam, ſi tamen digna veneratione vos nôſſe oſtenderitis,quantus & qualis ſit,& quanto colendus honore. Non deſinet ille veſtrî curam gerere: per illum,Domino largiente,multa vobis aderit proſperitas & pax,ſine qua non poteſt vlla creſcere eccleſia,niſi fortè,quod abſit, circa illum negligentes ſitis. Date igitur operam,vt ex animo illum diligatis ac veneremini,ſi modò Deum verè diligitis,ſi Deo placere cupitis, cui placet ille. Eò enim vos inuitat omnipotens remunerator,quando tot admirandis,vt cernitis,cum ſignis ornat. Quem ergo Deus potenter & magnificè, illum vos piè ac religioſè, quantùm humana fert fragilitas, honorate cum ſumma reuerentia. Qui vos in cælis cupit habere ſocios,deuotos habeat in terris cultores. Quicquid ei à vobis erit honoris impenſum,in vos redũdabit. Ille vobis conferre aliquid poteſt, vos illi nihil. Non eget ille veſtra ope,qui ſummo fruitur bono. Sanctis habere honorem,nihil aliud eſt,quàm Deum ipſum honorare, qui in eis eſt,& cuius corporis membra ſunt illi. Habetis in illo exẽpla virtutum illuſtria: ſit ille vobis inſtar ſpeculi ob oculos propoſitus,ſanctiſque ſectandis moribus illum imitamini, vt ad quam ille iam peruenit beatitudinem, eam vos quoque, illius meritis & precibus adiuti,adipiſci mereamini. Quæ noſtra humilitas veſtræ amplitudini auſa eſt ſuggerere,ea vos lõgè rectiùs curaturos nõ dubitamus,quàm nos vlla dicendi facultate conſequi poſſimus: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſecula, Amen.

Sanctis impenſus honor, in Deũ redundat.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI SAMSONIS HOSPITVM EXCEPTORIS, AVTHORE SIMEONE *Metaphraſte.*

27. Iunij. Cap. 1.

PARTIM quidem magno Samſoni gratum noſtrũ animum ſignificantes, & ei cultũ debitum exhibẽtes: partim autem hominum iuſtam vitãtes reprehenſionẽ, ad hanc acceſſimus orationem, & illius ſcribendæ vitæ munus gratè ſubimus. Quomodò enim non optimo iure reprehenderemur, ſi cùm multorum aliorum ſanctorum, partim quidẽ Martyrum, partim autem,qui Deo alia ratione placuerunt, horum quidem labores & certamina, illorũ verò vitam & res geſtas diligenter conſcripſerimus: hunc autem magnũ Samſonem videamur contẽnere,& maximè,quieſt adeò propinquus,&(quòd ad ſepulcrũ quidem attinet,

attinet, quod res efficit admirabiles) eſt nobis vicinus: idq́; cùm nullum ex iis, qui nos præceſſerunt, inuenerimus, qui fuerit eiuſdem, cuius nos animi, & vitam illius ſcriptis diligenter mandauerit.

Neque verò me latet, à viro pio & Pontifice, & cuius etiam magna fuerit eruditio, magni Samſonis compoſitum fuiſſe Encomium. Ego autem dico vitam ſingulatim compoſitam, & accuratè res illius tractantem, & quæ prætereà rerum mirabilium ſatis amplam faciat mentionem. Hoc enim neque alios nouimus, qui in hodiernum vſque diem fecerint, neque nos id ſatis facere poſſumus, qui ab illis temporibus ſimus multùm remoti: neque eius vitam perfectè perſequi, niſi ſolùm eam referre paulò diligentiùs, & pauca ex eius miraculis viris piis ad Dei gloriam exponere. Eius enim paruum vitæ opuſculum, in quod è clero acceptum incidimus, id viſum eſt non ſolùm negligenter compoſitum, ſed etiam teſtatur eum, qui id compoſuit, nihil habuiſſe eruditionis: immò vero nec ea ipſa, quæ narrat, ſatis perfectè & abſolutè traduntur, & longè abſunt à ſumma perfectione. Quinetiam illud opus, quo diù vſi ſumus, inuenimus ſe habere ſimiliter, & ex eadem (vt aiunt) factum eſſe fidelia, & inſcriptum quidem eſſe Encomium diuini Samſonis, & habere ſingularem quandam narrationem eorum, quæ ab illo in vita geſta ſunt: ſed parcè admodùm, & malignè viris bonis præbens guſtum eius miraculorum. Quod autem nos omnium maximè conturbat, eſt quòd ipſi (quod ad res geſtas attinet) cùm eas aliundè habere non liceat, eos ſumus ſecuturi. Ea de cauſa petimus nobis dari veniam ab iis, qui legent ea, quæ ſunt à nobis elaborata, vt nos non condemnent negligentiæ, neque hanc minimè examinatam reiiciant narrationem. Neque enim noſtrum eſt hoc opus, vt priùs diximus, ſed ſumus aliorum ſecuti veſtigia. Illud itaque Herodoti hic poterit commodè dici, eſſe potiùs Iſtiæi calceum, etiamſi ipſum induerit Ariſtagoras. Ita autem habet:

Encomium Sãſonis cõpoſitum ab Epiſcopo.

Hic ergo magnus, & cuius omnem orbem terræ peruaſit fama, Samſon genus quidem duxit ex illa celebri & inclyta Roma. Ortus eſt autem ex non ignobilibus nec vulgaribus parentibus, ſed etiam valdè honeſtis & claris: quorum magnæ quidem erant opes: gloriabantur autẽ ſe genus ducere ex ſanguine Imperatoris. Sed cùm viri huius maximi res externæ ita ſe haberent, neque res quoque ſuas habebãt contemptui. Quomodò? Nam & virtutis magnam curam gerebat, & diuinæ ſcripturæ lectioni erat intentus: & tanquam iucundiſſimo cibo ei diligenter adhærebat: & breui tempore venit ad omnem eius cognitionem. Verùm cùm neque medicinæ, quæ erat ars valdè humana, vir longè humaniſſimus ſtudium abieciſſet, ſed ſe etiam ei diligenter dediſſet, etiam ſi arte parùm admodùm ad quæſtum ſit vſus, in pauperibus tamen ceſſit diuinæ gratiæ miniſterio, morbos curans immedicabiles, & tanquam gratiæ velamẽto arte vtens propter ſummam humilitatem.

Cap. 2. Samſonis patria. Genus & parentes.

Studet medicinæ.

Poſtquam autem eius parentes è vita exceſſiſſent, non ampliùs cunctabatur, nec differebat: ſed apta accepta occaſione, vtpotè quòd nullus eſſet prohibiturus, ea faciebat, quæ ſibi videbantur, & iis, in quas cadit interitus, diuitiis, & q̃ ſunt ad breue tempꝰ diuitias cõmutabat æternas, conueniẽter diuinę voci Domini, q̃ iubet vendere ea, quę habet, & præbere eleemoſynam, & hinc parare crumenas, quæ minimè veteraſcunt. Dabat verò opes non parcè, nec paulatim, ſed nec guttatim diſtillans, ſed profuſè admodum & largè, ambabꝰ, vt dicitur, manibus effundens in ventres pauperum, aut eſurientium: idq́ue non ſemel, aut bis, ſed per totam vitam: Ei enim ſemper æqualis, & cũ eo nutrita fuit eleemoſyna. Seruorum autem greges nolebat ampliùs apud ſe manere neq; in ſeruos vti arroganter imperio: ſed potiùs libertate, dignabatur ingenuè, eis abundè præbens, quod ad victum ſufficeret. Quid enim ei opus erat ſeruitute hominum, qui ſe verum & germanum ſeruum Domino conſecrauerat? Sic itaq; in facultates affectus, & quibus temporalibus tanquam vinculis laxatus, erat re vera leuis & accinctus, & vna quidem tunica, vno autem famulo contentus. Deinde Roma relicta hic vir egregius in hanc nouam venit Romam, diuini, inquam, Conſtantini ciuitatem. Atque quænam quidem eum cauſa permouerit, nequaquam poſſum dicere. Sed non ſine Dei numine, neque omninò inutiliter verſatꝰ eſt in hac regia ciuitate: in qua eſt etiam ſacrum eius corpus repoſitum, theſaurus ſacroſanctus, diuitiæ, quæ minimè conſumuntur, omnium morborum remedium.

Cap. 3.

Matt. 19. & 6.

Liberalis eſt in pauperes.

Quantus ſit theſaurus ſanctorum reliquiæ.

Hic ergo omni ex parte magnus Samſon, cùm ad hanc perueniſſet ciuitatẽ, in quadam parua & humili domo habitabat. In proximi autem cura gerenda aſſiduus. Nam cùm hanc domum benignitatis argumentum, & gratuitam feciſſet officinam, eos, q morbo premebantur, hoſpitio excipiebat, & fraternè tractabat: nec ſolum in eos omni

Cap. 4.

Morbidos excipit hoſpitio.

ni vtebatur cura & diligentia, vt volunt leges artis, ſed & cibum, & cubile eis impertie bat, conuenienter Chriſti præceptis, partim quidem artem, partim autem atque adeò magis oſtendens gratiam. Vbi enim eſt artis opus, dæmones expellere, & morborum mirabilem efficere curationem? Quæ quidem ei facere, non minùs quàm velle, erat facile. Et (vt ſemel dicam) alterius quidem aliquid aliud, Samſonis autem hoſpitalitas & benignitas, & in egentes miſericordia, erat adeò propria, vt propemodùm rediret ad neceſſitatem naturæ: ſicut Soli quidem illuminare, igni autem vrere. Hinc etiam euadit manifeſtus ei, qui tunc erat Chriſti Pontifex. Bonitatis enim ſplendor & decus eos, qui eam exercent, citò propalat. Is autem erat Menas, virtute non obſcurus. Et ab illo ordinatur ſacerdos, triginta iam annos natus, & pauloplùs. Deinde ei etiam euadit manifeſtus, qui adminiſtrabat Imperium. Id autem ex eo accidit:

Initiatur ſacerdotio.

Cap. 5. Iuſtinianus quidem erat, qui imperabat, cuius & Imperij diuturnum fuit tempus, & vita illuſtris. Ei morbus incubuit valdè grauis, cùm ei malè affecta eſſent pudenda, & veſica graui laboraret vlcere. Atque ille quidem patiebatur, & laborabat, nec dolores ferre poterat. Ei autem erat circunfuſum examen medicorum, & circa eum, vt mos eſt, aderant magno ſtudio diſputantes: qui ad promittendum quidem, & ad bona ſpe implendum ſunt valdè prompti, vt qui & eius manum, qui laborat, hinc incitent, & efficiant, vt ſit ad dandum alacrior: vt autem quod promiſerunt, deducant ad effectum, & eum, qui laborat, liberent ab eo, quod eum malè habet, non ſolùm breuì nō poſſunt efficere, ſed neque longa mora & dilatione, neque longi temporis vtentes auxilio: ſed parati quidem ſunt eorum, qui laborāt, accuſare tarditatem, aut etiam ad id, quod eſt deterius, procliuitatem, vt qui vel præceptis non acquieſcant, vel in cibo & potu non ea, qua par eſt, cautione vtantur: ſe autem, & ea, quæ ad curandum adhibēt, medicamenta nimimè reprehendunt. Quid ergo Imperator? Poſtquam vidit eos multa quidem dicere, & magna verba loqui, nihil autem conferre ad curationem, immò verò lædere, & maiores dolores afferre, ipſe agitabatur quidem doloribus, ferre verò non poterat. Atque omnes quidem medicos ex æquo condemnans vt inutiles, in malam rem abire iuſſit: ad Deum autē confugit, & ei magno ſtudio adhęret, & illinc quęrit auxilium. Nonnunquam enim egeſtas docet, quid nobis ſit vtile, & efficit, vt diſcamus, vndenam verum veniat auxilium. Auxilium enim meum, inquit, à Domino.

Pſalm. 120.

Cap. 6. Cùm itaque vehementer petijſſet, non tardè conſequitur, ſed ei in ſomnis oſtenditur multitudo medicorum, qui ordine quidem adſtabant, honeſta verò, & quæ ſacerdotibus conueniebat, erant veſte induti. Vidit autem quendam accedentem Eunuchum, ex auro quidem contexta veſte indutum, Præpoſito verò amictu ſimilem, qui viſus eſt oſtendere vnumquenquā ex medicis, quo ſit vultu, ætate & habitu: inter quos vnum, qui erat ſpecie humilis, canis decorus, veſtitu honeſtus & compoſitus, & diligētiùs curare, vt notus eſſet Imperatori, & efficere, vt ſciret qualis eſſet in omnibus, & dixiſſe: Hic ſolus, & nullus ex alijs, tibi poteſt dare, vt à morte libereris. Poſtquam autem à ſomno fuit excitatus Imperator, verum iudicans eſſe ſomnium, (Vt crederet enim effecerat qui prouiderat vt videret, & quæ viſa fuerant, erat re ipſa confirmatus) impletur quidem gaudio: acceſſit autem ſtatim medicos. Et illi quidem cōuenerunt, & ſe ei omnes coràm ſteterunt. Ille verò vnumquenque luſtrabat, diligentiſſimè perſcrutans, & non minùs examinans, quàm aurum lapis Lydius, vultumq; & figuram, & ætatem, conuenienter ſignis, quæ erant oſtenſa per ſomnia. Poſtquam autem nullum vidit tale ſignum in eis, qui aderant, dolore afficiebatur, & perplexo erat animo, & erat adhuc ſitientior, vt qui non eſſet promiſſum aſſecutus. Hinc acris & vehemens facta eſt inquiſitio, donorumq; & maximorum honorum promiſſiones, quos, qui virum, q quæritur, erat oſtenſurus, conſequenter ſignis quæ viderat Imperator, mox erat accepturus. Quo cognoſceretur autem, ſignum erat, non quomodò Pelopidis (vt narrat fabula) humerus: ſed virtus inſignis, & præcipuè moderati mores & compoſiti.

Viſio Iuſtiniani Imp.

Cap. 7. Cùm autem eſſet difficilis inuentio, (celabatur enim, non formam mutans, vt fingunt Proteum, ſed quodam diuino hoc eueniente conſilio, vt tardior oſtenſio eum redderet magis deſiderabilem) vix tandem vnus ex medicis Imperatoris, notus quidē Imperatori, magno autem Samſoni familiaris, & qui res illius optimè nouerat, non virtutis ſolùm, ſed etiam gratiæ & miraculorum, eum manifeſtum reddit. Hinc autē illi facilè erat conijcere, eum eſſe, qui illum erat curaturus. Hic ergo ipſe magnum illum Samſonem notum reddit Imperatori, & ei tantam conciliat lætitiam, quantam ij, qui laborant morbo corporis, & ab eo cupiunt liberari, ſoli poſſunt intelligere. Atq; ſtatim quidem venit admirabilis Samſon: neque enim inter viſum & auditum interceſſit

ce... tempus vel breuiſſimum: tantum eius videndi Imperatorem ceperat deſideriũ. Cùm verò eum vidiſſet, ex ijs, quæ noctù viſa fuerant, pulchrè recognouit ea, quæ cernebantur interdiu, vtpote oculorum manſuetudinem, formæ hilaritatem, morum honeſtatem, barbæ ſqualorem, adſpectûs triſtitiam, & quæ eum decebant ſigna moderationis. Hæc cùm ille, admirabili accedente Samſone, eſſet contemplatus, non potuit ampliùs contineri, ſed ſurgens præ immoderata lætitia eum, qui ſpecie vilis erat & abiectus, is, qui erat inſignis Imperio, amplectitur, & ſuauiter admodùm oſculatur, non os ſolùm, ſed etiam caput, dicens: Certè, ô pater, tu es ipſe, qui mihi admirabiliter in ſomnis apparuiſti: Quin etiã te morbum meum pollicitus es curaturum. Hæc cùm dixiſſet, ſtatim ingreſſus eſt in Regiæ penetralia, ſanctum illũ manu tenens. Neq; enim exiſtimabat ſe magnum quid facere, illam honorans, quam erat aſſecuturus facientem miraculum.

Iuſtinianus Samſonem oſculatur.

Cap. 8.

Poſtquam autem ingreſſus eſt Imperator, & eum habuit ſecum ſedentem, nondum eum humanè accipiendo ſatiatus, plura adhuc faciebat. Eius manus capiens, ſuis imponebat oculis & eas cum maxima voluptate deoſculans, & in eas diſtillans lachrymas, lætabatur. Morbi enim, qui eum premebat, neceſſitas efficiebat, vt homo appareret potiùs, quàm Imperator, & qui humanis flectebatur miſerijs, quàm qui Imperatoria efferebatur magnificentia. Verumenimuerò hæc magna Imperatoris moderatio & religio grauem ſancto iniecit moleſtiam, & perinde acſi ei fieret iniuria, & in eum nimia exerceretur modeſtia, non potuit tenere ſilentium: ſed ne ſic feceris ô Imperator, neque tam demiſsè & abiectè, acclamabat: nec eô, quòd te ipſe immodicè deijcias & deprimas, efficias vt damner arrogantiæ. In quo enim ſum communibus hominibus ſuperior, qui ſum miſer, & peccatis obnoxius, & opus habeo magna Chriſti benignitate & clementia? Verumenimuerò hæc tua fidei abundantia & feruor eſt futuri à Chriſto auxilij certus nuncius, qui eſt Rex Regum, & poteſt omnia facere. Cùm ſic dixiſſet, impoſuit manum parti patienti. Et ea quidem ſuo fungebatur officio. Is autem copia humilitatis volens celare abundantiam gratiæ, quibuſdam rebus, quas parti laboranti ex arte impoſuit, curationem conabatur aſſeribere. Sed medicamentum, quod applicabatur, vincebat, quæ celabatur, veritas: & qui in alijs fuerat cognitus rerum effector mirabilium, in hoc quoque fuit cognitus feciſſe miraculum. Non multi enim dies præterierunt, & Imperator fuit omninò liberatus à morbo, & eſt integram aſſecutus ſanitatem, repletuſque eſt lætitia & admiratione, illa quidem propter recuperatam valetudinem hac autem propterea, quòd qui eum ſanum fecerat, Deo eſſet familiaritate coniunctus.

Samſonis modeſtia.

Vult celare miraculum, ſed non poteſt.

Cap. 9.

Deinde etiã, vt magni Samſonis opportunis donis remuneraret curationem, aurum donauit ſplendidè ac magnificè, & quęcunque poterant incitare deſiderium eius, qui ſecundùm carnem, inquam, viuit, & non ſecundùm ſpiritum, vt dicit diuinus Apoſtolus. Illi autem tenuiter & frugaliter viuere, erat bonum per ſe expetendum, omnibus quidem diuitijs beatius, quauis verò gloria ad dignitatem excellentius. Imperatoris certè liberalitatem & munificentiam opportunis & validis recuſauit excuſationibus: Illa mihi das dicens, ô Imperator, quæ lubenter reliqui propter Chriſtum, vt qui multas poſſiderem pecunias, & multas haberem poſſeſſiones. Quomodo ergo ea accipiam ſine quibus viuere apertè inueni vtilius, & à quibus prudenter diſceſſiſſe, Deo eſſe coniunctum, dilucidè eſt oſtenſum? Quòd ſi propter ſummam tuam benignitatem & humanitatẽ, vis nobis aliqua in regratificari, id fiat Deo potiùs, & ita quod factum fuerit, ad nos quoque tranſibit. Fiet autem hoc, ſi prope meam domunculam, quam & ipſe habito, & aliquos ex ijs, qui morbis laborant, introducens curo pro viribus, ægrotantibus domum aptã excitaueris. Hoc enim tibi & clarum nomen pariet, & cõciliabit mercedẽ, quæ auferri non poterit. Audiuit Imperator, & quod petitum fuerat, lubenter admiſit, tanq̃ donum potiùs, quàm tanquam petitionem. Et ſtatim (tunc enim diuinum conſtruebat templum nomine Dei Sophiæ) iuſſit vt id quoque ſimul ędificaretur prompto & alacri animi ſtudio, & eorum, qui ædificabant, magna multitudine, & omnium impenſarum copia, ipſo quidem ſuppeditante liberaliter, ex magni verò Samſonis ſententia effecto ædificio. Poſtquam autem pulchrè & magnificè fuit ædificatum, & ab eius fuit nomine denominatum, protinus illi fuit permiſſum. Et ipſe erat diuinus ille Samſon, cui commiſſa fuerat domûs adminiſtratio.

Galat. 5.

Recuſat munera beatus Samſon.

Templum Sophiæ & domus hoſpitalis ędificantur.

Cap. 10.

Adijcit autem Imperator aliud quoque dignum Imperatoria munificentia. Non exiguam enim ſuorum bonorum partem, & non ſine egregio propoſito, huic ædi ſanctæ conſecrat, diuiſam ſcilicet ex prædis, quas admirabilis ille Beliſarius ad eum attulerat

lerat è terra Aſſyriorum, quæ re vera erant præclaræ & opimæ. Deinde domum quoque munit donis poſſeſſionum, q̃ & ad alios eius ſumptus ſufficiebant, & ad alimentũ medicorum, & eorum, quibus erant alia commiſſa munera. Cùm multos autẽ annos ſic tranſegiſſet ille beatus in cura gerenda ægrotorum, de quibus omnibus erat inſtar patris ſolicitus, & iam ad grauem deueniſſet ſenectutem, & corpꝰ imbecillum ei mortem parturiret, parùm quidem ægrotat, & quòd poſſet oſtendi eſſe procemium & occaſio mortis. Moritur autem non triſtis, neque grauiter & ægrè ferens deceſſum, vt ſolent animæ, quæ corporis & mundi nimio tenentur amore: ſed leuiter & hilariter, vt qui pulchrè ſciret, à quo vocaretur, & à qua perturbatione ad quam tranſiret requiẽ, & quantæ voluptates eſſent beatam eius animam excepturæ. Ex laboribꝰ enim remunerationes, & fructus nouerat ex ſeminibus. Atque Deo quidem digna & munda illiꝰ anima ad cæleſtes tranſit habitationes: ſacrum verò & ſanctum eius corpus deponitur honorabiliter in maximo templo Mocij martyris, vtpote quòd magnus ille Samſon ex eo diceretur trahere cognationem, non corpore ſolùm, ſed multò magis animo & moribus. Quàm multis autem clarus fuerit miraculis, qui eſt in rebus omnibus maximè admirabilis, non in vita ſolùm, ſed etiam multo magis poſt mortem, neq; lingua poteſt dicere, neque auris admittere. Quomodò enim, cuius nec in hodiernum q. dem diem conſtiterunt fluenta miraculorum? Immò verò nec conſiſtent quidem, donec ille idem fuerit, & eiuſdem vtetur viſceribus, pro hominibus apud Deum intercedens. Pauca ergo, ſi videtur, ad Dei gloriam, & ad eorum, qui audiunt, delectationem ex ijs, quæ poſt eius hinc exceſſum facta ſunt, tractanda ſunt oratione.

S. Samſonis obitus. *Miracula eius.*

Cap. 11. Et primùm quidem id, quod & multæ linguæ canunt, & libri ferunt, & omnes credunt, & quod in populari tumultu, qui aduersùs magnum illum & inter Imperatores clariſſimum eſt excitatus, vt fieret, accidit: quo tempore audaciſſimorum atque inprimis temerariorum hominum manus, igne accenſo, præclariſſimas & ditiſſimas ædes aggrediuntur. Atque incepit quidem malum à maximo templo Dei Sophiæ, quod cùm in orbem omnia exediſſet, deinde ſerpens venit vſque ad præclaras ædes diuini Samſonis, & tectum arripit celeriter, & fremens vlteriùs procedit & exiſtimabatur fore, vt mox tota domus omninò interiret. Quid ergo eſt poſtea conſecutum? Multæ quidem ex aduerſo in eo mouebantur manus gratæ & piæ, quid non facientes, & quid non molientes ex ijs, quæ poſſunt fieri ad ignis cohibendum impetum? Sed malum erat inexpugnabile, & omne ſuperabat auxilium. Vincitur tamen, & eo fuit potentior cura magni Samſonis. Fuerunt enim, fuerunt qui tunc digni ſunt habiti, qui diuinum viderent Samſonem per tectum circumcircà curſitantem, & ignem increpantem, & veluti frementem, & admirabiliter eius impetum retardantem. Cuius quidem adſpectu ille veluti obſtupefactus retroceſſit, & eſt repreſſus. Deinde cùm tonitru repentè erupiſſet, copioſa quoque affluxit pluuia, quo factum eſt, vt ignis quidem extingueretur, domus autem conſeruaretur illæſa præter tectum.

Incendium Cõſtantinopoli diuinitùs extinguitur.

Cap. 12. Adijciantur alia quoque miracula, non quæ multis antè annis facta ſunt, quòd deſint noua & recentia: non enim in hodiernum vſque diem deficiunt, vt quæ perennes fluuios imitentur: ſed ea quæ pauloantè facta ſunt, quò ſint magis credibilia, vt q̃ partim quidem habeant illos ipſos narrantes, qui ſunt gratiam conſecuti, quorum ſunt linguæ veridicæ, & mendacio omninò infeſtæ: partim autem, qui genere attinẽt, vel inſeruiẽrunt, vel aliàs familiaritate coniuncti illis ipſis, qui ſunt experti miracula. Iam enim Theodoritus procedat, qui Spatharo cubiculariorum erat ordine inſignis, de cuius virtute magnum fertur teſtimonium, & de eius benignitate ac veritate, & ſumma moderatione. Is erat famulus, & famulorum familiariſſimus, & fideliſſimus Leonis illiꝰ, qui erat relatus in chorum patriciorum, & præpoſitorum, & qui exercuit magiſtratum Drungarij, qui eſt eorum, qui nauigant. Geſſit etiam magiſtratum ratiocinatoris curſus, in quo etiam eſt mortuus, non pluſquam quatuor ad ſummum menſibus poſt mortem illius. Huic autem Theodorito erat collega alius ex ijs, qui inſigni Leoni miniſtrabant, & erant ei familiares, qui etiam vocabatur Leo. Erat autem is quoque non vnus ex vulgo, ſed & Protoſpatharius, &, vt mos eſt nominare, in Maglabio, & ſummus Theodoriti amicus, & vnanimis ſocius in miniſterio. Huic autem Leoni cùm aliqua de cauſa ſuccẽſſiſſet Drungarius, & eum habuit ſuſpectum, & tempore non paruo eum à conſueta remouit familiaritate, & ab ea, quam priùs habebat, fiducia. Sum verò ipſe quoque teſtis eius aduersùs Leonem indignationis, & ſcio auerſionem & diuturnam ſeparationem. Nam ego quoque rogaui pro Leone, vt qui eſſem Drungario amicꝰ & familiaris. Valdè itaq; angebatur Leo, & magna

afficiebatur animi ægritudine, dolorque vel ipſa oſſa & medullas tangebat, & valdè conſumebat. Quinetiam Theodoritus idem iugum trahebat, vt dicitur, eiuſq; mouebatur miſericordia, & per conſenſum, dolorem accipiebat, legibus cedens amicitiæ, vt qui eſſet amicus, & in miniſterio ſocius, vt priùs eſt oſtenſum.

Cùm itaque ferre non poſſet videre Leonem ſic affectum, auſus eſt verbis ſuum aggredi dominum. Neque enim facilis ad eum patebat aditus, & aſper erat in ſermonis congreſſione, maximè inter famulos. Et prudenti inita ratione, pro eo rogauit: Perit, dicens, Leo perit: timendum eſt, ne ſibi graue aliquid faciat: quod quidem certè nolimus, neque ſimus authores eius mortis. Miſer enim iam extabuit, & eſt planè conſumptus, non ferens tuam auerſationem, & ſtatim amittet etiam animam. Hoc cùm non ſemel, ſed ſæpè dixiſſet, aſſiduitate & opportunitate perſuadet, & Leoni pulchrè procurat reconciliationem. Deinde iuſſus venire in conſpectum, cùm ille præ nimio gaudio per ſcalas, quòd ita contigiſſet, deſcenderet, & celeritate nimia eſſe impeditus, pedis iuncturam euertit, & loco ſuo dimouet. Statimque ore hianti mutus euadit, & immobilis præ dolore, eumque habebat lectus, cùm vix ad eum eſſet delatus. Tres dies præterierant, & ipſe ſic iacebat ſupinus, mutus, ſomni & cibi expers, & nec aquam quidem omninò admittens, nec omninò ſe mouēs, ſed veluti lecto affixus, & à re inanima nihil differens. Sanctum tamen etiam tacendo rogans, videt eũ ſtantem pro pedibus, tangentem talum pedis affecti, & dicentem: Surge: nihil erit tibi ampliùs mali. Simulatque autem hoc dixit, egreſſus eſt, videntibus Theodoriti oculis, ore autem non potente eloqui. Poſtquam verò magnus ille Samſon procùl fuit ab oculis, ad ſe quidem redit Theodoritus, & efficitur quodammodò animatus, & redditur ei, qui mouetur, aſſimilis. Vocale verò corpus habuit quoque, ſicut priùs, & lætiori voce Deum glorificabat, & ſubmiſſa voce dicebat: Sanctus eſt Samſon. Statimque miniſtrum eſt allocutus, dicens: Surge Baſili, (ita enim vocabatur) & da mihi veſtem, vt me induam: & ſimul pedem tetigit. Eum autem videns ſanum, alteri manum admouit, qui erat illæſus ab initio. Rei enim admirabilitas eum reddebat propè emotæ mentis, & erat tanquam ſui oblitus, & dubitans, & hæſitanti ſimilis. Alioqui autem nimium gaudium, & bonum inexpectatum ac præter opinionem, mentem ſolet dimouere. Vbi autem nouit ambos eſſe ſanos, alacri ſtatim animo & pedibus it ad ſepulcrum eius, qui ipſum curauerat, & beneficium ei refert acceptum, & ei piè agit gratias, vt ſit gratus & memor animus. Cap. 13. S. Samſon per viſum curat Theodoritum.

Huic verò Theodorito accidit, vt in alio quoque miraculo, quod circa dominum eius factum eſt, (quiſnam autem is ſit, iam oſtenſum eſt) inſeruiret. Sed quomodò accidit? Cùm Drungarius hic Leo aliquando æquitaret, euenit, vt equus illius pedem muro allidens, eum feriret grauiter. Malè autem ſe habebat pes, non breui aliquo tempore, ſed multis diebus. Deinde cùm ſic affectus oſtenderetur medicis, neceſſariò hortabātur ad ſectionem & chirurgicam operationem. Atque erat quidem dies quartus, quo medicis viſum fuerat ſic facere. Et Nicolaus (erat autem is quoque vnus ex iis, qui ſeruiebant Drungario, & eius domum complebat) ſtatuerat ipſe afferre ſectionem. Illa vero nocte apparent Theodorito viri tres, domum Drungarij ingredientes, habitu & amictu Romani. Quibus factus obuiàm, Quonam itis? rogauit. Illi autem voce & adſpectu placido. Ad dominum tuum, inquiunt, accedimus. Ad hæc autem Theodorito venit in mentem, vt diceret: Sed vos, ô domini, latet quanto in præſentia dolore laboret Drungarius, & quòd ſint hodiè medici illius pedi ſectionē adhibituri? Illi autem, Nequaquam inquiunt: ſed hoc tibi minimè eſt admittēdum. Nos enim ad ipſum veniemus in Paraſceue, & ipſum viſitabimus. Manè ergo medicos iam volentes manum admouere operi, & pedi inferre ſectionem, prohibuit Theodoritus ſtatim recordatus viſionis, & eis narrans, quemadmodùm ea ſe habuiſſet. Quam cùm ipſi intellexiſſent, & viſionem non eſſe deſpiciendam piè iudicauiſſent, ſe ſuſtinuerũt. Cùm verò iam adeſſet Paraſceue, (O tua Chriſte magnalia, Quam admirabilis es Deus in ſanctis tuis?) pes erat qualis antequam læderetur, purus, & totus ſaniſſimus, non modò ſectione, ſed nec vlla alia indigens curatione. Cap. 14. Pes Drungarij ſanatur per miraculum.

Non hanc ſolùm inſignis hic Leo, ſed aliam quoque à magno Samſone eſt conſecutus miraculi effectionem. Morbo enim grauiſſimo laborans, & aliis corporis partibus vtebatur impotentibus, genibus autem propemodùm inutilibus, & quæ ſuo officio minimè fungi poterant. In loco enim plano & æquali vtcunque fortaſſe ingredi poterat: ſcalas autem aſſcendere, aut per locum accliuem incedere, erat is conatus ei vnus ex laboribus Herculis. Ex medicis verò omnibus, & qui alioqui opem ferre Cap. 15.

pollicebantur, nihil præter promiſſa eſt aſſecutus. Deinde cùm ei in mentem veniſſet ſanctus, agitat animo aliquid magis pium, & magis verum ad iuuandum. Alijs omnibus deſpectis, tanquam inutilibus, accedit ad illius ſepulcrum. Ad quod cùm veniſſet, non vtitur quidem aliquibus negocioſis vacationibus, neque multos alioqui dies illic aſſidet, ſed ſola tunc precatione & vnctione vnguenti, quod illinc ſcaturit, vtitur in genibus ſuis laborantibus. Quod cùm factum eſſet, ſtatim quidem exuit morbi pedicas: confirmat autem pedes robore intenſiſſimo. Deinde & ſano toto corpore, & læto animo domum reuertitur. Verumenimuerò cùm vellet oſtendere, non in ignauum hominem, & beneficij accepti immemorem, id fuiſſe collatum, ſed in virum gratum & pium, quoniam diuini huius Samſonis domus tunc laborabat, & in genua lababat, quòd attinebat ad pecunias & ſumptus opportunos, petit à bono Iohanne, (ille enim tunc obtinebat Imperium) vt cura huius domûs ſibi demandaretur. Atque ille quidem dedit. Sciebat enim quanta eſſet viri induſtria & diligentia. Ipſe autem cùm accepiſſet, non remittebat, ſed omnem rudentem aptè mouebat, & manibus, vt dicitur, & pedibus contendebat, & omne ad id ſtudium adhibebat, donec eam reſtituit, & quãtùm in ſe fuit, effecit, vt ſatis benè ſe haberet.

Nota miraculum ex oleo ad ſepulchrum ſancti ſcaturiẽte.

Cap. 16.

Nec hoc quoque par eſt prætermittere, quod eundem habet, qui paſſus eſt, & eundem, qui curauit. Nam qui paſſus quidem eſt, fuit inſignis Leo: Samſon autem diuinꝰ, qui curauit. αἰγίλωψ eſt vnus morbus ex ijs, qui corrumpunt oculos hominum. Qui cùm in illius canthum incubuiſſet, eum valde premebat. Eum cùm aliquis execuiſſet medicus, lædebat potiùs, quàm iuuabat: & in hoc ſolo ſe non geſſit improbè, quòd non ſua ſponte damnum attulit. Fit enim ſectio maxima, & valdè periculoſa, quã ipſam quoque diuinus curat Samſon, dum illius vnguento vngitur frequentiùs, quodam admodùm paruo relicto foramine, idq; dedita opera, & propter vtilitatem. Nam ꝑ ipſum humor quidam facilè effluens, & oculo & capiti multùm profuit.

Aliud miraculum per olei vnctionem.

Cap. 17.

Adijciatur alijs magni Samſonis miraculis miraculum quoque Geneſij. Nam cum eo, quòd affert terrorem, habet etiam in ſe iucunditatem, & eſt auditu digniſſimum. Hic ergo Geneſius erat quidem vnus ex clero: fuit autem multos annos miniſter Xenodochij non minùs enim, quàm triginta annorum fuit eius miniſterium. Erat autem in eo admodùm ſocors & negligens. Vna itaque nocte accedens ſanctus, multas ei plagas inflixit. Cur non, dicens, ea præbes, quibus egent ij, qui laborant? Et cur negligenter verſaris in hoc tuo miniſterio? Hæc autem non in ſomnis, neque ad nudam ſolùm viſionem facta ſunt, ſed ea res ipſa oſtendit. Manè enim mutum quidem erat os Geneſio, nigrores autem & liuores manifeſti in corpore, qui non minùs, quàm lingua id, quod factum fuerat, ſignificabant. Cùm itaque quidnam ſibi accidiſſet, rogatus explicare non poſſet, ei datur charta, & in ea ſcribit, quomodò ſe habuiſſent ea, quæ facta fuerant. Tres interim dies præteriêrunt, & ille quidem adhuc erat elinguis. Cùm hæc autem iam audiſſet Drungarius, non ampliùs contineri poterat, ſed ad ſacram domum ſtatim accedit, cupiens quidem per interrogationem & reſponſionem audire apertiùs ea, quæ facta fuerant: ſed modum non inueniens propter vincula, quibus adhuc erat adſtricta lingua eius, qui paſſus fuerat, rem committit precibus: Sancte DEI, dicens, ſi ſcis quanta mea ſit in te fides, & quàm fuerim in tuo miniſterio diligens, concede, vt Geneſius ipſa lingua ea, quæ paſſus eſt, enunciet. Cùm ille ſic eſſet precatus, non fuit fraudatus ſua petitione: ſed ab ipſo rogatus Geneſius, primùm quidem balbutiebat, exiliterque & interciſè loquebatur, & ea dicebat, quæ minùs intelligi poterant. Lingua autem ei paulatim relaxata, omnia explicat, adijciens etiam de domo magni Samſonis: propter illam enim magis ſuccenſebat, quæ, viuente quidem ſancto, & in vita adhuc ſuperſtite, malè ſe habebat, & nullius erat precij: cùm autem è vita migrâſſet, & manifeſta iam eſſet eius ſanctitas, oportebat eam omninò honorari, & tanquam domum illius reputari. Quod quidem factũ eſt piè & religioſè: mutata enim eſt in templum, & aſſecuta eſt eam, quam par eſt, venerationem.

Geneſiũ S. Samſon verberat.

Geneſio vox reformatur.

Cap. 18.

Sed neque quod in Euſtratium factum eſt miraculum, qui eſt in Protoſpathariorum quidem relatus numerum, (eſt autem adhuc viuus & ſuperſtes) paruum eſt & vulgare, & indignum commemoratu. Nam ei quidem valdè dolebat alter ex oculis. Cùm ei autem eſſet amicus & familiaris Leo Protoſpatharius, quem priùs diximus miniſtrâſſe Drungario, cui etiam fuerat ab illo commiſſa cura Xenodochij, & vidiſſet eum affici tanto dolore oculi: Si feceris, inquit, ô amice Euſtrati, id quod ego tibi ſuggeſſero, nihil habebis, quod prohibeat, quò minùs ſanum habeas oculum. Cùm verò

rogâſſet

rogâſſet Euſtratius.dicens: Quidnam eſt,quod ſum facturus? Oleo,inquit, opus habet Xenodochium:& ſi præbueris id,quod eſt opus,conualeſces citra vllam dubitationē: & ſi velis,id ego mandabo literis,quod tibi polliceor. Sic ait, & verba non in hoc ſolùm conſtiterunt, ſed etiam ad opus proceſſerunt. Magni enim Samſonis virtute fretus,& iis,quæ ab eo vidit fieri,miraculis, Euſtratio fidem facit per ſcripturam, quæ ſic habebat: Ego Leo fretus virtute ſancti Samſonis,& fide,qua ſum in eum confirmatus,ſpondeo ac fideiubeo tibi Euſtratio, quòd præbenti tibi ad vſum eius domûs oleum,præbebit quoque magnus Samſon à Deo miſericordiam, neque tibi ampliùs dolebit oculus. Atque ſanctus quidem præuenit illius donationem,illæſumque & omnis doloris expertem oculum habuit Euſtratius. Ille autem ſimul, vt vulgò dicitur, & miſericordiam eſt aſſecutus,& illi mortua eſt gratia. Contempſit enim ea, quæ erat pollicitus,poſtquam ea,quæ voluit,eſt conſecutus,indignè admodùm & periculosè,& ſãctæ domui, ne minimum quidem præbuit oleum. Sed cùm magnus illi noctù apparuiſſet,(oportet autem vti eius verbis) Me,inquit,habes ludibrio? Efficit vera hæc viſio,vt ad ſe redeat Euſtratius,& eum replet timore. Nam cùm diluculo totum oleum miſiſſet ad Leonem: Iam,inquit, exolui tibi debitum, tu autem placa mihi ſanctum. Neque enim poſſum ferre eius minas.

Nota ſcripturã hanc.

Ingrati per viſum terret S. Samſon.

Quod autem in protoſpatharium Bardam factum eſt,fidem propè ſuperat, qui erat quidem frater Iohannis Patritii,qui ducebat genus ex Macedonia. Ei verò magna intercedebat familiaritas cum Romano Imperatore,benigno & clemente,quem ſciunt omnes fuiſſe filium Conſtantini:qui(vt omnia ſemel dicam)fuit Imperator egregius. Huic ergo Bardæ morbus incumbit in latus,iſque longè grauiſſimus:eum morbū medici vocant carbonem:qui totum ferè latus comprænhendebat, & quinq; habebat foramina:laboranti verò afferebat dolores intolerabiles. Etenim ne eouſque quidē mali conſtitit acerbitas,ſed etiam vſque ad mammillam ex latere dimanauit, aut etiam propagatum eſt quoddam aliud tuber acerbiſſimum, quod eam maximè tumefecit:& ita creuit morbus,& adeò inualuit,vt videretur etiam medicis ſuperare curationem,& efficere,vt omnem ſpem vitæ abiicerent. Cùm autem & ſancti appropinquaret memoria,medici omnes,& qui ſic vocabantur charthularii, & quicunque die ſequenti erant,vt mos eſt eis,venturi in templum præclari martyris Mocii, & ſolitas peracturi precationes,veſperè eo relicto,planè animum deſpondente, & omni bona ſpe vacuo,receſſerunt. Is autem manè quendam accerſit ex carthulariis: Is verò erat Michaël oſtiarius,qui hæc mihi narrauit. Xenodochio verò tunc præerat Bardas, qui hoc morbo laborabat. Cùm ergo ad eum veniſſet is oſtiarius,videns eum ſtantem rectum,& mundis indutum veſtibus & ſanum impletur quidem admiratione. Putans autem eum deſipere,& eſſe emotæ mentis:Hei mihi,inquit,quid tibi accidit? Sed tu, reſpondit Bardas,mittens Deo,vt par eſt, offerre gloriam, fles potiùs & vociferaris, perinde ac ſi lugeres? Michaël autem eo,quod præter ſpem acciderat, ſpectaculo magis obſtupefactus,diligēter eum interrogabat,& ſitiebat diſcere,quod factum fuerat. Ille verò clara & elata voce ſtatim cepit dicere. Res enim eiuſmodi eſt nimia exultatio.

Cap. 19.

Repētè curatur per S. Samſonem Bardas.

Poſtquam,inquit,me ita affectum relinquentes,domo receſſiſtis,ego à morbi doloribus agitatus,& quòd nulla relicta eſſet ſpes vitæ,victus ægritudine, & maximè quòd non mihi liceret cum aliis venire ad ſancti ſepulcrum,& cum eis celebrare memoriam,totam quidem noctem tranſegi in ſomnis. Sic autem iacens, video quendam ſenē egreſſum è templo domûs meæ. Videbatur verò eſſe monachus. Is cùm acceſſiſſet in medium huius domûs,& ad me adſpexiſſet:Tibi dico,inquit,ſurge. Cùm ego autem eſſem locutus,dicens:Quomodò hoc dicis? neque enim poſſum: Ille bis & ter eadem repetiit. Tandem autem: Ego tibi dico,inquit,ſurge, & ad ſancti Samſonis ſepulcrum vade quamprimùm. Cùm ſic dixiſſet,ego ſtatim me parùm è lecto extuli, & illū vidi rurſus reuerſum in templum,ex quo mihi viſus fuerat eſſe egreſſus, & tandem omninò ſublatum ab oculis. Tunc verò totus exurrexi, & viſus ſum liberatus eſſe ab omni dolore. Tunc mammillæ tumorem ambabus adſtringens manibus,ſenſi ſpiritum,qui retrò emittebatur è latere. Deinde coniugem hilariter allocutus: Mihi videor, inq̄t, nihil mali ſentire:ſed tu ſenſim ſolue vincula plagæ impoſita. Ea aūt ſic fecit, & fuit interim magna affecta moleſtia: Et: Hei mihi,dixit, Quis eſt hic Amanites,q plagę eſt impoſitus? Id verò erat caro putrefacta,& reiecta,quæ vnà cum pannis euulſa fuerat. Sic ego ſanatus,& præter ſpem & opinionē priſtinę reſtitutus valetudini,nō me poſſū ampliùs continere:ſed parens eius,qui me curauerat,præcepto, eo ad eius ſepulcrum, cum aliis feſtum celebraturus. Cùm ſic dixiſſet, ſtatim quoque ſic fecit, & ad ſanctum

Cap. 20.

Viſio Bardæ.

abiit

abijt plenus gaudio & lætitia. Iis autem, qui ei fiebant obuiàm, res videbatur incredibilis,& vel de ſuis dubitabant oculis.

Cap.21. Coniungatur præcedentibus Georgij quoque miraculum: non eſt enim leue, nec vulgare, neque dignum quod contemnatur. Is erat quidem miniſter monachi cuiuſdam & ſacerdotis, nomine Ephedim. Cùm autem hydrope laboraret, & in ſacra magni Samſonis æde eſſet repoſitus, omnia quidem repulit, quæ ei à medicis priùs erant ad medelam adhibita, vt à quibus omnibꝰ nihil opis ſenſiſſet. Deinde cùm ægrè ferret, quòd tandiù illic decumberet, ſacra illa æde relicta, abit in domini domunculam. Nõ ceſſat autem dominus eum monere & hortari, vt reuertatur, & in ſancti domo adhuc maneat. Cùm verò non perſuaderet. (à verbis enim abſtinebat aſperioribus propter morbi grauitatem.) At oratorium, inquit, ſaltem ingredere, adoraturus ipſam ſancti imaginem. Deinde cùm oleum acceperis, & te vnxeris, in tuo lecto recumbe. Ille autem fecit, quod iuſſus fuerat. Poſtquam verò fuit dies, iubebatur quidem à domino adhuc facere ſimilia. Ille aũt: Sed ego, inquit, conualui, & ſancti virtute ſum purã aſſecutus ſanitatem. Hac enim nocte mihi apparens in ſomnis ſanctus, & meum ventrem tetigit, & dixit mihi: Abi, cùm ſis ſanus: nihil enim mali te vexat ampliùs. Hæc ad fidẽ faciendam domino non ſuffecerunt, ſed ejus fecit periculum, & diligenter eſt ſcrutatus illius vultum, & ventrem, & pedes, & reliqua membra. Cùm verò nullas morbi vidiſſet reliquias, nec veſtigia, Deum laudauit, & ſancto egit gratias, cùm videret famulum habuiſſe medicum non mercede conductum, nec fallacem, eumque priſtinã recuperâſſe valetudinem.

Nota vim olei, de ſancti ſepulcro ſcaturiẽtis.

Cap.22. Porrò autem Irene quoque erat morbus ſimilis. Erat enim hydrops: iſq; morbus grauiſſimus: qui etiam elegantem, et magis admirabilem adeptus eſt curationem. Atque erat quidem Irene maritus vnus ex iis, qui ædi ſacræ miniſtrabant. Propter quem cùm decubuiſſet, à medicis quidem deſperârat ſe poſſe conſequi ſalutem. Sanctus autem noctù apparens cum quibuſdam alijs duobus, cum quibus vtplurimùm ſolebat apparere, (eos verò eſſe dicunt diuinos illos, qui ſine vlla medentur pecunia Coſmam & Damianum) eã primùm rogauit ſanctus, quidnam mali pateretur. Illa autem videbatur oſtendere: ſanctus vero vnum eorum alloqui, & dicere: Oportet eius femori adhibere ſectionem. Et ille quidem ſic fecit. Ea autem, vt quæ dolorem quendam ſenſerat, è ſomno eſt excitata: nihil verò cognouit ex iis, quæ paſſa eſt. Cùm autem eſſet dies, ad eam accedens famula, cùm vidiſſet aquam ſub lecto fuſam, vt eſt veriſimile, arbitrata eam eſſe vrinam, quòd turpiter & indecorè ſe gereret, exprobrauit, & quòd neque ſurrexiſſet, neque vllam vocâſſet ex ancillis, ſed inquinâſſet & veſtes & ſtragula. Illa autem negabat, dicens, ſe nihil tale feciſſe. Deinde remota tunica, cùm viſa eſſet ſectio, & humor effluens, cognitus quidem fuit medicus: ipſa verò ſana extitit, & domum pulchrè eſt reuerſa.

Coſmas & Damianus medici.

Cap.23. Satis eſt, his exhibitum eſſe guſtum illius magni gratiæ. Quid enim (vt eſt in Tragoedia) numerare oportet innumerabilia? Hæc enim nunquam ceſſant fieri, ſed ſimiliter ſe habent atque fluenta fluuiorum: & alioqui vnum ſufficit pro omnibus: diuinitùs, inquam, fluens fluentum, quod ex ſepulcro quidem procedit, & ex eo oritur, & ſcaturit. Procedit autem non ſemper, ſed paucis quidem diebus ante feſtum miraculi, veluti quidam humor apparet, deinde paulatim augetur, & remanet poſt feſtum ſic ſcaturiens, donec aliquot dies prætererint: deinde ceſſat. Sicque vt opinor, eſt in maiori honore & admiratione, quàm ſi perpetuò flueret. Nam ſic conſeruare certum, & nunquam aberrans tempus fluxûs & defectûs, præter id, quod eſt gratius & admirabilius, eſt etiam magis venerabile. Quod enim eſt perpetuum, affert fortaſſe etiam ſatietatem. Satietas autem inducit contemptionem.

Nota de liquore ex eius ſepulcro manãte

Cap.24. Hoc eſt, quod tibi à nobis offertur donum, maxime pater Samſon, neſcio quidem, an ex tui animi ſententia, ſed certè pro noſtris viribus. Quod quidem benignè & placidè accipias, qui es benigniſſimus: morborumque noſtrorum, atque ideò animæ potiùs, quàm corporis, bonus ſis medicus, dux & cuſtos totius noſtræ vitæ, Chriſtum reddens mihi propitium. Quem ipſe quidem inſigniter dilexiſti, ego autem peccatorum multitudine, hei mihi, pluſquàm dici poſſit, prouocaui ad iram: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

MAR.

MARTYRVM SANCTORIVM PLVTARCHI, SERENI, HERACLIDIS, HEROIS, (IS A CHRISTO-*phorſono Heronex dicitur*) *item alterius Sereni, Potamiœnæ &c. ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij Cæſareenſ. Lib. 6. cap. 4. interprete Iohanne Chriſtophorſono Angliæ Epiſcopo.*

ORIGENES igitur cùm talia vitæ ex ſapientiæ præceptis diuinitùs inſtitutæ exempla his, qui ad ipſum obſeruandum oculos adijciebant, propoſuiſſet, meritò quidem complures ex diſcipulis ad ſimile vitæ genus libenter amplexandũ prouocauit: vt iam etiam ex infidelium numero viri non plebeij, ſed præſtantes cùm in omni genere literarum, tum in philoſophia vel maximè, ad eius diſciplinam cupidè raperentur. Qui quidem cùm eius ſedulitate fidem & certã in verbo Dei perſuaſionem interiore mentis ſuæ receſſu ingenuè ſyncereq; hauſiſſent, in illo perſecutionis tempore præclarè ſe admodùm & conſtanter geſſerunt: vnde nonnulli eorum capti, beato martyrio finem viuendi glorioſè fecerunt. Ex quorum numero primus erat Plutarchus, de quo paulò antè mentionem feci: quo ad mortem abducto, parùm aberat, quin iſte, de quo ſermo inſtituitur, Origenes, dum illi in extremo iam vitæ ſuæ exitu adeſſet, à Plutarchi ciuibus (quippe cauſam mortis Plutarchi in eum transferebant) iam denuò interfectus fuiſſet. Cæterùm perſpicax Dei prouidentia illum etiam eo tempore è periculo eripuit. Poſt Plutarchum ſecundus ex Originis diſcipulis martyr fuit Serenus: cuius in Chriſtum fides, quam animo imbiberat, ignis incẽdio ſatis exploratè probata fuit. Heraclides, tertius martyr & quartus Heronex, eadem ſchola profecti. quorum vterq;, prior, dum adhuc catechumenus erat, poſterior antè nuper iam baptizatus, ſecuri, percuſſus fuit. Præterea ex eodem ludo alius à primo Serenus, quintus athleta, pro pietatis defenſione, quam ſuſceperat, pleno ore laudatur: cui poſt ingentem tormentorum perpeſſionem, fama eſt, caput ceruicibus abſciſſum eſſe.

[Margin: Iunij 28. vt habent Martyrologia: quanquam non omnes vno die paſſi ſunt. — Plutarchus. — Serenus. — Heraclides. Heronex. — Serenus alter.]

Ex mulierum numero, quæ erant eius diſciplina inſtitutæ, Rhais adhuc catechumena baptiſmum, vt ipſe Origenes quodam in loco ait, per ignem conſecuta, exceſſit è vita. Septimus inter iſtos numeratur Baſilides, qui Potamiœnam, multorum commendatione inſignem, ad ſupplicium deduxit, de qua frequẽs & celebris ſermo apud ciues ſuos iam habetur: vtpote quæ cùm infinitas propè pugnas pro corporis pudicitia & virginitate, qua præ cæteris excellebat, contra inſanos amatorum ſuorum impetus (In ea enim præter animi virtutes, eximia præterea & integra corporis pulchritudo cum mira venuſtate elucebat) conſtanter ſuſtinuit: tum multiplices & graues ærumnas pro fide in Chriſtum exhauriens, ad extremum poſt tormenta acerba dictuque horrenda, vnà cum matre Marcella ignis incendijs abſumpta, mortem oppetijt. Ferunt quidem Aquilam (hoc enim Iudicis nomen fuit) poſtquam graues vniuerſo illius corpori plagas inflixiſſet, tandem ad corporis ignominiam & contumeliam libidinoſiſſimis gladiatoribus illam ſe traditurum interminatum: illam autem pauliſper intra ſe meditatam, cùm rogaretur, quid ſentiret, eiuſmodi reſponſum dediſſe, vnde viſa eſt illis aliquid impietatis (ſic enim putabatur) manifeſtò elocuta. Atque e veſtigiò, poſt definitiuam de ea latam ſententiam, Baſilides vnus ex ſatellitibus, eam acceptam ad locum ſupplicij deduxit. Simulatq; autem multitudo ei moleſtiam faceſſere, & verborum petulãtia inſectari conabatur, hic eos, qui contumeliam ei faciebant, repulſos coërcuit, & maximam clementiam ſummamque humanitatem in eam declarauit. Illa verò hominem pro illius erga ſe commiſeratione vehementer amplexata, bono animo eſſe hortatur. nam ait ſe, ſimulac abiret è vita, à Domino ſuo veniam & gratiam pro eo efflagitaturam, & non diù pòſt eius in ſe merita iuſta remuneratione compenſaturam. Hæc cùm dixiſſet, pice feruenti per varia & diuerſa corporis membra ab imis pedibus vſq; ad capitis verticem ſenſim ac pedetentim diffuſa, generoſo & excelſo animo migrauit è vita. Tale certamen ab hac percelebri & glorioſa virgine confectum fuit.

[Margin: Rhais fœmina. — Baſilides. — Potamiœna. — Marcella. — Clementiã Baſilidis in Potamiœnam. — Sancti in cælis orant pro nobis.]

Non

daretur. ait Petrus: Satis eſt ad pœnam eius, quòd cognoſcit ſuas artes nihil valere: viuat, & Chriſti regnum creſcere videat vel inuitus.

Torquebatur Magus Apoſtoli gloria: collegit ſeſe, atque omnem excitans carminum ſuorum potentiam, congregat populum, offenſumq; ſe dicit à Galilæis: relicturum ſe vrbem, quam tueri ſoleret. Diem ſtatuit, pollicetur volatum, quo ſupernis ſedibus inueheretur: cui quando vellet, cælum pateret. Conſcendit ſtatuto die mõtem Capitolinum, ac ſe de rupe deijciens, volare cœpit: Mirari populus, & venerari plerique, dicentes Dei eſſe potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret: nihil tale feciſſe Chriſtum. Tunc Petrus in medio ſtans, ait: Ieſu Domine, oſtende ei vanas artes ſuas eſſe, ne hac ſpecie populus iſte, qui crediturus eſt, decipiatur. Decidat Domine, ſic tamen, vt nihil ſe potuiſſe viuens recognoſcat. Et ſtatim in voce Petri implicatis remigijs alarum, quas ſumpſerat, corruit: nec exanimatus eſt, ſed fracto debilitatoq; crure, Ariciam conceſſit, atq; ibi mortuus eſt.

Simon Magus dũ vult volare, corruit: deinde moritur.

Quo comperto, deceptum ſe Nero & deſtitutum, dolens tanti caſum amici, ſublatumq; ſibi virum vtilem & neceſſarium Reipublicæ, indignatus, quærere cœpit cauſas, quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo ſancti vocarentur Apoſtoli Petrus & Paulus. Deniq; dato vt compræhenderetur præcepto, rogabatur Petrus, vt ſeſe alio conferret. Reſiſtebat ille, dicens, nequaquam ſe facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet: bonum eſſe pro Chriſto pati: qui pro omnibus ſe morti obtuliſſet: non mortem illam, ſed immortalitatem futuram: tanquam indignum, vt ipſe fugeret paſsionem ſui corporis, qui multos doctrina ſua cõpulerit ſe hoſtias pro Chriſto offerre, deberi ſibi ſecũdùm Domini vocem, vt & ipſe in paſsione ſua Chriſto gloriam atq; honorem daret. Hæc & alia Petrus obtexere, ſed plebs lachrymans quærens, ne ſe relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium deſtitueret: victus fletibus Petrus, ceſſit: Promiſit ſe vrbem egreſſurum. Proxima nocte ſalutatis fratribus, & celebrata oratione, proficiſci ſolus cœpit. Vbi vẽtum eſt ad portam, videt ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine, quò vadis? Dicit ei Chriſtus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de ſua dictum paſsione, quòd ea Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur in ſingulis, non vtiq; corporis dolore, ſed quadam miſericordiæ compaſsione, aut gloriæ celebritate. Et conuerſus, in vrbem redijt, captusq; à perſecutoribus cruci adiudicatus, popoſcit vt inuerſis veſtigijs cruci affigeretur, quòd indignus eſſet, qui ſimili modo crucifigeretur, vt paſſus eſt Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Chriſtus prædixerat, vel quia perſecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipſe Paulus, alter cruce, alter gladio necatus eſt.

Vide Neronis nequitiã.

Iohan. 21.

In huius rei memoriam extat adhuc hodiè Romæ extra portã Appiã erectũ ſacellum, quod vulgo appellatur, Domine quò vadis.

ITEM VITA D. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS, PER D. HIERONYMVM SCRIPTA,

Lib. De Viris illuſtribus.

SIMON Petrus filius Iohannis, prouinciæ Galilææ, vico Bethſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinq; annis cathedram ſacerdotalem tenuit, vſq; ad vltimum annum Neronis, id eſt, decimumquartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis: aſſerens ſe indignum, vt ſic crucifigeretur, vt Dominus ſuus.

S. Petrus primò Antiochenam rexit eccleſiã.

Deinde Romanam.

Scripſit duas epiſtolas, quæ catholicæ nominantur, quarum ſecunda à pleriſq; eius eſſe negatur, propter ſtyli cum priore diſſonantiam. Sed & euangelium iuxta Marcũ, qui auditor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius, è quibus vnus Actorum eius inſcribitur, alius Euangelij, tertius Prædicationis, quartus Apocalypſis, quintus Iudicij, inter apocryphas ſcripturas reputantur. Sepultus Romæ in Vaticano, iuxta viam triumphalem, totius Vrbis veneratione celebratur.

Eccleſia iã olim vtranque Epiſtolam tribuit Apoſtolo Petro.

VITA SANCTI PAVLI APOSTOLI, PER D. HIERONYMVM SCRIPTA, LIB. DE VIRIS *illuſtribus.*

PAVLVS Apoſtolus, qui antè Saulus, extra numerum duodecim Apoſtolorum, de tribu Beniamin & oppido Iudææ Giſcalis fuit. Quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauit, à quibus ob ſtudia legis miſſus Hieroſolymam, à Gamaliele viro doctiſſimo, cu-
Acto. 5. ius Lucas meminit, eruditus eſt. Cùm autem interfuiſſet
Act. 7. & 9. neci martyris Stephani, & acceptis à pontifice templi epiſtolis, ad perſequendos eos, qui Chriſto crediderant Damaſcum pergeret, reuelatione compulſus ad fidem, quæ in Actibus Apoſtolorum ſcribitur, in Vas electiõis de per-
Acto. 13. ſecutore translatus eſt. Cumque primùm ad prædicationem eius Sergius Paulus proconſul Cypri credidiſſet, ab eo, quòd eum Chriſti fidei ſubegerat, ſortitus eſt nomen, Paulus: & iuncto ſibi Barnaba, multis vrbibus peragratis, reuertenſq; Hieroſolymam, à Petro Iacoboq; & Iohan-
Gala. 2. ne gentium Apoſtolus ordinatus.

Et quia in Actibus Apoſtolorum pleniſſimè de eius conuerſatione ſcriptum eſt, hoc tantùm dicam, quòd poſt paſſionem Domini vigeſimoquinto anno, id eſt, ſecundo
Acto. 24. 27. & 28. Neronis, eo tempore, quo Feſtus procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, aduersùs Iudæos de aduentu Chriſti quotidiè diſputauit. Sciendum autem in prima ſatisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant hiſtoriæ, Paulum à Nerone dimiſſum, vt euangelium Chriſti in Occidentis quoq; partibus prædicaret:
2. Tim. 4. ſicut ipſe ſcribit in ſecunda epiſtola ad Timotheum, eo tẽpore, quo & paſſus eſt, de vinculis dictans epiſtolam: In prima mea ſatisfactione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit, & confortauit me, vt per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes: & liberatus ſum de ore leonis. Manifeſtiſſimè leonem propter crudelitatẽ Neronem ſignificans. Et in ſequentibus: Liberatus ſum de ore leonis. Et ſtatim: Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluauit me in regnum ſuum cæleſte, quòd ſcilicet præſens ſibi ſentiret imminere martyrium. Nam & in eadem epiſtola præmiſerat: Ego enim iam immolor, & tempus reſolútionis meæ inſtat.

Hic ergo quartodecimo Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romę pro Chriſto capite truncatus, ſepultuſque eſt in via Oſtienſi, anno poſt paſſionem Domini trigeſimoſeptimo. Scripſit autem nouem ad ſeptem eccleſias epiſtolas: ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Epheſios vnam, ad Philippenſes vnam, ad Coloſſenſes vnam, ad Theſſalonicenſes duas: prætereà ad diſcipulos ſuos, Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam. Epiſtola autem, quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter ſtyli ſermoniſq; diſtantiam: ſed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum: vel Lucæ euangeliſtæ iuxta quoſdam: vel Clementis, Romanæ poſteà Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ipſi adiunctum, ſententias Pauli proprio ordinâſſe & ornâſſe ſermone. Vel certè quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter inuidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputauerat: ſcripſerat vt Hebræus Hebræis Hebraicè, id eſt, ſuo eloquio diſertiſſimè, vt ea, quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum: & hanc cauſam eſſe, quòd à cæteris Pauli epiſtolis, diſcrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenſes vnam, ſed ab omnibus exploditur.

Ex Euſebij Cæſareenſ. Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 2. cap. 23. interprete Iohanne Chriſtophorſono.

Petrus & Paulus Romæ occiſi. NERO igitur, qui hoc pacto infeſtiſſimus Dei hoſtis primus prædicatus fuit, ad Apoſtolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proindè Romæ, eo regnante, ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoriarum monimentis proditum

ditum eſt. Quinetiam inſignis ac teſtata Petri & Pauli inſcriptio, quæ in cœmeterijs Romæ ad hoc vſque tempus manet, huius rei geſtæ fidem facit. Atque hæc ita ſe habe re, confirmat itidem vir Eccleſiaſticus, Caius nomine, qui Zephyrini Pontificis Romani temporibus vixit, inque diſputatione ſcriptis prodita, quam cum Proclo, Cataphrygum hæreſis, & opinionis patrono habuit, eadem ipſa de locis, vbi ſacra Apoſtolorum, quos ſuprà citauimus, tabernacula locabantur, aſſerit: Ego, inquit, Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere. Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Oſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabiliuerunt, inuenies.

Porrò Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus illos ambos martyrium eodem tempore pertuliſſe, ſic ad Romanos ſcribens commemorat. Petrum & Paulum, qui Romanos & Corinthios primùm in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti quadam admonitione impulſi, in vnum locum concluſiſtis. Nam ambo, cùm & noſtram Corinthi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundâſſent, & eiuſdem doctrinæ præceptis, tum noſtros animos, tum veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter martyrium ſubiêrunt. Atque iſta hoc loco intexuimus, quô rei geſtæ maior certiorque adiungatur fides.

COMMENTARIVS, QVI TRACTAT SINGVLATIM CERTAMINA, LABORES ET PEREGRINATIONES, *& conſummationem ſanctorum & principum Apoſtolorum Petri & Pauli: ex Simeone Metaphraſte.*

NON eos ſolùm, qui fuêre ab initio patres artium, admitti- 29. Iunij.
mus, & eorum fauemus laboribus ſed etiam, ſi quid aliud Cap. 1.
poſteà inuentum eſt à poſteris, id fouemus & amplectimur. Quinetiam iſtos, ob id maximè laudamus, & eorum honorificam facimus mentionem, quod quæ ſparſim & ſingulatim ab alijs inuenta ſunt, ij coniungentes & concinnantes, in vnum corpus redegerunt, & ei formam dederunt, & artes poſteris perfectas reliquerunt. Nos quoque eos ſequentes, vt fidelium ſatisfaciamus deſiderio, tanquã informem materiam, ea, quæ de ſummis Apoſtolorum Petro & Paulo, hic & illic decantantur, tractantes, eis formam tribuimus, corpuſq; articulis expreſſum efficimus. Quoniam ergo hoc eſt nobis inſtitutum, & ad res tantas noſtrum ſtudium conferimus, incipiendum eſt dicere, vndenam primis Chriſti diſcipulorum fuerit ad vitam ingreſſus.

Petrus ergo (vt illius primùm faciam mentionem, cuius primæ fidei commiſſa fuit Cap. 2.
cura Eccleſiæ) fuit quidem genere Hebræus: Palæſtinæ autem regionem habitabat Iohan. 21.
Galilæam. Patria verò ei fuit Bethſaida, quoddam paruum & vile oppidulum, eiuſdem tribûs & patriæ, cuius ij, qui de Simeone gloriantur Patriarcha. Pater autem Patria S. Petri.
erat Ionas, non is, qui redditus fuit à ventre balenæ, ſed qui ex monſtro, quod cadit Ion. 2.
in intelligentiam, multos liberauit per filium. Fuit autem in diebus Hyrcani, cui aures vnà cum Regno ablatæ ſunt à fratre. Non is verò ſolus natus eſt patri, ſed cum eo quoque erat frater Andreas. Cùm autem accepiſſet Petrus filiam Ariſtobuli fratris Barnabæ Apoſtoli, ex ea genuit filium vnum, & vnam filiam. Et Andreas quidem, S. Andreas
qui vitam à negocio remotam, & coniugis expertem agebat, fit Iohannis Præcurſo- vxoris expers.
ris diſcipulus, qui Baptiſmum prædicabat ad pœnitentiam. A quo cùm audiiſſet illud, Ecce Agnus Dei, dum ſeruatorem Chriſtum digito indicauit, relicto Baptiſta Io- Iohan. 1.
hanne, ſecutus eſt Ieſum. Magnus autem ille Petrus, cùm eſſet acerrimus & diligentiſſimus, magis verſabatur in ijs, quæ ad victum cõparandum pertinent, vt qui & cum vxore habitabat, & ſenis patris prouideret ſenectuti. Cùm eum autem aliquãdo ocioſum inueniſſet Andreas, adduxit ad Chriſtum. Ille verò eum admiſit, & Petrum vo- Ibidem.
cauit, eius mentis ſoliditatem per nomen ſignificans.

Poſtquam autem fuit relatus in numerum diſcipulorum, apparet ſtatim vir pro- Cap. 3.
bus, & feruens ſpiritu. Quocircà regni cæleſtis claues ei creduntur: ſuper mare perin- Matt. 16. Matt. 14.
de ac incorporeus, proprijs pedibus ingreditur: Domini transfigurationis ſpectator 16. 18.
efficitur: Patris vocem ſuis audit auribus: in eos qui peccant, docetur eſſe patiens: & v- Iohan. 21.

niuerſi orbis terræ cura ei committitur. Sed hæc quidem, & his plura fuſiùs tractans ſacer liber Euangeliorum, ipſas quoque rerum cauſas nobis declarat. Quas quidem in præſentia non expoſuimus, cùm oratio malit eſſe breuis, quàm nimis fuſa.

Cap.4. Cùm iam autem magnus Deus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus per voluntariam & ſalutarem ſuam paſſionem, aboleuiſſet diabolum, qui mortis tenebat imperium, & mortis vincula perfregiſſet, & tertio die reſurrexiſſet, hic Petrus princeps Apoſtolorum, cùm eſſet magiſtri ditatus præſidentia, os efficitur reliquorum Apoſtolorum, vel, vt magis propriè dicam, magiſter. Et cùm deinde duodenarium quidem nume-
Act.1. rum Apoſtolorum in alterius locum ſubſtituto Matthia, ſuppleuiſſet: plurimas au-
2. tem conciones Iudæis, qui in Sancti ſpiritûs effuſione aderant, & propterea ſtupebāt, quòd alijs linguis Dei magnalia annunciarent, effudiſſet, & alijs orationibus eis tuliſ-
3. ſet teſtimonium, tria millia ſtatim ad fidem in Chriſtum euocauit. Et cùm eum, qui erat ab ortu claudus, in ſpecioſa templi porta, vnà cum Iohanne Euangeliſta curâſſet: & rurſus eos, qui erant congregati, arguendo inſtituiſſet, & ad ſalutem inuitâſſet: & verum Deum eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ex Moſe & Prophetis euidenter oſtendiſſet, non ſolùm miraculi magnitudine, ſed orationis quoque vehementia omnes obſtupefecit, & ad fidem in Chriſtum attraxit, & decies mille virorum Eccleſiam conſtituit Hieroſolymis. Ananiam autem & Sapphiram eius vxorem, qui no-
Ibidem. uam quandam fecerant vſurpationem, ſibi, inquam, tanquam propria vſurpantes, quæ Deo conſecrauerant, graui repræhenſione ſtatim vita priuauit. Vmbraque eius
9. non ſolùm varios morbos expulit ab hominibus, ſed mortuos etiam excitauit. Liddę
10. paralyticum Aeneam verbo curauit. Ioppæ pauperum amantem Dorcadem mortuam excitauit. Cæſareæ Centurionem Cornelium, qui erat gentilis, ad fidem in Chri-
Ibidem. ſtum euocauit cum tota familia, & Spiritu ſancto impleuit per baptiſmum. Quinetiā fidei portam gentibus aperuit per eam, quæ illi apparuit, vaſis linei viſionem, in quo erant omnes beſtiæ terræ, & vocem, quæ de cælo vnà cum vaſe eſt delata, & eum eſt adhortata, vt ſurgens ſacrificaret & comederet, nihil eorum eſſe commune exiſti-
Actor.12. mans. Ab Herode autē, qui etiā dictus eſt Agrippa, duabus catenis vinctus, & in carcerem coniectus, cùm diligenter cuſtodiretur à quatuor quaternionibus militum, à diuino Angelo liberatur à vinculis, & à carcere, ei portis ſua ſponte apertis. Propter Simonem autem ſceleratum illum Magum, obit omnes ciuitates Cœleſyriæ, & præterea Pontum & Aſiam, atque etiam Galatiam. Et cùm in eis ſemināſſet verbum fidei, ad ipſam vſque Romam peruenit.

Cap 5. Episcopi à S Petro ordinati. Vt eas autem curſim perſequamur, hæ ſunt: Cùm ab Hieruſalem veniſſet Cæſaream Stratonis, & ex ijs, qui ipſum ſequebantur, preſbyteris Epiſcopum ei conſtituiſſet, venit Sidonem. Vbi cùm multos curâſſet, & Epiſcopum conſtituiſſet, venit Berytum. In qua etiam cùm ex ijs, qui ſequebantur, vnum ordinâſſet Epiſcopum venit Byblum. Deinde Tripolim: & apud Marſonem virum quendam prudentem diuerſatur. Quem cùm fidelibus, qui erant Tripoli Phœniciæ, Epiſcopum conſtituiſſet, venit Orthoſiam: Deinde Antardum. Deinde in inſula, quæ dicitur Aradus. Deinde Balanæas: & illinc Panta. Deinde Laodiceam: in qua cùm multos, qui morbis laborabant, & vexabantur à dæmonibus, curâſſet, Eccleſiamque congregâſſet, & Epiſcopum conſtituiſſet, venit Antiochiam Syriæ ciuitatem. Quo in loco Simon quidem magus eos, qui ad eum quærendum ab Imperatore miſſi fuerant, declinans,
S. Petri peregrinatio. conſtituit fugere in ciuitates Iudææ. Petrus autem Domini Apoſtolus, cùm ſimul ac eſſet ingreſſus, multaſq; Antiochiæ feciſſet curationes, & vnum Deum in tribus perſonis ijs, qui erant congregati, feliciter annunciâſſet, & Epiſcopos ordinâſſet, Marcianum quidem Syracuſis in Sicilia, Pancratium autem Tauromenij, venit Tyanen Cappadociæ, & illinc Ancyram Galatię. In qua cùm precatione ſuſcitâſſet mortuum, multoſq; catecheſi inſtituiſſet, & baptizâſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet, & Epiſcopum ordinâſſet, venit Sinope Ponti ciuitatem. Deinde Amaſeā, quæ eſt in mediterraneis Ponti. Deinde Gangram Paphlagonum. Deinde Claudiopolim Honoriadis. Deinde Nicomediam Bithyniæ. Deinde Niceam. Deinde cùm feſtinaret aſcendere Hieroſolyma propter Paſchæ feſtum, reuertēs venit Piſinuntem. Deinde per Cappadociam & Syriam, rurſus venit Antiochiam. Et illinc profectus, venit Hieruſalem.

Cap.6. Quo in loco, cùm iam tertius annus præteriſſet à vocatione magni Pauli, ab ipſo
Gal.1. Paulo viſitur, ſicut ille ipſe dicit: Poſt tres annos aſcendi Hieroſolyma ad videndum Petrum, & manſi apud eum dies quindecim. In quibus cùm Canones & Eccleſiaſticas conſtitutiones expoſuiſſent, beatus quidem Paulus profectus eſt ad opus, ad

quod

quod vocatus fuerat. Magnus autem Petrus rurſus reuerſus eſt Antiochiam. Vbi cùm Euodium conſtituiſſet Epiſcopum, venit Synadem Phrygiæ ciuitatem. Deinde Nicomediam. In qua cùm Prochorum ordinâſſet Epiſcopum, venit Ilium ciuitatem Helleſponti. Quo in loco cùm Centurionem Cornelium conſtituiſſet Epiſcopum, reuerſus eſt Hieruſalem. Viſus eſt autem ei Dominus in viſione, dicens: Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet, vt tuis illuſtretur facibus: & ego ero tecum. Simon autem paulò antè captus ab ijs, qui eum quærebant, vt priùs diximus, Romam ducitur, vt luat pœnas eorum, quæ perpetrauerat. In qua cùm fuiſſet, & arte ſua magica multos mente mouiſſet & decepiſſet, non ſolùm non dedit pœnas, ſed etiam à multis deus fuit exiſtimatus. Romanos enim præcurſor ille ſatanæ ſua Magia in tantam adduxit admirationem, quinetiam ipſum quoque Claudium: vt ei poſita ſtatua inter duos pontes in Tyberi inſcriberent: Simoni deo ſancto. Et hæc quidem Iuſtinus & Irenæus fuſiùs perſequuntur. Nos autem pergamus cœptam perſequi narrationem.

Cornelius Centurio Epiſcopus Ilij.

Simonis Magi ſtatua.

Cùm ergo quæ viſa fuerant, magnus Petrus annunciâſſet fratribus, & vale eis dixiſſet, rurſus venit Antiochiam viſitans Eccleſias. Quo in loco cùm magnum inueniſſet Paulum, certo quodam conſilio ab eo arguitur. Deinde cùm Tarſi Vrbanum conſtituiſſet Epiſcopum, & Epaphroditum Andriacæ Lyciæ, & Phygellum Epheſi, quem aiunt à recta via diuertiſſe, & cum Simone ſenſiſſe, & Smyrnæ Apellem, qui erat frater Polycarpi, venit in Macedoniam. Cùm Philippis autem Olympum Epiſcopum conſtituiſſet, & Theſſalonicæ Iaſonem, & Corinthi Silam, cùm enim illic inueniſſet apud magnum Paulum permanentem, & Patris Herodionem, nauigauit in Siciliam. Et cùm veniſſet Tauromenium, diuerſatur apud Pancratium virum ſapientiſſimum. Quo in loco cùm quendam Maximum catecheſi inſtituiſſet, & baptizâſset, & Epiſcopum ordinâſset, Romam appellit. In qua cùm quotidiè ſynaxes celebraret, & vnum Deum patrem omnipotentem, & vnum Dominum Ieſum Chriſtū filium verum de Deo vero, & vnum ſpiritum ſanctum Dominū & viuificum in ſynagogis & domi doceret, attraxit multos ad fidem in Chriſtum, & per ſanctum baptiſma liberauit ab errore idolorum: adeò vt breui tempore ad ſanctum baptiſmum omnes ferè accurrerint, & Deo per Apoſtoli doctrinam crediderint.

Cap. 7. Gal. 2.

Petrus Romā appellit.

Hæc videns Simon, non ſatis duxit tacere, & ſuam celare improbitatem: ſed gloria & exiſtimatione ſe ſuperatum eſse arbitratus, ſi fineret Apoſtolum totis viribus ijs, qui Romæ erant, veritatem annunciare, audacter ſimul & indoctè cœpit liberè loqui in media ciuitate, & imperitè aggreſsus eſt ei contradicere. Vbi & vmbras quaſdam eum ſequi & præcedere: quas dicebat eſse animas mortuorum, & mortuos ſuſcitatos, & ei, tanquam deo, honorem tribuentes, claudoſque rectè ingredi & ſaltare oſtendebat: ſeque inſtar fabuloſi illius Protei in varias formas mutans, oſtendebat aliquando quidem duas habentem facies: deinde autem, paruo interiecto ſpatio, transformabatur in capram, & ſerpentem, & volucrem, & qualem par eſt eum videri, qui à ratione alienis ſeruit cupiditatibus: & igni ſæpè aſſimilabatur: & ſimpliciores omnibus modis non ceſsabat decipere. Ille autem magnus Domini Apoſtolus, ſi ſolummodò cernebatur, omnes eius machinationes facilimè diſsoluebat, & in nihilum reſoluebat.

Cap. 8.

Præſtigiæ Simonis Magi.

Cùm multæ ergo (vt eſt conſentaneum) inter eos fuiſsent vtrinque controuerſię, & diſputationes: neſciret autem Simon, quidnam ampliùs ageret, aram quandam lauro coronatus aſcendit. Ex qua turbas primùm iracundè alloquens: Quoniam, inquit, adeò inſipientes fuiſtis, ô Romani, vt me quidem relinqueretis, Petrum verò ſequeremini, ecce in conſpectu veſtro mandabo Angelis meis, & me tollent in manibus, & ad patrem meum aſcendam in cælum, & illinc vos extremo afficiam ſupplicio: vt qui non in ijs, quæ vobis dixi, perſtiteritis. Hæc cùm dixiſset, plaudens deinde manibus, per aërem miſsus cœpit volare, quibuſdam vmbris, vel malis potiùs demonibus, eum impellentibus & portantibus. Magnus autem ille Apoſtolus Petrus cùm ſe parū retinuiſset, audientibus omnibus, cœpit dicere: Domine Ieſu Chriſte, qui es Deus meus, ne ſinas eum implere, quod propoſuit, ne immittat petrā ſcandali, & lapidē offenſionis malignus in eos, qui in te crediderunt. Et ſublatis ad Simonem oculis, clara voce clamauit: Vobis ſatanę miniſtris præcipio, ne eum portetis, ſed eum dimittatis in eo loco, in quo nunc eſt. Statimque, cùm quæ circa ipſum apparebant, vmbræ receſſiſſent, & in nihilum reſolutæ eſsent, Simon lapſus ab aëre, ad terram fertur caſu miſero & miſerabili, & contrito toto infelici corpore, ſecundo pòſt die miſeram emittit

Cap. 9.

Magus volitans ruit in terram.

animam, acribus cruciatus doloribus. Cùm hoc autem factum eſſet, & turba multis horis clamaret: Magnus eſt Deus, qui nobis à Petro prædicatur: Petrus cùm altum quoddam ſedile aſcendiſſet, manumq; mouiſſet, & turbis pręcepiſſet ſilentium, poſtquam ex Moſe & Prophetis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum ante ſecula annunciâſſet, & plurimos dæmones fugâſſet ab hominibus, & morbos curâſſet varios, eos dimiſit.

Cap. 10. Cùm autem non diù manſiſſet apud Romanos, & ſancto baptiſmo multos regenerâſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet, & Linum Epiſcopum ordinâſſet, venit Tarracinam. In qua cùm Epaphroditum ordinâſſet Epiſcopum, venit Sirmium ciuitatē Hiſpaniæ. Quo in loco cùm Epænetum conſtituiſſet Epiſcopum, deuenit Carthaginē ciuitatem Aphricæ. In qua cùm Creſcentem ordinâſſet Epiſcopum, venit in Aegyptum. Et cùm Thebis, quæ ſeptem habent portas, Ruffum, Alexandriæ autem Marcum Euangeliſtam eorum, qui ſe in diſciplinam tradiderant, Epiſcopatui præfeciſſet, rurſus venit Hieroſolyma ex reuelatione, propter Deiparæ Mariæ migrationem. Deinde reuerſus in Aegyptum, per Aphricam rurſus Romam rediit. Ex qua venit Mediolanum, & Photicen, quæ ſunt ciuitates in continentę. In quibus cùm conſtituiſſet Epiſcopos & presbyteros, venit in Britanniam. Quo in loco cùm longo tempore fuiſſet moratus, & multas gentes non nominatas attraxiſſet ad fidem Chriſti, Angelicam adſpexit viſionem, quæ dicebat: Petre, inſtat tempus tuæ reſolutionis, & oportet te ire Romam: in qua cùm mortem per crucem ſuſtinueris recipies mercem iuſtitiæ. Cùm ergo propterea Deum glorificâſſet & egiſſet gratias, & apud Britannos manſiſſet dies aliquot, & verbo gratiæ multos illuminâſſet, & eccleſias conſtituiſſet, Epiſcopoſque & presbyteros, & diaconos ordinâſſet, duodecimo anno Cæſaris Neronis rurſus Romam reuertitur.

S. Petrus etiam Hiſpanis prædicauit.

S. Petrus interfuit Deiparæ Mariæ obitui.

S. Petrus in Britannia docet.

Cap. 11. Quo in loco cùm Linum inueniſſet conſummatum, eius loco ordinauit Clementem recuſantem & non admittentem eam curationem. Cui cùm ad id accommodatis verbis pſuaſiſſet, & vt bono eſſet animo, fuiſſet hortatus, ſuorum ſermonum eum prouehit ad cathedram. Qui cùm, ſicut quidam vitulus, collum ſuum bono iugo ſubieciſſet, cum Magiſtro ſuo trahebat currum verbi. Quocircà multi quidem illuſtres prompto & alacri animo fidei obediebant: multæ autem nobiles fœminæ addebantur iis, qui ſalui fiebant. Cùm verò duæ fœminæ Imperatoris, quæ plùs quàm aliæ ab eo diligebantur, fidei acceſſiſſent, & pudicè viuere ſtatuiſſent, quoniam erat libidinoſiſſimus Nero & impudiciſſimus, furebat aduersùs omnem Eccleſiam, maximè autem Petrum principem Apoſtolorum, vt qui fuiſſet cauſa pudicitiæ eius fœminarū quæ crediderant in Dominum. Quamobrem cùm ira ſupra modum efferbuiſſet, capitis pronunciat ſententiam aduersùs omnes, qui in Chriſtum ſperâſſent. Cùm itaque milites omnes protinùs comprehendiſsent, eos deducunt ad locum damnatorum & Clementi quidem parcunt, vt qui eſſet cognatus Cæſaris: Herodionem autē & Olympam, vnà cum magna multitudine gladio ſubiiciunt: Petrum verò illum magnum Domini Apoſtolum inuerſum Cruci affigunt. Quamobrem cùm ex clauis dolores ſimiliter atque Chriſtus Deus noſter, ipſe quoque ſuſtinuiſset, puram & immaculatam ſuam animam in manus Dei deponit. Clemens autem eius diſcipulus & Epiſcopus, cùm maximè venerādum & ſanctum eius corpus magnificè compoſuiſset ad ſepeliendum, in loco inſigni depoſuit. Sed de vita quidem & prędicatione, & fine magni Apoſtolorum Petri, hucuſque ſit à nobis dictum breuiter. Neceſse eſt autem de claro quoque & beato Apoſtolo Paulo, quomodò poterimus, dicere.

Clemens fit Romanus pontifex.

S. Petrus crucifigitur inuerſo ordine.

Cap. 12. Magnus ergo & beatus Domini Apoſtolus Paulus, erat ipſe quoque Hebræus quidem genere, ex tribu autem Beniamin, claris natus parentibus, hæreſi Phariſæus, aſſcribens ſibi patriam Tarſum ciuitatem Cilicię, ſub præceptore, Gamaliele in lege Moſis inſigniter eruditus, ardens morum paternorum æmulator, quià pueritia Romanus vocabatur Saulus. Perſequebatur autem & populabatur Dei Eccleſiam per ignorantiam. Quamobrem ei grata erat interfectio Stephani primi Martyris, vt qui omnium, qui lapides in eum iaciebant, ſuſceperit veſtes cuſtodiēdas, vt ad illius cædem omnium manibus vteretur. Porrò aūt primus quoq; vbiq; aderat cūis, qui agitabant ſeditionem, ſtudens deſtruere præconium pietatis: multaque erant & magna, quæ ab ipſo fiebant aduersùs Eccleſiam: & nihil ei ad ſumam deerat inſaniam. In hoc enim pietatem exercere, & ſe præclarè gerere arbitrabatur, ſicut ipſe fatetur in Epiſtolis, & Lucas refert in libro, qui inſcribitur Actus Apoſtolorum. Etenim nō ſolùm is, quomodò multi Iudæi, odio habebat & auerſabatur præconium pietatis, ſed etiam maiorem

Act. 7. & 8.

Gal. 1. 2. Tim. 1.

rem totius gentis iram prouocabat aduerſus eos, qui ei miniſtrabant.

Poſtquam enim id vidit repentè refulſiſſe, & fidei præcones euaſiſſe minis ſuperiores, æmulatione percitus, & ratus ſe maxima affici iniuria, ſi præconium quidē per vniuerſam terram diffunderetur, præcones autem perſecutorum paruifacerent periculum, omne ſtudium adhibuit, vt hos quidem de medio tolleret, illud verò retardaret, ac reprimeret. Quamobrem cùm à ſacerdotibus & doctoribus illo tempore accepiſſet epiſtolas ad Iudæos, qui erant Damaſci, iter ingreſſus eſt contra eos, qui erant in ea, diſcipulos. Sed qui ex vtero matris eum ſegregauit ad ſuum miniſterium, videns eum iniuſta teneri inſania iniuſta voluntate & iuſto animi propoſito, & ei in media via apparens, corporeis quidem eum orbat oculis, magnitudine puriſſimæ lucis, quæ ei apparuit: eius autem mentem & animam adeò illuminat, vt eum, qui erat olim perſecutor, dilectum ſtatim & fideliſſimum fecerit ſuum præconem. Sauli itaque nomine in Pauli nomen tranſmutato, eoque ex ſalo perſecutionis traducto ad quietem eius fidei, mittit ad Ananiam quendam diſcipulum in vrbe Damaſco. A quo cùm Paulus ſanctum accepiſſet baptiſmum, & Chriſti intemeratis communicâſſet ſacramentis. Efficitur fidelis ſocius prædicationis. Tantam ergo mutationem oſtendit hic beat' poſt vocationem, & ad tantum in Chriſtum exarſit deſiderium, vt præcones veritatis non ſolùm verbis, ſed factis etiam confirmaret: qui eum adhuc timebant, & ſuſpectum habebant, oſtendens ſe toto animi ſtudio erupiſſe in amorem Domini. Quocircà cùm fuiſſet cum iis, qui erant Damaſci diſcipulis, ſtatim cœpit prædicare Chriſtum in ſynagogis, Iudæos confutans, & rurſum confirmans eum eſſe Chriſtum.

Cap. 13. *Act. 9.* *S. Pauli conuerſio.* *Ibidem.* *Act. 9.*

Cum autem ei fuiſſent cognitæ, quæ à Iudæis parabantur inſidiæ, per murum in ſporta dimittitur à diſcipulis, & in Hieruſalem accedit ad Apoſtolos. In qua liberè loquens in nomine Domini Ieſu, diſſerebat & diſceptabat aduersùs Gentiles. Sed cùm ei quoque rurſus ſignificatæ fuiſſent inſidiæ, à fratribus deducitur Cæſaream, & illinc venit Tarſum. Quò cùm veniſſet Barnabas, & eum inueniſſet, deduxit Antiochiam. Cùm toto autem anno illic cœtus haberēt, & ſatis magnam docuiſſent multitudinem, & diſcipulos primùm nominâſſent Chriſtianos, in Iudęam ad fratres mittuntur cum miniſterio, propter famem, quæ fuit tempore Claudij Cæſaris. Cùm impleſſent autem miniſterium, reuerſi ſunt Hieroſolyma. Vbi Domino ſacrum obeuntes miniſterium, & ieiunantes, à ſancto ſpiritu ſegregantur ad opus, ad quod vocati fuerant. Emiſſi autem, venerunt Seleuciam, & illinc in Cyprum nauigârunt: & cùm fuiſſent Salaminæ, Dei verbum annunciârunt. Cùm verò peruaſiſſent inſulam vſq; ad Paphum, excæcant pſeudoprophetam Barieu, qui multos peruertebat. Quod cùm factum eſſet, euenit ſtatim vt multi crederent, atque etiam ipſe Proconſul, qui erat in Inſula. Illinc autem profecti, veniunt Pergen Pamphyliæ & illinc Antiochiam Piſidiæ. In qua cùm die ſabbatorum concionatus eſſet Paulus in ſynagoga, attraxit multos ad fidem in Chriſtum. Quamobrem Iudæi pleni æmulatione, eum & Barnabam eiecerunt è ciuitate. Ij verò ex ea egredientes, excuſſerunt puluerem è ſuis pedibus, conuenienter præcepto Domini.

Cap. 14. *Actor. 11.* *Actor. 13.* *Peregrinatio S. Pauli & Barnabę.* *Matt. 10.*

Et cùm veniſſent Iconium, & illic longo tempore verſati eſſent, multoſq; Iudæos & Gentiles, atque etiam beatam Teclam ad fidem Domini euocâſſent, a Iudæis, qui non crediderant, & Gentilibus, afficiuntur contumelijs, & appetuntur lapidibus. Cūque Lyſtram & Derben confugiſſent, quæ ſunt vrbes Lycaoniæ, medentur ei, qui fuerat claudus à matris vtero. Quo in loco cùm presbyteros ordinâſſent, & Piſidiam peruaſiſſent, venerunt in Pamphyliam. Et cùm Pergæ locuti eſſent ſermonem, deſcenderunt in Attaliam. Cùm autem veniſſent Antiochiam, & congregâſſent eccleſiam, annunciarunt quæcunque cum eis feciſſet Dominus. Illinc dimiſſi, peruaſerunt Phœniciam & Samariam, narrantes conuerſionem gentium. Cùm veniſſent autem Hieruſalem, reuertuntur Antiochiam. Quòd non oporteat circuncidi neque veſci ſanguine, & abſtinendum ſit à ſuffocato & immolatis, ab Apoſtolis afferentes tractantem Epiſtolam. Quò cùm veniſſent, & ſatis longum tempus illic egiſſent, abiērunt, Barnabas quidem in Cyprum, Marco aſſumpto, Paulus autem in partes Syriæ & Ciliciæ, cùm Silam elegiſſet, & quæ erant in ciuitate, Eccleſias confirmâſſet. Cumque veniſſet Derben & Lyſtram, & Timotheum aſſumpſiſſet diſcipulum, eum circuncidit. Deinde cùm obijſſent Phrygiam & Galatiam, à ſancto Spiritu loqui ſermonem prohibiti, venientes per Myſiam, tentârunt proficiſci in Bithyniam, neq; ſiuit eos ſanctus Spiritus.

Cap. 15. *Act. 14.* *Actor. 15.* *Actor. 16.*

Cùm autem tranſijſſent Myſiam, deſcenderunt in Troadem: & cùm illinc acceſſiſſent

Cap. 16.

ſent in Samothraciam, veniunt Neapolim. Et cùm veniſſent Philippos Macedoniæ verſati ſunt illic dies aliquot. Quo in loco cùm credidiſſet Lydia purpuraria, in domum eius venientes gratia precationis, ſpiritum Pythonicum eijciunt ab ancilla. Quamobrem ab eius dominis appetiti maledictis, vt qui alienos mores annunciarēt, cæduntur virgis à Magiſtratibus, & in carcerem conijciuntur, eorumq́ue pedes ligno cautè & diligenter ſtringuntur. Quo in loco cùm media nocte orarent, & Deum laudarent, fit maximus terræmotus, & carceris fores aperiuntur, & vincti omnes relaxantur, & cuſtos carceris efficitur fidelis cum tota familia, cùm quod ducit ad ſalutem, à Paulo accepiſſet baptiſmum. Egreſſi autem è ciuitate, cùm Amphipolim tranſmiſiſſent & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam. In qua cùm multos accepiſſent in diſciplinam, Iudæos ad iram prouocârunt: Qui etiam collecta multitudine, conturbabant ciuitatem. Et cùm acceſſiſſent ad ædes Iaſonis, quærebant eos producere ad populum. Et cùm non inueniſſent, traxerunt Iaſonem, & aliquot ex fratribus ad magiſtratus ciuitatis. A quo cùm ſatis accepiſſent, eos dimiſerunt.

Act.17.

Cap.17. Illinc autem egreſſus Paulus cum ijs, qui cum eo erant, venit Berœam. Quo in loco cùm multos accepiſſet diſcipulos, Timotheus quidem & Silas illic remanent, magnus autem Paulus per mare venit Athenas. Tranſiens autem, & ea contemplans quę ab eis colebantur, aram quoque inuenit, in qua erat ſcriptum, Ignoto Deo. Ex quo parua accepta occaſione, annunciat eis in medio Areopago Dominum noſtrum & Deum Ieſum Chriſtum, initium ducens in ipſa aræ inſcriptione: ſtatimq́ue ſatis multos baptizauit ad fidem in Chriſtum. Inter quos Dionyſium quoque Areopagitam, & honeſtam quandam mulierem, nomine Damarim, & cum eis alios. Poſt hæc verò Athenis abiens Paulus, venit Corinthum: & cùm Priſcillam & Aquilam inueniſſet eiuſdem, cuius ipſe erat, artis, apud eos diuerſatur. Quo in loco cùm annum & menſes quinque tranſegiſſet, & multos tam ex Iudæis, quàm ex Græcis, gratiæ verbo illumināſſet, & ad Domini fidem euocâſſet, Priſcilla & Aquila, & Timotheo aſſumptis, venit Epheſum, eiſq́ue illic relictis, venit Cæſaream vnà cum Timotheo. Cumq́ue ſalutâſſet Eccleſiam, deſcendit Antiochiam. In qua cùm aliquantum temporis eſſet verſatus, egreſſus eſt, deinceps tranſiens per Gallatiam & Phrygiam.

Act.18.

Cap.18. Act.19. Et cùm per ſuperiores partes veniſſet Epheſum, tribus menſibus cum Iudæis diſſerens in ſynagoga de Regno Dei, perſuaſit ne ijs attenderent, quæ adumbratè dicebātur à lege, ſed ea ad ſpiritum transferrent & componerent. Cùm autem apud eos alios duos annos & paulò plùs manſiſſet, & ferè totam Aſiam ad fidem Chriſti attraxiſſet, & non vulgares virtutes, non per ſe ſolùm, ſed etiam per ſudaria & ſemicinctia ſua perfeciſset, & omne genus morbos & dæmones exegiſset, & Timotheum Epiſcopum eis conſtituiſset, egreſsus eſt, vt iret in Macedoniam. Cùm illas autem partes tranſmiſiſset, venit in Græciam. Et cùm tres illic menſes tranſegiſset, & multos accepiſset diſcipulos, venit Troadem. Quo in loco cùm Eutychum, qui, dum diſſereretur, dormitauerat, & ex tertio cœnaculo deorſum ceciderat, & mortuus erat, ſuſcitâſset, venit Aſum, deinde Mitylenen. Et cùm die ſequenti eſset ex aduerſo Chij, altera die appulit Samum. Et cùm manſiſset Strongilæ, die ſequenti venit Miletum. Ex qua cùm miſiſset Epheſum, accerſijt presbyteros Eccleſię. Poſtquam autem acceſſiſſent, cum eis diſserit de humilitate, & malorum tolerantia: deinde de conſtitutione Eccleſiaſtica, & gregis cura. Et rurſus cum ea, quæ & ſibi Hieruſalem eunti, & eis poſt eius receſsum erant euentura, prædixiſset: &, quòd oporteat vigilare in eos, qui inſtar luporum ſunt gregem auidè diuulſuri, eis mandatum dediſset, eoſq; Deo commendâſset, & precatus eſset, nauem aſcendens, ſtatim ſoluit. Qua vectus, cùm veniſſet in Coum Inſulam, Rhodum nauigauit: & illinc Patara. Quo in loco cùm alterum aſcendiſset nauigium, Cypro relicta à ſiniſtris, pręternauigauit Syriam: & cùm veniſſet Tyrum (illic enim nauis impoſitum onus exonerabat) & inueniſset diſcipulos, manſit apud eos ſeptem dies. Et naui rurſus vſus, venit Ptolemaidem, & illinc Cæſaream, & ad Philippum Euangeliſtam, qui erat ex ſeptem diaconis, diuerſatur. Et poſt dies aliquot, ſublatis ſarcinis, venit Hieruſalem. Et ſeptem dies purificatus, templum ingreditur, annuncians impletos eſse dies purificationis.

Sudarium S. Pauli ſanat ægrotos.

Act.20.

Inſtituit ſuos ſalubriter S. Apoſtolus Paulus.

Act.21.

Cap.19. Quo in loco qui erant ex Aſia Iudæi, cùm eum adſpexiſsent, conturbârunt omnem multitudinem, & manus ſuas in Paulum immiſerunt, clamantes, viri Iſraelitæ, ferte auxilium. Cùm fuiſset autem maximus populi concurſus, cœperunt in eum hæc dicere: Hic eſt, qui aduersùs legem & locum hunc, omnes vbique docet: Quinetiam gentiles introduxit in templum, & id inquinauit. Statimq́ue mota multitudo, incitata

Paulus Hieroſolymæ capitur.

tata eſt, vt eum tolleret de medio. Sed mox adueniens Tribunus Lyſias, eum liberat, Act. 23. & cum militari auxilio eum mittit ad Præſidem Felicem, cui ſucceſſit Feſtus. Cùm Act. 24. ſenſiſſet autem Paul⁹ à Iudæis in ipſum ſtrui inſidias, pro tribunali ad Cæſarem ſtatim Act. 25. prouocat. & tunc quidem dimittitur à iudicio: ceſſant autem, quæ in eum à Iudæis parabantur inſidię: & deinceps à Præſidibus & magiſtratibus mittitur ad Cæſarem. Cùm verò eſſet conſtitutum, vt Paulus nauigaret in Italiam, cumque eo accepto, Centurio quidam nomine Iulius, vnà cum alijs vinctis nauem aſcendiſſet Adrumetinam, venit Sidonem, & illinc in Cyprum. Cùm autem præternauigâſſent pelagus, quod eſt ex aduerſo Ciliciæ & Pamphyliæ, veniunt * Miram vrbem Lyciæ. Et cùm nauem aſcendiſſent Alexandrinam, vix Cnidum perueniunt. Et cùm ſubnauigâſſent Cretam per Salmonem, venerunt in locum qui dicitur Pulchri portus. Ex quo cùm ſoluiſſent, & Cretam præterlegerent, & ventus, qui dicitur Typhonicus, qui latas excitat vndas, ſpirâſſet, prope Caudam, quæ ſic dicitur, decurrunt Inſulam, & vehementi tempeſtate exagitati, & nauis armamentis proiectis ſuis manibus. * Lyſtram

Cap. 20. Patitur naufragium B. Paulus in mari Adriatico.

Cùm autem omnes magna affecti triſtitia & mortem expectarent, ſurgens Paulus in medio eorum, iuſſit eos eſſe bono animo, cùm nulla ſit eorum peritura anima, præter nauem: hortatuſque eſt eos, vt cibum ſumerent, vt qui iam quatuordecim dies manerent ieiuni. Cumque ſeruati eſſent ij, qui erant cum Paulo, ex nauigatione naue diſſoluta ab vndarum violentia, deſcendentes in terram, cognouerunt Actor. 28. Inſulam vocari Meliten. Quo in loco cùm congregaret Paulus ſarmentorum multitudinem, vipera eius manum appræhendit. Quam cùm in ignem excuſſiſſet, nihil mali paſſus, Deus exiſtimatus eſt à Barbaris. Quinetiam cùm patrem Publij liberâſſet ab eo, quo laborabat, tormine inteſtinorum, & plura alia feciſſet miracula, cum ijs, qui ſecum nauigabant, alia naue venit Syracuſas, & illinc Rhegium, deinde puteolos, deinde Romam ipſam. Cùm autem cognouiſſent fratres eius aduentum, iuerunt ei obuiàm vſque ad Forum Appium, & tres Tabernas. Et Centurio quidem reliquos vinctos tradidit duci exercitûs: Paulus autem toto biennio ſeruabatur ab vno milite, omnes qui ad ipſum veniebant, excipiens, & Dei Regnum cum omni fidutia prædicans abſque impedimento. Atque hæc quidem hucuſque narrauit Lucas in Actibus Apoſtolorum, qui librum eo tempore compoſuit. Quæ autem ſunt poſteà conſecuta, poſtquam, Paulo Romæ relicto, profectus eſt Thebas Bœotiæ, minimè compoſuit. S. Paulus venit Romā.

Cap. 21.

Euſebius autem, qui in ſecundo libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ hæc eſt accuratè perſcrutatus, dicit Paulum, cùm tunc quidem cauſam dixiſſet apud Neronem, fuiſſe abſolutum, & Dei verbum, cùm eſſet relaxatus, Romæ agentem prædicâſſe totis decem annis. In quibus dicitur peregrè profectus in Hiſpaniam, Galliam & Italiam, Chriſti præco verbum diſſeminâſſe, & multos à dijs patrijs euulſiſſe, & cum grege Domini coniunxiſſe. Iam verò cùm eſſet in Hiſpania, tale quid dicunt accidiſſe. Mulier quædam & genere, & opibus, & doctrina inſignis, cùm iam olim auditionem accepiſſet Apoſtolicam, cupiebat ipſis quoque intueri oculis præconem veritatis, & ipſis auribus inſtitui in veræ pietatis dogmatibus. Cùm ergo ei viſum eſſet diuina quadam inſpiratione in forum proficiſci, quo tempore qui vel ex ſola fama ab ea diligebatur, per medium eius tranſibat, dicitur & eum vidiſſe leniter & placidè ingredientem: vt qui non ſolùm gratia plenos mores haberet cæteros, ſed etiam ipſum inceſſum, & marito ſuo perſuaſiſſe, cui nomen erat * Procus (eorum autem qui illic erant, erat facilè princeps) vt intra ædes ſuas hoſpitem exciperet: Poſtquam verò fuit accerſitus, & fuit prope illos, eiuſmodi aliquod miraculum accidiſſe mulieri: nempè apertis mentis ſuæ oculis, vidiſse in fronte eius, qui fuerat hoſpitio acceptus, literas aureas, quæ dicebant, Paulus Chriſti præco. Illam autem propter viſionem inſperatam inuaſit & voluptas, & timor: & lachrymis plena procidit ad pedes Apoſtoli, & catecheſi ab eo inſtituta, primùm quidem ſuſcipit baptiſmum, appellata Xanthippe: Poſteà autem * Probus eius maritus, qui erat notus Neroni: deinde etiam Philotheus præfectus: & deinceps omnes, qui illam habitabant regionem. Quòd autem in Hiſpania prædicauerit Paulus, hoc apertè dicit in Epiſtola ad Romanos, ſic ſcribens: Nunc autem non ampliùs habens locum in his regionibus, deſiderium autem habens veniendi ad vos à multis annis, cùm proficiſcar in Hiſpaniam, veniam ad vos: ſpero enim tranſiens vos videre. Quoniam ergo etiam antequam fuiſset Romæ in animo habuit prædicare in Hiſpania, cùm ei feliciter ſucceſſiſset, vt ad primam veniret ex ciuitatibus, non neglexit ea, quæ ei priùs viſa fuerant: etiamſi Romam rurſus reuerſus, in

Paulus prędicat Chriſtum Hiſpanis.

* aliàs Probus.

Hiſpani multi credunt in Chriſtum.

Rom. 15.

ſus,in eá ceſſat à longis laboribus. Quomodò autem, & quanam de cauſa, iam ſum declaraturus.

Cap.22. Nero ſæuit in ſuos.

Cùm ad inſaniam ſummam proceſſiſſet Nero, primùm quidem ſuſtulit Agrippinam matrem propriam: præterea verò patris quoque ſororem, & Octauiam ſuam vxorem, & alios innumerabiles, qui genere ad eum attinebant. Poſteà autem generalem mouit perſecutionem aduersùs Chriſtianos: & ſic venit ad cædem Apoſtolorum. Quo tempore accidit, vt Paulus quoque triceſimoſexto anno ſalutaris paſſionis, tertiodecimo autem Neronis, fieret martyr, ei capite gladio amputato. Gaius verò quidam vir Eccleſiaſticus, & Zephyrinus Romanus Epiſcopus, & Dionyſius Epiſcopus Corinthius, ſcribunt, vno tempore, & ſimul Petrum & Paulum ſubijſſe martyrium, tertiodecimo anno Imperij Neronis: Dicunt enim Neronem eo tempore fuiſſe motum aduersùs Chriſtianos, propter eius fœminas, quæ in Dominum crediderant, & pudicè caſteque viuere ſtatuerant: nec cum eo congredi deinceps ſuſtinebant: non autem propter Simonem magum. Ei verò, quod ab eis dicitur, fert teſtimonium Iohannes quoque ille lingua aureus, in rebus diuinis egregius, & cuius mens eſt plena ſpiritu, ſcribens in oratione aduersùs eos, qui prohibent, ne fiant monachi: Neronem omninò auditis: fuit enim vir inſignis libidine, qui primus & ſolus inuenit in tali imperio intemperantiæ nouos quoſdam modos, & turpitudinis. Hic ergo Nero beatum Paulum (fuit enim ijſdem, quibus ille, temporibus) eo modo criminans, quomodò nos nunc hos viros ſanctos (Eius enim pellici valdè dilectæ perſuaſit, vt ſimul acciperet verbum fidei, & liberaretur ab immunda illa congreſſione) hoc modo (inquam) ille criminans, corruptoremque & ſeductorem, & ea, quæ vos nunc loquimini, Paulum vocans, primùm quidem vinxit incluſum in carcere. Poſtquam autem non perſuaſit, vt deſiſteret puellæ dare conſilium, tandem ei caput amputauit. Et hæc quidem is, qui moribus & ſermone eſt vir Apoſtolicus, de beato fine diuini Pauli.

S.Paulus gladio cæditur

Iohannes Chryſoſtomus de S. Pauli detrũcatione.

Cap.23.

Principes ergo & diuini (vt priùs diximus) Apoſtoli decimotertio anno Neronis cõſummantur. Execrandum autem Simonem circa medium annorum Claudij aiunt mortem ſubijſſe teterrimam. Dicunt verò quidam præceſſiſſe quidem Petrum anno vno, & beatam illam & Dominicam ſuſcepiſſe perpeſſionem, cùm animam poſuiſſet pro ouibus. Eum autem fuiſſe conſecutum magnum illum Apoſtolum Paulum, vt dicit Iuſtinus & Irenæus, cùm totis quinque annis ſynaxes & deceptationes per ſe facerent ante reſolutionem ad Chriſtum. Atq; ego quidem eis magis aſſentior. Euſebius autem Pamphili dicit, Petrum duodecim quidem annos eſſe verſatum in Oriente, viginti autem & tres annos tranſegiſſe Romæ, & in Britannia, & in ciuitatibus, quę ſunt in Occidente: adeò vt ſit totum tempus prædicationis Petri triginta & quinque anni. Paulum autem ipſum quoque viginti & vnum annum prædicâſſe pietatem in Chriſtum, & alios duos annos Cæſareæ tranſegiſſe in carcere. His verò cõiungit duos quoque priores annos, quos egit Romæ, & vltimos decem: vt eius quoque prædicationis, & vocationis vniuerſum tempus ſit trigintaquinque anni.

Cap.24.

Lex Chriſti & Apoſtolorum eius.

Et ſunt quidem noſtra huiuſmodi, & quæ poſſunt noſtrum in vos deſiderium oſtẽdere, ô Apoſtoli, & fraternum amorem in eos, qui ſunt congregati: Hæc enim eſt veſtra lex, & communis Domini & magiſtri, vt nos inuicẽ diligamus, & quæramus multorum vtilitatem. Vos autem viciſſim nobis reddite curam, quam noſtrũm geratis, aduersùs vitia victoriam, contra dæmones reſiſtentiam, animi quietem ac pacem ergà omnes, atque adeò etiam ipſos, qui nulla de cauſa ſunt nobis inimici, animi ſimul lenitatem ac patientiam, beneficentiam, & mutuum amorem. Vos certè rogamus, in quocunque vniuerſi loco ſitis, ſeu etiam in vniuerſo, vt credimus, nos quoque reſpicite, & ad animi tranquillitatem noſtram vitam deducite, peccatorum expertem, rectis factis & bonis operibus plenam, diuinis dignam oculis: vt in hac vita vobiſcum feſtum perpetuò celebrantes, in futuro bona quoq; promiſſa conſequamur: gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cum quo Patri ſimul cum ſancto Spiritu gloria, potentia & honor nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

SAN.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI CHRYſoſtomi encomium ſanctorum & principum Apoſtolorum Petri & Pauli.

CAELI & terræ video certamen, propter præſentem celebritatem memoriæ Apoſtolorum, cæleſtibus quidem virtutibus laudantibus, & bonis verbis proſequentibus doctrinam laboris eorum, vtpote quòd per eos cognitum fuerit carnis à Verbo ſuſceptæ myſterium: quomodò clamet Paulus: Vt innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiplex Dei ſapientia: qui ſunt autem in terra, hominibus contendentibus per commemorationem, ſummis Apoſtolis dignas laudes afferre, vt qui per ipſos redierint ad ſalutem. Quid enim eſt Petro maius? Quid verò poteſt conferri cum Paulo? qui quidem opere & ſermone omnem naturam creatam vicere tam in cęlo, quàm in terra: qui luto corporis implicati, vel ipſis Angelis inuenti ſunt maiores. Quid ergo dicemus de magiſtris naturæ creatæ tam infernæ, quàm ſupernæ? Non inuenio orationem dignam ad laudandum eos, qui noſtrum genus laudauere: qui vniuerſam terram & mare obiere, & peccatorum radices euulſere & pietatis ſemina deiecere in cordibus hominum, qui erant increduli. Petrus magiſter Apoſtolorum, Paulus cognitor Oeconomiæ ſupernarum virtutum: Petrus frenum ingratorum Iudæorum, Paulus adhortatio gentium. *Ephes.3.* *Petrus magiſter Apoſtolorum.*

Vide autem excellentem Domini ſapientiam Petrum quidē elegit ex piſcatoribus Paulum autem ex iis, qui conſuebant tabernacula. Et quod electionis quidem apparet, eſt ex his artibus: quod autem intelligitur, eſt valdè admirabile, quia Dei quoque eſt electio. Quoniam enim obruebatur gloria Iudęorum, piſcatori commiſit Deus, vt ſcrutaretur profunda maris, quod percipitur intelligentia: dicens ei: Vade ad mare, & iace hamum, & cùm qui aſſcēderit, primum piſcem ſuſtuleris, aperi os eius, & inuenies ſtaterem. Mare dicens, mentem Iudæorum inſtabilem: hamum autem doctrinę verbum artificioſum: & piſcem, legem. Aperire autem os eius, ſignificat eam interpretari: quomodò rurſus in eo inuenire ſtaterem, ſignificat examinare ipſam ſpiritaliter. Paulo autem, vtpotè ſutori tabernaculorum, totas gentes tradidit, vt eos qui lege & gratia nudati erant, pelle indueret coccinea, quæ aqua & ſanguine Domini tincta fuerat. Audiuit enim ipſe quoque Dominum ad ipſum clamantem: Ad gentes procùl ego mittam te. O beata Dyas, cuius fidei ſunt creditæ animæ mundi vniuerſi. Petrus principium fidei orthodoxæ, magnus interpres ſacrorum Eccleſiæ, Chriſtianorum neceſſarius conſiliarius, theſaurus ſupernarum virtutum, qui fuiſti honoratus à Domino Apoſtolus. Paulus magnus præco veritatis, orbis terrarum gloriatio: qui es homo in cælis, & Angelus ſuper terram, gloria Eccleſiæ: qui volas Aquila in excelſis: qui es lyra ſpiritûs: qui es hirundo & cicada, qui inſtrumentum Dominicum, qui vigilans Chriſti miniſter. *Matt.17.* *Nota interpretationē.* *Actor.22.*

Paulus & Petrus iuncti boues Eccleſiæ, qui vniuerſo orbi terrarum bonam intulerunt negociationem, qui crucem pro iugo ſuſtulerunt, pro onere autem, nomen Saluatoris: pro collaribus verò, teſtamentum ſcripturarum: pro ſtimulo, gratiam ſpiritûs. Paulus & Petrus, qui Eccleſiam indies lætificant, receptacula ſpiritalia, orbis terræ publica diuerſoria, ſanctæ interpretandæ Trinitatis inſtrumenta, à Deo Verbo ſuſceptæ carnis œconomiæ interpretes. Petrus, amor meus ſpiritualis: Paulus, vas electionis, meus baculus. Petrus, templum Dei: Paulus, os Chriſti: qui es trium cubitorum, & ad tertium cælum peruenis: qui loco circunſcriberis, & mundum vniuerſum Domino circunſcribis: qui ab Hieruſalem & circuncircà vſq; ad Illyricum ſparſiſti Euangelium: qui es velox curſor, qui diuina es impletus gratia: Cui fecit Dominus teſtimonium, quòd portes nomen eius in conſpectu totius orbis terræ: qui tertium cælum peruaſiſti, & ingreſſus es in paradiſum, & vſque ad Dominicam, quæ mente compręhendi non poteſt, cathedram aſſcendiſti, & arcana myſteria audiuiſti, quæ non licet homini loqui. *Rom.15.* *Acto.9.* *2.Cor.12.*

Quid

Quid autem Petro quoq; dicemus, qui eſt dulce Eccleſiæ ſpectaculum? Is reuerà eſt lampas vniuerſæ terræ, alba & caſta columba, acris & vehemens Apoſtolus, feruens ſpiritu, Angelus & homo, gratia plenus, ſolida petra fidei, vetuſtus Eccleſię ſenſus? Qui, Beatus es, & columbæ filius, propter caſtitatem audiſti ex ore Domini. Qui claues regni cælorum accepiſti ab ipſo Domino. Vos Angelorum ordines ſpoliaſtis. En quid dicam ampliùs? Vos laudat ipſe Dominus, Vos eſtis lux mundi, dicens. Qui eſtis potentiores Regibus, fortioribus militibus, ditiores diuitibus, ſapientiores philoſophis, eloquentiores oratoribus: qui nihil habetis, & omnia poſſidetis. Vos eſtis martyrum tolerantia: Patriarcharum orthodoxa ſententia: Monachorũ exercitatio: Virginum coronatores: eorum, qui ſunt matrimonio coniugati, pacificatores: raptorum refrenatores: intemperantium caſtigatores: tegumentum Regum: muri Chriſtianorum: Barbarorum aduerſarij: qui camum hæreticis imponitis: qui à ratione alienas morte afficitis animi perturbationes: qui legiones dæmonum expuliſtis, qui aras idolorum diruiſtis: qui & infrà & ſuprà diuites fuiſtis: vt qui ſuperorum quidem claues acceperitis: eorum autem, qui ſunt infrà, ſoluendi & ligandi peccata poteſtatem habetis.

Matt. 16. *Ibidem.* *Matth 5.* *2. Cor. 6.*

O rudis idiotæ miraculum. O illiterati ſapientia. Petrus vmbra ſua Paralyticos adſtringit, & ſoluit mortem: Paulus veſtimentis ſuis morbos expellit, & fugat dæmones. Qui intermediam habetis matrem Domini & quouis iuſto ſpiritu eſtis præſtantiores: columnæ Eccleſiæ, magna orbis terræ lumina: Qui vobis inuicem eſtis præſtãtiores, & ſimul omni creata natura meliores. Gaudeas, Petre, petra fidei: Gaudeas, Paule, gloriatio Eccleſiæ: qui mala innumerabilia propter ipſam ſuſtinuiſtis, in carceribus incluſi, à Iudæis odio habiti, à Barbaris tracti & raptati à Regibus cæſi & ignominiam paſſi: quibus nec facilè quidem licuit reſpirare, nec permiſſum fuit ceſſare à doctrina: qui propter pondus vinculorum membra mouere non poteratis, & omnem orbem terrarum peccato alligatum veſtris ſoluebatis Epiſtolis. Vos dæmonum phalanges fudiſtis: per vos ſancti ſpiritus gratia diffuſa eſt in orbem terræ: caliginem erroris vos è terra contraxiſtis.

Act. 5. & 19. *Petrus petra fidei.*

Quaſnam ergo vobis referemus gratias, qui tantum laboraſtis? Memini tui, Petre, & obſtupeſco. Recordor tui, Paule, & mẽte emotus opprimor lachrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, veſtras contemplans afflictiones, neſcio. Quot carceres ſanctificâſtis? Quot catenas decorâſtis? Quot tormenta ſubijſtis? Quot maledicta tolerâſtis? Quomodò Chriſtum portâſtis? Quomodò prædicatione Eccleſias lætificâſtis? Sũt benedicta veſtræ linguæ inſtrumenta. Sanguine conſperſa ſunt membra veſtra propter Eccleſiam. Vos ſine defectu imitati eſtis Chriſtum in omnibus. In oẽm terram exijt veſter ſonus, & verba veſtra in fines orbis terræ. Inſeparabilem, quæ ei à vobis eſt deſponſa, Chriſtus conſeruet Eccleſiam. Nemo ante vos, neq; poſt vos, talis apparuit. Quis enim ſermonem, qui in docendo verſatur, ſuſcipiens auſus eſt aliquid dicere abſque veſtra traditione? Vos omnes effeciſtis magiſtros: noſtram vicit cæcitatem veſtra tolerantia: vt qui optaretis eſſe anathema, vt mundum lucraremini. Quid decæterò vobis retribuemus pro omnibus bonis, quę nobis tribuiſtis? Fit hodiè commemoratio veſtræ decertationis.

Pſal. 18. *Rom. 9.*

Gaudeas, Petre, cui datum eſt, vt ligno Crucis Chriſti fruereris. Et ad magiſtri quidem ſimilitudinem voluiſti crucifigi, non recta tamen figura, ſed potiùs capite demiſſo deorſum: tanquam qui à terra in cælum iter faceres. Beati claui, qui membra tua penetrârunt mihi deſiderabilia, & quæ cæleſti gloria ſunt mihi præſtantiora. Tu qui cũ omni fiducia in manus Domini animam tradidiſti: qui indiuulsè Domino ſeruijſti, & ei deſponſæ Eccleſiæ: qui diligis Dominum: qui ferues ſpiritu: qui es Domino fideliſſimus omnium Apoſtolus.

Petrus crucifixus.

Gaudeas, Paule, cui beatum caput fuit enſe amputatum, cùm homo eſſes, quem verba enarrare non poſſunt. Quiſnam enſis tuum guttur peruaſit diſcernendi maxima poteſtate præditum, Dominicum inſtrumentum, quod à cælo habetur id admiratione, & quod terra reueretur? Quiſnam locus tuum excepit ſanguinem, qui cruentauit quidem exteriorem tunicam Barbari, qui te palo affixit: atram autem eius animæ veſtem dealbauit modo inexplicabili, & vſq; adeò, vt lucem fidei induerit, & ea citra inuidiam contribules impertierit. Sit mihi enſis ille pro corona, & claui Petri pro lychnitibus gemmis, infixis in orbem diadematis, & illuſtrantibus formam meam ex peccato turpiſſimam.

Paulus gladio cæſus.

Non eſt nobis, ô venerandi Apoſtoli, oratio, neq; mens ſufficiens, vt aliquid ſuppe-

dites

ditet a d vobis agendas gratias. Egeni ſumus omnis doni, quod offeratur excellentibus poteſtatibus. Mutuò date vos, qui eſtis verè diuites, indigentibus, vel potiùs donate: neque enim poſſumus mutuum reddere. Et ſi beatas voces à vobis acceperimus, exclamabimus: Salue beata biga, quæ vna es anima in duobus corporibus, Petre & Paule. Saluete vos ſemper in Domino: ſine intermiſſione pro nobis, rogamus, orate. Promiſſa veſtra implere. Sunt enim hæc veſtra conuenta: vnius quidem hoc: Venite mecum, & bonis ne deficiamur: alterius verò illud: Studebo poſt meum aduentum veſtri facere mentionem. Pactorum ergo conuentorum nolite obliuiſci, ſed Trinitati principio carenti nullo intermedio aſſiſtentes, petite, quæ ſunt nobis omnibus ſalutaria: In Chriſto Ieſu Domino noſtro, quem decet gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Galat. 6. 2.Pet.1.

ENCOMIVM SANCTORVM ET PRINCIPVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI,

quod habetur in Simeone Metaphraſte.

PETRVM & Paulum diſcipulos Domini laudare quidem eſt laudabile & beatum: ſcopum autem aſſequi, eſt arduum & difficile. quandoquidem vis laudationum ex rebus inferioribus & terrenis ſumitur. Quibus autem totus mundus eſt crucifixus, quomodò eis fuerit grata laus, ducta ex ijs habuere contemptui? Quiſnàm verò vt par eſt eorum aggreſſus fuerit encomia, qui laudem ſortiti ſunt ab ipſa per ſe ſapiētia, Chriſto verè magiſtro: poſt quem omnis mortalis oratio ex illius participatione paruum quendam ſuſcipit ſplendorem conuenientē eius prompto, qui id ſuſcipit, ſtudio? Quorum alter quidem dignus eſt habitus, vt beatus pronunciaretur, & cælorum quæſtor conſtitueretur: Alter autem ſegregatus in vas electionis, diuinum vehiculum ad omnem vſum Dei conſtitutum appellatus fuit vtiliſſimum. Matt.16. Actor.9.

Quid ergo? Quoniam eorum magnitudo ad tantam peruenit altitudinem, quæ ad eos pertinent, mandabimus ſilentio: quoniam ita eſt comparatum, vt in rebus maximis ſilentio honoretur earum ſumma excellentia? Quid verò lucri ex hoc redibit ad eos, qui illorum ardenti amore inflammantur? qui & ijs, qui feſti præſentem congregauere celebritatem, vident zelum extingui, & periclitari eis cupiditatem, eò quòd ſit ceſſatio? Si enim ſunt apud ipſos ocioſæ leges encomiorum, res autem maximas eſſe quiete tractandas cenſuit ſapiens & vetus oratio, ſilētio potiùs q̄ ſermone eis honorē tribuens: neceſsè eſt, vt vnà deſinant feſti lætitiæ indicia, & quodcunq; in vitam ſordidam & abiectam, in pauperes, inquam, in tali feſto effunditur fluentum benignitatis, & quicunque ſonus in tabernaculis iuſtorum vocis exultationis & confeſſionis celebratur.

Ne hæc ergo omninò contemnantur, & vobis à nobis hanc gratiam petentibus, id, quod deſideratis, omninò deſinat in deſperationem: agè agè, veluti quoddā modicū medicamentū ægritudinis animi vobis adhibentes, ea philoſophemur, q̄ feſto conueniunt, onus quidē fortaſſe, quod vires ſuperat, ſubeuntes: ſed veſtris confirmati precibus, nō deſperamus fore, vt aliquid vtile adducamus. His ergo omnibus prætermiſſis, quæ nos à re propoſita aggredienda retardant, nouum quoddam & alienum ſuſcipientes argumentum, ſi ipſos, qui laudantur, cum nobiſipſis in rebus ab eis præclarè geſtis comparauerimus, quod noſtros pellat dolores, inueniemus. Erit autem hoc quomodò? Cùm primam vtriuſq; vocationem, tanquam ex qua ſit genus eorum deriuatum, primo loco poſuerimus, per quam ipſi & ad veriſſimam lucem nacti ſunt progreſſionem, & per hoc ad virilem ætatem peruenientes, diuinæ prædicationis ſuſcepere plenitudinē: ne videamur procùl diſcedere à legibus encomiorū: aggrediemur ad eam, quæ nos vrget, gratiam.

Ad eum, qui eſt Deus & homo, Petrus eſt deductus, vt eius eſſet diſcipulus, fratre vtens, veluti quodam ſatore partus Euangelici. Quinetiam Paulus non vtique opus habuit alio, qui ei ad hoc inſeruiret, ſed eo ipſo, qui eum aſſumpturus erat ad Apoſtolatum, ictu oculorum per fulgur ſtuporem afferendo, ipſum, qui priùs erat fera agreſtis, Iohan.1. Actor.9.

cóuertente ad manſuetudinem. Et quid hoc,& quomodò? Nam mitis quidem & facilis erat Petrus, nec tanto tuendæ legis zelo tenebatur, vt aduersùs ſtimulos calcitraret non ſentiens. Paulus autem cùm ſerò quidem didiciſſet, quod oportebat, fracta autem nimia eſſet eius audacia, tantus viſus eſt in ſeruiendo ei, quod eſt melius, quantus fuit ad impediendam priùs prædicationem. Exegit vmbra Petri morbos: ſed veſtium quo-

Act.5.& 19. que Pauli ſuperficies & ſemicincta, erant iis, qui homines vexabant, morbis terribilia.

Atq; hæc quidem eſt (vt dixerit quiſpiam) eorum in genere comparatio. Quænam autem ea quoq; fuerit, quę poſt illam fuit laudibus aſſumptio, licet ex iis, quę deinceps

Matt.16. ſequuntur, intelligere. Magnus Petrus, qui dignus eſt habitus, qui beatus pronunciaretur, cui fuerunt creditæ claues regni cælorū, & à quo licet hominibus conſequi, quic-

Acto.9. quid refertur ad id, quod eſt melius. Non minor eſt Paulus, qui vt vas eſſet electionis, ab eo ipſo eſt ſegregatus, audaciq; & periculoſo conatu contendendo aduersùs gentes

3. & reges reſiſtentes, perfecit Euangelij. Diuiniſſimus Petrus, qui ad templum legale ei, qui ab vtero matris erat claudus pedibus integram reſtituit ſanitatem. Gratia eſt dig-

14. niſſimus Paulus, qui claudo, qui erat Lyſtris, fecit ſimile miraculum. A Deo fuit adiu-

12. tus Petrus, qui ab Angelo Domini fuit liberatus ex carcere Herodis, & à cædem ſpirantium Hebræorum expectatione. Non minor eſt Paulus, qui ſporta fuit è muro demiſ-

9. ſus: qui ipſe quoq; ab Angelo Dei, etiam cum carne in hac fuerit actione directus: ſi quidem eum, à quo in pijs inſeruitur operibus, ad Angelum Domini referunt labra à Deo mota.

Sed quid hoc, & quánam de cauſa Dominus vtriuſq; tantam in his gerit curam? nū vt ſicut Petrus circuncisioni, ita etiam Paulus præputio edat, quod ſit probatum: &

Act.5. & 10. ſic, quæ & ſentētia, & vita erant diſtincta, concordem referrent & conſentientē Dei cognitionem? Admirabilis eſt Petrus, qui linteo è cælo demiſſo, pleno omnis generis animantibus, caſtigatus fuit, & didicit eſſe indifferentē cum gentibus communio-

2.Cor.12. nem. Non minor eſt Paulus, ſi non etiam maiorem dicere ſit religio, qui in tertium cælum raptus, eorum, quæ dici nequeunt, iis, qui ab ipſo initiabantur, in tempore ape-

Actor.9. Acto.20. rit myſterium. Venerandus eſt Petrus, qui Tabitham ſuſcitauit. Quid verò? num à tergo eius relinquitur Paulus, qui Eutychum, qui cùm è feneſtra cecidiſſe, vita exceſſerat, in vitam reuocat? Romæ repreſſit Petrus Simonem ab arte magica: qua de cauſa ad

Acto.16. ſuum quoq; abijt Dominum, cruce ſubiens magiſtri paſſionem. Paulus quoque eduxit Philippis mulierem, quæ inſtar Pythiæ dabat reſponſa, ab errore quo populum tenebat irretitum. Qua de cauſa & virgis cęſus fuit crudeliter, & enſe rurſus ei caput amputatur, vt qui eam inuenerit mercedem, quòd ex Cæſaris familia quoſdam Chriſto conciliâſſet.

Deficiet me tempus, & ante tempus deficientis verbi fluxus, qui quidem à graui ſenectute reciſus omninò defeciſſet, niſi veſtrarum precum vires, vt hæc dicerem, cō-

Eſa.35. ceſſiſſent. Confirmârunt enim, vt propheticè dicam, manus remiſſas & genua diſſoluta: mentem, inquam, meam, quæ imbecillitate corporis ſimul euaſit imbecilla, vt diuino veſtro ſatisfacerem deſiderio. Id quidem, quod ſperâſtis, præſtiti, aut parùm abeſt, quin id ſim aſſecutus: veſtra eſt hæc, & non mea gloriatio, qui me ad hoc induxiſtis, & noſtram planè reſolutam & imbecillem ac defectam ætatē, veſtra ad Deum fiducia roborâſtis. Sin aūt à ſcopo procùl aberrauimus, indignitatis noſtræ infelicitati id eſt attribuendum, quæ ita multitudine malorum eſt conturbata, vt ne in precibus quidem poſſim iuſti munus implere. Sed quomodocunq; res ſe habeat, Gloria principij experti patri, & coæterno filio, & qui cum eis eſt coæternus, diuino & bono ſpiritui, vni diuinitati in Trinitate, quæ non poteſt diuidi, quæ vitam præbet omni ſpiritui, & ab omni creata natura colitur & adoratur nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

THEODORI DAPHNOPATI ENCOMIVM SANCTI ET MAGNI APOSTOLI CHRISTI PAVLI,

collectum ex diuerſis Orationibus Diui Chryſoſtomi & encomijs, quæ fecit in magnum Paulum. Habetur autem in Simeone Metaphraſte.

VNiuerſa quidem lex encomiorum, & omnis oratio compoſita arte Oratorum, à ſplendoris ſanctorum vincitur magnitudine: maximè autem, quæ de diuinis & principibus habetur Apoſtolis. Quantùm enim alios, martyres, inquam, & iuſtos gloria & honore, & apud Deum propinquitate ſuperant, tanto etiam ſunt ſuperiores lege encomiorum eorum decertationes, & ea, in quibus alijs antecellunt: quòd humanam rationem ſuperant & cogitationem, quæ pro vniuerſo orbe terrarum certamina ſuſceperunt, & quæ præclarè geſſerunt. Quãobrem veſtrum veluti placantes deſiderium, etiamſi cœptum ſit audax, cùm eorum laudes verbis ſtuderemus extollere, cogitaſſemus autem id planè fieri nõ poſſe, nec à nobis eſſe ſuſcipiendum, ex ijs, quæ à diuino Patre, & melle fluente Chryſoſtomo variè dicta ſunt, moralibus, inquam, orationibus & ſuaſionibus, ſermonibusq; & encomijs, & ijs, quæ ſunt aliter ab eo laborata, id quod eſt vtile (vt par eſt) eligentes, & in vnã harmoniam & conſonãtiam componentes, eis vnum ex omnibus encomium obtulimus, eiſdem (vt ſemel dicam) dictionibus, quoad eius fieri potuit & ſententijs & verbis id ornantes. Cap. 1. Apoſtoli cæteris Sanctis ſuperiores.

Sic autem habet: Apoſtolicorum quidem actuum inſcriptionis totum iam vobis debitum exoluimus. Deinceps autem erat conſequens, libri aggredi principium, & dicere, quidnam ſit illud: Primùm quidem verba feci, ô Theophile, de omnibus, quæ Ieſus cœpit facere & docere: Sed Paulus non ſinit nos vti hoc ordine conſequentiæ, ad ſe & ad recta eius facta linguam noſtram vocans. Cupio enim videre ipſum vinctum introduci Damaſcum, non catena ferrea, ſed voce Domini. Cupio videre ipſum captum, hunc, inquam, magnum piſcem, qui mare vniuerſum agitauit, qui fluctus innumerabiles excitauit in Eccleſiam. Cupio videre eum vinctum non hamo, ſed verbo Domini. Nam quomodò quidam piſcator ſedens ſuper altam petram, & ex alto tenens arundinem, hamum mittit in mare: ita etiam noſter Dominus, qui piſcatum oſtendit ſpiritalẽ, ſedens tanquã in alta petra cælorũ, tanquam hamũ vocem illã emittens deſuper, & dicens: Saule, Saule, quid me perſequeris? ſic cepit hunc magnũ piſcẽ. Cap. 2. Acto. 1. Acto. 9. Ibidem.

Quis enim illum crudelem & inhumanum, & perſecutorem, & blaſphemum, & Eccleſiam ſic vaſtantem, vt etiam domos ingrediens traheret viros & fœminas, & omnia confunderet & perturbaret, ſuſtinuiſſet, ſi non repentè eum Rex noſter tranſmutâſſet, & ad ſe reduxiſſet? Etenim diſcipuli quoque, vbi eũ vidiſſent affuiſſe, timore affecti horrebant, & ne eum quidem audebant adſpicere: & quando rurſus fuit ex amicis, eundem metum oſtendebant. Si eum ergo timebant etiam reconciliatũ, ſi fuiſſet inimicus & hoſtis, quid non feciſſent? Ego autem quid agam? Neceſſe eſt, vt maxima fugiam celeritate, ne ſi me rurſus apprehenderit, abducat à propoſito. Scitis enim quòd cùm ſæpè mihi aliò eunti, & ad aliud conuerſo occurriſſet, me in media detinuit oratione, & ſic cepit, vt in ea perſuaſerit finere orationem. Cap. 3.

Hic ergo beatus Paulus, qui vniuerſum orbem terræ illuminauit, in tempore vocationis aliquando eſt excæcatus: ſed illius excæcatio facta eſt totius orbis terræ illuminatio. Quoniam enim malè videbat, eum Deus rectè excæcauit, vt vtiliter adſpiceret. Et quoniam Dei Eccleſiam ſummè perſequebatur, & erat adeò vehemens & alienus à congreſſione, accipit frenum vehementius, ne ſi eum abduceret impetus illius animi alacritatis, non obediret ijs, quæ dicebantur, & vt ſciret, cum quo bellum gereret: quem non ſolùm punientem, ſed neq; beneficio afficientem ferre poteſt. Neq; enim eum obcæcauerunt tenebræ, ſed lux modum excedens, ei offudit tenebras. Cap. 4. Cur cæcitate percuſſus Paulus.

Si nos ergo bellum circunſiſteret barbaricum, & in acie hoſtes maximam exhibuiſſent moleſtiam: deinde Imperator hoſtium, qui innumerabiles admouebat machinas, & noſtra omnia confundebat, multoque tumultu & turba replebat, & ipſam minabatur ſe vrbem diruturum, & igni mandaturum, & nobis intẽtabat ſeruitutem, repentè à noſtro Rege ligatus in vrbem duceretur captiuus, nõ omnes cum fœminis Cap. 5.

& infantibus exilijſſemus ad illud ſpectaculum? Cùm autem nunc quoque eſt bellum conflatum, Iudæis omnia perturbantibus, & ad oppugnandam Eccleſiam machinas omnes adhibentibus, hoſtium verò caput eſt Paulus, qui omnia magna facit & dicit, qui omnia permiſcet & perturbat, eum autem alligauit Dominus noſter Ieſus Chriſtus Rex noſter, non egrediemur omnes ad hoc ſpectaculum, vt videamus eum duci captiuum? Etenim Angeli è cælis videntes eum vinctum introduci, exultabant, non quoniam videbant eum vinctum, ſed quoniam mente agitabant, quod homines è vinculis eſſet liberaturus: non quoniam eum manu duci cernebant, ſed quoniam intelligebant, quàm multos ille homines eſſet è terra in cælum deducturus: non quoniam eum lumine orbatum adſpiciebant, ſed quoniam cogitabant, quàm multos ille eſſet educturus è tenebris.

Cap. 6. Propterea ego quoq; alijs omnibus dimiſſis ad Paulum exilire contendo. Paulus enim, & Pauli deſiderium coëgit nos hunc facere ſaltum. Quis loquetur potentias tuas, Domine? Quoniam non ſiuiſti Paulum latere, quoniam talem virum oſtendiſti orbi terræ. Laudauerunt te omnes Angeli vno animo, quādo aſtra feciſti, & quando Solē: ſed non ſic, vt quando Paulum oſtendiſti vniuerſo orbi terræ. Propterea terra fuit cælo lætior, quoniam hic eſt lætior ſolari luce. Et hic quidem Sol cedit nocti: ille autē ſuperauit diabolum. Et hic quidem in alto fertur, & deorſum immittit radios: ille autē infernè oriens, non medium cæli & terræ luce impleuit: ſed & os aperuit, & Angelos magna impleuit voluptate. Si enim propter vnum peccatorem pœnitentiam agentē eſt gaudium in cælis, ipſe verò ex prima concione venatus eſt quinq; virorum myriades, quemadmodùm ſuperiores virtutes gaudio non implebit infinito? Quid autem dico? Sufficit Paulus ſolummodò loquendo ad efficiendum, vt cæli exultent & lætentur. Quid enim eſt huius viſceribus feruentius, qui totum orbem terræ percurrit tractus, lapidibus appetitus, vt vinctus & vinctos ſolueret, & ad ſe traduceret?

Pſalm. 106.

Luc. 15.

Cap. 7. *Labores S. Pauli.* Neque enim tanquam pugnans ſic res confecit, ſed tanquam ad promptam & paratam veniens victoriam, ſic erexit trophæa, deſtruens, diruens, deijciens diaboli munitiones, & machinas dæmonum. Et neque parùm quidem reſpirabat, ab his ad illos, & rurſus ab illis ad alios tranſiliens, tanquam optimus aliquis Imperator, quotidiè trophæa erigens & victorias, vel potiùs horis ſingulis. Tunica enim ſola indutus veniens in aciem, cum ipſis viris capiebat vrbes aduerſariorum, telaque & lanceas. Et omnia lingua Pauli. Solùm enim loquebatur, & illius verba, quaſi ignis fluxiones in hoſtes incidentes, fugabant quidem dæmones, & eos, qui ab ipſis detinebantur, homines ad ipſum deducebant. Quando enim malum illum eiecit dæmonem, quinque præſtigiatorum & maleficorum hominum cōuenientes myriades, combuſſerunt libros artis magicæ, & tranſièrunt ad veritatem. Et quomodò cùm in bello turris cecidit, aut deiectus fuit tyrannus, qui cum illo erant, omnes abiectis armis accurrunt ad Imperatorem: ita etiam tunc factum eſt. Eiecto enim dæmone, obſeſſi omnes cùm libros abiecissent, vel potiùs diſſoluiſſent, ad Pauli pedes concurrebant.

Act. 19.

Cap. 8. *Acto. 14. 13. 16.* Ille autem tanquam vno exercitu dirigens aciem aduersùs orbem terræ, nuſquam cōſiſtebat, ſed tanquam alatus eſſet quiſpiam omnia faciebat. Et nunc quidem claudum corrigebat: nunc autem alium orbabat, magum, inquam. Et nec in carcere quidem incluſus quieſcebat, ſed illic quoq; cuſtodem carceris ad ſe traduxit, efficiens illam pulchram captiuitatem. In admiratione habetur Dauid, qui Goliath vno ſolo deprimit lapide: ſed ſi quis præclara Pauli facta examinauerit, & cum facto illius pueri comparauerit, quantum intereſt inter paſtorem & Imperatorem, tanta eſt inter hunc & illum differentia. Hic enim non lapidem iaciens proſtrauit Goliath, qui percipitur intelligentia: ſed ſolùm loquens, perfregit vniuerſam diaboli catervam. Et tanquam leo rugiens, & flammam lingua emittens, ſic inuadendo erat omnibus intolerabilis, & in omnem partem aſſiduè tranſiliebat. Ad hos currebat, ad illos veniebat: ad hos tranſibat, ad illos reſiliebat, vento inuadens celeriùs, & perindè ac domum vnam, aut nauigium vnum, gubernans vniuerſum orbem terræ: & eos quidem, qui ſubmergebantur, ſurſum attrahens: eos verò, qui caligabāt, cōfirmans, nautas adhortās, ceruicibus imminens, proram circunſpiciens, funes tendens, remum tractans, velum trahens, cælum ſuſpiciens.

1. Reg. 17.

6.

Cap. 9. Ipſe denique erat omnia. & nauta, & gubernator, & qui proram regit, & velum, & nauigium, & omnia patiens, vt mala ſolueret aliorum. Et quomodò quidam athleta ipſe luctans, currens, pugnis decertans: aut miles muros oppugnans, pedes, manus conſerens, & nauali pugnans certamine, nullum non pugnæ genus obibat, & ignem

ſpira-

ſpirabat,neq; vllus poterat ad eum accedere,vno corpore totum orbem terræ occupans,& vna lingua omnes fundens ac fugans. Non ſic multæ tubæ irruebant in lapides vrbis Hierichontinę,& eos diruebant, vt vox Pauli, quæ reſonabat,humi diabolicas deiecit munitiones,& ad ſe traduxit * auerſarios. Et per feneſtram demiſſus fuit è pariete,vt ab inferiori loco ſurſum tranſmitteret eos,qui humi ſunt abiecti. Ioſue 6. Acto.9.

Atque famem quidem,& ſitim,& nuditatem,& naufragia,& metus, & inſidias, & carceres,& plagas,& alia omnia, quæ ſuſtinuit beatus Paulus propter prædicationem, nihil arbitror oportere dicere. Sufficiebat enim] vnumquodq; eorum ad valdè conturbandam & frangendam ſanctam illam animam. Quando autem dicit, Quis infirmatur,& ego non infirmor? Quis ſcandalizatur,& ego non accendor? hoc eſt, quod omnium maximè perpetuam & intolerabilem ei præbebat animi ægritudinē. Si enim in vnoquoq; eorum, qui ſcandalizabantur,ipſe accendebatur, non poterat ardor ille extingui ex illius anima. Non deerant enim, qui ſcandalizabantur, & igni præbebant materiam. Videre autem Iudæos non credentes,quamnam eum vel paruam ſinebat habere dilationem doloris & ægritudinis? Optarē enim,inquit,anathema eſſe à Christo pro fratribus meis,cognatis meis ſecundùm carnem, qui quidem ſunt Iſraëlitæ. Quod autem dicit,eſt eiuſmodi: Mihi eſſet optabilius in gehennam incidere, quàm Iſraëlitas videre non credentes. Qui autem in gehenna elegit ſupplicium, vt poſſit omnes Iudæos adducere,clarum eſt,quòd qui hoc non fuit aſſecutus,ijs, qui puniebantur in gehenna,vitam egit grauiorem. Cap.10. 2.Corin.11. Rom.9.

O ardentem amorem charitatis. Qui aduersùs ignem fuit audax Paulus, qui adamantinus,qui firmus & validus,qui immobilis,qui inflexibilis, qui dicebat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? afflictio,an anguſtia,an fames,an perſecutio, an nuditas, an periculum,an gladius? qui in terra & mari ſuam oſtendebat audaciam, qui adamantinas irridebat mortis portas,is poſtquam vidit lachrymas quorundam dilectorum, adeò fuit fractus & contritus,vt ne celaret quidem affectionem, ſed ſtatim diceret: Quid facitis flentes,& cor meum conterentes? O miraculum. Non contriuit cū abyſſus aquarum,& paucæ eum lachrymæ contriuerunt & fregerunt. Quid facitis flentes, & conterentes cor meum? Quid dicis? Dic mihi, Adamantinam illam animam potuit contererelachryma? Certè,inquit: magna eſt enim vis charitatis: Ea me vincit & ſuperat: reſiſto enim omnibus,præterquam charitati. Cap.11. Rom.8. Act.21. Vide quāta ſit vis charitatis in Paulo.

Audite quicunq; ne pecunias quidem propter Chriſtū deſpicitis, immò verò propter voſipſos & ſtupetis, Pauli amorem in Chriſtum cogitantes & admirantes. Neq; enim Chriſtum ſic diligebat propter ea,quæ ſunt Chriſti,ſed propter ipſum res illius. Et vnum ſolùm timebat,ne excideret ab ea,quæ eſt in illum,charitate. Hoc enim erat ei vel gehenna terribilius,ſicut etiam in ea manere vel regno optabilius. Quando ergo ille propter Chriſti deſiderium vel in gehennam non recuſat incidere, & à regno excidere,ſi vtraq; hæc eſſent propoſita,nos autem ne præſentem quidem vitam deſpicimus,ſumús ne digni vel illius calceis,cùm tantùm abſumus ab eius animi magnitudine? Si enim,qui vnius domûs tantùm curā gerit,etſi habeat procuratores, miniſtros, & œconomos,ſæpenumerò ne reſpirat quidem propter curas, cùm nemo ſit, qui ei moleſtiam exhibeat: qui non vnius domûs,ſed ciuitatum,& populorum,& gentium, & vniuerſi deniq; orbis terræ curam gerit,ſuntq; tot & tanta negocia, & tam multi, qui inſultant & obſunt,idq; cùm ſit ſolus,& tot & tanta patiatur,& tantam curam gerat,quantam nec pater filiorum,cogita quid ſuſtinuit. Cap.12. 2.Cor.11.

Si quis vult diligere germanè & ſyncerè,& ſcire vim charitatis,currat ad eius alumnum beatum Paulum,& ille eum docebit,quantum ſit certamen ferre ſeparationem à dilecto,& quanto animo opus habeat. Hic enim,hic,qui carnem exuerat, & corpus depoſuerat,& orbem terræ ferè nuda obierat anima, & omnem perturbationem ex animo expulerat,& incorporearum virtutum imitabatur impatibilitatem,alia quidē omnia ferebat facilè,tanquam patiens in alieno corpore & carceres,& catenas,& abductiones,& flagella,& minas,& mortem,& omne genus ſupplicij: ab vna autem ſeparatus anima,quæ ab eo diligebatur,adeò fuit confuſus & conturbatus, vt in qua dilectum ſperās ſe viſurum non inuenit,ex ciuitate protinus receſſerit. Quid hoc,ô beate Paule? ligno quidem alligatus,& carcerem habitans,& flagris cæſus, & in tergo ſanguine circunfluens,& myſterijs initiabas & baptizabas,& offerebas ſacrificium,& neminem deſpiciebas,qui eſſet ſaluus futurus. Cùm veniſſes autem in Troadem & terram inueniſſes purgatam,& paratam ad excipienda ſemina,tantum lucrum eiecisti è manibus,et ſtatim reſilijſti? Certè,inquit: magna enim me inuaſit tyrannus animi ægritudine, Cap.13. 2.Cor.2.

gritudine.& meum animum valdè confudit Titi abſentia,meq́; ſic vicit & ſuperauit, vt cogerer hoc facere.

Cap.14. Vidiſti quàm ſit magnum certamen dilecti ferre ſeparationem,quàm res ſit moleſta & acerba,quàm excelſo opus habeat & iuuenili animo? Neque enim ſufficit iis,qui diligunt,ſolùm eſſe vinctos animo,neque eo ſunt contenti ad conſolationem.ſed etiam corporea opus habent præſentia:& ſi hoc non adfuerit,non reciſa eſt parua pars lætitiæ. Vis ſcire,quàm pulchra ſint arma ad attrahendos fratres,etiam ſi ſint infideles? eſſe mitem,& manſuetum,& facilē moribus. Audi quid dicat Paulus, ad iudicem

Acto.26. ingrediens infidelem,ab eo iudicandus: Beatum me exiſtimo,qui ſum à te iudicandus. Hæc autem dicebat,non ei adulans,abſit:ſed volens lucrifacere per manſuetudinem. Quamobrem eum etiam ex parte lucrifecit:& Iudicem cepit is,qui exiſtimabatur tūc

Ibidem. eſſe condemnatus:& Pauli eſſe victoriam ipſe,qui erat victus,alta voce cōfitetur, præſentibus omnibus,dicens: Propemodùm mihi perſuades,vt fiam Chriſtianus. Quid ergo Paulus? Optârim ego non ſolùm te,ſed etiā omnes,qui adſunt,hoc eſſe,ꝙ ego ſum.

Cap.15. Atque in multis quidem locis ſunt multa ſigna Pauli miraculorum: ſed non ſunt tam deſiderabilia,quàm ſtigmata:& non tam in ſcripturis quidem delectat faciēs mi-

Acto.14. racula,quàm malè patiens, flagellatus,tractus,lapidibus appetitus. Lapidantes enim

Acto.16. eum, inquit, traxerunt extra ciuitatem. Et rurſus: Cùm eum flagellâſſent,& multas ei plagas impoſuiſſent,coniecerunt in carcerem. Quanta gloriatio, quanta voluptas, quantus honor,quantus ſplendor,ſcire ſe eſſe vinctum propter Chriſtum? Sed vide rem admirabilem. Et commotus eſt,inquit,carcer,alligato Paulo, & omniū vincula ſunt relaxata. Vidiſti vinculorum naturam vincula reſoluentem? Expergefactus autē cuſtos carceris,cùm vidiſſet ianuas apertas carceris, ſtricto gladio ſe erat interfecturus. Quid ergo Paulus? Clamauit magna voce,dicens: Nihil tibi mali feceris: vniuerſi enim hîc ſumus.

Cap.16. Vides quàm hic ſit à vana gloria & ſuperbia alienus,& quàm beneuolus? Non dixit: Propter nos hæc facta ſunt:ſed tanquā vnus ex vinctis, dicit: Omnes enim hîc ſumus. Si enim tacuiſſet,& non per magnam vocem manus illius cōtinuiſſet, enſem per guttur tranſegiſſet. Clamauit autem,quoniam in interiorem carcerem erat coniectus. Contra teipſum,inquit,hoc feciſti,cùm interiùs conieceris eos,qui te ſunt liberaturi à

S.Pauli benignitas. periculo. Vidiſti quàm ſit benignus,& quantam hominum curam gerat Paulus? Maluit ipſe eſſe vinctus & periclitari,quàm illum deſpicere pereuntem. Quomodò autem miles aliquis habens vniuerſum orbem terræ contra ſe bellantem, & ſe in medijs verſans hoſtium ordinibus,& nihil graue patiens:ita etiam Paulus ſolus inter barbaros & inter Græcos,vbique terrarum,& vbique in mari ſe oſtendens, manſit inexpugnabilis. Et quomodò ſcintilla in ſtipulam & fœnum incidens, ea, quæ vruntur, tranſmutat in ſuam naturā:ita hic quoq; omnes inuadens,traducebat oēs ad veritatē.

Cap.17. Quem non obſtupefeciſſet potentia vinculorum, beato Paulo impoſitorū, quòd

Ibidem. qui eum vinxerant,eos ad pedes vincti duxerit,& illos ei ſubiunxerit? Procidit enim, inquit,cuſtos carceris ad Pauli pedes,& qui erat ſolutus,iacebat ad pedes vincti, & qui vinxerat, rogabat vinctum, vt ſolueretur à metu. Dic mihi: Non tu vinxiſti? non in interiorem conieciſti cuſtodiam? non pedes ligno conſtrinxiſti? Cur tremis? Cur tumultuaris? cur lachrymaris? cur enſem ſtrinxiſti? Neſciebam, inquit, Chriſti vinctorū tantam eſſe potentiam. Quid dicis? Accepit poteſtatem cælos aperiendi,& non erat aperturus carcerem? Soluit eos,qui vincti erant à dæmonibus,& erat ferrum eum ſupe-

Act.19. raturum? Qui ligatas itaq; ſoluebat animas,corpus ſuum ſoluere non potuiſſet? Qui per ſuas veſtes alios ab illis ſoluebat vinculis,& liberabat à dęmonibus,ipſe per ſe non ſoluiſſet? Propterea primùm fuit vinctus,& tunc ſoluit vinctos,vt ſcias quòd Chriſti ſerui vincti,maiorem habent vim,quàm ſoluti. Sic enim præclariores oſtenduntur ſancti vires,quando vel vinctus vincit ſolutos.

Cap.18. Quando ergo is,qui eſt vinctus, nō ſolùm ſeipſum ſoluit,ſed etiam ſolutos,quiſnam eſt vſus murorum? quidnam accepit commodi ex eo,quòd ad interiorem coniecerit cuſtodiam,cùm aperuerit etiam exteriorem? Vis ſcire, quanta res ſit catena ferrea,

Vis catenarum Pauli. propter Chriſtum corpori ſerui eius impoſita? Audite beatū Paulum de hoc ipſo gloriantem,& dicentem: Rogo ergo vos ego vinctus in Domino. Magna eſt & inſignis

Ephe.4. dignitas regni & cōſulatûs:eſt autem omnium maxima, eſſe vinctum propter Chriſtum. Nihil enim eſt æquè præclarum,ac vinctus propter Chriſtum,ac catenę impoſi-

Nota quæ hic dicuntur. tæ ſanctis illis manibus. Hoc eſt longè pręclarius & magnificentius,quā eſſe Apoſtolū, quàm doctorem,quàm Euangeliſtam. Si quis diligit Chriſtum, nouit id, quod dicitur.

Si quis vehementi ardet amore Domini, & nouit vim vinculorũ, maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quàm cælos habitare. Fortè enim eſt hoc quoq; præclarius, quàm ſedere à dexteris eius: & magnificentius iudicandum, & beatius, q̃ ſedere ſuper duodecim ſedes. Si quis mihi daret optionem, aut vniuerſi cæli, aut illius catenæ, qua Pauli vinctæ ſunt manus, illã ego præponerem. Si quis me collocaret, aut ſuprà cum Angelis, aut cum Paulo vincto, carcerem elegiſſem. Si quis me faceret, aut conſeſſorẽ illarum, q̃ ſunt circa thronum, poteſtatum, aut eiuſmodi vinctũ, mallem eſſe talis vinctus. Nihil enim melius, quàm malè aliq d pati propter Chriſtum. Si quis mihi daret, vt mortuos ſuſcitarẽ, nõ hoc elegiſſem, ſed catenam. Etenim nihil eſt illa catena beatius. Cap.19.

Vellem nunc eſſe in illis locis, in quibus manent illa vincula, & videre catenas, quas timent quidem & horrent dæmones, reuerentur autem Angeli. Si ab Eccleſiaſticis curis eſſem remotus, & haberem corpus robuſtum ac validum, non recuſarem tantam ſuſcipere peregrinationem, vt viderem catenas & carcerem, in quo vinctus erat Paulus. Si quis mihi concederet, vt viderem Paulum è cælo deſpicientem, & vocem emittentem, aut è carcere, mallem è carcere. Qui enim ſunt in cælo, ad eum veniunt, quando eſt in carcere. O beata vincula, ô beatas manus, quas ornauit illa catena, quæ Paulo eſt impoſita. Non erant tam venerandæ eius manus, quæ Lyſtris claudum excitârunt, quàm quæ erant circundatæ vinculis. Cap.20. Vide quanti faciat magnus hic doctor Pauli catenas. Act. 14.

Si fuiſſem ego illis temporibus tunc ego eas maximè eſſem complexus, & meis pupillis impoſuiſſem. Nõ ceſsâſſem deoſculari manus, quæ dignæ ſunt habitæ, quæ pro meo Domino vincirentur. Non tam beatum eſſe cenſeo, quòd raptus fuerit in tertiũ vſque cælum, & in paradiſum, quàm quòd coniectus ſit in carcerem. Non tam eum beatum pronuncio, quòd verba audierit, quæ homini loqui nõ licet, quàm quòd vincula ſuſtinuerit. Etenim ſunt hæc illis quoq; multo maiora. Eſt enim mihi magis expetendum, vt malè patiar pro Chriſto, quàm vt honorer à Chriſto. Cap.21. 2. Cor. 12.

Hoc Paulus quoq; cogitans dicebat, vt eſt veriſimile: Si ipſe qui propter me factus eſt ſeruus, & gloriam exinanijt, non exiſtimabat ſe vnquam tam eſſe in gloria, quàm quando pro me fuit crucifixus, quid me non oportet pati? Audi enim eum dicentem: Glorifica me tu pater. Quid dicis? Ad Crucem duceris cum latronibus & ſepulchrorum effoſſoribus. vt ſceleratorum & execrandorum hominum mortem ſubeas, es cõſpuendus, & alapas ſubiturus, & hæc gloriam vocas? Certè, inquit. Nam pro his, quos diligo, hæc patior, & hæc meritò eſſe gloriam exiſtimo. Si ergo Dominus meus, qui miſeros dilexit & miſerabiles, eam rem vocat gloriam, & eam præfert gloriæ, quæ eſt in ſede paterna, multo magis ego hæc debeo putare gloriam. Cap.22. Iohan.17.

Sic Pauli anima nihil eſt beatius. In quibuſnam autem gloriatur? In vinculis, in afflictionibus, in catena, in ſtigmatibus. Vado enim, inquit, Hieroſolyma alligatus ſpiritu, quæ in ea euentura mihi ſunt, ignorans, niſi quòd ſpiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quòd vincula & afflictiones Hieroſolymis mè manent. Propter hoc ergo, vt vinciar propter Chriſtum, vt moriar propter ipſum. Non ſolùm enim alligari, ſed etiam mori paratus ſum propter nomẽ Domini mei Ieſu. Quid hoc ergo eſt? Non erubeſcis, non vereris orbem terræ captiuus obiens? non times ne quis Deum tuum damnet imbecillitatis? ne quis propterea non accedat? Non talia ſunt, inquit, mea vincula: ſciunt, inquit, reſplẽdere vel in regnis. Vt vincula mea, inquit, manifeſta fierent in omni Prætorio, & multi ex fratribus in Domino, confiſi meis vinculis, multo magis ſine metu auderent verbum Dei loqui. Cap.23. Act.20. Act.21. Philip.1.

Vides vinculorum maiorem potentiam, quàm mortuorum reſurrectionis? Vinctus fuit Romæ, & plures attraxit. Vinctus fuit Hieroſolymis, & vinctus concionans Regem obſtupefecit, & Præſidem metu affecit. Metu enim affectus eum dimiſit. Vinctus nauigauit, & naufragium prohibuit & ſedauit tempeſtatẽ. Cùm eſſet ipſe in vinculis, illud venenatum cum tetigit animal & eo illæſo cecidit. Vide autem hoc vbiq; fieri. Nam cùm multas ei plagas impoſuiſſent, & eſſet vinctus, idq; rurſus validè (cum enim in interiorem coniecerant cuſtodiam) vel in his tunc valdè ſecurus, media nocte, quando valdè remiſſi dormiunt, canebat & Deum laudabat. Quid hac anima eſſe poſſit magis adamantinum? Cogitabat enim pueros quoque in igne ceciniſſe & in fornace. Fortè enim ratiocinabatur: Ego nihil tale paſſus ſum. Cap.24. Actor.25. 26. 27. 28. 16. Dan.3.

Sed rectè faciens oratio, me ad alia rurſus eduxit vincula, & alium carcerem. Quid agam? Volo tacere, ſed nõ poſſum. Inueni alterum carcerem, illo multo mirabiliorẽ. Sed nunc arrectis mihi adeſte animis, perinde ac ſi nunc incipiam orationem, mentẽque adhibete alacrem & vegetam. Volo orationem abrumpere, ea autẽ non p̃mittit. Cap.25.

Non poſſum quieſcere,non poſſum tacere:multa me circunfluunt. Neſcio quid primum dicam,quid ſecundum. Quamobrem rogo,ne quis à me poſtulet ordinem. Magna eſt rerum cognatio. Longa fuit Pauli catena,& diù nos detinuit.

Cap. 26. Sed non propterea tacebo. Si enim ipſe in carcere non tacuit,nec in flagellis,ego ſilebo ſedens,cùm dies ſit, & loquens in magna animi quiete & relaxatione. Et quomodò hoc fuerit conſentaneum. Quis enim non ſtupeat,quis non admiretur,vel potiùs,quis pro dignitate ſtupeat & admiretur,nobilem illam, & magnitudine cælo parem Pauli animam,quòd vinctus & incluſus,& tanto interuallo diſiunctus,ſcripſit ad Philippenſes? Scitis enim, quantum ſit ſpatium inter Romam & Macedoniam. Sed neque viæ longitudo,neque temporis diuturnitas,neque moleſtia ac turba negociorum,neque periculum & mala frequentia, neque aliquid aliud charitatem & memoriam expulit diſcipulorum: ſed de eis omnibus in animo cogitabat, & non tam catenis vinctæ erant eius manus,quàm deſiderio diſcipulorum alligata erat & fixa anima. Et quomodò Rex,qui thronum manè aſſcendit,& ſedit in aula regia, protinus innumerabiles vndiq; accipit epiſtolas:ita ille quoq; ſedens in carcere,tanquam in aula regia,longè plures frequenter accipiebat,& mittebat literas ijs, quæ vbique erant, gentibus,ad illius ſapientiam de ſuis rebus omnia referentibus. Et eo plura, quàm Imperator,adminiſtrabat negocia,quo maius ei creditum fuerat Imperium.

S. Paulus vinctus, ſcribit ad Philippenſes.

Cap. 27. O Pauli potentiam. Implicatus erat catenis, & diademate redimitum Neronem feriebat. Sordidis erat indutus pannis,vt qui habitaret carcerem: & magis quàm purpura,omnes conuertebat ad vincula ſibi impoſita. Super terram ſtabat retentus,& deorſum intuens: & eo dimiſſo, qui erat in curru aureo,omnes illi attendebant:idq; meritò.erat enim vſitatum ſpectaculum, videre Imperatorem in albo curru ſedentem: hoc autem erat nouum & admirabile,videre captiuum æquè liberè alloquentem Imperatorem,atque Imperator ſeruum vilem & miſerabilem.

Paulus vinctus Nerone ſublimior.

Cap. 28. Magna circunſiſtebat multitudo,& erant omnes ſerui Imperatoris: admirabantur autem eum, non ſuum dominum. Verumenimuerò non animaduertebant ſe leonem laudare ex vnguibus,cùm oporteret dicere ea,quæ verè erant. Quænam verò ea ſunt? Ea, quæ ſunt in cælis. Quando veniet cum Rege cælorum, eum præclaro curru: quomodò tunc Nero ſedebit mœſtus & triſtis? Si enim nondum erat tempus coronarum,& athleta tantum eſt honorem conſecutus: quando venerit athleta, quanto honore fruetur? Erat inter alienos hoſpes & peregrinus,& ſi in tanta tunc habetur admiratione:quando fuerit inter ſuos, quid non boni conſequetur? quid non participabit?quid non adipiſcetur?

Cap. 29. Nullus Romæ Imperator tantum eſt honorem aſſecutus, quantum Paulus. Sed Imperator quidem foris iacet alicubi,Paulus autem tenet medium ciuitatis,tanquam regnans & viuens. Si autem hic vbi ſuſtinuit perſecutionem,& vbi fuit vexatus & agitatus,tantum eſt honorem conſecutus:quando venerit,quid erit? Si vbi erat tabernaculorum opifex,fuit adeò ſplendidus:quando venerit,ſplendore contendens cum radijs ſolis.quid erit?Si cum tanta humilitate tantam ſuperauit magnificentiam, quando venerit,quid erit? Res non licet effugere. Quis non pudore afficitur, quòd tabernaculorum opifex in maiore fuerit honore,quàm is,qui in maiori habitus eſt admiratione,quàm omnes Reges?ſi autem hic ea facta ſunt,quæ ſunt ſupra naturam, in futuro quanto magis?

S. Paulus plus honoris eſt conſequutus, quàm Imperatores.

Cap. 30. Quid in mundi gloria eſt Alexandro glorioſius, aut quid ſublimius? Non viuus multa magna geſſit & præclara? Non & gentes, & vrbes ſubiegit,& bella multa vicit & prælia,& erexit trophæa? Non exiſtimatus eſt eſſe Deus tertiuſdecimus à ſenatu Romanorum?ſed quòd viuus quidem bella rectè gereret,& victorias obtineret, cùm & Rex eſſet,& exercitus haberet,nihil mirum. Poſt mortem autem & ſepulturam, vbique & in terra,& in mari quotidiè tam multa facere,hoc eſt, quod maximam affert admirationem. Vbi enim eſt (dic mihi) corpus Alexandri?oſtende mihi & dic diem,in quo deceſſit. Sed non poteris. Pauli enim & præclarum corpus viderit, qui ad maximè regiam venerit ciuitatem, & illuſtrem eius mortis diem vniuerſus orbis terræ celebrat. Et res quidem illius,etiam ſui ignorant: res autem huius ſciunt etiam barbari: & Chriſti ſerui ſepulchrum eſt regijs atrijs ſplendidius. Nam ipſe quoq;, qui eſt indutus purpura,vadit corpus illius complexurus,& faſtu depoſito, conſiſtit orans mortuum,vt eius curam gerat apud Deum. Et tabernaculorum effectoris,& piſcatoris,& mortui, tanquam defenſoris eget is,qui eſt redimitus diademate. Idque videris non ſolùm Romæ fieri,ſed etiam Conſtantinopoli. Etenim hic quoque magnum Conſtãtinum

Alexander Magnus.

Pauli feſtus dies.

tinum ſe magno honore eſſe affecturum exiſtimauit filius, ſi eum deponeret in veſtibulis piſcatoris. Et quod ſunt ianitores in regia Imperatorib⁹, hoc ſunt in corpore Reges piſcatoribus. Et hi quidem, tanquam loci domini, tenent interiora: illi autem tanquam accolæ & vicini, ſatis habuerunt, ſi ianua aulæ eis attribueretur. Et Reges quidē miniſtrorum & famulorum: qui ſunt autem ſubiecti, tenent locum Regum.

Quis nunc mihi dederit, vt Pauli circunfundar corpori, & ſepulcro affigar, & videam puluerem illius corporis, per quod peruaſit vniuerſum orbem terræ? quod, q̄ deerant, Chriſto ſuppleuit? quod ſtigmata portauit? quod prædicationem vbique ſeminauit? Puluerem corporis, per quod Chriſtus eſt locutus, lux illuxit quouis fulgore lucidior? & vox illuxit quouis tonitru dæmonibus terribilior? Neque enim tonitru eſt tam nobis terribile, quàm illa vox fuit dæmonibus. Si enim horrebant eius veſtes, vocem quoque multo magis. Huius oris vellem videre puluerem, per quod Chriſtus magna locutus eſt, & arcana, & maiora, quàm per ſeipſum: per quod beatū illud verbum eſt locutus, Vellem eſſe anathema pro meis fratribus: per quod locutus eſt corā Regibus, & non erubuit: per quod fugiebant dæmones, non ſolùm loquentem audiētes, ſed etiam cùm procùl eſſent: per quod compoſuit omnia, quæ ſunt in terra, quinetiam ea, quæ ſunt in cælis, quomodò voluit adminiſtrauit, illic ligans & ſoluens quos volebat, pro ſibi data poteſtate. Cap. 31. Nota de ſacris reliquijs. Rom. 9.

Quis mihi oſtenderit puluerem Pauli cordis, quod in vnoquoque eorum, qui peribant, inflammabatur, & infantes abortiuos iterum parturiebat? Hoc deſiderarem videre vel diſſolutum, quod eſt cælis ſublimius, orbe terrarum latius, radio ſplendidius, igne calidius, adamante validius, quod nouam vixit hanc vitam, nempè noſtram. Viuo enim iam non ego, viuit autem in me Chriſtus, inquit. Fuit ergo cor illius cor Pauli, & tabula ſancti ſpiritûs, & liber gratiæ: quod dignum fuit habitum, vt Chriſtum amaret, vt nemo alius: quod mortem deſpiciebat & gehennam, & conterebatur à fraternis lachrymis. Quid enim facitis flentes, inquit, & conterentes cor meum? Vellem videre puluerem manuum Pauli, quæ erāt in catena, per quarum impoſitionem ſuppeditabatur ſpiritus, per quas diuinæ ſcribebantur literæ. Vidiſtis enim, inquit, quòd literis ad vos ſcripſi manu mea. manus illas, quas cùm vidiſſet vipera, cecidit in rogum. Cap. 32. 2. Cor. 11. Galat. 2. Act. 21. Galat. 6. Act. 28. Acto. 9.

Vellem videre puluerem oculorum, qui pulchrè fuerunt occæcati, qui rurſus adſpexerunt ad ſalutem orbis terræ, qui digni ſunt habiti Chriſtum videre in corpore. Vellem illorum quoque pedum videre puluerem, qui orbem terræ obiêrunt, & non fuêre defatigati, qui in ligno vincti erant, quando fuit terræmotus in carcere, qui tam habitabilem, quàm inhabitabilem orbis regionem peruaſerunt. Et quid opus eſt dicere ſingula? Vellem illum ipſum videre leonem ſpiritalem. Quomodò enim leo ignē ex oculis emittens in greges vulpium, ita in dæmonum & philoſophorum irruebat cateruam, & tanquam aliquod fulmen immiſſum irrumpebat in turmas diaboli. Neque enim diabolus aduerſùs eum prodibat in aciem, ſed vſqueadeò timebat & tremebat, vt ſi vel vmbram vidiſſet, & vocem audiuiſſet eminus, protinus aufugeret. Cap. 33.

Cogitate & ſtupete quale ſit Roma viſura ſpectaculum, Paulum repentè ſurgentem è capſa cum Petro, & ſe extollentem, vt Chriſto fiat obuiàm: quale donū ſit Roma ad Chriſtum miſſura quibuſnam ſit duab⁹ coronis redimita, quibuſnam ſit aureis cincta catenis. Cælum non eſt tam ſplendidum, quando Sol emittit radios, quàm ciuitas Romanorum has duas emittens lampadas per vniuerſum orbem terræ. Quænā ergo oratio ſufficiet pulchris Pauli factis enarrandis? Aut quænam poterit lingua cōſequi huius encomia? Siue enim Prophetæ præclarum aliquid effecerunt, ſiue Patriarchæ, ſiue iuſti, ſiue Apoſtoli, ſiue Martyres, hæc omnia Paulus adeò ſummè habet cōpræhenſa, vt nullus magis illorum poſſederit id, quod habebat, bonum. Cap. 34. Nota Lector.

Quando ergo quæcunque ſunt bona inter homines, ita vna compræhendit anima, & omnia inſigniter: non ſolùm autem quæ ſunt hominum, ſed etiam quę Angelorū, quomodò aſſequemur laudum magnitudinem? Qua non ergo fuerimus digni condēnatione, ſi cùm vnus homo omnia in ſe bona ſit complexus, nos ne minimā quidem eius partem imitari ſtudeamus? Nam ex multis quidē alijs rectè factis habetur Patriarcha in admirationem, maximè autem ex eo, quòd ſuum ſacrificauit filium. Iſaac verò propter patientiam, quòd cùm à ſuis expelleretur finibus non reſtitit, ſed ſuis omninò ceſſit poſſeſſionibus, donec eorum, qui ei moleſtiam afferebāt, iniuſtam ſatiauit cupiditatem. Porrò autem Iacob quoque propter fortitudinem atque patientiam. Et Dauid propter manſuetudinem. Et Elias, quòd fuerit zelo percitus pro Domino. Cap. 35. Gen. 22. 26. 31. 3. Reg. 19.

Sed

Cap.36. Sed quid cum Paulo fuerit conferendum, qui hæc omnia ſimul inſigniter eſt complexus? Neque enim ipſe ſacrificauit filium, ſed ſeipſum ſacrificauit millies. Nec ex proprijs ſolùm fuit expulſus finibus, ſed & terram, & mare, & Græciam, & Barbariam, & vniuerſam, vt ſemel dicam, terram, quantam Sol adſpicit, obijt, tanquam alatus, tractus, verberatus, lapidibus appetitus, quotidiè moriens: Neque bis ſeptem annos ſeruijt, æſtu diei aduſtus, & frigus noctis perpeſſus: ſed totam vitam tranſigens in fame & nuditate, catenisque, carceribus, inſidijs & periculis. Lenitatem verò & manſuetudinem quis magis quidem, immò verò quis æquè atque Pauli anima, vtraque hæc factis rectè præſtitit? Si autem eius zelum adſpexeris, tantùm videbis eum ſuperare Eliam, quantùm ille fuit alijs Prophetis ſuperior. Sed Iohannes quidem comedebat locuſtas & mel agreſte: hic autem verſabatur in medio orbe terrarum, ſicut ille in deſerta ſolitudine, locuſtas quidem & mel agreſte non comedens, ſed hac longè frugaliorem ſibi menſam apponens, & nec neceſſarium quidem habens alimentum, propter ſtudium prædicationis.

2.Cor.11.

Matt.3.

Cap.37. Malac.3. Matt.11. Reſtat de cæterò, vt eum exequemus Angelis. Nemo autem id, quod dicimus, nimiæ arguat audaciæ. Si enim Iohannem ſcriptura vocauit Angelum, quid mirum, ſi eum, qui eſt omnium præſtantiſſimus, contulerimus cum illis poteſtatibus? Etenim quidnam ſit homo, & quanta ſit noſtræ naturæ nobilitas, & quantæ virtutis ſit capax hoc animal, maximè omnium hominum oſtendit Paulus. Et nunc ſtat, ex quo factus eſt, clara voce Dominum defendens aduersùs eos, qui noſtram repræhendunt conſtitutionem, & oſtendens inter Angelos & homines non multùm intereſſe, ſi nobis velimus attendere. Non aliam enim ſortitus naturam, neq; aliam adeptus animam nec alium mundum habitans, ſed in eadem regione, legibuſque & moribus educatus, omnes homines ſuperauit qui fuerunt, ex quo nati ſunt homines. Et quomodò mortuus in mortuum fuerit immobilis, ita naturæ inſultus accuratè ſopiens, in nulla re humani aliquid vnquam paſſus eſt.

Cap.38. Si ergo Paulus, qui tot rebus rectè geſtis erat præclarus, & tanquam Angelus videbatur in terra, quotidiè ſtudebat lucrifacere, & ſtare in acie aduersùs pericula veritatis, & ſibi merces colligere ſpiritales, & nunquam conſiſtere: quænam fuerit relicta nobis excuſatio, qui non ſolùm ſumus vacui omnibus recte factis, ſed etiam tam multis ſubiecti delictis, quorum ſi vel vnum nobis adſit, ſufficit ad nos deducendos in barathrum perditionis: & nihil ſtudij ponimus, vt ea ſaltem corrigamus: tantùm abeſt, vt virtutis opera attingamus? An non erat ille eiuſdem, cuius nos ſumus, naturæ? Incendor enim huius viri deſiderio, & ideò non ceſſo circa idem aſſiduè verſari, & tanquam ad exemplar aliquod archetypum ad eius animam intuens, conſidero vitiorum deſpicientiam, inſignem magni fortiſque animi virtutem, amoris in Deum ardorem, & valdè miror, quemadmodùm in vniuerſo quidem virtutum cœtu vnus homo volens ſe rectè geſſerit: noſtrum autem vnuſquiſque ne in re quidem qualicũque ſe velit rectè gerere.

Cap.39. Quis nos liberabit à ſupplicio ineuitabili, cùm Paulus tantam oſtenderit virtutem, qui eſt eiuſdem nobiſcum naturæ particeps, qui eſt obnoxius eiſdem animi perturbationibus, qui conflictatus eſt cum tanta temporum difficultate, & quotidiè, vt ſemel dicam, trahebatur, lacerabatur, & publicè conuellebatur ab ijs, qui bellum gerebant aduersùs prædicationem? Ne autem ex noſtra lingua audiat aliquis, quæ hic beatus rectè geſſit, magnique & excelſi animi virtutem, quam quotidiè oſtendit pro prædicatione Euangelij, neceſſe eſt ipſum audire dicentem: In eo autem, quod audet aliquis (in inſipientia dico) audeo & ego.

2.Cor.11.

Cap.40. Conſidera pium & religioſum animum: Non ſolùm audaciam rem vocat, ſed etiam inſipientiam, nos erudiens, non temerè abſque neceſſitate, nemine cogẽte, glorioſè proferre quæ à nobis facta ſunt, ſi aliqui ex nobis inuenti fuerint, qui aliquid boni fecerint. Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego. Propter hoc, inquit, ſibi placent, & ſe magnificè circunſpiciunt. Ne exiſtiment nos his defici: Nam nos quoque ſumus eorundem participes. Deinde ſubiunxit: Miniſtri Chriſti ſunt? Deſipiens loquor, Plus ego.

Ibidem.

Ibidem.

Cap.41. Pauli ingẽs modeſtia. Hic mihi contemplare beatæ huius animæ virtutem. Quoniam enim & audaciam & inſipientiam vocauit id, quod ab eo factum eſt, etiamſi eſſet ad tantam redactus neceſſitatem, ne ſic quidem contẽtus fuit ijs, quę dicta ſunt: ſed quando erat oſtenſurus ſe eos longè ſuperare, ne quis exiſtimaret eum hæc loqui inductum nimio ſui amore, rurſus vocat inſipientiam id, quod à ſe dicitur, propemodùm dicens: An non ſcio me rem

rem facere,quæ vulgò fit,& quæ me non decet?Sed me cogit multa,quæ eò me impulit,neceſſitas.Quarè mihi,inquit,ignoſcite loquenti verba inſipientiæ.

Huius vel vmbram ſaltem nos imitemur,qui tam multa peccatorum onera habemus impoſita. O ſępè,ſi paruum aliquid rectè geramus,ne hoc quidem ſuſtinemus recondere intra cordis penetralia:ſed propterea quòd hominum venemur gloriam,id glorioſè traducimus. & in medium proferimus, & propter intempeſtiuas has nugas nos Dei priuamus remuneratione.Sed non ſic ille beatus:ſed cùm dixiſſet, Plus ego: enumerat deinceps ea,quæ fortiter geſſerat,& dicit: In laboribus abundantiùs,in plagis ſupra modum,in mortibus frequenter.Quid dicis?Nouum quid eſt & admirabile id quod à te dicitur. Licétne mortem ſępè ſubire?Certè,inquit,ſi non experientia quidem,at voluntate:docens nos,quòd aſſiduè talia adibat pericula propter prædicationem,quæ mortem ei pariebant. Sed Dei gratia in ipſis medijs periculis conſeruabat athletam,vt ad diſcipulos magna ex eo rediret vtilitas. Cap. 42. Qui hominum venatur laudes, ſe Dei priuat remuneratione. Paulus vt crebrò mortuus.

Id autem rurſus,quod deinceps ſubiungitur,vt ſemel dicam, obſcurat omnia, quæ dicta ſunt. Quis enim,inquit,eſt infirmus,& ego non ſum infirmùs? Quis ſcandalizatur,& ego non vror?Papę,quanta eſt huius viri benignitas & beneuolentia,quanta vigilantia,quanta ſolicitudo? Cuiuſnam matris ſic diſſecabantur viſcera,eius filio febricitante,& in lecto iacente,vt hic ſanctus pro his,qui erant in vnoquoq; loco infirmi,magis erat infirmus,& pro ijs,qui ſcandalizabantur, vrebatur? Conſidera enim mihi emphaſim dictionis. Non dixit,Quis ſcandalizatur,& ego nō crucior?Sed vror, inquit,nobis intenſum dolorem ſignificās & mirum in modum oſtendens,ſe intrinſecùs inflammari & accendi pro ijs,qui patiuntur ſcandala. Cap. 43.

Scio me extendiſſe orationem in magnam longitudinem. Sed neſcio quomodò cùm incidiſſem in diuitias rectè factorum huius ſancti, tanquam ab aquarum vehementiſſimo impetu lingua mihi trahebatur. Quamobrem in hoc loco ſiſtens orationem,rogo veſtram charitatem,vt eum aſſidue in mente circunferatis, & hoc aſsiduè cogitetis,quòd cùm eandem,quam nos,haberet naturam,& eſſet ſubiectus iiſdem affectionibus,eſſetq; eius ſtudium vile & abiectum,vt qui pelles conſueret,& ſtaret in officina,poſtquam ſe voluit dedere virtutis laboribus,& ſe dignum reddere,qui ſuſciperet Spiritum ſanctum,largam munificentiam fuit conſecutus à ſuperis. Quam detur nobis conſequi gratia & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria & potentia cum Patre & ſancto Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum nunquam deſinentium, Amen. Cap. 44. Acto. 18.

DE CASSIO NARNIENSI EPISCOPO, AVTHORE S. GREGORIO PAPA.

NEQVE hoc Petre ſileam,quod multi nūc, qui hîc de Narnienſi ciuitate adſunt, mihi ſedulò teſtificantur. Eodem nanque Gotthorum tempore, cùm præfatus rex Totila Narnijs veniſſet,ei vir vitæ venerabilis Caſſius eius vrbis Epiſcopus,occurrit. Cui quia ex conſperſione ſemper facies rubere conſueuerat, hoc rex Totila non conſperſionis eſſe credidit,ſed aſſiduæ potationis,eumq; omnimodò deſpexit. Sed omnipotens Deus,vt quantus vir eſſet qui deſpiciebatur,oſtenderet,in Narnienſi campo quò rex aduenerat,malignus ſpiritus coram omni exercitu eius ſpatharium inuaſit,eumq; vexare crudeliter cœpit. Qui cùm ante regis oculos ad venerandum virum Caſſium fuiſſet adductus,hunc ab eo vir Domini,oratione facta,ſigno Crucis expulit:qui in eum ingredi vlteriùs non præſumpſit. Sicq; factum eſt, vt rex barbarus ſeruum Dei ab illo iā die veneraretur ex corde,quem deſpectum valdè iudicauit ex facie. Nam quia virum tantæ virtutis vidit,erga eum illa mens effera ab elationis faſtu detumuit. 29. Iunij. Dialog. lib. 3. cap. 6. Signo Crucis pellit dæmonem.

Item ex eiuſdem Homilia 37. in Euangelia.

AVdiſtis dicentem Dominum,fratres chariſsimi. Aut quis rex iturus committere bellum aduersùs alium regem, nónne ſedens priùs cogitat,ſi poſsit cum decem millibus occurrere ei,qui, cum viginti millibus venit ad ſe? Alioquin adhuc illo Luc. 14.

longè

longè agente, legationem mittens, rogat, ea, quæ pacis ſunt. Rex contra regem ex æquo venit ad prælium, & tamen ſi ſe perpendit non poſſe ſufficere, legationem mittit, & ea quæ pacis ſunt poſtulat. Quibus ergo lachrymis nos ſperare veniam debemus qui illo in tremendo examine cum rege noſtro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirùm conditionis infirmitas & cauſa inferiores exhibet? Sed fortaſſe iam mali operis culpas abſcidimus, iam parua quæq; exteriùs declinamus. Nunquid ad reddendam rationem cogitationis noſtræ ſufficimus? Nam cùm viginti millibus venire dicitur is, contra quem minimè ſufficit iſte, qui cum decem millibus venit. Decem millia quippe ad viginti millia, ſimplum ad duplum ſunt. Nos autem ſi multùm proficimus, vix exteriora noſtra opera in rectitudine ſeruamus. Nam etſi iam luxuria carnis abſciſſa eſt, tamen adhuc à corde funditùs abſciſſa non eſt. Ille autem qui iudicaturus venit, exteriora ſimul & interiora iudicat, facta pariter & cogitationes penſat. Cum duplo ergo exercitu contra ſimplum venit, qui nos vix in ſolo opere præparatos, ſimul de opere & cogitatione diſcutit. Quid igitur agendum eſt, fratres chariſſimi, niſi vt dum nos cum ſimplo exercitu contra duplum illius ſufficere non poſſe cōſpicimus, dum adhuc lōgè eſt, legationem mittamus, rogemus ea, quæ pacis ſunt? Longè enim eſſe dicitur, qui adhuc præſens per iudicium non videtur. Mittamus ad hunc legationem, lachrymas noſtras, mittamus miſericordiæ operam: mactemus in ara eius hoſtias placationis, cognoſcamus nos cum eo in iudicio non poſſe contendere. Penſemus virtutem eius fortitudinis, rogemus ea, quæ pacis ſunt. Hæc eſt noſtra legatio, quæ regem venientem placat. Penſate fratres quàm benignum ſit, quòd is, qui ſuo aduentu valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc, vt diximus, legationem noſtram flendo, tribuendo, ſacras hoſtias offerendo. Singulariter nanq; ad abſolutionem noſtram, oblata cum lachrymis & benignitate mentis ſacri altaris hoſtia ſuffragatur: quia qui in ſe reſurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.

Sacri altaris hoſtia quid præſtet.

Multos, vt arbitror, veſtrûm, fratres chariſſimi, contigit noſſe hoc, quod volo ad memoriam veſtram narrando reuocare. Non longè à noſtris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hoſtibus captus, longè traductus eſt. Cumq; diù teneretur in vinculis, cùm vxor ſua eum ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo, hoſtias hebdomadibus ſingulis curabat offerre. Cuius toties vincula ſoluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge hoſtiæ fuiſſent oblatæ pro animæ eius abſolutione. Nam longa poſt tempora reuerſus, admirans valdè, indicauit vxori ſuæ, quòd diebus certis hebdomadis ſingulis eius vincula ſoluebantur. Quos videlicet dies eius vxor atq; horas diſcutiens, tunc recognouit eum abſolutum, cùm pro eo ſacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo fratres chariſſimi, hinc certa conſideratione colligite, oblata à nobis hoſtia ſacra quantum in nobis ſoluere valeat ligaturam cordis, ſi oblata ab altero, potuit in altero ſoluere vincula corporis.

Nota vim ſacrificij Miſſæ.

Multi veſtrûm, fratres chariſſimi, Caſſium Narnienſis vrbis epiſcopum nouerunt, cui mos erat quotidianas hoſtias offerre Deo, ita vt penè nullus dies vitæ eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiā placationis immolaret. Cui cū ſacrificio valdè etiam concordabat vita. nam cuncta, q̄ habebat, in eleemoſynis tribuens, cùm ad horā offerendi ſacrificij veniſſet, velut totus in lachrymis defluēs, ſemetipſum cū magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam & exitū quodam venerabilis vitæ diacono, qui ab eo fuerat nutritus, referēte cognoui. Aiebat enim, ꝙ quadā nocte eius preſbytero per viſum Dominus adſtitit, dicens: Vade & dic epiſcopo: Age quod agis, operare quod operaris: nō ceſſet pes tuus, nō ceſſet manus tua: natali Apoſtolorū venies ad me, & tribuam tibi mercedē tuam. Surrexit presbyter: ſed quia è vicino Apoſtolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitûs diem epiſcopo nunciare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiuſq; inobedientiam vehementer increpauit, atq; eadem iuſſionis ſuæ verba retexit. Tunc presbyter ſurrexit, vt pergeret, ſed rurſus infirmitas cordis, impedimentum facta eſt indicandæ reuelationis. Ad admonitionem quoque iteratæ iuſſionis obduruit pergere, & quæ viderat, manifeſtare neglexit. Sed quia magnam manſuetudinem contemptæ gratiæ maior ſolet ſequi ira vindictæ, viſione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit verbera, & tam diſtricta cæde mactatus eſt, vt in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Epiſcopum, eumq; iam ex more iuxta beati Iuuenalis martyris ſepulcrum ad offerendum ſacrificium conſiſtentem reperit, ſecretum a-

S. Caſſius quotidiè Miſſam celebrat.

Presbyter inobediens diuinitùs flagellatur.

circunſtantibus petijt,ſeq; eius pedibus ſtrauit. Cumq; eum vbertim flentem Epiſcopus vix ad ſe leuare potuiſſet,lachrymarum cauſas cognoſcere ſtuduit. Ille verò relaturus ordinem viſionis,priùs veſtimento ex humeris deuoluto,detexit plagas corporis(vt ita dicam)teſtes veritatis & culpæ monſtrauit, quanta animaduerſione diſtrictionis membra illius accepta verbera liuore inflicto ſulcauerant. Quæ mox vt epiſcopus vidit,exhorruit,& quis ſibi talia facere præſumpſiſſet, cum magnæ obſtupefactionis vocibus inquiſiuit At ille reſpondit,hæc ſe pro ipſo fuiſſe perpeſſum. Excreuit cũ terrore admiratio. Sed nullas iam presbyter inquiſitioni eius moras adijciẽs,ſecretum reuelationis aperuit,eiq; iuſſiones Dominicas,per ea quę audierat verba narrauit, dicens: Age quod agis,operare quod operaris: non ceſſet manus tua, non ceſſet pes tuus: natali Apoſtolorum venies ad me,& retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis,epiſcopus in oratione ſe cum magna cordis contritione proſtrauit. Et qui oblaturus ſacrificium ad horam tertiam venerat,hoc pro extenſæ orationis magnitudine,ad horam nonam vſq; protelauit:atq; ex ipſo iam die magis magiſq; aucta ſunt ei lucra pietatis,factuſq; eſt tam fortis in opere,quàm certus ex munere: quippe qui eũ, cui debitor ipſe fuerat,ex ea promiſſione,iam cœperat habere debitorem.

Huic autem conſuetudo fuerat,ſingulis annis natalitio Apoſtolorum die Romam venire:iamq; ex hac reuelatione ſuſpectus,venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore ſolicitus fuit, ſecundo quoq; anno vel tertio in mortis ſuæ expectatione ſuſpenſus, quarto quintoq; & ſexto ſimiliter. Qui deſperare iam de veritate reuelationis poterat,ſi verbis fidem verbera non feciſſent. Cùm ecce anno ſeptimo vſq; ad expectati natalis ſacras vigilias incolumis peruenit, ſed lenis hunc in vigilijs calor attigit, atque ipſo die natalitio filijs ſuis ſe expectantibus, Miſſarum ſolennia implere ſe poſſe recuſauit. Illi verò,qui de eius erant egreſſione pariter ſuſpecti,ſimul ad eum omnes venerunt,ſeſe vnanimiter adſtringentes, vt die eodem nequaquam acquieſcerent Miſſarum ſolennia celebrare,niſi pro eis ad Dominum idem antiſtes ſuus interceſſor accederet. Tunc ille compulſus, in Epiſcopi oratorio Miſſas fecit, & manu ſua corpus Dominicum, pacemq; omnibus tribuit. Qui cũcto miniſterio oblati ſacrificij peracto, ad lectulum redijt, ibiq; iacens, dum ſacerdotes ſuos ac miniſtros circunſtetiſſe ſe cerneret,quaſi vale vltimum dicens,de ſeruando eos vinculo charitatis admonebat,& quanta debuiſſent concordia inter ſe vniri,prædicabat: tum ſubitò inter ipſa ſanctæ exhortationis verba,voce terribili clamauit,dicens: Hora eſt. Moxq; aſſiſtentibus ipſe ſuis manibus linteum dedit,quod ex more morientium ſibi contra faciem tẽderetur. Quo tenſo,emiſit ſpiritum. Sicq; ſancta illa anima ad gaudia æterna perueniens,à carnis corruptione ſoluta eſt.

Sacræ vigiliæ natalis Apoſtolorum.

Feliciſſimæ ſancti viri obitus.

Quem fratres chariſſimi,quem vir iſte in morte imitatus eſt,niſi eum, quem in vita ſua fuerat contemplatus? Dicens enim,Hora eſt,de corpore exijt:quia & Ieſus,peractis omnibus, cùm dixiſſet, Conſummatum eſt, inclinato capite, tradidit ſpiritum. Quod ergò Dominus,fecit ex poteſtate,hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidianæ hoſtiæ, illa cum eleemoſynis & lachrymis miſſa legatio, quantam cum rege veniente gratiæ pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui poteſt. Qui autem omnia relinquere non poteſt,cùm adhuc rex longè eſt, legationem mittat lachrymarum, eleemoſynarum & hoſtiarum munera offerat. Vult enim placari precibus,qui ſcit quia non poſſit portari iratus.

Iohan. 19.

VITA S. THEOBALDI PRESBYTERI, EREMITAE ET CONFESSORIS, A QVODAM EIVS

contemporaneo fideliter conſcripta, quam ex MS. codice excerptam huic adiecimus Tomo.

PROLOGVS AVTHORIS.

Iunij 30.

ANtiquos dominos & bellicoſos gentium victores, vel ciuitatũ conditores nouimus loquacium poëtarum præconijs, vt ita dicam, ad ſydera tolli, & longiſſimis annalium ſiue hiſtoriarum ambagibus ad memoriã poſterorum verbis crepitantibus audiuimus frequenter vaniſſimo ſtudio lectitando laudari. Quòd ſi laudes falſorum Deorum ſeu ſuorum ſatellitum tãta efficacia verborum adornantur: cur non potiùs ad ædificationem audientium Dei omnipotẽtis gratuita dona quæ ſuis fidelibus quotidiè præſtare non deſinit, omni elegãtia ſermonis, pro vt ipſe annuerit, debemus enarrare? Verus enim propheta & ſaluator mundi, dum de quinq; panibus & duobus piſcibus quinq; milia hominũ

Iohan. 6.

ſaciaſſet, turbis quærentibus ſe conſtituere regẽ, ait: Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Et poſt pauca. Pater meus, inquit, vſq; modò operatur: qui ſine teſtimonio bonitatis ſuæ, nullum ordinẽ ſeculorum patitur: qui Ec-

Attẽde quibus columnis eccleſia Dei ſuſtineatur.

cleſiæ decus in patriarchis & prophetis inchoat, in apoſtolica firmitate ſolidat, in martyrum victoria coronat, in confeſſorum munditia decorat, in virginum floribus exornat. Verè inquam vſq; modò operatur: qui Eccleſiam ſuam, in bello roſis ambit, & in pace lilijs veſtit. Vnde ipſa Eccleſia, ſponſa ſcilicet Dei, amoris telo vulnerata, ſanctis prædicatoribus ait: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Cant. 2.

Per florem quippe tenera virtus inchoantium, per malum vero ſolida operatio per-

Cur eccleſia Dei fulciri floribus & ſtipari malis appetat.

fectorum deſignatur. Eccleſia ergo fulciri ſe floribus poſtulat: quia infirmis quibuſq; inchoantium virtutem prædicari imperat. Stipari malis appetit: quia perfectorum mira facta fidelibus imitanda proponit. Igitur ne ſtudioſas aures audientium, circunlocutione verborum, offendamus, ſimpliciter ac fideliter, prout Deus conceſſerit, cur ita prælibauimus, aperiamus.

INCIPIT VITA.

Cap. 1. Parentes S. Theobaldi, qui fuerint.

IGITVR Theobaldus bonæ indolis vir, gẽte Francorũ, patre Arnulpho, matre verò Giſla oriũdus, territorio Senonẽſi, caſtro autem Prunino educatus: Flos vt ita dicam, è ſpinis erupit. Parentibus verò non ſolùm nobilibus, verũ etiam clariſſimis atq; ditiſſimis enituit. Cuius natiuitatẽ à ſancto Theobaldo Viennenſi Epiſcopo proculdubiò veracium familiarium eius relatione, & quod firmius eſt, matris eiuſdem beati viri aſſertione prænunciatam comperimus. Is etenim Præſul auunculus auiæ ſancti Theobaldi extitit, & ab eodem, æquiuoci nominis vocabulum ſortitus eſt. Qui dum aliquãdo colloquium haberet cum matre dominæ Giſlæ huius beati viri genitrice, inter cætera ait: O generoſa parens gaude & lætare, quia ex te prodiet mater, quæ paritura eſt magni meriti filium, qui omnibus noſtræ affinitatis hominibus præeminebit, & ante Deum & homines magnus vocabitur. Huic etiam præſagio teſtimonium perhibuit,

Qualis ſit futurus, à ſanctis prædicitur.

quædam bonæ voluntatis paupercula, quę iam grauidam matrem beati viri conueniens, verbis ſic ſolatur amicis: Gaude domina, inquiens, quæ in vtero geſtas filium, qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, & ſuorum erit gloria parentum. O decus, ô dulcedo nectarea. Beatus Theobaldus à Præſule prædicitur ſancto, à paupercula, illi euangelicæ viduæ comparanda prænunciatur: vt veraciter illius credatur eſſe membrum, qui à prophetis eſt vaticinatus, ab angelo annunciatus, à militia cæleſtis exercitus collaudatus, à ſtella declaratus, à magis adoratus, brachijs ſenis Simeonis baiulatus, & ab Anna vidua in templo eſt Deus agnitus.

Cap. 2.

Redeamus ad propoſita & videamus de loco vnde tantum decus emanauit. Demũ verò ponamus nomina regum vel principum quorum temporibus vir iſte floruit, vt & chronicæ ſcientiam poſteris relinquamus, & ad laudem beati viri,

ex quanta genealogia prodierit,& ex quali ambitione ſeculi ad voluntariam paupertatem conuerſus fuerit,clariùs enucleare ſatagamus.

Pruuinum caſtrum vbi ſanctum prædiximus ortum,populoſus locus eſt,iuris quōdam illius Odonis famoſi Comitis Campanienſis,cuius propinquum beatum virum fuiſſe clarum eſt. Viguit autem temporibus Henrici Auguſti,& Henrici regis Francorum,& filij eius Philippi. Qui vt adoleſcentiæ attigit metam,non laſciuiā ſecutus eſt mundi,ſed potiùs quicquid præceptorum Dei auditu percipere poterat velut prudentiſſima apis in alueariu m memoriæ ſtudebat conuehere. Mouebat animum adoleſcentis maximè eremitarum ſolitudo,quorum initium extitit Iohannes & Helias,& poſt eos Paulus & Anthonius. Aemulabatur victûs eorum tenuitatem,veſtium aſperitatem,animi contemplationem,& angelorum in ſolitudine contubernium. His igitur & huiuſcemodi facibus accenſus clandeſtina diſceſſione adijt quēdam eremitā in quadam inſula Sequanç latitantem,cui cordis ſui aperuit ardorem non comburentē, ſed illuminantem. Cum quo inito conſilio,aſſumptoq; Gualtero quodā milite ſocio, aſcenſis vterq; equis,cum ſingulis armigeris ád Rhemenſem ciuitatem peruenerūt. Miles ergo Chriſti Theobaldus,relicta domo,patre,matre,fratrib⁹,mācipijs,ampliſſimiſq; prædijs cum omnibus ſeculi pompis,quaſi proximo Paſcha accincturus militię cingulum,cum iam dicto ſocio iter arripuit. Cumque apud ſanctum Remigium in p̄dicta ciuitate hoſpitati fuiſſent,occaſione alloquendorum amicorum,armigeris atq; equis in hoſpitio relictis,pedeſtri itinere noctu ad interiora pertentauerunt progredi. Inuentis verò duobus peregrinis,exuti ſuis optimis ac militaribus indumentis,illorumque induti reſarcitis,vt ita dicam,tapidis, nudis pedibus peruenerunt ad locum, qui dicitur Pitingo,in teutonicorum videlicet regno. Ibique multo tempore voluntariam paupertatem pro Chriſti amore ſuſtinentes,cum multo labore victum ſibi q̄ritabant. Nam ſicut generaliter non ſpecialiter de Ioſeph canitur in pſalmo: manus eorū in cophino ſeruierunt, & vſq; ad viliſſima ac laborioſa ruſticorū opera deuoluti ſunt:ſcilicet lapides ferendo fœnum è pratis ſecando,ſtabula curando, & maximè, vt idem ſimpliciter poſteà referebat,carbones ad opera fabrilia facienda,victum ſibi cum paruo cenſu prouidebant. Tenuiſſimo igitur collecto nummorum quæſtu ad ſepulchrum ſancti Iacobi in Gallicia Hiſpaniæ parte nudis, vt iam diximus, pedibus perrexerunt. Cumque inde reuerterentur, diabolus in itinere humana ſpecie aſſumpta,per obliquum in via ſe proſternens compulit virum Dei ruere. Illo Chriſti nomē inuocante,Cruciſque ſigno ſe muniente,malignus hoſtis euanuit. Nec mirum ſi viro Dei præparauit caſum,qui Domino noſtro Ieſu Chriſto auſus eſt ſuadere ruinam, dicens: Si filius Dei, mitte te deorſum. Treuerenſem demum vrbem cum collega repetens,reperto ibi patre,admodùm contriſtatus eſt. Romam deinde regreſſus deſiderio videndi ſepulchrūm Dei,Venetiam quaſi mare tranſiturus,expetijt.

Quo tempore vixerit,et quæ eius fuerit patria. — *Aſſumit ſui inſtituti ſocium.* — *Frequentat ſacra limina S. Remigij, vrbis Rhemenſis Patroni.* — *Pſal. 80.* — *Vexatur à diabolo.* — *Matth. 4.*

Cap. 3.

Amabilis igitur Domini Theobaldus hac intentionę Italiæ fines oberrans, tandem peruenit ad locum,cui vetuſtas Salanica nomen indidit. Perluſtrato verò loco & Diuina,vt credimus,diſpoſitione,reperit ſaltum adeò ſpatioſum, & ruinas quaſi veteris eccleſiæ. Ibi poſt longinqui itineris fatigationem reſedit,& à dominis loci, habitationis domum ſibi poſcens,libenter illis concedentibus impetrauit. Compacto verò paruo tugurio cōfidenter ibi habitare cœpit,& angelicā vitā in terris actitare inchoauit. Primum à carne & omni pinguedine ſe abſtinuit. Demum vero pane hordeaceo & aqua tantummodò vſus eſt. Ad poſtremum à pane & omni potu ſe abſtinens,fructibus tantùm & herbis,earumq; radicibus aliquantis annis vixit:ſemper vſus cilicio. Diuina igitur diſpoſitione actum eſt, vt proficientibus meritis, omnes eccleſiaſticos gradus vſque ad ſacerdotium in Vincentina Eccleſia adipiſceretur, præſidente eiuſdem eccleſiæ cathedræ Sindekerio Præſule, viro in Eccleſiaſticis & ſecularibus negotijs ſtrenuiſſimo.

Attende viri Dei in victu & veſtitu abſtinentiam. — *Ordinatur ſacerdos.*

Iam verò quis explicet dignè, quas cruces corpori ſuo ſæuus perſecutor induxerit, cùm cotidiè crucem ſuam baiulando Chriſtum ſecutus fuerit,quis dignè valeat enarrare? Quinquennio igitur,vt eius fideles & familiares conteſtātur,nunquam iacendo, ſed ſedendo ſomnum percepit, & hoc tanta peregit cautela, vt quaſi tota nocte in ſomno manſurus,diligenter pannis tegeretur. Poſt abſceſſum vero miniſtri ſui,ſtatim exurgens conticinij tempora in precibus & laudibus Dei, extenſis manibus continuabat. Hora verò ſurgendi ad matutinales hymnos,vt ſuos lateret, ad ſtratum proprium regrediebatur. Illud autē ſtratum primò quidē quædam arrha æqualis ſuperficiei extitit, ſubſtrato quodam lineo linteolo, & capite admoto trunco duriſſimo,

Lectus eius qualis fuerit.

ſuperadditoq́; laneo pileo ſuæ peregrinationis ab æſtu defenſore. Demum verò, cùm omnia corporis ſui membra armâſſet ſupradicto linteolo ſuppoſuit cilicium, & pro archa vſus eſt quodam lato & dolatili ligno. Biennio autem expleto, ex quo vir Dei iam dictum cœperat incolere locum, ſocius eius Gualterus cum bona cõfeſſione naturæ ſoluit debitum, & , vt credimus, coniunctus numero fidelium.

Gualterus ſocius eius, vita defungitur.

Cap. 4. Beato igitur Theobaldo non defuerunt tentamenta antiqui hoſtis, ne videretur illius beatitudinis expers, de qua Iacobus ait: Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Nempe quadam nocte, ipſo in ſtratu recumbente, nec tamen dormiente, malignus ſpiritus, magna vi quatiens parietem affuit, & virum Dei, ad nocturnales hymnos nominatim compellans, ſurgere hortabatur. Cumque ille motus his clamoribus, quendam è fratribus ſe vocare putaret, ad cellulam eius properauit, huncque quieſcentem, obſerato oſtio, inuenit. Diabolica igitur cognita illuſione, Trinitatem ſanctam inuocauit hoſtem, muniendo ſe ſigno Crucis, fugauit, & eum quaſi ruſticorum multitudinem ſecuribus ſyluam proſtrantium diſcedere audiuit.

Iacob. 1.

Signo Crucis dæmonẽ fugat.

Quodam tempore, ſancto legationem pacis agente, dum in plauſtro ſedens apud Leonicum caſtrum flumen nouum pertranſiret, nam præ defectione pedũm non valeoat longiùs progredi, diabolus eum in flumen conatus eſt præcipitare. Vna enim ex rotis plauſtri ſuo ſo nuſquã comparuit. Tamen non præualuit inimicus vt virum Dei aliquatenus humectaret, ſed ita a voragine fluminis, ac ſi leuis pluma ſiue birota inhumectatus exiuit.

Cap. 5. Hactenus in nocte laborum vel tentationum narrationis iter direximus. Nunc ad ea, quæ plena ſunt gaudijs, ſicut in die honeſtè ambulantes, ſuccingamur. Sæpè & frequentiùs, vt veraces & cauti eius familiares, Chriſto teſte, affirmant, viſione Angelica hic beatus meruit viſitari, & aliquando in ſpecie columbæ, aliquando in ſpecie viri, & in alijs ſchematibus, quæ ipſe ſolus nouerat, ſpirituum ſupernorum affatibus dignus fuit mulceri. Quadam die cùm ſua commiſſa lugeret, & more Caleph filiæ irriguum inferius & irriguum ſuperius ſuſpiraret, vox ad eum facta eſt: Noli flere, dimiſſa ſunt tibi peccata tua.

Sancti Angeli eum viſitant.

Ioſue 15. Iudic. 1.

Eodem tempore ſancti Hermogoras & Fortunatus, in quorum honore oratorium cellulæ habebatur conſecratum, cum magna ei claritate apparuerunt atque dixerunt: Gratiam & benedictionem à Deo conſequaris, qui tam ſedulò noſtri memoria huic eccleſiæ deſeruis.

Eadem tempeſtate quidam eius miniſter nomine Odo nimia febris & ſici addictus erat infirmitati, ita vt in promptu putaretur vitam exalare. Cumque ſæpiùs precaretur ſanctum pro ſe orare, primò quidem renuit, & columbina, vt erat ſimplicitate reſpondit: Dei voluntati contraire timeo, cuius nutu te eſſe infirmum cognoſco. At vbi vidit ingraueſcente morbo, mortẽ imminere fideli miniſtro, dolens de eius abſentia, iuſſit eum ferri ad eccleſiam. Cumque eo præſente Miſſarum ſacrificia celebraret, myſterijs Chriſti illum participauit. Eadem hora frater ad cellulã ſuis pedibus redijt, qui aliorum adminiculo fuerat delatus.

Odo eius miniſter per ſacrificium Miſſæ ſanatur.

Audientes igitur pater & mater inclytam famam, beati filij, cum multa nobilitate ad eum venerunt, eiuſque viſione nimiùm gauiſi ſunt. O quantis lachrymis mater exuberauit, cùm gauderet inuentum, quem doluerat amiſſum? & inter lachrymoſa ſuſpiria dubitabat, penè quid mallet, quia & pàtriam cum viro & liberis nolebat deſerere, nec ab vnicæ dilectionis filio Theobaldo volebat ſeparari. Tamen amor filij, immò amor Chriſti vicit amorem ſeculi. Nam abruptis omnibus retinaculis ſeculi, ſoli Domino Deo cum filio ſeruitura adhæſit. Fortis enim eſt, teſte Salomone, vt mors dilectio. Per filij dilectionem ad Dei peruenit charitatem, & quæ magnam in mundo poſſederat prædiorum amplitudinem, vnius breuis cellulæ cum filio Deo famulatura elegit ſolitudinem. Cui filius cum tanta humilitate obſecutus eſt, vt non facilè queat enarrari. Ex hoc verbo eius obſequium poteſt argumentari, quòd nullo hyemis rigore, nulla frigoris inclementia ingruente, à conſpectu reficiẽtis matris, nec ad modicum paſſus eſt abeſſe.

Cant. 8.

Mater ſuo filio adhæſet Deo ſeruitura.

Cap. 6. Biennio igitur hic beatus ante ſuum tranſitum ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali, ſuis credulis fratribus, ſe perhibuit immunem. Quo tempore ita vulneribus corporis ita obſitus fuit, vt aliquando neque greſſum figere, neq; manum etiam ad os ducere valeret. Supernus enim artifex vas electionis ſibi aptum,

igne

igne tribulationis & lima infirmitatis, voluit ſeptuplum purgare, vt eum ſine rubigine, in domo ſua beatum faceret habitare. Illud verò magis ſtupendum eſt: quòd nullo genere infirmitatis, nulla defectione carnis ab propoſito rigore ieiunij potuit flecti, ingraueſcente ergo vlcerum valetudine, & ſciuit & prædixit in proximo ſe migraturum. Cumque duodecimus annus volueretur, ex quo patriam reliquerat, nam tribus annis peregrinatus eſt, & nouem in ſolitudine manſit, ad extrema perductus, vigore corporeo cœpit omninò deſtitui. Accerſito verò Petro Abbate præ omnibus ſibi in amicitia familiariter iuncto, qui ei eodem anno monachicum ſchema ſacrauerat, commendat illi matrem, ſuoſque filios ſpirituales, cum totius eremi cura. Antè tertium diem ſuæ migrationis quinquies grauiſſimus terræ motus extitit, ex quibus quidam à foris ſtantes, omnes verò in cellula ſancti aſtantes ſenſerunt. Vnde conijcitur illius maieſtatis præſentiam migranti affuiſſe: de quo dicitur. Qui reſpicit & facit eam tremere. Teſtantur autem qui affuerunt, durum eum mortis guſtâſſe calicem. Nec mirum. Illi enim adhæſerat, qui pro nobis peccatoribus, à Iudæis morte turpiſſima condemnatus, peccata noſtra ipſe portauit, cuius liuore ſanati ſumus. Cumque diu in agonia deſudaret, quidam è familiaribus diuinitùs, vt credo, inſpiratus, quoſdam è popularibus aſtantes, blãda voce diſcedere ſuaſit. Quibus recedentibus, viatico Dominici corporis accepto, cum ſæpiùs iterâſſet: Domine miſerere populo tuo, diuinis ſatigatum officijs ſpiritum reddidit, ſuis plorantibus, angelis gaudentibus. Qui autem ſancto corpori propiùs aſtabant, teſtati ſunt, quòd nec tenuis macula illum fuſcâſſet, ſed quodam reſurrectionis decore eius vultus niteret. Migrauit autem pridiè Calẽdas Iulij: Indictione quarta: Henrico filio, Hẽrici Augusto, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

S. Theobaldus nulla aduerſitate leditur. *Commẽdat matrem, & diſcipulos ſuo Abbati.* *Pſalm. 103* *Feliciter obdormit in Domino*

Vincentini igitur comperto ſancti obitu, vna omnes ad officium funeris ruêre, clerus, omnis plebs vrbana & ruſtica in vnam coiére ſententiam. Armati & inermes, iuuenes & ſenes non ſolùm ab vrbe, ſed etiam à vicinis caſtris eruperunt: & magna vi ſolitudinem penetrantes, ab eccleſia cellulæ eius beati viri glebã ſuſtulerunt. Reſidui verò, qui in ciuitate reſtiterant, matronę pueri & puellæ obuiàm ſancto corpori proceſſerunt, duobus ab vrbe milibus in loco, qui dicitur ad Curtem, vbi geruli beati corporis quieuerunt. *Cap. 7.*

Poſtera die feria ſecunda tertia die menſis Iulij cum magna frequentia & tripudio populorum conditum eſt corpus ſanctum in baſilica ſanctæ Mariæ ſemper virginis, ad cuius titulum ſacerdotij functus eſt honore. Per omnia benedictus Deus, qui facit mirabilia magna ſolus. Poſt tumulationem beati Theobaldi placuit diuinæ maieſtati annuente beata Dei genitrice Maria cooperantibus Leontio & Carpoforo, in quorũ baſilica idem requieſcit, mirificare ſanctum ſuum virtutibus & miraculis. *Sepelitur in templo Mariæ genitricis Dei.*

Sequuntur miracula.

Alta villa dicitur caſtrum ab vrbe Vincentia, quinque diſtans milibus, vnde quædam fœmina acie oculorum damnata, dum ſancti expetiſſet tumulum, Deo fauente luminis recepit officium.

In eadem ciuitate Vincentia quædam fœmina oculorum ſimili lumine priuata dũ Dei implorat miſericordiam, & ſancti implorat clementiam, priſtinum recepit viſum.

Res eſt manifeſtiſſima, perſona nota, nomen quia in promptu eſt, omiſimus. Notus locus: caſtrum Prixinum dicitur, vnde alia fœmina pari infortunio capta adueniens, ad ſepulchrum ſancti ſimilem adepta eſt medelam. *Tres cæcæ mulieres illuminãtur.*

Quidam claudus greſſu & membris contractus, ciuis Beneuentanus ad ſepulchrum eius clementiam Dei implorans, compagibus membrorum ſolidatis exiliuit.

Alia perſona ſupradicti ſexus vigore membrorum deſtituta, manuum atque greſſuum robore diſſoluta, quæ beati Theobaldi mauſoleum frequentans, eius interuentu ad propria redijt, firmato greſſu. Villa dicitur Caſtranedrum vbi morabatur, hanc adepta medelam. *Duo claudi curantur.*

O inclyta Venetia, etiam tu experta es herilem virtutem. Nam quædam ſub ſpecie religionis, mutato habitu velata, ariditate manûs fuerat debilitata: Hæc tuis illata ab oris, præſentibus populorum turbis, officium manûs recepit ſancti Theobaldi meritis. *Cap. 8.* *Aliud miraculum.*

Placuit Diuinæ maieſtati, interuentu beati THEOBALDI geminare miraculum

culum, cùm eiuſdem regionis indigenam cæcum puerum reduxit ad priſtinam oculorum claritatem. Quod miraculum quàm celebre, quàm credibile conſtet, milia populi circunſtantis me, teſtantur. Et hoc etiam memorabile quòd eadem hora veſpertina ſcilicet à clero celſa voce modulabatur antyphona.

Iohan. vlt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quę nō ſunt ſcripta in libro hoc. Ponamus aliud miraculum, quod quamuis ſit ordine temporis præpoſterum, tamen neceſſariò eſt permutatum. Puer de Villa noua Venereus nomine, pede & brachio paralyticus, in publico & celebri conuentu fidelium, (vtporè octaua Paſchæ die, & præſentia ſancti corporis) gratulanter congregatorum, dum ad eius adductus fuiſſet oratorium, greſſus & manus cœpit vſum, & multo fauore ſuorū, ſoſpes repetijt domum.

Paralyticus reſtituitur integritati.

Quidam de Nouaria ciuitate Italiæ, non quidem pro aliquo reatu, ſed ſpontè, in brachio geſtans circulum ferreum, peruenit ad Sancti ſepulchrum. Cumque ibidem peruigilaret, & ad candelam quæ caſu à candelabro ceciderat erigendam vinctum brachium extendiſſet circulus ferreus confractus, magno tinnitu crepitās, à brachio diſſiliuit.

Aliud miraculum.

Alter Thuronenſis nomine Martinus vtroq; brachio manicis ferreis aſtrictus, poſt multorum ſanctorum locorum circuitiões, adhuc Sancto ſuperſtite, ad ſolitudinis locum, quo iſdem Beat' morabatur, peruenit, cumq; pœnæ ſuæ & reatus conſcium reddidit, & fratricidā ſe eſſe lamentabiliter manifeſtauit. Cui Sanctus propoſitum tūad ſepulchrum Saluātoris iter peragere ſuaſit, eique prophetica voce diſſolutionem vnius brachij prædixit. Perrexit ergo & iuxta viri Dei verbum apud Dominicum ſepulchrum vnius brachij gauiſus eſt diſſolutione. Reuerſus ab Hieroſolymitano itinere, Beato iam ab hoc ſeculo, trāſlato cum magnis lachrymoſiſque querimonijs eius expetens ſarcophagum, his verbis cœpit eum increpare: Tu, inquiens, iuſſiſti me ire & reuerti, ecce veni, & te ſuperſtitem non inueni, miſerere mei ſancte Dei, miſerere infelicitati meæ. Solue reum, conſolare peregrinum, qui tuo iuſſu tantum peragraui ſpatium. Illo iſta proſequente, & alia multa, repentè circulus ferreus à brachio cum ſtrepitu longè exiliens, crepuit, aſtanteſque magno gaudio repleuit. Hęc quę retulimus, ab ore ipſius, de quo res agitur, didicimus.

Aliud ſtupẽdum miraculum.

Cap. 8. Quaternorum cæcorum generaliter exequimur illuminationem, quorum vnus ſenex à iam dicta ciuitate Nouaria: à Lauagno puer: tertius à Taurinēſi comitatu: quarta quæ & puella à Colonia caſtro noſcuntur aduenìſſe. Sed puer in gradibus eccleſiæ, antequam Sancti contingeret ſepulchrum illuminari meruit. Taurinenſis verò dum alterius exiſteret pediſſequa, ſolus & pedeſter poſt illuminationem ad ſepulchrum Sancti viri, vt propoſuerat, conſtanter arripuit iter.

Alij quatuor à cęcitate oculorum curantur.

Nuper quoq; fidelibus populis celebrantibus feſtum Dominicæ aſcenſionis multa populorum aſtante frequentia & vigiliarum excubias obſeruante Foruilienſis puer cæcus ad beati Theobaldi mauſeolum oculorum recepit officium.

Alius puer cæcus illuminatur.

Gemini prætereà cæci, vnus de Matulino, alter de Paucilingo, caligine terræ cæcitatis abſentes luci, dum beati viri implorarent auxilium, optatum meruerunt recipere viſum.

Itẽ alij duo.

Quidam hydropicus ab Axano adueniens ad eiuſdem Beati vrnam deformi ventris tumore ſedato, incolumis ſeſe recepit natiuo ſolo.

Curatur hydropicus.

Duo debiles, vnus attractus genu, alter priuatus greſſu, vehiculo vſi alieno, poſt diurnā membrorum diſſolutionem, ad ſepulchrum ipſius receperunt, officij corporei firmitatem.

Duo debiles ſanantur.

Si volumus cuncta percurrere, verba antequam miracula, deficient. Ponamus metam locutioni, quia non eſt poſſibile ſingulatim enumerare quot cæci, quot debiles vel ægroti ſeu varijs paſſionibus addicti, quot energumeni ad eius tumulum ſunt ſanitatem adepti. Teſtem inuoco habitatorem eius, Spiritum ſanctum, me multa cognita prætermiſiſſe, & de magna ſylua vix paucos ramos perſtrinxiſſe.

Concluſio Authoris.

FINIS.

AOI 1471615

Digitized by Google


·15·17·

Digitized by Google